37
37 G
20

COLLEGII SALMANTICENSIS

FF. DISCALCEATORUM B. MARIÆ DE MONTE CARMELI

Primitivæ Obſervantiæ,

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS

TOMUS QUARTUS

QUINQUE COMPLECTENS TRACTATUS,

QUORUM { I. De Statu Religioſo. II. De Horis Canonicis. III. De Voto, & Juramento. IV. De Privilegiis. V. De Simonia. }

Per R.P.F. ANDREAM A MATRE DEI, *Carmelitam Excalceatum, olim in ſuo Salmanticenſi Collegio Primarium Lectorem, deinde totius Ordinis Definitorem Generalem, poſtmodùm Provinciæ S. Eliæ Caſtellæ Veteris Provincialem, ac denique ejuſdem Salmanticenſis Collegij Rectorem.*

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT.



LUGDUNI,

Sumptibus JOANNIS-ANTONII HUGUETAN, & Soc.

M. DC. LXXIX.

CUM APPROBATIONE, ET PERMISSU.

SANCTO
IOANNI A CRUCE,
CARMELITARUM EXCALCEATORUM
DIGNISSIMO PARENTI,

Totius Hiſpaniæ (immò totius Eccleſiæ) fulgentiſſimo Jubari, Theologiæ Myſticæ Práctico Doctori, Thereſiæ à Jeſu in reformatione Carmeli præclariſſimo coadjutori; cujus virtus inter Carmelicolas emicat omnes, velut inter ignes Luna minores; cujus nomen S. JOANNES, qui interpretatur GRATIA; ſupernomen autem, A CRUCE, quæ fuit noſtræ Redemptionis vexillum, iſtum Tomum de RELIGIONE, ex jure offert, ex affectu dicat, ex corde conſecrat

Illius minimus Filius F. ANDREAS A MATRE DEI, ad pedes tanti Parentis proſtratus.

AD Te (ô AMANTISSIME PARENS) naturali pondere pergit, tanquam ad ſuum centrum, in quo feliciter requieſcat, hiccine de Religione Tomus quartus, quem ego improbo labore, pluribus negotiis irretitus ad finem perduxi. Sed quid mirum, quod iſte Tomus de Religione tendat, quaſi innato pondere, ad Te, cùm Tu ſis totius Religionis fulgentiſſimum jubar, & vnuſquiſque ſuum ſimilem quærat? Quid in hoc Tomo docetur calamo, quod Tu operibus non docueris? Certè ſtatus religioſus, & quidquid ad illum ſpectat, in Te ad amuſſim invenitur expreſſum. Si namque in prædicto

ſtatu, tanquam ſidera in cœlo, emicant virtutes fulgentiſſimæ obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, quis Te obedientior? quis Te purior? quis Te pauperior? Conſulantur hiſtoriæ, tua religioſiſſima vita percurratur, & in ea luce clariores apparebunt ſingulariſſima obedientia, puriſſima caſtitas, perfectiſſima paupertas. Sileat mea balbutiens lingua, ſed intonet in favorem tuæ obſervantiſſimæ Religionis illa, quæ Te ad reformandum Carmelum, non ſine ſpeciali divini Numinis providentia elegit; illa quæ Te ſemper tanti æſtimauit; illa denique, cuius teſtimonium æquivalet pluribus; Seraphica, inquam, Mater Noſtra S. Theresia, cuius hæc ſunt verba. *Del Padre Fray Iuan de la Cruz, ninguna prueba era meneſter, porque aunque eſtaba entre los del paño, ſiempre havia hecho vida de mucha perfeccion, y religion.* Hæc Therefia de tua obſervantiſſima religione protulit, dum adhuc inter obſervantes eras. Quid diceret poſtquam ad reformandum Carmelum divina Te gratia elegit? Equidem tam fulgens religionis exemplar ſilentio venerari debet, non verbis: & ſi omnia membra mea verterentur in linguas, nec à limine poſſem tuam egregiam religionem in reformato Carmelo dignè ſalutare. Si ergo tam præclarum religionis exemplar mundo exhibuiſti, ipſa ratio æquo jure poſtulat, vt iſte Religionis Tomus tuis appendatur aris, dicetur obſequiis, neque alterius Mecœnatis ambiat favorem.

Apud N. Hieron. à S. Ioſeph in hiſtor. V. P. Fr. Ioan. à Cruce. lib. 1. cap. 5. n. 6.

Adeſt & aliud motivum ad hoc Opus Tibi conſecrandum, quod in medium adducere rationi conſonum judicavi. Etenim in quolibet Pattono cujuſvis Operis religioſi virtus, & ſapientia debent inquiri: & vtraque excellentia in Te (ô inclyte decus Carmeli) mirificè reſplendet. De tua eminentiſſima ſanctitate nihil ex me dicam; proferam verò quod de illa dixit Carmeli Reformatrix Thereſia, quæ in tuæ ſanctitatis commendationem, dum adhuc viveres, non ſemel, aut bis, ſed multoties ſuam authoritatem interpoſuit, vti ſequentia demonſtrabunt teſtimonia. Etenim *in quadam epiſt. ad Reg. D. Philip. II.* ſcripta *ann.* 1577. ita inquit. *Eſta eſpanta da eſtà Ciudad del grandiſſimo provecho, que alli a hecho, y le tienen por un Santo: en mi opinion lo es, y a ſido toda la vida.* Et eadem Sanctiſſima Mater ſæpè dicebat: *Que el Padre Fr. Iuan de la Cruz era vna de las almas mas puras, y ſantas, que Dios tenia en ſu Igleſia, y que le havia infundido grandes theſoros de luz, pureza, y ſabiduria del cielo.* Et *in alia epiſt. ad Annam à Ieſu*, ſic loquitur: *En gracia me a caido hija, quan ſin razon ſequexa, pues tiene alla à mi Padre Fr. Iuan de la Cruz, que es vn hombre celeſtial, y divino. Pues yo le digo mi hija, que deſpues que ſe fue alla, no è allado en toda Caſtilla otro como el, ni que tanto a fervore en el camino del cielo. No creera la ſoledad, que me cauſa ſu falta. Miren que es vn gran theſoro, el que tienen alla en eſſe Santo, y todas las de eſſa caſa traten, y comuniquen ſus almas con el: y veran, quan aprovechadas eſtan, y ſe allaran muy adelante en todo lo que es eſpiritu, y perfeccion: porque le a dado el ſeñor para todo eſto particular gracia.* Et *in altera epiſt. ad Prioriſſam Metinæ*, fatur in hunc modum: *Mi hija mucho me peſa de la enfermedad, que tiene la hermana Iſabel. Ay les embio al Santo Fr. Iuan de la Cruz, que le à echo Dios merced de darle gracia para echar los Demonios de las perſonas que los tienen. Aora acaba de ſacar*

Apud N. Franciſcum à S. Maria tom. 2. hiſtor. Reform. lib. 6. cap. 4. n. 6.

Ibidem.

Ibidem cap. 13. n. 4.

Ibidem cap. 26. n. 2.

aqui

aqui en Avila de vna perſona tres legiones, y en virtud de Dios hizo, que le obedecieſſen haſta dezir ſus nombres. Huc vſque Seraphica Mater noſtra in tui laudem, in Dei gloriam, & totius Carmeli ſingulariſſimum honorem.

Et ne quis judicet veritatis Magiſtram à veritatis tramite deviaſſe, jam Supremus Eccleſiæ Antiſtes Clemens Papa X. *in Bulla tuæ feliciſſimæ Beatificationis*, præclarum de tua eminenti ſanctitate teſtimonium perhibuit. Proferam illius verba, vt in corde omnium Fidelium imprimantur. Sic ergo ait: *Spiritus Domini, qui triumphantem in cœlis Eccleſiam ex vivis lapillis ſecundùm ineffabiles ſapientiæ, bonitatiſque ſuæ divitias ædificare non ceſſat, præcipuorum quorundam ſervorum, atque electorum ſuorum, quos à conſtitutione mundi in opus ſuum prædeſtinatos multiformis gratiæ ſuæ chariſmatibus inſtruxit, & exornavit, ſanctitatem interdum ſignis, atque portentis teſtatam facit, vt quibus immarceſſibilis gloriæ corona in cœlis à iuſto Iudice donata eſt, debitæ quoque venerationis cultus in terris impendatur. Inter hos cùm multipliciter claruerit Servus Dei Ioannes de Cruce, primus Religionis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Profeſſor, qui Sanctiſſimæ Virginis Thereſiæ, ejuſdem Religionis Inſtitutricis veſtigiis ſtudioſè inſiſtens, & præclaros retulit de carne in carne triumphos, & non ſolùm ſociis ſuis magiſterio, exemploque ſumma cum laude præluxit, ſed etiam Eccleſiam univerſam ſpiritualium aromatum, quibus eum divina benignitas largiter imbuerat, odore perfudit: dignum arbitramur, &c.* Hæc de tua ſanctitate Sanctiſſimus Petri ſucceſſor: quo nihil illuſtrius, nihil præclarius, nihil ad intentum opportunius.

Clemens X. *in Bulla, quæ incipit,* Spiritus Domini, *dat. die 25. Ianuarij, ann. 1675.*

Sed quid proferam de tua ſapientia? (quæ eſt altera excellentia, quæ in prædicto Patrono debet relucere.) Plurima poſſem proferre teſtimonia, non domeſtica, ſed extranea, quibus ſolidiſſima tuorum operum doctrina miris laudibus extollitur, grandibuſque præconiis collaudatur: cæterùm brevitatis causâ duo tantum, graviſſima tamen, tuis aris appendam. Primum eſt Reverendiſſimi Cardinalis de Torres Proponente, & Cardinalis Ioannis Baptiſtæ Deti Epiſcopi Portuenſis, quod ſic ſe habet: *Libros de Myſtica Theologia (qui per diverſa Regna circunferuntur ſcripti) cœleſti eruditione fœcundos, ſublimi adeo, & admirabili ſtylo conſcripſit, vt talem ſcientiam divinitus revelatam eſſe, non humano acquiſitam ingenio exiſtiment omnes. Quorum lectio ad veras à falſis illuminationibus diſcernendas, animaſque in Perfectionis vita roborandas perutilis comprobatur; vnde doctrina Sancti Dionyſii Areopagitæ à legentibus comparata eſt.*

Cardin. de Torre *in relation. ad Sacr. Congreg. Rituum.*

Cardinal. Ioan. Baptiſt. Deti *in litteris remiſſorial. conceſſis in ordin. ad Canonizationem. V. P. Fr. Ioan. à Cruce.*

Secundum teſtimonium eſt Reverendiſſ. P. Joannis de Vicuña Rectoris Collegij Societatis Ubedæ, ſic loquentis: *Yo he leydo todos los eſcritos del Santo Padre Fray Iuan de la Cruz, vna, y muchas vezes, y me parece la dottrina de ellos vna Teologia miſtica, llena de ſabiduria del cielo: y claramente mueſtran la levantada, y eminente luz, que en ſu alma tenia ſu autor, y quan vnida la trahia à Dios: porque las coſas, que alli deſcubre*

Ioan. de Vicuña

in quadam declaratione iuratata, apud N. Franciscum à S. Maria, vbi ſupr. lib. 7. cap. 34. n. 7. *cubre lo mueſtran muy claro. Y con aver leido yo muchos autores que han eſcrito de Teologia Miſtica, me parece no he encontrado dottrina mas ſolida, ni mas levantada, que lo que eſcribe el dicho Santo Padre Fray Iuan de la Cruz. Y ſe que los que lo leen, ſienten en ſu alma grande luz en el camino eſpiritual. Y yo, aunque poco aprovechado, confeſſo de mi, que ſiento eſto, quando los leo; y aſſi miſmo ſiento vn gran calor, que me alienta al amor de Dios: y por eſſo los eſtimo, y venero, y de ellos me aprovecho para mi, y para encaminar al cielo à otras almas, que comunico; y para eſto los hize traſladar.* Pulcherrima ſanè verba, & in tuæ doctrinæ laudem apprimè dicta! Aſt quid mirum, quod ita ſapientes tuam ſapientiam laudibus extollant; cùm potiùs fuerit divinitus infuſa, quàm humanis viribus acquiſita. Hinc oritur illa ſecreta vis, qua tui libri animos ad ſe rapiunt, tranſmutant corda, voluntatemque ab omni carnali affectu denudant, ad Deum erigunt, ad cœleſtia ſublevant. Verè tua doctrina cœleſtis, & divina eſt, quæ cœleſtes, & divinos homines facit. O quot animas tua ſcripta lucrata ſunt! ô quot religioſos viros ad perfectionis culmen ſublevarunt! Equidem tua *nox obſcura* lucem mentibus infundit, cœleſtem communicat claritatem, mirabilem docet ſapientiam, ita vt meritò præſumere valeam, de te Spiritum Sanctum illa protuliſſe verba: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Quem locum ſic expendo. *Dies* ſignificat claritatem patriæ, & hæc claritas prædeſtinatis eructat verbum, hoc eſt, manifeſtat clarè divinam eſſentiam. *Nox* ſignificat obſcuritatem viæ: *videmus* enim *nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* & hæc obſcuritas, tuorum Operum clariſſima luce *noctis obſcura* fuit irradiata. Datur igitur in Te (ô Pater dilectiſſime) & præclara ſcientia, & peregrina ſanctitas: vnde ingrati notà inurerer, ſi iſtum laborem Tibi tot titulis debitum, alterius templi tholo dicarem. Non dico; ſed tibi offero toto corde, tota mente, tota anima.

Pſalm. 18. *1. ad Corinth. cap. 13.*

Sed forſan objiciet quis: Cur D. Thereſiæ aris hoc Opus de Religione non appendis? Cur eam in hujus Operis Patronam non advocas? Si enim doctrinam, & ſapientiam quæris, per totum orbem radii ſuæ doctrinæ coruſcant. Si ſanctitatem deſideras, eam Clemens Papa X. *Sanctiſſimam* appellat. Si religionem exoptas, tuæ obſervantiſſimæ Religionis fuit Fundatrix. Quid ergo in D. Joanne à Cruce religionis, doctrinæ, & ſanctitatis invenies, quod in Seraphica Thereſia in gradu eminentiſſimo non reperias? Namque D. Thereſia eſt *Fundatrix* Reformati Carmeli, S. Joannes à Cruce tantùm eſt *Coadjutor* illius; illa *Mater*, hîc *Filius*. Honora igitur Matrem, ſi filii nomine glorieris.

Clemens Papa X. *in Bulla Beatification. S. Ioannis à Cruce, ſuprà citata.*

Verùm ſiſte paulisper, qui hanc objectionem mihi proponis: iam enim tuæ difficultati libenter occurro; etenim, ſi bene memineris, & noſtrum Curſum Theologiæ Moralis vel à limine ſalutaſti, invenies ſecundum illius Tomum D. Thereſiæ Matri noſtræ dicatum. Unde jam honoravimus Matrem; ſed adhuc reſtabat Patrem honorare: namque præceptum divinum eſt, *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.*

Exod. cap. 20.

Ergo

Ergo ſi Matrem noſtram Thereſiam jam in ſecundo Tomo pro modulo noſtro honoravimus, rationi conſonum eſt, vt tam egregio Patri in hoc Tomo quarto debitum honorem præſtemus. Adde, quod D. Thereſia & S. Joannes à Cruce ita ſunt in ſapientia, virtute, & religione ſimiles, vt quod D. Joannis à Cruce aris dicatur, Sanctæ Thereſiæ altari conſecrari videatur. Unde ipſa D. Joannem à Cruce tanquam ſeipſam vult honorari. Audi Seraphicam Matrem ſic loquentem: *Hija mia yo procurare, que el Padre Fr. Iuan de la Cruz vaya por alla. Haga quenta que ſoy yo, tratenle con llaneza ſus almas: conſuelenſe con el, que es alma, aquien Dios comunica ſu Eſpiritu.* Perpendantur illa verba, *Haga quenta que ſoy yo.* Tum ſic: Thereſia optat, vt Joannes à Cruce tanquam ipſa honoretur; & honorem illi præſtitum, tanquam ſuum reputat. Nullam ergo injuriam facimus Thereſiæ, ſi hoc Opus illius aris conſecrandum, D. Joanni à Cruce dicetur. In hoc enim conſilium Thereſiæ ſequimur; & vt Thereſiæ verbis vtamur, *hazemos quenta, que San Iuan de la Cruz es Santa Thereſia.* Ergo (Pater Sanctiſſime) hoc Opus de Religione benignis oculis aſpice, in ſinu tuo recipe, & ſub tuis alis, tanquam gallina pullum, protege: vt ſic ab invidorum dentibus ſecurus evadat, & in Dei honorem, in tui gloriam, in Eccleſiæ vtilitatem per totum orbem pernici curſu volet. Sic de tua benignitate confido. Sic de tua protectione ſpero. Fave, & fove.

Apud N. Hieron. à Sancto Ioſeph. *in hiſtor. V. P. F. Ioan. à Cruce, lib. 4. cap. 15.*

FACULTAS

FACULTAS ORDINIS.

FRATER SILVESTER AB ASSVMPTIONE, Generalis Ordinis Fratrum Diſcalceatorum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo primitivæ Obſervantiæ: vt liber cujus titulus eſt, *Curſus Theologiæ Moralis Tomus quartus de Religione*, à P. Fr. Andrea à Matre Dei noſtri Collegij Salmanticenſis Rectore, ſuis elucubrationibus accuratè compoſitus, atque à gravibus, doctiſque Viris noſtri Ordinis (quibus ipſum videndum, & examinandum commiſimus) recognitus, & approbatus typis mandetur, & in lucem prodeat, tenore præſentium licentiam, & facultatem Concedimus. Dat. Matriti die trigeſima Septembris, anno Dom. milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimoſexto.

Loco † Sigilli

Fr. SILVESTER AB ASSUMPTIONE, Generalis.

Fr. NICOLAUS A S. ELIA, Diffinitor & Secretarius.

Approbationes Doctorum Sacræ Facultatis Pariſienſis.

EGo infraſcriptus Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, *Curſum Theologicum & Moralem Salmanticenſem*, omnibus illum lecturis perutilem fore cenſeo, ideoque dignum judico qui typis mandetur, vtpote qui nihil Fidei Catholicæ, ac bonis moribus contrarium contineat. Datum Lugduni, die undecima Februarij anni 1678.

COMPAIN.

CUrſum Theologicum & Moralem Salmanticenſem, completum legi ego infraſcriptus Theologiæ Pariſienſis Doctor, & quod de novo in lucem prodeat, judicavi Publico perutile. Lugduni die nona Februarij anni Domini 1678.

VIAL.

Conſenſus Procuratoris Regij.

PRO Rege aſſentio, ut Opus cui titulus eſt, *Curſus Salmanticenſis Theologicus & Moralis*, imprimatur à IOANNE-ANTONIO HUGUETAN, & Soc. hujus Civitatis Bibliopolis, cum inhibitionibus conſuetis per triennium duraturis. Datum Lugduni, die 25. Julij 1678.

VAGINAY.

PERMISSIO.

FIAT juxta Concluſiones Procuratoris Regij, anno & die ſupradictis.

DE SEVE.

Deſiit prælum 7. Januarij 1679.

INDEX

INDEX
TRACTATUUM, CAPITUM, PUNCTORUM, ET PARAGRAPHORUM,
Quæ in hoc Quarto Volumine continentur.

TRACTATUS XV.

De Statu Religioſo, & ejus obligationibus. pag. 1

Prœmium. ibid.

CAPUT I. **D**E eſſentia, unitate, & diverſitate ſtatus religioſi. pag. 1

Punct. j. *Quid ſit ſtatus religioſus, & quid ad illum ſit eſſentialiter pertium? ibid.*

Punct. ij. *Qua ratione tendere ad perfectionem ſit de unione ſtatus religioſi, & de obligatione, quam habent regulares illam procurandi.* 5

Punct. iij. *An ſit de eſſentia ſtatus religioſi ſolemnitas votorum ſubſtantialium? In quo talis ſolemnitas conſiſtat? Ubi etiam, an poſſit Summus Pontifex in votis ſubſtantialibus Religioſorum diſpenſare?* 9

Punct. iv. *An ſit de eſſentia ſtatus religioſi quod paupertas, obedientia, caſtitas, quæ in illo voventur, ſint ſimpliciter & abſolutè tales? Ubi de religionibus militaribus agitur, propriis eorum privilegiis, & obligationibus.* 13

§. j. *Aliqua certa apud DD. circa præſentem difficultatem referuntur.* ibid.

§. ij. *Sintne militares veræ religiones diſputatur? Duplex ſententia proponitur, & pars negativa præfertur.* 15

§. iij. *De votis, quæ militares ordines emittunt, de privilegiis eorum & obligationibus.* 17

Punct. v. *De diverſitate ordinum, unde ſumatur? & qualis religio ſit perfectior.* 19

CAP. II. De voto, quod emitti ſolet aſſumendi ſtatum religioſum. 23

Punct. j. *Ad quid tenentur, qui votum religionis, vel in genere, vel in ſpecie emittit? ibid.*

Punct. ij. *Qualiter votum religionis aſſumendæ obliget ad perſeverandum in ea?* 27

Punct. iij. *Quo tempore urgeat obligatio voti intrandæ religionis emiſſi?* 30

Punct. iv. *Quibus modis ceſſare poſſit voti religionis obligatio?* 31

CAP. III. De novitiatu præmittendo profeſſioni religioſæ. 34

Punct. j. *De natura novitiatus, & conditionibus ad illum requiſitis.* ibid.

§. j. *De conditionibus aliquibus pro novitiatu validè, & licitè tranſigendo requiſitis.* 35

§. ij. *De loco, in quo debet peragi novitiatus.* 37

§. iij. *De anno integro & continuo pro novitiatu juxta Tridentinum requiſito.* 38

§. iv. *An ſit dabilis caſus, in quo ſit valida profeſſio, non præmiſſo integro novitiatus anno?* 40

Punct. ij. *De his, qui legitimam habent poteſtatem ad novitiatum admittendi.* 42

Punct. iij. *De qualitatibus requiſitis in his, qui recipiendi ſunt ad religioſum ſtatum.* 43

§. j. *De impedimentis ex jure naturæ nullam, vel illicitam religioſæ vitæ aſſumptionem reddentibus.* 44

§. ij. *An, & quomodo ob neceſſitatem parentum debeant filii retrahi à ſtatu religioſo.* 45

§. iij. *De his, quæ jure Pontificio impediunt ingreſſum religionis.* 47

Punct. iv. *De informationibus ad receptionem, vel ſaltem ad profeſſionem præmittendis.* 49

Punct. v. *De obligationibus novitiorum.* 51

Punct. vj. *De novitiorum privilegiis.* 54

Punct. vij. *De teſtamentis & renunciationibus, vel donationibus, quæ à novitiis poſſunt fieri.* 56

§. j. *De teſtamentis novitiorum, & ſolemnitate pro illis requiſita.* ibid.

§. ij. *De ſolemnitate à Tridentino requiſita pro renunciationibus & donationibus à novitiis faciendis.* 57
§. iij. *Aliqua difficultates circa dictam renunciationem enodantur.* 59
§. iv. *Quomodo beneficia obtenta à religioſis per habitus ſuſceptionem, vel profeſſionem vacent? Et an renunciatio illorum debeat cum ſolemnitate Tridentini fieri?* 62
Cap. IV. De Profeſſione Religioſa, & de effectibus illius. 63
Punct. j. *De natura & conditionibus profeſſionis religioſæ, ejuſque multiplicitate, ubi ſpecialiter de tacita profeſſione eſt ſermo.* ibid.
Punct. ij. *De his, in quibus poteſtas reſidet ad profeſſionem admittendi.* 66
Punct. iij. *Ex quibus cauſis profeſſio tacita, vel expreſſa reddatur nulla?* 69
Punct. iv. *Quomodo profeſſio nulla poſſit ratificari?* 72
Punct. v. *De effectibus ex valida profeſſione provenientibus.* 75
Punct. vj. *De obligatione religionis ad religioſum, & religioſi ad religionem, ex vi profeſſionis provenientе.* 76
Cap. V. De indiſſolubilitate ſtatus religioſi. 80
Punct. j. *De jure reclamandi, quod habent regulares, quando intendunt ſe invalidam emiſiſſe profeſſionem.* 82
§. j. *Cum quibus conditionibus, & quibus perſonis ſit licita contra profeſſionem reclamatio.* ibid.
§. ij. *De quinquennio à Tridentino aſſignato, ut reclamans religioſus audiri debeat.* 86
Punct. ij. *Quomodo regularis aſſumptus ad Epiſcopatum, Cardinalatum, vel Abbatiam extra ordinem, liberetur à jugo regularis obſervantiæ.* 88
Punct. iij. *Qualiter religioſis interdictus, vel conceſſus ſit tranſitus ab una ad aliam religionem.* 93
§. j. *Aliqua certa, & communia ſupponuntur.* ibid.
§. ij. *Quæ conditiones ſervandæ ſint in tranſitu ad ſtrictiorem Ordinem, ut licitus, & validus ſit?* 95
§. iij. *Quando, & quomodo tranſitus ad æqualem, vel laxiorem religionem ſit validus, & licitus.* 99
§. iv. *De effectibus & pœnis pro tranſeuntibus de una ad aliam religionem.* 101
Punct. iv. *De poteſtate, quam habent Prælati ejiciendi ab ordine religioſos incorrigibiles.* 102
§. j. *Quo jure, & quibus conditionibus poſſint Prælati religioſos crimінoſos expellere.* 103
§. ij. *Ad quid teneantur expulſi religioſi extra religionem degentes?* 105
§. iij. *Aliquæ difficultates enodantur circa materiam paragraphi præcedentis.* 107
§. iv. *Proponuntur declarationes circa hoc ſacra Congregationis Cardinalium, & quomodo intelligenda ſint, explicatur.* 109
Punct. v. *De apoſtatis, & fugitivis, & eorum pœnis.* 112
§. j. *Qualiter apoſtata à fugitivo differat, & quando aliquis ſit apoſtata cenſendus?* ibid.
§. ij. *De eo, quod poſſunt, & tenentur facere Prælati circa apoſtatas & fugitivos.* 114
§. iij. *De pœnis in jure contra apoſtatas & fugitivos aſſignatis.* 116
Punct. vj. *De his, qui habitum religioſum temerè dimittunt.* 118
Punct. vij. *De clauſura regularium, quoad obligationem non exeundi è monaſterio abſque legitima licentia.* 121
Punct. viij. *De clauſura regularium, quoad obligationem non permittendi fœminas eorum ingredi monaſteria.* 124
§. j. *Quo jure prohibitum ſit fœminis monaſteria virorum ingredi?* ibid
§. ij. *Quæ fœminæ ſub tali prohibitione contineantur?* 125
§. iij. *Quid nomine clauſuræ intelligatur ex jure communi, quam ingredi mulieribus prohibetur?* 126
§. iv. *Quibus ex cauſis licitum ſit mulieribus ingredi domos religioſorum.* 127
§. v. *Quas pœnas incurrant mulieres clauſuram religioſorum extra caſus permiſſos intrantes, & illas introducentes, vel admittentes?* 129
§. vj. *Quid jure noſtro particulari ſit ſancitum circa materiam hujus puncti?* 130
Cap. VI. De tribus votis ſubſtantialibus, ad quæ ex vi profeſſionis obligatur religioſus. 132
Punct. j. *De obligatione, quam ex vi voti paupertatis contrahunt religioſi in communi, remiſſivè.* ibid.
Punct. ij. *Quomodo religioſus violet votum paupertatis aliquid expendendo, vel retinendo ſine licentia, & ad quam reſtitutionem teneatur, remiſſivè?* 134
Punct. iij. *De obligatione, quam votum caſtitatis inducit.* 136
§. j. *De ſolemni voto caſtitatis, illius effectibus, ac diverſitate à voto ſimplici.* 137
§. ij. *De voto ſimplici caſtitatis, quod extra religionem emittitur.* 139
Punct. iv. *De natura obedientiæ ut eſt virtus, & ut pertinet ad religioſos, caditque ſub voto.* 142
Punct. v. *De objecto obedientiæ, & materia illius, ſeu de his rebus in generali, quæ poſſunt cadere ſub Prælatorum mandatis.* 145
Punct. vj. *An ſubditus teneatur obedire Prælato, ſi habeat opinionem probabilem, quod Prælatus rem illam ſibi imperare non poteſt?* 146
Punct. vij. *An ſubditus teneatur obedire Prælato*

lato aliquid ſupra regulam, infra regulum, contra regulam, vel præter regulam præcipienti? 149

Punct. viij. *An quando regula ſolum obligat ad pœnam, vel ſub veniali, poſſint Prælati obligare ad obſervantiam illius ſub mortali?* 152

Punct. ix. *An ſubditus teneatur obedire Prælato aliquid arduum, vel periculoſum vitæ præcipienti?* 153

Punct. x. *Quot peccata committat religioſus contra præceptum Prælati operando?* 155

Cap. VIII. De aliquibus Religioſorum particularibus obligationibus, & prohibitionibus. 157

Punct. j. *De obligatione, quam habent Regulares non appellandi à ſententiis, correctionibus, ordinationibus, & mandatis ſuorum ſuperiorum.* 158

§. j. *Quid, & quotuplex ſit appellatio? quot effectus ejus? quo tempore interponenda?* ibid.

§. ij. *Quo jure prohibita ſit religioſis appellatio, & in quibus caſibus permiſſa?* 160

Punct. ij. *De prohibitione facta Regularibus quoad bona propriorum monaſteriorum, ac Eccleſiarum non alienanda ſine legitima ſolemnitate.* 164

§. j. *Quo jure rerum Eccleſiæ alienatio prohibita ſit? & quibus circa hoc gaudeant religioſi privilegiis?* ibid.

§. ij. *Quæ ſint bona Eccleſiæ, quorum alienatio eſt prohibita?* 165

§. iij. *Qui contractus ſint prohibiti, quibus bona Eccleſiæ, vel monaſteriorum non poſſunt alienari?* 167

§. iv. *Quæ cauſæ & conditiones requirantur, vt validè & licitè res Eccleſiarum, & monaſteriorum alienentur?* 169

Punct. iij. *De Prohibitione facta religioſis, ne ſe immiſceant actibus judicialibus.* 172

§. j. *De munere Iudicis, Procuratoriis, & Advocati regularibus in jure prohibito.* ibid.

§. ij. *An, & quomodo exercitium tabellionis, rei, actoris, & teſtis in judicio ſit religioſis interdictum.* 174

§. iij. *Qualiter munus ſuſcipere curatoris, tutoris, fidejuſſoris, depoſitarij, teſtamentarij, aut commiſſary ad condendum teſtamentum electi ſit vel non Regularibus prohibitum.* 176

Punct. iv. *De obligatione, quam habent regulares celebrandi Miſſæ ſacrificium, & de loco, & tempore, quo celebrare poſſunt.* 178

Punct. v. *De prohibitione facta regularibus quoad multiplex ſtipendium non recipiendum pro eadem Miſſa.* 182

§. j. *Quid ſacra congregatio Cardinalium ſub Vrbano VIII. decreverit circa hanc materiam?* ibid.

§. ij. *An Sacerdos pauper illud ſtipendium poſſit pro vna Miſſa recipere, quod ſufficiat pro decenti vnius diei ſuſtentatione?* 184

§. iij. *Poſſit-ne ſacerdos fructum ſpecialiſſimum ſibi correſpondentem alteri applicare, & pro eo novam ſtipendium recipere?* 186

§. iv. *An liceat Sacerdoti Miſſas anticipatas pro his offerre qui eas poſtea poſtulabunt, vel eleemoſynas tribuent?* 187

§. v. *An Sacerdos pro Miſſa diebus feſtiuis celebrata poſſit duplicatum ſtipendium recipere.* 188

§. vj. *An Sacerdos qui Miſſam pro defuncto applicaret, & ſimul pro impetratione alicujus beneficii à petente illum deſiderati, poſſit duplex ſtipendium recipere?* 189

§. vij. *An Sacerdos vel Monaſterium, quod pro dicendis Miſſis ſtipendium ſumpſit, poſſit aliis ſacerdotibus dicendas dare, retenta ſibi parte ſtipendii?* 190

§. viij. *De reductione Miſſarum, quæ poteſt fieri ab Epiſcopis, & Generalibus virtute Concilii Tridentini.* 193

§. ix. *Poſſit-ne authoritate privata Sacerdoti reductio Miſſarum fieri?* 195

TRACTATUS XVI.

De Horis Canonicis à Regularibus recitandis. pag. 195

Proœmium. ibid.

Cap. I. De recitatione publica & in communi officij canonici. 198

Punct. j. *De obligatione recitandi in communi officium canonicum.* ibid.

Punct. ij. *De ordine, loco, tempore quo debet in choro officium divinum recitari.* 199

Punct. iij. *De obligatione integrè recitandi officium divinum in choro.* 201

Punct. iv. *Quam Breviarii formam teneantur ſequi, qui debent horas canonicas tam in communi, quàm in particulari recitare.* 204

Cap. II. De his qui tenentur in particulari horas canonicas recitare. 207

Punct. j. *Quomodo clerici ſacris ordinibus initiati teneantur quotidie horas canonicas recitare?* 208

Punct. ij. *An Religioſi profeſſi non conſtituti in ſacris, & Moniales teneãtur ſub peccato mortali ad recitandum officium canonicum?* 209

Punct. iij. *De obligatione recitandi horas canonicas, qua tenentur beneficium aliquod poſſidentes.* 213

§. j. *De his, qui tenentur ad recitationem ratione beneficii.* ibid.

§. ij. *An habens animum reſtituendi fructus beneficii peccet omittendo officium divinum.* 215

§. iij. *An vt beneficiatus obligetur ad recitationem, requiratur quod ſit in pacifica poſſeſſione beneficii?* ibid.

§. iv. *An qui nullos fructus ex beneficio percipit, teneatur ad recitationem?* 216

§. v. *An ſi beneficium ſit exiguum, teneatur illud poſſidens officium divinum recitare?* 218

Punct. iv. *De reſtitutione, quam tenentur facere Beneficiarij officium divinum omittentes.* 219

Cap. III. De modo, ordine, loco, tempore, & aliis circunſtantiis, cum quibus debet officium recitari. 223

Punct. j. *De pronuntiatione, qua divinum officium perſolvendum eſt.* 224

Punct. ij. *De ordine, quo debet officium canonicum recitari.* 226

Punct. iij. *De loco, & tempore, quo debent horæ canonicæ dici.* ibid.

Punct. iv. *De integritate, cum qua debet divinum officium adimpleri.* 228

Punct. v. *De intentione, & attentione requiſitis ad ſatisfaciendum obligationi recitationis.* 230

Punct. vj. *De cauſis excuſantibus à recitatione officij canonici.* 232

§. j. *De infirmitate, impotentia, occupatione, & diſpenſatione, quibus poteſt aliquis à penſo horarum excuſari.* 233

§. ij. *Aliqua difficultates enodantur circa dicta.* 235

Punct. vij. *De privilegiis Regularibus conceſſis in ordine ad recitationem officij canonici.* 237

Cap. IV. De diſtributionibus quotidianis, à quibus lucrari poſſunt. 240

Punct. j. *De obligatione Canonicorum choro intereſſendi, & de modò, quo in eo debent eſſe, ut diſtributiones lucrentur.* 241

Punct. ij. *Quibus accreſcant diſtributiones, quas amittunt, qui choro non interſunt.* 243

Punct. iij. *Quæ cauſæ excuſent Præbendatum à choro, ut nonobſtante abſentia lucrari poſſit diſtributiones.* 244

§. j. *De infirmitate excuſante à chori intereſſentia.* ibid.

§. ij. *Quæ corporalis neceſſitas excuſet à præſentia in choro?* 245

§. iij. *Quæ utilitas evidens Eccleſiæ excuſet à chori intereſſentia?* 246

Punct. iv. *De aliis, qui ratione utilitatis Eccleſiæ abeſſe poſſunt à choro, & lucrari diſtributiones.* 248

Punct. v. *De privilegio, aut diſpenſatione non intereſſendi, & quomodo debeat interpretari.* 251

Punct. vj. *An ex ſtatuto, vel conſuetudine Eccleſiæ excuſari poſſint, qui amplius quàm per tres menſes non aſſiſtant horis canonicis; & fructus, ac diſtributiones debitas præſentibus poſſint lucrari?* 252

TRACTATUS XVII.

De voto ac Iuramento. 255

Cap. I. De eſſentia & natura voti, ejus multiplicitate, materia, & obligatione, quam inducit. 257

Punct. j. *Quid ſit votum, & quibus conditionibus emitti debeat, ut ſit validum, & licitum.* ibid.

§. j. *Quæ deliberatio requiratur, & ſufficiat ad votum.* 258

§. ij. *De promiſſione, in qua voti natura perficitur.* 260

§. iij. *Quod propoſitum voluntatis debeat dari, ut votum validè, & licitè emittatur?* 261

§. iv. *Qualiter votum ſoli Deo fieri debet, ubi de votis factis Sanctis, aut Prælatis.* 263

Punct. ij. *De materia apta pro licita, & valida emiſſione voti.* 264

§. j. *An poſſit eſſe materia voti res aliàs præcepta? ubi quomodo intelligatur illa particula,* de meliori bono, *explicatur.* ibid.

§. ij. *Sitne validum votum de materia oppoſita conſiliis, quæ ad maiorem perfectionem conducant?* 265

§. iij. *Sitne validum votum de rebus inutilibus, & indifferentibus?* 269

§. iv. *Qualiter votum, aut iuramentum debet eſſe de re non peccaminoſa.* 270

§. v. *Sitne apta materia voti res impoſſibilis phyſicè, aut moraliter? ubi de voto nunquam peccandi agitur.* 273

Punct. iij. *De multiplicitate votorum, eorumque propriis differentiis.* 276

Punct. iv. *De obligatione voti, & an poſſit per alium talis obligatio compleri.* 277

§. j. *Obligatio voti declaratur.* 278

§. ij. *Qualiter ob parvitatem materiæ violatio voti ſit ſolùm peccatum veniale?* 280

§. iij. *Poſſit ne obligatio voti, aut iuramenti tranſire ad alios?* 283

Punct. v. *Quo tempore urgeat obligatio voti?* 285

Punct. vj. *De voto, ac iuramento dubio, indeterminato, metu, & errore extorto, conditionali, ac pœnali.* 286

§. j. *De voto, ac juramento indeterminato.* ibid.

§. ij. *De voto, ac iuramento dubio.* 289

§. iij. *Quomodo vota, aut juramenta debeant interpretari?* 290

§. iv. *De voto, aut juramento ex errore, aut dolo emiſſo.* 292

§. v. *De voto, aut juramento metu extorto.* 293

§. vj. *De voto, aut juramento conditionato.* 294

§. vij. *De voto, aut juramento pœnali.* 296

Punct. vij. *De his, qui poſſunt vota emittere, & illis obligari.* 297

CAP. II. De Iuramento. 299
Punct. j. *De nomine, eſſentia, & diffinitione juramenti.* 300
Punct. ij. *Quotuplex ſit juramentum? vbi an omnia juramenta ſint ejuſdem ſpeciei, declaratur.* 303
Punct. iij. *De diverſis verbis, & formulis, quibus juramenta fieri ſolent.* 304
Punct. iv. *An ſit licitum juramentum? an frequentandum, & conſulendum? Et de tribus ejus comitibus, vt licitè emitti valeat.* 306
Punct. v. *Qualiter defectus veritatis, juſtitiæ, & judicij, qui ſunt tres comites juramenti, illum vitiet, & illicitum reddat?* 308
§. j. *De veritate, & juſtitia requiſita pro juramento aſſertorio.* ibid.
§. ij. *Qualiter in juramento promiſſorio detur defectus juſtitiæ, & veritatis?* 310
§. iij. *Qualiter in juramento comminatorio veritas, & juſtitia requiratur?* 312
Punct. vj. *De materia propria juramenti, & illius obligatione.* 313
Punct. vij. *De aliquibus particularibus juramenti, qualiter obligationem inducant?* 316
§. j. *Qualiter obliget juramentum ſervandi ſtatuta Reipublicæ, Collegii, Univerſitatis, Confraternitatis, &c.* ibid.
§. ij. *De juramento, quod faciunt Scribæ, Procuratores, & alii miniſtri publici ſervandi taxam lege præſcriptam. Et quod præſtant Decuriones, Senatores, vulgò* Jurados, Veintiquatros. y Regidores, *de proſpiciendo publico oppidi, vel civitatis bono.* 317
§. iij. *De juramento à Medicis emiſſo monendi infirmos vt confiteantur, qualiter obliget?* 319
§. iv. *Ad quid obliget juramentum vel votum non ludendi?* 320
§. v. *Qualiter obliget poſterius juramentum contra prius juramentum?* 322
Punct. viij. *De juramento doloſo, æquivoco, vel amphibologico, vel cum addito reſtrictionis mentalis emiſſo.* ibid.
§. j. *Aliqua quæ ſunt certa apud Doctores circa materiam puncti proponuntur.* 323
§. ij. *Sententia admittens omnes amphibologias, etiam illam, quæ ſolùm fit per reſtrictionem mentalem, proponitur, eaque authoritatibus, & rationibus fulcitur.* 324
§. iij. *Duplex concluſio proponitur, in qua cum præcedenti ſententia convenimus.* 325
§. iv. *Tertia ſententia proponitur, quæ vſus reſtrictionis purè mentalis omninò negatur.* 327
§. v. *Quædam objectio diluitur, & contraria argumenta diſſolvuntur.* 329
§. vj. *Caſus in particulari recenſentur, qui ex præfatis aſſertionibus deducuntur.* 331
Punct. ix. *De prima jurandi conſuetudine, quando detur? Quæ peccata in illa? Et quomodo confitenda?* 333
§. j. *Aliqua apud Doctores communia circa hanc materiam recenſentur, & declarantur.* ibid.
§. ij. *An juramenta provenientia ex prava conſuetudine jurandi, abſque plena tamen advertentia emiſſa, & indeliberatè, ſint peccata mortalia.* 334
§. iij. *Qualiter ſe debeat habere pœnitens in confeſſione pravæ conſuetudinis, & confeſſor in illius abſolutione?* 336
CAP. III. De votorum, & juramentorum relaxatione. 339
Punct. j. *Quot modis poſſit obligatio juramenti ceſſare?* 340
Punct. ij. *Qualiter ceſſatione finis, & rerum mutatione, ceſſet obligatio voti, aut juramenti?* 344
Punct. iij. *De irritatione votorum, & juramentorum, quo jure conveniat, & in quibus Superioribus ſit facultas ad illam?* 346
Punct. iv. *De irritatione votorum Regularium à ſuis Prælatis facienda.* 349
Punct. v. *Quæ filiorum vota valeant parentes, tutores, & curatores irritare?* 351
Punct. vj. *De votis vxorum, quæ poſſunt à viris; & de virorum votis, quæ poſſunt ab vxoribus irritari.* 353
Punct. vij. *Quæ vota ſervorum poſſunt domini irritare.* 356
Punct. viij. *Aliquæ difficultates enodantur circa votorum irritationem hactenus ſtabilitam.* 357
Punct. ix. *Qualiter per diſpenſationem voti obligatio relaxetur?* 360
Punct. x. *De his, in quibus jure ordinario reſidet poteſtas in votis diſpenſandi* 361
Punct. xj. *De facultate, quam habent Prælati regulares diſpenſandi cum ſuis ſubditis in votis: & de illa, quam habent confeſſarii regulares reſpectu ſæcularium.* 363
Punct. xij. *Quorum votorum diſpenſatio, aut commutatio ſit ſolùm Pontifici reſervata, & quomodo ſit talis reſervatio intelligenda, & interpretanda?* 366
Punct. xiij. *De cauſa requiſita, vt voti cujuſcumque diſpenſatio validè, & licitè impendatur.* 371
Punct. xiv. *Quid ſit votorum commutatio, & quorum auctoritate, ac poteſtate fieri debet?* 373
Punct. xv. *De materia ſubrogata, in quam fieri debet commutatio ab habente ad illam facultatem.* 376
Punct. xvj. *De cauſa requiſita ad licitam, & validam voti commutationem.* 378
Punct. xvij. *De commutatione quæ poteſt fieri per Bullam Cruciatæ, vel per Iubileum.* 379
Punct. xviij. *Vtrum poſt commutationem factam, & acceptatam ſit reditus ad priorem materiam?* 382

TRACTATUS XVIII.

De Privilegiis. pag. 385

Proœmium. ibid.

CAP. I. DE Privilegiis in communi, eorum natura, conditionibus, & proprietatibus. 386

Punct. j. *De quidditate, & natura privilegii, à quo, & quibus concedi poteſt.* ibid.

Punct. ij. *An privilegiatus teneatur uti privilegio ſibi à jure, vel Principe conceſſo?* 388

Punct. iij. *De multiplicitate privilegiorum in communi.* 390

Punct. iv. *Diverſæ clauſulæ, quæ ſolent in privilegiis Pontificum reperiri, explanantur, vel in eorum confirmationibus, aut revocationibus.* 395

Punct. v. *De conditionibus requiſitis ut privilegium ſit validum & licitum.* 399

Punct. vj. *De interpretatione privilegiorum, à quibus fieri poſſit, & quomodo debeat adhiberi?* 403

Punct. vij. *De communicatione generali privilegiorum, quæ in omnibus ferè ordinibus reperitur.* 407

§. j. *Qualiter omnes religiones mendicantes, & non mendicantes ſibimetipſis in privilegiis communicent?* ibid.

§. ij. *Aliqua difficultates circa illam generalem communicationem deciduntur.* 411

§. iij. *An privilegia conceſſa uni provinciæ, uni conventui, vel Eccleſiæ particulari, vel etiam ſingularibus perſonis, cenſeantur conceſſa cæteris provinciis, conventibus, Eccleſiis, necnon ſingularibus perſonis, ex vi generalis communicationis?* 413

Punct. viij. *De uſu privilegiorum, tam pro foro conſcientiæ, quàm pro foro externo.* 416

§. j. *Quando, quo loco, & quomodo poſſunt uti regulares privilegiis ipſis conceſſis?* ibid.

§. ij. *An regulares uti poſſint privilegiis per Tridentinum revocatis?* 419

Punct. ix. *An duret privilegium poſt mortem concedentis, vel privilegiati?* 421

CAP. II. De ceſſatione, ſeu amiſſione privilegii. 424

Punct. j. *Qualiter lapſu temporis, ceſſatione cauſæ, & renunciatione ceſſet privilegium?* ibid.

Punct. ij. *Qualiter per non uſum, vel per contrarium uſum, vel per abuſum deperdatur privilegium?* 426

§. j. *Certa apud auctores circa præſentem materiam proponuntur.* ibid.

§. ij. *Triplex concluſio pro reſolutione puncti proponitur.* 427

§. iij. *Ex dictis corollaria quædã inferuntur.* 429

Punct. iij. *Qualiter per revocationem privilegia ceſſare poſſint, & quis ea revocare valeat?* 431

Punct. iv. *Qualiter revocanda ſint privilegia, ut debitum effectum ſortiatur revocatio?* 434

Punct. v. *Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur?* 436

Punct. vj. *Qualiter vivæ vocis oracula revocata fuerint à Gregorio XIII. & Urbano VIII.* 437

§ j. *In quo differat oraculum à bullato privilegio? Et quæ ſint oracula, quæ certò non ſunt à dictis Pontificibus revocata?* ibid.

§. ij. *An privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & poſtea confirmata per bullam, tranſierint in privilegia bullata, taliter quod per revocationes dictas oraculorum non ſint revocata?* 439

§. iij. *Qualiter oracula, quæ ſortita ſunt ſuum effectum ante revocatorias, non ſint per illas abrogata?* 441

Punct. vij. *De confirmatione privilegiorum, ſub qua forma, & modo fieri ſoleat?* 442

Punct. viij. *An per confirmationem privilegiorum unius ordinis, aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis?* 445

CAP. III. De privilegiis regularium circa pertinentia ad religionem in communi. 446

Punct. j. *De privilegio exemptionis competenti regularibus à juriſdictione Epiſcoporum.* 447

§. j. *Quid nomine exemptionis intelligatur in præſenti? A quibus ſit? Et qui gaudeant hoc exemptionis privilegio?* 448

§. ij. *Qualiter regulares exempti ab Ordinariis locorum, dependant ab eis quoad aliqua civilia?* 451

§. iij. *An Ordinarij poſſint per cenſuras regugulares exemptos compellere quoad ea, in quibus ex jure ſunt illis ſubjecti?* 454

§. iv. *An regulares exempti teneantur legibus Diœceſanis ab Epiſcopis impoſitis?* 455

§. v. *Poſſint-ne Ordinarij locorum viſitare perſonas, Eccleſias, monaſteria, parochias, confraternitates regularium exemptorum?* 457

§. vj. *Qualiter in cauſis criminalibus dependeant religioſi exempti ab Ordinariis?* 460

Punct. ij. *De privilegio regularium exemptionis à ſolutione decimarum.* 463

§. j. *Quotuplex ſit decima, quæ jure debeatur, ex quibus rebus, quibus, in quo loco, & à quibus ſit ſolvenda?* ibid.

§. ij. *Qualiter jure communi religioſi communiter viventes exempti ſint à ſolutione decimarum?* 467

§. iij. *De privilegiis conceſſis religionibus extra corpus juris circa exemptionem ſolutionis decimarum.* 469

Punct. iij. *De privilegio immunitatis conceſſo regularium monaſteriis, Eccleſiis, ac domibus eorum.* 472

§. j. *Quibus locis ſacris hoc privilegium immunitatis conveniat?* 475

§. ij. *Quæ perſonæ hoc gaudeant immunitatis privilegio?* ibid.

§. iij. *De criminoſis, qui ab hac Eccleſiæ immunitate excluduntur.* 477

§. iv. *Quos effectus habeat immunitas Eccleſiæ hactenus ſtabilita?* 481

§. v. *Quam pœnam, & culpam incurrant indebitè extrahentes delinquentem à loco ſacro?* 482

§. vj. *Quomodo confugientes ad Eccleſiam tradi, vel non, poſſint iudici ſæculari puniendi?* 483

Punct. iv. *De privilegiis novi monaſteria fundandi, conceſſis regularibus, ea mutandi, transferendi, deſerendi, vel etiam reuniendi.* 484

§. j. *Quid requiratur ad erectionem novi monaſterij, ex Concilio Tridentino, Clem. VIII. Gregorio XV. necnon Urbano VIII.* 485

§. ij. *Qualiter in erigendis novis monaſteriis ſervanda ſit certa diſtantia inter vnum monaſterium, & aliud?* 488

§. iij. *Qualiter, & quo iure poſſint regulares ſua monaſteria mutare, ſeu de vno in alium locum transferre?* 489

§. iv. *An, & quomodo regulares deſerere poſſint monaſteria ædificata?* 490

§. v. *Qualiter regulares vnire poſſint duo aut plura monaſteria, & vnum alteri incorporare?* 491

Punct. v. *De privilegiis eligendi iudicem conſervatorem regularibus conceſſis.* 492

§. j. *Diverſa proponuntur privilegia pro conſervatoribus eligendis, qualiter deſignati teneantur electionem acceptare, & modus, quo eligendi ſunt, explicatur.* 493

§. ij. *Quas qualitates debeant habere, qui ſecundùm prædicta privilegia & ſanctiones Apoſtolicas inſtitui poſſunt iudices conſervatores?* 495

§. iij. *Ad quid ſe extendat poteſtas, & iuriſdictio iudicum conſervatorum.* 497

Punct. vj. *De privilegiis regularium, vt poſſint in ſuis Eccleſiis ſepeliri, qui eligunt in eis ſepulturam.* 499

§. j. *Quid ſepultura Eccleſiaſtica? à quibus eligi poſſit? & quando non eligitur, quo in loco fieri debeat?* 500

§. ij. *Quibus ex iure neganda eſt ſepultura Eccleſiaſtica?* 503

§. iij. *Qualiter eligentes in Eccleſiis regularium ſepulturam, poſſint ab eis ſepeliri?* 506

§. iv. *De portione canonica Epiſcopis debita, & quarta funerali ſolvenda Parochia.* 510

§. v. *Privilegia quibus Carmelitæ Diſcalceati à ſolutione quartæ funeralis eximuntur.* 511

§. vj. *Quæ religiones ſint à ſolutione quartæ funeralis exemptæ? Et quid teneantur ſolvere, quæ illam reddere tenentur?* 513

Cap. IV. De particularibus regularium privilegiis in ordine ad ſeipſos, & ad ſæculares. 514

Punct. j. *De poteſtate, quam habent Prælati regulares ad abſolvendum, & diſpenſandum ex iure ordinario, & privilegiis.* 515

§. j. *De facultate abſolvendi à caſibus reſervatis, Prælatis religionum conveniente, remiſſivè.* ibid.

§. ij. *An ignorantia excuſet à reſervatione incurrenda?* 518

§. iij. *Qualiter dubium circa reſervationem peccati, vel cenſuræ excuſet à reſervatione?* 520

§. iv. *De facultate Prælatorum ad diſpenſandum in irregularitatibus, remiſſivè.* 522

§. v. *Qualiter Prælati cum ſuis ſubditis in legibus, & præceptis Eccleſiaſticis valeant diſpenſare? remiſſivè.* 524

Punct. ij. *De privilegiis regularium in ordine ad audiendas confeſſiones ſuorum religioſorum, aliorum, & ſæcularium.* 527

§. j. *Quod regulares, ſuis non obſtantibus privilegiis, tenentur ab Epiſcopis approbationem habere, vt validè, & licitè poſſint audire confeſſiones ſæcularium.* ibid.

§. ij. *De illis, qui poſſunt ſibi confeſſarium eligere ab Epiſcopo non approbatum.* 529

§. iij. *Poſſitne Epiſcopus cum limitatione regulares approbare? vel illis idoneis repertis approbationem non impertiri?* 532

§. iv. *An regularis pro vna diœceſi approbatus, ad audiendas in aliis ſæcularium confeſſiones novâ indigeat approbatione?* 535

§. v. *An regulares ſemel ab Epiſcopo approbati, poſſint iterum ad examen vocari, vel ab eo eorum licentia ſuſpendi, donec iterum præſententur, & approbentur?* 538

§. vj. *Qualiter vnius ordinis religioſi poſſint cum extraneis, ſive religioſi ſint, ſive ſæculares, confiteri?* 540

§. vij. *An poſſint regulares vti privilegio Bullæ Cruciatæ ad eligendum confeſſorem extra ſuam religionem?* 542

§. viij. *De privilegiis Confeſſorum regularium in ordine ad abſolvendos proprios religioſos à caſibus reſervatis.* 546

§. ix. *De facultate, quam habent confeſſarij regulares diſpenſandi vota, & irregularitates ſuorum religioſorum.* 548

§. x. *A quibus caſibus, & cenſuris reſervatis poſſint regulares confeſſarij ſæculares abſolvere?* 549

§. xj. *Poſſintne modò regulares confeſſarij à caſibus, & cenſuris Bullæ cœnæ occultis ſæculares abſolvere?* 551

§.xij.

§. xij. *In quibus irregularitatibus, & aliis pœnis poſſint religioſi cum ſæcularibus diſpenſare?* 553

Punct. iij. *De privilegiis regularium circa receptionem, & adminiſtrationem aliorum Sacramentorum, & Miſſæ celebrationem, remiſſivè.* 556

Punct. iv. *De privilegiis & obligationibus concionatorum regularium.* ibid.

TRACTATUS XIX.

De Simonia, quæ eſt vitium religioni oppoſitum. 563

Proœmium. *ibid.*

Cap. I. De eſſentia, & multiplicitate Simoniæ, ac de illis rebus quæ in illa rationem pretij ſortiuntur. 564

Punct. j. *De natura, & eſſentia ſimoniæ, eiuſque gravitate, ac de his, qui illam contrahere poſſunt.* ibid.

Punct. ij. *De multiplici diviſione ſimoniæ, ubi an ſit ex jure divino, vel Eccleſiaſtico prohibita?* 567

Punct. iij. *De pretio, quod pro re ſpirituali oblatum conſtituit ſimoniam.* 571

§. j. *Quid intelligatur per munus à manu, munus ab obſequio, munus à lingua?* ibid.

§. ij. *Aliquæ difficultates circa munus à manu, quod eſt pretium ſimoniæ, explicantur.* 574

§. iij. *Aliæ difficultates circa munus ab obſequio deciduntur.* 576

§. iv. *Reliquæ difficultates circa munus à lingua explanantur.* 578

Punct. iv. *De contractu emptionis, & venditionis requiſito ad ſimoniam.* 580

Cap. II. De materia circa quam ſimonia committitur, ſeu de rebus ſpiritualibus, quæ venditæ ſimoniam faciunt. 584

Punct. j. *An res purè ſpirituales, ut eſt gratia ſanctificans, & aliæ per eſſentiam ſpirituales, ſint materia ſimoniæ?* 585

Punct. ij. *An venditio, aut emptio ſacramentorum, vel ſacramentalium, ſit ſimonia ſemper, ita ut in nullo eventu poſſit ab illa ſeparari?* 586

Punct. iij. *An pro labore reperto in adminiſtratione ſacramentorum, & aliarum functionum ſpiritualium, aliquid recipere ut pretium ſit ſimonia?* 589

Punct. iv. *An pro actibus virtutum, & pro omiſſione, vel illarum carentia, vel privatione aliquid temporale ut pretium accipere, ſit ſimonia?* 592

Punct. v. *An ſit ſimonia emere, vel vendere actus iuriſdictionis ad poteſtatem Eccleſiaſticam pertinentes?* 593

Punct. vj. *An pro uſu ſcientiarum pretium accipere ſit ſimonia?* 595

Punct. vij. *An ſimonia ſit aliquid temporale quocumque modo in pactum deducere pro ingreſſu religionis.* 598

Punct. viij. *An ſit ſimonia, & quo jure, vendere beneficia Eccleſiaſtica?* 601

Punct. ix. *An habitus & commendæ ordinum Militarium abſque ſimonia vendi poſſint?* 603

Punct. x. *An præſtimonia, vel penſiones vendi, vel redimi poſſint ſine ſimonia?* 604

Punct. xj. *An juſpatronatus vendi, aut alienari poſſit abſque ſimonia?* 605

Cap. III. De actionibus, pactis, aut conventionibus, quæ ſimoniæ vitium conficiunt. 609

Punct. j. *Utrum vexationis redemptio circa res ſpirituales, datâ pecuniâ facta, præcipuè circa beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, libera ſit à ſimoniæ labe?* ibid.

§. j. *Utrum poſt acquiſitum jus in re ſpirituali vexationem circa illud tollere ſit ſimonia?* ibid.

§. ij. *Utrum redimere vexationem ante jus acquiſitum in re ſpirituali ſit ſimonia?* 611

Punct. ij. *Utrum ſpirituale pro alio permutare ſit ſimonia? Ubi ſpecialiter de beneficiorum permutationibus agitur.* 614

§. j. *Quomodo res ſpirituales, exceptis beneficiis, pro aliis ſpiritualibus licitè permutari poſſint?* ibid.

§. ij. *Qualiter abſque ſimonia beneficia valeant permutari?* 615

§. iij. *An auctoritate Epiſcopi poſſit beneficium Eccleſiaſticum penſione permutari?* 617

Punct. iij. *An tranſactio, ſeu pactio oneroſa ad componendam litem in beneficiis habeat rationem ſimoniæ?* 619

Punct. iv. *Qualiter renunciationes beneficiorum abſque ſimonia fieri poſſint?* 622

Punct. v. *An reſignatio beneficiorum confidentialis ſit ſimonia? Et quibus pœnis ſubjaceat?* 625

Cap. IV. De pœnis contra ſimoniacos in jure aſſignatis. 628

Punct. j. *Quæ ſint pœnæ in jure aſſignatæ contra ſimoniacos? Et à quibus tales pœnæ incurrantur?* 629

Punct. ij. *Quas pœnas incurrant dantes, vel recipientes aliquid pro ingreſſu religionis, Ordinis ſuſceptione, ac beneficiorum collatione?* 632

Punct. iij. *An acquiſita per ſimoniam debeant reſtitui, & cui reſtitutio facienda ſit?* 635

Punct. iv. *Quis poſſit in ſupradictis pœnis diſpenſare?* 638

TRACTA

TRACTATUS XV.

DE STATU RELIGIOSO, ET EJUS OBLIGATIONIBUS.

P R O OE M I V M.

QVAMVIS *ſtatus* nomine, quæcumque conditio, in qua homo ad tempus, vel in perpetuum perſiſtit, ſignificetur: qua ratione dicitur: *ſtatus innocentiæ; ſtatus legis naturæ; ſtatus hujus vitæ, & futuræ; ſtatus Incipientium, Proficientium; Perfectorum; ſtatus Virginum, Viduarum, Servorum, Liberorum, &c.* Strictè tamen & propriè accipitur, pro *vitæ immobili conditione*, qua alteri adſtricti, & obligati ſumus, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 183. *art.* 1. & *art.* 2. conſtituens tantum tres ſtatus in Eccleſia, nimirum, *ſtatum* Epiſcoporum, qui obſequio ſuæ Eccleſiæ ſunt perpetuò vinculo ligari; Religioſorum, qui ſunt obſequio Domini firmiter obſtricti; & Conjugatorum, qui mutuo obſequio ſibi invicem obligantur. Nos verò in præſenti de ſecundo ſtatu ſermonem facere agredimur; illius naturam explicandam aſſumimus; obligationes, privilegia, cæteraque, quæ ad talem ſtatum propriè pertinere judicabimus. Materia ſanè non minùs ampla, quàm difficilis, nec minùs utilis, & neceſſaria. Talis autem: *ſtatus, religioſus* dicitur, & à *religione* nomen emanavit, ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 81. *art.* 1. Religio autem (ſive dicatur à *religando*, quia per eam uni omnipotenti Deo religamur, ut inquit D. Auguſt. *lib. de vera religione, t.* 1. *cap. ult. paulo ante finem.* Sivè à *reeligendo* dicatur, quia per eam Deum, quem amiſeramus negligentes, iterùm reeligimus, ut inquit ipſe D. Aug. *lib.* 10. *de Civitate Dei, cap.* 4.) bifariàm conſideratur. Primò, ut eſt virtus, quæ, alio nomine, appellatur *latria*, cujus proprium eſt Deo cultum exhibere debitum, non ſolùm per oblationes ſacrificiorum, & alia hujuſmodi, quæ ſunt religioni propria, ſed etiam per actus omnium virtutum, quæ referuntur ad Dei ſervitium & honorem, ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 81. *art.* 1. *ad* 1. & *art.* 4. *ad* 1. & 2. Secundò, pro univerſitate, vel collectione hominum colentium Deum, ſe ſuaque omnia illius obſequio mancipantium; unde per quandam excellentiam convenit ei, quod dicatur *religio*, & tales congregationes,

religiones, per antonomaſiam ſibi nomen iſtud uſurpantes : *Et ideo antonomaſicè Religioſi dicuntur illi qui ſe totaliter mancipant divino ſervitio, quaſi holocauſtum Deo offerentes*, ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 186. *art.* 1. Et meritò holocauſtum Deo gratiſſimum, talem modum vivendi appellat; *nam, cum quis omne quod habet* (verba ſunt D. Gregorii *homil.* 20. *in Ezechielem*) *Omne quod vivit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo voverit, holocauſtum eſt.* Qui addit, hoc offerri holocauſtum ab his qui ſæculum deſerunt, & relicta Ægypto, ſacrificium Domino offerunt in Eremo, id eſt, in ſtatu Religioſo. De hoc igitur in præſentiarum nobis agendum eſt per ſeptem Capita.

CAPVT I.

De eſſentia, unitate, & diverſitate ſtatus Religioſi.

Caput hoc quinque puncta continet.

PUNCT. I. QVID *ſit ſtatus Religioſus? & quid ad illum ſit eſſentialiter petitum?* n. 1.

PUNCT. II. *Qua ratione, tendere ad perfectionem ſit de ratione ſtatus Religioſi, & de obligatione, quam habent Regulares illam procurandi*, numero 16.

PUNCT. III. *An ſit de eſſentia ſtatus Religioſi ſolemnitas votorum ſubſtantialium? in quo talis ſolemnitas conſiſtat? Vbi etiam, an poſſit Summus Pontifex in votis ſubſtantialibus Religioſorum diſpenſare?* numero 30.

PUNCT. IV. *An ſit de eſſentia ſtatus Religioſi quod paupertas, obedientia, caſtitas, quæ in illo voventur, ſint ſimpliciter & abſolutè tales? Vbi de Religionibus militaribus agitur, propriis eorum privilegiis, & obligationibus*, numero 46.

§. 1. *Aliqua certa apud DD. circa præſentem difficultatem referuntur*, n. 47.

§. 2. *Sintnè Militares veræ religiones, diſputatur? Duplex ſententia proponitur, & pars negativa præfertur*, n. 55.

§. 3. *De votis, quæ Militares ordines emittunt, de privilegiis eorum, & obligationibus*, num. 63.

PUNCT. V. *De diverſitate ordinum, unde ſumatur? qualis Religio ſit perfectior?* n. 72.

PVNCTVM I.

Quid ſit ſtatus Religioſus, & quid ad illum ſit eſſentialiter petitum?

1. CVM Religio virtus ſit, per quam homo ad obſequium Dei aliquid exhibet, meritò ſtatus Religioſus nuncupatur, in quo illius profeſſores omnia quæ ſunt, quæ vivunt, quæ poſſident, vel ſperabant poſſidere, Deo conſecrant, jugiterque & per totam vitam illius obſequiis mancipantur. Et vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 1. 2. & 3. ſic diffiniri poteſt : *Eſt ſtatus hominum ad perfectionem adquirendam perpetuò tendentium per tria vota, Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ.* Dicitur *ſtatus*, vt eius immutabilitas denotetur, immutabilitas namque ad rationem ſtatus requiritur, ut inquit D. Th. 2. 2. *quæſt.* 183. *art.* 4. Ad quod ſaltem exigitur vt ipſe ſtatus ex parte ſuſcipientium illum perpetuus ſit, ita ut diſcedere non poſſint; tametſi à Prælatis poſſint dimitti : quemadmodum ſtatus ſervitutis firmus & ſtabilis eſt, quia licet ſervus poſſit dimitti à Domino, ipſe tamen non poteſt à ſervitute diſcedere. 2. § Et quia proprium eſt huius ſtatus quod ſit perfectionis perpetuò acquirendæ, additur in diffinitione quod ſit, *ſtatus hominis &c.* quia tenentur ſemper ad perfectionem tendere, totis viribus eam procurare, ad hoc per totam vitam emitti, non autem tenentur eſſe perfecti, & ideo non dicitur *ſtatus perfectionis acquiſitæ*, ſed *adquirendæ*, in quo differt à ſtatu Epiſcoporum, qui eſt ſtatus perfectorum, ut de ſua perfectione aliis impertiantur. D. Th. 2. 2. *q.* 189. *art.* 1. *ad* 3. & *art.* 2. *ad* 2. Eſt enim ſtatus Religioſorum, ut inquit S. Doctor, Scholare perfectionis : unde ſicuti qui ſcholas ſtudiorum frequentant, non tenentur eſſe docti, ſed ad ſapientiam tendere, & conari, ita Religioſi non tenentur eſſe perfecti, ſed ad perfectionem tendere, quod per obſervationem, non ſolum mandatorum Dei, ſed conſiliorum eius perficitur, & præcipuè per obſervantiam trium votorum ſubſtantialium, in quibus præcipua conſilia Chriſti Domini continentur. Vnde ipſe ſtatum religioſum promulgans & commendans *Math.* 19. cuidam adoleſcenti dixit : *Vade & vende omnia quæ habes,*

Diffinitio ſtatus Religioſi.

Non tenetur Religioſus eſſe perfectus, ſed tendere ad perfectionem.

habes, & da pauperibus. (Ecce paupertatis commendatio, per quam Religioſus ab omnibus temporalibus bonis abſtrahitur, illis omnino renuntians) *& veni & ſequere me*. (Vt ſic illius ſequendo veſtigia, mandatiſque obtemperando obedientiæ addictus remaneat.) Et Matth. 16. *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum*. Quod utique fit præcipuè voluptatibus carnis renunciando, & à venereis totaliter abſtinendo. Et alibi dicit: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum cælorum*, & concludit: *qui poteſt capere, capiat*. Hæc igitur præcipua conſilia, quæ ad perfectionem conſequendam Magiſter bonus omnibus dedit, à Religioſis per tria vota ſubſtantialia, Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ perfectiſſimè amplectuntur, ut ſic expediti Chriſtum ſequantur, & ad perfectionis metam perveniant. Ideo in fine diffinitionis diximus hunc ſtatum eſſe perfectionis acquirendæ *per tria vota, Caſtitatis Paupertatis &c.*

Obſervantia Paupertatis Caſtitatis & Obedientiæ eſt eſſentialis huic ſtatui.

3. Vnde quatuor conditiones eſſentiales communiter ab Authoribus aſſignantur pro conſtitutione huius ſtatus: nos unam adjiciemus, quæ communiter etiam admittitur. Igitur prima conditio eſt obſervantia Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, ita ut abſque illis, vel aliqua illarum, verus & ſubſtantialis ſtatus religioſus non ſalvetur, ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 2. 3. & 4. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 1. *n.* 3. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 3. Pellizzarius *in manuali relig, tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. Sanchez *in ſumma lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 16. Quia cum ſtatus religionis ſit ſtatus perfectionis acquirendæ, debet ab his eſſe avulſus, quæ perfectioni poſſunt obſtare: tria autem ſunt quæ maximè perfectionem, imò ſalutem hominum impediunt; nimirum cupiditas rerum terrenarum, oblectationes carnis, & amor proprij iudicij & voluntatis, quod inſinuatur 1. Ioan. 2. *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. Quæ coërceri debent per obſervantiam caſtitatis, paupertatis & obedientiæ. Hæc igitur ſunt de ſubſtantia ſtatus religioſi. Vnde Innocent. III. *in cap. Cum ad monaſterium, in fine de ſtatu Monachorum*, ait *caſtitatem & paupertatem*, & idem omnes iudicant de obedientia) *adeò eſſe annexas ſtatui religioſo, ut contra ea, nec ſummus Pontifex indulgere poſſit*. Quem textum intelligi ita ut nequeat Pontifex diſpenſare in votis cum religioſo, manente tali, quia illa ſunt de eſſentia religionis, late probat Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 8. *num.* 15. & nos infra dicemus.

Eſſentialiter requiritur votum obedientiæ, caſtitatis &c. ad hunc ſtatum.

4. Secundo requiritur ut hæc tria obſerventur, ſub voti obligatione, nec enim ſufficiet nudum propoſitum obſervandi hæc tria conſilia Evangelica, ſed requiritur obligatio perſonalis proveniens ex votis Deo emiſſis, ut docet D. Th. *quæſt. citata art.* 4. & *quæſt.* 89. *art.* 6. Ratio eſt: quia ad eſſentiam ſtatus requiritur immobilitas, ut dicebamus, ita ut liberum non ſit aſſumenti illum, recedere: hæc autem immobilitas fixa & ſtabilis in obſervatione conſiliorum Chriſti haberi non poteſt niſi per vota ſubſtantialia; per quæ Deo per totam vitam obligatur perſonaliter ad perfectionem tendere, & nunquam ab illius recedere obſequiis: ſicut matrimonij ſtatus conſtituitur per hoc, quod coniux alter, alteri per totam vitam perſonaliter obligetur: ergo tria prædicta vota emittere eſt de ſubſtantia ſtatus religioſi, uti docent præcitati Authores, & eſt apud omnes inconcuſſum.

Laici qui tria vota ſubſtantialia non emittunt, non ſunt veri religioſi.

5. Vnde fit Laicos, Donatos, Oblatos, ſeu Converſos, qui in aliquibus Religionibus tria vota prædicta religionis non emittunt, etiam ſi duo, aut unum emittant votum, habitum ordinis deferant, & ſub obedientia ſint Prælatorum illius, verè religioſos non eſſe: cum in eo quod eſt eſſentiale ſtatui Religioſo deficiant, ut ex communi ſententia docet Noſter Lezana *tom.* 2. *c.* 8. *n.* 3. An verò Laici vel Donati, qui tria vota ſubſtantialia emittunt, ſint veri Religioſi? dicemus *n.* 33. *hujus capitis*. Similiter Milites regulares S. Stephani, & S. Mauricij, qui, ut docet idem Lezana *cap.* 5. *num.* 1. & 58. duo tantùm vota ſubſtantialia emittunt, veri Religioſi non ſunt, ut tenet idem Author, propter eandem rationem. Quamvis tam Laici & Converſi de quibus diximus, quam prædicti Equites multoties in Bullis Pontificibus Religioſi dicantur, quia ſumitur Religioſus lato modo, prout ſignificat perſonam Deo dicatam ſub certo modo vivendi ab Eccleſia approbato. An verò cæteri milites, qui tria vota ſubſtantialia emittunt ſint veri Religioſi? *punct.* 4. late decidemus.

Qualis traditio detur in profeſſione religioſa.

6. Tertia conditio eſt ut per hæc vota, vovens conſtituatur ſub alterius ditione & poteſtate, nimirum ſub poteſtate Religionis; nam abſque illa nec eſſet ſtatus firmus & ſtabilis, nec religio haberet poteſtatem dominativam in Religioſos: & hæc conſtitutio, & traditio non provenit præcisè à votis, ſed ex ſpeciali Eccleſiæ diſpoſitione, cujus eſt ſolemnitates, & conditiones eſſentiales ad iſtum ſtatum aſſignare. Quarè, talis conſtitutio ſub alterius poteſtate, ſuppoſita diſpoſitione Eccleſiæ, provenit à traditione ſui, quæ fit in emiſſione votorum. Duo itaque contractus in profeſſione religioſa reperiuntur: alter comparatione Dei, cui ſe obligat profitens & devotè per vota: alter donatione, & traditione ſui in poteſtatem Religionis, Sanchez *in ſumm. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 20. Vaſq. 1. 2. *q.* 96. *diſp.* 165. *cap.* 4. *à n.* 13. Fr. Ant. à Spiritu Sancto *in direct. reg.* 2. *p. tract.* 3. *diſp.* 1. *ſect.* 3. *n.* 80. Caſtr. Palaus, *tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 1. *n.* 7.

Qualis acceptatio religionis detur?

7. Requiritur etiam acceptatio talis traditionis per Eccleſiam, vel religionem authoritate illius, quia in humanis traditio non habet valorem ad transferendum dominium in alterum, niſi ab eo acceptetur. Vnde ut religio dominativam habeat poteſtatem, reſpectu religioſi, & dominium illius, ſitque illius domina, ſicut dominus habet in mancipium dominium, eſtque dominus illius, debet per ſuos miniſtros illum acceptare. Ex quo fit, eſſe de eſſentia ſtatus religioſi, ut inter religioſum & religionem conſurgat reciproca obligatio: Ibi namque intervenit peculiaris obligatio humana per modum pacti reciproci; quo religioſus ſe religioni tradit, eique obligatur; & religio acceptat traditionem, eique obligatur viciſſim ad ipſum tanquam membrum alendum; conſervandum, gubernandum, dirigendum, iuxta ſui ſtatus exigentiam. Palaos, *num.* 25. Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſp.* 25 *num.* 15. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 21. ¶ Sed ex vi hujus traditionis non conſtituitur religioſus ſub iuriſdictione alterius propria, quæ eſt poteſtas ſpiritualis pertinens ad claves Eccleſiæ, ut

rectè advertit Lezana *tom. 1. cap. 2. num. 1.* Siquidem Moniales in manibus Abbatiſſarum profitentes veræ religioſæ ſunt, & tamen non traduntur ſub illarum iuriſdictione ſpirituali, quam non habent: ſufficit ergo quod ſub poteſtate dominativa, vel domeſtica religiuis tradatur ad eſſentiam religioſi, per quam, non tam ſui iuris, quam religionis eſt, in cujus poteſtate conſtituitur.

Ad eſſentiam ſtatus religioſi requiritur quod ſit ab Eccleſia approbatus.

8. Quarta conditio eſt, ut dicta vota, & traditio fiant in religione approbata à ſummo Pontifice, quod eſſentialiter non petit ſtatus religioſus ex natura ſuæ inſtitutionis, cum in eius exordio, & per omnia tempora ante Innocent. III. plures eſſent religiones abſque expreſſa approbatione Pontificis, ſola Epiſcoporum approbatione, vel illorum non repugnantia, ut pluribus exornat Baſilius Pontius *lib. 7. de mat. cap. 11. per totum.* At poſt Innocent. III. qui Sedi Apoſtolicæ reſervavit religionum approbationem, *in cap. Ne nimia de religioſ. domib.* Quod renovavit Greg. X. *cap. unico eod. titulo in ſexto.* Nulla eſſe poteſt religio vera, niſi à Sede Apoſtolica approbata, nulla donatio illi facta, nullaque vota in tali religione emiſſa ad ſtatum religioſum inſtituendum. Lezan. *tom. 1. cap. 1. n. 1.* Sanch. *lib. 5. ſumm. cap. 1. n. 19.* Pellizzar. *tract. 1. cap. 1. n. 10.* Leſſius *lib. 1. cap. 41. dub. 2. n. 12.* Suar. *de relig. tom. 3. lib. 2. cap. 15. & ſequentibus,* Palaus *tom. 3. tract. 16. diſp. 1. punct. 1. num. 8.* Rodrig. *quaſt. regul. tom. 3. q. 48. art. 3.* § Et non poſſe Pontificem errare approbando religionem in qua ſit vera profeſſio cum tribus votis eſſentialibus, Paupertatis, Obedientiæ & Caſtitatis docent optimè Cano *lib. 5. de locis, cap. 5. ad finem.* Bañez *2. 2. q. 1. art. 10. dub. 8.* Noſter Waldenſis *lib. 3. de ſacram. cap. 9.* Bellarm. *lib. 4. de monachis cap. 4.* Valent. *2. 2. diſp. 1. quaſt. 1. punct. 7. § 41.* Quia ut Eccleſia non poteſt errare circa bonos mores, & legem de moribus ſanciendo, ita non poteſt errare Eccleſia in confirmatione religionum; cum ad bonos mores pertineat confirmare conſtitutiones & regulam propriam religionis, quæ proponitur toti per orbem Eccleſiæ: ut iuxta eam perfectionis regulam fideles vitam ſuam informent. Vti errare non poteſt Pontifex in canonizatione Sanctorum, quorum vitam & mores proponit imitanda toti Eccleſiæ.

Ad quid teneatur qui in religione non approbata profitetur.

9. An verò profeſſio facta in religione non approbata valeat in vi voti ſimplicis, ita ut ad caſtitatem ad minus obſervandam, tanquam voto ſimplici promiſſam, profitens teneatur? eſt inter DD. controverſum. Affirmat Lezana *ubi ſupra,* & Sanch. *lib. 5. decal. cap. 4. n. 86. & 104.* Quia voluit ſe obligare quantum potuit, & ad hoc poterat ſe obligare. Negat verò Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 1. num. 14.* Quia ille non intendit vovere, niſi in religione, ut ſic vovendo fiat Religioſus: & ſi inter togatetur, diceret, non aliam eſſe ſuam mentem. Quarè, cum non ſit religio, ſitque ipſe in eo quoad ſubſtantiam deceptus, non videtur ullo modo teneri ad votorum emiſſorum obſervantiam. § Sed reſolutio huius difficultatis, pendet ex illius reſolutione: an qui fuit invalidè profeſſus ob defectum alicuius conditionis ſubſtantialis teneatur in vi voti ſimplicis ad obſervantiam eorum, quæ in profeſſione promiſit. De qua *cap. 4. huius tractatus* agemus.

10. Quinta conditio, quam nos addimus, eſt, quod votorum trium emiſſio, & traditio in profeſſione facta, fiat ſub certa regula, vel formula vivendi, approbata ab Eccleſia, in qua ſpeciales ordinationes contineantur, præter eas, quæ continentur in divinis mandatis, & ipſis votis: quia licet obſervantia mandatorum Dei, & votorum impletio, ſufficienter ducant hominem ad perfectionem charitatis, quæ per ſtatum religioſum intenditur adipiſci; Eccleſia tamen ob iuſtas cauſas, non ſolet huiuſmodi ſtatum approbare pro religione conſtituenda abſque aliqua particulari regula, vel formula vivendi. Sic Rodrig. *tom. 3. quaſt. reg. quaſt. 21. art. 1. & quaſt. 78. art. 2. in fine.* Lezan. *tom. 1. cap. 2. num. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. num. 9.* Navarr. *lib. 3. conſilior. tit. de regularibus, conſil. 49.* Vnde ſi quis velit ſtatum religioſum deſcribere cum omnibus conditionibus eſſentialibus huc uſque aſſignatis, poteſt ſic illum diffinire: *Eſt ſtatus perfectionis perpetuò acquirenda per tria vota, caſtitatis, paupertatis, & obedientia, & traditione facta ſui ſub religione approbata ab Eccleſia ſub regula determinata.* — Debet ſtatus religioſus ſub certa regula conſiſtere.

11. Ex quo duo inferenda veniunt. Primum, non poſſe conſtitui aliquem verè & propriè religioſum per ſolam emiſſionem trium votorum ſubſtantialium interne factam, quia licet hæc ad inducendam coram Deo obligationem ſit ſufficiens, non verò apud Eccleſiam, & cognoſcibilem ab hominibus: obligatio autem ad ſtatum religioſum conſtituendum debet eſſe externa, & hominibus accommodata; quippè debet acceptari à religione per miniſtrum ab ipſa deputatum. Suar. *tom. 3. lib. 1. cap. 12. num. 8.* Pelliz. *ſupra num. 16.* § Secundo infertur obligationem perpetuam ex votis eſſe de religionis ſubſtantia, ſaltem ex parte voventis: quia debet ſtatum conſtituere, de cujus ratione, ut diximus, eſt immobilitas; & obligationis perpetuitas, ſaltem ex parte ejus qui illam ſuſcipit: quamvis ex parte acceptantis talis conditio non requiratur; ſed liberum ſit ei ab obligatione abſolvere voventem, uti in Societate Ieſu invenitur in emiſſione votorum ſimplicium Coadjutorum formatorum, qui abſolvi poſſunt ab obligatione à Superioribus, & quia ipſi non poſſunt recedere, verè & ſimpliciter ſunt Religioſi, Suar. *n. 11. & 12.* Pelizzarius *n. 17.* — Duo quæ ex dictis inferuntur.

12. An verò ſit de eſſentia huius ſtatus vitam cœnobiticam agere, ſeu in Communitate, tanquam membrum illius viuere, non ſolitariam, ſicut Anachoretæ, vel Eremitæ? Reſpondetur, quod ſuppoſito iure Eccleſiaſtico, eſt de eſſentia ſtatus religioſi, ad tempus ſaltem, in Communitate cum aliis vivere: proindeque non eſſe veros Religioſos Eremitas, vel Anachoretas, qui modo (ſi qui ſunt) omnino extra Communitatem & vitam regularem degunt; at ſecluſo jure Eccleſiaſtico, & inſpecta ſtatus natura, poteſt ſaluari eſſentialis ratio illius in viventibus extra Communitatem; & in aliquibus ex antiquis Anachoretis ita repertum eſt, quod fuerint formaliter religioſi; in aliis verò non ita, ſed eminentialiter. Rem probo quoad primam partem; quia ut modo religioſa profeſſio valide fiat; ac proinde tria vota ſubſtantialia ſufficienter ad conſtituendum ſtatum religioſum emittantur, debent in religione approbata à Sede Apoſtolica emitti, ut diximus *num. 8.* Sed talis religio, Communitas quædam eſt, ſub obedientia alicujus — His temporibus Anachoretæ, veri non ſunt religioſi.

cujus Prælati degens, & ſub communi regula vivendi ut *num.* 10. probavimus: ergo extra talem regularem vitam nequit verus ſtatus religioſus ſalvari. Suar. *tom. 4. de relig. lib. 1. c. 2. num.* 13. Pellizz. *tract. 1. c. 1. num.* 18.

Inſpecta natura ſtatus, ſolitarii, verè ſunt religioſi.

13. Secunda verò pars, quod videlicet inſpecta natura ſtatus religioſi in vita Anachoreta & omninò ſolitaria ſalvari poſſit, probatur. Quia de formali ratione hujus ſtatus ſunt tria vota ſubſtantialia emiſſa in manu alicujus Prælati, qui illa nomine Dei, ejuſque authoritate acceptet, & quod per proportionata media vadat ad perfectionem; non autem eſt, quod per hæc, vel illa media; nimirum per actualem obedientiam, per exercitationem aliorum, eorumque ſtimulationem, exemplum, &c. ad illam tendat: Cum ergo Eremiticè ac Anachoreticè viventes potuerint, vel antea in Cœnobiis in manibus alicujus Prælati dicta vota emittere, quod & nonnulli priſcorum Eremitarum fecerunt, vel ſaltem in manibus Epiſcopi, ut docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 186. *art.* 5. *ad* 3. & aliàs media aptiora ad perfectionem obſervent, nimirum ſolitudinem, ſæculi abſtractionem, ſilentium, aſperitatem, & incommoda magna, ſequitur ſic viventes habere quidquid eſſentialiter ex natura ſua ad ſtatum religioſum exigitur, quamvis nec in Communitate exercitati vixerint, nec actu alicui Prælato obedierint. *Quia actu obedire* (verba ſunt D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 188. *art.* 8. *ad* 3.) *eſt neceſſarium his qui indigent exerceri ſecundum directionem aliorum ad perfectionem capiendam; ſed illi qui jam perfecti ſunt* (quales probavit in corpore, actu debere eſſe Anachoretas) *Spiritu Dei ſufficienter aguntur ut non indigeant actu obedire aliis, habent tamen obedientiam in præparatione animi.* Et iſtos veros fuiſſe Religioſos, præter alios citatos tradit Rodriguez *tom. 3. qq. regul. q.* 49. *art.* 4.

14. Sed quia plures Anachoretæ fuerunt, qui nec prius in Cœnobio exercitati ſub obedientia alicujus Prælati vota emiſerunt, nec in manibus Epiſcopi, ut Ioannes Baptiſta, Paulus primus Eremita, Antonius & alii, hos dicimus fuiſſe eminentiſſima quadam ratione Religioſos, quia in eis Spiritus Sancti gratia ſupplebat quod in aliis per exercitationem acquiritur, & per abundantiam gratiæ confirmabat illos, quaſi immobiliter in tali modo vivendi, & ſupplebat directionem obedientiæ, quæ in aliis per homines fieri ſolet: Et in illis Sanctis erat perfecta obedientia in animi præparatione, reſpectu Prælatorum Eccleſiæ, ut rectè docet Suar. *loco citato num.* 12. Vnde non tam erant in ſtatu tendentium ad perfectionem, quam perfectorum, in quibus gratia ſpecialis Spiritus Sancti efficiebat quod in aliis aliorum exemplum & exercitatio, in Communitate viventibus, & obedientia actualis, qua à ſuis Prælatis, vel ſtatutis reguntur. *Conſiderandum eſt tamen* (verba ſunt præclara D. Thom. *quæſt.* 188. *art.* 8. *in corpore*) *quod id quod eſt ſolitarium debet eſſe ſibi per ſe ſufficiens; hoc autem eſt, cui nihil deeſt, quod pertinet ad rationem perfecti: & ideo ſolitudo competit contemplanti, qui jam ad perfectionem pervenit. Quod quidem contingit dupliciter: uno modo ex ſolo divino munere: ſicut patet de Ioan. Baptiſta, qui fuit repletus Spiritu Sancto, adhuc in utero matris ſuæ. Vnde cum adhuc eſſet puer, erat in deſertis ut dicitur Lucæ 1. Alio modo per exercitium virtuoſi actus: ad exercitium autem hujuſmodi juvatur homo ex aliorum ſocietate dupliciter, &c.* quod poſtquam probavit, *& quod ſolitudo competit perfectis*, concludit. *Sicut ergo id quod jam perfectum eſt præeminet ei quod ad perfectionem exercetur: ita vita ſolitariorum ſi debitè aſſumatur, præeminet vitæ ſociali: Si autem abſque præcedenti exercitio talis vita aſſumatur, eſt periculoſiſſima, niſi per divinam gratiam ſuppleatur, quod in aliis per divinam gratiam acquiritur, ſicut patet de Beatis Antonio & Benedicto.*

Triplex ſtatus in religione datur Incipientiū, Proficientiū, & Perfectorum.

15. Sed quia docet D. Thom. ſtatum Solitariorum eſſe Religioſorum perfectorum, notandum eſt quod cum Religio ſit ſtatus perfectionis acquirendæ, in ea tres gradus reperiuntur *Incipientium, Proficientium*, & *Perfectorum.* Cum enim in unoquoque ſtatu, quo perfectio adipiſci deſideratur, poſſint tunc tria membra diſtingui, quatenus unuſquiſque ſtatus perfectionis eſt ſtudium quoddam habens initium, medium, & finem, id etiam eſt concedendum in hoc ſtatu, de quo loquimur: quod eſt perfectionis religioſæ acquirendæ: cum in eo debeat eſſe peculiaris ratio inchoandi perfectionem, & inde tranſeundi ad medium proficiendi in perfectione; & tandem ſequitur conſecutio ipſius perfectionis; & quidem ita ut ſingulis gradibus propria exercitia, media, atque actiones deputentur. Vnde cum ſolitaria vita ſit perfectorum, debitè non aſſumeretur, niſi ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu, niſi à viro Religioſo diutiùs in Cœnobio exercitato, & cum debita ſubordinatione proprii Superioris per quem fit tranſitus ab ſtatu Incipientium ad ſtatum Proficientium, ut ſic deveniatur ad ſtatum Perfectorum. D. Thom. *loco cit.* Miranda *tom. 1. Manual. q. 9. art.* 4. Suar. *tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. c. 2. num.* 14. Pellizz. *tom. 1. tract. 1. cap. 3. num* 71. Et hinc fit periculoſiſſimum eſſe, ut dixit D. Thom. vitam ſolitariam immediatè aggredi, id eſt non prius tranſeundo per Cœnobiticam, & Socialem: ob idque talis modus vivendi non immerito fuit ab Eccleſia ſublatus: cum econtra utiliſſimus ſit ſtatus religioſus in vita Communitatis; cum in eo adſit quaſi continuus obedientiæ fluxus, & aliorum Fratrum adjutorium, per exemplum, correctionem, & alia opera charitatis multiplex occaſio exercendi omnes virtutes, & major opportunitas ad omnes defectus evitandos: ob idque meritò dixit Suar. *num.* 16. quod humano modo loquendi modus vivendi omnino ſolitarius, immediatè aſſumptus non cadit ſub humanum conſilium, nec poteſt dici ſimpliciter melior; ſed ſolum cum addito, *Niſi interveniat ſpecialis inſtinctus Spiritus Sancti.*

PVNCTVM II.

Qua ratione tendere ad perfectionem ſit de ratione ſtatus Religioſi? & de obligatione quam habent regulares illam provocandi.

Tenetur ſub mortali Religioſus ſemper ad perfectionē tendere.

16. QVamvis ratione ſui ſtatus, non obligetur Religioſus eſſe perfectus, tenetur tamen ſemper ad perfectionem tendere, & totis viribus, magnoque ſtudio, eam procurare: propterea que dicitur in diffinitione, *puncto præcedenti* explicata, quod eſt:

Status perpetuò perfectionis acquirendæ. Sive talis obligatio ſit ipſa ſtatus religioſi eſſentia, ut quidam dicunt; & ideo aſſerunt, idem eſſe ſtatum Religioſum, ac ſtatum perfectionis acquirendæ, ſeu ſcholam, in qua totum ſtudium circa illam verſatur: ſive ſit proprietas inſeparabilis illius, ut eſt riſibilitas reſpectu hominis, ut alii volunt. Vnde ſub peccato mortali quilibet Religioſus obligatur tendere, & procurare perfectionem, quia eſt obligatio ſubſtantialis, & præcipua ſui ſtatus; ad quam ex vi profeſſionis ſe adſtrinxit: & cum ſit de re graviſſima, quam vovit, & ſine qua ſtatus ſubſtantia ſubſiſtere non poteſt: imò in illa conſiſtit ſubſtantia ſtatus, non poteſt non graviter obligare. Sic D.Thom. 2. 2 *q.*186.*art.*2. Sanch. *lib.*6. *Decalog.c.*5. *num.*1. Rodrig.*tom.*3.*q.*98.*art.*1. Lezan. *tom.*1.*c.*1.*n.*8. Fr. Ant. à Spiritu Sancto *tract.*3. *diſp.*1.*ſect.*2, *num.*37. Qui omnes referunt ſenteotiam illam Navarri *in cap. quia porro* 12.*q.*1.*num.*10. dicentis: Terribilis eſt multis religioſis hæc ſententia, qui neque actu, ſeu actualiter; nec virtute ſeu virtualiter, habent animum ſe in dies magis in charitate perficiendi: nec curant pluſquam boni clerici ſæculares, vel laici ad eam tendere.

Quomodo debeant Religioſi ad perfectionem ire?

17. Talis obligatio conſiſtit in continuo quodam motu tendendi ad perfectionem, ita ut religioſus nunquam in hoc motu, & progreſſu quieſcat, nec dicat: ſatis eſt: ſed ſemper ad altiora aſpiret: quia in via Dei, non progredi, regredi eſt: quemadmodum ille qui contra impetum aquarum enatat, qui in eodem loco ſiſtere non poteſt per multum tempus; ſed vel debet ultra tendere, vel retrorſum abire. Vnde dixit optimè D.Bern. *ep.*254. *Nolle proficere deficere eſt: Vbi ergo ſunt qui dicere ſolent ſufficit nobis: nolumus eſſe meliores quam Patres noſtri. O Monache, non vis proficere? vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? Sic, inquis, vivere volo: & manere in quo perveni: nec pejor fieri patior, nec melior cupio: hoc ergo vis, quod eſſe non poteſt.*

Non tenetur Religioſus per conſilia Evangelica ire ad perfectionẽ, ſed per propria ſui ſtatus.

18. Sed non ob id tenetur Religioſus tendere & obniti ad perfectionem per omnia opera conſiliorum, aut ſupererogationis, ut rectè tradit D.Thom. *dict.art.*2. Et cum eo omnes: ſed per illa tantum quæ ſunt ſecundum regulam, & obſeruantiam ſuæ religionis; quia non ſe obligavit ad aliam perfectiunem, niſi ad eam, quæ mediis inſtituti ſui ordinis comparari poteſt. Et hinc oritur: primo obligationem iſtam diſtinctam non eſſe ab obligatione ſervandi vota, & obſeruantias regulares ſuæ profeſſionis: ſed eſſe eandem cum illa, vel in ea imbibitam: ſicut obligatio obediendi Deo, ei placendi, in eoque ultimum noſtrum finem collocandi, non eſt diſtincta ab obligatione ſervandi mandata Dei, ſed in ea incluſa. Ex quo fit, non committere duplex peccatum in confeſſione detegendum, Religioſum qui contra aliquod votum, vel præceptum deliquit; unum contra illud, aliud contra iſtam obligationem; ſed unum dumtaxat: quia una & altera eſt eadem obligatio, quæ frangitur. Caiet. 2.2. *q.*186.*art.*9. Peyrin. *de relig. ſubd. q.*1.*cap.*5. §.*an autem.* Pellizz.*tract.*5. *cap.*1. *n.*8. Lezan.*ſup.n.*9. Sanchez *n.*5. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *num.*38.

Nullo perfection modo religioſus tendet ad perfectionem, quam bene exercendo quæ ſunt propria ſui ſtatus.

19. Ex dictis oritur ſecundo, quod perfecta adimpletio huius obligationis conſiſtit in perfecta cuiuſcumque ſtatus exercitiorum, & operationum, per religionem ordinatorum executione: & in eo quod eſt operam dare, ut opera quotidiana & exercitia ordinis modo perfectiori executioni mandentur: iſta enim ſunt media aptiora ad ſuum finem conſequendum, hæc quæ Deo magis placent, & unicuique magis proficiunt; hæc conſilia ſequenda ab ipſo, quæ ad culmen perfectionis ducunt; alia ſi ab iſtis arceant, tanquam minus proportionata ad ſuum finem, relinquenda: alia ſupererogationis opera cum eis compatibilia, non omittenda; ſed illa omninò facienda ſunt: & perfectiori modo quo poſſit: quia ſic erunt magis proficua. Ponam verba doctiſſimi & piiſſimi Patris Ildephonſi Rodriguez, qui nouo opere & ſcriptis, viam perfectionis omnibus veriſſimam aperuit, in ſuo proprio idiomate. Ait enim Venerabilis Pater *tom.*1. *Suorum exercit. tract.*2. *cap.*2. *No eſtà el aprouechar y mejorar la vida en multiplicar obras extraordinarias, ni haçer otros officios altos y levantados; ſino en haçer con perfeccion eſas obras ordinarias de la religion, y eſos officios en que os puſiere la obediencia, aunque ſean los mas vajos del mundo: porque eſo es lo que quiere Dios de noſotros.* Et infra: *No eſta nueſtra perfeccion en haçer penitencias, ò coſſas extraordinarias; ſino en haçer lo que de ordinario haçeys bien hecho: con las miſmas obras que haçeys, ſi quereis, podeys ſer perfecto.* Et concludit: *Id quitando las faltas, y las imperfecciones que teneys en eſas coſſas ordinarias y cotidianas, y procurad cada dia yr haçiendo las mejor, y con menos faltas, y eſo ſera caminar a la perfeccion.*

Peccat mortaliter religioſus qui regulam ex contemptu violat.

20. Sed inquires? Primo, quando mortaliter peccet Religioſus contra hanc obligationem tendendi ad perfectionem? Reſpondetur. Primò peccare mortaliter quando conſilia, & media ſui ſtatus (imo quæcumque alia) ad perfectionem conducentia, ex contemptu relinquit: quia licet ad culpam venialem, vel etiam nullam, ipſum obligent; ea ex contemptu prætermittere eſt mortale, ut docet D. Thom. *q.*186.*art.*2. *&* 9. Caiet. *art.*2. *in ſolut. ad* 1. *&* 2. Hieron. Garcia *tract.* 1. *diffinit.* 3. *dub.* 3. *num.*4. Lezan. *tom.*1. *tract.*1.*cap.*1. *n.*10. & eſt apud omnes commune. Tunc autem ex contemptu cenſetur ea prætermittere, quando, vel tranſgreditur leges ſuæ religionis ex animo & voluntate non ſe ſubjiciendi illis, aut Superioribus præcipientibus. Eſt enim contemptus actus formalis inobedientiæ; includens, & tranſgreſſionem Præcepti, & intentionem nolendi ſe ſubjicere Præcepto, aut præcipienti, Lezana *num.*12. Leſſius *lib.*2.*c.*41. *dub.*9. *num.*76. Vel ſi omittat ea obſervare ut inania, vana & inutilia; non verò ſi omittat ea, vel quia videt non eſſe ſibi ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, nec ſibi præcipi ſub mortali, vel concupiſcentia, vel alia ex paſſione victus. Sanchez *decalog. lib.*6. *cap.*5. *num.*1. Palaus *tract.*16. *diſp.*4. *punct.*5. *num.*8. Fr. Ant. à Spiritu Sancto *tract.*3.*diſp.*1.*ſect.*2. *num.*4. Quæ omnia docuit præclarè D.Thom. 2.2. *q.* 186. *art.*9. *ad* 3. his verbis: *Ad tertium dicendum, quod tunc committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam: quando autem è converſo propter aliquam particularem cauſam; puta, concupiſcentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel*

regulæ

regula, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa: etiam ſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimili, peccatum iteret. Sed circa hæc vide quæ diximus *tom.3. hujus Curſus tract.11. de leg. cap.2.punct.2 §.4.*

Alii caſus in quibus mortaliter peccat Religioſus contra obligationẽ tendendi ad perfectionẽ.

21. Secundo peccat mortaliter contra hanc obligationem Religioſus, quando transgreditur regulam, vel aliam obſervantiam, etiam ad veniale obligantem, eo fine ut impediat perfectionem: quia ad illam progredi refugit, nolletque, errore ductus intellectus, vel pravo affectu voluntatis ad illam pervenire: quia in hoc directe agit contra obligationem ſuæ profeſſionis. Lezan. *tom.1.cap.1.num.*10. Pelliz. *tom.1.tract.5.cap.1.num.*19. Garcia *in politica regul.tom.1.tract.1.diffinit.3.dub.3.num.4.* Valentia *lib.2.diſp.7.q.3.punct.6. Verbo: primus caſus eſt.* Fr. Ant. à Spiritu Sancto *tract.3. diſp.1. sect.2. num.*39. ¶ Tertio quando firmiter apud ſe ſtatuit nullo modo curare de perfectione, vel quando in animum induxit non progredi ad vitæ perfectionem apud ſe dicens: *Satis actum eſt in inferiori ſtatu manendo; ut quid laborabimus perfectionem amplius procurare?* quia hoc etiam eſt contra obligationem ſuæ profeſſionis directè agere: quia per illam ſe obligaverat ſemper & perpetuò ad perfectionem tendere, & nunquam in tali motu quieſcere. Sanch. *lib.6.decalog. cap.5.num.*10. Pellizz. *n.*19. Lezan. *num.*10. Garcia *num.*4. S. Antonin. *3.p. tit.16.c.1.§ 9.* Barthlolomæus à S. Fauſto *de virtu propriet. cap.1. num.*10. ¶ Quartò, quando ejus pravo exemplo alios induceret ad vitam depravatam; vel regulæ relaxationem: quia tunc grave nocumentum & Fratribus & Religioni inferret. Lezan. Sanch. Pellizz. *locis citatis*, Silveſter *verbo Religio* 1. *q.*3. Sed hoc intelligendum eſt in materia gravi, non verò in materia levi, ut advertit Girag. *de regimine regul. part.3. dub.43. num.*57. Ant. à Spiritu Sancto *num.* 39. Imo, etiam nos addimus hoc non eſſe peccatum commiſſum contra hanc obligationem; ſed vel contra charitatem, aliis offendicula & ſcandalum objiciendo, vel contra pietatem debitam Religioni: Et ſic eſt ſpecialis circumſtantia, ſpecifice diverſa in confeſſione omnino detegenda.

Quando nõ ſit grave peccatum regulam, & alia ſtatuta frangere.

22. Non autem tenetur Religioſus ex vi hujus obligationis domitas & ſuperatas habere paſſiones inordinatas: dummodo ad illas evincendas conetur: quia per hoc ſuæ ſatisfacit obligationi. Sicut miles, cui imperatum eſt cum hoſte pugnare, adimplet præceptum præliando, tametſi non evincat inimicum, Ludovicus Miranda *in Manual. tom.1. q.5.art.5.* Lezana *ſup. num.*14. ¶ Nec etiam erit mortale tranſgredi regulam aut obligationes religionis ex pravo uſu, aut conſuetudine in rebus parvæ materiæ, quia tales actus, tametſi retardent perfectionem, leviter tamen ab illa avertunt: ideoque quamvis multiplicentur, limites non exeunt peccati venialis. Lezana *num.*13. Azor. *lib.4. inſtit. mor. cap.9.q.*11. Garcia *tract.5.diffinit.2. dub.7.num.4.* qui etiam dicit *num.*3. Non eſſe mortale hoc vel illud præceptum regulæ (non obligans ad mortale) etiam multoties frangere, ſi in reliquis ſe obſervantem exhiberet; quia bene poteſt in perfectione proficere per obſervantiam aliarum rerum, etiamſi in hac, vel illa deficiendi habeat conſuetudinem.

Sententia

23. Sed difficultas eſt: an regularis graviter peccaret contra hanc obligationem tendendi ad perfectionem, ſi haberet animum ſervandi omnia mandata, & omnia præcepta Superiorum obligantia ſub mortali: Conſuetudinem tamen haberet omittendi alia regulæ, vel conſtitutionum mandata non obligantia ad mortale: vel hoc in animo ſtatueret, proponens omnia dicta obligantia ſub mortali obſervare, de aliis non curare, vel illa prætermittere? Affirmat ſatis probabiliter prima ſententia. Et probatur primo ex D. Thom. qui 2.2. *q.186.art.2.3. & 4.* toties aſſerit Religioſum contemnentem progredi ad perfectionem per media ſuæ regulæ & conſtitutionum peccare, & non requirit quod ex contemptu formali agat contra ea: aliud enim videtur eſſe contemnere media perfectionis; aliud ex contemptu contra illa agere: Contemnere aliquid dicitur qui de illo non curat: Agere ex contemptu, qui modo dicto *num.*10. operatur: imo talis conſuetudo quoddam genus eſt contemptus regulæ & conſtitutionum, & manifeſtum indicium parvæ æſtimationis, quam de illis habet. Vnde excuſari non poteſt à mortali talis conſuetudo, & religioſum non eſſe tutum in conſcientia; ſed eſſe in malo ſtatu eſt dicendum. Et ſic D.Thom. *q.184. art.5. ad 2.* dicit religioſos eſſe mendaces & ſimulatores facto ipſo, quoties à perfectionis aſſequendæ, quam in ſtatu religioſo profitentur, ex propoſito animum revocant. ¶ Secundò, quia alias nullum eſſet diſcrimen inter Religioſos, & Sæculares: quia omnes mortaliter peccant, ſi conſilia prætermittant ex contemptu, vel aliquid abſque contemptu omittant obligans eos ſub mortali. Vnde eſſet vanum quod omnes dicunt, teneri ſcilicet Religioſum graviter tendere ad perfectionem, eo quod ſtatus religioſus eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, & quaſi via, & progreſſus ad illam. ¶ Tertio ex Concil. Trid. *ſeſſ.25. de regular.cap.1.* Vbi loquendo de obſervantia regulari, ut comprehendit vota præcepta, aliaque ſtatuta religionis, ſic loquitur: *Omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad regula, quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant & componant; atque in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicuius regulæ, & ordinis peculiaria vota & præcepta ad eorum reſpectivè eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum & veſtitum conſervanda pertinentia, fideliter obſervent.* Et nemo dicit Regularem conſuetudinem vel propoſitum habentem tranſgrediendi principaliores, & omnes ſui ordinis obligationes non adſtringentes eum in particulari ſub mortali, non agere contra hoc graviſſimum Concilii præceptum, & conſequenter dicere debet peccare mortaliter, atque ita tenent Tamburinus *de iure Abb.tom.3. diſp.3.q.6. num.3.* Lezana *tom.1. cap.1. num.*10. Garcia *tom.1. tract.5. diffinit.2. dub.7. num.2.* Scobar *in Summa Latina tract 6.examine 7. §. Ordinis, cum ſequentibus.* Barboſa *de iure Eccleſ. lib.1. cap.42.num.*112. Silveſter *verbo Religio 1. q.3.* Tabiena *eod.verbo q.4 n.5 ad finem.* Corduba *in regul. D.Franciſci c.1.q.3. dub.3.* & alij.

Aſſerẽs peccare mortaliter Religioſum, qui ſolũ ſervare quæ ſub mortali obligant propenit.

Ex D. Th. reſolvitur contrarium ſententiæ præcedẽti.

24. Cæterum non peccare mortaliter Religioſum ex vi hujus capitis ſeu contra hanc obligationem, tendendi ad perfectionem, præciſo alio periculo & contemptu, probabilius ducimus: quia eſt expreſſa ſententia D.Th.

2.2.

2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *in corpore.* Vbi loquens de aliis actibus virtutum, ad quos ex regula tenetur Religioſus præter vota, dicit: *Et horum tranſgreſſio, quantum ad ea, quæ cadunt communiter ſub præcepto obligat ad mortale: quantum verò ad ea quæ excedunt communem neceſſitatem præcepti non obligat ad mortale, niſi propter contemptum.* Et infra: *Aliorum autem tranſgreſſio non obligat ad mortale, niſi vel propter contemptum, regula: quia hoc directè contrariaretur profeſſioni, per quam aliquis vovit regularem vitam, vel propter præceptum, ſive ore tenus à Prælato factum, ſive in regula expreſſum; quia hoc eſſet facere contra obedientiæ votum.* Sentit ergo contra hanc obligationem tendendi ad perfectionem ſolum peccare graviter Religioſum, vel ex contemptu Regulæ operando, vel formale præceptum regulæ aut Superioris tranſgrediendo. Et ideo in ſolutione ad primum (cujus verba ſupra *num.* 20. dedimus) dicit non peccare mortaliter, præciſo tali contemptu, etiamſi, vel ex concupiſcentia, ira, vel alia cauſa, agendi contra regulam, in his quæ non obligant ſub mortali, in conſuetudinem ducat: Atque ita docent Sanchez (malè pro contraria ſententia à Lezana & Garcia adductus) *in decal. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 9. *&* *cap.* 4. *num.* 18. *in fine.* Fr. Ant. à Spir. Sanct. *tractat.* 3. *diſput.* 1. *ſect.* 2. *num.* 39. *&* 45. Palaus *tractat.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 9. §. 3. *num.* 5. *&* *tract.* 16. *diſput.* 4. *punct.* 3. *num.* 5. Pellizz. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 10. Valencia 2. 2. *diſput.* 10. *quæſt.* 4. *part.* 4. Suar. *tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 4. *à num.* 10. Peyrinis *tom.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 5. §. *Explicat.* Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 6. *quæſt.* 152. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap. ultim. quæſt.* 11.

Ratio quare non peccet mortaliter qui ita iura non obligātia ſub mortali frangit.

25. Ratio aſſertionis eſt: quia eo ipſo quod Religioſus vult exequi omnia vota & præcepta obligantia ſub mortali, vult ire ad perfectionem vitæ, & multa conſilia Dei obſervare, quæ licet reſpectu illius, ſuppoſitis votis, non videantur conſilia, ſed præcepta; quia tamen ſua voluntate illa aſſumpſit, & ſe illis obligavit, verè & abſolutè ſunt conſilia: & ſic ad aliquid per illa obligatur, ad quæ quilibet Chriſtianus non tenetur (per quod ſolvitur ſecundum argumentum) & ex alia parte per dictum propoſitum, vel conſuetudinem, non niſi leviter deficit ab obligatione tendendi ad perfectionem (ſuppoſito animo obſervandi omnia vota & præcepta religionis obligantia ſub mortali) cum perfectio eſſentialis, ad quam ex vi ſuæ profeſſionis obligatur, & ad quam directè ſub culpa mortali ſe obligavit, in obſervatione votorum, & aliarum rerum obligantium ſub mortali conſiſtat.

Decretum Cōcilii adductum à contrariis explicatur.

26. Per quod manet ſolutum tertium argumentum, deſumptum ex Concilio Trident. Ibi enim Concilium ſolum proponit obligationem Regularium tendendi ad perfectionem, & quod debent ire per obſervantiam præceptorum, votorum, & mandatorum regulæ; quæ cum accommoda diſtributione debent intelligi, ut videlicet graviter obligetur tendere ad perfectionem per vota, vel media ſuæ regulæ obligantia ſub mortali, & leviter, ſi leviter illa tantum obligant: alias dicendum foret mortaliter peccare Religioſum contra hoc præceptum Concilii, quoties capitulum aliquod regulæ, ſaltem principalius, etiamſi mortaliter non obliget, tranſgreditur: quod nullus dicet. Vnde ſicut qui vovet vivere ſecundum aliquam regulam, non ob id peccat graviter contra illud votum, ſi in aliquo capitulo regulæ deficiat, non obligans ſub mortali, ut omnes aſſerunt; quia ſic vovens interpretatur intendere ſe obligare graviter ad regulam, in his quæ illa graviter obligat; & leviter, in his tantum, quæ illa leviter obligat; ſic dicimus de hoc præcepto Trident. eſſe intelligendum cum proportione explicata.

Mens D. Th. amplius circa propoſitam materiam aperitur.

27. De mente D. Thom. de qua agit primum argumentum, non eſt dubitandum ipſum per hoc quod eſt contemnere regulam, vel obſervantias, intelligendum de contemptu formali, ut conſtat ex à nobis dictis in concluſione. Eſto tamen aliud ſit contemnere perfectionem, aliud agere ex contemptu contra illam. At D. Thomas in illis locis ſolum dixit Religioſum contemnentem perfectionem peccare, nunquam tamen qualitatem culpæ explicuit: quod cautè factum, ait Caiet. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 2. *ad* 1. §. *Ad hoc dicitur.* Quia poteſt contemptus ille eſſe venialis & mortalis, & poſtea §. *Ad evidentiam*, explicat eſſe mortalem quando eſt formalis & ſimplex contemptus, eo quod religioſus conſilia omittere intendit, quia eis ſubjici non vult, ut à Deo traditis: Venialem autem, quando eſt nonnullus & imperfectus contemptus, eo quòd novit ea conſilia ſibi non præcipi. ¶ Nec verum eſt quod dicitur in eo argumento: eum qui ex conſuetudine contra regulam operatur, eam contemnere (loquendo de contemptu, cujus violatio obligat ſub mortali) oppoſitum enim eſt commune apud DD. ut tradunt ex contrariis Garcia *ſupra num.* 1. Tamburin. *num.* 9. Et eſt commune apud omnes malam & pravam conſuetudinem operandi contra legem præciſè, non dici contemptum legis: aliàs qui ex prava conſuetudine iurandi, aut fornicandi delinqueret, duplicem malitiam committeret in confeſſione detegendam, aliam perjurii, aut fornicationis, aliam contemptus, quæ ab illa eſt diverſa.

Multoties peccat mortaliter Religioſus relaxatè vivendo.

28. Sed quia diximus in aſſertione Religioſum pravam conſuetudinem dictam, vel propoſitum habentem, *ex vi hujus capitis, ſeu contra hanc obligationem tendendi ad perfectionem graviter non peccare:* Advertendum eſt, ex aliis capitibus ipſum peccatum mortale committere poſſe, niſi illius malæ conſuetudinis correctionem efficaciter procuret, quando nimirum, vel ſibi, vel Religioni ex ſuo licentioſo, & irregulari modo vivendi grave nocumentum fieri advertit: quia ſcilicet religioni officit in diſciplina regulari, aliis occaſionem ſuo pravo exemplo dans regulas paſſim violandi, & illam privans fructu & utilitate, quam ex illo Religioſo ſperabat percipere, qui ſuis pravis & relaxatis moribus, ſe inutilem religioni reddit; & ſibi valde nocivum, tum quia ſe exponit periculo probabili tranſgreſſionis votorum, aut præceptorum, ut frequenter contingit, & etiam deveniendi ad formalem contemptum: *Frequentia enim peccati* (inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. *fine*) *diſpoſitivè inducit ad contemptum, ſecundum illud Proverb.* 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Et ſe timere poteſt ad eum ſtatum venturum, ut ob eam cauſam debeat tanquam incorregibilis, & boni com-

munis

munis perturbator, à religione expelli: quod ſub peccato mortali tenetur evitare, quia ſe ad evitandam expulſionem in profeſſione obligavit: promiſit namque ſe ita corrigere, & mores componere, ut dignus eſſet in cœtu Religioſorum vivere. Layman *lib. 4. Summa tract. 15. cap. 8. n 9. quæſt. 2. concluſ. 4.* Palaus *tract. 16. diſp. 4. punct. 3. num. 7.* Peyr n. *de Rel. tom. 1. q. 1. cap. 5.* Sanchez *decal. lib. 6. cap. 4. num. 17. Quarè, ſi poſſibile eſſet* (inquit Sanchez) *id quod moraliter impoſſibile eſt, nullam ſequi Religionis ruinam, nec periculum tranſgreſſionis votorum, nec contemptum, ex universali decreto non ſervandi ſtatuta religionis, ad mortale non obligantia, tale decretum non eſſet mortale; quia nulla eſt ratio ſufficiens damnandi ad illud.* Hæc Thomas Sanchez.

Quid dicendum de eo, qui propoſitum habet committendi omnia venialia ſed nullum mortale?

29. Et ſi roges, an peccet mortaliter Religioſus (vel quilibet alius Chriſtianus,) per propoſitum committendi quæcumque venialia? Affirmat Sanch. *lib. 2. ſumm. cap. 5. num. 4.* Bonac. *diſp. 2. de legib. q. 3. punct. 5. n. 17.* quia venialia ad mortale diſponunt, ut docet D. Thom. *1. 2. q. 83. art. 3.* Vnde, qui talem propoſitum haberet, exponeret ſe periculo labendi in peccatum mortale: & ſic per illud propoſitum, vel animum mortaliter peccaret. ¶ Alij verò negant, niſi adſit vel contemptus, vel proximum periculum labendi in mortale: quia tale propoſitum, ſolum remotè ad mortale conducit: & ſic videmus plures non curantes vitare venialia, nullum mortale per multum tempus committere, ob propoſitum firmum, quod habent vitandi quodcumque mortale. Ita Palaus, *tom. 1 diſp. 2. punct. 9. §. 3. num. 5.* Fr. Anton. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 1. ſect. 2. n. 45.* & adhærete videtur Pellizzar. *tract. 5. cap. 1. n. 15.* & tunc dicunt eſſe in proximo periculo, & per illud graviter peccare, quando quis in ſe experitur quod ex remiſſo modo vivendi in vitandis venialibus, contra hanc vel illam legem, incidit frequenter in mortalia.

PVNCTVM III.

An ſit de eſſentia ſtatus Religioſi ſolemnitas votorum ſubſtantialium? in quo talis ſolemnitas conſiſtat? ubi etiam an poſſit Summus Pontifex in votis Religioſorum ſubſtantialibus diſpenſare?

Poteſt Eccleſia veram religionem inſtituere cum ſolis votis ſimplicibus.

30. QVamquam prioribus ſæculis, & ſecundum jus antiquum, ſecundum quod vota ſimplicia ab Eccleſia non acceptabantur in ordine ad ſtatum religioſum conſtituendum; vera religio abſque votis ſolemnibus, Caſtitatis, Paupertatis & obedientiæ non ſubſiſteret, ipſe verò ſtatus ex ſuæ eſſentiæ natura talem ſolemnitatem non exigit; ſed ſufficit, ſi Eccleſia ſimplicia vota acceptet ad illum conſtituendum, & Prælatis tribuat authoritatem acceptandi traditionem per illa, ſeu in illis factam, dummodo alia dentur, quæ *puncto 1.* eſſe eſſentialia ad iſtum conſtituendum ſtatum, diximus. Et ratio eſt, tum quia quæ ſunt eſſentialiter connexa ſtatui religioſo, vel ab eo eſſentialiter requiſita, ſunt ex iure divino; ſed ſolemnitas votorum eſt ex iure Eccleſiaſtico introducta, ut dicemus infra: non ergo eſſentialis erit ſtatui religioſo. Vnde ſicut Eccleſia in una religione poteſt talem, vel talem conditionem, vel ſolemnitatem requirere, ut eam pro religione acceptet, ita in alia non exigere. Tum etiam, quia per ſimplicia vota poteſt fieri immobilis traditio, ſufficiens ad ſtatum religioſum conſtituendum: quia ad hoc non requiritur (ut diximus *num. 11.*) quod tam ex parte religionis, quam tradentis ſe, immobilitas detur (quod fit per ſolemnitatem votorum) ſeù quod nec religioni liberum ſit dimittere, nec religioſo recedere, ſed ſtatus immobilitas ſalvatur per hoc quod vovens non poſſit obligationem Religionis excutere, licet poſſit eum religio expellere, ut in ſtatu ſervitutis cernitur: in quo immobilitas ſtatus ſalvatur per hoc quod non poſſit mancipium, jugum ſervitutis excutere, licet poſſit Dominus eum à ſervitute liberare.

De facto ab Eccleſia ſtatutum eſt cum ſolis votis ſimplicibus religionem veram eſſe.

31. Et licet olim inter DD. fuerit aliqua controverſia, jam iſta ceſſavit poſtquam Greg. XIII. ex motu proprio, & ex certa ſcientia in bulla, *Aſcendente Domino*, edita *anno* 1584. declaravit: imò ſecundum aliquos, diffinivit, quod in Societate Iesu efficiuntur veri Religioſi, qui poſt biennium probationis emittunt vota ſimplicia: excommunicans, & inhabiles ad omnia officia & beneficia reddens, eos qui contrarium affirmaverint. Vnde ſalvari poſſe ſtatum religioſum cum ſolis tribus votis ſimplicibus, docent Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 3. cap. 4. n. 5.* Pellizzar. *tom. 1 tract. 1. cap. 1. n. 6. & 26. & cap. 3. num. 43.* Leſſ. *de iuſt. lib. 2. cap. 41. dub. 1. num. 8.* F. Ant. à Spir. Sancto *in director. tract. 3. diſp. 1. ſect. 2. num. 52.* Lezana *tom. 1. cap. 2. n. 3.* Palaus *tom. 3. tract. 16. diſp. 1. punct. 1. n. 5.* Sanch. *in ſumm. lib. 5. cap. 1. à n. 25.* Baſil. Pontius *de mat. lib. 7. cap. 7. n. 5.* Vbi rectè probat eſſe contra iſtam conſtitutionem dicere hujuſmodi Patres eſſe *Religioſos ex privilegio*; ſed dicendos verè ſubſtantialiter, & eſſentialiter tales: quia ibi dicitur: *illos eſſe verè & propriè religioſos, non ſecùs quam profeſſos cujuſcumque Religionis.* Si autem ſolum ex privilegio eſſent tales, non eſſent verè & propriè religioſi, ſicut alij. Sicut qui ſolum eſſet Nobilis ex privilegio Principis, non eſſet verè & propriè nobilis ſicut illi, qui ex ſuo ſanguine, & origine ducunt nobilitatem. ¶ Cæterùm cum hoc ſtat per vota ſimplicia Coadjutorum formatorum Societatis Iesv (& idem eſt de noſtris Donatis poſt biennium probationis, vota dumtaxat ſimplicia emittentibus) non diſſolvi antecedens matrimonium ratum: quia matrimonij rati diſſolutiò (ſivè fiat ex conceſſione Chriſti vel Eccleſiæ) non niſi per ſolemnem profeſſionem diſſoluitur: quia nullibi conceſſum eſt, niſi illi, & de illa ſemper agunt jura, quæ hujus diſſolutionis meminere. Sanch. *ſupra n. 29. & de matrim. lib. 2. diſp. 18. n. 6.* Vaſq *1. 2. quæſt. 96. art. 4. diſp. 165. cap. 10.* Henriq. *de mat. lib. 11 cap. 7. n. 6.*

D. Thom. & Caiet. explicantur.

31. Sed contra reſolutionem numeris duobus præcedentibus ſtabilitam objicies. Quod D. Th. *1. 2. q. 189. art. 1. ad 1.* dicit: *Aliud autem eſt votum ſimplex ex quo aliquis non fit monachus religioſus, ſed ſolum obligatur ad religionis ingreſſum*, & ideo dicit ſolum votum ſolemne conſtituere verum religioſum. Quapropter Caietanus *2. 2. q. 88. art. 1. circa ſolut. ad 4.* dicit ſtatum veræ religionis non poſſe conſiſtere abſque votis ſolemnibus. ¶ Reſpondetur D. Thomam & Caietanum loqui de eo, quod in

illo tempore contingebat : tunc enim nullus erat verè religioſus, niſi votis ſolemnibus adſtrictus, quia cum illis ſolis Eccleſia inſtituerat Religiones ; minimè tamen negant eſſe poteſtatem in Eccleſia inſtituendi novos Ordines, cum ſolis votis ſimplicibus. Et ideo Caiet. *dicta q.88.art.2. colum.2. verſ. Sed non hæc opinio*, hæc habet : *initiatio ſtatus mancipando hominem ad divinum cultum, & religioſa opera, ſtare poteſt cum voto ſimplici, ut patet : ſi Eccleſia decerneret, quod in ſacro ordine, vel religione aliqua, votum ſimplex fieret*. Et ita explicat Sanch. *lib.5. Summ. cap.2. num.25.* Clement. I. *de religioſ. domib. Cap. Religioſo de ſent. excomm. in ſexto*, & *Cap. porro etiam de regularibus*. Quibus textibus videtur requiri eſſentialiter ſolemnitas votorum ad ſtatum religioſum : quia nimirùm loquuntur pro illis temporibus, quibus ita erat in Eccleſia ſtatutum. Quamvis Baſil. Pont. *lib. 7. de mat. cap.12. per totum*, nitatur probare, etiam prioribus ſæculis, vota ſimplicia fuiſſe ſufficientia ad conſtituendum ſtatum religioſum.

Diverſitas quæ datur Laicorum & Donatorū

33. Ex dictis infertur noſtros Donatos, qui poſt biennium probationis emittunt vota ſimplicia tantùm, veros eſſe religioſos, omnibuſque frui religioſorum privilegiis. Pro quo notā ex Lezan. *tom.2 cap.8. num.2.* Religioſos Laicos, Donatos, Converſos, vel Oblatos, eſſe in triplici differentia in diverſis religionibus. Aliqui enim non emittunt omnia tria vota ſubſtantialia ; ſed vel duo, aut vnum, vel nullum : & iſti non ſunt veri religioſi : quia eis deficit aliquid eſſentiale hujus ſtatus. Cæterùm, quia ex his, aliqui ſe ſuaque omnia Deo in religione dedicarunt, ob idque *Oblati* dicuntur, ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, utpotè perſonæ ſpecialiter Deo dicatæ, ſimiles Religioſis in habitu & habitatione : quia nimirum habitant in Monaſteriis, & in multis aliis participant de ſtatu religioſo : ob id à Summis Pontificibus & Conciliis nonnunquam *Religioſi* nuncupantur, utique lato modo & ſecundum quid, & tales fruuntur privilegio fori & Canonis, ut habetur in Trident. *ſeſſ.24. cap. 11.* ſed illo non fruuntur, niſi in monaſteriis habitent, & habitum ſæcularem mutent.

Laici, vel Donati, qui tria vota ſolemniter emittunt, abſque controverſia ſunt Religioſi.

34. Alij ſunt Laici, vel Donati, qui vota tria ſubſtantialia ſolemniter emittunt, ſolemniterque profitentur : vel poſt annum probationis, ut apud nos Laici Fratres : vel poſt quinquennium, ut Donati. Iſti autem apud omnes ſunt veri & ſimpliciter Religioſi : nihil enim eis defuit ad eſſentiam iſtius ſtatus, cum tria vota ſubſtantialia emittant ſolemniter, profitendo regulam approbatam in manu Prælati potentis eos aggregare religioni. Vnde per eorum vota matrimonium ratum antecedens, diſſoluitur, & etiam ſubſequens conſummatum. Quod autem hoc vel illo habitu utantur, quid per accidens eſt ad intentum, ut infra dicemus. Quod quidem ab Eccleſia ſupponitur : nam cùm Paulus V. præceperit ne noſtri Religioſi ad aliam, excepta Cartuſiana, poſſent tranſire religionem ; Gregorius XIII. declaravit comprehenſos eſſe in hoc Donatos ſolemniter profeſſos, nec ipſis antea licuiſſe, nec deinceps licere tranſitum ad aliam religionem.

Etiam Donati vel Laici qui tria vota ſimplicia emittunt veri ſunt religioſi.

35. Denique, ſunt alij qui poſt biennium probationis tria vota ſubſtantialia, ſolum ut ſimplicia emittunt : & de his aſſerimus eſſe veros religioſos, & fungi omnibus Religioſorum privilegiis, quidquid alij dicant, quia qui tria vota ſubſtantialia ſub certa regula à Sede Apoſtolica approbata emittunt, ſunt veri Religioſi, ut declaravit Greg. XIII. *anno* 1575. pro Congregatione S. Benedicti Valliſoletani, eos qui in prædicta religione tria vota Caſtitatis, Obedientiæ & Paupertatis emittunt eſſe veros Religioſos ; hoc habent noſtri Donati primæ profeſſionis : ergo. Secundo, quia ut docet Suar. *infra* citandus, tunc traditio cum tribus votis cenſetur fieri in religione approbata ſub certa regula, quando licet quis non voveat directè obſervationem Regulæ, vovet tamen obedire ſecundum illam, id eſt quoties juxta illam fuerit mandatus, ita ut ſubjectus maneat correctioni, ſi illam violaverit : quod totum in noſtris Donatis primæ profeſſionis reperiri conſtat ex conſtitutionibus noſtris *2.p. cap. 3. num.4.* Tertiò quia ſolum qui ſunt veri Religioſi puniri poſſunt pœnis apoſtatarum ſi retrocedere voluerint, ut docet Leſſ. *lib.2.cap.41. dub.1.n.8.* Suar. *tom.4. de relig. lib 3. cap.2. n.1.* Sed per noſtras conſtitutiones tales Donati, ſi fugerint, pœnis apoſtatarum puniri debent, dicitur enim loco citato : *teneanturque Prælati, eos, ſicut & alios religioſos quærere, ad gremium ordinis reducere, & Apoſtatarum ſupplicio punire* : ſunt ergo veri religioſi. Atque ita docent Lezan. *tom.1. cap.2. num.4. & cap.3. n.19.* & expreſſiùs *tom.1. cap.8 n.2.* Rodrig. *quæſt. regul. tom. 3. quæſt. 57. art.7. & q.69. art.8.* Ant. à Spiritu Sancto *tract.3. diſp.1. ſect.2. n.63.* Suar. *tom.3. lib.6. cap.6. n.3.* Pellizzar. *tom. 1. tract.1. cap.3. n.41.*

Solemnitas votorum eſt ab Eccleſia introducta.

36. Suppoſito ergò quod ſolemnitas votorum ad ſubſtantiam ſtatus religioſi non requiritur, videamus modo, in quo conſiſtat hæc ſolemnitas ? & quomodo vota ſolemnia à ſimplicibus differant ? Circa quod ſupponimus ut modò certum, talem ſolemnitatem votorum ex ſola Eccleſiæ conſtitutione ortum duxiſſe. Ita Bonifacius VIII. *in cap. unico de voto in ſexto*, ibi *ſolemnitatem votorum iure Eccleſiaſtico inventam*. & Greg. XIII. in extravag. *Aſcendente Domino* ibi : *non conſiderantes ſolemnitatem voti ſola Eccleſiæ inſtitutione inventam eſſe*. Atque ita probant Sanch. *de matr. diſp.25. num.2. & in decalog. lib.5. cap.1. num.6.* Palaus *tract. 16. diſp. 1. punct.1.* Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 1. ſect.2. num. 83.* Leſſius *lib. 2. cap.40. dub. 19. num.101.* Garcia *tom. 1. tract. 3. diſt. 2. dub. 3.* Pellizzar. *tom.1. tract.1. cap.1. num.7.* Baſilius *de mat. lib.7. cap.7. num.2.* ubi ait : *Quod adeò certum eſſe debet, ut quamvis prioribus ſæculis inter veteres DD. nonnulla circa hoc extiterit controverſia : attamen hac noſtra ætate ſine manifeſta Pontificiæ Sedis injuria oppoſitum affirmari non poſſit*. Dicitur autem hæc ſolemnitas eſſe ex conſtitutione Eccleſiæ ut bene inquit Leſſius, tum quia ſtatuit ut ratione conjunctionis votorum cum religione approbata certos habeant effectus vota, quos per ſe non haberent : nempè ut votum caſtitatis reddat inhabilem ad matrimonium : votum paupertatis privet omni dominio & reddat illius incapacem, ut ſingula ex tribus induant firmiorem, minuſque ſolubilem obligationem : quæ omnia ipſa vota per ſe non habebant. Deniquè : quia Eccleſia poteſt plura, vel pauciora ad voti ſolemnitatem requirere, plures, vel pauciores effectus ei tribuere, ſicut etiam ad ſolemnitatem matrimonij plura, vel pauciora poteſt exigere.

37. Igitur

In quo conſiſtat votorum ſolemnitas?

37. Igitur relictis aliorum opinionibus, dicimus votorum ſolemnitatem conſiſtere, ſivè in ordine ſacro, ſive in religione, in eo quod obligatio eorum ſit conjuncta ſtatui vel ordini irrevocabiliter, & quod per ea religioſus, vel Eccleſiæ, vel religioni irrevocabiliter tradatur: ita quod tam ex parte ſe tradentis, quam acceptantis talis obligatio relaxari, aut excuti libere non poſſit, ſeu propria authoritate Prælatorum religionis. Quod non tollit quod graviſſima cauſa urgente, poſſit authoritate Eccleſiæ relaxari: ſufficit enim ut irrevocabilis dicatur, quod obligatio votorum non poſſit à Pontifice abſque vrgentiſſima cauſa relaxari, & quod in religione authoritate Prælatorum nequeat abſolvi; & de iſta loquendo probatur: Quia cum ſolemnitas ſit vltimum voti complementum, & quaſi ipſius obligationem perficiens, & corroborans, ut in cæteris contractibus invenitur, in quibus major ſolemnitas facit eos magis irrevocabiles, & de voti natura ſit obligare; conſonum eſt rationi ut id votum tanquam ſolemne acceptetur ab Eccleſia taleque iudicetur, quod undequaque perpetuò & immobiliter via ordinaria obligat concurrentibus aliis requiſitis: ergo in eo conſiſtit, quod ex Eccleſiæ inſtitutione irrevocabile utrimque reddatur, id eſt, tam ex parte dantis, quam accipientis. Vnde dixit D. Thom. *in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 2. corpore, & quæſt. 3. corp.* in voto ſolemni eſſe completam vim obligandi, cujus obligatio in nullo caſu libere diſſolvi poteſt: & inde dici ſolemne, quod completam obligandi vim habeat. Sic Baſilius *lib. 7. c. 9. n.* 1. Leſſius *lib. 2. c. 40. dub.* 19. *n.* 140. Ant. à Spiritu Sancto *tr. 3. diſp. 1. ſect. 2. num.* 83. Palaus *tom. 3. tract. 16. diſp. 1. punct. 1. num. 6.* Sanch. *decal. lib. 5. cap. 1. n. 11. &* 13.

Non differt ſpecie votum ſimplex à ſolemni.

38. Ex quo infertur primo, Votum ſolemne à ſimplici ſpecie non differre ſed eſſe ejuſdem ſpeciei, & ſolum differre extrinſeca quadam, & accidentali differentia: quia nimirum ſolemne talem ſolemnitatem, ab Eccleſia inductam habeat, quæ non invenitur in ſimplici: ob idque ſimplex dicitur, quia nil aliud includit, quam id quod eſt de natura ipſius voti poſtulatum. Vnde utrumque æqualis vinculi eſt ex ejus natura, & tantum per accidens magis obligat ſolemne ex Eccleſiæ inſtitutione. *cap. rurſus qui clerici vel voventes.* Vbi Cœleſtinus Papa ait: Votum ſimplex non minus obligare quam ſolemne apud Deum. Quarè id quod dixit D. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 7. ad 1. Votum ſolemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quam votum ſimplex, & gravius peccat qui illud tranſgreditur*; intelligendum eſt, ſuppoſita Eccleſiæ inſtitutione, qua præſuppoſita magis obligat apud Deum ſolemne, non verò ea præciſa, & ſolo vinculo voti conſiderato, de quo loquitur citatus textus: & gravius peccat modo dicto, qui unum, quam qui alterum frangit, ſed non gravitate ſpecie diverſa, & ſic Cajet. *dicto art. 7. fine* ait: quod in genere malitiæ, eadem eſt, in utriuſque voti violatione, quia eſt ejuſdem ſpeciei utrumque votorum & ſolum accidentaliter diſcriminantur. Sanch. *lib. 5. decalogi cap. 1. n. 7. & lib. 7. de matrim. diſp. 29. n. 5. & 6.* Baſil. *de matrim. lib. 7. cap. 9. n. 4.* Petrus de Ledeſm. *tom. 2. ſum. cap. 6. dub. 23. diſp. 4.* Dian. *p. 2. tract. 7. reſp. 4. & part. 3. tract. 5. reſ. 67.* Leander à SS. Sacram. *in decal. 1. p. tract. 5. diſp. 8. §. 2. q. 8. & 2. p. tract. 2. diſp. 2. q. 4.* Vnde ſecundum opinionem aſſerentem, circunſtantias non mutantes ſpeciem, non eſſe neceſſarium eas in confeſſione aperire, non erit neceſſarium dicere, an contra votum ſimplex, an contra ſolemne peccaverit, ut infra dicemus.

Quod votum ſolemne dirimat matrimonium eſt de iure Eccleſiaſtico.

39. Sequitur ſecundò quod votum ſolemne in profeſſione emiſſum, non diſſolvit ex natura rei antecedens matrimonium ratum, nec dirimit ſubſequens ex natura ipſius, ſed ſolum iure Eccleſiaſticô: quia hoc non habet niſi ratione ſolemnitatis adjunctæ, quæ ſolum ex jure Eccleſiaſtico eſt aſſignata, ut jam dictum eſt, Sanchez duplici loco citato, *in priori n. 9. & in 2. n. 2.* Vaſq. 1. 2. *q. 96. diſp. 165. cap 6. & 7.*

Quid ſit circa hanc quæſtionem controverſum.

40. Sed reſtat graviſſima difficultas: an poſſit Summus Pontifex in votis ſolemnibus profeſſionis diſpenſare? ita ut liberum ſit Religioſo matrimonium contrahere, vel dominium habere? & loquemur de voto caſtitatis, circa quod eſt ſpecialis difficultas (& idem erit judicium de aliis) & non loquimur de voto ſolemni Ordinibus Sacris annexo: quia ut probavimus *tract. 8. de ordine cap. 6. n.* 10. & docet D. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 7. &* 11. cum ſit ſolum ex jure Eccleſiaſtico tale votum ordinibus annexum, poteſt in illo diſpenſare Eccleſia, etiam Ordine Sacro manente; at quia tale votum eſt eſſentialiter annexum ſtatui religioſo, ut diximus *puncto* 1. eſt difficultas: an poſſit Summus Pontifex illius obligationẽ relaxare? & non loquimur de diſpenſatione data Religioſo in ſtatu religioſi manenti: ſic enim certum eſt, non poſſe Pontificem diſpenſare ut Religioſus in ſenſu compoſito ſtatus Religioſi liber maneat ab obligatione voti caſtitatis! quia ex iure divino ſtatus religioſus eſſentialiter à tali obligatione dependet, eſtque illi talis obligatio eſſentialiter annexa, & ſic fieri non poteſt ut manens Religioſus ab ea liberetur. Quæſtio igitur eſt: an poſſit Pontifex Religioſum à ſtatu Religioſi extrahere, & facere quod non ſit Religioſus? & hoc modo in ejus ſolemnibus votis diſpenſare?

Sententia tenens non poſſe Pontificem in votis ſolemnibus diſpenſare.

41. Prima ſententia eſt negativa, quam tenet Althiſiodorenſis *lib. 3. Summæ cap.* 22. Turrianus *lib. 2. de votis monaſticis fol. 37. colum.* 2. Arag. 2. 2. *q. 88 art. 11. verſu: Propter hæc argumenta.* Sylveſter, *verbo: votum 4. q. 5.* Soto *lib. 7. de juſt. q. 4. art. 2. & q. 5. art. 3. & in 4. diſt. 38. q. 2. art. 2. verſ. Dubium ergo:* Albertus Magn. *in 4. diſt. 38. art. 16. &* 18. Almaynus *de poteſt. Papæ cap. 3.* Tabiena *verbo Diſpenſatio q. 7.* Armilla *verbo diſpenſarem* 12. & videtur eſſe D. Th. 2. 2. *q. 8. art.* 11. Vbi dicit poſſe Pontificem diſpenſare cum Sacerdotibus in voto ſolemni caſtitatis, non vero cum religioſis. Et probatur, Tum, quia res uni tradita nequit alteri concedi; ſed Religioſus per hæc vota Deo & Religioni obſequturus traditur: ergo non poteſt fieri quod conjugi per matrimonium tradatur. Secundò: quia res conſecrata, quouſque pereat, nequit amittere conſecrationem, nec ad uſus humanos converti, ut in calice conſecrato cernitur; ſed homo per profeſſionem ſolemnem, Deo & Religioni conſecratur in Dei & Religionis obſequia: ergo nequit, dum vivit, ab ea conſecratione recedere, vel uſibus profanis in matrimonio deſervire, ſecundum illud Levitici ultimi: *Quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios uſus commutari.*

Eſſe in Pontifice poteſtatem.

42. Secunda verò ſententia, quam his temporibus probabiliorem iudicamus, affirmat

ſtatem ad diſpenſandū in votis ſolemnibus, authoritatibus fulcitur.

poſſe Summum Pontificem, graviſſima cauſa urgente, & non aliter (nimirum boni communis, non alicujus particularis, ut ſi conducat ad alicujus Regni pacem & tranquillitatem communem, vel converſionem, & hujuſmodi) diſpenſare in voto caſtitatis cum aliquo Religioſo (& idem eſt de aliis votis) faciendo quod non ſit Religioſus, illique indulgendo, ut tuta conſcientia, poſſit matrimonium contrahere id quod feciſſe plurimos Pontifices diverſis temporibus docent Authores infra citandi. Et videtur à reverentia Sedi Apoſtolicæ debita alienum, aſſerere Pontificem in tali expedienda diſpenſatione toties repetita, erraſſe. Hujus ſententiæ eſt D. Th. *in 4. diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 1. *ad* 3. ubi ſic dicit: *Et ideò alij dicunt probabilius ſi communis utilitas totius Eccleſiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ expoſcerent, poſſet convenienter & in voto Religionis, & in voto continentiæ diſpenſare, quantumcumque eſſet ſolemnizatum.* Atque ita ſentiunt Caietan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *initio.* Lezan. *tom.* 1. *c.* 2. *n.* 6. D. Antonin. 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 9. Bartholom. à S. Fauſto *lib.* 3. *q.* 33. Pellizzar. *tr.* 3. *c.* 5. *n.* 8. & *tr.* 4 *c.* 3. *n.* 108. Palaus *tr.* 16. *diſp.* 5. *punct. ult.* *n.* 5. Baſil. Pontian. *de matrim. lib.* 7. *c.* 10. *n.* 2. Petrus de Ledeſma *de matrim. q.* 65. *art.* 2. *ad* 4. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib* 9. *c.* 26. Rodrig. *tom.* 3. *q. Reg. q.* 5. *art.* 5. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 19. *à n.* 142. Sanch. *de matr. lib.* 8. *diſp.* 8. *n.* 7. & *in ſum. lib.* 5. *c.* 2. *n.* 4. & alij.

Aſſenſio propoſita ratione probatur.

43. Ratio eſt: quia non eſt denegandum Summo Pont. cui traditum eſt à Deo regimen Eccleſiæ, quod ſi expediens fuerit, ad bonum commune Eccleſiæ, vel alicujus Regni poſſit eum aliquo diſpenſare, niſi ex aliquo capite conſtet eſſe repugnantiam, vel ex jure divino prohibitionem habere: atqui diſpenſare cum Religioſo in voto caſtitatis poteſt eſſe ad bonum commune multum expediens ut uxorem ducat, vel ad Regni gubernationem, vel ad propagandam fidem, pacemque ſervandam; aut ſedandas ſeditiones alicujus Provinciæ aut Regni: & aliàs nec in hoc datur aliqua repugnantia, aut aliqua ex jure divino prohibitio: ergo ex dictis graviſſimis cauſis poterit Summ. Pontifex talem diſpenſationem impertiri. Quod autem nil detur obſtans tali diſpenſationi, probatur. Quia ex ratione voti id non repugnat: aliàs nec in voto ſimplici poſſet Pontifex diſpenſare, cum utrumque conveniat in ratione voti, nec magis obliget unum, quam aliud, ſecluſa ſolemnitate: nec etiam ratione ſolemnitatis: quia, ut diximus *n.* 36. ſolemnitas eſt introducta ab Eccleſia, & ſic ab ea poteſt auferri, & ablata ea, in voto illo diſpenſare.

Amplius ratio declaratur & oppoſita fundamenta ſolvuntur.

44. Nec provenit talis repugnantia ex eo, quod votum caſtitatis eſt eſſentiale ſtatui Religioſo: ob quam rationem, *in cap. Cum ad monaſterium de ſtatu monachorum*, dicit Innocent. III. *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra ea, nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Quia hoc ſolum probat non poſſe Pontificē iſta duo componere, ſcilicet proprium retinere, Caſtitatē non ſervare, cum ſtatu religioſo: id eſt indulgere licentiam ut cum proprio & ſine caſtitate vivens, Monachus ſit, non tamen quod non poſſit facere quod non ſit Monachus, & ſic talem licentiam ei dare. ¶ Nec provenit talis repugnantia ex eo, quod dicitur in primo argumento contrariæ ſententiæ, quia res uni tradita nequit alteri concedi; quia ex remiſſione ejus cui tradita eſt, id poteſt fieri; & ſic poteſt Pontifex nomine Dei, & religionis indulgere Religioſo, quod alteri per matrimonium tradatur; tametſi traditus ſit Deo & Religioni per profeſſionem. ¶ Nec deniquè provenit talis repugnantia ex eo, quod tangitur in ſecundo argumento: nam; quidquid ſit an religioſus maneat per profeſſionem ſolemnem conſecratus, loquendo de conſecratione proprie dicta, quod plurimi negant, tamen res Deo conſecrata, ex urgentiſſima cauſa poteſt uſibus profanis deſervire: & ſic poſſet Laicus in calice conſecrato bibere, ſi alioqui ſiti eſſet moriturus. Sicut David panes propoſitionis Deo conſecratos comedit, ob urgentiſſimam neceſſitatem. Præterquam quòd, res ſemel conſecrata poteſt amittere conſecrationem (quando non imprimit characterem, ut ſacerdotium) ut calix conſecratus amittendo formam, amittit conſecrationem, & poteſt uſibus profanis deſervire. Sic monachus, ſi deſinat eſſe monachus, conſecrationem amittet, & ſic matrimonium celebrare poterit: quia cum non imprimat characterem conſecratio profeſſionis, non eſt cur non poſſit ab homine ſeparari ſemel facta, tollendo formam Religioſi, ſicut à calice ſeparatur conſecratio, non manendo calix.

Duplici via textus D. Thom. declaratur.

45. Reſtat explicare mentem D. Th. *in art.* 11. *q.* 88. adducto pro contraria ſententia: ad quod ſic reſpondet Caietanus initio illius articuli: *Opinio iſta de indiſpenſabilitate voti ſolemnis Religionis, non eſt authoris abſolutè; ſed cum duabus limitationibus, quæ habentur in littera. Prima limitatio eſt quia decretum Extravagantis de ſtatu monach. &c. cap. Cum ad Monaſterium, ſentit hoc: inchoat enim ſic author: Sed quia decretalis adducta expreſſè dicit, quod nec Summus Pontifex poteſt contra cuſtodiam Caſtitatis Monacho licentiā dare, ideò &c. Secunda limitatio eſt, quod opinativè author hoc ſentit: Unde ſtatim ſubdit: ideò aliter videtur dicendum: eſt igitur iſta, non ſententia, ſed opinio authoris, quatenus ex decretali dependet; & quoniam ejuſdem eſt interpretari Canonem, cujus eſt condere illum, ſi author vidiſſet Summum Pontificem declaraſſe, quod decretalis illa intelligitur ſtante Monachatu, proculdubio non ſuſcepiſſet onus hujus opinionis, ad defenſionem illius decretalis non interpretata. Videtur autem pluries à Romano Pontifice interpretata decretalis illa, ut diximus, cum diſpenſaverit cum multis Religioſis, ut contraherent matrimonium.* ¶ 2. Poſſumus dicere cum Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 7. *q.* 1. Baſilio *de matr. cap.* 10. *lib.* 7. *n.* 3. quod in eo articulo ſolum voluit D. Th. Summum Pontificem non poſſe diſpenſare cum Monacho in voto Caſtitatis, ut ſimul poſſit matrimonium contrahere & eſſe Monachus; nam in corpore ait: *Non poſſe Pontificem diſpenſare in hoc voto, ſicut poteſt diſpenſare in voto caſtitatis Clericorum. Clericus enim manet in ſtatu clerici, etiam ablato voto Caſtitatis, & tamen omninò ablato voto Caſtitatis non maneret Monachus in ſtatu Religioſi, cum ſtatus iſte tria vota eſſentialiter requirat.* Deinde, cum D. Thomas impugnat opinionem contrariam dicit *eſſe quorundam Iuriſperitorum, & ignoranter ſic ſentire.* Si tamen de abſoluta diſpenſatione votorum loqueretur, ſine cauſa hanc opiniunem tantum tribueret aliquibus Iuriſperitis, quam multi Theologi tempore D. Thom. defendebant, & ipſe D. Th. loco à nobis *n.* 42. adducto; nec diceret inſipienter ſentire, qui ſententiam à multis viris doctis, & ab ipſo D. Thom. alibi traditam, tenebant.

PVNCTVM IV.

An ſit de eſſentia ſtatus Religioſi quod Paupertas, Obedientia, Caſtitas, quæ in illo voventur ſint ſimpliciter, & abſolutè tales? Vbi de Religionibus militaribus agitur, propriis earum privilegiis & obligationibus.

Quid in hoc puncto ſit agendũ.

46. HÆc difficultas præcipuè ſolet excitari propter Religiones militares, in quarum aliquibus non vovetur ſaltem Caſtitas abſoluta & ſimpliciter talis, ſed tantum conjugalis, & etiam paupertas minùs perfecta. Quæritur ergo an ſint verè & propriè Religiones? Vnde hoc punctum tribus §§. dividemus. In primo aliqua certa apud Authores ſubjiciemus. In ſecundo duplicem ſententiam circa quæſitum proponemus, & an tales Milites habeant ſuorum bonorum dominium? declarabimus. In tertio explicabimus in quo conſiſtant vota horum ordinum? quibus privilegiis gaudeant, & quibus adſtringantur obligatiunibus?

---

§. I.

Aliqua certa apud Authores circa præſentem difficultatem referuntur.

Clerici Ordinum militarium veri ſunt Religioſi.

47. PRimò apud omnes certum ſupponimus Clericos Profeſſos harum Religionum militarium, qui ad divina miniſteria recepti ſunt, in eorum Ordinum domibus, & in Choro cantant divinas Laudes, Miſſas dicunt, Confeſſiones audiunt, & ſolent Eccleſiis, ipſis Ordinibus ſubjectis, præſui, eſſe verè, & ſimpliciter Religioſos, ac proinde omnibus Religioſorum indultis, & privilegiis gaudere, inhabileſque eſſe ad matrimonium, & eorum profeſſionem matrimonium ratum præcedens diſſolvere: quia omnia ad ſtatum religioſum requiſita habent. Nam caſtitatem ſimpliciter, vna cum paupertate & obedientia ſolemniter emittunt, ſub regula, vel forma ab Eccleſia approbata. Lezana *tom. 2. cap. 3. num. 2.* Rodrig. *qq. Regul. tom. 1. q. 1. art. 6.* Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib. 13. cap. 2. §. 1. tertium.* Garcia *in polit. Regul. tom. 1. tract. 1. diffin. 5. dub. 4. punct. 2. num. 6.* Idem de Monialibus Cruciatis horum ordinum propter eandem rationem ſentiendum eſſe, docent Rodrig. & Lezana.

Teneantur-ne reſtituere qui dona à dictis Religioſis recipiunt?

48. Ex quo deducitur, quod prædicti Religioſi extra clauſtra viventes, & alicui Præbendæ vel Prælato Eccleſiaſtico miniſtrantes, vel habitantes Parentum vel amicorum, ſi aliquid ludo exponant (niſi de licentia Superiorum, vel in re moderata, juxta harum religionum uſum) peccant mortaliter, & lucrantes ab ipſis tenentur reſtituere: quia ſunt veri Religioſi: & hoc pro omnibus Religioſis diximus *tom. 3. tract. 13. de reſtit. cap. 6. n. 93.* & idem eſt ſi in rebus illicitis aliquid expendant, juxta ibidem dicta *num. 84.* Sic, loquendo de iſtis, tenent Lezana *ſupra num. 3.* Garcia *num. 6.* ¶ Licet oppoſitum non improbabiliter ſentiant aliqui: quia diſponunt de bonis inſtar ſæcularium, ut inquit Alcozer *lib. de ludo cap. 39.* quem refert & ſequitur Sanch. *in decalog. lib. 7. c. 8. num. 38.* Et idem aſſerit dicendum eſſe de his, qui in communi vivunt, ſi ludo exponant ea, de quibus liberè diſponunt juxta ſuorum Ordinum ſtatuta, & conſuetudines ab illis legitimè receptas: quia horum paupertas non ita arcta eſt, ac aliorum Religioſorum, & ſic ſuis ſtatutis, & conſuetudine explicatur. Quamvis addat Sanchez: *Sed hoc intellige, quando eſt quid moderatum juxta illius Religionis uſum: quia nec Superior poteſt aliam licentiam præbere cum veri religioſi ſint.* ¶ An verò poſſint teſtari? videnda ſunt quæ diximus *tract. 11. c. 2. punct. 12. §. 3. fine.* & præcipue eſt attendendum ad privilegia, conſtitutiones, vel conſuetudines talium Ordinum, ut inquit Sanch. *num. 37.* Lezana *num. 34.*

Milites D. Ioan. veros religioſos eſſe eſt certum.

49. Secundo, ut certum apud omnes tenendum eſt, milites D. Ioannis veros eſſe Religioſos, habent enim verum, & totale votum caſtitatis; verum etiam paupertatis votum, cum ſint dominij incapaces, imò & vſus independenter à Superioribus, & verum obedientiæ votum verſantis circa rem adeo difficilem & arduam, qualis eſt, ſe exponere graviſſimis periculis belli, in fidei Religionis defenſionem. Rodrig. *ſup. art. 6. & tom. 2. q. 71. art. 2.* Suar. *de relig. tom. 4. tract. 9 lib. 1. c. 4. num. 5.* Lezana *tom. 2. cap. 5. num. 5.* Pellizar. *tract. 1. c. 3. num. 30.* Garcia *tract. 1. diffinit. 5. dub. 4. num. 7.* Vnde ipſos declaratum video (inquit Lezana) à Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium 10. Maii 1641. verè exemptos eſſe à iuriſdictione Ordinarii. Addant alii, eos omnibus Religioſorum, vtpotè veri Religioſi, privilegiis gaudere. ¶ Quare per eorum votum caſtitatis, diſſolvitur præcedens matrimonium non conſummatum: quia revera eſt ſolemne & ſimpliciter tale in religione approbata, & ſic privilegiis aliarum fungi debet, Azor. *ſupra cap. 6. §. 4. quæritur*, Garcia, *n. 15.* Pellizzar. *num. 30.* Lezana *num. 7.* Suar. *num. 28.* Diana *3. p. tract. 2. reſolut. 30.* Qui ob eandem rationem dicunt eſſe inhabiles ad matrimonium, ac proinde dirimi per eorum votum, ſubſequens ab eis contractum: quorum neutrum in aliis ordinibus militarium reperitur, etiamſi ſint veri Religioſi; non quidem ſubſequens matrimonium diſſolvitur, cum poſſint nubere, & ſic ab eorum voto ſuſtulit Pontifex hanc ſolemnitatem: nec antecedens ratum, cum impoſſibile ſit matrimonium diſſolvi per illud votum, quod ſimul ſtare poteſt cum illo: ſic præcitati Authores. ¶ Et illis (ſcilicet militibus D. Ioan.) teſtari prohibitum eſt ex ſuis conſtitutionibus abſque Superioris licentia, tanquam quid paupertatis voto contrarium, ut inquit, Sanchez *in decalog. lib 7. cap. 8. num. 36.* at ſtando in rigore voti teſtari poſſent: quia non eam Religioſorum clauſtralium rigidam paupertatem vovent, ſed bona ſua retinent & de illis diſponunt.

Qui votum habet religionis non ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi fiat militans.

50. Tertio ſupponendum eſt, quod quamvis alii Religioſi milites, qui nubere poſſunt, veri Religioſi eſſent, nihilominus ille qui votum haberet ingrediendi religionem, non ſatisfaceret, aſſumpto habitu militari: nam eorum religio in genere religionis adeò laxa eſt, ut potius modum vivendi ſecularem habeant: ille autem, qui promittit ingredi reli-

gionem, intendit ſtatum arctiorem vivendi, & Cœnobiticam vitam ducere intra clauſtra, & magis ſeparatam à faſtu, & curis ſæculi. Corduba *in Summ. quæſt.* 14. Sanch. *decalog. lib* 4. *cap.* 16. *num.* 11. & 12. Garcia *tom.* 1 *tract.* 1. *diffinit.* 5. *dub.* 4. *num* 16 Lezana *tom.* 2. *cap.* 5. *num.* 44. Sed improbabile non eſt, eum qui vovit in genere Religionem, nullam determinando, ſatisfacere ſuæ obligationi ſumendo habitum S. Joannis: quia hæc religio inter alias militares eſt ſtrictior, utpote votum ſimpliciter caſtitatis emittens, & non ſolum conjugalis. Garcia, Lezana, *locus citatus.* Aragon. 2. 2. *quæſt* 88. *art.* 11. Diana 2. *p. tract* 16. *miſcellan. reſo ut.* 38. ſufficienter autem ſatisfaceret ingrediendo religionem clericorum cujuſvis ordinis militaris: ſicut ingrediendo Ordinem Canonicorum Regularium, Cum illi vitam regularem in monaſteriis, ſicut alii religioſi, agant, Sanch. Corduba, Lezana, *locis citatis.*

Moniales ordinum militarium veræ religioſæ ſunt, & ad clauſuram tenentur.

51. Quartò ſupponendum eſt, quod de monialibus eorum ordinum, eodem modo philoſophandum eſt, ac de monialibus aliis, etiam quoad obligationem obſervandæ clauſuræ, quæ illas etiam ligat, quidquid aliqui circa hoc immeritò dubitaverint, ut docet Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 27. & *tom.* 2. *cap.* 5. *num.* 51. Navarr. *comment.* 4. *num.* 44. *verſu* 5. Rodrig. *tom.* 1. *qq. regul. quæſt.* 44. *art.* 2. & 3. Sanchez *lib.* 6. *decalogi cap.* 15. *num.* 10. Azor. *tom* 1. *lib.* 13. *c.* 8. *quæſt.* 1. Nam in decreto Concilii Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 22. ubi omnibus monialibus clauſuram mandat, *etiamſi illæ* (inquit) *ſub gubernio militarium, etiam Hieroſolymitanæ, vivant.* Et idem præcepit Pius V. *Conſtitutione edita* 1566. quæ incipit, *Circa Paſtoralis*, ubi omnibus monialibus clauſuram obſervandam jubet, *cujuſcumque ordinis, vel militarium etiamſi Hieroſolymitanæ ſint.* Atque idem docent citati Authores, etiamſi ante Concilium, vel Pium V. conſuetudo eſſet apud illas clauſuram non obſervandi: quia Concilium jubet ſervari omnia decreta illius ſeſſionis, inter quæ unum eſt de clauſura monialium, *non obſtantibus etiam conſuetudinibus immemorabilibus.* Et Pius V. eandem clauſuram mandat, *etiamſi ab immemorabili tempore ea ſervata non fuerit.*

Quid de monaſteriis in quibus conſuetudine eſt introductum ut clauſurā non ſervet?

52. Sed major difficultas eſt, an ſi poſt Concilium Trident. & conſtitutionem, Pii V. in aliquibus horum ordinum, (vel etiam aliorum) Cœnobiis conſuetudine introductum eſſet non obſervare clauſuram, & tempus ſufficiens ad præſcribendam conſuetudinem præterierit. (Sive hoc eſſet decennium, ut volunt aliqui, ſive triginta anni, quod eſt veriùs, requiri ad præſcribendam conſuetudinem contra legem Eccleſiarum illam abrogantem, de quo diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legibus, cap.* 6. *num.* 37.) Quomodo per conſuetudinem abrogata eſt illa lex Eccleſiaſtica clauſuræ, poſſent modo, vel à Summo Pontifice, vel à Superioribus illius Ordinis Moniales Cruciatæ obligari ad ſervandam clauſuram, ſi quando profeſſæ ſunt, jam erat talis conſuetudo legitimè introducta, & per eam talis lex relaxata? Hoc dubium movemus: quia in Hiſpania plura ex his ordinibus militaribus monaſteria, clauſuram non obſervare videmus. Et cum in graviſſimo, Atreall, Civitatis Salmantinæ Cœnobio, Sancti Spiritus, Ordinis D. Iacobi, vellent illius Superiores, moniales circa clauſuram reformare, illis reſtiterunt: & fortè ab aliquibus ſunt perſuaſæ, ſe non poſſe obligari ad obſervationem clauſuræ, quam non fuerant profeſſæ; & loquimur quando tempore profeſſionis jam talis conſuetudo invaluerat, & legem clauſuræ apud illas abrogaverat. Nam ſi talis lex eſſet in ſuo robore tempore profeſſionis, nullus dubitat poſſe obligari moniales ad obſervandam reformationem talis relaxationis. Quippe quæ in ſua profeſſione clauſuram amplexatæ ſunt, & ſic non obligantur ad aliquid quod non fuerunt profeſſæ.

Tenentur moniales ad clauſuram, ſi à Prælatis reformetur prava conſuetudo in contrarium.

53. Sed etiam ſi tempore profeſſionis talis obligatio eſſet relaxata per conſuetudinem, adhuc poſſe modo à Superioribus obligari illam obſervare omnes moniales illarum Ordinum (quod idem eſt de aliis) certiſſimum ducimus. Primò quia Bonifacius VIII. *cap. unico in principio, de ſtatu Regul.* indixit omnibus monialibus perpetuam & inviolabilem clauſuram, quamvis multæ eam profeſſæ non fuiſſent. Et Concilium Trid. & Pius V. *locis num. præced. citatis*, eam obſervari ab omnibus jubent, non obſtantibus quibuſcunque conſuetudinibus, etiam immemorabilibus: ergo etiam modo poterat talis clauſura præcipi a Pontifice, vel Superioribus illius Ordinis, & tale præceptum obligaret non obſtante quacumque conſuetudine contraria. Secundò, quia tale mandatum non induceret novam auſteritatem à priori regula, quam profeſſæ ſunt, prorſus alienam; ſed indirectè ad eam pertinentem: quia experientia compertum eſt non levi cum jactura caſtitatis, permitti vagari Moniales, vel intra monaſterium viros de facili admittere. Et quia talis clauſura ad votum iſtud obſervandum valde neceſſaria eſt, poſſe obligari ad illam, etiam illæ quæ profeſſæ ſunt in monaſterio, ubi tempore profeſſionis non obſervabatur, docent Vega *tom.* 2. *cap.* 86. *caſu* 22. Azor. *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 8. *quæſt.* 2. *fine*, & *cap.* 11. *q.* 19. Bañez 2. 2. *q.* 2. *art.* 10. *dub.* 6. *fine.* Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. quæſt.* 44. *art.* 1. Sanch. *in decalog. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 42. Angelus *verbo Religioſus n.* 29. Sylveſter *verbo Religio* 6. *q.* 6. Vazq. 1. 2. *q.* 95. *art.* 2 *diſp.* 154. *c.* 4. *n.* 29.

Religioſi quomodo teneantur amplecti reformationē à Prælatis injunctam.

54. Tertiò idipſum probatur: quia talis obſervantia regulæ erat ab ipſis monialibus obſervanda omninò poſt decretum Concilii Pii V. & Bonif. VIII. nec aliquam diſpenſationem Pontificis obtinuerunt, qua mitigata eſſet pro illis talis regula, ſed ſolum per conſuetudinem contrariam fuit relaxata: ergo ſi Prælati modo vellent hujuſmodi obſervantiam reformare, & illam regulam, vel legem ad priſtinum rigorem reſtituere, tenerentur moniales ad talem reformationem, & ſecundum illam vitam inſtituere, etiamſi tempore profeſſionis hujuſmodi obſervantia non vigeret. Conſtat conſequentia: quia licet aliquis non teneatur obſervare reformationem regulæ, cujus reformationem non eſt profeſſus, ſi regula mitigata fuit authoritate Pontificis, nec ad talem reformationem poſſent Prælati obligare: quia jam eſſet abſolutè ſupra regulam præcipere, quam profeſſi ſunt: cum talis regula ſit à legitima poteſtate mitigata, & ſic pro illis religioſis ſit illa ſola, quæ eos obligat ut eſt in illo ſtatu, in quo fuit à Pontifice poſita; at quando relaxatæ ſunt regulæ, aut aliæ obſervantiæ per oppoſitam conſuetudinem, quæ in introductione illius non excuſabat à peccato

illam

illam introducentes, tametſi modo poſtquam introducta eſt, deobliget à legis obſervantia; tamen, ſi Prælati eam reformare vellent, & introductam conſuetudinem abigere, regulamque & obſervantias ad priſtinum vigorem revocare, tenentur ſubditi ad talem reformationem, etiamſi tempore, quo profeſſi ſunt, regula illa in ſtatu relaxationis exiſteret: cum talis reformatio verè non ſit additio ſupra regulam, ſed reſtitutio moraliter neceſſaria ad perfectam obſervantiam regulæ, & alioqui prava conſuetudo, eſto habeat vim relaxandi obligationem regulæ quamdiu illa durat; non tamen auferre poteſt religionis aut Papæ poteſtatem reformandi dictam regulam, & tollendi ipſam conſuetudinem. Vnde qui profeſſus eſt talem regulam, etiam tempore relaxationis, virtualiter ſe ſubjecit iis, qui poſſunt illam reformare, & per conſequens ad amplectendam reformationem ſi fiat. Et ita docet Suar. *tom. 3. de relig. cap. 8 lib. 10. à num. 16.* Pellizar. *tom. 1. tract. 1. cap. 5. num. 15.* Sanch. *lib. 6. decal. cap 2. num. 35.* plurimos pro hac parte referens. Sylveſter *verbo Religio 676.* Tabiena *eod. verbo q. 21. num. 2. fine.* Corduba *in expoſitione Regulæ D. Franciſci cap. 10. q. 2 punct. 6.* Vazq. *12. q 95. art. 2. diſp. 154 c. 4. à n. 25.* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 12. q. 17.* Lezan. *tom. 3. verbo reformatio Regulares à num. 4.*

Tenentur moraliter ad clauſuram, ſi à Prælatis reformentur prava conſuetudo in contrarium.

---

§. II.

Sintne militares Ordines veræ Religiones diſputatur? Duplex ſententia proponitur, & pars negativa præfertur.

Milites qui tria vota nō emittunt, certum eſt non eſſe veros religioſos.

55. QVibus ſuppoſitis, eſt gravis difficultas: an Ordines illi militares qui ſolum caſtitatem conjugalem promittunt, & minus ſtrictam paupertatem, ſeu ferè nullam, ſint veræ religiones? quod eſt requirere: an de ſubſtantia ſtatus Religioſi ſit obſervantia, Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, quæ ſunt perfectæ, & ſimpliciter tales? Et loquimur de ordinibus militaribus, in quibus triplex votum dictum promittitur, ut D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatravæ, &c. Nam reliqui ordines militares, in quibus duo tantum vota emittuntur, videlicet obedientiæ & caſtitatis conjugalis, ut ſunt S. Mauritii, & S. Stephani, & ſi qui ſunt alii, indubitatum eſt non eſſe verè Religiones, cum deficiat eis aliquid pro tali ſtatu eſſentiale, ut diximus *num. 33.* de Converſis, Oblatis, vel Donatis, qui unum vel duo vota tantum faciunt, & tenet Lezana *tom. 2. cap. 5. num. 58.* loquendo de his militibus, quamvis *num. 59.* dicat ex privilegio Pii IV. eſſe ab ordinario exemptos.

Sententia aſſerens veros eſſe religioſos milites qui nubere poſſūt.

56. Prima ſententia aſſerit non eſſe de eſſentia ſtatus Religioſi Caſtitas, Paupertas, &c. abſolutè & ſimpliciter tales, ac proinde dictos milites, qui ſolum vovent caſtitatem conjugalem, & ſimul obedientiam & paupertatem eſſe veros Religioſos: quia horum militum ſtatus, in quo profitentur obedientiam, Caſtitatem & paupertatem, quamvis conjugalem, ſub religione approbata eſt ſtatus perfectionis, cum non ſit ſtatus viæ ordinariæ, ſed obſervantiæ Conſiliorum Evangelii, per tria vota dicta: quatenus conducunt ad finem, qui eſt vitam exponere pro fidei & Eccleſiæ defenſione, cum traditione perpetua in obſequium Dei, & ad perfectiſſimum finem, ut quidam Sacri milites, inſtar Machabæorum, pro fide & lege Chriſti, cum Turcis, Sarracenis, aliiſque Infidelibus, fortiter dimicent. Sic Lezana *tom. 1. cap. 2. num. 2. & tom. 2. cap. 5. num. 6.* Fr. Ant. à Spiritu Sancto *in director. Regul. tract. 3. diſp. 1. ſect. 2. num. 16.* Suar. *de relig. tom. 4. tract. 9. lib. 1. cap. 4. num. 9.* Palaus *tom. 3. tract. 16. diſp. 1. punct. 1. num. 3.* Vterque Sanch. Ioan. *in ſelect. diſp 4. num. 11.* & Thomas *lib. 4. decalogi cap. 16. num. 11.* Dian. *1. p. tract. 2. reſolut. 49.* Pellizzar. *tract. 1. n. 1. n. 27.* Hieron Garcia *in polit. regul. tom. 1. tract. 2. diff. 5. dub. 4. num. 13.* Baſilius *de matr. lib. 9. cap. 7. num. 6.* Vbi ait: [dictos Equites eſſe verè & ſubſtantialiter Religioſos adeò certum exiſtimo, ut oppoſitum judicem minus licentioſè dictum, ne dicam gravius, cum eos litteræ Pontificiæ pleno ore appellent Religioſos.] Sed planè exceſſit tantus vir, & immeritò licentioſè dictum aſſerit, quod D. Thomas & plures graviſſimi DD. docent. Nam quamvis Religioſi in litteris Pontificiis appellentur dicti milites, hoc de Religioſis lato nomine ſumpto intelligitur: ſicut de Converſis & Oblatis, qui vnum vel duo tantum vota emittunt, dicitur in litteris Pontificiis multoties, eſſe Religioſos, & inter Religioſos computantur; quod modo dicto *n. 33.* intelligitur: cum nec ipſe Baſilius, nec alius dicat; eos verè & ſubſtantialiter eſſe Religioſos.

57. Ex dicta ſententia ſequitur tales milites Apoſtatas eſſe, ſi Religionem quam ſemel tenuerunt derelinquant. Dian. *3. p. tract. 2. de dub. Regul. reſol. 30.* Lezana *tom. 2. cap. 5. n. 46.* Mota *lib. de ordine D. Iacobi lib. 2. cap. 2. §. 8.* & peccare mortaliter habitum non ferendo, an verò comprehendantur *in cap. Ne clerici vel monachi in ſexto.* Vbi Religioſi habitum ſuæ religionis temerè dimittentes majori excommunicatione puniuntur, dicemus *§. ſequenti.* Sequitur etiam ſecundum prædictos DD. dictos milites tranſire non poſſe de religione in qua ſunt ad aliam, niſi petant licentiam, & aliis ſervatis, de quibus infra *cap. 4.* dicemus. Sequitur denique gaudere privilegiis omnium Religioſorum, quamvis quoad onera nomine Religioſorum non veniant, ut dicemus §. 3.

Quid ſequatur ex prædicta ſententia.

58. Secunda ſententia (cui ſubſcribimus) aſſerit eſſe de eſſentia ſtatus Religioſi obſervantiam Obedientiæ, Paupertatis & Caſtitatis ſimpliciter & abſolutè talium: ac proinde prædictos milites, qui illas non vovent, niſi limitatè, aut conditionatè, non eſſe veros & ſubſtantialiter Religioſos. Ita D. Thom. *2. 2. quæſt. 186. art. 4. ad 3.* ubi ait: *Quod illi modi vivendi, ſecundum quos homines matrimonio utuntur, non ſunt ſimpliciter & abſolutè loquendo Religiones, ſed ſecundum quid: inquantum ſcilicet in aliquo participant quædam, quæ ad ſtatum Religionis pertinent*, & habetur *cap. Cum ad monaſterium de ſtatu monach.* Vbi dicitur: *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*, nimirum in ſenſu compoſito illius ſtatus, ut diximus *num. 44.* Sed iſti milites nec abdicant à ſe proprietatem, cum dominium ſuorum bonorum poſſideant, ut etiam plures ex adverſariis confitentur, ſicut & alii ſæculares, nec caſtitatem obſervate

Milites qui ſolum vovent caſtitatem conjugalem, nō ſunt veri religioſi.

obſervare tenentur, cum poſſint nubere, non ergo ſunt veri Religioſi. Et ratio eſt: quia de ratione ſtatus Religioſi eſt perfecta ſui abnegatione, Deo per charitatem intimè inhærere, ut omnes aſſerunt; ſed ad hunc effectum obtinendum neceſſaria eſt rerum terrenarum, voluptatum carnis, propriæque voluntatis perfectiſſima renunciatio; eo quod iſta, ut diximus *num.* 3. maxima ſunt impedimenta ad tendendum ad perfectionem, & charitatem perfectam conſequendam. Et hoc ſpecialiter in voto caſtitatis reperitur. Nam obligatio omnimodæ abſtinentiæ à copula, eſt de eſſentia hujus ſtatus, aliàs non conſecraretur homo perfectè Deo: Siquidem qui carnis voluptatibus inſervit; in conjugem dividitur per ſtudium illi placendi. 1. *Corinth.* 7. & ſic Deo perfectè uniri non poteſt, nec à pluribus curis & ſolicitudinibus liberari. ¶ Et confirmatur hoc: quia per hoc quod obligetur obſervare Caſtitatem conjugalem, non ſequitur conſilia, ſed præcepta communia omnibus Chriſtianis, nec ad alium altiorem ſtatum evehitur, ſed communem tantum amplectitur, quem omnes Chriſtiani tenentur obſervare. Atque ita tenent præter D. Thom. Leſſ. *lib.* *cap.* 41 *num.* 7. Trull. *decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 1. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1 *n.* 6. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 10. *q* 4. *punct.* 2. Ioannes à Cruce *de ſtatu relig. lib.* 1 *cap.* 2. *dub.* 3. *concl.* 2. Petr. de Ledeſm. *in ſum. tom.* 2. *tract.* 10. *c.* 8. *dub* 2. *concl.* 2. Dominicus Soto *de iuſt. lib.* 8. *q.* 5. *art.* 3. Garcia *de beneficiis tom.* 1. *part.* 1. *c.* 4. *n.* 16. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi parte* 2. *alleg.* 12. *num.* 46. Bonacin. *in Bulla Cœnæ diſp.* 1. *ſect.* 1. *punct.* 3. *n.* 16. & alii.

Secundum aliquos dicitur Milites non habere rerum ſuarū dominium.

59. An vero prædicti Milites ex vi voti paupertatis priventur omni dominio ſuorum bonorum, ſive quæ ex redditibus Commendatarum, ſive ex patrimonio, vel alia via, obtinent? Affirmat prima ſententia aſſerens eos non eſſe dominos prædictorum bonorum, ſed ea illi tantummodo dari in adminiſtrationem & Commendam; proptereaque Commendatarii dicuntur, ut illis fruantur Superiorum permiſſu, aliquam penſionem ſolvendo, vel aliquid efficiendo, quo denotetur uſum illorum bonorum à Superioris voluntate pendere. Ita Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 4. *queſt.* 8. & *cap.* 5. *queſt.* 2. Pellizzar. *tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 31. Navarr. Mota quos refert & ſequitur Lezana *tom.* 2. *cap.* 5. *num.* 21. & 28. Et ratio illorum eſt: quia ſunt veri Religioſi: ergo incapaces dominii. ¶ Ex quo inferunt, nec ex illis donare poſſe concubinis: ita ut illorum donatio, etiam iuramento firmata non ſit irrita; nec poſſe, ſed peccare mortaliter, ſi bona, ſive per Commendam, vel alio modo ad uſum conceſſa, ludendo, aliove modo inutili perdant; & teneri ad reſtitutionem, tam ipſi, quam illi in quos ea tranſtulerunt. Verum eſt, inquit Lezana, *n.* 28. hujuſmodi Equitibus militaribus, tum ratione nobilitatis, tum ratione finis militaris, cujus non eſt ſtrictam obſervantiam ſervare, ſed militiam pro Chriſto, quando opus fuerit, ſectari: licere ſæpius ludere ludis honeſtis aliquam pecuniæ quantitatem, & facere aliquas & plures expenſas, quæ aliis religioſis non licent. Et etiam dicit excuſari à reſtitutione, tam concubinæ, quam alii ab eis bona recipientes; eo quod religiones iſtæ uſu, & praxi nihil de iſtis rebus malè donatis curare videantur, ita ut eas quaſi remittere cenſendæ ſint.

Dominium ſuorum bonorum milites regulares ſi habent.

60. Sed licet eſſet verùm eos eſſe veros Religioſos non ſequitur non poſſe habere ſuarum rerum dominium. Tum, quia poſſunt eſſe veri Religioſi cum ſolis votis ſimplicibus, ut diximus *n.* 31. Sed ſtatus Religioſus cum ſolis votis ſimplicibus non facit incapaces dominii; nam ſicut incapacitas ad matrimonium eſt voto caſtitatis ſolemni tantum annexa, ſic incapacitas dominii voto paupertatis. Vnde Gregor. XIII. *in Bulla: Aſcendente Domino*, declaravit eos qui poſt biennium probationis, vota Scholaſticorum in Societate emittunt veros eſſe Religioſos, & nihilominus dominium ſuarum rerum obtinere quouſque renuntiare jubeantur, dummodo uſum & adminiſtrationem à Superioribus habeant dependentem, ut docent Baſilius, Sanch. Palaus, Suar. *infra* referendi & Pellizz. *tract.* 1. *c.* 1. *n.* 13. in quo videtur ſibi contrarius. ¶ Eſto tamen ſolemnia eſſent vota, cum ſolemnitas ſit jure Eccleſiaſtico introducta, poteſt ab Eccleſia quoad aliquos effectus limitari: Vnde ſicut cum ſolemnitate voti caſtitatis, eos fecit capaces matrimonii, ita etiam non obſtante voto paupertatis, capaces dominii facere potuit, & de facto ita fecit. Nec enim paupertas horum militum adeò ſtricta eſt, ſicut regularium, cum vivant in ſæculo; familiam, uxores & liberos cum oſtentatione debita ſuo ſtatui alant. Quare dominium ſuorum bonorum quorumcunque, habere (quamvis cum dependentia à Superioribus §. *ſequenti* explicanda) etiamſi ſint veri Religioſi, tenent Sanch. *lib.* 7. *c.* 8. *n.* 28. Molina *de iuſt. tom.* 1. *diſp.* 141. Rodrig. *tom.* 3. *q.* 29. *art.* 7. Pal. *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 1. *n.* 5. Suar. *tom.* 3. *lib.* 8. *c.* 7. *n.* 10. Hier. Garcia *tom.* 1. *tract.* 1. *diffin.* 5. *dub.* 4. *n.* 17.

Aliqua quæ inferuntur ex dictis.

61. Ex quo deducendum eſt oppoſitum corollarium ei, quod *n.* 59. deduximus: & ſic poſſe eos omnium bonorum, ſive ex Commenda, ſive aliorum patrimonialium, ita liberè diſponere ac cæteri ſæculares; nec concubinas ab eis accipientes; nec cum eis ludentes, teneri reſtituere ludo parta, vel accepta quocumque alio modo: quia cum ſint veri domini omnium illorum bonorum, poſſunt de illis diſponere inſtar cujuſcumque ſæcularis, & verè transferre illorum dominium, vel donando, vel in ludo perdendo. Sic Alcozer *de ludo c.* 39. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 29. Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 141. *col.* 3. *verſ. eſt vero rigida*. Rodrig. *qq Regul. tom.* 3. *q.* 29. *art.* 7. & *q.* 69. *art.* 9. ¶ Sequitur etiam ex dictis eos poſſe verè teſtari non minus quam alii ſæculares tam de bonis ex redditibus Commendæ acceptis, quam de aliis. Sic enim receptiſſima conſuetudo apud eos obtinuit: & ad majorem ſecuritatem Gregorius XIII. revocavit motum Pii V. tollentis facultatem teſtandi ab eis; concedens illis facultatem prædictam teſtandi, ſecundum priſtinam eorum conſuetudinem. Sanch. *n.* 30. Rodrig. & Molina *locis citatis*. Hier. Garcia *n.* 17. Lezan. *n.* 33.

Alia deducuntur corollaria.

62. Sequitur denique, eos, de quibuſcumque bonis, etiam Commendarum, poſſe majoratus inſtituere, ſicuti alii ſæculares, ſive quia ſunt domini ſuorum bonorum, ſive quia Religiones iſtæ, & eorum Supremi Prælati id videntur permittere Sanc. *n.* 31. Molina *diſp.* 604. *fine*. Lezan. *n.* 29. Peccabunt tamen mortaliter contra votum paupertatis, ſi in his, aut aliis uſibus contra ſuorum Superiorum voluntatem expendant prædicta bona, quia ſaltem ad hoc eorum votum obligat ipſos. Sanc. *n.* 34. Lezan. *n.* 31. Etiam

peccabunt

peccabunt mortaliter contra votum paupertatis, ſi tempore, vel occaſione, quibus Religiones ipſæ, vel eorum Prælati, aut Viſitatores juſſerint, non præſentaverint inventaria rerum, quas poſſident, aut in eis conficiendis non ſervaverint fidelitatem, occultando aliqua (ſi eſſet res notabilis & mora in conficiendo inventario notabilis eſſet) quia votum illorum, ſi non eſt de ſolo nomine, ad minus ad hoc obligat eos. Sanch. & Lezana *loc. cit.*

---

§. III.

De votis quæ Militares Ordines emittunt, de privilegiis eorum & obligationibus.

Ad quid teneantur Milites Religioſi ratione voti Obedientiæ.

63. SVppoſitò quod vota iſtorum Militum, de quibus loquimur, non ſunt de Paupertate, Caſtitate, &c. ſimpliciter & abſolutè talibus, videamus modò in quo conſiſtant? Et dato eos non eſſe Religioſos, vel etiam ſi ſint, quibus privilegiis gaudeant? Quibus teneantur obligationibus? Inquires ergo primò: in quo ſubſiſtant vota ſubſtantialia horum Ordinum? Reſpondetur quod generaliter loquendo, præſcindendo à particularibus obligationibus, votum obedientiæ conſiſtit in eo quod debeant obedire Magiſtris, & Superioribus, in his quæ ad externa opera vitæ activæ ſpectant, & ordinantur ad militiam: & ideò non poſſunt diſponere de ſuis perſonis, niſi de licentia expreſſa, vel implicita Superiorum: quippe ratione voti non ſunt ſui, ſed Religionis. Vnde non licet eis ſe alicui perſonæ juramento adſtringere, confederatione, aut homagio, vel obligare ſe ſub juramento alicui feudo, per quod ad aliquod ſervitium reale, ſeu perſonale, quod dedecet ipſorum perſonas, teneantur, vel implicare ſe bellis Chriſtianorum, ſine Superiorum licentia, Rodrig. *qq. Reg. tom.* 2. *q.* 71. *art.* 2. Lezana *tom.* 2. *cap.* 5. *n.* 12. Pelliz. *tom.* 1. *cap.* 3. *num* 31.

Ad quid teneantur Milites ratione voti Caſtitatis.

64. Ratione voti Caſtitatis tenentur abſtinere ab omnibus venereis extra matrimonium, & etiam in illo, quando & eo modo, quo fuerit neceſſarium ad finem illorum, qui eſt defenſio Dei & Eccleſiæ in bello, & ipſis à Superioribus fuerit præceptum. Pellizzar. *num.* 31. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 9. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 16. Lezana *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. Et ex vi Regulæ & conſtitutionum tenentur aliquibus diebus ab uxoribus abſtinere, ut inquit Palaus *tract.* 16. *diſput.* 1. *punct.* 1. *num.* 3. *fine.* Vnde ſi extra matrimonium peccato carnis delinquerint, & ipſi & fœminæ rem cum illis habentes, tenentur in Confeſſione detegere circumſtantiam voti, cum ratione illius ſit, præter peccatum luxuriæ, peccatum ſacrilegij ex parte utriuſque, Lezana *num.* 11. Rodr. *tom.* 1 *quæſt.* 13. *art.* 2. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 30. Et filij habiti ab ipſis extra matrimonium, etiam cum ſoluta, ſunt illegitimi (ſive ipſi verè ſint religioſi ſive non) & minimè naturales, ſed ſpurij: quia ſunt ſacrilegi, contra votum Caſtitatis, ab Eccleſiaſtica perſona, & in Religione factum, ut habetur *Lege* 11. *Tauri.* Et docent Diana *loco citato* Lezana *n.* 41. Mota *lib.* 2. *c.* 2. §. 13. *n.* 7. Rodr. *loco proxime citato.* Qui etiam dicunt non legitimari tales filios, per ſubſequens matrimonium.

Ad quid teneantur ratione voti Paupertatis.

65. Ratione voti paupertatis liberum non habent & expeditum uſum bonorum quæ poſſident, ſed dependenter à voluntate ſuorum Superiorum. Vnde contra eorum voluntatem de ſuis bonis diſponere erit peccatum contra hoc votum, ut dicebamus *num.* 61. & tenentur inventarium de ſuis bonis Superioribus remittere, ipſis petentibus, vel quando in conſtitutionibus illorum particularibus, jubetur, ut ibidem diximus. § Tenentur etiam de redditibus Commendarum eleemoſynas facere: & ſuarum Eccleſiarum neceſſitatibus ſuccurrere, non ratione voti; ſed quia tales redditus bona ſunt Eccleſiaſtica, ex decimis, vel primitiis Eccleſiaſticis deducta, quamvis illis pro bello gerendo contra Infideles applicata. Quare, cùm tale bellum non inſtat, tenentur pauperibus & Eccleſiarum indigentiis ſubvenire; aliàs bonorum Eccleſiaſticorum uſurpatores erunt. Lezan. *tom.* 2. *cap.* 5. *num.* 16. Rodr. *qq. Regul. tom.* 2. *quæſt.* 75. *art.* 5. & 84. *art.* 2.

Quid ſtatuendum de Commendis horum Militum.

66. Sed licet tales Commendæ ex bonis Eccleſiaſticis deducantur, & perſonis Eccleſiaſticis applicentur (ſunt enim, licet non Religioſi veri, perſonæ Eccleſiaſticæ, tales Milites, ut dicemus) non ſunt beneficia Eccleſiaſtica, & ſic non habent annexam obligationem Officij divini perſolvendi, aut clericalem veſtem, & tonſuram portandi, quia non dantur ob munus aliquod Eccleſiaſticum, ſeu adminiſtrationem ſactam: ſed ob militiam, in qua ſe debent exercere. Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 3. Lezan. *num.* 25. Illa verò, quæ clericis militaribus ob miniſterium Eccleſiaſticum conferuntur, licet in rigore non ſint beneficia Eccleſiaſtica, quia non ſunt perpetua, ſed dependentia à voluntate Superiorum, ut tradit Sanch. *decalog. lib.* 7. *cap.* 29. *à num.* 14. ſunt tamen beneficia regularia, cum nil eis ad rationem beneficij deficiat, & ſic onus recitandi divinum Officium important. Azor & Lezana *locis citat.* Vndè hæc ſunt materia ſimoniæ ſi vendantur: Commendæ verò Equitum non ſunt materia ſimoniæ, cum ſint res merè temporales, Diana 3. *p. tom.* 2. *reſol.* 44. Suar. *tom.* 1. *de relig. tract. de Simonia cap.* 27. Bonac. *de Simonia quæſt.* 4. Graviter tamen peccabit Rex vel Magiſter, tales Commendas vendentes, cum non ſint Domini, ſed diſpenſatores eorum, ſic Authores citati. Et licet beneficia non ſint, quia tamen ſunt bona Eccleſiaſtica, ſi vendantur, vel alienentur, debet fieri cum conditionibus requiſitis ad alienationem bonorum Eccleſiaſticorum. Ritius & Covarr. quos refert & ſequitur Lezana *n.* 26. Bonac. *de alien. bonorum. Eccleſ. diſp.* 2. *q. unica, punct.* 2. *num.* 13.

Sub litibus onerosis contra Religioſos latis non comprehenduntur.

67. Inquires ſecundò: an prædicti Milites, ſive ſint veri Religioſi, ſive non (quia idem eſt quoad hoc de Militibus D. Ioan.) comprehendantur ſub jure Pontificio, vel mandato aut ordinatione aliqua pro Religioſis, quoad onera & rigores? Reſpondetur negativè ex privilegio Pontificum, qui ſæpe ſæpius declararunt, eos excluſos eſſe à communibus præceptis, ſtatutis, aut oneribus, pœnis, vel prohibitionibus, pro Religioſis impoſitis. Hieronymus Garcia *tom.* 1. *tract.* 2. *diffinit.* 5. *dub.* 4. *num.* 17. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 12. §. 1. *num.* 6. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 4

& tom.1. cap.5. num 18. Rodrig. *tom.3. q* 68. *art.*2. Vnde non comprehenduntur ſub conſtitutione Pij V. & pœnis in ea conſtitutis, contra Religioſos, qui agitationibus taurorum aſſiſtunt: nec comprehenduntur in conſtitutione Clementis VIII. de largitione munerum, quia eos expreſsè excludit. Sed dicti Authores advertunt in utraque conſtitutione includi Clericos horum Ordinum, ſicut alij Regulares, cum communibus aliorum regularium legibus, comprehendantur.

Alia onera Religioſorū a quibus liberi manēt.

68. Nec alij Milites (præter D. Ioan. qui ex peculiari ſuarum conſtitutionum decreto, & declaratione Cardinalium ſunt comprehenſi) comprehenduntur in decreto Concil. Tridentini *ſeſſ.*25. *de regular. cap.* 15. Vbi ſtatuitur ut in quacumque religione profeſſio non fiat ante 16. annum & poſt annum probationis: & ita declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur Lezana *tom.*2. *cap.*5. *num.*17. Vnde ante 16. annum, & abſque anno probationis poſſe profiteri aſſerunt Palaus *n.* 6. Garcia *ſupra num.* 15. Sanch. *lib.7. de matrimon. diſput.*44. *num.*8. Pellizzat. *tract.* 2. *cap.*1. *n.*31. Barboſa *in collect. Bullar. verbo Milites regulares num.*2. Azor *tom* 1. *lib.*13. *cap.*4. §. *Secundo quæritur.* Suar. *tom.*4. *de relig. tract.*9. *lib.*1. *cap.*4. ¶ Nec comprehenduntur in decreto ejuſdem Concilij *ſeſſ.*6. *cap.*3. quod nemo regularis, cujuſvis privilegij prætextu, tutus cenſeatur, quominus, ſi delinquat extra monaſterium degens, ab Ordinario loci viſitari, puniri & corrigi valeat. ¶ Nec comprehenduntur *in cap. Beneficium, de Regularibus in ſexto*, decernenti, beneficia, & idem eſt de penſionibus, vacare per profeſſionem, & ideò in illis non vacant, ut conſtat ipſa experientia. Nec comprehenduntur religioſorum nomine, quoties in inſtitutione majoratuum apponitur clauſula excluſiva Religioſorum; ſed ſi ponatur clauſula petens, ut poſſeſſores debeant, vel poſſint ducere uxores, excluſi manent Milites D. Ioan. qui non poſſunt nubere Lezan. *num.*21. Sanch. *lib.*7. *decalog. c.*5. *à num.*5. Molina *Iuriſta de Hiſpaniar. primogen. lib.* 1. *cap.*13. *num.*98. & 99. ¶ Nec comprehenduntur ſub prohibitione non edendi lacticinia in Quadrageſima aſſumpta Bulla Cruciata, ut in bulla habetur.

Cætera onera recenſentur ſub quibus dicti milites non comprehenduntur.

69. Nec denique comprehenduntur *in cap. Ne clerici vel Monachi in ſexto*, ubi excommunicatione majori nodantur Religioſi habitum ſuæ Religionis temerè dimittentes, quamvis ſuum habitum portare ſemper debeant ob particulares conſtitutiones, Garcia *num.* 15. Lezan. *num.*37. Machad. *lib.*5. *partis*.4. *tract.*2. *documento* 6. *fine.* Quidquid in oppoſitum dicat Diana 3. *part. tract.*2. *reſolut.*30. imò addit Lezana, adeſſe declarationem Sacræ Congregationis, quod miles Regularis, ſi fuerit Canonicus, non poteſt ſupra habitum canonicalem deferre crucem Ordinis Militaris: & idem tenet Barboſa *verbo Miles regularis n.*2. ¶ Eſt etiam probabile capaces eſſe beneficiorum & penſionum, quibus alij Religioſi non ſunt capaces. Tum quia non comprehenduntur in odioſis ſpectantibus ad regulares. Tum etiam: quia eſto religioſi eſſent, modum tamen Religioſorum non tenent: quia non omninò mutant ſtatum, & redditus quaſi proprios obtinent. Sanch. *decalog. lib.*7. *cap.*29. *num.*103. Lezana *tom.*8. *cap.*5. *num.* 41. Azor *tom.*1. *lib.*13. *cap.*3. *q.*5.

70. Inquires tertiò: quibus privilegiis gaudeant dicti Milites, ſive ſint Religioſi veri, & ſubſtantialiter, ſive non? Reſpondetur, dictos milites regulares eſſe Eccleſiaſticas perſonas, cum ſpeciali modo Deo dicatæ, & ſub regula Religioſa viventes. Leſſ. *lib.*2. *cap.* 41. *num.*7. Pellizzar. *tractat.* 1. *cap.*3. *num.*29. Lezana *tom.* 2. *cap.* 5. *num.* 14. Eorum ſtatus in jure ſub nomine regulæ, & religionis approbatæ venit: quia profeſſio in his ordinibus valida eſt: Ergo eorum religio eſt approbata in jure; cum omnis profeſſio in religione non approbata nulla ſit: juxta dicta *num.* 8. Suar. *de relig. tom.* 4. *tractat.* 9. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 27. Lezana *num.*15. Vnde Simoniæ vitium committitur in venditione, vel in emptione habituum horum Ordinum (ſi detur aliquid ut pretium emendi talem habitum) quia vel ſunt veræ Religiones, vel etiam ſi non ſint, habitus ipſi jus præbent ad multa privilegia Eccleſiaſtica, & ſic habent connexionem cum re ſpirituali, Azor *tom.*1. *lib.*13. *cap.*6. §. *At vero.* Lezan. *num.*16. Sed notandum eſt (inquit Diana 3. *part. tract.*2. *reſol.*64.) quod habere habitum dictorum Ordinum, ſecundum communem hominum exiſtimationem, eſt quid honorificentiſſimum: ergo quando quis præbet pecuniam pro ejus ſuſceptione, non intendit emere, ut ita dicam, religionem; ſed honorem illum prætio æſtimabilem, quem confert habitus dictorum Ordinum, & ſic Villalobos *in Summa tom.* 2. *tract.* 37. *diffinitione* 14. *num.* 5. & poſtea latè probat ſimoniam non eſſe dare aliquid ut quis in his ordinibus adſcribatur.

Milites Regulares ſunt Eccleſiaſticæ perſonæ.

71. Gaudent etiam prædicti Milites privilegio Canonis, ita ut ſi quis eos percuſſerit, incurrat excommunicationem Canonis: *Si quis ſuadente Diabolo.* Gaudent ſimiliter privilegio fori, ut non poſſint coram Iudice ſeculari conveniri, ſed coram eorum Prælatis: quia vel ſunt veri Religioſi, vel ſaltem perſonæ Eccleſiaſticæ; & ideò ſicut reliquæ perſonæ Eccleſiaſticæ, vel Religioſi ſuis privilegiis gaudere debent. Pellizzar. *tract.* 1. *cap.*3. *num.*29. Diana 3. *part. tract.*2. *reſolut.*30. Portell. *verbo Manus violenta num.* 7. Lezan. *tom.*2. *cap.*5. *num.*38. & 39. Barboſa *de Officio & poteſtate Epiſcopi, allegatione* 12. *num.* 45. Garcia *de beneficiis tom.*1. *parte* 1. *cap.*4. *num.*5. quod etiam extendunt ad Novitios eorum, cum etiam tempore novitiatus perſonæ Eccleſiaſticæ ſint, & in favorabilibus novitij æquiparentur profeſſis, ut dicemus *cap.* 3. & quia vel Religioſi ſunt, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, gaudent immunitate à Gabellis, ita ut eas ſolvere non teneantur, ſicut nec cæteri Religioſi, aut Eccleſiaſtici. Diana *loco citato, & prima parte, tractat.*1. *reſolut.* 49. Lezana *num.*40. Garcia *loco cit.* Barboſa *num.* 14. qui *num.* 15. id privilegium extendendum dicit ad uxores viduas horum Militum. ¶ An verò gaudeant aliorum Religioſorum privilegio, quod nimirum poſſunt peccata confiteri Confeſſario non approbato ab Ordinario? Affirmat Ioannes Sanctius *in ſelectis diſput.*49. *num.* 10. quem videntur ſequi Hieronym. Garcia *in politica Regul. tom.*1. *tract.* 1. *diffinit.* 5. *dub.*4. *n.*15.

Gaudent privilegio Canonis, fori, & immunitatis à Gabellis.

Diana

Diana 3. *part. tract.* 5. *reſolut.* 30. Sed quia circa hoc attendenda eſt conſuetudo, quæ eſt in contrarium, ut ipſe Diana confitetur, oppoſitum tenendum eſt cum Lezana 5. *tom. cap.* 5. *n.* 45. Id veriſſimum eſt eos non peccare, ſi pugione & enſe accincti accedant ad Confeſſionem, vel Communionem: quia eorum eſt pars habitus, & quia ſtatus illorum eſt, eſſe accinctos ſemper ad bellum contra communes hoſtes. Sic Ioan. Sanctius *diſp.* 45 *n.* 6. Lezan. *n.* 48. Diana *reſolut.* 30.

PVNCTVM V.

De diverſitate Religionum, unde ſumatur? qualis Religio ſit perfectior?

Varietas Religionum ad ornatum, & utilitatem Eccleſiæ ſummopere ducit.

72. QVAMVIS Hæretici, ore vipereo, multitudinem Religionum, aut diverſitatem damnent: quia omnes implacabili odio proſequuntur; veritas catholica confitetur hanc varietatem Ordinum, ad decorem, & utilitatem Eccleſiæ ſummopere conducere: ad decorem, quia eſt varietas Religionum Eccleſiæ ornamentum. Sicut enim decor eſt Reipublicæ politicæ, habere omnia genera opificiorum, quæ juvent & oblectent vitam iſtam temporalem, ita Eccleſiam Chriſti, quæ divina quædam Reſpublica eſt, exornat tanta varietas opificiorum & exercitiorum ſpiritualium, ad colendam animam, & vitam ſpiritualem inventorum. Eſt etiam utiliſſima: nam cum ſtatus religioſus proponatur fidelibus ut via proportionata ad perfectionem comparandam, & ob varias inclinationes, ac complexiones hominum, non omnibus congruat eadem via, eademque norma vivendi, ut D. Greg. inquit, *lib.* 6. *moral. c.* 26. Nam qui ad contemplationem & ſolitudinem eſt propenſus & aptus, fortè pro exercitiis vitæ activæ erit ineptus, & econtra: oportuit hanc varietatem Ordinum in Eccleſia eſſe, ut unuſquiſque eligat illam, in qua magis proficere in Dei charitate ſperet. Eo vel maximè: quia ut inquit Greg. XIII. *in Bulla: Aſcendente Domino*, pro ſocietate expedita, Religiones ex inſtinctu Spiritus Sancti inſtitutæ ſunt, ut per earum alumnos in diverſis neceſſitatibus, ac miniſteriis Eccleſia Dei adjuvetur; & cum ſint varia miniſteria, in quibus illi poſſunt, & debent inſervire Religioſi, & una pro omnibus non ſufficiat, ex earum varietate plenitudo miniſtrorum conſurgit, qui Eccleſiam adjuvare poſſunt. Quod & Sancti Patres illarum Patriarchæ præſtitere, plures & diverſas Religiones, pro diverſitate temporum ac neceſſitatum inſtituentes.

Omnes Religiones in ſubſtantialibus, conveniunt.

73. Cæterum, cum univerſæ Religiones in eo ſubſtantialiter conveniant, quod earum profeſſores intendunt, & Charitatem Dei, quæ eſt ultimus finis omnium, & etiam proximi, per media proportionata, aſſequi: renuntiationemque mundi, ac vitam ſpiritualem per tria ſubſtantialia vota, & ſimul includant traditionem ſui totalem per dicta vota firmatam; ac ſub regula vel formula vivendi in communi, ab Eccleſia approbata; hinc eſt omnes in eſſentia convenire, & quaſi ſpecificè unam & ſolam conſtituere, differreque quaſi accidentaliter penes diverſa media, quæ in ſingulis reperiuntur. Veruntamen, quia ſingulæ Religiones præter illum finem generalem habent ſpecialiſſimum proprium finem, ut eſt contemplatio, hoſpitalitas, prædicatio Verbi Dei, & ex fine proximo in moralibus præcipua ſit differentia venanda: dici poſſunt, quaſi ſubſtantialiter diverſæ in ſpecie athoma, quæ alioqui in ſubalterna ſubſtantialiter conveniebant: & talis diverſitas major erit, quanto inter prædictos fines immediatos majus diſcrimen reperitur: Si autem ſolum accidentaliter in tali fine penes magis aut minus differant (ut jugis & perpetua oratio: vel ad tempus & deſtinatis horis) erit ſolum inter eas diverſitas accidentalis. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 188. *art.* 1. Rodrig. *tom.* 3. *qq Regul. quæſt.* 48. *art.* 1. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 9. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. *&* 5. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 31. *& cap.* 3. *n.* 4. Quamvis alii ſolum numericam & merè accidentalem diverſitatem conſtituant, ob quam diverſæ Religiones nuncupantur, ob diverſos fines proximos & media ad illos conducentia. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 1. *p.* 2. *num.* 1. Antonius à Spiritu Sancto *tractatu* 3. *diſp.* 1 *ſect.* 3. *num.* 86. Leſſius *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 2. *num.* 16.

Convenientia, vel diverſitas Religionum ex fine & mediis præcipuis eſt accipienda.

75. Ex quo fit unitatem, aut diverſitatem Religionum ex convenientia in fine principaliori, & mediis præcipuis, ac ſubſtantialibus, ad illum conducentibus, debere accipi, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 1. *&* 6. quia hoc ipſo quod media diverſa ſint, ſubſtantialiter in ordine ad talem finem, etiam ipſe finis ex quo unitas & diverſitas in moralibus accipitur, eſt diverſus in ratione talis; ſed ſi diverſitas ſit in minutioribus, & accidentalibus, non ob id dicenda eſt diverſa Religio. Suar. *c.* 1 *n.* 8 Pell. *n.* 37. qui addunt ad unitatem Religionis, convenientiam ſub uno capite, ac Supremo Prælato non requiri, ut in monialibus, quarum aliæ ſunt Epiſcopo, aliæ Prælatis Religionum ſubjectæ, & non ob id erunt diverſæ Religionis, ſi in reliquis conveniant; & in Religionibus ſub diverſis Generalibus ſibi invicem non ſubordinatis conſtitutis; ut Sancti Benedicti, S. Bernardi, & noſtra. Quia tamen ſub eadem regula militant non ſunt diverſæ Religiones; tametſi negari non poſſit majorem futuram unitatem, ſi tam regulam, quam Prælatum communem haberent: quippe cum politicum corpus, uti eſt religio, etiam ex unitate capitis recipiat unitatem. ¶ Non tamen ex convenientia habitus eſt convenientia Religionis captanda, cum habitus exterior non ſit de eſſentia Religionis, & intra eandem religionem paſſim in eo diverſitas admittatur. Quare non requiri neceſſariò in habitu convenientiam, quamvis ea ſit aliàs ſignum talis profeſſionis, docet Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 9. *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. Pellizzar. *tractat.* 1. *cap.* 1. *num.* 38. Qui advertunt diverſitatem habitus exterioris, nunquam poſſe eſſe tantam, ut non ſervetur aliqua convenientia indicans unitatem talis Religionis, vel in colore, figura, vel in aliquo alio ſigno, quod juxta regulam cujuſcumque Religionis debet obſervari.

Intra eandem Religionem magna diverſitas, & inter diverſas magna

75. Sed intra eandem Religionem poteſt tanta diverſitas inveniri, ut cenſeri poſſent diverſæ Religiones moraliter, ut inter excalceatos & calceatos ejuſdem Religionis, & hoc maximè, ſi militent ſub diſtinctis Generalibus, & ideo de

convenientia ſolet reperiri.

una ad aliam familiam non datur tranſitus, niſi juxta Regulas generales tranſeundi de una in aliam Religionem, de quo infra erit ſermo, ut inter nos contingit: quia tunc ſunt veluti diverſi exercitus, habentes diverſos duces, inſignia diverſa, & aliquando diverſa arma quamvis alioqui in fine, & aliis conveniant. Econtra inter diverſas Religiones interdum adeſt tam parva diverſitas, ut accidentaliter, & ſolo numero diſtingui videantur, ut inter monachales, maximè S. Benedicti, & S. Bernardi, & inter Militares, præcipuè Alcantaræ & Calatravæ; in quibus ſolum quoad colorem habitus extat differentia, & paucas cærimonias, quæ inſufficienter videntur ad hoc ut diverſæ ſubſtantialiter dicantur. Pellizz. *tom.1. tract.1. c.3. ſect.1 num.5.* Imo intra eandem numero religionem, poſſunt diverſi Ordines, & gradus ſubſtantialiter diverſi aſſignati, ut de Societate Ieſu teſtatur Suar. *tract.10. lib.7. cap.4. n.1.* Pellizz. *tract.1. c.4. num.7.* vbi dantur Scholares approbati, qui ſunt verè & propriè Religioſi, & ſolum votis ſimplicibus biennii adſtricti, & Coadjutores formati, qui licet non ſint profeſſi ſolemniter, ſunt tamen in termino conſtituti; & etiam ſolemniter profeſſi trium, vel quatuor votorum: & videntur ſubſtantialiter inter ſe differri, tum ob diverſa vota, tum ob diverſas obligationes, quas habent.

Qualiter dividatur ſtatus Religioſus in contemplativũ, activum, & mixtum.

76. Igitur ex parte finis dividitur ſtatus Religioſus in eum qui ordinatur ad vitam contemplativam, & ad vitam activam, & ad mixtam ex utraque. Illi activam vitam profitentur, qui operibus miſericordiæ corporalibus, principaliter incumbunt, Mattham imitantes: qui propter Deum, proximis in neceſſitatibus conſtitutis attendunt ſubvenire, vel redimendo captivos, vel ſuſcipiendo peregrinos, vel infirmis aſſiſtendo, vel contra hoſtes Eccleſiæ militando. Hæc enim omnia ſunt opera Charitatis, quibus tenditur ad perfectionem: unde ad ea peculiari ſtudio obeunda poteſt Religio inſtitui; nimirum, militaris, hoſpitalaria, &c. ut docet D. Th. *2. 2. q. 188. art. 2. & 3.* Contemplativam vitam profitentur illi Ordines qui Mariam imitantes, pedibus Domini ſedent; lectioni, orationi & contemplationi vacantes, ut ſunt omnes monachales, quorum totalis finis eſt contemplatio. Quod non tollit poſſe in operationibus vitæ activæ, maximè ſpiritualibus, ut docendi, prædicandi, confitendi, &c. ſe exercere; ſed hoc ex vi ſui inſtituti non efflagitant. Ad quos etiam, Ordines Canonicorum Regularium reducuntur, quorum præcipua functio eſt, horas Canonicas in choro piè decantare. Vitam mixtam ex activa & contemplativa illi Ordines profitentur, qui utrumque munus ex vi ſuæ profeſſionis amplectuntur, in diverſis temporibus; & ſic, & contemplationi vacant cum Maria, & opera vitæ activæ ſpiritualia, quæ contemplationem ſupponunt, cum Martha exhibent. Iſtæ ſunt quatuor Religiones mendicantes, & etiam Societas Ieſu, quæ inter mendicantes authoritate, & judicio Sedis Apoſtolicæ computatur. Sed quia diverſa media quælibet ex his Religionibus apponunt, ad dictum finem, differunt inter ſe, & diverſum corpus miſticum faciunt. Et licet moniales operationes vitæ activæ non profiteantur: quia tamen ſunt acceſſorium, reſpectu religionis virorum, eadem diverſitas datur inter illas, quam adeſſe diximus inter earum Fratres, ut inquit N. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 1. ſect. 5. num. 91.*

Perfectio Religionum unde debet attendi.

77. Ex dictis conſtat perfectionem Religionis primariò, & principaliter ex fine debere attendi: ſecundariò ex mediis, & exercitiis, quibus ad talem finem pervenitur, ut docet D. Thom. *2. 2. q. 188. art. 1. & 6.* Vbi etiam dicit illas eſſe perfectiores, quæ ad finem intrinſecum, ſeu functionem perfectiorem ordinantur. Vnde, quia contemplatiu eſt perfectior actione, Religiones contemplativam vitam profitentes perfectiores ſunt illis, quæ tantum vitam activam ut finem habent; ſed utriſque ſunt perfectiores quæ ad vitam mixtam ordinantur; illæ videlicet, quæ non tantum contemplationi vacant, ſed contemplata in alios diffundunt. *Sicut enim majus eſt* (inquit D. Thom. *art. 6. citato in corpore*) *illuminare, quam lucere ſolum, ita majus eſt contemplata aliis tradere, quam ſolum contemplari.* Quare Religiones mendicantes, quæ utrumque finem includunt, eſſe perfectiores aliis, quæ ſolum contemplativam, vel activam vitam profitentur, docent præter D. Thomam, Leſſius *lib. 2. cap. 41. n. 20.* Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 1. n. 92.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 6. num. 8.* Pellizz. *tract. 1. cap. 3. num. 69.* & ideo proximiores ſunt ſtatui Epiſcoporum (qui eſt perfectorum ſtatus) quorum eſt alios ad perfectionem adducere. *Sic ergo ſummum gradum in religionibus tenent* (verba ſunt D. Thom. *art. 6. cit.*) *quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum* (intellige ſuppoſito quod etiam ad contemplandum ordinentur, ut faciunt Ordines mendicantes) *quæ & propinquiſſima ſunt perfectioni Epiſcoporum: ſicut in aliis rebus fines primorum conjunguntur principiis ſecundorum, ut Dionyſius ait. 7. cap. de divinis nominibus; ſecundum autem gradum tenent illæ quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius eſt earum quæ occupantur circa exteriores actiones.*

Vita mixta perfectior eſt contemplativa tantum vel activa.

78. Et ideò Chriſtus Dominus & ejus Apoſtoli vitam profeſſi ſunt mixtam ex activa & contemplativa, ut de Chriſto Domino probat ex Evangelio D. Th. *3. p. q. 4. art. 1.* Et ratio quare talis modus vivendi ſit perfectior, ea eſt, quia vita mixta includit perfectionem vitæ contemplativæ, nihil ex ea diminuens, ut conducit ad perfectionem, & aliàs addit actionem charitatis perfectiſſimæ, qualis eſt alios ad obſequium Dei movere, & ad perfectionem & ſalvationem adducere, mediâ prædicatione, doctrina, Sacramentorum adminiſtratione, &c. ergo, &c. Minor patet: quia actus perfectiſſimæ charitatis erga proximum propter amorem Dei aſſumptus, nil minuit de amore & cognitione Dei, & ſic talis actus hominem non retrahit à contemplatione Dei, prout conducit ad perfectionem, nec ab amore ipſius, cum ſit Dei virtualis dilectio: *Quia hoc quod eſt proximorum curam gerere* (inquit D. Thom. *Opuſculo 19. cap. 13.*) *eſt inſignis actus exterior charitatis.* Et quamvis aliquantulum à contemplatione, & dilectione actuali Dei in ſe, divertat, cum impoſſibile ſit moraliter quod homo ſit ſemper in actuali contemplatione, & amore Dei, ſi ſæpe ſæpius in aliis rebus debet occupari, melius erit in his actibus charitatis exerceri.

79. At verò inter illos Ordines, qui eundem finem, vel functionem habent, nimirum, vel contemplationem, vel actionem, vel

vitam

Inter Religiones vitæ mixtæ perfectior eſt quæ media aptiora ad finem habet.

vitam mixtam ex utraque, præſtantior erit qui altioribus mediis, & exercitis ad illum finem utitur, & ad vota melius obſervanda, & ita non eſt perfectior Religio, quæ perfectioribus mediis, & exercitiis abſolutè utitur, ſed quæ ad finem conſequendum magis proportionatis: & ita, inquit D. Thom. 2. 2. q. 188. *art. 6. Comparatio autem, quæ eſt ſecundum exercitium, eſt reſpectiva: quia exercitium non quæritur propter ſe, ſed propter finem ::: ſi verò ſit finis idem, ſecundariò attenditur præeminentia religionis, non ſecundum quantitatem exercitij, ſed ſecundum proportionem ejus ad finem intentum.* ¶ Vndè Primò infert D. Thom. *in ſolut. ad 3. illius articuli, & q. 189. art. 8. corpore. Quod non eſt potior Religio, ex hoc quod habeat arctiores obſervantias; ſed ex hoc quod majori diſcretione ſint ordinatæ, ejus obſervantiæ, ad finem Religionis.* Si autem auſteritates eſſent cum diſcretione ordinatæ, & ad finem Religionis conducentes, cæteris paribus Religio talibus obſervantiis vigens perfectior erit. ¶ Secundo infert D. Thom. *art. 7. illius quæſt.* quod licet cæteris paribus, quo major eſt paupertas, eo Religio ſit perfectior; at ex rigore paupertatis, quod nihil videlicet in craſtinum ſervetur, nihil in communi poſſideatur, non facit eſſe perfectiorem Religionem abſolutè, niſi talis modus ſit accommodatus fini illius, & talis finis ſit aliàs æque perfectus.

Religio quæ in contemplatione & actione altpentates cõjungit, eſt cæteris paribus perfectior.

80. Ex quibus principiis inferendum eſt; & dicendum quod inter Religiones, quæ vitam mixtam profitentur, ſi in fine & perfectione, ac utilitate aliorum mediorum ad finem conducentium ſint pares, id eſt ſi ſimul contemplationi incumbant & proximorum utilitati per prædicationem & doctrinam, inſtructionem &c. illa erit perfectior Religio, quæ majorem vitæ auſteritatem, paupertatem, & exercitium chori habet. Hanc aſſertionẽ (quæ prout jacet non videtur poſſe negari) tenent Lezana *tom. 3. verbo tranſeuntes Regulares num. 5.* Suar. *tom. 5. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 6. num. 32.* Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 1. ſect. 3. n. 9.* Sylveſter *verbo Religio 4. §. 1. verſ. 3.* Angelus *verbo Religioſus* 28. 3. Et loquimur de Religione quæ talia exercitia ex vi regulæ, vel conſtitutionum habet, quidquid ſit an talis Religioſus ex ſua devotione vel fervore illis vacare velint, vel ex ſua indevotione & pigritia, ab eis deſiſtere. Inveſtigamus namque perfectionem ſtatus, non perſonæ particularis. Sicut enim perſona talibus exercitiis dedita (ſervatis aliis jam dictis) eſſet perfectior alia, quæ illa non exerceret, cæteris paribus, ſic loquimur de ſtatu: quòd ille in quo talia exercitia vigent ex vi regulæ, aut conſtitutionum, eſt perfectior illo, in quo non habentur ut obligatoria inſtituti. Eſt enim de ratione ſtatus immobilitas; & ſic quæ ad ſtatum pertinent, non debent pendere ab hujus, vel illius arbitrio, ſed immobiliter eſſe omnibus obligatoria: ſicut caſtitas, paupertas & obedientia nõn ſufficerent ad conſtituendum ſtatum Religionis, qui eſt perfectionis, niſi votis firmarentur, quibus omnes ad illas obſervandas obligantur, ut diximus, *n. 4.*

Auſteritas vitæ ad finẽ prædicationis multum conducit.

81. Quibus ſuppoſitis, ita probatur aſſertio: Nam ſecundum omnes illa eſt perfectior Religio, quæ finem perfectiorem, ſeu functionem elevatiorem habet, & ſimul media magis apta & proportionata ad illum conſequendum; ſed Religio quæ mixtam vitam agit, habet finem perfectiorem, ut omnes concedunt, & quæ mediis prædicationis, doctrinæ &c. ſimul cum auſteritatibus vitæ majoribus, paupertate ſtrictiori, chori exercitio utitur, habet media magis proportionata ad finem vitæ contemplativæ & activæ: igitur cenſenda eſt abſolutè ſecundum ſuum ſtatum perfectior. Cætera patent præter minorem quoad ſecundam partem. Probatur ergo, quod jejunia, flagellationes, Vigiliæ, carnium abſtinentia, pedum nuditas, veſtitus pauperior &c. ad finem vitæ activæ ſunt media proportionata, ſimul cum prædicatione & doctrina: quia qui talia agunt, ſimul ore, & opere docent, prædicatione & exemplo. Et quidem hoc modo vivendi, & exemplo per illum exhibito fortius & efficatius moventur fideles & omnes ad amplectendam doctrinam Prædicatoris, quam ſi ſolum illius verbis edocerentur. Et ſic D. Ioannes Baptiſta auſteram vitam ab infantia duxit, ut ſuo exemplo homines ad perfectionem provocaret, Chryſoſt. *tom. 2. homil. 10. in Matth. ante medium: Erat mirabile* (inquit) *in humano corpore tantam patientiam videre, quod & Iudæos magis attrahebat:* ergo non ſolum qui alios docuerit pœnitentiam, abnegationem, & denique omnem perfectionem; ſed *qui fecerit & docuerit* (ut inquit Chriſtus Dominus) *hic major erit in Regno Cælorum.*

Exemplo Chriſti Domini & Apoſtolorum concluſio comprobatur.

82. Quod ipſe omnium Magiſter Chriſtus nobis ſuo exemplo confirmavit, qui prius jejunavit, eſurivit, ſitivit, intra deſerti auſteritates ſe exercuit, ut ſe prædicationi præpararet. Et Apoſtoli primi tanti Magiſtri diſcipuli, non tam verbo, quam exemplo, vitæque pauperie & auſteritate, totum orbem ſubjugarunt: non ergo hujuſmodi auſteritates & exercitia, ut Vigiliæ, abſtinentia carnium, nuditas pedum, veſtium vilitas & aſperitas improportionata ſunt, aut minus idonea ad prædicationem, hominesque ad amorem & cognitionem ac timorem Dei dirigendos: quia potius urgentia ſunt ad compunctionem, pœnitentiam & devotionem incitamenta, & quæ tacitè eos prædicant, atque vim & energiam verbis exortatoriis communicant.

Idipſum ex verbis Chriſti, & Apoſtoli ſtabilitur.

83. Hinc fit, quod Chriſtus Dominus Apoſtolos ad prædicationem mittens, non neceſſaria præparare, non commoditatibus indulgere, juſſit; ſed: *nil tuleritis in via* (Lucæ 9.) *Nolite poſſidere calceamenta.* Matth. 10. *Calceatos ſandaliis miſit eos.* Marci. 6. Et iterum: *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamentum,* & Apoſtolus 2. Corinth. 6. *In jejuniis multis, in vigiliis, in famẽ & ſiti, in frigore & nuditate.* Et 1. ad Corinth. 9. de ſeipſo loquens, ait: *Caſtigo Corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Vt doceat optimum medium ad alios prædicandos & convertendos eſſe prius per aſperitates, jejunia, flagellationes &c. ſeipſum in ſervitutem redigere. Qua via Apoſtoli tot Provincias & Regna converterunt: ergo illa Religio, quæ & contemplationem Dei, & prædicationem ſimul cum pauperiori vita, aſperiori veſtitu, nuditate & jejuniis conjungit, erit perfectior, utpotè ad Apoſtolorum perfectionem propinquius accedens, illorum inſectando veſtigia.

Explicatio aſſertionis præcedentis.

84. Nec propter hæc volumus negare perfectam Religionem eſſe poſſe, eſto non ſit ita

ROMA

auſtera, rigidamque paupertatem habeat : quia non in his, ſed in charitate Dei & proximi perfectio conſiſtit, ut inquit Palaus *tom. 3. tract. 16. diſ. 1. num. 3.* Sed eſſe perfectiorem aſſerimus quæ ſimul cum contemplatione & actione, cum charitate Dei & proximi, auſteritate, pœnitentia & paupertate viget : & his ad charitatem Dei & proximi perfectius præparari : quia ſic magis accedit ad perfectionem Apoſtolorũ, ſic verbo & opere docet, & exemplo movet ; ſic media aptiora ad finem dilectionis Dei & proximi apponit. In quo D. Th. & omnes perfectionem unius Religionis præ alia conſtituunt, ſi intendens perfectiorem finem, puta, contemplationem & actionem, media aptiora ad illum conſequendum exhibet.

Ad munus prædicationis & movendos animos, exercitium chori eſt convenientiſſimũ

85. Quod autem chori exercitium, etiam ad talem finem ſit medium proportionatum & congruentiſſimum, nemo negabit, niſi qui illum expertus non eſt ; & probatur, tum quia ut dicebamus ex D. Thom. & communi DD. ſententia *num. 77.* Prædicatio & doctrina, quæ ad vitam activam, de qua loquimur, ordinantur, debet ſimul cum contemplatione, oratione, & Dei amore, ac cognitione conjungi : & ſic ſimul cum contemplativa, vitam mixtam conſtituere, ut ex his, quæ aliquis in Deo contemplatur, & ex illo fonte ebibit, aliis puriſſimos latices propinet ; ſed ad Dei cognitionem, ad orationem, amorem, quis negabit plurimum juvare determinatis horis, ſimul cum aliis in choro laudes Dei decantare, ore & corde, hujuſmodi exercitio intereſſe. Certè ex choro ad pulpitum ardens Prædicator aſcendet, ut alios in Dei amore ſuccendere valeat : & ideò Chriſtus Dominus priuſquam veniret ad perfectiſſimum actum charitatis, uti fuit ejus prætioſi ſanguinis effuſio, prius cùm Apoſtolis laudes divinas communiter decantavit, Matth. 26. *Et Hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Vt nos doceret nullo aptiori medio nos poſſe ad actus Charitatis vitæ activæ accingere quam deſtinatis horis cum aliis, divinis laudibus in choro aſſiſtendo. ¶ Tum etiam quia ut experientia D. Auguſtini conſtat, Pſalmorum cantus fideles ad devotionem, lacrymas & compunctionem ſummopere incitat : *quantum flevi in hymnis* (inquit ille *l.b. 9. confeſſionum cap. 9.*) *& canticis tuis ſuavè ſonantibus Eccleſia tua vocibus? Acriter voces illa influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, ex ea æſtuabat affectus pietatis, & ruebant lacrymæ, & benè mihi erat in eis.*

Trina contra dicta objectio proponitur.

86. Sed ecce contra nos objiciunt Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 2. num. 23.* Pellizzar. *tract. 1. cap. 3. n. 66.* Valencia *tom. 3. diſp. 10. quæſt. 6. punct. 2.* Id quod dicitur *in cap. 2. In ſancta Romana diſt. 92. Eſſe valde reprehenſibile ut cantui vacent, qui ad prædicationis officium ſunt deſtinati :* Ergo ordo (inquit Leſſius) qui huic officio incumbit non debet habere chorum. Et D. Th. 2. 2. *quæſt. 91. art. 2. ad 3.* inquit : *Diaconi & Prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum provocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à majoribus retrahantur.* ¶ Secundò : quia chori exercitium impedit prædicationem, Sacramentorum adminiſtrationem, rudium inſtructionem, Gentilium converſionem, qui ſunt actus perfectiores, ad quos Religio mixtæ vitæ ordinatur : Vndè, videmus, inquit Leſſius, etiam in ordine Dominicano, & aliis, primarias perſonas, quæ illis miniſteriis vacare poſſunt, paſſim à Choro exemptas. ¶ Tertio : quia perfectio conſiſtit in operibus charitatis erga Deum & proximum, quæ omnia poſſunt ſine cantu præſtari ; pari modo vota eſſentialia, & reliqua pietatis exercitia, non requirunt cantum.

Stat Religionem perfectam eſſe abſque exercitio Chori.

87. Sed diſtingue tempora & concordabis jura : diſtingue perſonas & omnia plana videbis : & iterum adverte, nos non aſſerere ad Religionis perfectionem eſſe neceſſarium Chorum, ita ut ſine illo perfecta Religio inveniri non poſſet ; nec in hoc approbamus dictum Dominici Soti, qui *lib. 10. de juſt. quæſt. 5. art. 3.* perperam dixit : ordinem Choro carentem vix mereri nomen Religionis. Religio quidem perfecta eſſe poteſt, etiamſi choro careat, ut in Religioſiſſimo & graviſſimo Ordine Societatis cernitur, in quo licet non detur chorus, non tollitur quod ſit ſanctiſſima & perfectiſſima Religio, Eccleſiæ Dei convenientiſſima ; ejuſque Profeſſores, qui debitè tam ſanctum & laudabile Inſtitutum obſervant, velociter ad perfectionem dirigens. Quod aſſerimus eſt, quod ordines illi qui mixtam vitam ex contemplatione & actione profitentur, perfectiores ſunt cæteris paribus, ſi chori exercitio incumbant, id eſt ſi tam contemplationem, quam prædicationem & doctrinam procurent, & ſimul debitis horis laudes Dei in choro communiter decantent, & orationem mentalem & vocalem habeant.

Pro diverſis perſonis & temporibus eſt exercitium commune Chori convenientiſſimum.

88. Et ad id quod ex Canone illo & D. Th. objicitur, dicimus aliud eſſe loqui de ſingularibus perſonis, aliud de ipſa congregatione, aut communitate ; & aliud loqui de tempore, quo eſt neceſſaria, vel conveniens prædicatio, aliud de reliquo. Neque enim omnes ſunt Prædicatores, neque iſti ſemper Prædicationibus incumbunt, maximè his temporibus, ut experientia patet. Si tempore quo deberent verbum Dei aliis prædicare, Choro intereſſe vellent, per quod ab illo munere retraherentur, minus perfectè agerent, & multoties imperfectè. Cæterum, ſi poteſt Prædicator, & choro intereſſe quibuidam temporibus, & aliis prædicationi inſiſtere, perfectius proculdubio ageret quam ille, qui prætextu prædicationis nunquam Chorum videt. Tunc enim Prædicator verbo & opere prædicabit, ſi ex choro ad pulpitum, & de pulpito ad chorum aſcenderit : eſto tamen ipſum utrumque munus exercere non poſſit, ut multoties non poterit, & ob prædicationem & doctrinam à choro abeſſe cogatur, cum non omnes ſint DD. Prædicatores, Lectores, ſed pauciſſimi, pro aliis convenientiſſimus erit chorus, & pro omnibus diverſis temporibus. Quarè religio quæ pro omnibus, & pro omni tempore, eſt inſtituta perfectior erit, ſi cum diſtributione dicta, ſimul prædicationem, lectionem & doctrinam, cum exercitio chori conjunxerit. Aliæ duæ objectiones ſolutæ manent ex dictis.

Hucuſque dicta concluduntur.

89. Hæc dicta ad cognoſcendas Religiones perfectiores in communi ſufficiant. Ex conſulto autem nolumus reſolvere quæ perfectior ſit Religio in particulari : nam hanc vel illam perfectiorem determinare, quæſtio eſt quæ in aliquorum animis, quorum Religiones pro ſuo velle, non ita aliis præponuntur, aliquid pœnæ poteſt incutere, ut rectè inquit Rodriguez *quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 48. art. 1.* Vnuſquiſque autem Religioſus (addit Iſte author)

primæ

primæ vocationis ſuæ Religione contentus, ſtudeat perfectus evadere in charitate; ſtudeat etiam perfici in obſervatione votorum & conſiliorum Evangelicorum, quæ ad charitatem ordinantur, ſubſtrahendo quæ impediunt frequentem Dei cultum, & progreſſum charitatis: ut charitas tutius conſervetur, prout loquit D. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 3. *&* *q.* 186. *art.* 4. ita ut exiſtens in natura corrupta, vivat ac ſi eſſet in ſtatu innocentiæ, vel eſſet in gratia confirmatus. *Quarè cum impoſſibile ſit* (ut dicitur in noſtris conſtitutionibus, 1. *p. cap.* 1. *n.* 4.) *unum eundemque ſtatum, æque omnibus fulgere virtutibus, qui voluerit eſſe perfectus, eas quæ ſuæ vocationis & inſtituti propria ſunt, diligenter amplectatur: nedum omnes inſequitur, nullam integrè conſequatur.*

CAPVT II.

De voto quod emitti ſolet aſſumendi Statum Religioſum.

QVIA multoties ante ingreſſum & aſſumptionem ſtatus Religioſi ſolet in aliquibus reperiri, votum emiſſum de ingreſſu Religionis, quod *votum Religionis* dicitur, unum ex reſervatis Summo Pontifici: placuit de illo differere, antequam ad aſſumptionem talis ſtatus deveniamus: quia multoties de illo in his Tractatibus ſermo occurret, & ideo de illo in iſto Capite agemus, quod quatuor puncta continet.

PUNCT. I. *Ad quid teneatur qui votum Religionis, vel in genere, vel in ſpecie emiſit?*

PUNCT. II. *Qualiter votum Religionis aſſumendæ obliget ad perſeverandum in ea?* n. 19.

PUNCT. III. *Quo tempore urgeat obligatio voti intrandæ Religionis emiſſi?* n. 29.

PUNCT. IV. *Quibus modis ceſſare poſſit voti Religionis obligatio?* num. 36.

PVNCTVM I.

Ad quid teneatur qui votum Religionis, vel in genere, vel in ſpecie emiſit?

Votum Religionis bonum & laudabile eſt.

1. ESSE bonum opus, laudabile & meritorium vovere Religionem ingredi, & alium ad vovendum inducere, probat rectè D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. Eo quod votum eſt promiſſio Deo facta de his quæ ad Deum pertinent; ſed ingreſſus Religionis maximè ad Deum pertinet: quia per hoc mancipatur homo per totam vitam obſequiis divinis, atque de ſeipſo offert perfectiſſimum holocauſtum: Vnde inducere alium ad hoc abſque dolo, vi, aut precibus importunis, bonum opus eſt, & laudabile, cum ſit inducere ad id, quod ſaluti animæ multum expedit. Sed an in particulari alicui expediat votum Religionis emittere, ex indole, diſciplina, educatione, aliiſque circumſtantiis eſt cognoſcendum: multoties enim ob occurrentes qualitates, inconſtantiæ, malæ educationis, pravæ indolis &c. Inconveniens erit votum tale facere, & illud conſulere, quia erit fortaſſe novum aliquod offendiculum injicere, & ſic magna cum circumſpectione, maturitate, & deliberatione faciendum, utpote de re tanti momenti.

2. Qui votum Religionis emiſit, ex vi illius tenetur procurare pro viribus Religionem ingredi, omni prudenti diligentia adhibita, quæ ſolet in gravi re prudenter poni, ut docet D. Thom. *quæſt.* 189. *art.* 3. *ad* 1. Sed huic obligationi non obſtat quod votum illud habens poſſit manifeſtare Prælatis illius Religionis, cui ſe voto devinxit, ſi quod impedimentum eſſentiale habeat, tametſi ſciat fore ut non recipiatur illo manifeſtato, vel etiam detegere nimiam, quam fortè habet, ad Religionem averſionem: quia hæc manifeſtatio conducit ad prudentem admiſſionem ad talem ſtatum, etiamſi ex animo ut non recipiatur, ſi vera ſunt quæ narrat, illud efficiat, Sanch. *lib.* 4. *ſumm. cap.* 16. *n.* 34. *&* 36. Palaus *tract.* 16. *diſput.* 1. *punct.* 3. *num.* 5. Nec obligatur ad obtinendum cum effectu Religionis ingreſſum: quia hoc non ex ſua, ſed ex Religionis voluntate dependet, ut *loco cit.* docet D. Thom. ¶ Imo non obligatur votum quod habet manifeſtare Prælato, quando habitum petit, etiamſi credat ea manifeſtatione admittendum eſſe (uti dixit Caiet. *q.* 189. *art.* 3. *circa ſolutionem ad* 2. Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 6. *n.* 16. & alii,) quia ex vi voti ſolum tenetur apponere media per ſe neceſſaria executioni; ſed manifeſtatio voti per ſe neceſſaria non eſt ad intentum, tametſi aliquando conducat: non ergo votum habens, ad talem manifeſtationem tenetur: aliàs etiam teneretur quærere intercesſſores, aliaque efficere, quæ non parum conducunt; ſed quia neceſſaria non ſunt, ab illis ſolicitandis deobligatur, Sanch. *n.* 54. Palaus *n.* 13. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib* 4. *cap.* 2. *num.* 7. Trullench. *lib.* 2. *decalog. cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 5. Hieron. Garcia *tom.* 1. *tract.* 2. *diffinit.* 1. *dub.* 8. *num.* 25. Azor. 1. *p. lib.* 12. *cap.* 22. Bartholom. à Sancto Fauſto *lib.* 1. *q.* 101. *Quæ facere, vel non, tenetur votum Religionis habens.*

3. An verò ſatisfaciat qui votum emiſit Religionis ſuæ obligationi ingrediendo Ordinem militarem? diximus *cap. præced. num.* 50. Cæterum pro comperto habemus, non ſatisfacere ingrediendo Religionem relaxatam, & quoad principaliores obligationes collapſam, niſi fortè ſubſit ſpes proximæ reformationis: quia talis Religio non meretur nomen Religionis, nec ad perfectionem conducit, ſed ad perditionem, nec in ea ingrediendo pericula fugerentur, ſed majora forte amplecterentur: nec mundus exuitur, ſed ſuperinducitur; quod fuit intentum voventis, qui promiſit ſtatum perfectionis amplecti, & ubi non eſt obſervantia, nec eſſe poteſt perfectio. Sanch. *lib.* 4. *Summ. cap.* 16. à *num.* 11. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 2. *&* 5. Trullench. *lib.* 2. *decalog. cap.* 2. *dub.* 19. *Qui vovit ingredi Religionem relaxatam non tenetur votum implere.*

*dub.*19. *num.*1. Pellizzar. *tract.*4. *cap.*1. *num.*47. Bartholom. à S. Fauſto *in theſauro Relig. lib.* 1. *quæſt.* 110. Hieron. Garcia *in polit. Regul. tom.*1. *tract.*2. *diſſ.*1. *dub.*7. *n.*10. Vnde ſi quis votum haberet ingrediendi in tali determinata Religione, vel in tali determinato Monaſterio, non tenetur illud implere, ſi poſtea ſciat in illis non vigere principaliores, & ſubſtantiales obſervantias, etiam ſi illud noſſet quando votum emiſit: quia non eſt votum de re meliori, Deoque accepta, nec in tali voto prudenter ſe geſſit, debitè ſaluti ſuæ ſpirituali conſulendo. Sed ſunt modo aliquæ difficultates, quas oportet breviter enodare.

Qui vovit Religionem ingredi ſtrictiorem, nō ſatisfacit laxiorem amplectendo, benè tamen è contra.

4. Prima difficultas eſt: an qui vovit ingredi Religionem ſtrictiorem ſatisfaciat ſuæ obligationi laxiorem ingrediendo? Et quidem ſi votum è converſo emiſſum eſſet de ingredienda Religione laxiori, omnes admittunt adimpleri perfectiſſimè, ingrediendo ſtrictiorem. Tum, quia unuſquiſque poteſt propria authoritate votum ſuum inevidenter melius commutare: alioqui multoties eſſet voti vinculum, majoris boni impeditivum, quod eſt abſurdum, cum votum ſit promiſſio Deo facta de re meliori. Tum etiam: quia adhuc facta profeſſione, poteſt dari tranſitus à Religione laxiori ad ſtrictiorem: ergo etiam hoc fieri poteſt ante ingreſſum Religionis, imò addit Pellizzar. *tract* 4. *cap.*1. *num.*45. & 46. cùm Reginald. *lib.*18. *n.*382. poſſe votum habens ingrediendi Religionem arctiorem, licitè in aliam æquè arctam ingredi: quia vovens, abſque alia facultate ſuperioris, poteſt in certo æquale commutare proprium votum, ut inquit Bonac. *diſp.*4. *de legibus. q.*2. *punct.* § 6. *num.*4. Cæterum præciſo alio privilegio, qui Religionem ſtrictiorem ingredi promiſit, non ſatisfacit ingrediendo laxiorem, *cap. penultimo de Regularibus in ſexto*: quia tunc minus præſtat quam promiſit: ut eſt commune apud DD. qui etiam communiter docent cum D. Thom. 2.2. *q.*189. *art.* 8. *ad* 3. Quod ſemel profeſſus in laxiori, omnino liber manet à voto ingrediendi ſtrictiorem: *Quia votum ſolemne* (inquit S. Doctor) *quo quis obligatur minori Religioni, eſt fortius quam votum ſimplex quo quis adſtringitur majori Religioni. Poſt votum enim ſimplex ſi contraheret aliquis matrimonium non dirimitur; ſicut poſt votum ſolemne: & ideo ille qui jam profeſſus eſt in minori Religione non tenetur implere votum ſimplex quod emiſit de intrando Religionem majorem.* ¶ Ex quo infertur votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem poſſe propria aothoritate commutari in votum perſeverandi in laxiori: quia votum perſeverandi in laxiori, nobilius & perfectius eſt voto ſolum intrandi ſtrictiorem. Palaus *tract.*16. *diſp.*1. *punct.*3. *n.*7. Pellizzar. *tract.*4. *cap.*1. *n.*43. Layman. *lib.*4. *tract.*5. *cap.*6. *num.*7. Sanch. *lib.*4. *ſumm. cap* 16. *n.*18.

Ex privilegio poteſt qui Religionem ſtrictiorem ingredi promiſit, intrare laxiorem.

5. Dizimus: *non poſſe, præciſo ſpeciali privilegio*, Cæterum ſi aliqua Religio ſpeciale habeat Pontificis privilegium admittendi eos, qui ſtrictiorem voverant Religionem, tales ſatisfaciunt, laxiorem illam ingrediendo: quia Summus Pontifex illud concedens in beneficium Religionis, commutavit tale votum (vel certè conceſſit Prælatis facultatem commutandi illud) in ingreſſum Religionis laxioris. Tale autem privilegium de facto habere Patres Benedictinos refertur *in compendio Mendicantium*, verbo *diſpenſacion*, quod eſſe Bullatum inquit Pellizzar. *n.* 43. & ſic non revocatum in revocatione generali vivæ vocis oracolorum, facta à Greg. XV. & Vrbano VIII. & Iorbus *in compendio privileg.* verbo: *Novitius fol.* 437. refert privilegium Leonis X. Camandulenſibus conceſſum; Aliud *Iulij* 2. Congregationis montis Oliveti. Aliud Eugenij IV. Ordini S. Aug. quæ per communicationem aliis Religionibus competere teſtatur Pellizzar. *tract.* 2. *cap.*5. *num.* 59. Portel. *de dubiis regul.* verbo *Votum, in additionib. n.*36. Qui monent debere iogredientem votum ſuum Prælato manifeſtare, ut illud commutare poſſit, vel in eo diſpenſare. Sed ſubditur limitatio ab Eugenio IV. in privilegio adducto (quam admittunt pro omnibus Sanch. *n.* 94. Layman. *n.*8. Palaus *n.*8.) Nimirum, quod ſi ante profeſſionem emiſſam ab ipſa laxiori diſceſſerint, diſpenſatio nullius ſit roboris & momenti. Vnde non fuit facta abſolutè diſpenſatio, niſi pro tempore, quo à laxiori non diſcedant.

Quas diligentias tenetur facere ut admittatur, qui votum emiſit Religionis.

6. Secunda difficultas eſt: ad quid teneatur qui Religionem in genere vovit, vel aliquam in particulari? Reſpondet D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. *ad* 2. his verbis: *Ille qui ſe voto obligavit ad certæ Religionis ingreſſum, tenetur facere quantum in ſe eſt, ut in illa Religione recipiatur, & ſiquidem intendit ſe ſimpliciter ad Religionem obligare, ſi non recipitur in una Religione, tenetur ire ad aliam; ſi verò intendit ſe ſpecialiter obligare ad unam ſolam, non tenetur, niſi ſecundum modum ſuæ obligationis.* Sed quia non explicat S. Doctor quas diligentias debeat in particulari apponere ut recipiatur, variant circa hoc ejus diſcipuli, & alij Doctores. Nos breviter hanc regulam prudentem ſubjiciemus. Quod ſi in genere, vel in ſpecie Religiouem vovit, adire debet tot Religiones, vel Monaſteria, ut poſteà repulſus non ſit moralis ſpes, fore ut vovens alicubi recipiatur, idque prudentum judicio. Interdum namque ſufficit unum vel alterum monaſterium adire illius Religionis, cui voto ſe adſtrinzit, unam vel alteram religionem, ſi nullam determinavit, interdum non ſufficiet. Regulariter tamen ad quatuor vel quinque diverſas Religiones, ſi in voto nullam determinavit; vel duas, vel tres domus ejuſdem Ordinis, ſi alicui ſuum votum obligavit, ſufficiens & neceſſarium erit. Hanc regulam ſtatuit Sanch. *lib.*4. *ſumm. cap.*16. *num.*47. Palaus *diſſ.*1. *tract.*16. *p.*3. *n.*6. Layman. *lib.*4. *cap.*6. *tract.*5. *n.*1. Trullench. *lib.*2. *cap.*2 *dub.*19. à S. Fauſto *lib.*1. *q.*198. Garcia *tract.*2. *diſput.*1. *dub.*7. *n.*7. Et ſi ab his domibus, vel Religionibus ad quas acceſſit, ſincero animo habitum petendo, dimittatur, liber erit ab obligatione voti, ſi cauſa repulſæ eſt perpetua, non verò ſi fuerit temporalis, ut adverſa valetudo, tenera ætas, Parentum indigentia, &c. His namque ſublatis, tenetur iterum eaſdem repetere diligentias, ut ſui voti obligationi ſatisfaciat.

Qui vovit in genere Religionem non tenetur ſtrictiſſimā intrare: etiamſi non admittatur in aliis.

7. Sed eſt advertendum voventem ingredi Religionem ſimpliciter, non eſſe cogendum (niſi aliud ex ejus intentione conſtet) ingredi Religionem aliquam ſtrictiorem puta Carthuſianorum, Capucinorum &c. ſi ab aliis laxioribus repellatur, ſed jam ſuæ ſatisfeciſſe obligationi judicandum erit in illis admitti poſtulans: quia ſimpliciter vovens eſſe Religioſum cenſetur vovere aliquam ingredi ex Religionibus, quæ communi hominum naturæ accommodatæ ſunt, non quæ indigent ſpeciali Dei

vocatione

vocatione & auxiliis ut amplectantur. Sic Sanch. *n.49.* Ricardo, Angelo, Silveſtro, Armilla, Garcia. *num.4.* Palaus, *num.6.* Layman. *n.1.verſu: reſolues* 2, à S.Fauſto *q.*198. ¶ Addimus cum eodem Sanch.*n.49.* Garcia.*n.*18.Villalob. *p.2.tract.*34. *diffinit.*8. *n.*2. Quod ſi quis voverat ingredi aliquam ex Religionibus mendicantibus, repulſus à Calceatis, non tenetur ingredi in Ordine Diſcalceatorum. Tum, quia qui ineptus ad ordinem illorum judicatur, multo magis ad iſtorum: quia in his præter generales qualitates aliæ ſpeciales requiruntur. Et ſic vix aliquando reperitur ab illis repulſus, in iſtis admiſſus; è contra verò frequenter. Tum etiam: quia (ut inquit Sanch.) communem voventium intentionem hæc aſperitas excedit, petitque ſpecialem Spiritus Sancti vocationem & auxilia: proptereà, licet repulſus ab illis in iſtis admitteretur, ingredi non eſſet obligatus.

Non tenetur habens votū Religionis, Monaſteria quærere extra Provinciam; imò neque extra proprium opidum.

8. Imò, qui Religionem ingredi promiſit (niſi aliud de intentione conſtet cui ſemper eſt ſtandum, cum votum ſit lex particularis, quam quiſque ſibi imponit, & ſic juxta intentionem voventis obligat, & non amplius, ſed loquimur quando de iſta non conſtat) non tenetur quærere Religiones extra propriam Provinciam, ſeu nationem, ut omnes aſſerunt, quia non eſt cenſendus ſe voluiſſe obligare niſi ad Religionem intra propriam Provinciam ſi detur, & in illa admittatur. Fæmina verò promittens Religionem, non ſolum non tenetur quærere monaſterium extra propriam Provinciam, ſed neque longè à Populo, in quo ſunt ejus Parentes & cognati. Palaus *ſupra num.* 6. Sanch.*n.46.*Garcia. *tract.2. diffinit.1. dub.7. n.9.* Bonacin. *de voto diſtinct.4. punct.5. §.6. n.14.* Toletus *lib.4.cap.17. n.12.* à S. Fauſto *lib.1.q.195.& 196.* Tum quia regulariter fœminæ in propriis locis habitum ſuſcipiunt, & ſic talem fuiſſe ſuam intentionem emittendo votum, eſt cenſendum. Tum etiam; quia in hoc quod eſt extra proprium locum monaſteria quærere, novam obligationem & difficultatem ſuſciperet, ad quam ex vi voti non ſe obligavit, & magna difficultas cognita, nec prævisa à vovente, ac præter ejus intentionem ſuperveniens, excuſat à voti obligatione, ut docet Soto *lib.7. de juſt.q.1.art.1.* Aragonius & Caiet. *ad q.88. art.3.* 12. Et ob hanc novam difficultatem ſupervenientem, nec etiam viros voventes Religionem, ſi in monaſteriis propriæ civitatis non admittantur, non teneri extra illam alia quærere docent Tolet. & Hieron. Garcia *locis citatis.*

Ad quid teneatur qui determinatum monaſterium ingredi promiſit.

9. Qui verò vovit ingredi determinatum monaſterium alicujus Ordinis, videndum eſt quo animo & intentione votum illud emiſit? Si enim per ſe primò applicatus eſt illi domui, quia in ea eſt ſpecialis ratio, quæ ipſum movet, hic ſi petat in tali monaſterio ingredi, & repellatur, non tenetur alia monaſteria adire, etiam illius ordinis ut admittatur in illis: quia ejus mens ſolum fuit in tali domo, ſe Deo offerre ob ſpecialem opportunitatem, devotionem, vel alias rationes. Vnde non eſt cogendus ultra intentionem alias domus tentare. Cæterum, ſi mens illius fuit per ſe primo verbi gratia, eſſe Religioſum Dominicum, & quaſi ſecundariò ſe applicuit ut vellet in monaſterio celeberrimo S. Stephani de Salmantica, certè iſte tenetur per prius tentare, an in tali monaſterio poſſet admitti, ſed etiamſi repellatur, alia ejuſdem Ordinis quærere: quia ejus intentio fuit ſumendi talem habitum, & vivendi in tali Religione, & ex affectu ad illam motus fuit ad vovendum; quamvis ſecundario illi determinato monaſterio applicatus. Quod regulariter cenſendum eſt intendiſſe voventem ingredi aliquam ex mendicantibus, cum ignorare non poſſet mittendum ſtatim, ut frequenter contingit, ad alias domus ejuſdem Ordinis: & ſic quod in illa admittatur vel in alia, parum conducit ad ſuum intentum: quamvis in monachalibus & in dicto Monaſterio S. Stephani & aliis ſemper filiationem illius domus conſervent; in eaque habitum ſuſcipientes, ferè ſemper vivant. Vnde judicandum eſt voluiſſe per ſe primò voventem in tali domo degere, à qua ſi non admittatur, cogendus non eſt aliam adire. Sic Pellizaar. *tom.1 tract.4. capite 1. numero 52.* Palaus *tom.3. tract. 16. diſputat.1. punct.3. num.9.* Hieron. Gar. *in polit. Regul. tom.1. tract.1.diffinit.1. dub.7.numero 13.* Petr. de Ledeſma *tract. de Relig. in comm. capite 5. concluſione 3. §. lo terçero ſe ſigue.* Portel. *in dubiis Regul.verbo votum ſimplex n.8.* Suar. *tom.3. de Relig. lib.4.cap.2.n.4.*

Qui poſt votum ingredi petit & repellitur illegitime, vel ob impedimentū falſum, iterum tentare tenetur ut recipiatur.

10. Tertia difficultas eſt: an ſi quis à Monaſterio vel Religione, quam ingredi voverat, abſolute & ſimpliciter legitimè repellatur, & poſtea invitetur, teneatur illam ingredi ac ſi non eſſet repulſus? Diximus *ſi abſolutè & ſimpliciter*: nam ſi ad tempus vel ob temporaneum impedimentum repellatur, certum eſt ipſum poſt ablationem impedimenti, iterum tentare ingredi, teneri, & multo magis ſi ad hoc alliciatur, ut *numero ſexto* dicebamus, diximus etiam, *ſi legitimè*: nam ſi ex errore repellatur, ub impedimentum reputatum, quod verè non erat, ut ſi illegitimus putaretur, ſanguine infectus, criminoſus, ære alieno gravatus, quod tamen verè non erat; ſic enim certum eſt apud omnes, quod ſi Religio, cognita veritate, velit illum admittere, tenetur ex vi voti ingredi: quia ab ejus vinculo non liberatur, niſi legitimè repulſus ex ſcientia certa impedimenti; ſed quia poſſet poſtea religio ob ſpeciales rationes mutare animum, & velle admittere, quem antea repellerat, quæritur: an teneatur repulſam paſſus, ex vi voti, habitum accipere, rebus adhuc non mutatis; ſi namque mutatio nova ſuperveniret, ut ſi ſponſalia contraxiſſet, ſi Religionem laxiorem intraſſet, omnes admittunt iſtum liberum ab obligatione voti omninò manere.

Qui ob verum impedimentum repellitur, non tenetur iterum petere habitum vel eum accipere invitatus.

11. Affirmat igitur teneri ingredi in dicto caſu Prima ſententia: nec abſolvi ab obligatione voti: quia votum non in favorem Religionis, ſed Dei honorem emiſſum eſt: ergo licet illa cedat iuri ſuo, nolens admittere eum, non ob id ab obligatione voti liberatur; ſed quoties conſentiat, tenetur illud implere. Sic Sanch. *lib.4. Summ. cap.16. numero 71.* Bonac. *tom.2. diſp.4. quæſt.2. punct.5. §.6.num.11.* Laym. *libro 4. tract. 5. capite 6. numero 4.* ¶ Verius dicendum eſt ipſum non teneri, ſed liberum manere ab obligatione voti: tum, quia vovens ingredi aliquam Religionem cenſetur ſub conditione iſta votum emittere: *ſi non repellar*: ergo hac non poſita, ceſſat obligatio: tum etiam: quia ex vi voti ſolum tenetur talem diligentiam facere pro illius executione, quæ præſtari ſolet in re magni momenti: hac ergo exhibita, ad amplius non tenetur. Sic Aragonius, 2.2.q. 88. *art. 3. circa ſolutionem ad* 2. Leſſius *libro* 2. *cap.41. dub.5. num.44.in 2.editione.* Pellizzar. *tractat.4. cap.1. numero 50.* Garcia.*tract.1.diffinit.*1.

dub. 8. *num.* 14. à Sancto Fauſto *q.* 200 Palaus *diſp.* 1. *punct.* 3. *n.* 10. Suar. *c.* 2. *n.* 7. *&* 10. Diana *p.* 6. *tract.* 2. *reſol.* 52. Hinc infertur quod ſi quis petat habitum, & admiſſio ad illum à Religione differatur, & non ob temporaneum impedimentum, ſed ob aliquod ex natura ſua perpetuum, ſcilicet, quia non vult Religio ſtatim ſe determinare, ſed rem differt, ut videat an ſibi conveniens ſit illum admittere quod talis non tenetur, ex vi voti, eventum expectare, ſed ſincero animo habitu petito, ſi non admittatur, liber manet ab obligatione voti: hoc namque ſub hac conditione emiſſum cenſetur, *ſi facta debita diligentia religio admittere voluerit*: Igitur hac deficiente, liber à voto manet. Sic Authores præcitati.

Prælatus non tenetur recipere aliquem, quia voto eſt Religionis ligatus.

12. Et ſi hic obiter inquiras: an Prælatus Regularis eadem facilitate poſſit repellere petentem ingredi ex voto, ac poteſt eum qui nullum tale fecit? Reſpondetur affirmativè cum communi ſententia: quia nec tenetur ratione voti Prælatus illum admittere: quia illi nullam obligationem votum alterius induxit: nec quia alterius cooperetur fractioni voti, quæ non datur: ſiquidem ille votum ſuum ſufficienter adimplet petendo, & ſi repellatur, illud non frangit: ex nullo igitur capite Prælatus eum admittere tenetur, niſi ex generalibus rationibus, quibus aliàs votum non habentes, tenetur, ſi petant, ad Religionem admittere: de qua obligatione *cap. ſequenti* dicemus.

Quo caſu vovens Religionem teneatur ut Laicus intrare ſi non admittatur ut clericus?

13. Quarta difficultas eſt: an qui vovit Religionem, & ſolum cogitavit de ſtatu Sacerdotali, vel ita erat affectus ut noluiſſet obligari niſi ad talem ſtatum; vel illis eſt præditus dotibus, quas qui habent, non ſolent intrare, niſi ut ſacerdotes, ſi ut talis nulit religio eum admittere, recipiatur verò ab illa ut laicus, teneatur hoc pacto habitum accipere? Negativè reſpondendum eſt: quia tunc nec expreſsè, nec tacitè voluit ſe ad hoc obligare, & obligatio voti ultra intentionem voventis non extenditur. Cæterùm, ſi cum votum emiſit, nil cogitavit de gradu ad quem admittendus eſſet, & alioqui aptus ſit ſtatui tam clericali, quam Laicali, tenetur ingredi ad illum gradum, ad quem voluerint Religioſi: quia emittendo votum abſque ulla determinatione gradus, tacitè hoc videtur intendere, Bonac. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 5. §. 6. *n.* 6. Leſſius *lib.* 2. *c.* 41. *n.* 41. Pellizzar. *tr.* 4. *c.* 1. *n.* 54. Sanch. *lib.* 4. *Summ. c.* 16. *n* 55. *&* 56. Palaus *punct.* 3. *n.* 16. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 22. à S. Fauſto *lib.* 1. *q.* 110. Garcia *tract.* 2. *diffinit.* 1. *dub.* 7. *n.* 12. Poterit tamen, qui expreſsè vovit habitum Sacerdotum accipere, habitum Laicorum, & è contra ſuſcipere, atque unum in alterum commutare: quia eſt accidentalis mutatio intra eandem ſubſtantialiter Religionem.

Non tenetur votum habens Religionis litteras, vel artem addiſcere, ut admittatur.

14. At non tenetur vovens Religionem addiſcere litteras, aut aliquam artem etiamſi videat ideo non admitti, quia indoctus, aut nulla arte præditus, ſi inter vovendum nihil de talibus meminit; excuſatur enim ratione notabilis mutationis ſupervenientis, & quia aliàs ad medium extraordinarium & difficile ſe non intendit obligare. At verò ſi tunc advertit ſe non aliter admittendum ad Religionem, aut ſic ad eam affectus eſſet, ut ſi ſciviſſet, adhuc voviſſet, tenetur litteras, vel artem aliquam addiſcere, ſi abſque eis fore non admittendum videat: quia tunc cenſetur virtualem habere intentionem id vovendi, cum ſit medium ab eo cognitum ad finem neceſſarium, & ſic volito fine, cenſetur tacitè & conſequenter id velle. Sic Soto *lib.* 7. *de juſt. q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. Sanchez *n.* 61. 62. *&* 68. Palaus *n.* 14. Pellizzar. *n.* 56. Garcia *n.* 13. à Sancto Fauſto *q.* 211. Azor. 1. *p. lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 4. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 21. Quod ſi dubius ſit, an tempore voti ignoraverit ſcientiam ab ingredientibus poſtulari, præſumendum eſt ipſum ſcire ſcientiam grammaticæ eſſe neceſſariam ad gradum Choriſtarum: quia nulla ferè eſt Religio, quæ ignorantes illam admittat. Idem dicimus ſi promiſit gradum Laicorum, & dubitat an tunc ignoraverit artem aliquam eſſe ad hoc neceſſariam, quod ad minus artem facilem tenetur addiſcere, cum ad media facilia nemo deobligetur, & aliàs abſque prorſus ulla, omnes ſciunt ad talem non admitti ſtatum, niſi alias utilis eſſe poſſit Religioni aliis occupationibus & qualitatibus, quas in ſe experitur; tunc enim non tenetur ullam artem addiſcere, cum non eſſet medium per ſe neceſſarium ad finem intentum, ſed ſolum ex voluntate privata ſuperioris. Sic præcitati.

Ad quid teneatur qui ante matrimonium votum emiſit, & poſtea contraxit?

15. Quinta difficultas eſt: ad quid teneatur, qui votum Religionis ante matrimonium, quod poſtea contraxit, emiſit, vel poſt matrimonium conſummatum tale votum fecit? Reſpondetur, quod ſi ante matrimonium votum fuit emiſſum, peccat mortaliter contrahendo matrimonium, & tenetur illud non conſummare, nec petendo, nec reddendo debitum (niſi bimeſtre elapſo, & alter petat: quia tunc tenetur reddere & conſummare, ſed de novo peccabit, ſi tunc petendo conſummet: quia impedimentum poſuit adimpletioni voti, & ſe ad illam ineptum reddit) & ſi conſummet in illo bimeſtri, ſive petendo, ſive reddendo debitum, peccabit mortaliter: quia tunc impletioni voti aptus eſt, nec tenetur reddere debitum conjugi petenti, & ſic quomodolibet conſummando matrimonium obicem ponit obligationi adimplendi, ad quam, cum ſit aptus, adhuc tenetur, ſed illo jam conſummato, ſive cum culpâ, ſive abſque illa, poteſt licite & reddere & petere debitum, cum id non ſit contra votum: quia jam impedimentum non apponit adimpletioni illius, cum ei jam ſit facta in illo ſtatu impoſſibilis. Attamen non ob id ceſſat votum, ſed ſuſpenditur: undè cum primum illud poſſit exequi, tenetur: & ſic ſi conjux velit ſimul ingredi Religionem, ſi committat adulterium, in hæreſim labatur, aut moriatur, aut liberè facultatem ingrediendi concedat, aut alia cauſa ſubſit juſti divortij, tenetur tunc ingredi Religionem, & ſi tunc non implet, graviter peccabit, aut etiam remittendo adulterium ab altero commiſſum, aut ipſe adulterando, quomodo fieri poteſt compenſatio in delicto, ut non detur juxta cauſa divortij: quia ſic ſe impotentem reddit ad ſtatum promiſſum, & propria ſponte, non obligatione matrimonij coactus ab eo retrahitur. Quæ omnia docent Leſſius *libro* 2. *capite* 41. *numero* 47. Palaus *tract.* 16. *diſputat.* 1. *punct.* 5. *numero* 3. Bonac. *diſput.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 5. §. 6. *numero* 19. Portel *Verbo Votum*, *numero* 49. Suar. *tom. de Relig. libro* 4. *capite* 5. *numero* 6. Sanchez *libro* 4. *Summ. capite* 16. *numero* 117. *& de matrim. lib.* 9. *diſputat.* 33. *à numero* 15. Pellizzar. *tract.* 4. *capite* 1. *num.* 77.

Ad quid teneatur qui poſt con-

16. At ſi poſt conſummatum matrimonium, votum emittat, & vovet ingredi de conſenſu alterius, referendo ſe ad tempus in quo liberè

illud

ſummatum matrimonii Religionem promiſit?

illud exequi poteſt, tunc abſolutè pro illo tempore, quo expeditus fuerit obligatur. Si verò voveat ingredi de conſenſu alterius in illo ſtatu, tunc valet votum; attamen abſolutè non obligat, ſed ſub conditione iſta: *ſi uxor præſtare voluerit quæ de jure requiruntur.* Nimirum quod ipſa Religionem ingrediatur, ſi juvenis, vel talis fuerit, ut in eam cadere poſſit ſuſpicio incontinentiæ vel caſtitatem voveat in ſæculo, ſi jam ſenex fuerit, experſque dicti periculi. Sic Leſſius *n.*47. Pellizzar. *n.*79. Palaus *punct.*5. *n.*4. Qui advertunt conjuges poſt votum Religionis ex communi conſenſu factum, poſſe petere & reddere debitum; quamdiù illud executioni non mandaverint: quia conjugij uſus, nullo modo obſtat voto Religionis, nec ejus impletionem impedit.

Ad quid teneatur qui ante vel poſt ſponſalia ad religionem ingredi promiſit.

17. Si quis autem ante ſponſalia votum Religionis habeat certum eſt teneri ſervare votum: quia omnis promiſſio poſt illud, de re incompoſſibili, nulla eſt omninò, utpotè de re illicita; ideoque hujuſmodi ſponſalia, utpotè nulla, non induunt impedimentum publicæ honeſtatis. Imò qui poſt contracta ſponſalia, ſi nullum damnum fuerit in ſponſam commiſſum, emiſit votum Religionis, illud tenetur obſervare: tum quia ſponſalia cenſentur contrahi ſub tacita conditione, *niſi meliorem ſtatum eligero*: in quo, cum ſit par conditio utriuſque conjugis, nulli irrogatur injuria: tum etiam, quia jus tribuit facultatem ingrediendi Religionem poſt matrimonium contractum non conſummatum: ergo multo magis poſt ſponſalia: ergo expeditus eſt tunc ad ingreſſum: ergo cum ad illum teneatur ex voto, ingredi proculdubio tenetur. Quæ omnia ad longum tractavimus *tom.*2. *hujus curſus tract.*9. *de matrim. cap.*2. *punct.*2. Vbi etiam diximus, quod licet ſponſus votum habens, utrumque impleri poſſit matrimonium contrahendo, & ante conſummationem ad Religionem convolando, nihilominus non tenetur contrahere: tum quia periculo ſe exponit non implendi votum, matrimonium conſummando: tum etiam, quia alteri conjugi irrogat injuriam cum eo contrahendo, animo eum deſerendi. Cæterum ſi poſt ingreſſum exeat, tenetur implere ſponſalia ante votum celebrata (non illa quæ poſt votum facta ſunt, cum fuerint nulla) ſi alter velit: quia tunc non eſt quod eum excuſet. (Alter vero contrahere non tenebitur ob ſpecialem mutationem ex parte alterius inventam, ut ibidem diximus.) Sed quid ſi poſt votum Religionis cognovit fœminam, vel Virginem, vel viduam honeſtam, vel talem cum illa habuit communicationem, ut ejus fama periclitaretur? tenebiturne illam ducere, an potius Religionem intrare? Vide quæ latè diximus *tom.*3. *hujus curſ. tract.*13. *de reſtitut. c.*3. *à n.*20.

Non ſatisfacit obligationi voti Religionis, qui poſt illud admittit Epiſcopatum.

18. Sexta difficultas eſt: utrum habens votum Religionis ſatisfaciat ſuæ obligationi Epiſcopatum admittendo? Affirmativè reſpondet Rodriguez *tom.*2. *Summ. cap.*6. *n.*6. Sà *verbo Epiſcopus num.*2. Quod probabile dicit Enriquez *lib.*10. *de ſacram. ordinis cap.*33. *fine.* Quià ſtatus Epiſcoporum perfectior eſt ſtatu Religioſorum, ut docet D. Thom. 2.2. *quæſt.*184. *art.*7. Sed votum non infringit, qui illud in melius commutat: ergo &c. ¶ Sed nihilominus reſpondendum eſt negativè, & dicendum: peccare admittendo Epiſcopatum, & eum reſignare teneri, ſi tantùm ſit electus, & ſi electus & confirmatus, petere à Pontifice licentiam ad religionem tranſeundi, vel certè voti relaxationem ad effectum obtinendi Epiſcopatum: *Cap. per tuas* 10. *de voto.* Vbi Innocentius III. in propoſito caſu ſic ait: *Conſulimus, ut ſi tuam ſanare deſideras conſcientiam regimen reſignes Eccleſiæ, & reddas altiſſimo vota tua.* Et ratio eſt: quia Epiſcopatus eſt quidem ſtatus perfectionis, per ſe & formaliter loquendo, non propriæ, ſed alienæ, non paſſivæ, ſed activæ: & ideò quia ad perficiendum alios ordinatur, à D. Thoma perfectior conſtituitur ſtatu Religioſorum: Vnde ſecluſo caſu neceſſitatis, melius eſt ipſi voventi ad religionem tranſire, quam ſuſcipere Epiſcopatum: & ſic commutare non poteſt ſuum votum in curam Epiſcopalem: quia votum propria authoritate commutari non poteſt in melius ſecundum ſe, ſed in id quod eſt melius voventi. Sic expreſsè D. Thom. 2.2. *q.*189. *art.*3. *ad* 1. & *ibi*, Caietan. Lezana *tom.*1. *cap.*24. *num.*27. Sanch. *lib.*4. *Summ. cap.*17. *num.*5. Suar. *tom.*3. *de relig. lib.*1. *cap.*19. *à n.*9. Layman. *lib.*4. *tract.*5. *cap.*6. *n.*15. Sylveſter *verbo votum* 3. *q.*9. *& verbo religio* 2. *q.*20. Palaus *tract.*16. *diſp.*1. *punct.*6. *n.*2. Pellizzar. *tract.*4. *cap.*1. *n.*86.

PVNCTVM II.

Qualiter votum Religionis aſſumendæ obliget ad perſeverandum in ea?

19. QVATVOR circa materiam hujus puncti docet D. Thom. 2.2. *q.* 189. *art.*4. quæ ab omnibus ferè admittuntur. Primò aſſerit S. Doctor quod cum obligatio voti pendeat ex intentione voventis, ſi non ſolum ingredi, ſed perſeverare intendit in voto, ad utrumque ſimul tenetur: quare qui votum perſeverandi in aliqua Religione emittit, non poteſt exire (niſi ob urgentiſſimam cauſam, ut ſi tempore probationis magnam & extraordinariam difficultatem non prævisam tempore voti experiatur, aut timeat grave & urgens periculum alicujus mali, aut damni ſpiritualis, vel ob ægritudinem multò duraturam tempore judicatam, vel ob parentum gravem neceſſitatem &c. quia tunc egredi poteſt, notabili mutatione rerum excuſante.) His tamen præciſis, non poterit abſque peccato mortali Religionem deſerere: quia ad utrumque ſe obligavit, & ad ingreſſum, & profeſſionem: non ergo ingrediendo ſatisfacit, ſed debet ad profeſſionem uſque perſeverare.

Ad quid teneatur qui habet votum perſeverandi.

20. Secundò docet D. Thom. quod ſi vovens Religionem, ſolum intendit illam experiri, ac proinde, ingredi ut in anno probationis experiatur an ſibi fuerit conveniens? non tenetur perſeverare. Vnde ſi bono animo ingrediatur, & ex juſta cauſa recedat, non tenetur aliam ingredi: quia jam ſui voti obligationi ſatisfecit: ſiquidem ſolum vovit ingreſſum. At ſi petat habitum, & non admittatur in una religione, & habet votum ſimpliciter, tenetur tendere ad aliam, & ſi in iſta non, aliam tentare, uſquedum non detur ſpes probabilis ut in aliqua admittatur, ut diximus *n.* 6. Et idem eſt de habente votum ingrediendi talem Religionem, quod ſi in tali domo non admittitur, aliam & aliam adire tenetur, modo ibi dicto; & idem eſt ſi ratione morbi, vel ex alia cauſa temporanea non admittatur, quod illis ceſſantibus, iterum

Ad quid teneatur qui ſolum habet votum ingrediendi?

tentare tenetur, an poſſit in Religione aliqua admitti?

Ad quid teneatur qui votum religionis in genere emiſit.

21. Tertiò docet S. Doctor quod ſi in vovendo, ſimpliciter de ingreſſu Religionis cogitavit, abſque hoc quod cogitaret vel de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingreſſum Religionis ſecundum formam juris communis, quæ eſt ut ingredientibus detur annus probationis: *unde non tenetur perpetuò in Religione manere.* Vnde ſi dubitet quò animo votum emiſit? An videlicet cum intentióne ſe obligandi ſolum ad ingreſſum, vel ad perſeverandum, tenetur duntaxat ingredi & experiri, an ſibi talis vita incommoda & difficilis viſa fuerit? & ſi eam exiſtimat alacri animo ferre non poſſe, poteſt libere exire: quia talis ſolum cenſetur juxta formam juris communis voviſſe, & in dubio ita eſt judicandum, & jus commune ad hoc concedit Novitiatum, ut quiſque vitam experiatur, & ſi ſibi commoda viſa fuerit, eam amplectatur, ſin minus, deſerat, liber omnino à voti obligatione.

Ad quid teneatur qui poſt votum, ficto animo intravit.

22. Quartò inquit S. Doctor *in ſolutione ad 3.* Quod *ille qui intravit, ut ſtatim exeat, non videtur ſatisfacere voto ſuo: quia ipſe in vovendo, hoc non intendit, & ideò tenetur mutare propoſitum, ut ſaltem velit experiri, an ei expediat in Religione manere, non autem tenetur ad perpetuò remanendum.* Loquitur de eo, qui ſolum votum ingrediendi habebat, talis ergo ſub obligatione mortali tenetur animum mutare, & ſe velle experiri vitam an ſibi conveniens ſit, ut ſi talis viſa fuerit, eam amplectatur, aliter ſi exeat, minime voto ſatisfacit, ſed adhuc ſub obligatione eſt iterum bono animo ingrediendi Religionem: quia ad hoc ſe per votum obligavit, hoc intendit, alias inutilis, imò turpis omninò eſſet talis promiſſio. Hæc ſunt communia apud DD. propterea ab illis citandis abſtinuimus. Reſtat nunc triplex difficultas inter eos ventilata.

Qui ſemel poſt votum intravit poſſe abſque cauſa exire liber à voto, aſſerit prima ſententia.

23. Prima difficultas eſt: an ſi quis habens votum ſolum ingrediendi (vel habens votum Religionis ſimpliciter, quod de ſolo ingreſſu intelligitur) & habitum bona fide aſſumat animo experiendi ſtatum (vel certè malo animo ſtatim egrediendi, intret, & poſtea mutet animum modo dicto *numero præcedenti*) ſi abſque juſta cauſa videns vitam illam ſibi utilem eſſe, ſed amore ſæculi attractus Religionem deſerat, liber ab obligatione voti maneat? Affirmat prima ſententia (& quidem probabiliter, ut dicunt Sanch. & Pellizzar. *infra* citandi) quia qui Religionem vovet, cenſetur eam vovere ſub conditione probationis à jure conceſſæ; Sed jus concedit ingredientibus Religionem voto non præmiſſo, ut poſſint abſque ulla cauſa, ſolum pro libito Religionem deſerere. *Cap. ad Apoſtolicam de Regularibus: cap.* 1. *eodem titulo in ſexto*: ergo vovens ingredi Religionem obligationi voti ſatisfecit, quamvis pro libito deſerat illam: ſiquidem non ſe vult ad Religionem obligare aliter, quam cæteri ingredientes obligantur. Sic Navarr. *lib.* 3. *conſiliorum titulo de voto, conſilio* 21. Azor. 1. *p. lib.* 11. *cap.* 12. *q.* 6. *fine.* Bonacina *de voto diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 6. *n.* 22. Caiet. Soto, Aragon, & alij apud Sanch. *lib.* 4. *Summ. cap.* 16. *n.* 90.

Verius eſt teneri non exire ſine cauſa qui poſt votum religionem intravit.

24. Verius tamen dicendum eſt iſtum ſuæ obligationi non ſatisfeciſſe, ſed peccare graviter Religionem pro libito deſerendo, & adhuc ex voto teneri iterum ingredi, ſi admittatur. Primò: quia votum Religionis non eſt votum ſuſcipiendi habitum Religioſum, ſed eſt votum obſequendi Deo toto vitæ tempore: ergo obligat ad profeſſionem faciendam, ſaltem ſi religio probata placuerit. Secundò: quia votum obligat ad ſuſcipiendam, bono animo experiendi, probationem Religionis; ſed de ratione probationis eſt ut probatum admittatur, ſi bonum & conveniens judicetur, ſin minus relinquatur: ergo qui vovet ad probationem admitti juxta illius naturam, ſi judicaverit Religionem ſibi convenire, nedum ad bonum ſpirituale animæ (id enim ſemper judicabitur) ſed ad vitam quietè, tranquillè, & abſque omni perturbatione tranſigendam, tenebitur ex vi voti illam amplecti: ad quod non tenetur qui voto non eſt adſtrictus, ut dicemus *cap.* 3. *punct.* 5. quia ipſi concedit jus probationem cum omnimoda libertate vitam illam admittendi, vel deſerendi: qui autem voto ſe adſtrinxit hanc omnimodam libertatem, ſibi ademit, juriſque conceſſioni ſponte ceſſit, & ſic ſolum probationem accipere poteſt juxta formam jure communis quoad hoc ut experiatur per annum, an ſibi congrua & conveniens videatur religio, & ſi non ità experiatur, liberum ſit ipſi exire; ſed tamen, ſi conveniens judicetur, & juſta cauſa egreſſus non adſit, tenetur profiteri: ſi minus non ſatisfecit obligationi voti. Sic Sanch. *loco cit. num.* 74. 81. *&* 90. Suar. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 2. *& cap.* 4. *n.* 1. Pellizz. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 22. *& tract.* 4. *cap.* 1. *n.* 59. Hieron. Garcia *in polit. regul. tom.* 1. *tract.* 2. *diffinit.* 5. *dub.* 7. *n.* 6. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 4. *n.* 2. Bartholom. à S. Fauſto *lib.* 1. *theſauri q.* 213. Miranda *tom.* 1. *q.* 10. *art.* 4. & alij.

Aliqua certa circa quæſitum proponuntur.

25. Secunda difficultas eſt: an ſi quis habens votum profitendi, bona fide religionem ingrediatur, animo perpetuo manendi, & à religione ejiciatur, vel quia judicatur ineptus, vel quia remiſsè ſe geſſit in probatione, vel ob ægritudinem, vel parentum neceſſitatem, ita quod per ipſum non ſtet quominus profiteatur, iſte maneat liber ab obligatione voti, ita ut non teneatur aliam Religionem vel Monaſterium adire, donec de facto profiteatur? Supponit quæſtio eum qui bona fide ingreditur, & votum Religionis tantum habebat, ſatisfeciſſe jam ſuæ obligationi, ſi à religione, etiam ſua culpa ejiciatur, ut diximus *num.* 11. Supponit etiam quod ſi habens votum profitendi, non faciat quod in ſe eſt, mediocri aliqua diligentia procurando ſatisfacere obligationibus Novitij, ſed remiſsè omnino, vel nimis laxè vivat, non ſatisfecit voti obligationi, ſed tenetur iterum ipſam, vel aliam Religionem ingredi (ſi nullam in voto deſignavit) & ingreſſus mediocrem ſaltem diligentiam adhibere, ut ſe attemperet modo Religioſo (nam ad perfectiorem modum & extra ordinariam diligentiam nemo tenetur) quia qui intendit finem, etiam media neceſſaria ad illum intendere judicatur; & ad hæc obligari cenſetur, qui ad illum aſſequendum ſe obligavit. Difficultas ergo eſt, quando adhibita mediocri diligentia in ſuis adimplendis obligationibus, adhuc religioni non placet, vel ob pravam indolem, vel ob inſcitiam, vel ob alias cauſas enumeratas, & dimittatur: an liber maneat ab obligatione voti?

Quæſtio propoſita reſolvitur.

26. Affirmat prima ſententia ſatis probabiliter: quia qui promiſit perſeverare, non eſt intelligendum quod ſe obligavit ad profitendum omnibus viis & modis, quibus profeſſio adipiſci poteſt. ſed quod per ipſum non ſtet quominus

eam

eam aſſequatur, faciendo quod in ſe eſt via ordinaria, uti eſt ingredi bona fide, diligentiam aliquam adhibere in ſuo modo operandi, & ſi non dimittatur profiteri: ergo per hoc ſatisfacit ſuæ obligationi, nec eſt cogendus ad ſuperandas omnes difficultates, non ſolum in ſua approbatione, ſed in omnibus poſſibilibus. Sic Palaus *diſp.* 1. *punct.* 4. *num.* 10. Suar. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 15. Garcia *tract.* 2. *diffinit.* 5. *dub.* 7. *num.* 9. & omnes illi qui dicunt votum perſeverandi non amplius obligare, quam ingrediendi, quos *infra* dabimus. ¶ Sed negativæ ſententiæ adhæremus; quia qui promiſit perſeverare, ad duo ſe obligavit, & ad ingrediendum, & ad profitendum; ſed qui ſolum ingredi promiſit, non ſatisfacit ſuæ obligationi petendo habitum in una Religione, vel domo, ſed ſi repellatur tenetur aliam & aliam adire, uſque dum non detur ſpes probabilis quod in aliqua recipiebatur, ut dicebamus *n.* 6. ergo ſimiliter qui profiteri promiſit, præter hoc tenetur unam & alteram Religionem probare, & ſi ab una dimittatur, aliam ingredi, uſque dum moraliter non detur ſpes quod in aliqua ad profeſſionem admittatur, & tunc ceſſabit obligatio voti, & non antea. Ita Sanch. *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 85. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 13. Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 3. §. 6. *n.* 21. Pellizz. *tract.* 4. *c.* 1. *n.* 64.

Poſſe ex juſta ſed non urgenti cauſa exire qui votum habebat perſeverandi, aſſerunt aliqui.

57. Vltima difficultas eſt: an ſi quis votum habeat perſeverandi, & ingreſſus Religionem, experiatur ſe non poſſe illi vitæ faciliter, & commodè attemperari, vel quod Deo melius extra illam ſerviret, judicet, vel quod aliquod incommodum, laborem, &c. in Religione habebit, vel alia juſta cauſa detur, ſed non urgens, poſſit abſque peccato Religionem deſerere liber ab omni obligatione voti, ſicut de illo, qui ſolum votum ingrediendi habebat, diximus *ſupra*. Et ſic eſt quærere æquivalenter: an qui votum habet perſeverandi, non amplius obligetur quam qui ſolum ingrediendi? Difficultas adeo inter DD. ventilata, ut communis ſententia contra communem, circa illam reperiri dicat Machado *lib.* 3. *part.* 4. *tract.* 2. *documento* 2. *num.* 3. ¶ Prima ergo eſt affirmativa. Et probatur primò: quia hoc votum perſeverandi ſub tacita conditione cenſendum eſt, eſſe emiſſum: *Si in probatione ſibi expediens, & conveniens ſtatus videatur?* quod noſtro idiomate dicitur: *Que le arme a ſu natural y genio el eſtado:* ergo hac non poſita, liberè poterit exire ab obligatione voti immunis. Secundò: quia qui ingredi promiſit, etiam tacitè profiteri vovit; & tamen ſi ſibi incommoda illa vita viſa fuerit, poteſt eam deſerere liber à voti obligatione, ut diximus *num.* 51. quia ſub illa conditione cenſetur votum emiſſum: ſimiliter ergo in præſenti. ¶ Tertiò, quia ſi ille experientia, vel alia via noſſet qualis eſt vita Religionis, admittendum foret majorem obligationem ſubire, quam qui ſolum ingredi vovit. Sed quid ſcit ille de tali vita? quomodo noſſe poteſt illius difficultates, quas non eſt expertus? Id autem quod neſcit, nec vovere poteſt, nec ad illud obligari: quia eſſet cæco modo procedere: igitur ſolum obligatur ad experiendum an ſibi expediat talem vitam amplecti; ergo ſi oppoſitum experiatur ad amplius non tenetur. ¶ Quarto quia *cap. Ad Apoſtolicam, de Regular.* & Trid. *ſeſſione* 25. *c.* 15. & 16. annullant quamlibet renuntiationem anni novitiatus, & ſtatuunt quod ſemper in probatione poſitus, ſit liber ad exeundum: ergo vult quod nemo obligetur ad perſeverandum abſolutè, ſed ſub conditione, ut conveniens & facilis ſtatus inveniatur: ergo ſi non ita experitur, poterit quantumvis voveat, exire, nec amplius tentare talem modum vivendi tenebitur. Sic Soto, Aragon, Sa, quos refert & ſequitur Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 5. *num.* 48. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 8. Bartholom. à S. Fauſto *in theſauro relig. lib.* 1. *quæſt.* 214. Hier. Gar. *in polit. regul. tom.* 1. *tract.* 2. *diffin.* 5. *dub.* 7. *n.* 8. Machad. *ſupra num.* 4. Petr. de Ledeſm. *tom* 2. *Sum. tract.* 10. *cap.* 3. *dub.* 7. *caſu* 4. Caſtr. Pal. *tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 4. *n.* 9. Dian. 1. *p. tract.* 3. *miſcel. reſol.* 10. & alij.

Verior eſt ſententia negans habentem votum perſeverandi poſſe ex qualibet cauſa exire.

58. Cæterùm tenenda eſt ſententia ſecunda, dicens: eum qui promiſit non ſolum ingredi, ſed etiam profiteri, ad amplius ſe voluiſſe obligare, quam ille qui ſolum ingredi promiſit: proindeque, licet iſte ob aliquam incommoditatem, vel difficultatem, vel aliam juſtam cauſam nimis non urgentem poſſet Religionem deſerere, immunis jam ab obligatione voti. Secus verò ille; ideoque & peccabit religionem deſerendo, & tenebitur ultra ingredi, uſque dum de facto per ipſum non ſtet, quominus ad profeſſionem admittatur. Probatur: quia hic duplicem obligationem ſubiit, & intrandi, & perſeverandi: ergo ſicut tenetur ingredi, licet in hoc aliquem laborem, vel incommodum ſentiat: quia hoc intrinſecè talis obligatio ſecum affert, ita etiam tenetur poſt ingreſſum ad perſeverandum, quamvis in tali modo vivendi aliquam difficultatem reperiat, quam ſaltem in confuſo ſciviſſe, quando emiſit votum, nemo ambigit. Vnde per iſtud votum renuntiavit juri quod alias habebat exeundi ob ſolam incommoditatem, vel aliquam difficultatem ſtatus. Nec Concilium hanc renuntiationem prohibuit: quis enim negabit jam ingreſſum Religionem, poſſe vovere perſeverantiam in illa, cum ſit res optima, ſibi utilis, & Deo grata, & per hoc votum, renuntiat libertati jam dictæ. Prohibuit ergo Concilium, quod annus noviciatus renuntietur, quia intra illum poſſunt occurrere urgentiſſimæ cauſæ, maximæ, & extraordinariæ difficultates, quibus ſtantibus, & non aliter poterit deſerere ſtatum. Vnde quamvis qui ſolum ingredi vovit, cenſeatur ſub illa conditione votum emiſiſſe, ſi ſibi expediens videatur? Vovens verò profiteri, non niſi ſub iſta: *Niſi maxima difficultates, cauſa urgentiſſima, vel graviora pericula occurrant.* Et quid inter quod ipſe expertus non ſit illius ſtatus difficultates, ut eum cognoviſſe in confuſo dicamus, ita ut teneatur cum mediocri difficultate illam vitam amplecti? Numquid, qui promiſit caſtitatem, expertus eſt difficultates in ejus obſervatione inventas? Et quia ſibi difficilis videtur via, poteſt ſua ſponte eam deſerere? Sed certè qui vovet rem aliquam arduam, quamvis poſſibilem, multoties majores difficultates animo concipit, quam fortè ſunt in illa; & licet eas experientia non cognoſcat, non ob id cæco modo procedit. Per quæ ſoluta ſunt omnia contraria argumenta. Noſtram ſententiam docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 4. Cajet. *ibi* Navarr. Covarr. Azur, Valentia Rodrig. quos refert & ſequitur Sanch. *lib.* 4. *Sum.* *cap.* 16. *num.* 81. Candidus *diſquiſit.* 25. *art.* 13. *dub.* 21. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 14. Portell. *in dub. regul. verbo votum*, *num.* 42. Pell. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 21. Tuletus *lib.* 4. *c.* 17.

Quæſtio propoſita reſolvitur.

 num. 12.

*num.*12.*& cap.*18. *num.*2. Bonac. *tom.*2. *diſp.*4. *de voto q.*2. *punct.*5. §. 6. *num.* 22.

PVNCTVM III.

Quo tempore urgeat obligatio voti intrandæ Religionis emiſſi.

Qui tempus non determinavit, tenetur quam primum poteſt votum implere.

29. Bifariam ſe poteſt habere, qui promiſit ingredi Religionem, vel abſolutè abſque ulla temporis determinatione, vel aſſignando tempus aliquod; & hoc adhuc fieri poteſt dupliciter, vel tempus aſſignando intra quod teneatur votum implere, ut dicendo: *Deo promitto intra duos annos Religionem ingredi.* Vel tempus determinando, poſt quod incipiat obligatio, ut ſi dicat: *Promitto me fieri Religioſum, cum viginti annos impleverim.* Igitur cum nullum tempus determinatur, tenetur vovens, quamprimum moraliter, & commodè poſſit, Religionem ingredi. Quod eſt commune omnibus votis, in quibus tempus non aſſignatur. Et ſic Deuteron. 23. dicitur: *Cum votum voveris Domino, non tardaveris reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.* Eccleſiaſtes 5. *Si quid voviſti Domino, ne tardaveris reddere; diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio.* Et ratio eſt: quia aliàs nullum eſſet tempus determinabile, cum non ſit major ratio quare hoc tempore urgeat obligatio, & non illo. Quare ſicut aliæ promiſſiones factæ hominibus, & ab eis acceptatæ, ex tunc obligant cum commodè poſſunt impleri, ſic etiam votum, quod eſt promiſſio facta Deo, ab eoque acceptata, ab illo tempore obligat quo emiſſa eſt; ſic communiter DD. qui etiam advertunt, ſtrictius obligare votum Religionis, ut quamprimum commodè poſſit adimpleatur, quam alia vota, quæ non ſunt obſequii perpetui, ut votum eleemoſynæ, peregrinationis, jejunii, &c. Nam licet horum impletio etiam quamprimum obliget; tamen per hoc quod differantur, nihil obſequii debiti Deo minuitur, & ſic poſſunt poſtea perfectè impleri; at cum votum Religionis ſit per totam vitam ſe Dei obſequiis mancipare, quo magis differtur, magis de obſequio Deo debito tollitur, ideóque citius implendum. Suar. *tom.*3. *lib.*4. *de voto cap.*11. *num.*5. Sanch. *lib.*4. *Summ. cap.*14. *num.*22. Palaus *tract.*16. *diſp.*1. *punct.*5. *num.*1. Garcia *tract.*2. *diffinit.*1. *dub.*8. *n.*6. Pelliza. *tract.*4. *c.*1. *n.*96. Trullench. *in decalog. lib.*2. *cap.*2. *dub.*13. *num.*11.

Intelligitur de tempore quo moraliter poteſt impleri votum.

30. Diximus hoc votum obligare quamprimum commodè impleri poſſit: quia quando tempus non determinatur, ſic eſt interpretanda intentio voventis, ut excedatur noluiſſe ita ſtrictiſſimè obligari, ſed eum dicto temperamento. *l. quod dicimus, ff. de ſolutionibus*, ibi: *Statim ſolvere cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt.* Et *l. continuus*, §. *cum ita, ff. de verbor. obligat.* Vbi ſtatuitur quod quando *ſtatim* dicitur aliquid implendum, vel *cum primum* accipi debet cum quodam temporis ſpatio, quod nec maximum ſit, neque minimum; ſed boni arbitrio viri judicandum. Ita Sanch. *n.*5. *&* 6. Suar. *tom.*3. *tract.*7. *lib.*4. *cap.*2. *fine*. Machad. *lib.*2. *part.*3. *tract.*10. *docum.*8. *num.*3. Pellizzar. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 95. *&* 124. Garcia *num.*6. Trullench. *num.*12. Palaus *illo punct.* 3. *num.*2. *& tract.*15. *diſp.*1. *punct.*13. *num.*6. Bonac. *diſp.*4. *quæſt.*2. *punct.*5 *initio*. Vnde aſſerunt, (ſuppoſito quod non adſit periculum votum prætermittendi) eſſe rationabilem cauſam differendi adimpletionem, ſpes quod melius, & utilius ea dilatione executioni mandabitur, ſi ad Religionis labores perferendos, ejuſque ſuſtinendas auſteritates non ſit ſatis idoneus, & ſperet fieri, ſi differat: ſi ob litterarum eruditionem, quam æque non poteſt in illo Ordine obtinere, & eſt religioni utilis: Si parentes ægrè ferent Religionis ingreſſum, & ſperet dilatione eſſe temperandos, & alia cauſa occurrat, quæ prudenter juſta & rationabilis differendi videatur. Cautè tamen ſemper eſt in his caſibus procedendum, ne nimia ſit dilatio, aut ne periculum adſit nunquam votum exequendi: & ſic melius erit rem cum prudenti Confeſſario conferre, & ejus judicio gubernari.

31. Sed rogabis: qualis dilatio temporis erit ſufficiens ad peccatum mortale, & tranſgreſſionem voti, ſuppoſito quod detur opportunitas illud implendi, & nulla cauſa ſubſit, quæ prudenter dilationem cauſet? nam certum eſt parvitatem materiæ in hoc caſu reperiri, ratione cujus differens excuſetur à mortali, ut omnes admittunt. Sed etiam docent communiter DD. peccare mortaliter qui differt impletionem voti, etiam per breve tempus, ſi prævideat periculum non implendi votum: quia qui tenetur finem apponere, etiam media neceſſaria ad finem, & auferre impedimenta, quæ illius aſſecutionem impediunt; maximè quando nullum impedimentum poſſit eum extrahere ab obligatione voti, licet aliqua tranſgreſſionem excuſent, uti diximus *tract.*11. *de legibus cap.*2. *punct.*10. *num.* 155. & etiam eſt certum eſſe in continuo peccato mortali qui differt notabiliter impletionem, ut diximus *tract.* 14. *de reſtit. cap.*1. *num.*262. Vbi etiam quot peccata committat? quomodo illa in confeſſione debeat detegere explicuimus *num.*264. quæritur ergo modo quæ mora judicetur notabilis ad peccatum mortale?

Si impedimentum obſtans impletioni timeatur quælibet dilatio eſt materia gravis.

32. Aliqui arbitrantur ſolum cenſeri moram notabilem pro impletione voti Religionis, per duos vel tres annos differre ingreſſum, data opportunitate, ſi non timeatur periculum alicujus impedimenti, vel ulterioris dilationis; in aliis vero votis, in quibus nil ex dilatione omittitur implendum, cenſent tunc eſſe mortale ſolum, quando datur periculum ea non implendi: quia parum intereſt quod hoc vel illo tempore reddatur, cum tota res integra redditur, & aliàs tempus non determinatur. Sic Ledeſma *tom.*2. *Summ. tract.*10. *cauſa* 3. *dub. penult. tom.* Armilla *verbo votum*, *num.* 16. Rodrig. *tom.*2. *Summ. cap.*95. *num.*9. § Sed aliis meritò hæc doctrina nimis laxa videtur: ideoque dicunt in voto Religionis poſt nactam opportunitatem, non eſſe mortale, ſi per dimidium annum differatur impletio, ſecus ſi amplius procraſtinetur: Minor namque dilatio, ob difficultatem tanti operis & perpetui ſacrificii exequendi, non cenſetur notabilis: & major cedit in gravem diminutionem divini obſequii. In aliis verò votis, in quibus per dilationem nihil obſequii divini ſubſtrahitur, ultra duos, vel tres annos differre, erit mortale: quia licet res promiſſa integrè ſit exequenda, illius tamen executionem tanto tempore differre contra voluntatem Dei, qui eſt creditor, gravem

Quo tempore differre impletionem voti ſit mortale.

de

deordinationem continet. Sic Sanch. *lib. 4. Sum. c. 14. n. 22.* Garcia *tract. 5. diffin. 1. dub. 3. n. 9.* Trullench. *lib. 2. c. 2. dub. 13. à num. 6.* Palaus *tract. 15. diſp. 2. punct. 13. n. 7.*

33. Quando verò tempus aſſignatur ut terminus, quo incipiat obligatio voti v. g. *Promitto me ingredi Religionem, quando viginti annos impleverim; quando parentes moriantur, &c.* Certum eſt non teneri votum implere uſque ad illud tempus: quia votum ultra intentionem non obligat; at illo tempore præfixo adveniente, tenetur quamprimum commode poſſit, votum executioni mandare, modo quo diximus de illo qui tempus non aſſignat. Hinc infertur, voventem non teneri tempus aſſignatum prævenire, etiamſi ſciat poſtea adventurum impedimentum, quo impoſſibilis ſit impletio voti: quia cum aſſignavit tempus, intentionem habuit non ſe obligandi uſque ad illud; & ideo ab illo incipit obligatio: non ergo illud prævenire tenetur; ſicut non teneris audire Miſſam niſi in die feſto; jejunare, v. g. niſi in Quadrageſima, etiamſi ſcias illo tempore futurum impedimentum, quo excuſeris ab impletione illorum præceptorum, non teneris anticipare jejunia, audire Miſſam, &c. Sic Trullench. *lib. 2. c. 2. dub. 14. num. 15. fine.* Garcia *tract. 2. diffinit. 1. dub. 8. n. 2.* Palaus *tract. 15. dub. 1. punct. 15. n. 2.* Suar. *tom. 2. de relig. lib 4 de voto c. 14. à num. 5.* Bonac. *tom. 2. diſp. 4. q. 2. punct. 5 §. 1. n. 11.* & alii.

Si tempus determinatū habeat latitudinem non poterit impletio differri intra illud cum periculo nō impletionis.

34. At verò ſi tempus aſſignatum pro voto haberet latitudinem, ut ſi dicas: *Promitto intra annum ingredi; voveo intra hebdomadam ſemel jejunare; in menſibus confiteri.* Quomodo obligatio latitudinem totius anni, menſis, hebdomadæ, habet: non teneris quidem votum implere niſi ad ſummum in fine anni v. g. Cæterum ſi prævidens tunc impedimentum futurum, quo impoſſibilis fiat impletio, teneris tempus prævenire: quia cum totum illud ſpatium, ſit tempus obligationi aſſignatum, non prævenis tempus obligationis, ſed tempus executioni annexum, ad quod teneris; ut in præcepto Miſſam audiendi toto manè diei feſti, ſi quis prævideat hora decima impedimentum, tenetur auditionem anticipare: quia intra totum illud tempus obligatur. Ita D. Thom. *in 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 7.* Layman. *lib. 4. tract. 4 cap. 3 num. 5. quæſt. 4.* Suar. *cap. 12. num. 7.* Sanch. *num. 18.* Bonacin. *num. 14.* Palaus *num. 3.* Garcia *num. 3.* Reginald. *lib. 2. num. 236.* Niſi præveniendo executionem reddatur notabiliter difficilior impletio voti; quia ſic notabilis mutatio excuſat nedum à dilatione, ſed etiam à voti executione, ut bene inquit Pellizz. *tract. 4. cap. 1. num. 96.*

Tranſacto tempore determinato manet obligatio voti.

35. Cæterum, niſi conſtet de expreſſa intentione voventis, volentis tempus aſſignare ut terminum finiendæ obligationis (quod nunquam præſumendum eſt in voto Religionis.) Si quis tempore debito, culpabiliter, vel inculpabiliter votum non implevit, non ob id extinguitur obligatio: illa namque præfixio temporis facta non fuit ad finiendam obligationem, ſed ad executionem ſolicitandam, & ideo in illo qui votum emiſit tempore determinato implendum, duplex datur obligatio, & intrandi Religionem, & tali tempore ingrediendi: Frangis hanc ſecundam obligationem; & determinato tempore non intras, remanet prima: ut ſi promittis creditori tuo ſolvere intra menſem quæ debes, & tranſacto menſe non ſolvis, non ob id liberaris ab obligatione ſolvendi, ſed fregiſti unam obligationem, & aliam retines. Sic Suar. *tom. 3. de relig. lib 4. cap. 13. n. 16.* Pellizzar. *tract. 4. c. 1. num. 96.* Bonacin. *diſput. 4. q. 2. punct. 5. §. 1. num. 7.* Trullench. *cap. 2. dub. 13. num. 12.* Garcia *tract. 2. diffinit. 1. dub. 8. num. 4.*

PVNCTVM IV.

Quibus modis ceſſare poſſit voti Religionis obligatio?

Ob notabilem mutationem rerum, ceſſat obligatio voti Religionis.

36. QVINQUE modis poſſe voti obligationem ceſſare (& idem eſt de aliis votis) omnes uno ore concedunt: nimirum mutatione materiæ, ceſſatione finis motivi, non impletione conditionis ſub qua fuit emiſſum, irritatione, & diſpenſatione; aut commutatione. Primò ergo ceſſat obligatio voti ob notabilem materiæ mutationem ſupervenientem ipſi voto jam emiſſo, quando talis eſt, ut ſi à vovente prævideretur, nunquam ſe obligaret: quia ſemper ſub tacita conditione cenſetur votum emiſſum, niſi notabilis materiæ mutatio non prævіſa ſuperveniat, quod generale eſt omni promiſſioni etiam voto, aut juramento firmata, ut non obliget notabilis materiæ mutatione ſuperveniente, quæ ſi prævіſa eſſet, promiſſio non fieret, ut diximus *tract. 14. de contractibus cap. 4. num. 79.* & circa votum Religionis tenent Bonac. *de leg. diſp 4. q. 2. punct. 7 §. 1 num. 2.* Suar. *tom. 2. de relig. lib. 4 de voto c. 19. num. 4.* Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 272. num. 2.* Pellizzar. *tract. 4. c. 1. num. 99.* Sanch. *lib. 4. Summa, c. 3. num. 17.* Henriq. *lib. 1. c. 14. num. 1.* § Sed diximus: *Ob notabilem mutationem non prævіſam:* ſi namque prævіſa foret, vel certe non eſſet notabilis, non ceſſaret obligatio voti. Tunc autem ad intentum eſt notabilis cenſenda, quando videtur in alio ſtatu quaſi conſtituta, & res promiſſa videtur jam diverſa ab ea, ad quam voluit ſe obligare, Pellizzar. *num. 100.* Sanch. *num. 18.* Addunt Bonac. & Pellizzar. quod in dubio num mutatio ſit talis ac tanta, ut ea prævіſa, votum non fuiſſet emiſſum, debet votum implere, cum ſit votum in poſſeſſione, & alteri incumbat, mutationem eſſe ſufficientem probare.

Ob ceſſationem finis quomodo ceſſet voti Religionis obligatio.

37. Secundo modo ceſſat voti obligatio ob ceſſationem totalem finis motivi, ob quem emiſſum eſt, ut ſi ingredi Religionem voviſti ut evitares inimicorum inſidias, & illi mortui fuerint, vel tu in longinquis vivas ubi nullum eſt periculum inſidiarum, ceſſat obligatio voti ob talem finem emiſſi; ſicut qui voveret non ingredi talem domum ob mulierem periculoſam ibi habitantem, ſi illa mortua ſit, vel alibi degat, ceſſat ob ceſſationem finis, obligatio voti. Cæterum hoc intelligendum eſt de cauſa motiva principali, non de cauſa motiva ſecundaria: quia etiamſi iſta ceſſet, non ceſſat obligatio voti, cum remaneat propter illud principale motivum. Imò ſi duo principalis motiva habeat, & ceſſante unum remanet obligatio voti: quia motivum aliud principale remanens ſufficiens eſt ad voti obligationem conſervandam. Ac tandem intelligendum eſt de ceſſatione finis in communi, non ſi dumtaxat ceſſet in hoc caſu particulari, quæ omnia

jam

latè tractavimus *tom.3. hujus Curſ tract.* 11. *de legibus, cap.4. punct.*1. *num.*3. & 6. & cum votum ſit lex particularis, quam unuſquiſque ſibi imponit, ibidem circa leges dicta huic materiæ debent applicari.

Ob non impletam conditionem, ceſſat obligatio voti.

38. Tertio ceſſare poteſt obligatio voti ob non impletam conditionem ſub qua fuit emiſſum (ſive talis conditio pendeat à naturalibus cauſis, ut *voveo Religionem ingredi ſi ab infirmitate convaluero.* Sive ab alterius arbitrio, ut *ſi Pater voluerit:* ſive ab ipſius voluntate, ut *ſi tale, vel tale fecero.* Quod poteſt vel in pœnam peccati fieri, ut *ſi tale peccatum commiſero voveo me Religionem ingredi.* Vel in gratiarum actionem, ut *ſi toto hoc anno in tale peccatum non fuero lapſus, voveo, &c.*) & ratio eſt, quia votum ſub conditione non obligat perfectè & abſolutè, ſed dependenter à conditionis eventu, qua proinde non appoſita, talis obligatio ceſſat, ſicut de omnibus contractibus ſub conditione emiſſis diximus *tom.3. tract.*14. *c.*1. *punct.*4. & ſpecialiter circa matrimonium plura diximus circa conditiones quæ ſolent actibus apponi. *tom.2. tract.9. c.7. per totum*, quæ non oportet modo repetere.

Quomodo ceſſet obligatio voti, ſi impediat impletionē conditionis.

39. Sed difficultas eſt modo: an ſi quis dolo impediat ne conditio eveniat, ut evadat obligationem voti, adhuc illa adſtrictus remaneat, ac ſi de facto fuiſſet impleta? quæ præcipuè currit in his conditionibus, quæ pendent à ſua voluntate, ut ſi dicat: *Voveo ingredi Religionem ſi in tale peccatum non cecidero.* Et labatur animo evadendi obligationem. *Si in talem locum iero.* Et non vadat ut voti obligationem non ſubeat. *Si ab infirmitate convaluero*, & exceſſus faciat animo non convaleſcendi, ut non cogatur ingredi Religionem. Et quidem, ſi voti obligatio quaſi in pœnam peccati imponatur, certum eſt non dari, etiamſi peccatum evitetur animo non ſubeundi talem obligationem: quia vovens præcipue intendit vitare peccatum, & ad hoc ponit pœnam, & ſic non peccando bene facit, & illud intendendo utitur jure ſuo. Similiter eſt certum quod ſi quis ob fragilitatem, libidinem, cupiditatem, &c. vel alias cauſas, conditionem quæ eſt in ſua voluntate non apponat, non manet voto obligatus: quia verè non fuit poſita conditio, ſub qua, & non aliter voluit obligari. Similiter, ſi vovet ſub conditione voluntatis Patris, & ipſe abſque vi & fraude, præcibus & aliis viis, procuret ne Pater conſentiat, non manet voto obligatus: ſiquidem vovens ſub tali conditione, non ſe obligavit ad promovendum, vel non impediendum eventum conditionis: dubium igitur eſt, quando vi, aut fraude impediret ne Pater conſentiat. Quando animo non ſubeundi obligationem voti labatur in peccatum. Quando eodem animo exceſſus contra ſalutem commiſit, ne ſalutem firmam conſequatur: an maneat obligatus voto ac ſi conditio adimpleta eſſet?

Qui ex animo fugiendi obligationem, non implet conditionē ſub qua fuit votū emiſſum, adhuc manet liber ab obligatione voti.

40. Affirmat prima ſententia: quia fraus & dolus nemini debet patrocinari, & quia facit contra fidelitatem incluſam in voto, eo quod in tali modo vovendi tacitè quis promiſiſſe cenſetur, quod ſaltem aliquem de evitando peccato, conatum adhiberet, vel ad minus, non commiſſurum animo obligationem evadendi. Ideoque dicitur *l. in execution. §. vlt. ff. de verbor. obligat. Quicumque ſub conditione obligatus curaverit ne conditio exiſteret, nihilominus obligatur.* Ita Sanch. *tom.*1. *Summ. lib.*4 *cap.*23. *num.*47. & 49. Pellizzar. *tract.*4. *cap.*1. *num.*103. & 104. Angelus *verbo votum* 1. §.10. Bartholom. à S. Fauſto *lib.*1. *q.*218. Trullench. *lib.*2. *decal. cap.*2. *dub.*19. *num.*9. Fagundez *lib.*1. *cap.*3. *num.* 13. Hieron. Garcia *tract.*2. *diffin.*1. *dub.*5. *num.* 12. ¶ Verior autem eſt ſententia negans. Primò: quia vovens in tali caſu, non aliter intendit ſe obligare, niſi impleta conditione, nec ob impeditionem eventus obligatio nunquam poſita conſurgit; ad ſummum enim infideliter aget contra votum quod tunc emiſit, ſed jam ceſſavit obligatio voti cum conditio non ſit appoſita. Sicut qui mulieri matrimonium promiſit ſi Pater conſentiat, ſi cum alia non contrahat ſponſalia: infideliter quidem ager contra priorem promiſſionem, ſi animo evadendi talem obligationem, quocumque modo procuret quod Pater non conſentiat, aut cum alia celebret ſponſalia; ſed talibus conditionibus non impletis, verè priorum ſponſalium liber manet. Secundo: quia ſi quis animo non jejunandi exeat ab hoc loco in quo obligat jejunium, ad aliud ubi non obligat, liber manet ab obligatione jejunii, vel ſi pedeſter eo animo in die jejunii iter agat, ſi nimis defatigetur; vel etiam ſi animo non jejunandi in Quadrageſima infirmitatem procuret, in quo certum eſt peccare contra charitatem ſibi debitam; at poſtea non jejunando, cum verè eſt infirmus, non peccabit, ut diximus *tract.* 11. *de legibus cap.*2. *num.* 164. Non alia ratione, niſi quia lex jejunii non obligat, niſi ſub illa tacita conditione, ſi non ſit infirmus, ſi non viribus deſtitutus: & per hoc quod non ponat talem conditionem extrahitur à lege jejunii, qua non poſita, quacumque ratione, lex noluit obligare; nec ob id uſus eſt fraude contra legem, ſed uſus eſt jure ſuo quod habebat in hac parte: idem dicimus in præſenti. Nec oppoſitum habetur in illo textu, ubi non dicitur quod non impleta conditione obligatus maneat; ſed quod maneat obligatus, quantumvis curet ne conditio exiſtat, quando eventus pendet, vel certè evenit contra id quod ipſe procurabat. Bonacina *editione noviſſima in præcepto decalogi tom.*2. *diſp* 4. *præcept.*2. *punct.*2. Filliuccius *tract.*26. *num.*158. Layman. *lib.*4. *tract.*4. *cap.*6. *num.*4. Suar. *tom.*2. *lib.*4. *cap.*17. *num.* 21. & 24. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſolut.*101.

Quis poteſt vota impuberum irritare.

41. Tertio ceſſare poteſt votum Religionis per irritationem, quando fuit factum ab impubere, quod irritari poteſt ab his ſub quorum eſt poteſtate *cap. Mulier* 32. *quaſt.*2. *cap.*1. & 2. 20. *quaſt.*1. & probat D. Thom. 2. 2. *quaſt.*88. *art.*8. quia votum emiſſum ab impubere ſub poteſtate alterius exiſtente, cenſetur emiſſum ſub illa conditione. *Si Pater v. g. conſentiat*, cum non detur judicium firmum pro illa ætate ad votum tam arduum (imò nec ad alia) abſolutè emittendum: unde, quamvis ante pubertatem malitia ſuppleat ætatem, quamvis cauſa nulla detur, poteſt pro libito Pater vota filiorum impuberum irritare: quia ſub conditione liberæ voluntatis illius cenſentur emiſſa: præjudicaret quippe alterius poteſtati ſi firmiter abſque tali conditione promitteret. Quod votum etiam à matre poteſt irritari, & etiam à Tutoribus, vel illis deficientibus à Magiſtro: quia reſpectu Pupilli carentis Parentibus, & Tutoribus, Magiſter

loco

loco tutoris habetur. Leſſius *lib.2.cap.40. n.82.* Garcia *tract.2. diffin.1.dub.6. num.3.* Suar. *tom.3. de relig.lib.4.cap.6.num.3.* Pellizzar. *tract.4.cap.1. num.105.* Bonacina *precepto 2. diſp. 4. punct. 7. §.2, num.18.* Imò etiam pubertate nacta, poteſt irritari votum Religionis emiſſum ante pubertatem ab his ſub quorum eſt poteſtate: quia in his inſpici debet primordialis natura & obligatio voti, ac proinde cum votum impuberis ob imperfectionem ætatis ab initio dependeat à Patre, talem imperfectionem & conditionem ſemper retinet; niſi de novo confirmetur ut de excommunicatione reſervata, contracta ab impuberibus, quod poſſunt abſolvi poſt pubertatem ab Epiſcopis ob eandem rationem, diximus *tom. 2. tractat. 10. de cenſur. cap. 2. num. 64.*

Poſt pubertatem vota emiſſa nullus poteſt irritare.

42. Sed mater, vivente Patre, non poteſt filiorum vota irritare: quia ſolus Pater eſt caput totius familiæ, habetque plenam rerum adminiſtrationem, & perſonarum gubernationem, & ſic voluntas filii non eſt poſita in poteſtate matris, ſed patris. Leſſius *lib. 2. c. 40. num. 82.* Pelliazar. *ſupra num. 107.* Suar. *lib.6. cap.17. num. 29.* Imò etiam Patre mortuo niſi mater ſuccedat loco tutoris non habet dictam poteſtatem, idem eſt de avis, aut proavis, quod vivente Patre, vel eo mortuo; niſi ſint tutores, vel loco illorum ſuccedant, non habeant dictam poteſtatem. Sic citati Authores. ¶ At ſi votum poſt pubertatem fuerit emiſſum, nullus, nec etiam Pater, poteſt illud irritare: *Quia ex quo homo venit ad annos pubertatis* (verba ſunt D. Thom. 2.2. *quæſt.88. art.8. ad 2.*) *ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ poteſtatis, quantum ad ea, quæ pertinent ad ſuam perſonam, puta quod obliget ſe Religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat: non autem eſt ſuæ poteſtatis quantum ad diſpenſationem domeſticam: Vnde circa hoc non poteſt aliquid vovere, quod ſit ratum ſine conſenſu Patris.* Vnde Pater ſolum poteſt irritare vota filiorum jam puberum realia, & quæ concernunt gubernationem familiæ, & poſſunt præjudicare juri Patris; non vero vota realia, quæ tali gubernationi non præjudicant, uti eſt votum Religionis, & ſimilia: ut omnes cum D. Thom. tenent: & colligitur *ex cap. Ad noſtram, de regularibus, cap. ſi in qualibet, cap. Puella 20. quæſt.2.*

Nullus præter Pontificem poteſt in voto Religionis diſpenſare.

43. Quarto poteſt obligatio voti ceſſare diſpenſatione, vel commutatione facta ab habente legitimam poteſtatem, ut probat D. Thom. 2.2. *quæſt.88. art.12.* quod votum eſt de aliquo Deo acceptum, quod verò aliquid ſit acceptum ei, cui promittitur, ex ejus arbitrio dependet. Vnde Prælati Eccleſiæ, vices Dei gerentes, nomine illius poſſunt obligationem voti relaxare, ſed requiritur cauſa juſta, aliter erit nulla talis relaxatio: quia ut probavimus *tom.2. tract.11. de legibus, cap.5. num.70.* Inferior in lege Superioris abſque juſta cauſa, validè diſpenſare non poteſt, & talem eſſe obligationem voti ibidem oſtendimus. At in voto Religionis abſolutè & ſimpliciter facto ſolus Papa poteſt diſpenſare, vel illud commutare: quia licet non detur textus expreſſus talis reſervationis, ex conſuetudine tamen, & ſtylo Curiæ ſic habetur, & ſic ſemper excipitur in quibuſvis privilegiis, Bullis, aut Iubilæis, concedentibus facultatem ad quæcumque vota commutanda, & fortè talis conſuetudo tempore D. Thom. non vigebat, & ſic S. Doctor *in ſolutione ad 3.* ſolum poſuit votum continentiæ & peregrinationis inter reſervata Pontifici.

Caſus enumerantur in quibus alius præter Pontificem poteſt in voto Religionis diſpenſare.

44. Diximus eſſe reſervatum Pontifici votum Religionis, ſi abſolutè, & ſimpliciter fuerit emiſſum; talem namque reſervationem non habet, ſi fuerit ſolum ſub obligatione peccati venialis; quia hoc non eſt votum ſimpliciter, vel ſi fuerit pœnale, conditionale, etiam adimpleta conditione aut diſjunctivum, aut Religionis non approbatæ, aut minus propriæ; hæc enim & ſimilia poſſunt ab habentibus facultatem, ſicut alia non reſervata, diſpenſandi, relaxari. Diana *1. part. tract. 11. reſolutione 69. & deinceps uſque ad 76.* Pellizzar. *tract.4.cap.1.num.113.* ¶ Imò votum ingrediendi Religionem, ex levi metu emiſſum non eſt reſervatum (ſi autem ex gravi metu factum fuit eſt nullum) quia reſervatio hujus voti intelligitur de omnino libero: & quia aliqui dicunt etiam iſtud votum eſſe invalidum, Leſſius *lib.2. cap.40. dub.18. num.127.* Bonacina *diſp.4. quæſt. 2. punct. 7. §. 4. num. 17.* Diana *reſolut. 73.* Nec etiam votum perſeverandi eſt reſervatum: quia diverſum eſt à voto Religionis vel qualitas adjuncta illi, quæ non eſt reſervata. Diana *reſolut 73.* Sanchez *de matrimon. lib. 8. diſp. 13. num.4. & in Summ. lib.4. cap.40. num.75.* Pellizzar. *num.113.* ¶ Et etiam votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem poteſt commutari ab habente poteſtatem commutandi alia vota in votum ingrediendi laxiorem: quia ſic non diſpenſatur in voto Religionis ingrediendæ abſolutè & ſecundum ſe, quod eſt reſervatum, ſed ſecundum modum, ſeu circumſtantiam, Machad. *tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 14. à num. 7.* Pellizzar. *num. 117.* Dian. *reſolut. 45.* Garcia *tract. 2. diffinit. 1. dub. 6. num. 7.* Laym. *lib. 4. tract. 4. c. 18. num. 8.* Similiter non eſt reſervatum quantum ad dilationem ex juſta cauſa, & ideo ut differatur, poteſt ab aliis præter Pontificem diſpenſari, dummodo non adſit periculum illud prætermittendi: quia hoc non eſt in voto diſpenſare ſimpliciter. Sic præter citatos Sanch. *lib.4. Summ. cap 40. num. 76. & de matrim. lib. 8. diſput. 15. num. 4.* Malderus *2. 2. tractat. 10. cap. 5. dub. 10. num. 9.* Triullench. *in Bullam Cruciat. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 16. num. 9. & in decalog. lib. 2. cap 2. dub. 49. num. 26.* Ac denique ſemel commutato voto Religionis ſimpliciter à Pontifice, poteſt materia ſubrogata ab aliis commutari: quia per commutationem ablata fuit reſervatio, quæ ſolum dabatur ratione materiæ. Et licet in favorabilibus ſubrogatum habeat conditiones principalis, non in odioſis. Pellizzar. *n. 113.* Suar. *tom. 2. lib. 6. cap. 20. num. 15.* Sanch. *de matrimon. lib. 8. diſp. 9. n. 20.* Diana *reſol. 71.* Leſſ. *lib. 2. c. 40. dub. 18. num. 124.*

45. Omnia alia vota, etiam reſervata, poſſunt propria authoritate in votum ingrediendi Religionem, & perſeverandi commutari, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art. 12. ad 1.* Quia vota alia ſunt particularium operum; ſed per Religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat: Vnde ſicut particularis includitur in generali, ſic alia vota ſub voto Religionis continentur. Et ideo *cap. Scriptura, de voto* dicitur: in vota Religionis poſſe alia vota commutari. Etiam votum ingrediendi Religionem arctiorem poteſt in votum ingre-

diendi & perſeverandi in laxiori propria authoritate commutari, ut diximus *ſupra.* ¶ At alia vota Papæ reſervata, in votum tantum ingrediendi Religionem commutari propria authoritate, nec authoritate alterius à Papa, nequeunt, quia vota reſervata Papæ abſque ejus authoritate, nequeunt, nec inter ſe, nec cum aliis operibus, quantumvis apertè melioribus commutari. Vt ex Soto, Sanch. probat Laym. *lib.4 tract.4 cap.18.num.19.* Pellizzar. *num.119.* Suar. *ſup.cap.21. num.18.* qui *cap.* citatum *Scripturæ, de voto,* Vbi in vota Religionis poſſe alia vota commutari dicitur, explicat de voto conſtituente Religionem, quod fit in profeſſione: & ideo dicit alia vota reſervata, in votum ſimplex ingrediendi Religionem non poſſe commutari, ita ut per ingreſſum extinguantur: Vnde ſi in illo ſtatu non perſeveret, tenetur ad vota alias reſervata. Cætera autem vota, quæ reſervata non ſunt, in evidenter melius commutari poſſunt propria authoritate, & ſic in votum ingrediendi Religionem ad probationem ſtatus, cum hoc judicetur melius cæteris operibus particularibus.

CAPUT III.

De Novitiatu præmittendo profeſſioni Religioſæ.

ANTEQUAM ad Religioſam profeſſionem deveniamus, quæ ſimpliciter ſtatum Religioſum conſtituit, oportet agere de Novitiatu, qui ad illam ſe habet, ſicut ſponſalia ad Matrimonium. Eſtque via & diſpoſitio ad debitè profeſſionem emittendam, de quo agemus hoc capite, quod ſeptem puncta continet.

PUNCT. I. *De natura Novitiatus & conditionibus ad illum requiſitis.* num. 1.

§. I. *De conditionibus aliquibus pro Novitiatu validè & licitè tranſigendo requiſitis,* n. 2.

§. II. *De loco in quo debet peragi Novitiatus,* n. 11.

§. III. *De anno integro & continuo pro Novitiatu, juxta Tridentinum requiſito,* n. 14.

§. IV. *An ſit dabilis caſus, in quo ſit valida profeſſio, non præmiſſo integro Novitiatus anno?* n. 27.

PUNCT. II. *De his qui legitimam habent poteſtatem ad Novitiatum admittendi,* n. 33.

PUNCT. III. *De qualitatibus requiſitis in his qui recipiendi ſunt ad Religioſum ſtatum,* n. 40.

§. I. *De impedimentis ex jure naturæ, nullam vel illicitam Religioſæ vitæ aſſumptionem reddentibus,* numero 42.

§. II. *An & quomodo ob neceſſitatem parentum debeant Filii retrahi ab ſtatu Religioſo?* n. 49.

§. III. *De his quæ jure poſitivo impediunt ingreſſum Religionis,* n. 55.

PUNCT. IV. *De informationibus ad receptionem, vel ſaltem ad profeſſionem præmittendis,* n. 65.

PUNCT. V. *De Obligationibus Novitiorum,* n. 72.

PUNCT. VI. *De Novitiorum privilegiis,* n. 85.

PUNCT. VII. *De teſtamentis, & renunciationibus, vel donationibus quæ à Novitiis poſſunt fieri,* n. 93.

§. I. *De teſtamentis Novitiorum, & ſolemnitate pro illis requiſita,* n. 94.

§. II. *De ſolemnitate à Tridentino requiſita pro renunciationibus & donationibus à Novitiis faciendis,* num. 100.

§. III. *Aliquæ difficultates circa dictam renuntiationem enodantur,* num. 109.

§. IV. *Quomodo beneficia obtenta à Religioſis per habitus ſuſceptionem, vel profeſſionem vacent? & an renunciatio illorum debeat cum ſolemnitate Trid. fieri,* num. 117.

PUNCTUM I.

De natura Novitiatus, & conditionibus ad illum requiſitis.

1. AD hoc Novitiatus conſtitutus eſt jure Canonico ſpecialiter per Trident. *ſeſſ.25.cap.15.& 16.* ut ad profeſſionem admittendus per aliquod tempus inter Religioſos vivat, communem vitam obſervet, ut ipſe Religionis ac regulæ, & cæterarum obſervantiarum auſteritatem & difficultatem experiatur, & ſic cum maturitate deliberet, ſit nec ne, talis modus vivendi ſibi conveniens, ut ipſum vel amplecti, vel deſerere valeat: & etiam Religio eum agnoſcat, variiſque probationibus, indolem, vires, capacitatem, aliaſque qualitates Novitii experiatur, ut videat an ſibi conveniens ſit illum ad profeſſionem admittere? Ad hunc autem Novitiatum plura requiruntur, ut & validè & licitè poſſit exerceri; & ſi Novitiatus nullus fuerit ob defectum alicujus conditionis ſubſtantialis, nulla erit profeſſio ſubſequens: quia profeſſio valida ſtare non poteſt abſque præſuppoſito legitimo Novitiatu. In hoc puncto examinabimus conditiones ad hoc requiſitas, quæ, quia multæ ſunt, punctum in diverſos §§. dividemus, ut abſque moleſtia Lectorum procedamus. Ad quid Novitiatus ſit inſtitutus?

§. I.

De conditionibus aliquibus pro Novitiatu validè & licitè tranſigendo requiſitis.

Novitiatus ex metu gravi aſſũptus validus eſt quamvis illicitus.

2. PRima igitur conditio ad licitè Novitiatum peragendum, eſt quod liberè & ſpontè abſque vi, fraude, aut metu Novitius ingrediatur: peccat namque mortaliter qui, cumque vi aut dolo ipſum intrare cogit, & Novitiatum inchoare: & Prælati admittentes quem ſciunt tali coactione habitum aſſumere: quia in hoc ipſi gravis irrogatur injuria. Et ideo in Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de regular.* excommunicatio fulminatur contra cogentes fœminas ad Religionis ingreſſum, quam tamen excommunicationem non incurrunt (licet graviter peccent) qui viros ſimili modo cogunt: quia Concilium de illis non loquitur, niſi ſolum de fœminis, fortè quia iſtis violentia frequentius incutitur, & difficilius vincitur. Suar. *tom.* 5. *de cenſuris diſputat.* 23. *ſect.* 7. *num.* 9. Sanch. *lib.* 4. *Summ.cap.*4. *num.*3. Lezan. *tom.* 1. *cap.*24. *num.*29. Palaus *tractat.*16. *diſput.*1. *punct.*8 §. 2. *num.*3. Anton. à Spiritu Sancto *tom.* 3. *diſput.*2. *ſect.*1. *num.*10. Cæterum hæc conditio neceſſaria non eſt ad valorem Novitiatus. Unde ſi ex metu, etiam gravi ipſe ſuſcipiat habitum, & in Novitiatu progrediatur, validus erit, & minime ſupplendum tempus cum tali metu conſumptum, tum quia & Religio admiſſioni conſentit, & ipſe voluntatem (ut ſupponimus) ingrediendi & experiendi Religionem, licet coactam, habet; & de facto experiri poteſt Religionem, & Religio ipſum, ad quod fuit inſtitutus Novitiatus. Tum etiam quia non datur textus illum irritans; ſolum enim jura de profeſſione ex metu gravi emiſſa loquuntur, & non ſunt extendenda ad Novitiatum, cum ſit diverſa ratio utriuſque: cum profeſſio ſemel valida, diſſolvi nequeat, nec injuria facta reſarciri, quod ſecus accidit in Novitiatu. Pellizzar. *tractat.* 2. *cap.*1. *num.* 13. Anton. à Spiritu Sancto *tractat.* 3. *diſput.*1. *ſect.*1. *num.*9 & *ſect.*2. *num.*83. Palaus *diſp.*1. *punct.*8. §. 2. *num.*1. Sanch. *lib.*7 *de matrim. diſp.*37. *n.*51. & conſtat *ex cap.*2. & 4. *de regul. cap.præſent* 20. *q.*3.

Qui ſimoniacè ad habitum admittitur eſt ipſo facto excommunicatus.

3. Secunda conditio, ut licitè quis ad Novitiatum admittatur, eſt ut talis receptio (idem eſt de profeſſione) immunis ſit a labe ſimoniæ, quæ committitur ſi pro receptione, vel profeſſione aliquid temporale recipiatur, directè vel indirectè: directè quidem ſi recipientes ad habitum ex pacto vel conventione aliquid temporale petant vel accipiant: indirectè ſi hoc faciunt illi qui pro eis ſuffragaturi ſunt, ut ſuffragium pro eis ferant, & omnes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. *Extravag. Sanè de ſimonia*, quæ etiam incurritur, ſi d[illegible]catur in pactum quod pro ingreſſu Religionis detur Monaſterio certum mutuum, vel aliquod commodatum, vel emolumentum, quia ob eam rationem fortè retraheretur ab ingreſſu, quod lex illa intendit evitare. Pellizzar. *tractat.* 7. *cap.* 2. *num.* 119. Antonius à Spiritu Sancto *tractat.*3. *diſput.* 6. *num.* 870. ¶ Sed advertimus primo hanc excommunicationem ſolum perſonas ſingulares incurrere contra prædictam legem delinquentes, non ſic Capitulum, vel Conventus, ſed iſti incurrunt ipſo facto reſervatam ſuſpenſionem ab omni actu, & officio capitulari, & communi juriſdictionem Eccleſiaſticam exigente. Suar. *lib.*4. *de Simonia cap.*56. *num.* 9. ¶ Advertimus ſecundo tam profeſſionem, quam receptionem ſimoniacè factas, eſſe validas: ut colligitur *ex cap.* 1. *de regular. cap. quoniam, de Simonia.* Et docent Rodrig. *tom.*3. *qq. Regul.q.*63. *art.*3. Peyrin. *tom.*2. *de R.P.q.*3. *cap.*1. *num* 62. Palaus *tract.*16. *diſp.*1. *n.*12.

Quibus caſibus aliquid recipere in ſuſceptione habitus vel profeſſione non ſit ſimonia.

4. Sed nec incurritur dicta excommunicatio, nec ſimonia committitur, ſi aliquid ob eleemoſinam, vel benevolentiam liberaliter, & ſine pacto recipiatur; nec ſi aliquid ex pacto vel conventione detur pro ſumptibus habitus, pro ſuſtentatione Religioſi, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 4. & *in* 4. *diſtinct.*25. *quæſt* 3. *art.*2. *quæſt.*2. *art.* 7. Quod verum cenſemus, ſive Monaſterium pauper ſit, ſive dives: quia tunc non commutatur pecunia pro re ſpirituali, ſed pro temporali, qualis eſt ſuſtentatio Religioſi. Peyrin. *ſupra num.* 62. Antonius à Spiritu Sancto *tractat.*3. *diſputat.*6. *num.*861. Lezan. *tom.*1. *cap.* 24. *num.* 30. Sylveſter *verbo Simonia num.* 5. Soto *lib.* 9. *de juſt. quæſt.*6. *art.*2. *ad* 4. Leſſius *lib.*2. *cap.*35. *dub.*12. *num.*71. Miranda *in tracta. de monial. quæſt.*8. *art.* 7. *concluſ.*2. Et hinc excuſantur Moniales, quæ conventiones faciunt de dote ſolvenda pro congrua ſuſtentatione Religioſæ, etiamſi dives fuerit Conventus. Idem dicimus de illis Monialibus: quæ ab ingredientibus propinas, vel prandium ſolitum exigunt, utpote quæ non pro receptione, aut profeſſione, ſed pro ſuſtentatione aliarum traduntur. Nec hoc eſt contra id quod Trident. *ſeſſione* 25. *cap.* 16. ju[illegible]t, ne ante profeſſionem excepto victu & veſtitu aliquid ex bonis Novitii recipiatur: intelligitur namque de illis rebus quæ à Novitiis conferuntur à Conventu poſſidendis, non de illis quæ ad ſuſtentationem, vel ſolemnitatem, juxta praxim Monialium & Religioſorum dantur: præterquam quod hæc nomine victus & veſtitus veniunt, ut infra dicemus. Et modo tenet Leſſ. *lib.*2. *cap.*35. *n.*131. Toletus *lib.*1. *cap.*36. *num.*5. Ant. à Spit. Sancto *num.*863.

Ante pubertatem Novitiatus inceptus eſt nullus.

5. Tertia conditio, quæ nedum ad licitum, ſed validum Novitiatum requiritur eſt ætas legitima, nimirum quod recipiendus ad eum ſit pubertatem nactus, quæ in viris 14. annis ſuæ ætatis habetur, & in fœminis 12. nec in hac parte malitia ſupplet ætatem; ſed ſicut profeſſio ante 16. annum expletum eſt nulla, ſic Novitiatus nullus eſt, habitus ante completam ætatem pubertatis. Et ratio eſt, quia annus Novitiatus datur ad experiendas auſteritates Religionis, inter quas ſupremum locum tenet obſervantia Caſtitatis; at impubes experiri perfectè nequeunt difficultates, quæ in tali obſervantiâ reperiuntur: ergo, &c. ita Peyrin. *tom.* 2. *de R. P. quæſt.*3. *cap.*1. *num.*40. Sanch. *lib.* 5. *Summ. cap.* 4. *num.* 22. Pellizzar. *tractat.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. Palaus *tractat.* 16. *diſputatione* 1. *punct.*12. §.3. *num.* 2. & *punct.* 7. §. 2. *num.*2. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.*5. *cap.* 4. *num.* 8. Ex particularibus autem

inſtitutis major ætas requiritur pro ſuſceptione: & ideo in noſtris conſtitutionibus 2. *part. cap.2.num.6.* præcipitur ne quis ad habitum recipiatur niſi poſt 17. annum expletum, quamvis a Provinciali poſſit diſpenſari, ſi alias qualitates habeat, quibus defectum ætatis ſuppleat, dummodo 15. annum completum habeat.

Poſſunt pueri poſt uſum rationis ante pubertatem in Religione admitti.

6. Verumtamen, etiam ante pubertatem (præciſis particularibus inſtitutis.) poſſunt pueri habentes uſum rationis, de voluntate ſaltem negativa, ideſt non contradictoria, parentum vel Tutorum, ad Religionem recipi, ut docet D.Thom. 2. 2. *quæſt.189. art.5.* & habetur expreſsè *in cap. ſignificatum, de regularibus.* Quod etiam habet locum poſt Trident. *ſeſſ.25. cap.15. de regular.* ubi cavetur quod nullus ad profeſſionem admittatur ante 16. annum expletum, nihilominus poſſunt pueri in quacumque ætate poſt uſum rationis ad Religionem admitti, modo ad experiendam Religionem, & Novitiatum faciendum ante pubertatem completam non admittantur: nam Concilium ſolum ſtatuit, ne profeſſio fiat ante 16. annum expletum: & cum annum Novitiatus non determinet, relinquit antiquos Canones in ſuo vigore. Miranda *tom.1. Manual. q.22. art.3. concluſ.1.* Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. q.15. art.2. verſ. advertendum.* Navarr. *lib.3. conſilior: de regul. conſil. 20. num.1.* Sanch. *lib.5. decalog. cap.4. num. 22.* Peyrin. *num.4.* Lezan. *tom.1. cap.14. num.1.* Et quia tunc ſunt largè Novitii aliorum Novitiorum privilegiis funguntur, de quibus infra *punct.* 6. dicemus, ſi habitum poſt uſum rationis accipiant validè: quia in illa Religione non eſt decretum irritans talem receptionem: quia ſuo modulo onera Religionis ſuſcipiunt: ergo etiam privilegia. Sanch. *num.24.* Pellizzar. *num.5. & cap.7. num. 4. & 23.* Alias poſſemus conditiones hic recenſere; ſed quia toto hoc puncto, & hoc capite ſunt inveſtigandæ, pro nunc ſufficiat triplicem difficultatem reſolvere.

Societas nō petit habitū aliquem recipere pro Novitiatu.

7. Inquires ergo primò: an ſit de eſſentia Novitiatus ut in peculiari habitu Religionis ſuſceptæ, Novitiatus habeatur? Quæ difficultas locum non habet in Societate Ieſu: [nam cum Societas nullum particularem habitum profiteatur (verba ſunt eximii Doctoris P. Suarez *tom.4. de relig. tract. de Societate lib.2. cap.4. n.6.*) nulla ſuſceptio, vel mutatio habitus neceſſaria eſt, ſed ſolum ut is qui habet poteſtatem admittendi voluntatem habeat hic & nunc recipiendi hanc perſonam ad Societatis probationem, & ut quocumque verbo, aut ſigno externo illam voluntatem ſufficienter declaret, conſentiente, & exterius etiam acceptante eo qui recipitur, ita ut ex tunc vivere incipiat ſub obedientia & regimine Societatis, & ita tandem ſtatutum eſt in decreto 90. alias 93. Congregationis 7.] huculque Suar. Et rationem reddit, cur hoc ſit peculiare in Societate: quia cum non detur particularis auſteritas experienda à Novitiis in portatione habitus Societatis, nil de probatione prætermittitur per hoc quod Novitius in habitu ſæculari, quem antea habebat, peragat Novitiatum.

Suſceptio habitus eſſentialis eſt in aliis Religionibus.

8. Sed etiam pro omnibus Religionibus non eſſe neceſſariam habitus ſumptionem, aut portationem ad validum Novitiatum, ſed tunc incipere, quando à Superiore animus illum recipiendi & admittendi declaratur, acceptante Novitio, & ſigno aliquo exteriori ſuam acceptationem manifeſtante, etiamſi in habitu ſæculari degat, tenent Palaus *tract.16. diſput.1. punct.12. §.4. num.4.* illumque ſequitur Pellizz. *tract.2. cap.1. num. 34.* Fr. Ant. à Spiritu Sancto *tract.3. diſput.2. ſect.2. num.52.* & prius traditum erat à Panormitano *in cap. ſuper eo, de regular.* & ab Abbate Henrico *cap. final. num.5. qui clerici vel voventes.* Gregor. Lopez *l.3. fine tit. 7. part.1.* & aliis Iuriſtis. Et probatur *ex Canon. legem diſtinct. 53. Canon. multos diſt.54. Canone ſi quis incognito 16. quæſt.2.* Vbi dicitur non eſſe neceſſarium habitum Monachalem portare ad adimplendam legem Novitiatus: quia *habitus non facit Monachum.* Idipſum probatur: quia nulla datur lex hoc præcipiens.

¶ Sed dicendum eſt eſſe neceſſariam habitus Religionis receptionem & portationem ad validum Novitiatum peragendum (& non agimus de habitu proprio Novitiorum, quo diſcernuntur à profeſſis, nam hujus habitus ſuſceptionem & portationem non eſſe neceſſariam pro valido Novitiatu, eſt commune inter DD.) Probatur primo ex Concil. Trid. *ſeſſione 25. cap.15.* ubi dicit annum Novitiatus ad valorem profeſſionis requiſitum, eſſe numerandum *a die ſuſceptionis habitus*; & poſtea cavetur ut nemo profiteatur niſi poſt annum integrum, *poſt ſuſceptionem habitus*: quo loco videntur abrogari Canones illi antiqui. Secundo probatur: quia in ipſa portatione habitus adeſt quædam auſteritas & difficultas, quæ à Novitiis experienda eſt, quod præclarè habetur in jure Hiſpano *l.3. tit.7. partit.1. circa finem.* Vbi: *Otroſi el que entra en Orden en algun Monaſterio, deve veſtir el habito de aquel Orden, Ca de otra manera no podra probar bien la aſpereça de la Orden: porque una gran parte del agraveça de la regla es en las veſtiduras.* Ita Leſſ. *lib.2. cap.41. dub.7. num. 59.* Tamburin. *tom.3. diſput.6. quæſt.11. num.11.* Azor. *1. part. lib.2. cap.2. quæſt.9.* Peyrin. *de R. P. quæſt.3. cap. §14. num.103.* Miranda *1. part. quæſt. 22. art.6.* Lezan. *tom.1. cap.2. num.11.* Barboſ. *3. part. de poteſt. Epiſc. allegatione 101. num.29.* à S. Fauſto *lib. 5. Theſauri quæſt. 177. num. 2.* Garcia *tom.1. tractat.2. diffin.5. dub.5. num.3.* Rodrig. *qq. Regul. tract.3. quæſt.15. art.9.* Sanch. *lib.5. Sum. cap.4. num.29.*

Si quis ficto animo Novitiatum inchoet, non debet tempus tranſactum ſupplere ſi poſtea mutet animum.

9. Inquires ſecundo: an ſi quis ficto animo non profitendi ingrediatur, & Novitiatum incipiat, in eoque perſiſtat v. g. uſque ad 10. menſem, & poſtea animum mutet: computandum ſit illud tempus præteritum, vel ſupplendum, vel certè iterum recipiendus ſit Novitius, ut incipiat Novitiatum? Reſpondetur probabile eſſe non eſſe neceſſarium aut quod de novo recipiatur, aut quod tempus illud mala fide tranſactum ſuppleatur, quemadmodum diximus *tractat. 9. de matrimon. cap.3. num.* 118. Non requiri, eum qui fictè conſenſit in matrimonium, & ſic invalidè talem ſtatum aſſumpſit, ut coram Parrocho & teſtibus, iterum matrimonium repetat, quia jam de eo conſtat Eccleſiæ, & ſic ſequi non poſſunt inconvenientia quæ ab Eccleſia intenduntur evitari, quando talem aſſignavit ſolemnitatem, & ſic ſalvatur finis intentus ab Eccleſia in tali eventu: ſic ergo diſcurrendum eſt in noſtro caſu. Ita Suar. *tom.4.*

tractat. 10.

tractat. 10. *lib.2. cap.5. num.* 16. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.*34.*num.*56. Bord. *cap.*4.*de profeſſ. q.*16. Ant. à Spiritu Sancto *tract.*3.*diſp.*2.*ſect.*2. *num.*101.

Non requiritur ſupplere novitiatum ab eo qui fuit invalide receptus.

10. Inquires tertio : an ſi novitiatus fuerit irritus, vel quia receptus non fuit novitius ab habente legitimam poteſtatem, vel quia ætas non erat legitima, vel aliis ex capitibus, ſit neceſſarium, illum de novo incipere ad validam profeſſionem, vel ante illam, vel etiam ſi poſt eam emiſſam, talis defectus appareat ? Iterandum eſſe novitiatum tenet prima ſententia, quia nullum juris effectum operari poteſt, quod in ſe eſt nullum. Navarr. Rodrig. quos refert Sanchez *lib.*7.*de matr. diſp.*47. *num.*46. qui dicit eſſe valde probabile Bordonus *cap.*4.*de profeſſione quaeſt.*20. *num.* 119. qui addit non tenere novitiatum illius qui intruſus fuit à non habente poteſtatem ſub ſpe ratihabitationis præſtandæ ab habente poteſtatem, niſi à die ratihabitionis legitimè ſubſecutæ : quia ad præteritum non datur potentia. ¶ Sed probabilius eſt non requiri quod novitiatus inchoetur, ſive defectus appareat ante profeſſionem, ſive poſt illam (requiritur autem ratihabitio profeſſionis ſaltem interne facta, quia cum prior invalida fuerit, non reviviſcit niſi reïteretur) quia jam Religio Novitium fuit experta, & novitius religionem, qui eſt finis ad quem ordinatur novitiatus. Lezan. *tom.*1. *cap.*2. *n.*9 Sanch. *loco cit.* Pellizxar. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.*16. Ant. à Spiritu Sancto *n.*80. Portel. *in dubiis regul. verbo novitius num.*52. qui addit : [& huc etiam currit, quando profeſſio fuit nulla ex defectu ætatis, vel quia facta eſt ante expletum annum novitiatus, aut per metum, aut aliàs inhabilis, & poſtea fiat habibilis.] ¶ Sed monet Sanch. *num.* 56. quod cum ſit oppoſita ſententia probabilis ſi quis in dicto caſu, vel aliis iterare velit novitiatum, ut ſuæ ſatisfaceret conſcientiæ, ad evitandam notam ſub ſigillo Confeſſionis poſſet Superiori detegere vitium, petendo ut ipſum de novo admittat ad novitiatum peragendum, inter alios profeſſos, habitu illorum geſtato, & ſi non ſufficiat Superioris conſenſus ad Novitij admiſſionem, ſed requiratur etiam Conventus ut frequenter accidit, tunc ſuperior tacito nomine profeſſi, & explicata nullitate prioris profeſſionis, petat ſuffragia Conventus. Quamvis melius erit impetrare ſecretò diſpenſationem Pontificis, ut ſuppleat defectum novitiatus.

---

§. II.

De loco in quo debet peragi Novitiatus.

Non requiritur extra Italiam ad novitiatum, quod fiat in determinata domo à Pontifice.

11. CLemens V. in quadam Bulla, quam refert Naldus *verbo Religioſus num.* 41. Lezana *tom.* 1. *cap.*24.*num.*23. Pellizzar. *tract.*2. *cap.*1.*num.*23. Bordon. *tom.*2. *reſolut.*54. decrevit pro Italia & Inſulis adjacentibus, nullum Prælatum recipere poſſe novitium ad probationem niſi in domibus vel monaſteriis à Sede Apoſtolica, vel à Prælatis de licentia Pontificis aſſignatis, & alibi peractum Novitiatum non valere, excipiendo à tali decreto aliquas Religiones, inter quas eſt noſtra. Sed quia hoc decretum ſolum fuit pro Italis, & Inſulanis, illud explicare non ſuſcipimus, videant illi, ſi maluerint, Lezanam, Pellizzar. Bordon. *locis citatis*, qui latè de illo diſputant, in Hiſpaniæ namque partibus, non eſt de ſubſtantia novitiatus quod habeatur in aliqua determinata domo authoritate Papæ aſſignata; ſed poteſt deſignari à Prælatis, ubi voluerint, & ubique ex eorum licentia haberi, etiam extra illam domum, quam pro novitiis aſſignarunt. In noſtra autem congregatione ad Provincialem pertinet in Capitulo Provinciali, de conſenſu ſui Diffinitorij domum pro novitiis aſſignare, ut habetur, 2.*p.conſtit.cap.*1.*num.*2.

Requiritur ad novitiatum, quod intra Ordinem habeatur.

12. Cæterum licet non ſit de eſſentia Novitiatus, ut intra deſtinatum, à Sede Apoſtolica, monaſterium, habeatur; eſt tamen de eſſentia illius ut habeatur, intra Monaſterium aliquod illius Ordinis, *cap.* 1. *de regular. in ſexto*, & ſacra Congregatio declaravit, ut teſtatur Sanch. ſtatim citandus : quia novitiatus ordinatur ut novitius experiatur aſperitates Religionis, & religio eum agnoſcat, quod non poſſet fieri ſi novitius extra ordinem perageret novitiatum, Rodrig. *tom.*3.*q.*15.*art.*10. Sanch. *lib.*5 *Summ.cap.*4. *num.*27. Garcia. *tract.*2.*diffin.*5.*dub.*6. & eſt communis. Sed hinc oritur gravis difficultas : an ſi novitius, vel novitia ex legitima Superiorum licentia extra Monaſterium per duos vel tres menſes degeret, vel ad curationem infirmitatis, vel ad videndos conſanguineos, vel ad hæreditatem excolendam, vel recreationis, prædicationis, alteriuſvè negotij cauſa, ſit computandum illud tempus, quo fuit extra, ad annum novitiatus ? Nam videtur hic non peragere legitimum Novitiatum : quandoquidem illo tempore difficultates, & aſperitates religionis non experitur, & fortè in eo (puta ſi eſſet tempus Adventus, aut Quadrageſimæ) graviores occurrunt aſperitates intra monaſterium, quas æquum eſſet illum experiri, & etiam Religionem ipſius obſervantiam, mores & integritatem.

Si quis ex legitima licentia extra monaſter. tempore novitiatus degit valide profiteri poteſt.

13. Sed his non obſtantibus, dicimus Novitium ex Superiorum licentia extra Monaſterium degentem (licet ſuperior illicitè fortè, & abſque rationabili cauſa illam daret, in quo certè peccaret, ſed novitius verum novitiatum compleret ob rationem ſtatim aſſignandam, quæ etiam in iſto caſu currit, & docent Diana, Suarez & Garcia *locis citandis*) verum novitiatum poſſe peragere, ita ut tempus extra de licentia exiſtens computetur ei ad annum profeſſionis : quia non requiritur ut in ſpecie omnes Religionis aſperitates experiatur : ſi enim infirmus eſſet illo tempore, plures prætermitteret, ſi Prælatus cum eo diſpenſaret in hac vel illa obſervantia, non ob id ab ſtatu probationis deficeret : requiritur ergo, & ſufficit quod ſit in ſtatu probationis, quod per receptionem habitus, & incorporationem cum religione habet, & quod ſimul ſit paratus ex parte ſua præcipuas experiri Religionis difficultates. At qui ex licentia Superiorum extra Monaſterium degit, præſumitur experire difficultates Religionis : quia hoc ipſo manet ſub obedientia Prælati, & ipſo jubente, paratus eſt obſervantias amplecti, & præſumptione juris, qui de legitima licentia degit extra monaſterium, intra monaſterium cenſetur commorari. Sic Lezana *tom.*1.*cap.*2.*n.*11. Peyrin. *tom.*2.*q.*3. §.3.*cap.*1.*n.*101. Pellizxar. *lib.*5.*cap.*4.*n.*8. Leſſ. *lib.*2. *cap.*41. *dub.*7.*n.*59. Palaus *tract.*16. *diſp.*1. *punct.*12. §.4. *n.*2. Suar. *tom.*3. *lib.*5.*cap.*14.*n.*13. Diana 3. *p. tract.*2.*reſol.*84. & 7.*p.tract.*11. *reſol.* 38. Sanchez *lib.*5.*Summ.cap.*4.*n.*27. & 28. Azor, *tom.*1.*lib.*12.*cap.*2.*quaeſt.*8. Garcia. *tract.*2.*diffin.*5. *dub.*3.*n.*13. Ant. à Spiritu Sancto *tract.*3. *diſp.*2.

ſect. 2. *num.* 75. *&* 91. *& alij.* Addunt Sanchez Azor & Diana id verum eſſe, etiamſi per decem menſes cum dimidio eſſet extra Monaſterium: imò Azor extendit dictam doctrinam ad eum qui toto anno demoratus eſſet apud ſeculares.

§. III.

De anno integro & continuo pro Novitiatu juxta Tridentinum requiſito.

Annus integer novitiatus ad validam profeſſionem requiritur.

14. CONcilium Trident. *ſeſſ.* 25. *de regularib. cap.* 15. *&* 16. inhærendo veſtigiis Canonum Eccleſiæ, & aliorum decretorum illius *in Cap. ad Apoſtolicam de regularibus. Cap. non ſolum, Cap. conſtitutionem eodem tit. in ſexto.* Statuit neminem ad profeſſionem admitti poſſe, niſi poſt annum integrum Novitiatus, & aliter factam profeſſionem nullam eſſe nulliuſque effectus, vel obligationem generare. Hunc annum debere eſſe integrum omnes aſſerunt: quia ſic in dicto decreto Concilij habetur: inchoat verò à die ſuſceptionis habitus in quo à Superiori legitimo admittitur ad experiendas Religionis difficultates. Sed difficultas eſt: an hujuſmodi annus debeat omnino eſſe integer, ita ut non detur in hoc parvitas materiæ; ſed ſit computandus de momento ad momentum, taliter ut ſi quis veſperi habitum ſumpſit, non poſſit eodem die anno ſequenti profiteri, primo manè.

Annus novitiatus de momento ad momentum eſt computandus.

15. Negat prima ſententia computandum eſſe annum de momento ad momentum; ſed ſufficere quod ultimus dies anni ſit inceptus, quia in favorabilibus dies incepta pro completa habetur. *l. quia ætatem ff. de teſtamentis.* Et in moralibus parum pro nihilo reputatur. Sic Henriq. *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 40. *num.* 2. Rodrig. *quæſt. regul. tom.* 3. *quæſt.* 15. *art.* 4. *&* 6. Stephanus Gratianus *diſceptationum forenſium tom.* 3. *capite* 413. *num.* 22. Laurent. Peyrin. *tom.* 2. *de R. P. quæſt.* 3. *cap.* 1. *num.* 96. dicens in praxi poſſe hoc tutè ſervari. ¶ Nihilominus dicendum eſt cum ſecunda ſententia, quod licet opus non ſit per alium diem, imo nec per horam profeſſionem differre poſt adimpletum annum; attamen annus Novitiatus integrè habendus eſt, & computandus de momento ad momentum: ita quod ſi quis die 2. Ianuarij poſt meridiem, habitum accipiat, non poſſit anno ſequenti die 2. Ianuar. niſi poſt meridiem, profiteri. Sic communis ſententia tenet, à qua recedendum non eſt in re tanti momenti alioqui profitens exponeretur periculo irritam faciendi profeſſionem. Ratio eſt quia Concilium petit integrum annum Novitiatus, ſicut petit quod profitens habeat 16. annum expletum; ſed ita debet expletus eſſe 16. annus, ut ſi tres vel quatuor horæ deeſſent non eſſet valida profeſſio; ergo idem dicendum eſt de anni integritate, quod magis cedit in favorem ipſius Novitij, ut habetur *cap. ad Apoſtolicam de regularibus.* Et ideo hic non habet locum, quod inceptum pro completo habeatur; ita quoad utrumque caſum, quod videlicet requiritur quod 16. annus ſit mathematicè completus, & quod annus ſit omnino integer. Docent Villalobos *tom.* 2. *tract.* 35. *diffinitione* 15. *num.* 4. Garcia *tract.* 2. *diffinit.* 5. *dub.* 2. *numero* 2. Suar. *tom.* 3. *lib.* 5. *capite* 15. *num.* 1. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 59. Sanchez *in ſum. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 4. *& de matrim. lib.* 2. *diſp.* 24. *num.* 2. Baſil. *de matr. lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 6. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. *& tom.* 4. *Verbo: profeſſio Religioſorum num.* 9. Mirand. *tom. quæſt.* 22. *art.* 3. Pellizzar. *tom.* 2. *cap.* 6. *num.* 34. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſolut.* 57. *&* 5. *p. tract.* 5. *reſol.* 19. ¶ An verò in anno biſextili, unus dies pro duobus computandus ſit? Vide quæ diximus *tom.* 2. *tr.* 8. *de Ordine c.* 5. *à n.* 31. & an ſit accipiendus annus Eccleſiaſticus, vel naturalis? Vide ibidem dicta *n.* 34.

Annus Novitiatus debet eſſe continuus non interruptus.

16. Non ſolum debet eſſe integer annus Novitiatus, ſed etiam continuus abſque morali interpolatione. Tum quia quoties in jure tempus exigitur debet eſſe continuum, ut ex pluribus probat Sanch. *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 31. Suar. *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 59. Tum etiam: quia annus Novitiatus à Concilio præſcribitur, ut Novitius perfectè & integrè poſſit difficultates Religionis experiri, ad quod maximè juvat quod eas ſine intermiſſione perferat; difficilius namque eſt jejunare, ſolitudinem, orationem & ſilentium cuſtodire 50. diebus continuatis, quam interpolatis. Sic tenet communis ſententia poſt Trident. ſtando in jure communi. ¶ Ex privilegio tamen Iulii II. conceſſo Minoribus, & relato à Caſanoba *in compend. verbo Novitius, n.* 22. & à Rodrig. *tom.* 3. *quæſt. Reg. quæſt.* 15. *art.* 8. in caſu quo Novitiatus interrumpatur, deſerendo Ordinem, & dimittendo habitum, & poſtea ad illum redeant, poſſunt tempus poſterioris receptionis cum tempore prioris ſibi computare, juxta diſcretionem ac determinationem Superiorum. Quod decretum derogatum non eſſe à Concilio (quia hoc ſolum petit integrum annum Novitiatus, quod in tali caſu invenitur) docent Rodrig. *tom.* 3. *q.* 15. *art.* 5. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 11. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *ſect.* 2. *n.* 65. Sed verius dicendum eſt fuiſſe revocatum; alias ſi perſiſteret, ſententia communis aſſerens Concilium petere annum non interruptum, nullum effectum haberet, cum omnes Religiones illo uti poſſent. Sic docent à Sancto Faulto *in theſauro relig. lib.* 5. *q.* 166. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 35. *diffinit.* 15. *num.* 9. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 89. Sanchez *lib.* 5. *Summ. cap.* 4. *num.* 30. Palaus *tract.* 16 *diſp.* 1. *punct.* 12. § 2. *n* 5. ¶ Sed quando interrumpatur ita ut neceſſarium ſit illum de novo inchoare, eſt difficultas inter DD. quod quadruplici ſequenti quæſtione denodabitur.

Qui exit à Monaſterio etiam dimiſſo habitu, animo redeundi non interrumpit Novitiatum.

17. Inquires ergo Primò quomodo Novitius deſerendo Religionem, vel ab ea dimiſſus interrumpat Novitiatum? In quo ſupponimus ut certum, non interrumpi per hoc quod Novitius exeat à Monaſterio per aliquot dies, etiamſi dimittat habitum, ſi tamen animum redeundi habet. Tum quia talis hoc ipſo quod animum deſerendi Religionem non habeat, non amittit ſtatum probationis aſſumptum: quia non ceſſat ſtatus probationis per habitus derelictionem; alias ſi ob infirmitatem relinqueretur, interrumperetur talis ſtatus; nec etiam per exitum à Monaſterio, cum contineatur in animo, quem redeundi habet. Tum etiam: quia hoc ipſo quod non habeat animum recedendi non dimittit ſubjectionem Religionis, diſpoſitus corripi & puniri ſi deprehendatur: ergo non ceſſat Novitiatus, cum non ceſſet voluntaria ſubjectio. Sic Palaus *diſp.* 1. *punct.* 12. §. 4. *n.* 3. Peyrin. *tom.* 2. *q.* 3. §. 3. *c.* 1. *n.* 101. Suar. *tom.* 3. *lib.* 5. *c.* 14. *n.* 4. *& cap.* 15. *n.* 6. Ant. à Spiritu S. *tr.* 3. *diſp.* 2. *n.* 59. Diana 3. *p. tr.* 2. *reſol.* 84. Pellizz. *tr.* 2. *c.* 2. *n.* 11. *&* 37.

Requiritur completa

18. Secundò ſupponendum eſt tanquam certum, quod ut novitiatus interrumpatur, di-

miſſio

Dimiſſio ſtatus ad interruptionē Novitiatus. miſſio ſtatus debet eſſe completa & perfecta: quapropter non interrumpitur renuntiatione ex parte novitij, ut ſi petat habitum ſæculi, & licentiam redeundi ad ſæculum, & de facto habitu Religioſo exuatur; ſi tamen antea quam egrediatur à Monaſterio pœniteat (ſed requiritur novus conſenſus Conventus; qui cenſetur apponi eo ipſo quod illum inter Novitios videat, nec contradicat, ut docent Pelliz. & Burd. *infra* citandi) nec etiam interrumpitur ſi habitum dimitteret animo fugiendi, & intra Conventum per aliquot dies latitaret, ſæcularibus veſtibus indutus, ſi antequam fugeret pœnitentia ductus ad probationem rediret. Nec etiam interrumpitur ſi Prælatus volens eum dimittere habitu exueret, intra Monaſterium tamen periſteret: quia debet dari ex parte novitij & Religionis perfecta & completa dimiſſio ſtatus, quæ, duo ad minus includit, & animum recedendi, & è Monaſterio actualem egreſſum, aliquo ex illis permanente, in eo continuatur ſtatus probationis, nec cenſetur complete & perfecte dimiſſus. Sic Pellizzar. *tract.2.cap.1. n.*37 Peyrin. *ſup. num.*100. Garcia, *tract.2 dub.*3. *n.*12. Palaus *diſp.1. punct.*12 §.2. *num.*7. Bordon. *tract.2. reſol.* 54. *num.*53. Ant. à Spiritu Sancto *num.* 77.

Quid ſit dicendum de eo qui animo non redeundi ad breve tempus receſſit. 19. Dubium igitur eſt quando Novitius per aliquod breve tempus è Monaſterio exiit animo non redeundi, & poſtea pœnitentia ductus redit ad Monaſterium, an interrumpatur novitiatus? Affirmat prima ſententia abſolute, etiam ſi ſolum per unum diem exiret: quia eo ipſo quod exivit animo non redeundi deſeruit ſtatum. Ita Sanch. *lib.5 ſumm. cap.4. num.*32. Suar. *tom.3.lib.5.cap.*15.*num.*16. Pellizzar. *ſupra n.*11. Palaus §.2.*n.* 8 ¶ Secunda ſententia dicit quod ſi ſolum per tres, vel quatuor dies, vel ad ſummum quinque cum dicto animo exeat, & poſtea redeat, non interrumpit no[...] quia per paucorum dierum interpellationem non adeſt moralis interruptio. Nec obſtat quominus dici poteſt quod Novitius expertus eſt Religionem, & Religio ipſum; ita Leſſ. *lib.1. cap.*41. *num* 59. Garcia *tract.2. diffin.5. dub.3. num.*5. Et probabile reputat Diana 5. *p. tract.5. reſol.*19. Bordon. *tom.* 2.*reſol.* 54. *n.*204. Imò Barboſa refert declarationem Congregationis, aſſerentem Religioſum qui per 24. horas dimiſit habitum, non interrupiſſe noviriatum, & ideo ipſe hanc partem ſequitur apud Tamburin. *tom* 3. *diſp.*6. *q.* 13. *num.*8. ¶ Nos media via incedimus, & aſſerimus cum prima ſententia, quod ſi Novitius exiens animo non redeundi, dimittit habitum, interrumpit Novitiatum, etiamſi per unum diem tantum id faciat: quia tunc omnino relinquitur ſtatus probationis, nec eſt aliquid in quo poſſit continuari. At ſi habitum non dimiſit, etiam ſi exeat animo non redeundi, per tres vel quatuor dies, dicimus cum ſecunda ſententia non interrumpere Novitiatum: quia tunc in ipſa habitus portatione ſtatum probationis continuat, & tactu ipſo illum retinet; quemadmodum qui animum perſeverandi non habet, quamdiu habitum portat, tactu ipſo Novitiatum continuat ut omnes aſſerunt: Unde ut ſit completa & perfecta derelictio ſtatus, tria requiruntur & animus non redeundi, & actualis ex[...] à monaſterio ex illo animo, & habitus dimiſſio. Sic Bartholomæus de Vecch. *in praxi novitior. diſ.*11.*dub.*5. [...]7. Diana *p.*5.*tract.*5.*reſol.*19. Ant. à Spiritu Sancto *tract.*3.*diſp.*2.*ſect.*4. *n.*57.

Peyrin. *tom.* 2. *quæſt.*3. *cap.*1. *num.*100. & 101. & primæ ſententiæ Authores hoc tantum videntur dicere.

Qui juſte fuit expulſus, ſi iterũ admittatur debet Novitiatum inchoare. 20. An verò ſi Novitius ejiciatur ab ordine, & poſtea admittatur, v. g. poſt duos vel tres menſes, vel amplius, debeat poſtea integrum annum Novitiatus peragere, vel poterit computari tempus quod antea in probatione fuit? Reſpondetur quód ſi juſte fuit dimiſſus, iterum debet integrum annum peragere: quia ſicut judicatus fuit ineptus ad Ordinem, ita nullus judicatus eſt Novitiatus ab eo inceptus; at ſi injuſtè ejectus eſt, & ipſe ad Superiores veniens petat quod cognita injuſtitia, iterum admittatur, vel alio modo de facto admittatur: computari poteſt tempus antea peractum in probatione: quia nemo ſine culpa debet privari jure ſuo, abſque juſta cauſa id faciendi; ſed Novitius privatus eſt abſque juſta cauſa jure proſequendi novitiatum, quod habebat: ergo reſtituendus eſt in integrum, ita ut tempus præteritum ei computetur. Pellizzar. *tract.2.cap.1.n.*43. Bord. *tom.2.reſol.*54.*q.*12.*num.*10. Ant. à Spiritu Sancto *num.* 89. imò injuſtè expulſus, jus habet ad redeundum, & tempus quod extra manſit, computandum eſt in anno probationis, ut tenent prædicti Authores. Sed qui juſtè expulſus eſt, ſi per paucos dies dumtaxat extra moretur, ut per unum & alterum diem, & poſtea admittatur, non cenſetur interrumpere Novitiatum, ſi ipſe ex animo eum non relinquit juxta dicta præcedentibus numeris.

Quod ſi poſt Novitiatum completum exeat animo redeundi? 21. Inquires ſecundo. An interrumpatur Novitiatus ſi immediate non conjungatur cum profeſſione: v.g. quis habens annos 14. incepit noviriatum, & impleto anno illius, exivit, ut in domum Parentum commoretur uſque dum impleat 16. annum ad profeſſionem requiſitum. Et in alio caſu: ſi quis etiam poſt 20. annos complеſſet annum Novitiatus, & ante profeſſionem vellet per unum vel alterum annum redire ad ſæculum, animo poſtea redeundi ad Religionem: vel etiam ſi abſque tali animo exiret à Monaſterio, & poſtea admitteretur, deberet novum Novitiatum inchoare, vel computandus ſit illi annus Novitiatus, quem habuit, ut poſſit ſtatim valide ad profeſſionem admitti? Quod, uno verbo, quæritur: an Novitiatus, ut validus ſit, debeat immediatè conjungi cum profeſſione? Et non loquimur quando eo tempore egreſſus conditio perſonæ eſſet Notabiliter mutata: quia ſic omnes dicunt non valere priorem Novitiatum, ſed novum inchoandum; ſed quando non datur aliqua in perſona notabilis mutatio.

Non interrumpitur Novitiatus etiamſi immediatè nõ ſit cum profeſſione cõjunctus. 22. Affirmat prima ſententia eſſe de ratione Novitiatus quod immediatè conjungatur cum profeſſione, ita ut inter Novitiatum & illam tempus aliquod vitæ ſæcularis non intercedat: quia Tridentinum *ſeſſ.*25. *cap.*16. jubet ut *finito tempore Novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint ad profeſſionem admittant*: ergo debet immediatè conjungi profeſſio cum Novitiatu. Sic Suar. *tom.3.de relig.lib.5.cap.*15. *n.*8. Peyrin. *tom.2.q.3.cap.1. num.*99. Palaus *tract.*16. *diſ.1. punct.*12 §.2.*n.*10. Garcia *tract.2.diffinit.5. dub.3.n.*8. ¶ Sed tenenda eſt ſententia contraria: quia ſic annus probationis verè integer & continuus habetur, & fini decreti Concilij eſt plenè ſatisfactum, cum & ipſe Religionem expertus ſit, & Religio ipſum. Nec Concilium prohibet quod Novitiatus ante 15. annos non incipiat;

cipiat; ſed quod nemo ad profeſſionem admittatur, niſi habens 16. annos. Vnde tempus illud medians inter 14. annos & 16. poſt expletum unum probationis, poterit Novitius facere quod voluerit: & idem eſt de caſibus poſitis in quæſito: quia nullus textus expreſſus datur profeſſionem irritans, ſi tempus aliquod ſæculare inter illam, & novitiatum intercedat. Sic Fragoſus. *tom. 2. p. 2. lib 9. diſp. 14. num.* 5. Rodrig. *tom. 3. quæſt. Reg. quæſt.* 15. *art.* 10. Sylveſter. *religio.* 5. *q.* 4. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *n.* 86. & 98. Sanch. *lib* 5. *ſumm. cap.* 4. *n.* 34. Pellizxar. *tract.* 2. *cap.* 1. *mem.* 17.

Poteſt ex juſta cauſa differri profeſſio poſt integrum annum Novitiatus.

23. Nec contra hoc eſt quod dicat Concilium, quod finito tempore Novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint ad profeſſionem admittant, aut de Monaſterio ejiciant quos ineptos judicaverint: quia hoc eſt quod debet fieri regulariter, & licitè non fiet oppoſitùm, niſi juxta cauſa ſubſit. Cæterum ex juſta cauſa, etiam licitè differri poteſt profeſſio, impleto Novitiatu: ut ſi vel Novitius non habeat 16. annum expletum: quia Novitiatum incepit ante 15. nam tunc impleto Novitiatu, non reperitur habilis ad profeſſionem, vel ſi aliquo tempore ægrotaverit, & tunc ægrotet, ſi minus bene in Novitiatu ſatisfecerit. Et ſic praxis & uſus Religionum habet, ex juſta cauſa Novitiatum prorogare, vel certè profeſſionem differre: quod in monialibus paſſim accidit, ſi dotem completam non dederunt; & in omnibus poſſe ex juſta cauſa licitè fieri, ut Novitiatus prorogetur, vel profeſſio differatur etiam expleto anno probationis, & poſt 16. ætatis, declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, ut teſtantur aliqui ex Authoribus citandis. Et ita docent Sanch. *lib.* 5. *ſum. cap.* 4. *num.* 22. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 59. Sa *verbo Religio* 3. Pellixzar. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 39. Peyrin. *tom.* 2. *quæſt.* 3. *cap.* 1. *n.* 102. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *ſect.* 2. *num.* 87. Fragoſo *tom.* 2. *p.* 2 *lib.* 9. *diſput.* 24. *num.* 5. Suar. *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 8. Garcia, *tract.* 2. *diſp.* 5. *dub.* 4. *n.* 3.

Non interrumpitur Novitiatus, etiamſi Novitius toto illo tempore ægrotet.

24. Inquires tertio: an interrumpatur novitiatus, ſi novitius toto tempore illius, ægrotet, & ſic experiri non poſſit auſteritatem Religionis? Reſpondetur negativè: imò computandum eſſe tempus quo ægritudine laborat, & completo anno; poſſe ſtatim profiteri, quia ſic Novitius quantùm eſt ex ſe, verè manet in ſtatu probationis, & quod de facto non probet rigores Religionis eſt per accidens: & etiam in infirmitate poteſt Religio capere illius experientiam, indolemque & mores (quæ maximè in infirmitate deteguntur) cognoſcere. Et ipſe etiám de proximo videre poteſt charitatem Religionis, moreſque & obſervantias Religioſorum cognoſcere. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 5. *q.* 249. *num.* 3. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 34. *num.* 27. Peyrin. *n.* 6. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 12. § 4. *n.* 2. Mirand. *p.* 1. *q.* 22. *art.* 5. Rodrig. *tom.* 3. *q.* 15. *art.* 10. Suar. *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 15. Sanch. *lib.* 5. *ſumm. cap.* 4. *n.* 25. Pellizzat. *n.* 12.

Furor ex infirmitate ſupervéniẽs non interrumpit novitiatum.

25. Inquires 4. An ſi quis ſui compos incipiat Novitiatum, & poſtea per multum tempus, nimirum per 9. vel 10. menſes incidat in amentiam, computandum ſit tempus furoris; ita ut eo computato, poſt annum, profiteri poſſit, ſi ad ſanitatem redierit? Conveniunt Authores in duobus. Primò conveniunt quod licet eſſet illud tempus ſupplendum, non verò inchoandum Novitiatum, & ſic iſtum, per furorem non interrumpi; ſed computato tempore, quo ante, & poſt fuit ſanæ mentis, poterit profiteri: quia manente furioſo in Religione (vel extra de Prælati licentia) ſuſpenditur pro tunc Novitiatus, & dormit, uti de præſcriptione diximus *tom.* 3. *tract.* 13. ¶ Secundò conveniunt Authores quod ſi furor ille per 15. vel 20. dies duret, cauſatus ex aliquo morbo, ob quem in freneſim incidit, computandum eſt tempus furoris, & non ſupplendum: quia non impedit curſus Novitiatus, ut eſt praxis omnium Religionum. ¶ Quæſtio igitur eſt quando furor eſt permanens, & extraordinarius, per novem vel decem menſes durans: an debeat illud tempus ſuppleri pro anno Novitiatus.

Non eſt ſupplendum tempus in furore tranſactum pro anno Novitiatus.

26. Affirmat prima ſententia: quia furioſus non poteſt experiri, aut explorare Monaſticam diſciplinam, nec propriè eſt ſub jugo obedientię, cum tamen ad id ſit Novitiatus inſtitutus: ſicut ob hanc rationem, tempus ante pubertatem in Novitiatu conſumptum, non eſſe computandum ſupra diximus. Ita Barboſa *in cap. ſicut el* 2. *de Regular. n.* 2. Peyrin. *tom.* 2. *de R.P. q.* 3. *cap.* 1. *n.* 39. Lexan. *tom. cap.* 24. *num.* 18. Sanch. *lib.* 5. *c.* 4. *num.* 55. Sylveſter. *relig.* 5. *q.* 2. Armilla *verbo Novitius num.* 5. Pellizzat. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 13. ¶ Verior eſt ſententia negativa: quia annus Novitiatus tunc non interrumpitur, ut omnes admittunt, & ſic non eſſe de novo inchoandum aſſerunt: ergo illo tempore permanet ſtatus Novitiatus: ergo computandum eſt ad annum probationis, & ex accidẽti provenit quod tunc non experiatur Religionis difficultates, ſicut ſi eſſet captus ab hoſtibus, vel eſſet æger. Et eſt diſpar ratio de impubere: nam impubertas excludit ſtatum Novitiatus, ut diximus *n.* 5. non verò ſuperveniens dementia: quia talis ſtatus, ſicut ex voluntate Novitij & Religionis aſſumitur, ita debet diſſolui ex eorum voluntate: nam res per eas cauſas, per quas generatur, debet diſſolui. Ita Bartholomæus de Becelis *de praxi Novit. diſp.* 2. *dub.* 7. *n.* 4. Garcia *tract.* 2. *diffin.* 2. *dub.* 6. *num.* 3. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 12. § 2. *n.* 9. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 34. *n.* 26. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *n.* 71.

---

§. IV.

An ſit dabilis caſus, in quo ſit valida profeſſio, non præmiſſo integro Novitiatus anno?

Non poteſt Novitius & Religio anno Novitiatus, renunciare.

27. LOquimur de Religionibus propriè talibus, quidquid ſit de militaribus Ordinibus, de quibus diximus *cap.* 1. *n.* 68. *hujus tractatus*. Et in primis quærimus: an in Novitio & Monaſterio annum Novitiatus renuntiantibus, ex juſta cauſa, poſſit admitti ad profeſſionem Novitius qui integrum probationis annum non peregit. Affirmat Henriq. *lib.* 13. *cap.* 40. *num.* 2. & probabile judicant Sanchex & Leſſ. *infra* citandi: quia unuſquiſque ei renuntiare poteſt, quod ſuum ſavorem eſt inductum, ſed Novitiatus conſtitutus eſt tam in favorem Novitij, quam Religionis, ut expreſsè habetur, *cap. ad Apoſtolicam de Regularibus*: ergo &c. ¶ Sed dicendum eſt minime poſſe Novitium & Religionem Novitiatui renuntiare: quia omnes clauſulæ Concilij, clarè iſtam renuntiationem avertunt, & nullam eſſe demonſtrant, cum

omnes ſint irritantes quancumque profeſſionem factam ſine illo, *ut non admittatur ad profeſſionem profeſſio ſit nulla; nullum effectum operetur*; & ſic cenſetur ſublatum tale jus renuntiandi; aliàs fruſtra profeſſionem toties irritaret, modo dicto, emiſſam. Siquidem quæcumque profeſſio valida fieri poſſet cum dicta renuntiatione, fruſtraneumque maneret decretum adeò grave, & urgens Concilij. Sanchez *lib. 5. ſumm. cap. 4. num. 19.* Pellizzar. *tract. 2. cap. 1. n. 44.* Rodrig. *quæſt. reg. tom. 3. quæſt. 15. art. 7.* Leſſ. *libro 2. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Suar. *tom. 3. lib. 5. cap. 12. num. 5.* Palaus *tract. 16. diſ. 1. punct. 12. §. 1. numero ſecundo*, Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 2. numero 50.* Garcia *tract. 2. diſſin. 5. dub. 1. num. 3.*

Conjux qui poſt matrimonium ratum, Religionem intrat, debet annum novitiatus peragere.

28. Quæritur ſecundò an conjux, qui poſt contractum matrimonium, & non conſummatum Religionem ingreditur, debeat integrum annum peragere ante profeſſionem? affirmativè reſpondendum eſt: quia Concilium loquitur generaliter per verba negativa, prohibens fieri profeſſionem non præmiſſo anno Novitiatus, & ſic generaliter, & in omni caſu obligat: nam lex generalis & negativa omnem caſum excludit. Vnde conjux in ſæculo manens, non poterit ad alias nuptias, toto illo anno, tranſire: nam matrimonium ratum non diſſoluitur ſolum per ingreſſum, ſed per profeſſionem Religioſam, & bimeſtre conceſſum conjugibus ad deliberandum de aſſumptione ſtatus Religioſi, non intelligitur pro profeſſione, ſed pro ingreſſu: nam bimeſtre non ſufficeret ad profeſſionem. Vnde ſi ſponſa duodenis tranſeat ad Religionem, expectandum eſt per quadriennium ab ſponſo in ſæculo manente, antequam poſſit matrimonium de novo contrahere. Quæ omnia latè diximus *tom. 2. tract. 9. de matrim. cap. 4. num. 89.* & modo tenent Garcia *tract. 2. diſſin. 5. dub. 1. n. 5.* Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 2. ſect. 2. num. 107.* Leſſ. *lib. 2. cap. 41. num. 59.* Palaus *diſp. 1. punct. 12. §. 1. n. 3.* Pellizzar. *ſup. n. 40.*

Non requiri annum Novitiatus in eo qui de una ad aliã tranſit Religionem, tenent aliqui DD.

29. Quærimus tertio, an ſi quis per legitimam licentiam cum omnibus aliis requiſitis, de quibus infra agetur, ad aliam tranſeat Religionem, debeat in ea annum Novitiatus peragere, an potius ſuffragetur illi quem habuit in priori, ut abſque novo Novitiatu in poſteriori habito, poſſit in tali Ordine profiteri? Affirmat prima ſententia, quia Concilium loquitur de profeſſione ſubſtantiali, per quam profitens ex non Religioſo fiat ſubſtantialiter Religioſus; non autem de accidentali, per quam exiſtens jam Religioſus in uno Ordine, fiat Religioſus alterius: quia tunc non tam dicitur ingredi Religionem, quam mutare. Ita Corduba *in quæſtionario. quæſt. 38. in prima editione*, Serbus, *in compend. privileg. mend. poſt 2. notab. §. ſed an requiratur.* Henriq. *lib. 12. de excomm. cap. 40. num. 1. in comm. littera B.* Caramvel *in reg. Divi Benedicti diſp. 45. n. 544.* Quibus libenter adhæſurum dicit Diana *7. p. tract. 11. reſol. 25.* niſi in oppoſitum videret praxim & communem DD. ſenſum.

Qui ab una ad aliam tranſit Religionem, debet in ea integrum peragere Novitiatũ.

30. Communis tamen & vera ſententia eſt negativa, ſive tranſitus fiat de Religione laxiori ad ſtrictiorem, ſive econtra, ſive ſit ad diverſam Religionem, ſive intra eandem, ut ſi de Calceato ad Excalceatos tranſiret, vel econtra (& non loquimur quando intra eundem Ordinẽ de Laico fit Choriſta, aut econtra: quia tunc cum expertus jam ſit Religionis aſperitates, & Religio illius mores, non requiritur ut Novitiatus novus, ut docent Peyrinis, Pellizzar. & alij infra citandi.) Et probatur primo, quia Concilium loquitur generaliter, & ut quis validè profiteatur, dicat præmittere teneri annum Novitiatus integrum, ſed qui tranſit ad alium Ordinem verè, ſubſtantialiter & validè debet profiteri: ergo ad talem profeſſionem novus eſt præmittendus Novitiatus. ¶ Secundò, quia in his quæ dependent ab intelligentia Concilij, ſtandum eſt declarationibus Pontificum, Cardinalium, & Doctorum; ſed communis DD. ſententia hanc tenet doctrinam: Greg. XIII. ut refert Hieron. Garcia. *in politica regul. tom. 1. tract. 2. diſp. 5. dub. 2. n. 4.* decrevit eos qui à Calceatis ad Diſcalceatos tranſeunt per annum antè profeſſionem in probatione exiſtere. Et Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib. 1. cap. 42. num. 86.* refert declarationem Cardinalium dicentium, quod ſi Diſcalceati ad Calceatos tranſeant, nullam faciant profeſſionem niſi inter Calceatos annum probationis præmittant. ¶ Tertio: quia talis non eſt expertus auſteritates illius Ordinis, ſed alterius: licet ipſe ſimiles, aut majores expertus eſſet, ipſum Religio experta non eſt; & paſſim contingit aptiſſimum uni Ordini, ineptiſſimum eſſe alteri, & ſic oportet in uno veteranum, eſſe in alio tyronem, ut & ipſe obſervantias & modum illius Ordinis experiatur, & Religio de illius moribus, indole, & capacitate, capiat experientiam. Ita Palaus *tom. 3. tract. 16. punct. 12. §. 1. num. 4.* Sanchez *lib. 5. ſum. cap. 4. n. 2.* Garcia *loco cit.* Fragoſus *tom. 2. p. 2. lib. 9. diſp. 24. n. 40.* Leſſ. *lib. 2. cap. 41. num. 59.* Sa *verbo Religio n. 35.* Rodriguez *quæſt. Reg. tom. 3. quæſt. 15. art. 12.* Azur. *1. p. lib. 12. cap. 14. quæſt. 15.* Lezan. *tom. 1. cap. 2. n. 11.* Peregrinus *p. 2. conſtit. 1. littera C. §. 19.* Pellizzar. *tract. 2. c. 1. n. 20. & 40.* Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 2. ſect. 2. n. 105.*

Poſſunt in periculo mortis antè annum Novitiatus, Novitij profiteri.

31. Quærimus tandem: an ſi quis mortis articulo ante completum annum Novitiatus, profiteretur, & poſtea ab infirmitate convaleſceret, deberet ſupplere id quod de anno Novitiatus ſupererat? Supponit, & benè quæſitum eſſe privilegium Bullatum conceſſum à Pio V. Monialibus S. Dominici, (& per communicationem aliis, tam fratribus, quam monialibus competens) in brevi quodam, quod incipit: *ſumma Sacerdotibus expedito 23. Auguſti anno 1570.* quod refert Rodrig. *quæſt. Reg. tom. 3. quæſt. 15. art. 6.* Et non eſſe revocatum à Gregorio XIII. *conſtitut.* incipiente: *in tanta.* Aſſerunt Authores *infra* citandi, per quod Pius V. concedit ut poſſint in mortis periculo, qui aliàs legitimam ætatem habuerint, profiteri, etiamſi annum Novitiatus completum non habuerint, Indulgentiam plenariam ſic profitentibus indulgens. Quærimus ergo: an ſi poſt emiſſam profeſſionem infirmus convaleſcat, debeat ſupplere tempus probationis prætermiſſum uſque dum annus integer impleatur?

Non eſt ſupplendũ tempus Novitiatus prætermiſſum in eo qui in mortis articulo profitetur, ſi cõvaleſcat.

32. Affirmat prima ſententia: quia in tali caſu eſt de novo profeſſio iteranda: ergo etiam ſupplendum tempus Novitiatus omiſſum: quia profeſſio valida emitti non poteſt, niſi poſt completum annum probationis. Sic Portel *de dubiis Regular. verbo Novitia, numero quinto*, Mirand. *1. part. quæſtione 22. articulo 10.* Barb. *in collectan. ad caput Apoſtolicum de dubiis regul. numero quarto.* Rodrig.

Rodrig. *in addition. ad ſumm. tom. 4. capite 63. numero 5.* Garcia *tract. 2. diſſin. 5. dub. 5. num. 10.* Peregrin. *in comp. privilegior. verbo Novitius, §. in ſcholio*, addunt prædicti Authores quod ſi Novitius poſt profeſſionem factam, virtute dicti privilegij, moriatur, non poſſet Religio illius adire hæreditatem, vel dotem accipere. ¶ Cæterum fundamentum hujus ſententiæ falſum eſt: quia profeſſio virtute hujus privilegij facta iteranda non eſt, etiamſi Novitius convaleſcat (quamvis melius facit eam ratificando propter opinionem contrariam) quia illa fuit valida profeſſio, ut docent Lezana *tom. 1. cap. 35. numero 39. & capite 54. num. 45.* Palaus *tract. 16. diſ. 1. punct. 15. §. 1. num. 7. & 8.* Sanchez *libro 5. ſumm. capite 4. num. 16.* Peyrin. *tom. 2. privileg. conſtitutione 5. punct. 5. § 2. numero 1.* Ant. à Spiritu Sancto *tom. 1. tract. 5. diſp. 3. num. 219.* Dian. *3. p. tract. 5. reſolutione 17. & 5. p. tract. 3. reſol. 139.* Pellizzar. *tom. 2. capite 6. numero 58.* Ex qua doctrina manifeſtè ſequitur tempus illud non eſſe neceſſariò ſupplendum: quia repugnat eum eſſe in ſtatu Novitiatus, qui eſt actu profeſſus: eſſet quippè in via & termino, in motu & quiete, in medio & fine: ergo non eſt neceſſe, eum qui verè profeſſus jam eſt, tempus Novitiatus abſoluere: maximè, quia ſtatus approbationis debet eſſe cum libertate ſumendi, vel relinquendi illum, quod poſt validam profeſſionem, non habet locum, ſic Sanchez *n. 16.* Diana *locis citatis, & p. 7. tract. 12. reſol. 3.* Pellizzar. *tract. 2. capite 1. numero 55.* Megala *parte 2. lib. 5. capite 57. numero 50.* Zanard. *in director. theol. parte 2. capite 17.* Bartol. à S. Fauſto. *lib. 5. quæſt. 167.* Antonio à Spiritu Sancto *num. 519.* ¶ Sequitur etiam ex dicta ſententia Monaſterium poſſe adire Novitij hæreditatem: quia vera fuit profeſſio, & ſic ſe & omnia ſua Religioni tradidit; & dotem deberi Monaſterio, etiamſi moriatur: quia jam veram & ratam profeſſionem emiſit, poſt quam ſtatim dos debetur. Peyrin. à Spiritu Sancto, Palaus, Sanchez, Megal. Diana *locis citatis*, & Lugo *tom. 1. de juſt. diſp. 3. ſect. 9. n. 191.*

PVNCTVM II.

De his qui legitimam habent poteſtatem ad Novitiatum recipiendi.

Generalis, Provincialis, & Immediatus Prælatus poſſunt Novitios recipere.

33. CErtum eſt, requiri in recipiente poteſtatem ad admittendum aliquem ad probationem, aliàs ingreſſus, & Novitiatus, nullus eſſet: quia Religio probari non poteſt à Novitio, quin prius ab ea admittatur. Hæc poteſtas ex jure communi competit Prælatis immediatis, Abbatibus, Prioribus, &c. ut conſtat *ex cap. 4. de his quæ poſſunt à Prælatis, &* Gloſſa *c. final. de regular. in ſexto.* Ex conſuetudine tamen, vel Privilegio Nicolai III. *Cap. exiit. de verb. ſignif. in 6.* habent illam Generales in toto Ordine, Provinciales in ſua Provincia, & Locales in ſua domo una cum Capitulo, niſi lex, conſtitutio, aut conſuetudo ſit in contrarium: ut in Societate, in qua ſolus Generalis, per ſe, vel per alium poteſt admittere Novitium, ut teſtatur Pellizzar. *tractatu ſecundo, capite 2. numero ſecundo.* Circa quod inſpiciendæ ſunt peculiares leges, aut conſuetudines Religionis. In noſtra tamen ſolus Generalis, aut Provincialis, vel alius de eorum licentia, una cum majori parte Capituli, poteſt aliquem admittere, ut habetur *2. parte, capite 5. numero 5.* Quare ubi ex conſuetudine, vel lege conſenſus Prælati & Capituli requiritur, utriuſque conſenſus eſt de rei ſubſtantia, ut conſtat ex Bulla Sexti V. quam adducit Pellizzar. *numero 10.* & tenet Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 9. num. 6.*

Sufficit ſi major pars Conventus conſentiat receptioni Novitij.

34. Cæterum non requiritur quod omnes Capitulares conſenſum præbeant; ſed ſufficit ſi major pars Capituli, etiamſi aliqui contradicant: quia quod à majore parte fit, a toto Capitulo fieri cenſetur. Imò ſi injuſtè totum Capitulum denegaret Novitio ſuffragium, & hoc Prælato conſtaret, poſſet ipſe ſolus abſque conſenſu Capituli eum recipere: quia quoties conſenſus ad aliquem actum eſt neceſſarius, habetur pro præſtito, ſi qui illum præſtare debent injuſte denegaverint. *cap. licet §. talis ergo de Regularibus.* Peyrin. *tom. 2. quæſt. 3 cap. 1. numero 25.* Pellizzar. *numero 13.* ¶ Valida tamen remanet receptio ſi ſolus Prælatus & alius ſit in Conventu, & uterque pro Novitio ſuffragium ferat: quia totum jus Capituli reſidere poteſt in uno ſolo, ut notat Gloſſa *in cap. 5. de poſtulator.* Naldus *verbo mandatum numero ſexto.* ¶ Denique ſi Prælatus non adſit, vel alius loco illius, non erit valida receptio: cum ſit admiſſio Novitij magni momenti, & ſic non debet abſque interventu Prælati tractari. Pellizzar. *tractatu 2. capite ſecundo, numero 17.* Cætera quæ hic tractari ſolent, agenda ſunt a nobis *capite ſequenti* agentes de his qui poſſunt recipere ad profeſſionem, *punct. 2.* illi enim ſolum qui ad profeſſionem poſſunt Novitium recipere, poſſunt etiam ad Novitiatum, & è converſo.

Qui ſemel eſt Capitulariter admiſſus, poteſt excludi, & excluſus iterum admitti.

35. Sed reſtat nunc triplex difficultas. Prima eſt: an Novitius ſemel capitulariter excluſus, poſſit iterum à Capitulo admitti, aut excludi jam admiſſus? Affirmativè reſpondendum eſt: quia nullum datur jus irritans, aut prohibens talem admiſſionem, vel dimiſſionem: & alias occurrere de novo poſſunt rationes, ob quas admiſſus dimittatur, vel dimiſſus admittatur. Sic Peregrin. *parte 5. conſt. 5. litt. R. §. 11. & 12.* Pellizzar. *tract. 5. capite 2. num. 51.* Qui etiam advertunt quod ſi admiſſus non ſponte diſtulit ingreſſum; ſed ob morbum, ob aliorum culpam, vel aliam juſtam rationem, & conſtet nihil in eo de novo reperiri, ob quod debeat excludi, poterit ſine novo Conventus conſenſu ingredi, etiamſi differat per multum tempus: quia cum talibus circumſtantiis præſumitur Capitulum manere in priori voluntate juxta *Regulam 25. quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* Secus ſi ſua culpa differat, vel aliquid novum in eo appareat, quod retrahere prius poſſet: quia tunc nova approbatio requiritur.

Non peccare mortaliter Prælatum, qui abſque juſta cauſa petentem non admittit, aliqui aſſerunt.

36. Secunda difficultas eſt: an peccet mortaliter Prælatus (& idem eſt de aliis ſuffragantibus) ſi abſque juſta cauſa deneget ſuffragium, vel non admittat eum, qui aliàs nullum habet impedimentum? Dicimus, *ſi abſque juſta cauſa* deneget ſuffragium &c. Nam juſta cauſa ſtante licitè id facere poteſt, ut ſi Religio non poſſit alere, ob paupertatem, novum Religioſum, vel quia plures petunt, & non poſſunt omnes admitti; vel quia res dubia eſt an ſit aptus ad

Religionem, vel utrinque probabilis : quia poterit ſequi partem Religionis eum excludendo, de quo dubitat, an ſit expediens eum recipere? ¶ Sed adhuc non peccare mortaliter, licet juſta non ſubſit cauſa dimittendi, docent Sanch. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 59. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 54. *num.* 138. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *num.* 28. Peregrinus apud Dianam 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 19. Quia alterius bonum impedire peccatum non eſt, niſi ille ad tale bonum jus aliquod in re, vel ad rem habeat; ſed ingredi volens Religionem nullum tale jus habet : ergo Prælatos nolens eum admittere, nullam illi facit injuriam, ſed utitur jure ſuo, illi quod non debet denegando. ¶ Sed hæc ratio ſolum probat non eſſe contra juſtitiam cum obligatione reſtitutionis, dignum non admittere, habitum petentem, vel pro illo non ſuffragari, ſed non probat non eſſe contra charitatem, & contra debitam adminiſtrationem officij.

Peccat mortaliter Prælatus qui dignum abſque juſta cauſa non admittit.

37. Quare dicendum eſt peccare mortaliter Prælatum aliquem cum qualitatibus requiſitis ad Religionem, ad illam non admittentem, niſi ex juſta cauſa ad hoc moveatur (& idem eſt de ſuffragium negantibus.) Probo tum ob bonum Religionis, cui damnum infert, eam condigno filio privando, tum ob charitatem erga proximum, cui ſecurè viam ſalutis procuranti, aditus ſine cauſa præcluditur. Tum ob indebitam ſuæ juriſdictionis adminiſtrationem : quia infidelis eſt diſpenſator bonorum Chriſti & Eccleſiæ, ea ſine cauſa negando ſubjecto condigno. Ita Portel. *in dubus regular. verbo Novitius, in addit. numero* 17. Palaus *diſp.* 1. *punct.* 4. *num.* 4. *& punct.* 9. *numero* 13. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 4. *dub.* 3. Lezan. *tom.* 1. *capite* 24. *numero* 28. à S. Fauſto *in theſauro Relig. lib* 5. *quæſt.* 213. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſolut.* 19. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 25. *art.* 12. *concluſ.* 1. *&* 2. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 10. *numero* 28. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 28. & alii.

Quid reſtituere debet qui vi aut fraude aliū avertit à Religione?

38. Quod confirmari poteſt : nam qui alium à Religione retrahit abſque juſta cauſa, peccat mortaliter : ergo multo magis Prælatus, ſi abſque illa nolit dignum admittere, vel pro illo non ſuffragantes. Conſequentia tenet : antecedens probatur ex graviſſimorum DD. placitu, qui aſſerunt peccatum eſſe mortale alium conſilio, præcibus &c: à Religione, vel profeſſione retrahere; niſi juſta id faciendi cauſa detur (puta, ſi timeat non perſeveraturum, magnam triſtitiam cauſaturum parentibus, in tali ſtatu non profecturum, vel videat eſſe multum neceſſarium in ſæculo; vel certè Religionem in qua vult ingredi, eſſe relaxatam, vel ſuam indolem illi proportionatam & aptam non eſſe, vel eſſe nimis delicatum ad auſteritates perferendas &c.) Sic Leſſius *lib.* 2. *capite* 8. *numero* 12. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 11. *diffinit.* 26. *numero primo*, Diana *reſolut.* 19. *citata*. Rebell. *de obligat. juſt.* 1. *p. libro* 4. *quæſt.* 15. *n.* 5. Layman. *lib.* 3. *sect.* 6. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 2. Lezan. *ſupr. n.* 28. Corduba *in regulam D. Franciſci, cap.* 2. *q.* 2. ¶ Sed adverte non eſſe obligatum ad reſtitutionem qui abſque vi, aut fraude avertit alium à Religione, ſed qui vi aut fraude eum avertit, peccat mortaliter contra juſtitiam : quia in hoc magnam alteri injuriam irrigat, & ſic tenetur ad reſtitutionem, quod faciet tollendo vim, aut fraudem appoſitam, ut docet Lezana *loco citato*. An verò teneatur ad reſtituendum damnum Religioni inde cauſatum? Aliqui affirmativè reſpondent, alij negativè; & utrumque eſſe probabile docet Lezana *numero* 28. Qui etiam advertit cum Sanch. *lib.* 1. *Conſilior. capite* 3. *dub.* 1. Cardin. Lugo *tom.* 1. *de juſt. diſp.* 9. *sect.* 3. *numero* 31. Quod in ſententia eorum qui docent eum reſtituere teneri Religioni damnum cauſatum, id facere poteſt vel ſuadendo illi ut iterum ingredi tentet, vel alteri æque bono loco ipſius : non tamen teneri ipſum ingredi loco illius : quia ſtatus Religionis debet eſſe omninò voluntarius.

Monaſterium gravi inopia laborans non poteſt alios admittere Novitios.

39. Tertia difficultas eſt : an ſi Monaſterium vel Religio paupertate laboret, ita ut commode non poſſit novum Religioſum ſuſtentare, poſſit licitè Prælatus eum ad Ordinem admittere? Circa hoc, præter jura antiqua, adeſt decretum Concil. Trid. *ſeſſione* 25. *cap.* 3. *de regular.* Vbi ſic dicitur : *in prædictis autem Monaſteriis & domibus tam virorum, quam mulierum, bona immobilia à poſſidentibus, vel non poſſidentibus is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.* Et tunc commode ſuſtentari poſſe Religioſos cenſetur (ut benè advertit Sanchez *libro ſeptimo ſumm. capite vigeſimotertio, numero ſecundo*,) quando attenta Religionis conſuetudine, & perſonarum qualitate, Monaſterijque oneribus & obligationibus, ex redditibus, vel conſuetis eleemoſynis valent ſuſtentari. ¶ Cæterum, quia, ut benè notavit ipſe Sanchez *dicto capite vigeſimo tertio in fine*. Et ex eo Palaus *tract.* 16. *diſputat.* 1. *punct.* 7. §. 6. *numero quinto*, in virorum Conventibus prædictum Concilij decretum fuit conſuetudine temperatum, eo quod multoties plures admittantur, quam ex redditibus Conventus, conſuetiſque eleemoſynis, commodè ſuſtentari poſſunt. Ob quam rationem ferè omnia Monaſteria pluribus debitis gravantur, quorum receptionem honeſtari dicunt ex eo quod adeſt communiter periculum & timor ne Monaſterij opinio minuatur, vel ne Monaſteria ſolita fieri, ceſſent : ſi noviter non recipiantur, qui ſeniorum & infirmorum defectum suppleant; & ob ſpem quam habent certam moraliter, quod brevi tempore debitis ſatisfacere poterunt. Ideo ab hoc ſuperſedimus. Et quid dicendum ſit circa Monaſteria monialium, infra cum de illis ſpeciale Caput inſtituamus, agemus.

PVNCTVM III.

De qualitatibus requiſitis in his qui recipiendi ſunt ad Religioſum ſtatum.

Nō plures ſed electi debent ad religionem admitti.

40. IN generali loquendo, illi admitti poſſunt ad Religionem, qui diligenti examine præmiſſo, talibus dotibus præditi inveniuntur, ut merito apti futuri judicentur & idonei ad finem & media Religionis, in quam petunt admitti in eaque poſſe perſeverare. Et ideo Nicolaus III. *in cap. exiit qui ſeminat* §. *verum quia de verbor. ſignif. in* 6. graviter commendat Prælatis ne indifferenter omnes recipiant, ſed eos dumtaxat, *qui ſuffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumſtantiis, poſſint utiles eſſe ordini, ſibique per vitæ meritum, aliiſque proficere per exemplum.* Ob idque in no-

ſtris conſtitutionibus 2. *p.cap.*2. *n.* 5. merito cavetur : *ante omnia recipiendorum ſpiritus probetur : an ex Deo ſit ? & à Priore, a Magiſtro, & ab alio ſeniori. ſua vocationis cauſa & finis, & an ſit bona indolis, docilis & ad ſufferendos Ordinis labores robuſtus, exploretur diligenter.* Et cum ſanctiùs ſit paucos bonos, quam multos malos Miniſtros habere, ut dicitur *in cap. cum ſit de nat. & quali.* non debent eſſe faciles Prælati in admittendis Novitiis ad habitum Religionis : quia ut D. Franciſcus aiebat : *Utinam fratres mei eſſent adeo pauci, ut quando homines viderent illos, mirarentur.* Religionum itaque bonum, non tam in multitudine, quam in probitate conſiſtit : & cum plures ad virtutem ducere arduum ſit, difficulter bona eſt plurium multitudo, ut ex Ariſtot. docet Suar. *tom.*4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 2. *capite* 3. *num.* 2.

Alia ſunt impedimēta ex jure naturali ad Religionē, alia ex jure poſitivo.

41. Videamus nunc in particulari quæ ſint impedimenta ex parte recipiendorum obſtantia quominus admitti poſſint in Religionibus ? Alia horum ſunt annullantia & irritantia profeſſionem, alia dumtaxat illam illicitam, tametſi validam conſtituentia. Aliqua illorum ſunt ex jure naturæ, alia ex jure poſitivo, de quibus ſingillatim diverſis §§. agemus. Sed quia de aliquibus actum eſt jam à nobis in aliis locis hujus Curſus, ne bis repetamus eandem doctrinam, ea duntaxat attingemus, Lectorem ad locum ubi latius exarata ſunt, remittentes.

---

§. I.

De impedimentis ex jure naturæ nullam, vel illicitam Religioſæ vitæ aſſumptionem reddentibus.

Decrepiti, nimis infirmi, inſani & furioſi, inhabiles ſunt ad Religionem.

42. IN primis certum eſt ex jure naturæ eſſe inhabiles ad ſtatum Religioſum ſenes decrepiti, & omnes qui nimis infirmi, vel viribus deſtituti ſunt, ut Religionis obſervantias aliqualiter ferre poſſint, (agimus modo ex jure communi præſcindendo à particularibus inſtitutis) etiam amentes & furioſi inhabiles ſunt ad Religionem, & ideo ſi recipiantur nulla eſt eorum receptio, & ſic ad ſenſum redeuntes iterum recipi debent, & ex tunc Novitiatus inchoari, etiamſi jam per 40. annos in Religione extiterint, ſi tempore furoris, vel amentiæ, fuerunt recepti : quia tunc erant inhabiles, & non firmatur tractu temporis quod ab initio non ſubſiſtit. *Regula* 18. *iuris in* 6. Tambur. *tom.*3. *diſp.*6. *q.*3. *num.*2. Hieron. Garcia *tract.* 2. *diſſin.* 2. *dub.* 6. *num.* 2. Bartholomæus à Becchis *in praxi Novitior. diſp.* 2. *dub.* 7. *n.* 3. Peyrin. *tom.* 2. *q.* 3. *cap.* 1. *n.* 37. Sanch. *lib.* 5. *Summ. cap.* 4. *n* 54. qui limitat ut hoc non intelligatur de ea amentia quæ in una vel altera materia eſt, & non omninò mente privat.

Servi recipi non poſſunt abſque Domini conſenſu.

43. Secundò ex jure ipſo naturali non poſſunt recipi in Religione ſervi propriè dicti ſeu mancipia : quia totum quod eſt ſervus, quoad omnes actiones ſuas utiles & perſonales, eſt Domini : Unde non poteſt ſe tradere Religioni, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art* 6. *ad* 6. & cum eo omnes. Quarè ſi admittatur, furtum ex parte ipſius & Religionis ſcienter eum admittentis committitur : quia Dominus debitis ſibi obſequiis privatur ; & etiamſi ſit profeſſus, deciditur *in cap. ſi quis* 16. *q* 2. *cap. Generalis, cap. ſi ſervus diſt.* 54. quod poſſit repeti à Domino intra triennium computandum à die receptionis habitus, ut aliqui volunt, vel ut alij melius, à die quo Dominus notitiam receptionis habet : quia tempus non currit ignoranti. *l. cum ſenex ff. de ædilibus*, & illo tranſacto videtur annuere Dominus, & ideo nec ipſe exire tenetur, nec Conventus aliquid Domino compenſare. Sanchez *lib.* 5. *ſumm. cap.* 4. *n.* 44. Becchis *diſp.* 2. *n.* 4. Garcia *tract.* 2. *diſſin.* 2. *dub.* 2 *n.* 3. Sed non valet eorum Novitiatus, non abſolutè, ſed ſub conditione, ſi hærus conſenſerit ; ita ut computandus ſit, non ſolum à tempore habitæ licentiæ, ſed à tempore receptionis ; eſto profeſſio, ſive licentia facta ſit nulla. Palaus *tract.* 16. *diſput.* 1. *punct.* 7. §. 2. *n.* 1. Et in ſimili Sanch. *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 37. *n.* 46. Sed ſi ſervus bona fide ingreſſus eſt, & Monaſterium vel mala fide vel certè negligenter ſe habens circa informationem conditionis illius, in Monaſterio profiteatur, repeti non poteſt a Domino, nec ipſe exire ; ſed Monaſterium tenetur damnum Domino compenſare, ut habetur *cap. ſi ſervus diſt.* 54.

Nulla eſt profeſſio facta à ſervo contra voluntatem Domini.

44. Sed difficultas eſt : an ſi ſervus intra triennium profiteatur, valida ſit profeſſio illius, ita quod ſi à Domino non repetatur, teneatur manere in Religione, vel certè ſi petatur, teneatur ſuo modo ſervare vota, ſaltem caſtitatis, & à Domino manumiſſus, iterum ad Religionem convolare ? Affirmat prima ſententia : quia talis profeſſio nec ex jure naturæ eſt nulla, nec ex jure poſitivo, cum nullum detur illam annullans, & aliàs vota ſervorum quamdiu à Domino non irritantur, valida ſunt : ergo tenetur talis, quamdiu à Domino non repetitur (etiam ſi mala fide ingreſſus fuerit, vel admiſſus) vota ſervare & perſeverare in illo ſtatu. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 24. *n.* 20. Vaſeus *verbo Religio* 2. *n.* 3. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num.* 2. Villalob. *p.* 2. *tract.* 35. *diſſin.* 7. *n.* 4. Vechius *diſt.* 2. *dub. num.* 6. Mirand. *tom.* 1. *quæſt.* 17. *art.* 2. *concluſ.* 3. Suar. *tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 6. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 3. *n.* 31. ¶ Sed dicendum eſt, eſſe talem profeſſionem nullam jure naturæ (ſaltem mala fide emiſſam) & etiam jure poſitivo, & ſic nullam parere obligationem. Iure quidem poſitivo ut ſatis colligitur *ex cap. quidam de converſione conjugatorum.* Et jure naturæ : quia licet ſervus votum caſtitatis emittere poſſit contra voluntatem Domini, non vero ſe tradere Religioni, ubi ſubjectionem mutat : quia cum non ſit ſui Dominus, alteri ſui Dominium tradere nequit, à Sancto Fauſto *lib.* 5. *quæſt.* 131. Sanch. *lib* 5. *ſumm. cap* 4. *n.* 49. Peyrinus *tom.* 2. *q.* 3. *cap.* 1. *num.* 45. Barboſa *de iure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 42. *n.* 6.

Quomodo conjugati poſſunt, vel non in Religione admitti.

45. Tertio non poſſunt conjugati Religionem ingredi poſt conſummatum matrimonium abſque licentia conjugis, & profeſſio abſque illa emiſſa, erit nulla, *c. Quidam, c. Placet, c. Ex parte converſ. conjugator.* Sed quando & quomodo ex licentia alterius poſſit, conjugatus profiteri ? an in ſæculo manens, teneatur votum caſtitatis emittere, vel Religionem ingredi, diximus *tract.* 8. *de ordine cap.* 6. *n.* 53. *& tract.* 9. *de matr. cap.* 16. *à num.* 51. Etiam diximus ibi quando poſt adulterium commiſſum ab altero conjuge, poſſit ſine licentia illius innocens religionem ingredi. Et etiam *cap.* 2. *punct.* 2. quomodo poſt ſponſalia licitum ſit ad religionem convolare, & quid de illo qui Virginem ſub ſpe conjugij violavit ? diximus *tom.* 3. *tract.* 13. *de reſtit. cap.* 3. *num.* 17. Sed poſt matrimonium ratum, & non conſummatum poſſe conjugatum, etiam invito altero

conjuge,

conjuge, in Religionem ingredi diximus *tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 71. Vbi id verificari, etiam tranſacto bimeſtri ad deliberandum conceſſum, modo matrimonium non ſit conſummatum, diximus ibi *num.* 90. Et quando cenſeatur matrimonium conſummatum latè dictum eſt à nobis, *eod. tract.* 9. *cap.* 4. *punct.* 1. Nunc ſolum advertimus Novitiatum à conjugato poſt conſummatum matrimonium abſque licentia conjugis ſuſceptum, irritum non eſſe, ſi poſtea conſentiat ante profeſſionem; ita ut non ſit iterandus: quia nullibi irritatus invenitur: ſolum enim jus irritavit profeſſionem conjugis, altero non conſentiente, & ex hoc non infertur irritatio Novitiatus, cum diſpar ſit ratio, & alias poſſit aſperitates Religionis experiri, & Religio de ipſo experientiam capere. Palaus *tractat.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 7. §. 3. *num.* 2. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 10. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 41. *n.* 66. & 67. Pelliz. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 14. favetque Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſp.* 37. *num.* 46.

In uno Ordine profeſſi, nequeunt intrare alium.

46. Quarto ſunt inhabiles ad profeſſionem in uno Ordine, qui in alio ſunt jam profeſſi. Quibus autem caſibus poſſit in uno Ordine profeſſus in alio nihilominus admitti? Quæ conditiones ad hoc requirantur? infra commodiùs loco ſuo dicentur. In mea autem Religione nullus admitti poteſt in altero Ordine profeſſus, niſi de conſenſu Capituli generalis, conſideratis prius ſuorum Ordinum privilegiis, & facto prudenti examine de cauſa tranſitus, ut habetur in noſtris conſtitutionibus 2. *p. cap.* 2. *num.* 6.

Ære alieno gravati non poſſunt Religionem ingredi.

47. Quintò ex jure naturæ ingredi non poſſunt Religionem, ſaltem licitè qui ſunt debitis onuſti, vel ingenti ære alieno gravati, niſi prius creditoribus ſatisfaciant, vel ſaltem res taliter diſponant ut illis de facto ſatisfactio fiat, niſi impotens ſit omnino illis ſatisfacere, nec ſpem habeat quod in ſæculo per duos vel tres annos manens, illis ſatisfacere poſſit. An verò poſſit ſtatum Religioſum aſſumere qui per multum tempus, puta per totam, vel ferè totam vitam, in ſæculo manens ſpem habeat creditoribus ſatisfaciendi? Vide quæ diximus *tom.* 3. *hujus Curſ. tract.* 13. *de reſt. cap.* 1. *punct.* 18. §. 1. Et affirmativè reſpondebis, ſtando in jure naturæ. Quid autem dicendum ſit ſecundum jus Pontificium Sixti V. & Clement. VIII.? Vide ibidem §. 1. dicta. Vbi etiam videbis an profeſſio emiſſa ab eo qui debitis alienis eſt gravatus, vel obligatus eſt reddendis ratiociniis, ſit valida?

Fœmina invalide profitetur in Monaſterio virorum, & vir in Monaſterio fœminarum

48. Sexto inhabilis eſt vir ad profitendum in Conventu mulierum, vel fœmina in Congregatione virorum; ſed requiritur omnino ſexus convenientia: & quamvis aliqui dixerint quod ſi vir in Conventu Monialium profiteretur, aut contra, teneretur in Conventu virorum vitam degere: quia licet profeſſio non fuerit valida in individuo, ſecus verò in ſpecie. ¶ Verius dicendum eſt eſſe nullam omnino talem profeſſionem; quia ad valorem illius requiritur legitima acceptatio ex parte Religionis, quæ in præſenti non datur, cum Prælatis ſublata ſit omnis poteſtas recipiendi perſonas diverſi ſexus in Monaſterii : *in cap. diffinimus* 18. *quæſt.* 2. & quia hic intervenit dolus & error circa perſonam, & ſic defectu debitæ intentionis in recipiente, profeſſio eſt omnino nulla. Sanch. *lib.* 5. *Summ. cap.* 4. *num.* 40. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 3. & *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 24. Henriq. *lib.* 14. *de irregularit. cap.* 8. *n.* 6. *in Comment. littera A*, Peyrin. *tom.* 2. *quæſt* 3. *cap.* 1. *num.* 58. Vecchius *diſt.* 5. *dub.* 1. *num.* 1. Tambur. *tom* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 3. *num.* 20. & *quæſt.* 16. *num.* 11. à Sancto Fauſto *lib.* 5. *quæſt.* 229. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. & *tom.* 4. *verbo profeſſio num.* 14. Garcia *tract.* 2. *diffin.* 2. *dub.* 1. *num.* 1. ¶ Idem dicimus ſi fœmina, poſt profeſſionem in Conventu Monialium, per vim aliquam, in virum erumpat, quod fieri poſſe diximus *tom.* 2. *tract.* 8. *de ordine cap.* 5. *num.* 16. quæ ſtatim inde exire teneretur, nec ob id obliganda erit quod in Monaſterium virorum vitam agat: quia ipſa ſolum profeſſa fuit ut mulier, & ut talis acceptata, & fortè quæ apta erat ad Congregationem mulierum, omnino erit inepta ad Congregationem virorum. Garcia *num.* 3. Lezan. *tom.* 3. *verbo Irregularitas num.* 14. Bonacin. *q.* 2. *de clauſura punct.* 10. *difficult.* 2. §. 5. *num.* 1. Ledeſ. *de ſtatu Religion. in Comment. cap.* 6. *concl.* 1. Tambur. & Peyrin. *locis cit.* ¶ De Hermafroditis verò non poſſe recipi, nec in Congregatione virorum, nec mulierum aſſerimus, quocumque ſexu in eis prævalente; ſed eſſe omnino inhabiles ad profeſſionem in utraque Congregatione, ob manifeſta inconvenientia, quæ ſtatim ad oculos apparent, à S. Fauſto *quæſt.* 230. Garcia *num.* 2. quamvis Sanch. *num.* 41. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 20. aſſerant quod licet peccet mortaliter Hermafrodita, ſive inter viros, ſive inter fœminas profitens, quocumque ſexu in eo prævaleat, & ſcienter illum recipientes; tamen valere dicunt profeſſionem, ſi ſexus virilis prævaleat, & facta ſit inter viros, vel ſi fœmineus, & inter fœminas fuerit profeſſus: quamvis eſſe expellendum ab Ordine, ad quod Papæ licentiam non requiri, quando ipſe celavit defectum, ſed petendam eſſe licentiam Pontificis, quando ipſe non celavit, affirmant.

---

§. II.

An, & quomodo ob neceſſitatem Parentum debeant filii retrahi ab ſtatu Religioſo?

Quæ ſit neceſſitas extrema? quæ gravis? quæ communis?

49. ALiud impedimentum, quod jure naturæ impedit Religionis ingreſſum eſt neceſſitas Parentum, reſpectu filiorum; vel neceſſitas filiorum reſpectu Parentum. Sed hæc neceſſitas poteſt eſſe in triplici differentia. Prima neceſſitas eſt extrema, ut ſi Pater vel Mater ſint in tali ſtatu, ut moraliter loquendo, niſi à filio adjuventur, perituri ſint; vel ponendi in periculo proximo pereundi. Et in tali caſu nullus dubitat teneri filium etiam votum habens Religionis, eam non ingredi, quandiu ejus præſentia eſt neceſſaria ad ſubveniendum Parentibus; & idem à fortiori dicendum eſt de Parentibus reſpectu filiorum. Quo ſenſu dixit Chriſtus: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Alia eſt neceſſitas gravis, ut ſi abſque magna penuria, indigentia, aut neceſſitate non poſſint Parentes ſuſtentari, niſi adjuti à filiis, vel cum magno dedecore eſſent victuri, aut notabiliter cadendo à ſuo ſtatu, aut exercendo opus alienum à conditione ſuæ perſonæ. Tertia neceſſitas eſt levis, vel communis, videlicet quando Pater vel mater parcè vivere coguntur, multoties, non ſolum ſuperfluis, ſed etiam conve-

nientibus, & utilibus rebus carendo. Quamvis opera exercendo, & ſecundum ſuum ſtatum laborando, & cum aliqua difficultate, & induſtria rebus neceſſariis ad vitam non careant. Et utraque hæc ultima neceſſitas, vel poteſt jam de facto haberi, vel in proximo timeri, vel poteſt ſolum remotè immunere ut ad eam præcavendam opus ſit neceſſariis providere.

Tria notatu digna præmittuntur.

50. Sed tria nobis præmittenda ſunt, ut certa & communia apud DD. ut poſtea ad alia deveniamus. Primo ergo præmittendum eſt, quod ſi filius (idem cum proportione de parente) Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, profeſſio valida eſt, quamvis illicita, etiamſi Parentes, nedum gravi, ſed etiam extrema laborent neceſſitate. Quod aliqui immerito negarunt; cum ſic pateret aditus, ut de facili inquieti & minus cum ſuo ſtatu conformes, nullitatem profeſſionis objicerent, fingendo in magna fuiſſe conſtitutos Parentes neceſſitate, quando profeſſi ſunt; ſed valida fuit talis profeſſio, ut communis tenet ſententia: quia nullum datur jus, illam irritans, nec ipſe ex natura ſua eſt ad illam inhabilis. Sic Sanch. Trullench. Garcia Leſſ. Suar. à S. Fauſto, Miranda, Vecchius & alii. § Præmittimus ſecundo, quod ſi filius manens in ſæculo, nullo modo poteſt Parentum neceſſitati ſubvenire (quod rarò continget, ſed in fœminis quæ parum poſſunt Parentibus inopia laborantibus prodeſſe, multoties) poteſt licitè ingredi Religionem: quia tunc ceſſat omnino finis, ob quem teneatur in ſæculo manere. (Ad quid enim manſurus qui nullam opem ferre poteſt? quin potius multoties magis gravare?) Præmittimus tertiò quod ſi filius in ſæculo manere non poſſit abſque gravi periculo labendi in aliquod peccatum mortale, poteſt licitè ingredi Religionem, etiamſi Parentes gravi, vel extrema neceſſitate laborent: quia ſalus propria ſpiritualis anteponi debet vitæ corporali, etiam Parentum. Si enim ſuam vitam propriam quiſque exponere debet, ne periclitetur animæ ſuæ ſalus, multo magis aliorum, quantumvis ſint conjuncti. Sic D. Thom. *quotlib.* 10. *art.* 9. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 40. Sanch. *lib.* 4. *Summ. cap.* 10. *num.* 11. Peyrin. *de R.P. quæſt.* 1. *de obed. cap.* 9. Vecchis *diſt.* 2. *dub.* 8. *num.* 17. Palaus *tractat.* 16. *diſput.* 1. *punct.* 7. §. 5. *num.* 7. Garcia *tom.* 1. *tract.* 2. *diffin.* 2. *dub.* 7. *num.* 12. Quod intelligi debet non de quocumque periculo in communi; nam ſi huic attendendum foret, cum totus mundus ſit periculis magnis repletus, quis excuſaretur ab ingreſſu Religionis ob indigentiam parentum? Sed de periculo proximo, quod non poſſet manendo in ſæculo evitare. Et ſic Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 32. aſſerit vix dari hunc caſum in praxi poſſe. Sed immerito, cum Hieronymus Garcia teſtetur inveniſſe hominem qui dicebat, ſe in ſæculo manentem impoſſibile fore à communicatione cujuſdam mulieris poſſe ſeparari. Sed heu! quoties hoc evenit in hac, & in aliis materiis, maximè in filiabus, quarum honeſtatem Parentes iniqui non verentur exponere, eaſque viris divitibus proſtituere, à quibus in ſuis neceſſitatibus ſublevandos eſſe ſperant? Iſtæ igitur ſicut poſſunt & debent à Parentum cuſtodia fugere, ſic poſſunt Religionem ingredi, ſuæ ſaluti æternæ conſulentes.

51. Videamus modo ob quas neceſſitates Parentum debeant filii à Religione retrahi? & ob quas filiorum neceſſitates debeant Parentes? Circa quod duo præclara dicit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 6. Primum, quod Parentibus per ſe convenit ut curam filiorum habeant, eo quod ſunt illorum principium, & principio ut tali, cura incumbit illorum qui ab eo ortum ducunt. Secundò, quod per accidens tantum Parentibus convenit, ut à filiis adjuventur, inquantum ſcilicet ſunt in neceſſitate aliqua conſtituti. *Et ideo dicendum eſt* (verba ſunt D. Thom.) *quod Parentibus in neceſſitate exiſtentibus, ita quod eis commodè aliter quam per obſequium filiorum ſubveniri non poſſit, non licet filiis, prætermiſſo Parentum obſequio, Religionem intrare. Si verò non ſint in tali neceſſitate, ut filiorum obſequio multum indigeant, poſſunt, prætermiſſo Parentum obſequio, filii Religionem intrare, etiam contra præceptum Parentum: quia poſt annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea quæ pertinent ad diſpoſitionem ſui ſtatus, præſertim in his quæ ſunt divini obſequii: & magis eſt obtemperandum Patri ſpirituum, ut vivamus, quam Parentibus carnis, ut Apoſtol. dicit ad Hebræos* 12.

Doctrina optima D. Th. proponitur.

Parentes tenentur per ſe ad providendum filiis de neceſſariis.

52. Ex qua doctrina deducitur diſcrimen inter Parentes reſpectu filiorum, & filiorum reſpectu Parentum: quod cum Parentibus per ſe cura filiorum incumbat: *Non licet alicui filios habenti Religionem ingredi, omnino prætermiſſa cura filiorum, id eſt non proviſo qualiter educari poſſint*, ut inquit D. Thom. *loco citato*. Quare Parentes filios nondum emancipatos habentes, etiamſi illi in gravi neceſſitate non ſint, non poſſunt ad Religionem admitti, niſi ſufficienter in poſterum illis provideant de neceſſariis, eoſque per alios inſtruere procurent: quia hæc eſt obligatio naturalis, quæ non poteſt poſtponi Conſiliorum obſervationi. Suar. *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 2. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 43. Palaus *tract.* 16. *diſt.* 1. *punct.* 7. §. 5. *num.* 11. Secus accidit, ſi emancipati fuerint, & non amplius ſub cura Parentum, ſed ſint ſui juris, & ſe habeant, ut ſic dicamus, ut perſonæ omnino diſtinctæ: quia tunc jam functi ſunt Parentes reſpectu illorum, Officio Patrum, & ſic jam ſuæ naturali obligationi ſatisfeciſſe cenſendum, alendi aut inſtruendi filium. Quare, per ſe loquendo, tales filios jam alere, aut inſtruere non tenentur, & ſic recipi poſſunt in Religione. Per accidens tamen, ſi filii poſt emancipationem in gravem incidant neceſſitatem, tenebuntur eadem obligatione, qua filios teneri in tali neceſſitate Parentibus aſſiſtere, dicemus: Siquidem in caſu neceſſitatis vinculum inter filium & Patrem eſt reciprocum. Sic Authores citati.

Filii ſolum per accidens & ratione neceſſitatis, tenentur parentibus ſuccurrere.

53. At quia filii ſolum per accidens Parentibus ſubvenire tenentur, non tenentur indigentiam illorum prævenire, aut neceſſitatibus communibus & frequentibus (quæ leves cenſentur) ſubvenire: ob quas non debet filius ſtatum ſalutis deſerere, etiam ſi in ſæculo manens, poſſet tali neceſſitati occurrere, & Parentibus de meliori ſtatu providere: quia ob leves neceſſitates, qualiter communes judicantur, non debet filius, qui per ſe non tenetur, Parentibus de neceſſariis providere, onus tam grave in ſe ſuſcipere, quale eſt non poſſe ſtatum ſalutis aſſumere. Sic infrà citandi Authores. Sed per accidens tenetur filius, ob neceſſitatem, nedum extremam, ſed gravem, Parentum: ſi aliunde non poſſit eorum neceſſitatibus occurrere, & ipſe differendo ingreſſum, valeat

illam

illam ſublevare, Religionis ingreſſum differre, vel omnino omittere: quia tunc currit pietatis obligatio naturalis, quæ non eſt prætermittenda ob opera conſilii, cum hæc libera ſint, illa neceſſaria. Sic D. Thom. *ſupra, & q. 101. art. 4. & quotlib. 10. art. 9.* Lezan. *tom. 1. cap. 24. num. 40* Sanch. *lib. 4. Summ. cap. 10 num. 3.* Bonac. *diſp. 6. de precept. decalog. quæſt. unica p. 5. num. 4.* Vecchis *diſp. 2. dub. 8.* Villalob. *part. 2. tract. 33. difficult. 7. num. 8.* a S. Fauſto *lib. 5. q. 193.* Garcia *tract. 2 diff. 1. dub. 7. num. 5. & 6.* Peyrin. *tom. 2. quæſt. 3. cap. 1. num. 70.* Suar. *tom. 3. cap. 5. lib. 5. num. 11.* Leſſ. *lib 2. cap 41. dub. 3. num. 34.* Pellizzar. *tract. 2. cap. 4. num. 39.* Palaus *diſput. 1. punct. 7. §. 5. num. 5.* ¶ Et hoc etiam currit in filiis illegitimis: quia ſicut Pater illos alere tenetur, ſic filii Parentibus in neceſſitatibus ſuccurrere. Currit etiam in filiis emancipatis: quia hæc obligatio non provenit ex patria poteſtate, ſed ex ſanguinis charitate. Currit etiam, ſi filius votum habeat Religionis, quia non eſt de re meliori: imò pro tunc erit mala ingredi Religionem, Parentibus in neceſſitate gravi derelictis. Currit denique, etiam reſpectu avorum, aut proavorum, quamvis non cum tanta obligatione, & ſic major requiritur neceſſitas in illis, ut ob eam nepos debeat ab obligatione voti Religionis, vel ab ingreſſu illius arceri. Reſpectu verò aliorum conſanguineorum (præter Fratres) non currit ut ob eorum neceſſitatem, debeat per multum tempus Religionis ingreſſum differre; ſed ſi intra breve tempus poſſet illis ſubvenire, conſentaneum rationi erit differre ingreſſum, etiamſi voto promiſſus ſit, ad propinquorum inopiam ſublevandam, illorumque neceſſitatibus conſulendum.

Frater non tenetur fratrum vel ſororum neceſſitates ſublevare.

54. In Fratribus autem, vel Sororibus, conſiderandum eſt, an iſti ſint ſub cura Parentum, & tunc ſi gravem neceſſitatem haberent, cui occurrere poteſt in ſæculo manens, non poteſt intrare Religionem; non quia frater fratrem alere teneatur, etiam major minorem, cum non ſit illius principium; ſed quia illorum neceſſitas, quandiu ſunt ſub cura Parentum, eſt neceſſitas ipſorum Parentum, quibus incumbit illis de neceſſariis providere. Patre verò mortuo, vel illis quocumque modo emancipatis, & extra curam Parentum exiſtentibus, poſſunt admitti in Religione, præciſis particularibus inſtitutis, qui fratres vel ſorores graviter indigentes habent: quia obligatio unius fratris ad alium eſt ſolius charitatis, major quidem, quam ad alios, ob majorem conjunctionem, ſed non tanta ut ob id cum tanto incommodo, quale eſt non poſſe ſuæ ſaluti animæ conſulere, ſecurum ſtatum aſſumendo, debeat illis ſuccurrere: quia charitas cum magno incommodo, maxime ſpirituali, non obligat. Garcia *tract. 2. diff. 1. dub. 7. num. 9.* Palaus *§ 5. num. 12.* Azor. *1. part. lib. 12, cap. 1. quæſt. 8.* Pellizzar. *num. 45.* Suar. *cap. 6. num. 3. & 4.* Sanch. *lib. 4. c. 20. n. 30.* Sed licet non ſit rigoroſa obligatio, juſta tamen cauſa erit differendi, vel etiam omittendi ingreſſum, cum ex ſe illud opus ſit magnæ charitatis, & ex natura rei magnam decentiam præ ſe ferat. Maximè ſi ſoror ſit, quæ egeſtate laborat: quia fœminis, utpote fragilioribus & majoribus periculis expoſitis, & minus ſibi conſulere potentibus, urgentius ſuccurrendum eſt. Sed ſi votum habeat Religionis, ob id abſque diſpenſatione illam omittere non poteſt (quamvis poſſit differre,) quia non ceſſat obligatio, etſi juſta cauſa detur diſpenſandi. Suar. Azor. Palaus, Sanch. Pellizz. *loc. cit.*

---

§. III.

De his quæ ex jure poſitivo impediunt ingreſſum Religionis.

Quantūvis ſcelerati ex natura rei poſſunt ad Religionem admitti.

55. QVamvis ex natura rei criminoſi, quotquot ſcelera commiſerunt, poſſent licitè ad Religionem admitti. Et ideo Stephanus Papa *c. admon. 33. q. 2.* Cuidam homicidæ ſuadet ut Monachus fiat, & olim abſque impedimento latrones, adulteri & homicidæ ad Religionem Patres admittebant, illo pio axiomate enixi: *Quod non eſt obſerandum clauſtrum ei, cui Deus aperit cœlum.* Cum Chriſtus peccatores, & publicanos ad ſe vocaverit, & D. Thom. *2. 2. quæſt. 189. art. 1.* id ipſum latè probat. At tot inconvenientia poſtea, experientia teſte, comperta ſunt ex admiſſione hominum, qui ſceleribus magnis aſſueti erant, ut merito Sixtus V. *in conſtitutione* incipiente: *cum de omnibus*, ſub graviſſimis pœnis prohibuerit, ne recipiantur criminoſi, qui commiſerunt furta, homicidia, latrocinia, vel alia ſimilia, aut graviora crimina qualia judicant Portel. *in dubiis regul.* verbo: *Novitii qualitates, num. 15.* Pellizzar. *tract. 2. c. 4. num. 6.* eſſe publicum adulterum, Sodomiticum, falſarium, &c. Verum, quia de hac conſtitutione latius agemus puncto ſequenti, agentes de informationibus præmittendis juxta decreta Sixti V. Clementis VIII. & Gregor. XIII. hîc gradum ſiſtimus.

Epiſcopi & & Archiepiſcopi ſine licentia Papæ, nequeũt Religionem intrare.

56. Secundo ex jure Canonico non poſſunt ingredi Religionem abſque licentia Summi Pontificis Domini Epiſcopi, & Archiepiſcopi jam electi & confirmati, licet non conſecrati, ut habetur *cap. Licet, de regularibus, cap. Niſi cum pridem de renunciatione*, & probat D. Thom. *2. 2. quæſt. 185. art. 4. & quæſt. 189. art. 7.* Quia Epiſcopi jam electi, & confirmati, Eccleſiæ ſuæ deſponſati ſunt, & voto ſolemni ſe obligant ad curam paſtoralem ſuarum ovium: ergo illam dimittere, ob privatam utilitatem non poſſunt, niſi obtenta licentia ab eo qui poteſt in ſolemni voto diſpenſare. Sic Lezana *tom. 1. cap. 24. num. 11.* Peyrin. *tom. 2. quæſt. 3. c. 1. num. 47.* Garcia *tract. 2. diff. 2. dub. 3. num. 1.* Suar. *tom. 3. lib. 5. cap. 4. num. 14.* Palaus *diſp. 1. punct. 6. §. 1. num. 2.* Leſſ. *lib. 2. cap. 41. dub. 3. num. 24.* Pellizzar. *tract. 2. cap. 4. num. 30.* Vnde abſque præfata licentia, petita & obtenta, nulla erit profeſſio ab ipſis facta, ut tenet Valentia *2. 2. diſp. 10. quæſt. 3. punct. 4. colum. 1. verſu, Tertius caſus*, Peyrin. *loco citato.* Quamvis validam eſſe, tametſi illicitam, doceant Suar. *tom. 3. lib. 6, cap. 8. num. 7.* Palaus *diſp. 2. punct. 2. §. 3. num. 2.* Ant. à Spir. Sanct. *tract. 3. diſp. 3. ſect. 1. num. 29.* Novitiatus autem validus erit, etiamſi ante licentiam inchoëtur, non abſolutè, ſed ſub conditione quod licentia obtineatur: ita ut computari poſſit, non ſolum à die qua obtinetur, ſed a die ingreſſus, ut de conjugatis diximus *num. 45.* & de tranſeuntibus ad alium Ordinem, ad quod licentia Superiorum requiritur infra dicemus, & tenent plures ex Authoribus citatis.

Propter ſtudium Relig.

57. An verò poſſit ab Epiſcopo licentia tranſeundi ad Religionem peti, & à Pontifice

dari

gioſæ vitæ po'eſt Epiſcopus à Pótifice licentiam obtinere ad relinquendum Epiſcopatū, ſi alius detur qui æque benè tale munus exerceat.

dari, ob ſolam cauſam propter ſtudium & deſiderium religioſæ vitæ? Reſpondetur quod ſi non faciliter alii reperiendi ſunt, qui æquè benè & utiliter oves illius paſcant, non erit ſufficiens illa cauſa ut Pontifex poſſit talem licentiam impertiri, ut habetur *in cap. Niſi cum pridem citato*. Et ratio aſſignatur ibidem: quia commune bonum eſt privatis utilitatibus præferendum, & ſic cauſæ ibi aſſignantur, petendæ, & obtinendæ talem licentiam, quæ ad bonum plebis ſpectant: & ſubdit Pontifex: *Si propter alias cauſas, ceſſionem affectes, non eſt in hoc tibi poſtulanti favendum.* At cum modo de facili alii reperiantur, qui ſaltem æquè benè ovibus providere poſſint, earumque neceſſitatibus occurrere, poteſt peti & concedi licentia ob illam ſolam cauſam, quia ſic & bono communi Populi & particulari Epiſcopi providetur, Garcia *num.* 2. Palaus *num.* 4. Pellizz. *n.* 31. Suar. *tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 7.

Abbates, Archidiaconi, Decani, & alii Beneficiati etiam Curati poſſunt liberè Religionem ingredi.

58. Cæteri autem Eccleſiaſtici, quacumque dignitate fulgentes, etiam Abbates mitrati, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, etiam Beneficiati curam habentes animarum validè & licitè poſſunt abſque licentia Pontificis ingredi Religionem, & in ea profiteri ut de Curatis dicitur *cap. dua ſunt* 19. *quæſt.* 2. & de omnibus colligitur *ex cap. licet de regularib.* & probatur: quia nec iſti obligati ſunt ſemper curæ animarum intendere, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 2. *ad* 1. Nec eorum ſtatus eſt perfectior, ſed potius inferior ſtatu Religionis, ut idem D. Thom. probat *quæſt.* 184. *art.* 2. nec adeſt textus in oppoſitum. Omnia enim jura quæ in contrarium afferri poſſunt, loquuntur de Epiſcopis, quæ jura cum ſint odioſa non debent extendi ad perſonas in eis non expreſſas. Sic D. Thom. *locis citat.* Villalob. *p.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 7. *num.* 12. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *num.* 8. Garcia Peyrin. Palaus, Lezana, Suar. Pellizz, *locis citatis.* ¶ Imo nec licentia Epiſcopi requiritur, ſed etiam eo irrequiſito, imò repugnante, ingredi poſſunt, dummodo ſtatim moneant Epiſcopum ut loco ſui provideat Paſtorem, ſi curam habebant animarum. Suar. *num.* 14. Palaus *num.* 1. Lezan. *num.* 11. Ant à Spiritu Sancto 8. Eorum tamen beneficia, quæcumque ſint, non vacant ante profeſſionem, & ſi aſſiſtentiam efflagitent, Epiſcopus, vel ipſe Beneficiatus, providere poſſunt qui loco ipſorum illis aſſiſtat, cui partem fructuum debent aſſignare: alia verò Conventui debetur, ſi in eo Novitius profiteatur. Vt *ex cap. de lapſis* 16. *quæſt.* 6. *cap. beneficium de regul. juris in* 6. probat Garcia *ſupra num.* 5. & nos infra dicemus *punct.* 7. cum de renunciatione Novitiorum agamus.

Illegitimi ex jure cōmuni poſſunt ad Religionem admitti.

59. Sed inquires primo: an illegitimi debeant excludi à Religionis ſtatu? Reſpondetur, quod præciſis particularibus conſtitutionibus, ex jure communi poſſunt illegitimi recipi quomodolibet procreati, & validè, & licitè. Nam licet Sixtus V. *in ſua conſtitutione cum de omnibus*, eos rejecerit, eorumque profeſſionem irritaverit, poſtea Gregor. XIV. in ſua Conſtitutione *Circumſpecta*, moderatoria præcedentis. Et Clemens VIII. omnium illegitimorum valere profeſſionem, & poſſe recipi ſtatuunt, dummodo in illorum receptione ſtrictior quam in aliis fiat de vita, moribus, indole informatio; & ſi bonam indolem, & virtutis ſpeciem præ ſe ferant, & tot eis merita ſuffragentur, ut natalium defectum ſuppleant, poſſunt admitti. Miranda *tom.* 1. *q.* 19. *art.* 3. *concl.* 5. Garcia *tract.* 2. *diffic.* 2. *dub.* 8. *n.* 11. Rodr. *tom.* 3. *qq. Reg. q.* 10. *a.* 5. Pellizz. *tract.* 2. *c.* 5. *n.* 54. & 55. Quamvis quoad licitum ingreſſum Lezana *tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 21. non ſit auſus id aſſerere, ſed ſe aliorum judicio remittat. Cæterum quia circa hoc vix datur Religio quæ non habeat ſpeciales conſtitutiones, illæ ſervandæ ſunt: de noſtra verò infrà dicemus.

Ex jure cōmuni filii hæreticorū poſſunt Religionem intrare.

60. Inquires ſecundò: an poſſint admitti qui ſunt maculati ob parentum genealogiam, eo quod fuerint Iudæi, Sarraceni, Hæretici, &c. vel ipſi Neophyti ſint, id eſt de novo ad fidem converſi? Reſpondetur affirmativè ſtando in jure communi, & præciſis particularibus conſtitutionibus: quia nullum datur jus eos excludens. Sanch. *lib.* 5. *Summ. cap.* 4. *n.* 73. Peyrin. *tom.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 25. Lezan. *tom.* 1. *c.* 24. *num.* 25. Rodrig. *tom.* 3. *qq. Regul. quæſt.* 11. *art.* 1. Portel. *verbo Novitius num.* 22. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 61. Qui duo ultimi advertunt quod ſi in aliquo Ordine filii Hæreticorum, Turcarum, &c. prohibeantur recipi, ſunt etiam excludendi, tametſi geniti ante Parentum delictum; ſtatuta namque Religionum, eos non probibent recipi ob patratum delictum (quomodo jus commune contra dictos filios ſtatuit ut ſint infames bona amittant, &c.) Sed pro quiete, pace, ac honore Religionis: quæ ratio etiam in filiis militat conceptis ante delictum Parentum. Sed non minus probabiliter docet oppoſitum Lezana *tom.* 3. *verbo Neophytus n* 4. ut de aliis pœnis quas filii hæreticorum non contrahunt ante lapſum Parentum geniti, latè probat Sanch. *lib.* 2. *Sum. c.* 27. *à num.* 4.

Quæ impedimenta ex jure noſtro habeantur.

61. Hæc ſunt impedimenta, quæ ex jure communi obſtant quominus aliquis in ſtatu Religioſo admittatur: alia dantur ob particularia ſtatuta Religionum, ſua propria vnuſquiſque conſulat. In noſtra autem Carmelitana Religione Excalceata (ut conſtat ex noſtris Conſtitut. 2. *p. cap.* 2. *num.* 6. & 9.) recipi non poſſunt ij quorum Parentes aliqua notantur infamia, aut deſcendentes ex Parentibus per ſanctæ Inquiſitionis Officium punitis, ſive à Iudæis, Sarracenis, Servis, Hæreticis, aut alterius ſectæ profeſſoribus uſque ad quartum gradum, vel ultra ſi aliqua notentur infamia. Nec recipi poſſunt, qui 17. annum non expleverint, nec qui 40. exceſſerint; niſi cum iſtis Diffinitorium generale diſpenſet; & cum illis Pater Provincialis, expleto jam 15. anno. Nec alterius Ordinis profeſſi niſi de conſenſu Capituli generalis; nec qui aliquo contagioſo morbo laborant. Nec etiam illi qui ſemel recepti, in noſtro, vel alio Ordine à Novitiatu receſſerunt, donec conſtet de cauſa receſſus, habita informatione illius Conventus, in quo habitum prius habuerunt. Nec conjugati, altero conjuge in ſæculo manente: nec Eunuchi; nec illegitimi quicumque ſint, qui legitimo matrimonio non ſunt procreati, niſi de licentia P. N. Generalis, vel Diffinitorii.

Quando celatæ impedimentum reddat irritam profeſſionem.

62. Sed circa hæc impedimenta, & alia ſimilia, quæ ex diverſorum Ordinum conſtitutionibus dantur, eſt difficultas: an ſi Novitius cum illis admittatur, vel quia ipſe celavit illa, vel quia Prælatus contra ſui Ordinis leges eum voluit admittere, ſit valida profeſſio cum illis facta? Reſpondetur quod ſi in aliqua Religione detur aliquod decretum, quod Novi-

tii

tii de aliquo impedimento interrogentur, cum proteſtatione quod ſi talis defectus in illo reperiatur profeſſio ſit nulla; irrita manebit profeſſio facta ab eo, qui talem defectum celavit, ſive quia tale decretum in conſtitutionibus, maxime à Sede Apoſtolica approbatis, vim annullandi illam habere poteſt (quod aliqui negant) ſive (quod omnes concedunt) quia deficit conſenſus Religionis omnino requiſitus ad validam profeſſionem emittendam. Sic Lezan. *tom. 1. cap. 24. num. 26. & tom. 3. verbo Neophytus, num. 6.* Sanch. *lib. 4. Summ. cap. 16. n. 35.* Pellizzar. *tract. 2. cap. 3. num. 35.* Anton. à Spir. ſancto *tract. 3. diſp. 2. num. 37.* Peyrin. *tom. 2. q. 3. cap. 1. num. 68.* Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. quaſt. 18. art. 2.*

Celare impedimentū non irritās, non facit nullam profeſſionem.

63. Cæterum quando lex nullatenus præcipit, ut cum tali proteſtatione Novitii recipiantur, ſed ſolum prohibet cum illis defectibus recipi, ut de noſtris communibus conſtitutionibus conſtat hoc modo ſolum ſtatui, quidquid ſit de illa ſpeciali quæ authoritate Innocentii X. edita fuit pro Provincia Luſitaniæ in Capitulo Provinciali illius Regni, anno 1654. talis profeſſio cum ſimili impedimento facta valebit. Ideoque licet Novitius tale impedimentum reticeat (in quo non eſt dubium peccare mortaliter, ſi interrogatur, niſi eum ignorantia excuſet: quia Religioni irrogat injuriam & eam decipit in re gravi) valida remanebit profeſſio: quia non omnis actus contra legem factus manet irritus, ut latè probavimus *tom. 3. tract. 11. de legibus cap. 2. num. 90.* niſi ſit lex irritativa illius: cum multa prohibeantur fieri, quæ tamen facta tenent, *cap. ad Apoſtolicam, de regularibus*, nec deceptio ibi inventa ſufficiens eſt, ut ex parto Religionis conſenſum deficere dicamus: quia non omnis error & deceptio irritat contractum, ut diximus *tom. 3. tractat. 14 de contractibus cap. 1. num. 10.* niſi ſit circa ſubſtantialia, quæ in præſenti non datur. Vnde ſicut in matrimonio, non omnis error irritat illud, niſi circa perſonam, non circa alias qualitates, etiam ſi error, aut dolus circa eas dederit cauſam contractui, ut probavimus *tom. 2. tractat. 9. de matrimon. cap. 10. num. 14.* Sic, nec talis error in præſenti vitiat profeſſionem, ut tenet Portel. *tom. 1. in reſponſ. moral. parte 2. caſu 5. num. 5.* Pellizzar. *tract. 3. cap. 1. num. 66.* Garcia *tract. 2. diffic. 1. dub. 11. num. 13.* Lezan. *tom. 1. cap. 24. num. 25.* Palaus *diſp. 1. punct. 2. §. 2. num. 3.* Ant. à Spir. ſancto *tractat. 3. diſput. 2. num. 38.* Sanch. *lib. 5. Summ. cap. 4. num. 57. & de matrimon. lib. 10. diſput. 13. num. 14.* Vega *tom. 2. Summ. cap. 39. caſu 4.* Rodrig. *tom. 2. Summ. cap. 6. num. 3. & qq. Regul. tom. 3. quaſt. 17. art 9.* contra nonnullos oppoſitum tenentes.

Religio non poteſt ejicere profeſſum, eo quod celavit defectum quo cognito, non admitteretur ad profeſſionem.

64. An verò poſſit Religio profeſſum ejicere, qui impedimentum aliquod ex dictis doloſè celavit? Aliqui affirmant, tum ob privilegium Bullatum Leon. X. de quo *punct. ſeq. num. 69.* erit ſermo; tum etiam in pœnam peccati. Sic Navarr. Vega, Rodrig. quos refert & ſequitur à Sancto Fauſto *lib. 5. theſaur. relig. quaſt. 212.* Anton. à Spiritu ſancto *loco citato, num. 45.* § Cæterum, nec privilegium illud loquitur, de quocumque impedimento, ſed de illo graviſſimo quod habetur ob ſcelera atrocia, & cum nota ac infamia commiſſa, ut loco citato diximus: nec tam grave eſt delictum, aliquod ex impedimentis à lege aſſignatis celare, ut ob id graviſſima omnium pœna, qualis eſt expulſionis debeat infligi, ideoque non poſſe expelli qui cum tali impedimento doloſe occultato profeſſus eſt, docent merito Lezana, Sanch. Garcia *locis citatis*, & Fagundez *in decalog. precept. 4. lib. 4. c. 8. n. 21.*

PVNCTVM IV.

De informationibus ad receptionem, vel ſaltem ad profeſſionem præmittendis.

Quid Sixtus V. decreverit circa informationes faciendas?

65. ALIQUI Authores breviſſimè per hanc materiam pertranſeunt, remittentes Lectorem ad particulares cujuſvis Ordinis, circa illam ordinationes. Alii latiſſimè procedunt, nos media via incedentes, ſupponimus, Sixtum V. in conſtitutione incipiente: *Cum de omnibus Eccleſiaſticis ordinibus*, & ita anno 1587. prohibuiſſe viros ſupra 16. annum habentes, non aliter recipi poſſe ad habitum, niſi prius de eorum Parentibus, patria de qua ante acta vita & moribus diligenter inquiratur, & ſi conſtiterit eos furta, latrocinia, aut alia ſimilia, graviorave ſcelera commiſiſſe, vel de eis ſuſpecti ſint, & propterea damnati, vel ne damnentur formident; & ingenti ære alieno ſupra vires ſuas gravatos, vel reddendis ratiociniis obnoxios, ut ex hujuſmodi cauſa lis, & moleſtia eis jam illata, vel timendum ſit quod inferatur, nullatenus poſſe recipi ſancivit, & ſi recipiantur, eorum annullat, & irritat profeſſionem, & Prælatis abſque talibus informationibus recipientibus, vel quos eum aliquo ex dictis ſciunt eſſe gravatos, aſſignat pœnam privationis vocis activæ & paſſivæ, & Officiorum, graduum, honorum, & dignitatum quarumcunque, quæ ab eis poſſidentur, & ad alia impoſterum obtinenda reddit perpetuo inhabiles.

Quid Greg. XIV. & Clemens VIII. determinarunt circa informationes Noviciorum.

66. Poſtea ipſe Sixtus V. in alia conſtitutione, quæ incipit: *ad Romanum Pontificem* anno 1588. præcedentem, quoad aliqua moderavit, pœnis omnibus ſemper ſervatis, & quantum ad criminoſos ſe explicuit dicens: *Cum conſtiterit actis publicis judices & curiam ſecularem ante ſuſceptionem habitus de ipſo crimine accuſationem ſuſcepiſſe, vel inquiſitionem inſtituiſſe.* Poſtea Gregor. XIV. in bulla quæ incipit: *Circunſpecta* anno 1590. amplius etiam moderavit, & ex parte ſuſtulit, præcedentes Conſtitutiones Sixti V. Deinde Clemens VIII. in ſua conſtitutione, quæ incipit: *Altiſſima paupertatis via*, data die 14. Aprilis anno 1592. dictas conſtitutiones Sixti V. & Greg. XIV. quoad prædictam nullitatem profeſſionis reduxit ad terminos juris communis, ſalvis ſemper pœnis contra tranſgreſſores ibi aſſignatis, & ſic eſſe validam ſtatuit, niſi ex jure communi aliud impedimentum irritans detur. Ac denique idem Clemens VIII. Conſtitutione quæ incipit: *in his quæ* anno 1597. conceſſit Dominicanis Conventus S. Stephani Salmanticenſis, ut quoſcumque juvenes, etiam 16. ætatis ſuæ annum excedentes ad habitum admitti poſſent, recepto ab eis juramento, quod criminoſi, rationibus obligati, furto, latrocinio, aut homicidio, notati; aut aliis

impedimentis in dicta Bulla Sixti V. contentis, detenti non ſint. Et poſtea per aliquem ejuſdem Conventus Religioſum ad hoc deputatum ad inveſtigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum, & reliquorum præmiſſorum abſque ſtrepitu judiciario, ſed per ſcrutinium ſecretum, concedit facere: qui ad hoc deputatus proceſſum & informationem factam Priori ſeu Præſidenti, Superiori, Magiſtro Novitiorum, ac ſtudentium, a quibus approbati, vel reprobari poſſit, fideliter referat. Simile privilegium conceſſit idem Clemens VIII. in ſua conſtitutione: *Aſſidua* anno 1594. Clericis miniſtrantibus infirmis. Quibus privilegiis omnes Religiones funguntur, quæ cum dictis communicationem privilegiorum habent ut docet Lezan. *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 14. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 9. *num.* 14. Rodrig. *tom.* 3. *qq. Regul. quæſt.* 10. *art.* 1. Ant. à Spiritu ſancto *tractat.* 3. *diſp.* 2. *num.* 32. Barboſa 3. *p. de poteſt. Epiſcopi allegat.* 101. *num.* 41.

Valida eſt profeſſio etiamſi omittantur informationes.

67. Quare in hac parte & in modo faciendi informationes ſtandum eſt conſuetudini vel legibus particularibus, ſecundum quas fieri debent, & ſive uno, ſive alio modo fiant, vel etiam ſi culpabiliter omittantur, ſemper validus remanet Novitiatus & profeſſio: cum Clemens VIII. nullitatem à Sixto V. inductam ad terminos juris communis reduxerit. Sed ut rectè, & ordinatè fiant tales informationes unuſquiſque formulam in ſuis legibus præſcriptam videat. In noſtris autem conſtitutionibus modus illas faciendi aſſignatur 3. *p. cap.* 2. *à num.* 10. Sed modo ſunt aliqua notanda.

Qui criminoſi à Religione arceantur?

68. Primò notandum eſt criminoſos, de quibus dictæ conſtitutiones loquuntur, illos eſſe de quibus diximus *num.* 55. quique timent ob ſua crimina fore puniendi, & ut fugiant pœnam ad Religionem confugiunt: & ſic publica debent eſſe crimina, non occulta: ob occulta namque, punitio non timetur. Et non utcumque publica, ſed de quibus ſpecialis Inquiſitio facta eſt ob conſtitutionem poſteriorem Sixti V. correctivam prioris, quam *num.* 66. dedimus. Et non debet eſſe reus abſolutus, vel jam punitus: quia ſi abſolutus eſt jam occultum remanſit delictum: ſi punitus, fini conſtitutionis ſatisfactum, & ſic licitè recipi poteſt. Garcia *tract.* 2. *diff.* 2. *dub.* 9. *num.* 4. Pellizz. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 9. Peyrin. *tom.* 2. *quæſt.* 3. *cap.* 1. *num.* 7. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *num.* 7.

Criminoſus qui celando defectum profeſſus eſt, poteſt à Religione expelli.

69. Secundo notandum eſt quod licet validè criminoſi profiteantur, ut jam diximus, ſi autem conſtiterit poſt profeſſionem emiſſam, illos in ſæculo graviſſimis & ſcandaloſis criminibus notatos, illaque interrogatos tacuiſſe, poſſunt à Religione expelli juxta privilegium Leonis X. per ſuam conſtitutionem, quæ incipit: *Quæ ſicut nobis.* Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 67. *&* *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 28. Garcia *ſupra num.* 6. Anton. à Spiritu ſancto *num.* 44. Lezan. *num.* 16. Peyrin. *tom.* 1. *de R S. quæſt.* 1. *cap.* 23. §. 3. Rodrig. *qq. Regul. tom.* 3. *quæſt.* 17. *art.* 9. Qui advertunt, quod ut prædicti criminoſi poſſint à Religione expelli, non eſt neceſſe quod eorum delicta ſint deducta per accuſationem in judicium, ſed ſufficit quod de illis fuerint diffamati, & notati, ibi enim habetur: *Qui graviſſimis & ſcandaloſis, notati, & diffamati fuerint, quæ fraudulenter ac doloſè in eorum receptione, ac profeſſionis emiſſione (monitione ſuper his per prædictos Prælatos præmiſſa) tacuerint, &c.* An verò juxta privilegia Religionum, diſpenſari poſſit talis homicida ſuper irregularitate contracta, vide quæ diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſuris cap.* 8. *num.* 1. & Lezana *tom.* 3. *verbo irregularitas num.* 14. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 44. Miranda *tom.* 2. *q.* 8. *art.* 107. *concluſ.* 2. Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 24. *art.* 12.

Non requiritur ante receptionẽ, ſed ante profeſſionẽ fieri informationes.

70. Notandum eſt tertio, quod licet ex conſtitutione Sixti V. debent dictæ informationes fieri ante receptionem, ex conſtitutione tamen moderatoria Clement. VIII. ſufficit ſi fiant ante profeſſionem, dummodo qui recipitur, non recipiatur quin prius juret ſe eſſe liberum ab omnibus illis impedimentis, quæ in conſtitutione Sixti V. habetur, & ſic ea omnia debent in ſpecie illi proponi, & ſi Prælatus hoc omittat, mortaliter peccat, & pœnas in Bulla Sixti V. contentas incurrit: quia Clem. VIII. loco informationum a Sixto V. præmittendarum ad receptionem Novitiorum, requirit præmiſſionem prædicti juramenti, uti ex Portel. docet Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 24. & tenetur Novitius recipiendus ſi interrogetur, de aliquo defectu gravi (etiam infamatorio, niſi ſit omninò occultum) purè & ſincere veritatem fateri, vel ab incepto opere deſiſtere. Quemadmodum ſi quis emeret equum, & ejus conditiones inquirat, quæ ad rem faciunt, tenetur venditor veritatem aperire, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 14. *de contract. cap.* 2. *punct.* 12. §. 2. Suar. *tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 5. Pellizzar. *num.* 25. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 11. ¶ Imò ille qui occaſione informationum interrogatur de vita & moribus Novitii poteſt & tenetur defectus, etiam infamatorios (niſi penitus ſint occulti) detegere: nam quiſque tenetur veritatem dicere, ſi ex occultatione damnum eveniat communitati, vel timeatur. Et quando agitur de Officio vel Beneficio conferendo, de matrimonio contrahendo, de ſuſcipienda Religione, ſi quis ſciat aliquod ſubeſſe impedimentum, unde timeri poteſt damnum alterius conſiderabile illud debet detegere: quia hic non agitur de punitione Rei, ſed de arcendo indigno & damno alterius præcavendo, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 13. *de reſtitut. cap.* 4. *num.* 64. & tenent Leſſ. *dub.* 9. *num.* 59. Pellizzar. *num.* 27. Cæterum ſi impedimentum ſit penitus occultum nullum damnum timeri poteſt Religioni eventurum; quapropter celari poteſt, & debet.

Quando Prælatus omittens informationes non incurrit pœnas à Sixto V. aſſignatas.

71. Prælati omittentes informationes dictas, & peccant mortaliter, & pœnis ſubjacent à Sixto V. aſſignatis. Nam Clemens VIII. eas in ſuo robore reliquit.. Sed ſi ex certa ſcientia, vel probabilibus indiciis & conjecturis pro certo haberet talem perſonam nullum ex dictis impedimentis habere, nec peccaret eas omittendo, nec pœnis dictis ſubjaceret, quia quæ clara ſunt examinatione non indigent, *cap. manifeſta* 2. *quæſt.* 1. & in notoriis non ſervare ordinem, juris ordo eſt *cap. ad noſtram el* 3. *de jurejurando.* Vecchius *diſtinct.* 6. *dub* 1. *num.* 6. Suar. *tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 23. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. *&* 17. Garcia *tract.* 2. *diff.* 7. *dub.* 2. *num.* 9. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 82. Imò Prælatus culpabiliter tales informationes

omittens

omittens, ſi reipſa receptus nullum ex illis impedimentis habeat quamvis peccet graviter, pœnas tamen dictas non incurrit. Quia illis Sixtus V. ſolummodo punit recipientes criminoſos, ad quod requiritur quod à parte rei tales fuerint, Vecchius *diſt.7. dub.1 n.3.* Portel. *in dub. regul. verbo: Novitii informationes num.6.* Garcia *num.* 22. Lezana *num.* 15. Pellizzar. *num.4. & 17.* Peyrin. *tom.2. quæſt.3. cap.1. n.26.* ¶ Imò, præciſis particularibus conſtitutionibus, non debent fieri dictæ informationes de minoribus 16. annis in aliqua Religione ſuſceptis, ut conſtat ex verbis dictæ conſtitutionis Sixti V. ibi: *Iuvenes aut viros adultos majores ſexdecim annorum*, ut ſupponunt omnes, & tradit Rodrig. *tom.3. qq. Regular. quæſt.10. art.13.* ubi etiam docet, quod de illis qui ſunt ex remotiſſimis Provinciis ſufficit quod fiant apud eos qui in tali Provincia recipiendos cognoſcere poſſunt, vel cum quibus diù vixerunt. De Novitiis autem Monialium non eſt neceſſe ex jure communi informationes fieri, nam Sixtus V. Gregor. XIV. & Clemens VIII. ſolum loquuntur de Novitiis Monaſteriorum virorum, ut patet ex tenore Bullarum, & cum ſit lex pœnalis, extendi non debet ad perſonas in ea non expreſſas.

PVNCTVM V.

De obligationibus Novitiorum.

Prælatus ſine juſta cauſa Novitium expellens peccat mortaliter.

72. CIRCA præſens Punctum aliquæ ſe offerunt difficultates. Prima circa perſeverantiam in religione. An videlicet peccet mortaliter Novitius abſque ulla cauſa Religionem acceptam deſerendo? Et videtur affirmativè reſpondendum; nam præterquam levitatis & inconſtantiæ indicium eſt, viam Dei, quam capeſſivit ſine juſta cauſa deſerere, hic datur contractus inter Novitium & Religionem, ut Religio ipſum ad profeſſionem admittere debeat, ſi reperiatur idoneus, & Novitius Religionem amplecti ſi convenientem ſibi experiatur; ſed ſi Prælatus Novitium idoneum abſque juſta cauſa expelleret, peccaret mortaliter: ergo etiam Novitius Religionem deſerendo abſque illa: ¶ Nec valet ſi cum Sanch. *lib.5. Summ. cap.4. num.59.* dicas, nec Prælatum ejicientem abſque juſta cauſa Novitium, ſi id abſque nota fiat, peccare mortaliter, ſed venialiter, ſicut Novitius, quia æque obligatur Novitius Religioni, ſicut Religio Novitio. ¶ Sed certe gravius teneri Religionem ad non emittendum Novitium aptum, quam Novitium ad non deſerendam Religionem apertè colligitur ex eo, quod docet ipſe Sanch. *ibi*, & Gregor. Lopez ab ipſo citatus *lege tertia, verbo a ellos, titulo 7. part.1.* Peyrin. *tom.2. quæſt. 3. cap.1. §. 4. num.* 121. videlicet quod Novitio illegitimè expulſo, conceditur jus agendi contra Religionem, ne expellatur, vel expulſus, ut iterum admittatur, cum tamen Religio adverſus Novitium eam deſerere volentem, non poſſit agere. Quare Prælatum peccare mortaliter (& idem eſt de negantibus ſuffragium) ſi abſque juſta cauſa Novitium expellat, conſtat ex dictis *num.37* quia abutitur poteſtate Religionis, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem ſibi tradita ratione cujus tenetur bonum Religionis procurare, & quia Novitium jure ſibi debito, ſine cauſa privat, & quia agit contra decretum Concilii *ſeſſ.25. cap.16. de regular.* ubi præcipit Superioribus quod Novitios repertos habiles, finito anno probationis, ad profeſſionem admittant, & ita docent Peyrin. *n.*112. Diana *3. p. tract.2. reſol.19.* Portel. *verbo Novitius, num.54.* Ant. à Spir. ſancto *tract.3. diſt.1. num.* 112. Vecchius *diſp.12. dub 2. num.1.* à S. Fauſto *lib.5. quæſt.114.* Miranda *tom.1. quæſt.25. art.12. concluſ.1.* Suar. *tom.3. de relig. lib.4. cap.3. num.7. & lib.5. cap.11. num. 5.* Palaus *tract.16. diſp.1. punct.10. num.1.* Caiet. 2. 1. *quæſt.199. art.4. ad 3.*

Novitius non peccat mortaliter, etiam ſine cauſa à Religione recedens.

73. Cæterum, ſicut Novitius nullam commiſit culpam nolendo ingredi Religionem, ſic nec illam deſerendo (ſuppoſito quod non haberet votum perſeverandi, de quo jam diximus *cap. præced. num.26.*) ſed ex fine talis actus bonus vel malus erit: & ideo *in cap. ſtatuimus, de regularibus, cap. ſunt qui eodem titulo in 6.* ad priſtinum ſtatum libere poſſe redire intra annum conceditur. Et ratio eſt; quia ipſe non ingreditur cum obligatione perſeverandi, ſed probandi ſtatum, libertate ſibi retenta, ut ipſum eligat, aut recipiat, prout ſibi placuerit nec ob id retrocedere cum inconſtantiæ nota eſt dicendum: quia ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſt.189. art.4. ad 1. Nec intelligitur aliquis retroire, vel reſpicere, niſi quando prætermittit ad quod ſe obligavit.* Hic nulla datur legis, aut voti obligatio: ergo inconſtantia, quæ mala dici poſſit, non invenitur; alias qui cœpiſſet dare eleemoſynam, vel aliud bonum opus exercere, ad quod non tenetur, inconſtans diceretur & peccans, ſi ab illo deſiſteret: & hoc modo pactum inter ipſum & Religionem datur, quod ipſe ſub libertate exeundi, ad probandum ingrediatur, & Religio eodem modo ipſum accipiat. Et ſic quantum eſt ex vi pacti nec Religio peccaret ipſum ſine cauſa expellendo, ſed ex aliis capitibus *numero præcedenti*, aſſignatis. Quare non peccare dictum Novitium, præter D. Thom. *loco citato*, tenent Suar. *cap.11. cit. a num.2.* Palaus *punct.4. num.4. & punct.10. num.1.* Anton. à Spir. ſancto *num.*120. Sanch. *lib.6. Summ. cap.10. num.1.* Lezan. *tom.1. cap.24. num.3.* Peyrin. *tom.2. quæſt.3. cap.1. § 4. num.* 104. *&* 110. Pellizzar. *tract. 2. cap.6. num.* 20. ¶ Horum aliqui venialiter peccare dicunt, ſi abſque juſto & honeſto fine id faciat: imò etiam ſi id faciat cum honeſto fine, ſed non ſufficienti ad intentum ob inconſtantiam & animi levitatem. Sed primum admittimus: quia ſaltem erit actus otioſus, ſi abſque ullo honeſto fine exerceatur. Secundum negamus: quia hic nulla datur inconſtantia, cum nulla detur à re ſibi obligante deſiſtentia, uti ex D. Thom. diximus, & tenent Suar. Palaus, Ant. à Spiritu ſancto.

Non tenetur Novitius bona fide ingrediens, expenſas noviriatus ſolvere.

74. Secunda difficultas eſt: an ex juſta cauſa, vel abſque illa egrediens teneatur ſolvere expenſas, quas in Noviriatu fecit, ſi non æquivaleant miniſteriis illius? Reſpondetur, quod ſi Novitius bona fide ingrediatur, & non promiſit dictas expenſas ſolvere, ad eas ſolvendas non tenetur. Tum quia Religio liberè & ſpontaneè eas facit. Tum etiam, quia Monaſterii redditus, & fidelium eleemoſynæ, æque pro

Novitiis, & profeſſis ſunt conſtitutæ. Pellizz. *num.* 13. Peyrin. *num.* 105. Ant. à Spir. Sancto, *num* 133 Palaus *num.* 8. Suar. *num.* 5. Lezan. *n.* 3. Diana *reſolut.* 16. Sanch. *num.* 4. Villalobos. *tom.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 16 *num.* 6. Rodrig. *qq Regul. tom.* 3. *quæſt.* 15. *art. ult.* ¶ Diximus, *Si bona fide ingreditur*: nam ſi abſque animo perſeverandi habitum ſumpſit ne commodum ex delicto teportet, tenetur expenſas factas tempore, quo fuit in Religione, ſolvere; niſi obſequia ab illo præſtita dictis expenſis æquarent: quod nunc cenſendum eſt, quando Monaſterium talibus obſequiis indigeret, quæ præſtanda non eſſent ab aliis. Sic citati.

Si conventio fiat de ſolvendis expenſis tenetur Novitius eas ſolvere.

75. Diximus etiam, *ſi non promiſit dictas expenſas ſolvere*; ſi enim talis conventio præcedetet, eas tenetur reddere; quia licitum eſt, & permiſſum à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *c.* 16. *de regul.* aliquid pro victu & veſtitu a Novitiis accipere: ergo ſi præcedat pactum de eo ſolvendo, hoc ſervandum eſt, cum ſit de re licita, & alias ſit pactum oneroſum, ita communiter DD. ¶ Et in Conventibus Monialium, ſemper cenſetur talis conventio dari, etiamſi expreſſè non fiat, & ſive in ipſis, ſive in Monaſteriis virorum, nulla eſt habenda ratio miniſterii exhibiti, ſiquidem in omni eventu, & ſine ulla exceptione inıtur contractus ſolvendi expenſas. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 10. *num.* 5. Pellizzar. *tract.* 2. *cap* 6. *num.* 25. Rodrig. *tom.* 3. *quæſt.* 13 *art. ult.* Sed ob hanc cauſam minimè detineri poteſt Novitius, aut impediri ne liberè egrediatur, etiam ſi timeatur poſtea non ſoluturum prædictas expenſas: quia Religioni datum non eſt per vim debitum à Novitio recuperare; ſed eo dimiſſo, poſſe agere, ſicut contra alios debitores. Lezan. *n.* 3. Peyrin. *n.* 103. Pelliz. *n.* 23. Sanch. *n.* 5. Palaus *num* 2.

Monaſterio Novitio recedenti eam partem tenetur ſolvere ex acceptis ab eo quam in Novitiatu non conſumpſit.

76. Tertia difficultas eſt: an ſi Novitius aliquid donet Monaſterio pro ejus victu & veſtitu tempore Novitiatus, teneatur Monaſterium eam partem dumtaxat reddere ei, quam non conſumpſit, pro rata temporis quo in Monaſterio fuit? Reſpondetur affirmativè: nam Concilium Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de regul.* præcipit omnia ex bonis Novitiorum accepta, illis reſtituenda integrè, ſi egrediantur, quæ ſi renuerint Monaſteria ſolvere, quod poſſint compelli ad illa reſtituenda per Epiſcopum, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, *excepto victu & veſtitu Novitii & Novitia illius temporis, quo in probatione eſt*: ergo retinere poteſt Monaſterium partem, quæ aſſumpta eſt a Novitio in Monaſterio pro rata temporis, & reliquam reſtituere debet: ita omnes. Attamen reſtituendus non eſt habitus Religionis, etiam factus expenſis Novitii, ſed tantum prætium reddendum, quanti dictus habitus æſtimatur eo tempore, quo Novitius recedit. Peyrin. *tom.* 2. *quæſt.* 3. *cap.* 1. §. 4. *num.* 107. Ant. à Spir. ſancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *num.* 131. Pellizz. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 18. Qui dicunt in eo caſu poſſe detineri habitum Novitii loco alimentorum toto eo tempore conſumptorum, ſi fortè hac de re conventio præceſſit, aut certè dicta alimenta, præſtita à Novitio excedant obſequia.

Decretum Concilii proponitur quo aliquid à Novitiis accipi prohibetur.

77. Sed hic libuit apponere decretum Concilii Tridentini *loco cit.* hic dicentis: *Ne ante profeſſionem, excepto victu vel veſtitu Novitii vel Novitia illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu à Parentibus vel propinquis, vel Curatoribus, ejus Monaſterio aliquid ex ejuſdem bonis tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeant, quod totam vel majorem partem ſubſtantia ſua Monaſterium poſſideat.* Ex quo decreto ſequitur peccare mortaliter Religionem ex bonis Novitii aliquid notabile quocumque prætextu recipientem (quod juxta locorum & Religionum diverſitatem, prudentum judicio penſandum eſt) excepto victu & veſtitu. (Quibus etiam venire propinas, & alia ſolita dari ob ſolemnitatem, diximus *num.* 4.) & quidem ſub excommunicatione, tam contra dantes quam contra recipientes impoſita (quam non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ docent Pellizzar. & Peyrin. *locis infra citandis.*) Et idem dicimus, ſi aliquid modo dicto, donetur vel toti Ordini, vel alteri ejuſdem Ordinis Monaſterio: quia eodem modo impeditur Novitius à libero egreſſu, quod eſt finis, & ratio Concilii, & cum ſit ejus diſpoſitio favorabilis Novitio, extendenda eſt ad hunc caſum, ubi militat eadem ratio Pelliz. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 28.

78. Sed circa hoc decretum Concilii noto primo, cum Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 16. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 32. non impedire, quod poſt profeſſionem aliqua de bonis Religioſi poſſint Monaſterio donari; quia Concilium loquitur ante profeſſionem, volens conſulere libertati illius. ¶ Noto ſecundo cum Sancb. *lib.* 7. *Summ. cap.* 5. *num.* 23. Peyrin. *de R. S. tom.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 19. §. *Noto tertio.* Quod non prohibet Concilium Parentes, aut propinquos aliquid de bonis eorum liberaliter Monaſterio donare in gratiam ipſius Novitii ut ipſe benevolentius tractetur: quia ſolum prohibet *de bonis illius aliquid donare.* Noto Tertio cum eodem Sanch. *num.* 22. Pellizzar. *num.* 28. quod cum Concilium dicat: *Ne hac occaſione diſcedere nequeant, quod totam, vel majorem partem ſubſtantia ſua, &c.* Quæ verba videntur indicare ſecus dicendum, ſi quantitas data Monaſterio non ſit notabilis, & licet ſit ſecundum ſe notabilis, talis non eſt ut habita ratione facultatum ipſius Novitii prudentis judicio eum retardaturum à libero egreſſu non timeatur; quod talia Monaſterio donare non erit contra dictum decretum.

Aliqua circa dictum decretum notantur.

79. Quarta difficultas eſt: an Novitii teneantur ad regulares obſervantias? Reſpondetur quod indirectè, & ex quadam gravi decentia tenentur illas obſervare, ſi perſeverare velint in Religione: quia ut habetur *in cap. Recolentes de ſtatu Monachorum*: *dignum eſt ut qui ſimul cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam*, aliàs ſcandalum aliis, aut pravum præberent exemplum: unde vel tenentur habitum deſerere, vel leges Religionis, ſaltem publicè obſervare, ut a Religione ſcandalum amputetur. Palaus *tractat.* 16. *diſput.* 1. *punct.* 10. *num.* 5. Pellizzar. *tractat.* 2. *punct.* 6. *num.* 6. Lezana *tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 2. Suar. *lib.* 5 *cap.* 16 *num.* 18. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 10. *num.* 6. Peyrin. *tom.* 2. *quæſt.* 3. *c.* 1. *n.* 119. Ant. à Spir. ſancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *n.* 134. Sed non tenentur ad illas directè & per ſe; quia nec profeſſi ſunt regulam, nec ſe totos Religioni tradiderunt, ſed ſunt in probatione. Unde ſicut cathecumeni antequam baptizentur (quomodo ſub poteſtate Eccleſiæ conſtituuntur) non

Quomodo ad regulares obſervantias Novitii tenentur?

non tenentur legibus Eccleſiæ, ſic nec Novitij ante profeſſionem, legibus Religioni directè obligantur. Sic præcitati Authores. ¶ Ex quo ſequitur primo ipſos non teneri Horas Canonicas tecitare, etiamſi ad Chorum ſint deputati; quia nullum præceptum, aut conſuetudo pro illis de hoc datur. Sequitur ſecundo ipſos ad vota Religionis non teneri, & ſic ſi contra aliquod ex illis delinquant, non incurrunt novam circunſtantiam in Confeſſione detegendam. ¶ Sequitur tertio ipſos non ſubjacere prohibitionibus, aut pœnis generaliter latis contra Religioſos, ſive in conſtitutionibus Pontificiis, ſivè in ſtatutis proprii Ordinis (niſi in ſpecie exprimantur) quia licet in favorabilibus veniant nomine Religioſorum, non in odioſis: quia odia reſtringi, favores convenit ampliari.

Novitii ſubjacere Prælatis, ſicut Clerici Epiſcopis debent.

80. Quinta difficultas eſt: an, & quomodo Novitij ſubjaceant juriſdictioni Prælatorum Religioois? Reſpondetur quod eo modo, & non amplius, quo clerici ſubduntur ſuis Epiſcopis in Ordine ad debitam gubernationem & directionem in utroque foro. Quarè ſuper illos habent juriſdictionem ſpiritualem, & Eccleſiaſticam a Pontifice conceſſam, non verò dominativam, cum ipſi nondum ſe tradiderint dominationi Religionis: cum talis traditio ex votorum emiſſione dimanet; tradiderunt autem ſe Prælatis Regularibus dirigendos & gubernandos, hoc ipſo quod ingrediantur Religionem; & conſtituantur in ſtatu probationis, & ſub ea conditione recipiantur, à Religione educantur & ſuſtentantur, ut ſint ſub juriſdictione Prælatorum illius. Eo vel maximè: quia cum exempti ſint pro illo ſtatu à juriſdictione tam ſæculari, quam Epiſcopali, ut dicemus *punct. ſequenti* debent ſub regulari conſtitui. Azor. *2. parte lib.* 12. *cap.* 2. *quæſt* 10. Suar. *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 16 *num.* 18. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 10. *num.* 7. Palaus *tract.* 16. *diſt.* 1. *punct.* 10. *num.* 5. & 7. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 6 *num.* 5. & 11. Leſſ. *lib.* 2. *capite* 40. *num.* 107. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *n.* 137.

Quæ præcepta poſſit Prælatus Novitiis imponere?

81. Ex quo ſequitur non poſſe Prælatum Regularem aliter novitiis præcipere, quam Epiſcopus clericis ſibi ſubditis. Unde, omnia quæ ad legem Dei & Eccleſiæ pertinent, & alia quæ decent perſonis Eccleſiaſticis, præcipere poſſunt, ſicut Prælatus Eccleſiaſticus ſibi ſubditis, ut quod dicant veritatem in caſibus occurrentibus, quod aliis damnum non inferant; quod Dei & Eccleſiæ præcepta adimpleant &c. Et ideo etiam in his caſibus ſub cenſuris præcipere poſſunt (licet rarò id expediat) & etiam reſervare pro illis aliquos caſus; quia utrumque poteſt reſpectu ſuorum ſubditorum Epiſcopus; quamvis ſi ſolum pro Religioſis reſervet, non comprehendit illos reſervatio: quia veri Religioſi non ſunt, nec veniunt in odioſis nomine Religioſorum. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 4. Palaus *n.* 9. Ant. a Spiritu Sancto *n.* 148. ¶ At non poteſt eis jubere ſub præcepto ea quæ ſunt de conſilio & Religionis perfectione; quamvis Prælatus Novitium contra Regulam, aut conſtitutiones delinquentem corrigere, & punire valeat: quia & probationis ſtatus id exigit, quod ſubjiciantur correctioni, & pœnis, ſi contra eum delinquant: & Pontifex hanc juriſdictionem Religioni concedit, ut ſic perfectius poſſit probare Novitios, Azor, Suarez, Sanchez, Pellizzar. Palaus, Ant. à Spiritu Sancto. *locis citatis.*

Poteſt Novitius à Prælatis Religionis puniri, ſi delinquat.

82. Et non ſolum poteſt Prælatus punire Novitium adverſus Regulam & conſtitutiones delinquentem, ſed etiam quando delinquit in rebus graviſſimis, poteſt condignis eum pœnis afficere: quia Prælatus in foro externo adverſus Novitios juriſdictionem habet, quatenus ſunt partes Communitatis, & membra Religionis ab omni alia juriſdictione exempta. Palaus *num.* 8. Sanchez *a num.* 10. Bordo *tom.* 1. *reſol* 54. *num.* 131. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 4. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 1. Et poſita ſententia & condemnatione delicti poteſt ſub præcepto & cenſuris ad pœnam ſubeundam obligare, ſicut poteſt Epiſcopus ſuos ſubditos: quia talis obligatio in dicta ſubjectione fundatur. Sanch. *num.* 17. Palaus *n.* 8. Imò imponere poteſt pœnam exequendam poſt Religionis egreſſum: quia ſemel data ſententia ſubdito, eam propria authoritate fugere non poteſt. Quod nun intelligitur de pœnis modo Religioſo impoſitis, & abſque figura judicij: quia tunc cum egreſſu ceſſant, quatenus imponi cenſentur pro tempore, quo in Religione vitam agit. Sanchez *n.* 13. Bordon. *n.* 131. Pellizzar. *n.* 113. Palaus *n.* 8. Ant. à Spiritu Sancto *diſ.* 2. *num.* 145. ¶ Sed ſi Novitius ante cœptam cauſam fugiat à Religione vel quomodolibet exeat, Prælatus jus ſuum perdidit, cum ſuper Novitium, non habeat ius abſolutum, ſed limitatum, ratione domicilij ac delicti, ut tenent Authores citati.

Novitius exiens non poteſt à ſæculari judice puniri ob delicta in Religione patrata.

83. Iudex autem ſæcularis Novitium egreſſum è Religione, etiam impunitum ob crimina in illo ſtatu commiſſa, eum punire non poteſt, tametſi in ſæculo manſurus ſit merus Laicus: & ſic ab Ordinario loci eſt puniendus: quia in puniendis delictis inſpicitur tempus, quo ea commiſſa ſunt. *l.* 1. *ff. de pœnis, l. injuriarum, ff. de injuriis.* Sed Novitius dum commiſit crimina, erat perſona Eccleſiaſtica: ergo à judice Eccleſiaſtico debet puniri propter illa; non à Regulari: quia jam exiit à ſua juriſdictione: ergo ab Epiſcopo. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 54. *num.* 132. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *num.* 146. Et ideo Clericus habitu depoſito non poteſt à ſæculari judice puniri ob crimen, dum eſſet Clericus, commiſſum, ut tenent Bonacin. *diſp.* 10. *de legibus*, *q.* 2. *punct.* 1. §. 2. *n.* 5. Layman. *lib.* 4. *cap.* 8. *tract.* 9. *num.* 5. & alij quos refert & ſequitur Dian. *part.* 2. *tract.* 1. *reſol.* 34.

Poteſt Novitius pœna carceris perpetui à Prælatis puniri ſi id mereatur.

34. Sed notandum eſt, quod quamvis Sylveſter verbo *Religio* 5. *quæſt.* 7. Tabiana verbo *Novitius* 13. *num.* 14. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 6 *n.* 2. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 10. *num.* 14 dicat non poſſe Prælatum Novitium graviſſimè delinquentem, ſi vult à Religione egredi, pœna carceris, nedum perpetui, ſed ad longum tempus punire: quia impediretur liber à Religione egreſſus, ipſis conceſſus. *cap ſtatuimus de regular. cap. non ſolum eodem tit. in* 6. Verius eſt ipſum tali pœna, etiam carceris perpetui, Novitium plecti poſſe, etiamſi egredi velit; quia in illum habet juriſdictionem, à qua eximi ob ſolam voluntatem egrediendi, inconveniens erat, cum aliis Novitiis non levis ania daretur atrocia delicta perpetrandi, & eſt per accidens, & ratione culpæ ab eo commiſſæ, quod ejus egreſſus impediatur, & conceſſa ſibi libertate privetur. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 16 *num.* 18. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 10. *n.* 8. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 2. *n.* 142.

PVNCTVM VI.

De Novitiorum Privilegiis, & exemptionibus.

Novitius gaudet omnibus privilegiis Religioſorum.

85. Quamvis non deſint Authores qui negent Novitios gaudere privilegiis omnibus profeſſorum, ut Rodrig. *tom.3.qq. Regul.quaſt.51. art.12.* Portel. *verbo Novitius n.54.* niſi exprimantur, uti multoties exprimuntur, ut *in Cap.Religioſo,Cap.quamvis de ſententia excomm. in 6.* Vbi privilegium Canonis ad ipſos extendit Pontifex, quod eſt ſignum aliis privilegiis non potiri, quando in illis non exprimuntur. ¶ Cæterum licet ad tollendum omne dubium, quandoque in conceſſione Privilegiorum Religioſorum, etiam Novitij nominantur ad majorem abundantiam & ſecuritatem, negari non poteſt ipſos gaudere omnibus privilegiis aliis Religioſis conceſſis. Tum, quia in favorabilibus reputantur Religioſi, eo quod tempore Novitiatus ſunt ſub poteſtate Religionis, & ſuo modo ſuſtinent onera illius, & ſic juſtum eſt ut commoda ſentiant, & ſic privilegiis & favoribus fungantur. Tum etiam, quia ſic dicunt declaraſſe Clementem VIII. plures ex Doctoribus infra citandis. Et Diana. *3.p.tract.2.reſol.73.* refert Privilegium Generali Societatis conceſſum, ut omnia Societatis privilegia valeant communicari Novitiis, quod extendi dicit ad alias Religiones. Sic Sanchez *lib.4.ſumm.cap.39. num.13.* Suar. *tom.4.de Relig. tract.10. lib.9. cap.1. num.18. & tom.3. cap.16. lib.5. num.17.* Palaus *tract.16. diſp.1. punct.11. num.1.* Pellizzar. *tract.2. cap.7. num.1.* Vecchius *diſp.9. dub.1. num.2.* Lezana *tom.5. in marimag. minorum §.9. n.35.* Ant. a Spiritu Sancto *tom.1. tract.2. diſp.3. num.222.* Candidus *tom.2. diſquiſ. 24 art. 59. dub.9.* Bordonius *tom.1. reſolut. 3. num.11.*

Qui in proximo eſt recepturus habitum, gaudet privilegiis Religioſorum.

86. Addunt Diana *reſol.46.* Lezana *num.36.* Ant. à Spiritu Sancto *num.226.* Delbene. *tom.2. cap.14. ſect. 9. dub.18. n.1.* Pellizz. & Vecchius *ſupra*, id intelligi etiam de illis qui nondum habitum receperunt, ſed in brevi ſunt induendi: quia in favorabilibus brevi accingendus habetur pro accincto. *l.penultima ff. de militis teſtam.* Igitur omnes dicti Novitij poſſunt abſolvi à ſuis Prælatis, vel aliis Religioſis ab omnibus peccatis, pœnis & cenſuris, & diſpenſari in omnibus irregularitatibus, votis & præceptis, ſicut alij fratres, & omnibus indulgentiis potiri poſſunt, quibus alij Religioſi, ſi bona fide habitum recipiant, vel parati ſunt illum in proximum recipere; ſecus verò qui ficto animo ingreditur: quia hic nedum Religioſus, verùm nec Novitius dici poteſt, niſi mere materialiter. Sic citati. ¶ Sed quamvis in his quæ diximus omnia privilegia includantur, operæ prætium erit, ſigillatim aliqua recenſere.

Fori Canonis & immunitate à Gabelis ſolvendis fruitur Novitios privilegio.

87. In primis ſunt exempti à poteſtate Epiſcopi, ſicuti ſunt à poteſtate ſæculari: quia ſunt ſubjecti poteſtati Religionis, & ſic etiam gaudent privilegio fori; unde ob delictum, vel debitum conveniri non poſſunt coram judice ſæculari, & cum aliàs ſint ab Ordinariis exempti, debent conveniri coram judice Regulari. Quod verum eſt non ſolum de delictis poſt ingreſſum patratis, ſed etiam ante illum commiſſis, caſu quo velint in Religione permanere, ſi res ſit integra, & non ſit à judice Laico incœptum judicium. Si enim antequam Novitius ingrederetur Religionem, cœpit cognoſcere judex Laicus de illis, poteſt Novitium ab Ordine extrahere, & punire. Pellizzar. *tract.2. cap.7.num.8.* Portel *verbo Novitius num.16.* Ant. à Spiritu Sancto *tract.3. diſp.2. n.197.* Bonacin. *diſp.10. de legib.quaſt.2.punct.1.§.1.num.17.* ¶ Etiam gaudent privilegio Canonis, & ſic eos percutientes, excommunicationem Canonis, *ſi quis ſuadente diabolo*, incurrunt. Vt habetur expreſsè *cap. Religioſo de ſententia excomm. in 6.* Niſi cauſa correctionis à Magiſtro, Senioribus, vel aliis percutiantur modo dicto *tract.10. de cenſur. c.4. num. 29.* ¶ Gaudent etiam exemptione à ſolutione gabellarum, vel tributorum, ſi vel ipſi propria bona, vel Monaſterium, vel alius nomine ipſorum vendat, vel commutet. Tum, quia licet non ſint Religioſi, ſunt quaſi perſonæ Eccleſiaſticæ: quia ſunt partes Communitatis Eccleſiæ, & ſic gaudere poſſunt privilegiis pro omnibus Eccleſiaſticis conceſſis. Tum etiam, quia gaudent privilegio fori Canonis, imò omnibus aliis: ergo iſto. Molina *tom.3. de iuſt. diſp. 672. num. 2.* Peyrin. *de Relig. Prælat. q.3. cap.1. §.4. num.131.* Pellizzar. *tract.2.cap.7.num.12.* Ant. à Spiritu Sancto *tom.2. tract.3. diſp.2. num.198.* Lezan. *tom.1. cap.24. num. 4.* Diana *3.p.tract.2. reſol.37.* Palaus *tract.16. punct.11. n.9.* Layman. *lib.4. tract.5. c.4. n. 4.* contra nonnullos oppoſitum tenentes.

In omnibus irregularitatibus & votis poſſunt diſpenſari, & ab omnibus cenſuris abſolvi Novitii ſicut alii Religioſi.

88. Deducitur etiam ex dictis poſſe Novitios, vel qui ſunt in proximo ut ingrediantur, abſolui, & abſoluere a reſervatis, ſicut alij Religioſi: quia hoc omni eſt Religioni conceſſum, & ſic ſingulis compartibus, poſſeque diſpenſari & diſpenſare in votis, ſicut alij. Et quamvis à Prælatis eorum vota irritari nequeant: quia in illo ſtatu non habent ſuper eos poteſtatem dominativam: quia tamen juriſdictionem habent quaſi Epiſcopalem, poſſunt diſpenſari, vel commutari eorum vota à Prælatis, ſicuti aliorum; quamvis Novitij dum ſunt in ſtatu probationis, non teneantur implere vota antea emiſſa, licet non commutentur vel diſpenſentur, ſive vota compatiantur cum illo ſtatu, ſive non: quia jure optimò commutari poſſunt propria authoritate in Ordinarios labores, ac aſperitates Novitiatus, cum id fiat in evidenter melius; ſed ſi diuturniora ſint, non auferuntur, ſed ſuſpenduntur: & ſi egrediatur, eorum obligatio redit. Suar. *tom.3. lib.5.cap.11. num.40.* Pellizzar. *tract.2.cap.7.num.18.* Poſſunt à Prælatis diſpenſari, non ſolum ſuper obſervantiis regularibus, ſed etiam circa obſervationem Præceptorum Eccleſiæ. Tum, quia ex propriis privilegiis poſſunt cum aliis ſuper his diſpenſare: ergo cum Novitiis, quia horum privilegiis funguntur. Tum etiam, quia habent ſuper eos juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & Epiſcopi ſubditis in his diſpenſare queunt modo quo diximus *tom.3.tract.11.de legibus,cap.4.n.36.* Suarez *tom.4.tract.8. lib.2.cap.14. n.8.* Pellizzar. *n.43.* Lezan. *tom.1. cap.24. num.4.* Palaus *diſp.1. punct.11. num.13.* Poſſunt denique in omnibus irregularitatibus diſpenſari, ſicut alii Religioſi. Imo ex hoc ipſo quod fiant Novitij, ſeu per ingreſſum tantum, tollitur natalium irregularitas, ita ut Novitius ad ſacros Ordines abſque diſpenſatione valeat aſcendere. Quod licet negent Sanchez *lib.5. ſumm.cap.5.n.12.* Palaus *tract.16, diſp.2.*

diſp.2. punct.8. num.10. Affirmat tamen & late probat Rodriguez *quæſt.reg.tom 1.quæſt.13.art.4.* Ant.a Spiritu Sancto *tom.2.tract.3.diſp.2.n.200.* Pellizzar. *n.16.*

Qui ſemel eſt diſpenſatus, vel abſolutus, non reincidit in caſus, vel cenſuras, ſi à Religione recedat.

89. Sed reſtat gravis difficultas: an ſi Novitij virtute privilegiorum, in aliqua irregularitate diſpenſentur, vel in aliquo voto, vel abſoluantur ab aliquibus cenſuris, vel caſibus reſervatis, ſi exeant, reviviſcat illa obligatio: ita ut maneant ſub votis, cenſuris, ac irregularitatibus, ſicut antea erant? Reſpondetur negativè (quidquid alij dicant) ſi animo ſincero & bona fide habitum ſumpſerunt, ita quod nullum onus nec comparendi, ob reſervatorum caſuum abſolutionem ſubeant exeuntes, nec aliam obligationem, ſicut alii Religioſi. Probatur primò, quia æquum non eſt, ut qui abſolvitur ob inſignem actum ingrediendi Religionem, illumque bona fide explet, privetur poſtea illo beneficio. Secundò: quia alias cogeretur profiteri, ne reincidat in cenſuras, aut irregularitates antea contractas, & ſic non omninò liberè profiteretur. Tertiò: quia abſolutio ſimpliciter data, non cenſenda eſt data ad reincidentiam, niſi caſibus à iure expreſſis, vel niſi facultas abſulvendi, ita expreſſe conceſſa fuerit, quod in præſenti non accidit: ſiquidem virtute privilegiorum, ſimpliciter, & abſolutè abſoluuntur, vel diſpenſantur quicumque diſpenſantur & abſolvuntur. Sic Bartholomæus a Vecchis *in praxi Novitior. diſp.9. dub.25. num. 3.* Diana 3. *p.tract.2.reſol.44.* Pellizzar. *tract.2.cap.7.num.15. & 34.* Bonacin. *de legib. diſp.4. q.1. punct.7. §4. num.28.* Suar. *tom.4. tract.8. lib.2 cap.24. num.6.* Ant. à Spiritu Sancto *tom.2. tract.3. diſp.2. numero 208. & tom.1. tract.2. diſp.3.n.218.* Tambur. *tom.3. diſp.6. quæſt.27. art.18.* Lezan. *tom.5. in mari magn. minor. num.35. & tom.1.cap.24.num.9.* Bordon. *tom.1. reſol.28.num.56.* Fragoſ. *libro 10. parte 2. diſp 24. §.11.num.31.* Candid. *tom 1. diſquiſ.22. art.48. dub.1.* & alij: quorum aliqui id dicunt verificari de his qui actu, & bona fide habitum ſumpſere; & ſic explicant privilegia aliqua concedentia prælatis poſſe abſolvere ad reincidentiam, quod vel intelligantur de illis qui mala fide habitum ſumpſerunt, vel de illis qui nondum habitum acceperunt, ſed erant in proximo ad illum, qui ſi abſoluantur ab illis caſibus vel cenſuris, a quibus non poſſunt ſæculares abſolvi, & de facto habitum non accipiant, reincidunt in antiquas cenſuras: quia ſolum ſub hac conditione, quod ingrediantur, cenſentur abſolvi, aut diſpenſati.

Cum quibus poſſint Novitij confiteri?

90. Sed inquires: primò cui confiteri debeant Novitij, & quibus quoad hoc exemptionibus gaudeant? Reſpondetur, quod licet expediat regulariter ut cum Magiſtro ſuo, vel cum Religioſis deputatis confiteantur, ut ſic melius dirigi poſſint in via ſpirituali, poſſunt nihilominus cum aliis quibuſcumque Regularibus vel ſæcularibus, intra vel extra domum, valide, & licite confiteri, etiam à reſervatis à ſua Religione: quia non ſunt reſervati pro illis, & alias non ſunt vere Religioſi, & cum ſint fideles poſſunt confiteri cum illis Confeſſariis, qui poſſunt quorumcumque fidelium Confeſſiones audire. Pellizar. *tract.2.cap.6.n.35.* Ant.à Spiritu Sancto *tract.2. diſp.3.ſect.1. num.225. & tract.3. diſp.2. num.150.* Bordon. *tom.1. reſol.34. num.38.* Et alij quos refert & ſequitur Diana. *3.parte tract.2. reſol. 4.* ¶ Sed nota primò quod ſi confiteantur Religioſis illius domus, ſolum à Prælatis approbatis, ſi iſti ſint inhibiti Novitiorum Confeſſiones audire, invalidè cum illis confiterentur, non quia ipſi ex parte ſua impediti ſint, ſed quia Confeſſarij non habent quoad Novitios juriſdictionem. Suar. *tom.4.tract.8. lib.2.cap.17.num.13.* Nota ſecundò quod poſſunt abſulvi ab Ordinario approbatis, etiam inſcio, vel invito Prælato Munaſterij, ſed tunc non poſſunt ab eo abſolvi à reſervatis Pontifici: quia hoc privilegium Confeſſoribus Regularibus conceditur, non pœnitentibus. Pellizzar. *tract.2. cap.7. num.45.* ¶ Nota tertiò, poſſe Novitium, etiam mox receſſurum ab Ordine, confiteri cum Sacerdote ſolum à Regulari Prælato approbato, & abſolvi etiam à reſervatis Pontifici à quibus alij Religioſi poſſunt abſolui: quia uſque dum actu non recedit verè eſt Novitius, & ut talis tractari debet. Bordon. & Vecchius, quos refert, & ſequitur Pellizzarius, *numero 45.*

Poſſunt Novitii uti Bulla Cruciata ad lacticinia comedenda.

91. Inquires ſecundo: an Noviti poſſint uti bulla Cruciatæ ad lacticinia comedenda, vel etiã ad eligendum Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario, & ad alia indulta, etiam in Religione ubi uſus talis Bullæ eſt aliàs interdictus Religioſis? Reſpondetur affirmativè, quia ex una parte bulla ad omnes fideles extenditur, & ex alia, iſti non ſunt veri Religioſi, nec in odioſis & pœnalibus nomine Religioſorum veniunt. Suar. *tom.4. tract.8. lib.1. cap.16. num.10. & 12.* Palaus *tract.16. diſput.1. punct.10.n.9.* Mirand. *tom.2. quæſt.34. art.16.* Dian. *3. p.tract.2. reſol.4.* Lezan. *tom.1. cap.24. num.7.* Pellixxar. *num 51.* ¶ Et ob eandem rationem, maximè quia non ſunt verè Religioſi, & habent velle & nolle, ſuntque ſui juris, & de ſe & ſuis diſponere poſſunt, habent jus eligendi ſepulturam, non obſtante, *Cap.finali de Religioſis, in 6.* Vbi Religioſis interdicitur electio ſepulturæ. Sanchez *lib.6. ſumm. cap.14.num.10.* Peyrin. *tom.2. de R.P.q.3.cap.1. num.130.* Pellizzar. *num.59.* Sed ſi ſepulturam non eligant Novitij, in Monaſterio in quo obeunt, ſunt ſepeliendi: quia ſic tenet conſuetudo, & ad hoc privilegia Regularium ſe extendunt. Sic citati.

Quę debita teneatur Religio pro novitio. ſolvere?

92. Tertiò inquires: an Novitius per ingreſſum Religionis liberetur à debitis antea contractis? Reſpondetur, quod ſi nec re, nec in ſpe, per multum tempus in ſæculo manendo, poteſt illis ſatisfacere, ſufficit, ſi bonis cædat ut ſic ab onere debitorum liberetur, nec laborare tenetur, nec ad hoc exire, ut conſtat ex à nobis dictis *tom.3. tract.13. de reſtit. cap. 1. punct.18. num. 297.* An verò ſi per multum tempus in ſæculu manens, poſſit illis ſatisfacere, teneatur exire? Vide ibidem dicta §.1. Tenentur tamen Monaſteria ad debita contracta à Novitiis ante profeſſionem, quando in ipſorum bona ſuccedunt: quia Commune eſt omnibus qui in bona alterius ſuccedunt, quod adſtringantur debitis ipſius. Quod intelligitur, niſi debita vires hæreditatis excedant: quia cum hanc obligationem ſubeat Monaſterium præcisè propter bona, quæ ex Novitio habuit, ratio dictat, quod non ſe extendat ultra vires hæreditatis, ut de omnibus hæredibus diximus *tom.3. tract. 14. de contractibus, cap.5. num.145.* Pro majori autem cautela Monaſterium adeat hæreditatem cum beneficio inventarij, & ſic nunquam tenebitur, niſi intra vires hæreditarias. An verò ſi de facto inventarium non fiat, & debita excedant hæreditatem teneatur Monaſterium illa ſoluere?

Vide

Vide ibidem dicta *n.* 195. & hinc colliges Monaſterium ex bonis acquiſitis propter profeſſionem alicujus teneri dare alimenta Parentibus, vel filiis profeſſi, vel aliis, quibus ipſe ex juſtitia tenebatur id facere: quia tranſlatio bonorum ad Monaſterium, non liberat ab ea ſolutione onerum, quibus Religioſus erat obſtrictus, ſed tranſeunt bona cum tota illa obligatione, Sanchez *lib.* 7. *in decalog. cap.* 31. *num.* 2. Lugo Card. *tom.* 1. *de juſt. diſp.* 3. *ſect.* 10. *num.* 215. Lezana *tom.* 1. *cap.* 24. *n.* 38.

PVNCTVM VII.

De Teſtamentis & renuntiationibus, vel donationibus quæ à Novitiis poſſunt fieri.

Quid agendum ſit in hoc puncto.

93. DVPLICITER poteſt Novitius de ſuis bonis ante profeſſionem diſponere, vel per teſtamentum & donationem cauſa mortis, vel per renuntiationem aut donationem liberalem: inter quæ quia magnum eſt diſcrimen diverſis illa paragraphis explicabimus, & in quatuor hoc punctum dividemus. In primo agemus de teſtamentis. In ſecundo de ſolemnitate, pro renuntiationibus, aut donationibus à Novitiis faciendis, quæ à Tridentino præſcribitur. In tertio aliquas difficultates circa renuntiationem faciendam juxta formam Tridentini enodabimus. In quarto quid de beneficiis antea obtentis ſentiendum ſit declarabimus; quando vacent? & qua ſolemnitate illorum renuntiatio debeat fieri?

§. I.

De Teſtamentis Novitiorum & ſolemnitate pro illis requiſita.

Novitij in faciendis teſtamentis non debent leges civiles obſervare ſecundum aliquos.

94. POſſe Novitium ante profeſſionem teſtamentum facere, quo de ſuis bonis diſponat, quodque profeſſione ſequuta, quæ mors eſt quædam civilis, confirmetur, omnibus eſt notum. Sed prima in præſenti difficultas eſt: an debeat obſervare in conditione teſtamenti omnes conditiones & ſolemnitates iure civili vel Canonico ad illud requiſitas? Sanchez *lib.* 7. *ſumm. cap.* 3. *num.* 16. refert 16. auctores aſſerentes Novitium poſſe teſtamentum conficere abſque ſolemnitate juris. Qui fundatur tum in authentica *de Monach.* §. *illud*: ubi conceditur Novitiis quod poſſint teſtari, & cum hoc ex ſe jam habeant, cum ſint ſui juris, & domini ſuorum bonorum, ne inutilis & fruſtanea eſſet talis conceſſio, dicendum eſt indulgere illis, ut poſſint abſque ſolemnitate juris teſtamentum facere. Tum etiam, quia non ſunt deterioris conditionis milites Chriſti, quam mundi; ſed militibus Principum conceditur teſtamentum facere poſſe abſque ſolemnitate juris, dum ſunt in expeditione, ut conſtat ex à nobis dictis *tom.* 3. *tract.* 14. *de contractibus, cap.* 5. *num.* 22. & ex toto titulo *ff. de militum teſtament.* ergo etiam milites Chriſti, quales ſunt Novitij, id ipſum poterunt obſervare.

Non valet teſtamentū à Novitiis factum abſque ſolemnitate iuris Civilis.

95. Sed dicendum eſt invalidum eſſe teſtamentum à Novitiis confectum, ſi abſque ſolemnitate juris fiat. Primò quia à jure communi abſque magno fundamento recedendum non eſt, quod in caſu præſenti non datur: nam illa authentica non concedit privilegium teſtandi Novitiis; ſed ſolum declarat Novitios, ſolum dum ſunt tales, poſſe teſtari, non verò ſi fiant profeſſi. Nec ex privilegio militibus conceſſo infertur conceſſum eſſe Novitiis, cum de uno caſu ad alium, non debeat conceſſio extendi, ubi diſpar ratio militat, ſicut in præſenti militare manifeſtè conſtat. Secundò quia ad ſummum Novitij ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ; ſed iſtæ tenentur obſervare leges civiles, quæ ad bonum commune ordinantur, & non derogant ſuæ immunitati, ut diximus *tom.* 2. *tract.* 8. *de Ordine, cap.* 7. *num.* 15. & agendo de teſtamentis, diximus ex communi ſententia Eccleſiaſticos in ſuis, debere obſervare ſolemnitates jure Civili, vel municipali aſſignatas, *tom.* 3. *tract.* 14. *de contract. cap.* 5. *num.* 5. ergo idipſum dicendum eſt de Novitiis. Atque ita tenent Sanchez *loco cit. num.* 18. Rodrig. *in ſumm. tom.* 2. *cap.* 7. *num.* 9. Garcia *tract.* 2. *diſſ* 6. *dub.* 2. *num.* 5. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 1. *punct.* 14. *num.* 2. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 7. *n.* 30. An verò valeat, ſaltem in foro conſcientiæ tale teſtamentum abſque ſolemnitate debita factum? Vide ibidem dicta *cap.* 1. *num.* 16.

Non debet Novitius in conditione teſtamenti obſervare ſolemnitatē quam ſtatuit Trid. pro renuntiationibus.

96. Secunda difficultas eſt: an Novitius in conditione ſui teſtamenti debeat obſervare ſolemnitatem, quam Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. pro renuntiationibus illorum aſſignat? Nimirum quod fiat bimeſtri ante profeſſionem & cum licentia Epiſcopi? Reſpondetur, quod ſive teſtamentum fiat poſt ingreſſum, vel ante, & intuitu illius, validum eſt, quocumque tempore fiat ante profeſſionem abſque tali ſolemnitate (& idem eſt dicendum de donationibus cauſa mortis) & ratio eſt: quia Concilium eas renuntiationes, aut donationes fieri prohibuit abſque illa ſolemnitate, quæ non poſſunt revocati, ne ob id cogatur Novitius profiteri, vel difficilis reddatur egreſſus; ſed teſtamentum ſemper revocari poteſt: ergo illud quolibet tempore Novitiatus, poteſt conficere. Imò ante Novitiatus ingreſſum, & abſque licentia Epiſcopi Rodrig. *tom.* 2. *quæſt. regul. quæſt.* 47. *art.* 10. & *tom.* 3. *quæſt.* 16. *art.* 11. Lezana *tom.* 1. *c.* 24. *num.* 35. Sanchez *lib.* 7. *ſumm. cap.* 5. *num.* 13. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 34. & *cap.* 9. *num.* 12. & 48. Palaus *tract.* 16. *diſput.* 1. *punct.* 14. *num.* 2. & *punct.* 15. *num* 6. Garcia *tract.* 2. *diſput.* 6. *dub.* 2. *numero* 2. Antonio à Spiritu Sancto *tract.* 3 *diſp.* 2. *n.* 177.

Non rumpitur teſtamentum antea factum per ingreſſum aut profeſſionē Novitij.

97. Tertia difficultas eſt: an teſtamentum ante ingreſſum à Novitio confectum annulletur & rumpatur per ingreſſum, ſi nihil in eo Monaſterio relinquit: maximè ſi cum illud fecit, nihil de ingreſſu cogitavit? Pro parte affirmativa refert Thom. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 3. *numero* 28. viginti tres authores. Quod etiam tenet Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.* 16. *art.* 2 & *quæſt.* 69. *art.* 11. Miranda *tom.* 1 *quæſt.* 23. *art.* 8. Et probant primo, quia Monaſterium loco filij ſuccedit; ſed teſtamentum ante filios habitos, rumpitur eis venientibus: ergo &c. Vnde, ſi prætereatur, vel legitima portione privetur non valet teſtamentum. Secundò, quia ſi quis antequam haberet animum ingrediendi fecit, teſtamentum, per voluntatem ingrediendi, cenſetur priorem voluntatem retractare, & Monaſterium hæredem relinquere, cum in eo vitam finire deſideret. § Sed non infirmari præcedens teſtamentum adhuc abſque animo ingreſſus factum, etiam

etiam ſi nihil in eo relinquatur Monaſterio, verior tenet ſententia. Siquidem non præſumitur voluntas revocandi teſtamentum prius factum, per hoc quod velit ingredi Religionem: ideo enim ob talem animum, talis voluntas præſumeretur, quia ſe, & ſua vult tradere Religioni; ſed hoc ſolum habere poſſet locum de ſuis rebus, de quibus jam non diſpoſuerat. Quare ſicut poſſet in Novitiatu teſtamentum condere, nihil relinquendo Religioni, etiam ſi ſe & ſua illi tradat: quia hoc verè ſolum de bonis in poſterum habendis intelligitur, ita confectum jam, conſervare, nil relinquendo Monaſterio. Nec eſt verum loco filij ſuccedere, niſi in caſibus in jure expreſſis, quorum non eſt hujuſmodi. Tamburin. quem refert, & ſequitur Garcia. *tract. 2. diffic. 6. dub. 1. num. 3.* Sanch. *ſupra n. 34.* Molin. *tom. 1. diſput. 139. dub. ult.* Barboſa *cap. ſi qua mulier 19. quæſt. 3. n. 12.* Palaus *diſput. 1. punct. 14. num. 4.*

Si Novitius ſine teſtamento & renuntiatione decedat, non ſuccedit Monaſterium, ſed hæres ab inteſtato.

98. Quarta difficultas eſt: quis ſuccedat, Novitio decedente ab inteſtato, nulla facta renuntiatione, vel teſtamento? Succedere Monaſterium capax ſucceſſionis, non hæredes, ab inteſtato tenent 22. authores, quos refert Sanchez *lib. 7. ſumm. cap. 3. num. 91.* quia eo ipſo quod elegit Religionem vero animo perſeverandi, cenſetur conſequenter eligere Monaſterium ut ſuum futurum hæredem; & quamdiu non conſtat de contraria voluntate, cenſetur excludere hæredes ab inteſtato. Sed oppoſitum tenendum eſt: quia non cenſetur bona ſua relinquere Monaſterio niſi cum actu profitetur, cum uſque ad illud tempus, non cenſeatur Religioſus; ergo ſi ante profeſſionem decedat, devolvitur hæreditas ad hæredes ab inteſtato, Sanch. *ſupra n. 92.* Azor. *p. 1. lib. 1. cap. 3. q. 3.* Sylveſter. *religio. 5. quæſt. 12.* Navarr. *comment. 2. de regular. num. 49.* Pellizzar. *tract. 2. cap. 9. n. 32.* Rebellus *de oblig. juſt. part. 2. lib. 5. quæſt. 8. ſect. 5. n. 52.*

Poteſt Novitius ſibi reſervare reſignationẽ perſonarum quibus renuntiatarius debeat quotannis aliquam ſummam tribuere.

99. Vltima difficultas eſt: an poſſit Novitius in ſuo teſtamento vel renuntiatione, factis in ſubſidium aliquarum perſonarum, verbi gratia ad dotandas Virgines, ad viduas ſublevandas &c. reſervare ſibi electionem illarum perſonarum quibus ſuus hæres, vel renunciatarius debeat quotannis ſolvere certam ſummam? Reſpondetur affirmativè, ſi id de ſuorum Superiorum licentia faciat: quia in hoc nullum dominium exercet, nec datur jus in contrarium obſtans. Sic Bartholomæus à Vecchis *in praxi Novitior. diſput. 18. dub. 13. num. 2.* Diana *3. parte tract. 2. reſol. 74.* Poteſt etiam poſt profeſſionem, teſtamentum, vel renuntiationem à ſe factam ante profeſſionem declarare, ut diximus *tom. 3. tractatu 12. capite 2.* dummodo tale teſtamentum dubiæ, vel obſcuræ voluntatis interpretationi indigeat, & ipſe declarationem verbis convenientem proferat: quia tunc nil diſponit, ſed quid actum ſit jam ab ipſo oſtendit. Vecchis *dub. 12. num. 2.* Sanch. *lib. 7. ſumm. cap. 11. n. 16.* *Reginald. tom. 2. lib. 18. cap. 27. num. 397.* Peyrin. *tom. 2. q. 3. cap. 1. §. 8. num. 209.* ¶ Plura quæ circa teſtamenta Novitiorum, vel aliorum Religioſorum, & circa ſucceſſionem Monaſteriorum, vel legata ab ipſis Novitiis, vel ab aliis, Monaſteriis relicta, hic tractari poterunt, jam prælibata ſunt a nobis *tom. 3. tract. 12. cap. 2. punct. 12. §. 1. & 2.*

§. II.

De ſolemnitate à Tridentino requiſita pro renuntiationibus à Novitiis faciendis.

Solemnitas pro renuntiationibus à Novitiis faciendis à Tridentino aſſignata.

100. NOmine renuntiationis intelligimus illam ceſſionem omnium bonorum temporalium factam in favorem tertii, non revocabiliter, ut in teſtamentis contingit, ſed irrevocabiliter omninò, ita ut eam revocare amplius non poſſit. Ad hanc renuntiationem faciendam nemo tenetur, (niſi ſpeciale aliquod inſtitutum id efflagitet) quia nec jus aliquod datur, nec ratio aliqua ad hoc convincens. Quamvis Parentes & conſanguinei in ea procuranda ſint valde ſoliciti, ne Religio ſuccedat in portionem hæreditatis Novitio debitam, ut de facto ſuccedet poſt profeſſionem, ſi capax fuerit ſucceſſionis, ut diximus *tom. 3. tract. 12. capite 2. punct. 12. §. 1.* Cæterum, quando fit, ſub hac forma debet fieri à Tridentino aſſignata *ſeſſ. 25. cap. 16. de regular.* ibi: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcumque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii, fiat, intra duos menſes proximos ante profeſſionem: ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione; aliter verò facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſa renuntiatione, etiam jurata, ſit irrita, & nullius effectus.* Quod decretum omnes donationes liberas inter vivos, omneſque contractus lucrativos comprehendit; omnem renuntiationem quorumcumque bonorum temporalium, officiorum, dignitatum &c. & etiam renuntiationes factas à majoribus 16. annis, quia illius finis eſt, ut conſulatur libertati Novitij egredi volentis, ne ea occaſione diſcedere nequeat, quod totum, vel majorem partem ſubſtantiæ donaverit, nec de facili eam recuperare poſſit, quæ ratio, etiam in majoribus 16. annis militat, & ideo iſtos in tali decreto contineri, contra nonnullos oppoſitum tenentes, aſſerunt Palaus *tract. 16. diſput. 1. punct. 17. num. 5.* Ant. à Spiritu Sancto *tractatu 3. diſputatione 2. numero 158.* Sanchez *libro 7. ſum. cap. 5.* Pellizzar. *tract. 2. cap. 9. num. 7.* Barboſa *3. p. de poteſt. Epiſcopi allegat. 99. n. 18.* Rodriguez *quæſt. reg. tom. 2. q. 47. art. 13.*

Renuntiationes faciendæ ab his qui nondum habitũ ſuſcepere, ſed ſunt in proximo recepturi, cõprehendi ſub decreto Concilij aliqui dicunt.

101. An verò ſub hoc decreto contineantur renuntiationes faciendæ ab his qui nondum ſunt ingreſſi, ſunt tamen in proximo ut ingrediantur, & intuitu talis ingreſſus fiunt, ita ut ſint nullæ ſi fiant abſque dicta ſolemnitate? Non modica eſt difficultas inter Authores. Duplex utrimque probabilis ſententia datur. Prima aſſerit renuntiationes factas ab his qui ingredi volunt abſque dicta ſolemnitate, eſſe nullas. Et probatur primò. Quia textus loquitur de qualibet renuntiatione facta ante profeſſionem: hæc eſt renuntiatio ante profeſſionem facta: ergo &c. Eſto tamen de jam ingreſſis loqueretur, idem dicendum erit de paratis: quia in brevi accingendus habetur pro accincto, *l. penult. ff. de milit. teſt.* Secundò: quia legis diſpoſitio de uno caſu ad alium debet extendi, quando eſt eadem ratio, *leg. illud ff. ad legem Aquil. l. à Titio ff. de verbor. oblig.* ¶ Concilium annullat renuntiationem, & donationem à Novitio factam abſque illa

renuntiatio fiat, ſed quæ juxta Tridentinum fieri poterat: quia ſic ſalvatur mens Coocilii, ne nimirum Novitij fervore vocationis ducti, de facili bonis cæderent. Barb. 3. *p. de poteſt. Epiſc. allegat. 99. numero* 11. qui etiam in declaratione Coocilij refert de hoc, Congregationis Cardinalium declarationem. Vecchis *diſp. 8. dub. 9. num. 5.* Pellixzar. *tract. 2. cap. 9. num. 42.* Peyrin. *tom. 2. quæſt. 3. capite 1. numero* 214. à S. Fauſto *lib. 5. quæſt. 193. num. 3.* Villalob. *tract. 33. diffic. 17. num. 3.* Palaus *diſp. 1. punct. 17. num. 9.* Garcia *tract. 2. diffic. 6. dub. 6. num. 6.* Sanchez *libro 7. ſumm. cap. 5. numero* 81. & 82. ¶ Imò credimus, quod ſi aliquis ex diſpenſatione Pontificis, non expleto anno Novitiatus profiteretur (ut de facto fit in his qui cum periculo mortis profitentur, ut diximus *num. 31.*) non eſt neceſſarium quod differat talem renuntiationem uſque ad diem profeſſionis (ut dixerunt Sanchez & Barboſa) ſed in quolibet die bimeſtri ultimi ante profeſſionem poteſt illam facere: quia conſilium, ſolum hoc petit. Pellizxar. Garcia, Peyrin. Palaus, *locis citatis.*

Bimeſtre ante profeſſionem debet à momento computari.

105. An verò debeat tale bimeſtre eſſe completum, ita ut ſi fiat duobus vel tribus diebus ante duos menſes præcedentes profeſſioni, valida ſit renuntiatio? Probabile eſt ſecundum aliquos, dari in hac parte paruitatem materiæ, & quod tale bimeſtre non mathematico modo, ſed morali, menſurandum eſt; communior tamen ſententia tenet de momento ad momentum eſſe menſurandum. Sicut ſupra *numero decimo quinto*, diximus de anno Novitiatus: & de ætate ad profeſſionem à Concilio petita omnes aſſerunt: idem ergo dicendum eſt in præſenti. Nam Concilium eodem modo petit 16. annum pro profeſſione, & unum Novitiatus ante illam, ac petit quod non fiat renuntiatio. niſi duobus menſibus ante profeſſionem, & quia ſummus in materia expoſita foro externo, ad auferenda litigia, hæc ſententia tenenda eſt, quam docent Vecchius *diſput. 8. dub. 9. numero quinto*, Lezan. *tom. 4. verbo Novitius, numero* 29. Tambur. *tom. 3. diſputat. 6. quæſtione* 10. *numero quarto*, à S. Fauſto *libro quinto, quæſt.* 193. Sanchex *de matrim. libro 2. diſput. 42. numero* 15. Garcia *tract. 2. diſp. 6. dub. 6. num.* 21.

Renuntiatio facta juxta formam Trid. vim non habet ante profeſſ.

107. Rogabis tertiò à quo tempore renuntiatio facta juxta Tridentinum, incipiat habere vim? Reſpondetur, quod ut conſtat ex verbis Concilij ſupra adductis talis renuntiatio vim non habet, niſi à tempore profeſſionis: quia Concilium intendit conſulere libertati renuntiantis, ut quacumque ex cauſa non profiteatur, cum libera maneat facultate diſponendi de illis bonis, quibus jam renuntiaverat. An verò renuntiatio facta cum dicta ſolemnitate in favorem Monaſterij, aut alterius, valeat ſi moriatur Novitius ante profeſſionem? Negant aliqui ſatis probabiliter. Tum: quia jam de facto non fuit ſequuta profeſſio, quæ eſt conditio ad valorem illius requiſita juxta Trident. Tum etiam quia moriens in Novitiatu, in eo ſtatu perſeverare præſumitur; ſed renuntiatio illa fit ex ſuppoſitione perſeverantiæ in ſtatu Religioſo, quod fit per profeſſionem. Sic Pellizxar. *tract. 2. capite 9. numero* 47. Villalob. *diffic. 17. numero* 8. Vecchius *diſputatione 8. dub. 8.* Garcia *dub. 6. numero octavo*, Rodrig. *tom. 2. quæſtione reg. quæſtione 8. articulo 2.* & probabile dicit Sanchez *libro ſeptimo, decalog. capite quinto, numero* 49. Palaus *diſputatione 1. punct. 16. numero ſecundo*. Sed meritò ij duo ultimi oppoſitum dicunt probabilius: quia illa renuntiatio ſolum continet conditionem, ſi in Religione renuntians perſeveraverit, & ſatis perſeverat in ea, ſi in illa moritur, cum ab ea non poſſit recedere. Et ſic finis diſpoſitionis Concilij totaliter ceſſabit, cum jam non impediatur liber receſſus. Vnde per mortem tacitè renuntiationem factam confirmat, Lezana. *tom. 1. capite vigeſimo quarto, numero trigeſimo ſexto*, Suar. *de relig. tom. 3. libro quinto, capite decimo ſexto, numero undecimo*, Fr. Antonius à Spiritu Sancto *tractatu 3. diſputatione 2. numero* 188. ¶ Hinc fit, poſt factam renuntiationem juxta formam Tridentini bona tradi non poſſe renuntiatario, ante profeſſionem, vel mortem Novitij (quamvis oppoſitum teneat Palaus *punct. 17. numero decimo quinto*, quem ſequi videtur Pellixxar. *tractatu 2. capite 9. numero 60.*) quia Concilium dicit talem renuntiationem nullam vim habere ante profeſſionem: ergo tradi non debent bona renuntiatario; alias hac occaſione, diſcedere Novitius de facili non poteſt, cum ſi diſcedat non ſit ipſi facilè recuperare illa, quæ jam ſunt Monaſterio verbi gratia incorporata. Sanchex *num.* 53.

Vt renuntiatio facta juxta formam Trid. ſit valida, debet profeſſio ſubſequuta eſſe valida.

108. Rogabis quartò: an ut ſit firma & valida talis renuntiatio requiratur quod profeſſio ſequuta ſit valida? Reſpondetur affirmativè: quia Concilium petit ad valorem renuntiationis, quod profeſſio ſequatur, profeſſio autem nulla, verè non eſt profeſſio: quia idem eſt actum eſſe nullum, ac non fieri. Vnde ſicut poteſt qui ſic profeſſus eſt, liberè exire, ita poſt exitum à renuntiatario bona recuperare. Lezana, *numero* 36. Garcia *numero* 4. Villalob. *parte 2. diſputatione 35. diffin. 17. numero* 7. Sanchex *numero* 55. Pellizxar. *numero* 49. Antonius à Spiritu Sancto, *tract. 3. diſputatione 2. numero* 165. Qui advertunt, quod in ſuo priſtino valore confirmabitur quoties ratificetur per validam profeſſionem, ſivè expreſſam, ſivè tacitam; ſive fiat ante quinquennium conceſſum ad reclamandum, ſive poſt. Niſi talis profeſſio nulla fuerit à principio, ob defectum ætatis: quia tunc non convaleſcit poſtea per legitimam profeſſionem, niſi de novo fiat: quia ipſa renuntiatio fuit nulla, eo quod non fuerit facta cum legitima ætate (pro legitima namque ætate illius exigit Concilium 15. annum cum decem menſibus, cum petat fieri bimeſtre ante profeſſionem, quæ ſecundum ipſum fieri non poteſt niſi 16. anno expleto); & non reviviſcit tractu temporis quod ab initio fuit nullum. Sic præcitati Authores.

§. III.

Aliqua difficultates circa renuntiationem prædictam enodantur.

Non tenetur Novitius in favorem piæ cauſæ bona renuntiare.

109. CErtum eſt, non teneri Novitium de rigore juris renuntiare, vel in favorem Monaſterij, aut aliorum pauperum, vel piorum operum, ſed poſſe, etiam inconſulto Superiore, & ſine ejus licentia, cui maluerit: ſua bona

Sed id facere erit laudabile.

bona relinquere: quia pro toto tempore probationis retinet dominium & poſſeſſionẽ illorum, eorumque uſum, nullo vinculo habet ligatum, nec ullo jure adſtringitur huic magis quam illi ſua bona relinquere. De conſilio autem laudabilius erit ut in favorem pauperum, vel aliarum piarum cauſarum bonis cedat, non conſanguineorum, niſi pauperes ſint, nam ſic verificatur omnia reliquiſſe, pauperibuſque dediſſe, ad ſequendum Chriſtum. Sic Suar. *tom.* 4. *tr.* 10. *lib.* 4. *cap.* 5. Vbi monet, quod licet Monaſterium nullum jus habeat in bona Novitij, non excluditur quod ei totum, vel partem relinquere poſſit, & aliquando debeat ex lege Charitatis, qua plus diligere debet ſpiritualiter ſibi conjunctos, quam extraneos: & cum inter Novitium & Religionem ſpiritualis conjunctio detur, ex Charitate aliquando debebit ei indigenti per prius ſuccurrere, quam aliis, & poterit Superior talem indigentiam declarare Novitio, eumque hortari ad faciendum aliquod ſubſidium, dummodo id faciat cum debita moderatione ac prudentia: quia hoc per ſe bonum eſt, & laudabile. Rodrig. *queſt. reg. tom.* 3. *quaſt.* 7. *art.* 11. Portel. *verbo Novitius*, *num.* 44. Garcia *tract.* 2. *diſp.* 6. *dub* 2. *num.* 6. Sanch. *lib.* 7. *ſumm. cap.* 3. *num.* 15. Sed hoc abſque ulla coactione, metuſve incuſſione quod vel non admittetur ad profeſſionem, vel quod profeſſus minus benè & honorificè tractabitur, ac alii: quia alias non relinqueretur ei debita libertas ad diſponendum de ſuis bonis, & ſic aliqualis fieret injuſtitia, quæ in hac materia non parum ad Simoniam accedit.

Renuntiatio ſemel facta juxta Trid. revocari non poteſt, niſi aliquibus caſibus.

110. Sed prima difficultas eſt in præſenti: an ſi Novitius velit profiteri, poſſet revocare donationem, vel renuntiationem ſemel factam juxta formam Tridentini, vel in favorem Monaſterij, vel aliorum? Et quidem ſi talis donatio fuerit cauſa mortis, vel per viam teſtamenti, certum eſt poſſe revocari ante profeſſionem, cum teſtamentum ſemper revocari poſſit ante mortem teſtatoris, & idem eſt de donatione cauſa mortis. Si verò donatio, aut renuntiatio fuerit inter vivos; & ipſe exire velit è Monaſterio, manent ipſo facto nullæ; ſi tamen velit profiteri, eas ante profeſſionem nequit revocare, vel per teſtamentum, vel aliam donationem, vel renuntiationem etiam ſi fiat in favorem Monaſterij vel aliarum piarum cauſarum. Tum, quia donatio facta ſub conditione revocari nequit, ipſa pendente conditione: tum etiam, quia ideo Concilium ſtatuit tempus & circumſtantias ſub quibus talis renunciatio fieri debet: quia eſt omnino irrevocabilis, ſi enim irrevocabilis eſſet, quocumque tempore fieri poſſet, ſicut de teſtamentis diximus *n.* 96. & ita tenent communiter DD. quos ſuperfluum erit recenſere. ¶ Sed revocari poteſt. Primò per confectionem teſtamenti, inſtante morte, quod habeat effectum, caſu quo Novitius moriatur ante profeſſionem: quia ſic valor Prioris renuntiationis ceſſat, cum impleta non ſit conditio ſub qua fuit facta, nimirum quod profeſſio ſequatur: proindeque poteſt de ſuis diſponere, ac ſi non eſſet facta talis renontiatio. Sanch. *lib.* 7. *ſum. cap.* 5. *n.* 50. Pellizz. *tract.* 2. *cap.* 9. *n.* 48. & 52. Rodrig. *tom.* 2. *queſt. Reg.* 47. *art.* 12. Garcia *tom.* 2. *diſſ.* 6. *dub.* 6. *n.* 17. à S. Fauſto *lib.* 5. *quaſt.* 186. *num.* 3. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 10. ¶ Secundò revocari poteſt ratione ingratitudinis renuntiatarij in omnibus caſibus, in quibus diximus, *tract.* 14. *de contractibus*, *capite* 4. *punct.* 5. § 4. donationes ob ingratitudinem donatarij poſſe revocari dummodo donatio, vel renuntiatio facta non ſit in favorem Monaſterij, quia tunc ob ingratitudinem Prælati, vel Capituli nequit revocari, ſiquidem cenſetur facta Deo. Pellizzar. *n.* 61. Laym. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 17.

Omnis renuntiatio bonorum, dignitatum, officiorum, & omnis liberalis donatio debet fieri juxta formam Trident.

111. Secunda difficultas eſt: qui contractus ſub decreto Concilij contineantur? Qui proinde ſine ſolemnitate petita ab ipſo, fieri validè non poſſint? Reſpondetur, quod contractus revocabiles ad nutum, ut eſt teſtamentum & donatio cauſa mortis, in illo decreto non continentur, ut diximus; ſed omnis renuntiatio dignitatum, officiorum, & bonorum, & omnis donatio liberalis inter vivos: quia licet non ſit propriè renuntiatio, eſt quædam ſpecies illius, & quæ patrimonium minuit, ut omnes tenent. Sèd intelligitur de donationibus magni momenti, quæ minuunt notabiliter patrimonium, non vero de illis, quæ in ingreſſu ſolent fieri ad habitum, veſtitum, lectum &c. Vel etiam propinæ, convivia, & alia pro ſolemnitate fieri ſolita: quia omnia hæc, nomine victus & veſtitus quos excipit Concilium, veniunt, ut ſupra *numero quarto*, diximus, & tenent Azor. *tom.* 1. *libro* 13. *capite* 9. *quaſt.* 2. Garcia *tom.* 2. *diffic.* 6. *dub.* 6. *numero* 9. Lezan. *tom.* 1. *capite* 24. *num.* 35. Palaus *diſp.* 1 *punct.* 7. *n.* 7. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 10. Suar. *tom.* 3 *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 11.

Aliquam gratioſam eleemoſynam poteſt Novitius facere, non ſervata forma Trid.

112. Sed ultra hæc poteſt Novitius aliquam facere donationem gratioſam Monaſterio, vel aliis, quæ conſiderata qualitate perſonæ & bonorum non minuat patrimonim notabiliter, & etiam aliquam eleemoſynam gratioſam, exiguam tamen, facere poteſt Monaſterio, ſicut poteſt aliis extraneis: quia hæc non comprehenduntur ſub dicto decreto, utpotè quæ non minuunt notabiliter patrimonium, nec liberum egreſſum impediunt; nec eſt credibile velle Concilium opera pietatis congrua impedire. Vnde ſicut poteſt Novitius aliis eleemoſynam facere ſecundum qualitatem perſonæ, & bonorum, ſic Monaſterio, quod non ob id eſt deterioris rationis. Garcia *dub* 5. *numero ſecundo*, & *dub.* 6. *numero* 2. Lezan. *numero* 35. Sanchez *numero* 22. Suarez *numero* 11. Palaus *numero* 7. Vecchis *diſt.* 8. *dub.* 7. *numero* 11. Peyrin. *de R.P. quaſt.* 3. *capite primo*, *numero* 210. Rodrig. *tom.* 2. *ſumm. capite* 7. *numero* 2. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſput.* 2. *numero* 210. ¶ Nec etiam comprehenduntur ſub dicto decreto contractus omnes oneroſi, emptionis, locationis, conductionis, in quibus tantum recipitur, quantum datur, & moraliter nihil perditur. Sic Authores citati. Idem etiam tenent de contractu ludi & Societatis, qui ſunt utrinque lucrativi; ſed non de fidejuſſione, etiam pretio accepto facta, quia ſemper Ordinatur ad aſſecurandam majorem quantitatem, adeſtque paupertatis & jacturæ periculum, & ſic comprehenſa eſt ſub dicto decreto. Idem etiam docent omnes de mutuo, non præſtita a Monaſterio, vel aliis ſufficienti cautione pignoratitia, vel fidejuſſoria: quia moraliter eſt difficilis recuperatu quod ſemel eſt Monaſterio incorporatum, vel ab eo conſumptum. ¶ Declaratum etiam eſſe à Congregatione Cardinalium, teſtatur Hieron. Garcia *ſupra num.* 2. comprehendi ſub decreto Concilij depoſitum, quod apud

Monaſte

Monaſterium à Novitio vel Novitia conſtituitur ad detrahendam inde dotem, alimenta, vel ad eleemoſynas, vel alias neceſſitates, vel, ut poſt profeſſionem tradatur Monaſterio, vel cui voluerit Novitius.

Mutuum dare non poteſt Novitius, niſi juxta formã Trid. etiam præſtita cautione.

113. Quare, difficultas eſt de mutuo facto Monaſterio, vel aliis, præſtita à mutuariis ſufficienti cautione, an tale mutuum comprehendatur ſub decreto Concilii? Duplex datur ſententia, & utramque probabilem judicamus, quarum judicium Lectoribus relinquimus. Prima eſt negativa: quia non eſt vera pecuniæ renunciatio, nec donatio; ſed quædam conceſſio illius temporalis, ex qua nullum damnum Novitio provenit, nec ulla difficultas recuperationis adhibita ſufficienti cautione. Sic graves DD. Academiæ Salmanticenſis affirmaſſe teſtatur Rodriguez *tom.* 2. *Summ. cap.* 7. *num. ult. & tom.*2. *qq Regul. quæſt.*48.*art.*5. tenentque Lezana *tom.*1. *cap.*24. *num.* 35. Mirand. *tom.*2. *quæſt.*8. *art.*9. Pellizzar. *tract.*2. *cap.*8. *num.* 31. Laym. *lib.*3.*ſect.*5.*tract.*5. *cap.*7. *num* 5. Anton. à Spiritu ſancto *tract,* 3. *diſ.*2. *num.*187. ¶ Secunda eſt affirmativa: quia regulariter in mutui recuperatione adſunt difficultates, eſto in hoc, vel illo caſu non dentur, quod ſufficit, ut à Concilio generaliter, niſi ſub forma ab eo aſſignata prohibeatur. Tum etiam: quia Concilium prohibet omnem renunciationem, vel donationem irrevocabilem, talis eſt mutuum, quæ donatio quædam eſt (quamvis cum onere ſolutionis) transferens dominium, & pro limitato tempore irrevocabilis, ſiquidem uſque ad præfixum non poteſt repeti, ſic Peyrio. *de R.S. quæſt.*1.*cap.*19. Garcia *tract.*2. *diff.*6. *dub.*5. *num.*5. Diana 3.*p.tract.*2.*reſol.*100. Sanch. *lib.*7. *Summ. cap* 3. *num* 24. Palaus *diſp.*1. *punct.*17.*n.*8. Suar. *tom.*3.*de relig lib.*5.*cap.*9. *num.*16. quamvis *tom.*8. *tract.*9.*lib.*1.*cap.*11.*num.*4. oppoſitæ magis adhæreat.

Bonis Patris nondum obtentis, renunciare non poteſt Novitius in favorem determinatæ perſonæ.

114. Tertia difficultas eſt: an poſſit validè renuntiari hæreditas nondum obtenta, ſed ſperata, Patris, aut alterius, ipſo vivente, & non conſentiente? Reſpondetur quod ſi fiat in favorem perſonæ determinatæ fieri valide non poteſt: quia ſic prohibetur *cap. final. de pactis,* ut diximus *tom.* 3. *tract.*14 *de contract.* ne detur occaſio captandæ mortis alterius, ut adeat hæreditatem; ſed quia hæc ratio ceſſat quando in favorem Monaſterii, Communitatis, aut cauſæ piæ, fit renonciatio, de quibus non præſumitur talis machinatio mortis, maximè quia Beneficium communitati factum, non cenſetur ſingulis fieri ut habetur *cap. conſultationibus, de donationibus*, validè & licitè fieri poſſe docent Sanch. *lib.*7. *Summ. cap.*2. *num.*54. Pellizzar. *tract* 2. *cap.*9. *num* 26 Palaus *tract.*16. *diſp.*1. *punct.*15. *num.*4. Garcia *tract.*1.*diff.*6.*dub.*6. *num.* 8. Et idem dicendum eſt de hæreditate quocumque modo obventura, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato indeterminatæ perſonæ. Quod talis fieri poteſt etiam in favorem perſonæ determinatæ: quia in tali caſu dici nequit, alicui periculum eſſe mortis captandæ, cum ex forma renunciationis nulla perſona determinetur, cui inſtitutus inſidiari poſſit. Sic præcitati cum Molina *tom.*3.*diſp.*379.*num.*58.

Poteſt Novitius diſponere de bonis acquirendis poſt profeſſionem, jure ſanguinis ſibi competentibus.

115. Sed notandum eſt, quod licet Novitius ſolum poſſit diſponere de bonis acquiſitis antè profeſſionem, ea namque quæ poſt profeſſionem ipſi adveniunt, non ipſi, ſed Religioni acquiruntur; at ſi Novitius ſuccedat alicui ab inteſtato, jure ſanguinis, de hoc diſponere poteſt: nam in tali caſu, ea bona cenſentur acquiſita ante profeſſionem: nam jus ſanguinis, quod naturale eſt, eſt cauſa talis acquiſitionis, quod illi Religioſi non competit tanquam Religioſo, ſed competit ante profeſſionem tanquam cognato. Vnde fit, non requiri conſenſum Monaſterii ad talem renunciationem faciendam in favorem tertii: quia ipſe ſolum juri ſanguinis cedit, quod habebat tunc, quando ſui juris erat, quo translato nullum jus Monaſterium habet, & ſic non requiritur conſenſus illius. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.*9. *num.*30. Sanch. *lib.*7.*Summ. cap.*6.*num.*2. Palaus *tract.*16. *diſp.*1. *punct.*15.*num.*16. Garcia *tractat.*2. *diff.*6. *dub.*6. *num.*9. Ant. à Spir. Sancto *tract.* 3.*diſp.*2. *num.* 170. Laym. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tractat.* 3. *cap.*3. *num.*9.

In renunciationibus, vel donationibus ſuis non debet ſervare Novitius leges civiles.

116. Quarta difficultas eſt: an donationes, vel renunciationes à Novitiis factæ juxta formam Tridentini, ſint invalidæ, ſi fiant abſque ſolemnitate juris poſitivi, nimirum quod fiant cum inſinuatione, in caſibus, in quibus requiritur juxta dicta *tract.* 14. *de contract.cap.*4. *num.*94. quod fiant cum licentia tutoris, vel curatoris, authoritate judicis, & ex beneplacito Parentis, quando ſunt ſub illius poteſtate? Reſpondetur negativè. Primò: quia *in cap. de his, de ſepulturis* loquendo de volentibus tranſire ad Religionem, dicitur: *Liberum eſt eis tunc bona ſua, non ſolum Religioſis, ſed etiam quibuſvis privatis conferre perſonis.* Vbi *liberum* intelligendum eſt abſque alicujus authoritate, licentia, diſpenſatione, aut juris impedimento, alias nihil concederetur eis: quia cum his conditionibus, etiamſi de ingreſſu Religionis non cogitarent, renuntiare poſſent. Et *in authentica de Monachis,* §.*illud quoque* conceditur volentibus ingredi Religionem, quo voluerint modo uti bonis ſuis, qui modus conceſſionis legum ſolemnitatem auferre cenſetur, ut conſtat *ex l.*1. *ff. de milit. teſtam. l.* 1. *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* ¶ Secundo, quia cum talis renunciatio, vim non habeat niſi ſequuta profeſſione, qua mortuus mundo renuntians reputatur, & tales ſolemnitates introductæ ſint, ne renuntians paupertatem ſubeat, ſe indebitè ſuis bonis ſpolians, non extenduntur ad illas renunciationes, quæ fiunt intuitu profeſſionis, qua amplectitur Religioſam & perpetuam paupertatem. Et ita tenet Religionum praxis & conſuetudo faciendi dictas renunciationes vel donationes ſervata forma Tridentini, ſed non ſervata aliarum legum ſolemnitate. Et docent Molina *tom.*1.*de juſt. diſp.*139. §.*Novum.* Garcia *tract.*2. *diff.*6. *dub.*6. *num.*11. Suar. *tom.* 4. *tract.*10. *lib.* 4. *cap.*4. *num.*19. Rebell. *de oblig. inſt.* 2.*part. lib.*1. *quæſt.*8. *ſect.*5.*num.*50. Sanch. *lib.*7. *Summ.cap.*6.*num.*19. Palaus *diſp.*1. *punct.*13.*num.*3. Pellizzar. *tract.*2. *cap.*9. *num.* 28. quidquid in oppoſitum dicat Lugo *tom.* 2. *de juſt. diſt.*22.*ſect.*1. & alii.

§. IV.

Quomodo beneficia obtenta à Religioſis per habitus ſuſceptionem, vel profeſſionem vacent? & an renunciatio illorum debeat cum ſolemnitate Tridentini fieri.

Beneficia à Religioſo obtenta vacant per profeſſionẽ, & quomodo in poſterum alia poſſit obtinere?

117. IN præſenti ſolum loquimur de Beneficiis ſæcularibus, illis videlicet, quæ ab Epiſcopis vel aliis Clericis ſæcularibus conferuntur. Quid enim tenendum ſit circa beneficia regularia (& talia dicuntur quæ alicui communitati ſunt conceſſa, vel annexa dignitati alicui regulari & à Prælatis conferuntur) videat qui voluerit Sanch. *lib.7.cap.29. à num.*1. Lezan. *tom.*1. *cap.*2. *num.*16. & præciſis etiam Religioſis Equitibus, de quibus jam diximus *cap.* 1. *num* 68. per eorum profeſſionem non vacare beneficia ab eis obtenta. Certum eſt per profeſſionem in vera Religione emiſſam vacare quæcumque beneficia ante habita, *cap. Beneficium de regularibus in* 6. Sed non ob id redduntur Religioſi incapaces ad obtinenda beneficia, etiam curata ex vi profeſſionis: quia ex natura rei obligatio votorum & beneficiorum obtentio non ſunt incompoſſibiles *c. quod Dei timorem, de ſtatu Monachorum.* Sed de facto nullum regularem poſſe occupare beneficium curatum ſine licentia Papæ: quia ita ex conſuetudine, & declaratione Congregationis Cardinalium habetur, docent Suar. *tom.* 4. *tract.*8. *lib.*3. *cap.*19. *num.*1. Sanch. *lib.*7. *Summ. cap.*29. *num.* 71. Lezan. *tom.*1. *cap.*2. *num.*17. Qui aſſerit idem de beneficiis ſimplicibus cum Graff. 1.*p.deciſ.lib.*3. *quæſt.*7. *art.*2. Atque idem etiam de penſionibus cum Soto *lib.*9. *de iuſt.q.*7. *art.*2. Quamvis circa illas, limitationes adhibeat Sanchez videndas apud ipſum *cap.* 29. *num.* 8. Et etiam circa beneficia curata excipiunt aliqui caſum neceſſitatis Eccleſiæ: quia videlicet hæc urgeret, & non eſſent ſæculares idonei pro illis beneficiis obtinendis: quia tunc regularibus concedi poſſunt ab Epiſcopo *ex cap. inter quatuor de relig. domibus.* Sic Nicolaus Garcia *de beneficiis parte* 7. *cap.*10. *num.*16. Tambur. *tom.* 3. *diſp.*9. *quæſt.*2. *num.*5. Leſſius *lib.*2. *cap.*41. *num.*49. Dato tamen caſu, quod regularis præſentatus eſſet ab Epiſcopo ad aliquam Eccleſiam Parochialem, poſſet nihilominus ab eorum Prælatis, etiam ſine conſenſu Epiſcopi revocari. Lezan. *num.*17. Navarr. *num.*95. *comment.* 2. *de regularibus.*

Ad hoc ut Religioſus Beneficium vel dignitatem extra Religionem acceptet, debet præcedere licentia Prælati.

118. Requiritur etiam ad hoc ut Religioſus præfici poſſit Eccleſiæ ſæculari curatæ, ſui Prælati licentia *cap. Religioſus, de electionibus in* 6. ibi: *Religioſus, (cujus arbitrium non ex ſua, cum velle & nolle non habeat; ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, voluntate dependet) electioni de ſe ad prælationem aliquam extra ſuum Monaſterium, vel ſuam Eccleſiam celebratæ ſui Superioris; qui dare ipſam valeat, non petita licentia & obtenta, præſumpſerit conſentire, conſenſus ſic præſtitus non teneat, & in pœnam præſumptionis illius, electio ipſo facto viribus vacuetur omnino.* Vbi licet textus ſolum loquatur de electione ad prælaturam: quia eadem omnino ratio concurrit in electione ad beneficia, ad illa eſſe extendendum docent optimè Lezana *tom.* 2. *cap.* 2. *num.*16. Rodriguez *tom.*1. *qq.Regul.quæſt.*35. *art.*5. quod adeo aliqui verum cenſent: ut idem judicent in caſu quo Religioſus aſſumeretur ad Papatum, ſed immerito: quia eo ipſo quod eſt in Papam legitime electus, nulli creato imperio ſubeſt. Sylveſter *verbo votum* 3. Roſella *eodem verbo* 2. *ad finem.* Quos refert & ſequitur Lezana ubi proximè *num.* 5. Nec ſufficit licentia Generalis conceſſa per Superiorem, ut conſentiat ſuæ electioni, quandocumque electus fuerit; ſed requiritur quod hic & nunc expreſſè & in particulari detur. Vt habetur Clement.1. *de electionibus,* & tenet Sanch.*lib.*7.*decalogi c.*29. *num.*59. Cæterum quia in nullo ex dictis textibus aſſignatur à quo Superiori debeat talis licentia obtineri præciſis conſtitutionibus particularibus, ſufficiet à Generali, Provinciali, vel immediato Prælato eam obtinere: quia quilibet eorum eſt verus Superior, eique Religioſus ſubjicitur. Sanch. *num.* 65. Lezana *num.* 16.

Per receptionem habitus, non vacant Beneficia ante profeſſionẽ.

119. Cæterum, Beneficia à Religioſo ante ſuſceptionem habitus ſuſcepta minimè vacant per illius ſuſceptionem, proindeque toto anno Novitiatus illa retinere poteſt, nec eis privari poſſe habetur *cap. Beneficium de regularibus in* 6. (& idem eſt de penſionibus) & ſic uſque ad profeſſionem non vacant, etiamſi iſta ob aliquam cauſam per multos annos differatur. Molfeſius *tract.*6. *Summ. cap.*12. *num.*18. Hier. Garcia *tract.*2. *diſp.*6. *dub.*3.*n.*1. Palaus *tract.*13. *diſp.* 6. *punct.*2. §. 7. *num.* 4. Quamvis interim Beneficio inſervire teneatur, tum per ſeipſum recitando divinum Officium, tum per alium qui exhibeat omnia illa Officia, quæ per ſe ipſum præſtare non poteſt, aſſignata ex fructibus convenienti portione inſervienti. Cæterum ſi beneficium exigat perſonale ſervitium, nimirum reſidentiam in Choro, diſtributionibus, quæ requirunt perſonalem reſidentiam privantur toto illo tempore, non fructibus beneficii, niſi jure, aut conſuetudine in aliqua Eccleſia, perſonalis reſidentia requiratur ad faciendos fructus ſuos: quia tunc non reſidens ex quacumque cauſa, excepta infirmitate, fructibus privabitur beneficii. Suar. *tom.*3. *de relig. lib.*5. *cap.*16. *num.*12. Pellizzar. *tract.*2. *cap.*7. *num.*23.

Novitius habens jus eligendi poteſt concurrere ad electionem.

120. Imò caſu quo Novitius beneficium habeat, cui jus eligendi eſt annexum, poteſt concurrere ad eligendum, ſive tale jus conveniat ei ex jure ſpeciali & perſonali, quale eſt jus nominandi, Patrono conveniens (quod omnes aſſerunt) quia id præſtari commodè poteſt à Novitio, nec eſt unde tali jure privetur ſive conveniat ei, ut eſt pars Capituli, vel Communitatis (quod aliqui immerito negant) quia jus ſuum antiquum retinet, nec ulla lex datur, ratione cujus illo privetur, ſed in illo caſu non poſſe excludi, ſi adſit, & non debere vocari, docent Suar. *cap.*16. Anton. à Spir. ſancto *tract.*3. *diſput.*2. *num.*214. Sed etiam vocandum eſſe, niſi obſtet conſuetudo, cui ſtandum eſt, tenent Pellizz. *num.*24. Peyrin. *tom.*2. *de R. P. quæſt.*3. *cap.*1. *num.*114.

Nova beneficia poſſunt à Novitio obtineri.

121. Imò addit Sanch. *lib.*7. *Summ. cap.*4. *num.*22. Suar. *tom.*3. *de relig. lib.*5. *cap.*16. *n.*13. Lezan. *tom..cap.*24. *num.* 37. Peyrin. *num.*113. Garcia *tract.*1. *diſſ.*6. *dub.*8. *num.*1. valide poſſe

Novitium

Novitium de novo acquirere beneficium Eccleſiaſticum: quia Novitius adhuc eſt ſui juris capax habendi proprium. Vnde ſicut alia bona poteſt de novo acquirere, ſic nova beneficia. Illicita tamen eſſet talis collatio, tam ex parte dantis, quam accipientis: quia ſi datur ut deſerat Religionem, erit contra charitatem; ſi ut fructibus fruatur ipſe, vel Religio quamdiu non profitetur, erit contra inſtitutionem, & finem beneficii, ſicut communiter peccat dans & recipiens beneficium animo non inſerviendi, ſed fructibus perfruendi. Addit tamen Suarez, id non intelligi de penſionibus: quia penſionem recipere animo ea fruendi ad breve tempus, & poſtea eam deſerendi, non eſt contra ullam legem. Addit denique Sanchez *n.* 23. quod ſi Novitius vocetur ad aliquod beneficium, ſive quia ſpecialiter ad illud vocatus eſt, ſive quia vocatus eſt conjunctior ſanguine cum fundatore, in tali caſu nulli conferri poteſt beneficium, ſed expectanda eſt profeſſio Novitii, deſignato interim Vicario, qui Beneficio inſerviat, aſſignata illi debita portione, nam per talem nominationem Novitius jus ad hujuſmodi beneficium acquiſivit, quo non debet ſpoliari, & ſic eſſe nullam collationem aliter factam tenet.

Renunciatio Beneficiorum à Novitiis facienda debet eſſe in bimeſtri ante profeſſionem, & de licentia Epiſcopi.

122. At verò ſi Novitius beneficiis antea obtentis, renunciare, aut cedere velit, illis renunciare poteſt, etiamſi ad titulum illorum ſit ordinatus; ſed hoc debet fieri, ſervata forma à Tridentino aſſignata, nimirum, quod non fiat niſi intra duos menſes ante profeſſionem, & de licentia Epiſcopi, quia Concilium omnium bonorum & utilitatum temporalium renunciationem, niſi ſub illa forma, fieri vetuit, & conſequenter etiam beneficiorum: quia cum horum renunciatione fieret ipſi difficilior exitus à Noviciatu, & ſic finis Concilii ſalvatur in iſta renunciatione, ſicut in aliis. Quod autem fieri poſſit in illo bimeſtri, conſtat: quia ſemper fit ſub illa conditione: ſi profeſſio ſequatur. Vnde ſi alteri collatum fuerit, hic privandus eſt illo, & illi reſtituendum. Garcia *ſupra numero* 4. Anton. à Spiritu ſancto *numero* 211. Sanchez *lib.* 7. *c.*5.*n.*19. Pell.*tract.*2.*c.*9.*n.*19. Laym.*lib.*3.*ſect.*5. *tract.*5.*cap.* 7. *n.* 8. Addit Sanchez in caſu poſito debere Epiſcopum non conferre, niſi poſt profeſſionem, uti ſæpius declaratum eſt à ſacra Congregatione. Addit etiam Layman. & ipſe Sanchez *numero* 23. & Palaus *tom.* 2. *tractat.* 13. *diſput.* 6. *punct.* 2. §. 3. *numero* 18. quod ſi profeſſio non ſequatur, omnes fructus beneficii ad Novitium exeuntem competunt, ipſa tamen ſequuta, fructus habiti ante renunciationem & acceptationem Prælati, pertinent ad Novitium, vel ad eum, in cujus favorem bonis ſuis ceſſit; reliqui ad Beneficiarium ſucceſſorem: quia cùm eo tempore id beneficium vacet, judicandum eſt de fructibus illius, ac de fructibus Beneficii vacantis.

CAPUT IV.

De profeſſione Religioſa, & de effectibus illius.

PLURA quæ dicenda eſſent hoc capite, in præcedenti ſunt jam à nobis diſcuſſa, & alia in ſequenti Capite commodius decidentur. Quare in præſenti, quæ tantum ſunt propria hujus loci attingemus, Lectorem ad alia loca remittentes, ne multoties eadem repetamus. Caput iſtud ſex Puncta continet.

PUNCT. I. *De natura & conditionibus Profeſſionis Religioſæ, ejuſque multiplicitate, ubi ſpecialiter de tacita profeſſione eſt ſermo*, num. 1.

PUNCT. II. *De his in quibus poteſtas reſidet ad profeſſionem admittendi*, num. 10.

PUNCT. III. *Ex quibus cauſis profeſſio tacita, vel expreſſa reddatur nulla?* n. 22.

PUNCT. IV. *Quomodo profeſſio nulla poſſit ratificari?* n. 37.

PUNCT. V. *De effectibus ex valida profeſſione provenientibus*, n. 46.

PUNCT. VI. *De obligatione Religionis ad Religioſum, & Religioſi ad Religionem ex vi profeſſionis provenient*e, num. 52.

PUNCTUM I.

De natura & conditionibus profeſſionis Religioſæ, ejuſque multiplicitate, ubi ſpecialiter de tacita profeſſione eſt ſermo.

Quid nomine profeſſionis Religioſæ in præſenti intelligatur?

1. NOMINE profeſſionis Religioſæ ex communi uſu & acceptatione Eccleſiæ, actus ille intelligitur, quo quis vult ſtatum Religionis immobiliter ex parte ſua accipere publicè & ſolemniter tria vota ſubſtantialia, Obedientiæ, Paupertatis & Caſtitatis emittendo, ſive ſolemnia ſint, ſive dumtaxat ſimplicia. Hæc enim ſufficientia eſſe ad conſtituendum ſtatum Religioſum, diximus *cap.* 1. *hujus tract. num.* 31. ubi *num.* 36. etiam diximus in quo ſolemnitas votorum conſiſtat, & diſcrimen illorum à votis ſimplicibus: talis ergo profeſſio ſubſtantialiter accepta, & ſecundum ea, quæ ad illam eſſentialiter exiguntur, ſic diffiniri poteſt, quod eſt, *Contractus moralis per quem homo voluntariè ſeipſum tradit Deo in tali Religione approbata, promittendo tria vota Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis, idque interveniente*

vemente Prælati regularis conſenſu, qui nomine Dei illa acceptet. Quibus verbis omnes eſſentiales conditiones, quas *c.1. num.3.* pro ſtatu Religioſo enumeravimus, continentur.

Duplex profeſſionis Religioſæ acceptio.

2. Duplex eſt Religioſa profeſſio: alia *expreſſa*, alia *tacita*, utraque eandem parit obligationem, *cap. vidua, cap. ad noſtram de regularibus, cap. unico de voto.* Tacita eſt, quæ ſignis, vel actionibus à jure ſtatutis inducitur. Expreſſa, quæ verbo, ſcripto, vel etiam nutibus, ſufficienter conſenſum exprimentibus, fit, nec pro illa ſcriptura, aut formula aliqua verborum requiritur, aut ex parte profitentis, aut ex parte admittentis; ſed quocumque verbo, vel etiam ſigno conſenſum ſufficienter exprimente, fieri poteſt: quia eſt contractus Religioſi, cum Religione, & econtra: & de natura cujuslibet contractus eſt, ut quolibet ſigno declarante conſenſum perfici valeat. Sanch. *lib.5. Summ. cap.3. num.2.* Tambur. *de jure Abb. tom.3. diſp.6. quæſt.22. num.2. & 8.* Palaus *tom.3. tract.16. diſp.2. punct.1. num.1.* Hieron. Garc. *in polit. regul. tom.1. tract.3. diſp.2. dub.8. num.1.* niſi in aliqua Religione ſit ſtatutum ut profeſſio verbis & ſcripto fiat, ut de ſua Societate Sanch. & Palaus teſtantur.

Quæcumque formula explicetur profeſſio ſemper eſt valida.

3. Et quamvis ſoleat variis formulis emitti profeſſio, juxta varias Religionum conſtitutiones, quandoque enim, tria ſubſtantialia vota exprimendo fit, quandoque ſola obedientia, aut vita ſecundum regulam illius Religionis, exprimitur; ubi clauditur paupertas & caſtitas, licet non exprimantur: quia in regula præſcribuntur; ſed non ob id profeſſio abſque tali formula facta, erit nulla: valebit enim, quibuſcumque aliis verbis fiat, niſi in regula à Sede Apoſtolica approbata, profeſſio aliter facta, expreſsè annulletur. Sylveſter *Religio 3. quæſt.1. & 18. fine.* Azor. *lib.12. cap.5. quæſt.7. fine.* Sanchez *num.4.* Suar. *tom.3. de relig. lib.6. c.2.* Palaus *num.2.* Tambur. *diſp.6. q.16. num.7. & q.22. num.3.* Et quamvis non requiratur fieri in ſcriptis, aut coram teſtibus, ſed ſufficiat ſi in manibus Prælati fiat, ipſo ſolo & profitenti præſentibus, convenientiſſimum tamen eſt, quod fiat in ſcriptis & coram teſtibus, qui fidem coram Eccleſia, ſi oportuerit, faciant, Abominatur enim Eccleſia hos clandeſtinos contractus qui litibus & controverſiis anſam præbent. Sicut ob eam cauſam clandeſtinum Matrimonium ante Tridentinum prohibuit, & per Tridentinum annullavit. Quod ferè omnes obſervant Religiones: & in noſtra cavetur *2. part. Conſtitutionum cap. 2. num. 19.* ut facta profeſſione coram Communitate, teſtimonium illius in libro ſcribatur, ſubſcribentibus Profeſſo, Prælato, Magiſtro Novitiorum, & aliis duobus Patribus, qui profeſſioni interfuere, ut ſic teſtimonium prædictum, ſi aliquando oportuerit, fidem integram faciat. ¶ Et quanquam intra Monaſterium regulariter fiat profeſſio, & convenientius ſit ita fieri, neceſſarium tamen non eſt ad valorem illius, quod intra Monaſterium emittatur. Sed poteſt ubique fieri, quia nullibi contrarium jubetur. Sanchez *num.12.* Suar. *num.22.* Garcia *num.3.* Bartholomæus a Vecchis *in praxi Novitiorum diſp.12. dub.3.* à S. Fauſto *lib.5. q.217.* Rodrig. *qq. Regul. tom.3. q.29. art.8. fine.*

Profeſſio ſemper abſoluta debet eſſe, & non conditionata.

4. Semper profeſſio emitti debet abſolutè, & non ſub aliqua conditione; ſed quamvis illicitè ſub conditione fiat, (ut de matrimonio diximus *tom.2. tract.9. cap.7. num.9.* Vbi etiam diverſas conditiones, turpes, honeſtas, poſſibiles, impoſſibiles, contingentes & neceſſarias, & alias enumeravimus) validè tamen fieret, ut de matrimonio ibidem diximus, conditionatè, non abſolutè, uſque dum conditio purificetur: quia conſenſus alligatus eſt conditioni, & ſic relinquit ſuſpenſum contractum uſque ad eventum illius. Conditione tamen expleta, ſine novo conſenſu perficitur profeſſio & fit abſoluta, ſi præcedens conſenſus, adhuc virtualiter permaneat: quia non eſt retractus, uti de matrimonio *ibidem num.67.* latè probavimus. Et modo de profeſſione tenet Sanch. *lib.5. Summ. cap.4. num.88.* Lezana *tom.1. cap.2. num.26.* Pellizzar. *tract.3. cap.1. num.12.* à ſancto Fauſto *lib.5. quæſt.247.* ¶ Si quis tamen ſub conditione contraria ſubſtantiæ profeſſionis, illam emitteret, nulla eſſet talis profeſſio: quia planè convincitur nolle verè profiteri, qui contrariam profeſſionis ſubſtantiæ conditionem apponit. Vt de matrimonio diximus *loco citato*, & de profeſſione docent Lezana *num.25.* Leſſius *lib.2. cap.41. num.63.* Barboſa *de iure Eccleſ. lib.1. cap.42. num.152.* Ant. à Spiritu ſancto *tract.3. diſp.3. num.8.* Palaus *diſp.2. punct.1. n.3.* Suar. *tom.3. lib.6. cap.12. num.14.* Sanch. *n.92.* Tamburin. *tom.3. diſp.6. quæſt.16. num.12.* Garcia *tract.3. diſp.4. dub.1. num.6.* Vnde ſi ſub ea conditione aliquis profiteretur ut ſibi liceret uxorem ducere, vel non eſſe Prælatis in omnibus ſubjectum, vel dominium bonorum, aut uſum independentem haberet, nihil efficeret; ſecus verò ſi ſub conditione ut ſibi ad uſum, dependenter à Prælatorum voluntate aliquid reſervaret. Quo ſenſu prædicti Authores explicant textum *in cap. inſinuante qui Clerici vel voventes.* Si conditio appoſita profeſſioni, turpis vel impoſſibilis fuerit, habetur pro non adhibita, & ſic rejicienda eſt, & profeſſio erit valida, niſi tali conditioni profitens expreſsè ſuum obligaverit conſenſum. Vti de matrimonio diximus, *loco citato.* Sed quia rarò contingere ſolet profeſſionem ſub conditione emitti, ab his & aliis quæſtionibus ſuperſedemus.

Duo notatu digna ad profeſſionis validitatem.

5. Hic circa expreſſam profeſſionem duo adnotare libuit. Primum, eum qui ſolum tacitè profeſſus eſt, poſſe compelli ut expreſsè profiteatur, ut poſſit impoſterum probari ejus profeſſio, maximè quia profeſſio tacita, non obligat hominem illi Religioni in qua profitetur, ſed Religioni in genere, ita ut liberè poſſit tranſire ad aliam, etiam laxiorem, *ex cap. ſtatuimus, cap. conſulti de regularibus.* Et ſimiliter ipſe compellere poteſt Religionem ut ejus expreſſam, profeſſionem admittat: quia inter utrumque eſt reciproca obligatio, & ſua intereſt profiteri expreſsè, ut poſſit eſſe Prælatus, quod fieri nequit, niſi ſit in illa Religione expreſsè profeſſus, *ex cap. nullus de electionibus in 6.* Pellizzar. *tract.3. cap.4. num.3.* Sanch. *lib.5. cap.3. num.6.* Palaus *diſp.2. punct.1. num.1. & 10.* Garcia *tract.3. diſp.4. dub.1. num.5.* Suar. *lib.6. cap.21. num.15.* Secundum eſt profeſſionem expreſſam poſſe fieri per procuratorem: quia omnia fieri per procuratorem poſſunt, quæ in jure non ſunt ſpecialiter interdicta per illum fieri, *cap. poteſt quis de reg. iuris in 6.* Sed profeſſio nullibi excipitur: ergo, &c. Sic Palaus *num.1.* Pellizzar. *cap.1. num.29.* Suar. *tom.3. de relig.*

relig. lib. 6. cap. 11. num. 12. Rodrig. *qq. Regul. tom. 3. quæst. 17. art. 13.* Sanch. *num. 7.* Azor. *lib. 12. cap. 5. quæſt. 7.* Sylveſter *Religio 3. q. 15.* Sed non ſufficit procuratorem generale habere mandatum ad omnia negotia alterius, ut nomine illius profiteri valeat, ſed debet habere ad hoc ſpeciale: quia eſt res ardua, & extraordinaria, quæ in generali conceſſione non venit; & debet eſſe reſpectu ſpecialis Religionis. Nec poterit procurator alteri talem facultatem delegare, nec ipſe ea uti, ſi ante profeſſionem emiſſam nomine alterius, ab eo revocetur. Et aliæ requiruntur conditiones, ut de matrimonio per procuratorem celebrato diximus, *tom. 3. tract. 9. c. 3. n. 97.*

Modus primus inducendi tacitā profeſſionē.

6. Veniamus modo ad tacitam profeſſionem, quæ ut diximus, eſt illa, quæ ſignis à jure ſtatutis inducitur. Duplex autem ſignum in jure invenitur pro profeſſione tacita inducenda, ad quæ alia quæ à Doctoribus aliqnibus recenſentur, referri poſſunt. Primum eſt, ſi propriis profeſſorum actibus ſponte ſe ingerat: quia cum tales actus ſint proprii profeſſorum, velle profiteri cenſetur qui ſciens & prudens ſe ingerit illis, cum aliis profeſſis, *cap. vidua de regularibus.* Ad quod ſufficit quod tales actus ſint proprii profeſſorum, vel ex jure, vel ex ſola Religionis conſtitutione, Sylveſter *verbo Religio 3. quæſt. 19.* Azor. *lib. 12. c. 4. quæſt. 3.* Sanch. *lib. 4. Summ. cap. 3. num. 20.* reqoiritur tamen quod per triduum perſeveret in tali exercitio actuum profeſſorum quæ tridui perſeverantia non requiritur, ſi ſimul cum exercitio dictorum actuum jungatur portatio habitus profeſſorum, de qua *numero ſequenti*, erit ſermo, *ut ex d. cap. viduam, cap. ad noſtram de regularibus*, probat Layman. *lib. 4. tract. 5. c. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. in principio.* Palaus *tract. 16. diſp. 2. punct. 1. num. 7.* Sylveſter, & Sanch. *loc. cit.* ¶ Ad iſtom modum tacitæ profeſſionis reducitur ille qui ab aliquibus aſſignatur, nimirum per receptionem ſacrorum Ordinum qualiter eos ſuſcipere poſſunt Religioſi, videlicet ad titulum paupertatis profeſſæ: quia eſt actus proprius profeſſorum, atque ita declaraſſe ſacram Congregationem 20. *Decembris anno* 1619. teſtatur Lezana *tom. 4. verbo profeſſio num* 4. & Barboſa ab ipſo citatus. Favetque conceſſio Iulii 2. pro Auguſtinianis, in qua dicitur: *Quicumque Novitius, qui promovetur ad ſacros Ordines, habetur pro profeſſo*, ut refert Caſarub. *in Compend. privilegiorum mendicant. num. 24.*

Secundus modus tacitā inducendi profeſſionem.

7. Secundus modus inducendi tacitam profeſſionem eſt, ſi quis per triduum, ſciens & prudens ſponte deferat diſtinctiſſimum profeſſorum habitum, *cap. ad noſtram de regular. cap. conſtitutionem eodem titulo in 6.* Quæ perſeverantia per triduum non requiritur, ut diximus *numero præcedenti*, ſi ſimul cum dicta portatione habitus ſe profeſſorum actibus ingerat; imò ſi poſt Novitiatus annum, habitus profeſſorum ſuſcipiatur, tridui delatio habitus nnn requiritur ex jure antiquo ad profeſſionem tacitam inducendam, ut conſtat *ex cap. non ſolum, de regularibus in 6.* Sanch. *ſupra n. 24.* Tunc autem dicitur diſtinctum profeſſorum habitum deferre, quando differt manifeſto ſigno patenti ab habitu Novitiorum, nimirum ſi ſit diverſi coloris, ut in Monialibus velamen album vel nigrum; aut figuræ, aut ſi Novitii deferant breviorem habitum, aut cum aliquo externo ſigno Crucis, funiculi, aut panni alligati, vel appenſi. Clement. *final. de regul.* & ibi Gloſſa *verbo deinceps.* Abbas *cap. ex parte num. 3. de regul.* Non verò requiritur quod habitus talis intra Monaſterium deferatur, ſed ſat erit portatio illius extra, de licentia Superioris: quia cenſetur intra Monaſterium degere, qui extra, de licentia Abbatis vivit. Sylveſter *verbo Religio 3. quæſt. 19.* Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. quæſt. 17. art. 1.* Sanch. *num. 25.* Sed portatio talis habitus extra Monaſterium non ſufficit ad inducendam profeſſionem tacitam, ſi extra Monachus abſque licentia degat. Lezana *num. 5.* Bechis *diſp. 14. dub. 8.*

Poſt Trid. non eſt ablata tacita profeſſio; ſed variata quoad modum.

8. Sed eſt inter Doctores difficultas: an poſt Trident. ſit ſublata profeſſio tacita, quæ modis dictis inducitur? Ad quod reſpondetur, minimè ſublatam eſſe, ſed quoad modum & tempus variatam. Sublata quidem non eſt: quia Tridentinum nihil circa hoc innovavit, quippe in ejus decretis nullum eſt verbum tollens profeſſionem tacitam. Vnde etiam poſt Trid. poſſe tacitam profeſſionem dari, tenent Rodrig. *tom. 3 quæſt. 17. art. 1. fine, & art. 2. fine.* Sanch. *lib. 5. cap. 3. num. 36.* Hieron. Gar. *in polit. regul. tom. 1. tract. 3. cap. 1. num. 5.* Tambur. *tom. 3. diſput. 6. quæſit. 13. num. 10.* Lezan. *tom. 1. cap. 2. num. 5. & tom. 4. verbo profeſſio, num. 3.* & alii. ¶ Diximus variatam eſſe, nam modo poſt Tridentinum non inducitur, niſi profitens jam expleverit 16. annum ætatis, & integrum annum Novitiatus, quod olim non requirebatur; cum enim hoc ad expreſſæ profeſſionis valorem ſit omnino neceſſarium multo magis ad tacitæ. Si quis vero poſt 16. annum ſuæ ætatis, & integrum expletum annum Novitiatus exercitiis propriis profeſſorum ſe ingerat per triduum, vel habitum diſtinctiſſimum profeſſorum per idem tempus portaverit, vel ſi utrumque conjunxerit, ſtatim ante triduum profeſſionem tacitam faciet, ſervatis conditionibus infra aſſignandis pro illa. Quamvis pro foro externo, non judicabitur tacitè profeſſus niſi poſt quinquennium à ſua profeſſione expreſſa, ſi fortè iſta nulla fuit, tranſactum: quia hoc tempus concedit Concilium *ſeſſ. 25. cap. 19.* ad reclamandum contra profeſſionis valorem, quam pro foro externo non præſumit ante illud ratificatam. De quo latè diximus *cap. 5. punct. 1.*

Quinque conditiones pro tacita profeſſione recenſentur.

9. Quinque autem conditiones requiruntur ad profeſſionis tacitæ valorem. Prima quod actus, quo inducitur fiat authoritate & conſenſu Prælati, qui poteſt ad profeſſionem admittere: quia ſine illo nec expreſſa profeſſio erit valida: ergo multo minus tacita, ſiquidem tacitum plus operari non poteſt quam expreſſum; cum catenus vim habeat tacitum, quatenus expreſſum inde præſumitur. Vnde quoties ob aliquem defectum, expreſſa profeſſio, quæ vera eſt annullatur, etiam tacita, quæ eſt præſumpta, Lezan. *tom. 4. verbo profeſſio, num. 5. & 13.* Tambur. *tom. 3. diſp. 6. quæſtione citata 14. numero 1.* Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. quæſt. 1. art. 1.* Sanch. *lib. 5. cap 3. num. 14.* ¶ Secunda ut non fiat coactè, ſed ſpontaneè, *cap. viduam de regular.* Si enim metus gravis expreſſam profeſſionem annullat, etiam tacitam, ita omnes. ¶ Tertia, quæ etiam eſt communis inter Doctores, ut talibus actibus utens,

ſciat eos ad ſolos profeſſos pertinere, per eoſque tacitam profeſſionem induci: quia ſine tali notitia non poterit habere conſenſum omninò neceſſarium ad valorem profeſſionis. ¶ Ex quo ſequitur quarta conditio, ut talibus actibus utens verum habeat animum profitendi: quia eatenus tacitam inducunt, quatenus indicant talem animum. ¶ Quinta ut ſciens ſe non eſſe profeſſum, vel non validè profeſſum fuiſſe, ſpontaneè animo profitendi, vel ratificandi profeſſionem, talibus actibus utatur. Vnde qui ignorans ſe profeſſum non eſſe in Monaſterio perſeveraret, habitum profeſſorum portans, & illorum actibus ſe ingerens, etiam ſi per multum tempus id ageret, non eſſet coram Deo verè profeſſus, quamvis in foro externo poſt quinquennium judicetur talis, ut dicemus *cap.5. num.*20. & generaliter ex omnibus cauſis, ex quibus expreſſa profeſſio redderetur nulla, de quibus dicemus *punct.*3. etiam tacita nulla eſt judicanda, ut omnes concedunt.

PVNCTVM II.

De his in quibus poteſtas reſidet ad profeſſionem admittendi.

Facienda eſt profeſſio in manibus Superioris & cuius Superioris.

10. PLURA dicenda hoc Puncto jam a nobis tacta ſunt *cap. præced. à num.*33. agentibus de his qui poſſunt ad Novitiatum admittere: nam illi etiam poterunt ad profeſſionem; ſed quia aliquæ circa hoc ſe offerunt difficultates, fuſiùs eas explicare duximus, cum ſit res adeò neceſſaria. Supponimus ergo requiri legitimam poteſtatem in recipiente ad profeſſionem, ad hoc ut profeſſio ſit valida, cum in manibus eius nomine Religionis acceptantis traditionem, profeſſio debeat fieri. Eſt quippè profeſſio contractus quidam onerosus, ultro citroque obligans, & ideo perfici non poteſt niſi conſenſu utriuſque, profitentis & Religionis, quem nomine Religionis præſtare non poteſt, niſi qui ad hoc habet legitimam poteſtatem. ¶ Talis autem ſolus eſt Prælatus Regularis, vel alius ex ejus commiſſione & nullus præter Pontificem, ſive Epiſcopus (reſpectu regularium exemptorum) ſive Cardinalis, ſive Legatus à latere, ſive Religionis protector, poterit aliquem admittere ad profeſſionem. Quia nullus horum habet jurildictionem delegatam à Summo Pontifice, niſi quoad forum contentioſum. Cum tamen profeſſio non ad illud, ſed ad gratioſum pertineat. Pontifex verò, ut Supremus Prælatus Religionum, poterit quem voluerit admittere ad profeſſionem. Sanchez *lib.5. cap.4. num.* 74. Tambur. *tom.* 3. *diſput.*6. *quæſit.*11. Rodrig. *tom.* 1. *quæſtionum Regularium, quæſt.*63, *art.* 4. Pellixxar. *tom.*1. *tract.*3. *cap.*3. *num.*5.

Non ſolum requiritur ad profeſſionem conſenſus Prælati, ſed etiā Capituli.

11. Imò nec ſolus Prælatus regularis poterit aliquem ad profeſſionem admittere, ſed ille, nedum de conſilio, ut aliqui volunt, ſed de conſenſu ſui Capituli, illius Conventus in quo Novitius probationem peregit. Sic habet omnium Religionum conſuetudo legitimè introducta, quæ pro lege haberi debet: taliter quod nec Monaſterium poſſit aliquem recipere repugnante Prælato proprio, nec iſte abſque conſenſu ſui Capituli. Et merito: quia illa receptio omnibus utilis, vel nociva eſt, & quod omnes tangit ab omnibus approbari debet. Rodriguez *tom.*3. *quæſt.*17. *art.*2. & cavetur *in regula* 29. *juris in* 6. Miranda *tom.*1. *quæſt.*24. *art.*4. Lezana *tom.*1. *cap.*2. *num.*25. Laym. *lib.*4. *tract.*5. *cap.*5. *num.*5. Leſſ. *lib.*2. *cap.*41. *dub.*7. *num.*61. Sanch. *lib.*5. *cap.*4. *num.*65. Palaus *diſp.*2. *punct.*3. *num.*3. Et ex his, aliquo deficiente, manet nulla talis profeſſio, ut omnes prædicti tenent, præter Rodriguez, qui non irritam, ſed irritandam dicit profeſſionem in tali caſu; ſed immerito, cum profeſſio, ſicut matrimonium, ſit contractus indiſſolubilis: Vnde vel nullus, vel omnino firmus, & invariabilis debet eſſe. ¶ An verò ſi totum capitulum injuſtè Novitio ſuffragium ad profeſſionem denegaret, & hoc conſtaret Prælato, ipſe ſolus eum ad profeſſionem poſſet admittere? Vide quæ diximus *cap. præcedenti, num.*34. & affirmativè reſpondebis. Vbi alia huc pertinentia (ſi malueritis) videre poteris.

12. Sed hic duo notanda ſunt. Primum: non requiri, quod totum Capitulum conſentiat, ſed ſufficere ſi major illius pars ferat ſuffragium (æqualibus tamen exiſtentibus votis, manet Novitius excluſus) quia id fieri à tota communitate cenſetur, quod fit à majori illius parte. An verò Novitius ſemel à Capitulo reprobatus, poſſit ab eo approbari: vel ſemel reprobatus approbari? Vide quæ diximus *cap. præcedenti, num.*35. Attamen major pars Capituli computanda eſt cum Prælatis; ita ut ſuffragium Prælati, & aliorum, unum totum efficiat, & ex illo toto major pars remaneat. Quare licet illius conſenſus requiratur, ut Novitium proponat Capitulo approbandum, vel reprobandum, & poſtea ut in ejus manibus, vel alterius ex ejus commiſſione, profeſſio emittatur, non autem requiritur, quod ipſe ſuffragium in favorem ferat; ſed etiam ipſo ex oppoſito ſuffragante, ſi major pars ex toto Capitulo pro Novitio remaneat, poteſt & debet ad profeſſionem admitti, quod ferè communis uſus & conſuetudo Religionum habet; & tenet ex communi ſententia Sanch. *lib.* 5. *Summ. capite* 4. *numero* 64. & 69. Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. quæſtione* 1. *capite* 26. §. 2. *verſu, ſi vero ſuffragia*, Antonius à Spiritu Sancto *tractat.* 4. *diſputatione* 4. *numero* 89. Pellixzar. *tractatu* 3. *cap.*3. *num.*10.

Non requiritur conſenſus totius Capituli, ſed majoris partis, & quomodo major pars ſit computāda?

13. Notandum eſt ſecundò, quod licet de jure communi hæc poteſtas admittendi ad profeſſionem, competat Prælato immediato, ſimul cum ſuo Capitulo. Vt colligitur, *ex cap. conſuluit* 4. *cap. finali qui Clerici, cap. ad Apoſtolicam, de regularibus, cap. finali eodem titulo in* 6. & tenent communiter Doctores. Hoc non facit quin Prælati Superiores poſſunt admittere ad profeſſionem Novitios ſubditos etiam reluctante immediato Prælato Monaſterii, dummodo id fiat de conſenſu Monaſterii: quia omnis poteſtas exiſtens in minori cumulativè ac eminenter præſupponitur in Prælato majori. ¶ Diximus, de jure communi talem poteſtatem eſſe immediato Prælato, quid autem habeatur de jure particulari Religionum? videndæ ſunt earum conſtitutiones. In noſtra namque Religione, ut habetur

Quis, Prælatus de jure communi poteſt admittere ad profeſſionem, & quis de iure noſtro ſpeciali.

habetur 2. *part. conſtit. cap.* 2. *num.* 18. Prior, vel Superior in ejus abſentia, vel Præſidens Conventus, vel alius de eorum commiſſione, trina præcedente approbatione, à Capitulo facta, & præcedente ſimiliter licentia Provincialis, poſſunt Novitios ad profeſſionem admittere. ¶ Et quia talis poteſtas, Priori, aut Superiori, vel Præſidenti Conventus competit ex vi ſui muneris, quod eſt eam ordinariam habere, poterit cui voluerit eam delegare, & ſic cuilibet Religioſo, etiam non Sacerdoti, etiam laico: quia hic poteſt nomine Prælati acceptare profeſſionem, ſicut laicus nomine Clerici poteſt acceptare beneficium. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 35. *difficultate* 20. *num.* 5. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. Rodrig. *tom.* 3. *qq. Regul. quæſt.* 17. *art.* 12. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 15. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 70. Sanch. *lib.* 5. *c.* 4. *num.* 77.

Si Prælatus Superior deneget licentiam cũ clauſula irritante profeſſionem, hæc nulla eſt ſine illa.

14. Sed modo ſunt aliquæ graves difficultates decidendæ pro noſtris Religioſis, & aliis qui ſimiles habent conſtitutiones. Prima difficultas eſt: an ſi in noſtra Congregatione Prælatus immediatus de conſenſu ſui Conventus, Novitium ad profeſſionem admitteret, non præcedente licentia Provincialis, ſive negativè ſe habente, quia non conceſſit; ſive poſitivè illam negante, talis profeſſio ſit valida? Et quidem, ſi Provincialis denegaret licentiam, & ex legitima cauſa irritaret profeſſionem aliter factam, certum eſt nullam eſſe talem profeſſionem: quia licet immediatus poteſtatem habeat, uſum tamen illius à Superiori pendentem, quia id recto Religionis regimini convenit, cum tota poteſtas Prælati inferioris reſideat in Superiori, & illi ſubjiciatur. Vnde ſicuti ex juſta cauſa poteſt Superior inferiorem tota illa poteſtate privare; ſic illam coarctare, & ſibi reſervare uſum illius quoad aliquem caſum particularem: ſicut in Confeſſione poteſt Superior poteſtatem abſolvendi, quæ eſt in inferiori, quoad aliquos caſus particulares reſervare ſibi, atque ita in noſtro caſu tenent Palaus *tract.* 16. *diſp.* 2. *punct.* 3. *num.* 4. & 5. Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. quæſt.* 1. *cap.* 26. §. 2. Sanch. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 78. & 79. Tambur. *tom.* 3. *diſp* 6. *quæſit.* 1. *num.* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 22. *quæſt.* 2. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 77. *num.* 33. Diximus, ſi ex juſta cauſa licentiam, modo dicto, deneget: abſque illa namque, non obſtante mandato Superioris, irritante Profeſſionem, aliter factam, hæc valida erit: quia cum facultas ad admittendum ad illam ex jure communi Prælato immediato competat, non poteſt coarctari à Superiori abſque legitima cauſa nota inferiori, ut aliis relatis, notat Peyrin. *loc. cit.*

Cum requiritur licentia Provincialis ad profeſſionẽ, profeſſio facta ſine illa tenet.

15. Quæſtio igitur eſt quando Superior ſolum denegat talem licentiam ex juſta cauſa, vel non concedit, vel prohibet fieri, ſine clauſula irritante, an ſit valida talis profeſſio? Reſpondetur affirmativè, ut in ſimili caſu tenet Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 23. Vecchius *diſput.* 12. *dub.* 1. *num.* 5. Palaus *diſput.* 3. *punct.* 3. *num.* 4. Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 57. *n.* 35. Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. quæſt.* 1. *cap.* 26. §. 2. Portel. *tom.* 2. *caſuum*, *caſu* 64. Sanch. *lib.* 5. *Summ. cap.* 4. *num.* 84. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſput.* 3. *num.* 94. & *tract.* 4. *diſputat.* 4. *num.* 91. & probatur reſolutio. Primò: quia quando alicui competit poteſtas ex jure communi, & ponitur ſolemnitas abſque decreto irritante ſub qua exerceri debet, actu talis ſolemnitas non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis, cujus omiſſio non annullat actum; ſed in noſtro caſu ſupponitur poteſtas ex jure communi in Prælato immediato, quam non tollit ab eo conſtitutio; ſiquidem actum contrarium non annullat, ſed ſolum prohibet, ne fiat niſi præcedente licentia Provincialis: ergo quamvis illicita eſſet talis profeſſio contra illam legem, non tamen irrita. Multa namque prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, *cap. ad Apoſtolicam, de regularibus*, eo ſanè modo, quo in Tridentino exigitur quod præcedat admonitio Epiſcopi ad faciendum examen, antequam Novitia ad profeſſionem admittatur; & trina denunciatio à Parocho ante Matrimonium: & quia talia præcepta non irritant actus contrarios, validi ſunt, quamvis illiciti, contra tales diſpoſitiones facti.

16. Secundò: quia etiam in conſtitutionibus noſtris habetur neminem admitti ad habitum ante 16. annum expletum, & conſequenter ad profeſſionem ante 17. niſi præcedente diſpenſatione, & tamen ſi quis ante illam ætatem admitteretur abſque diſpenſatione, validè profiteretur: quia talis lex non irritat actum contra illam factum, nec tollit poteſtatem ab inferiori Prælato: ergo ſimiliter quamvis lex præcipiat neminem admittendum eſſe ad profeſſionem, niſi præcedente Provincialis licentia, ſi quis abſque illa profiteretur, valide hoc efficeret: quia talis lex non irritat actum contrarium. Probatur minor in ſimili caſu de Religionibus, quæ ſtatutum habent ne quis ante 18. vel 20. annum ad profeſſionem admittatur abſque decreto irritante, in quibus validè profiteri ante illam ætatem, ſcienter, vel ignoranter profeſſionem emittentem, docet Miranda *tom.* 1. *quæſtione* 24. *articulo ſecundo, concluſ.* 2. Peyrin. *tomo primo, de ſubdit. capite* 26. §. 3. & *tom* 2. *de Prælat. quæſtione* 3. *capite* 1. *numero* 168. Lezana *tom.* 4. *verbo Profeſſio, numero* 11. Hieronymus Garcia *in polit. tom.* 1. *tractat.* 3. *difficult.* 2. *dub.* 4. *numero* 8. Barboſa *in collect. Bullar. verbo Profeſſio regularis* §. 2. ubi varias circa hoc declarationes Cardinalium adducit.

Valida eſt profeſſio ante 17. vel 18. annum facta, etiamſi in conſtitutionibus caveatur ut ante talem ætatem nõ fiat.

Poteſt generale Capitulum cõdere ſtatutũ ut profeſſio facta cum tali defectu ſit nulla.

17. Secunda difficultas eſt: an generale Capitulum poſſit condere ſtatutum generale, ne quis recipiatur cum tali defectu & vitio, v. g. ſi ſit infectus ſanguine, morbo Gallico laborans, vel grave tale crimen commiſſus, cum clauſula irritante ſimpliciter profeſſionem? Reſpondetur affirmativè, & contra tale decretum profeſſionem factam, fore nullam, ſive hoc fiat directè irritando profeſſionem factam contra tale decretum (quod licet aliqui negent judicantes tale decretum eſſe nullum, utpote contra jus commune, concedens profeſſionem fieri validam, etiam cum tali defectu.) Alii melius affirmant, eo quod non opponitur juri communi poſitivè jubenti, ſed tantum negativè non prohibenti, ſeu permittenti, ut Lezana *in conſultationibus, conſultatione* 17. *num.* 2. Portel. *in reſponſionibus tom.* 2. *caſu* 90. *num.* 5. Suar. *tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. Anton. à Spiritu ſancto *tractat.* 3. *diſput.* 3. *num.* 55. Sive tale decretum ſit ut fiat profiten-

tibus proteſtatio quod ſi tales defectus habuerint Religio non habet intentionem illos recipiendi, quod omnes ferè admittunt: & probatur. Primò quia licet jure communi poteſtas recipiendi ad profeſſionem competat Prælatis inferioribus, cum ſint dependentes à Superioribus quoad exercitium illius, poteſt ab illis coarctari talis poteſtas ex juſta cauſa: ergo ſi de facto per decretum irritans limitetur talis poteſtas, ut ea non utatur inferior conſentiendo profeſſioni, niſi profitens tali defectu careat, nulla erit profeſſio ſecus facta, utpote recepta à non habente expeditam & legitimam poteſtatem. ¶ Secundo; quia liberum eſt Religioni aliquem recipere, vel non, ad illam: ergo etiam non recipere, nec conſentire, niſi ſub tali conditione; ſed conſenſus conditioni expreſsè obligatus, ea deficiente, eſt nullus: nulla ergo erit talis profeſſio defectu conſenſus ex parte Religionis neceſſarii. Sic tenent expreſsè Sanch. *lib. 5. Summ. cap. 3. n. 73. & lib. 7. de matrimon. diſp 37. num.* 30. Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. q.* 11. *art.* 1. Pellizzar. *tract. 3. c. 3. n.* 24. Portel. *ſupra caſu* 19. Anton. a Spiritu ſancto *num.* 56.

Poſſunt etiã alii Prælati præter Capitulum generale, dictũ decretum condere.

18. Imò aſſerimus poſſe diffinitorium Generale noſtrum condere dictum decretum pro ſuo triennio, vel pro tota Religione, vel pro aliqua Provincia, ſaltem indirectè irritans profeſſionem per ſubſtractionem conſenſus, & poteſtatem admittendi ab inferiori Prælato, quia noſtrum Diffinitorium generale poteſt efficere decreta circa alias materias, pertinentia ad bonum commune Religionis pro ſuo triennio, dummodo conſtitutionibus, aut regulæ contrariæ non ſint, ut habetur *3. p. noſtrarum conſt. c. 8. num.* 12. Sed hoc decretum non eſt contrarium regulæ, aut conſtitutionibus noſtris, ſed magis conſonum illis. Dicitur enim *2. p. cap. 2. num. 9. Si in aliqua vero provincia, vel regione, inſpectis aliis circumſtantiis, opus fuerit ſtrictiora ſtatuta circa hoc adhibere* (nimirum circa qualitatum examen recipiendorum in noſtra Religione) *præcipimus ut ea Superiores ſeveris pœnis, aut cenſuris imponant.* ¶ Addimus ſecundò poſſe Patrem N. Generalem per ſe ipſum, imò etiam Provincialem, facere decretum pro ſuo tempore irritans profeſſionem in caſibus ſpecialibus per ſubſtractionem legitimi conſenſus & poteſtatis à Prælato inferiori, reſervando ſibi pro tali caſu conſenſum, ſimul cum Capitulo Conventus admiſſioni præſtandum. Quia ut diximus *num.* 14. cum poteſtas inferioris quoad uſum dependens ſit à poteſtate Superioris, poterit ille iſtius limitare poteſtatem quoad caſum particularem, ſicut in foro conſcientiæ reſervare ſibi abſolutionem aliquorum caſuum, & tunc nulla erit profeſſio, defectu legitimi conſenſus contra tale decretum facta, Pellizzar. *tract. 3. c. 3. num.* 24. Navarr. *conſil. 5. à num. 4. uſque ad* 10. Sanch. *lib. 5. cap. 4. num.* 71. Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. quæſt.* 10. *art.* 3. Bord. *tom. 2. reſol.* 57. *num.* 54. Palaus *tract. 16. diſp. 2. punct. 3. n.* 5. ¶ Addimus etiam quod adhuc nullo præcedenti decreto Superiorum, ſi Conventuale Capitulum reciperet Novitium cum conditione expreſſa quod non habeat aliquem defectum, proteſtando illi ſe nolle conſentire in profeſſionem cum tali defectu, erit nulla talis profeſſio, ſi defectus ille datur, ex defectu legitimi conſenſus, ut docet Bordon. *tom. 1. reſol. 8. num.* 61. Anton. à Spiritu ſancto *tract. 3. diſp. 3. n.* 74.

Prælatus Superior nõ poteſt admittere Novitium ad profeſſionẽ ſine conſenſu domus in qua Novitiatus eſt habitus.

19. Tertia difficultas eſt: an ſi Prælatus immediatus una cum Conventu nolit admittere Novitium ad profeſſionem, poſſit generalis, vel Provincialis eum admittere de conſenſu illius domus in qua reſident, ſupponendo eſſe diverſam ab ea, in qua peregit Novitiatum? Reſpondetur negativè. Nam actus ſubſiſtere non poteſt abſque eo quod eſt de ſubſtantia illius; ſed conſenſus Conventus Novitiatus, ſeu illius in quo probatio peracta eſt, eſt de ſubſtantia ad profeſſionem; nam de ſubſtantia illius, cum ſit neceſſarius conſenſus alicujus domus, illius debet eſſe, qui mores & indolem Novitii probavit, Navar. & Bordon. quos refert & ſequitur Pellizzar. *tract. 3. cap. 3. num.* 16. Anton. à Spir. ſancto *tract. 3. diſp. 3. num.* 142. ¶ Advertunt primò prædicti Authores, quod ſi omnes vocales Conventus eſſent voce activa privati, poſſet Superior, ſive Prior, ſive Provincialis ſolus per ſeipſum admittere Novitium ad profeſſionem. Nam licet de jure communi debeat conſenſus Conventus adhiberi, debet intelligi, niſi Capitulares illius ſint legitimè voce privati. ¶ Secundò, quod ſi ſolus Superior careret voce activa, poſſet nihilominus validè Novitium admittere ad profeſſionem ex conſenſu Conventus, non ſuffragante Superiori: quia carentia vocis activæ non privat Superiorem facultate admittendi aliquem ad profeſſionem, quæ eſt quid ab ea diverſum.

Valida eſt profeſſio à Prælato excommunicato vel interdicto acceptata.

20. Quarta difficultas eſt: an ſi Prælatus eſſet excommunicatus, interdictus, ſuſpenſus, vel irregularis, poſſet Novitium validè ad profeſſionem admittere? & idem quæritur de aliis capitularibus ſuffragantibus: an ſi excommunicati, vel ſuſpenſi ſuffragarentur, valida eſſet profeſſio? Caſum reſolvemus circa Prælatum excommunicatum, in quo eſt eadem difficultas ac ſi eſſet aliis dictis cenſuris, vel impedimentis inodatus, in omnibus namque difficultas poteſt eſſe, quia privant ſubjectum omni actu juriſdictionis, qualis videtur iſte, admittendi Novitium ad profeſſionem. Nihilominus communis ſententia tenet validam eſſe profeſſionem à Prælato excommunicato acceptatam (& idem eſt de aliis vinculis inodato.) Et probatur primò: quia ex matrimonio carnali ad ſpirituale valet paritas & argumentum, ut omnes docent; ſed matrimonium carnale poteſt validè contrahere qui excommunicatus eſt, *cap. ſignificaſti de eo qui duxit.* Et Parochus Matrimonio poteſt aſſiſtere, etiamſi excommunicatus ſit, ut diximus *tractat. 9. cap. 8. num.* 46. Ergo ſimiliter poterit Prælatus aſſiſtere profeſſioni, quæ eſt ſpirituale matrimonium, illamque admittere, tametſi excommunicatus. Secundò, quo præcedens ratio roboratur: quia profeſſionem admittere, non eſt actus juriſdictionis ſed ſuperioritatis; nec eſt actum juriſdictionis exercere, ſed exhibere legitimum circa contractum conſenſum; ſed excommunicatio nec tollit actus ſuperioritatis, cum non auferat illam, nec legitimum tollit exhibere circa contractum conſenſum, & ſic excommunicatus alios poteſt perficere contractus: ergo, &c. Tertiò: quia valida eſt profeſſio ab excommunicato emiſſa, ut docent infra citandi Authores, & ſupponitur, *cap. cum illorum, de ſententia excommunicationis.* Dum

ibi

ibi decernitur poſſe ingreſſos Religionem ab excommunicatione ante contracta abſolui & Cap. *nonnam de Simonia* per profeſſionem Simoniace factam, manet ſic profitens excommunicatus, & tamen non poteſt redire ad ſæculum, ſed detineri jubetur in Monaſterio ſui Ordinis, ne damnabiliter vagetur, in quo validam eſſe profeſſionem ab excommunicato factam innuitur: ergo ſimiliter quæ admittitur ab excommunicato Prælato, ob eandem rationem: quia uterque ſe habet ut præbens conſenſum ad contractum, quo non privat cenſura. Ita docent Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 15. *&* *cap.* 3. *num.* 25. *&* 27. Sanchez *lib* 5. *cap.* 4. *n.* 36. 78. *&* 79. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 3. *num* 4. *& tom.* 6. *de cenſuris, diſput.* 2. *punct.* 15. Garcia *tract.* 3. *difficult.* 2. *dub.* 6. *num.* 2. *& dub.* 8. *num.* 10. Tambur. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 3. *num.* 23. *&* *q.* 19. *num.* 2. Rodrig. *quæſt. regul. tom.* 3. *quæſt.* 17. *art.* 14. Covarr. 4. *decretal.* 2. *p. cap.* 6. *num.* 3. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 4 *n.* 18.

Illicita eſt profeſſio facta ab excommunicato, vel ab excommunicato admiſſa.

21. Sed licet profeſſio valida ſit ab excommunicato emiſſa, vel admiſſa ab excommunicato Prælato, eſt tamen illicita. Et quidem ſi ſit excommunicatus vitandus (ut nominatim denuntiatus vel publicus percuſſor Clerici) erit illicita ex parte utriuſque, & aliqui volunt eſſe peccatum mortale: quia eſt communicatio in rebus ſpiritualibus cum excommunicato vitando, quod eſt mortale, ut diximus *tract* 10. *de cenſuris, cap.* 2. *num.* 6. & idem eſt de aliis circunſtantibus. Alii verius cenſent, non eſſe mortale, niſi in profeſſione addantur preces ab Eccleſia inſtitutæ (quod ferè ſemper fit in profeſſionibus ſolemnibus) quia licet communicatio ſit in ſpiritualibus, non verò in divinis Officiis. Sic Sanchez *n.* 36. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 16. Garcia *dub.* 6. *num.* 2. Tamb. *ſupra num.* 3. & alii. At ſi excommunicatus ſit toleratus, ipſe quidem peccabit graviter, vel leviter, juxta dicta, eo quod illi prohibita eſt per excommunicationem communicatio cum aliis; non verò eum admittens, vel aſſiſtentes: quia aliis non eſt prohibita communicatio cum excommunicato tolerato.

PUNCTUM III.

Ex quibus cauſis profeſſio facta, tacita vel expreſſa, reddatur nulla?

Ex triplici capite poteſt irrita reddi profeſſio.

22. PLURA quæ dicenda eſſent hoc Puncto, acta ſunt à nobis *cap.* 3. *punct.* 3. ubi egimus de his qui à natura vel à jure ſunt inhabiles ad ſtatum Religioſum. Omnes enim illi invalidam emittunt profeſſionem, ſed eos breviter modo recenſere libuit: remittendo Lectorem ad alia loca, in quibus fuſius egimus de eis. Igitur profeſſio poteſt reddi irrita vel ex parte admittentis ad profeſſionem, quando is non habet legitimam poteſtatem, vel eam coarctatam habet, vel quoad uſum impeditam, de qua materia egimus *toto puncto præcedenti.* Vel ex parte profitentis, ut ſi non habeat legitimam ætatem, vel aliquo jure […]itus ſit, & ex aliis rationibus poſtea recenſen[…], vel ex defectu conditionis à jure ad valorem requiſitæ, ut ſi non emittat tria ſubſtantialia vota, ſi non in Religione approbata, profiteator, de quo diximus *cap.* 1. *punct.* 1. Vel ſi ſub conditione ſubſtantiæ profeſſionis contraria, profiteatur ut dictum eſt *hoc cap. punct.* 1. *n* 4.

In dubio an profeſſio ſit valida, valida cenſenda eſt.

23. Sed in præſenti ſupponendum eſt, quod in dubio an profeſſio ſit valida vel non, præſumendum eſt, eſſe validam: quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis; ſed Religio eſt in poſſeſſione: ergo in dubio pro ea ſtare debet judicium. Eſſe autem in poſſeſſione Religionem, & non libertatem profitentis, probatur: quia pro eo ſtat poſſeſſio, pro quo ſtat juris præſumptio: ſed præſumptio juris ſemper ſtat pro valore actus, & pro Religione, quæ pro ſuo habet Religioſum: in dubio ergo de valore profeſſionis, tam in foro interno, quam externo, valida eſt judicanda. Ita Peyrin. *tom.* 2. *de Prælato quæſt.* 4. *cap.* 2. *num* 140. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 1. *num* 75. Tambur. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 16. *n.* 16. Sanchez *lib.* 7. *de matr. diſput.* 37. *num.* 12. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 2. *punct.* 7. *num.* 8 Diana 4. *p tract.* 4. *reſol.* 49. Garcia *tract.* 3. *diſp.* 4. *dub.* 3. *num.* 28. Quare, non poſſe Religioſum reclamare contra valorem profeſſionis, ſi dubius ſit, dicemus *capite* 5. *num.* 8 ubi toto illo puncto agemus, quando reclamare poſſit Religioſus contra profeſſionem, juxta Concilium Tridentinum. Vbi etiam *n.* 9. dicemus quando proteſtatio prodeſſe poterit illi, qui tacitè vel expreſsè profeſſus eſt. *& num.* 13. *&* 28. quomodo Prælatus poteſt permittere ut recedat à Religione eum, quem ſcit nulliter eſſe profeſſum, & *num.* 16. in quibus caſibus teneatur ratificare profeſſionem nulliter profeſſus, & in quibus non, ſed illi ſit liberum à Religione fugere.

Ob defectū Novitiatus integri, vel ætatis 16. annorum, invalida eſt profeſſio.

24. Igitur in primis eſt nulla profeſſio facta ante legitimum Novitiatum per annum integrum & interruptè peractum, juxta Concilium Trident. ut latè eſt à nobis diſcuſſum *cap.* 3. *toto punct.* 1. ubi §. 1. de conditionibus ad validum & licitum Novitiatum egimus, ubi etiam *n.* 20. egimus an Novitiatus ex aliquo defectu irritus vel nullus, ſit poſtea iterandus? de loco in quo peragendus eſt Novitiatus *toto* §. 2. egimus. Et de anno integro & continuo ad illum requiſito, *toto* § 3. Et quando interrumpatur vel non? Et an ſit dabilis caſus, in quo abſque præcedente anno integrò Novitiatus valeat profeſſio? egimus §. 4. ¶ Secundò ob defectum ætatis à jure requiſitæ, redditur nulla profeſſio. Et licet olim minor ætas requiſita eſſet ad profeſſionem, modo poſt Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. non poteſt quis validè profiteri, niſi poſt 16. annum expletum, ſivè Monialis, ſivè Religioſus, & debere annum dictum expletum Metaphyſicè eſſe, ita ut ſi deficiat una hora, nulla ſit profeſſio facta, nec dari circa hoc parvitatem materiæ tenent Villalobos *tom.* 2. *tract.* 35. *difficult.* 20. Garcia *tract.* 3. *difficul.* 2. *dub.* 4. *num.* 1. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 17. *&* 57. Leſſ. *lib.* 2. *capite* 41. *dub.* 7. *num.* 59. Tamb. *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 22. *n.* 2. Rodrig. *tom.* 5. *quæſt. regul. quæſt.* 5. *art.* 13. Lezana *tom.* 4. *verbo profeſſio num.* 11. Vecchis *diſput.* 13. *dub.* 2. *num.* 1. Sanchez *lib.* 5. *ſumm. cap.* 4. *num.* 4. *& lib.* 2. *de matrim. diſput.* 44. *n.* 22. Vti de anno Novitiatus, quod computari debet de momento ad momentum, diximus *cap. præced. num.* 15. An verò dies biſſextiles computandi ſint, vel an ſint computandi anni Eccleſiaſtici vel naturales? Vide quæ diximus *tom.* 3 *tract.* 8. *de Ordin. capite* 5. *num.* 32. ¶ Et dicta ætas 16. annorum, non tantum debet eſſe complet[a] à die Conceptionis, ſed à die Nativitatis, ut communi uſu receptum eſt; nemo enim, etiam

conceptus, natus dicitur antequam è matris utero egreſſus ſit. Sanchez *lib.4. ſum. cap. 35. num.4.* Bonacin. *decalog. diſput.4.quæſt.2.punct.7. §. 2. num.*10. Tambur. *ſupra num.*2. Garcia *numero* 1.

Defectus alii ex quibus irrita redditur profeſſio recenſentur.

25. Tertius defectus irritans profeſſionem eſt diverſitas ſexus, ut ſi fœmina in Congregatione virorum, vel vir in Congregatione fœminarum profiteretur. Quam profeſſionem eſſe nullam, nullamque parere obligationem profitendi poſtea, vel vivendi in congregatione proprij ſexus, diximus *cap. præced.num.*48. An verò talis profeſſio vim voti ſimplicis habeat, & aliæ de quibus *hoc punct.* dicemus, eſſe nullas, *infra num.*35. decidemus. ¶ Quartus defectus eſt libertatis, ut ſi ſervus abſque licentia Domini in Religione profiteretur, nulla eſt talis profeſſio, ut diximus, *cap.præced. num.*44. ¶ Quintus, quando eſt conjugatus, & matrimonium conſummavit, & abſque licentia alterius conjugis, non ſtante legitimo divortio, profitetur, nulla eſt talis profeſſio, ut diximus, *ibi num* 45. Sextus quando eſt ligatus dignitate Epiſcopali, ſi abſque licentia Pontificis, velit in Religione profiteri, nulla eſt talis profeſſio, ut ibi *num.*56. diximus. Septimus ſi profitens ſit demens, vel impotens præ morbo, aut ſenectute ad ſervanda Regulæ præcepta, ut ibi *num* 42. dictum eſt. Octavus, ſi interrogatus faceret defectum, cum quo irritatur à Religione profeſſio, modo, quo ibidem diximus *num.*62. Quod verò ſit ære alieno gravatus, aut reddendis ratiociniis obnoxius, quod Parentes egeſtate laborantes relinquat, quod ſit illegitimus, facinoroſus, morbo contagioſo laborans, vel ſanguine hæreticorum, vel aliorum infidelium infectus, quamvis illicitam reddat profeſſionem, non verò invalidam, ut *in cap.3. punct.3.* diverſis numeris diximus: niſi in Religione detur decretum irritans profeſſionem cum talibus defectibus factam, ut ibidem *num.*62. notavimus, & *hoc cap punct præced.* Vbi etiam diximus, an ſit valida profeſſio excommunicati, vel à Prælato excommunicato acceptata? & quando conditionata profeſſio ſit nulla, diximus *n.*4.

Profeſſio ex metu gravi facta nulla eſt, iure quidem poſitivo, non naturali.

26. Et quamvis *cap.3. n.*2. dixerimus Novitiatum per metum gravem aſſumptum eſſe validum, profeſſio verò ex metu gravi extorta nulla eſt, ſicuti eſt nullum matrimonium tali metu celebratum, quamvis alii contractus: quia diſſolui poſſunt, etiamſi validè celebrentur, non irritentur ipſo facto, eo quod ex metu gravi ſunt facti, ut diximus, *tom.3.tract.13.de contract. cap.1. num.*8. At matrimonium & profeſſio, cum ex ſe ſint contractus indiſſolubiles, ſi metu gravi celebrentur, ipſo facto ſunt irriti, cum non poſſint poſtea irritari, ut diximus *tom.2.tract.9.de matrim. cap.9 n.*2. Cæterum non eſſe ex jure naturæ irritos ibidem *num.*7. probavimus: ſed ex jure poſitivo. Ex quo jure eſſe irritos ibidem *num.* 7. probavimus: ſed ex jure poſitivo. Ex quo jure eſſe irritam profeſſionem ſupponitur, *in cap.1. de his quæ vi, Cap. cum dilectus eod. titulo Trident. ſeſſ.* 25. *cap.*19. *de regular.* & omnes DD. concedunt cum D. Thom. 2.2. *quæſt.*189. *art.*5. Videatur Leſſ. *lib.2.cap.41. dub.* 7. Palaus *diſput.6. punct.2. §.2. num.*1. Suar. *tractatu* 10. *lib.3. cap.6.num.*3. Tambur. *tom.3.diſp.6. quæſt.*19. *num.*8. & alij communiter. Quando verò dicatur metus gravis, ſeu cadens in virum conſtantem: ſufficiens ad irritandam profeſſionem, & an ſi ſit juſtè incuſſus, ad hoc ſufficiat, & aliæ quæſtiones circa hoc neceſſariæ, videantur quæ diximus *loco citato de matrimonio* per totum illud caput: quia omnes concedunt metum ſufficientem, vel inſufficientem ad irritandum matrimonium, ſufficere, vel non, ad reddendam irritam profeſſionem. ¶ Sed hîc advertimus metum gravem incuſſum Prælato ad acceptandam profeſſionem, eam non reddere irritam, quia metus ex ſua natura non dirimit profeſſionem, ſed ex jure Eccleſiaſtico, ut diximus: jus autem Eccleſiaſticum, ſolum de profitente loquitur, cui frequentius ſolet incuti metus, non de admittente, cui rarò. Nec in decretis irritativis facienda eſt extenſio de uno caſu ad alium, præcipuè ubi non eadem ratio currit, Suarez *tom.3. lib.6. cap.4. num.*19. Garcia *tract.3.difficul. 2.dub.7. num.*9. Palaus *diſp.2. punct.2. §.2.num.*2. Ant. à Spiritu Sancto *tract.3. diſp.3.n.*21.

Si metus incutitur Prælato admittenti, non vitiat profeſſionem.

Error circa ſubſtantiã, tam ex parte profitentis, quam admittentis vitiat profeſſionem.

27. Error autem, aut ignorantia circa ſubſtantialia Religionis irritam reddunt profeſſionem: quia hæc ut valida ſit, debet eſſe voluntaria: & nil magis voluntati contrarium eſt quam error, & quia deficit conſenſus liber, omnino requiſitus, ad valorem cujuſcumque contractus, cum nihil poſſit eſſe volitum, quin prius præcognitum fuerit, & hinc fit, quod ſi error contingeret ex parte admittentis: quia notabiliter deciperetur circa perſonam profeſſi, ut ſi putaret eſſe virum, quæ fœmina erat, nulla relinquitur profeſſio, defectu conſenſus requiſiti ex parte Religionis, quod rarò contigit; ex parte verò profitentis contingere poteſt, ſi vel ex dolo, aut errore, judicaret ſe non obligari in perpetuum, quod eſt contrarium ſubſtantiæ profeſſionis, ſi putaret ſe poſſe dominium conſervare, vel poſt tempus matrimonium ducere, vel alia contraria votis ſubſtantialibus, vel profiteretur in una Religione putans in alia profeſſionem emittere. In his & aliis caſibus, in quibus daretur error circa ſubſtantiam, tam ex parte profitentis, quam admittentis, nulla maneret profeſſio ex iure ipſo naturali, uti de matrimonio diximus, *tract.9.cap.10.num.*4. & de aliis contractibus *tract.13.cap.1. num.*19. & tenent omnes Authores, quos erit ſuperfluum recenſere.

Error circa accidentalia, non irritat profeſſionem.

28. Si tamen error, dolus, vel ignorantia fuerit circa accidentalia, ut ſi profitens ignoraret aliquas aſperitates Religionis, quibus cognitis, forte non profiteretur, vel admittens, aliquas qualitates ignoraret profitentis, quas, ſi noſſet fortè eum non admitteret, valida nihilominus profeſſio relinquitur, ut de matrimonio & aliis contractibus diximus *locis citatis*: quia jam adeſt conſenſus liber ſimpliciter & ſubſtantialiter ſufficiens ad quemlibet contractum. Atque ita de profeſſione docent Portel. *in dubiis regularibus verbo profeſſio num.*9. Rodrig. *tom.2. ſumm. cap.6. num.3.& quæſt.regul. tom.3. quæſt.17. art.*9. Palaus *diſput.2.punct.2.§.2.num* 3. Sanch. *in ſumm. lib.4. cap.2. num.4.10.& 11.& de matrim.lib.7. diſp.37. num.*53. *& diſp.9. à num.*18. Pellizzar. *tract.3. cap.1.n.*51. Trullench. *in decal.lib.2.cap.2. dub.*4. Vecchis *diſput.13. dub.*13. Garcia *tract.3. diff.* 2. *dub.2.num.*12. An vero poſſit à Religione ejici qui circa dicta accidentalia eam decepit, ut ſi eſſet morbo infectus Gallico, ſi ex progenie Iudæorum, ſi illegitimus, &c. jam diximus *cap.3. n.*64. & infra *cap.5. n.*91. iterum dicemus.

Ficta & doloſa profeſſio nulla eſt, in foro interiori.

29. Etiam eſt nulla profeſſio ficta & doloſa, facta abſque vero animo & conſenſu, tam ex parte profitentis, quam admittentis, in foro conſcientiæ

conſcientiæ & coram Deo, quamvis in foro externo obligetur ſtare promiſſis: quia abſque animo & voluntate nulla poteſt eſſe obligatio in promittente, & eſt de eſſentia cujuſlibet mutui contractus verus conſenſus ex parte utriuſque contrahentis, quod omnes tenent Authores; quomodo autem ratificandi ſit talis profeſſio nulla ob defectum conſenſus, dicemus *puncto ſequenti*, & an proficiat proteſtatio facta de non appoſito conſenſu in profeſſione tacita vel expreſſa *cap. 5. num.* 10. dicemus. Vbi etiam probabimus teneri ſic fictè profitentem profeſſionem ratificare, & non poſſe liberè fugere, *num.* 19. ¶ In præſenti autem eſt gravis difficultas, quæ intentio requiratur ex parte profitentis ad valorem profeſſionis (& eodem modo cum proportione Philoſophandum eſt ex parte admittentis) pro quo recolenda ſunt quæ diximus *tom. 2. tract. 9. de matrimonio cap. 1. n. 25.* fictè profitentem poſſe multifariam ſe habere. Primò ſi animum promittendi, vel profitendi non habeat, quamvis exterioribus verbis promittat. Secundò ſi vult quidem promittere, minimè tamen vult ſe obligare. Tertio ſi vult promittere & ſe obligare, animum tamen non habet adimplendi quod promiſit. Quibus ſuppoſitis, & aliorum prætermiſſis.

Mortaliter peccat qui abſque urgentiſſima cauſa dolosè profitetur, & profeſſio abſque animo facta eſt nulla.

30. Aſſerimus primò mortaliter peccare eum, qui quolibet ex tribus dictis modis fictè promitteret: quia licet nemo teneatur profeſſionem facere, nec Religionis ſtatum aſſumere, hoc ipſo tamen, quod illum accipere velit eo animo & intentione, qua Eccleſia & Religio vult accipi, tenetur accipere, promiſſionemque & profeſſionem emittere: aliter Eccleſiam & Religionem in re graviſſima deciperet, damnumque & offenſionem illis irrogaret. Sic Sanchez *lib. 4. ſumm. cap. 1. num. 23. & 38.* Suar. *tom. 2. lib. 5. de voto cap. 1. num. 6.* Bonacin. *tom. 2. diſp 4. q. 2. de voto. punct. 1. num. 15.* Palaus *tract. 15. diſput. 1. punct. 3. num. 5.* Tambur. *tom. 3. diſput. 6. q. 16. n. 4.* Peytin. *tom. 2. de Prælat. q 3 cap. 1 num. 137.* Garcia *tom 1. tract. 3. diffic. 2. dub. 2 num. 3.* Niſi ex graviſſima cauſa excuſaretur, ut ſi metu gravi cogeretur injuſtè profiteri, non peccaret, ſi animo non ſe obligandi, aut non vere profitendi, profeſſionem emitteret, ut ex ſe conſtat. ¶ Aſſerimus ſecundò quod ſi primo modo fictè profeſſionem emittat, nimirum abſque animo verè promittendi, aut profitendi, nulla erit in foro conſcientiæ talis profeſſio. Ita omnes citati Authores, quia obligatio voti, utpotè lex particularis pendet ex intentione voventis; ſed hic non ſolum non habet animum ſe obligandi, ſed neque verè promittendi: non ergo manet aliqua obligatione ligatus, aut verè profeſſus.

Vera eſt eſt profeſſio eius qui negativè non habet intentionē, ſed neque contrariam habet; ſecus verò ſi iſtam habeat.

31. Aſſerimus tertiò quod ſi quis profiteatur animo profitendi aut promittendi, ſed abſque animo ſe obligandi negativè: quia nimirum talem animum poſitivè non habuit, aut ex oblivione, aut negligentia, non tamen habuit animum contrarium, vera fuit talis profeſſio; ſi tamen poſitivum animum habuit non ſe obligandi, ſive ſciret ex tali voto obligationem oriri, ſive non, nulla fuit & irrita profeſſio. Vtramque partem aſſertionis tenent præcitati Authores, & alii quos dedimus loco proximè citato de matrimonio à *num. 25. uſque 33.* Et ex ibidem dictis prima pars probatur. Quia qui vult promittere abſque alio animo contrario, vult conformiter ad naturam promiſſionis illam facere; ſed de natura profeſſionis eſt obligationem gignere: ergo qui vult verè profiteri, etiamſi non habeat animum poſitivum ſe obligandi, manebit obligatus, eo quod qui vult ipſam promiſſionem, virtualiter & interpretativè cenſetur obligationem velle: quia qui vult antecedens vult etiam conſequens. *l. 1. §. 2. ff. ſi uſufructus.* ¶ Secunda vero pars probatur. Tum ex eo quod *numero præced.* diximus, quod votum & promiſſio non obligat ultra intentionem promittentis. Tum etiam: quia conditio contraria ſubſtantiæ contractus invalidat ipſum contractum, ut ſupra *num. 4.* diximus; ſed qui habet poſitivam intentionem non ſe obligandi, ponit conditionem contrariam ſubſtantiæ profeſſionis, de cujus ratione eſt ipſa obligatio: ergo ipſam profeſſionem annullat.

Valida eſt profeſſio ejus qui nō habet animum adimplendi promiſſum.

32. Aſſerimus quartò, quod ſi quis tertio modo fictè profiteretur: quia nimirum haberet animum promittendi, ac profitendi, & ſe obligandi; ſed non adimplendi promiſſum, valida eſſet talis profeſſio, & ille maneret obligatus, quidquid in contrarium dicat Valencia. *22. diſput. 6. quæſt. 6. punct. 2. verſiculo: ſi autem dicatur.* Sed probatur noſtra aſſertio: primò quia eſt diverſa intentio ſe obligandi ab intentione exequendi opus promiſſum, & poteſt una ſalvari ſine alia; ſed de ſubſtantia profeſſionis eſt intentio promittendi & ſe obligandi: ergo etiam, ſi non detur intentio exequendi, ſalvatur vera & ſubſtantialis profeſſio. Secundò, quia quia ſi clericus concubinam habens, ad Ordinem Sacrum recipiendum accederet animo ſe Ordinandi, & conſequenter promittendi caſtitatem, & ſimul cum intentione concubinatum continuandi, hic verè Ordinatus maneret, & voto Caſtitatis adſtrictus: ergo ſtat aliquem habere intentionem ſe obligandi per votum, illiuſque obligationem ſubire, etiamſi non habeat animum obſervandi quod vovit: ergo ſimiliter in noſtro caſu, atque ita docent Suar. *tom. 2. lib. 1. de voto cap. 4. num. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 1. num. 7.* Garcia *ſupra n. 7.* Bonacin. *punct. 2. num. 14.* Sanchez *num. 23.* Miranda *in manual. tom. 1. quæſt. 25. art. 14.* Lezan. *tom. 1. c. 2. numero 27.* Machado *libro 2. parte 3. tractatu 10. docum. 5.*

Qui ob defectum ætatis, aut annus probationis, nulliter profitetur, nullomodo manet obligatus.

33. Reſtat nunc illam reſolvere quæſtionem: an profeſſio nulla; ſaltem ut votum ſimplex obliget? Circa quam, ut certum apud omnes ſupponimus, quod ſi nulla fuerit ob defectum ætatis, aut annus probationis; etiam ut votum ſimplex non obligat. Quia in Trident. *ſeſſ. 25. capite 15. de regular.* Sic dicitur: *Sic profeſſio antea facta, ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcumque effectus.* Et idem dicimus quando impedimentum, ob quod fuit nulla profeſſio, etiam votum ſimplex cum illo emiſſum annullat; quia tunc prorſus irritavit profeſſionem, etiam in vi voti ſimplicis, ut defectus conſenſus liberi & ſpontanei ex quocumque capite proveniat, ut ex ignorantia, metu, errore: quia cum illis etiam votum ſimplex manet invalidum. Quæſtio igitur eſt, quando nulla eſt profeſſio ex aliis capitibus, vel ob defectum poteſtatis in admittente, vel quia Religio non erat approbata, vel quia ſervus ſine conſenſu Domini, vel conjugatus ſine conſenſu uxoris profeſſus eſt, & aliis caſibus, in quibus diximus invalidam eſſe profeſſionem: Quæritur an hic profitens teneatur v.g. votum Caſtitatis obſervare in vi voti ſimplicis, quamvis non

ut

Qui ſolum ſe intendit obligare ad vota in Religione, ſi nulla ſit profeſſio in vi voti ſimplicis non manet obligatus.

ut ſolemne? ❡ Et non eſt quæſtio quando expreſsè profitens intendit ſolum ſe obligare ad illa vota in Religione: quia ſic certum eſt nullam in eo obligationem gignere talia vota, ſi profeſſio facta ſit nulla: quia votum non operatur ultra intentionem voventis; ſi ergo vovens ſolum ſe vult obligare expreſsè ad illa vota ut conſtituentia ſtatum Religioſum, ſeù ad illa in Religione obſervanda, non manebit ab eis obligatus, ſi alias ſint nulla ad conſtituendum talem ſtatum, & ècontra ſi vovens expreſsè ſe intendat obligare independenter à Religione, quis dubitare poterit adſtrictum manere illis votis, ut ſimplicia ſunt, quamvis non ut ſolemnia? quæſtio ergo eſt quando nec expreſsè intendit unum, nec aliud; ſed abſolutè emittit vota, ſicut fieri ſolet in profeſſione, an ſi talis profeſſio abſolutè facta, ſit nulla in caſibus dictis hoc numero, maneat profitens obligatus illis votis ut ſimplicibus, licet non ut ſolemnibus? Duplex datur ſententia, & utraque ſatis probabilis.

In nullo caſu profeſſionem nullam habere vim voti ſimplicis aliqui judicant.

34. Prima ſententia negat talem profeſſionem in vi voti ſimplicis obligare, & probatur: Primò, quia quod nullum eſt, nullum poteſt parere effectum; ſed profeſſio fuit nulla: nulla ergo ex ea obligatio conſurgit. Secundò: quia ille non intendit vovere niſi in Religione, & ut fiat Religioſus, & ſi interrogaretur, diceret non eſſe aliam ſuam mentem. Tertiò: quia matrimonium nullum ex quocumque defectu, non habet vim ſponſalium, tametſi ſponſalia contrahi poſſent abſque tali defectu, ut de matrimonio clandeſtino diximus, *tract. 9. cap. 1. numero* 54. & de aliis communiter docent DD. excepto illo, quod celebratur inter impuberes, quod propter ſpecialem rationem ibi *num.* 51. *&* 56. tactam habet vim ſponſalium, quamvis ſit nullum in ratione matrimonii: ergo ſimiliter votum ſolemne in ratione talis nullum, nec etiam habebit vim voti ſimplicis: quia utrobique eadem currit ratio, ſiquidem quod nullum eſt, nullum parit effectum, atque ita docent Leſſ. *lib.* 2. *capite* 41. *dub.* 1. *num.* 14. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 9. *verſu: tertio eſt notandum.* Tambur. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſit.* 13. *num.* 4. *&* *quæſit.* 16. *n.* 16. Vecchius *diſput.* 14. *dub.* 1. *num.* 3. Palaus *tract.* 16. *diſputat.* 2. *punct.* 4. *num.* 1. Hieronym. Garcia *in polit. regul. tom.* 1. *tractatu* 3. *difficult.* 4. *dub.* 3. *num.* 1.

In aliquibus caſibus profeſſio nulla vim voti ſimplicis habet.

35. Secunda, & verior ſententia, dicit in profeſſione duo reperiri & traditionem ipſam, qua quis ſe tradit obſequendum Deo in Religione, quæ eſt quaſi effectus reſultans ex votorum emiſſione ut ſolemnicata, ſeu ſecundum ſolemnitatem ſubſtantialem, qua differt à votis ſimplicibus, & ipſa vota ſecundum ſpeciem talium, ſecundum quam rationem ſunt ejuſdem ſpeciei cum votis ſimplicibus, ut ſupra *capite* 1. *num.* 38. diximus. Et ſi ergo profeſſio ſit nulla in ratione voti ſolemnis, & ſic nullum pariat effectum, proindeque nulla ſit traditio inde reſultans, in ratione tamen voti ſecundum ſpeciem talis, valida eſt, & ſic in vi voti ſimplicis obligationem gignens, proindeque ſic eſſe interpretandam voluntatem voventis (quoties de oppoſita non conſtat intentione) quod vult ſe obligare ad illa vota quantum ſibi poſſibile eſt: & ſic ad illa ut ſimplicia, licet non ut ſolemnia, & conſtituentia ſtatum Religioſum, quod ex ipſo opere exhibito colligitur, quidquid ſit an ſi tunc interrogaretur, aliter reſponderet: per quod manent contraria argumenta ſoluta. Et eſt diſpar ratio inter matrimonium nullum & profeſſionem irritam, ut illud vim ſponſalium non habeat, & iſta habeat vim voti ſimplicis: quia cum ſponſalia ſint præambula ad matrimonium, qui inhabilis eſt ad iſtud, etiam ad ſponſalia eſt inhabilis; at inhabilis ad vota ſolemnia, habilis eſſe poteſt ad ſimplicia, atque adeò profeſſionem nullam vim voti ſimplicis habere, eſſe ſententiam communiſſimam docet Sanchez *lib.* 5. *ſumm. cap.* 4. *num.* 104. & ipſe tenet *num.* 105. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. *&* 28. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 74. Azor. *lib.* 12. *cap.* 1. *quæſt.* 3. *fine*, Tabiena *verbo Novitius*, *q.* 8. *n.* 9. *fine.* Navarr. *lib.* 3. *conſilior. conſilio de regularib. in* 1. *editione conſil.* 18. *& in* 2. *conſil.* 19. *fine.*

Præcedens concluſio efficaciter probatur.

36. Et probatur primò: quia quando actus non valet eo modo quo fit, valet eo modo quo fieri poteſt. *Cap. unico de diſpenſat. impuber. in* 6. Et ob eam rationem ibi deciditur matrimonium impuberum, quod defectu ætatis non valet in ratione matrimonij, valet in ratione ſponſalium, quæ in ea ætate contrahi poſſunt; ſed in noſtro caſu qui invalidè profitetur, licet non poſſit emittere vota ut ſolemnia, poteſt ut ſimplicia: ergo in vi voti ſimplicis, manet obligatus, licet non in ratione voti ſolemnis. ❡ Secundò, quia quando actus qui fit, includit actum qui fieri poterat, tunc ſi eſt invalidus eo modo quo fit, valeat ſaltem eo modo quo fieri poterat, ut docent Canoniſtæ, teſte Covarruvias, 4. *Decretal.* 2. *parte cap.* 3. Sed in noſtro caſu votum ſolemne, quod nulliter fit, in ratione talis, includit votum ſimplex, quod valide fieri poterat: ergo licet non valeat in ratione voti ſolemnis, valet in ratione voti ſimplicis. ❡ Tertiò quia *in cap. quidam, cap. placet de converſ. conjugat.* Deciditur quod conjugati profeſſio abſque licentia conjugis facta (quæ planè fuit nulla) obligat ad non petendum debitum, & ad abſtinendum à contrahendo matrimonio, mortuo conjuge, ob votum caſtitatis in illa profeſſione emiſſum. Ecce profeſſio nulla, in vi voti ſimplicis obligans, & eadem ratio erit de aliis. In omnibus ſiquidem præſumit jus velle voventem, niſi de oppoſita conſtet voluntate, ſe obligare ad caſtitatem ſimpliciter, licet ex aliquo capite vitietur ipſa profeſſio.

PVNCTVM IV.

Quomodo profeſſio nulla poſsit ratificari?

Aliquæ profeſſiones ita ſunt intrinſecè nullæ ut non poſſint ratificari.

37. IN præſenti non diſputabimus de obligatione, quam habet nulliter profeſſus, ad ratificandam profeſſionem, & an poſſit liberè fugere Religionemque deſerere? quia de hoc commodius agemus *cap. ſequenti à num.* 16. Loquimur ergo de modis, quibus illam, ſi velit, ratificare poſſit: & quæ ſint neceſſariæ conditiones ad hunc effectum. Et loquimur de profeſſione illa nulla, quæ eſt capax ut ratificetur. Sunt enim aliquæ profeſſiones, ita intrinſecè invalidæ, ut nullo modo ratificari poſſint, ut ſi in Religione non approbata per Sedem Apoſtolicam emiſſa eſſet, & profeſſio perpetui amentis, vel ſi in Religione eſſet ſtatutum ut nulla eſſet profeſſio facta ab infecto ſanguine, ab illegitimo, à quinquagenario: quia nunquam ratificari poteſt quæ valide

fieri

fieri nequit, & valida fieri non poteſt niſi ablatis impedimentis, quæ in caſibus dictis nunquam auferri poſſunt. Lezana *tom. 4. verbo profeſſio numero* 20. Sanchez *libro quinto, ſumm. capite primo, num.* 2. Peyrin. *tom.* 2. *de Prælat. quæſtione* 3. *cap.* 1. *num.* 142. Tamburinus *tom.* 3. *diſputatione* 6. *quæſtione* 17. *numero quarto*. Loquimur ergo quando talia impedimenta quæ nullam ab initio profeſſionem effecerunt, jam penitus ceſſarunt.

Præciſè ob fluxum temporis non ratificatur profeſſio nulla.

38. Et ſupponimus in præſenti profeſſionem invalidam nunquam confirmari præciſè ob tractum temporis, etiam ablato defectu ob quem invalida fuit. Sed deberi de novo aliqua valida & rata profeſſio fieri ejus loco: Vnde ſi quis verbi gratia ante 16. annum profeſſus fuiſſet, non revalidatur talis profeſſio, impleta illa ætate, ſed requiritur novus conſenſus exterius manifeſtatus, novaque profeſſio, quando defectus eſt ex parte ipſius profitentis, ut in caſu poſito, tum quia non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non ſubſiſtit. *Regula* 18. *iuris in ſexto.* Qua ratione matrimonium nullum, non incipit valere ob fluxum temporis, niſi novus conſenſus contrahentium apponatur, ut diximus in ejus *tractatu capite* 3. *numero* 111. Tum etiam: quia ratificatio actus invalidi, non eſt aliud quam novus actus, ut affirmat Menochius *tom.* 1. *conſiliorum. conſil.* 80. *numero* 666. Tum denique: quia ad ſubſtantiam profeſſionis conſenſus validus & legitimus omnino requiritur; ſed prior conſenſus nullus fuit, nullamque obligationem generavit: ergo remoto defectu debet conſenſus novus apponi, qui obligationem poſſit inducere, atque ita docent Palaus *tractatu* 16. *diſputatione* 2. *punct.* 5. *numero* 2. Lezana *tom.* 1. *capite* 2. *num.* 9. & *tom.* 4. *verbo Profeſſio numero* 23. Hieron. Garcia *in polit. regul. tom.* 1. *tract.* 3. *difficult.* 4. *dub.* 3. *numero tertio*, Peyrin. *tom.* 2. *de Prælat. quæſtione* 3. *cap.* 1. *num.* 142. Bartholomæus à S. Fauſto. *libro quinto, quæſtione* 251. *num.* 1. Suar. *Libro* 7. *cap.* 2. *num.* 3. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 17. *num.* 1.

Omnino requiritur cognitio nullitatis profeſſionis ad ratificationem illius.

39. Quæritur ergo Primò: an requiratur ad ratificationem profeſſionis ut ratificans ſciat nullitatem ſuæ profeſſionis, & eam jam nullam cognoſcens, velit ratam & validam efficere? Reſpondetur, omninò talem notitiam requiri, alias quantumvis profeſſionem reiteret, publicè vel ſecretò, ſemper manere cum eodem nullitatis defectu, niſi ſciens & volens iterare velit: quia ſine tali cognitione, non poteſt novus conſenſus ſufficere ad profeſſionem ratam habendam. Quia ratificans non cenſetur habere animum abſolutum profitendi. Sed ex ſuppoſitione falſa prioris profeſſionis factæ, in illam conſentit; cum maximè contrarius ſit conſenſui error. *L. ſi per errorem, ff. de juriſdictione omnium judicum.* Atque ita docent Pellizzar. *tractatu* 3. *capite quinto, numero quinquageſimoſeptimo*, Garcia *tractatu* 3. *difficultate* 4. *dub.* 3. *numero quarto*, Bonacin. *de clauſura quæſtione* 2. *punct.* 10. *difficult.* 1. *numero tertio*, Lezana *tom.* 1. *capite ſecundo, numero* 9. Suarez *tom.* 3. *libro ſeptimo, capite* 1. *numero quarto*, Sanch. *libro quinto, capite* 1. *numero* 59. Peyrin. *ſupra numero* 144. Palaus *punct.* 6. *numero* 7. Tamburinus *quæſit.* 17. *numero quinto*, & *quæſit.* 23. *numero* 4. Vnde, non dicitur aliquis de novo ratificare profeſſionem, quando putans fuiſſe validam ab initio, eam approbat & renovat, niſi ratificet eo expreſſo animo, ut ſi ex aliquo capite invalida fuit, ex nunc eam ratam habere vult: quia eſto in eo caſu non cognoſcat determinatè eam invalidam eſſe, apprehendit tamen hoc ſub ſtatu poſſibili, & ſub ea hypotheſi eam ratificare intendit, quod ſufficiens eſt ad invalidam profeſſionem ratificandam, ut tenent Palaus, Pellizzar, Leſſius, *locis ſupra citatis.*

Novitiatus ſi completus fuit, iterandus non eſt ad ratificandã profeſſionem.

40. Quæritur ſecundò: an poſt ablationem defectus, ob quem fuit nulla profeſſio ſit iterandus annus Novitiatus, ut profeſſio ratificari poſſit? In quo ſupponimus ut certum apud omnes omninò requiri ut valide ratificetur profeſſio, quod annus integer probationis impleatur ut ſi ex defectu anni ſit nulla profeſſio, quia duo vel tres menſes defuerunt, annus integer compleatur, ita ut computato tempore quo fuit in Novitiatu, & illo, quo poſt cognitionem nullitatis, voluit ratificare & perſeverare, annus integer reſultet: quia Concilium in omni caſu annum integrum probationis ad profeſſionem præcedere expoſtulat, ut diximus *cap.* 3. Nec refert ſi eo tempore non exerceat actus Novitiorum, nec habitum portet Novitiorum, ſed profeſſorum: quia nec habitus nec Novitiorum exercitia, ſunt de ſubſtantia Novitiatus, & ita ſub eo habitu & exercitiis profeſſorum poteſt deſideratum tempus ſupplere. Quo ſuppoſito, dicimus quod ſi ex aliis defectibus profeſſio ſit nulla, & etiam ſi ipſe annus Novitiatus nullus fuerit, ſi tamen fuit integer, & interruptus, non eſt iterandus Novitiatus ad ratificandam profeſſionem, ut diximus *cap.* 3. Quia jam eſt ſatisfactum menti Eccleſiæ aſſignantis annum Novitiatus, ut nimirum & ipſe probet Religionis auſteritates, & ab ea probari poſſit utrum ſit ad ſtatum idoneus? Atque ita docent Bonacin. *de clauſura quæſtione* 2. *punct.* 10. *difficul.* 1. *numero* 5. Garcia *tractatu* 3. *diffinitione* 4. *dub.* 3. *numero* 9. & 10. Leſſius *libro ſecundo, capite* 41. *dub.* 7. *numero* 66. Palaus *diſputatione* 2. *punct.* 6. *numero* 7. Suarez *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 1. *à num.* 8. Peyrin. *tom.* 2. *de Prælat. quæſt.* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 147. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 37. *à n.* 45. Lezana *tom.* 1. *cap.* 2. *n.* 9. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſput.* 3. *num.* 141.

Tria notanda proponuntur.

41. Sed hic tria ſunt notanda. Primùm, non eſſe opus ad ratificandam profeſſionem, ſolitas ceremonias profeſſionis obſervare, cum hæc non ſint de illius eſſentia, ſed ſolum ad ornatum pertineant. ¶ Secundò, poteſt non ſolum expreſsè, ſed etiam tacitè profeſſio nulla ratificari, habitum profeſſorum portando, & illorum exercitiis ſe ingerendo poſt notitiam nullitatis profeſſionis, quia his poſitis, jus præſumit velle ratificare profeſſionem. Sed hæc præſumptio dum non conſtat de oppoſito animo, niſi poſt quinquennium, non inducitur: quia Tridentinum *ſeſſione* 25. *capite decimo quarto*, per totum illud tempus concedit poſſe reclamare contra profeſſionem, & ſic non præſumit niſi eo tranſacto ratificatum eſſe, ut diximus & tenent Sanchez *numero* 10. Palaus *numero quinto*, ¶ Tertio Religioſum ratificantem profeſſionem gaudere omnibus privilegiis, honoribus, antiquitate &c. ac ſi ab initio verè profeſſus fuiſſet, quia ratificatio eſt veluti quædam ratihabitio, quæ retrotrahitur ad diem actionis quæ ratificatur,

catur, ut tenet Bonacina *quaſt. 2. punct. 10. diffi-cult. 1. num. 6.*

Semper requiri novū conſenſum ex parte utriuſque partis ad ratificationem profeſſionis, aliqui dicunt.

42. Quæritur Tertiò: An ut profeſſio nulla ratificetur, requiratur quod de novo apponatur conſenſus exterius explicatus, tam ex parte ratificantis quam ex parte Prælati & Conventus admittentis? Supponimus ad reſolutionem, profeſſionem vitiari poſſe, vel ſolum ex parte profitentis, ut ſi non conſenſit, ſi metu aut dolo fuit facta, &c. Vel ex parte admittentis, ut ſi non habuit legitimam poteſtatem, ſi non conſenſit, vel ex dolo circa ſubſtantiam, conſenſum præbuit; vel ex parte utriuſque ob impedimentum, quod in favorem Religionis & profitentis à jure ſtabilitum eſt, ut ſi non peregit integrum annum Novitiatus, ſi 16. annum non explevit, ſi conjugatus eſt, aliove juris impedimento irretitus, quod tangit utramque partem. Igitur prima ſententia dicit, abſolutè in quocumque caſu, requiri ſemper novum & verum conſenſum exterius explicatum ex parte utriuſque partis, etiamſi defectus ſolum ſit ex parte unius, verbi gratia, Profeſſi: quia hoc ipſo eſt nullus conſenſus præſtitutus à Profeſſo: ergo etiam conſenſus, quem tunc præſtitit Religio nullus fuit. Tum, quia non poteſt eſſe verus conſenſus acceptandi obligationem, quæ nulla eſt. Tum etiam, quia non poteſt eſſe verus conſenſus ex parte Religionis ſe obligandi ad regendum, alendum, & dirigendum eum, qui non ſe obligavit ad Religionem obſequendam: ergo ſicut requiritur quod ex parte illius novus apponatur conſenſus, quia prior fuit nullus, ita ex parte iſtius. Sic Azor *lib. 12. capito quarto, quaſtione* 4. Baſilius Pontius *de matrimonio libro quarto, capite vigeſimo quinto, in fine*, Palaus *diſputatione 2. punct. 5. numero ſecundo*, & alii, quos refert Sanchez *de matrim. libro 2. diſputatione* 31. *num.* 8.

Sententia aſſerens requiri conſenſum novum ſolum ex parte illius, ratione cujus datur defectus.

43. Secunda ſententia dicit, quod ſi defectus ſolum ſit ex parte unius partis, ſufficit ſi ex parte illius novus apponatur conſenſus; ſi vero ſit ex parte utriuſque, requiritur utrimque novum apponi conſenſum. Unde, dicit quod ſi defectus ſit ex parte Religionis, perſeverante profeſſo in priori voluntate non mutata per actum contrarium, ſufficit quod illius nomine, legitimam habens poteſtatem, ratam habeat profeſſionem. Et ſi defectus ſit ex parte profeſſi, ſufficit quod Religio in priori perſeveret voluntate (quod cenſendum eſt, niſi de oppoſito conſtet) & profeſſus ſolus coram Deo ratificet profeſſionem, actu aliquo externo, ſuam ſignificando voluntatem, ut in ſimili caſu de matrimonio diximus, *tractatu 9. capito tertio, numero* 118. At ſi ex parte utriuſque fuit defectus, debet tam Religio acceptare de novo profeſſionem, quam profeſſus de novo illam emittere, uti de matrimonio nullo ob impedimentum tangens utrumque conjugem, diximus loco citato *numero* 111. & 122. debere ex parte utriuſque apponi novos conſenſus ut revalidetur. Ratio utriuſque partis eſt; quia quando ex parte utriuſque fuit impedimentum, conſenſus prior nullus fuit ex utraque parte: ergo utrimque debet verus & novus conſenſus apponi, eo quod tractu temporis non ſubſiſtat quod ab initio fuit nullum; at quando ex una parte fuit ſolum impedimentum, altera quantum eſt ex parte ſua verum & validum appoſuit, qui, ut ſupponitur, retractatus non eſt, & ſic permanet virtualiter, ac ſufficienter, ut ablato impedimento, & appoſito ex altera parte conſenſu, ſimul cum illo contractum perficiat. Sic Sanchez *libro quinto, ſum. capito quarto, numero* 80. & 81. & *de matrimonio, libro ſeptimo, diſputatione 37. à numero* 62. Suarez *tom. 3. de Relig. libro ſeptimo, capito primo, numero* 20. Leſſius *libro ſecundo, capite 41. dub. 7. numero* 67. Tamburinus *tom. 3. diſputatione 6. quaſtione 17. numero ſecundo*, Pellizzar. *tractatu 3. capito 1. num.* 43. & 44.

Sententia quæ affirmat nunquā requiri ex parte Religionis novum conſenſum.

44. Tertia ſententia aſſerit in nullo caſu requiri ex parte utriuſque novum conſenſum; ſed ſufficere, verbi gratia, eum qui nulliter profeſſus eſt vel ob metum, defectum ætatis, annum Novitiatus, quod ipſe conſenſum apponat. Et probatur Primò: quia in Concilio Trident. *ſeſſione 25. capite 19. de Regularibus*. Ubi præſumit profeſſum nulliter ante ætatem legitimam, vel annum, vel per vim aut metum, vel ex alio defectu ratificare profeſſionem ſi per quinquennium habitum profeſſorum portet, & illorum exercitia faciat; nulla mentione facta conſenſus Religionis. Et *in cap. ad noſtram, cap. ſignificatum de Regularibus*. Nulliter profeſſus ob defectum ætatis, cenſetur ratificare ſuam profeſſionem per delationem habitus profeſſorum & eorum exercitia, nulla facta mentione conſenſus Religionis. ¶ Secundò, quia licet quantum eſt ex natura rei requiratur novus conſenſus ex parte admittentis, cum prior fuerit nullus, ſicut de matrimonio diximus, ſed pro bono pacis, & Religioſorum conſolatione, Pontifex ut ſupremus Prælatus Religionum, nomine Religionis, dictam profeſſionem acceptat. *in cap. ſignificatum de Regularibus, capito primo, eodem titulo in* 6. ut teſtantur ex contrariis Palaus *numero quarto*, Leſſius *numero ſexageſimo primo*. Tamburinus *numero ſexto*, Sanchez *loco citato de matrimonio, numero* 64. Et ideò hanc ſententiam valdè probabilem dicit Sanchez *locis citatis*. Lezana *tomo quarto, verbo profeſſio, numero 20. & tomo 1. capito ſecundo, numero ſeptimo*, eamque tenent Sylveſter *Religio 5. quaſtione 2. fine*. Navarr. *libro tertio, conſilior. de regul. conſil. 27. numero ſecundo*, Bonacina *de clauſura quaſtione ſecunda, punct. 10. difficult. 1. numero 4.* Peytin. *tom. 2. de Pralato, quaſtione 3. capito numero* 146. Ant. à Spiritu Sancto *tractatu 3. diſputatione 3. numero* 140. Et ſibi contrarij Pellizzar. *tractatu 3. capite quinto, numero* 13. 30. & 57. Tamburinus *tom. 3. diſputatione 6. quaſit. 7. numero 6. & quaſit. 23. n. 5.*

Ex tribus ſententiis tertiam eligimus cum quadam limitatione.

45. Ex his tribus ſententiis eligimus hanc tertiam, quando exiſtente defecto ex parte utriuſque, profeſſus novum apponit conſenſum: quia tunc conſenſus apponendus ex parte Religionis ſuppleri poteſt à Pontifice, & de facto ſuppletur loco citato; at non ſufficiet in eo caſu quod Religio novum apponat conſenſum, & requiritur quod etiam ex parte profeſſi novus conſenſus apponatur: quia cum iſtius ſemper requiratur verus conſenſus, ſive defectus ſe teneat ex parte illius, ſivè ex parte utriuſque, & talis conſenſus non poſſit ſuppleri ab Eccleſia, non

ſufficit,

ſufficiet quod Religio defectum cognoſcat, & conſenſum apponat, ut cenſeatur ratificata profeſſio, ſed ex parte utriuſque debet dari, ſicut ob eam rationem debet dari ex utraque parte in matrimonio. At ut Religioſus ipſe ſuam ratificet profeſſionem, undecumque defectus proveniat, ſufficit ſi conſenſum novum exterius explicatum per portationem habitus profeſſorum, & exercitia eorum apponat, ut ratificetur, & firma maneat profeſſio: etiamſi nec Religio aut Prælatus de novo eam acceptet, quia à Summo Pontifice acceptatur nomine Religionis, potente ſupplere defectum illius.

PUNCTUM V.

De effectibus ex valida profeſſione provenientibus.

Per profeſſionem pleniſſima omnium peccatorum condonatio acquiritur.

46. IN præſenti non loquimur de privilegiis, exemptionibus, aliiſque favoribus Religioſis perſonis competentibus: quia de his infra inſtituemus ſpecialem tractatum. Sed de effectibus communibus; qui præciſè ex vi ſolius profeſſionis ſubſequuntur. Quorum unus eſt pleniſſima omnium peccatorum condonatio, non quoad culpam, cum non ſit Sacramentum; ſed quoad omnem pœnam temporalem pro ipſis in purgatorio debitam. Vnde D. Hieronymus *in epiſtol. 8. & 25.* appellat profeſſionem ſecundum baptiſma, & colligitur, *ex cap. quis aliquando, §. his authoritatibus de pœnitentia diſp. 1. & ibi Gloſſa verbo: totum.* Quod cognovit Iuſtinianus Imperator, dum *authentica de monacis collatione 1. initio* dicit *Converſationis Monachalis vita, ſic eſt honeſta, ſic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat.* Tenetque D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 189. *articulo tertio, ad 3. & in 4. diſ. 4. quæſtione 3. articulo 3. quæſtione 3. ad 3.* & cum eo omnes. ¶ Sed ut talis condonatio obtineatur debet eſſe in gratia Religioſus. Si enim in mortali profeſſionem emittat, eam non lucrabitur: imò nec eo ablato reviviſcet: quia non eam cauſat, ſicut baptiſmus, ex opere operato, ſed ob excellentiſſimum opus ſatisfactorium à Profitente exhibitum, & ſic ex merito ipſius, operis excellentiſſimi. Vnde ſicut alia opera ſatisfactoria in mortali exhibita, non reviviſcunt ablata culpa, ita nec talis condonatio. Caietanus 2. 2. *quæſtione* 189. *articulo tertio, fine*, Lezana *tom. 1. capite 3. numero* 1. Sanchez *lib. 5. ſum. capite 5. num.* 4.

In quo differat hæc condonatio à plenaria Indulgentia?

47. Vndè infertur hanc pleniſſimam condonationem non eſſe verè Indulgentiam Plenariam, quamvis in effectu, qui eſt omnem pœnam in Purgatorio debitam expiare, cum ea conveniat. Differt verò, quod illa conceditur ex Chriſti & Sanctorum ſatisfactione in theſauro Eccleſiæ depoſita, applicataque per Summum Pontificem. Profeſſio autem, non ex Pontificia conceſſione illum theſaurum applicante, ſed merito ipſius operis excellentiſſimi excedentis quamcumque debitam ſatisfactionem pro peccatis, provenit, Navarr. *de Indulgent. Notabil. 20. numero decimo-ſeptimo*, Tamburinus *tom. 3. diſputatione 6. quæſtione vigeſima ſeptima, numero* 8. Vecchius *diſputatione decima tertia, dub. 5. numero ſexto*, Sanchez *numero ſexto*, Lezana *numero primo.* Quoties verò profeſſio nulla ratificatur, eadem; ſecundum omnes, condonatio adipiſcitur. At verò ſi profeſſio valida iterum, atque iterum renovetur, aliqui dicunt non ob id de novo lucrari talem condonationem: quia renovatio non eſt opus ita meritorium & ſatisfactorium, ſicut prima traditio, cum ibi non interveniat tanta difficultas, ſic Vecchius *numero ſeptimo*, Sanchez *numero quinto*, Lezana *numero primo.* Alii benignius id aſſequi concedunt, ſi tali affectu renovat Religioſus ſuam profeſſionem, quod de novo tunc illam emitteret, ſi nondum eam emiſiſſet, quia ſi quis memor peccati à ſe facti, de illo gauderet, puniendus eſſet ac ſi de novo illud commiſiſſet, etiam qui memor alicujus actus heroici à ſe facti, gaudet modo dicto, de illo, conſequitur eandem veniam, ut credi debet, de divina bonitate, ſic tenet Layman. *libro quarto, tractatu 5. capite 10. numero ſecundo*, Palaus *tractatu 16. diſputatione 2. punct. 8. numero tertio*, Peyrin. *tom. 2. de prælat. quæſtione 3. capite primo, numero* 154. Pellizxar. *tractatu 3. capite 4. numero decimo quinto*, Villalobos, quem refert & ſequitur Ant. à Spiritu Sancto *tractatu 3. diſputatione 3. numero* 179. Garcia *tractatu 4. diſputatione 3. dub. 1. numero ſeptimo*, Tamburinus *tomo tertio, diſputatione 6. quæſit. 27. numero tertio*, referens Dionyſium Cartuſianum, & Sanctum Bernardinum Senenſem.

48. Secundus effectus profeſſionis eſt tollere irregularitatem Natalium (etiamſi ſit ſpurius) quoad ſuſceptionem quorumcumque Ordinum, vel in ſuſceptis miniſtrandi, ut ſi in ſæculo Ordines jam ſuſceperat, *capite primo, de filiis presbyteror.* Et tenent communiter DD. ut diximus, *tomo ſecundo, tractatu 10. de cenſuris capite ſeptimo, numero quinquageſimo-octavo.* Quod per ingreſſum in Religionem, adipiſci, nedum per profeſſionem, probavimus *hoc tractatu, capite tertio, numero* 88. *fine*: ſed nullam aliam irregularitatem tolli præciſè ex vi profeſſionis, præter eam, quæ eſt ex natalibus, niſi oppoſitum ſit in aliqua Religione conſuetudine introductum, docent merito Sanchez *libro quinto, ſum. capite quinto, numero 9. & de matrimonio, libro 7. diſputatione 86. numero quarto*, Suarez, *tom. 5. in 3. part. diſputatione 41. ſectione 1. numero tertio*, Rodriguez *quæſt. reg. tom. 1. quæſtione 13. articulo 5.* & quamvis hic author aſſerat, jure divino comparari integram & perfectam legitimationem: quia illegitimi redduntur idonei ad omnes dignitates Eccleſiaſticas, etiam Epiſcopatus, ac ſi ex legitimo matrimonio procreati eſſent, alii id meritò negant: cum in citato *Cap. de filiis Presbyterorum*, dicatur: *prælationem verò nullatenus habeant.* Quod etiam expreſsè deciditur *in cap. finali eodem titulo.* Poſſunt tamen Regulares ex variis privilegiis per proprios Prælatos diſpenſari ſuper irregularitate ex defectu natalium, ad hoc ut illegitimi poſſint promoveri ad prælaturas & dignitates Ordinis, ut tradit Sanchez *loco citato, numero decimo ſexto*, Pellizzar. *tractatu 3. capite 4. numero* 36.

Tollit profeſſio irregularitatem natalium, quoad Ordines, non quoad Prælaturam

Tres alii effectus proprij profeſſionis.

49. Tertius effectus eſt maculam expiare quoad aliquos actus judiciales, & ſic ineptus ad teſtificandum, eo quod perjurii, aut furti fuit damnatus, per profeſſionem fit aptus ad ferendum teſtimonium: quia in eo qui dedicatur totus Dei obſequio ceſſat præſumptio falſæ teſtificationis ex illis delictis orta. Lezana. *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 4 Pellizzar. *num.* 40. Palaus *punct.* 8. *num.* 14. Tambur. *quæſit* 27. *num.* 13. ¶ Quartus effectus eſt, ut per profeſſionem filiusfamilias patria poteſtate liberetur: quia tranſiit omninò in Religionis poteſtatem, & ſic ceſſat in eo patria poteſtas. Et intelligitur in his ſolum, in quibus utile eſſet ipſi filio liberari à patria poteſtate, ſecus verò in aliis, in quibus id eſſet in ejus detrimentum: *quia quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum. Regula: quod ob gratiam* *de reg. iur. in 6.* Palaus *numero* 2. Pellizzar. *num* 42. Tambur. *quæſtione* 27. *numero* 10. Sanchez *numero* 29. ¶ Quintus, quod ſi ante Parentis mortem fiat, præteritam aboleat filii ingratitudinem, ob quam exhæredari poterat. Vt diximus *tract.* 13. *capite* 5. *numero* 94. quare ob illam exhæredari nequibit, tametſi in teſtamento Patris ante profeſſionem facto exhæredatus ſit, ut colligitur, *ex cap. final.* 19. *quæſtione* 3. & tenent Pellizzar. *numero* 41. Sanchez *numero* 33. Lezana *capite* 3. *numero* 5. Sylveſt. *religio.* 6. *quæſtione* 1. *fine.* Rodriguez *tom.* 1. *quæſtione* 13. *artic.* 3.

Vota omnia ipſo facto, abſque alia intentione per profeſſionem cõmutantur.

50. Sextus eſt dirimere matrimonium ratum ante contractum ſi conſummatum non ſit, ut latè diximus *tom* 2. *tract.* 9. *de matrim. capite* 4. *num.* 71. Vbi quo jure id fiat probavimus, & ibi *capite* 2. *numero* 16. etiam diximus ſponſalia diſſolui, nedum per profeſſionem, ſed etiam per ingreſſum in Religionem ob rationem ibi datam. ¶ Septimus effectus eſt, ut in ipſam commutentur omnia vota in ſæculo facta. *Cap. ſcripturem de voto.* & tenet D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 88. *articulo* 12. *ad* 1. & *in* 4. *diſtinctione* 38. *quæſtione* 1. *articulo* 4. & omnes. Ratio eſt: quia cum omnia obſequia Deo promiſſa, ſint opera particularia, continentur eminenter in ipſa Religionis profeſſione, per quam ſe & omnia ſua dedicat profitens, Divino obſequio, moriens priori vitæ, & nihil, nec propriam voluntatem ſibi reſervans; quæ ratio probat quod eo ipſo quod quis in Religione profitetur, cenſentur eo ipſo commutari, ac prorſus extingui præterita vota abſque aliqua alia profitentis intentione, quod aliqui immeritò negant, aſſerentes ad hunc effectum requiri intentionem poſitivam. Sed noſtra doctrina manifeſtè colligitur ex D. Thom. *locis citatis* eamque tenent Caietanus *articulo* 12. *circa ſolut. ad* 1. & ibi Aragon *circa eand. ſolut.* Sotus *libro* 7. *de iuſt. quæſtione* 4. *articulo* 3. *ad* 1. Sylveſt. *verbo votum* 4. *quæſtione* 7. *dict.* 3. Rodriguez *tom.* 2. *ſum. capite* 8. *numero* 12. *concl.* 11. Palaus *diſputatione* 2. *punct.* 8. *numero* 5. Lezana *tom.* 1. *capite* 3. *numero* 7. Laym. *libro quarto, tractatu* 5. *capite* 10. *numero* 3. Tamburinus *tom.* 3. *diſputatione* 6. *quæſit.* 17. *numero* 9. Sanchez *libro quinto, ſum. capite* 5. *numero* 38. Qui *numero* 39. idem dicendum aſſerit de votis tempore Novitiatus emiſſis, quæ abſque alia intentione manent per profeſſionem extincta. Et idem aſſerunt ipſe Sanchez *num.* 45. & Lezana, Layman. Sylveſter, etiam ſi profitens expreſſam haberet intentionem non commutandi vota in ſæculo, vel in novitiatu emiſſa, quod manerent nihilominus commutata, & ille liber abeſſet: quia hæc commutatio, non eſt ex profitentis voluntate, ſed ex jure ipſo Eccleſiaſtico & naturali fit, nec ex illius intentione, ſed ex ipſa rei natura dependet.

Omnia vota tam perſonalia, & & realia manent per profeſſionẽ commutata.

51. Quæ diximus *numero præcedenti* intelligenda ſunt de omnibus votis tam perſonalibus, de quibus non eſt dubium, quam realibus, ut dandi eleemoſynam &c. Vt contra nonnullos aſſerentes talem obligationem transferri in hæredem, docent cum D. Thom. *locis citatis* Caietan. *in opuſc. tom.* 2. *tract.* 11. *quæſtione* 3. *ad finem corporis*, Sylveſter. *votum* 4. *quæſtione* 7. *dict.* 4. Aragon. & Soto *locis citatis*, Ledeſma *tom.* 2. *tractatu* 10. *capite ultim. fol.* 5217. *verſu: digo lo ſegundo*, Rodriguez *concluſione* 15. *numero* 12. Palaus *punct.* 8. *numero quarto*, Lezana *numero ſeptimo*, Layman. *numero tertio*, Pellizzar. *tractatu* 3. *capite* 4. *numero vigeſimo primo*, Sanchez *numero* 43. Ant. à Spiritu Sancto *tractatu* 3. *diſputatione* 3. *numero* 581. & addunt quinque ultimi ex his authoribus, idem dicendum eſſe de juramentis ſive perſonalibus, ſive realibus, ſoli Deo emiſſis, quia omnia illa rationem voti induunt, nec per illa jus tertio acquiritur. Si tamen juramentum factum eſſet homini ab eoque acceptatum, non poſſet commutari in profeſſionem: quia talia non poſſunt in melius commutari, eo quod eſt jus quæſitum tertio. Nec ſimiliter hæres obligatus ad realia defuncti vota perſolvenda eximeretur à tali onere, Religionis profeſſione, ſed talis obligatio ad ejus hæredes tranſiret: quia non eſt obligatio Religionis, ut in melius poſſit commutari. Quia hæc eſt perſonalis ipſius voventis, ſed eſt obligatio juſtitiæ annexa hæreditati, & ſic idem judicium ferendum eſt de illa ac de aliis debitis, quæ tranſeunt ſemper ad hæredes. Sylveſt. *votum* 4. *quæſtione* 9. Sanchez *libro quinto, ſum. capite quinto, numero* 47. Hieronym. Garcia *in polit. regul. tom.* 1. *tract.* 3. *diffinitione* 3. *dub.* 2. *numero* 4. Layman. *libro* 4. *tractatu* 5. *capite* 10. *num.* 3.

PUNCTUM VI.

De obligatione Religionis ad Religioſum, & Religioſi ad Religionem ex vi profeſſionis proveniente.

Profitens Religioni, & Religio profitenti quomodo maneant obligati?

52. ALius effectus intrinſecus & eſſentialis profeſſionis Religioſæ eſt ut ratione illius profitens tranſeat in Dominium & poteſtatem Religionis ad obſequendum ei in omnibus quæ ſunt juxta regulam, conſtitutiones ac conſuetudines illius, & ſimul Religio obligetur eum alere, & gubernare, ſicut mater filium, Dominus ſervum, Reſpublica civem. Vnde ſicut vi profeſſionis Religioſus habet jus exigendi alimenta à Religione, & quod ab ea dirigatur & gubernetur, minimeque abſque ſua culpa ejiciatur, ita Religio jus habet in operas, artem, miniſterium, induſtriam, ac laborem Religioſi, qui Religioni obtemperare debet

debet ab ea regi, & nunquam illius ſubterfugere dominium, jugum excutiendo: & ſi eam deſerat, habitumve dimittat, ad illam revertatur & ad hoc cogi poteſt à Religione, & ut apoſtata, & deſertor Religionis ab ea incarcerari & puniri, ut dicemus *cap. ſeq. punct. 5.* & ex hac traditione reſultat poteſtas dominativa, quam habent Prælati in ſuos ſubditos, & dominium Religionis in Religioſos: quia profitens ſe Religioni donavit in quandam honorificam ſervitutem, & ſpiritualem filiationem; unde reſultat obligatio ad ſervandam regulam & conſtitutiones Religionis, ſicut membrum Reipublicæ tenetur obſervare leges ejus ex vi unionis politicæ, quam cum illa habet, ut loquitur Suar. *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 13. num. 2.*

Quid ſit hoc Puncto agendum?

53. Quare cum hæc obligatio Religioſi ad Religionem, & Religionis ad Religioſum, mutua ſit & reciproca, nobis agendum erat in præſenti, tam de obligationibus Prælatorum ad regendum, gubernandum, corripiendum, alendum, omnibuſque rebus ſpiritualibus & temporalibus providendum Religioſis, quam de obligationibus quas ſubeunt profitentes obediendi Prælatis, regulas, conſtitutiones & conſuetudines Religionis obſervandi, & alias, quas ex vi ſui ſtatus ſibi imponunt: Cæterum, quia de obligationibus, poteſtate, & juriſdictione Superiorum latè agendum eſt nobis tractatu proprio, qui erit *de regimine Prælatorum*, illuc hanc materiam remittimus. Et quia *cap. 6. & 7.* hujus tractatus agemus de obligationibus Religioſorum ex votis & aliis capitibus provenientibus, in præſenti ſolum agemus de obligatione, quam habent ad regulam obſervandam & conſtitutiones in generali, non deſcendendo ad explicandas regulas particulares, etiam noſtram, quia hoc eſſet nimis hunc tractatum extendere. Et quia jam ab aliis eximiè elaboratum videmus, apud quos, qui voluerit, in particulari poterit hoc negotium inveſtigare.

Regula quid ſit?

54. Inquires ergo primo quid ſit regula, & in quo à conſtitutionibus differat? Reſpondetur quod licet regula (ſecundum quam Religioſi vivere adſtringuntur, & à qua regulares nominantur) aliquando ſumatur pro lege, ſeu jure hominum, mores dirigente per modum præcepti in conſcientia obligantis, in præſenti ſumitur pro illa norma vivendi, quæ per modum ordinationis, actus Religioſorum dirigit: quemadmodum præcepta quæ in unaquaque arte ſervanda traduntur, ut opus fiat artificioſum, regulæ artis nominantur, ſic illa norma vivendi, quæ dirigit operationes Religioſorum, ut debitè & Religioſè in Ordine ad perfectionem fiant, regulæ nominantur. *Vnde in aliquibus Religionibus* (verba ſunt D. Thom. 2. 2. q. 189. *art. 9. ad 1.*) *cautius aliqui profitentur, non quidem regulam, ſed vivere ſecundum regulam, id eſt tendere ad hoc ut aliquis mores ſuos informet, ſecundum regulam: ſicut ſecundum quoddam exemplar.* Et D. Iſidorus *lib. 6. Æthimologiarum cap. 16.* dicit: *regula dicitur ex eo quod regat, præbens normam vivendi rectè, corrigatque quod eſt diſtortum, & pravum.*

In quo differat regula à conſtitutionibus.

55. Differt verò regula à conſtitutionibus, ſicut perfectiones accidentales ad formam ſubſtantialem; vel quia illa eſt generalis & communis, & ſic plures Religiones ſub eadem regula militantes videmus. Iſtæ verò ſpeciales ac propriæ, vel quia illa ex ſua natura magis perpetua eſt, & ſic magis immutabilis, & ſic à ſolo Pontifice poteſt variari, illæ verò ex ſua natura poſſunt immutari: quia non petunt confirmatas eſſe à Summo Pontifice, ſi verò ab eo confirmatæ eſſent, immutari non poſſent, modo infra dicendo. Quamvis ipſæ conſtitutiones in aliquibus Religionibus pro regula habeantur, ut in Cartuſia, & Societate, in quibus Religioſi non profitentur aliquam ex antiquioribus regulis, ſed conſtitutiones acceptas à ſuis fundatoribus, & à Sede Apoſtolica approbatas habent pro regula, ſecundum quam vivere profitentur.

Aliquam obligationem debet regula inducere.

56. Inquires ſecundo, quam obligationem inducat regula reſpectu Religioſorum? Reſpondetur, quod cum regula non ſit merum conſilium ſtare nequit niſi in conſcientia obliget, vel ad culpam, vel ad pœnam in ea taxatam, ut probat Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 2. num. 3.* velut tranſgreſſores, juſtæ pœnæ ſubjiciantur hic & nunc legitimo Superiori imponendæ: aliter niſi neceſſitatem ſaltem ad pœnam induceret, in nihilo à conſilio differret, *cap. quiſquis 14. q. 1.* ibi: *Vbi conſilium datur, offerentis conſilium eſt, ubi præceptum neceſſitas eſt ſervientis.* Quam verò in particulari obligationem ſingulæ regulæ inducant, videndum erit apud ſingularum Religionum leges, vel conſuetudines. Noſtram tamen primitivam regulam inducere in conſcientia obligationem, non ad culpam mortalem, ſed venialem, declaratum eſt noſtris conſtitutionibus *1. p. cap. 1. num. 6.*

Nunquam tota regula eſt materia voti Obedientiæ.

57. Ex dictis conſtat eſſe falſum, quod aliqui dicunt, videlicet totam regulam contineri ſub materia voti Obedientiæ: non enim votum Obedientiæ obligat ad ſervandam regulam, ſed ad obediendum juxta illam quod eſt longè diverſum, & ſic frangens regulam non dicitur frangere votum, ut docet D. Thom. 2. 2. *q. 186. art. 9. ad 1.* ibi: *In quibuſdam autem Religionibus adhuc cautius profitentur Obedientiam ſecundum regulam, ita quod profeſſioni non contrariatur, niſi id quod eſt contra præceptum regulæ, tranſgreſſio vero, vel omiſſio aliorum obligat ſolum ad peccatum veniale.* Quando verò cognoſcendum ſit quod regula obliget ad peccatum mortale (ſi jam non eſt expreſſum in lege) quando ad veniale? & quando ex pœna in ea impoſita, unum vel alterum colligatur, jam diximus agendo de legibus in earum tractatu, *tom. 3. tract. 11. c. 2. num. 22. & 44.*

Regula quæ obligat ſub veniali nunquam ad mortale obligat, niſi præceptum formale contineat.

58. Quando verò vel in regula, vel in conſtitutionibus expreſſum eſt regulam ſolum obligare ad veniale, nunquam obligabit ad mortale, niſi contineat aliquid jure divino, vel Eccleſiaſtico imperatum, vel prohibitum, vel præceptum aliquod formale contineat, vel aliquam materiam voti concernat, ut ſi vetet habere proprium, vel niſi ex contemptu frangatur; in reliquis ſolum obligat ſub veniali, etiamſi ſint res graviſſimæ, ut diximus *tom. 3. tract. 11. de legibus cap. 2. num. 20.* illam reſolventes quæſtionem, an legiſlator poſſit ſub veniali rem graviſſimam imperare? Gravius autem peccatum, intra limites venialis, erit res graviores tranſgredi in regula imperatas, quam leviores, præciſis aliis circumſtantiis. Sed licèt declaratum ſit regulam ſub veniali obligare, intelligitur, quando loquitur per modum præcepti, nam ſi præciſè per modum conſilii lo-

quator; tunc enim nec ad veniale obligabit, quia illa declaratio intelligenda eſt juxta materiam proportionatam, & adjicitur non ad imponendam obligationem ubi non adeſt ex vi verborum, ſed ad eam limitandam, quando ex modo imperandi regulæ poſtulatur. Sic Peyrin. *tom.1. de ſubdit. quæſt.1. cap.5.* Sanch. *lib.6. cap.4. num.1.* Suar. *ſupra num.* 10. Pellizzar. *tract.5. cap.2. num.* 12. Tambur. *tom.2. diſp* 24. *quæſit.6.* Leſſius *lib.1. cap.41. dub.9.* Rodrig. *tom.3. q.50. art.1.* Addimus dicta hoc numero intelligenda eſſe, etiam ſi quis in profeſſione intenderet ſe obligare ad obſervationem totius regulæ ſub mortali, vel ſub veniali ex errore judicans eſſe de eſſentia profeſſionis cum illa intentione vovere: quia talis ſemper intendit profeſſionem emittere ſecundum modum, quem tenet illa Religio, & ſic aliam obligationem ſibi imponere involuntarium eſt: quia procedit ex illo erroneo judicio, & ſic non ſe obligavit amplius quam reliqui Religioſo modo ordinario profitentes. Sic Sanchez *ſupra num.* 2. Vazq. 1.2. *diſp.165. c.4. num.6.* à S. Fauſto *lib.6. q.189.* Garcia *tom.1. tract.5. diff.2. dub.1. num.2.*

Quid de illis ſentiendū ſit qui profitentur regulam obſervare?

59. Illi verò regulares, qui non profitentur vivere ſecundum regulam, ſed profitentur aliquam regulam obſervare, idque in votis exprimunt, non propterea peccant mortaliter contra votum violando regulam, niſi in materia alicujus ex tribus votis ſubſtantialibus, vel contineat præceptum ſpeciale, ut tenent omnes cum D. Thom. 2.2. *q.186. art.1. ad* 1. ubi ſic dicit: *Ille qui profitetur regulam, non vovet ſervare omnia quæ ſunt in regula, ſed vovet regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in tribus prædictis.* Conſiſtit autem promiſſio vitæ regularis in eo quod Religioſus jure poſſit puniri à Prælatis ob illius violationem, non autem in propoſito ſervandi illam, nec in hoc, quod ita regulæ ſit ſubjectus, ut ejus violatio ipſi imputetur ad peccatum, ſi ea ad nullum obliget. Sic Sanch. *num.9.* Pellizzar. *num.39.* ¶ An verò peccet mortaliter Religioſus qui animum haberet vel in conſuetudinem duceret frangendi omnia quæ in conſtitutionibus vel regula continentur, non obligantia ad mortale, ſervando propoſitum minimè frangendi aliquid quod obliget ſub mortali, jam reſolvimus *hoc tract. cap.1. num.23.*

Omnes tenentur regulam & conſtitutiones obſervare.

60. Regulam & conſtitutiones, omnes utriuſque ſexus Religioſi obſervare tenentur, tam ſubditi, quam Prælati, quantumvis ſupremi: tam quoad vim coactivam, quam directivam, cum ſint etiam membra Ordinis, & authoritate Capituli generalis ſint factæ conſtitutiones, quod habet poteſtatem ſupra illos. Suar. *lib.2. c.8. num.10.* Rodrig. *tom.1. quæſt.68. art.3.* Miranda *part.2. quæſt.29. art.4.* Lezan. *tom.1. c.18. num.11.* qui addit Prælatos Religionis, etiam Generales, teneri ſervare præcepta quæ aliis imponunt, non ſolum quia Princeps ſervare ſuas leges tenetur; ſed quia ipſi exemplo præcedere debent. An verò teneantur quoad vim coactivam, vel quoad directivam ſub mortali? Vide quæ diximus *tom.3. tract.11. de legibus, c.3. num.34.* & negativè reſpondebis. An verò ceſſante fine legis, vel regulæ in particulari obliget? jam reſolvimus eodem *tract. cap.4. num.5.* & infra *cap. ſequenti, num.* 33. decidemus. An regularis factus Epiſcopus, teneatur obſervare ſuam regulam & conſtitutiones. Et an religioſi expulſi à Religione, teneantur ad illius regulam, & alias obſervantias, ibi *num.95.* dicemus.

Qualiter hoſpites teneantur ad obſervantias particulares Provinciarum per quas tranſeunt?

61. Inquires tertiò: an hoſpites regulares teneantur ſtatuta particularia Provinciarum, vel Conventuum per quæ tranſeunt obſervare? Reſpondetur, quod ſecluſo ſcandalo, & particulari Ordinis conſtitutione, non tenentur, ut generaliter de omnibus hoſpitibus diximus *tom.3. tract.11. de legibus, c.3. à num.53.* Et ratio eſt eadem: quia ad obligandum requiritur juriſdictio in obligante, & ſubjectio in eo qui obligatur, per brevem autem commorationem juriſdictio, aut ſubjectio non adquiritur: non enim moraliter aliquis dicitur eſſe in loco quo tranſiit, aut brevi tempore commoratur, *l. quæſit. 76. §. fin. ff. de leg. 3.* & ita in noſtro caſu tenet Bonac. *diſp.1. de leg. q.1. punct.6. n.36.* & innumeros referens Sanch. *diſp.54. in ſelectis, num.30.* Diximus, ſecluſa particulari Ordinis conſtitutione, in noſtro namque datur conſtitutio 1. *parte c.11. num.* 6. qua dicitur loquendo de hoſpitibus: *poſt primum diem adſtringuntur mandatis ſibi præceptis omnibus, poſitis, ſive imponendis in illa domo, & in omnibus teneantur Prælatis obedire, ſicut cæteri Conventuales.* Et ſic noſtri hoſpites ad omnes obſervantias, leges & præcepta ſpecialia illarum Provinciarum, vel Domorum per quas tranſeunt, ſtatim poſt primum diem ſui hoſpitii adſtringuntur. ¶ Diximus etiam, ſecluſo ſcandalo; nam ſi hoc detur, aut timeatur, ſervanda ſunt omnia præcepta & leges ab hoſpitibus, & ſic ſemper in praxi faciendum eſt, & conſulendum, cum Religioſi in talibus rebus non debeant ſpectare apices juris, ſed quid melius & ſecurius ſit, amplecti.

In quibus caſibus gravius peccēt Religioſi quam ſæculares?

65. Inquires quartò, an cæteris paribus, gravius peccent Religioſi in eodem genere peccati quam ſæculares? Circa hanc materiam loquitur optimè D. Thom. 2.2. *q.186. art.10.* ex cujus doctrina, quæ communis eſt apud DD. dicimus quod ex triplici capite poteſt eſſe gravius Religioſi peccatum. Primo, ratione ſcandali, cum ejus vita & actiones à pluribus reſpiciantur, & magis offendant, ſi malæ ſint, quam ſæcularium. Secundo, quando ex contemptu, vel malitia peccat: quia tunc eſt peculiariter ingratus Deo, à quo pluribus beneficiis eſt affectus. Tertio, quando tale peccatum, ultra malitiam communem, eſſet contra votum, ut ſi eſſet contra caſtitatem. Secluſis autem dictis circumſtantiis, quando Religioſus ex paſſione, ignorantia, vel fragilitate deliquit, levius eſt ejus peccatum, quam ſæcularis: nam ſi ſit veniale peccatum Religioſi, multitudine bonorum operum, in quibus verſatur, veluti obruitur; ſi vero ſit mortale, facilius ac citius Religioſus reſurgit, ob priſtinam conſuetudinem, qua eſt deditus Deo, & aliorum Religioſorum cum quibus verſatur exemplo confuſus & attractus.

Doctrina ſingularis Rodriguez proponitur.

83. Inquires quintò, an peccent mortaliter Prælati, qui frequenter & paſſim violari permittunt regulam vel conſtitutiones obligantes ad ſolum veniale? vel ad nullum peccatum? Reſpondet ſic Rodriguez *de ordine judiciario cap.9. num.7.* [Pecarau gravemente los Prelados no extirpando las coſtumbres malas de pecados veniales, ſi ſon, ô pueden ſer occaſion de pecados mortales, porque no ſiendo occaſion de pecados mortales, yo no hallo razon ſufficiente para los condenar à pecado mortal,

ſiendo

ſiendo deſcuidados en extirpar viçios veniales; porque no tiene mayor obligacion el Prelado de mirar por ſu Republica, que el particular en mirar por ſu alma, y çierto es que el particular que no deſcarga ſu alma de las malas coſtumbres de pecados veniales no pecca mortalmente, ſi las tales malas coſtumbres no ſon occaſion propinqua de pecados mortales.] Hactenus ille. Ex qua doctrina infertur non peccare mortaliter Prælatum, qui frequenter violare permittit regulam, aut conſtitutiones, ſolum obligantes ſub veniali.

Peccāt graviter Prælati, ſi labi aliquam obſervantiā permittant.

65. Sed quidquid dicat Rodriguez, affirmativè ad quæſitum reſpondendum eſt, etiamſi ſubditi ſolum venialiter, vel etiam nulliter peccent, tales obſervantias violando, ſi commodè impedire poſſint talem relaxationem, & ob puſillanimitatem, timorem, negligentiam, proprium commodum, ambitionem, vel alias paſſiones, id permittant. Et probatur primò: quia ex Officio tenetur procurare ſpiritualem profectum ſuorum ſubditorum, & contraria hujuſmodi profectui avertere; ſed talis profectus per illam frequentem violationem nimis impeditur: ergo, &c. Secundò, quia quod ſubditi venialiter ſolum peccent, non tollitur Prælatum, cui incumbit ex Officio Religionis decorem & obſervantiam conſervare, mortaliter delinquere, ſi diſſimulet, ſicut ſolum venialiter peccant ſinguli ex vinea racemum furantes, & tamen cuſtos, cui incumbit vineæ grave damnum avertere, quod ex ſingulorum furtiolis conſurgit, peccabit mortaliter, ſi talia repetita furta permittat. Atque ita docent Villalobos *tom.2.tract.4. difficult.2.num.5.* Coninch. *de actibus supern. diſp.28.dub.3.n.24.* N.Thomas à Ieſu *de Viſit. tract.2. cap.6. num.11.* Anton. à Spiritu ſancto *tract.4. diſp... num.316.* Giraguſ. *part.3. dub.39. num.238.* Sanch. *lib.1. Summ c.6. num.19.* Naldus *verbo Prælatus num.11.* Diana *3. part.tract.2.reſol.38.* Peyrin. *tom.2. de Prælat. q.1. c.7.num.15.* Lugo Card. *tom.1.de juſt.diſp.9.n.11.* Pellizzar. *tract. 3. cap.6. num.5. & tract.5. cap.3. num.60.*

Non peccabit graviter Prælatus rē parvi momenti labi permittens.

65. Et ſic mortaliter peccabit Prælatus ſecundum hos Authores ſi permittat unam regulam, vel conſtitutionem magni ponderis labi, v.g. jejunium, ſilentium, ingreſſum in cubicula, in religionibus reformatis, hora conſueta dici Matutinum, Orationem, Examen conſcientiæ, rigiditatem in veſtitu, in fabricis, &c. Dabitur autem parvitas materiæ in hac parte, ſi vel illa aliquando non frangantur, ita ut ob id non abeant in deſuetudinem, vel non ſit tanti momenti obſervantia, maximè in rebus, quæ ſolum ad exteriorem gubernationem pertinent. Lugo *num.22.* Pellizzar. *cap.3. num.61.* Antonius à Spiritu Sancto *num. 317.* Caveat autem Prælatus, uti monent prædicti Authores, ne in procuranda ſubditorum correctione, ac reformatione nimius ſit, anxius, aut ſuſpicioſus: quia non debet omnia & ſingula examinare, inquirere & punire; ſed parva & vulgaria multoties diſſimulare, & ea quæ jam ingraveſcunt evellere. Quod advertit D.Benedictus *in ſua regula cap.64.* ubi loquens cum Prælato dicit: *Non ſit turbulentus & anxius, non ſit nimius, non ſit Zelotypus, & nimis ſuſpicioſus.* Quia ut optimè docet D.Nazianzenus *Orat.1. in quibuſdam: Ad nonnulla connivere ſatius fuerit; ita ut videntes non videamus, & audientes non audiamus: nec alioqui in eos nimis crebris objurgationibus, tanquam fluctibus obruentes ad deſperationem incitemus, ac diſſoluto tandem pudore, quod perſuaſionis pharmacum eſt, ad quodvis facinus audaciores reddamus.* Cum hoc tamen ſtat ut teneatur Prælatus non ſolum corrigere peccata, quæ caſu videt committi à ſuis ſubditis, ſed etiam inquirere mores ſubditorum, ut inquit D.Thom. *2.2. q.33. art.2. ad 4.* ut videat num committant aliqua digna correctione? Alioqui ſæpè delicta ſubditorum manerent impunita.

Carpere tenentur Prælati, & relaxationes avertere.

66. Quare, diſſimulantes regulam, ſeu conſtitutionem aliquam alicujus ponderis, ſeu conſuetudinem abire in deſuetudinem, & non attendentes ad promovendos ſubditos ad perfectionem, quam poſtulat ſtatus, ipſi mortaliter peccant, quamvis ſubditi ſolum venialiter illas tranſgredientes. Tenentur itaque corrigere, caſtigare, etiam ſub mortali, quando vident obſervantiæ regularum, aut conſtitutionum grave damnum imminere, aliter ſi diſſimulent, ob verecundiam, timorem, vel puſillanimitatem, erunt in ſtatu perditionis: dicente D.Gregorio *Homil.11. in Ezechielem: penſandum eſt quantum ſibi connexa ſunt peccata ſubditorum, atque Præpoſitorum: quia ubi ſubjectus ex ſua culpa moritur, ibi is qui præeſt, quoniam tacuit, reus mortis tenetur.* Etiam venialia peccata frequentata ſubditorum, ſub mortali tenentur carpere & corrigere, quando alias imminet periculum, ne diſciplina religioſa magna ex parte minuatur, Lugo *loco citato, num.22.* Diana *reſol.38.* Anton. à Spir. ſancto *num.320.* Peyrin. *num.15.* Pellizzar. *tract.13. c.6. num.6.* & ideo dixit D.Aug. *ſerm. 16. verbor. Domini: ſi negligis corrigere, pejor eo qui peccat factus eſt.* Sed non ob id negandum eſt poſſe aliquando Prælatum prudenter diſſimulare aliqua peccata minora, quæ ſcilicet ſcandaloſa non ſunt, nec à peccatore obſtinato patrata, ut dicitur *in cap. ipſa pietas, §.verum 23.q.4.* Poſſet etiam Prælatus diſſimulare ad tempus peccata illius qui efficeretur deterior ſi peccatum relinquere compelleretur; nam minus malum quandoque ſuſtinendum eſt, ut majus evitetur *cap. duo mala diſt.13.* & ideo dixit D.Aug. *lib.1. de Civit. Dei cap.9. Nam ſi propterea quiſque objurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediat infirmos alios, non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis.*

Conſtitutiones confirmatæ à Pontifice, nequeunt revocari à Religione.

67. Inquires denique: an conſtitutiones ſemel à Pontifice approbatæ poſſint revocari à Religione, ſaltem in Capitulo Generali congregata? Negativè reſpondet Suar. *tom.4.de rel. tract.8. lib.1. cap.1. num.5.* Pellizza. *tract.5.cap.2. num.5.* ſine ſpeciali Pontificis privilegio, etiamſi conveniat communis Ordinis conſenſus: quia inferior legem Superioris immutare non poteſt. Clementina: *Ne Romani de electione:* ergo Religio quæ eſt inferior Papa, non poterit immutare conſtitutiones confirmatas ab illo, ſine ipſius ſpeciali privilegio. ¶ Hanc ſententiam, aliis citatis, amplexati ſumus *tom.3. tract.11. de legibus, cap.5. punct.5.* cum relatione ad ea, quæ diximus ibi *cap.4. num.17.* de diverſis modis confirmationum, quos conſtitutiones à Pontifice ſeu leges inferiorum à Superiore poſſunt habere. Et de noſtris conſtitutionibus diximus robur habere & firmitatem

ſubſtan

ſubſtantialem pet confirmationem quam à S.D. N. Alexandro VII. adepti ſumus. Nam in Bulla confirmante illas dicitur : *Apoſtolica authoritate tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.*

Cum duplici limitatione dicta doctrina eſt admittenda.

68. Hanc ſententiam, etiam modo amplectimur, ſed cum duplici limitatione. Prima ut in ipſis conſtitutionibus confirmatis, non detur aliqua quæ poteſtatem ad illas revocandum cum aliquo modo in aliquo tempore, & cum talibus circumſtantiis concedat : nam ſi hæc lex inter alias confirmatas à Pontifice detur, non tollit confirmatio Pontificis quod revocari poſſint, ſed ſolum confirmatio addit robur Apoſtolicum, ut aliter revocari non poſſint, niſi ſub formula & conditionibus præſcriptis in illis, quæ eſt ſecunda limitatio, cum qua dictam doctrinam amplectimur, ut videlicet conſtitutiones non poſſint aliter revocari validè niſi ſub dictis conditionibus & forma, quæ in conſtitutionibus præſcribitur, ita ut conſtitutio illa modum præſcribens revocationi, non poſſit revocari poſt confirmationem, licet ante illam revocationi expoſita eſſet, ſicut aliæ.

Conſtitutiones noſtræ poſt confirmationẽ qualiter abrogari poſſint.

69. Quare, cum in noſtris conſtitutionibus confirmatis ab Alexandro VII. 3.*p.cap.*3. *num.*2. aſſignetur forma & ſolemnitas ſub qua poſſunt revocari & abrogari; poſt dictam confirmationem (ſervata illa forma & ſolemnitate & non aliter) adhuc modo abrogari poſſunt. Tum, quia confirmata ſunt cum omnibus & ſingulis ordinationibus in eis contentis: ſed in eis iſta continetur : quod videlicet revocari poſſint cum illa ſolemnitate : ergo ſervata illa adhuc revocari poſſunt, alias fruſtra illa lex eſſet ibi poſita, & à Pontifice confirmata : & Pontifex una via deſtrueret quod per aliam viam concedebat. Tum etiam, quia iſtæ leges, etiamſi ut confirmatæ robur Pontificium accipiant, & ut leges Superioris ſe habeant ut *loc. cit.* diximus, id tamen non tollit quod poſſint diſpenſari à Prælatis Ordinis, nedum in caſibus, in quibus ex jure communi inferior poteſt in lege Superioris diſpenſare. De quibus ibidem *cap.*5.*num.*37. diximus, ſed etiam in omnibus caſibus, in quibus ipſæ leges talem facultatem Prælatis præbent, ut patet ex praxi Religionis; & hoc non ob aliam rationem, ut ibidem diximus *num.*58. niſi quia confirmatæ ſunt cum omnibus clauſulis & diſpoſitionibus in eis contentis, quarum una eſt, quod poſſit Diffinitorium generale in his legibus, quando opus fuerit, diſpenſare (exceptis legibus ad gubernationem pertinentibus) ergo ſimiliter, quia una ex diſpoſitionibus harum legum eſt ut poſſit Capitulum generale, cum hac, vel illa ſolemnitate has leges revocare, hoc ipſo quod Pontifex eas cum omnibus clauſulis confirmet, non tollit à Capitulis generalibus talem facultatem, & ſolum operabitur talis confirmatio, tum ut majorem ſplendorem & robur habeant, tum etiam quod ſi aliquæ inter eas ſint, vel contra jus commune, vel ex alio capite nullæ, ex vi talis confirmationis, firmæ, & ſtabiles permaneant. Tum denique ut aliter niſi cum illa ſolemnitate abrogari non poſſint, nec valeant Prælati hanc legem præſcribentem talem ſolemnitatem revocare.

CAPUT V.

De indiſſolubilitate ſtatus Religioſi.

Profeſſio contractus mutuus eſt omnino indiſſolubilis.

1. IN profeſſione Religioſa quoddam voluntarium pactum reperiri multoties hoc tractatu diximus, qui profitens ſe tradit Religioni, & Religio eum acceptat, & mutuò ſe obligat ad ipſum alendum, docendum, gubernandum, & ſic utrinque confirmatus contractus reperitur; unde vinculum fortiſſimum reſultat de quo dubitari poſſet an ſit diſſolubile, vel ab intrinſeco ex alterius contrahentium voluntate, vel ſaltem ab extrinſeco ex privilegio vel diſpenſatione Superioris, vel ob alium ſtatum excellentiſſimum ſupervenientem, quemadmodum de Matrimonio diximus in ejus *tractatu* 9. *cap.*4. *num.*10. Quod licet ab intrinſeco ſit indiſſolubile, diſſolvi tamen poteſt, ſi non ſit conſummatum, diſpenſatione Pontificis, ut ibidem *num.*61. diximus : vel per profeſſionem Religioſam. Et etiam ſi ſit conſummatum per converſionem alterius ad fidem, modo ibidem *num.*37. tradito. Sic licet contractus profeſſionis, ſit ab intrinſeco indiſſolubilis, diſſolvi tamen poteſt diſpenſatione Pontificis, ut ſupra *cap.*1.*num.*31. diximus, & modo ſolum examinare reſtat, an diſſolvatur per novi ſtatus aſſumptionem, quod eſt ab extrinſeco, vel ſaltem diſſolvi poſſit mutua utriuſque voluntate contrahentium, quod eſt ab intrinſeco.

Quoad vinculũ & uſũ, eſt profeſſio indiſſolubilis ex parte Religioſi.

2. Sed ſciendum eſt quod ſicut in contractu matrimonii & eſt conſiderare vinculum illius & ejus uſum, & ſtat eſſe quoad vinculum indiſſolubile, & nihilominus quoad uſum poſſe ſeparari, ut in legitimo divortio, vel quando alter ex alterius beneplacito Religionem ingreditur poſt conſummatum matrimonium, quomodo manente vinculo, ſeparantur quoad uſum. Si in profeſſionis contractu conſiderari poteſt & vinculum quod reſultat in Religioſo, quo obligatus manet Religioni, & ipſum quaſi uſum, ſeu actualem ſubjectionem ad Prælatos & obſervantiam actualem regulæ & ſtatutorum, & convictum communem cum aliis, & ſtat unum ſeparari, manente altero. Cæterum ex parte Religioſi non poteſt ab intrinſeco, ſeu ex ſua voluntate diſſolvi profeſſio, neque quoad vinculum, neque quoad uſum : quia ſe tradidit totaliter Religioni perpetuo & ſtabiliter, id eſt per totam vitam : promiſitque vitam ſecundum regulam illius Religionis agere, quod à Deo, & à Religione ejus nomine acceptatum eſt, & ſic non eſt amplius in ejus voluntate ſe liberare à tali vinculo, nec ab actuali uſu, & ſubjectione illius. Quare Apoſtata & fugitivus erit, ſi velit excutere tale jugum, & à Religioſa diſciplina ſe ſubducere. Et ſic ſolum remanebit dubium, an ab extrinſeco, videlicet ratione alterius ſupervenientis ſtatus diſſolubilis ſit talis profeſſio? Quia nimirum, vel aſſumitur ad Epiſcopatum, vel ad alium Ordinem ex legitima licentia tranſit, & in eo profitetur; quod in hoc Capite examinabimus.

Ex parte Religionis

3. Ex parte Religionis eſt etiam indiſſolubilis, quoad vinculum talis contractus ab

intrinſeco

quoad vinculum, indiſſolubilis eſt ſolemnis profeſſio.

intrinſeco, non enim ex ſola voluntate Prælatorum diſſolvi poteſt: imò nec ex mutuo tam profitentis, quam Religionis conſenſu poteſt diſſolvi, facta jam profeſſione ſolemni. Quod omnes DD. aſſerunt cum D. Thom. 2. 2. *q.*88. *art.*11. ut diximus *cap.*1. *num.* 36. Nam licet ſit in voluntate profitentis & Religionis; illius ſe tradere: iſtius illam acceptare; facta tamen traditione, & acceptatione utriuſque in ſolemni profeſſione, non eſt in partium voluotate illum diſſolvere contractum: uti de matrimonio diximus in ejus *tract.cap.*4. *num.*23. par enim ratio eſt utriuſque contractus, cum uterque ſtatum fixum & permanentem contineat, proindéque indiſſolubilem ex ſola contrahentium voluntate, imò etiam quacumque graviſſima cauſa ſuperveniente, diſſolvi non poteſt quoad vinculum profeſſio ſolemnis, quod ex communi uſu, & conſenſu Religionum omnes confitentur; & ad ſummum id fieri poſſe ex Pontificis diſpenſatione, graviſſima intercedente cauſa, concedunt aliqui, quod adhuc alii negant, ut ſupra vidimus *c.*1.*n.*30. ſive talis indiſſolubilitas conveniat profeſſioni ex jure ſolum Pontificio, ut aliqui dicuot, ſive ex jure divino & naturali, ſuppoſita ſolemnitato aſſignata ab Eccleſia, quod alii volunt, & parum ad noſtrum intereſt inſtitutum illud examinare.

Profeſſio ſimplex diſſolvi poteſt à Religione, etiam ex parte vinculi.

4. Diximus facta profeſſione ſolemni non poſſe Religioſum liberari à Prælatis, à vinculo quo ſe adſtrinxit in profeſſione, quia ſi profeſſio ſit dumtaxat ſimplex, ut in ſcholaribus primæ profeſſionis Societatis, & in Donatis noſtræ Religionis, poſt biennium, profitentibus. Quia talis profeſſio non eſt abſoluta, ſed ſub conditione, ſecundum ſtatuta Religionis poſſunt in caſibus ſecundum talia ſtatuta permiſſis à vinculo Religioſi ſtatus à Prælatis liberari, ut cum aliis probat latè Pelliz z. *tract.* 3. *cap.*5. *à num.*3. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.*6. *cap.*15. *à num.*5. Hieron. Gat. *tom.*1. *tract.*3. *diffic.*3. *dub.*5. *num.*2. ¶ Diximus etiam non poſſe Religioſum ſolemniter profeſſum, quoad vinculum a Prælatis liberari ab onere Religionis; at juſta exiſtente cauſa, poterit ab eis quoad uſum, à tali jugo abſulvi, vel ſolum ad tempus, ut quando Religioſis indulgent, quod cauſa ſubveniendi Parentibus per aliquot annos extra Monaſterium degant, vel etiam in perpetuum, ut quando propter crimina graviſſima, Religioſi ab Ordine expelluntur. Tunc enim quoad uſum & actualem obſervantiam regulæ & conſtitutionum ab onere Religionis liberantur, & Religio ad curandum de illis deobligatur, manente ſubſtantiali vinculo profeſſionis Religioſæ.

Poteſt quoad uſum liberari Religioſus à Prælatis ab onere Religionis.

Quid agendum ſit hoc capite.

5. Quibus, ut certiſſimis apud Doctores præſuppoſitis, nobis in particulari examinandum eſt in hoc Capite, qualiter Religioſus aſſumptus ad Epiſcopatum, Cardinalatum, aut Papatum, ab onere, ſeu vinculo Religionis liberetur? Qualiter per expulſionem legitimam? Et de illis qui volunt jugum rumpere, cui colla dederunt ab Ordine fugiendo, & apoſtatando. Et ob connexionem doctrinæ, etiam agemus de obligatione, quam habent Religioſi ad non dimittendum habitum ſui Ordinis, ad conſervandam clauſuram, ſeu non exeundum à Monaſterio ſine licentia. Et de prohibitione non admittendi fœminas intra illud. Et prius præmittendum eſt, quibus in caſibus liceat Religioſis contra valorem profeſſionis reclamare. Quæ omnia hoc Capite, octo per Puncta diſcutiemus.

PUNCT. I. *De jure reclamandi quod habent Regulares, quando intendunt ſe invalidam emiſiſſe profeſſionem*, n.6.

§. I. *Cum quibus conditionibus, & quibus perſonis ſit licita contra profeſſionem reclamatio?* n.7.

§. II. *De quinquennio à Tridentino aſſignato ut reclamans Religioſus audiri debeat*, n.20.

PUNCT. II. *Quomodo Regularis aſſumptus ad Epiſcopatum, Cardinalatum vel Abbatiam extra Ordinem, liberetur à jugo regularis obſervantiæ*, num.29.

PUNCT. III. *Qualiter Religioſis interdictus, vel conceſſus ſit tranſitus ab una ad aliam Religionem*, num.44.

§. I. *Aliqua certa & communia ſupponuntur*, n.45.

§. II. *Quæ conditiones ſervandæ ſint in tranſitu ad ſtrictiorem Ordinem ut licitus & validus ſit?* num.56.

§. III. *Quando & quomodo tranſitus ad æqualem, vel laxiorem Religionem ſit validus & licitus?* num.69.

§. IV. *De effectibus & pœnis pro tranſeuntibus de una ad aliam Religionem*, n.78.

PUNCT. IV. *De poteſtate quam habent Prælati ejiciendi ab Ordine Religioſos incorrigibiles*, n. 82.

§. I. *Quo jure, & quibus conditionibus poſſint Prælati Religioſos crimino ſos expellere?* n.83.

§. II. *Ad quid tenentur expulſi Religioſi extra Religionem degentes?* num.92.

§. III. *Aliquæ difficultates enodantur circa materiam Paragraphi præcedentis*, n.101.

§. IV. *Proponuntur declarationes circa hoc Sacræ Congregationis Cardinalium, & quomodo intelligendæ ſint, explicatur*, n.109.

PUNCT. V. *De Apoſtatis & fugitivis, & eorum pœnis*, n.121.

§. I. *Qualiter apoſtata à fugitivo differat, & quando aliquis ſit Apoſtata cenſendus?* n.122.

§. II. *De eo quod poſſunt & tenentur facere Prælati circa apoſtatas & fugitivos*, n.132.

§. III. *De pœnis in jure contra apoſtatus & fugitivos aſſignatis?* num. 139.

Punct. VI. *De his qui habitum Religioſum temerè dimittunt.* n. 147.

Punct. VII. *De clauſura regularium quoad obligationem non exeundi è Monaſterio abſque legitima licentia,* num. 158.

Punct. VIII. *De clauſura regularium quoad obligationem non permittendi fœminas eorum ingredi Monaſteria,* n. 173.

§. I. *Quo jure prohibitum ſit, fœminas Monaſteria virorum ingredi,* num. 174.

§. II. *Quæ fœminæ ſub tali prohibitione contineantur,* n. 177.

§. III. *Quid nomine clauſuræ intelligatur ex jure communi quam ingredi mulieribus prohibetur?* num. 181.

§. IV. *Quibus ex cauſis licitum ſit mulieribus ingredi domus Religioſorum,* n. 186.

§. V. *Quas pœnas incurrunt mulieres clauſuram Religioſorum extra caſus permiſſos intrantes, & illas introducentes, vel admittentes?* num. 191.

§. VI. *Quid jure noſtro particulari ſit ſancitum circa materiam hujus Puncti?* num. 195.

PUNCTUM I.

De jure reclamandi quod habent Regulares, quando intendunt ſe invalidum emiſiſſe profeſſionem?

Tam viris, quam Monialibus licet reclamare, ex quacumque cauſa nullitas profeſſionis proveniat.

6. NOMINE reclamationis in præſenti jus illud intelligitur, quod habent regulares prætendentes invalidè ſe eſſe profeſſos, ut intra præfixum à jure tempus, poſſint cauſas nullitatis allegare coram legitimo judice, ad hoc ut etiam pro foro externo liberentur ab oneribus Religionis: quo jure, etiam Moniales uti poſſunt; quia Concilium loco ſtatim afferendo, dicit: *quicumque regulares:* quæ univerſalis eſt locutio. Et licet videatur Tridentinum de maſculis loqui, ſub nomine maſculino fœmininum clauditur, ut inquit Gloſſa *in cap. ſi quis* 14. *quæſt.* 4. Et quia decretum Concilii, etſi videatur odioſum particularibus, eſt Religioni in communi favorabile, cum ad ipſius pacem & tranquillitatem ordinetur, ut inquit Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſp.* 37. *num.* 19. Vnde ad omnes, tam viros, quam fœminas extenditur, cum in omnibus eadem ratio inveniatur, & ex quocumque impedimento, vel cauſa nullitas proveniat, poteſt, & debet reclamatio admitti, ſive tale impedimentum ſit ex jure communi, ſive ex ſpeciali illius Religionis, niſi quod ſi impedimentum fuerit ſpeciale, poterit reclamare Religioſus, etiam poſt quinquennium uti docet Peyrin. *tom.* 1. *de relig. ſubditor. q.* 1. *c.* 25. §. 4.

---

§. I.

Cum quibus conditionibus, & quibus perſonis ſit licita contra profeſſionem reclamatio.

Decretum Concilii proponitur, & conditiones pro reclamatione ab eo requiſitæ.

7. ANte omnia proponendum eſt decretum Concilii, ut fundamentum hoc Puncto dicendorum. Inquit enim Concilium *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de regularibus: Quicumque regularis prætendat ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem: aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile: velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantum à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit deduxerit coram Superiore ſuo & Ordinario. Quod ſi autem habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam Apoſtata puniatur. Interim vero nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur.* ubi triplicem conditionem ad iſtam reclamationem aſſignat Concilium. Prima, ut reclamantes ante reclamationem, vel lite pendente, habitum non deponant, aut ſine debita licentia fugiant. Sin minus non audiantur, & ut apoſtatæ, vel fugitivi puniantur. Secunda ut cauſas nullitatis coram Superiore ſuo & Ordinario deducant, à quibus judicium, & ſententiam nullitatis expectent. Tertia ut id fiat intra quinquennium à die profeſſionis numerandum, quo tranſacto, aditus ad reclamandum claudatur: quia præſumit Concilium, aut valere, aut ratificare profeſſionem, ne diſcolis anſa præbeatur, ut per totam vitam turbarent hujuſmodi perplexitatibus Religionem, & ſic in ejus favorem hoc decretum inductum eſt, ut pax & tranquillitas Religionis melius conſervetur. Et cum his conditionibus non peccat Religioſus reclamando: quia utitur jure ſuo à Tridentino conceſſo, ut omnes aſſerunt.

Qui verè coram Deo eſt Profeſſus nequit reclamare.

8. Cæterum, hoc jure reclamationis uti non poſſunt qui vel ſunt verè profeſſi, vel ſimiliter coram Deo, & in foro conſcientiæ profeſſionem ratificarunt expreſsè vel tacitè, quia tales verè profeſſi ſunt, & ſolum datur locus reclamationi quando invalida fuit profeſſio, nec poſtea ratificata; & ideo negat Concilium jus reclamandi poſt quinquennium: quia præſumit ratificare. Quare peccat mortaliter qui poſt validam profeſſionem, vel invalidam, ſed jam expreſsè vel tacitè ratificatam, jure reclamationis utitur, & pœnas ſubiit contra Apoſtatas in jure aſſignatas, ſi obtenta ſententia nullitatis, exeat: quia talis verè eſt apoſtata, utpotè qui à propria Religione recedit animo amplius non redeundi ad illam. Et quidem ſine licentia proprii Prælati, cum licentia obtenta doloſè ac fraudulenter perinde ſit ac ſi nulla eſſet. Tamburin. *tom.* 3. *diſputat.* 6. *quæſit.* 25. *num.* 10. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 5. *n.* 60. Bonacin. *de clauſur. quæſt.* 2. *punct.* 10. *difficult.* 5. *num.* 1.

Nec dubius de profeſſione poteſt reclamare.

num. 1. ¶ Imo nec dubius de nullitate profeſſionis, poterit reclamare, eo quod Religio poſſidet ſibi ſubditum; & quia in dubio non datur locus compenſationi, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 13. *de reſtit. cap.* 1. *punct. vlt.* & ſic non poteſt ſibi accipere libertatem, de qua dubitat an ſua ſit vel Religionis? Pellizzar. *num.* 34. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 57. *num.* 39. Sanch. *de matr. lib.* 7. *diſp.* 37. *num.* 12. Lezana *tom.* 3. *verbo dubia regularium*, *num.* 16. *& tom.* 4. *verbo profeſſio*, *num.* 23. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 3. *ſect.* 3. *num.* 155. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *diſput.* 3. *punct.* 6. *num.* 2. Imò etiam eum ſola opinione probabili ſuæ nullitatis, non poterit reclamare, ſi æque probabilem habeat opinionem valoris: quia cum ſola opinione probabili nemo uti poteſt compenſatione, ut *loco citato*, §. 3. diximus. Sed quia ibidem diximus eum probabiliori opinione locum dari compenſationi, etiam cum illa poterit Religioſus reclamare.

Qui fictè profeſſus eſt, non poteſt reclamare.

9. Nec ſimiliter poterit reclamare, qui ſimulavit ſe profiteri, ſed verè non conſenſit in profeſſionem: quia juranti ſe finxiſſe profeſſionem, in foro externo credendum non eſt; ſiquidem in foro externo non creditur juranti in ſuum favorem, maximè ſi extet geſtum in contrarium & præſumptio juris, *cap. viduas*, 27. *quæſt.* 1. *cap.* 2. *de regul.* Sanch. *lib.* 7. *de matrimon. diſ.* 37. *num.* 14. Pellizzar. *ſupra num.* 34. *&* 45. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſput.* 3. *n.* 157. qui hoc limitat niſi aliàs habeat teſtes de ejus ficta intentione, coram quibus proteſtatus ſit ſe ficte profiteri abſque animo. Cæterum talis proteſtatio prodeſſe poterit tam pro foro interno, quam externo, quando aliquis tacitè dumtaxat eſt profeſſus, vel ratificatus profeſſionem portando habitum profeſſorum per aliquod tempus, & exercitiis profeſſorum propriis ſe ingerendo, modo dicto *cap. præcedenti.* Tunc enim, ſi proteſtetur ſe nolle his ſignis aſſumptis profeſſionem emittere, in nullo foro eſt reputandus profeſſus, & ſic poterit contra profeſſionem reclamare? quia illa portatio habitus vel illa exercitia, vera profeſſio non ſunt, ſed ſignum profeſſionis, quod ceſſat contraria voluntate expreſsè declarata, uti docent Sanch. *lib.* 3. *Summæ. cap.* 3. *num.* 33. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. *initio.* Navarr. *Comment.* 4. *de regular. n.* 74. *notabili* 3. Sylveſter *religio* 3. *quæſt.* 19. Caſtro Palao *tract.* 16. *de ſtatu relig. diſp.* 2. *punct.* 1. *n.* 8.

Quando nõ prodeſt, & quando prodeſt proteſtatio.

10. At verò non prodeſt proteſtatio (ſaltem pro foro externo) ei qui, vel expreſsè profitetur, vel profeſſionem nulliter factam expreſsè ratificat, etiam ſi de tali proteſtatione conſtet, & ſit facta coram teſtibus fide dignis: generale eſt in omni contractu ex duorum voluntate pendente, non prodeſſe proteſtationem alterius, niſi altero ſciente & conſentiente facta, *cap. cumana*, *cum gloſſa*, *& cap. in genere*, *de electione.* Et quia proteſtans, faciendo actum contrarium proteſtationi videtur ab ea recedere, & ſimpliciter conſentire, *l. cum in plures*, *§. locato*, *ff. locati*, *capite ſolitum*, *de appellationibus*, ut benè docet Covarru. 4. *decretal. ſecunda parte*, *capite* 2. *numero* 3. Navar. *comment.* 3. *de regularibus*, *numero* 14. & alii, quos refert & ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. diſputatione* 45. *numero* 19. ¶ Quod cum hac limitatione eſt accipiendum, nimirum ut non valeat proteſtatio, altero non conſentiente, præmiſſa, citra juſtam cauſam; ſecus autem ſi juſta cauſa detur, ut ſi ob vitandum ſcandalum vult exterius profiteri, cum tamen interius nolit conſentire, vel ſi quis metu cogatur profiteri, vel profeſſionem factam ratificare, & clam proteſtetur ſe minimè conſentire, valebit proteſtatio, nec ab ea videtur receſſum. Sanch. *n.* 22. Sylveſt. *Matrim.* 4. *n.* 11. Tabien. *eod. verbo* 2. *q.* 7. *n.* 8. Navar. *in Sum. c.* 22. *n.* 78. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 11. *n.* 4. *in Comment. litt. Y*, & idem eſt de aliis cauſis juſtis excuſantibus.

Cujus expenſis debet Religioſus reclamare?

11. Debet Religioſus reclamans expenſis Monaſterii ali, uſque ad diffinitivam excluſivè: quia uſque tunc filius & pars Conventus judicatur, non verò poſtea, cum jam non amplius cenſeatur filius Religionis, & ſic ſummam debitam pro ſententia, non ad Monaſterium, ſed ad ipſum ſolvere ſpectat, Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 69. *num.* 32. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 33. Ant. à Spir. Sancto *tractat.* 3. *diſput.* 3. *num.* 162. & ſic Religioſus vi reclamationis exiens ab Ordine, ei reſtituenda ſunt, quæ ipſi dum erat in Ordine, relicta fuerunt à conſanguineis & cognatis: quia præſumuntur relicta potius intuitu cognationis, quam Religionis, & quæcumque vel ex hæreditate, Legato, donatione, renunciatione, aliove titulo Religioni, vel aliis obvenerunt. Tales enim donationes, legata, renunciationes, &c. valida non ſunt niſi ſequuta valida profeſſione, ut diximus *cap.* 3. *num.* 108. cum ergo per legitimam ſententiam profeſſio hujuſmodi Religioſi invalida judicetur, tenentur renuntiatarii vel Legatarii ei omnia relicta reſtituere, ut ibidem diximus. At non tenetur Religio illi ea reddere, quæ acquiſierat intuitu ſtatus Religioſi, ut per auditionem Confeſſionum, Conciones, Lectiones, &c. & quæ relicta ſunt illi ab extraneis, quæ intuitu Religionis cenſentur donari; & quæ per pecuniam his partam acquiſierat: quia horum omnium proprietas perpetuò apud Religionem manet: eo quod acquiſita ſint intuitu illius, Bordon. *q.* 39. Pellizz. *num.* 60.

Quæ bona debet reſtituere Religio ei, qui per reclamationem probavit nullitatem.

Religio poteſt ejicere Religioſi, de cujus nullitate profeſſionis conſtat.

12. Poteſt Religio eum ejicere qui reclamare non vult intra quinquennium, ſi conſtet invalidè profeſſionem emiſiſſe; ſed eum cogere intra quinquennium ut ratificet profeſſionem non poteſt. Hoc ſecundum conſtat: quia nemo cogi poteſt ad rem tam arduam, qualis eſt de non Religioſo fieri Religioſum, & obligari per totam vitam in Religione degere, quod ſummam exigit libertatem. An verò tranſacto quinquennio poſſit eum cogere, ut ratificet profeſſionem, vel ipſe ad id teneatur? dicemus poſtea. Primum probatur: quia alias diſpoſitio in favorem Religionis facta, cederet in ejus præjudicium, ſi teneretur Religioſum ſuſtentare, & ſe exponere ut ab eo deſeratur, & illa non poſſet cogere quod vel ratificet profeſſionem, vel reclamet juxta Trident. vel tandem eum ejicere. Pellizxar. *tract.* 3. *c.* 5. *num.* 48. Peytin. *tom.* 1. *de R. S. quæſt.* 1. *cap.* 23. §. 4. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 7. Anton. à Spiritu ſancto *tractat.* 3. *diſput.* 3. *num.* 175. Nec ad hoc requiritur authoritas Ordinarii: hæc enim dumtaxat petitur, ne cogatur Religioſus in Ordine manere, non verò, quando cedit Religio juri ſuo, & cum illi conſtat de nullitate profeſſionis vult Religioſum fictum, qui

renuit reclamare, vel ratificare profeſſionem, à ſuo conſortio ejicere.

Poteſt Prælatus ſupradictū ejicere propria authoritate.

13. Imò Prælatus propria authoritate, quem ſcit nulliter profeſſum & profeſſionem non ratificare, poteſt ſinere ut vadat, vel eum clam dimittere, ſi id abſque ſcandalo fieri poteſt, ſive poſt quinquennium, ſive ante illud, & hoc etiam ſi data eſſet ſententia in favorem profeſſionis. Tum quia judex conſcius innocentiæ ejus qui ſecundum allegata & probata eſt nocens, poteſt eum occultare, illi copiam fugiendi facere, uti docet Soto *lib.4. de juſt. q.4. art.2.* Tum etiam: quia hoc ipſo quod conſtet Superiori jus Religionis in talem perſonam non eſſe verum, ſed fundatum in falſa præſumptione, nemini facit injuriam eum ſecreto emittendo & ſine ſcandalo Sanch. *lib.7. de matrim. diſp.37. num.9.* Pellizzar. *tract.3. cap.5. num.54.* Hieron. Garcia *in polit. reg. tom.1 tract.3. diffic.4. dub.3. num 23. & 26.* Lezan. *tom.1. cap.2. num.7. & tom.4. verbo profeſſio, num.23.* Peyrin. *tom.1. de R. S. q.1. cap.2. §. 4.* Anton. à Spiritu ſancto *tract.3. diſp.4. num.168.* Cæterum, ſi non conſtet de nullitate non poterit, quin peccet graviter, ei qui prætendit nullitatem, concedendo ut exeat, unde ſit arrepturus occaſionem fugæ: quia contra ſuum munus ageret, & ruinæ occaſionem ſubdito præberet. Pellizzar. *num.54.* Paſqualigus *tom.2. quæſt.38. num.3.* At verò ſi probabiliter judicaret nullam fuiſſe profeſſionem, poterit ſe illi ſententiæ conformare, & dictam licentiam præbere: quia ſic non ſequeretur dictum inconveniens, ita Pellizzar. citatus.

Quando poteſt audiri qui habitum Religioſum dimiſit.

14. Veniamus ad tres conditiones, quas *num. 2.* diximus à Trident. aſſignari ut reclamans contra profeſſionem audiatur, & de quinquennio ab eo petito dicemus *§. ſequenti.* Circa primam igitur conditionem, nimirum ut non dimittat habitum, vel fugiat ſine licentia ante reclamationem, vel pendente lite illius, notandum eſt primo, Concilium loqui de eo qui temerè habitum dimittit. Quare ſi ex juſta cauſa dimittat habitum, vel exeat, vel quia non poſſet obtinere licentiam eundi ad reclamandum, niſi habitu dimiſſo, vel quia non permitteretur litem proſequi, vel à proſecutione impediretur, niſi fugiendo habitu depoſito, non ob id amitteret jus ut audiatur, nec ut apoſtata eſſet puniendus. Tambur. *tom.3. diſp.6. quæſt. 26. num.2.* Sanch. *lib.7. de matrimon. diſp.37. num.3.* Lezan. *tom.1. cap.2. num.8.* Leſſius *lib.2. cap.41. dub.7. num.64.* Pellizzar. *tract.3. cap.5. num. 40.* Palaus *diſput.2. punct.7. num. 7.* Garcia *tract. 3. diffic.4. dub.3. num.25.* ¶ Secundò notandum eſt, quod ſi

Si habitum temerè dimiſit & poſtea reaſſumpſit, debet audiri.

quis temerè habitum dimitteret, & poſtea reaſſumeret, poſt reaſſumptionem licitum eſſet ei reclamare & audiendus eſſet, eo quod videtur durum habenti juſtam cauſam reclamandi perpetuo denegare audientiam, ex eo præciſe quod temerè dimiſit habitum, & illa verba Concilii: *Nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur.* Intelligenda ſunt, quandiu ad Monaſterium non rediit, & habitum non induit. Eo enim redeunte, & habitum reaſſumente, jam religio reſtituta eſt ad ſuam poſſeſſionem, & ideo audiri poteſt, & debet, de cauſis nullitatis, reclamans, ut tradunt Lezana, Sanch. Tambur. Palaus Pellizzar. *locis citatis.* Et Bonacina *de clauſur. quæſt.2. punct.10. difficult.3. num.1.* Leſſ. *num.64.* Diana *3. part. tract.2. reſol.53.* Mirand. *in man. tom.1. quæſt.30. art.6. concluſ.2.* Villalubos *tom.8. tract.35. diffic.25. num.4.*

Coram quo Superiori debent cauſæ nullitatis probari.

15. Circa ſecundam conditionem, nimirum quod cauſæ nullitatis deducantur coram Superiori, & Ordinario. Notandum eſt, per Ordinarium intelligi Epiſcopum, vel ejus Vicarium, vel Proviſorem Sedis vacantis, vel Abbatem habentem juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, reſpectu illius territorii, in quo ſitum eſt Monaſterium ubi reclamans profeſſionem emiſit. Per Prælatum autem regularem ille intelligitur qui reclamantem ad profeſſionem admiſit, vel ejus ſucceſſor, ſeu Prælatus illius Conventus in quo profeſſio facta eſt ex jure communi, ut per eos profeſſio declaretur, in quorum ditione facta fuit, uti docent Tamburin. *tom.3. diſput.6. quæſit.16. num.3.* Barboſa *allegatione 104. num.12.* Palaus *tract.16. diſput.2. punct.7. num.6.* Anton. à Spiritu ſancto *tractat.3. diſputatione 3. numero 171.* Garcia *tractatu 3. difficult. 4. dub. 3. numero 24.* Sed quamvis hoc ex jure communi habeatur, ſtandum eſt legi, aut conſuetudini legitimè introductæ in aliqua Religione, & juxta illam cenſendum eſt ad quem Prælatum cognitio talis cauſæ pertineat, ut tradunt Bordon. *de profeſſ. capite 7. numero 29.* Pellizzar. *tractatu 3. capite 5. numero 35.* In noſtra autem Religione cognitio hujus cauſæ ſolum pertinet ad Diffinitorium generale, vel ad alium ex ejus commiſſione, ut habetur in Conſtitutionibus noſtris *3. part. capite 8. numero 16.*

Prælatus & Ordinarius debent ſimul concurrere.

¶ Eſt tamen de ſubſtantia hujus judicij quod ad illud tam Ordinarius, quam Prælatus regularis concurrat: quia Concilium utrumque copulativè depoſcit: *Coram Superiori ſuo & Ordinario*, & ſic nulla erit ſententia niſi uterque ad eam ferendam concurrat: quia in cauſa ſimpliciter duobus delegata, ſententia unius non tenet, *Capite cauſam, Capite prudentiam, de Officio delegati.* Quare ſi Prælatus per ſe ſolum, aut per ſe ſolum Epiſcopus, nullitatem declararet, & Monaſterium Religioſum ejiceret, invalidè faceret, & teneretur illum revocare. Tambur. *quæſit. 26. num.3.* Garcia *num. 24.* Barboſa *in collect. concil. cap.19. num.22.* Pellizz. *num.51.*

Qui poteſt coram Eccleſia probare nullitatem, licitè non poteſt fugere.

16. Sed modo examinanda eſt gravis difficultas, utrum ille qui ſcit ſe nulliter eſſe profeſſum, poſſit ante, vel poſt quinquennium, propria authoritate fugere, è Religione exire, habitum dimittere, uxorem ducere, ſi non ſit ordinatus; vel antequam ſententiam in favorem, vel contra ipſum accipiat, vel etiam poſt ſententiam, qua valida profeſſio judicetur, quæ ſententia falſæ nititur præſumptioni, & ſic ex natura ſua nullam obligationem parit? Circa hanc graviſſimam quæſtionem, video Authores, non ſolum contrarios aliis, ſed ſibimetipſis: & cum magna confuſione procedere. Et ob id duo ſupponimus ferè apud omnes recepta. Primum quod ſi quis eſſet certus de nullitate ſuæ profeſſionis, & de facili poſſet reclamare, & nullitatem in foro externo probare, nec ad hoc impediretur; peccaret mortaliter, & ut Apoſtata eſſet puniendus, ſi authoritate propria fugeret & habitum dimitteret: quia cum in foro Eccleſiæ ut Religio-

ſus

ſus habeatur, debet judicio Eccleſiæ ſe ſubmittere, & authoritate illius ab ſtatu Religioſo recedere, cum de facili poſſet audiri, & rem quam intendit, probare: eo proportionabili modo, quo diximus, *tom. 3. tract. 13. de reſt. cap. 1. num. 312.* Non poſſe quemquam propria authoritate compenſatione uti abſque judicis interventu, ſi de facili poſſet judicem adire, & debitum coram ipſo probare. Quod in noſtro caſu urgentius procedit, tum ob decretum Concilii ſtatuentis ut cauſas nullitatis coram Eccleſia deducat, aliàs ſi habitum dimittat ut Apoſtata puniatur; tum etiam ob graviſſima inconvenientia, quæ ex oppoſito ſequerentur, ut unuſquiſque prætextu nullitatis, poſſet Religionem turbare, habitum dimittere, redire ad ſæculum non ſine magno ſcandalo, tum Religioſorum, tum ſæcularium. ¶ Verum eſt quod ſi ſemel exeat, nullatenus redire tenetur: quia nullo jure hujus reditus obligatio probari poteſt. Vnde licet per excommunicationem citetur ut compareat, non tenetur comparere; quia citatur ex præſumptione quod verus Religioſus ſit, & citatur non audiendus ſed puniendus, ut de communi ſententia tenet Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 3. num. 12.* Palaus *tract. 17. de ſtatu Relig. diſput. 2. punct. 7. numero* 10. quod non tollit ut inquiri poſſit, & capi à Religione, & ab ea ut Apoſtata puniri, tum ob crimen quod commiſit, abſque authoritate Eccleſiæ fugiendo: tum etiam, quia ipſi non conſtat de nullitate, & illum ut Religioſum poſſidet, & ſic fugas illius reputat Apoſtaſias.

Qui ſemel exiit in caſu dicto nequit revocari.

17. Secundò ſupponunt DD. Religioſum, cui conſtat de nullitate ſuæ profeſſionis, teneri in conſcientia unum ex tribus eligere: vel reclamare, vel ratificare profeſſionem, vel ſaltem ſe ſubducere, ſi id abſque ſcandalo poſſit; alias non poſſet alimenta Religionis percipere, functionibus profeſſorum ſe ingerere, ſuffragia ferre, Prælaturas obtinere, imò nec Ordinibus ſacris initiari; ſed peccaret illos ſuſcipiendo, maneretque ab exercitio eorum ſuſpenſus, & ſi in eis miniſtraret, irregularis fieret: quia non habet titulum propter quem poſſit Ordinari; cum verus Religioſus non ſit, & ſic non poſſit ad titulum paupertatis Ordinari, nec alium poſſit pro Ordinibus præſentare, Bonacin. *de clauſur. quæſt. 2 punct.* 10. *difficult. 5. num.* 4. Tambur. *tom. 3. diſp. 6. quæſt. 25. num. 2.* Portel. *verbo: Ordine ſacro, num.* 8. Pellizzar. *tract. 3 cap. 5 n.* 47. & alii quos refert & ſequitur Diana, *3. part. tract. 2. reſol.* 113. Cæterum, ſi vel reclamare de facili non valet, nec rem opportunè probare, nec abſque nota & ſcandalo fugere, poterit in Religione permanere uſque dum ſibi opportunitas occurrat; alimenta percipere, ea aliis operibus compenſando, vel ſaltem animo ea compenſandi cum poſſit actus proprios profeſſorum exercere, Ordines ſacros percipere, ſi ab eis abſtinere abſque ſcandalo & nota non poſſit, quia licet non habeat titulum, ad quem Ordinetur, & ob id prohibitum ſit ipſi ab Eccleſia Sacros Ordines accipere, lex tamen Eccleſiaſtica non obligat, quando abſque nota, incommodo, aut ſcandalo impleri non poteſt. Poterit etiam abſolvere a reſervatis, ſi habeat poteſtatem alias ad abſolvendum, & diſpenſare in votis reſervatis, ſicut alii Religioſi, & diſpenſationem, vel abſolutionem ab eis obtinentes, verè diſpenſari, & abſoluti manebunt. Iuxta *legem Barbarius Philippus ff. de officio Prætoris.* Adeſt enim ibi error communis & titulus coloratus. Pellizzar. *tract. 3. capite 1. num.* 43. Leſſius *dub. 7. num.* 65. Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſput. 3. à num.* 150. Peyrin. *tom. 2. de R. P. quæſt. 3. cap. 5. n.* 141. Palaus *diſ. 2. punct. 4. num.* 3. Difficultas ergo eſt, an quando quis non poteſt de facili reclamare, eo quod timeat impediri, vel vexari, vel non poteſt nullitatem, de qua certus eſt, probare in judicio, vel quia teſtes nolunt dicere veritatem, vel quia impedimentum ob quod nulla fuit profeſſio, eſt ex illis quæ non poſſunt de facili probari, vel denique ſententiam contrariam obtinuit, falſæ tamen præſumptioni enixam, an ipſe poſſit propria authoritate fugere (vel certè à Prælato, cui conſtaret de nullitate, dimitti) habitum dimittere, uxorem ducere, ſi non eſſet Ordinatus, ſive hoc ſit ante quinquennium, vel poſt ipſum: an verò teneatur profeſſionem ratificare, & in Religione permanere, & ad id cogi poſſit à Religione? Duplex datur ſententia, utraque ſatis probabilis.

Religioſus, cui conſtaret de nullitate, vel reclamare, vel fugere, vel profeſſionē debet ratificare.

18. Prima aſſerit non teneri profeſſionem ratificare, nec ad hoc cogi poſſe à Religione, ſed poſſe liberè fugere, & habitum dimittere, uxorem ducere &c. Probatur primò à paritate matrimonij, quod nemo tenetur ratificare, & validum efficere, ſi poſteà ſibi conſtat fuiſſe nullum ob aliquod impedimentum antecedens, ſed poteſt uxorem dimittere & aliam ducere propria authoritate, quando id non poteſt authoritate Eccleſiæ obtinere, ut diximus *tract. 9. de matrim.* ergo idem dicendum eſt de profeſſione. Secundò, quia ſtatus Religioſus onus eſt graviſſimum ad quod nemo cogi poteſt, ſed debet omninò liberè & propria voluntate acceptari. Sic Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 37. n. 30.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 3. num. 63. & 65.* Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 5. num. 7.* Pellizzar. *tract. 3. cap. 5. num. 56. & cap. 1. num.* 48. Navarr. *comment. 4. de regul. num.* 27. Sà *verbo Religio n.* 71. Barb. *3. p. de poteſt. Epiſcopi, allegatione* 104. *num.* 12. Suar. *tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 3. à n.* 9. Diana *p. 3. tract 2. reſol.* 53. Peyrin. *tom. 2. de Relig. Prælat. quæſt. 3. capite 5. num.* 140. Ant. à Spiritu Sancto *in directorio, tract. 3. diſp. 3. num.* 145. Ex quibus plures limitant, niſi ſcandalum ex fuga ſequatur; alii verò dicunt, id evitare rarò teneri: quia utitur jure ſuo à quo nemo cum magno incommodo debet privari ob ſcandalum aliorum paſſivum, & ſic ſolum dicunt, illud debere præcavere, ſi id de facili poſſit.

Sententia aſſerens Religioſū poſſe fugere, proponitur.

19. Secunda verò ſententia (quam modo probabiliorem judicamus) diſtinguit inter nullitatem profeſſionis ortam ex culpa ipſius profitentis: quia nimirum fictè profeſſus eſt abſque animo & voluntate profitendi, & hoc abſque urgenti cauſa; & illam quæ oritur ex aliis impedimentis, puta ob timorem, defectum ætatis, annus Novitiatus, &c. Et dicit in primo caſu teneri ratificare profeſſionem, & ad hoc compelli poſſe à Religione, proindeque non poſſe propria authoritate fugere. In aliis verò impedimentis cum prima ſententia convenit. Probatur ergo prima pars, in qua differt ab illa. Primò ex paritate matrimonii: quia ut diximus *tract. 9. capite 3. num.* 114. Qui ob fictum conſenſum alium decepit, tenetur verè & ex animo conſentire, & ſic matrimonium ratificare, aliter facit alteri injuſtitiam, quam non niſi contrahendo ex animo poteſt reſarcire: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Licet ergo nemo vel ad matrimonium, vel profeſſionem poſſit per ſe, & ſimpliciter

Qui eſt nulliter profeſſus defectu conſenſus, debet ratificare profeſſionem; ſecus qui ex aliis cauſis.

ſimpliciter obligari, benè tamen ez ſuppoſitione quod fictè contraxerit, vel fictè profeſſus fuerit, ut ibidem probavimus. Per quæ fundamenta contraria manent ſoluta. Secundò: quia hic intervenit contractus mutuus, quo Religioſus obligatur Religioni, & ècontra; ſed Religio veram habet intentionem eum admittendi ad profeſſionem: ergo etiam Religioſus veram debet habere intentionem capeſſendi Religionem, & ſi eam non habuit ab initio debet illam poſtea habere, & ratificare profeſſionem: & ad hoc poteſt eum cogere Religio. Lezana *tom. 1. capite 2. num. 7. & tom 4. verbo profeſſio numero* 14. Bonacina *de clauſur. quæſt. 2. punct. 10. difficult. 1. num. 4.* Tambur. *tom. 3. diſputatione 6. quæſt. 25. num. 2. & 4* Rodriguez. *tom. 2. ſumm. cap. 95. num. 5.* Angles *in floribus, 2. p. de voto quæſt. unica, art. 1. difficult. 4.* Ex quo ſequitur primò, iſtum nec ante quinquennium, nec poſt ipſum, poſſe reclamare, juxta dicta *numero* 8. Sequitur ſecundò quod ſi abſque debita licentia exeat, tenetur in conſcientia redire, & ad hoc cogi poſſe, etiamſi conſtet ipſum nulliter profeſſum fuiſſe: quia doctrina tradita *n. 16. fine*, intelligitur de his qui nulliter profeſſi ſunt ex aliis impedimentis, non ez defectu conſenſus, quos cogere poteſt Religio ut conſentiant, profeſſionemque ratificent.

---

§. II.

De quinquennio à Tridentino aſſignato ut reclamans Religioſus audiri debeat.

Concilii diſpoſitio ſolum eſt pro foro externo.

20. SUpponimus decretum Concilii denegantis audientiam reclamanti contra nullitatem, fundari in præſumptione ratihabitionis pro illo quinquennio habitæ, & ſic ſolum proficere pro foro externo, non pro interno, quando verè talis profeſſio ratificata non eſt. Vnde certus de nullitate profeſſionis non tenetur eam ratam habere, aut perpetuò in Religione perſeverare, ut diximus, *n. 18.* & tenet Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 37. num. 9.* Leſſius *libro 2. cap. 41. num. 64.* Suarez *tom. 3. de Relig. libro 7. cap. 4. num. 3. & 4.* Pellizzar. *tractatu 3. cap. 5. num. 49.* Palaus *diſput. 2. punct. 7. num. 11.* Lezana *tom. 1. cap. 2. num. 7.* in dubio tamen, an poſt quinquennium ratificaverit, tenetur ſtare profeſſioni: quia in dubio recurrendum eſt ad conjecturas, quibus poſſit dilucidari, & nullæ fortiores illis, quas aſſignat Concilium ez inſtinctu Spiritus Sancti: & ſic poſt quinquennium præſumendum eſt ratificaſſe, non antea. Sanchez *num. 12.* Hieronym. Garcia *tract. 3. difficult. 4. dub. 3. num. 22.* Diana *4. p. tract. 3. reſol. 39.* Cæterum nunquam poterit Concilium efficere, ut qui invalidam emiſit profeſſionem, velit, nolit, ſit Religioſus, nec tale genus præſumptionis potuit inducere ut poſt quinquennium Religio acquirat jus in Religioſum, & iſte verè maneat ei ſubjectus & incorporatus, eſto profeſſio non fuerit valida, nec ab eo ratificata: quia conſenſus proprius adeò intrinſecus eſt ſtatui Religioſo, ut repugnet ſine illo dari, ut de matrimonio diximus *tom. 2. tractatu 9. cap... n...* & in præſenti tenent Garcia *num. 22.* Pellizar. *num. 48.* Suarez *n. 4.*

quin- um

21. Igitur Concilium ſtatuit neminem reclamantem audiri poſſe, niſi intra quinquennium à die profeſſionis tacitæ, vel expreſſæ, quam ipſe intendit oppugnare (& quidem computato illo die ut probant Bonacina *de clauſur. quæſtione 2. punct. 10. difficult. 4. num. 2.* Tambur. *tom. 3. diſput. 6. quæſtione 25. num. 6.*) niſi fortè judicium reclamationis inchoatum fuerit intra quinquennium: quia tunc, etiam tranſacto quinquennio, poteſt continuari: quia judex re cœpta opportuno tempore, poteſt poſtmodum terminare judicium, ſicut delegatus cauſa cœpta, poſt mortem delegantis, ſuum judicium proſequitur, *Cap. relatum, cap. gratum de officio delegati.* Bordon. *tract. de profeſſ. cap. 7. quæſtione 23.* Pellizzar. *tract. 3. cap. 5. num. 50.* Vel niſi impedimentum toto illo tempore quinquennii duraverit, vel quia erat perpetuum, vel quia pro toto quinquennio verè fuit, ut ſi impedimentum eſſet timor, & per quinquennium cauſæ timoris perſiſterent, poterit poſtea, etiam via Ordinaria reclamare: quia non eſt unde præſumatur ratam habuiſſe profeſſionem cum vel impoſſibilis fuerit ob impedimentum dirimens, tunc perdurans, vel non adfuerit liber conſenſus. Quarè ſi probetur adfuiſſe illo tempore vel impedimentum vel impotentiam reclamandi, tollitur præſumptio juris de ratihabitione. Bonac. *quæſtione 2. de clauſ. punct. 10. difficult. 4. num. 7.* Garcia *tract. 3. diſput. 4. dub. 3 numero 25.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſputatione 37. num. 33. & 34.* Leſſius *libro 2. cap. 41. dub. 7. num. 64.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 4. num. 6.* Palaus *tractatu 16. diſp. 2. punct. 7. num. 12.* Pellizzar. *ſupra num. 46.* Qui benè addunt, quod cum in potentia viz probari poſſit, concludenter ſed ad ſummum probabiliter, ob eam qualitercumque probatam, datur beneficium reſtitutionis, & hac via reſtitutionis in integrum agere ſolum poſſe qui nullitatis ignorantiam allegaverit: quia adverſus præſumptionem juris alleganti ignorantiam, non auditur via Ordinaria: & in præſenti præſumit jus poſt quinquennium ſciviſſe nullitatem profeſſionis, eamque ratificare, & ſic ſolum via reſtitutionis, quæ eſt extraordinaria, poteſt audiri.

datur reclamatio, ſi tunc duravit impedimentum.

Sententia aſſerens ſemper numerandum quinquennium à die profeſſionis.

22. Sed hinc oritur duplex quæſtio. Prima, an quinquennium numerandum ſit à die profeſſionis in eo qui impedimentum, ignorantiam, vel impotentiam allegaverit? An potius à die quo ceſſavit dictum impedimentum, ignorantia, vel impotentia? Affirmat prima ſententia, & dicit numerandum eſſe à die profeſſionis. Probatur, primò quia Concilium dicit: *niſi intra quinquennium tantum à die profeſſionis non audiatur.* Vbi *ly tantum* excluſiva, eſt affirmativa illius quod ponit, & negativa omnium aliorum caſuum præter expreſſos. Secundò: quia non negatur audientia tranſacto quinquennio, in odium ſuæ negligentiæ, quod toto eo tempore non reclamaverit, ſed in favorem Religionis, ne litibus ab oppugnantibus ſuas profeſſiones perturbetur; ſed quoties alicui ad agendum aſſignatur tempus, non in odium, ſed in favorem ipſius & alterius, currit tempus ignoranti & impedito, ut inquit Gloſſa, *in cap. ſtatutum verbo numerandum de prebendis in 6.* ergo &c. Tertiò, quia impedimentum metus & ætatis, quæ expreſsè nominat Concilium non ſolent ceſſare à die profeſſionis, ſed aliquo tempore prorogatur, & tamen Concilium dicit à die profeſſionis quinquennium numerandum; currit ergo illud tempus etiam ignoranti & impedito. Ideóque aſſerit hæc ſententia quod ſi

impedi

impedimentum profeſſionis ceſſet intra quinquennium, & intra illud Religioſus reclamaverit, non eſſe illi concedendum aliud quinquennium numerandum à die ceſſationis impedimenti, ignorantiæ, vel impotentiæ; ſed aliud tempus ſufficiens ad reclamandum prudentum arbitrio. Sic ſatis probabiliter. Sanch. *lib. 7. de matrimon. diſp. 37. à num. 19.* Bonacin. *quæſt. 2. de clauſura punct. 10. difficult. 4. num. 3.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 12.* Pellizzar. *tract. 3. cap. 5. num. 45.* Barboſa *3. part. allegatione 104. num. 12.* Navarr. *Comment. 4. de regul. numero 71. verſ. 3.*

A die quo ceſſavit impedimentũ, numerandũ eſt quinquennium.

23. Secunda, quam amplectimur, ſententia dicit, ignoranti & impedito tempus non currere, proptereaque numerandum eſſe quinquennium ex tempore ceſſationis impedimenti ad profitendum, vel impotentiæ ad reclamandum, vel ignorantiæ nullitatis profeſſionis. Et ratio eſt: quia hoc quinquennium poſt quod negatur audientia, licet non in odium, ſed in favorem præſcriptum ſit, eſt tamen præſcriptum ob præſumptionem profeſſionis eo tempore ratificatæ, ut diximus *num. 20.* ſed ſi duret impedimentum illius, puta ſi nondum eſſet expleta ætas neceſſaria ad profeſſionem, vel adſint cauſæ timoris, quæ illam invalidarunt, vel adhuc eo ceſſante, ſi ſit ignorantia nullitatis profeſſionis, vel illius ſcientia data, adſit impotentia ad reclamandum, profeſſio invalida, vel nequit ratificari, vel non poteſt agi contra illam: ergo præſcriptio quinquennii, quæ in illa præſumptione fundatur, eo tempore non currit: concedendum igitur eſt quinquennium à die profeſſionis cognitæ ut nullæ, vel quo potuit ratificari, ablato impedimento, & impotentia reclamationis, ita ut poſt modum præſumi poſſit ratam habuiſſe profeſſionem, quod non, niſi per quinquennii habitus liberam portationem, & profeſſorum exercitia præſumi judicavit Concilium, ſublato jam impedimento nullitatis. Sic Miranda *tom. 1. q. 22. art. 3.* Portel. *in dubiis regul. verbo profeſſio 45.* Suar. *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 4. n. 6.* Palaus *diſp. 2. punct. 7. num. 5.*

Solvuntur argumenta contraria.

Ad primum argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur Concilium loqui de eo, qui expeditus poterat reclamare, & nullum habebat impedimentum ad ratificandam profeſſionem, & ſic ratam habuiſſe illam tranſacto quinquennio præſumit. Ad ſecundum, verum eſſe currere tempus ad præſcriptionem impedito & ignoranti, quando in favorem, non in odium aſſignatur in aliis præſcriptionibus conceſſis à jure ex poteſtate reipublicæ, & independenter à conſenſu partis, adverſus quam currit præſcriptio; ſecus verò quando tempus præſcribitur ob præſumptionem actus, qui eo tempore adfuiſſe præſumitur, ut in præſenti contingit, ubi tempus aſſignatur ob præſumptionem ratificationis profeſſionis; tunc enim non currit tempus, niſi quando reclamans expeditus, & abſque impedimento ponitur, ut jam diximus. Ad tertium dicendum quod frequenter metus & ætatis defectus ſolet ceſſare à die profeſſionis, vel proximo illi, & Concilium attendens ad id quod frequenter accidit, id præſcripſit.

Sententia aſſerens nullatenus audiendum reclamantẽ

24. Secunda quæſtio eſt: an ſi aliquis, tranſacto jam quinquennio, intendat reclamare adverſus profeſſionem, allegando ſe non reclamaſſe intra quinquennium, vel quia tunc duravit impedimentum profeſſionis, vel quia impeditus fuit reclamare: quia toto eo tempore fuerat infirmus, vel incarceratus, vel ſe non habuiſſe ſcientiam nullitatis profeſſionis, vel certè neſciviſſe quinquennium ſibi tantum concedi ad reclamandum, & hæc manifeſtè probet, audiendus ſit, etiam tranſacto quinquennio, vel via ordinaria admittendo quod probet cauſas, ob quas non reclamavit ut poſtea cauſas nullitatis alleget. Vel ſaltem via extraordinaria reſtitutionis in integrum, petendo ut ſibi quinquennium, vel aliud tempus, judicis prudenti arbitrio aſſignetur, intra quod circa nullitatem ſuæ profeſſionis, poſſit agere. Clauſam eſſe omnem viam reclamandi, tranſacto quinquennio, aſſerit prima ſententia, & ſatis probabiliter, quam tenet Portel. *tom. 2. reſponſionum moral. caſu 14.* Ioannes Valerus *in differentia utriuſque fori, verbo regularis difficultate 2. num. 3.* Pariſius *lib. 13. de reſignat. benef. quæſt. 5. num. 46.* Bonac. *de clauſur. quæſt. 2. punct. 10. difficult. 4. num. 5.* Zevallos *practicar. quæſt. 9. 500. fine.* Qui adducunt aliquas declarationes Congregationis, & ſpecialiter Gregorii XIII. qui ex Concilio Cardinalium declaraſſe aſſerunt, quod non audiatur, etiam ſi allegaverit metum & vim toto quinquennio duraſſe, de qua declaratione alii dubitant; alii eam non allegant, & ſic non conſtat eſſe authenticam.

poſt quinquennium

25. Probatur primò hæc ſententia. Quia Concilium negat audiri poſſe niſi intra quinquennium: ergo non permittit eum poſſe uti alio remedio, cum eo uti non poſſit niſi audiatur: & cum Concilium loquatur generaliter *non audiatur*, generaliter debet intelligi: quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Secundò, quia ſi poſt quinquennium poſſet reclamans audiri, ſaltem via reſtitutionis, non obviaretur litibus & turbationibus quibus turbare nituntur inquieti pacem Religionis, quod fuit intentum Concilii, quando tempus quinquennii dumtaxat pro reclamatione aſſignavit. Tertio, quia in pari cauſa reſtitutionis in integrum inter duos minores, melior eſt conditio poſſidentis, *l. minor, ff. de minoribus*, ſed Religio privilegio minoris gaudet ad hoc ut poſſit uti beneficio reſtitutionis: ergo Religioſus contra Religionem non poteſt uti tali beneficio: quia privilegiatus adverſus privilegiatum non poteſt uti privilegio, ut diximus *tom. 3. tract. 14. de contract. cap. 5. num. 125.*

Triplici fundamento probatur dicta ſententia.

26. Verum tamen, licet hæc ſententia ſatis probabilis ſit (& utinam ſemper in praxi amplecteretur) quia tamen communiter Doctoribus nimis dura videtur, ut qui verè profeſſus non eſt, cogatur perpetuò in Religione manere, & ei denegetur omnis audientia, qui fortè impeditus fuit ad reclamandum; propterea ſententiam affirmantem, audiendum eſſe, etiam poſt quinquennium in caſu, de quo loquimur, ſaltem via reſtitutionis in integrum, amplectimur. Quam tenent Tambur. *tom. 3. diſp. 6. q. 25. n. 7.* Palaus *tomo 3. tract. 16. punct. 7. n. 6.* Diana *3. p. tract. 2. reſol. 53. & 62.* Villalob. *tom. 2. tract. 35. difficult. 25. num. 9.* Miranda *tom. 1. quæſtione 22. art. 3. concluſ. 2.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 37. à n. 22.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 66.* Peyrin. *tom. 1. de R. S. quæſt. 1. cap. 25. §. 4.* Hieron. Garcia. *tract. 3. differ. 4. dub. 3. n. 24.* Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſput. 3. num. 165.* Pellizzar.

Poſt quinquennium quomodo reclamans poſſit audiri?

Pellizzar. *tract.3. cap. 5. num. 43.* Rodriguez *tom.3. quaſt. reg. quaſt.17. articulo* 16. Lezana *tom. 1. cap. 2. num.7.* Suarez *tom. 3. de Religione lib.7.cap.4.num.6.* Azor. *tom.1. lib.12. cap.4.quaſtione* 10. & probatur : Quia Coocilium Tridentinum ideo non vult Religioſum admitti ad reclamandum coutra profeſſionem ultra quinquennium, quia præſumitur Religioſus tanto tempore profeſſionem ratificaſſe ; hæc autem præſumptio, quamvis ſit juris, & de jure, conſequenterque non admittat contra ipſam præſumptionem aliquam probationem in judicio Ordinario, non tamen impedit ut detur reſtitutio in integrum, & probatio in judicio extraordinario, qua quis probare intendit juſtam cauſam reſtitutionis in integrum, uti ex multis probat Sanchez *loco citato.* Quod ex ſolutionibus argumentorum magis conſtabit.

Soluuntur argumenta contraria.

27. Ad contraria argumenta Reſpondetur : quod ibi denegatur audientia via Ordinaria, ſecus verò via extraordinaria reſtitutionis in integrum. Et ideo Gloſſa verbo : *duximus*, Abbas *num.3. notabili ult.* Immola *num.6.* notant limitationem ad regulam : *cum quid una via* 84. *de regulis juris in* 6. Ubi *quod una via denegatur altera non eſſe concedendum*, aſſeritur, intelligi de jure communi, ita ut quod una via illo jure prohibetur, non debeat alia via, eodem jure concedi ; ſecus de jure ſpeciali per beneficium reſtitutionis, & ideo *in cap. coram de integritate reſtitutionis*, denegatur audientia Eccleſiæ poſt terminum peremptorium, cum tamen expreſſe concedatur reſtitutio in integrum, ibi : *per reſtitutionis beneficium id nobis duximus indulgendum.* Ad ſecundum ſic reſpondet Sanchez, id argumentum nihil concludere ; probat enim rem abſurdiſſimam : nempè adverſus nullam præſcriptionem dari reſtitutionem, cum finis cujuſcumque præſcriptionis ſit, litibus occurrere. Quarè dicendum eſt, occurriſſe litibus via Ordinaria intentandis ; at noluiſſe viam præcludere beneficio valde favorabili reſtitutionis in integrum, ne profeſſus ille omni remedio deſtitutus in deſperationem incideret. ¶ Ad tertium dicendum eſt cum eodem Authore *n. 29. fine*, id non eſſe verum, quando minor reſtitutionem petens, tractat de damno vitando, & is contra quem petitur de non acquirendo lucro ; quod invenitur in præſenti, cum profeſſus agat de damno vitando, ne ſcilicet cogatur manere in Religione, ad quam non tenetur ; at Religio tractat de eo Monacho acquirendo. ¶ Sed cum dictis Authoribus eſt advertendum hoc beneficium reſtitutionis diverſimodè, majoribus & minoribus 25. annis competere. Minores namque illo uti poſſunt, etiamſi ſciverint nullitatem intra quinquennium, & etiamſi non habuerint impedimentũ, aut impotentiam reclamandi : quia in hac reſtitutione, eorum fragili ætati intenditur favere. Majoribus autem non auditur, nec conceditur niſi ex rationabili cauſa : quia impotentiam reclamandi, vel ignorantiam allegaverint, quam liquido probare poſſent, ut latè diximus, *tom.3. tract.14. de contractibus, cap.1.à num.74.* & videri poterunt circa hanc materiam, & circa tempus, quod poſt quinquennium Majoribus, vel minoribus dari poteſt, Sanchez Palaus, & Garcia *locis citatis.*

Qui poſt quinquennium audiendus eſt,

28. Hic advertendum duximus cum Hieronymo Garcia *num. 26.* Portel *verbo profeſſionis nulla reclamatio, num.44. & tom.2. reſponſ. moral. caſu 14.num.5.* Pellizzar. *num. 43*, Diana *reſol. 62.* Ant. à Spiritu Sancto *num.167.* Hieron. Rodriguez *in compend. quaſt.reg.reſolut.101. num. 71.* Quod ut modo poſſit quis audiri poſt quinquennium debet impetrare reſcriptum à Papa, vel à Congregatione Cardinal. coram quibus allegaverit cauſas, ob quas intra quinquennium non reclamavit, quod eſt petere à Sede Apoſtolica reſtitutionem quinquennii, ſine quo reſcripto nec Prælatus, nec Epiſcopus poſſunt audire reclamantem, & teſtatur Barboſa *in remiſ. Concilii cap.19. num.19.* Se vidiſſe ita practicari cum ipſe eſſet Romæ anno 1630. Idem teſtatur noviſſimè Lezana *tom. 4. verbo profeſſio. num.21.* qui Romæ ſcripſit anno 1644. & Portel. *loco cit.* teſtificatur de praxi. In noſtra autem Religione circa hoc, de praxi nihil teſtificamur, cum hoc anno 1667. Vid𝑒rimus compluti quendam Religioſum admiſſum eſſe à Vicario Archiepiſcopi Toletani ad allegandum de nullitate profeſſionis poſt quinquennium, abſque alio reſcripto Pontificis, aut Congregationis Cardinalium.

debet à Papa impetrare reſcriptum.

Religio ipſa ejicere poteſt etiã poſt quinquennium, quem ſcit nulliter eſſe profeſſum.

Cæterum hucuſque dicta non tollunt, quominus Religio ipſa, etiam tranſacto quinquennio, poſſit ejicere quem ſcit nulliter profeſſum : quia hoc quinquennium aſſignatur in favorem Religionis, & ne Religioſi poſſint adverſus profeſſionem reclamare, non tamen aufert à Religione poteſtatem ut nulliter profeſſum, quique non vult ratificare profeſſionem, poſſit, prout voluerit, ejicere, ne quod in beneficium illius introductum fuit, cedat in ejus diſpendium, ut teſtatur Lezana, *tom.1.cap.2. num.7.* Peyrin. *tom.1.de R.S. quaſt.1.cap.25.§.4.* Barboſa *in collect. Concil.cap.19. num.6.* Garcia *tract.3.difficult.4.dub.3.num.23.*

PUNCTUM II.

Quomodo Regularis aſſumptus ad Epiſcopatum, Cardinalatum, vel Abbatiam extra Ordinem, liberetur à jugo Regularis obſervantia?

Epiſcopi, Cardinales, & Abbates, juriſdictionem quaſi Epiſcopalẽ habẽtes, eiſdem fungĩtur exemptionibus.

29. QUÆCUMQUE in hoc puncto à nobis dicenda ſunt, communia ſunt pro Epiſcopis, Cardinalibus, & Abbatibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem extra ordinem habentibus. Domini namque Cardinales in ſuis titulis habent quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ut docet Graffis, *2.p. deciſ.lib.3.c.19. num.89.* Rodriguez *tom.2.quaſt. regul. quaſt. 54. art.7.* Abbates, vel alia dignitate præditi extra Religionem propriam diœceſim habentes nulli Epiſcopo ſubjectam, ſed in ea gaudentes plena juriſdictione Epiſcopali, ſunt in omnibus ſimiles Epiſcopis, ſolaque conſecratione ab eis differunt. Vndè eodem modo exemptos eſſe, vel non ab obligationibus Religioſi ſtatus, Cardinales, ac Abbates dictos, ac ſunt Epiſcopi, docent Sanchez *lib.6. ſum. cap. 6. num. 34. & 35.* Bonac. *de clauſur. quaſtione 2. punct.2. num.26. & 27.* Pellizzar. *tract.5.cap.7. num.38.* Palaus *tract.16. diſput.4. punct.24. num.25. & 26.* Lezana *tom.1. cap.17.per totum* Gordon. *lib.6.quaſt.5. num.141.* Vnde de Epiſcopis in præſenti loquemur, & quod dictum fuerit de illis, de aliis intelligendum erit.

Qui aſſe-ſunt Epiſ-

30. Prima igitur quæſtio erit : an regulares ad Epiſcopatum aſſumpti, maneant abſoluti à

tribus

copos à votis eſſentialibus abſolvi.

tribus votis ſubſtantialibus, paupertatis, obedientiæ & caſtitatis, tametſi ratione Ordinis ſacri, maneant ad caſtitatem adſtricti? Affirmat prima ſententia, quam tenent Vazquez, Soto, Michael de Medina loquendo de voto paupertatis & obedientiæ, Angles & alii quos dedimos pro hac parte, *tom. 3. hujus curſ. tract. 12. de juſt. & dominio cap. 2. punct. 11. §. 3. n. 154.* Quibus adde, circa votum paupertatis, de quo eſt principalis controverſia, Palacios *in 4. diſt. 38. diſp. 1. fol. 834. colum. 1. initio.* Gratian. *regul. 320. num. 4.* Tamburinus *tom. 3. diſp. 3. quæſt 9. num. 3.* Diana *3. p. tract. 2. reſol. 50. & 61.* Et probabilem dicit Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 6. num. 13.* Villalob. *tom. 2. tractatu 35. difficult. 40. num. 6.* & probant *ex cap unico 17. quæſt. 1.* Vbi dicitur: *Monachum, quem canonica electio à jugo regulæ Monaſticæ profeſſionis abſolvit, velut legitimus hæres, paternam ſibi hæreditatem poſtea jure vindicandi poteſtatem habet.* Ubi ex qua parte à jugo regulæ abſolutum dicitur, videtur ab obedientiæ voto liberari: quia ipſe ſolum vovit illam ſecundum regulam. Maximè, quia jam nulli manet ſubjectus, niſi Pontifici, ſicut reliqui fideles. Et ex qua parte dicitur ipſum ut hæredem legitimum poſſe ſibi paternam hæreditatem vendicare, videtur ſibi acquirere illius verum Dominium: quia vendicare ſibi & acquirere ſolum veris Dominis competit, *l. in rem ff. de rei vindicatione:* cum ergo verum Dominium cum voto paupertatis non compatiatur, ſequitur ipſos a voto paupertatis liberos manere. Et conſequenter dicunt prædicti Authores quod ſicut alii Epiſcopi ſunt Domini ſuorum bonorum, & teſtari poſſunt de bonis patrimonialibus, & aliis ab ipſis acquiſitis, præter bona ex redditibus beneficiorum accepta, & iſta liberè poſſunt in vita diſtribuere, ita ut licet peccent mortaliter, ea in pios uſus non conſummendo, tamen ad reſtitutionem non teneantur: quia eorum ſunt Domini, nec ipſi, nec illi, qui ab eis dicta bona in uſus profanos accipiunt, ut diximus illo loco, *numero 150.* Sic de regularibus Epiſcopis Philoſophantur.

Votis eſſentialibus ligati manent Epiſcopi regulares.

31. Negativa tamen ſententia amplectenda eſt, quam loco citato amplexis ſumus. Et probatur: Primò, nam regularis, Epiſcopus factus, verè manet Religioſus, ut omnes aſſerunt, & obligatio portandi habitum oſtendit; ſed de eſſentia ſtatus Religioſi eſt quod tribus votis ſubſtantialibus adſtringatur, uti *ex cap. ad Monaſterium de ſtatu Monach.* & communi ſententia diximus *capite primo, numero primo.* Ubi etiam *num. 42.* oſtendimus quod licet Summ. Pontifex poſſet diſpenſare cum aliquo ex graviſſima cauſa concernente bonum commune in dictis votis, eum de Monacho non Monachum efficiendo, non verò poteſt in voto aliquo diſpenſare cum illo qui manet Monachus: quia tria dicta vota de jure divino ſunt de eſſentia talis ſtatus. ¶ Secundò, quia per hoc quod regularis fiat Epiſcopus vota aliqua illius non relaxantur, vel minuuntur, niſi quatenus illorum obſervantia obſtat muneri Epiſcopali, tanquam majori bono; ſed vota paupertatis, obedientiæ &c. non pugnant cum munere Epiſcopali, nec ipſum dedecent, quin potius, tanquam ſtatum perfectiſſimum juvant, & valde decent. Licet enim abſolvantur ab obedientia Prælatorum Regularium, quod indicat caput illud unicum pro contraria ſententia citatum: quia ipſi ſunt in ſtatu Superiori; id eſt per accidens, ut Generales Religionum, qui nullum ſupra ſe Prælatum regularem habent, & ſunt Pontifici ſubjecti, nedum ut alii fideles, ſed ſicut Prælato Generaliſſimo Religionum. Similiter abdicatio dominii muneri non obſtat Epiſcopali, dummodo Epiſcopus regularis liberam habeat tam omnium bonorum Eccleſiaſticorum, quam aliorum adminiſtrationem, ut ea in quoſlibet uſus decentes expendere valeat, ut docet D. Thom. *2. 2. quæſt. 88 artic. 11. ad 4. & quæſt. 185. art. 8. ad 3.* Ubi ſic explicat caput illud unicum, quo innituntur adverſarii. *Proprium autem nullo modo habere poſſunt; non enim paternam hæreditatem vendicant quaſi propriam, ſed quaſi Eccleſiæ debitam.* Vnde *ibidem* (ſcilicet *capite ſtatutum 18. quæſt. 2. fine*) *ſubditur, quod poſtquam Epiſcopus Ordinatur ad altare, ad quod ſanctificatur, & intitulatur ſecundum ſacros Canones, quod adquirere potuit reſtituat.* Sic ſentiunt cum D. Thom. Lezana *tom. 1. cap. 17. num. 1.* à S. Fauſto *libro 6. theſaur. quæſtione 190.* Palaus *tract. 16. diſput. 4. punct. 26. num. 1.* Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 6. num. 8.* Petrus de Ledeſma *tom. 2. ſum. tr. 10. cap. ult. dub. 2. ad 4. fol. mihi 1211.* Rodrig. *tom. 1. ſum. cap. 10. num. 4. & tom. 2. quæſt. reg. q. 58. art. 3.* Azor. *tom. 1. cap. 7. quæſt. 2. §. profectò hæc quamvis,* Henriq. *lib. 10. de ſacram. Ord. cap. 32. num. 5. & cap. 33. numero 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 14. num. 113.* Bonacina *de clauſur. quæſtione 2. punct. 2. numero vigeſimo octavo,* & alii quos *loco citato* dedimus.

Quid ex doctrina dicta ſequatur.

32. Ex quo cum prædictis Doctoribus infertur. Primò, non poſſe de ullis bonis Epiſcopum regularem teſtamentum facere. Unum pro omnibus, D. Thom. *loco proximè citato* ſufficiat adducere, ubi hæc addit: *teſtamentum autem nullo modo facere poteſt: quia ſola ei diſpenſatio committitur rerum Eccleſiaſticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit teſtamentum valere, ut Apoſtolus dicit, ad Hebreos, 9. Si tamen ex conceſſione Papæ teſtamentum faciat, non intelligitur eſſe ampliata poteſtas ſuæ diſpenſationis, ut ejus diſpenſatio poſſit valere poſt mortem.*

Quomodo Epiſcopi regulares poſſint de ſuis bonis diſponere.

Secundò infertur, quod ſi aliqua bona, quæcumque ſint, in uſus varios impedat, tenetur ex aliis, Eccleſiæ reſtituere, apud quam illorum reſidet dominium, ut loco citato *numero 155.* diximus. Et illi qui ab eo indebitè dicta bona recipiunt, etiam reſtitutioni ſunt obnoxii, niſi velint ſe alteri ſententiæ probabili conformare, quæ dominium illorum, Epiſcopis concedit, ut præter ibi citatos, tenent Lezana *numero quinto,* Sanchez *numero 13.* D. Bonavent. *in 4. diſtinct. 38. articulo 2. quæſt. ult. ad ultim.* Turrecremata, *cap. capite non dicatis 12. quæſtione 1. art. 1. num. 2. ad 4.* D. Antonin. *3. p. titulo 20. cap. 2. §. 7.* Sylveſter *verbo Religioſo 6. quæſtione 10.* Navarr. *comment. 1. de regul. num. 31. & comment. 2. num. 17.* ¶ Sed ita ample poſſunt diſponere inter vivos, tam de redditibus ſui beneficii, quam de aliis bonis, ac poſſunt Epiſcopi non regulares: quia iſti ſolum poſſunt licitè diſponere ad moderatam ſuſtentationem ſecundum ſtatum, & ad donationes ipſis congruentes modo à nobis dicto loco citato *numero 142.* & ſuperflua tenentur in eleemoſynas & opera pia erogare, quod etiam poſſunt Epiſcopi Religioſi: quia eis ab Eccleſia plena & integra, ac libera eorum adminiſtratio conceditur ut ibidem *n. 155.*

diximus. Et ſi parcius quam juſtè poſſet, vivendo ſumptibus pepercerint, quod minus ſumpſerint de redditibus ſui beneficii quam in ſuam competentem ſuſtentationem poterant licitè conſumere, poſſunt, ſicut alii, in quævis opera, & qualitercumque expendere; juſtè namque præſumi poteſt Eccleſiam id concedere, cum revera id in uſus proprios poſſent conſumere. Navarr. *comment. 4. de regul. numero 70.* Leſſius *libro ſecundo, capite 45. dub. 11. numero quadrageſimo-tertio,* Vivald. *in candelabro. parte 3. capite decimo-quarto, numero* 86. Molina *de juſt. tom. 2. diſputatione 273. colum. 3.* Graffis 1. *part. deciſ. libro tertio, capite 15 numero* 43. Sanchez *libro 6. ſum. capite 6. num. 14.*

Quoad vim coactivam, non adſtringitur Epiſcopus regularis obſervantiis ſui Ordinis.

33. Secunda quæſtio eſt: an regularis factus Epiſcopus teneatur ad alias obſervantias ex regulæ, vel conſtitutionum præſcripto debitas? in quo ſupponimus, Primò quoad vim coactivam non obligari, id eſt quoad pœnas & cenſuras in eis contentas (& idem eſt de votis ſubſtantialibus. Vnde ſi illa transgrediantur non ſubjacent pœnis, aut cenſuris contra tranſgreſſores in Religione aſſignatis) dedecet namque Epiſcopalem dignitatem ita eum ad talia obligari, ut ſi delinquat, pœnis ſubjiciatur, hoc enim ſolis diſcipulis Prælatis ſubjectis, & ab eis regendis & gubernandis convenit, non Magiſtris perfectionis, quales ſunt Epiſcopi à Prælatorum juriſdictione exempti. Ita Caietan. 2. 2. *quæſtione* 185. *articulo* 8. *dub.* 2. & *in opuſcul. tom.* 1. *tractatu* 25. *quæſtione* 2. Lezana *tomo primo, capite decimo ſeptimo, numero ſeptimo,* Palaus *diſputatione 4. punct. 26. numero decimo ſexto.* Soto *libro ultimo, quæſtione ultim. de juſtitia, art. ult. colum.* 6. Rodriguez *tom. 2. ſumm. cap. 10. num. 4.* Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 6. num. 17.* Valentia 2. 2. *diſput. 10. quæſt. 3. punct. 8. colum.* 2. Quarè, minimè adſtringitur illis obſervantiis, quæ alios Religioſos ſolum ad pœnam obligant cum ipſe non poſſit obligari ad pœnam.

Ex decentia tenetur Epiſcopus regularis ad obſervantias ſui Ordinis.

Supponimus ſecundò, ipſum teneri ex quadam decentia, & morali honeſtate ad obſervantiam regulæ, & aliarum principalium conſtitutionum, dummodo earum executio ſuum non dedeceant ſtatum, vel ipſius muneri non repugnent. ſed ſi muneri exequendo, ſint obſtaculo, ut nimiæ vigiliæ, abſtinentiæ immoderatæ, ſilentium, ſolitudo, & aliæ ejuſdem generis. Vel dedeceant ipſius ſtatum & dignitatem Epiſcopalem, ad hæc nullo modo tenebitur. Et utrumque probat D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 8. hac ratione. Quia ſtatus Religionis comparatur ad ſtatum Epiſcopalem, ſicut diſciplina ad magiſterium, & ſicut diſpoſitio ad perfectionem; ſed adveniente præſtantiori forma non excluditur diſpoſitio conſervans illam, & quæ cum ea compatitur, ſed quantum ad id quod obſtat illius perfectioni: & ſimiliter adveniente magiſterio, excluditur diſciplina diſcipuli quantum ad id quod indecens eſt illi ſtatui, puta quod audiat, doceatur, caſtigetur; non quantum ad id, quod cum illo compatitur, ut quod ſtudeat, legat, meditetur: ergo idem cum proportione Philoſophandum eſt in præſenti. Sic præter D. Thom. Turrecremata *cap. de Monachis,* 16. *quæſtione prima, numero tertio,* Rodriguez *tomo ſecundo, quæſt. reg. quæſtione* 58. *art.* 3. Angelus *verbo Monachus numero* 7. D. Antoninus 3. *part. titulo* 20. *cap.* 2. §. 7. Sanchez *ſupra numero* 18. Palaus *diſputatione 4. punct. 17. numero decimo-quarto,* Lezana *numero octavo,* Sylveſter *religio* 6. *quæſtione* 10. Addunt D. Thom. & D. Antoninus, poſſe ſecum in his ſecundis penſare quando circumſtantiæ occurrentes id exigunt.

Sub peccato non obligatur Epiſcopus Religioſus ad obſervantias Ordinis.

34. Difficultas ergo eſt in præſenti, an vinculo legali & quoad culpam, teneatur ad dictas obſervantias, quæ non pugnant cum ſuo munere, nec ejus dedecent dignitatem? Circa quam, aliorum placitis omiſſis, probabilius judicamus ſub nulla culpa obligatos eſſe ad tales obſervantias, etiamſi aliàs ſub mortali culpa Religioſos obligent, ſed ex ſolo honeſtatis & decentiæ debito. Quia, ut obſervantia regularis ſub culpa obliget aliquem, talis debet eſſe regulæ ſubjectus; ſed Religioſus factus Epiſcopus à jugo regulæ liberatur, ut dicitur, *cap. unico* 18. *quæſtione* 1. & meritò: quia cum ſit extra regimen Religionis, non debebat illius regulis adſtringi: ergo nullam culpam committit ſi illas tranſgrediatur. Ita Caietan. *tom.* 2. *opuſcul. tract.* 35. *de obligatione & obſervantia præcepti. quæſtione* 2. (mutans ſententiam, quam 2. 2. *quæſtione* 185. *articulo* 8. *dub.* 5. tenuerat Lezana *tom.* 1. *c.* 27. *n.* 8. Covarr. *c.* 5. *de teſtam. n.* 18. Valentia 2. 2. *diſput.* 10. *q.* 3. *punct.* 8. *fine.* Bonat. *de de clauſur. q.* 2. *punct.* 2. *n.* 26. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſolutione* 50. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 40. *numero decimo ſeptimo,* Palaus *diſputatione* 4. *punct.* 17. *numero* 53. Rodrig. *tom.* 2. *ſum. cap.* 10. *num.* 4. & *quæſt. reg. tom.* 2. *q.* 57. *art.* 3. Sanchez *lib.* 6. *capite* 6. *num.* 59. Soto *de juſt. lib. ult. quæſt. ult. articulo ult. colum.* 6. & 7. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 17. *à num.* 16. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 113. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 10. & alii. ¶ Imò Sotus, Palaus, Leſſius, Sanchez, & Diana, adhuc dicunt non obligari ex decentia, modo quo Princeps ad ſuas leges manet adſtrictus: hic enim, ſaltem venialiter tenetur ad illas, ut diximus, *tractatu* 10. *de legibus capite tertio, numero trigeſimo quarto,* quia dedecet ipſum cum cæteris reipublicæ membris, cum quibus vitam ſocialem tranſigit, non conformari. Religioſus tamen, factus Epiſcopus, non agit vitam cum reliquis Religioſis ſocialem, ſed ab eorum conſortio eſt ſeparatus, & ſic nullam habet quoad culpam obligationem, ſecum illis in obſervantiis conformandi, ut de Religioſis expulſis *hoc capite. numero* 94. dicemus non obligari quoad ullam culpam ad dictas obſervantias, quamdiù degunt extra Ordinem: quia ſolum illis tenentur, quamdiù cum aliis in Religione converſantur.

Aliis votis præter ſubſtantialia, non manent obligati Epiſcopi Regulares.

35. De reliquis autem votis annexis profeſſioni, ut in minimis votum quadrageſimale, in mercenariis votum incumbendi Redemptioni, in Societate, & in noſtris Carmelitis Excalceatis Congregat. Italiæ votum obediendi Pontifici quoad Miſſiones, & in aliis ſimilibus, licet aliqui adhuc teneri affirment, verius eſt ab illis abſolui: quia talia vota emittũtur ut annexa ac acceſſoria vitæ Monaſticæ; ſed Epiſcopus liberatur à vita Monaſtica, & aliis obſervantiis regulæ: ergo etiam ab iſtis votis, ea namque emittere cenſentur Religioſi ad illaque obligari, quandiù in Communitate cum aliis vivunt, & non eſt ſtatus ſpecialis mutatio, & ſic ad ea tantum vota tenentur, quæ eſſentialia ſunt Religioſis ut talibus (à qua ratione, cum liberantur Epiſcopi) quæque propria voluntate ex vi profeſſionis emittunt; non ad illa quæ ex ſpeciali Religionis præſcripto faciunt, Sanchez *n.* 15. Lezan. *n.* 10. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 24. *num.* 5. Suar. *tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 3. *à n.* 5.

36. Ex

Quid ex dictis inferendum ſit?

36. Ex quibus deducitur Religioſum Epiſcopum non peccare carnes comedendo, etiamſi talis abſtinentia ſub mortali in regula præcipiatur, etiamſi feria ſexta, quando eo die natalis Domini celebratur carnes comedat, juxta Indulgentiam *cap. explicari de obſervantiis.* Quia licet hoc privilegium ibi regulari obſervantiæ adſtrictis ad abſtinendum ab eis denegetur, intelligitur de abſtrictis de voto legali, non de illis qui ſolum ex quadam decentia & honeſtate adſtringuntur. ❡ Similiter ex debito morali honeſtatis ac decentiæ tenentur ſocium ſui Ordinis habere, non ex debito legali: quia ſolum ad hoc ex regula, aut conſtitutionibus pro omnibus Religioſis tenentur, non ex ſpeciali juris Canonici diſpoſitione. ❡ Imò nullo debito tenentur officium divinum juxta ſuæ Religionis ritum perſolvere: quia decentius, imò debitum eſt ſuæ Eccleſiæ ritum ſequi, ut tenent Sanchez, Palaus, Lezana, & Diana, cum aliis, *locis citatis.*

Tenentur ſub peccato habitum ſui Ordinis portare.

Tenentur tamen, debito legali, portare habitum ſuæ Religionis, aliter peccabit mortaliter, quia hæc obligatio, non à regula, ſed ex ſpeciali pro illis juris communis diſpoſitione provenit. Nam *in cap. penultimo de vita & honeſtate clericorum, fine.* Cum ſermo eſſet de veſtibus Epiſcopalibus, quas Epiſcopi ferre tenentur, ſubditur: *niſi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem.* Et licet Verbum *oportet*, ſolum decentiam & convenientiam indigitet, conſuetudine tamen ſic interpretante, graven. in tali textu contineri obligationem, communis fert opinio; & meritò, quia habitus ſignum eſt ſtatus Religioſi, & obligationis, qua manet votis adſtrictus, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 185. *artic.* 8. Ideoque ſuper illud veſtibus non poteſt indui Epiſcopalibus, ut præter D. Thom. tenet Leſſius 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 113. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 22. Lezana *tom.* 1. *cap.* 17. *num.* 9. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 9. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 37. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 24. *n.* 10. Bonacin. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 26. *in ſolut. ad* 1. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. reg. q.* 38. *art.* 3. Soto *loco cit. column.* 5. *verſu: circa ſecundum.* Henriquez *lib.* 10. *de ſacram. Ord. c.* 32. *n.* 5. & *cap.* 33. *fine.*

Quid ſit conceſſum circa habitum Epiſcopis Religioſis & Cardinalibus?

37. Sed addunt Sanch. Lezana, Palaus, Pellizzar. quod jam in Rituali Romano per Clementem VIII. reformato conceſſum eſt Epiſcopis regularibus, ut retento colore habitus, ſuæ Religionis, poſſent ſe conformare cum Epiſcopis ſæcularibus in forma, ſeu figura illius, atque adeò incedere poſſunt cum birreto Clericali, & cum Mantileto ejuſdem coloris Religionis, ſed non poſſunt portare Rochectum, quamvis ſuperpellicium ſuper imponere in actibus Eccleſiaſticis valeant. Canonici autem regulares creati Epiſcopi, poſſunt in habitu Epiſcopali, dimiſſo proprio, incedere ex privilegio Leonis XI. *conſtitutione ſua* 24. ut tenent Pellizzar. *ſupra n.* 37. & Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſput.* 6. *n.* 976. Cardinales etiam ex Ordinibus aſſumpti poſſunt portare birretum rubrum ex conceſſione Greg. XIV. ut teſtatur Lez. *n.* 9. Sed licet Epiſcopus regularis habitum ſuæ Religionis temerè dimittat, tametſi peccet, non ob id incurrit excommunicationem, *c.* 2. *ne clerici vel Monachi in* 6. contra Religioſos temere habitum ſuæ Religionis dimittêtes latam: quia loquitur textus de Religioſis ſub Abbatis obedientia manentibus, ejuſque regulis adſtrictis, & ſic rationem reddit, ne detur vagabundi occaſio, dimiſſo habitu, eo quod à nemine cognoſcentur, quod ceſſat in Religioſo Epiſcopo facto, & ita docent Sanchez *n.* 23. Pellizz. *n.* 36. Ant. à Spiritu Sancto *n.* 975. Palaus *n.* 11. Leza. *n.* 9. Bonac. *n.* 26. Diana *reſol.* 50. Suar. *n.* 11. & alii.

Epiſcopi electi & confirmati dictis gaudent exemptionibus.

38. Tertia quæſtio eſt: de quibus Epiſcopis dictæ exemptiones intelligantur? Reſpondetur quod intelliguntur de Epiſcopis electis & à Sede Apoſtolica confirmatis, licet nondum conſecrati ſint; non verò de illis qui tantum ſunt electi, & nondum à Pontifice confirmati. Ratio eſt: quia ex quo Epiſcopus confirmatus eſt, & non antea contrahitur inter ipſum & Eccleſiam ſpirituale matrimonium, & ita eſt ex tunc ſub ſpeciali Romani Pontificis protectione, ut abſque ſpeciali ejus licentia retrocedere nequeat; & ita ex tunc à Prælatorum regularium ſubjectione liberatur, & incipit juriſdictione Epiſcopali gaudere. Quare cum *in cap. illo unico* 17. *quæſt.* 1. dicitur: *Monachus, quem Canonica electio à jugo regulæ Monaſticæ profeſſione abſolvit.* Intelligitur de electione à Papa confirmata. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 113. Sanchez *lib.* 6. *ſum. capite* 6. *num.* 32. Lezana *tom.* 1. *cap.* 17. *num.* 5. Rodrig. *tom.* 2. *ſumma cap.* 70. *num.* 6. & *quæſt. reg. tom.* 3. *quæſtione* 69. *articulo* 4. ❡ Quibus privilegiis & exemptionibus gaudent Epiſcopi etiamſi Epiſcopatus munus relinquant, ſive deponantur (abſque degradatione) ob demeritum, ſivè ob ſpontaneam renuntiationem: quia talis legitimè deſponſatus fuit, & exemptus à jugo Monaſticæ diſciplinæ, & obligatione obediendi Prælatis, tum ratione dignitatis Epiſcopalis, tum etiam ratione curæ animarum quam ſubiit: & ſi ergo cura ceſſaverit, non dignitas & perfectio ſtatus, ratione cujus talem diſpenſationem eſt adeptus, & ſic ex parte manet cauſa, quod ſufficiens eſt ad conſervandam diſpenſationem, ut diximus, *tom.* 3. *tractatu* 11. *de legib. capite* 5. *num.* 88. & in præſenti caſu tenet Lezana *num.* 8. Sanchez *numero* 29. Rodrig. *tom.* 3. *quæſt. regul. quæſtione* 52. *articulo* 26. Henriq. *lib.* 10. *de ſacram. Ord. capite* 32. *numero quarto*, Navarr. *libro tertio*, *conſil. in prima editione titulo de regul. conſil.* 15. *à numero* 11. Layman. *libro quarto, tractatu* 5. *cap.* 2. *num.* 9.

Epiſcopi qui renunciarunt Epiſcopatui eiſdem gaudent privilegiis.

39. Et quæ hucuſque diximus de Epiſcopis, etiam pro illis, qui ſubditis carent, & annullares dicuntur, ſeu titulares, accipienda ſunt; Tum quia talis exemptio in favorem dignitatis Epiſcopalis data eſt; quia non decebat inferioribus Prælatis ſubjici qui Eccleſiæ Princeps creabatur, nec in culmine Magiſterii & ſtatu perfecto conſtitutum doceri, & regi ab iis qui perfectionis viam ſectantur. Tum etiam, quia tales verè habent ſubditam diœceſim, quæ olim erat Chriſtianorum, & modo eſt à Turcis occupata, & ſi permitteretur eos ibi Chriſtianè vivere cum ſuis ſubditis, vel ſi ab infidelium eriperentur tyrannide, vel infideles converterentur ad fidem, illuc tendere deberent. Tum denique: quia creantur hujuſmodi Epiſcopi ut alios habentes oves in Pontificalibus adjuvent, miniſtrando Ordines, Confirmationem, & Epiſcopatum viſitando, & ſic vacant ſaluti animarum; ob quam etiam rationem conceditur Epiſcopis tale privilegium. Sic Suarez *tomo* 4. *de relig. tractatu* 8. *libro tertio, capite* 17. *numero* 2. & 5. Lezan. *num.* 8. Sanch. *num.* 27.

Epiſcopi annullares, ſeu titulares, ſunt etiam exempti.

Palaus *num.* 20. Azot. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 7. *fine*.

Religioſus beneficianus factus non liberatur ab obſervantiis.

40. Quarta quæſtio eſt: an regularis ad Eccleſiam Parrochialem, vel alia beneficia extra Religionem aſſumptus, abſolvatur à jugo Monaſticæ diſciplinæ, ſi ſit Epiſcopus creatus: Reſpondetur, quod licet aliqui dicant Religioſum, quandiu beneficio potitur, non teneri, niſi ad vota ſubſtantialia, ſicut Epiſcopi, ut Palaus *diſp.* 4. *punct.* 15. *num.* 3. Suar. *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 24. & 28. Verius eſt ipſos ſolum abſolvi ab eis obſervantiis regularibus quæ in Eccleſia ſæculari, una cum Parrochiali munere commode ſervari nequeunt. Ad alias verò teneri, quæ non impediunt, ſed potius adjuvant id munus, & hoc non ſolum ex decentia, ſicut Epiſcopus, ut diximus *num.* 36. ſed debito legali, & ſub ea culpa, qua alii Religioſi ad eas tenentur, & pœnis ſubjiciuntur, quibus alii Religioſi ipſas tranſgredientes. Ratio eſt, quia in Parrocho non currit illa ratio, ratione cujus Epiſcopum ab eis abſolutum diximus. Non enim ex ſuo ſtatu eſt Magiſter perfectionis conſtitutus, nec omnino abſolutus à ſubjectione Prælatorum, cum non ſit Princeps Eccleſiæ creatus. Pellizzar. *tractat.* 5. *cap.* 7. *num.* 39. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 6. *num.* 36. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 17. *num.* 16. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp* 6. *num.* 977. Bonac. *de clauſur. quaſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 26. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 11. Sylveſt. *Religio* 7. *queſtione* 11. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regular. quaſt.* 34. *art.* 6. Azor *lib.* 12. *cap.* 19. *quaſt.* 15. ¶ Unde tenetur habitum ſuæ Religionis portare, & ſi illum temerè dimittat, incidit in excommunicationem, ſicut alii Religioſi, ut tenent Authores citati. Et depoſito Officio Parochiali tenentur ad ſuum Monaſterium redire, & obedire Prælatis, ſicut alii Religioſi: quia illa exemptio non eſt ratione alicujus dignitatis, ut in Epiſcopis & Cardinalibus, ſed præcisè ratione Officii, quo proinde ceſſante, ceſſabit. Pellizzar. *num.* 39. Palaus *punct.* 15. *num.* 3. Sanch. *num.* 36. Rodrig. *quaſt.* 30. *art.* 10. Sed ſi indigeat diſpenſatione, quando munus exercet Parrochiale, in aliquo regulæ ſtatuto, & Eccleſia illa ſit exempta, poteſt ſecum diſpenſare, ſicut de aliis Prælatis Religionum, quod ſecum diſpenſare queunt, diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legib. cap.* 5 *num* 60.

Socium ſui Ordinis habere quomodo teneatur Religioſus beneficiarius?

41. An verò teneatur ſocium ſuæ Religionis habere? Aliqui negant, niſi Eccleſia pleno jure ſubjecta ſit Religioni, ut Palaus *punct.* 25. *n.* 4. Suar. *cap.* 19. *n.* 28. Azor *quaſt.* 14. Alii verò dicunt debere ſecum ſocium ſuæ Religionis habere, ſi commodè fieri poteſt ut habeat; ſecus verò ſi vel Eccleſia utrumque commode ſuſtentare nequeat, vel ipſum non poſſit commodè habere, quia *in cap.* 2. *de ſtatu Monachor.* decernitur, ne ſinguli Monachi per villas & oppida, quibuſcumque Parrochialibus præficiantur; *ſed ſi vel ſocius nequit commodè reperiri, vel Eccleſia non ſufficiat utrique.* Sic plures, quos citat Sanch. *illo cap.* 6. *num.* 39. Sed ipſe, quem ſequitur Lezana *tom.* 1. *cap.* 17. *num.* 16. ſentit ſemper teneri ſocium habere: *quia in cap. quod Dei timorem eodem titulo*, inter Monachos & Canonicos regulares id diſcrimen conſtituitur, ut illi ſocium neceſſariò habere debeant, iſti autem ſolum quando illum commode habere potuerint. Quæ ſententia juri eſt conformior, & tenenda ubi oppoſita non vigeat conſuetudo.

Ad quem pertineant bona Regularium Epiſcoporum, & eorum qui beneficia habent?

42. Quinta quæſtio eſt: cujus ſint bona Epiſcoporum regularium, & eorum qui beneficiis inſerviunt? Reſpondetur quod bona illa, quæ habebat Religioſus antea quam fieret Epiſcopus, vel beneficiarius, acquiruntur Religioni, & antequam ad dignitatem aſcendat, debet omnia illa bona ſuæ Religioni, eſt namque membrum illius. Henriq. *de Sacrament. Ordinis cap.* 33. *num.* 4. Rodrig. *tom.* 3. *qq. Regularium, quaſt.* 58. *art.* 6. Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdito quaſt.* 1. *cap.* 10. *§. unico, concluſ.* 2. Quæ verò poſtea acquirit, tam ex fructibus beneficii, quam ex propriis operis, debentur Eccleſiæ, cui intereſt; ſed ea ſecum ferre poteſt, ſi ad aliam aſſumatur: quia ſub ea conditione cenſentur ab Eccleſia concedi. Ut diximus *tract.* 12. *cap.* 2. *punct.* 11. *§.* 3. & *punct.* 12. *§.* 5. Ubi etiam diximus Epiſcopi bona, quæ ex Legato, aliove titulo gratuiſo acquiſivit, acquirere propriæ Eccleſiæ ſub eadem conditione. Bona tamen beneficiarii Religioſi ex hæreditate, vel Legato quæſita, Monaſterio acquirere, cui adhuc manet ſubjectus, ſi capax ſit ſucceſſionis, ſin minus Eccleſiam, cui inſervit, ſuccedere; bona verò, quæ poſt mortem apud eum, ſive Epiſcopum, ſive Parochum, inveniuntur, pertinere ad Cameram Apoſtolicam, ut ibidem diximus, & tenet Lugo *de juſtitia, diſputat.* 3. *num.* 234. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 31. Suar. *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 30. Quia ita declaravit Gregor. XIII. *in Bulla Officii noſtri*, quæ eſt *in ſecundo tomo Bullarii* inter Bullas hujus Pontificis *num.* 43. Si tamen in vita illa dedit Religioni, videtur non teneri ad reſtituendum ipſa Cameræ, niſi Camera petat. Lezana *loco proximè citato*, *num.* 21. Suar. *n.* 27. Epiſcopum autem titularem regularem Pontifici acquirere: quia eſt illi immediatè ſubjectus, docet Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, allegatione* 114. *num.* 31. ſed adquirere Religioni cum nullam ſedem habeat, cui poſſit acquirere, tenet Sotus *lib.* 10. *de juſt. quaſt. ult. art. ult.* Sà *in Sum. verbo Religio*, *num.* 52. Alii vero dicunt per ſe & ex vi juris acquirere illi Eccleſiæ, cujus titulum habet, quia verò non poſſunt illi cum effectu applicari talia bona, in opera pia diſpenſanda eſſe. Sic Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 5. & omnes ſatis probabiliter.

Quibus privilegiis Religionis fruatur regularis Epiſcopus factus.

43. Ultima quæſtio eſt. An Epiſcopi regulares omnibus privilegiis, & indulgentiis Ordinis, ex quo aſſumpti ſunt, gaudeant? Reſpondetur ſub diſtinctione, vel enim loquimur de illis privilegiis, quæ ita Ordini conferuntur, ut ſingulis conceſſa cenſeantur, & quorum uſus abſque ullo Ordinis gravamine eſſe poteſt: ut indulgentias lucrari, diſpenſari & diſpenſare; abſolvere, & abſolvi. Talibus abſque dubio poteſt fungi Epiſcopus regularis: quia eſt verè Religioſus, oneribus ſubſtantialibus Religionis gravatus, & ſic illius commoda ſentire valet. Maximè, quia loco aliorum onerum, à quibus exemptus eſt, onera & munia Epiſcopalia ſuccedunt, & illius aſſumptio cedit in ipſius Ordinis decorem. Vel loquimur de illis privilegiis, quorum uſus poteſt cedere in Religionis detrimentum, ut vocem habere activam & paſſivam, reſidere in domibus Ordinis, id non poteſt efficere, neque hujuſmodi privilegiis fungi, nec illis, quæ generaliter conceſſæ ſunt corpori Religionis, & in illius favorem ad conſervationem vel augmentum

mentum ejus, ut quæ pro domorum ædificatione extant, pro bonorum adminiſtratione, ſubditorum regimine, Prælatorum electione. Cum enim ſit ſemotus à corpore illius Communitatis, frui nequit gratiis & privilegiis corporis illius conſervationi conceſſis. Suar. *tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 18. n. 2. & 3.* Lezan. *tom. 1. cap. 17. num. 18.* Palaus *diſp. 4 punct. 24. num. 24.*

PUNCTUM III.

Qualiter Religioſis interdicatur, vel conceſſus ſit tranſitus ab una ad aliam Religionem?

Quid ſit in præſenti agendum?

44. INTER Religiones, aliæ ſunt laxiores, aliæ perfectiores, aliæ ſtrictiores; de quibus latè diximus *cap. 1. à num. 77.* Quamvis omnes, quantum ad ſubſtantialia conveniunt. Quarè tranſitus poteſt eſſe, vel à Religione laxiori ad ſtrictiorem, vel ab ſtrictiori ad laxiorem; vel certè de una ad aliam æquè perfectam & ſtrictam. Et de his omnibus in præſenti agemus, rem claritatis gratia, in quatuor paragraphos dividentes. In primo generalia principia ſtatuemus pro omnibus qui de una ad aliam Religionem, ſive ſtrictiorem, ſive laxiorem, tranſire volunt. In ſecundò de tranſitu à laxiori ad ſtrictiorem agemus. In tertio de tranſitu ab ſtrictiori ad laxiorem, vel æquè arctam. In quarto denique de effectibus & pœnis illis correſpondentibus, qui licitè vel illicitè de una ad aliam Religionem tranſire volunt, erit ſermo.

§. I.

Aliqua certa & communia ſupponuntur.

Melius eſt regulariter in aſſumpto ſtatu perſeverare, quã alium quærere.

45. *UNuſquiſque permaneat in vocatione qua vocatus eſt.* Clamat Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 7. & ideo maximum eſt levitatis, inſtabilitatis, imò ingratitudinis indicium, priorem matrem, Religionem videlicet, cujus ſuxiſti ubera, cujus educationem in primordiis accepiſti, deſerere. Vnde laudabile non eſt, nec minimè conſulendum, de una ad aliam Religionem tranſitum procurare. Quod rectè, ut ſemper, docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 189. art. 8.* Primò quia facilius quis proficit in Religione quam conſuevit, quàm in illa quam non novit: Vnde dixit optimè Caſſianus *collat. 14. cap. 5. Vnicuique utile eſt ſecundum propoſitum quem elegit ut ſummo ſtudio, ac diligentia, ad operis arrepti perfectionem pervenire feſtinet, & nequaquam à ſua, quam elegit ſemel profeſſione diſcedat.* Secundò, quia ex tali tranſitu plerumque ſcandalizantur illi, qui relinquuntur, & Religio deſerta contemnitur. Tertiò quia nulla eſt tam relaxata Religio, quæ viros exemplares, moribus, ac virtute præclaros non outriat; & quamvis una plures, alias pauciores contineat, decet tamen Religionem, exempla perfectionis, non à multis, ſed ab uno, vel paucis expetere, ut inquit idem Caſſianus *lib. 4. de inſtitutis cap. 40. Ad quod ut valeas facilius pervenire, exempla tibi ſunt imitationis, ac vita perfecta in Congregatione commoranti, à paucis, imo ab uno, vel duobus, non à pluribus expetenda. Nam præter id quod examinata vita & ad purum extorta, reperitur in paucis, etiam iſtud ex hoc utilitatis accedit, quod ad perfectionem propoſiti hujus, id eſt cœnobialis vita, diligentius, quis imbuitur, ac firmatur exemplo.*

Cauſæ ob quas licitus eſt tranſitus ad alium Ordinem.

46. Sed ex tribus cauſis, licitum & laudabilem eſſe talem tranſitum, tradit D. Thom. *articulo 8. citato.* Primò zelo majoris perfectionis, ſecundum illud Pauli: *æmulamini charismata meliora.* Secundò propter declinationem Religionis à debita perfectione: ut ſi in aliqua Religione arctiori incipiant Religioſi remiſſiùs vivere, laudabiliter tranſiit etiam aliquis ad Religionem adhuc minorem, ſi in ea melius obſervetur. Tertiò propter infirmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum provenit, quod non poteſt aliquis arctioris Religionis ſtatuta ſervare, poſſet tamen ſervare ſtatuta Religionis laxioris. Sed in hoc ultimo caſu diſpenſatio Papæ requiritur. In primo & ſecundo non. *Sed propter humilitatem* (concludit D. Thom.) *debet licentiam petere, quæ tamen ei negari non poteſt, dummodo conſtet illam Religionem eſſe arctiorem; ſi verò de hoc probabiliter dubitetur, eſt in hoc judicium Superioris inquirendum, ut habetur extra de regularibus, & tranſeuntibus.* Hæc D. Thom. & omnes. Igitur hic tranſitus ex jure communi cum conditionibus dictis & aſſignatis, omnibus; tam fratribus quam monialibus, licet, tam Choriſtis, quam Laicis (niſi in aliqua Religione ſpeciali prohibitione ſit interdictus) quia per hoc ſpiritualis profectus, & majus Dei obſequium obtinetur, & ſic jure naturæ licet, cum ſit votum in melius commutare, & ex jure poſitivo. *cap. licet, cap. non eſt, cap. ſanè, cap. ſignificatum de regularibus.* Cæterum, debet habere integrum annum Novitiatus in Religione ad quam tranſit, ut diximus, *cap. 5. num. 30.*

Triplex contra dicta objectio proponitur.

47. Sed objicies, non eſſe licitum talem tranſitum, primò quia per profeſſionem Religioſus ſe tradit Religioni obſequuturum, ſicut ſervus ſe Domino tradit: ergo ſicut ſervus occaſione inveniendi excellentiorem Dominum non poteſt priorem deſerere, ſic nec Religioſus poteſt Religionem deſerere occaſione quærendi excellentiorem ſtatum. Secundo, quia Religio non poteſt expellere Religioſum, dum nocivus non eſt, etiam occaſione recipiendi utiliorem: ergo nec Religioſus Ordinem occaſione intrandi perfectiorem. Tertio, quia Pius V. *in extravaganti* edita anno 1569. quæ incipit: *quæcumque ſacrarum*, præcipit non poſſe recipi, nec retineri ab una Religione fratres alterius Ordinis, ſed ſtatim debere ad proprios Ordines redire. Quarto, quia Trident. *ſeſſione 25. capite 5. de regul.* & Pius V. *in ſua octava conſtitut.* incipiente: *decori.* edita anno 1569. præcipit à monialibus clauſuram obſervari, quæ frangeretur, ſi ad aliud Monaſterium valerent tranſire, in quo fundati ſunt Azor. *part. 1. libro decimo tertio*, Portel. *de dub. regul. verbo Religio, numero 8.* ad negandum poſſe moniales de laxiori ad ſtrictiorem Religionem tranſire. Cum quibus videtur conſentire Rodriguez *quæſt. reg. tom. 3. quæſtione 52. articulo 6.* dicens ad talem tranſitum requiri licentiam Superiorum, & Ordinarii, ob clauſuram indictam monialibus à Concilio Trident. & Pio V.

Primum & ſecundum

48. Reſpondetur ad primum & ſecundum, Religioſum non ſe tradere Religioni, ſicut

Solvitur argumentum.

ſervus Domino, hic enim ſolum in utilitatem & commodum Domini, ſe tradit illius obſequiis. Ille verò ſe tradit Deo, & ex conſequenti Religioni, ut Deo in ea obſequatur, & ſuæ conſulat ſaluti, & ſic principaliter ſe tradit Religioni in obſequium Dei, & utilitatem ſuæ animæ: Vnde poterit ſtatum mutare, ſi majus ex tali mutatione obſequium Dei, & animæ utilitas ſequatur: quia ſub ea tacita conditione tradi Religioni cenſetur, *Niſi majus occurrat obſequium Dei & animæ utilitas.* Religio autem ipſum recipit abſolutè, & per hoc quod melior inveniatur, non impeditur quod eum retineat, & ſic illum ejicere non poteſt, niſi nocivus ſit. Ille vero meliorem ſtatum poteſt acceptare. ¶ Ad tertium dicimus diſpoſitionem illam Pii V. non agere de tranſeuntibus ſecundum juris communis diſpoſitionem, ſed tantum de fugitivis & apoſtatis, qui ſine licentia à ſuis Superioribus petita ad alias ſe volunt transferre Religiones, ob jurgia, contentiones, levitates, & male facta, non vero loquitur de eis, qui laudabiliter de una Religione volunt ad aliam tranſire vel zelo perfectioris Religionis, vel propter declinationem ſuæ Religionis à debita perfectione, vel propter infirmitatem, aut debilitatem, quæ ſunt tria capita ob quæ D. Thom. & omnes talem tranſitum honeſtari dicunt; ſic talem extravagantem explicant. Navarr. *lib. 3. conſilior. de regular. conſil.* 88. Sanch. *lib.6. decal. cap 7. num.* 1. Miranda *tom.* 1. Manual. *quæſt.* 31. *art.* 2. *concl.* 1. Rodrig. *tom.* 3. *quæſt.* 52. *art.* 8. Peyrin. *de R. S. tom.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 24. §. *neque in his obſtat.* Suar. *tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 12. Lezana *tom.* 1. *c.* 22. *n.* 1.

Etiam Monialibus licitus eſt tranſitus ad alium Ordinem.

49. Ad quartum, aſſerendum eſt, etiam Monialibus licitum eſſe talem tranſitum ipſis conceſſum *cap.* 1. 10. *quæſt.* 4. Nec derogatum fuit hoc jus commune per Tridentinum, aut Pium V. quia ſolum prohibent receſſum à proprio Monaſterio, qui ſit vagationi obnoxius, Religioni & honeſtati contrarius, non qui zelo majoris perfectionis, ex inſtinctu Spiritus Sancti evocantis ad altiorem ſtatum aſſumitur. Vnde ipſas poſſe exire ut tranſeant ad aliam Religionem, vel Monaſterium abſque fractione præcepti clauſuræ, & non obtenta Superiorum licentia & Ordinarii, juxta Trident. ſed ſolum petita licentia à ſuo Superiore, juxta *cap. licet, de regular.* ſicut alii Religioſi poſſunt, tenent Bonac. *quæſt.* 2. *de clauſ. punct.* 9. §. 2. *num.* 4. Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 41. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 6. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 76. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 26. §. 2. *n.* 4. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſputat.* 6. *num.* 716. Suar. *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Barboſa *cap. licet num.* 3. *de regularibus.*

Quæ Religiones habeant ex privilegio quod ab ipſis ad alias non detur tranſitus?

50. Diximus *num.* 46. talem tranſitum licitum eſſe jure communi, niſi in aliqua Religione ſpeciali prohibitione, ſit interdictus. Etenim poteſt Summus Pontifex, etiam laxiori Religioni privilegium præbere, ut ab ea non poſſit fieri tranſitus ad aliam, niſi obtenta à Sede Apoſtolica licentia, vel ſaltem à ſuis Prælatis. Tum, quia non conſtat alium, ad quem fit tranſitus, eſſe perfectiorem; tum etiam ob pacem & tranquillitatem communem, quæ prævalere debet propriæ alicujus particularis utilitati. Tum denique: quia ſic non occluditur via ad meliorem vitam procurandam, ſed quod maturius, conſultius, & cum debita licentia fiat, decernitur. Sanch. *lib.* 6. *capite* 7. *num.* 10. Palaus *diſput.* 4. *punct.* 26. §. 2. *num.* 6. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 2. *per totam.* Bonac. *de clauſur. quæſt.* 2. *punct.* 9. §. 2. *num.* 3. & §. 5. *diffic.* 2. *à num.* 1. Azor 1. *part. lib.* 12. *cap.* 14. *quæſt.* 12. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 73. Vnde Paulus III. per Bullam editam anno 1598. incipientem: *licet debitam.* Pius IV. & Pius V. conceſſerunt Societati ut nullus in ea profeſſus, vel ad tria vota admiſſus, poſſet ſine licentia ſui Generalis, aut Sedi Apoſtolicæ, tranſire ad aliam Religionem, excepta Carthuſiana ſub pœna excommunicationis tranſeuntibus & admittentibus. Paulus V. privilegio nobis conceſſo ſub data Romæ, apud S. Petrum, die 3. Aprilis, anno 1610. conceſſit, ut ad nullam Religionem, etiam quarti voti, etiam excalceatorum, quocumque prætextu, etiam ſtrictioris regulæ, poſſent Religioſi noſtri tranſire abſque expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, & ex urgentiſſima cauſa cognita à Congregatione Cardinalium, excepta Carthuſiana; ad quam non niſi petita & obtenta licentia poſſunt tranſire ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & apoſtaſiæ. Etiam Clericis miniſtrantibus conceſſit Paulus V. ut nec ad Carthuſianos ſine licentia Sedis Apoſtolicæ poſſent ſe conferre. Et Eugenius IV. anno 1439. in Bulla, quæ incipit: *Regularem vitam:* indixit Monachis Ciſtercienſibus, ne ad alium Ordinem præter Carthuſianum tranſirent. Et in Extravag. *viam de regularibus*, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ interdicitur, ne ex Religionibus mendicantibus fiat tranſitus ad quamcunque aliam, excepta Carthuſia, & alia aliis Religionibus ſunt conceſſa privilegia, quæ apud præcitatos Authores videri poterunt, & quomodo ſunt omnibus, per communicationem communia, cum favorabilia ſint toti communitati Religionis.

Hodie vix poteſt dari tranſitus abſque Summi Pontificis licentia.

51. Ex quo fit, quod hodie non poſſunt Religioſi, ſive mendicantes, ſive non (ſaltem per viam communicationis privilegiorum) tranſire à propria Religione ad aliam, quantumvis ſtrictiorem, abſque obtenta licentia ſuorum Prælatorum, imò Sedis Apoſtolicæ, excepta Carthuſia, ſi talia privilegia ſint in uſu apud illam Religionem; cum enim quilibet poſſit cedere juri ſuo, poſſet aliqua Religio nolle his privilegiis uti, alias ſibi directè, vel excommunicatione competentibus, ut docet Sanch. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 10. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 75. & 129. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 756. Suar. *tract.* 9. *lib.* 2. *c.* 4. *num.* 34. Quamvis non obſtantibus his privilegiis, etiam ubi ſunt in uſu, poſſunt Prælati regulares dare licentiam ſuis ſubditis tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem: quia hoc non prohibetur illis in dictis privilegiis, quæ ſolum prohibent ne Religioſi tranſire velint ſine licentia & conditionibus in eis aſſignatis, eorumque finis minimè eſt tollere, ſed potius augere poteſtatem regularium Prælatorum. Pellizzar. *num.* 95. Ant. à Spir. Sancto *num.* 757. Suarez *tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 34. *citato.* Licet ad vitandas cenſuras in hujuſmodi privilegiis poſitas, tam contra receptos, quam contra recipientes, conſultum erit, ut volentes zelo perfectioris vitæ tranſire, obtineant licentiam à Pontifice, vel à Sacra Congregatione regularium, ut docet Sanch. *lib.* 6. *decalogi capite* 7. *num.* 10. Peyrin. *de ſubdito tom.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 24. *concluſ.* 6. §. *cæterum.* In noſtra autem Congregatione

tione præter Diſſinitorium generale, nullus Prælatus poterit talem licentiam impendere: quia in noſtris conſtitutionibus *4. part. capite 4. num. 4.* adductis privilegiis Gregor. XIII. Pauli V. & Greg. XV. quibus ad quamcunque Religionem prohibetur tranſitus abſque Pontificis licentia, niſi ad Carthuſiam, petita & obtenta licentia Prælatorum, ſub pœna Apoſtaſiæ, infamiæ perpetuæ, & excommunicationis latæ ſententiæ contra tranſeuntes & recipientes aſſignatæ, admittuntur & recipiuntur talia privilegia; proindeque ad aliam Religionem præter Carthuſiam, non poterit alius Prælatus præter Diſſinitorium generale (quod poteſt in noſtris legibus diſpenſare) licentiam præbere, & illud poterit.

Qui tranſit ad alium Ordinem ſi non profiteatur in eo, poteſt & debet admitti in priori.

52. Sed inquires primò: an ſi quis cum debita licentia tranſeat ad alium Ordinem, & vel in illo non admittatur, vel admiſſus repellatur ante profeſſionem, vel certe ipſe mutet voluntatem, & velit redire ad priorem Religionem, hæc ipſum debeat admittere? Affirmativè reſpondendum eſt, eo quod ante profeſſionem in alia factam, adhuc manet membrum prioris Ordinis, & ipſe tenetur ad illum redire, vel debet reduci à Superiore illius: quia iſte jus quæſitum non amiſit, niſi ſub conditione quod in alia perſeveraverit. Bonac. *quæſt. 2. de clauſur. punct. 9. §. 4. diffic. 1. num. 3.* Lezana *tom. 1. cap. 22. num. 18.* Pellizzar. *tract. 3. cap. 5. num.* 105. Sanch. *cap. 6. lib. 7. num. 104. & 105.* Palaus *diſput. 4. punct. 16. §. 6. numero 5.* facta tamen profeſſione in ſecunda Religione, jam liber manet à priori, & ſi ejiciatur, nec iſta tenetur eum recipere, nec ille ad eam redire. Similiter manet liber ab omnibus obſervantiis, & votis propriis prioris Religionis; nam vel ſecunda eſt perfectior, & ſic omnia vota in melius commutata ſunt, vel ſi imperfectior, ex diſpenſatione, quod erat perfectius aufertur à potente illam dare. Bonac. *numero 2.* Sanch. *num. 8.* Lezan. *à num. 19.* Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 6. num. 763.* Suar. *de relig. tom. 2 tract. de voto, lib. 6. cap. 3. num. 7.* Pellizzar. *num. 152.* Et adhuc in Novitiatu poſterioris liber eſt ab obſervantiis & votis propriis prioris Religionis, & ſic Minimus poterit carnibus veſci: quia jam non amplius vivit ſub priori regula, ratione cujus debet abſtinere ab illis, & ſe accommodare alteri debet, cum ſit in probatione illius, & hoc etiam ſi in ſecunda Religione eſſet ſub mortali eſus carnium prohibitus, quod ſi illis quandiu eſt in Novitiatu veſcatur, non peccabit mortaliter: quia dum eſt Novitius non tenetur ad obſervantias Religionis, ut diximus *cap. 3.* & in præſenti tenet Pellizzar. *ſupra.* Suar. *cap. 3. numero 7.* Sanch. *num. 87.* Bordon. *tract. de profeſſ. cap. 2. quæſt. 72. §. 3.*

Proponitur quæſtio & alibi reſolvenda relinquitur.

53. Inquires ſecundò: an Religioſus tranſlatus ad aliam Religionem, ut ibi ſit Prælatus & Superior, finito Officio, maneat Religioſus aut Monachus primæ, aut ſecundæ Religionis? Hujus quæſtionis reſolutio pendet ex illa: an qui ad aliam Religionem ut Prælatus & Superior aſſumitur, debeat in illa profiteri? Affirmat Barboſa *in cap. licet, de regularibus, num. 26.* Miranda *tom. 1. quæſt. 31. art. 12* Sanch. *lib. 6. cap. 7. num. 85.* & conſequenter manet ſecundæ Religionis Monachus, non prioris. Sed negat Bonac. *quæſt. 2. de clauſur. punct. 9. §. 4. difficult. 3. num. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 41, num. 101.* & alii apud ipſos & apud Rodrig. *tom 3. q 52. art. 26.* quia profeſſio requirit integrum annum Novitiatus, ſine quo emitti non poteſt abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, & conſequenter non manet ſubjectus ſecundæ Religioni, ſed priori: quia ſubjectio non adquiritur niſi per profeſſionem, quod nos examinabimus cum agamus de Prælatis in particulari & eorum electione.

Peccat mortaliter qui animo tranſeundi ad aliam Religionem, alterius ſtatum amplectitur.

54. Inquires tertiò: utrum liceat Novitiatum, vel profeſſionem alicujus Religionis ſuſcipere animo firmo vel dubio tranſeundi ad aliam Religionem, cum ſtudiorum curſum perfecerit, vel ad Presbyteratus Ordinem promotus fuerit? Reſpondetur, quod licet adhuc poſſet tranſire debitis ſervatis conditionibus, graviter peccaret tali animo habitum ſuſcipiendo, vel emittendo profeſſionem, poſſet quidem adhuc tranſire: quia per delictum non amiſit jus quod antea habebat quærendi majorem perfectionem, quin potius magis ad hoc tenetur. Peccat tamen mortaliter: quia in re gravi Religionem decipit. Pellizzar. *tract. 3. c. 5. num. 82.* Lezana *tom. 1. cap. 22. num. 26* Bonac. *de clauſur. quæſt. 2. punct. 9. §. 1. num. 2.* & tenetur reſtituere priori Religioni expenſas factas toto tempore quo fuit in ea: quia ex peccato contra juſtitiam cum damno alterius, oritur obligatio reſtitutionis; quamvis detrahere poſſet æſtimationem laboris, & miniſterii exhibiti, ſi illo indigeret Religio, & pro illo Miniſtro tot expenſas factura eſſet; ſecus tamen, ſi vel non indigeret, vel per alium Ordinis Religioſum, æque bene facere poſſet, ut tenent præcitati Authores cum Sanch. *lib. 6. Summ. cap. 1. num. 2.*

Bona acquiſita ante tranſitum, prioris ſunt Religionis.

55. Inquires quartò: Cujus ſint bona acquiſita per Religioſum qui de una in alteram Religionem transfertur? Reſpondetur, ex dictis à nobis *tom. 3. hujus Curſus, tract. 12. cap. 2. punct. 12. §. 5.* Omnia quæ ante tranſitum quoquo modo acquiſivit, ſive per hæreditatem, Legatum, propriam induſtriam, necnon omnia quæ ratione illius quoquo modò à priori Religione ſunt acquiſita, ad illam omnino pertinere; & ſic tranſiens ad aliam debet omnia quæ habebat ad uſum in priori relinquere: reliqua, quæ poſtmodum illi obvenerint, ad ſecundum Ordinem pertinebunt. Hæc ibidem breviter tetigimus, & modo, qui latius ea videre voluerit adeat Bonacinam *de clauſura q. 2. punct. 9. §. 4. difficult. 2. per totam.* Sanch. *lib. 6. Sum. cap. 7. à num. 53.* Azor *p. 1. lib. 12. cap. 16. quæſt. 10.* Lezan. *tom. 1. cap. 22. num. 23.* Pelizz. *tract. 3. c. 5. n. 152.* Dian. *3. p. tract. 2. reſol. 114.*

---

§. II.

Quæ conditiones ſervandæ ſint in tranſitu ad ſtrictiorem Ordinem, ut licitus & validus ſit?

Sententia aſſerens per perfectiorem Religionem ad quam poteſt fieri tranſitus intelligi auſteriorem.

56. PRima difficultas (cujus reſolutio aliorum quæ dicenda ſunt eſt fundamentum) quæ in præſentiarum occurrit, eſt: an quando jure communi conceditur tranſitus ad arctiorem Religionem, illa intelligenda ſit, quæ perfectior eſt ex fine & medius, & fructuoſior Eccleſiæ, an verò illa quæ eſt durior & aſperior? Iam enim diximus *cap. 1. hujus*

tractatus

*tractatu, num.*79. ſtare Religionem eſſe auſteriorem, & rigidiorem, & non ob hoc præciſè eſſe perfectiorem, ſed ex diverſis principiis unum & aliud provenire: igitur ad quæſtionem. Aſſerit prima ſententia nomine Religionis arctioris, ad quam jus commune tranſitum concedit, non venire perfectiorem Religionem, ſed ſeveriorem & aſperiorem in obſervantiis, & aliis exercitiis. Et probatur primò *ex cap. licet, de regularibus*, ibi: *Arctioris vitæ prætextu*, & ad finem: *ut ad eos vitam duceret arctiorem*; idem habetur *cap.* 1. 20. *quæſt.* 4. Secundo quia *in extravag. viam de regularibus.* Conceditur tranſitus ab omnibus mendicantibus ad Carthuſianam; & in omnibus privilegiis Religionum denegantibus tranſitum, excipitur Carthuſiana & tamen non eſt perfectior ex fine & mediis, cum ſolum vacet vitæ contemplativæ, & ut diximus *cap.* 4. *num.* 77. Religiones mixtæ ex contemplatione, & actione, uti ſunt mendicantes, ſunt ſimpliciter perfectiores Religionibus dumtaxat contemplativis; ſed quia auſterior eſt, rigidior, & arctior, ideo conceditur talis tranſitus ad illam: igitur Religio ſtrictior ad quam ex jure communi tranſitus conceditur, illa judicanda eſt, quæ eſt auſterior & rigidior, non quæ perfectior. Sic Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 7. *quæſit.* 4. *num.* 3. Anton. à Spir. ſancto *in director. regul. tract.* 3. *diſput* 6. *num.* 742. Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 14. *quæſit.* 2. Sanch. *lib.* 6. *Summ cap.* 7. *num.* 21. Portel. *in dubiis regul. verbo, Religionis tranſitus num.* 2. Bonac. *de clauſur. quæſt.* 2. *punct.* 9 §. 3. *difficult.* 3. *num.* 2. Peyrin. *de ſubdit. tom.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 24. *concluſ.* 7. Vecchis *diſp.* 15. *dub.* 15. *num.* 1. Rodrig. *qq. Reg. tom.* 3. *quæſt.* 52. *art.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 13. *num.* 100.

Sententia tenens ad Religionem perfectiorē ex fine & mediis poſſe fieri tranſitum.

57. Secunda ſententia tenet, eam intelligi arctiorem Religionem in jure ad tranſitum, quæ ſecundum ſe eſt nobilior & perfectior, ex fine & mediis in Ordine ad illum. Et probatur primo: quia ratio & fundamentum hujus tranſitus ut ſit licitus, eſt major Dei honor, & major perfectio ſpiritualis propria; hæc autem non ſumitur ex majori arctitudine, vel aſperitate, ut diximus, ſed ex perfectiori fine proximo, & mediis in Ordine ad illum: ergo ad Religionem, quæ in iſtis præeminet, quæ abſolutè eſt perfectior, poteſt dari tranſitus, non ad illam, quæ præciſè eſt auſterior. Diximus *præciſè*: quia ſi ſimul ſit auſterior & rigidior, & ſimul ex fine & mediis perfectior, ad iſtam proculdubio dari poterit tranſitus ex aliis. Secundò, quia tranſire de Religione perfectiori ad auſteriorem, quæ tamen eſſet minus perfecta, hoc non eſſet aſcendere, ſed deſcendere, & votum in minus commutare; ſed ob hanc rationem, non eſt licitum votum actus perfectioris commutare in votum actus magis aſperi & auſterioris: quia hoc non cederet in majorem gloriam Dei & utilitatem animæ: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Vnde quando in jure & privilegiis conceditur tranſitus ad Carthuſianos, non eſt quia talis Religio ſit perfectior ſimpliciter, vel auſterior aliis. Non quia perfectior, ut benè probat contraria ſententia. Non quia auſterior, propter modo dicta, & quia fortè aliæ Religiones auſteriores ſunt in veſtitu, in habitatione, in victu, in paupertate, in nuditate; ex quibus omnibus eſt auſteritas penſanda; ſed quia eſt ſecurior, utpotè ab hominum converſatione magis ſeparata, & à curis ſæcularibus magis remota; nec enim idem eſt, eſſe Religionem vel ſtatum ſecuriorem, & eſſe perfectiorem, cum ſtatus Epiſcoporum perfectior ſit, non ſecurior; ſed ut unuſquiſque propriæ dumtaxat poſſit incumbere ſaluti, & viam ſalvationis ſine offendiculo capeſcere, indulgetur in jure Religioſis aliis, ut ad ſanctiſſimam Carthuſiam poſſint convolare. Quare illam in jure dici arctiorem in Ordine ad tranſitum, quæ perfectior eſt, non quæ aſperior, tenent Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. D. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 4. *verſu, Poteſt tamen.* Sylveſter *verbo Religio* 4. *quæſt.* 1. *notab.* 3. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 5. Navarr. *Commentar.* 4. *de regular. num.* 2. *& ſeqq.* Palaus *tractat.* 16. *diſput.* 4. *punct.* 16. §. 2. *num.* 3.

Religio quæ ex fine & mediis eſt perfectior, ſimpliciter eſt auſterior & arctior.

58. Hanc ſecundam amplectimur ſententiam. Tum quia eſt expreſſa D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 8. ubi in corpore: *Poteſt tamen aliquis laudabiliter de una Religione tranſire ad aliam, triplici ex cauſa. Primò quidem zelo perfectioris Religionis, quæ quidem excellentia, ut ſupradictum eſt,* (ſcilicet *quæſt.* 188 *art.* 6.) *non attenditur ſecundum ſolam arctitudinem, ſed principaliter ſecundum id ad quod Religio ordinatur, ſecundariò vero, ſecundum diſcretionem obſervantiarum debito fini proportionatarum.* Tum etiam quia nos eam Religionem judicamus ſimpliciter & abſolutè ſtrictiorem & auſteriorem, quæ ſimpliciter & abſolutè eſt perfectior, & hoc probatur. Primò ex eodem D. Thom. ubi poſt verba relata, poſtea aſſerens Prælatum teneri concedere licentiam ad talem tranſitum, addit: *Dummodo conſtet illam Religionem eſſe arctiorem*: ergo pro eodem accipit Religionem eſſe perfectiorem, & eſſe arctiorem. Secundò, quia cum in jure Religio ad quam poteſt dari tranſitus, dicatur arctior & auſterior, locis pro prima ſententia relatis, in aliis dicitur perfectior, ne ergo dicamus jura ſibi contrariari, dicendum eſt, eam eſſe auſteriorem, quæ perfectior. Probatur antecedens quoad ſecundam partem. Nam, *in cap. licet, de regularibus*, dicitur: *Liberè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere, & in cap. mandamus* 19. *quæſt.* 2. interdicitur Canonicis regularibus tranſitus ad Monachos, cum tamen horum regula arctior & ſtrictior eſſet, ut habetur *cap. quod Dei timorem ad finem de ſtatu Monachorum*, non ob aliam rationem, niſi quia illorum inſtitutum ad altiorem finem, nempè ad vacandum Miniſteriis divinis, ordinatur. Quamvis his temporibus, quibus Monachi, Clerici ordinantur, & miniſteriis divinis addicuntur, poſſit dari talis tranſitus, ut docet D. Thom. *art.* 8. *citato ad* 2. Tertio, quia hoc ipſo quod Religio ſit perfectior, exercet perfectiores actus virtutis, ſed cum virtus circa difficilia verſetur, quo perfectiores ſunt actus, ſunt etiam difficiliores: ergo auſterior, difficilior & durior erit Religio perfectior, quam illa, quæ ſolum exercitiis corporalibus apparet arctior.

Ab arctiori Religione, ſed deformata, ad laxiorem, dari poteſt tranſitus.

59. Illud ut certum judicamus cum D. Th. *art.* 8. *citato*, illam ad intentum judicandam eſſe ſtrictiorem Religionem & perfectiorem, quæ non ſolum ſecundum præſcriptum regulæ eſt talis, ſed etiam ſecundum conſtitutiones generales, & ex cumulo omnium penſanda eſt quæ perfectior, vel auſterior: & hoc non quaſi in in actu primo dumtaxat, ſed quæ obſervantur de facto; nam ſi deformata, collapſa, vel re-

laxata

laxata fuerit, quæ ex ſuo inſtituto erat auſterior Religio, ab illa ad laxiorem, in qua cum perfectione inſtitutum obſervatur, poterit dari tranſitus. Nam illa Religio arctior & perfectior ad licitum tranſitum judicanda eſt, quæ talis eſt, non ſolum ex primæva inſtitutione, & quaſi in actu primo, ſed hic & nunc in actu ſecundo: quia finis concedendi talem tranſitum eſt, ut Religioſus magis, ac magis proficiat in emendatione defectuum, acquiſitione virtutum, &c. Sed hic finis melius habetur ex tranſitu ab ſtrictiori, ſed deformata & collapſa, ad laxiorem, in qua viget obſervantia ſui inſtituti, quam econtra. Ita præter D. Thom. Rodrig. *tom. 3. quæſtionum Regularium, quæſtione 32. art. 5.* Pellixzar. *tractatu 3. capite 3. numero* 88. *&* 116. Lell. *lib. 2. capite* 41. *dub.* 13. Lezan. *tom. 1. cap. 22. numero* 3. *&* 14. Mitand. *in Man. tom. 1. quæſt. 31. art. 4.* Peyrin. *de ſubdito tom. 1. cap. 24. proximè ante §. 1.*

Triplex proponitur conditio ut licitus ſit tranſitus ad arctiorem.

60. Secunda difficultas eſt: quæ conditiones ſint requiſitæ ut ſit licitus tranſitus à Religione laxiori ad ſtrictiorem? Reſpondetur triplicem, conditionem aſſignari *in cap. licet de regularibus.* Prima, ne levitate, aut temeritate ductus, ſed puro & ſincero animo vitæ perfectioris inchoandæ procedat. Vnde ſi in vindictam offenſionis acceptæ, vel ob lucrum aliquod temporale, vel viribus careat pro laboribus perfectioris vitæ, levitate, aut temeritate duci, cenſendum eſt. Sanch. *lib. 6. capite 7. numero* 12. Bonacin. *quæſtione 2. punct. 9. §. 3. difficult. 2. numero* 4. Suar. *tom. 4. tractatu* 8. *lib. 3. capite 9. numero* 6. Sed in dubio præſumendum eſt bono animo procedere: quia in dubio, ex exteriori opere venandus eſt animus: & opus aſſumendi perfectiorem viam, bonam fidem & animum demonſtrat, ut tenent prædicti Authores: at verò ſi dubitetur an bonus vel malus animus adſit, & ob id Superior facultatem tranſeundi deneget, nec ſtandum eſt judicio ſubditi, nec illius Superioris, ſed requirendum eſt judicium Superioris alterius, ejuſque judicio acquieſcendum. Dicitur enim in dicto *cap. licet: ſi vero probabiliter dubitetur utrum quis velit ad Ordinem arctiorem, ſeu laxiorem ex charitate, an ex temeritate tranſire, Superioris eſt judicium requirendum, ne forte Angelus Satanæ in lucis Angelum ſe transformet.* Quare, cum ſubſcribitur dubium, an Religio, ad quam eſt tranſeundum, ſit perfectior, an zelo Religionis vel alia intentione tranſitus petatur, an cedat in grave præjudicium prioris Ordinis, ſtandum eſt judicio Superioris Prælati, qui Superior eſt tam reſpectu ſubditi, quam Prælati immediati, ut eſt Provincialis, vel Generalis, ut omnes aſſerunt.

Quomodo cavendum, ne tranſitus cedat in gravamen, vel dedecorem Religionis à qua ſit tranſitus?

61. Secunda conditio ſignata in dicto *cap. licet.* eſt ne talis tranſitus cedat in gravamen, jacturam, infamiam, aut dedecorem Religionis deſertæ, quod tunc contingit, quando abſque culpa Religionis, ob talem tranſitum, deſpicitur vel contemnitur, vel ejus decor & honor minoratur, quia ſic in dicto *cap.* dicitur: *Sicut majus bonum minori bono præponitur, ſic communis utilitas, privatæ utilitati præfertur.* Quare ſi Religio, ob talem tranſitum, grave damnum pateretur, ut ſi tranſire volens eſſet Doctor, vel arte peritiſſimus, vel perſona valde notabilis, ab eo abſtinere deberet. Portel. *in dubiis regul. verbo tranſitus ad alium Ordinem, numero* 6. Antonius à Spiritu Sancto *tractatu 3. diſputatione 6. num.* 729. Vnde ſit, ut ſi Religio deſerta, ex tali tranſitu paſſura eſſet notabile damnum, aut gravem infamiam, poſſet reſtitutione petita, revocare Religioſum tranſeuntem, quaſi Eccleſia læſa intemperabilibus poteſt reſtitui, juxta *cap. 1. de in integrum reſtit.* Multo magis deberet reſtitui, ſi lædatur in ſpiritualibus, & in alienatione perſonæ. Pellixzar. *tract. 3. cap. 5. num.* 84.

62. Tertia conditio *in dicto capite*, aſſignata eſt, ut licentia à Prælato cum humilitate & puritate petatur. Et puritas ſtat in eo, ſi integrè & manifeſtè ſuum animum Superiori declaret, humilitas, ſi cum reverentia debitam licentiam expoſtulet. Aliàs non zelo perfectionis, & ex charitate, ſed magis levitate, aut temeritate duci, judicandum eſſet, & ſcandalum aliis præberet, qui eum fugitivum judicarent, ſi abſque debita licentia tranſiret, & ideo ibi dicitur: *Subditus à Prælato cum humilitate & puritate debet tranſeundi licentiam poſtulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur.* Et ſufficit quod licentia petita ſit ante tranſitum, etiam ſi non obtineatur, niſi ex juſta cauſa negetur, qua non ſtante, tenetur eam Prælatus concedere, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 189. *art.* 8. Ne inſtinctui Spiritus ſancti videatur reſiſtere, alias poſſet ſine illa ſubditus tranſire. Dicitur enim in dicto *cap. licet: Liberè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere, non obſtante proterva indiſcreti contradictione Prælati.* Sed hoc modo debito tempore expectet, an Superior ſibi licentiam concedere velit, nam cui onus imponitur petendi licentiam, aut conſilium alterius, incumbit etiam onus expectandi reſponſum, intra debitum tempus, *cap. cum in veteri, in fine de electionibus*, & ſic toto tempore neceſſario examinationi, debet expectare; aliàs contra jus quod habet Superior procederet. Tambur. *tom. 3. diſputatione 7. quæſit. 1. numero* 11. Sanch. *lib. 6. capite 7. numero* 33. *&* 37. Bonac. *quæſtione 2. punct. 9. §. 3. numero* 6. Suar. *cap.* 10. *numero* 30. Palaus *§. 3. numero* 3. Pellizzar. *numero* 94. Poteſt tamen per litteras, abſente Prælato, dictam licentiam petere, & non tenetur per ſe in præſentia illius comparere. Si tamen Superior non eſſet ſatis certus de ſuo animo, & vellet ſe in præſentia informare, debet coram illo comparere, niſi aliud obſtet: quia ipſius Superioris eſt examinare (ſi ſincerè procedat) quo animo procedat, an ſit perfectior Religio aſſumenda, & an deſerenda paſſura ſit detrimentum? Pellixzar. *tractatu 3. capite 3. numero* 95. Suarez *tomo quarto, tractatu 8. libro tertio, capite nono, numero* 31. Palaus *diſputatione quarta, punct. 26. §. tertio, numero* 7.

Licentia quomodo petenda ad tranſitum ad perfectiorem.

63. Prælatus, à quo petenda eſt dicta licentia (niſi ex particulari inſtituto reſervetur Generali, aut Provinciali) eſt Conventualis: quia in dicto textu ſolum Prælati licentia requiritur, & talis eſt verè Prælatus, & ſic non contemnitur obedientia ab eo licentiam poſtulando, ſic communiter Doctores. Sed intelligendi ſunt de Religionibus, in quibus Priores Conventuales habent facultatem Fratres ad Ordinem recipiendi, non de

A quo Prælato ſit petenda dicta licentia?

de illis, in quibus talis facultas pertinet ad Provincialem (ut in noſtra Religione inveniтur) quia in his ſolus Provincialis poterit dare licentiam: quia per illas cauſas diſſulvitur contractus per quas generatur. Sylveſter *verbo Religio 4. quæſtione 3.* Peyrin. *tom. 1. de ſubdito, quæſtione 1. capite 24. concluſ. 2.* Si Prælatus immediatus tranſire velit, ex jure communi à Provinciali debet licentiam depoſcere; & hic ſi velit tranſire, à Generali, & iſte à Summo Pontifice. Semper tamen à proprio uniuſcujuſque Prælato debet talis licentia peti. Hanc tamen concedere non poſſunt Prioriſſæ, aut aliæ Prælatæ, cum aliqua Monialis vult ad ſtrictiorem Religionem tranſire: quia iſtæ in jure, nomine Prælati non comprehenduntur, cum non habeant juriſdictionem ſpiritualem. Vnde ab earum Prælatis petenda eſt, ut ab Epiſcopis ſi illi fuerint ſubiectæ, vel à regularibus propriis Prælatis, qui reſpectu noſtrarum Monialium, ſunt ſoli Provinciales. Sed non requiritur in nullo caſu Conventus conſenſus: quia *in dicto cap. Licet.* ſolum petita licentia Prælati efflagitatur.

Quando poteſt Prælatus negare licentiam?

64. At verò ſi Prælatus ex legitima cauſa volenti tranſire, contradicat, hic debet tranſitum prætermittere, vel ſuſpendere: ut ſi Prælatus exiſtimet Religionem quam appetit non eſſe ſtrictiorem, vel eam appetere potius ob levitatem, quam charitatem: vel gravem jacturam paſſuram Religionem deſertam timeat, ob ſuum diſceſſum; tunc non poteſt diſcedere donec dubium ceſſet & veritas manifeſtetur, ut *ex dicto cap. Licet* conſtat. Quare ſtrictior Religio, ſeu ea ad quam fit tranſitus, non poteſt eum recipere, niſi petitæ licentiæ litteras patentes ferat, ut habetur *in cap. ſtatuimus 19. quæſtione 3.* Vnde, cum ſubditus abſque talibus litteris ad aliam vult Religionem tranſire, debet Superior ſtrictioris Religionis, Superiorem laxioris conſulere, & interrogare: an dederit licentiam, vel cur denegavit? Et ſi nullam, aut manifeſtè injuſtam denegationis cauſam aſſignet, poterit ſecurè ſecundus Superior ipſum admittere: ſi verò juſtam aſſignet, & Religioſus velit eam eſſe falſam probare, ille non eſt admittendus, donec cauſa à Superiore illius Prioris Prælati decisa ſit, & tranſitus ab eo approbatus. Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 7. num. 39.* Peyrin. *tom. 1. de ſubdito, quæſt. 1. cap. 24. concluſ. 2.* Pellizzar. *tract. 3. cap. 5. num. 103.*

Quando cenſendus ſit Prælatus protervè licentiam denegare?

65. Nec eſt cenſendus Superior tranſitum protervè & injuſte negare ex eo quod petenti licentiam non reſpondeat, cum poſſit juſtam cauſam non concedendi habere, & ſic tenetur cauſam interrogare, aut denegati reſponſi, aut tranſitus, ſi Superior nullam velit aſſignare, aut manifeſtè frivolam aſſignet, irrationabiliter procedet, & ſic eo invito, poterit ſubditus tranſire, Bonac. *§. 3. difficult. 1. num. 8.* Pellizzar. *num. 94.* Sanch. *num. 37.* Palaus *§. 3. n. 4.* Tambur. *tom. 3. diſput. 7. quæſit. 5. num. 12.* Sed non poteſt Superior hanc concedere licentiam, uſquedum ſciat aliam Religionem paratam eſſe tranſeuntem recipere, ne vagandi occaſionem nanciſcatur. Vecchius *diſput. 15. dub. 2. num. 9.* Sanch. *num. 38.* Pellizzar. *num. 102.* Lezan. *numero 15.* Tambur. *num. 33.* Bonacin. *§. 3. num. 5.* Extat enim circa hoc decretum Sacræ Congregationis juſſu Vrbani VIII. editum 21. Septembris anno 1624. & relatum in Bullar. *tom. 4. conſtitutione 25. Vrbani VIII.* Vbi ſic habetur: *Vt Apoſtatandi opportunitas regularibus præripiatur, ſtatuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi prius Superiori legitimè conſtiterit eam Religionem paratam eſſe eum recipere qui licentiam petit. Tuncque regularis recta via ſe transferat ad arctiorem, quod ut reipſa adimpleatur, idem ſuperior omni ſtudio & diligentia invigilet.* Vbi, ut bene notant Lezan. & Pellizzar. cum militet eadem ratio, imo major ut tale decretum obſervetur in caſu quo talis tranſitus faciendus ſit ad Ordinem æqualem, aut laxiorem, etiam in tali eventu obſervandum erit.

Sententia aſſerens invalidum eſſe tranſitum ſine tali licentia, ſaltem petita.

66. An verò non ſolum ſit illicitus tranſitus abſque petitione talis licentiæ, ſed etiam invalidus & profeſſio facta in poſteriori nulla? Diſceptatio eſt inter DD. Prima ſententia dicit nullum eſſe talem tranſitum & profeſſionem poſt illum: quia *in cap. Licet, de regularibus in fine*, dicitur: *hunc revocandum non eſſe, quando conſtat bono animo tranſire*; ſed hic bonus animus non præſumitur, niſi levitas & temeritas, quando licentia non petitur, ut dictum eſt: ergo tunc revocandus eſt, & ſic nulla erit talis profeſſio. D. Antoninus *3. part. titulo 16. cap. 45. 1. fin.* Leſſ. *lib. 2. c. 41. dub. 13. n. 101.* Azor *lib. 12. cap. 14. quæſtione 6.* Sanch. *lib. 6. Sum. cap. 7. num. 95.* idem aſſerit *numero 91.* quando obtenta licentia eſt non bono zelo intentata, ſed conceſſit Prælatus, aut conſcius, aut deceptus, aut non interrogavit de intentione, & *num. 92.* addit, quod ſi bonus zelus adfuit cum licentia, defuit tamen alia conditio: quia cedit in notabile detrimentum prioris, dicit eſſe validum.

Licet illicitus ſit tranſitus ſine licentia eſt validus.

67. Sed verior eſt ſententia aſſerens validam eſſe talem profeſſionem, etiamſi omnes tres prædictæ conditiones deficiant: quia ex jure naturæ validus eſt talis tranſitus, cum ſit commutatio in melius, alias nullum jus datur irritans illud, ſi fiat abſque dictis conditionibus: quia dictæ conditiones non apponuntur ut formæ ſervandæ in dicto tranſitu, ſed ut modus ex præcepto Eccleſiæ requiſitus, & textus pro contrariis adductus, ſolum loquitur ut licitè fiat talis tranſitus, & non dicit non eſſe revocandum, ſed non eſſe moleſtandum, quod aliis viis fieri poteſt quam per revocationem. Pellizzar. *tractatu 3. capite 5. num. 100.* Tambur. *tom. 3. diſputatione 7. quæſit. 1. numero 6.* Bonac. *quæſtione 2. punct. 9. §. 3. difficult. 1.* Anton. à Spiritu ſancto *tractatu 3. diſputatione 6. numero 730. & 731.* Palaus *diſputatione 4. punct. 16. §. 4. numero 2.* Lezana *tom. 1. capite 12. numero 7.* Suar. *tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 10. numero 22.* Sylveſter *Religio 4. quæſtione 1.* Sed in dubio an tranſitus ſit ad arctiorem, invalidus erit, ſi abſque licentia fiat, quia tunc vel non ſufficit petere, ſed obtinere: vel ſi Prælatus concedere noluerit, non debet privari jure ſuo donec dubium per Superiorem legitimum (qui ut diximus in hoc caſu eſt Superior illius Prælati qui dare licentiam recuſat) terminetur, *c. Licet, de regul.* in dubio namque melior eſt conditio Prælati poſſidentis. Suar. *n. 2.* Tam. *n. 8.*

Peccat mortaliter Prælatus ſine cauſa talem licentiam negans.

68. Et ſi roges: an Prælatus regularis ſub mortali teneatur dare ſubdito licentiam tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, ſi nulla ſubſit juſta cauſa denegandi illam? Affirmativè

reſpondendum

reſpondendum eſt: quia in citato *cap. licet*, ſic dicitur: *Prælatus ſubdito ſine difficultate & pravitate qualibet, debet tranſeundi licentiam indulgere, ne videatur propoſitum impedire divinitus inſpiratum.* Vbi verbum *debet*, juxta propriam ſignificationem, non importat debitum honeſtatis, ſed præcepti, ut patet ex *cap. ſicut Eccleſia 12. quæſt. 2. cap. oblata, de appellationibus*, & ex contextu & gravitate materiæ conſtat in præſenti tale debitum induci, & quia ſine juſta cauſa negans, gravem irrogaret ſubdito petenti injuſtitiam, privando illum jure ſuo, & à meliori ſtatu retrahendo. Lezan. *tom. 1. cap. 22. num. 13.* Sylveſter *Religio 4. quæſt. 1. num. 5.* Miranda *tom. 1. quæſt. 31. art. 6.* Tambur. *tom. 3. diſp. 6. quæſt. 1. num. 5.* Palaus *diſp. 4. punct. 26. §. 3. num. 1.* Pellizzar. *tract. 3. cap. 5. num. 139.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 10. num. 17. & cap. 12. num. 9.* dicit, tunc expedire tranſitum Religioſo, quando non occorrerint rationes contrarium ſuadentes præter ſolam mutationem ut ſic, ſiquidem illius incommodum vincitur ex majori perfectione Religionis, niſi aliud obſtet.

---

§. III.

Quando & quomodo tranſitus ad æqualem, vel laxiorem Religionem ſit validus & licitus?

Tranſitus ad laxiorem abſque debita licentia eſt nullus.

69. Difficultas præcipua in hac parte eſt: an ex jure communi præciſis particularibus inſtitutis, poſſint ex juſta cauſa Prælati Religioſis licentiam tranſeundi concedere ad laxiorem, vel æqualem Religionem. Et ſupponimus pro illius deciſione, jure ipſo naturæ interdictum eſſe tranſitum propria authoritate factum, & abſque licentia obtenta Superiorum, ad laxiorem vel æqualem Religionem, & eſſe nullum. Tum quia votum propria authoritate, niſi in melius non poteſt commutari. Tum etiam, quia ſe tradidit Religioni per profeſſionem, quam violare nefas eſt abſque legitima cauſa, quæ nulla alia dari poteſt niſi Dei majus obſequium, & ſpiritualis profectus, quod per ſe ex tranſitu ad laxiorem, vel æqualem, non ſequitur. Vnde diſpenſatione Pontificis tunc indigere tradit D. Thom. *2. 2. quæſt. 189. art. 8.* & eſſe nullum talem tranſitum, propria authoritate, abſque licentia obtenta Prælati, vel abſque diſpenſatione Pontificis, omnes aſſerunt. Et ſimiliter omnes concedunt ex legitima cauſa poſſe Summum Pontificem illam dare, tum ut univerſalis Eccleſiæ Paſtor, tum ut ſupremus Religionis Prælatus: quia hoc rectæ Eccleſiæ, & Religionum gubernationi expedit.

Abſque juſta cauſa nequit ſummus Pontifex talem præbere licentiam.

70. Sed nec Summus Pontifex (& à fortiori nec reliqui Prælati) poteſt, aut licitè, aut validè talem licentiam impertire, aut diſpenſationem concedere abſque iuſta cauſa: quia in his quæ de iure ſunt, divino & naturali (qualis eſt obligatio voti) niſi ex legitima cauſa, non poteſt Summus Pontifex diſpenſare, aut in minus commutare illa: quia in legibus Superioris inferior nequit, niſi ex iuſta cauſa, talem indulgentiam concedere: ut diximus *tom. 3. tractat. 11. de legibus, cap. 5.* Nec enim talis poteſtas ei datur ad deſtructionem, ſed ad ædificationem: nec Superior ei talem facultatem præbet ut ad beneplacitum illa utatur, niſi ex juſtiſſima cauſa motus, uti in præſenti tenent D. Thom. *1. 2. quæſt. 96. art. 9. & quæſtione 97. articulo 4.* Tambur. *tom. 3. diſputatione 7. quæſtione 5. numero 18.* Rodriguez *tom. 3. quæſtionum Regularium, quæſtione 51. art. 10.* Palaus *diſputatione 4. punct. 26. §. 5. numero 2.* Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. capite 11. numero 14. & 15.* Sanch. *lib. 6. capite 7. num. 64. juncto numero 51.* Peyrin. *tom. 1. quæſtione 1. capite 24. concluſ. 5.* Bonacin. *quæſtione 2. de clauſur. punct. 9. §. 3. difficultate prima, numero quarto.*

Cauſæ enumerantur ob quas poteſt dari licentia tranſeundi ad laxiorem.

71. Cauſæ autem ob quas poteſt (qui legitimam habet poteſtatem talem licentiam concedendi) illam impendere, ſolent iſtæ, vel ſimiles ab Authoribus aſſignari. Prima eſt, ſi ex tranſitu ſperatur major ſpiritualis profectus: quia ad onera ſuſtinenda laxioris Religionis aptus eſt, non tamen arctioris. Secunda ſi ex prava conſuetudine, vel ex innata conditione gravem difficultatem in exequendis regulis ſtrictioris reperiat: cum tali namque difficultate rariſſimè regula & conſtitutiones firmiter obſervantur. Tertia ſi in ſtrictiori malè, & iniquè tractatur, & ſic periculo impatientiæ & charitatis amittendæ exponitur. Quarta, ſi deſpectu vel odio habeatur à Fratribus ob aliquod delictum commiſſum, cujus pœnas jam ſubiit, & emendationem procurat. Quinta ſi ob aliquod delictum in ea Religione infamatus eſt, ratione cujus continuò pudore & triſtitia afficitur. Sexta, ſi parentes graviter indigeant, quibus in laxiori faciliter ſubvenire poteſt, non in ſtrictiori. Denique ſi infirma & incommoda valetudine laboret, & fragili corporis natura, quæ aſperitates ferre nequeat ſtrictioris Religionis. Si utilem fore in una ſperetur qui in alia eſt oneroſus. Si in illa Religione aliquod proprium detur profectui impedimentum, quod non eſt in alia. Si imprudenter ibi profeſſus eſt, aut ex ſimplicitate, putans non eſſe adeò auſteram. Si prava aëris intemperie vexetur, & illa Religio non habet aliud Monaſterium ſalubrioris aeris. Has vel ſimiles cauſas reperies apud Tambur. *tom. 3. diſp. 7. quæſt. 3. num. 8.* Pellizzar. *tract. 5. cap. 3. num. 671.* Azor *tom. 1. lib. 12. cap. 14. quæſt. 8.* Vecchium *in praxi Novitior. diſp. 5. dub. 7. num. 4.* Dian. *part. 3. tract. 2. reſol. 43.* Rodrig. *tom. 3. quæſt. 52. art. 9.* Anton. à Spiritu ſancto *tom. 3. diſput. 6. num. 747.* Lezanam *tom. 1. cap. 22. num. 12.* Bonac. *quæſt. 2. punct. 9. §. 3. difficult. 1. num. 13.* Sanch. *lib. 6. Sum. cap. 7. num. 72.* Palaum *diſp. 4. punct. 26. §. 5. num. 6.* Suar. *tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 11. à num. 22.* Licet non omnes, omnes dictas cauſas collectivè deſignent; ſed in omnibus omnes reperies, & alias, quas ob brevitatem prætermittimus. Omnes tamen aſſerunt urgentiorem cauſam requiri ut detur tranſitus ad laxiorem, quam ut ad æqualem concedatur.

Sententia aſſerens Prælatos Religionis poſſe talem præbere licentiam tranſeundi ad laxiorem.

72. Ad quæſtionem ergo deveniendo: an ex juſta cauſa poſſit Prælatus regularis talem licentiam concedere, vel Epiſcopus in Monaſteriis illi ſubjectis? Affirmat prima ſententia, etiamſi ſit facilis aditus ad Pontificem: quia talis poteſtas videtur neceſſaria ad rectam Religionis adminiſtrationem. Sicut enim Prælatis Religionis per ſe competit bona Religionis adminiſtrare, & ea, ſi opus fuerit, alienare in caſibus ſibi à jure non prohibitis, ſic à fortiori

fortiori comperit perſonas regere, eaſque à ſe abdicare, ſi Religioni viſum fuerit expedire; quæ poteſtas à jure communi reſtricta non eſt, ſed magis videtur conceſſa, *cap. ſtatuimus 19. quæſt.3. & in cap. ſignificatum, de regularibus.* Ita Navarr. *lib.3. conſil. titulo de regular. conſil. 56. num.1.* Miranda *tom.1. quæſt.31. artic.5. concl.3.* Rodrig. *qq. Regular. tom.3. quæſtione 52. art.9.* Lezan. *tom.1. capite 22. numero 9. & 11.* Bartholom. à ſancto Fauſto *lib. 5. quæſt. 345.* Vecchis *diſputatione 17. dub.5. num.2.* Antnn. à Spiritu ſancto *tract.3. diſputat. 6. num. 744.* Barboſa *cap. licet, de regular. num.13.* Diana *3. part. tract.2. reſol.43.* Pellizzar. *tract.3. cap.5. num. 65. & 133.* Leſſ. *lib. 2. cap.41. dub. 13. num.103.* Palaus *diſp.4. punct.26.§.5.n.3.* Tamb. *tom.3. diſp.7.q.5.num.2. & 7.* Sanch. *lib.6. Summ. cap.7. num.68.*

Quis Prælatus ſecundum hanc ſententiam talem poſſit concedere licentiam?

73. Sed variant hi Authores in aſſignando, cui Prælato talis poteſtas competat? Aliqui enim dicunt hoc pertinere ad Generalem, vel Provincialem in exemptis: ad Epiſcopum in non exemptis. Quia immediatus nequit unum Religioſum de uno in alium Conventum transferre; ſed hoc pertinet ad Provincialem: ergo multo minus in aliam Religionem: ſed hæc ratio probat quod nec etiam Provincialis poteſt talem licentiam præbere: quia non poteſt de una in aliam Provinciam ejuſdem Ordinis ſubditum transferre: ergo multo minus in alium Ordinem. Probat etiam, quod nec Prælatus immediatus poteſt licentiam præbere tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem contra dicta *§. præcedenti, num. 65.* Quia non poteſt ſubditum in aliud ejuſdem Ordinis Monaſterium transferre, quod eſt minus. Dicendum itaque eſt, quod ſi ſemel Prælatus Regularis poteſt hanc licentiam præbere, hoc ex jure communi pertinet ad immediatum: quia hic eſt qui habet poteſtatem, bona Conventus, & illius perſonas gubernandi; poteſtque ea commutare vel diſpenſare quando opus fuerit, poteſtate à dicta Religione adepta ad id præſtandum. Et eſt diſpar ratio de translatione ad alium ejuſdem Ordinis Conventum, quia tunc non ſolum de ſubdito diſponit, ſed obligat Conventum ad quem mittit, ut illum recipiat, & ſic ſolum poteſt talis translatio fieri ab eo qui ſuper utrumque habet poteſtatem, quod in præſenti non accidit. Sic citatus Palaus *§.6. num 7.* & Suarez infra citandus *cap.11.num.5.* omnes tamen in eo conveniunt, quod requiritur conſenſus Conventus ad talem tranſitum: quia in his quæ pertinent ad commune Religionis bonum, & illius conſervationem, non poteſt Prælatus abſque conſenſu ſui Capituli diſponere; ſed dimittere Religioſum illius cedere obedientiæ, pertinet ad commune Religionis bonum, ejuſque conſervationem, ob quam rationem admitti non poteſt abſque Conventus conſenſu, ut diximus *cap.1.* ergo, &c. Sic Sanch. *n.66.* Leſſ. *n.103. & 107.* Pellizzar. *n.66.* Peytin. & Bonacin. *locis infra citandis,*

Solus Pontifex ex jure communi poteſt indulgere tranſitum ad laxiorem.

74. Secunda tamen ſententia (cui ſubſcribimus) negat hanc poteſtatem Prælatis regularibus (maximè ſi poſſit dari recurſus ad Pontificem) dandi licentiam tranſeundi ad laxiorem Religionem (ad æqualem namque, cum prima ſententia convenimus, quod non negant Authores pro ſecunda adducendi.) Et probatur primò, quia Concilium Trident. *ſeſſ.25.cap.19. de regular.* interdicit tranſitum ad Religionem laxiorem vigore cujuſcumque facultatis. Nec ſat eſt, quod dicunt adverſarii, Concilium loqui de concedentibus illum abſque legitima cauſa, vel abſque cauſæ cognitione, vel de concedentibus licentiam prætextu privilegiorum, quibus ipſi abutebantur. Nam contra eſt primo, quod Concilium generaliter loquitur; nec privilegii nomine utitur, ſed nomine: *Cujuſcumque facultatis*, ut excludat omnem poteſtatem transferendi Religioſum ad laxiorem Religionem. Secundò, quia Religioſus ante Concilium Tridentinum tranſire non poterat ad laxiorem, niſi obtenta facultate ab eo qui privilegium hujuſmodi licentiæ concedendæ habebat ex juſta cauſa: ergo modo, cum hujuſmodi privilegia derogata ſint, in Concilio, non poterit ex juſta cauſa ad laxiorem tranſire ſine licentia Pontificis (niſi fortè poſt Tridentinum obtineat Religio privilegium ad hoc, de quo poſtea.) ¶ Deinde, quia Martinus V. in extravaganti: *viam ambitioſam, de regul.* prohibuit Mendicantibus tranſitum ad quamcunque aliam Religionem non mendicantem, profeſſionem in ea factam annullans, excepta Carthuſia, ſub excommunicatione Papæ reſervata, tam euntibus, quam recipientibus: ergo Prælatus ad hujuſmodi tranſitum licentiam concedere non poterit. Dicunt adverſarii hanc extravagantem intelligendam eſſe de tranſeuntibus abſque legitima cauſa, ut indicant illa verba: *Fucatis coloribus, ut liberius degant, & beneficia Monaſtica conſequi valeant.* Vel talem extravagantem, in hac parte receptam non eſſe. Sed certè prohibitio in ea non ſolum facta eſt ad præcludendam cupiditatis & ambitionis viam, ſed etiam pro mendicantium Religionum conſervatione, cui fini obſtat tranſitus cujuslibet mendicantis, etiam zelo juſtitiæ ducti. Nec video cur recepta non ſit, cum praxis potius ſit in contrarium. Sic Corduba *in Regul. D. Franciſci cap.2. quæſt.17. part.1.* Peyrin. *tom.1. de ſubdito, quæſt.1.cap.24. concluſ.6.* Suar. *tom.4. tract.8. lib.3.cap.11.n.17.* Gloſſa *in cap. cum ſingula, §. prohibemus, verbo Canonicè, de præbend. in 6.* Azor *1.part. lib.12. cap.14. quæſt.8.* Bonac. *quæſt.2. punct.9. §.3. diffic. 1. num. 13.* & alii relati à Sanchez *ſupra num.52.*

Privilegium circa hoc conceſſum Societati, poteſt aliis Religionibus communicari.

75. Sed hîc duo notanda ſunt. Primum, conceſſum eſſe privilegium à Paulo III. Pio IV. & V. Gregorio XIII. ut teſtantur Suar. Sanch. Palaus, Bonac. & Pellizzar. *locis citatis.* Societati Ieſu, ut poſſit profeſſis concedere tranſitum ad quamlibet Religionem, cujus privilegii communicationem, aliis Religionibus interdicunt. Cæterum, licet in dictis Bullis detur clauſula negativa communicationis, probabile eſt, non obſtanti tali clauſula, prædicta privilegia aliis communicari Ordinibus. Eo quod ſequentes Pontifices confirmavere communicationes privilegiorum inter mendicantes (qualis eſt Societas) ſine tali reſtrictione. Sic Rodrig. *qq. Regular. tom.1. quæſt.55. art.17.* Antonius à Spiritu ſancto *tract.3. diſput.6. num.718.* Diana *3. part. tract.2. reſolut. 81.* Ioannes de la Cruz *de ſtatu Religioſ. lib.2. cap.4. §.2.* ¶ Secundum, quod qui jam legitimam licentiam, vel à Papa, vel à potente illam dare, obtinuit tranſeundi ad laxiorem Religionem determinatam, poteſt ad aliam ſtrictiorem tranſire, ſive ſit ſtrictior illa à qua recedit, ſive

ſit

ſit ſtrictior illa, ad quam tranſeundi habet poteſtatem: quia ita præſumitur voluntas concedentis, qui in gratiam illius, tranſitum ad laxiorem indulſit. Suarez *tom.4. tract.8. lib.3. cap.8. num.4.* Pelliazar. *tract.3. cap.5. num.108. & 113.*

Quomodo ex jure cõmuni à gradu Laicorum, ad gradum Choriſtarum, & è contra, detur tranſitus?

76. Sed reſtat modo inveſtigare, an à gradu Laicorum ad gradum Choriſtarum, vel è contra, intra eundem Ordinem, poſſit à Prælatis tranſitus concedi? Et affirmativè reſpondendum eſt (quam aliqui Provincialem tantum, alii etiam Priorem localem, de conſenſu Conventus: quia eſt res gravis, concedere poſſe aſſerunt, juxta dicta *num.73.*) Quia in hac tranſlatione non immutatur Religio, ſed intra eandem diverſis exercitiis deſtinatur Religioſus. Ita Soto *lib.10. de juſt. quæſt.5. art.3. circa finem, verſu: ad aliud*, Azor. *tom.1. lib.10. cap. 6. quæſt.7.* Sanchez *lib.6. ſumm. cap.7. n.80.* Peyrin. *tom.1. de ſubdito quæſt.1. cap. 24. §.3.* Bonacin. *de clauſ. quæſt.1. punct 9. §.3. difficult.1. num.15.* Palaus *tom.3. tract.16. diſput.4. punct.16. §.5. num.11.* Sed cum hoc diſcrimine quod ſi fiat tranſitus à Laico ad Choriſtam, nulla requiritur cauſa: quia eſt aſcenſus ab inferioribus exercitiis ad Superiora, & ſic à gradu inferiori ad Superiorem. Et ob contrariam rationem requiritur juſta cauſa, ut detur Choriſtæ licentia ad tranſeundum ad gradum Laicorum, & juſta erit, ſi ad Superiora exercitia, ad litteras addiſcendas, minus aptus appareat, qui tamen ad inferiora exercitia magis habilis eſſet; vel ſi ſpeciali affectu & amore humilibus officiis, aut miniſteriis Laicorum inclinetur: quia ſic compenſatur affatim exceſſus ſpiritualis profectus, quem capere poterat ex ſuperioribus exercitiis. Pellizzar. *tract.3. cap.5. num.133.* Lezana *tom.1. capite 22. num.25.* Sanchez *num.81.* Sed invitus nemo Choriſta poteſt ad gradum Laicorum transferri, niſi in pœnam, ut ſicut ob delicta poteſt pœna carceris, triremium, aut expulſionis multari, ſic ad gradum Laicorum transferri. Pelliazar. Peyrin. & Azor. *ſupra* Ledeſma *2.p. ſumm. tract.9. cap.4.* Suarez *tom.2. lib.4. cap.17. num.7.* quæ intelligenda ſunt, niſi ſit in ſacris conſtitutus: quia hic non poteſt ad gradum Laicorum dejici, etiam ſi ſit ſuſpenſus. Soto. *lib.10. quæſt.9. art.3.* Peyrin. *§.3. fine.* Et ſemel tranſlatus ad gradum Laicorum non tenetur officium Canonicum recitare (quia ut diximus, non debet eſſe in ſacris conſtitutus) & alias tota ratio conſuetudinis ob quam tenentur Choriſtæ Officium Canonicum recitare, eſt quia ſunt Choro addicti, quæ ceſſat hoc ipſo quod fiat Laicus, Lezana, *numero vigeſimoquinto*, Sanchez *numero octuageſimo*, Pellizzar. *num.36.*

Quid ex decreto Clementis VIII. circa præcedentem materiam habeatur?

77. Sed dicta intelligenda ſunt ex jure communi niſi obſtet decretum Congregationis, juſſu Clementis VIII. editum die XIX. Martii anno 1603. confirmatum de mandato Vrbani VIII. anno 1624. Ubi ſic dicitur: *Sed qui ad Converſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum transire etiam durante tempore probationis non poſſunt.* Ubi illa clauſula: *etiam durante tempore probationis*, ampliativa eſt, quaſi diceret: nec alio tempore, nec tempore Novitiatus poteſt tranſire. Quod decretum eſſe in uſu teſtatur Pellizaar, *num. 135.* Sed de illo non vidi alium mentionem facere. Unuſquiſque videat, quid ex conſuetudine ſit in ſua Religione introductum? Et adverto in tali decreto ſolum prohiberi tranſitum à gradu Laicali ad gradum Choriſtarum, non è contra, ut conſtat ex ejus verbis. ¶ An verò poſſit dari ex jure communi tranſitus ab ſtatu Laici ſtrictioris Religionis, ad ſtatum Choriſtarum laxioris? affirmativè reſpondendum eſt, propter altitudinem, ac excellentiam actuum, ad quos Choriſtæ deputantur, & ad hoc alludit D. Hieronymus *epiſt.4. ad Ruſticum: ſic vive in Monaſterio ut clericus eſſe merearis.* Sic D. Thom. *2.2. quæſt.189. art.8. ad 2.* Suar. *de relig. tom.4. tract.8. lib.3. cap.10. num.9.* referens Sylveſtrum, Navarr. & Turrecrematam. Sed, ut ibidem docet D. Thomas Choriſta ſtrictioris Religionis ad ſtatum Laicorum laxioris tranſire non poterit, niſi cum conditionibus hoc §. dictis circa alios, propter oppoſitam rationem.

---

§. IV.

De effectibus & pœnis pro tranſeuntibus de una ad aliam Religionem.

Pœnæ ſtabilitæ contra tranſeuntes à Mendicantibus, ad non mēdicantes.

78. IN *Clementina 1. Vt profeſſores, de regularibus.* Volens ſummus Pontifex decori & conſervationi Ordinum mendicantium attendere, & ut illius profeſſores in ſua vocatione perſiſterent; & tranſeuntes ad non mendicantes, apud eos modeſte, & humiliter viverent, & quod in ipſis diſcordiarum & ſchiſmatum productiva ambitio reprimeretur, quatuor pœnas, aut quaſi pœnas aſſignavit, contra ſic tranſeuntes à mendicantibus ad non mendicantes; etiam ex indulto Pontificio: quæ non tangunt tranſeuntes à non Mendicantibus ad mendicantes, nec mendicantes ad alios mendicantes tranſeuntes. Nam Pontifex loquitur de tranſeuntibus à mendicantibus ad non mendicantes, quales ſunt Ordo D. Dominici, D. Franciſci, D. Auguſtini, Carmelitarum, Societatis IESU, Minimorum, Trinitariorum, & Mercenariorum; & excipiuntur illi, qui à mendicantibus ad Carthuſianos tranſeunt, qui non comprehenduntur ſub dictis effectibus, propter declarationem Cardinalium circa hoc, quam adducit Lezan. *tom.1. cap.22. num.21.* Pellizzar. *tract.3. cap.5. n.148.* & tenet Bonacin. *quæſt.2. punct.19. §.1. diffic.1. num.5.* Ubi etiam, & meritò, ducet non comprebendi eos qui invalidè fuerunt profeſſi apud mendicantes, vel qui tranſeuntes ad non mendicantes, apud illos non profitentur, ſed redeunt ad priſtinum Ordinem; nec eos qui ſemel aſſumpti ad Epiſcopatum ex licentia Papæ tranſeunt ad non mendicantes, vel abſque illa, cum Epiſcopatui renuntiarunt, ad non mendicantes ſe conferunt.

Præcedentes pœnæ explicantur contra tranſeuntes à mendicantibus ad nō medicantes.

79. Quibus ſuppoſitis, & præciſis iſtis, de quibus modo diximus, Prima pœna contra mendicantes tranſeuntes ad non mendicantes, etiam de licentia Pontificis, in dicta Clementina aſſignata, eſt privatio vocis, etiamſi ab aliis ſibi libere concedatur: & intelligitur de voce activa & paſſivà: quia textus loquitur generaliter. Bonacin. *n.1.* Lezana *num. 21.* Sanchez *lib.6. ſum. cap.7. num.120.* Palaus *tract.4. punct. 27. num.5.* Secunda eſt privatio loci in Capitulo, etiamſi concedatur ab aliis, in illo ſcilicet Capitulo, qui habetur ad Electiones & Tractatus diverſos, non verò tollitur, quod locum habeat in Capitulis Viſitationis, vel aliis, quæ ad

correctionem, & Monaſticam promovendam diſciplinam habentur. Bonacina, Sanchez, Lezana, Palaus, & in aliis actibus Communitaris, præter Capitulum, loco non privantur: quia textus ſolum in Capitulo loquitur, & non ſunt pœnæ extendendæ, Palaus, *num.* 5. Bonacin. *n.* 3. Lezan. *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 67. Pellizzar. *n.* 198. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſput.* 9. *n.* 720. Tertia eſt, ut fiat inhabilis ad Prioratus adminiſtrationes, & alia quæcumque officia etiam tanquam Vicarius, ſeu in miniſterio illo locum alterius tenens, intra vel extra illam. Et ad omnem animarum curam & regimen, pro ſe, vel pro aliis exercendam, & quidquid in contrarium intentatum fuerit, ſit irritum, & inane. Itaque omni officio privati remanent, & ſic non poſſunt eſſe Lectores, Prædicatores ex officio, Oeconomi, Oſtiarii, Sacriſtæ, Syndici. Nam, quamvis aliqua ex iis oneroſa ſint, honorem ſecum portant, & à multis appetuntur, & ab omnibus graviter fertur, illis eſſe privatos, Palaus, Sanchez, Bonacin. Leſſius. Comprehenduntur etiam adminiſtrationes Prioratuum, & regimina & alia officia, tam intra, quam extra Religionem, ſi ſolita ſint per non mendicantes Religioſos exerceri. Sanchez *num.* 126. Bonacin. *num.* 3. Pellizzar. *num.* 148. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 105. Quarta eſt privatio loci honorifici ſibi competentis ob antiquitatem in priori Religione habitam, quam antiquitatem non retinent in poſteriori, niſi juxta profeſſionem in illa factam, & hæc non tanquam pœna aſſignatur, ſed tanquam quid neceſſario conſequutum, ex eo quod prior extinguitur profeſſio & incipit nova: & ſic communis eſt omnibus ad aliam Religionem tranſeuntibus: quia locus honorificus antiquitatem profeſſionis durantis conſequitur. Ita Sanchez *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 86. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. regul. quæſt.* 52. *artic.* 29. Lezana *tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 17. Bonacin. *quæſt.* 2. *punct.* 9. §. 4. *difficult.* 1. *num.* 2. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 5. *n.* 149. Palaus *ſup. num.* 10. Niſi tranſlatus ſit, ut eſſet in illo Ordine Superior, quia talis nullam ex dictis pœnis incurrit, & quamdiu durat Officium in priori loco ſedebit, ſed eo finito, vel renuntiato, in Capitulo, & alibi ſedebit poſt Prælatum, in memoriam gradus & honoris quem geſſit. Sic præcitati authores.

Pœna Trident. contra tranſeuntes ad aliam Religionem aſſignatur.

80. Deindè, ut nemo ſub ſpe obtinendi emolumentum aliquod temporale, tranſitum de una in aliam Religionem exoptet, Concilium Tridentinum *ſeſſione* 14. *cap.* 11. *de reformatione*, ſtatuit ne tranſlatus de una ad aliam Religionem poſſit beneficia ſæcularia, etiam curata obtinere, quamvis Canonicorum Regularium fuerit, qui transfertur, etiamſi ad ſtrictiorem Religionem transferatur, & etiamſi hoc ex Pontificia facultate faciat, ut docet Sanchez *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 108. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 105. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 20. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 147. Deinde in ſupra dicto decreto dicitur: *nemo cujuſcumque Ordinis Prælatus, vel Superior vigore cujuſcumque facultatis, aliquem ad habitum, vel profeſſionem admittere poſſit, niſi ut in Ordine ipſo ad quem transfertur ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuò maneat.* Ex quo videtur ſequi, ipſos ad perpetuam recluſionem eſſe condemnatos. Sed non obſtante tali decreto, poſſe Prælatos regulares dare Religioſis ſic tranſeuntibus eas licentias extra Monaſterium exeundi, & extra clauſtra manendi, quas poſſunt licitè dare aliis Religioſis ejuſdem Ordinis, docent Suarez. *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 8. Sanchez *n.* 83. Lezan. *num.* 29. Pellizzar. *n.* 150. Rodriguez *quæſt. regul. tom.* 3. *q.* 53. *art.* 4.

Qui illegitimè ab una ad aliā tranſit Religionem, Apoſtata eſt, licet aliqui id negent.

81. Sed eſt inter Doctores controverſia: an qui non ſervato ordine juris de una ad aliam ſe transfert Religionem, ſive æqualem, laxiorem vel ſtrictiorem ſit verus Apoſtata, & ut talis ſit puniendus? Negat prima ſententia: quia Apoſtata eſt qui exiit animo relinquendi ſtatum Religioſum; hic autem non recedit tali animo relinquendi ſtatum, ſed mutandi, & ſic non dicitur à ſtatu ſimpliciter recedere. Sic Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 102. Sanchez *lib.* 6. *ſumma cap.* 8. *num.* 8. Lezana *tom.* 1. *cap.* 22. *n.* 22. Bonacin. *de clauſur. quæſt.* 2. *punct.* 11. §. 1. *n.* 4. Pellizzar. *tract.* 3. *cap.* 3. & 5. *numero* 142. & *tract.* 8. *cap.* 4. *numero* 44. Quamvis præter Leſſium alii concedant iſtum eſſe fugitivum, & ut talem puniendum & ſic incurrere excommunicationem latam, *cap.* 2. *ne clerici vel Monachi, in* 6. Quia fugitivus eſt qui abſque debita licentia ſe ſubſtrahit ab obedientia Prælati, & ad tempus à Monaſterio exiit. ¶ Sed hinc ſecunda ſententia aſſerens talem eſſe verum Apoſtatam, & ut talem puniendum, fundamentum ſumit. Quia ut dicemus *hoc eodem cap.* 2. *numero* 122. fugitivus ab Apoſtata ex communi ſententia in eo ſolum differt: quod fugitivus recedit à Religione, ſolum ad tempus, Apoſtata verò recedit in perpetuum. Quod facit ſic indebitè ad aliam Religionem tranſiens; imò talis recedit omninò ab ſtatu Religioſo: quia à Religione in qua fuit profeſſus ex ſuo animo recedit in perpetuum, quod verò aliam aſſumat nihil intereſt, ſiquidem illam non aſſumit verè & propriè, ſed ſolum apparenter, & ſic talem eſſe Apoſtatam, adhuc ſtando in jure communi tenet Suar. *tom.* 5. *de cenſ. diſput.* 31. *ſect.* 6. *n.* 4. & *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 12. *à num.* 17. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 16. *num.* 7. Quam amplectimur ſententiam, præcipuè quia in bullis Pontificis tales Apoſtatæ dicuntur, ut conſtat ex bulla Pauli III. Pii V. & Greg. XIII. quas ponderant dicti Authores pro Societate expeditas, & de tranſeuntibus à noſtra Excalceatorum Carmelitarum familia ad aliam quancumque, etiam quarti voti, etiam ſtrictiorem, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia excepta Carthuſiana, & ad iſtam abſque licentia petita & obtenta Prælatorum eſt certum, ut conſtat ex bulla Greg. XIII. pro diviſione noſtræ Congregationis à Patribus de Obſervantia, expedita die 22. Iunii 1580. & Sixti V. Bulla apud S. Petrum Romæ 27. Iunii anno 1587. & Pauli V. Romæ apud S. Petrum die 3. Aprilis 1610. Ubi ſic dicitur: *ſub Apoſtaſia & infamiæ perpetua nota, ac excommunicationis latæ ſententia pœna, ipſo facto per contravenientem incurrenda, ſe transferre audeat, ſeu præſumat.*

PUNCTUM IV.

De poteſtate quam habent Prælati ejiciendi ab Ordine Religioſos incorrigibiles.

Quid agendum ſit hoc Puncto.

82. Ex alio capite poſſet ſuſpicari quod profeſſionis vinculum diſſolveretur, nimirum quando Religioſi ſemel ritè profeſſi ob crimina, à Religione expelluntur, & propterea hoc capite, quo de indiſſolubilitate profeſſionis

feſſionis agimus, de ejectis & expulſis à Religione, agendum nobis venit, acturi *puncto ſequenti* de his qui ſua authoritate volunt Religionis jugum excutere, quales ſunt Apoſtatæ & fugitivi. Et hoc punctum ad evitandam moleſtiam & confuſionem in quatuor paragraphos dividemus. In primo agemus de jure quod habent Prælati ejiciendi à Religione criminoſos, & ob quæ delicta, & quomodo eos ejicere poſſint? In ſecundo de obligationibus quas habent expulſi in ſæculo manentes. In tertio aliquas difficultates circa hoc ipſum enodabimus. Et in quatto particulares declarationes Cardinalium circa expulſos proponemus, & explicabimus: quia eſt circa illas aliqualis inter DD. difficultas.

---

§. I.

Quo jure, & quibus conditionibus poſſint Prælati regulares Religioſos criminoſos expellere?

Aliqui falsò negant poſſe Religionem ejicere criminoſos.

83. NOn deſunt Authores, qui negent eſſe in Religionibus poteſtatem expellendi Religioſos ob ſua delicta, & probant. Primò *ex cap. impudicas, cap. ſi quis ſacro. 27. quæſt. 1.* Ubi moniales impudicæ jubentur ab aliis ſeparari & in ergaſtulu Monaſterii recludi, nec permittuntur à Monaſterio expelli. Secundò *ex cap. fin. de regularibus.* Vbi Superiores præcipiuntur Apoſtatas fugitivos, & ètiam ejectos ad Monaſterium revocare, ſi ſalva Monaſtica diſciplina, id fieri poteſt, ſin minus, eos in carcerem includere. Tertio, quia Religioſus per profeſſionem, ſic ſe tradidit Religioni, ut ob nullam cauſam poſſit eam deſerere: ergo è contra ita Religio obligatur Religioſo, ut eum renuentem nullam ob cauſam poſſit expellere: nam contractus utrinque fuit æqualis. Sic Godofredus, Hoſtienſis Abbas, Cardinalis Immola, Ioannes Andreas, Ioannes Lunus, Graffis, Angelus, quos refert Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 9. n. 2.* Quam ſententiam approbat Sylveſter, *verbo: Religio. 6. §. 17.* Armilla *eodem verbo § ult.* eo caſu, quo Religioſus expulſioni repugnaret, paratus corrigi, pœnamque debitam ſuſtinere.

Certum eſt poſſe Religionem à ſe abjicere incorrigibiles.

84. Sed omninò tenendum eſt eſſe in Religionibus talem poteſtatem, ut conſtat ex praxi communi fundata, *in cap. cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum, cap. ultimo eodem titulo.* Vbi dicitur: *ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat ſanas oves. Cap. cum in Eccleſiis de majoritate & obedientia. Cap. relatum, ne Clerici vel Monachi.* & ex conſuetudine omnium Religionum, quæ ab exordio in regulis vel conſtitutionibus à fundatoribus acceperunt, membrum putridum eſſe reſecandum, ne corpus corrumpat. Et ratione, quia bonum commune eſt ſingulari præferendum; ſed bono communi expedit Religioſum pravis moribus imbutum, nec corripi volentem, ab aliorum conſortio ſeparare, nè alios inficiat, cum alias Religio ſolum obligetur eum retinere ſi mores ſecundum regulam componat, & non aliter, cum in Religione promiſerit vivere ſecundum regulam, & ſic ſub ea conditione, ſe tradidit Religioni & Religio eum accepit. Sic D. Thom. *quotlib. 12. art. ult.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 4. num. 2.* Palaus *diſp. 4. punct. 19. num. 2.* Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 13. num. 1.* Sanchez *lib. 6. cap. 9. num. 3.* Leſſ. *lib. 2. cap. 41. dub. 14. num. 106.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 30. art. 13.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 16. quæſt. 2.* Navarr. *comment. 2. de regul. num. 33.* Peyrin. *tom. 1. de ſub. quæſt. 1. cap. 25. §. 3. concluſ. 1.* Bonacin. *de clauſur. q. 2. punct. 12. §. 1. num. 4.* Pellizz. *tom. 2. tract. 8. c. 8. n. 1.* Ant. à Spiritu Sancto *tom. 2. tract. 4. diſput. 3. n. 450.* Lezana *tom. 1. cap. 23. num. 1.* Quarè, qui ob diverſa, vel eadem gravia delicta punitus eſt, & in eis adhuc relabitur, expelli poteſt à Religione, tametſi promittat correctionem, paratuſque ſit pœnam ſuſtinere: quia non præſumitur corripiendum; ſed potius ſimilia commiſſurum, quod ſufficit ut expellatur; ſicut in hæretico relapſo, ſufficit ut condemnetur morti hæc futuri caſus præſumptio: nam in pœnis impoſitis in aliorum bonum, non tam debet attendi præſens diſpoſitio delinquentis quam fututus eventus præſumptus, & damno occurrere quod timetur. Sic Suarez, Palaus, & alii.

Moniales ejici non poſſunt, quamvis ſint incorrigibiles.

85. Nec obſtant textus in contrarium: nam in prioribus ſolum dicitur impudicas Moniales eſſe recludendas, non tamen negatur poſſe aliquando expelli, ſi relapſæ, & incorrigibiles fuerint. Ex alio autem capite non deberi expelli Moniales aſſerit Bonacin. *n. 9.* Lezana *tom. 3. verbo ejicio, num. 11.* & quam rariſſimè poſſe expelli, Sanchez *n. 6.* Palaus *num. 3.* ob ſpecialem rationem, cum manifeſtè omnibus exponerentur periculis, & ne detur aliis occaſio ſe fingendi incorrigibiles, ut expellantur. Multæ enim ex illis, tametſi voluntariè ingreſſæ, dolent poſtmodum, & quaſi coactæ exiſtunt, & per iniqua media egreſſum intentarent, ſi ſe inde exire poſſe crederent. Quapropter ob nullum crimen expellendæ ſunt, ſed in carceribus potius cum pœnitentia proportionata recludendæ. Vndè monet Sanchez nullum Superiorem, inconſulto Pontifice, vel ejus nuntio, poſſe Monialem expellere ob rationem dictam, & quia eſſet res nova, & inuſitata.

Duo alia contraria argumenta ſolvuntur.

86. Ad caput autem illud finale dicimus, ibi vel ſolum ſermonem eſſe de injuſtè ejectis, ſivè ob defectum cauſæ, ſivè poteſtatis in ejiciente; vel certè, quia ordo juridicus in eorum expulſione ſervatus non eſt; quos tenentur Prælati reducere. Vel denique ſolum loquitur de ejectis ad tempus, quos reducere Prælati jubentur: qui ſi tranſacto tempore non redeant, ut fugitivi cenſendi ſunt. Et ideo textus eos comparat cum fugitivis, non verò loquitur de juſtè & ſimpliciter ejectis, de quo amplius infra erit ſermo. ¶ Ad tertium fatemur in contractu profeſſionis æqualitatem eſſe ſervandam Religioſi cum Religione. Cæterum, ſicut Religioſus non poteſt Religionem deſerere quæ ſuo muneri & obligationi ſatisfacit, quod ſemper facit Religio, ſic non poteſt Religio ipſum expellere, ſi quod promiſit adimpleat. At, ſicut ipſe poteſt (ſtando in jure communi & naturali, & præciſis particularibus privilegiis) Religionem deſerere, & in aliam tranſire, ſi deformatam & à ſuo ſtatu cadentem videat, ut diximus *punct. præced. num. 59.* ſic Religio ipſum deſerere poteſt, & à ſe abjicere, ſi non vult obligationibus propriis ſatisfacere.

Debet eſſe graviſſimũ & publicũ delictum, ob quod

87. Difficultas autem eſt inter DD. ob quas cauſas poſſet Religioſus validè profeſſus à Religione expelli? Quod tripli concluſione reſoluemus. Dicendum eſt primò, non poſſe Religioſum

Religioſus ejicia tur.

ligioſum expelli, niſi ob delictum grave & ſcandaloſum. In hac omnes DD. conveniunt. Cum enim expulſio graviſſima ſit pœna, & ad bonum aliorum Ordinata, non debet imponi niſi ob graviſſimum delictum, quod aliis poſſit nocere: ad quod non eſt neceſſarium quod de facto noceat, nam ſufficit ſi nociturum probabiliter timeatur, niſi membrum putridum reſecetur. *Cap. reſecanda* 22. *q.* 3. *cap. ſed illud* 45. *diſt.* debet etiam eſſe publicum: quia publica & graviſſima pœna ob delictum occultum nequit applicari. Sufficit autem quod ſit publicum vel facto: quia coram multis eſt perpetratum, vel certè coram aliquibus, qui illud divulgarunt. Vel jure, illud videlicet, quod licet in ſecreto commiſſum eſt, ad judicium deductum fuit, & ibi teſtibus idoneis probatum vel confeſſione ipſius rei: quia tunc juris notorietate publicum cenſetur. ❡ Apud nos ſemper præcedere debet juridica informatio, & legitimè adverſus reum cauſa concluſa expulſionis ſententia profertur. Quæ publicè coram Conventu legitur, & diſciplina Conventuali caſtigatus, habitu exuitur. Vt habetur, 4. *p. conſtitut. cap* 6. *num.* 7. Et licet talis cognitio cauſæ & pœnæ applicatio fortè ex jure communi competat Prælatis, qui admittere poſſunt ad profeſſionem, ex ſpecialibus autem ſingularium Religionum ſtatutis & privilegiis hoc negotium, utpotè graviſſimum, Generali tantum conceſſum eſt, ut inquit Suar. *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 19. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 19. *n.* 10. Peyrin. *de ſubdit. tom.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 25. §. 3. *conconcluſ.* 2. Apud nos tamen non poteſt P. N. Generalis de hac cauſa cognoſcere, ſed hoc ipſi cum ſex ex Patribus diffinitoribus Generalibus commiſſum eſt, 3. *p. conſtit. cap.* 8. *n.* 10. & aliquo ex illis abſente, non poteſt proferri ſententia expulſionis, quod apud omnes debet obſervari, ſtante decreto Congregationis ſub Vrban. VIII. de quo infra §. 4. erit ſermo. Vbi etiam decernitur, quod dentur ejectis litteræ teſtimoniales, ſententiam ejectionis continentes, & quod id locorum Ordinariis denuntietur. Vt inquit Lezana *tom.* 1. *cap.* 23. *num.* 20. Aldrete *lib.* 2. *de diſciplina Relig. cap.* 26. *num.* 23. Sed non poſſunt illis dari litteræ dimiſſoriæ, quibus ad Sedem Apoſtolicam rejiciantur, aut ad aliam Religionem mittantur, ut habetur in dicto decreto Congregationis, & apud nos 4 *p. conſtit. cap.* 6. *n.* 9.

Duplex genus incorrigibilium de jure & de facto.

88. Dicendum eſt ſecundò, quod ob incorrigibilitatem poteſt Religioſus expelli, ſi vel illa ſit notoria, vel rectè in judicio probata. In hac concluſione etiam omnes DD. conveniunt. Sed difficultas eſt: quis dicendus ſit incorrigibilis? Pro quo nota ex Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. Reg. q.* 30. *art.* 11. Miranda *in Manual. tom.* 1. *quæſt.* 52. *art.* 2. *concluſ.* 2. Peyrin. *de ſubdito, q.* 1. *cap.* 25. §. 3. eſſe duplicem incorrigibilitatem; aliam de facto, ut quando Religioſus tot vitiis aſſuevit, tamque ad illa innatam inclinationem habet, ut meritò non ſperetur fore ut ad ſanitatem redeat. Quod in noſtris conſtit. *p.* 4. *cap.* 6. *num.* 1. aſſeritur, *ille de cujus correctione non eſt aliqua probabilis ſpes, propter obſtinationem, ſeu inveteratam mali conſuetudinem.* Hic autem expelli poteſt, licet ſingula delicta, vel etiam omnia conjuncta, non eſſent digna tanta pœna, ſi tali affectu & conſuetudine ad illa afficitur, ut nulla ſpes ſubſit quod emendetur; nam iſte, etſi non jure, facto tamen incorrigibilis eſt. ❡ Alius eſt incorrigibilis iure, quando nimirum talia crimina committit, ob quæ à jure incorrigibilis judicatur, & pœna incorrigibilium puniendum cavetur. Et hoc bifariam, nam vel poteſt eſſe incorrigibilis ex jure communi, vel ex jure particulari aliquarum Religionum, eo quod in ipſarum regula, aut conſtitutionibus talia vel talia faciens, incorrigibilem judicandum decernitur: circa quod unuſquiſque ſuas conſulat conſtitutiones, in noſtris autem 4. *p. toto cap.* 6. recenſentur.

Qui ſint ex jure cõmuni incorrigibiles?

89. Ex jure autem communi, ſequentes habentur ut incorrigibiles. Primò, qui ter monitus & punitus in rebus gravibus non emendatur, *cap. contingit. el ſegundo de ſent. excom. cap. conſtitutionem, eodem titulo in* 6. Ad quod non requiritur quod ſint ejuſdem generis delicta, ſed ſufficit ſi ſint ejuſdem gravitatis, ut conſtat ex *textu ut famæ de ſent. excom.* & tenet Sanchez, *ſupra num.* 4. Palaus *n.* 6. Secundò, qui ob peccatum grave damnatus, pœnas ferre recuſat, hic enim propriè eſt inſanabilis, cum medicinam nolit recipere. Tertiò, qui eò deveniunt pravitatis ut non ex fragilitate, vel ignorantia, ſed ex contemptu peccent: nam hi ſunt qui difficulter ſurgunt, juxta illud Ieremiæ: *confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, dixiſti: non ſerviam.* D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 10. *ad* 3. Quartò, qui è carcere fugit ubi pro culpis juſtè caſtigatur: quia talis repellit medicinam, & ſic corrigi recuſat, uti ex variis probat Sanchez *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 4. Quintò ille incorrigibilis cenſendus, cui bis, aut ter gravia crimina dimiſſa, diſſimulata, aut condonata ſunt ſpe correctionis, & emendatus non eſt, ut tenent Rodrig. Miranda, Peyrin. *locis citatis*, ut conſtat ex illo ad Rom. 2. *An ignoras quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? an divitias bonitatis ejus patientiæ & longanimitatis contemnis? ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram.* Ubi notat habere impœnitens cor, id eſt incorrigibile, qui clementiam & bonitatem ſuperioris delicta condonantis contemnit. Et ſic D. Bern. explicans talem locum, *tom.* 1. *de conſideratione ad Eug.* ſic inquit: *Quid eſt cor durum? ipſum eſt quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur, ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviſcens, præſentium negligens, futurorum non providens.*

Ob delictum graviſſimum ſemel tantum commiſſum, expelli poteſt Religioſus.

90. Dicendum eſt tertiò, quod etiamſi ſemel dumtaxat delictum grave & ſcandaloſum committatur (ut ſi eſſet tale quod in ſæculari commiſſum mereretur pœnam mortis, vel perpetuò ad triremes damnari, vel alia gravia, arbitrio prudentum, vel in conſtitutionibus aſſignata) poteſt ob illud ſemel tantum commiſſum Religioſus expelli, ſi alia via puniri commodè non poſſit, nec alia via ſcandalo occurri, (& non loquimur ſtante decreto Congregationis Cardinalium ſub Vrban. VIII. quia illo ſuppoſito, quid tenendum ſit, dicemus §. 4.) Et ratio eſt, nam qui ſemel auſus eſt delicta gravia talis conditionis committere, prudenter præſumitur, eadem, vel graviora commiſſurus, & alia commiſiſſe, ob quæ meritò præſumptione incorrigibilis judicatur, licet de facto incorrigibilis non ſit: quia de facto non fuit correctus. Et ſic in noſtris conſtit. 4. *p. cap.* 6. *num.* 1. incorrigibilis judicatur ille, qui ob delicti atrocitatem & alias

circunſtan

circumſtantias, non eſt ſpes probabilis correctionis. Et *numero quarto*, aſſignantes ob graviſſimum delictum ſemel tantum commiſſum pœnam expulſionis, rationem reddunt: *quia ſigna ſunt aliorum occultorum peccatorum, & vehementer præſumitur de ejus incorrigibilitate.* Quarè ob delictum graviſſimum expelli poſſe Religioſum, etiam ſemel tantum commiſſum, conſtat ex privilegio Leon. X. minoribus conceſſo, & alio Pii V. Religioni D. Hieronymi, & alio Gregor. XIII. Societati, & tenent Sanchez *lib.6. ſum. capite 9. numero quinto*, Palaus *diſputatione 4. punct. 19. numero ſeptimo*, Suarez *dict. capite 4. numero* 11. Azor *tom. 1. lib. 12. capite 16. quæſtione 3.* Peyrin. *de ſubdito tom. 1. quæſtione 1. cap. 25. concluſ. 4.* Rodriguez *tom. 1. quæſtione 30. articulo 18. & 19.* Miranda *tom. 1. quæſtione 52. articulo 2. concluſ. 3. & 4.* Antonius à Spiritu Sancto *tractatu 4. diſputatione 3. numero* 451.

Quibus caſibus ob celatum defectum in profeſſione poſſit expelli Religioſus?

91. An verò poſſit expelli qui in ſua profeſſione cælavit aliquod impedimentum non irritans, quo cognito, nequaquam eſſet admittendus? Poſſe repelli abſolutè, affirmant aliqui, licet valida fuerit profeſſio: quia Religio decepta eſt ab eo (non circa ſubſtantiam, ſed circa qualitatem, & ſic in pœnam delicti, quo eam decepit poteſt eum expellere. Sic Authores quos dedimus *cap. 3. punct. 3. fine*, & tenet Antonius à Spiritu Sancto *tract. 4. diſputatione 3. numero* 498. Ludovicus Vera *4. p. caſuum, caſu 35. verſu propter hæc veritas, colum. 2.* Vega *tom. 2. ſum. capite 50. caſu 4.* Sà *Religio* 34. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput 37. numero 53.* & probabile dicit Layman *libro quarto, tract. 5. cap. 13. num. 1.* ¶ Alii verò abſolutè id negant: quia licet peccaret decipiendo Religionem, non ob id delictum commiſit ex illis graviſſimis, ob quæ Religio magnum dedecus patitur & ſcandalum aliis præbetur: nam potius creditur Religionis zelo, & affectu, quam ex malitia proceſſiſſe. Sic Sanchez (retractans ſententiam, quam olim tenuerat) *libro quinto, ſum. capite 4. numero* 58. Rodriguez *tom. 3. quæſt. reg. quæſtione 17. articulo 9.* Palaus *diſputatione 4. punct. 19. n. 9.* Bonacin. *quæſtione 2. de clauſur. punct. 12. §. 1. numero ſeptimo*, Peyrin. *de ſubdit. quæſtione 1. cap. 26. §. 3. fine.* ¶ Nos vero conformiter ad dicta *capite 3. punct. 3. num. 64. & punct. 4. numero* 68 dicimus, quod ſi impedimentum cælatum ſit dirimens, nulla remanet profeſſio; ſi tamen impedimentum non ſit dirimens, ſit tamen quod in ſæculo graviſſima delicta commiſit, de quibus Sixt. V. Clemens VIII. & Gregor. XIII. loquuntur, quando criminoſos in Religione recipi vetant, tenendum eſt cum prima ſententia, poſſe cælatum ſe talia crimina commiſiſſe à Religione poſtmodum expelli non ob fundamentum illius: quia ut benè probat ſecunda ſententia non eſt talis culpa digna tanta pœna; ſed ob privilegium Leonis IX. quod ibi adduximus. Sed ſi alia impedimenta cælavit, ut quod eſſet morbo Italico, aut contagioſo laborans, ſanguine infectus, ære alieno gravatus, Parentibus in egeſtate poſitis, & ſimilia, cum ſecunda ſententia tenendum eſt non poſſe à Religione expelli.

§. II.

Ad quid teneantur expulſi Religioſi extra Religionem degentes?

Expulſi, votis ſubſtantialibus manent ligati.

91. QVi à Religione in perpetuum fuerint expulſi, etiamſi per diffinitivam & legitimam ſententiam expellantur, non ob id liberantur à tribus votis ſubſtantialibus, ſed illis ligati dimittuntur, licet eorum obſervantia ſtatui expulſionis non poſſit accommodari. Tum, quia ab illis poſt ſolemnem profeſſionem nemo liberari poteſt, niſi ex diſpenſatione Pontificis, quam ipſe non poteſt dare, niſi ex graviſſima & urgentiſſima cauſa boni communis, ut diximus *cap. 1. num.* 37. qualis minimè eſſe poteſt deprava vita Religioſi, ob quam cauſam expelli debet. Tum etiam, quia alias, ex delicto commodum reportaret, eſſetque melioris conditionis, quam Religioſi facti Epiſcopi, aut Cardinales, de quibus diximus, *n.* 31. eſſe adhuc in illo ſtatu votis ſubſtantialibus Religionis aſtrictos, & in præſenti docent Lezana *tom. 1. c. 23. num.* 11. Anton. à Spiritu Sancto *tract. 4. diſp. 3. n.* 473. Pellizz. *tom. 2. tract. 8. cap. 8. num.* 28. Tambut. *tom. 3. diſp. 8. quæſt. 8. n. 5.* Peyrin. *de ſubdit. q. 1. cap. 25. § 1. concluſ. 1.* Bonacin. *quæſt. 2. de clauſur. punct. 12. §. 3. n. 1.* Ledeſma *de ſtatu Relig. in com. c. 8. concluſ. 7. pag.* 277. Rodrig. *tom. 1. q. reg. q. 30. art. 20. & 29.* Miranda *tom. 2. q. 52. art. 5.* Azor *tom. 1. lib. 12. c. 16. q. 4. & c. 17. q. 2.* Leſſ. *lib. 2. c. 41. dub. 15. à n. 11.* Suar. *tom. 4. de relig tr. 8. lib. 3. c. 5. n. 1.* Sanch. *lib. 6. ſum. c. 9. n. 27.* Laym. *lib. 4. tr. 5. c. 13. q. 1.* Palaus *diſp. 4. punct. 12. n. 1.* & eſt cōmunis.

Non debet locum habere in Religione expulſus iterum admiſſus, qui ſecundū priorem profeſſionem ei debetur.

93. Ex quo deducitur expulſum, ſi ad Religionem redeat, non indigere novo anno Novitiatus, nec nova profeſſione: quia præcedentem retinet, quamvis ſuſpenſam quoad exercitium. An verò iterum receptus, eundem gradum antiquitatis quoad ſedem, locum, ſuffragia, debeat retinere, quem habebat ex profeſſione. Affirmat Sanch. *n.* 33. Pelliz. *n.* 24. Ant. à Spiritu Sancto *n.* 500. Eo quod ille gradus honoris annexus eſt profeſſioni, & acceſſorius illi, quæ extincta non eſt, quod limitant, niſi ob præterita delicta à ſuperioribus illo gradu privetur. Cæterum hoc ipſo quod talis gradus non ſit ita acceſſorius profeſſioni, ut eo privari non poſſit, cenſendum eſt privari omni onere & gradu hoc ipſo quod expellatur: ideoque ad Religionem iterum admiſſus, non debet retinere niſi locum, quem ſibi competit, computata antiquitate à die quo rediit, niſi ob ſigna doloris, humilitatem & inſignem emendationem Prælatis viſum fuerit, illi reſtituere antiquitatem, præcipuè ſi inde ſperetur alios ejectos movendos eſſe ad pœnitentiam. Lezan. *n.* 9. Bonac. *n.* 2. Suar. *n.* 17. Palaus *n.* 7. Rodrig. *art. 29. ad finem.* Imo addunt Azor, Bonac. Pellizz. Ant. à Spirit. S. talem expulſum, ſi iterū recipiatur, poſſe eſſe Prælatum: quia nullum jus extat tale quid prohibens, niſi in aliqua Religione detur aliquod ſtatutum in contrarium.

Ad alias obſervantias expulſus extra Religionem manens, nō tenetur.

94. Sed licet expulſus ad vota ſubſtantialia Religionis teneatur, non tamen tenetur ad alia vota profeſſioni annexa, quæ in aliquibus Religionibus emittuntur, tametſi illa, expulſione non extinguantur: & ſic iterum recepti non ſit neceſſe ea iterum emittere; ſed obligatio illorum ſuſpenditur pro illo ſtatu, quia ipſi ad illorum executionem, non habuerunt

animum ſe obligandi extra Religionem, cum eſſet longè difficilior obligatio, ſi tenerentur ad eorum executionem, etiam cum ſunt à gremio Religionis ſeparati. Bonacin. §.3.*num.*4. Lezana *n.*17. Pellizzar. *num.*31. Sanchez *num.*56. *&* 57. Palaus *num.*3. Vega. *caſu* 16. Soto *de iuſt. lib.*7. *quaſt.*2. *art.*1. ¶ Similiter à reliquis obſervantiis, & auſteritatibus Religionis, jejuniis, abſtinentiis, orationibus, etiamſi ſub peccato mortali à regula præcipiantur, liberi ſunt quamdiu extra gremium Religionis permanent: quia non cenſetur Religioſus promittere Regulæ Obſervationem, niſi dum à Religione alitur, regitur, & in conſortiu aliorum vivere permittitur, cum illorum obſervantia extra Religionem ſit longè difficilior: & eſt per accidens ratione alicujus principalis quod deſinit, commodum ex delicto reportare, quod non eſt inconveniens, Lezan. *n.*27. Ant. à Spiritu Sancto *n.* 474. Pellizzar. *n.*32 Bonac. *num.*5. Soto *in ſolut.ad* 3. Sanch. *n.*52. Palaus *n.* 10. Laym. *lib.*4. *tract.*5. *c.*13. *q.*2. Suar. *n.*11. Dian. 3. *par.*2. *reſol.* 116. Rodrig. *tom.*1. *q.*30. *art.*20. Leſſius *ſupra dub.*15. *fine.* Arag. 2.2. *q.* 88. *art.*3. *circa ſolut.ad* 2. *pagin.*710.

Ad quid extra Religionem teneatur expulſus?

95. Atque hinc fit, non teneri expulſum (niſi ſit in ſacris conſtitutus) horas Canonicas recitare: quia conſuetudo, ob quam tenetur, eſt: quia eſt Choro deputatus, quæ deputatio ceſſat per expulſionem, ut de Choriſta tranſeunte ad ſtatum Laicorum diximus, *n.*76. & tenent modo Lezan. Peytin. Palaus, Pellizz. Suar. Anton. à Spiritu Sancto, & alii. Licet non deſint qui oppoſitum teneant. ¶ Non tenetur habitum Religionis deferre, imò non poteſt ſi eo per ſententiam privatus ſit, ut ferè ſemper fit, quia talis geſtatio in ignominiam cederet Religionis. Bonac. §.5. *n.*1. Leſſius *n.*112. Sanch. *n.*55. Suar. *n.*14. Lezan. *n.*17. Palaus *n.*12. Pellizz. *n.*10. Et quamvis debeant habitum honeſtum deferre, & ad id cogi poſſint, non verò tenentur ex jure communi, ſi non ſint Clerici, ad habitum Clericalem: quia nullus datur ad hoc textus obligans ex decreto Congregationis §.4. adducendo, tenentur habitum Clericalem deffetre; ſed adhuc eo ſtante non teneri, niſi ſaltem minoribus ſint Ordinibus initiati, tenet Lezan. *tom.*3. *verbo ejectio*, *n.*8. imo etiamſi ſint in minoribus conſtituti, ſi non in ſacris, non teneri, non obſtante dicto decreto, docet Ant. à Spiritu Sancto *ſupra n.*467. ¶ Illud certum eſt, non teneri Religionem ipſi alimenta præbere, ſicut filio contumaci, Pater denegare poteſt alimenta. *leg.aliud quoque authent. ut eum, de appellation.* Suar. *tom.*4. *tract.*8. *lib.*3. *cap.*14. *num.*11. Palaus *diſp.*3. *punct.* 18. *num.*1. Lezan. *tom.*1. *cap.*23. *n.*19. Pellizzar. *n.*37. Bonacin. *punct.*12. §.1. *num.*9. ¶ An vero teneatur Religio illi reddere quæ ratione illius acquiſivit, conſtat ex dictis *tom.*3. *tract.*12. *cap.*2. *punct.*12. §.5. Ubi etiam diximus, cui acquirat quæcumque poſtmodum adquirit. Videatur Bonacin. *q.*2. *punct.*12. §.7. Sanch. *lib.*7. *c.*33. *art.*26. Azor. 1. *p.lib.*12. *cap.*16. *q.*9. Pellizzar. *ſupra n.*29.

Quid de damnatis ad triremes?

96. Idem dicendum eſt de damnatis perpetuò ad triremes, quos conſtat liberos evadere, ſicut alii ejecti, cum ejectio ſit perpetua; ſed cum ad tẽpus dumtaxat dãnantur ad triremes, abſque eo quod perpetua expulſio à Religione præcedat, tenentur ad obſervantias regulares, quas commode ibi obſervare poſſunt; & ad Officium Divinum perſolvendum ſecundum aliquos Doctores tenentur, ſicut alii Religioſi qui ex juſta cauſa, & de licentia Prælatorum, ad tempus à Religione abſunt, ſed oppoſitum verius eſſe ſupra diximus & probavimus.

Quomodo vota Caſtitatis, Obedientiæ & Paupertatis teneatur expulſus obſervare?

97. Sed quia diximus *num* 92. hos ejectos teneri votorum ſubſtantialium obligatione, licet eorum obſervantia ſtatui expulſionis non poſſit accommodari, ſciendum eſt quod expulſus ad Caſtitatem tenetur ſicut antea, etiam ſi non ſit in ſacris conſtitutus, & ſi matrimonium contrahat, eſt nullum; & ſi contra illud delinquat, ſpecialem malitiam committit Sacrilegii in confeſſione detegendam. Ad paupertatem, ita ut dominium rerum acquirere non poſſit, tametſi à Religione ei concedatur, vel ſaltem à Pontifice, ſuppoſito eo ſtatu, liber uſus & adminiſtratio illorum, quæ acquiſierit, ut de illis diſponere poſſit in vita, non in uſus pravos, ſed in licitos & honeſtos, & poterit annuos redditus & patrimonium acquirere & habere, & donationes aliquas honeſtas juxta conditionem ſtatus facere. Lezan. *c.*23 *n.*14. Bonac. §.1. *n.*1. Palaus *punct.*23. *num.*2. Sanch. *n.*45. *&* 59. Diana 3. *p. tract.*2. *reſol.* 60. Villalob. *tom.*2. *tract.*25. *difficult.* 39. *n.* 10. ¶ Ratione obedientiæ, adhuc ſub Prælatorum Regularium obedientia continetur, & ſic ab eis cogi poteſt ut redeat. Inſuper ſub obedientia Pontificis ut Generalis Prælati Religionum, continetur: & ſic poteſt illi præcipere quæ ſtatum Religioſum in illo modo vivendi decent. Manet etiam ſub obedientia & poteſtate Epiſcopi: quia Pontifex cenſendus eſt illi ſuas vices committere, ut ſic aptius expulſus gubernetur. Vnde tenetur Epiſcopo manifeſtari, ut juxta conditionem ſui ſtatus ab eo dirigatur. Navarr. *comment.*2. *de regularib. numero* 34. *& comment.*3. *numero* 46. Soar. *tom.*4. *tractatu* 8. *lib.*3. *capite* 6. *à numero* 4. Palaus *diſputatione* 4. *punct.*23. *numero* 5.

Cui Epiſcopo ſubjectus eſſe debet expulſus?

98. Quamvis probabile ſit non teneri Epiſcopo præſentari, aut illi ex vi voti obedientiæ obedire, ſed ſicut alii clerici, vel ſubditi, ob praxim contrariam, & quia non datur textus urgens, nec ſunt multiplicandæ obligationes ſine illo, Tamburinus *tom.*3. *diſputatione* 8. *quaſtione* 8. *numero* 11. Anton. à Spiritu Sancto *tractatu* 4. *diſputatione* 3. *numero* 48. Sanchez *ſupra numero* 29. Lezana *tom.*1. *capite* 23. *numero decimo tertio.* Pellizzar. *tractatu* 8. *capite* 8. *num.*8. Azor. *tom.*1. *lib.*12. *c.*16. *q.*11. Rodrig. *tom.*1. *q.*30. *art.*19. & alii, quos refert & ſequitur Bonacin. *quaſt.*2. *punct.*12. §. 4. *num.*1. Epiſcopus autem, cui ſubjectus eſſe debet, non eſt Epiſcopus Originis, ſed domicilii, ſeù ille in cujus diœceſi eſt monaſterium, à quo ejicitur, niſi ad aliam diœceſim ſe transferat. Unde illi ſubjectus eſſe debet ubi vel domicilium habet, vel peregrinus eſt, ſi alibi fixum non habeat domicilium: quia Epiſcopus eſt ſuperior omnium qui in ſua diœceſi exiſtunt, & exempti non ſunt, ut non eſt expulſus, Palaus, *n.*8. Suar. *n.*16. Bonac. *n.*2. Sanch. *n.*29. Pellizzar. *n.* 8.

Quomodo ad paupertatem expulſus teneatur?

99. Sed quamvis uſum & adminiſtrationem habeat ſuorum bonorum expulſus, nec habet dominium, ut diximus: quia eſt ſub voto paupertatis, nec uſum liberũ & abſolutum ad omne quod voluerit, & ſic teſtari non poteſt: quia ex vi voti prohibetur; nec datur textus, aut ratio ob quam illi talem conferamus poteſtatem, quia ſolum ad uſus neceſſarios pro vita habet bonorum adminiſtrationem. Ut diximus *tom.*3. *tract.*12. *cap.*2. *punct.*12. §.5. & modo tenent Bonacina *quaſt.*2. *de clauſura punct.*12. §.3. *numero* 2. Sanchez *lib.*6. *ſum. cap.* 9. *num.*46.

Rodrig.

Rodrig. *tom. 1. quæſt* 30. *art. 6. ſub finem.* Lezana *tom. 1. cap. 23. num.* 14. Imò nec in vita habet liberam adminiſtrationem ad omnes uſus, ſed tantum ad utiles & honeſtos, & ſic peccat contra votum ſi in uſus inutiles & inhoneſtos, ſuoque ſtatui non neceſſarios aliquid inſumat, & donatio erit nulla, tenebunturque reſtituere, qui ab eo accipiunt, quidquid receperunt, ut ibidem ex Suar. & Caſtro Palao diximus, quod etiam docet Lezan. *num.* 14. Villalob. *tom. 2. tractatu* 33. *difficult.* 39. *num.* 10. Quamvis, ut ibidem diximus, probabilis ſit ſententia Leſſii, & Molinæ, quos ibidem citavimus, aſſerentium habere expulſos abſolutam adminiſtrationem bonorum, quæ poſt expulſionem acquiſierunt, ſicut alii clerici ſæculares, & ſic non eſſe obnoxios reſtitutioni qui inutiliter, aut inhoneſtè aliquid ab eis receperint. Quod modo tenent Bonacin. *n.* 2. Sanchez *num.* 24. Santarellus *de Apoſtaſia, cap. 6. dub. 2. num.* 11. Baſæus *verbo Religio 6. num.* 8. Ant. à Spiritu Sancto *tract. 4. diſputatione 3. num.* 476. Salas, & Suarez, quos refert & ſequitur Diana, 3. *part. tract. 2. reſolutione* 60.

Cui competant bona expulſi poſt mortem?

100. Cæterum, quia dominii incapaces ſunt, non ſibi, ſed Religioni acquirunt, quidquid acquirunt, quæ eis pro vita liberam concedit adminiſtrationem, ſed poſt mortem omnia competere Religioni, & ei reddenda, diximus loco citato cum Suario, Leſſio, & Palao, & tenent Baſæus, *num.* 8. Ant. à Spiritu Sancto *n.* 478. Lezan. *num.* 13. Quamvis *num.* 16. dicat applicanda eſſe Cameræ Apoſtolicæ, ſi extra Religionem obierit, propter conſtitutionem Gregor. XIII. Quod non admittunt Antonius à Spiritu Sancto & Baſæus. Sed cum Lezana tenet Sanchez, *lib. 7. ſum. capite* 33. *numero* 21. & 31. Bonacin. *quæſtione 2. punct. 12. §. 7. num.* 3. Rodriguez *tom. 3. quæſtione 3. articulo* 26. Quamvis dicat Lezana poſſe poſt mortem expulſi, retinere ſibi Religionem quidquid ab expulſo accepit, donec per ſententiam ab eo ſpolietur. ¶ Excepimus tamen ibi cum Leſſio & Sanchez quando poſt expulſionem aſſumitur ad aliquod Epiſcopatum, vel beneficium: quia tunc omnia quæ adquirit cedunt Eccleſiæ, cui inſeruit.

---

§. III.

Aliquæ difficultates enodantur circa materiam §. præcedentis.

Sententia aſſerens expulſum non teneri redire ad Religionem ipſa eum admittente.

101. PRima difficultas eſt: an expulſus per legitimam ſententiam teneatur in ſæculo manens (ex vi ſuæ profeſſionis) ſe corrigere, & ita vivere ut dignus efficiatur quod iterum admittatur? & ſi Religio eum velit ad ſuum gremium reducere, teneatur ex vi voti obedientiæ, cui adſtrictum eſſe diximus, & ex obligatione profeſſionis, iterum ad Religionem redire? Negat prima ſententia. Primò, quia ſententia fuit expulſionis perpetuæ & legitima: ergo ſervanda eſt juxta *leg. res judicata, ff. de reg. juris*; at non ſervaretur eo redeunte: non ergo tenetur redire., imò nec poteſt aut Religio eum recipere abſque diſpenſatione. Secundò, quia Religio expellens Religioſum, abjicit à ſe juriſdictionem & poteſtatem quam habet retinendi & gubernandi Religioſum, hanc ipſe acceptavit: ergo non poteſt Religio talem ceſſionem revocare, nam in perpetuum ſublata obligatio reſtitui non poteſt, juxta *legem: qui res, §. ultim. de ſolutionibus.* Tertiò ille, licet emendatus, non poteſt cogere Religionem ut recipiat eum: ergo nec ipſum Religio cogere poteſt ut redeat: quia ſicut eſt utrinque æqualis contractus, ſic æqua debet eſſe conditio utriuſque. Quarè, licet teneatur mores corrigere, ſe emendare, ſicut alii Clerici, aut Chriſtiani, non ex vi obligationis, qua tenetur dignus effici ut iterum à Religione admittatur. Sic tenent Navarr. *comment. 2. de regular. numero trigeſimo ſecundo*, & *lib. 3. conſilior. titulo de regular. conſil.* 18. *num.* 2. Rodrig. *tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 30. art. 20. & in ſum. tom. 2. capite 95. numero* 11. Azor. *tom. 1. libro 12. capite 16. quæſt. 6. & cap. 17. quæſt.* 1. Sayrus *in theſaur. caſuum titulo 2. lib. 6. cap. 9. n.* 26. Anton. à Spiritu Sancto *tract. 4. diſput. 3. num.* 423. Diana 3. *p. tract. 2. reſol.* 60. Villalob. *tom. 2. tract. 35. difficult. 92. num.* 2. Toletus *lib. 4. ſum. cap. 18. n.* 1. Sà *verbo religio, n.* 40.

Verius eſt expulſum teneri procurare ut à Religione iterum admittatur.

102. Verior eſt ſententia aſſerens teneri expulſum mores depravatos corrigere, ut per ſe ipſum non ſtet quominus recipiatur iterum, & perſeveret in Religione, ac proinde eſſe in malo ſtatu, quoties impedimentum ad hoc ponit, & teneri redire ad Religionem quoties Religioni placuerit, idque proteſtate & petere quoties ſpes fuerit ut admittatur, etiam ſi iterum atque iterum ei negatus ſit reditus: quia ejectus, eſt vere & ſubſtantialiter Religioſus, & ſic conſervare debet annexas huic ſtatui obligationes ſubſtantiales, quas in profeſſione promiſit; ſed ex profeſſione obligatus eſt ad vitam communem ſub obedientia & regimine Prælatorum tranſigendam: ergo quantum in ſe eſt, eam procurare debet, & ſic *in cap. finali de Regularibus*, ſtatuitur deberi expulſos cenſuris Eccleſiaſticis cogi redire ad Religionem. Quarè illa ſententia ejectionis perpetuæ, data fuit in favorem Religionis ſub tacita conditione, ut impleatur quoties Religio expediens ſibi videbitur, ipſaque proinde judicante expedire ſibi ut rejeat, tenebitur redire, nec ad hoc ineptum ſe facere; ſicut in ſententia divortii data in favorem innocentis, ſub illa conditione cenſetur ferri: quoties innocenti placuerit ut obſervetur. Quarè, ipſo remittente injuriam, & juri ſuo renuntiante, tenetur adulter, non obſtante tali ſententia, ad ſuum conſortium redire, ut diximus, *tom. 2. tractatu 9. de matrim. capite 16. numero vigeſimo ſecundo.* Alias quod in favorem datum eſt, cederet in detrimentum innocentis. Et ob eandem rationem: quia ſententia expulſionis lata fuit in favorem Religionis, non tenetur ipſa expulſum recipere, ut dicemus, tametſi eum poſſit cogere ut redeat, ſicut in divortio loco citato, *numero vigeſimo primo*, diximus, non teneri innocentem adulterum admittere ſibi volentem reconciliari, quamvis eum ut redeat cogere poſſit. Per quæ ad omnia pro contraria ſententia adducta manet ſatisfactum, & præſentem tenet Sanchez, *libro 6. ſumm. capite 9. num. 25. & 30.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. libro tertio, capite quinto, à num.* 4. Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 13. numero* 111. Laym. *lib. 4. tract. 5. cap. 13. quæſt.* 3. Palaus, *diſp. 4. punct. 21. n.* 5. Reginald. *in praxi, lib. 18. numero* 417. Lezan. *tom. 1. capite 23. num.* 12. Sylveſter *Religio, 6. quæſt. 12. num.* 12. Peyrin. *tom. 1. de ſubdit. quæſt. 1. capite 25. concluſ.* 6. Bonacin. *de clauſur. quæſtione 2. punct. 12. §. 2. numero* 1. Sotus *de juſt.*

lib.7. q.2. art.5. ad 3. Pellizxar. *tom.2. tract.8. cap.8. num.*15. *&* 19.

Non poſſunt expulſi munus prædicandi & confitendi exercere.

103. Secunda difficultas eſt: an Religioſi ejecti poſſint in ſæculo manentes munus prædicandi exercere, & confeſſiones audire? Reſpondetur negativè ob privilegium Innocentii IV. conceſſum Minoribus, & relatum à *Caſar rub. verbo ejicere, num.*1. quo illis prohibetur prædicare, docere, confeſſiones audire, ſine ſuorum, à quibus ejecti ſunt, Prælatorum licentia. Quod privilegium, licet ſit odioſum ipſis expulſis, quia tamen eſt Religioni ſavorabile, per communicationem aliis Ordinibus competere, proindeque ab illis ejectos non poſſe dicta munia exercere, docent Portel. *verbo ejicere, n.*10. Lezana *tom.*1. *cap.*23. *num.*18. Pellizzar. *tract.*8. *cap.*8. *num.*26. Miranda *tom.*1. *quaſt.*52. *art.*5. Anton. à Spiritu Sancto *tract.*4. *diſp.*3. *n.*482. Rodriguez *tom.*1. *q.*30. *art.*21. Peyrin. *tom.*1. *de ſubdit. quaſt.*1. *cap.*25. *concluſ.*7. Ubi adducit etiam alia privilegia Clement. IV. & Iulii II. Cæterum ex licentia ſuorum Prælatorum id facere poterunt; ſed ſi abſque illa hoc attentaverint excommunicari poterunt à Provincialibus & Generalibus illarum Religionum, à quibus ſunt ejecti, Authoritate Pontificia eis conceſſa in dicto privilegio Innocent IV. ¶ Sunt etiam infames dicti ejecti (ac proinde irregulares) infamia quidem facti, & quamdiù in ſæculo incorrecti vixerint, ut tenent Miranda, Rodrig. Pellixzar. Lezana, Peyrin. Antonius à Spiritu Sancto. Et meritò, nam ſi fama eſt communis opinio & exiſtimatio bonæ & inculpatæ vitæ, infamiſſimus meritò dicetur ejectus: quia communis hominum ſenſus expulſos improbos & ſceleratos judicat. ¶ Quarè talibus nulla eſt adhibenda fides, maximè quando aliquid in Religionem effutire conantur, nec multum de ipſorum maledictis eſt curandum. Quia *dementia eſt maxima vereri ne infameris ab infamibus*, inquit Seneca *epiſt.* 92. & ut inquit D. Cyprianus *epiſt.* 25. *hoc de Apoſtatarum fictis rumoribus naſcitur, nec enim poſſunt laudare nos qui recedunt, aut expectare debemus ut placeamus illis qui nobis diſplicentes, & contra Eccleſiam rebelles, ſolicitandis de Eccleſia fratribus vehementer inſiſtunt.*

Sententia aſſerens non poſſe abſque licentia Prælatorū, expulſum ad alium Ordinem tranſire.

104. Tertia difficultas eſt: an Religioſus in perpetuum ejectus poſſit tranſire ad alium quemcumque Ordinem, ſtrictiorem, laxiorem, vel æqualem, ſi jam correctus, ab illo admittatur, & deſperet fore ut ad priſtinam Religionem admitti valeat? ſi enim ſperaret admitti hoc ſollicitare debet, ut jam diximus, & modo ex communi ſententia ſupponimus, non teneri ingredi aliam Religionem, ſed poſſe tuta conſcientia in ſæculo manere: quia ipſe ſolum ex profeſſione eſt obligatus manere in priori Religione: ſi ergo ab hac expellatur, poteſt in ſæculo manere, nec tenebitur aliam ingredi. Difficultas ergo eſt; an propria authoritate; & abſque licentia ſuorum Prælatorum poſſit aliam ingredi, ita ut ſi in illa profiteatur (præmiſſo Novitiatus anno, quod omnino requiritur) non poſſit à priori repeti? Negat ſatis probabiliter prima ſententia. Primò, quia Religioſus ejectus, adhuc eſt verus Religioſus prioris Religionis, illique ſubjicitur, ita ut ſi revocetur, redire teneatur: ergo non poteſt ſine licentia aliam ingredi, quam dicit hæc ſententia ſolum Pontificem poſſe concedere, ſi tranſitus fiat ad laxiorem vel æqualem, vel Prælatos Religionis, ſi fiat ad ſtrictiorem. Secundò, quia Gregor. XIII. in bulla incipiente *cum alias felicis recordationis*, conceſſit Generali Societatis ut poſſet expulſis concedere facultatem tranſeundi ad alias Religiones, communicationem talis privilegii aliis interdicens: non ergo ex licentia ſuorum Prælatorum, & multo minus propria authoritate poterit tranſitus fieri. Sic Suarez *tom.*5. *in* 3. *p. diſp.*22. *ſect.*5. *num.*20. Filliucius *tract.*15. *cap.*8. *quaſt.*7. *n.*191. Cordub. *in reg. D. Fran. cap.* 2. *quaſt.*21. *p.*3. Lezana *tom.*1. *cap.*23. *n.*10. Tabiena *verbo Religio quaſit.* 25. Angel. *eodem verbo, num.* 42.

105. Sed tenenda eſt ſecunda ſententia, affirmans propria authoritate poſſe ad quemcumque Ordinem tranſire. Primò, quia ſicut adulter poſt divortium ſi petat reconciliari, & renuat innocens, poteſt ad Ordinem quem voluerit tranſire; ſic expulſus, ſi repetat à ſua Religione admitti & repellatur, poterit ad aliam tranſire. Secundò, quia eſt ſuo quaſi juri relictus, ut eligat quod ſibi melius judicaverit, & poteſt, ut diximus in ſæculo manere: ergo multo magis poterit ad alium Ordinem tranſire; Sic Pellixzar. *tom.*1. *tract.*3. *cap.*5. *n.*111. *&* *tom.*2. *tract.*8. *cap.*7. *num.*17. Palaus *diſp.*4 *punct.*22. *n.*3. Bonacin. *quaſt.* 2. *punct.*9. §. 5. *diffic.* 2. *num.*19. *& punct.*12. §. 4. *num.*1. D. Antonin. 3. *p. tit.*16. *cap.*4. *num.*4. Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.*6. *n.*713. *&* 751. *& tract.*4. *diſp.*3. *n.*412. Rodrig. *tom.*1. *q.*30. *art.*22. Sanchez *lib.*6. *ſum. cap.*9. *n.* 36. & alii. ¶ Nec obſtant quæ pro contraria ſententia adducuntur. Nam ad primum dicito, verum eſſe adhuc Religioſum manere, ſed à Religione abjectum, à qua revocari poterit, quamdiu non fuerit in altera profeſſus, ſicut adulter ab Innocenti revocari poterit, quamdiu ad Ordines Sacros aſſumptus non fuerit, vel in Religione profeſſus. ¶ Ad ſecundum reſpondet optimè Sanchez & Bonacin. duo illam bullam continere, & facultatem ejiciendi quos expediens Generalis Societatis judicaverit abſque cauſæ cognitione ex parte Religionis, & incorrigibilitate ex parte ejecti, & ut poſſint quibuſvis ejectis copiam facere ut ad quamcumque tranſeant Religionem, & Prioris conceſſionis negare communicationem aliis Religionibus, non verò poſterioris.

Propria authoritate poteſt expulſus ad alium Ordinem convolare.

106. Quarta difficultas eſt: an teneatur Religio ejectos quærere, eos alere, & ſi humiliter jam correcti, petant, eos recipere? Reſpondetur negativè, (quidquid oppoſitum aliqui dicant) ſi juſtè, & juris ordine ſervato, & in perpetuum ſint ejecti? Tum, quia non datur textus ad id cogens, nec ex jure naturæ Religio ad id tenetur niſi eſſent injuſtè expulſi, & alias plura ſcandala & Religionis dedecora ſequerentur. Tum etiam: quia fuit juſta ſententia in perpetuum ex parte Religionis, eos abjiciens: ergo eam poterit ſemper Religio retinere & obſervare; tametſi ſi ipſa velit, poſſit ipſos ut redeant cogere: ſicut de ſententia divortii diximus, quam, ſi ſit juſta, ſemper Innocens poterit obſervare, nec tenebitur adulterum jam emendatum, & reconciliari volentem, admittere: tametſi adulter ſemper teneatur redire, quoties Innocens petierit, & ſuo juri ceſſerit. Utrobique enim eadem ratio militat, & ex delicto utrius inæqualitas contractus reſultat. Sanch. *lib.*6. *cap.*9. *num.*32. Rodrig. *quaſt. reg. tom.*1. *quaſt.* 30. *art.*71. Azor. *lib.*12. *cap.*16. *quaſt.*2. *fine, & capite* 17. *q.*2. Navarr. *comen.*2. *de regul. num.*36. Diana 3. *p. tract.*2. *reſolutione* 116.

Religio nō tenetur ejectos quærere, nec emēdatos recipere.

Santarellus

Santarellus *de apoſtaſia cap. 5. dub. 1. num 9.* Suar. *tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 5. num. 13.* Palaus *diſp. 4. punct. 21. num. 6.* Baſæus *verbo Religio 6. num. 3.* Tambur. *tom. 3. diſp. 8. quæſt. 8. num. 12.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. num. 18. & 22.* Aur. à Spir. Sancto *tract. 4. diſp 3. num. 461.* Bonac. *de clauſ. c. 2. punct. 12. § 3. num. 3.*

Obiectio ex cap. final. de regul & declaratione Cardinaliũ.

107. Nec valet, ſi cum aliquibus oppoſitum tenentibus objicias, quod *in cap. final. de regul.* præcipitur Prælatis annuatim, ejectos quærere, eoſque ad Religionem revocare, & ſi nolint Prælati eos recipere ad hoc compelli poſſint, quando ſalva Ordinis diſciplina, eos admittere valent. Nec refert quod reſpondent huic textui Authores citati, quod videlicet vel loquitur textus de ejectis tantum ad tempus, vel de ejectis in perpetuum, ſed injuſtè, aut ex defectu poteſtatis in ejiciente, aut quia in cauſæ cognitione non eſt ſervatus ordo juridicus. Vel, denique fuiſſe talem textum jam conſuetudine contraria abolitum. Nam contra hoc eſt: quia illud decretum noviſſimè innovavit Sacra Congregatio Cardinalium ſub Vrbano VIII. de qua mentionem faciemus § *ſequenti*. Et extendit ad illos qui juſtè & legitimè ſunt expulſi, dummodo ſit ſpes evidens emendationis arbitrio & teſtimonio Ordinarii, per hæc verba: *Ac poſtremo cenſuit eſſe innovandam, & ſua beatitudinis authoritate innovat conſtitutionem felicis recordationis Gregorij IV. relatam in cap. final. extra de regularibus, ac præterea declarat eam conſtitutionem in his quoque vendicare ſibi locum, ſervandamque eſſe, qui juſtè diffinitivéque, ac juris Ordine ſervato, expulſi fuerint, dummodo tamen in expulſis hujuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis ex litteris teſtimonialibus Ordinarij, &c.* Sed certè hanc declarationem Cardinalium a Noſtro Reverend. P. Fr. Petro ab Angelis, in ſuo Ordine judiciario, *part. 1. cap. 26. à num. 4.* de Verbo ad Verbum relatam multoties legimus, & neque Verbum aliquod hujus clauſulæ in ea vidimus. Sed quia eam adductam à Doctiſſimo P. N. Ioanne Baptiſta de Lezana *tom. 1. cap. 23. num. 7.* & ex ipſo à Pellizzario *loco citato num. 22.* reperimus, illi fidem adhibemus, quam etiam relato integro decreto, adducit Laurentius Peyrinis *tom. 2. privilegiorum conſtitutione 10. Vrbani VIII. §. ſeptimo.*

Duplex ſolutio ad propoſitam obiectionẽ enervandã.

108. Ideoque reſpondemus primò, hanc declarationem Cardinalium receptam non eſſe, ſaltem quoad hanc partem (uti de tota illa aliquos ſic aſſerere dicemus, §. *ſequenti*, & conſtat. quia *in dicto cap. finali* (quod ipſa, jam per contrariam conſuetudinem abrogatum innovat) præcipitur Prælatis, ut annuatim ejectos quærant, quod nullibi eſſe in praxi conſtat. Tum etiam, quia cum tot Authores poſt ipſam ſcripſerint, nullum, ex pluribus quos legimus, de ea mentionem facientem reperimus præter dictum Lezanam, & ex ipſo Pellizzarium, & Peyrinis, quod præcipuè currit in Religione noſtra, In qua cum admiſſa fuerit talis declaratio quoad aliquas clauſulas illius, adductas in diverſis partibus noſtrarum conſtitutionum, quoad iſtam non fuit admiſſa, cum nullibi de illa in eis mentio fiat, quin potius oppoſitum illi decernatur *4. part. cap. 6 n. 9.* Vbi dicitur: *& ſemel a Religione expulſi, nullatenus, niſi a Capitulo Generali, & concurrentibus duabus ex tribus ſuffragiorum partibus, admittantur.* Cum ergo id Capituli Generalis arbitrio & conſenſui relinquatur, cum concurſu duplicis partis ſuffragiorum, liquido conſtat noluiſſe Religionem, talem recipere diſpoſitionem, ratione cujus cogeretur, vellet, nollet, ejectos iterum admittere, & cum conſtitutiones noſtræ confirmatæ ſint ab Alexandro VII. poſt dictam declarationem editam Cardinalium illis ſtandum eſt à nobis. ¶ Secundò reſpondeo prædictam declarationem innovaſſe diſpoſitionem *cap. fin. de regular.* prout in ea erat diſpoſitum, addita ampliatione in tali declaratione recenſita, ſed *in dicto cap. finali*, ponitur hæc clauſula limitativa: *quando ſalva Ordinis diſciplina recipi poſſunt.* Seu quando talis admiſſio expulſorum non eſſet contraria regulæ, aut conſtitutionibus illius Ordinis, ut explicant Authores ſupra dicti. Quando ergo in regula vel conſtitutionibus, adeſt diſpoſitio prohibens receptionem expulſorum, vel hoc relinquens libero conſultui totius Capituli, non poſſunt recipi, ſalva Ordinis diſciplina, tales ejecti ipſa renuente Religione, etiamſi Religio dictam declarationem Cardinalium cum omnibus clauſulis admiſerit, quia admiſit eam cum limitatione adducta *in dicto cap. final. de regular.* ita Pellizzar. *locis citatis.*

---

§. IV.

Proponuntur declarationes Cardinalium, circa expulſos, & quomodo intelligendæ ſint, explicatur.

Tres diſpoſitiones Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII.

169. CElebris eſt declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium, quam dedit circa expulſos, communicato conſilio SS. D. N. Vrbano VIII. & ſpeciali ejus mandato & approbatione ſub data Romæ 21. Septembr. anno 1624. ubi plura circa hanc materiam decernuntur. Primum: *Vt in poſterum nullus dimittatur niſi ſit vere incorrigibilis.* Vere autem incorrigibilis minime cenſeatur, *Niſi non ſolum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur (ſublatis in hac parte ſtatutis & conſtitutionibus cujuſcumque Religionis & Ordinis, etiam à Sede Apoſtolica approbatis & firmatis) verum etiam unius anni ſpatio in jejuniis & pœnitentiis probetur in carceribus, quo elapſo, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pervicacia perſeveraverit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida & membrum putre opus autem poterit.* ¶ Secundum: quod hoc ſolum a Generali fiat de conſenſu ſex Patrum diffinitorum, qui eligantur in Capitulo: *Tuncque non niſi ſtricte ſecundum earum ſtylum & conſtitutiones proceſſu, & plene probatis cauſis expulſionis ad ſacrorum Canonum præſcriptum.* ¶ Tertium, quod ſic ejecti, quandiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci, juriſdictioni & obedientiæ ſubſint, *Proindeque Generales illico expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneantur.*

Aliæ quatuor diſpoſitiones Cõgregationis Cardinaliũ.

110. Quartum: *Sacra Congregatio Religionum Superiores ſerio admonet, ac per Ieſu Chriſti viſcera obteſtatur, ut memores Paternæ charitatis, ac manſuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant ut lucrentur animas Fratrum ſuorum, ſive in profundum malorum delapſas, antequam graviſſimum, & poſtremum remedium ex-*

pulſionis experiantur. ¶ Quintum, *Statuit ut idem Superiores, nemini ex Religioſis expulſis litteras teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.* ¶ Sextum: Vt ejecti extra Religionem degentes ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, *ſublata Ordinariis locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, aut moderandi.* ¶ Septimum, adverſus eos qui aliquid contra præſcripta facere vel moliri præſumpſerint pœnam imponit privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinent, ipſo facto incurrendam, & vocis activæ & paſſivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, interdicta poteſtate quibuſcumque Prælatis ea moderandi, vel relaxandi, & ſolum Sedi Apoſtolicæ illam reſervando, & nihilominus irritum & inane eſſe, quidquid in contrarium factum fuerit. ¶ Octavum: Revocat omnia indulta, privilegia, conſtitutiones, etiam à Sede Apoſtolica confirmatas, conceſſiones etiam in corpore juris inſertas, vel in mari magno, vel quomodolibet obtentas.

Alia diſpoſitio Congregationis.

111. Inſuper Sacra Congregatio Concilii 13. Novembris anno 1632. declaravit Religioſos incorrigibiles intra annum, quo detinentur in carcere, juxta præcedentem diſpoſitionem, ut probentur in carceribus, jejuniis & pœnitentiis, ſi fugerint, non ideo poſſe hoc ipſo ejici, ſed debere puniri, etiam pro hujuſmodi fugæ delicto, ac ferrea cuſtodia detineri in ipſo carcere, donec totum annum integrum in ea permaneant, ut videatur an reſipiſcant.

Quid iuxta prædictas diſpoſitiones modo ſit tenendū?

112. Ex dictis declarationibus patet quod ubi admiſſæ fuerint, nec per contrarium uſum abrogatæ, ſolum qui ex jure incorrigibiles ſunt ejici poſſunt, non verò qui facto dumtaxat ſunt tales, vel ſolum ſunt præſumptione incorrigibiles, niſi verè ſint tales, quod non habent qui nunquam correcti ſunt & caſtigati, cum ibi dicatur: *Niſi ſint vere incorrigibiles.* & hoc poſtea quam per annum in carcere detenti, tales arbitrio prudentum judicentur. Vnde ob nullam aliam rationem quam ob dictam incorrigibilitatem, & non ob delictum graviſſimum, ſemel tantum commiſſum, quod ſolum ex præſumptione probat incorrigibilitatem, poſſe ejici, tenent quotquot vidimus poſt iſtud decretum ſcribentes, ut Pellizzar. *tract.*8. *cap.*8. *num.*3. Lezan. *tom.*1. *cap.*23. *num.*3. Bonacin. *quæſt.*2. *punct.*12. §.1. *num.*6. Tambur. *tom.*3. *diſp.*8. *quæſit.*7. *num.*5. Petrus ab Angelis *in Ordine Iudiciario parte prima, cap.*26. *num.*4. Anton. à Spiritu ſancto *tract.*4. *diſp.*3. *n.*458. qui *num.*459. addit. [Exiſtimo autem in multis Religionibus non fuiſſe uſu receptum, nec de illo aliquando conſtitiſſe, authenticè. Sæpe enim video aliquot Religioſos ab ordine expelli, abſque obſervatione hujus decreti, ſed ſolum attento jure communi, & noſtris privilegiis & conſtitutionibus. Ita etiam Vidal. *tit. de Horis Canonicis, conſtitutione* 3. *num.* 35.] Hactenus ille. Sed, quidquid ſit de aliis Religionibus, quarum uſum unuſquiſque conſultat, imò etiam, quidquid ſit de noſtra, in Provincia Luſitaniæ (cujus eſt præcitatus Author) quæ propter quotidiana bella quæ inter eam & reliquam Hiſpaniam ab hinc multis annis invaleſcunt, neſcimus quid in ea uſitetur, certiſſimum eſt apud nos receptum eſſe dictum decretum Sacræ Congregationis. Tum, quia in diverſis partibus noſtrarum conſtitutionum diverſæ illius clauſulæ continentur, & iſta clauſula, de qua eſt modo difficultas: nimirum quod non niſi ob incorrigibilitatem eiici poſſunt, & hoc poſt annum carceris, in quo non reſipuerint habetur 4. *part. cap.*6. *num.*2. Tum etiam quia uſu & conſuetudine habetur, non niſi iuxta præſcriptum illius decreti aliquem eiici in diffinitoribus Generalibus, ut vidimus eo tempore, quo hoc munere functi ſumus.

Aliqua in conſtitutionibus noſtris reperiuntur, quæ aliquo modo dictis decretis adverſantur.

113. Cæterum, quia conſtitutiones noſtræ confirmatæ ſunt poſt dictum decretum ab Alexandro VII. die 3. Iulii anno 1658. dubitari poteſt an non obſtante tali decreto, dimitti poſſint juxta formam illarum, ſi in aliquo cum dicto decreto non conveniant, ut revera in aliquibus non conveniunt, nam cum 4. *part. cap.*6. *num.*1. ſtatuant incorrigibiles eſſe ejiciendos, & qui judicentur tales, poſtea *n.*4. *&* 5. ob alia crimina ſimilem pœnam aſſignant, *& cap.*5. *num.*1. *&* 3. ob alia. In quo ſupponunt, nedum ob incorrigibilitatem formalem (quod in dicto decreto cavetur) ſed ob alia etiam peccata, poſſe pœnam expulſionis aſſignari. ¶ Similiter, cum dicto *cap.*6. *numero* 2. dicant non eſſe expellendos incorrigibiles, niſi per annum integrum in carceribus probentur jejuniis & diſciplinis an reſipiſcant, quod etiam ſpecialiter contra eos qui pœnam à Superioribus latam nolunt admittere, aſſignatur *num.*8. ut per annum in carcere detineantur, & jejuniis, aliiſque pœnitentiis exerceantur, tamen *num.*7. ita habetur: *Ante incorrigibilium expulſionem primum tribus menſibus poſt ſententiam expulſionis latam incarcerentur, & aliis pœnis ſecundum ſcelerum gravitatem condignis afficiantur; niſi hoc reclusionis tempus diffinitorium diminuendum judicaverit, penſato tempore, quo quis ante expulſionis ſententiam in carcere detentus eſt.* ¶ Ex quibus conſtat duo ſpecialiter contra dictum decretum in noſtris conſtitutionibus haberi. Primum, poſſe expelli crimino ſos, nedum ob incorrigibilitatem, ſed etiam ob alia gravia crimina, ut ob Sodomiam ſemel attentatam, ob Apoſtaſiam, ſi tertiò contingat, vel ſi ſemel dumtaxat, ſi per annum in ea perſeveraverit; ob peccatum incontinentiæ tertio commiſſum, vel ſemel cum notabili ſcandalo ſæcularium. Si libellum infamatorium protulerit; ſi ſcandalum graviſſimum ſæcularibus præbuerit; ſi Superiorum ſigillum, aut ſubſcriptionem adulteraverit, vel eorum Officium in re gravi uſurpaverit. Si graviter alium percuſſerit; aut alia crimina commiſerit, propter quæ de jure communi delinquentes ad mortem damnantur, vel in perpetuum ad triremes relegantur. Vt prædictis locis habetur. Secundum, quod etiam quando incorrigibiles eiiciendi ſunt, detineantur tantum per tres menſes in carcere poſt ſententiam expulſionis, quod tempus diminui poteſt arbitrio diffinitorum, penſato tempore, quo ante talem ſententiam fuerunt incarcerati, cum tamen in dicto decreto habeatur, quod non cenſeantur incorrigibiles, nec ut tales ejici poſſint, niſi qui poſt annum integrum in carceribus probentur. ¶ Ob hæc exortæ ſunt graves apud noſtros perplexitates: an ſervandus ſit apud nos, ordo in dicto decreto aſſignatus? an vero ordo in conſtitutionibus ſtabilitus?

Qgia con-

114. Reſpondetur, quod licet in dicto

decreto

firmatæ ſunt noſtræ conſtitutiones poſt dictum decretum illis eſt ſtandum.

decreto revocentur omnes conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, &c. contra ipſum aliquid decernentes. Cæterum ſi poſt ipſum confirmatæ fuerint à Sede Apoſtolica, illis potius quam decreto eſt ſtandum ut docet Tambur. *tom. 3. diſp. 8. quæſit. 7. num. 6.* Cum ergo conſtitutiones noſtræ cum ſingulis ſuis partibus ſint ab Alexandro VII. poſt dictum decretum confirmatæ & roboratæ, & ut in Bulla confirmationis habetur: *Illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes ac ſingulos juris & facti defectus, ſi qui quomodolibet intervenerint, in eiſdem ſupplemus*, & præcipitur ut ſecundum illas in quocumque tribunali, apud quoſcumque judices decernatur: *Ac irritum ac inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.* Et revocat omnes ſanctiones, etiam Apoſtolicas, in contrarium. Quare, dicendum eſt dictum decretum apud nos obſervari debere in his, in quibus noſtris conſtitutionibus non fuerit contrarium, non in aliis quæ ex Summi Pontificis conceſſione & confirmatione, dicto decreto adverſantur, ut in alio ſimili caſu docet Pellizzar. *tract. 8. cap. 8. num. 41. & 41.* & ſecundum conſtitutiones noſtras & formam in eis aſſignatam procedere debere Diffinitores in expulſionis ſententia, & non aliter receptum fuiſſe apud nos dictum decretum, eſt iudicandum.

Difficilis obiectio proponitur.

115. Sed eſt contra dicta difficilis obiectio, quod *in 1. part. conſtit. cap. 1. num. 10.* ſic habetur: *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium pro Epiſcopis & regularibus præpoſita, ad intentum confirmationis earum à Sede Apoſtolica obtinenda hoc loco declarari iuſſit, ut quando in aliqua ex ſequentibus conſtitutionibus aliquid decernitur, ad cuius licitam executionem deſideratur obſervantia alicuius decreti Sacri Concilii Tridentini, omninò obſervandum ſit, etiamſi in conſtitutione nulla mentio Tridentini fiat, & quia poſt illud aliquæ Bullæ à Romanis Pontificibus emanarunt ſub diverſis diſpoſitionibus & ordinationibus ad regulares pertinentibus, decrevit ut idem iudicium fiat in omnibus quæ ex eis regulares obſervare tenentur.* Cum ergo dictum decretum, de quo loquimur, poſt Concilium Tridentiuum emanaverit, videtur quod noſtri illi ſtare tenentur, non obſtante confirmatione conſtitutionum à Summo Pontifice, poſt tale decretum facta.

Solutio præcedentis objectionis.

116. Sed reſpondetur breviter, quod dictum decretum, eſt Sacræ Congregationis diſpoſitio, non bulla aliqua à Summo Pontifice immediatè dimanata, & licet decreta Sacræ Congregationis ſint ſummi ponderis, & ab omnibus obſervari debeant, nihilominus non habent tantam vim (etiam ſi habito conſilio, & ex ſpeciali Sanctiſſimi mandato procedant) quam habet Bulla Pontificia immediatè à Pontifice expedita: in ſupradictis autem verbis Sacræ Congregationis ſolum fit mentio de Bullis, quæ immediatè à Pontificibus emanarunt; has ergo poſt Tridentinum à Pontificibus expeditas, fatemur non eſſe revocatas per Bullam Alexandri VII. confirmatoriam noſtrarum conſtitutionum, & ſic illis ſtandum eſſe, non conſtitutionibus, ſi in aliquo fuerint eis contrariæ. Aliæ verò Bullæ ante Tridentinum expeditæ, & ordinationes, ac decreta Sacræ Congregationis, etiam poſt Tridentinum, ſancita, revocata ſunt quoad nos, in his quæ fuerint conſtitutionibus adverſa: quia ita habetur in Bulla confirmativa earum, ut ſupra vidimus.

117. Addimus, quod quando in dicta clauſula Congregationis dicitur obſervandas eſſe Bullas Pontificum, etiam ſi in conſtitutionibus aliquid contra eas decernatur, & ſub eo nomine, etiam Congregationes Sacræ decreta contineantur, intelligenda eſt de decretis, aut Bullis in ea Religione receptis, & ſecundum clauſulas receptas apud eam. Si enim aliqua Bulla, aut decretum Congregationis receptum non eſſet in Religione, vel certè non integre quoad omnia, ſed quoad partem, illud quod receptum non eſſet, obſervare non teneretur Religio, ut commune eſt apud Authores: cum ergo decretum de quo loquimur receptum ſit apud nos quoad aliqua quæ in conſtitutionibus poſt ipſum confirmatas continentur, quoad alia verò quæ in dictis conſtitutionibus tali decreto adverſa continentur, receptum non ſit, quia omnes conſtitutiones noſtræ ſunt in ſuo robore & obſervantia, ſequitur, non obſtante prædicta clauſula, debere Prælatos juxta formam conſtitutionum à Sede Apoſtolica approbatarum procedere, & illis ſtare, quandiu poſt talem confirmationem non exierit decretum contrarium.

Amplius ſolutio data declaratur.

118. Circa aliam clauſulam ſupra dicti decreti Congregationis, qua præcipitur, ejectos ab ordinibus manere ſuſpenſos quandiu extra Religionem vixerint, ſublata ab Epiſcopis facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi notandum eſt primo ex jure communi expulſos nec eſſe ab ordinibus habitis ante expulſionem ſuſpenſos, nec prohibitos quod recipiant quos non habebant, quamvis ordinari non poſſint titulo Religionis, ſed vel titulo alicujus penſionis ab Epiſcopo aſſignatæ, vel patrimonii, cujus quoad uſum ſunt capaces, niſi ob delictum, ob quod ejecti ſunt, aliquam irregularitatem incurrerint, in qua non fuerunt diſpenſati, vel in pœnam à Prælatis ab exercitio Ordinum, vel illorum receptione prohibeantur, quia non datur textus, quo ex jure communi arceantur ab Altaris miniſteriis, ut docent Sanchez *lib. 7. conſiliorum cap. 1. diſput. 24.* Rodriguez *tom. 1. qq. Regul. quæſt. 30. artic. 24.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 2. num. 16.* Diana 3. *part. tract. 2. reſolut. 116.* ¶ Secundò notandum eſt, quod adhuc ſuppoſito dicto decreto, ſi ejectus ad aliam Religionem tranſierit, & poteſt ordinari, & in ordinibus antea habitis miniſtrare: quia in eo ſolum ſuſpenduntur *extra Religionem degentes*, & tenent Bonac. *de clauſur. quæſt. 2. punct. 10. §. 6. num. 2.* Anton. à Spir. ſancto *tract. 3. diſput. 6. num. 1239.* ¶ Tertio notandum eſt, quod ſtante dicto decreto, nullatenus abſque Papæ diſpenſatione poſſunt expulſi in ſæculo manentes in Ordinibus receptis miniſtrare, & ſic nec ad alios aſſumi; quia cui prohibitum eſt exercere aliquem ordinem, etiam illum recipere eſt prohibitum, Bonacin. *num. 1.* Lezan. *tom. 3. verbo ejecti, num. 3.* quod verius judicamus.

Ejecti non poſſunt in ordinibus habitis miniſtrare aut alios recipere.

119. Sed improbabile non eſt, quod docent Pellizzar. *tract. 8. cap. 8. num. 25. citatis.* Zeſpedes & Laureto, & eiſdem citatis, Anton. à Spiritu ſancto *tract. 4. diſput. 3. num. 481. & tract. 3. diſput. 6. num. 1241.* quod non obſtante tali decreto poſſunt dicti expulſi, adhuc in ſæculo manentes, Ordinibus acceptis uti, alioſve recipere, niſi per ſententiam Religionis ſint his

Nõ eſt improbabile adhuc poſt dictum decretum, poſſe ejectos in ordinibus miniſtrare.

fuuctio

functionibus privati, vel quia dictum decretum quoad hanc partem receptum non eſt, cum paſſim Domini Epiſcopi quoad hoc licentiam indulgeant, quod in dicto decreto eis prohibetur; vel quia in tali decreto ſuſpenſio ſolum eſt comminatoria, & inferendæ, non latæ ſententiæ, utpotè quæ lata eſt per verbum futuri temporis: *ſint perpetuo ſuſpenſi*, & verbum *ſit* vel eſt futuri temporis, vel ſaltem eſt ambiguum an ſit de præſenti indicativi temporis, aut de futuro, ut inquit Sanch. *lib.2. Summ. cap.38.num.9.* Addit Diana 3. *part. tract.2. reſol.116.* poſſe Prælatos regulares, habentes facultatem diſpenſandi cum ſubditis in ſuſpenſionibus, & aliis cenſuris Papæ reſervatis cum dictis expulſis diſpenſare ut celebrent: quia adhuc ejectione perſeverante, manent aliquo modo ſubditi; quamvis non poſſe, teneant Lezana *tom.3.verbo ejecti num.3.* Quia per ejectionem excluſi ſunt ut indigni ab uberibus Religionis. Sed ob id non tollenda eſt poteſtas Prælatorum, quæ in eorum favorem data eſt à Pontificibus.

An Beneficia recipere poſſint expulſi?

150. Illud tamen probabile judicamus, quod ſuppoſito quod ejecti ab executione Ordinum ſuſpenſi non ſint, poſſunt quæcumque Beneficia, etiam curata recipere: quia ſolum ob talem ſuſpenſionem ab Autoribus aliquibus negatur eos poſſe talia recipere beneficia. Qua proinde ablatâ, non erit id eis denegandum. Beneficia autem ſimplicia poſſe recipere, & ablato impedimento, ad titulum eorum ordinari certum eſt; nec obſtat eſſe infames, & ſic irregulares & incapaces cujuſcumque beneficii: quia ut ſupra vidimus, ſolum eſt infamia facti, quæ per emendationem abolitur. Et adhuc infamiam non impedire exercitium ordinis, niſi delictum ob quod incurſa eſt ſecum trahat irregularitatem, ut homicidium, citatis Suar. Toleto, Sayro docet Vazq. *verbo Religio 6. numero 11.* Bonacin. *quæſtione 2. punct.12. §6.*

PUNCTUM V.

De Apoſtatis & fugitivis, & eorum pœnis.

Quid ſit in hoc puncto agendum.

121. ALIUD genus Religioſorum qui profeſſionis obligationem excutere nituntur, ſunt Apoſtatæ & fugitivi, de quibus hoc Puncto agemus. Quos graviſſimè peccare, & quando fugam machinantur, & quandiu in ea perſeverant, omnes aſſerunt, cum hoc ſit velle jugum obedientiæ & Religionis, cui in profeſſione ſe ſubjecere ſubterfugere, & aliis præbeant graviſſimum ſcandalum. Quapropter meritò in ſacris Canonibus hoc facinus execratur, & pœnis graviſſimis punitur, ut ex dicendis toto puncto conſtabit. Quod triplici paragrapho dividemus. In primo declarabimus qui ſint verè Apoſtatæ, & in quo differant a fugitivis? In ſecundo poteſtatem Prælatorum contra eos, & obligationem eos quærendi examinabimus. In tertio pœnas contra eos aſſignatas in jure ſubjiciemus. Et non loquimur de illis qui à propria Religione fugiunt animo tranſeundi ad aliam, quos eſſe vere Apoſtatas, ſi indebitè tranſeant, jam diximus ſupra *num.* 82. contra aliquos id negantes; ſed de illis qui ut in ſæculo vivant, vel vagentur, à debita Religionis ſubjectione, ſe ſubſtrahere nituntur.

§. I.

Qualiter Apoſtata à fugitivo differat, & quando aliquis ſit Apoſtata cenſendus?

Propria differentia Apoſtatæ à fugitivo declaratur.

122. ESſe latum diſcrimen ex jure communi inter fugitivum & Apoſtatam communiſſima eſt inter Authores ſententia, & unum ſe habere ad alium ſicut Superior ad inferiorem, vel ſicut univerſalis ad particularem, & non eſſe convertibiles. Omnis ſiquidem Apoſtata eſt fugitivus; ſed non omnis fugitivus eſt apoſtata, ſed ratio fugitivi eſt Superior & communis ad apoſtatas, & eos qui non ſunt tales, ſed præcisè fugitivi. Apoſtaſia namque, prout hic accipitur diffinitur ita, quod *eſt receſſus quo Religioſus profeſſus deſerit Monaſterium, animo excutiendi in perpetuum obedientiæ jugum ac deſerendi ſtatum Religioſum.* Quare non dicitur apoſtata verè & propriè jure communi, qui vel ob metum Prælati, vel ob vagandi voluntatem, ſine licentia recedit à Monaſterio animo ut ad tempus ſit extra poteſtatem, ac obedientiam Religionis. Hic enim *fugitivus*, dicitur, *l. qui ſit fugitivus, ff. de edilitio edicto.* Apoſtata verò, qui fugit animo ſe ſubſtrahendi à jugo Religionis in perpetuum. Tambur. *tom.1. diſp.8.* Lezan. *tom.1. cap.16. num.7.* Valent. 2.2. *diſt.1. quæſt.12. punct.1. ad finem,* Pellizzar. *tract.8. cap.8. num.43.* Sanch. *lib.6. Summ. cap.8. num 2.* Leſſ. *lib.2. cap.41. dub.15. num.109.* Rodrig. *qq. Regul. tom.1.quæſt.30.art.1.* Palaus *tract.16. diſp.4. punct.16.num.2.* Bonac. *de clauſur. quæſt.2. punct.11. §.1. num.1. & 5.* Peyrin. *de R. S. quæſt.1. cap.26. initio*, & alii. Quare qui etiam dimiſſo habitu fugit, ſed cum animo poſtea redeundi, verè & propriè Apoſtata non eſt, ſed fugitivus: ſicut econtra eſt verè Apoſtata qui animo nunquam redeundi ſe ſubſtrahit à Religione, etiamſi habitum illius retineat; quia remiſſio vel retentio habitus nil refert ad apoſtaſiam: quia ſicut habitus non facit Monachum, ſed regulæ monaſticæ profeſſio, ſic Apoſtatam conſtituit receſſus a profeſſione facta, eſto habitus non deponatur. Sanch. Lezan. Pellizz. Rodriguez, Palaus, Bonac. *locis citatis*, & Aragon ac Bañez 2.2. *quæſt.12. art.1.*

Quando à foro externo fugitivus ſit Apoſtata judicandus.

123. Hæc pro foro conſcientiæ. In foro autem externo tunc apoſtata verè & propriè judicatur, & eſt pœnis pro apoſtatis in jure aſſignatis plectendus, quando per multum tempus extra Monaſterium vagatur. Sicut econtra Apoſtata non cenſetur qui per breve tempus ſe ſubſtrahit ab obedientia: nam licet fugiens animo in perpetuum manendi extra, ſit verè apoſtata, etiamſi pœnitentia ductus ſtatim redeat, in foro externo talis non judicatur: quia non ſolent Apoſtatæ ita faciliter converti. Bonacin. *quæſt.2. punct.11. §.1. num.4.* At ſi per multum tempus extra vagetur, judicandum eſt ipſum abſque animo redeundi exiiſſe. Ut colligitur *ex textu in §. Pavonum, inſt. de rerum diviſ.* Ubi animalia à cuſtodia Domini recedentia, & per multum tempus vagantia, non ha-

bere

bere animum recedendi præſumitur, ut diximus *tom. 3. tract.* 11. *cap.* 1. *num.* 43. & modo Suar. *tom.* 4 *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 14. Innocent. & Panormitan. *in cap. intelleximus, de ætate & qualit.* Palaus *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 16. *n* 4. An verò qui per multum tempus vagatur, verè & in foro conſcientiæ ſit Apoſtata, etiamſi animum habeat redeundi, dicemus poſtea. ¶ Similiter qui habitu dimiſſo in fuga capitur, ipſi incumbit probare non animo in perpetuum ſe ſubſtrahendi fugiſſe, & ideo in Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de regular.* ſtatuitur Religioſos abſque Superiorum licentia a Monaſteriis recedentes, poſſe ab Ordinariis puniri tanquam deſertores ſui inſtituti. Etiam ex circumſtantiis judicandum eſt, quis cenſendus ſit in foro externo apoſtata. Quarum una eſt, ſi tertio fugitivus fuerit, vel per annum in fuga permanſerit: quia talis cenſetur velle in perpetuum recedere, & ut incorrigibilis ejici poteſt, ut habetur in noſtris conſtitutionibus 4. *p. c.* 4. §. 6. *n.* 3. & *c.* 6. *num.* 4.

Quid ex jure noſtro ſpeciali circa dicta habeatur?

124. Hucuſque dicta ex jure communi intelliguntur. Ex jure autem ſpeciali noſtro quoad pœnas aliquas incurrendas apoſtatarum, ille apoſtata cenſetur qui nocte è Monaſterio quocumque animo abſque licentia egreditur, vel qui ſine licentia Superiorum cum habitu vel ſine habitu, cum intentione redeundi ad Monaſterium, ſive non, quocumque prætextu, extra ſuum Conventum vagatur. Vt habetur in conſtitutionibus 4. *p. c.* 5. §. 6. *n.* 1. Diximus quoad aliquas pœnas. Nam tales quoad omnes pœnas, tam ex jure communi, quam ſpeciali noſtro apoſtatæ cenſentur præter illas quæ ibi *n.* 3. aſſignantur. Vbi dicitur: *& qui verò fuerit apoſtata, paſſiva voce ſex annis careat, neque unquam poterit eſſe in Ordine Prælatus.* Quibus verbis (ut Capitulum Generale anno 1647. me præſente explicavit) non comprehenduntur omnes fugitivi, ſed illi qui ſecundum jus commune verè eſſent apoſtatæ. Proinde illi ſi correcti & emendati fuerint, & bonam opinionem recuperaverint, eligi ad Prælaturam poſſunt. Illi vero qui verè & formaliter ſecundum jus commune ſunt apoſtatæ, fieri non poſſunt ex jure noſtro Prælati, quamvis ex jure communi Prælati eligi poſſent: quia nullum jus obſtans reperitur, & *c. per tuas de voto.* Cui innituntur aliqui id negantes, non eſt ad rem, ut probant Sanch. *lib.* 6. *c.* 8. *num* 32. Lezan. *tom.* 1. *c.* 16. *n.* 18. Pellizz. *tract.* 8. *c.* 8 *n.* 73. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 9. *n.* 4. Bonac. *quæſt.* 2. *punct.* 11. §. 3. *n.* 6. & alii.

Religioſus ad Superiorem confugiens, non eſt apoſtata, aut fugitivus.

125. Sed rogabis primo: an ſi Religioſus recedat abſque licentia à Monaſterio, animo accedendi ad Superiores, vel ut aliquid obtineat, vel ut conquæratur de inferioribus Prælatis, ſit verè apoſtata, vel fugitivus? Reſpondetur ex communi ſententia iſtum non eſſe apoſtatam, cum animum recedendi in perpetuum non habeat, imo nec fugitivum, ſi recta via ad Superiorem tendat, quia non ſe ſubtrahit ab obedientia & ſubjectione Religionis, & ideo in noſtris conſtitutionibus 4. *part. cap.* 4. §. 6. *num.* 2. diverſæ pro illo, ac pro fugitivis vel apoſtatis pœnæ aſſignantur, ſi conſtiterit eos ad Superiores confugiendi animo fugiſſe. Sed non ob id tales liberantur à peccato mortali. Quia in Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4 *de regular.* interdicitur Religioſis receſſus à ſuis Conventibus abſque licentia Prælati, etiam prætextu Superiores ſuos adeundi, niſi ab eis fuerint vocati: & ideo tales contra hoc præceptum mortaliter delinquere, docent Bañez 2. 2. *quæſtione* 12. *art.* 1. *dub.* 1. *poſt* 6. *concluſ.* Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *num.* 17. ¶ Quamvis ſi certo conſtaret vexationem fuiſſe injuſtam, & nulla alia via, niſi fugiendo ad Superiores poſſe evadi, non eſſet peccatum mortale talis fuga, ſi fieret abſque ſcandalo quod præponderaret damno quod injuſtè patiuntur: quia Concilium noluit juſtam defenſionem jure naturali conceſſam tollere, Sanch. *num.* 17. & 18. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 8 Pellizz. *ſupra num.* 46. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1410. Bonac. *de clauſur. quæſt.* 2. *punct.* 11. §. 1. *num.* 9. Peyr. *tom.* 1. *de ſubd. q.* 1. *cap* 26. Rodrig. *ſup. art.* 3. & 4. Sayr. *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 4.

126. Diximus, ſi nulla alia via poteſt damnum evadi: quia ut benè notavit Azor 1. *part. lib.* 12. *cap.* 11. *quæſt.* 7. & 8. Sanch. *num.* 13. & 17. Bonac. *loco cit.* Noſter Petrus ab Angelis *in Ordine Iudiciario part.* 2. *cap.* 23. *num.* 11. & 18. Quod ſi alia via poteſt Religioſus injuſtè certo gravatus, à tali damno liberari, litteris monendo Superiores de illo, non poteſt licitè ad eos confugere. Quare noſtris nunquam dabitur caſus, quo poſſint abſque gravi peccato ad Superiores confugere, cum cuilibet ex noſtris Religioſis liberum ſit abſque Prælati regiſtro litteras ad Provincialem, Diffinitores, Generales & Patrem N. Generalem mittere, & ab eis recipere, & hac via poſſunt eos Superiores de damno, ſi quod patiuntur, monere. Quare merito in noſtris conſtitutionibus 4. *p. c.* 4. §. 6. *num.* 2. Religioſi qui ad Superiores ſine licentia confugiunt, voce & loco duobus menſibus privantur, & pœna carceris per quindecim dies plectuntur, etiamſi recta via ad Superiores tendunt. Nam ſi recta via non tendant præter hæc, ipſo facto tanquam fugitivi excommunicantur.

Explicatiò præcedentis doctrinæ.

127. Rogabis ſecundo: an ſi quis fugiat, & per multum tempus vagetur, animo tamen redeundi, ſit vere apoſtata & pœnis illius plectendus? Affirmat prima ſententia (etiam pro foro interno, nam de externo jam diximus *n.* 123.) alias dimittens habitum animo vagandi, aut militandi per aliquot annos & poſtmodum redeundi, non eſſet apoſtata cenſendus, contra communem modum loquendi & ſenſum Prælatorum, quibus ut apoſtatas puniunt. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 13. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 21. & *cap* 2. *numero* 14. Lezana *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 7. D. Antoninus 2. *p. tit.* 12. *cap.* 6. *paulo poſt principium*, & 3. *part. tit.* 16. *cap.* 5. §. 5. Tabiena *verbo Apoſtata*, *q.* 14. *num.* 17. & ibi Armilla *num.* 6. qui hoc tempus relinquunt arbitrio Prudentum, ut ad incurrendam excommunicationem ob dimiſſionem habitus, de qua dicemus *punct. ſeq.* Vnde aſſerunt quod ſi à principio à Monaſterio exeat animo diu vagandi, vel vagandi quouſque ſibi expediens judicaverit, vel donec negotium (quod ex ſe petit multum tempus) finierit, apoſtata erit, etiamſi brevi tempore poſtea pœnitentia ductus, redeat ad Monaſterium.

Sententia aſſerens eũ qui per multum tempus vagatur, eo ipſo eſſe apoſtatam.

128. Probabilior autem eſt ſententia negativa, loquendo de foro conſcientiæ, in quo proinde pœnas apoſtatarum non incurret, & ſolum de foro externo probat prima ſententia. Nam coram Deo juxta communem placitum DD. tale inter apoſtatam & fugitivum eſt diſcrimen, quod unus animo perpetuo manendi extra Religionem exeat, non alius; non vero quod

Verius eſt non eſſe apoſtatam, qui per multum tẽpus vagatur animo ad Religionem redeundi.

plus, minuſvè extra clauſtra degere decernat; alias non eſſet ratio quare per dimidium, vel unum annum recedens non eſſet apoſtata, & eſſet qui per duos vel tres. Atque ita docent Caiet. a. 2. q. 12. *art.* 1. § *ante penult.* & ibi Bañez, & Aragon, Sanch. *Summ. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 3. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 16. *num.* 4. Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. q.* 1. *cap.* 26. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſput.* 4. *num.* 1403.

Nullo modo poteſt Religioſus fugere ut vagetur.

129. Rogabis tertiò an peccet mortaliter Religioſus, qui è carcere, in quo juſſu Superiorum continetur, fugit? Ad quod dicimus primò in nullo caſu licere Religioſis, ſive juſtè vel injuſtè in carcere detenti ſint, etiamſi perpetuò ad eum, vel ad triremes eſſent damnati, ab illa fugere ut liberè per mundum vagentur, ſed eſſe fugitivos vel apoſtatas, & ut tales puniendos: quia libertate vagandi privati ſunt voto Obedientiæ omnes Religioſi. Bañez 2. 2. q. 68. *art.* 4 *poſt* 5. *concl.* ibi Caiet. *dub.* 2. *fin.* Aragon ibi *circa* 2. *arg.* Salon. *quæſt.* 69. *art.* 4. *controverſ.* 2. *poſt* 2. *concluſ.* Saytus *in clavi regular. libro* 12. *cap.* 18. *numero* 9. Sanchez *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *num.* 9. Petrus ab Angelis *in Ordine judiciario p.* 1. *c.* 23. *n.* 11. Quare dubium eſt quando fugit animo ſe præſentandi Superioribus, vel Pontifici, vel ut ab eis veniam petat, vel ut mitigent pœnam expoſtulet, vel ut conqueratur de injuſtitia, ſi quæ ſibi certò fieri conſtet, quem non eſſe fugitivum vel apoſtatam diximus *n.* 125. Sed an peccet mortaliter modo inveſtigamus, & loquimur quando ſibi non conſtat de iniuſtitia, quam patitur, vel ſi conſtat, ſibi patet alia via eam evadendi ſine recurſu ad Superiores. Nam ſi conſtet de injuſtitia, & aliud non ſuppetat remedium, jam diximus *n.* 126. eſſe licitum talem recurſum.

Religioſus capite vel ad triremes damnatus fugere poteſt.

130. Dicimus ſecundò, quod ſi Religioſus damnandus eſſet capite, vel mutilatione, etiam juſtè, fugere poſſet è cuſtodia modo dicto, ante vel poſt ſententiam, & idem eſt, ſi cibus ei negetur, veſtitus, vel alia neceſſaria vitæ: quia ex naturali deſiderio vitæ propriæ conſervandæ ius habet fugiendi, quo non eſt per vota profeſſionis abdicatus; ideoque licet novo præcepto Superioris jubeatur ne fugiat, poteſt nihilominus fugere: quia tale præceptum, ſicut ſententia non obligant, cum ſint contraria propenſioni naturæ. Soto, Sylveſt. Aragon. Lopez, & Vazq. quos refert & ſequitur Sanch. *lib.* 6. *Sum. c.* 8. *n.* 15. Antón. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1405. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 8. *q.* 2. *n.* 3. Lezan. *tom.* 1. *c.* 16. *n.* 8. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 5. Saytus *lib.* 12. *c.* 18. *num.* 14. Pellizz. *tract.* 8. *c.* 8. *num.* 47.

Quandò liceat, vel nō, Religioſo è carcere fugere?

131. Dicimus tertiò, quod ſi Religioſus è carcere fugiat, in quo detentus eſt juſte, ſed damnatus ad perpetuum carcerem, vel ad triremes, probabile eſt, poſſe abſque peccato fugere; probabilius autem non poſſe. Sed extra hunc caſum & præcedentem, certum judicamus minimè poſſe licite è carcere fugere, ſi iuſta ſententia ad illum condemnetur. Tres partes habet concluſio. Et probatur prima: quia eſt graviſſima pœna indecens Religioſo & quaſi mors prorogata, & ſic eam fugere poterit, maximè ſi non animo vagandi id faciat, ſed ut Superiori ſe præſentet, ut ab eo humiliter veniam, vel moderationem pœnæ expoſtulet. Sic Bañez *loco citato*. Bonac. *q.* 2. *de clauſ. punct.* 11. § 1. *n.* 7. Pellizz. *n.* 48. Tambur. *n.* 9. Anton. à Spiritu ſancto *n.* 1409. ¶ Secunda pars probatur: quia Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 4. prohibet Religioſos è clauſura exire, etiam prætextu ad Superiores accedendi, à quo præcepto ſolum ob claram injuſtitiam liberantur. Tum etiam, quia tenentur obedire juſtis præceptis Superiorum per legitimam ſententiam talem pœnam imponentibus. Ita Rodrig. *tom.* 2 *qq. Reg. q.* 22. *art.* 6. Peyrin. *ſupra fol.* 80. *col.* 1. Sanch. *n.* 16. Leſſ. *n.* 39. Ledeſma *tom.* 1. *tract.* 8. *c.* 24. *fol.* 781. *col.* 2. ¶ Tertia pars concluſionis probatur. Tum ex modo dictis. Tum etiam, quia licet ſæcularibus liceret è carcere, in quo juſtè detenti ſunt; fugere (cuius oppoſitum eſt probabilius, imò certum ſi ſolum ad tempus in eo detineantur abſque periculo infamiæ, aut gravis pœnæ corporalis) non vero Religioſis, qui ex obedientiæ voto tenentur iuſtis præceptis Superiorum obedire, & nullo modo licet è clauſtro abſque licentia exire aut vagare. Sic Sanch. *n.* 12. Arag. 2. 2. *q.* 69 *art.* 4. *circa* 2. *arg.* D. Th. *dub.* 1. *fin.* Salon. *ibi controv.* 2. *poſt* 2. *concluſ.* Ledeſma *loco cit. col.* 1 Lezan. *n.* 9. Peyrin. *q.* 1. *citat. c.* 26. Bañez *art.* 4. *poſt* 5. *concl.* Tamb. *tom.* 3. *diſp.* 8. *q.* 2. *num.* 1.

---

§. II.

De eo quod poſſunt, & facere tenentur Prælati circa Apoſtatas & fugitivos.

Prælati fugitivis quærere, capere & incarcerare poſſunt.

132. PRælati, etiam inferiores, poſſunt apoſtatas & fugitivos capere, & incarcerare, & aliis pœnis afficere ut reſipiſcant & cæteris ſint ad exemplum & terrorem, niſi pœnas eis applicare, Prælatis Superioribus ſit in conſtitutionibus reſervatum, *c. nobis, de Apoſtatis.* Quam capturam, non ſolum in propria Provincia, aut territorio poſſunt facere, ſed etiam extra ſuam Provinciam & territorium, & etiam circa ſubditos alterius Prælati (imò non ſolum eam circa Religioſos facere poſſunt qui ſine licentia fugiunt, ſed etiam qui cum licentia exeunt ad tempus determinatum, & poſtea ſine illa vagantur. Uti docent Lezan. Peyrin. Pelliz. *locis citatis* infrà: quia iſti verè ſunt fugitivi, licet non Apoſtatæ ſi animum revertendi habeant.) Et conſtat ex variis privilegiis Pontificum, & præcipuè Innoc. IV. quod refert Caſarub. *in compend. privil. mendicant. num.* 4. & ex privilegio Minimis conceſſo a Iulio II. anno 1506. quod refert Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. q.* 1. *c.* 26 *q* 6. Quare modo ſimilem habere Prælatos poteſtatem modo dicto, tenent Peyrin. *loc. cit.* & *tom.* 2. *privileg. conſtit.* 6. *Pij V. a.* 20. Lezan. *tom.* 1. *c.* 16. *n.* 16. Rodrig. *tom.* 1 *q.* 30. *art.* 6. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 33. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 52. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 16. *num.* 14. Mirand. *tom.* 1. *q.* 51. *art.* 3. ¶ Quam capturam, etiam efficere poſſunt invocato brachio ſæculari, ſi neceſſarium ſit ejus auxilium, ex variis privilegiis bullatis aliquibus Religionibus conceſſis, quæ refert Rodrig. *qq. Reg. tom.* 1. *q.* 30. *art.* 6. & advertit Peyrin. *tom.* 1. *privil. conſt* 1. *Iulii II. n.* 97. & ex ipſo Pellizzar. *n.* 53. judices ſæculares teneri in conſcientia dictum auxilium præſtare Prælatis, ex *cap. Principes, cap. adminiſtratores* 23. *quæſt.* 5. poſſeque ad id cogi per conſervatores Religionum.

Tenentur Prælati ſ...

133. Prælati regulares ſummo ſtudio tenentur perquirere apoſtatas & fugitivos, omnique procurare ut à tali ſtatu exeant, &

mo ſtudio apoſtatas quærere.

& ad Religionem revertantur. Tum ex jure naturali, cum ipſis ſuorum ſubditorum cura incumbat, & illorum ſanguis de manibus ipſorum ſit perquirendus. Tum *ex cap. final. de reg.* & ex Bulla Pii IV. contra apoſtatas. Vbi præcipitur ut Superiores perquirant Apoſtatas & ad Religionem redire cogant, vel ſi redire diſtulerint, vel recuſaverint per Eccleſiaſticas cenſuras compellant. Sylveſter *verbo apoſtata 6. n.* 10. D. Antoninus *3. p. tit.* 16. *c.* 5. *initio.* Pellizzar. *tract.* 8. *c.* 8. *num.* 58. Palaus *tract.* 16. *diſputatione* 4. *punct.* 17. *num.* 1. Suar. *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 2. *à num.* 17. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 30. *art.* 5. Miranda *tom.* 1. *q.* 51. *art.* 4 Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. q.* 1. *c.* 26. *concl.* 8. qui addit. [Sed advertendum quod non tenentur Prælati Religionum omnes & quoſcumque apoſtatas ſine diſcrimine perquirere, & recipere; ſed eos tantum, de quibus emendatioris vitæ propoſitum concipere, & ſperare probabiliter poſſunt, & etiam qui Religioni poſſunt eſſe bono uſui, ut declaravit Cardinalis Alexandrinus, poſtea Pius V. in declaratione Bullæ Pauli IV. citata *concluſ.* 4.] Sed hoc non admittunt, & meritò Suar. Pellizzar. Palaus, eſto apoſtatæ à Religione poſt capturam eſſent ejiciendi, ſed eos quærere & capere tenentur, captoſque pro qualitate culpæ punire, tum in aliorum exemplum, ne cæteri licentiam ſumant fugiendi, tum in bonum ſubditi, cui fortè talis vexatio dabit intellectum. Tum denique, ut authoritate Superioris, non propria, à Religione ſeparetur, & ſic liberetur à ſtatu perditionis. Quod poſt decretum Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. *puncto præcedenti*, §. 3. ponderato, eſt omninò certum, cum in eo præcipiatur neminem ejici poſſe niſi ſit incorrigibilis, nec cenſeri poſſe talem, niſi qui poſt delictum per annum in carceribus & jejuniis fuerit probatus.

Quibus caſibus non tenentur Prælati apoſtatas quærere.

134. Cæterum ſi abſque gravi Religionis dedecore & ſcandalo ſæcularium, non poſſet Prælatus fugitivum capere, ad id non teneretur, quia bonum nomen Religionis præferendum eſt privato bono filii ſcelerati. Imò Prælatus non teneretur fugitivum quærere caſu quo ferè certò moraliter præſumeret non eſſe inveniendum: quia quando non eſt ſpes fructus, nemo obligatur ad id, ad quod ratione talis fructus, alias teneretur, ſiquidem ad inutile nemo obligatur; & illa diligentia eos annuatim perquirendi, *quæ in cap. final. de regular.* ſtatuitur, contrario uſu abrogatam eſſe, teſtantur Palaus *ſupra num.* 1. Pellizzar. *num.* 57. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 9. *num.* 18. Layman. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 13. *num.* 7. Debent tamen Superiores ſemper uti morali diligentia, iuxta occaſiones occurrentes ad illos inveniendos.

Quibus Prælatis ius puniendi apoſtatas competat.

135. Hoc munus quærendi apoſtatas, illoſve capiendi, per ſe primo ad Prælatos Religionum ſpectat, qui ſi deſides in hoc, aut negligentes fuerint, pertinet ad Epiſcopos, vel certè ſi non ſint Monaſteria Ordinis in illis Diœceſibus, in quibus dicti apoſtatæ vel fugitivi reperiuntur, quo ſenſu intelligendum eſt Concilium Tridentinum, quando id munus ordinariis committit. *ſeſſ.* 25. *c.* 4. *de reg.* uti docent Miranda *tom.* 1. *quæſtione* 51. *art.* 3. Pellizzar. *num.* 53. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 17. qui addit, quod Sacra Congregatio Concilii Tridentini juſſu Vrbani VIII. decrevit in decreto de apoſtatis & ejectis, ut fugitivi & Apoſtatæ, ſive habitum regularem deferant, ſive non, poſſint ac debeant ab Epiſcopo loci ubi moram trahunt in carceres conjici, ac Superioribus regularibus conſignari ſecundum propria inſtituta puniendi. § Addunt etiam Santarellus *de hæreſi, cap.* 41. *dub.* 3. Peyrin. *tom.* 2. *privil. conſtitut.* 9. *Pauli V. num.* 13. Pellizzar. *tom.* 1. *tractatu* 8. *cap.* 8. *numero* 60. Inquiſitores poſſe procedere contra Religioſos apoſtatas, ſi per annum negligentes perſtiterint in redeundo; ſed præciſè ex vi apoſtaſiæ non poſſe contra illos procedere, pluribus relatis, tenet Diana 4. *p. tract.* 7. *reſol.* 3.

Quæ conſumpſerunt apoſtatæ vel fugitivi non tenetur Religio ſolvere.

136. Non tenetur Monaſterium ſolvere quæ fugitivus in ſua fuga conſumpſit, etiamſi ad ſuſtentationem vitæ eſſent neceſſaria; ſicut maritus uxorem à ſuo conſortio fugientem, aut Pater filium à ſua obedientia deviantem non tenentur alere, & ſic nec expenſas aliave ab ipſis in ſua fuga conſumpta ſolvere. Nec enim fuerunt in commodum & bonum Religionis præſtita, cum melius illi eſſet quod talibus non darentur, ut fortè ſame preſſi ad matrem Religionem redirent, ut ſames prodigum perditum reduxit ad Patrem. Ipſe verò apoſtata (& etiam Religio ſi ſecum bona deferat) tenetur ea ſolvere quæ ſibi data ſunt ſpe ſolutionis, ſi poſtea peculium, aut bona ad uſum habeat. Similiter tenetur Religio expenſas ſactas pro illius inveſtigatione, vel reditione, ſolvere: quia factæ ſunt in Monaſterii utilitatem. Quemadmodum tenetur Dominus expenſas factas in recuperatione ſervi reddere: quia in eius bonum & utilitatem exhibentur. Quæ omnia docent Sanch. *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 22. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 17. *num.* 2. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 19. Bonac. *de clauſ. q.* 2. *punct.* 11. §. 3. *num.* 4.

Bona fugitivorum competunt Religioni, ſi ad eam redeant.

137. Bona per apoſtatas extra Religionem acquiſita pertinent ad Religionem, etiamſi ſint in remotiſſimis Provinciis, & apud Indos; imò etiam ſi ſint per longum tempus in poſſeſſione ſuæ fugæ, aut libertatis, & etiamſi acquirant ea contra voluntatem Religionis, aut peccando aliquo genere peccati quod non ſit contra juſtitiam obligans ad reſtitutionem. Quia ita diffinitur *in cap. Abbas* 18. *quæſt.* 2. Vbi omnia bona illorum ſine diſcrimine ad Religionem pertinere decernitur; & merito, enim tales verè ſint Religioſi, & debeant Monaſterio acquirere quidquid acquirunt, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 12. *cap.* 2. §. 5. Vbi excepimus bona quæ ex aliquo beneficio adepto in apoſtaſia acquiſierunt, quæ cedere Eccleſiæ cui inſerviunt diximus, ea verò quæ acquirit intuitu perſonæ, aut ſua induſtria, acquiruntur Religioni; cum perſona illa & ſua induſtria ſpectent ad Religionem. Vti docent Sylveſt. *verbo apoſtata, q.* 9. *num.* 12. Lugo *tom.* 1. *diſputat.* 2. *ſect.* 11. *num.* 235. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 33. *numero* 6. Lezan. *tom.* ... *cap.* 16. *num.* 20. & 21. D. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 5. §. 1. Azor *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *c.* 16. *q.* 8. Pellizzat. *tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 8. *ſect.* 3. *num.* 77.

Cui competant bona fugitivorum extra Religionem morientium.

138. Si verò tales apoſtatæ, aut fugitivi extra Religionem deceſſerint, eorum bona per modum ſpolii ad Cameram Apoſtolicam pertinent, ut conſtat ex motu proprio Greg. XIII. incipiente: *Officij noſtri*, emanato anno 1577. die 2. Ianuar. quem refert Cherubinus *tom.* 2. *ſui Bullarij in conſt.* 43. *Greg. XIII. pagin. mihi* 411. & ſic ad illam talia bona pertinere poſt dictum motum, docent. Navarr. *lib* 3. *conſilior. de ſtatu Monach. conſil.* 17. *num.* 2. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Reg.*

quæſt. 30. *art.* 12. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæſt.* 51. *art.* 7. Sanch. *lib.* 7. *Summ. cap.* 34. *n.* 9. 21. & 31. Peyrin. *de ſubdit. tom.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 26. *concluſ.* 8. Lezan. *ſupra num.* 20. & 22. Pellizzar. *num.* 77. Suar. *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 28. At verò, ſi non decedant extra Religionem, ſed ad illam revertantur ante mortem, & deferant omnia ante mortem acquiſita, hæc in Religione manent, etiamſi deinde prædicti apoſtatæ, propter ſua delicta, tanquam incorrigibiles à Religione expellerentur, vel denuò apoſtatare contingeret, vel extra Religionem decederent: quia dicta bona per reditum apoſtatarum jam ſunt facta propria Religionis, in eaque incorporata, ut advertunt Rodrig. Suar. & Peytin. *locis citatis*. Addunt præterea Lezana & Pellizzar. quod ſi præfati Religioſi in vita ſua diſponunt de ſuis bonis, ea Religioni tradendo, non obligabitur Religio Cameræ ea reſtituere, niſi poſt ſententiam condemnatoriam; ſiquidem talium bonorum Cameræ applicatio eſt pœnalis, & pœna non obligat niſi poſt ſententiam.

---

§. III.

De pœnis in jure contra Apoſtatas & fugitivos aſſignatis.

Nullas pœnas incurrunt fugitivi ex iure communi.

139. ILle qui à Religionis jugo aufugit, vel poteſt dimiſſo habitu apoſtatare, vel eo retento à Religione recedere. Si quis dimiſſo habitu receſſerit, ſive verus apoſtata fuerit, ſive dumtaxat fugitivus, manet ipſo facto excommunicatus (& alias pœnas apoſtatis vel fugitivis communes incurrit) *ex cap.* 2. *ne clerici vel monachi in* 6. de qua materia *punct. ſequenti* agemus. In reliquis communes ſunt cum aliis apoſtatis, & ideo quod dictum fuerit in poſterum de iſtis, illis erunt applicanda. ¶ Fugitivi ex jure communi nullas incurrere pœnas communis fert Doctorum ſententia: nam quæ ſolent ab aliquibus afferri, vel loquuntur de apoſtatis, vel de his qui dimiſſo habitu fugiunt. Nec datur textus qui pro iſtis aliquas aſſignet, & qui videntur oppoſitum innuere explicantur à Lezana *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 11. Pellix. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 18. Ant. à Spir. Sancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1416. Navar. *comment.* 2. *de reg. num* 61. Palao *diſp.* 4. *punct.* 16. *num.* 8. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 41. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *n.* 10. Suar. *tom.* 4. *de regul. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 9. Bonacin. *de clauſ. quæſt.* 2. *punct.* 11. §. 4. *num.* 1. nobiſcum ſentientibus. Ex jure autem particulari Religionum diverſæ pœnæ pro illis aſſignantur, ut in conſtitutionibus ſingularum poteſt videri. In noſtris 4. *part. cap* 4. § 6. *num.* 3. recenſentur. Sed nec etiam eſſe excommunicatos ex jure communi docent prædicti Authores; at ex privilegiis diverſis Religionibus conceſſis, talem incurrere excommunicationem, tenent ſupradicti DD. à qua ſolum abſolvi poſſunt a Prælatis, quando ad Religionem redeunt, ut de apoſtatis dicemus. Ex iure autem noſtro *loco citato conſtitut. num.* 1. non incurrunt dictam excommunicationem, niſi qui infra octavum diem non redierint, ſed eam ſtatim incurrunt qui extra Monaſterium nocte ſine licentia egrediuntur.

Apoſtatæ excommunicationem incurrunt.

140. Licet circa Apoſtatas ſit non levis controverſia inter DD. an ex jure communi ſint ipſo facto excommunicati, aliquibus id aſſerentibus, aliquibus verè negantibus, hanc litem non decidimus, cum pro praxi nobis ſufficiat aſſerere ex diverſis privilegiis Religionibus conceſſis ipſos ipſo facto excommunicationem incurrere, prout in earum conſtitutionibus ſancitur: in noſtris namque decernitur, ipſos excommunicationi ſubjacere, ſi poſt octavum diem ad Monaſterium non redeant, & quod ut tales à Prioribus & Vicariis tranſactis octo diebus à die receſſus apoſtatæ, Congregato Capitulo Conventuali, publicè denuncientur præcipitur, ut cæteri timorem habeant, & Deum pro eius ſpirituali ſalute deprecentur, uti habetur 4. *part. conſtit. c.* 4. §. 6. *num.* 1. Ipſos tamen, vel ex jure vel ex privilegiis, vel ex diverſis conſtitutionibus Religionum eſſe ipſo facto excommunicatos, tenent ferè omnes DD. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 8. *num.* 20. Lezan. *ſupra num.* 11. & 13. Palaus *n.* 13. Antonius à Spiritu ſancto *n.* 1418. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 31. *art.* 2. Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. quæſt.* 1. *cap.* 26. *concluſ.* 1. Pellizzar. *num.* 50. & 62. & alii. Et ad ſe revertentes à nullo poſſunt abſolvi ab apoſtaſia & ab excommunicatione ob eam incurſa, niſi vel à Pontifice, vel ab Ordinis Generali, vel cui ipſe commiſerit, ut Pellizzar. docet *num.* 62. In noſtris autem conſtitutionibus cuilibet Prælato ad talem impendendam abſolutionem poteſtas committitur 3. *part. conſtitut. cap.* 13. *num.* 2. & ſi fortè excommunicati in apoſtaſia celebraverint, diſpenſari poterunt ſuper irregularitate ob hanc cauſam incurſa, à quolibet Ordinis Prælato, uti diximus *tom.* 2. *huius Curſ. tract.* 10 *c.* 8. *n.* 72.

Ex vi apoſtaſiæ nullas pœnas præter apoſtaſiã incurrunt apoſtatæ, ex iure communi.

141. Circa alias pœnas, etiam eſt diſſidium inter DD. an apoſtatæ præter excommunicationem & illas generales pœnas, quod poſſint capi & incarcerari à Prælatis, & ab eis condignis pœnis puniri, & alias particulares in diverſis conſtitutionibus Religionum ſtabilitas, incurrant alias pœnas ex jure communi? Circa quod, diverſis aliorum placitis prætermiſſis, aſſerimus, nullas præter dictas pœnas ex vi apoſtaſiæ dictos apoſtatas incurrere, quod conſtat, tum ex praxi Religionum, in quibus ferè nunquam apoſtatis aliæ pœnæ aſſignantur præter eas quæ in conſtitutionibus habentur. Tum etiam ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de regular.* Vbi de apoſtatis agens, nullam pro eis pœnam aſſignat, niſi quæ fuerit à Prælatis aſſignata. Quod amplius conſtabit, aliquos textus, quos pro oppoſita ſententia aliqui adducunt, poſtea explicando. Ita Sanch. *lib* 6. *cap.* 8. *à num.* 19. Suar. *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 10. & 131. Palaus *tract.* 16. *diſp.* 4 *punct.* 16. *n.* 10. Navarr. *comment.* 2. *de regul. num.* 61. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 16. *n.* 12. Ant. à Spir. ſancto *tractat.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1419.

Quomodo maneant apoſtatæ ab exercitio Ordinum ſuſpenſi.

142. Diximus ex vi apoſtaſiæ, nam ob delicta eo tempore perpetua, poſſunt diverſas pœnas incurrere, ut ſi excommunicati celebrent, manent irregulares: & ideo manent ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, quandiu in illo ſtatu perſtiterint, & ſic multo magis ab eorum receptione: quia majora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora, *cap. illorum, de ſent. excomm.* Pellizzar. *num.* 62. Palaus *num.* 12. Sanch. *num.* 21. Lezan. *num.* 12. Peyrin. *concluſ.* 3. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 40. *num.* 1. Bonac. *quæſt.* 2. *de clauſur. punct.* 11. §. 4. *num.* 4. Suar. *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 6. *num.* 1. & ſi fortè in apo-

ſtaſia

ſtaſia Ordinem aliquem ſacrum ſuſceperint (etiam ſi excommunicati non fuerint) manent ab illius exercitio ſuſpenſi, quamvis ad Ordinem redeant, donec à legitimo Superiori abſolvantur. Ut conſtat *ex cap. final. de Apoſtatis*, & tenent Suarez, Pellizzar. Antonius à Spiritu Sancto, Palaus, Sanchez, Lezana, Bonacin. *locis citatis*. Qui advertunt hanc pœnam ſuſpenſionis ab exercitio Ordinum, ratione Apoſtaſiæ præciſè non incurri, ſed in pœnam criminis commiſſi, quod in illo infami & pravo ſtatu ad Ordines ſacros auſus fuit accedere; ſed ſuſpenſus non manet ab exercitio Ordinum, quos ante Apoſtaſiam habebat, ad Religionem rediens, niſi forte excommunicatus in eis miniſtraverit, & ſic irregularis factus fuerit. Et ad alios Ordines aſſumi poterit: quia in dicto *cap. final.* ſolum ponitur ſuſpenſio ab exercitio Ordinum in Apoſtaſia ſuſcepturum. Et quia in eo ſermo eſt de Ordinibus ſacris in tali ſtatu ſuſceptis, monent prædicti Authores Apoſtatam ad Religionem redeuntem non eſſe ſuſpenſum ab exercitio Ordinum Minorum, quos forte accepit in illo ſtatu. Et ab hac ſuſpenſione, vel impedimento Canonico abſolui non poteſt ex jure communi, niſi a Summo Pontifice, ut in dicto *cap. final. de Apoſtatis*, habetur. Poterit etiam ab ea abſolui ab Ordinis Prælatis, ſi non fuit notoria, vel ad forum contentioſum deducta, ut inquit Pellizzar. *num.* 68. Diximus *ex jure comm.* Nam per privilegia Religionum poſſe omnes Prælatos in tali irregularitate diſpenſare, ſeù in tali impedimento non aſcendendi ad alios Ordines, vel in ſuſceptis in Apoſtaſia miniſtrandi, probant Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. q.* 1. *capite* 26. *concluſ* 3. *verſiculo, Dixi.* Miranda *tom.* 2. *manual. quæſtione* 8. *artic. ultim.* Sanchez *lib.* 6. *capite* 8. *n.* 23.

Duplex objectio contra dicta proponitur.

143. Sed objicies contra dicta, primò quod Paulus IV. in bulla quadam, quæ incipit: *poſtquam divina bonitas* edita *anno* 1558. Apoſtatas à Religione ſuſpendit in perpetuum ab omni Eccleſiaſtici Ordinis executione, & ab omni gradu, omnibuſque beneficiis obtentis, & eorum fructibus, & eos inhabiles reddit ad quoſcumque gradus & beneficia in poſterum obtinenda. Sed hanc bullam, vel non eſſe receptam, docet Sanch. *n.* 30. Palaus *num.* 13. Anton. à Spiritu Sancto *n.* 1419. vel moderatam eſſe, & ad formam juris communis reductam per aliam Pii V. anno 1560. quæ incipit: *Sedis Apoſtolicæ*: docet Lezana *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 11. & refert Cherubinum *tom.* 2. *bullarii*, *conſtit.* 3. Pii IV. *pag.* 5. ¶ Objicies ſecundò, quod Apoſtatæ ſunt ipſo jure infames, & repelluntur ab accuſatione, & teſtificatione, *cap. alien.* 2. *quæſt* 7. *cap. beatus*, 3. *quæſt.* 4. *cap. infames*, 6. *quæſt.* 1. & docet Ledeſma *de ſtatu Religioſ. in comm. cap.* 8. *concluſ.* 1. *dub.* 1. *pag. mihi* 274. Peyrin. *ſupra concluſ.* 2. Lezana *num.* 12. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 64. & conſequenter fiunt irregulares. Sed reſpondetur id eſſe verum de infamia facti, quando eſt publicum delictum, & quamdiu ad Religionem non redeunt: & forte etiam ſunt infames, infamia juris, ſed poſt judicis ſententiam, eis talem infamiam applicantis, uti docet Suar. *de Relig. tom* 4. *tract.* 8. *cap.* 2. *lib.* 3. *n.* 31. & ex ipſo Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1420.

Quibus privilegiis Religionis

144. Objicies tertiò: quod Apoſtatæ privantur omnibus ſui Ordinis indulgentiis & privilegiis. Siquidem in Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. dicitur: *nullo privilegio ſui Ordinis iuvetur.* Reſpondetur Tridentinum ſolum loqui de his qui ſuæ profeſſionis nullitatem prætendentes, habitum propriæ Religionis dimittunt, quos adhuc ipſo facto privilegiis illius non privat, ſed quod poſt ſententiam judicis priventur, cum loquatur poſt verbum futuri, *non juvetur* & & verbum futuri importet ſententiam ferendam, ut contra nonnullos ſuſtinet Tiraquellus, *l. ſi unquam, verbo revertatur*, *num.* 155. *& ſequentibus.* Codice *de revocand. donat.* & ex ipſo Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 66. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 34. Bonacin. *de clauſur. quæſt.* 7. *punct.* 22. § 3. *n.* 2. Molin. *tom.* 1. *de juſt. diſp.* 88. *colum.* 531. *initio* Covarr. *cap ſi hæres, num.* 10. *de teſtam.* Alii verò Apoſtatæ & fugitivi omnibus gaudent privilegiis Ordinis, cum veri ſint Religioſi & non detur textus talem privationem inducens, & etiam ſi diſpoſiti ſint, omnes lucrari poſſunt Religionis indulgentias, propter eandem rationem, & privilegio Canonis, fori, & immunitatis à Gabellis fruuntur. Siquidem hæc conceſſa ſunt omnibus Religioſis, & iſti veri ſunt Religioſi, nullo jure hujuſmodi privilegio Orbati. Sic Pellizzar. *loco proxime citato*, & *tract.* 8. *cap.* 6 *ſect.* 2. *num.* 96. & *ſect.* 3. *num.* 145. & *cap.* 8. *ſect.* 3. *num.* 74. & 75. Sanchez *lib.* 6. *capite* 8. *n.* 35. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 12. Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſput.* 6. *num.* 1424. Bonacin. *n.* 3. Quod intelligitur de privilegiis perſonalibus, ſeu quibus perſonæ particulares uti poſſunt, non de illis, quæ alicui Monaſterio, vel communitati ſunt conceſſa, ut Bonac. & Sanch. *loco citato*, advertunt.

gaudeant Apoſtatæ.

De pœnis quas incurrunt Apoſtatarum cooperatores.

145. Et ſi fortè roges: quam culpam committant, & quibus pœnis ſubjiciantur cooperantes ad fugam, vel Apoſtaſiam? Reſpondetur eſſe graviſſimum peccatum, hujuſcemodi peccato fugæ, vel Apoſtaſiæ cooperari quomodocumque, cum tanti criminis particeps fiat, qui ad illud, auxilium, conſilium, vel quomodolibet præbet adjutorium. Et quidem ad illud, conſilium, auxilium aut approbationem tribuendo, ſemper grave peccatum committitur. At qui poſt exitum aliquem fugitivum recipit, occultat vel defendit, excuſari poteſt à cooperatione & peccato, ſi illum recipiat, detineat, aut defendat, non quia talis, ſed quia amicus, conſanguineus, vel ob aliam cauſam, uti de receptatoribus, & defenſoribus hæreticorum diximus, *tom.* 3. *tractatu* 10. *de cenſur. cap.* 4. *n.* 68. & modo tenent Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdito, q.* 1. *capite* 26. *concluſ.* 5. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. regul. quæſt.* 30. *art.* 9. Palaus *diſput.* 4. *punct.* 18. *num.* 1. Soar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. Pellizz. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 79. Mirand. *p.* 1. *q.* 52. *art.* 2. Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſput.* 6. *n.* 1433. Sed ut cognoſcatur, quando uno vel alio modo ſe habet, videndum erit, an ex receptione, ſuſtentatione, occultatione, vel defenſione, in ſua Apoſtaſia firmetur fugitivus, vel non; ſi primum, jam in Apoſtaſia cooperatur, & graviter peccat; ſecus verò ſi ſecundum. Ex quo infertur ex ſola receptione domi, & ſuſtentatione fugitivi, ſatis cooperationem non colligi: quia ex ſe ſunt actiones indifferentes, ad Apoſtaſiæ perſeverantiam per ſe non conducentes. Secus verò dicendum foret de eo qui pecunias, equum, aliave ut commodius fugiat, ſubminiſtrat: quia talis directe fovet Apoſtaſiam. Idem de occultatione eſt dicendum. Qui enim fugitivum occultat aliis à Religione, ne ipſe

vel Religio honoris detrimentum patiatur, non coöperatur Apoſtaſiæ; at ſi Religioſis ſui Ordinis, maximè Prælatis occultat, ne illum capiant, vel reducant, proculdubio talis criminis cooperator eſt, niſi forte id faciat, ne ea occaſinne capiatur, eum poſtea reducendum cum minori dedecore ſperans, vel mitiori pœna. Suar. *n.2.fine* Palaus *num.*1.

Excommunicationem, & alias pœnas incurrunt cooperatores Apoſtatarum.

146. Omnes tamen qui aliquo modo ex dictis Apoſtaſiæ cooperantur, conſulentes, mandantes, recipientes, defendentes, aliovè modo auxilium, vel conſilium præbentes ad fugam, vel illius perſeverantiam, ipſo facto manent excommunicati, reſervata excommunicatione Summo Pontifici, vel Prælatis illius Religionis. Ob diverſa privilegia Religionibus conceſſa ab Innocent. IV. Leone X. Pio V. relata in privilegiis Ordinum *verbo Apoſtata* §.6. & docent Lexana *tom.*1. *cap.*16. *num.*15. Rodrig. *tom.*1. *q.*30. *art.*9. Mirand. *tom.*1. *q.*51. *art.*2. Palaus *diſp.*4. *punct.*18. *num.*7. Pellizzar. *tract.*8. *cap.*8. *num.*78. Peyrin. *tom.*1. *de ſubdit. q.*1. *cap.*26. *concluſ.*5. & *tom.*1. *privilegior. conſtit.*2. *Iulii* 2. §.13. *num.*47. Imo Coſarrub. *in compend. verbo Apoſtata*, *n.*17. refert indultum bullatum Pii II. conceſſum nobis Carmelitis contra omnes Principes & Duces & alios Magnates faventes Apoſtatis & aliis Fratribus inobedientibus, mandans procedi contra ipſos per cenſuras Eccleſiaſticas, non per ſeipſos, ſed per judicem conſervatorem, & per invocationem brachii ſæcularis, ſi opus fuerit, ubi ly *mandans*, non ſolum denotat poſſe dictos Religioſos ſic contra faventes Apoſtatis procedere, ſed addit, teneri, ut docet Pellixxar. *numero* 78. Advertit autem Lezana *loco citato*, excipi à dicta excommunicatione Dominos Epiſcopos, qui licet peccent mortaliter, aliquo ex modo dictis Apoſtaſiæ cooperando, non poſſunt à Religioſis, eorumve judice, conſervatore excommunicari: quia habent privilegium ex jure communi ut non poſſint excommunicari, niſi expreſſa mentio de illis fiat. *Cap. periculoſum, de ſent. excomm. cap Sedes Apoſtolica de reſcriptis. Trid. ſeſſione* 24. *cap.*5.

PUNCTUM VI.

De his qui habitum Religioſum temerè dimittunt.

Præceptum ſub excommunicatione eſt habitum non dimittendi.

147. QVAMVIS habitus non faciat Monachum, quia tamen eſt ſignum Religionis, quam Religioſi profitentur, ideo adſtricti ſunt omnes Religioſi habitum ſuæ Religionis ſemper & in omni occaſione portare, ita ut facientes oppoſitum peccent, quandoque mortaliter, quandoque venialiter, niſi in caſibus hoc puncto recenſendis, *cap.*2. *ne Clerici vel Monachi in* 6. *cap vidua* 20. *quæſt.*1. *cap. ſanctimonialis diſt.*23. Imo Religioſus tacitè vel expreſsè profeſſus, temerè habitum ſuæ Religionis dimittens excommunicationem incurrit: nam ut evagandi materia Religioſis auferatur, *in cap.*2. *ut periculoſa de Relig. domibus.* ſic dicitur: *diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquis, quamcumque Religionem tacitè, vel expreſsè profeſſus, in ſcholis, aut alibi temerè habitum ſuæ Religionis dimittat. Si quis tamen horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto.* Quod præceptum ſub dicta excommunicatione, etiam moniales adſtringit: quia de omnibus eadem ratio datur, nimirum *ut periculoſa Religioſis vagandi materia ſubtrahatur*, & quia habitus fertur in ſignum ſtatus aſſumpti, & ideo eſt contra rationem, ſignum dimittere, ſtatu perſeverante, Palaus *diſp.*4. *punct.*6. *n.*1.

Equites militares non incurrunt excommunicationem habitum dimittentes.

148. Extendunt etiam hoc præceptum ad Religioſos militares: quia veri ſunt Religioſi, Pellizzar, *tractatu* 5. *cap.*7. *num.*11. Rodriguez *tom.*2. *quæſt. reg. q.*76. *art.*2. Antonius à Spiritu Sancto, *tractatu* 3. *diſp.*6. *num.*953. Sed oppoſitum probabilius judicamus. Tum, quia ut diximus, *hoc tract. cap.*2. *n.*58. non ſunt veri Religioſi, & ſic corruit fundamentum horum Doctorum. Tum etiam: quia finis talis præcepti eſt ne Religioſus occaſionem inde vagandi accipiat, quod in Equitibus militaribus ceſſat. Tum denique: quia ſub præceptis & prohibitionibus generalibus contra Religioſos non comprehenduntur, ut ibidem *num.*67. diximus. ¶ Illud certum judicamus Religioſum fugitivum, etiamſi Apoſtata ſit, ſi tamen habitum non dimittit, non incurrere hanc excomunicationem: quia lata eſt, non contra Apoſtatas, ſed contra habitum dimittentes, & ſicut habitum dimittere poteſt, quin ſit Apoſtata, ſic poteſt eſſe Apoſtata quin dimittat habitum, ut diximus *hoc cap. n.*122. & tenet Lezan. *tom.*1. *cap.*13. *num.*3. Navarr. *lib.*5. *conſilior. tit. de Apoſtatis, conſil. unico* Bañez. 2.2. *quæſt.*12. *art.*1. *dub.*1. *concluſ.*6. Leſſius *lib.*2. *capite* 41. *dub.*15. *num.*109. Sanchez *lib.*6. *ſumm. cap.*8. *numero* 48. Bonacin. *de clauſur. quæſtione* 2. *num.*4.

Quibus caſibus habitus dimiſſio non ſit prohibita ſub excommunicatione.

149. Sed quia prædicta diſpoſitio de temeraria habitus dimiſſione loquitur, ne inde vagandi occaſio capiatur, aſſerendum eſt non peccare graviter Religioſum, nec dictam excommunicationem incurrere, qui habitum deponit ad dormiendum, quieſcendum, natandum, ſtudendum, ut illum purget, ut ludat, ſaltet, ſaxum deferat, cauſa infirmitatis, cauſa periculi mortis, propter calorem æſtivum, vel ut terram fodiat: quia dimiſſio habitus ut grave peccatum ſit, obnoxium excommunicationi, debet eſſe animo occultandi ſtatum, & ſe alium ab eo qui eſt ſignificandi. Et idem dicimus de eo, qui ut aptius aliam perſonam in ludo & recreatione repræſentet, habitum dimittit etiam ſi alias veſtes ad talem effectum induat, ſemper enim debet eſſe ſeria habitus dimiſſio, quæ vel ſit vagandi occaſio, vel ex intentione & animo fingendi ſe alium, & ſe Religioſum occultandi. Bonacin. *de clauſur. quæſtione* 2. *punct.*2. *num.*2. Pellizzar. *tract.*5. *cap.*7. *num.*3. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſol.*115. Anton. à Spiritu Sancto *tract.*3. *diſp.*6. *num.*956. Lexana *tom.*1. *cap.*13. *num.*5. Navarr. *cap.*16. *num.*131. Rodrig. *tom.*2. *quæſt. Regul. quæſt.*76. *art.*6. Peyrin. *tom.*1. *quæſt.*2. *cap.*2. §.1. Suarez *tom.*5. *de cenſur. diſp.*23. *ſect.*4. *n.*27. & *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*5. *num.*3. Sanchez *lib.*6. *ſum. cap.*8. *num.*5. Palaus, *diſp.*4. *punct.* 6. *n.*3. Qui etiam hoc extendunt ad caſum quo Religioſus habitum dimittat ob finem turpem & inhoneſtum, nimirum ut liberius furetur, fornicetur, &c. quia licet gravis ſit culpa ratione malitiæ alterius ſpeciei ipſi annexæ, levis tamen cenſetur ratione dimiſſionis temerariæ habitus, quæ ſola ſubjicitur huic cenſuræ. Et etiam requiritur ut dimiſſo habitu, vel notabili parte illius alium induat diverſum, ut cenſeatur verè & propriè habitum dimittere, aliàs non eſſet dimiſſio, ſed nudatio & ſpoliatio, & quia

non

non ſolent tales vagare nudi, aut indecenter veſtiti. Navarr. & Rodrig. *locis citatis*, Pellizzar. *n.*18. Sanch. *n.*51. Ant. à Spiritu Sancto *n.*957. Sylveſt. *verbo excommunicatio. 9. caſu* 24. *n.*52.

Quid requiratur ut habitus dimiſſio ſit temeraria?

150. Requiritur denique, quod ſit temeraria talis dimiſſio: nam ibi dicitur *temerarius violator extiterit*. Quare ignorantia craſſa, dummodo affectata non ſit, à tali cenſura excuſat, licet non à peccato. Sanchez *num.*43. Palaus *num.*8. vel ſi ex levitate, timore aliavè cauſa non ſufficienti dimittat. Pellizzar. *n.*4. & 15. Quia ille temerè dicitur aliquid facere, qui nulla cauſa ductus operatur, pro nihilo ducens legis violationem, & ſic cum quodam contemptu formali, vel virtuali legis, ut inquit, D. Thom. 2.2.*q.*53.*art.*3.*ad* 2. & ibi Caiet. ¶ Sed non requiritur ad peccatum mortale, vel incurrendam excommunicationem, quod dimiſſio habitus facta ſit animo eum non reſumendi: quia textus loquitur de dimiſſione habitus, quę præbeat occaſionem vagandi, & talem præbere poſſet dimiſſio habitus facta ad tempus. Lezan. *n.*3. Pellizzar. *num.*13. Bonacina *num.*19. Sanchez *num.*48. Suar. *diſp.*23. *de cenſ. ſect.*4. *n.*30. Caiet. *in ſum. verbo excommunicatio cap.*61.

Quæ rationabilis cauſa excuſet à peccato dimiſſionē habitus?

151. Igitur excuſatur, tam à peccato, quam ab incurſione cenſuræ dimiſſio habitus ſi ex juſta & rationabili cauſa fiat: quia tunc non temerè dicitur fieri. Ut ſi dimittat habitum ad infidelium converſionem, quam commode non poteſt procurare eo retento, ſi ad ſui vel aliorum vitandum periculum ſcandali, infamiæ, jacturæ divitiarum, ſi per loca tranſiturus eſt Turcarum, Sarracenorum, Iudæorum, Hæreticorum, aliorumvè infidelium. Si ab eis captus, non permittatur in habitu Religioſo incedere, vel ob gravem metum, non in contemptum Religionis incuſſum, cogatur habitum dimittere, & ſeculare indui, & in ſimilibus caſibus. Tunc enim non temeraria habitus dimiſſio eſt cenſenda, ſed rationabilis & prudens. Pellizz. *tract.*5. *capite* 7. *num.*34. Lezan. *tom.*1. *cap.*13. *n.*2. Sanch. *lib.*6. *cap.*8. *num.*41. Palaus *diſp.*4. *punct.*6. *num.*12. Suar. *tom* 4. *de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*5. *num.*13. & 14. Imò ſufficit quod probabiliter talis cauſa appareat conveniens: quia cognitio probabilis excludit temeritatem, datque ſufficientem titulum ut quis prudenter operetur. Et addunt Sanchez *num* 41. Pellizz. *n.*3. quod licet cauſa juſta omnino & ſufficiens, non ſit ex ſe, nec excuſans à culpa omninò, ſufficit quod ſit apparens, quia adhuc non cenſetur dimiſſio temeraria.

Occultare habitum ita ut exterius non appareat, grave peccatum eſt.

152. Sed rogabis primò, an ſi quis retento habitu, induat ſecularem, ita ut nullo modo exterius appareat habitus Religioſus, ut ſic incognitus incedat, in excommunicationem *capitis ut periculoſa* incidat, de qua loquimur? Et ſupponimus talem graviter peccare. Tum, ob occaſionem vagandi quam aſſumit. Tum etiam, quia in Tridentino *ſeſſ.*25. *cap.*9. *de Regularibus*, prohibentur Prælati, ne licentiam ſuis ſubditis præbeant habitum tegendi, quo ſupponitur prohibitam eſſe occultationem illam, nimirum quæ vagandi occaſionem præbeat, & loquimur in caſu, quod in totum, vel ſecundum notabilem partem habitus tegatur, ita ut cognoſci non poſſit eſſe Religioſum ſic incedentem. Si namque ſola pars habitus vel dimittatur, vel tegatur, parte retenta vel manifeſtata, qua cognoſci adhuc poſſit illius Ordinis Religioſus, nec peccaret mortaliter, nec excommunicationem incurreret, ut tenent Lezan. *tom.*1. *cap.*13. *num.*11. Pellizzar. *tractatu* 8. *cap.*8. *n.*5. & 22. Anton. à Spiritu Sancto *tract.*3. *cap.*6. *n.*964.

Incurrere excommunicationem qui habitū celat aliqui dicunt.

153. Igitur circa quæſitum duplex datur ſententia. Prima affirmativa: quia moraliter idem eſt occultare ac habitum dimittere: imo talis occultatio licet non materialis, vera & formalis dimiſſio eſt. Siquidem jam ab habitu auferetur eſſe ſignum Religionis, ad quam ſignificandam ille habitus materialis aſſumitur, alias faciliter poſſet fugitivus iſtam legem eludere, retinendo interius habitum exteriuſque cum aliis incedendo, ut ſic liberè poſſet vagare, & ideo *in cap. in nonnullis, de Iudæis*, ubi jubentur Iudæi inter Chriſtianos commorantes quoddam ſignum, quo diſcernantur à Chriſtianis geſtare, ſi geſtent illud interius duntaxat ita ut exterius non appareat, pœnas in illo textu aſſignatas omnino luent. Quarè in tali caſu Religioſum excommunicationem incurrere, docent Sanchez, pluribus aliis relatis, *lib.*6. *ſum. cap.*8. *n.*63. Navarrus & Bañez, quos refert & ſequitur Lezana. *tom.*1. *capite* 13. *numero* 8. Fragoſo, 2 *part. lib.*11. *diſput.*24. §. 14. *numero* 2. Pellizzar. *tractatu* 5. *capite* 7 *numero* 21. Palaus *diſp.*4. *punct.*6. *n.*6.

Non incurrit excommunicationem qui habitum tantum occultat.

154. Secunda ſententia, (quam probabilem dicunt Sanchez, Pellizzar. Palaus, & Fragoſo) eſt negativa. Et probatur: quia non prohibetur in dicto capite quælibet occaſio vagationis, ſed quæ per dimiſſionem habitus aſſumitur: qui autem illum occultat, cum non dimittit, ſed diſſimulat: nec ob hoc finis legis eluditur, quia non tam faciliter Religioſus incedere poteſt ac vagari retento habitu, ſicut illo dimiſſo. Unde lex pœnalis, quæ ſolum de dimiſſione habitus loquitur, non eſt ad iſtum caſum extendenda, & in *cap. illo: in nonnullis, de Iudæis*, non utcumque eis præcipitur ſigni geſtatio, ſed publica & apparens, qua ab aliis diſcerni poſſint, ut in ipſo textu expreſſe habetur. Sic, præter Authores quos citat Sanchez, *numero* 62. tenent Sayrus *lib.*6. *cap.*33. *num.*9. & 10. Suar. *tom.*4. *de Relig. tract.*8 *lib.*2. *cap.*5. *num.*11. Ant. à Spiritu Sancto *tractatu* 3. *diſput.* 6. *num.*962. Secunda opinio eſt probabilis, ſed prima probabilior, & omnino tenenda.

Qui habitum propriæ Religionis temerè dimittit, & alterius induit, peccat mortaliter, incurritque excommunicationem.

155. Rogabis ſecundò: an ſi quis habitum ſuæ Religionis temerè dimittat, & alterius induat, peccet mortaliter, & incurrat hanc excommunicationem? Hoc bifariam contingere poteſt. Vel, quia induit habitum alterius Religionis, ne cognoſcatur Religioſus illius Ordinis, in quo eſt profeſſus ſine eo quod habitum alterius aſſumat cum animo in ea vivendi; vel quia dimittit habitum propriæ Religionis animo tranſeundi ad aliam abſque debita licentia, & ſic in Monaſterio alterius Religionis cum habitu ejus degit. Si primo modo unum habitum dimittat & alterum ſumat, certum omninò judicamus eum incurrere hanc excommunicationem: quia textus loquitur de eo, qui habitum Religionis *in qua tacitè vel expreſsè profeſſus eſt*, dimittit. In ſecundo autem caſu, licet aliqui eum ab excommunicatione liberent: quia textus eam dimiſſionem habitus prohibet, ex qua libera vagandi occaſio deſumi poſſet, qui finis aliam ingrediendo Religionem, ceſſat. Uti docent Sanchez *num.*88. Rodrig. *tom.*2. *quaſt. reg. q.*76. *art.*4. Leſſius *cap.*41. *dub.*13. *num.*102. Pellizzar. *tract.*5. *cap.*7. *n.*24. Anton. à Spiritu Sancto *num.*965. Quod probabile

babile reputat Lezan. *tom. 1. cap. 13. n. 6.* Probabilius tamen dicendum eſt cum ipſo & Palao, n. 9. Sylveſtro. *excommunicatio. 9. num. 34 & verbo Religio 4. quaſt. 4.* Suar. *de cenſur. diſp. 23. ſect. 4. num. 32.* incurrere talem excommunicationem: quia verè & propriè habitum Religionis in qua profeſſus eſt, irrationabiliter & temerè dimittit, & ſic verè vagatur à ſua Religione, eſto apparenter in alia Religione exiſtat.

Qui habitũ, etiam intra clauſtra dimittit, mortaliter peccat.

156. Rogabis tertiò; an ſi quis intra clauſtra propriæ Religionis habitum temerè dimittat, peccet mortaliter contra hoc præceptum, & illius incurrat excommunicationem? Negant aliqui: quia habitatio intra Monaſterium impedit dimittentem liberè vagari, qui eſt finis prohibitionis, ne liberè vagetur. Sed oppoſitum eſt dicendum: quia hic temerè habitum ſuæ Religionis deponit, ex qua per ſe occaſio liberè vagandi conſurgit, eſto per accidens non eveniat. Sylveſter *excommunicatio. 9. caſu 24.* Sayrus *de cenſur. lib. 3. cap. 33. num. 11.* Lezana *tom. 1. cap. 13. num. 5.* Sanchez *lib. 6. cap. 8. num. 61.* Palaus *diſp. 4. punct. 6. num. 10.* Peyrin. *tom. 1. de ſubdit. q. 1. cap. 2. §. 1.* niſi in aliquo Conventu eſſet conſuetudo ut in æſtate abſque habitu exteriori per Monaſterium incederent Religioſi: quia jam tunc non eſſet dimiſſio habitus temeraria. Adduut aliqui peccare mortaliter, & excommunicationem incurrere Religioſum qui per duas vel tres horas dimittit temerè habitum, ut pro tunc non habeatur ut Religioſus, quia eo ipſo quod habitum deponit animo occultandi ſtatum, & incedendi incognitus, totum præſtat, quod ad hos effectus in dicto textu requiritur: quia & ſuæ Religionis habitum dimittit, & expeditus vagationi redditur. Nec in dicto textu perſeverantia in dimiſſione requiritur, ſed dimiſſio. Nec enim perſeverantia dimiſſionem facit, ſed factam continuat & extendit. Lezana *n. 10.* Sylveſter *num. 53.* Sayrus *num. 16.* Palaus *n. 11.* Suar. *tom. 4. tract. 8. lib. 1. c. 5. n. 9.* Sed certè non video, quare non ſit admittenda paruitas materiæ in hoc caſu. Quarè dicimus talem excuſari, tum à peccato gravi contra hoc præceptum, tum etiam à cenſura, ſivè intra, ſive extra Monaſterium, habitum modo dicto dimittat, etiam ut maleficium liberius exequatur, quia illa duratio brevis facit ut depoſitio illa non ſit moralis dimiſſio, ſicut non cenſetur recedere qui brevi tempore revertitur, *l. divortium ff. de divortiis*, Sanchez *lib. 6. cap. 8. num. 57.* Azor. *1. p. cap. 13. quaſt. 5. caſu 16.* Toletus *lib. 4. capite 18. num. 3.* Sà *verbo excommunicatio reſervata, num. 9.* Pellizzar. *tract. 5. cap. 7. num. 7. & 11.* Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſput. 6. num. 973.* Bonac. *de clauſur. quaſt. 2. punct. 2. num. 10.* Vide quæ diximus *ſupra n. 150.*

Qui ut non cognoſcatur, aut puniatur, habitum deponit, non incurrit excommunicationem.

157. Denique rogabis: an ſi Religioſus poſt patratum delictum, occultat vel dimittit habitum, ne à proprio Prælato capiatur & puniatur, contra hoc præceptum delinquat, ejuſque incurrat cenſuram? Reſpondetur negativè: quia tunc non cenſetur temeraria dimiſſio, nimirum cum contemptu formali, vel virtuali; non enim dimittit quia parui æſtimet, ſed ut ſuæ conſulat indemnitati. Idem, propter eandem rationem dicendum eſt de Religioſo, qui injuſtè gravatus à Prælato, juxta dicta ſupra *num. 130.* fugit ad ſuperiorem longè diſtantem, dimiſſo habitu, ne cognoſcatur, aut à Prælati localis miniſtris capiatur. Pellizzar. *n. 29. & 30.* Ant. à Spiritu Sancto *num. 970. & 971.* Portel, *in dubiis regul. verbo habitus in addition. num. 3.* Diana *3. p. tractatu 2. reſol. 115.* idem aſſerunt Sanchez *num. 58.* & Fr. Anton. à Spiritu Sancto *num. 972.* Pellizz. *num. 32.* de Religioſo qui ne cognoſcatur in delicto committendo dimittit habitum, & alium aſſumit, ob eandem rationem; idem denique dicunt iſti duo ultimi Authores de Religioſo, qui nocte cogitur exire extra Monaſterium in aliquem locum, & dimittit habitum cauſa vitandi ſcandalum: quia talis dimiſſio non ordinatur ad vagandum, ſed ad rationabilem & prudentem finem, & ſic non eſt dicenda temeraria.

PUNCTUM VII.

De clauſura Regularium quoad obligationem non exeundi à Monaſterio abſque legitima licentia.

Regulares aliquam clauſuram tenentur obſervare.

158. IN præſenti puncto, & in ſequenti non agimus de clauſura, quam Moniales tenentur obſervare. De hac enim materia latius agemus cum de illis ſpecialem ſermonem faciamus. Loquimur ergo de viris Religioſis, qui licet ad perpetuã non teneantur clauſuram, (quidquid ſit an Pontifex poſſit eis perpetuam inducere clauſuram) quia hæc nullibi ipſis præcipitur, ad aliquam tamen tenentur; quatenus ſcilicet ſubditi Religioſi è clauſtro abſque licentia tacita vel expreſſa, generali vel particulari Prælatorum exire non valent, ad quod, tum ex jure naturali, tum ex jure poſitivo adſtringuuntur. Ex jure quidem naturali, ſuppoſita profeſſione ex voto obedientiæ, ratione cujus traduntur Religioſi Prælatis gubernandi, à qua gubernatione ſe ſubſtrahunt furtivo Monaſterii egreſſu. Suar. *tom. 4. de Relig. tractatu 8. lib. 1. capite 6. num. 8.* Palaus *tract. 16. diſput. 4. punct. 7. n. 2.* Pellizz. *tract. 5. cap. 6. n. 2.* Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 6. num. 1384.* Hieron. Gar. *in pol. regul. tom. 2. tract. 13. difficult. 2. dub. 1. num. 3.* & ex jure poſitivo Trident. *ſeſſ. 25. cap. 4. de regul. cap. Monachi, 1. quaſtione 1. cap. Monachi 16. eadem quaſtione*, ibi: *ſit clauſtro ſuo contentus: quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine Monaſterio Monachus*, & ita ex regulis omnium Religionum habetur. Sed non ob id frangentes hoc præceptum clauſuræ, aliquam incurrunt cenſuram, ut omnes docent, præciſè ex vi fractionis clauſuræ, quia nullibi talis habetur. Diximus ex vi fractionis clauſuræ præcisè: quia ſi temerè habitum dimittant, jam diximus, *punct. præcedenti*, excommunicationem incurrere, & de aliquibus ſpecialibus caſibus, in quibus etiam incurritur, *hoc puncto* infra agemus.

Quando ſit peccatum mortale abſque licentia exire.

159. Sed non eſſe peccatum mortale regulariter, & ex ſuo genere exire abſque debita licentia; quia clauſura ſolum in conſtitutionibus, vel regulis Religioſorum præſcribitur, quæ regulariter non obligant ad mortale, & præcitatos textus ſolum quod debet ex regula & proprio ſtatu declarare docent Navarr. *cap. ſtatutumus, comment. 4. de regul. à n. 29.* Mirand. *1. p. q. 32. art. 2. concluſ. 1. & 2.* Barthol. à S. Fauſto *lib. 6. q. 161.* Garcia *tract. 13. diffic. 2. dub. 1. num. 3.* Bonacin. *de clauſur. q. 2. punct. 2. n. 2.* Sed verius dicendum eſt, eſſe peccatum mortale ex ſuo genere, quia tam jure poſitivo quam naturali eſt prohibitum, & ſolum excuſabitur à mortali ob

paruitatem

parvitatem materiæ, ut ſi egreſſus ſit diurnus modo conſueto: quia tunc non videtur graviter lædi cuſtodia Religionis, & ſubjectio Prælatis debita, Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 6. à n. 5.* Pellizzat. *tract. 5. cap. 6. à n. 10.* Palaus *diſp. 4. punct. 7. num. 3.* Lezan. *tom. 1. capite 16. num. 2.* Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 6. n. 1392.* Sed omnes in eo conveniunt, deberi ex circunſtantiis maximè colligi quando de facto ſit mortale peccatum egreſſus à clauſura furtivus. Erit enim proculdubio mortale, ſi quis è clauſtro egrediatur ut extra illud diu, & quaſi ſtabili modo vivat (hic namque verè eſt fugitivus) ſi noctu furtivè exeat: egreſſus namque nocturnus & furtivus, etiam ad horam, eſt caſus reſervatus in decreto Clementis VIII. de caſibus reſervatis Religioſorum *caſu 3.* quod grave peccatum eſſe manifeſtat, & ita tenent Suar. *num. 7.* Bonacin. *num. 2.* Palaus *num. 3.* Pellizzat. *num. 11.* Antonius à Spiritu Sancto *numero 1393.* Garcia *num. 6.* & ſic in noſtris conſtitutionibus *4. p. cap. 4. §. 6. n. 1.* excommunicatus manet, & pœnis Apoſtatarum ſubjicitur ſi quis nocte abſque licentia è Monaſterio egrediatur, & idem eſt, ſi exeat per diem, animo extra Monaſterium pernoctandi; & generaliter quoties extra Monaſterium, etiam per diem, egreditur ſi ex tali egreſſu ſcandalum vel infamia Religioni, vel Religioſo proveniret, eſt enim ſignum manifeſtum graviter fuiſſe clauſuram violatam.

Qui prætextu adeundi ad Superiores ſine licētia exiit peccat mortaliter.

160. Sed inquires primò: an peccet contra clauſuram Religioſus, qui ſine licentia, egreditur ad longum iter agendum, prætextu adeundi Prælatum Superiorem in ſui propriam defenſionem? Reſpondetur affirmativè, niſi in caſu, de quo ſupra *numero 126.* loquuti ſumus. Nam expreſſe habetur in Concilio Trident. *ſeſſ. 25. capite 4. de Regul.* his verbis: *Non licet regularibus à ſuis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eis miſſi, aut vocati fuerint.* Et quia aliqui prætextu adeundi Summum Pontificem, vel Sacram Congregationem, intendunt ſuam fugam palliare, audiant quid dicat Sixtus V. in ſua bulla: *ad Romanum Pontificem*, edita anno 1588. *Quod ſi dicerent* (inquit Summus Pontifex) *ſe ad Apoſtolicam Sedem confugere ob gravamina à ſuis Superioribus ſibi illata, & ideo ab ipſis Superioribus licentiam & litteras obtinere non potuiſſe, non propterea ullo modo recipi debent, niſi fide dignorum teſtimonio, de petita ab eis licentia, & per ſuos Superiores denegata conſtiterit.* Et quamvis in dicta bulla ſtatutum fuerit ut Regulares euntes Romam ſine legitima facultate aut litteris Superiorum non admitterentur in Monaſteria Ordinis, ſed remitterentur ad Congregationem Cardinalium, aut Dominum protectorem, ut ipſis auditis, ſtatueret quid agendum eſſet. Poſtea tamen Sacra Congregatio decrevit anno 1587. eos remitti debere ad ſuos Superiores ſeveriori pœna plectendos. Et circa illos hæc præcepit Clemens VIII. in decretis pro Regularibus approbatis a Sacra Congregatione juſſu S. D. N. Vrbani VIII. *Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, niſi prius a Generali, vel protectori duntaxat licentiam in ſcriptis impetraverint. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturum etiam alias, arbitratu Superiorum infligendas pœnas, quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant.* Poſtea e[illegible] facultas concedendi hanc licentiam, etiam Provinciali ex cauſa communi totius P[illegible]ciæ duntaxat, & declaratur dictam pœnam privationis activæ & paſſivæ vocis per biennium eſſe Sedi Apoſtolicæ reſervatam. Circa quæ, videndi ſunt Pellizzar. *tom. 1. tract. 5. cap. 6. numero 14. & 19.* Lezana *tom. 1. capito 10. numero 14. 15. & 16.* Peyrin. *tom. 1. privil. Minorum in conſtit. 13.* Leonis X. §. 1.

Qualis licentia ad exitum requiratur?

161. Inquires ſecundò: qualis Prælati licentia requiratur ad exitum ex Monaſterio? Reſpondetur requiri tacitam vel expreſſam, generalem vel particularem. Et quidem tacitam ſufficere, niſi ex particularibus conſtitutionibus expreſſa exigatur, omnes aſſerunt, cum taciti & expreſſi eadem ſit virtus, *capite ſecundo, de reſcriptis.* Ne quando lex exigit ad aliquid abſolutè & ſimpliciter licentiam reſtringenda eſt ad expreſſam duntaxat, ut multis probat Sanch. *libro 3. de matrim. diſp. 35. & libro ſexto, decalogi cap. 11. num. 11.* Gibalin. *diſquiſ. 2. cap. 2. §. 1.* Garcia *tract. 4. part. 3. difficult. 1. dub. 1. & 2. & tract. 13. difficul. 1. dub. 2. numero 3.* Et nos diximus loquentes de licentia pro voto paupertatis requiſita *tom. 3. tract. 13. de reſt. cap. 6. numero 61.* Quam licentiam Prælatus, abſque juſta cauſa concedere nequit, ſi tamen ſemel concedat imprudenter & abſque illa, erit nihilominus valida, & ſic non peccabit Religioſus contra præceptum clauſuræ, illa utendo, quia talis non eſt diſpenſatio in lege, ut malè inquit Bonacin. *ſupra num. 3.* nec enim lex exitum abſolutè prohibet, ſed quod ſine licentia non fiat: unde cum fit cum illa, lex impletur, uti probavimus *tom. 3. tract. 11. de leg. cap. 5. n. 7.* & modo tenent Suar. *lib. 6. citato, capite 6. num. 13.* Garcia *dub. 2. num. 6. & 7.* Palaus *numero tertio*, Pellizzat. *num. 5.*

Abſque cauſa dans licentiam exeundi peccat mortaliter.

162. Sed peccabit tam petens, quam dans talem licentiam abſque cauſa juxta gravitatem materiæ. Major autem cauſa requiritur ad longum tempus quam ad breve, & adhuc urgentior pro Monachalibus requiritur, qui ſtrictiorem profitentur clauſuram, quam pro mendicantibus. Et cum inter iſtos, aliqui ſtrictiorem, ut nos, alii laxiorem profiteantur clauſuram, diverſa erit in his cauſa ſufficiens. Nunquam tamen exiens cum illa, etiam injuſtè data, ſubjicitur pœnis contra violantes clauſuram ſtabilitis, Suarez *num. 13.* Garcia, *num. 7.* ſi cum debita licentia ex juſta cauſa exeat, tutus erit in conſcientia, etiamſi per multum tempus extra Monaſterium degat, aut ratione neceſſitatis ſui vel ſuorum, vel ob neceſſitatem Monaſterii, aut alia de cauſa juſta, prudentis Superioris arbitrio: quia dum in jure non determinatur quænam cauſa ad aliquid faciendum juſta ſufficiat illius determinatio, prudentis judicio remittitur. *l. 1. ff. de jure deliberandi. cap. de cauſis de Officio delegati.* Sed non poteſt, etiam de licentia Prælati, ſine habitu extra Monaſterium manere; nec ad hoc alius præter Pontificem, poterit talem concedere facultatem, etiamſi ſit ut commodius ſuccurrat Parentibus, quia hoc jure communi eſt vetitum Religioſis. *cap. ut periculoſa, ne clerici vel Monachi in 6.* Trident. *ſeſſione 25. capito 19.* Sed inferior Pontifice nequit in jure communi diſpenſare, maximè in rebus graviſſimis & extraordinariis, qualis eſt iſta, quamvis in levibus & frequentibus poſſit aliquando, ut diximus, *tom. 3. tractatu 11. de legibus, capito 5. numero 36.*

mero 36. & [illegible]iliter in caſu dubio poteſt interp[illegible] non [illegible]gare præceptum dimittendi hab[illegible] [illegible]m vero præbere ut Religioſus [illegible] v[illegible]l extra Monaſterium abſque illo incc[illegible]at, n[illegible]n poterit. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 13. *num.* 9. Pellizzar. *tractatu* 5. *capite* 7. *numero* 42. Suar. *de relig. tom.* 4. *tractatu* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 15. Bonacina *de clauſur. quæſtione* 2. *punct.* 2. *numero quinto* Palaus *diſputatione* 4. *punct.* 6. *numero decimotertio.*

Quis licentiam exeundi dare poſſit?

163. Ex jure communi quilibet Prælatus, etiam inferior, poteſt etiam ad longum tempus & ad longas peregrinationes ſuis ſubditis concedere facultatem, quamvis peccet Prælatus juxta gravitatem materiæ, ſi abſque iuſta cauſa, talem facultatem præberet. Sed Religioſus, ea obtenta, etiam abſque juſta cauſa, illa uti poteſt licitè quantum ad hoc quod non peccat contra præceptum clauſuræ, ut diximus, gravior autem cauſa pro longioribus erit requiſita, quam pro brevioribus. Pro iſtis autem pro cauſa ſufficiet ratio amicitiæ, benevolentiæ, honeſtæ recreationis, &c. Palaus *num.* 4. Antonius à Spiritu Sancto *numero* 1396. Addens idem dicendum, ſi Religioſus habens licentiam eundi ad certum oppidum, divertat ſe ad alium, ſi alias noo detur præceptum particulare alicuius Religionis: quia talis Religioſus manet per totum illud tempus extra, de licentia, & egreſſio ad hunc vel illum locum tantum eſt contra obedientiam, non contra præceptum, clauſuræ; hæc diximus de jure communi; ex particularibus autem conſtitutionibus dantur diverſæ circa hoc in diverſis Religionibus diſpoſitiones, ſuas conſulat unuſquiſque. Advertendum tamen eſt, jure novo Clementis VIII. in decretis pro reformatione Regularium approbatis & innovatis à Sacra Congregatione juſſu D. N. Vrbani VIII. ſic habetur: *inceatur ratio, qua ſublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuſcumque conceſſis, degentes extra Conventus clauſtra ad ea quam primum revocentur, nec de cætero, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda, hujuſmodi facultates concedi poſſint.* Sed de hujuſmodi decretis, an ſint in uſu (ſaltem in Hiſpania) ut præceptiva, vel potius ut directiva tantum, dubitat Pellizzar. *tract.* 5. *capite* 6. *num.* 4. Anton. à Spiritu Sancto *numero* 1387. Hieronym. Garcia *tractatu* 13. *difficult.* 2. *dub.* 2. *num.* 4.

Ad triremes mittere poſſunt Prælati ſubditos criminoſos.

164. Hinc adnotandum duximus, poſſe Prælatos ſubditos criminoſos in perpetuum, vel ad longum tempus, ſecundum gravitatem delicti, ad triremes damnare, ſi delictum ea pœna ſit dignum: quia nimirum eſt nimis grave & ſcandaloſum, nec occurrit alia pœna, qua commodè puniri poſſit, & ſcandalo dato ſatisfieri: quia ita praxi & conſuetudine in omnibus Religionibus recepta vidente & conſentiente Summo Pontifice, habetur: & conſtat ex privilegio Pii V. conceſſo Generali S. Hieronymi in Hiſpania, ut refert Rodriguez *tom.* 2. *quæſtione reg. quæſtione* 25. *articulo* 1. Quod extendi ad omnes Religiones teſtatur ipſe, *tom.* 1. *quæſt.* 30. *art.* 16. in quo conceditur Generali ut poſſit de conſenſu deputatorum delinquentes ad triremes damnare perpetuò vel ad tempus. Immò Paulus V. conceſſit Canonicis regularibus ſanctæ Crucis Conimbricenſibus, ut Monachum incorrigibilem puniant, vel pœna Carceris perpetui, vel ad triremes relegent, prout teſtatur Portel. *in dubiis regular.* *verbo tricere num.* 4. Quod privilegium aſſerit à communicantibus participari. Atque ita ſuppouit Sanchez *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 16. & tradunt Lezana *tom.* 1. *capite* 16. *numero* 32. Pellizzar. *tract* 9. *cap.* 3. *num.* 19. Peyrin. *tom.* 1. *quæſtione* 1. *cap.* 26. *concluſ.* 1. Anton. à Spiritu Sancto *tractatu* 4. *diſp.* 3. *num.* 508. Palaus *diſput.* 4. *punct.* 14. *num.* 7. Navarrus *Comment.* 3. *de regul. num.* 53. Suar. *tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 10. *à numero tertio.*

Textus in contrarium adducitur & explicatur.

165. Sed objicies textum *in cap. univerſitatis de ſent. excom.* Ubi prohibetur Prælatis Regularibus condemnare Religioſum verberibus per Laicum infligendis; ſed triremibus damnati verberibus ſæpè afficiuntur à Laico: ergo &c. ¶ Reſpondetur in eo textu prohiberi verberationem per Laicum, quæ fit in correctionem fratris, & more Religioſo; nun autem verberationem, quæ fit in aliorum exemplum, communem ſæcularibus & infamibus reis, quam fieri per Laicum, conſuetudo obtinuit, ſicuti fit cum opus eſt Religioſum torqueri. Unde miniſtri triremium verberantes Religioſos ad eas damnatos, ſi modum non excedant, & non verberent ex odio, aut tempus damnationis non ſit completum, non incurrunt in excommunicationem Canonis: quia ideò traduntur à Religionibus ut ſic puniantur. Navarr. *comment.* 3. *de regul. num.* 52. Miranda *in manual. tom.* 1. *quæſt.* 52. *artic.* 8. Non poſſunt autem à triremibus ad Religionem iterum redeuntes, ad altare ſine diſpenſatione admitti, eo quod ſint infames, infamia juris, & per conſequens irregulares. Rodrig. *tom.* 1. *quæſt. reg. q.* 24. *art.* 6. Toletus *in ſumma lib.* 1. *cap.* 26. Lezan. *tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 32. Sed quia, ut diximus *tract.* 10. *de cenſur. cap.* 7. *num.* 59. poſſunt Prælati regulares in omnibus irregularitatibus, exceptis his, quas ibi adnotauimus, diſpenſare; poterunt in iſta, uti Peyrin. & Lez. *locis cit.* tradunt. Quamvis in hoc ſit caute procedendum, maximè ſi immineat ſcandalum.

Non ſufficit generalis, ſed requiritur ſpecialis licentia ad exeundum.

166. Inquires tertio. An ut Religioſus licitè exire poſſit, ſufficiat generalis licentia, an verò requiratur ſpecialis pro ſingulis vicibus impetrata, approbataque à Superiori in ſpecie, illius exitus cauſa? Reſpondetur, quod licet ex jure communi ſufficeret licentia generalis: quia jam Religioſus ſubditur in hoc regimini Prælati, nec extra exiſtit abſque licentia. Ut benè docet Garcia *ſupra num.* 4. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 4. Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1387. (quamvis apud nos pro ſingulis vicibus licentia requiratur, & approbatio cauſæ à Prælato, 1. *p. conſtit. noſtrar. cap.* 9. *n.* 12. Sed ex decreto Clementis VIII. approbato, & innovato ab Vrbano VIII. (de quo diximus *n.* 163.) ſic habetur: *Nullus à Conventu egredi valeat niſi ex cauſa, cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumque exterro adjungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, nec eumdem ſæpius. Licentiæ vero generales exeundi, nulli omninò concedantur. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris, ad ſuperioris arbitrium plectantur. Eandem etiam Ianitor ſubeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit.* Idem SS. D. N. Vrbanus VIII. in bulla edita anno 1626. ad inſtantiam Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, & habetur, *tom.* 4. *bullar. inter conſtitut.* Vrbani VIII. *n.* 57. Vbi revocavit & annullavit omnia privilegia, prærogativas & exemptiones Religioſorum in Regnis Hiſpaniæ exiſtentium, etiam à Sede

Apoſtolica

Apoſtolica obtentas, *per quas, dem Religioſi ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, & ex eorum Monaſteriis & regularibus domibus ad eorum libitum, & cum ſociis ſibi bene viſis, & jam deſtinatis, etiam Superiorum ſuorum non petita licentia, egrediuntur.* Hæc autem bulla (inquit Lezana *tom. 1. cap. 10. n. 26.*) intimata eſt à ſua Catholica Majeſtate Provincialibus Religionum per litteras ad illos miſſas, quarum copiam apud me habeo.

Quid faciendum ſit pro clauſuræ rectâ obſervantia.

167. Et ut hujuſmodi clauſura rectius obſervetur, & gubernetur, Clem. VIII. & Vrban. VIII. in dictis decretis præcipiunt, quod ut omnis ſcandalorum & vagationis occaſio tollatur, Conventus clauſura, perpetuò & diligenter obſervetur, janitorque à Superiori conſtituatur, diligentia, notumque integritate pollés, & quod is januæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eamque nemini Fratrum aperiat, niſi ſocium & exeundi licentiam obtinuerit. *Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adhibebit, benedictionem accepturus, qui à ſocio itineris rationem, & quid peractum ſit, diligenter inquirat.* Peculiares etiam Ordinationes quoad hoc in ſingulis reperiuntur Religionibus, quæ videri debent, & obſervari. Sed omnes Authores concedunt poſſe Religioſum cum ſola licentia tacita, vel interpretativa exire, qualis cenſetur adeſſe, quando ad confitendum moribundum, ad defendendum innocentem, ſubveniendum domui vicinæ comburenti, & ad alios ſimiles caſus exitur, & eſt in mora periculum, nec de facili poteſt adiri Superior. Pellizzar. *n. 12.* Anton. à Spiritu Sancto *n. 1391.* Suar. *tom. 4. tr. 8. lib. 1. c. 6. n. 11.* Sanch. *lib. 6. ſum. c. 11. num. 11.* Garcia *tract. 13. difficul. 2. dub. 2. n. 3. & 6.*

Exeuntes ad partes ultra marinas excommunicãtur, ſi id ſine licentia fiat.

168. Inquires quarto, in quibus caſibus Religioſus abſque licentia exiens, incurrat excommunicationem? Reſpondetur, quod in quatuor caſibus (& non loquimur de exitu ad vagandũ, vel apoſtatandum, de quo jam diximus quomodo habeat annexam excommunicationem, *n. 141.*) Primus habetur *extravaganti ad noſtram de Regularibus.* Ubi excommunicantur excommunicatione Papæ reſervata quicumque Religioſi, etiam Laici exeuntes ſine licentia Superioris Ordinis, ad partes ultra marinas, ubi pauci fideles inveniuntur, & Prælati qui talem licentiam præſumunt concedere, exceptis Fratribus ſcientia, prudentia & experientia præditis. Hanc autem non incurrunt Religioſi ad loca ultra marina ſe conferentes, ubi major pars fidelium invenitur. Nec illam incurrunt Generales, qui ad hujuſmodi loca ubi major pars eſt infidelium tendunt: quia textus loquitur de ſubditis; benè tamen alii inferiores Prælati. Hanc autem licentiam ſolus Prælatus Ordinis, qui eſt Generalis, poteſt concedere, qui incurrit hanc excommunicationis ſententiam, ſi inexpertis, non providis & illitteratis concedat. Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 99.* Bonacin. *de cenſur. in particul. tom. 3. diſp. 2. q. 9. à n. 4. & de clauſur. q. 2. punct. 4. à n. 2.* Anton. à Spiritu Sancto *tractatu 3. diſp. 6. à num. 847.*

Monachi nigri qui ad aulas tendũt animo nocendi Prælatis excommunicantur.

169. Secundus habetur *in Clementina 1. de ſtatu Monachor.* Ubi Monachi nigri (id eſt S. Benedicti) & Canonici Regulares non habentes ullam adminiſtrationem temporalem vel ſpiritualem, ſi ad aulas Principum ſe conferant, intentione nocendi ſuis Prælatis aut Monaſteriis, excommunicantur. (Excommunicatione non reſervata) quæ ſolum comprehendit eos qui ſine licentia exeunt & tendunt, ſi tamen cum illa ad alia negotia pergant, certum eſt non incurrere dictam excommunicationem, eam tamén incurrent ſi in itinere animum concipiant nocendi in Curia Prælatis, & eo animo illuc intrent: quia excommunicatio fertur contra eos qui tali animo Curiam tendunt. Cæterum, ſi non in itinere, ſed poſtquam ingreſſi jam ſunt Curiam ad alia negotia, talem animum concipiant, verius judicamus eos hanc non incurrere excommunicationem: quia aliud eſt conferre ſe ad Curias hoc animo, aliud in eis exiſtere: & textus loquitur de eis qui ſe conferunt, & cum ſit lex pœnalis non eſt extendenda. Lez. *tom. 1. c. 9. n. 33.* Bonac. *de cenſur. diſp. 2. q. 8. punct. 9. n. 4. & de clauſur. q. 2. punct. 5. §. 4.* Pellizz. *tr. 7. c. 2. n. 197. & tr. 5. c. 6. n. 21.* Et propter eandem rationem contra Bonac. & Palaum *diſp. 3. punct. 34. n. 4.* aſſerimus hanc cenſuram non extendi ad alios Monachos præter illos qui in dicto textu enumerantur, nimirum Monachi nigri, & Canonici Regulares: quia textus de his ſolis loquitur, & cum pœnalis ſit, potius reſtringendus eſt, quam ampliandus. Suar. *diſp. 23. de cenſur. ſect. 5. n. 4.* Filliuc. *tr. 14. n. 139.* Anton. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 6. n. 1043.* Lezan. *loco citato.*

Religioſi exeuntes ad ſtudia legũ abſque licentia, excommunicantur.

170. Tertius habetur *cap. periculoſa, ne clerici vel Monachi in 6.* ubi excommunicatione non reſervata, excommunicantur omnes Religioſi exeuntes & accedentes ad ſtudia Legum, vel Canonum, abſque licentia ſui Prælati & majoris partis Capituli, ad quam incurrendam excommunicationem non requiritur habitum deponere, nam textus hanc dimiſſionem non depoſcit in hoc caſu. Sanchez *libro 6. ſum. capite 8. numero 72.* Lezana *tom. 1. cap. 9. num. 2.* Requiritur tamen quod petant abſque prædicta licentia extra oppidum ſui monaſterii. Unde ſi exeant ad dicta ſtudia intra idem oppidum, etiamſi extra Conventum commorentur, non incurrunt dictam excommunicationem. Lezana *num. 2.* Bonacina *de clauſura quæſtione 2. punct. 6. §. 5.* Antonius à Spiritu Sancto *tractatu 3. diſputatione 6. numero 996.* Suarez, Sayr. Sanchez quos refert & ſequitur Palaus *tom. 6. diſputatione 3. de cenſur. punct. 33. num. 13.* Et idem eſt ſi ad oppidum aliud tendat, in quo eſt Monaſterium ſuæ Religionis, & in eo exiſtens tendat quis aliquando ad dicta ſtudia: quia tunc ſolum mutat Monaſterium, ſi habitet in Conventu, ut ad horam ad dicta ſtudia exeat. Sic Authores citati. Licentia autem, ſi à Prælato immediato obtineatur, debet ſimul eam habere à majori parte Capituli, quod non requiritur ſi à Provinciali vel Generali fuerit talis licentia obtenta: quia Pontifex ſolum loquitur de Prælatis Conventualibus, quando licentiam adjunctam Capituli requirit. Navarr. & Suarez quod refert & ſequitur Palaus *numero 13.* Antonius à Spiritu Sancto *numero 1000.* Sanchez *libro ſexto, ſum. capite 8. numero 86.* Lezana *num. 2.*

Exeuntes ad audiendas leges, vel medicinam excommunicantur.

171. Quartus caſus habetur *in cap. magnopere, ne clerici vel Monachi.* Ubi ponitur excommunicatio nemini reſervata, contra Religioſos exeuntes extra Monaſterium ad audiendas Leges, aut Medicinam, niſi intra duos menſes redeant ad ſua Monaſteria. Ad quam incurrendam excommunicationem duo requiruntur, & quod ea intentione exeant, & quod intra duos menſes non redeant, ſi enim Religioſus alia intentione egrediatur v.g. ut ſua præſentia amicũ honoret, qui

qui publicas concluſiones facit, vel ad aliud negotiũ, etiamſi poſtea accedat ad audiendas dictas facultates, dummodo propter hunc finem principaliter extra Monaſterium non detineatur, non incurrit hanc excommunicationem. Suar. Sayrus, Toletus, quos refert & ſequitur Palaus, *tom.6.diſp.3.punct.*32.*n.*4. Antonius à Spiritu S. *tract.3.diſp.6.n.*1012. qui etiam aſſerit non incurrere excommunicationem eum qui poſtquam alio animo egreſſus eſt, poſtea mutata intentione ultra ſpatium duorum menſium hujuſmodi ſcientiarum auditioni incumbit: quia jam non verificatur eo animo egreſſum à Monaſterio. Quod etiam docet Bonac. *tom.3. diſp.2.q.8.punct.7. n.5.* Pellizz. *tr.7.c.2. n.*175. Et idem ſentiendum eſt, etiamſi animo audiendi exeat, & poſtea non audiat, vel quia detentus, vel quia animum mutavit, etiamſi intra duos menſes non redeat, quia ibi petitur, & quod eo animo exeat, & quod audiendo ultra duos menſes extra Monaſterium ſe detineat. D. Antonin. 3.*p.tit.*24. *cap.*52. Caietan. *verbo excommunicatio c.5.* Filliucius *tr.13.c.8.q.2. n.*117. Hi duo menſes non debent computari à die quo exiit Religioſus, ſed à die quo ad audiendas tales facultates accedit. Non enim interdicitur in hoc textu egreſſus à Monaſterio niſi in Ordine ad audiendas prædictas ſcientias; propthereaque tempus computandum eſt à die quo eas auditurus acceſſit, ut probabiliter docet Bonac. *n.*52. Pellizz. *n.*174.

Juris Civilis ſtudium & exercitiũ Chirurgiæ & Medicinæ eſt Religioſis prohibitũ.

172. Eſt etiam Religioſis, adhuc intra Monaſterium juris Civilis ſtudium prohibitum: *dicto c.2. ne clerici vel Monachi in 6.* Si illi principaliter incumbant, ſecus verò ſi ad cognitionem juris Canonici hujuſmodi ſtudio vacent, & ſic omnes regulares jus Civile ſtudentes excuſantur: quia tale ſtudium principaliter ad juris Canonici intelligentiam aſſumunt, Diana 3.*p tr.2.reſol.*79. Lezana *tom.1. c.9. n 3.* ¶ Et ſimiliter eis prohibitum eſt exercere Officium medici, aut Chirurgi; & peccant mortaliter ſi cum inciſione vel aduſtione illud exerceant. *Cap. ſententiam ſanguinis, ne clerici vel Monachi. Cap. ſua nos de homicidio.* Et ſi de facto ſequatur mors vel mutilatio fiunt irregulares, etiamſi in eis evitandis ſummam adhibeant diligentiam: quia dant operam rei prohibitæ ratione periculi homicidii. Nec à tali irregularitate excuſantur, eo quod cauſa pietatis, non neceſſitatis, tale officium exerceat. Palaus *tract.16. diſp.4. punct.13. §.1. num.1.* Lezan. *tom.1. cap.9. n.15.* Cornejo *tom.2. in 3.p. tract.5. de regular. diſp.3. dub.2.* Ant. à Spiritu Sancto *tract.3. diſp.6. n.*1554. Et eandem prohibitionem habent omnes clerici. An verò per inciſionem venæ, vel in caſu neceſſitatis illud exercentes dictam pœnam incurrant, & alia huc pertinentia. Vide à nobis dicta *tom.2. tract.10. de cenſur. cap.9. n.22.* ¶ Et nec extra inciſionem, vel aduſtionem, Officium Medici, aut Chirurgi exercere valent, quia omnibus clericis & Monachis prohibitum eſt. *c.2. de vita & honeſt. Clericorum.* Niſi id cauſa pietatis, gratis erga amicos, aut cognatos, vel perſonas miſerabiles faciant. Vel niſi privilegium ſpeciale ad hoc habeant: qualem habere Societatem à Gregor. XIII. (& per communicationem aliis competit,) teſtatur Palaus *n.3.* Lezan. *n.15.* Sanch. *lib.6.c.14.n.18.* ut poſſint mederi domeſticos & extraneos de licentia Superioris, quando commodè ſæcularis Medicus haberi non poteſt, dummodo per ſeipſos inciſionem, vel aduſtionem non faciant. ¶ Addunt Cornejo & Lezana, quod ſi Clericus vel Religioſus (etiam abſque debita licentia & circumſtantiis) citra inciſionem vel aduſtionem curet, & omni diligentia adhibita, infirmus moriatur, non erit irregularis: quia & ſi curare hoc modo ſit eis prohibitum, non tamen eſt prohibitum ratione periculi homicidii, ſed ratione indecentiæ, & habetur, *cap. ad aures de ætate & qualitate.*

PUNCTUM VIII.

De clauſura Regularium quoad obligationem non permittendi fœminas eorum ingredi Monaſteria.

Quid agendum ſit hoc puncto?

173. Circa hoc punctum variæ ſunt difficultates pro praxi ſcitu digniſſimæ, & nè omnes ſimul cum confuſione conjungamus, illud in ſex paragraphos dividemus. In primo agemus de jure quo prohibitus eſt ingreſſus fœminarum in Monaſteria virorum. In ſecundo de his fœminis, quibus eſt prohibitus talis ingreſſus, & quibus ſit permiſſus. In tertio de partibus Monaſterii, quæ nomine clauſuræ ad intentum intelliguntur. In quarto de caſibus in quibus eſt licitus talis ingreſſus. In quinto de pœnis contra mulieres extra caſus permiſſos intrantes, & illas introducentes, vel admittentes in jure ſtabilitis. Et in ſexto de eo, quod circa talem ingreſſum eſt in noſtris conſtitutionibus ſancitum tam pro eremis quam pro aliis monaſteriis.

§. I.

Quo jure prohibitum ſit fœminas Monaſteria virorum ingredi?

Iura quibus prohibetur ingreſſus fœminarũ in Monaſteria virorũ.

174. Quamvis jure naturali & divino prohibitum non ſit, ſaltem ſub mortali, ingreſſus fœminarum intra clauſtra virorum, præciſis aliis circumſtantiis periculi & mali finis, ut inquit Sanch. *lib.6. ſum. cap.12. n.9.* Suar. *tom.5. in 3.p. diſp.22. ſect.6. n.12.* Laym. *lib.4. tr.3. cap.14. n.4.* Gibalinus *diſquiſit.2. cap.5. §.2.* Delbene. *tom.1. cap.19. dub.76. n.1.* Imò nec ex jure communi antiquo detur textus ſub mortali obligans, ut docent prædicti Authores. Et licet poſtea Pius V. conſtitutione ab ipſo edita *anno* 1566. quæ incipit: *regularium perſonarum* quam poſtea confirmauit Gregor. XIII. conſtitutione edita anno 1575. *idibus Iunii* quæ incipit: *ubi gratia.* Et alia ejuſdem edita 23. *Decemb. anno* 1582. quæ incipit: *dubiis emergunt.* In quibus omnibus Prælatis & Religioſis ne prætextu alicujus licentiæ mulieres intra clauſtra admittant, præcipitur, ſub pœnis privationis Officiorum, & inhabilitatis ad illa, & ſuſpenſionis à divinis ipſo facto incurrendis. Et in conſtitutione Greg. XIII. præter dictas pœnas imponitur excommunicatio Papæ reſervata, & ipſis mulieribus ſub dicta excommunicatione ingreſſus prohibetur. Cæterum de his conſtitutionibus pauca à nobis dicenda ſunt: quia rarò contingere poteſt modo, aliquam velle ingredi prætextu facultatis ante tempus Gregor. XIII. conceſſæ, & ab eodem revocatæ. Et in dictis decretis ſolum eſt ſermo de his, quæ prætextu conceſſionis talis licentiæ ingredi audent, & contra eos qui tali prætextu admittunt, & non de aliis, quæ abſque illa

id

id facere attentant. Vt docet Bonac. *de clauſ. q. 5. punct. 3. num. 1.* Pellizzar. *tract. 5. cap. 7. num. 40.* Palaus *tract. 16. diſp. 4. punct. 8. num. 1.* Suar. *loc. cit. num. 5.* Laym. *num. 4.* Sanch. *ſupra num. 8. & lib. 6. cap. 16. num. 79.*

Alii qui non eſſe modo prohibitum talem ingreſſum opinantur.

175. Quare tota difficultas in præſenti, in eo ſita eſt: an ratione alterius conſtitutionis Pii V. extenſivæ prioris editæ anno 1570. die 16. Iulij quæ incipit: *Romanum Pontificem* ſit prohibitum ſub peccato mortali, & ſub præcedentibus pœnis ingreſſum fœminarum intra Monaſteria virorum? quibus etiam afficiantur Prælati, aut alii Religioſi illas admittentes? Quia motum prædictum Pii V. (quem ad verbum refert *Confectum in privileg. Ordinum mendic. inter litteras Apoſtolicas fol. 179.*) fortè non viderunt plures Authores aſſerere auſi ſunt, adhuc modo non eſſe prohibitum talem ingreſſum, ut teſtatur Sanch. *lib. 6. c. 16. num 79. fin.* & ſic pro hac ſententia refert ipſe *n. 79.* Suar. Verolam, Philiarcum, Sayrum, Rodrig. quos etiam refert, & ſequitur, adhuc facta mentione hujus decreti, Delbene *tom. 1. c. 19. dub. 76. n. 1.* Laym. *lib. 4. tract. 3. c. 14. num. 4.* & dicit eſſe valde probabile Ant. à Spir. ſancto *tract. 3. diſp. 6. n. 646.* Quia Pius V. & Greg. XIII. in decretis *num. præced.* adductis expreſſe loquuntur de fœminis, quæ prætextu privilegiorum à Greg. XIII. revocatorum ingredi præſumunt: & non conſtat authenticè ipſos declaraſſe velle in ſuis prohibitionibus comprehendere qualcumque fœminas ingredientes, vel admittentes illas. Et cum Greg. XIII. in duplici loco allegato innovaverit conſtitutionem priorem Pii V. nil de ſecunda dicit, quo innuere videtur vel non dari, vel promulgatam & receptam non eſſe: & ideo ipſam aut non fuiſſe promulgatam, aut non communiter receptam, tum ex dictis, tum etiam quia occulta fuit uſque dum confectius eam duxit, quod inducit illius ſuſpicionem valoris ptol at Gibalinus *diſquiſ. 2. c. 3. §. 2. n. 6.*

Sub excommunicatione prohibitus eſt ingreſſus fœminarum in Monaſteria virorum.

176. Cæterum, omnino tenendum eſt, ingreſſum mulierum intra Monaſteria virorum nunc eſſe ſub mortali & excommunicatione in motibus Pii V. Greg. XIII. prohibitum propter conſtitutionem ſecundam *num. præced.* allegatam ipſius Pii V. ubi ſic dicit: *Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium dicimus & declaramus, fuiſſe, & eſſe mentem & intentionem noſtram quod dictæ litteræ non ſolum comprehenderent & comprehendant mulieres habentes & prætendentes facultatem & indulta ingrediendi Monaſteria, ſed etiam omnes & quaſcumque mulieres alias, tam in genere, quam in ſpecie.* Et ita poſt iſtum motum Pii V. ſentiunt Diana *4. p. tract. 1. reſol. 179.* Rodrig. *in explicatione Bullæ Pii V. n. 7.* Sanch. *lib. 6. Summ. c. 16. num. 79.* Lezan. *tom. 1. c. 10. n. 9.* Pellizz. *tract. 5. c. 6. num. 41.* Hieron. Gar. *in polit. reg. tract. 13. diffic. 2. dub. 6. n. 8.* Filliuc. *tract. 15. c. 5. n. 118.* Navar. *in Summ. Latina c. 27. num. 105. excomm. 61.* Suar. (mutans ſententiam) *tom 5. de rel. tract. 8. lib. 1. c. 7. num. 9.* Azor *tom. 1. inſtit. mor. lib. 13. c. 8.* Bonac. *de clauſ. q. 2. punct. 2. num. 1. & punct. 3. n. 1.* Palaus *diſp. 4. punct. 8. num. 1.* ¶ Et ſufficit dictam bullam Pii V. eſſe in bullario ut authoritatem, quam aliæ habeat, ut ait Pellizzar. & ut aſſerit Lezana, ita habet ſtylus Sacræ pœnitentiariæ, quæ vim legis habet, maxime ad Bullas declarandas Pontificias, & ut Garcia docet, conſuetudo & praxis petendi licentiam ad talem ingreſſum à Sede Apoſtolica, quæ non concedit, niſi neceſſarium judicet, allatum id demonſtrat. Et ut aſſerit Gibalinus (qui ex alia via nobiſcum ſentit) quodam jure, uſu & conſuetudine recepta, id habetur: quæ conſuetudo optima eſt legum interpres. Quare optimè inquit Palaus, jam non eſſe licitum dubitare peccatum eſſe mortale, & cenſuris, aliiſque pœnis ſubjectum fœminarum ingreſſum in Monaſteria virorum abſque neceſſitate, aut ſpeciali permiſſione; & ideo Bonacina adducit declarationem Cardinalium ejuſdem ferè tenoris, ac ſecundum decretum Pii V. Quam etiam reperies apud Quarantam *verbo Monaſterium & Conventus, col. 1. & 3.*

---

§. II.

Quæ fœminæ ſub tali prohibitione contineantur?

Reginæ & filiæ Regis ſub dicta prohibitionem comprehenduntur.

177. OMnes mulieres quacumque dignitate, gradu & conditione fulgentes, ut Comitiſſæ, Marchioniſſæ, Duciſſæ, &c. ſub prohibitione dicta continentur, ut in ſupradictis Bullis habetur. Cæterum, quia Reginæ, Imperatrices, & filiæ ac neptes Regum in dictis conſtitutionibus non nominantur, ſub dictis non continentur prohibitionibus: quia ſub generali prohibitione mulieribus facta non cenſentur comprehenſæ ob earum ſupremam dignitatem, Bordonus *tom. 2. reſol. 76. num. 35.* Lezan. *tom. 1. cap. 10. num. 10.* Bonac. *q. 5. punct. 2. num. 4.* Pelliz. *tract. 5. cap. 7. num. 42.* Rodriguez *in explicat. Bullæ Pii V. num. 3. & qq. Reg. tom. 1. quæſt. 48. art. 1.* Suar. *tom. 4 tract. 8. lib. 1. cap. 7. n. 6.* Sanch. *lib. 6. cap. 17. num. 5.* Laym. *lib. 4. tract. 5. cap. 12. num. 5.* Palaus *diſp. 4. punct. 8 num. 5.* Garcia *tract. 13. difficult. 2. dub. 4. num. 17.* ¶ Et quamvis fundatrices, vel patronæ ſub dicta prohibitione probabile ſit comprehendi, ut tenet Rodr. Bonac. Sanch. Laym. & Lezana, probabile etiam eſt oppoſitum: quia ſi mulieres de ſtirpe regia, ob earum dignitatem a generali prohibitione excluduntur, à fortiori Fundatrices & Patronæ excludi debent, tum ob earum qualitatem arctius Monaſteria devincientem, tum etiam, quia jus Patroni eſt valde privilegiatum in jure, & ita niſi exprimatur, non cenſetur excluſum. Tum denique, quia domus eſt ſua, à qua non erat æquum excludi, ut vel ſic plures allicerentur ut Patronæ & Fundatrices fierent. Pellizzar. *num. 44.* Garcia *num. 17.* Palaus *num. 4.* Suar. *num. 6.* Gibalinus *diſquiſ. 1. cap. 4. § 2. connect. 1.* Qui idem aſſerit de Conventu Monialium, in quo poſſe fundatrices ingredi, ſicut Reginæ, docet; ſed de hoc redibit ſermo quando de clauſura Monialium loquamur.

Quam comitatum poteſt portare fœmina cui licitus eſt talis ingreſſus.

178. Sed non admittimus generalem doctrinam, quam aliqui tradunt, docentes omnes prædictas fœminas, vel alias in hoc §. recenſendas, quibus licet ingredi virorum clauſtra, poſſe deferre ſecum aliarum fœminarum comitatum, quo frequenter incedunt: quia privilegium uni conceſſum, etiam Comitantibus cenſetur concedi, *cap. Licet, de privileg. in 6.* Sic diximus *tom. 2. tract. 10. de cenſur. cap. 6. num. 67.* Eos, nimirum qui tempore interdicti virtute privilegii Bullæ Cruciatæ poſſunt audire Miſſam, poſſe etiam comitatum frequentem ſecum ad illam ferre, & ita in præſenti tenent Bonac. *q 5. punct. 4. n. 3.* Garcia *num. 18.* Laym. *num. 5.* Palaus *num. 5.* Rodriguez *in ex-*

plicat. Bulla Pii V. num 4. Hanc igitur in generali doctrinam non admittimus, ſed ſolum pro Reginis & aliis, *num. praced.* adductis, qui ex jure communi ingredi poſſunt, non pro illis qui ex ſpeciali privilegio Summorum Pontificum, ingredi valent: quia talis prohibitio facta eſt ratione decentiæ Monaſteriorum, quæ attendi debet, & eſſet valde indecens ut pueliæ ſolitæ has comitari ingrederentur: nec eſt credendum Pontificem amplius velle in tali conceſſione, & ſic communiter ingrediuntur ſenioribus comitatæ, aut aliis honeſtæ famæ fœminis. Sanchez *num.* 6. Pellizzar. *num.* 53. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 651. Qui duo ultimi bene dicunt poſſe loco illarum quæ ſunt de familia adducere alias extraneas (niſi alias in privilegio exprimatur, ut non ducant ſecum, niſi perſonas de familia) nam, cum illi licitum ſit ducere ſecum aliquas fœminas, non eſt ratio quare illas & non iſtas, ut comites poſſit adducere.

Fœmina habens privilegium Pontificis, poteſt Monaſteria virorum ingredi.

179. Inquires primò: an poſt motum Pii V. prohibentem fœminas ingredi Monaſteria virorum prætextu alicuius privilegii a Pontifice conceſſi, nunc impetrare poſſint à Papa privilegium, cujus virtute ingredi Monaſteria poſſint? Reſpondetur affirmativè: quia cum talis prohibitio à Pontifice emanaverit, illam ſolvere poteſt Pontifex, quia ejus eſt legem ſolvere, cujus eſt condere, nec poſſit unus Pontifex alterius poteſtatem coarctare, cum par in parem non habeat imperium, Bonac. *q.* 5. *punct.* 4. *num.* 1. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 17. *n.* 32. Garcia *tract.* 13. *diffic.* 2. *dub.* 6. *num* 16 Delbene *tom.* 1. *c.* 19. *dub.* 78. *num.* 12. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 17 Sed cum hac limitatione omnes, n mirum, quod ſi in illius Ordinis ſtatutis cautum ſit ne fœminæ ingrediantur, in tenore privilegii mentio fiat dicti ſtatuti, & revocationis illius, aliter ingredi non poterunt, tum quia tale privilegium ſupponeretur ſubreptitium: quia in ejus impetratione aliquid ſubticetur, quo expreſſo fortè Papa illud non concederet. Tum etiam, quia ſtatuta inferiorum à Principe ſupremo præſumuntur ignota, & proinde, niſi id exprimat, eis derogare non præſumitur, *cap.* 1. *de conſtit. in* 6. Et propterea merito in noſtris conſtitutionibus 2. *p. cap* 9. §. 3. *num.* 9. ſub præcepto & excommunicatione latæ ſententiæ prohibetur Prælatis Eremorum nullo titulo, aut prætextu poſſe mulieres cujuſcumque conditionis intra clauſuram illorum admittere, *Etiamſi aliquod indultum vel licentiam à Sede Apoſtolica impetraverint, niſi alias obedientiam, aut mandatum contineant.*

Puellæ parvæ ingredi poſſunt Monaſteria virorum.

180. Inquires ſecundo, an ſit contra dictam prohibitionem puellas parvas, nondum nactas uſum rationis, intra Monaſteria virorum ingredi? Reſpondetur negativè: & ſic admitti poſſunt illæ quæ nondum ſeptimum annum impleverint; in dubio an uſus rationis fuerit in eis anticipatus. Quia in illis deficit finis huius prohibitionis, nimirum quod poſſint ad libidinem & contra Caſtitatem provocare. Sanch. *num.* 4. & 7. Bonac. *q.* 5. *punct* 4. *num.* 2. Lezan. 1. *p. cap.* 10. *num.* 10. Garcia *num.* 16. Pellizz. *num.* 58. Peccant tamen mortaliter, qui puellas puberes, etiam fatuas, intra Monaſteria admittunt, imo etiam ſi ſeptennium excedant, & ſint impuberes: quia tales provocare poſſunt ad libidinem, quidquid dicat Llamas *in method. curation. in appendice* §. 3. Sutbus *in compend. privil. verbo ingredi Monaſteria in annotationibus num.* 2. aſſerentes, quod ut ſit peccatum & incurrant pœnas contra admittentes latas, debere eſſe fœminas puberes (etiamſi non ſint fatuæ, & aptæ ad conſummandum Matrimonium: quia Pontifex mulieres ingredi prohibuit, nec fœminæ, mulieres communiter dicuntur, niſi quæ aptæ ſunt conſummationi matrimonii; ſed hoc eſt omninò falſum: quia motus Pii V. Omnes & quaſcunque mulieres, tam in genere, quam in ſpecie comprehendit, & conſequenter puellas uſum rationis nactas, etiamſi aptæ non ſint generationi, ut ſic omne periculum caſtitatis violandæ quomodolibet amputetur, qui eſt finis illius legis, & intelligentia legis ex fine, & ratione ejus, eſt accipienda, *l. cum ratio, ff. de bon. damnat.*

§. III.

Quid nomine clauſuræ intelligatur ex jure communi, quam ingredi mulieribus prohibetur?

Loca in quibus ingredi non poſſunt fœminæ recenſentur.

181. Monaſteria in quibus Religioſi permanenter degunt, vitam communem acturi; & omnia illius Officinæ & loca, quæ ſub eorum ambitu continentur, & porta communi clauduntur, nomine clauſuræ in dictis prohibitionibus veniunt: & ſic totum illud ſpatium quod ſeptis cingitur Monaſterii omnes Officinæ, Dormitoria, Clauſtra, Refectorium, &c. ſub nomine clauſuræ continentur: non verò prædia domus ruſticæ, aliaque loca à Monaſterio ſeparata; quia non continentur intra ambitum illius. Pellizz. *tract.* 5. *c.* 6. *num.* 53. Lezan. *tom.* 1. *c.* 10. *num.* 11. Rodrig. *qq. Regular. tom.* 1. *q.* 46. *art.* 1. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 2. Bonacin. *q.* 5. *punct.* 1. *num.* 2. Nec ſimiliter infirmariæ, aut domus deputatæ ad recipiendum infirmos, vel ad recipiendos Religioſos tanquam hoſpites, & non habentes Conventum & Eccleſiam. Sic præcitati Authores; ſecus vero dicendum eſt de illis hoſpitiis in quibus Religioſi Conventum & Eccleſiam habent, quamvis non habeant Euchariſtiam, ſi communiter Officium divinum recitent, & in eis permanenter, ſaltem aliqui vivant: quia tale hoſpitium eſt verus Conventus. Portel. *in additionibus ad dubia regularia, verbo Monaſterium, num.* 1. Ant. à Spir. Sancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 704. Sed non eſſe clauſuram Monaſteria vel domus, in quibus nondum poſitus eſt Religioſorum Conventus, ſed ſolum nonnulli Religioſi pro fabrica deputati, omnes authores citati docent. Et idem dicendum eſt de illis domibus, in quibus in forma Conventus non vivitur, nec ibi eſt Eccleſia cum Euchariſtia inſtar aliorum Monaſteriorum, ſed ſolum ſtudii, vel negotiorum cauſa in eis Religioſi commorantur, ut in quatuor Collegiis Ordinum militarium, quæ ſunt Salmanticæ: quia iſtæ domus potius hoſpitii, quam Monaſterii rationem habere videntur. Sic DD. præcitati.

Quando Chorus & Sacriſtia ſint clauſuræ?

182. Sed inquires primo, an Chorus, Sacriſtia, & hortus nomine clauſuræ intelligantur? Reſpondetur, duo circa hanc quæſtionem certa eſſe apud Authores. Primum quod ſi ad dictas officinas non ſit aditus, niſi tranſeundo per Monaſterium ſunt clauſuræ ſubjectæ: quia jam non poteſt dari tranſitus ad illas, niſi per ingreſſum in Monaſterium, & ſic cenſentur ut

partes

partes illiu[illegible], intra eius ambi[illegible]um conte[illegible]. Secundum quod ſi in Sacriſtia detur porta ad Eccleſiam, & non alia per Monaſterium, ita ut Reli[illegible]oſi non poſſint accedere ad eam niſi per Eccleſiam tranſeundo, ut in Parochiis, & Sacriſtiis Monialium, hæc minimè eſt ſubjecta clauſuræ, idem dicendum eſt de choro quod in Eccleſia ſine porta ad Monaſterium reperitur; quia vel ſunt partes Eccleſiæ vel certè non ſunt partes Conventus, cum non ſint cum eo continuatæ; & idem dicendum eſt de hortis, quia hoc ipſo quod ad eos non poſſint, niſi exeundo à clauſura Religioſi accedere, minimè ſunt clauſuræ ſubiecti. Bonac. *q. 5. punct. 1. à num.* 4. Lezan. *tom. 1. c. 10. num.* 11. Pellizzar. *tract. 5. c. 6. num.* 31. Anton. à Spiritu ſancto *tract. 3. diſp. 6. num.* 699. & alii communiter. Difficultas ergo eſt, quando ex utraque porta reperitur, ut in choris Capucinorum in aliquibus Sacriſtis & hortibus Religioſorum, ad quæ loca & ſæculares ſine tranſitu per Monaſterium poſſunt accedere & Religioſi, ſine eo quod è clauſura egrediantur.

Horti adhærentes Eccleſiæ ſubjiciuntur clauſuræ.

183. De hortis modo dicto, negat ſubjici clauſuræ Rodrig. *in explicat. Bullæ Pij V.* & ſtando in terminis illius *n.* 2. quia horti non ſunt Monaſterium, nec pars illius; & cum hæc ſit lex odioſa, non eſt amplianda. De Choro negat Bonac. *q. 5. p. 1. num.* 3. Pellizzar. *num.* 31. Garcia *tract. 13. diffic. 2. dub. 4. n.* 2. quia dicunt eſſe partem Eccleſiæ, nec intra Monaſterii ſepta contineri, & ob eandem rationem, quia nimirum pars Eccleſiæ cenſetur, etiam de Sacriſtia, in qua ex utraque parte porta reperitur, aſſerunt Bordonus *tom. 2. reſol. 76. num. 6. & 36.* Anton. à Spiritu ſancto *num.* 699. Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 7. num.* 2. Sed de hortis ſubjici clauſuræ certum judicamus, quia ita communi praxi & acceptatione habetur, & ſic horti Monialium clauſuræ ſubjiciuntur, etiamſi portam ex utraque parte habeant, alias ipſæ non poſſent ad eos exire, cum non poſſint extra clauſuram pergere. Bonac. *num.* 6. Sanch. *c. 17. num.* 15. Lezan. *cap. 10. num.* 11. Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 12. num. 5. fin.* Palaus *diſp. 4. punct. 8. num. 6. & 7.* Garcia *tract. 13. diffic. 2. dub. 4. n.* 2. ¶ De Sacriſtia & Choro probabilius judicamus ſubjici clauſuræ, & non eſſe partes Eccleſiæ, cum enim vergant ad Monaſterium, cenſentur partes illius ad quod vergunt: ſicut clauſtrum & Capellæ illius ſubjiciuntur clauſuræ, tametſi aditus per Eccleſiam pateat, quia aliunde etiam per Monaſterium patet. Sanch. *num. 17. ad fin.* Palaus *num.* 7. Lezana *num.* 11. Rodrig. *num.* 14. Pellizzar. *num.* 31.

Qui clauſuram indicere & variare poſſunt.

184. Inquires ſecundo quis poſſit indicere clauſuram illamve variare? Reſpondetur duplicem ab authoribus aſſignari clauſuram, aliam neceſſariam, aliam arbitrariam. Neceſſaria eſt, quæ non eſt ab homine, ſed à jure; & eſt quaſi de jure communi omnium Religionum, & potius ſupponitur à Prælatis regularibus, quam ab eis ponatur. Ut de Dormitorio, Refectorio, aliiſque locis interioribus omnes tenent. Hanc ſicut non pertinet ad Prælatos eam indicere, nec variare poſſunt, quia eſt de jure communi, quod ipſi non poſſunt [illegible]; quamvis ad ipſos pertinent determinare a[illegible] tempore talia loca [illegible] ionem clauſuræ ha[illegible]. Arbitraria clauſura eſt, quam Prælati poſſunt in[illegible] & variare, ut ſi [illegible] ſit com[illegible] Eccleſiæ, atrium, viridarium, &c. vel ſi [illegible] an aliquis locus ſubjaceat clauſuræ, hanc indicere P[illegible] potest (non immediatus, quia actus a[illegible] iter in hoc vel illo loco res magni m[illegible] eſt, & ſic Superiori, nempe P[illegible]ovinciali, [illegible]) & eam auferre, vel variare poteſt, [illegible] per quas cauſas naſcitur, per eas diſſolvatur. Pellizzar. *num.* 28. Ant. à Spir. ſancto *num.* 70[illegible].

Religioſis non exiſtentibus in Monaſterio, illud ingredi fœminæ poſſunt.

185. Inquires tertio, an poſſint ingredi mulieres Monaſterium virorum, cum ſciunt neminem in eo eſſe, eo quod negotii, vel recreationis cauſa omnes exiiſſe norunt? Affirmant probabiliter Pellizzar. *num.* 64. Anton. à Spiritu ſancto *num.* 682. quia finis legis ceſſat, cum ſit ne per eas perturbentur Religioſi, & ceſſante fine legis in particulari ipſam non obligare aliqui probabiliter tenent, quos dedimus *tom. 3. tract. 11. de legibus cap. 4 num.* 5. Sed quia ibi probabilius oppoſitum diximus, & modo cum Bonac. *q. 5. punct. 2. num.* 7. oppoſitum tenemus, illud autem verum judicamus, quod docet idem Pelliz. *tract. 5. c. 6. n.* 58. nimirum quod adhuc Religioſis in Monaſterio manentibus, poſſunt fœminæ illa ingredi, caſu quo Monaſteria tradantur in hoſpitia militibus, & milites proprias pellices, aut etiam uxores ſecum habeant, ſi militibus ad hoſpitium certa pars Monaſterii aſſignetur. Sic enim, ſublata clauſura, ceſſetur quoad hanc partem, eius obligatione reſtricta ad aliam partem Monaſterii pro Religioſis relictam, ſecus verò dicendum eſſet, ſi milites promiſcuè in Monaſterio cum Religioſis inhabitarent.

---

§. IV.

Quibus ex cauſis licitum ſit mulieribus ingredi domus Religioſorum?

Ratione neceſſitatis ingredi poſſunt fœminæ Monaſteria virorum.

186. IN duplici caſu permiſſus eſt ingreſſus fœminarum Clauſtra Religioſorum, nimirum ratione neceſſitatis & pietatis. Ra[illegible]ne neceſſitatis, in omnibus caſibus, in quibus licitus eſt ingreſſus virorum in Monaſteria monialium, quamvis quia minus viri indigent fœminis, ideo non tam frequenter, imò rarò, ratione neceſſitatis illis eſt licitus talis ingreſſus; ſi tamen contingeret pro defenſione bonorum Conventus, incendio, vel alio periculo expoſitorum, eſſe illarum neceſſarium juvamen, quia fortè viri in promptu non eſſent, ingredi poſſent; ſi nullus reperiretur vir qui Religioſum habentem brachia, aut crura confracta, aut alio morbo gravi laborantem mederetur, poſſet decenter comitata ingredi mulier huius artis perita: vel ſi contra faſcinationem gratiam haberet, & Religioſus exire non poſſet, & aliis ſimilibus caſibus. Si enim viri hac occaſione ingredi poſſunt clau[illegible]a monialium, quarum clauſura ſtrictior eſt multo magis fœminæ Monaſteria virorum. Si[illegible] Garcia *tract. 13. diffic. 2. dub. 6. num.* 9. Pellizzar. *tract. 5. cap. 6. num.* 55. Bonac. *de clauſ. q. 4. punct. 4. num.* 4. Antonius à Spiritu ſancto *tract. 3*[illegible]*.6 n.* 661. Rodrig. *in explicat. Bullæ Pij V. num. 13. & tom. 1. qq. Reg. q. 46. art. 7. ad fin.* Sanch. *lib. 6. c. 17. n.* 30. Palaus *diſp. 4. pun*[illegible]*num.*[illegible] ¶ Addit Rodrig. *loc. cit.* Ant. à Spir. ſancto *n.* 664. Sorbus *in compend. privil. mend.* [illegible] *Moniał. num.* 6. Bordon. *tom. 2. reſol. 76. num.* 27. quod ſi in Conventu plures eſſent infirmi Religioſi, qui à Religioſis mederi

mederi non poſſent, nec eſſent viri ſæculares, quibus hoc facere valerent, aut vellent, poſſent ad hoc fœminæ honeſtæ introduci, ſed caſum Metaphyſicum eſſe, & vix unquam occurrentem inquiunt, Sanch. Palaus & Pellizzar. Sed certè tempore peſtis, aut communis calamitatis non ita Metaphyſicus erit. ¶ Addunt Bonac. *num.* 4. Pellizzar. *num.* 55. Garcia *num.* 9. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 662. quod ſi Religioſus de conſilio Medicorum lac mulieris ſugere indigeret, & commode egredi non poſſet, poſſet utique illa ingredi. ¶ Denique ſi mulier ingrediatur, ut mortem præſentem fugiat, quam aliter evadere non poteſt, niſi clauſuram ingrediendo, vel ad evadendas manus ſatellitum, illam inſequentium, licitè ingrederetur, & admitteretur: ſicuti vir ob eandem rationem clauſuram Monialium poteſt ingredi. Non enim præcepta Eccleſiaſtica cum magno incommodo, detrimento, aut periculo obligant. Sanch. *num.* 59. Bordon. *num.* 33. Pellizz. *num.* 56.

In quibus caſibus pietatis ſit licitus talis ingreſſus?

187. Caſus pietatis ob quem licitus eſt talis ingreſſus habetur ex declaratione Pii V. facta vivæ vocis oraculo 15. Novembr. anno 1569. ut teſtatur Rodrig. *in dicta expoſitione num.* 15. Bonac. *num.* 6. Sanch. *num.* 11. Lezan. *num.* 11. & non eſſe revocatam hanc declarationem, etſi vivæ vocis oraculo factam, in generali revocatione vivæ vocis oraculorum, teſtantur Bonacina & Lezana: quia non tam eſt vivæ vocis oraculum, quam declaratio Bullæ à ſe expeditæ. In ea ergo concedit Pius V. quod ſi Proceſſio aliqua, Miſſa, Vigilia, ſunus defuncti, aut quodvis aliud Officium in clauſtro, aut eius Capellis celebretur, poſſint eo tempore & loco ingredi, & quando in dicta conceſſione habetur *quodvis aliud Officium*, intelligitur aliud pium & Eccleſiaſticum, ut ſi concio, lotio pedum diei Cœnæ, habitus ſuſceptio, & profeſſio, Officium Beatiſſimæ Virginis, Defunctorum, ſolemnis benedictio Candelarum, Cærei, adoratio Crucis, vel aliæ ſimiles cæremoniæ quæ ex Eccleſiæ inſtitutione ſolemniter fiunt, ut docent communiter DD. & etiam, ſi Euchariſtia publicè & proceſſionaliter ad infirmum deferatur: quia tunc datur vera proceſſio, & Pontifex proceſſionis tempore ceſſare prohibitionem aſſerit. Bonac. *q.* 4. *punct.* 4. *n.* 11. Addit Pius V. in dicta conceſſione *quod quando divinum Officium in Eccleſia Monaſteriorum, vel regularium huiuſmodi proponitur* (aliquod nimirum ex dictis) *vel propter aliquam quamcunque cauſam eſt tantus concurſus populi, quod commodè ingredi non poſſent, & egredi per principalem portam Eccleſiæ, concedit ut dictæ mulieres una cum aliis ſæcularibus perſonis poſſint ingredi & egredi per portam clauſtri Monaſteriorum, & regularium locorum huiuſmodi, dummodo rectò tramite accedant ad portam, qua exitur à Monaſterio.* Sic Lezan. *num.* 12. Palaus *punct.* 8. *n.* 9. Garcia *n.* 11. Bonac. *num.* 6. & 11. ¶ Addunt Delbene *tom.* 1. *c.* 19 *dub.* 74. *num.* 22. Rodrig. *num.* 16. Portel. *in addit. ad dub. regul. verbo clauſura Monachor. n.* 5. Quod ſi fœmina nobilis petat ſibi cani Miſſam ſolemnitem in aliqua Capella clauſtri, poteſt ingredi ipſa cum fœminis ſibi comitantibus ad illam audiendam.

Solum eo loco, & tempore, quo celebrantur divina Officia ceſſat talis prohibitio.

188. Sed quia diximus ratione dictæ conceſſionis ceſſare prohibitionem iſtam eo loco & tempore quibus dicta officia celebrantur, ſciendum eſt quod ſolum poſſunt mulieres ingredi clauſtrum, vel Capellas illius, quando in eis Officia dicta recitantur, ſi enim tunc ad clauſtrum ſuperius aſcedant, ſi cellas vel Officinas interiores domus, etiam patentes intrent, contra hoc præceptum clauſuræ agunt: quia ſolum in loca, in quibus ſolent fieri Officia divina permittitur eis ingreſſus, & ſolum eo tempore ingredi poſſunt, quo dicta Officia celebrantur. Vnde ſi celebrentur Veſperi non poſſunt ingredi manè, ſi manè non poſſunt veſperi ingredi: quia Pontifex ſolum concedit ingreſſum ratione proceſſionis, Miſſæ, Officii divini, &c. Garcia *num.* 19. Lezan. *num.* 12. Palaus *num.* 9. Sanch. *num.* 24. & 29. Pellizzar. *num.* 49 Rodr. *num.* 19. quod adhuc verum judicant Portel. Rodrig. & Pellizzar. etiamſi clauſtrum ob aliquam feſtivitatem ornetur tapetis, pictis imaginibus, aut Altaribus, quod ſi tunc proceſſio non fiat mulieres ingredi nequeunt. Sed hoc in praxi non video obſervari, forte quia ex ſe talia ad pietatem & Religionem excitant, & ſic inter Officia pia & Religioſa computantur.

Non tamen peccant contra præceptum clauſuræ mulieres eo tempore, quo dicta Officia celebrantur clauſtra ingredientes, etiam ob curioſitatem, vel alium finem inhoneſtum ingrediantur: quia licet talis conceſſio fiat ut divinis aſſiſtere poſſint, non tamen ſub conditione ut aſſiſtant. Pellizz. *n.* 50. Ant. à Spir. ſancto *n.* 672. Rodrig. *num.* 17. Palaus *num.* 9. Sanch. *num.* 28.

Mulieres cauſa pietatis in Monaſteria intrantes, ſtatim exire tenentur.

189. Tenentur autem mulieres ſtatim ac Officium perſolvitur; ob quod ingreſſus eis permittitur, egredi: aliter peccant mortaliter, quia jam ceſſavit cauſa ingreſſus, & manendi intra Monaſterium; ſed ſi per breve tempus moraliter detineantur, poſtquam finita ſunt Officia, non peccare, nec ipſas, nec Religioſos eas detinentes & comitantes certum judicamus, cum id ipſum omnes aſſerant de viris ob aliquam cauſam Monaſteria monialium ingredientibus, quarum præceptum clauſuræ strictius obligat, ut in præſenti docent Palaus Pellizzar. Garcia, Bonac. Sanchez, Rodrig. ¶ Sed licet peccent mortaliter tales mulieres diutius intra Monaſterium commorantes, vel ad alia loca progredientes, non tamen incurrunt excommunicationem contra eas latam (quid autem dicendum ſit de Religioſis illas comitantibus vel detinentibus, §. *ſequenti* dicemus) nam lex loquitur de mulieribus indebitè ingredientibus clauſuram, non de commorantibus ibi, vel ultra progredientibus, & aliud eſt ingredi, aliud poſt ingreſſum progredi, vel immorari. Delbene *tom.* 1. *cap.* 19. *dub.* 14. *num.* 26. Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 17. *num.* 25. & 29. Bonac. *punct.* 4. *citato num.* 15. Pellizzar. *tract.* 5. *cap* 6. *num.* 48. ¶ Similiter non incurrit excommunicationem mulier bona fide ingrediens, putans licere talem ingreſſum, aut non eſſe locum ſubjectum clauſuræ, ſi poſtea ſciens diutius detineatur, vel progrediatur ad alia loca: quia bona fides loco alterius tituli ſubrogare poteſt. Bonac. *q.* 4. *punct.* 4. *num.* 16. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 677. & probabile judicat Pellizz. *ſup. n.* 52.

Quid ſi Prælatus ut mulieres ingrediantur proceſſionem ordinent?

An verò peccet Prælatus contra hoc præceptum, proceſſionem, aliudve Officium intra clauſuram ordinans, ſolo eo fine ut mulieres clauſtra ingrediantur? Affirmat prima ſententia, niſi adſit aliqua cauſa pia (qua credendum eſt ſemper Religioſos moveri) quia Pontifex ſolum ingreſſum conſonum rationi permittit, vultque pietatem & Religionem fovere, non

clauſuræ

clauſuræ relaxationem. Rodriguez *expoſitione Bullæ Pii V. numero* 16. *& tomo primo, quæſtionum Regularium, quæſtione* 48. *articulo* 3. Sanchez *libro ſexto, Summa capite* 17. *numero* 13. Palaus *diſputatione* 4. *punct.* 8. *numero* 9. *fine.* Villalobos *parte* 2. *tractatu* 35. *diffic.* 33. *num.* 12. *&* 14. Lezana *tomo primo, capite* 10. *num.* 13. ¶ Secunda (quam amplectimur) ſententia docet, quod licet peccet in eo caſu per abuſionem poteſtatis (& ſolum venialiter) non contra clauſuram nec pœnas in dicto decreto taxatas luere: quia non admittit fœminas illicitè ingredientes; ipſæ enim licitè ingrediuntur, etiamſi ſciant extraordinariam proceſſionem à Prælato ordinari ut ingrediantur: quia tunc jure ſuo utuntur: verè enim adeſt quidquid requiritur ut ſit licitus earum ingreſſus, & quoties fœmina jus habet ingrediendi, non peccant Religioſi illam admittentes. Garcia *tractatu* 13. *difficult.* 2. *dub.* 4. *numero* 13. Girag. *de Regim. regul. parte tertia, dubitat.* 10. *numero* 14. Portel. *verbo clauſura Monachor. in addition. numero* 5. *&* 6. Coriolan. *parte ſecunda, caſu* 3. *numero* 35. Bonacin. *quæſtione* 5. *punct.* 4. *numero* 14. Delbene *ſupra numero* 19. Pellizzar. *numero* 47. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 669. Bordon. *tomo ſecundo, reſolutione* 76. *numero* 26.

---

§. V.

Quas pœnas incurrant mulieres, clauſuram Religioſorum extra caſus permiſſos intrantes, & illas introducentes vel admittentes?

Mulieres clauſuram virorum ingredientes ſubjiciuntur excommunicationi.

191. NOn loquimur de pœnis à Gregorio XIII. in ſuo motu aſſignatis (qui excommunicationem, tam ingredientibus, quam introducentibus impoſuit) quia loquitur de ſolis illis qui virtute alicujus indulti ab eo revocati ingredi præſumunt, ut diximus *num.* 173. ſolum ergo eſt nobis ſermo de motu Pii V. in quo non ponitur excommunicatio contra introducentes fœminas, ſed contra fœminas ingredientes; dicitur enim ibi: *Sub excommunicatione lata ſententia poſtquam harum litterarum notitiam habuerint, à qua non poſſint abſolvi præterquam in mortis articulo, ne dictas domos & Monaſteria ingredi audeant.* Et de Religioſis tam ſubditis quam Prælatis: *Sub privatione Officiorum, quæ in præſenti obtinent, & inhabilitatis impoſterum ad illa, & alia omnia, ſuſpenſionis à divinis ipſo facto ſine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittereve præſumant.* Et quia in dicto motu præſumptio, audacia, ſcientiaque requiritur, quævis ignorantia, etiam craſſa, dummodo non ſit ingens temeritas, excuſat ab eis incurrendis. Garcia *tractatu* 13. *difficultat.* 2. *dubitatione* 4. *numero* 21. Sanchez *libro ſexto, capite* 17. *numero* 35. *&* 36. Delbene *tomo primo, capite* 19. *dub.* 76. *numero* 10. Palaus *diſputatione quarta, punct.* 8. *num.* 10. Bonacin. *quæſt.* 5. *punct.* 3. *num.* 1. *&* 2. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 60. *&* 61. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 33.

De pœnis contra admittentes fœminas impoſitis.

192. Sed dictæ pœnæ (excepta excommunicatione & ſuſpenſione, quæ ſunt cenſuræ) ut ex praxi conſtat, non incurruntur ante ſententiam judicis, ſaltem declarativam criminis: quia licet in dicto decreto addatur ipſo facto ſine alia declaratione, jam diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legibus cap.* 2. *numero* 39. pœnas etiam privativas præter cenſuras, quæ in abdicatione juris quæſiti conſiſtunt, requirere ad minus non obſtantibus dictis clauſulis, judicis ſententiam criminis declarativam, licet non pœnæ, aut incurſionis illius. Sic Peyrin. *tom.* 1. *privilegior. in conſtitut.* 6. *Julii II. num.* 19. Garcia *num.* 12. Delbene *dub.* 8. *num.* 1. Pellizzar. *num.* 63. Palaus *num.* 10. Sanchez *num.* 39. ¶ Nomine autem Officiorum aliqui intelligunt non ſolum dignitatem, aut prælaturam, ſed quælibet Officia, quæ talia appellantur in Religione, ut Oſtiarii, Concionatoris, Lectoris, Confeſſoris: quia hæc omnia ſub nomine Officii comprehenduntur. Lezana *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 32. Pellizzar. *ſupra num.* 61. Bonac. *quæſt.* 2. *punct.* 9. *§.* 5. *difficult.* 1. *num.* 4. Alii mitius loquuntur, & ſolum intelligi nomine Officiorum quoties in hoc vel aliis decretis Pontificum privatio illius aſſignatur illa quæ juriſdictionem, vel adminiſtrationem aliquam, ſimul cum dignitate & præcedentia ſecum afferunt, ut eſſe Generalem, Provincialem, Viſitatorem, Præpoſitum, Localem, &c. Eo quod, cum Sixtus V. in quadam conſtitutione contra illegitimos eos dignitatibus, gradibus & Officiis privatos ſtatuerit, poſtea in alia, prioris explicativa per illa ſolum intellexit, & intelligi declaravit ea munera, quæ habent conjunctam prædictam Superioritatem, non verò alia quæ illam non habent. Sic Sanchez *lib.* 6. *Sum. c.* 15. *n.* 66. Rodrig. *in explicat. Bullæ Pii V. n.* 21. Dian. 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 224. Ant. à Spir. ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1291. Garcia *ſupra num.* 22. Palaus *num.* 10.

Introducere vel admittere fœminas illaſve comitari vel detineri, Religioſis eſt prohibitum.

193. Actiones in dicto motu Religioſis prohibitæ, ſunt introducere vel admittere fœminas; & introducere eas dicitur, qui vel immediatè ad ingreſſum cooperatur, vel oſtium aperiendo, vel eas aliquomodo adjuvando; vel mediatè, ſi conſulat, jubeat, vel præcipiat ingreſſum: quia tunc eſt cauſa moralis illius. Qui autem eas admittit, vel non impedit ut ingrediantur, ſi ex Officio teneatur impedire, ut Prælatus & Janitor etiam comprehenditur, non verò alii qui ad id ex Officio non obligantur. Pellizzar. *n.* 62. Sanch. *lib.* 6. *c.* 16. *n.* 87. Similiter Prælatus & Janitor, qui ex Officio tenentur excludere fœminas, eas admittere dicuntur, ſi ipſas jam ingreſſas in caſibus permiſſis diutius detineant; vel extra caſus permiſſos, ibi commorantes comitentur, confabulationibus detineant, vel ad prandium invitent. Quia ipſis eas admittere prohibitum eſt; ſed admittere, & indirectè recipere & detinere cenſetur qui cum ex Officio teneatur expellere, id non facit: ergo, &c. Alius verò qui ex Officio non tenetur cuſtodiam ſervare, ſi tamen ſuo comitatu, vaniſque fabulationibus cauſa eſt quod ibi detineantur mulieres, earum admiſſor cenſendus eſt, & ſic hujuſmodi pœnas incurrere; ſecus verò ſi comitatus, aut confabulatio cauſa non eſt detentionis: quia alias mulier in Conventu detineretur, namtunc nec directè, nec indirectè talis detentionis cauſa exiſtit. Suar. *tom.* 5. *de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 6. *n.* 14. Sanch. *lib.* 6. *c.* 16. *n.* 93. *&* 93. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 8. *n.* 11. Bonac. *q.* 5. *punct.* 4. *n.* 16. Rodrig. *ſup. n.* 19. Pellizz. *n.* 62. Portel. *n.* 3. Garcia *n.* 22. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 678.

Quis à dictis pœnis poſſit abſolvere.

194. Ab his pœnis abſolvere poteſt, ab excommunicatione ſolus Pontifex · quia eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata, vel habens ab eo privilegium. Hoc autem habet Epiſcopus ſi fuerit occulta, ex conceſſione Trident. *ſeſſione* 24. *de reformatione cap.6.* Vbi ad abſolvendum ab omnibus caſibus & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, conceditur Epiſcopis facultas, ſi occulti ſint & non ad forum contentioſum deducti. Similiter per Bullam Cruciatæ poteſt quilibet Confeſſor ab Ordinario approbatus, talem abſolutionem impertiri. Si fuerit publicus talis ingreſſus ſemel in vita & ſemel in morte, quia Bulla à caſibus Papalibus abſolvendi talem facultatem indulget; ſi autem occultus ſit, cum jam non ſit Papalis, ſed Epiſcopalis, toties quoties poteſt per Bullam abſolvere, ut diximus *tom* 2. *de cenſur. tractatu* 10. *cap.*2. *n.* 82. Et Confeſſarium Religioſum virtute ſuorum privilegiorum poſſe toties quoties talem abſolutionem impendere ex conceſſione Pauli III. indulgentis ut poſſent toties quoties ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, & ab omnibus pœnis & cenſuris conſurgentibus ex eis, tenent Candidus *tom.*1. *diſquiſ.*22. *art.*49. *dub.*1. *&* 2. & *tom.*4. *diſquiſ.*5. *articulo* 2. *dub.*26. *&* 27. Garcia *tract.*13. *diffic. ult.* 2. *dub.*4. *numero* 23. *juncto tractatu* 10. *difficult.* 5. *dub.*3. *num.*26. Palaus *diſputatione* 4. *punct.*9. *num.* 12. Sanchez *lib.*6. *cap.*15. *num.*76. *& cap.*17. *num.*41. Rodriguez *in expoſit. Bulla Py V. num.*23. A ſuſpenſione certum eſt prælictus omnes abſolvere poſſe toties quoties, etiam ſi publica ſit, cum non ſit reſervata: & idem dicimus de aliis pœnis & inhabilitatibus, quia reſervatæ non ſunt; & ſic à Prælato quolibet poſſe tolli reſpectu ſuorum ſubditorum tenet Palaus *n.* 12. *fin.* Garcia *dub.*4. *num.*15. Rodrig. *qq. Regul. tom.*1. *quaſt.* 24. *art.*17. Candidus *tom.*1. *diſquiſit.* 24. *articulo* 59. *dub.*9.

---

§. VI.

Quid jure noſtro particulari ſit ſancitum circa materiam huius Puncti?

In noſtra Religione ratione pietatis fœminæ ingredi non poſſunt Monaſteria.

195. QUæ hucuſque diximus ex jure communi ſunt intelligenda. Ex jure autem particulari aliquarum Religionum aliter forte ſentiendum eſt, unuſquiſque ſuas proprias conſulat conſtitutiones. Apud nos autem ſunt circa hanc materiam tres ſpeciales leges, quas modo proponere duximus & explicare. Prima habetur 1. *part. conſtitut. noſtrarum cap.* 9. *numero* 7. ibi: *Nec deinceps mulieres ratione proceſſionis, ſive alio titulo, noſtra ingredi clauſtra unquam permittatur*, & imponitur pœna ſuſpenſionis ab Officio per duos menſes Prælatis aliter facientibus. Quare ex vi hujus legis minimè poſſunt admitti mulieres intra clauſtrum, vel Capellas illius, ex quocumque titulo pietatis ex his quos numeravimus *numero* 187. & ſic nec ratione Miſſæ, Concionis, funeris, profeſſionis, &c. omnia enim hæc, illo verbo, *alio titulo* excluduntur, quod refertur ad verbum immediatum, *ratione proceſſionis*: Sed Prælatus hoc modo mulieres admittens intra clauſtra, licet ageret contra iſtam legem, & pœnam in ea taxatam lueret, non vero contra præceptum, de quo ſtatim: nec excommunicationem, aut alias pœnas in eo contentas incurreret. Vt *numero ſequenti* explicat ipſa lex, ibi: *Hac autem cenſura & pœna, non incurritur in caſu proceſſionum ſupra propoſito numero precedenti, ubi propria pœna taxatur.* Cum ergo hæc pœna taxetur contra Prælatos, ratione proceſſionis, aut alio titulo pietatis in jure permiſſo, mulieres intra clauſtra admittentes, ſequitur non incurrere cenſuram, aut pœnas alias, de quibus dicemus *numero ſequenti*, Prælatum, qui ſive titulo proceſſionis, ſive alio titulo pietatis, ut ratione Miſſæ, Concionis, funeris, &c. illas intra clauſtra admitteret, quidquid in contrarium dicat Noſter Antonius à Spiritu Sancto *in ſuo Directorio tract.* 3. *diſp.*6. *num.*684.

Sub excommunicatione & præcepto prohibitū eſt noſtris omninò quod fœminas intra clauſuram admittant.

196. Secunda lex habetur eodem loco *num.* 8. ubi ſic dicitur: *Præcipimus in virtute Spiritus Sancti, ſancta Obedientia, & ſub præcepto; nec non ſub pœna excommunicationis majoris lata ſententia omnibus & ſingulis Religioſis noſtris, tam Prælatis, quam ſubditis, cujuſcumque gradus, Ordinis, conditionis, & profeſſionis extiterint, ut nullo modo (data opera) per ſe, nec per alios introducant mulieres intra ſepta Monaſtery, nec aliis ad id opitulentur, nec jam ingreſſis fœminis aſſocientur.* Et contra oppoſitum facientes, ſi Prælati fuerint, aſſignatur pœna ſuſpenſionis ab Officio per ſex menſes. Si ſubditi totidem menſibus privatio vocis & loci aſſignatur, & quod unicuique augeatur pœna juxta gravitatem delicti. Ex quo habemus primo, quod licet ex jure communi Religioſi fœminas admittentes non incurrant excommunicationem, ut diximus *num.* 191. noſtri autem incurrent illam (licet nulli reſervatam) ut ex verbis legis conſtat. ¶ Secundò, quod licet ex jure communi Religioſi aſſociantes fœminas jam ingreſſas, niſi eis ex Officio incumbat eas ejicere, non peccent, nec pœnas à Pio V. taxatas incurrant, ut diximus *num.* 133. benè tamen noſtri propter modo adductam legem. Cæterum illi qui non impediunt ut ingrediantur, ſi ex Officio ad hoc non tenentur, ut Ianitor & Prælatus, non peccant contra iſtam legem, quia in ea ſolum de concomitantibus fit ſermo, & introducentibus, nec introducere dicitur qui ingreſſum non impedit, ſi ad id ex Officio non tenetur, ut diximus *n.*193. ¶ Tertiò, quod cum in dicta lege ponatur illa clauſula: *data opera*, omnis ignorantia, inadvertentia, inconſideratio, aut negligentia excuſat ab ea, & à pœnis in ea impoſitis (niſi ſit ignorantia, aut inadvertentia affectata) cum non verificetur data opera aliquid agere, qui ex ignorantia, oblivione inadvertentia, etiam culpabili operatur, ut in ſimili diximus *num.*191.

Quibus caſibus etiam apud nos poſſint fœminæ ingredi Monaſteria?

197. Cæterum non erit contra hoc præceptum fœminas intra clauſuram admittere, quæ à Summo Pontifice licentiam, vel privilegium obtinent, dummodo in tali privilegio clauſula derogatoria huius legis contineatur; ſecus verò ſi abſque illa veniat, propter dicta *num.*179. Nec etiam erit contra illud puellas parvas nondum ad uſum rationis perventas admittere. Vt diximus *num.* 180. nec in caſibus de quibus diximus *num.*185. nec etiam in caſibus neceſſitatis adductis *num.*186. Nec etiam

Reginas

Reginas, Imperatrices, filias, aut nepotes Regum: quia iſtæ in legibus pœnalibus vel odioſis non comprehenduntur, juxta dicta *num.* 177. Quæ etiam ingredi poſſunt cum ſolito fœminarum comitatu, ut dictum eſt *numero* 178. De fundatricibus autem eſt aliqualis difficultas: quia ut diximus *num.* 177. hoc ipſo quod Reginæ & fœminæ de ſtirpe regia non excludantur, nec etiam illæ excludi debent ab ingreſſu in Monaſteria quæ ſua ſunt, & ob jus patronatus, quod eſt urgentiſſimum. Cæterum, quia conſuetudo optima eſt legum interpres, & apud nos nunquam auditum eſt hoc præciſo titulo, fundatrices admiſſas fuiſſe in Monaſteria, aſſerendum eſt ipſas comprehendi ſub dicta prohibitione, conſuetudine inviolabiliter obſervata, ita interpretante.

Lex noſtrorum Eremorũ proponitur.

198. Tertia lex apud nos graviſſima & ſtrictiſſima habetur, 2. *part. conſtit. cap.* 9. §. 3. *num.* 9. Vbi loquendo de domibus Eremorum (quarum una in ſingulis Provinciis reperitur) ſic dicitur: *Præcipimus in virtute Spiritus ſancti, Sancta Obedientia, & ſub præcepto, & ſub pœna excommunicationis majoris ipſo facto incurrenda omnibus Eremi Prælatis & Religioſis, cujuſcumque profeſſionis ſint, ne unquam mulieres cujuſcumque conditionis, quocumque titulo, ſive ratione proceſſionum, ſive aliquo alio, etiam à jure & privilegiis permiſſo intra Eremi terminos ingredi permittant.* Et Prioribus, aut Superioribus intra hoc delinquentibus pœna privationis Officiorum & excluſionis ab Eremis imponitur, & tollitur à Diffinitorio Generali facultas in hac lege diſpenſandi, & licentiam mulieribus ingrediendi, concedendi: etiam ſi iſtæ licentiam & indultum à Sede Apoſtolica impetraverint, niſi mandatum contineat; & additur: *Et ut ipſæ mulieres dictam cenſuram incurrant propter excommunicationem majorem à Sanctiſſimo D. N. Clemente VIII. contra mulieres in hoc caſu, & à Gregorio XV. in ſpecifica forma tam contra ipſas, quam contra omnes qui illas introduxerint, ſeu qualitercumque auxilium & favorem ad introeundum eis dederint latam, declaramus omnem ſitum Eremi ut clauſuram reputari.*

Quid iuxta dictam legẽ ſit apud nos tenendum?

199. Circa hanc legem duo nobis notanda ſunt. Primum etiam Eccleſiam Eremorum & Clauſtrum quod eſt ante illam comprehendi ſub clauſura: cum in hac lege non ſolum domum & Monaſterium, ac omnes partes illius pro clauſura aſſignentur, quod fecit Pius V. in ſuo motu, ut diximus *num.* 181. ſed omnem ſitum Eremi, & ſic etiam Eccleſiam atrium, & alia quæ ſunt ante illum & communi oſtio clauduntur. Nec hæc clauſura eſt jam arbitraria, quam poſſent Prælati immutare, ut diximus *numero* 184. quæ eſt jam à lege aſſignatâ, in qua nec Pater Noſter Generalis, nec Diffinitorium Generale poſſunt diſpenſare. Secundum: mulieres ingredientes non ſolum incurrere excommunicationem latam in motu Pii V. de qua diximus *numero* 192. quæ eſt reſervata, ſed etiam aliam non reſervatam, ex conceſſione nobis facta à Gregorio XV. *in Bulla* 3. *apud noſtrum compendium folio* 306. quæ comprehendit omnes etiam ſæculares qui fœminas in Eremos noſtros introducunt, vel eis ad ingreſſum, auxilium, aut favorem præbent. Sed quia in dicta Bulla audacia & præſumptio requiritur, quævis ignorantia non affectata, vel inconſideratio ab eâ incurrenda excuſat.

Reginæ & Imperatrices ingredi poſſunt noſtra deſertã.

200. Modo ſolum eſt difficultas, an non obſtante iſta lege, in caſibus neceſſitatis, de quibus diximus *numero* 186. poſſint mulieres in Eremis noſtris admitti, vel etiam Reginæ, Imperatrices, filiæ, aut Neptes Regum cum comitatu famularum, quam ferre ſolent? Affirmativè reſpondet Fr. Antonius à Spiritu ſancto *tractatu* 3. *diſputatione* 6. *numero* 696. & 697. & meritò, cum & iſtæ propter excellentiam ſui nominis nunquam cenſeantur comprehenſæ, niſi exprimantur in diſpoſitionibus odioſis, & illæ ex jure naturæ in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis propriæ, vel Religioſorum jus habeant ingrediendi. ¶ Sed eſt difficilis objectio, quam pro aliis legibus Eremorum intelligendis proponemus: quia aliqui ad litteram illarum nimis attendentes, quid æquitas, juſtitia & charitas expoſtulent, non advertunt.

Obiectio contra dicta ex ipſis legibus Eremorum.

201. Objicitur ergo, quod ſi ad rigorem huius legis attendatur, & ſolum ſecundum quod littera ipſa ſonat abſque ulla gloſſa & interpretatione ſit intelligenda, proculdubio omnes dictæ fœminæ *numero præcedenti* relatæ, ſunt excluſæ: quia dicitur: *Ne unquam mulieres cujuſcumque conditionis quocumque titulo, &c.* nam illa Generalis abſque aliqua gloſſa, vel interpretatione, prout ſonat præcisè intellecta, etiam Reginas comprehendit, & illa: *Ne unquam quocumque titulo*, eodem modo accepta, etiam excludit titulum neceſſitatis, vel certè erit aliquod dubium, an illis verbis prout ſonant, & abſque gloſſis intellectis, interdicatur ingreſſus etiam Reginarum, etiam occaſione neceſſitatis? Sed pro inviolabili legum Eremi obſervantia ſic dicitur 2. *part. conſtitut. cap.* 9. §. 8. *numero* 2. *Volumus, & ſapius imperamus ut omnes Eremi conſtitutiones ad litteram ut ſonant, abſque gloſſis ſimpliciter intelligantur. Quod ſi fortè de earum ſenſu aliqua interdum dubitatio contingat, tunc ille ſenſus, ſive declaratio ut tutior eligatur, quæ magis Orationi, aſperitati, & aliis hujus profeſſionis obſervantiis favet*: ergo, &c.

Solutio prædictæ obiectionis & doctrina notatu digna traditur.

202. Cæterum hæc lex graviſſima & ſanctiſſima, qua præcipitur omnes leges Eremorum prout ſonant abſque gloſſis & interpretationibus intelligendas, quando interpretationem, ſeu gloſſam admittere debet, ut juſta ſit, & conſequenter valida, nimirum, *Niſi aliter æquitas, charitas, juſtitia, vel jus alterius poſtulaverit.* Si enim aliqua ex his poſtulaverit ut lex illa non prout ſonat præcisè intelligatur, ſed ſecundum interpretationem verborum, vel illorum intelligentiam, quam ex jure communi admittunt, ita accipienda eſt. Etenim ut lex ſit juſta & conſequenter valida, ut inquit D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 95. *art.* 3. & D. Iſidorus *lib.* 5. *ethimologiar. cap.* 3. non debet eſſe juri divino, naturali, aut Superiori poſitivo repugnans: quia hoc ipſo non eſt ſecundum rationem, & ideo non erit juſta; ſed ſi lex prout ſonat intellecta, eſſet contra jus alterius, contra juſtitiam, charitatem, vel æquitatem, non eſſet rationi conſona, ſed magis juri divino, aut naturali contraria: ergo non debet ita ſecundum litteram admitti, ut non admittat tacitam interpretationem, ſeu potius limitationem, *niſi*

aliter

aliter æquitas, charitas, juſtitia vel jus alterius poſtulaverit: cum ergo charitas & æquitas; imò juſtitia poſtulet ut in caſu neceſſitatis urgentis mulier intra Eremum admittatur, ut ſi aliter ipſa mortem evadere non poſſet; vel ſi Religioſus graviter infirmaretur, & nullo alio remedio mederi poſſet, niſi intrante fœmina ad illius curationem. Et ſimiliter fœminæ de prole regia jus habeant ex conſuetudine, & ex legibus ut poſſint omnia ingredi Monaſteria, non poterit lex illa Eremi, ita ad litteram intelligi, ut etiam has omnes excludat.

CAPUT VI.

De tribus votis ſubſtantialibus ad quæ ex vi profeſſionis obligatur Religioſus.

HACTENUS ſolum in genere locuti ſumus de tribus votis ſubſtantialibus Religioſorum, nimirū Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ, quomodo ſint eſſentiales ſtatui Religioſo, ita ut nullus Religioſus manens, poſſit ab eorum vinculo liberari? quomodo non ſit de eſſentia ſtatus Religioſi quod ſint ſolemnia? Sed poſſe ſalvari hujuſmodi ſtatum in votis ſimplicibus factis ſub regula approbata, ut diximus *cap.1.num.31.* Ubi etiam explicimus in quo ſolemnitas votorum conſiſtat? Quomodo ſit de eſſentia ſtatus Religioſi quod hæc vota ſint ſimpliciter & abſolutè emiſſa; ac proinde non eſſe veros Religioſos Equites militares, qui ſolum ad Caſtitatem conjugalem obligantur, ut probavimus *dicto cap.1. num.58.* ubi etiam *num.42.* illam quæſtionem ſolvimus: an poſſit Summus Pontifex in his votis ſolemnibus diſpenſare? & plura circa illa in genere hucuſque diximus, reſtat ut modo ea in particulari explicemus. Sed quia in diverſis locis hujus Curſus, jam de aliquibus actum eſt à nobis, quod deſideratum eſt in præſenti ſubjiciemus, Lectorem remittentes ad loca in quibus de aliis diſputavimus, ne multoties eandem materiam inculcemus. Hoc Caput continet 10. Puncta.

PUNCT. I. *De obligatione, quam ex vi voti paupertatis contrahunt Religioſi in communi remiſſivè,* n.1.

PUNCT. II. *Quomodo Religioſus violet votum paupertatis aliquid expendendo, vel retinendo ſine licentia, & ad quam reſtitutionem teneatur? remiſſivè,* num.8.

PUNCT. III. *De obligatione quam votum Caſtitatis inducit,* n.18.

§. I. *De ſolemni voto Caſtitatis, illius effectibus, ac diverſitate à voto ſimplici,* num.19.

§. II. *De voto ſimplici Caſtitatis, quod extra Religionem emittitur,* n.27.

PUNCT. IV. *De natura Obedientiæ, ut eſt virtus, & ut pertinet ad Religioſos, caditque ſub voto,* num.40.

PUNCT. V. *De objecto Obedientiæ, & materia illius, ſeu de his rebus in generali quæ poſſunt cadere ſub Prælatorum mandatis.* num.53.

PUNCT. VI. *An ſubditus teneatur obedire Prælato, ſi habeat opinionem probabilem quod Prælatus rem illam ſibi imperare non poteſt,* num.60.

PUNCT. VII. *An ſubditus teneatur obedire Prælato aliquid ſupra regulam, intra regulam, contra regulam, vel præter regulam præcipienti?* num.71.

PUNCT. VIII. *An quando regula ſolum obligat ad pœnam, vel ſub veniali, poſſint Prælati obligare ad obſervantiam illius ſub mortali?* num.84.

PUNCT. IX. *An ſubditus teneatur obedire Prælato aliquid arduum vel periculoſum vitæ præcipienti?* num.91.

PUNCT. X. *Quot peccata committat Religioſus contra præceptum Prælati operando?* num.99.

PUNCTUM I.

De obligatione, quam ex vi voti paupertatis contrahunt Religioſi in communi remiſſivè.

1. QUAMVIS ad iſtum locum directè pertineat agere de paupertate Religioſa, & de omnibus ad illam pertinentibus: quia tamen *tomo tertio*, diverſis in locis de illa latè egimus, modo dumtaxat attingemus ibidem latè diſcuſſa, remittentes Lectorem ad illa loca, in quibus omnia hæc fusè exarata videbit. Igitur *in tractatu* 12. agentes de dominio *in cap.2.punct.12.per totum*, egimus de dominio cujus ſunt capaces Religioſi tam in communi, quam in particulari; & initio Puncti ex D.Thom. 2.2. *quæſt.*184. *art.*3. ſuppoſuimus, quod ſicut non eſt eadem apud omnes Religiones paupertas, ſic non ſunt omnes de facto capaces vel incapaces dominii; ſed univerſi Ordines eam profitentur paupertatem, quæ eſt ſuo proprio fini proportionata. Et hinc fit, quod licet omnes Religiones (exceptis Minoribus de Obſervantia & Capucinis) ſint capaces dominii quorumcunque bonorum in communi, ex conceſſione

Diverſa paupertas in communi in Ordinibus ſervatur.

ceſſione Nicolai III. extravaganti *ex iii, de verborum ſignificatione*, & Trident. *ſeſſ.25.cap.3. de regular.* quud non pugnat cum voto paupertatis, ſed potius illi conſunum eſt, ut ibidem probavimus; cæterum quia talis conceſſio ſe habet ut indultum & privilegium, illi renuntiare poſſunt Religiones, quæ ſtrictiorem & perfectiorem paupertatem volunt profiteri, uti noſtra Religio Carmelitarum diſcalceatorum renuntiavit quoad non habendum, etiam in communi dominium rerum immobilium quoad omnes Conventus. Et ſacra Societas quoad domos profeſſas illius.

Quomodo Religioſi ſint capaces dominii in communi.

2. Et in §. 1. illius puncti explicuimus quomodo omnes Religiones (aliquibus exceptis) ſint capaces ſucceſſionis hæreditariæ ab inteſtato, vel ex teſtamento; ex Clementina *Exivi, de verborum ſignificatione*, & Trident. *ſeſſ.25.c.3. de regular.* Ex quo fit primo quod ſi earum Religioſi de ſuis bonis ante profeſſionem non diſponant, jure hæreditario ſuccedit Monaſterium vel Religio. Imo etiam ſuccedit in majoratibus, quos Religioſi vel ante profeſſionem poſſidebant, vel qui ad illos poſt profeſſionem deveniunt; ideoque eorum redditus, ac proprietatem poſſidet quandiu Religioſus vixerit, niſi tacitè vel expreſsè in eorum fundatione Religioſi excludantur. Fit ſecundò hæreditatem, vel Legatum Religioſo poſt profeſſionem relictum non pertinere ad ipſum, ſed ad Monaſterium, ſi ſit capax dominii, & ſic ipſum Monaſterium debere illud adire, dominiumque ejus poſſidere. An vero ſi hæreditas vel Legatum relinquatur Religioſo ſub conditione ut ipſe illud poſſideat independenter à Superioris voluntate, ſit firmum & validum? ibidem reſolvimus, explicatis tribus modis, quibus talis conditio poteſt interpretari.

De Paupertate Minorum, Societatis & noſtræ Religionis.

3. Et in §. 2. illius Puncti explicuimus quomodo Religio Minorum, Societatis & noſtra, ſit vel non capax dominii in communi, & diximus Minorum ſacram familiam non poſſe inſtitui hæredem cujuſcumque rei mobilis vel immobilis, ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento, & ſic talem hæreditatem tranſire ad hæredem ab inteſtato, nec eſſe capacem legati rei immobilis alicujus: quæ omnia habentur *Clement. exivi de verborum ſignificatione.* Cæterum ſi Legatum rei immobilis illi relinquatur ſub conditione ut vendatur, & pretium illius in bonum illius Religionis cedat, valet legatum, & Religio illud pretium petere poteſt & recipere: ut conſtat ex eadem Clement. §. *ſi vero Fratribus.* At vero cujuſcumque legati rei mobilis, ut tritici, vini, olei, pecuniæ, ſunt capaces minores; dummodo non ſit in magna quantitate, qua mendicitas eorum excludatur, ut dicitur in eadem Clementina §. *cupientes.* Vel fiat in fraudem ad relinquendam hæreditatem ſub titulo Legati. Circa quæ plura illo §. *diximus.* ¶ Sacra autem Societatis Religio in ſuis domibus profeſſis, & noſtra Diſcalceatorum familia in omnibus Conventibus non poſſunt ſuccedere ab inteſtato in hæreditate paterna, vel materna, vel aliorum. Et ſic ſi in noſtra Religione Novitii ante profeſſionem de ſuis bonis non diſponant, ſuccedit hæres ab inteſtato; quod non tollit poſſe noſtros Religioſos hæredes inſtitui vel legatarii cujuſcumque rei mobilis, vel etiam immobilis. quæ mobilis reddi poſſet ſi vendatur, & pretium in Monaſteriis utilitatem convertatur. Si tamen legatum fuerit rei immobilis, quæ vendi non poſſit, legatum erit caducum tranſibitque ad hæredem. Poterunt tamen Conventus noſtri Ordinis, ratione fundationis, aut patronatus alicujus Conventus, aut Capellæ annuos redditus recipere cum conditionibus aſſignatis in noſtris conſtitutionibus 1. *part. cap.7. num.*14. Alia ad ipſum ſpectantia illo §. videbis.

Quomodo habendi dominium in particulari ſint incapaces Religioſi.

4. In §.3. illius Puncti egimus de incapacitate Religioſorum habendi dominium in particulari, & ex multis juribus probavimus ex vi voti paupertatis eſſe Religioſos prorſus incapaces illius: & inde intulimus quomodo peccet mortaliter Religioſus aliquid abſque licentia Superioris diſtrahendo vel recipiendo: quamvis circa modum licentiæ & quantitatem, quam poterant Religioſi diſtribuere, diximus inter Religiones eſſe diverſitatem. Vnde etiam intulimus non poſſe Religioſos de ſuis rebus diſponere abſque debita licentia, nec per teſtamentum, aut codicillum, aut donationem cauſa mortis, nec contra hoc poſſe prævalere aliquam conſuetudinem. Vbi etiam reſolvimus: an Religioſus de ſuis bonis, quæ habet ad uſum, poſſit de licentia Prælati per donationem cauſa mortis diſponere? Et ſicut Religioſus nequit teſtare, ſic nec teſtamentum à ſe factum ante profeſſionem revocare: poſſet autem illud declarare in caſibus dubiis, declaratione verbis congruente. Quomodo autem Religioſi Ordinum militarium, ſive Equites ſint, ſive clerici, poſſunt vel non teſtamentum condere? ibidem in fine diximus.

Bonorum ſpiritualium dominium habere poſſunt Religioſi.

5. In §. autem 4. explicuimus quorum bonorum dominii ſint Religioſi in particulari capaces. Vbi diximus quod licet bonorum temporalium pretio æſtimabilium non ſint capaces dominium habendi, benè tamen bonorum ſpiritualium. Vnde Religioſi beneficiarii dominium, aut quaſi dominium ſuorum beneficiorum habent. Similiter poſſunt accipere & retinere reliquias Sanctorum, Agnus Dei, &c. abſque licentia, & de eis diſponere abſque violatione voti paupertatis. Habent etiam verum dominium ſuorum manuſcriptorum, ita ut ea ſecum deferre quocumque vadant, donare comburere poſſint, aliaque circa illa exercere, quæ ſunt propria munia proprietarii. Poterunt etiam Miſſas pro animo celebrare, etiamſi ſciat ipſum pro eis ſtipendium recipere, caſu quo non detur in ejus Religione obligatio celebrandi pro intentione Prælati; ipſe vero non poſſet ſtipendia pro Miſſis recipere, eaque amico abſque licentia impendere: quia hoc ſtipendium, eſt aliquid temporale. Etiam eſt Dominus Religioſus omnium actionum ſuarum naturalium & ſupernaturalium, eaque proinde in obſequium alterius poteſt exercere abſque præjudicio voti paupertatis, etiamſi alterum eleemoſinas pro eis recipere non ignoret. An verò artefacta, picturæ, ſculpturæ, aliudve opus eleganter elaboratum ſit ſub dominio Monaſterii, vel Religioſi artificis, ita ut hic pro libibito de his diſponere poſſit: ibi reſolvimus facta diſtinctione inter Religioſos Choriſtas & Laïcos. Vbi etiam diſputavimus an poſt decretum Concilii Tridentini *ſeſſ.25. cap.2. de regular.* ſit licitum Religioſis peculium habere particulare.

Cui acquirunt Religioſus quæcumque acquirit?

6. Similiter §.5. diximus cui acquirat Religioſus quæcumque acquirit? Vbi omne quod acquirit Religioſus, ex quocumque titulo, ſi

 ſit

ſit pretio æſtimabile, Monaſterio acquirere aſſeruimus. In aliquibus Religionibus acquirit Monaſterio, in quo profeſſus eſt, in aliis, ut in noſtra, ſemper acquirit domui illi, in qua, non ut hoſpes, ſed ut Conventualis inhabitat. Si verò Religioſus de uno in alium Ordinem tranſeat cum debita licentia, omnia quæ ante tranſitum acquiſierat, vel illi obvenerant ex quocumque titulo pertinent ad priorem Religionem; ad poſteriorem verò, quæ poſt tranſitum acquiſierit, vel illi obvenerint. Cui verò acquirat Religioſus apoſtata & fugitivus quæcumque acquirit? Cui acquirat juſtè & legitimè expulſus, jam ibi reſolvimus, & etiam hoc *tract.5. cap.5. num.101. & num.138.* Vbi etiam *num.42.* cui acquirat Religioſus Epiſcopus factus.

Obligetur ne Religio ob delictum Religioſi, vel ejus contractum.

7. In §.6. egimus an Monaſterium ex delicto Religioſi & ejus contractibus obligetur? Vbi diximus ex delicto cujuslibet Religioſi particularis, qui per ſe ut particularis agit nullam contrahere Religionem, vel Monaſterium obligationem ſatisfaciendi: quia delictum particularis Communitati non nocet. *Regula delictum 36. juris in 6.* niſi ex ejus delicto commodum receperit Monaſterium, ut ſi ex furto, aut injuſtitia particularis, ditius redderetur. Ipſe verò Religioſus alteri damnificato tenetur, vel ex ejus peculio ſatisfacere, ſi habuerit, vel pro opera ſupererogationis facta & labores, ac induſtrias. Tenebitur tamen Monaſterium ſtare contractibus à Religioſo initis ex tacita vel expreſſa licentia Communitatis, non verò ad eos tenebitur, quos abſque tali licentia iniit: & quamvis aliqui probabiliter dicant contrahentem cum Religioſo, qui abſque legitima licentia ſe obligavit, obligatum manere, quandiu Superior contractum non reſcindit, verius eſt oppoſitum, cum ſit utrinque æqualitas ſervanda in contractibus, ut tenent Leſſius, & Palaus *ibi* citati.

PUNCTUM II.

Quomodo Religioſus violet votum Paupertatis aliquid expendendo vel recipiendo abſque licentia, & ad quam reſtitutionem teneatur? remiſſivè.

Furti reus eſt Religioſus qui aliquid ex cōmuni penu ſine licentia diſtrahit.

8. IN *Tractatu 13. de reſtitutione*, per novem Puncta circa hanc materiam latè diſſeruimus. Sed quia præſens eſt proprius illius locus, ne in illo maneant omnino intacta, quæ ibidem dicta ſunt à nobis, authoribus hinc inde citatis, & diverſis rationibus adductis, modo ad brevitatem reducere duximus, & ad loca ubi ſunt laxiori calamo exarata Lectorem remittere. Igitur in primo Puncto ſtatuimus Religioſum profeſſum, furti reum exiſtere, ſi aliquid ex communi penu Monaſterii ſubtraxerit ad ſuum uſum abſque licentia tacita vel expreſſa Prælati; vel ſi quid ex bonis ſibi ad uſum conceſſis abſque ſimili licentia diſtraxerit; ita ut teneatur reſtituere quidquid modo dicto acceperit, vel diſtribuerit. Vnde non poteſt aliquid habere, poſſidere, vel diſtribuere, aut uti tanquam proprium, id eſt affectu retinendi independenter à voluntate Superioris; & paratus debet eſſe exui omni poſſeſſione & uſu omni momento, quo Superior juſſerit: nec poteſt quidquam abſcondere, ut illud liberæ Superioris diſpoſitioni ſubducat: nec poteſt ab externis vel domeſticis quidquam accipere abſque Superioris conſenſu; at ſi Superior, vel ob neceſſitatem, vel ob malitiam, neceſſaria ſubditis deneget ad victum, veſtitum, curationem, iter, &c. ſecundum cujuslibet Religioſi conditionem, vel conſuetudinem Religionis, poteſt ipſe ſubditus abſque peccato ea clam accipere, vel à ſæcularibus data, vel etiam ex bonis ipſius Conventus accepta, & illis abſque licentia uti, ut ſuæ neceſſitati ſubveniat. Ex quo ſequitur, mortaliter peccare Superiorem, qui eſt talis reſpectu communitatis obſervantioris; in qua ex conſuetudine Religionis omnia neceſſaria regularibus tribuuntur, ad non tribuentem cum poſſit, ſubditiſque dantem occaſionem quod cum dedecore Religionis hæc ſibi quæritent. De pœnis contra proprietarios aſſignatis in illo Puncto à *num.6.* egimus, & *in fine* probavimus conſtitutionem Clementis VIII. *de largitione munerum* non eſſe, ſaltem pro Hiſpania receptam.

Mortaliter peccat Religioſus aliquid recipiens, vel retinens ſine licentia.

9. In Puncto autem ſecundo ſtatuimus, mortaliter peccare Religioſum contra votum paupertatis qui aliquid recipit, vel retinet abſque debita licentia, animo illud occultandi vel ex bonis Monaſterii, vel etiam ab extraneis, adhuc manente dominio apud illos, & uſu independenter apud ipſum, quidquid plures Authores *n.13.* citati in oppoſitum, non improbabiliter dicant; non autem peccabit Religioſus cōtra votum, ſi res ab alio oblatas nolit accipere, ſed donanti manifeſtet ſe ejus nomine aliis daturum: quia tunc non ipſe donat, vel utitur ipſis donis, ſed alius qui Religioſi miniſterio utitur; nec peccat contra votum ſi rem à ſæculari accipiat ut Superiori tradat. Nec etiam ſi aliquid exigat ab alio abſque animo recipiendi antequam petat à Superiore licentiam; ſed quia nollet fruſtra petere, vult prius animum illius tentare. Imò non peccat contra votum Religioſus pecunias petens ab aliquo ſeculari abſque licentia, & apud ſe quaſi in depoſito habens, animo eis non utendi antequam licentiam obtineat, etiamſi alius animo transferendi dominium donet, dummodo ipſe non habeat talem animum. Peccat tamen mortaliter contra votum ſi rem ex Superioris licentia acceptam celat artificiosè ne à Superiori auferatur. Sed hoc cum limitationibus ibi *n.19.* adductis eſt intelligendum. Si verò Religioſus rem habitam de licentia Prælati Superioris, occultet inferiori, non peccat contra votum paupertatis: quia in hoc caſu habet ſe Prælatus inferior, ſicut quilibet privatus, qui nequit revocare facultatem Superioris.

Peccat mortaliter Religioſus aliquid ſine licentia donans in magna quantitate.

10. Deinde *in Puncto 3.* Peccare mortaliter Religioſum aliquid in notabili quantitate donantem abſque licentia, diximus, etiam ex his quæ ſunt illi ad uſum conceſſa, & tam donantem, quam ab eo recipientem teneri talem rem reſtituere. Et idem eſt dicendum de Religioſo remittente ſibi debitum ex juſtitia: quia debiti remiſſio eſt quædam donatio, *c. veniens de teſtibus.* Cum hoc tamen ſtat poſſe Religioſum recuſare quod ab alio ſibi donatur, vel ne inſtituatur hæres vel legatarius avertere: quia illud eſt debitum remittere, aliud recuſare beneficium & gratiam: & ſic poteſt Religioſus volenti ſibi aliquid donare, rogare ante acceptationem ut illud donet amico vel conſanguineo abſque præjudicio voti paupertatis. Poteſt item Religioſus donare abſque licentia omnia illa, etiamſi ſint in magna

quantitate,

quantitate, quæ in Religione ſolent donari & accipi videntibus, & non contradicentibus Prælatis, ſive de bonis ipſi ad uſum applicatis, ſive de bonis Conventus. An verò quando aliquid ſibi Religioſi ſubtrahunt ex his quæ ad uſum ipſis tribuuntur ut ad victum, veſtitum, iter agendum, &c. & parcius vivendo aliqua excuſant, poſſint inde eleemuſynas & alias donationes facere? ibidem à n. 26. reſolvimus, impugnando ſententiam affirmativam, & negativam amplectendo, ſed cum aliquibus limitationibus. In quibus autem caſibus, & in qua quantitate poſſint Religioſi aliquas eleemoſynas facere? ibidem à n. 29. diximus.

Res pretio æſtimabiles nequit Religioſus ſine licentia, cómodare, mutuare, vendere.

11. Prætereà *in Puncto* 4. diximus non ſolum per votum paupertatis prohiberi Religioſis aliquid dare vel accipere abſque legitima licentia, ſed etiam res pretio æſtimabiles commodare, mutuare, vendere, permutare, ſive intra, ſive extra Monaſterium, etiam ex his rebus quæ ſibi ad uſum ſunt applicatæ, niſi in rebus parvi momenti & brevius occurrentibus, & etiam ſi ſint magni momenti, ſi perſona cui res commodatur, aut mutuatur eſt ſatisfactionis, & ſic certum judicatur integrè illam reſtituturum. Sed ſicut Religioſus abſque licentia non poteſt mutuare, aut commodare, ita nec commodato aut mutuo aliquid recipere. Cæterum, ut Religioſi mutuo aliquid accipiant, ſufficit tacita licentia, quæ præſumitur adeſſe quando res eſt modica. Vel etiam ſi gravis ſit, eſt tamen neceſſaria ad uſus, quibus Religio ſolet aut debet providere, & alias Prælatus eſt abſens, nec poteſt faciliter adiri. Et adhuc ſi non detur talis licentia, ut ſit grave peccatum mutuo aliquid accipere requiritur multo maior quantitas, quam ad expendendum, vel donandum. Ex commodato autem aliquid accipere abſque licentia, vix unquam accedit ad mortale; ſi tamen Religioſus res magni momenti ad uſum ſibi conceſſas inconſulto Superiori commutet, ſive cum extraneis ſive cum Religioſis ſui Ordinis, mortaliter peccabit: quamvis aliqui non peccare mortaliter eas commutando cum extraneis aſſerant, quos citavimus *n.* 36. & alii quos dedimus *n.* 38. non eſſe mortale dicant, eas cum Religioſis ſui Ordinis commutare. Si autem unus Religioſus ad aliquid donandum licentiam habeat, alius qui eſt ſubditus ejuſdem Prælati poteſt illud recipere ſine nova licentia, ut ibidem *n.* 42. probavimus.

Quæ materiæ quãtitas requiratur ut illius indebita diſtributio ſit mortale?

12. *In Puncto* 5. egimus de materiæ quantitate, quæ requiritur, ſive in pecuniis, ſive in rebus comeſtibilibus, ut Religioſus abſque licentia expendens, peccet contra votum mortaliter. Pro quo ſuppoſuimus furta Religioſorum ex bonis Monaſterii, ut furta filiorum eſſe computanda: & ideo id quod in filiis eſt materia gravis quando aliquid clanculum ex bonis Parentum ſurripiunt, erit etiam, proportione ſervata, in Religioſis quando inconſulto Prælato, ex bonis Monaſterii aliquid accipiunt. Imò major quantitas requiritur ut ſit mortale donatio & acceptio ex bonis à ſæcularibus datis, quam ex bonis communibus Monaſterii: & adhuc major ſi donatio fiat Religioſis ejuſdem Conventus, quam extraneis; quæ omnia arbitrio prudentum penſanda ſunt. Et ut prudentes aliquam lucem accipiant ad cognoſcendum quæ materia poſſit cenſeri gravis, DD. graviſſimorum placita recenſuimus *n.* 46. & *n.* 48. quid ſit tenendum judicavimus. Et *n.* 42. diximus regulariter non eſſe mortale aliquam rem ex loco publico Monaſterii ad uſum temporalem, etiam per multum tempus accipere: quia valor illius uſus regulariter non eſt magnæ quantitatis, niſi talis acceptio cedat in aliorum notabile præjudicium. Peccat tamen mortaliter Religioſus qui modica furando, vel donando, pervenit ad magnam quantitatem, ut *n.* 53. (contra plures Authores oppoſitum tenentes, quos *n.* 52. dedimus) probavimus. Quamvis diximus majorem quantitatem requiri in his furtiolis ut una magna conſurgat, quam ſi ſimul tota quantitas furaretur. Non autem erit peccatum mortale paulatim ex rebus comeſtibilibus Ordinariis, aliquid ſine licentia accipere, de bonis Monaſterii ad uſum præſentaneum ipſius Religioſi, etiam ſi per hæc repetita furtiula perveniatur ad magnam quantitatem. Circa hæc vide quæ diximus *à num.* 55. *uſque* 59.

Quæ licẽtia Superioris exigitur ut nõ violetur votum paupertatis?

13. *In 6. Puncto*, egimus ex profeſſo de licentia Superioris, quæ requiritur ut in acceptionibus & donationibus votum Paupertatis non violetur, & diximus triplicem poſſe conſiderari licentiam, nimirum expreſſam, illa videlicet quæ verbo vel ſcripto expreſſam dat facultatem ad aliquid recipiendum, vel expendendum. Tacita, quando nimirum præſumitur Prælatum id velle. Unde ſolet dici *præſumpta* & *interpretativa*, & virtualis: & eſt illa quæ in alia expreſſa continetur. Dicendum itaque eſt, quod in Religionibus, in quibus non eſt præceptum, aut lex jubens ut nemo abſque expreſſa licentia quidquam accipiat, aut donet, ſufficit tacita licentia ad dandum & accipiendum ut excuſet à peccato mortali, quid autem dicendum ſit in Religionibus, in quibus datur tale præceptum vel lex, an ſit contra votum paupertatis aliquid dare, vel accipere in notabili quantitate cum ſola præſumpta vel tacita licentia, late ibi diximus *à n.* 63. *uſque* 66. Taciturnitas autem Prælati videntis Religioſum aliquid recipere vel expendere, & non contradicentis, ſi ſit ſola permiſſio, quia commode contradicere non poteſt, non ſufficit ut ſic expendens, a mortali liberetur, ſecus verò ſi ſit quædam approbatio & quaſi ratihabitio de præſenti, quæ eſt quædam tacita licentia. An verò ſit licentia tacita excuſans à tranſgreſſione voti paupertatis, quando Religioſus rem alienat, accipit, vel donat inconſulto Superiori, credens prudenter, fore ut Superior daret licentiam ſi peteretur? Affirmativam ſententiam, quam cum pluribus Authoribus *n.* 67. dedimus, *n.* 69. impugnavimus, & contrariæ *n.* 70. adhæſimus, ſed cum limitationibus quas ibi propoſuimus.

Licentia debet eſſe legitima, juſta & voluntaria.

14. Requiritur autem quod licentia excuſans à tranſgreſſione voti paupertatis triplicem habeat conditionem. Prima quod ſit voluntaria: Unde ad nihil valet licentia dolo, fraude, aut metu extorta, ſi quoad rei ſubſtantiam ſit aliquo ex his modis involuntaria, vel licentia quaſi coactè accepta, eo quod Prælatus timeat quod ſi negaret, notabiliter obmurmuraret Religioſus, maximaſque funderet querelas, tanquam injuria affectus. Secunda conditio eſt quod ſit legitima, hoc eſt, à legitimo Superiori conceſſa, & talis eſt Prælatus immediatus, Provincialis, Generalis, & etiam Summus Pontifex; quæ non expirat per hoc quod expiret Prælatus, & alius loco illius ſubrogetur, niſi fuerit conceſſa ad certum tempus & limitatos uſus. Tertia conditio eſt, quod ſit juſta, hoc eſt ex juſta & ſufficienti cauſa petita, & conceſſa,

ceſſa, quæ juſta cauſa requiritur, ut ſit licita licentia, non ut valida. Vnde peccaret Superior juxta gravitatem materiæ, ſi abſque juſta cauſa licentiam concederet, ſubditus verò illa utens non peccaret contra votum paupertatis. Nulla tamen erit licentia conceſſa determinatè ad uſus profanos vel inhoneſtos. An verò Prælatus poſſit licentiam concedere ad habendas res ſuperfluas, & ſubditus peccet ſi ex licentia Prælati eas habeat, diximus *num.* 83. & *num.* 84. gravem illam difficultatem reſolvimus: an quando Prælatus concedit licentiam generalem ad expendendam aliquam ſummam in uſus quos ſibi placuerint, peccet contra votum paupertatis, & teneatur reſtituere tam ipſe dans, quam accipiens ab eo, ſi expendat eam in uſus vanos, illicitos, & inhoneſtos? & propoſita negativa ſententia, ut probabili, affirmativam ut probabiliorem amplexati ſumus.

Quæ poteſt expendere Prælatus, & dare licentiã expendendi.

15. *In Puncto* 7. egimus de obligatione quam habent Prælati circa votum paupertatis, & quam facultatem poſſint expendere, aut dare licentiam ſubditis ad illam expendendam: & diximus quod cum Prælatus regularis non minus voto paupertatis adſtringatur quam alii Religioſi, nec aliis dare licentiam poſſe, nec ſibi accipere ad ſuperflua, & per ſuperflua intelligimus omnia quæ nec ad ſuos uſus, nec ad Conventus debitam proviſionem ſunt neceſſaria: Vnde exceptis his, quæ in commodum Monaſterii aſſumit, ea omnia, & non amplius expendere poteſt ad quæ expendenda poteſt ſuis ſubditis dare facultatem. At omnia dare & expendere poteſt quæ in commodum, decentiam & ſplendorem Communitatis cedunt, dummodo terminos ſtatus Religioſi non excedat: & cum loco Communitatis ſufficiatur immediatus Prælatus id facere poteſt, expendere, commutare, vendere, emere, &c. quæ Communitas faceret ſi prudenter ſe gereret. An verò, & quomodo bona Monaſterii poſſit alienare inf. a *cap. ſequenti* dicemus. Poteſt etiam, & debet eleemoſynas facere de bonis Communitatis, plures vel pauciores pro majori vel minori neceſſitatum occurrentia. Imò tenetur ex bonis Monaſterii eleemoſynas facere, & licitè poteſt omnia ſuperflua illius inter pauperes diſtribuere. Et non ſolum ex ſuperfluis poteſt eleemoſynas facere, ſed etiam ex neceſſariis, prout uſus & conſuetudo Religionis permiſerint, & neceſſitates occurrentes poſtulaverint: & ad hoc multoties teneri, ſaltem quando ex ſuperfluis non habet, aſſerunt omnes. Poſſunt etiam ex gratitudine, & in remunerationem obſequiorum, & ad conciliandos benefactores, aliquas donationes facere, non ad oſtentationem liberalitatis, vel ut amicis & conſanguineis benè faciant, niſi alias pauperes eſſent, vel ob ſuum privatum reſpectum: quia in ordine ad hæc ſolum expendere poſſunt quod alii ex eorum licentia poſſunt dare. Ad quam verò quantitatem ſe extendere poſſit Prælati facultas ut ipſe expendat, & aliis tribuat licentiam expendendi, diximus ibi *num.* 91.

Quam quãtitatẽ poſſit Religioſus ludo exponere?

16. *In Puncto* 8. egimus de ludis Religioſorum, & diximus non poſſe Religioſum abſque licentia Prælati ex ludo exponere, etiam ex proprio peculio, quæ alias non poſſet donare, magis minuſvè. Vnde ſi quid amplius perdiderit, tenetur reſtituere, & ſimiliter lucrans ab eo. Poterit tamen, ſi ludus ſit licitus, aliquam modicam quantitatem ludo exponere, ſine eo quod ipſi perdentes, vel lucrantes ab eis, teneantur reſtituere; ſecus verò ſi ludus ſit illicitus, vel à jure, vel à regula, vel à conſtitutionibus. Qui autem ludi ſint Religioſis ex jure prohibiti diximus *n.* 95. Minimè tamen poteſt Superior licentiam ſubditis præbere ad exponendam ludo notabilem quantitatem, ita ut lucrans non teneatur reſtituere, & ipſe ſi amittat, ut contra aliquos non improbabiliter oppoſitum tenentes, diximus *n.* 96. An verò ſi Religioſus aliquid ludo exponeret abſque licentia, vel majorem quantitatem illa, ad quam licentiam habebat, teneatur reſtituere quantitatem lucratam uno jactu ſupra illam quam poterat perdere? dictum eſt à nobis *num.* 96. & 98.

17. Denique *in Puncto* 9. egimus de obligatione reſtituendi quam habet Religioſus ſine licentia donans, & qui ab eo recipit. Et diximus recipientem à Religioſo, qui abſque licentia aliquid dedit, teneri reſtituere, & quidem totum, ſi mala fide accepit; ſi bona autem fide, id quod extat, vel in quo factus fuit ditior. Sed nihil reſtituere tenebitur ſi per contractum oneroſum utrinque æqualem receperit, cum tantundem dederit. Et primo loco tenetur gratiosè recipiens reſtituere, quia in ejus commodum facta fuit donatio, & in ejus defectum Religioſus qui dedit, qui ex bonis ad uſum ſibi conceſſis debet ea, quæ ex bonis Monaſterii abſque debita licentia diſtraxit, reſtituere: quia verè commiſit furtum rem alienam invito domino expendendo. Tenetur ſimiliter Religioſus, cui cura incumbit cuſtodiendi, diſpenſandi, vel adminiſtrandi bona Monaſterii, ſi ex ſua culpa lata pereant, aut deteriorentur; Sed Religioſus qui non habet peculium, vel annuos redditus, ut reperitur in reformatis Religionibus, non tenetur vel magis laborare, vel ex cibo, potu, & aliis ſibi ad uſum conceſſis ſubtrahere aliqua in uſus neceſſaria, vel aliunde ab amicis procurare bona, ex quibus debitam faciat reſtitutionem. Quare tales Religioſi ſolum tenebuntur rem, ſi extet, reſtituere; vel monere eum cui dederunt ut reſtituat, quod ſi nolit, aut non poſſit, ipſi ad reſtituendum tanquam impotentes à tali obligatione manebunt excuſati.

Quam obligationem habeat Religioſus indebitè donans, & ab eo recipiens.

PUNCTUM III.

De obligatione quam votum Caſtitatis inducit.

18. Caſtitas Religioſa, illa virtus eſt, qua Religioſus per votum promiſit Deo ſeſe cohibiturum ab omni delectatione venerea, tam licita, quam illicita. Ad hanc igitur Caſtitatem ſe obligat Religioſus ex vi ſuæ profeſſionis, quam ſi modo explicare niteremur, deſcendentes in particulari ad materiam circa quam votum Caſtitatis verſatur, longiſſimum eſſet abire. Cum enim ex vi hujus voti obligetur Religioſus ad abſtinendum ab omni actu venereo, ſive interno, ſive externo contrario Caſtitati, à quo quilibet Chriſtianus ex vi juris naturalis divini extra conjugium debet abſtinere: ſi id ad quod extenditur hujuſmodi votum, ſeu per quod contra illud delinquitur modo deſcendendum foret, latiſſimum campum ingrederemur. Omnes enim ſpecies

Ad quid obliget votum Caſtitatis.

luxuriæ,

luxuriæ, ſive ſit fornicatio ſimplex, adulterium ſtuprum, mollities, peccatum contra naturam, &c. ſive opere, ſive deſiderio, cogitatione, delectatione, verbis, tactibus, viſu, &c. executum, complectitur, quæ materia pertinet vel ad tractatum de temperantia, cujus unum ex oppoſitis vitiis eſt luxuria, cum omnibus ejus ſpeciebus, vel ad ſextum decalogi præceptum. Ideoque de hac materia nihil in præſenti dicemus, ſed aliquo ex dictis tractatibus, Deo dante, de illa agemus. Modo ſolum de ipſa voti materia, & illius effectibus breviter pertractabimus. Quod cum in votum ſolemne Caſtitatis & ſimplex dividatur, duplici paragrapho, quæ pertinent ad hæc vota attingemus.

---

§. I.

De ſolemni voto Caſtitatis, illius effectibus, ac diverſitate à voto ſimplici.

Duplex votum ſolẽne Caſtitatis datur in Eccleſia.

19. NOn loquimur in præſenti de voto illo (etiam ſi ſit ſolemne) quod emittunt Equites militares in ſua profeſſione, de quo jam diximus *cap. 1 hujus tract. num.* 58. nec eſſe abſolutæ Caſtitatis, nec dirimere matrimonium ſubſequens ad illud, nec antecedens ullo modo diſſolvere, & ſic eſſe inſufficiens ad conſtituendum Religioſum ſtatum. Sed de voto ſolemni abſolutæ Caſtitatis ſimpliciter talis, quod eſſe eſſentiale ſtatui Religioſo ibidem probavimus *n.* 4. Duplex ergo votum ſolemne Caſtitatis eſt in Eccleſia repertum: alterum quod in receptione ſacrorum Ordinum emittitur; alterum quod in profeſſione Religioſa, & utrumque in tribus convenit effectibus. Primum quod eſt ſponſalia ante illud contracta diſſolvere, & ſubſequuta ad illud irritare. Primum diximus *tract. 9. de matr. cap.* 2. *num.* 29. nam ſemper cenſetur ſponſalitium contractum iniri ſub illa tacita conditione: niſi ad alium altiorem ſtatum devenero; & ſecundum diximus ibi *n.* 30. quia cum ſponſalia poſt votum contracta, ſit promiſſio de re illicita, non poteſt aliquam obligationem parere.

Duplex alius effectus voti Caſtitatis.

20. Secundus effectus, in quo convenit utrumque votum ſolemne eſt dirimere Matrimonium quodcumque poſt illud celebratum, ut diximus *tract. 8. de ord. cap. 6. num.* 2. Imò in eo ſolemnitas principaliter conſiſtit: quæ, ut diximus *hoc tract. cap. 1. num.* 36. ſolum ex inſtitutione Eccleſiæ eſt utrique voto conjuncta, quæ voluit ſic voventes inhabiles reddere ad Matrimonium, ita ut nullus (excepto Summo Pontifice in caſu rariſſimo) poſſit in hoc diſpenſare. Tertius eſt, prohibere omnem actum venereum internum & externum, qui omnibus hominibus eſt extra Matrimonium prohibitus. Differunt verò, quia votum Ordinibus annexum non diſſolvit Matrimonium ratum, ante illud celebratum: votum autem in profeſſione emiſſum hoc habet, ſive ex jure divino, ſive ſolum ex jure Eccleſiaſtico. De quo latè egimus *tract. 9. de matr. cap. 4. à num.* 71. De voto autem ſolemni, quod in receptione ſacrorum Ordinum emittitur, amplius non loquemur: quia de illo fusè egimus *tract. 8. de Ord. cap. 6. à num. 1. uſque* 60. ubi an jure divino ſit tale votum Ordinibus annexum diſputavimus. An ordinati ex vi legis Eccleſiaſticæ præcipientis obſervationem Caſtitatis, vel ex vi voti ab ipſis emiſſi teneantur ad illius obſervationem? & quid dicendum eſſet, ſi quis ordinaretur neſciens invincibiliter eſſe tale votum annexum Ordinibus, vel poſitivè nollet illud emittere cum ad prædictos ordines aſcendit? In quibus caſibus deobliget, ut ſi ante uſum rationis aliquis ordinaretur, vel ſi ante pubertatem, ſi ex metu, aut dolo Ordines aſſumeret, & in quibus caſibus poſſint, non obſtante tali voto, conjugati Ordinari?

Votum ſolemne dirimit matrimonium ſubſequens, & antecedẽs non conſummatum.

21. Votum ſolemne Caſtitatis, quod fit in profeſſione (de quo modo loquimur) convenit cum voto ſimplici in eo quod eſt prohibere celebrare conjugium. Differt verò ab illo, quod votum ſimplex (loquimur de illo quod emittitur extra Religionem) non irritat Matrimonium poſt illud contractum, licet peccet mortaliter qui eo ligatus, audet celebrare conjugium. At votum ſolemne, nedum illicitum, ſed omnino nullum reddit Matrimonium ad illud ſubſequutum, & etiam Matrimonium ratum, ſed non conſummatum antecedens diſſolvit, ut probavimus *tract. 9. de matr. c. 4. à n.* 71. ubi etiam quo jure id habeat reſolvimus, quem effectum non habet votum ſimplex Caſtitatis. Obligat etiam votum ſolemne (in quo cum ſimplici convenit) ad abſtinendum ab omni actu venereo, ſive interno, ſive externo contrario Caſtitati, ut à turpibus cogitationibus, à delectatione moroſa, pollutione, tactibus, amplexibus impudicis, & à quocumque coïtu, & ab omni actu cuilibet extra Matrimonium prohibito. Vnde illi obligationi quam habent omnes ab his peccatis abſtinendi, addit novam ex Religione, cuius tranſgreſſio continet diverſam ſpecie circumſtantiam ſacrilegii in Confeſſione omnino aperiendam.

Quod eſt mortale, vel veniale cõtra Caſtitatem in ſæcularibus, eſt proportione ſervata in Religioſis.

22. Quare, quidquid in ſæcularibus eſt aliquo modo peccatum contra Caſtitatem, in habente votum illius ſimplex vel ſolemne, eſt ſacrilegium contra illud, tali ſervata proportione, ut ſit malitia ſacrilegii mortalis in illis actibus, in quibus malitia libidinis eſt in quocumque ſæculari mortalis, & venialis in quibus illa fuerit venialis, ut tradunt Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 6. num.* 78. Sanch. *lib. 6. Sum. cap. 6. num.* 9. Palaus *tract. 16. diſp. 3. punct. 1. num.* 2. Lezan. *tom. 1. cap. 5. num.* 4. Garcia *tract. 4. parte 2. difficult. 2. num.* 3. & ſic in Religioſo duplex erit peccatum mortale quod in ſæculari fuerit unum: & duplex veniale quod in illo contra Caſtitatem fuerit veniale, niſi ratione circumſtantiæ extrinſecæ, ut ſcandali v.g. quod erat veniale in ſæculari fiat in Religioſo mortale. Quamvis etiam in iſto caſu non erit mortale ſacrilegii contra proprium votum Caſtitatis. Vnde ſi in aliqua Religione eſſet reſervata violatio voti Caſtitatis, illud reſervatum non cenſeretur, ſive detur ſæcularibus, ſive Religioſis; ſicut ſi quis expreſsè alium induceret ad violationem voti Caſtitatis, licet enim ſcandalum datum reducatur ad illam ſpeciem peccati, ad quod inducuntur ſcandalum patientes, ut docet Sanchez *lib. 1. Summ. cap. 6. num.* 5. Non tamen eſt contra propriam Caſtitatem, quam. in ſe Religioſus tenetur obſervare: quæ ſola cadit ſub voto & reſervatione, & ſic nullam circumſtantiam habet gravem ſacrilegii in illo caſu contra proprium votum, ſed ſe habet ſicut ſæcularis, qui tale ſcandalum aliis ſæcularibus, vel Religioſis præbuerit. Ita Pellizzar. *tractat. 4. cap. 3. num.* 62. Palaus *ſupra num.* 2. Sanch. *lib. 5. Summ. cap. 6. num.* 11.

Sufficit explicare in confeſſione Religioſum, ſe contra votum deliquiſſe, etiam ſi ſit ſacerdos.

23. An verò ſi quis eſſet in ſacris Ordinibus & ſimul ſolemniter profeſſus, præter malitiam contra Caſtitatem, committeret duplicem aliam in confeſſione aperiendam ob violationem illius duplicis voti ſolemnis? Reſpondetur quod licet ſit circumſtantia aggravans violare votum ſolemne Caſtitatis, quam ſolum ſimplex, & adhuc gravius peccatum agere contra votum ſolemne Caſtitatis in profeſſione emiſſum, quam in Ordinibus Sacris, & adhuc gravius ſi violans illud eſſet Prælatus, Generalis, vel Epiſcopus, nunquam tamen addit diverſam ſpeciem Sacrilegii: & ſic Religioſus violans illud, etiam ſi eſſet Sacerdos, Prælatus, aut Epiſcopus, præciſa ſcandali circunſtantia, ſatis probabile eſt ſuæ ſatisfacere obligationi, ſi dicat in Confeſſione: toties Caſtitatem violavi contra votum Caſtitatis quod habebam: ſine eo quod amplius exprimat. Et mulierem rem habentem cum Sacerdote, aut Religioſo non teneri amplius dicere in confeſſione, quam peccaſſe contra Caſtitatem cum habente votum illius, ſine eo quod exprimat an ſit Sacerdos vel Religioſus. Ratio eſt, quia omnia hæc vota, cum reſpiciant eandem ſpeciem Religionis, non differunt inter ſe, niſi accidentaliter, & ſic peccatum contra illa unam malitiam ſacrilegii in ſpecie induit magis vel minus gravem, ſecundum illas diverſas circunſtantias. Sic, citatis aliquibus, diximus *tom. 2. tract. 8. de Ordine, cap. 6. num. 36.* & modo tenent Lezana *tom. 1. cap. 5. n. 8.* Sanch. *lib. 5. ſum. cap. 6. n. 14. & de matrim. lib. 7. diſp. 18. à n. 25.* Palaus *diſp. 3. punct. 1. n. 3.* Fagundez *lib. 6. decalog. cap. 3. num. 10.* Ant. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſput. 4. à n. 12.* Pellizz. *tract. 4. cap. 3. n. 38. & 63.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 16. n. 5.* Et qui poſt votum ſolemne Caſtitatis, votum ſimplex emiſit non fornicandi, non polluendi, non peccandi contra naturam &c. ſi poſtea aliquo ex his peccatis delinquat, non eſt neceſſe ut explicet hanc novam circunſtantiam voti, quæ non addit novam ſpeciem peccati. Sic Lezana, Sanchez, Anton. à Spiritu Sancto, *locis citatis.*

Qui habens votum Caſtitatis fornicatur cum fœmina habente illud, hoc exprimere debet in confeſſione.

24. At ſi aliquis adſtrictus voto Caſtitatis, cum fœmina habente tale votum peccaret, ut ſi Religioſus cum Religioſa rem inhoneſtam haberet, non ſolum teneretur explicare votum ex parte ſua exiſtens, ſed etiam ſe peccaſſe cum habente votum Caſtitatis: quia licet adhuc tunc ſit idem peccatum ſecundum ſpeciem Sacrilegii, commiſſa tamen ſunt duo numero peccata, alterum quo quis peccat in ſua perſona, alterum quo cooperatur cum alia, ut ipſa in ſua perſona peccet, ut aliis citatis docet Lugo *diſp. 16. de pœnitentia, ſect. 5. n. 58.* Anton. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 4. num. 23.* & idem dicendum eſt, ſi ſe pollui permiſit tactibus Religioſi vel Clerici, vel ipſe ſuis tactibus alicui pollutionem cauſavit: nam etiam tunc voti circunſtantiam ſui vel complicis tenetur explicare. Homo enim cum alium tangit, tangitur: & cum ad pollutionem alium excitat, ad pollutionem ipſe excitatur, & ſic utraque perſona ſacra violatur, Diana *7. p. tract. 11. reſol. 27. & 9. p. tract. 8. reſolutione 65.* Trullench. *in decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. §. 1. n. 2.*

Diverſitas inter peccata perſonalia, & quæ ſunt contra bonū commune.

25. Sed eſt in præſenti inter DD. controverſia: an peccatum contra Caſtitatem in Religioſo, ut fornicatio, aut Sodomia, ſit ex illis peccatis quæ ſunt contra bonum commune? Et plurimum intereſt ſcire, an ſit ſolum peccatum perſonale, an contra bonum commune. Sunt enim aliqua peccata dumtaxat perſonalia, quæ licet indirectè ſint contra bonum commune, quia cujuſlibet particularis alicujus Communitatis defectibus, plurimum deturpatur ipſa communitas & inficitur; & ſic quod directè eſt contra bonum particulare, indirectè cedit in damnum commune, ut juramentum, blaſphemia, ebrietas, ludus vetitus &c. Hæc non poteſt quis denuntiare Prælato ut Iudici, etiam ſi ſint repetita, & etiam ſi per correctionem fraternam non emendetur, nec poteſt Prælatus illa ſciens procedere juridicè contra Religioſum ſi ſint occulta, vel de illis non præcedat infamia. Alia ſunt contra bonum commune directè ut hæreſis, proditio Civitatis, Crimen Læſæ Majeſtatis, Machinatio mortis contra perſonam communi bono multum proficuam &c. Et de his (niſi peccatum ſit jam emendatum, nec pendens in futurum) licet debeat præcedere correctio fraterna, ſi evidens ſit ſpes quod proficiet ut impediantur; ſi tamen hæc non detur, poſſunt & debent Prælato denuntiari, & ipſe juridicè contra illa procedere, etiam ſi ſint occulta, & eorum non præcedat infamia. Quæritur ergo modo an violatio voti Caſtitatis per fornicationem vel Sodomiam in Religioſo ſit directe peccatum contra bonum commune?

Sitne contra bonum commune peccatum luxuriæ in Religioſo?

26. Affirmat abſolutè prima ſententia: quia per hæc peccata maximè communitas dehonotatur & infamatur Religio, & aliis tribuitur occaſio ruinæ ob frequentiſſimam communicationem, ob quam hujuſmodi peſtis citò alios inficiet. Sic Navarrus *libro quinto, conſil. titulo de accuſationibus conſil. 7. numero quarto,* Aldrete *libro 1. capite 5. §. 4. numero 29.* Miranda, quem refert & ſequitur Diana *3. part. tractatu 2. reſolutione 69.* quamvis dicant quod lapſus in talia peccata, ſi ſemel tantum, aut iterum fiat, vel ex occaſione caſu occurrenti, vel ob fragilitatem, non erit contra bonum commune, ſecus ſi perſeverent, & repetantur. ¶ Negat abſulute ſecunda ſententia: quia dicit non omnia peccata, quæ aliquo modo redundant in damnum commune, dici peccata contra bonum commune, alias omnia ita eſſent; ſed quæ directè tendunt contra illud, quale non eſt iſtud, de quo loquimur, & ſic ſolum eſſe peccatum perſonale. Sic Petrus Navarra *libro 2. de reſtitutione, capite 4. numero 190.* Rodriguez *in Ordine judicial. capite 4. num. 9.* Palaus *tom. 1. tract. 6. de Charitate, diſput. 3. punct. 13. numero 2.* Giragus *part. 3. dub. 47. num. 279.* Antonius à Spiritu Sancto *tractatu 4. diſput. 4. numero 45.* § Nos verò cum prima ſententia aſſerimus eſſe contra bonum commune tale peccatum, ſi ſit probabile periculum quod publicetur, vel peccans ſit perſona incauta, vel imprudens, vel temeraria, vitiiſque aſſueta, & ob id prudenter timeatur inde malum decori communitatis obventurum. Et cum ſecunda dicimus, quod ſi hæc non concurrant, ſolum erit peccatum perſonale. Sic Pellizzar. *tract. 4. cap. 3. n. 64.* Thomas à Ieſu *de viſitat. regul tract. 1. c. 12. n. 6.* Valerus *in differentia utriuſque fori, verbo Inquiſitio difficult. 1. n. 6.* Petrus ab Angelis *in Ordine judicial. p. 1. cap. 5. n. 4.*

§. II.

De voto ſimplici Caſtitatis, quod extra Religionem emittitur.

Duplex votum ſimplex Caſtitatis explicatur.

27. DVplex ſolet dari votum ſimplex Caſtitatis, aliud quod Religioſi in profeſſione ſimplici emittunt cum aliis duobus Paupertatis & obedientiæ, ſub certa regula à Sede Apoſtolica approbata, & de hoc jam diximus eſſe ſufficiens ad conſtituendum ſtatum Religioſum *cap.1. n.31.* & in quo conſiſtat ibi, *num.11. & 30.* diximus, & hoc votum inhabilitare Religioſum ex parte ſua ad contrahendum matrimonium, non verò ex parte Religionis, quæ indulgere poteſt ut Religioſus ab ea dimiſſus, poſſit nubere, ut docet Suar. *tom.3. de Relig. lib.2. c.11. n.2.* Ant. à Spiritu Sancto *tr.3. diſp.5. n.2.* & de hujuſmodi voto ſimplici non agimus in præſenti. Aliud eſt votum ſimplex quod à ſæcularibus emittitur ex amore ipſius continentiæ, animo obſervandi Caſtitatem cum majori merito & ſtabilitate, & de hoc agimus modo. Quod poteſt eſſe vel abſolutum, vel conditionatum; vel ad tempus, vel in perpetuum: vel ſecundum partem, ut ſi voveretur non pollui, non accedere ad mulierem, non peccare contra naturam; vel in totum, ut quando abſolutè promittitur Deo obſervantia Caſtitatis, & cum votum non obliget niſi juxta intentionem promittentis; ſi conditionatum fuerit, ſolum impleta conditione obligabit; ſi ad tempus, ſolum pro illo tempore pro quo emittitur; ſi ſecundum partem, ſolum quoad illam inducet obligationem Religionis. Cujus violatio erit ſacrilegiũ. Si abſolutè emiſſum fuerit, non determinando tempus, vel materiam, obligat ad abſtinendum ab omni actu interno vel externo contra Caſtitatem, quod jure naturali prohibitum eſt omnibus extra conjugium, cujus violatio inducet novam circunſtantiam Sacrilegii in confeſſione declarandam.

Votum ſimplex Caſtitatis licet non irritet matrimonium, illicitum illud reddit.

28. Hoc votum ſimplex Caſtitatis, tametſi non irritet matrimonium poſt illud contractum, illud illicitum reddit. Unde quamvis eo ligatus, ſi contrahat, verum matrimonium, ſicuti alii efficiat, mortaliter tamen peccabit: quia directè per matrimonium obligatur ad actus per votum ſibi prohibitos, & ſic frangit fidem Deo, cui per votum Caſtitatis ſe devovit. *Cap. rurſus, qui Clerici vel voventes. Cap. unico de voto in 6.* irrita tamen & invalida reddit ſponſalia poſt tale votum contracta (quæ proinde non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis) non enim poteſt valere promiſſio alteri facta de re quæ impleri non poteſt abſque peccato; ſi verò tale votum ſponſalibus jam contractis, ſuperveniat, ea diſſolvit, tametſi jurata fuerint: quia ſemper ſub illa tacita conditione cenſentur emiſſa: niſi melioris vitæ ſtatum elegero. Ut diximus *tom.2. tract.9. de matrim cap.2. num.29.* Ubi plura circa hanc materiam videri poterunt. ¶ Si quis tamen poſt tale votum matrimonium contraxit, poterit poſt bimeſtre illud conſummare, debitum reddendo, nec tenebitur uxorem relinquere, & Religionem ingredi: quia qui vovit cogendus non eſt ad amplectendum medium difficilius re ipſa promiſſa, ut *tract.9. de matrim. cap.15. num.19.* diximus. Citatis Coninch. Sanch. Soto, Henriq. Leſſio, & tenet Bonacin. *tom.2. diſp.4. quæſt.2. punct.5. §.5. n.4.* Suar. *tom.3. de Relig. lib.9. cap.5. n.3.* & alii quos referunt & ſequuntur Leander, *tract.9. de matr. diſp.25. §.8. quæſtione 66.* Garcia *tom.1. tractatu 4. parte 2. difficul.1. dub.3. n.21.*

Peccat mortaliter conjugatus habens votum Caſtitatis ſi debitum reddat non habenti ius petendi.

29. Peccabit tamen mortaliter ſi intra bimeſtre matrimonium conſummet etiam debitum reddendo (prima vice quo illud conſummavit, non aliis quibus hoc modo accedit ad uxorem poſt conſummationem) quia ſolum excuſatur à peccato mortali intra matrimonium per actus venereos qui votum habet Caſtitatis, quatenus conjux ex matrimonio jus habet ad petendum debitum conjugale, quod jus prævalere debet, cum Deus nolit ſibi fidem ſervari cum injuſtitia alterius, alias votum eſſet vinculum iniquitatis; ſed alter jus non habet ad exigendum debitum conjugale, niſi poſt bimeſtre à matrimonio celebrato, quod conjugatis concedit Eccleſia ad deliberandum ſi volunt ad altiorem ſtatum aſcendere, intra quod nullus habet jus ad exigendum debitum, & eo petente, poſſet alter licitè abſque injuſtitia illud denegare, ut diximus *tract.9. de matrim. cap.4. n.88.* ergo quamvis qui non habet votum Caſtitatis poſſit intra illud bimeſtre matrimonium conſummare, ſivè petendo, ſivè reddendo debitum, ſi alter annuat, qui tamen illud habet, debet per hujuſmodi tempus à matrimonii conſummatione abſtinere, & peccabit mortaliter illud conſummando, ſivè petendo, ſivè reddendo debitum. Suar. *tom.3. lib.9. c.5. n.15.* Sanch. *lib.4. ſumm. cap.21. n.14.* Bonac. *tom.2. diſp.4. quæſt.2. punct.5. §.5. n.4.* Garcia *in polit. regul. tom.1. tract.4. p.2. diff.2. dub.3. num.18.* Semel tamen jam conſummato matrimonio poteſt conjux habens votum, alteri debitum reddere: quia poſt conſummationem ſtatim habet jus ad petendum.

Quid facere debet qui poſt votum Caſtitatis matrimonium contrahit?

30. Ex dictis conſtat, quod ſi habens votum Caſtitatis contrahat, tenetur ex vi voti abſtinere à petitione debiti conjugalis: quia quantum eſt ex parte ſua debet ſervare votum. Reddere autem, & poterit, & tenebitur conjugi expreſsè vel tacitè petenti, uti ex communi ſententia docet Leſſius *lib.2. cap.41. dub.6. num.52.* Suar. *tom.3. lib.9. cap.5. num.1. & 3.* Sanchez *lib.9. de matrim. diſput.33. numero quarto, & diſput.34. num.2.* Quando autem cenſeatur tacitè debitum petere conjux, diximus jam *tract.9. de matrim. cap.15. num.1. & 2.* Ubi etiam *num.17.* pluribus citatis diximus alterum conjugem qui non habet votum caſtitatis debere reddere debitum conjugi petenti, licet ſciat ipſum voto eſſe Caſtitatis ligatum: quia quamvis illicitè petat, jus tamen ex matrimonio quæſitum ad petendum, non amiſit. Quis autem diſpenſare poſſit cum conjugato habente votum Caſtitatis ut debitum petat? diximus *eodem tract. cap.14. numero 14.* ¶ At ſi conjux, qui votum non habet Caſtitatis adulterium committat, quomodo jus debitum petendi amiſit, non poteſt qui votum habet debitum reddere, nec ſi juſtum ſit inter illos divortium, vel ſi ex quocumque alio capite conjux qui non habet votum, jus petendi debitum amiſit, ut diximus, *illo tractatu 9. de matrimonio capite decimoquinto, numero decimo quinto*, pluribus citatis authoribus, & præcipuè D. Thoma *in 4. diſtinct.38. q.1. art.3. quæſtiun.2. ad 4.* Ubi dicit, ſolum poſſe licitè reddere debitum conjugatum, qui eſt Caſtitatis voto adſtrictus, quando ad id ob jus alterius tenetur: ergo ex quocumque capite alter jus amittat, non poterit qui habet votum

debitum reddere, & minus petere. ¶ Mortua autem conjuge, non poterit ad alias nuptias pervenire, ſi votum erat perpetuum: imò ſi durante matrimonio cum alia fœmina præter propriam uxorem fornicetur, præter peccatum incontinentiæ & adulterii, committit peccatum ſacrilegii omninò in confeſſione detegendum.

Ad quid teneatur qui votum Virginitatis emiſit?

31. Etſi fortè roges, ad quid teneatur qui votum Virginitatis emiſit? & an ſi poſt votum Virginitatis, frangendo illud, Virginitatem amiſit, teneatur nihilominus poſtea non nubere, vel certè peccet peccato Sacrilegii ſi poſt Virginitatem amiſſam in peccatum carnis labatur? De hac materia agit latè Suarez *tom. 1. de Relig. tract. de voto in commun. lib. 4. cap. 7. à num. 6.* & cum eo dicimus hoc ex intentione voventis pendere. Si namque fecit votum Virginitatis æquivalens voto continentiæ, ſeù illud includens, certum eſt quod licet per primum venereum actum conſummatum Virginitatem amittat, manet nihilominus voto Caſtitatis adſtrictus, quod ſemper in futurum obligat quantum poteſt, etiamſi in præteritum fractum fuerit. Si autem intentio voventis ſolum fuit conſervare integrum clauſtrum Virginale, ſeù non committere primum actum, quo Virginitatem amittat, tunc poſt amiſſionem illius non manet amplius votum, quod non excedit intentionem voventis. Quæ reſolutio ex doctrina D. Thomæ & Caietani. 2. 2. *q. 88. art. 3. ad 2.* colligitur. Iudicandum autem erit votum eſſe hujus poſterioris modi ſolum, quando id conſtiterit ex intentione expreſſa voventis, alioqui verò qui abſolutè & ſimpliciter vovit Virginitatem, perpetuam caſtitatem cenſetur vovere, ut docet Suar. *loco citato, & tom. 2. lib. 9. cap. 3. num. 15.* Soto *lib. 7. de juſt. quæſt. 2. art. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 105.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 19. quæſt. 14.* Sanchez *lib. 4. ſum. cap. 40. num. 65.*

32. Sed eſt gravis in præſenti difficultas: an ſi quis tentationibus carnis agitatus, votum emittat caſtitatis cum periculo maximo incontinentiæ, & experientia lapſus; vel certè poſt votum tales ſtimuli & pericula inſurgunt, eritne tale votum Caſtitatis validum? Communis ſententia tenet non eſſe conveniens in eo caſu tale facere votum, & melius eſſe nubere quam uri: quia ut benè inquit Ledeſma *tom. 2. ſum. tract. 10. cap. 2. dub. 5.* quamvis Caſtitatem vovere bonum opus ſit, & melius quam nubere, cum verò in tali ſubjecto votum hujuſmodi potius ſit cauſa ruinæ, & novus laqueus, melius erit illi matrimonium contrahere quam ſe periculo incontinentiæ committere. Et hinc deducit prima ſententia fundamentum ad aſſerendum hujuſmodi votum non eſſe validum: quia votum debet eſſe de meliori bono, quod non ſolum ſecundum ſe ſit tale, ſed hic & nunc reſpectu hujus ſubjecti; ſed huic ſubjecto melius eſt nubere, quam pluribus peccatis ſe exponere: ergo &c. Secundò, quia quando quis vovet, & aliquid poſtea videt eſſe ſibi melius, poteſt propria authoritate votum in illud melius commutare; ſed hic videt melius ſibi eſſe in matrimonio caſtè vivere, quam periculis manifeſtis incontinentiæ ſe exponere: ergo &c. Ita ſupponere videtur Valencia 2. 2. *diſput. 2. quæſt. 6. punct. 2. difficult. 4. colum. penult. verſu ad confirmationem*, & tenet expreſsè Leander à Murna Capucinus *in diſquiſition. lib. 2. diſ. 2. reſol. 25.* Ledeſma *loco proximè citato*, & alii quos refert & ſequitur Bonacina *tom. 2. diſput. 4. q. 2. punct. 1. num. 26.* Quintanadeñas *tom. 1. ſingularium, tract. ſingular. 12. num. 6.* & probabilem judicat Homobonus *in conſultation. Moralibus tom. 1. p. 2. reſponſione 28.* Martinus à S. Ioſeph. *tom. 1. lib. 1. tract. 41. num. 6.* Trullench. *lib. 2. decal. cap. 2. dub. 5. n. 18.*

Semper opinionē probabilem ſpeculativè, eſſe etiam practicè talem, alii tenent.

33. Et eſſe ſpeculativè probabilem dictam ſententiam docet Sanchez *lib. 4. ſum. cap. 8. n. 9.* quem ſequitur Leander *tract. 9. de matrim. diſp. 23. §. 5. q. 2.* & poſtea *q. 3.* etiam practicè probabilem putat: quia arbitratur opinionem ſpeculativè probabilem, etiam eſſe practicè talem. Tum, quia omnis practica probabilitas, quæ ab intrinſeco eſt talis, provenit ab ſpeculativa probabilitate: quia intrinſecum principium probabilitatis practicæ, eſt ſpeculativa probabilitas, ſeu ratio quæ talem rem licitam eſſe probabiliter adſtruit. Tum etiam, quia ſi quis probabiliter judicat licitum eſſe aliquid operari, cur id non poterit licitè mandare executioni? Et ideo opinionem, hoc ipſo quod ſit ſpeculativè probabilis, eſſe etiam practicè tenent Ioann. Sanctius *in ſelect. diſput. 44. num. 63. & 65. & diſp. 54. n. 11.* Franciſcus Lugo *de conſcientia cap. 3. quæſt. 4.* Serra. *1. 2. q. 19. art. 6. dub 4. §. docent etiam*, & alii quos refert & ſequitur Diana *part. 2. tract. 3. reſol. 5. & 12.* & *p. 9. tract. 6. reſol. 11. parte 10. tract. 11. reſol. 47.*

Stat opinionem eſſe ſpeculativè probabilem & non practicè.

34. Cæterum hanc doctrinam ſic univerſaliter traditam non admittimus: compatitur enim aliquando quod opinio aliqua ſit ſpeculativè probabilis & non practicè, licet omnis opinio practicè probabilis ſit talis ſpeculativè (quod, & non amplius, probat primum argumentum) non tamen valet è contra. Bifariam ſiquidem poteſt eſſe opinio probabilis ſpeculativè, vel ſolum remotè, & quaſi in actu ſignato, nimirum quia habet rationes quæ illam ſecundum ſe perſuadent, tamen hic & nunc, ſi opus ad praxim reducatur, tales ſunt circunſtantiæ, talia inconvenientia, ut ob ea judicetur non eſſe hic & nunc practicabile quod ſecundum ſe apparebat licitum, & talis ſpeculativa probabilitas ſtat, ſine eo quod practicè ſit talis opinio probabilis, ut patet in materia & forma Sacramentorum, in quibus licet detur opinio probabilis hanc eſſe ſufficientem vel illam, non tamen practica; & ſic nemo poſſet licitè illis uti ſi ſuppeterent aliæ. Alia eſt opinio probabilis, ſpeculativè proximè, & hæc coincidit cum practica: quia non ſolum judicat rem illam eſſe ſecundum ſe licitam, ſed hic & nunc ut eſt executioni mandabilis cum omnibus circunſtantiis. Vnde non omnem opinionem ſpeculativè probabilem, eſſe practicè talem, docent Caiet. *tom. 1. opuſcul. tract. 31. reſponſ. 13. dub. 7.* Soto *de ſecreto memb. 3. q. 2. poſt 2. concluſ.* Ioann. Martin. de Prado *tom. 1. c. 1. q. 1. n. 5.* Granad. *1. 2. tr. 12. diſp. 4. ſect. 4. num. 32.* Sanch. *lib. 2. de matr. diſp. 41. n. 4. & lib. 7. diſp. 32. n. 7.* Garcia *tract. 4. p. 2. diff. 1. dub. 3. num. 9.* Medin. *1. 2. q. 19. art. 6. dub. 4.*

Non eſt practicè probabile eum qui emiſit votū Caſtitatis non adſtringi illo ſi maximis carnis ſtimulis agitetur.

35. Quare licet opinio de qua loquimur (quod illud votum non erit validum, aut non indigens diſpenſatione Pontificia) ſit probabilis ſpeculativè & remotè, non verò proximè; & ſic non eſt practicè probabilis, ſaltem ab intrinſeco: nam licet rationes illius urgentes ſint, & rem ita eſſe probent ſecundum ſe; tamen hic & nunc talia inconvenientia pullularent ſi admitteretur, ut meritò ſit rejicienda. Nam ſic vota Caſtitatis & Religionis (de quo idem

quoad

quoad hoc eſt judicium ferendum) quæ in Eccleſia tanta habentur veneratione, & tam ſtrictiſſimè obſervari præcipiuntur, ut ſolo Summo Pontifici eorum relaxatio reſervetur, ſummopere relaxarentur: quia cum vix ullus inveniatur qui vel ob complexionem, fragilitatem, pravam conſuetudinem, vel ob dæmonis ſuggeſtiones, non agitetur multoties carnis ſtimulis, faciliter ſibi quiſque perſuaderet eſſe in periculo labendi, & melius ſibi eſſe nubere, quam uri (quod quidem Apoſtolus dixit de his qui non habent votum Caſtitati) melius erit ſi ab occaſionibus ſe retrahat, ſi ſenſus refrenet, ſi carnis mortificationibus utatur, ut intactum propoſitum, & fidem datam Caſtitatis Deo, obſervet. Unde licet ſit illa juſta cauſa ut Pontifex diſpenſationem illius voti indulgeat (quod quidem facit magno cum rigore in alia opera ardua illud commutando, quo ſatis innuit validum eſſe tale votum, nec poſſe cujuſlibet arbitrio diſſolui) vel ſaltem Epiſcopus, quando non eſt facilis aditus ad Pontificem, & eſt periculum in mora, ut dicemus *n.* 39. obligat tamen ſemper tale votum ut quis a contractione matrimonii abſtineat ante diſpenſationem. Sic Sanchez *in decal. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 9. *& de matr. lib.* 7. *diſp.* 11. *num.* 8. Baſilius Pontius *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 2. Moya *ſelectar. quæſt. tract.* 2. *diſp.* 1. *n.* 20. Diana 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 102. Suar. *lib.* 4. *de voto, cap.* 19. *n.* 9. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 12. Garcia *tract.* 4. *p.* 2. *difficult.* 1. *dub.* 3. *n.* 10. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *diſ.* 1. *punct.* 8. *n.* 14. Vide omnino inferius dicenda *tract.* 18. *cap.* 1. *n.* 43.

Votum Caſtitatis eſt reſervatum Pontifici.

36. In fine hujus Puncti rogabis, quis poſſit in hoc voto diſpenſare, illudve commutare? Non loquimur modo de irritatione, quæ eſt alius modus quo poteſt votum aliquod irrelaxari: quia circa hoc votum in hac parte Philoſophandum eſt eodem modo, quo diximus, *cap.* 2. *num* 41. de voto Religionis, & etiam de aliis modis, quibus *punct.* 4. *illius capitis*, diximus ceſſare poſſe votum Religionis, debita proportione ſervata, cenſendum eſt ceſſare votum iſtud ſimplex Caſtitatis, & qui diſpenſare poteſt in illo (vel certè illud commutare) etiam in iſto diſpenſare poterit, utrinque enim ſi perpetuum fuerit, & totale, ac abſolutè & ſimpliciter factum, reſervatum eſt Summo Pontifici, etſi non ex aliquo jure expreſſo, ex conſuetudine & ſtylo Curiæ, ut ibidem *num.* 43. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 3. probavimus. Cæterum, quia reſervatio eſt odioſa, utpote reſtringens & diminuens poteſtatem Ordinariam, ſtrictè eſt interpretanda, & ſic votum Caſtitatis ſolum debet dici reſervatum quando eſt votum Caſtitatis integræ, perpetuæ, abſolutè & liberè emiſſum & determinatè.

Quibus Caſibus votũ Caſtitatis Pontifici non reſervetur?

37. Inde fit, non eſſe reſervatum hoc votum (& ſic illud poſſe commutare vel in eo diſpenſare qui ad alia vota ſimilem habet poteſtatem) ſi ſolum fuit votum non nubendi, vel non fornicandi, vel non polluendi, non tangendi turpiter mulierem non petendi debitum poſt matrimonium. Si fuerit pœnale vel conditionale, ut ſi hoc fecerim voto Caſtitatis adſtrictus ero. Et vota disjunctiva, ut: voveo vel Caſtitatem, vel in pane & aqua per annum jejunare, etiamſi una pars disjunctionis reddita ſit impoſſibilis, & cogatur votum Caſtitatis eligere, quæ eſt altera; nec votum Virginitatis, ſi ſolum Virgineum florem conſervare intendat. Vel votum Caſtitatis, quod ſolum eſt ad tempus, nec eſt reſervatum votum vovendi Caſtitatem, aut aſſumendi Ordines Sacros, nec votum à Papa commutatum, ſeu illa materia in qua eſt commutatum votum Caſtitatis, & ſimilia: quia hæc non ſunt vota totalia vel perpetua, vel ſimpliciter talia Caſtitatis, & ſic non ſubjacent reſervationi. Sic communiter DD. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 9. *à num* 6. *& lib.* 4. *ſum. cap.* 40. *à num.* 41. Suar. *tom.* 2. *de rel. lib.* 6. *de voto cap.* 11. *num.* 7. *& cap.* 24. *num.* 9. Barboſa *in paſtoral. p.* 2. *alleg.* 37. *num.* 17. *&* 29. *& de jure Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 203. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 2. *punct.* 11. Bonacin. *tom.* 4. *diſp.* 4. *de voto quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 15. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *à reſolut.* 53. *uſque* 67. Machado *lib.* 1. *parte* 3. *tract.* 14. *docum.* 4. *&* 5. Fagund. *præcepto* 2. *decal. lib.* 2. *cap.* 27.

Votum Caſtitatis emiſſum à conjugato, non eſt reſervatum Pontifici.

38. Nec ſimiliter eſt reſervatum votum Caſtitatis à conjugato emiſſum cum licentia alterius conjugis: ſivè uterque conjux Caſtitatem voverit abſque alterius licentia, ſivè uterque ſeorſim eam promiſerit, habita licentia ab altero. Rodrig. *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 243. *num.* 14. Vega *in ſum. tom.* 2. *cap.* 129. *caſu* 77. Sanchez *tom.* 1. *ſum. lib.* 4. *cap.* 40. *& de matrim. tom.* 3 *lib.* 8. *diſput.* 15. *num.* 7. Diana *ſupra reſol.* 82. Garcia *tract.* 4. *parte* 2. *difficul.* 1. *dub.* 6. *n.* 3. Secus autem ſi uterque communi conſenſu continentiam voveret per modum contractus, ac reciprocæ conjunctionis: *facio ut facias*: quia ita voventes obligant ſe ad votum abſolutæ & integræ Caſtitatis: unde non poſſunt, nec reddere, nec petere debitum, niſi conjuges remitterent ſibi adinvicem renuntiationem illam juris, petendi & reddendi debitum quam vovendo fecerunt, & ſibi conferrent iterum poteſtatem ſuorum corporum, licet remiſſio eſſet ſacrilega & contra votum, eſſet tamen valida, & teneretur uterque reddere debitum alteri petenti, licet non poſſet licitè quilibet petere, & ſic jam non eſſet votum abſolutum integrè Caſtitatis, & propterea minimè reſervatum. Sic Sanch. *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 18. *num.* 7. *& tom.* 1. *ſum. lib.* 4. *cap.* 40. *n.* 61. & ex ipſo Diana & Garcia *locis citatis.*

In quibus caſibus poteſt Epiſcopus vel alius inferior Papa in voto Caſtitatis diſpenſare?

39. Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in aliquo ex his votis Caſtitatis, quæ diximus non eſſe reſervata, etiamſi ſimul cum eo votum emiſerit non petendi diſpenſationem: quia hoc votum non eſt reſervatum. Suar. Sanch. Barboſa, Palaus, Garcia *locis citatis*, & Baſilius *lib.* 8. *de matrim. cap.* 8. *n.* 6. Et etiam quando quis emiſit votum abſolutum & totale Caſtitatis animo ſe obligandi ſolum ſub veniali: quia ſolum eſt reſervatum factum cum obligatione proportionata materiæ, Sanchez *cap.* 40. *num.* 47. Palaus *punct.* 18. *n.* 2. Garcia. *dub.* 6. *num.* 3. Denique poteſt inferior Papa diſpenſare in voto Caſtitatis totali, perpetuo & perfecto quando inſtat neceſſitas, & non patet aditus facilis ad Pontificem, & eſt periculum in mora; ut ſi quis habens votum, habeat filios illegitimos, & eſt in periculo mortis, poterit diſpenſari ut nubat ad eos legitimandos. Habet fœmina votum Caſtitatis, & ſtimulis concupiſcentiæ agitata, vult nubere: quia timet periculum lapſus cum infamia, occurrit illi occaſio mariti proportionati quam timet amittere ſi differat, poterit Epiſcopus cum ea diſpenſare ut contrahat: quia non eſt credendum Pontificem voluiſſe votum ſibi reſervare in caſibus dictis, & ſimilibus cum diſpendio animarum, quibus laqueum

injiceret ſi pro his neceſſitatibus urgentibus, eis de remedio opportuno non provideret. Sanchez *lib.4. cap.40. num.34.* Suar. *tom.2. de Rel. lib.6. de voto cap.26. num.9. & lib.9. cap.11. n.12.* Leſſius *lib.2. cap.40. dub.13. n.106.* Bonacin. *diſp.4. de voto q.2. punct.7 §.4. num.25.* Reginald. *lib.18. num.336.* Fagundez *præcepto.2. decal. lib.2. cap.42. num.22. & 28. & etiam 29.* Garcia. *tract.4. p.2. difficult.1. dub.6. n.10.* Qui monent non poſſe Epiſcopum in tali caſu totalem diſpenſationem impendere; ſed ſi pro neceſſitate partialis ſufficiat, iſtam & non aliam, nimirum concedendo facultatem ut pro tunc contrahat, manente voto, ut amplius non poſſit nubere ſi matrimonium diſſoluatur, & quod erit contra illud, extra matrimonium, contra Caſtitatem delinquere: quia jure Ordinario non poteſt hanc diſpenſationem dare, ſed ratione neceſſitatis, ob præſumptam voluntatem Pontificis, & ſic ſolum prout neceſſitas ipſa poſtulaverit.

PUNCTUM IV.

De natura obedientiæ ut eſt virtus, & ut pertinet ad Religioſos, caditque ſub voto.

Quid & quotuplex ſit Obedientia?

40. OBEDIENTIA (quæ dicitur quaſi *obaudientia*: quia per illam vox & præceptum Superioris & auditur, & admittitur) non tam virtus eſt, quam mater virtutum, ut inquit D.Greg. Eſt tamen virtus ſpecialis moralis, quæ reddit animum promptum ad obtemperandum legitimo Superiori, ejuſque juſſa adimplenda: & in generali bifariam accipitur. Primò largè, pro omni opere virtutis, quo completur præceptum, etiamſi non ea intentione fiat. Et hæc dicitur, *Obedientia materialis*, nullamque ſpecialem virtutem conſtituit, ſed ad omnes ſe extendit, eo quod omnium actus aliquo modo ſunt, vel poſſunt eſſe præcepti. Sumitur ſecundò modo ſtrictè pro virtute, quæ per ſe reſpicit præceptum ut præceptum eſt, eaque intentione operatur ut illud adimpleat, & dicitur *obedientia formalis*, eſtque ſpecialis virtus: quia etſi ad omnium materiam ſe extendat, in omnibus tamen reſpicit unam formalem rationem, quæ eſt Superioris præceptum, in cujus adimpletione formaliſſimè ut tali ſplendet ſpecialis honeſtas, præter honeſtatem rei præceptæ. Sic D.Thom. 2.2. *quæſt.104. artic.2.* ubi etiam duplicem ponit *inobedientiam* huic virtuti contrariam: aliam quæ poteſt ſumi largè pro qualibet præcepti violatione, & hoc modo non eſt ſpeciale vitium, ſed generalis circumſtantia omnium peccatorum. Vel ſtrictè ſecundum quod procedit ex formali intentione agendi, contra præceptum, atque adeò ex contemptu & vilipendentia illius, & iſtud eſt vitium ſpeciale prædictæ virtuti contrarium.

Conditiones pro perfecta Obedientia recenſentur.

41. Quatuor autem conditiones ſolent pro perfecta Obedientia ab Authoribus aſſignari. Prima, quod ſit cæca, tum ad inſpiciendos defectus Superiorum, tum etiam ad rationes præcepti ſcrutandas, ſatiſque ei ſit quidquid præcipiatur, dummodo illicitum eſſe non conſtet, ab eo qui locum Dei tenet, præcipi: *Multos enim videmus* (inquit D.Bern. *opuſc. de præceptis & diſpenſat.*) *poſt præcipientis imperium multas facere quæſtiones: cur? quare? quamobrem ſæpius interrogare, crebras ingeminare querelas, tales non faciunt obedientiam Deo acceptam, nec hominibus gratam.* ¶ Secunda eſt ut ſit prompta ad exequendum, nam ut inquit D.Hieron. *de regul. Monachor. cap.10. Subditi ante conabantur juſſa implere quam forent emiſſa, & quibuſdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis*: non igitur verus Obediens debet præceptum differre, non tergiverſari, non excuſari, non lentè & cum torpore ad opus accedere. Quod intellige, ſaltem dum non præcipiuntur quæ ſunt noſtri commodi & honoris, ad quæ regulariter loquendo, non eſt laudabile ita promptum & alacrem ſe exhibere. ¶ Tertia eſt ut ſit fortis in opere præcepto, aggrediendo, & perſeverando in illo, ne propter rei difficultatem ab Obediendo reſiliat, & ſic dixit S.Benedictus *in ſua regula, cap.5. Obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, ſi quod jubetur non trepidè, id eſt timidè, non tardè id eſt pigrè, non tepidè, id eſt mollè, ſed viriliter & ſtrenuè fiat.* ¶ Quarta eſt quod ſit humilis: *cum hæc omnia feceritis* (inquit Salvator noſter Luc.17.) *quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus, quod facere debuimus, fecimus.*

42. Quatuor item gradus ſolent in Obedientia reperiri. Primus eſt exterius exequi quod præcipitur. Secundus voluntatem ſuam omninò voluntati Superioris ſubmittere, ut libenter propter Deum faciat quidquid Prælatus imperaverit. Tertius eſt ſubjicere judicium ſuum judicio illius, ſub cujus degit imperio, credendo id melius eſſe, quidquid in oppoſitum rationes carnis oblatrent. Quartus eſt, hæc obſervare non ſolum in his quæ ſtrictè ſub præcepto, tacito vel expreſſu, mandantur, ſed in aliis, quæ Superior nondum præcepit, ſed ſolum fieri deſiderat. Et ut omnia hæc Religioſus ſtrenuè perficiat, in Superiori ſuo Deum aſſiduè conſideret, elevando mentem ſuam ad apprehendendam ſupremam illam rationem, ac motivum propter quod obediendum eſt, nempè divinam authoritatem, ac voluntatem ſibi per vocem Superioris expreſſam. Illam D. Bernardi ſententiam ob oculos ſibi proponens, *opuſculo citato cap.12. Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus.* — Quatuor gradus Obedientiæ enumerantur.

46. Circa gradum autem perfectionis, qui tribuendus eſt obedientiæ inter morales virtutes, inquit D.Thom. 2.2. *q.104. art.3.* quod per ſe loquendo, laudabilior eſt Obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliæ virtutes morales, quæ propter Deum alia bona contemnunt; ſed non videtur voluiſſe hic D.Thom. præferre Obedientiam Religioni, quam *q.81. art.8.* omnibus aliis virtutibus moralibus antepoſuit; ea igitur eſt præſtantia Obedientiæ, ut ſolis virtutibus Theolog. & Religioni videatur cedere. Sed conferendo votum Obedientiæ cum aliis duobus votis ſubſtantialibus Caſtitatis, & Paupertatis, docet ipſe Sanctus Doctor *eadem 2.2. quæſt.186. art.8.* eſſe potiſſimum votum Obedientiæ, & inter alias rationes hanc optimam reddit. *Quia per votum Obedientiæ aliquid majus homo offert Deo, ſcilicet ipſam voluntatem, quæ eſt potior quam corpus proprium quod offert homo Deo per continentiam, & quam res exteriores, quas offert homo Deo per votum Paupertatis.* — Obedientia omnibus virtutibus moralibus præſtantior.

44. De hac igitur obedientia qua per votum in profeſſione Regulares conſecrantur, agimus — Quid & quotuplex

in

ſit obedien tia Religioſa?

in præſenti, & diffiniri poteſt: *Quod eſt promiſſio qua Religioſus propriam ſubjiciens voluntatem Prælato Regulari ſe obligat ad parendum ei in omnibus quæ poſſunt cadere ſub virtute obedientiæ.* Hanc autem obedientiam voto firmatam eſſe de intrinſeca & eſſentiali ratione ſtatus Religioſi ſupra *cap.* 1. diximus ex omnium ſententia. ¶ Duplex eſt autem Obedientia Religioſa, ut colligitur ex D. Bernardo *loco citato de diſpenſatione & præcepto fol.* 5. Alia *perfectionis*, & alia *neceſſitatis*, quam ſufficiens appellat D. Thom. *quotlib.* 1. *art.* 15. Obedientia perfectionis eſt illa, quæ obedit in omnibus quæ contra Deum non ſunt: *quæ legem neſcit* (inquit mellifluus Doctor) *terminis non coarctatur, nec contenta anguſtiis profeſſionis largiori voluntate fertur in latitudinem Charitatis.* Obedientia verò neceſſitatis eſt illa quæ terminis regulæ, & votorum coarctatur. De qua idem Bernardus: *Is qui profitetur ſpondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinatè ſecundum regulam, nec aliam, quam S. Benedicti, ut oporteat eum qui præeſt non frena ſua laxare voluntati ſuper ſubditos, ſed præfixam ex regula ſibi ſcire menſuram; & ſic demum ſua imperia moderari circa id ſolum, quod rectum eſſe conſtiterit, nec quodlibet rectum, ſed id tantum, quod prædictus Pater inſtituit, aut certè quod ſit ſecundum quod inſtituit.*

Traditio quæ fit in profeſſione diverſa eſt à voto Obedientiæ.

45. Quamvis in profeſſione ſimul cum voto Obedientiæ Religioſus tradatur Religioni, & de facto in profeſſione ſaltem ſolemni, hæc duo inſeparabilia ſint; traditio tamen in voto non conſiſtit, & ſic eſt diverſa obligatio quæ oritur ex voto, & quæ oritur ex traditione. Nam, ut inquit D. Thom. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 3. *Votum ſoli Deo fit, ſed promiſſio etiam poteſt fieri homini; & ipſa promiſſio boni, quæ fit homini, poteſt cadere ſub voto.* Ut ſi quis voveret Deo eleemoſynam dare Petro, & ſimul promitteret Petro illam, & ab eo acceptaretur: hîc duæ eſſent promiſſiones, & obligationes, aliam Deo per votum, aliam homini per promiſſionem ab eo acceptatam. Sic Religioſus per votum ſe Deo obligat ad obediendum homini, & ex vi hujus obligationis jus acquirit Deus, non Religio, ut profitens propter eum homini ſubjiciatur. Inſuper in profeſſione ſe tradit Religioni regendum, gubernandum, ab eaque acceptatur: & in hoc includitur promiſſio exequendi Superioris præcepta, & ad hunc finem ſe tradit, & per hanc traditionem jus acquirit ipſa Religio ut profitens obtemperet Prælatorum mandatis, & ſuper eum acquirit Dominium, ratione cujus datur poteſtas dominativa in Prælatis reſpectu ſubditorum, quæ poteſtas dicitur aliquando ex voto obedientiæ provenire, non quia ab eo immediatè proveniat, ſed quia provenit ex traditione quæ ſimul cum eo fit in profeſſione. Sic præter D. Th. Hieron. Gar. *in pol. reg. tom.* 1. *tract.* 4. *p.* 1. *diffic.* 1. *dub.* 3. *n.* 3. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 1. *n.* 1. Pellizzar. *tom.* 1 *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 4. Suar. *tom.* 3. *de Rel. lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 5. addens *cap.* 6. *num.* 6. votum Obedientiæ, & traditionem Religioſam ita comparari inter ſe, ut votum augeat quaſi intenſivè obligationem parendi Prælato ex ipſa traditione conſurgentem, & ſic ratione traditionis, ad obediendum tenetur ex juſtitia, ratione voti tenetur ex Religione: Unde utramque violat virtutem qui operatur contra præceptum Superioris. Sicut ſervus qui ex vi ancillatus tenetur ex juſtitia Domino obedire; ſi hoc ſub voto promittat, auget primam obligationem, & tenetur ex Religione.

Ex quibus capitibus teneatur Religioſus Obedire Prælato.

46. Ex quo fit ex triplici capite teneri Religioſum obedire Prælatis. Primum ex vi promiſſionis, ſeu traditionis humanæ, qua ſe tradidit voluntati Prælatorum. Secundum ex vi voti, quo ſe Deo obligavit, homini propter ipſum obtemperandi. Tertium ratione juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quam à Pontifice habent Prælati ſuper ſuos ſubditos, ſicut habent Epiſcopi in ſuos Diœceſanos, & ex vi hujus poteſtatis poſſunt leges condere omnes obligantes, poſſuntque cenſuras in eos ferre, & ab eis illos abſolvere; & talis obligatio ex duplici capite fundatur in ipſo jure naturali: Primum quatenus univerſaliter docet obediendum eſſe Superiori in his, in quibus eſt Superior: Secundum, in quantum dictat ſtandum eſſe promiſſis, & generaliter obligat ad duo: primum, ad obediendum actu, quando actu præcipitur; ſecundum ad perſiſtendum quaſi in proxima ſubjectione ut mandari poſſit, quam ſubjectionem ex natura rei affert obedientia, etiam ſi actu nihil præcipiatur.

Voluntatem Prælati facere non tenetur ſubditus niſi mandato expreſſatam.

47. Ex nullo autem capite tenetur ſubditus, etiam ſub peccato veniali, facere voluntatem Prælati, etiam ſibi ſignificatam circa agendum, niſi per mandatum ab eo obligetur: & ſic non tenetur ſequi ejus voluntatem explicatam ſic; *vellem, deſiderarem, ut id facias*, niſi dicat: *præcipio, jubeo ut id facias.* Quia ipſe non promiſit in profeſſione exequi omnem voluntatem Superioris, ſed mandatis ejus obtemperare. Promiſit namque Obedientiam, cujus objectum eſt mandatum, ſeù præceptum Superioris, ut poſtea dicemus. Sic Lezana *tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 7. Suar. *tom.* 3. *lib.* 10. *cap.* 4. *num.* 8. Pellizzar. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 29. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 2. *n.* 5. Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. q.* 1. *cap.* 4. *concl.* 3. Erit tamen perfectiſſima obedientia, & illa de qua diximus *n.* 44. eſſe obedientiam perfectionis, non neceſſitatis: ut dixit D. Thom. *in* 2. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 3. quia non ſolum obedit in his ad quæ tenetur, de qua idem D. Th. 2. 2. *q* 104. *art.* 5. *ad* 3. *Si autem* (inquit) *etiam in aliis obedire voluerit, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis.* ¶ Atque hinc fit, non teneri ſub aliqua culpa exequi Religioſum, ea quæ ſolum ſub conſilio proponuntur à Prælatis: quia ea quæ ſunt ſub conſilio ad nihil obligant, quamvis ea obſervare, erit magna perfectio obedientiæ, quam aliqui vocant ſuper obedientiam. Lezan. *num.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 46. *dub.* 4. *num.* 32. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 2. Garcia *tract.* 4 *part.* 1. *diffic.* 2. *dub.* 4.

Quando præcepta Prælati obligent ſub mortali.

48. Quando verò obligetur Religioſus ſub mortali ad obediendum mandatis Superiorum? & unde colligendum ſit illud mandatum ſub tali culpa obligare? Aliqui hic latè diſputant: à quo abſtinemus, quia de hac materia fusè egimus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legib. cap.* 2. *punct.* 2. Agentes de legibus, quando obligent graviter, & unde id ſit colligendum, quod proportionabiliter præceptis Superiorum poteſt applicari, niſi quando in aliqua Religione forma præſcribitur ſub qua, & non aliter obliget præceptum ſub mortali, ut eſt apud nos. Siquidem in noſtris *conſtit.* 2. *p. c.* 5. *n.* 5. decernitur ut præcepta non obligent, niſi in ſcriptis, & ſub horum verborum ſerie ferantur: *in virtute Spiritus Sancti, Sancta Obedientia, & ſub præcepto.*

Quando res levis ſub

49. Hîc etiam diſputant aliqui, an Prælati poſſint materiam gravem ſub levi culpa præcipere,

gravi obligatione poſſit mandari?

cipere, vel levem ſub peccato mortali? Quod nos *tract. dicto cap. 2. punct. 2. §. 1.* late diſcutimus; & diximus poſſe Prælatum ſolum ſub culpa veniali graviſſimam materiam præcipere: quia ſicut præceptum imponere, ſic poteſt ejus obligationem limitare: ſicuti poteſt quilibet votum emittere obligans in materia gravi ſolum ſub veniali; non verò poſſe Prælatum rem levem, quæ omnibus inſpectis levis ſit, ſub culpa gravi mandare: quia materia ex ſe incapax eſt gravis obligationis. Quare res leves v. g. ſilentium, ingreſſus in cellam alterius, ne quis ſine licentia comedat, &c. ſecundum ſe, & præciſis circumſtantiis non poſſunt cadere ſub præcepto; ſed ut ibidem diximus, res quæ ſecundum ſe erant leves, vel indifferentes, poſſunt ſub culpa gravi præcipi, ſi aliquibus veſtiuntur circumſtantiis, vel ad finem intentum in Religione graviter conducant, ut ſi cæderent in damnum, vel detrimentum alterius, vel ſi immineat ſcandali periculum, vel boni nominis Religionis detrimentum, vel ne aliqua lex, vel conſuetudo Religionis omninò corruat & relaxetur, aut ſi tales res leves, ſint magnarum impedimentum virtutum, vel cauſa aliquorum peccatorum, quod ad arbitrium Prælati eſt metiendum: & ſic ob aliquam ex his circumſtantiis, quandoque præcipi poteſt ſilentium, & ingreſſus cellularum ſub gravi culpa prohiberi, ne in talem domum Religioſi ingrediantur, ne ex cellulis Religioſorum aliquid detrahant, ne extra Monaſterium adinvicem ſeparentur, & aliæ res, quæ ſecundum ſe erant leves, ſed ex adjunctis circumſtantiis poſſunt eſſe graves. Sic Valentia 2. 2. *diſput. 7. quæſt. 5. punct. 6. concluſ. 9.* Sanch. *lib. 1. Summ. cap. 4. num. 4.* Anton. à Spiritu ſancto *tractat. 3. diſp. 6. num. 90.* Suar. *de leg. lib. 3. cap. 25. num. 2.* & *tom. 3. de relig. lib. 10. cap 4. num. 9.* Tamburin. *tom. 2. diſp. 21. quæſt. 12. num 9.* Pellizzar. *tract. 4. cap. 4. num. 52.* Peyrin. *de ſubdit. quæſt. 1. cap. 5. §. 4 dub. 4.*

Quando actus interni poſſint à Superioribus præcipi.

50. Etiam hîc diſputant aliqui: an Prælati poſſint ad actus internos obligare? Sed de hac materia late egimus *tom. 2. tract. 10. de cenſur. cap. 1. punct. 11. à num. 136.* & *tom. 3. tract. 11. de legibus cap. 1. punct. 4. à num. 66.* ubi diximus actus purè internos ut fidei, ſpei, Charitatis, Orationis mentalis, &c. non poſſe cadere ſub præcepto Superioris, niſi habeant cum externis connexionem, vel quia ſunt illorum forma ſicut Eccleſia præcipiens Officium divinum, præcipit etiam internam attentionem, ſecundum probabiliorem opinionem: quia eſt de forma & ſubſtantia Orationis vocalis, vel tanquam cauſa cum effectu, vel effectus cum cauſa, & ideo qui præcipit jejunare præcipit velle jejunare: qui prohibet furtum, prohibet conſenſum in illud. Quæ omnia planè docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 104. art. 5.* & 1. 2. *quæſt. 91. art. 4.* & *quæſt. 100. art. 9.* Lezan. *tom. 1. cap. 4. num. 9.* Angelus *verbo Obedientia num. 1.* Ant. à Spir. ſancto *ſupra num. 81.* Sanch. *cap. 2. num. 6.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 13. quæſt. 4.* Rodrig. *tom. 3. qq. Regular. quæſt. 19. art. 2.* Peyrin. *de ſubdit. quæſt. 1. cap. 6. concluſ. 3.* & alii ibi citati, contra nonnullos oppoſitum ſentientes ibi relatos, & alios quos refert, & ut probabile ſequitur Diana *9. part. tract. 8. reſol. 67.* Ex quo infero, quod ſi præcipiatur in aliqua Religione ne ſuſtineatur tanquam probabilis aliqua opinio, ſi quis interius tantum oppoſitum ſentiat, non peccabit contra hoc præceptum: quia ſolum obligat ne eam doceant privatim, aut publicè defendant, typis evulgent, aut ad praxim deducant. Similiter non poterit Superior ſubditum cogere ad ſequendam ſuam opinionem, eam probabilem interius ſentiendo, ſed ne oppoſitum exterius doceat, aut practicet. Sic Sanch. *lib. 6. cap. 3. num. 7.* Rodrig. *tom. 3. quæſt. 19. art. 6.* Pellizzar. *tract. 4. cap. 4. num. 96.*

Obligetne præceptum in falſa præſumptione fundatum?

51. Diſputant etiam hîc DD. an ſi Prælatus ex falſa præſumptione præcipiat, teneatur ſubditus obedire? Sed hanc quæſtionem fusè exagitavimus *tom. 3. tract. 11. de legibus cap. 2. punct. 4.* Vbi diſtinximus duplicem præſumptionem, aliam facti, aliam periculi; quando ob præſumptionem periculi aliquid præcipit Superior, obligat, tametſi factum quod timetur eventurum, non detur: quia ſufficit adeſſe periculum illius; ſi tamen ob præſumptionem facti aliquid lex, præceptum, vel ſententia Superioris mandet, ſi id quod præſumitur non detur, non obligat tale præceptum, ut ibidem rationibus & exemplis probavimus, & modo tenent Rodrig. *tom. 1. quæſtionum Regularium, quæſt. 67. art. 3.* Lezan. *tom. 1. cap. 4. n. 14.* Tambur. *tom. 2. diſp. 21. quæſt. 6. num. 4.* & *tom. 3. diſp. 4. quæſt. 3. num. 2.* Sanch. *lib. 6. Summ. cap. 2. num. 11.* Pellizzar. *ſupra num. 51.* & 125. Garcia *tract. 4. part. 2. diffic. 2. dub. 4. num. 12.* Ex quo infertur quod ſi Prælatus imponat aliquam pœnam Religioſo ob præſumptionem delicti, quod verè non commiſit, etiamſi eam ſub gravi præcepto ſubire jubeat, ſi poteſt Religioſus præciſo ſcandalo, non tenebitur eam adimplere. Addunt Sanchez & Pellizzar Religioſum non teneri obedire quando probabiliter credit fore, ut Prælatus veritatis conſcius, id nullatenus præciperet.

Quibus Prælatis teneantur obedire Religioſi?

52. In calce huius Puncti inquires: qui ſint Prælati, quibus Religioſus ex vi voti tenetur obedire? Reſpondetur teneri obedire Capitulis Generalibus, Provincialibus, Diffinitoribus Generalibus, & Generali, Provinciali, Priori ſui Conventus, in quo eſt Conventualis (vel etiam ſi ſit hoſpes, ſi detur in Religione conſtitutio quod illi ſubjiciatur, ut apud nos datur) & etiam illis, quibus iſti vices ſuas delegaverint: quia tale jus eis ex jure Ordinario competit, & ſic poſſunt illud alteri delegare. Quamvis Ordine quodam teneatur his Prælatis obedire Religioſus; ita ut prius Generali, deinde Provinciali, deinde Priori locali: & ideo, ſi detur præceptum Generalis contrarium, non tenetur Religioſus aliorum inferiorum Prælatorum obedire præceptis: quia inferioris juriſdictio non ſe extendit adverſus Superiorem, & ſic iniquum erit inferioris præceptum contrarium Superioris mandato. Præcepta Prælatorum obligant etiamſi Religioſi ſint extra Provinciam, aut Monaſterium: quia Prælati Religionum non habent territoria diviſa, ſicut Epiſcopi, quia non reſpiciunt territoria, ſed perſonas, & ſic totum mundum habent pro territorio, ut diximus *tom. 2. tract. 10. de cenſur. cap. 1. num. 103.* & tenent Lezan. *tom. 1. cap. 4 num. 37.* Sylveſter *verbo excommunicatio 2. num. 15.* Cornejo *tom. 2. in 3. part. tract. 5. de cenſur. diſput. 6. dub. 2.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 3. diſp. 6. num. 35.* Pellizzar. *tract. 4. cap 4. n. 121.* An verò Religioſus ex vi voti Obedientiæ teneatur obedire Pontifici, Congregationi Cardinalium, Protectori, Nuntio, Epiſcopis?

Vide

Vide Sanch. Lezan. Peyr. Palaom, Pellizzar. *locis citatis.*

PUNCTUM V.

De objecto Obedientiæ, & de materia illius ſeu de his rebus in generali, quæ poſſunt cadere ſub Prælatorum mandatis.

Duplex obedientiæ objectum aſſignatur.

53. DVplex datur objectum obedientiæ, aliud proximum, aliud remotum. Objectum proximum eſt præceptum Superioris mandantis vel prohibentis, ſine quo non poteſt dari formalis obedientia ſecundum ejus rationem ſpecificam, ut differt ab aliis virtutibus. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 2. *ad* 2. Nam motivum obedientiæ eſt facere aliquid præceptum, quia præceptum: ergo ut detur actus formalis obedientiæ debet dari mandatum vel præceptum Superioris, ſivè in regula vel legibus præſcriptum, vel particulariter impoſitum; ſivè obliget ſub mortali, vel veniali, vel etiam dumtaxat ad pœnam. Nunquam tamen obligat votum obedientiæ ad obedientiam formalem, ſeu ut quis actum præceptum exequatur ex motivo ſpeciali obedientiæ: quia nimirum præceptum eſt. Nam religioſus non vovit obedientiam ſub motivo obedientiæ, ſed ſolum materialem, ideſt executionem rei præceptæ. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 46. *num.* 42. *&* *cap.* 49. *num.* 74. Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 1. *num* 7. Garcia *tract.* 4. *part.* 2. *difficul.* 2. *dub.* 4. *num.* 8. Suar. *tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 3. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. Pellizzar. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 34. Unde imperari non poteſt: quia hic modus operandi neceſſarius non eſt, ut fiat actus exterior virtutis imperatus, & actus internus non poteſt præcipi ab homine, niſi quatenus eſt neceſſarius ad conſtituendum actum externum virtutis, ut *num.* 50. dicebamus.

Quando ex contemptu ſubditus obedientiã frangere dicitur?

54. Sed licet votum obedientiæ non obliget ad obediendum præcepto ut tali, ſeu eliciendum actum, quia præceptum, obligat tamen ad non contemnendum Superioris præceptum: quia obligat ad obediendum ſecundum regulam, ne mandatum Superiorum & regulæ contemnantur. Siquidem contemptus totum fundamentum obedientiæ ſubvertit. Sic omnes DD. & hinc eſt peccare ſemper mortaliter religioſum, ſi ex contemptu regulam, vel Superiorum juſſa violet, ut omnes tenent cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 9. *ad* 1. & ibi Caiet. cenſetur autem ex contemptu violare, ut inquit Caietanus, qui frangit mandatum, non ex negligentia, aut cupiditate, ſed quia non vult regulæ, aut Superiori eſſe ſubditus, vel ſi directè eo fine contra operetur, ut oſtendat ſe nihili facere Superioris mandatum, aut regulæ ordinationem. [Hæc ſunt valde gravia (inquit Leſſius) nec poſſunt cadere, niſi in malignum animum inſtituti ſui, & judicij, authoritatiſque Eccleſiæ, qua inſtitutum eſt confirmatum, & poteſtatis Superiori traditæ, contemptorem.] Sed circa hoc vide plura quæ diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legib. c.* 2. *punct.* 2. §. 4.

Res omnes mandabiles ſunt objectum remotum obedientiæ?

55. Objectum remotum voti obedientiæ ſunt res omnes quæ poſſunt cadere ſub illa; ſed quia diximus dari obedientiam *perfectionis & neceſſitatis.* Sub obedientiæ perfectionis omnia quæ non ſunt mala cadere poſſunt, & ſic perfectiſſimi obedientes, non attendunt ſi eſt ſupra, vel præter regulam quod præcipitur, ſed ſe ipſos in omnibus quæ licita ſunt, Prælatorum voluntati ſubmittere, etiam præveniendo voluntatem Superioris quomodolibet manifeſtatam. Obedientia autem neceſſitatis, ſeu id ad quod ex vi voti obedientiæ ſubditus obligatur, non ſunt omnia quomodolibet licita, ſed illa dumtaxat, quæ continentur in regula expreſsè, vel tacitè, vel quæ ad ejus perfectam obſervantiam ſunt, vel neceſſaria, vel utilia, vel convenientia. Quia votum non obligat, niſi juxta formam ac intentionem voventis: ſed in religionibus non vovetur obedientia abſolutè, ſed ſecundum regulam: ergo &c. de quo poſtea ex profeſſo *punct.* 7. agemus.

Eadem eſt obedientia quoad ſubſtantiam in omnibus religionibus.

56. Ex his patet in omnibus religionibus eſſe eandem obedientiam, ſecundum intrinſeca & eſſentialia: quia in omnibus ſolum vovetur obedire, ſecundum regulam, conſtitutiones & conſuetudines religionis. Cum hoc tamen ſtat quod in aliquibus ſit ſtrictior & perfectior ex parte objecti materialis & extenſivè, quam in aliis: quia regula & conſtitutiones ad plura & ſtrictiora ſe extendunt. Quarè licet in aliquibus religionibus præcipiatur obediendum in omnibus, quæ non ſunt manifeſtè peccatum, ut in *conſtitutionibus Societatis part.* 3. *cap.* 1. §. 23. *& p.* 6. *cap.* 1. *toto* §. 1. & in regula S. Franciſci jubetur in omnibus obedire, quæ non ſont animæ contraria. Et in noſtris *conſtit.* 1. *p. cap.* 5. *num.* 8. dicatur: *Omnes ſuis Prælatis in omnibus obediant, nec ulla ratione ab obedientia præſtanda excuſentur.* Hæc & ſimilia verba, licet quoad perfectionem obedientiæ ſint ut ſonant accipienda, quoad rigorem verò obedientiæ, & obligationes illius, debent intelligi cum iſta limitatione: *dummodo non excedant limites regulæ.* Sic Corduba *in expoſitione regulæ minorum, cap.* 10 *quæſt.* 2. *p.* 2. Peyrin. *de ſub. quæſt.* 1. *tom.* 1. *cap.* 7. Sanch. *lib.* 6. *ſum, c.* 2. *num.* 16. Laym. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 95. Pellizzar. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 10. Garcia *tract.* 4. *part.* 1. *diffic.* 2. *dub.* 3. Martinus à S. Ioſeph *ſuper reg. D. Franciſci cap.* 21. *num.* 8.

Prælato illicita præcipienti non poteſt obedire religioſus.

57. Cæterum religioſus non tenetur, imò non poteſt obedire ſuis Prælatis, ſi illicita, etiam venialiter, præcipiant: quia videlicet ſunt contraria præceptis divinis, Eccleſiaſticis, vel Superiorum, vel his quæ in regula præſcribuntur (niſi quando ipſe poteſt in eis diſpenſare, de quo poſtea) tum quia ad illicitum nemo tenetur. Tum etiam, quia non eſt materia voti, cum non ſit juxta regulam. Hinc fit, quod ſi Prælatus, res inutiles, vanas, indifferentes, & quæ nullo modo ad inſtitutum conducunt, præcipiat, non tenetur ſubditus obedire, vel ſi ſint res merè temporales, ut tale vel tale negotium in proprium, vel amicorum commodum peragere, vel quæ in aliorum damnum vel detrimentum cederent, ut ſecretum ſibi commiſſum revelare, occultum alterius crimen, quod nec eſt in damnum commune, vel alterius innocentis, detegere: quia tunc Prælatus jus non habet inquirendi; teneretur tamen ſi crimen eſſet publicum, vel eſſet de illo diffamatus religioſus, vel ſi eſſet occultum, caderet tamen in boni communis, vel alicujus innocentis detrimentum: quia tunc jus habet Prælatus inquirendi de illo. Quæ omnia ferè, reperies apud Portel *de dubiis regul.*

*verbo Obedientia num.*3. Lezan. *tom.* 1. *cap.*4. *à num.*2. Leſſius *lib.* 2. *cap.*41. *dub.*9. *num.*76. Pelliz. *tract.*4. *cap.*4. *num.*76. Antonius à Spiritu Sancto *tract. diſp.*6. *num.*74. Reginal. *praxi lib.*17. *num.*236. Peyrin. *tom.* 1. *quæſt.* 1. *de ſubdit. cap.*1. Garcia *tract.*4. *part.* 1. *diffic.* 1. *dub.*4. *num.*4.

Quando dubitans poteſt & tenetur obedire Prælato.

58. At verò, ſi quis dubius eſſet an teneretur die quo urget præceptum Eccleſiæ jejunare, à carnibus abſtinere, Miſſam audire, Officium divinum perſolvere, & alia hujuſmodi, quia vel eſt valetudinarius, vel alio impedimento laborans, poteſt ſe Prælati judicio ſubmittere, imò tenetur obedire Prælato præcipienti, ne jejunet, recitet, &c. quia in dubio Superioris judicio gubernari poteſt & debet, Salas 1. 2. *q.*21. *tract.*8. *diſp.*11. *ſect.*17. *num.*155. Sanch. *Summ. lib.*6. *cap.*3. *num.*10. Peyrin. *de ſubdit. q.*1 *cap.*7. *fol.*12. *colum.*2. Lezan. *n.*28. Pellizzar. *num.*72. Addit. Lezan. *num.*29. *& cap.*18. *n.*56. quod ſubditi debent ſtare determinationibus ſuorum Prælatorum in dubiis & ſcrupulis, ipſorum ſubditorum conſcientiam tangentibus (cum conſilio aliquorum Patrum, ſi res magni ponderis fuerit) propter conceſſionem Leonis X. Franciſcanis factam, & per conſequens omnibus aliis, qui per communicationem ipſorum privilegiis utuntur: quod etiam refert Pellizzar. *loco cit.* Curduba *in regula D. Franciſci, cap.*10 *q.*2. *punct.*3. Miranda *in Manual. tom.*1. *q.*26. *art.*5.

Quid ſi Religioſus dubitet, teneatur necne obedire in hac re Prælato.

59. An verò teneatur ſubditus præceptis Superiorum obedire, ſi dubitet an teneatur, necne, illis obtemperare? Hanc quæſtionem latè reſolvimus, & plura circa eam diximus *tom.* 3. *tract.*11. *de leg. cap.*2. *punct.* 6. *per totum.* Ubi diximus, quod ſi quis dubitet de præcepto, an impoſitum ſit, an iſte caſus comprehenſus ſub eo, poteſt præciſo ſcandalo (adhibita prius ſufficienti diligentia ad deponendum dubium) practicè deponere dubium, & contra præceptum operari: quia tunc, cum non poſſideat præceptum, eſt poſſeſſio pro ſubditi libertate, ſi verò dubium ſit, an res imperata, ſit licita, nec ne, vel an excedat facultatem Superioris, tenetur ſubditus Prælato obedire: quia præſumendum eſt in favorem Prælati quando non conſtat de oppoſito, & judicandum ipſum debitam diligentiam adhibuiſſe ad examinandam rem, quam præcipit. Si verò dubium ſit, an Prælatus habeat poteſtatem imperandi: quia dubitatur an ſit legitimè electus, vel confirmatus, non tenetur ſubditus obedire, niſi ſit in pacifica poſſeſſione, tunc enim jam poſſeſſio ſtat pro illo, & illi eſt obtemperandum. Denique, ſi dubius ſit, de adimpletione præcepti, ut ſi ſciens Prælatum tibi hoc opus injunxiſſe, dubites verò an illud expleveris, teneris illud de novo exequi: quia certus es de poſſeſſione præcepti, & de ſatisfactione illius dubius. Quid autem dicendum eſſet in caſu quo ſubditus contra Superiorem haberet opinionem probabilem, major eſt difficultas, quam oportet proprio Puncto examinare, & ideo ſit.

PUNCTUM VI.

An ſubditus teneatur obedire Prælato, ſi habeat opinionem probabilem quod Prælatus rem illam ſibi imperare non poteſt?

Quibus modis poſſit ſubditus contra Superiorem opinari.

60. Circa hoc Punctum pro praxi multum neceſſarium, ſupponendum eſt primò quod poteſt ſubditus tripliciter contra Superiorem opinari. Primo circa præceptum, ſi probabiliter non eſſe impoſitum, vel non obligare in hoc particulari caſu propter circumſtantias, vel quia eſt ſub opinione eſſe abrogatum, vel diſpenſatione, vel non uſu. Secundo circa Superioritatem, vel legitimam juriſdictionem Superioris, ut ſi ſit ſub opinione an ſit ritè electus, vel confirmatus, vel an ſit Superior huius, cui imponitur præceptum. Tertio circa materiam præceptam, an ſit licita, an conducens ad finem, an ſit ſupra regulam, an excedens juriſdictionem Prælati?

Licet ſubdito ſemper obedire, licèt habeat opinionem contrariam.

61. Supponimus ſecundo in omnibus his caſibus poſſe ſubditum opinantem, etiamſi ſua opinio ſit probabilior, licite eam relinquere, & ſe judicio Superioris ſubmittere, illi obtemperando: quia ſi relicta ſua opinione probabili, imo etiam probabiliori, poteſt quilibet alterius ſe conformare opinioni probabili, multo magis in noſtro caſu, uti docent Palaus *tractatu* 1. *diſputatione* 2. *punct.*6. *num.*6. Sanch. *lib.*6. *Summ. cap.*3. *numero* 6. Salas 1. 2. *tractatu* 8. *diſputatione unica, ſect.* 8. *num.* 78. Ioann. Martinez de Prado *tom.*1. *Theolog. moral. cap.*1. *quæſtione* 7. *num.*13. & conſtat manifeſtè ex D. Auguſt. relato *in cap. quod culpatur* 17. *quæſtione* 1. ibi: *Vir juſtus ſi forte ſub rege, homine etiam ſacrilego militet, rectè poteſt illo jubente bellare, ſi quod ſibi jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel non utrum non ſit, certum non eſt.* Malè ergo ſcioli quidam Religioſi, qui vix Theologiæ, vel caſibus conſcientiæ à limine ſalutatis, arundine Mathematica, quid Superiores, iis vel illis præſcribendis, authoritatis habeant cum ſcandalo puſillorum factiosè metiuntur: cum melius facerent, & ut videbimus multoties tenebuntur, Superiorum quibus plenius divina lux affulget, judicio ſe ſummitendo. Vnde dixit D. Gregor. *lib.*2. *reg. cap.* 4. *Vera obedientia nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit, quia omne vitæ ſuæ judicium majori ſubdit. Neſcit enim judicare quis perfectè didicerit obedire.* Sed hæc ad perfectionem pertinent obedientiæ, modo de illius quærimus neceſſitate.

Subditus opinans practicè probabiliter, non tenetur obedire.

62. Supponimus tertio, quod ſi ſubditus habeat opinionem probabilem practicè, ſeu qua judicet hic & nunc eſſe probabile quod non tenetur obedire, undecumque hoc proveniat, non erit contra votum agere contra Superioris præceptum: etiamſi probabilior ſit Superioris opinio: ſuppoſita illa ſententia, quod in aliis caſibus, poteſt quis licitè operari ſi habeat opinionem probabilem juxta eam, etiam, relicta illa quæ eſt probabilior. Et ſic depoſita ſua opinione poteſt alteri probabili conformari.

Quod

Quod docet Thomas Sanch. *lib. 1. ſum. cap. 9. num. 14.* Ioann. Sanctius *diſputat. 24. numero 12.* Pellizzar. *tract. 4. cap. 4. num. 49.* Palaus *tract. 1. diſput. 2. punct. 2. num. 2.* Anton. à Spiritu ſancto *tract. 3. diſp. 6. num. 164.* Sayr. *lib. 1. cap. 5. num. 4. & 8.* Petrus Navarr. *de reſt. lib. 3. cap. 1. dub. 13. num. 237.* Valentia *1. 2. diſp. 2. quæſt. 24. punct. 4.* Vazq. *ibi diſp. 62. cap. 4. & ſeqq.* Salas *ibi tract. 8. diſp. unica ſect. 6. n. 66. §. hac opinio.* Suppoſitâ ergo hac ſententia, Probatur noſtrum aſſertum. Quia ſecundum hos Authores licitum eſt cuilibet habenti opinionem practicè probabilem, illam ſequi, relicta probabiliori: ergo ſimiliter poterit ſubditus contra præceptum Superioris agere, ſi opinionem practicè probabilem habeat, quod ita poteſt. Nec obſtat tunc iuſtè Superiorem præcipere: quia non præcipit iuſtè, niſi probabiliter, & ſic ſubditus, ſolum probabiliter obligatur, & ex ignorantia, aut probabilitate opinionum, oritur bellum vtrimque iuſtum. Sic Thom. Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 3. n. 7.* Ioan. Sanctius *diſp. 33. num. 78.* Petr. Navarr. *lib. 3. part. 3. diſp. 13. n. 139.* Sayr. *lib. 1. cap. 12. num. 6.* Torres *de inſtit. diſp. 50. dub. 65. num. 9.* Girag. *de regim. Prælat. par. 3. dub. 3. num. 193.* Pellizzar. *numer. 49.* Anton. à Spiritu Sancto *num. 165.* ¶ Quæritur ergo modo quando ſubditus ſolum habet opinionem probabilem quod præceptum nun ſit iuſtum, quod Prælatus non eſt legitimè electus &c. an hoc ſufficiat vt practicè poſſit licitè mandata Superioris non adimplere?

Quando ſubditus circa præceptum opinatus poteſt contra illum agere.

63. Circa quod dicimus primò, quod ſi probabilitas ſit circa præceptum, modo dicto *num. 60.* licet poſſet ſubditus obedire, ad id non tenetur. Hæc ſententia eſt communis: quia generale eſt poſſe hominem iuxta opinionem probabilem agere, etiamſi res lege divina ſit prohibita, à cujus impletione excuſatur, ſi habeat opinionem probabilem, præceptum non eſſe impoſitum, vel non obligare in hoc caſu particulari, vel eſſe abrogatum, & ſic non tenetur confiteri, ſi credit probabiliter non eſſe mortale quod commiſit, aut non teneri confiteri, vt de omnibus legibus, etiam in caſu dubij diximus *num. 59.* & in caſu opinionis probabilis, docent Soto *lib. 1. de inſt. quæſt. 6. art. 8. §. ad ter.* Lorca *de legib. diſp. 26. pagin. 492. concluſ. 3.* Vazq. *1. 2. tom. 1. diſp. 176. cap. 3. num. 45.* Suar. *lib. 6. de legib. cap. 8.* Salaſ. *ibi diſp. 21. ſect. 10. num. 29.* Bonacin. *de leg. diſp. 21. quæſt. 1. punct. vlt. §. 1. num. 10.* & in caſu ſpecifico, de quo loquimur, de præcepto Prælatorum tenent Sayr. *lib. 1. cap. 2. num. 6.* Thomas Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 3. num. 8.* Girag. *de regim. part. 3. dub. 3. num. 194.* Anton. à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 6. num. 166.* Hurtado *tract. 3. cap. 3. reſol. 28. ad 8. & ad 9.* Ioann. Martinez de Prado *tom. 1. Theol. mor. cap. 1. quæſt. 7. num. 3.* Addit Sanch. & alij, id verum eſſe quamvis ſubditus crederet opinionem faventem ſuperiori eſſe probabiliorem, quia major illa probabilitas non tollit probabilitatem inferioris.

Aliqui opinantes ſubditum qui habet opinionem de juriſdictione Prælati poſſe non obedire.

64. Quando verò probabilitas eſt circa ſuperioritatem, vel legitimam juriſdictionem Superioris, adhuc cum eſt in pacifica poſſeſſione ſedis, ſunt qui aſſerant, adhuc in dubio (vt Araujo, Vazq. Diana, Salas, quos dedimus *tom. 3. tract. 11. de legib. cap. 2. num. 118.*) poſſe ſubditum contra præceptum ſuperioris agere, & in caſu quo habeat opinionem probabilem, Girag. *num. 197.* Vidal. *in arca vitali tit. de panit. inquiſit. 7. num. 78.* Caſtro Palao *ſupra num. 8.* Antonius à Spiritu Sancto *num. 174.* Leſſ. *lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 77. fine,* Vazq. *diſp. 62. cap. 6. fine,* Ioann. Sanch. *in ſelect. diſp. 33. num. 31.* Sal. *1. 2. tract. 8. diſp. unic. ſect. 8. num. 78.* & ratio illorum eſt. Quia tunc non eſt poſſeſſiu certa Superioris, cum de eius poſſeſſione probabiliter dubitatur, & ſic cum non ſit certa, ſed probabilis, non eſt certum, ſed probabile ſubditum illi obedire teneri, & ſic erit probabile non teneri, & cum hac probabilitate, poterit licitè contra eius præceptum agere.

Subditus opinans circa iuriſdictionem, vel electionem Prælati, tenetur obedire.

65. Cæterum tenenda eſt ſententia aſſerens quod ſi Superior ſit in poſſeſſione, tenetur ſubditus illi obedire, non obſtante probabilitate quam habet, de nullitate eius electionis, aut confirmationis, vel ſuperioritatis reſpectu eius. Probatur primò, quia conjux habens probabilem opinionem de nullitate matrimonij, tenetur debitum reddere, vt conſtat *ex cap. inquiſitioni de ſent. excommun.* ibi: *Si habeat conſcientiam ex credulitate probabili & diſcreta quamvis, non evidenti & manifeſta, reddere debet.* & D. Th. *in quarto diſt. 91. quæſt. unica art. 5. quæſt. 1. ad 2.* ibi: *aut habet certam ſcientiam de impedimento matrimonij, aut opinionem. Si primo modo, nec exigere nec reddere debet; ſi ſecundò debet reddere.* Quod, pluribus citatis, diximus *tom. 2. tract. 9. de matr. cap. 15. num. 50. & 51.* ergo ſimiliter qui habet probabilem opinionem de electionis nullitate tenetur Prælato obedire. ¶ Secundò, quia Superior eſt in certa poſſeſſione (hoc enim ſupponimus) & ſolum eſt probabilitas, an ſit ritè electus vel confirmatus, vel non? Stat namque dubiam eſſe electionem, & poſſeſſionem certam; ſed opinio probabilis non poteſt prævalere certæ Superioris poſſeſſioni, quia ob alterius probabilem opinionem, jure certo imperandi privari non debet: ergo &c. ¶ Tertio, quia in caſu probabilitatis circa juriſdictionem, ſtante poſſeſſione, firmat Eccleſia, & ſupplet juriſdictionem, & ſic nuo eſt probabile tunc juriſdictionem non habere, qui cum opinione probabili juriſdictionis in pacifica eſt ſedis poſſeſſione. Sic Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 3. num. 29.* Franc. Ouiedo *de conſcient. tract. 3. controu. 3. p. 5. à n. 55.* Greg. Martin. *1. 2. quæſt. 96. art. 4. dub. 15.* Ioao. Mart. de Prado *tom. 1. Theol. mor. cap. 1. q. 7. num. 7.*

Sententia aſſerens ſubditum opinantem circa rei mandatæ materiam, non teneri obedire.

66. Major difficultas eſt quando adeſt diverſitas opinionum circa materiam præceptam, an ſit licita, an conducens ad finem, an ſupra regulam, an excedens juriſdictionem Prælati? Negat prima ſententia teneri in tali caſu ſubditum obedire. Et probatur primò: quia quando eſt probabile te poſſe non obedire, licitè potes non odedire, ut diximus *num. 62.* Sed quando eſt probabile eſſe injuſtum quod præcipitur, aut excedens facultatem Prælati, eſt probabile te poſſe non obedire: quia illa probabilitas in nullo alio quam in iſta poteſt fundari: ergo &c. Sed hoc argumentum petit principium: de hoc enim eſt quæſtio, an cum probabilitate ſpeculativa ſolum de injuſtitia præcepti detur practica probabilitas, quod poteſt ſubditus contra illud agere. ¶ Secundò probatur dicta ſententia, quia ſuperior non habet jus imperandi id quod injuſtum eſt, aut excedens ſuam facultatem: eſt probabile hoc quod modo præcipit eſſe injuſtum,

aut excedens ejus facultatem : ergo eſt probabile non poſſe illud Superiorem præcipere : ergo etiam eſt probabile non teneri ſubditum obtemperare. § Claudicat etiam huc argumentum : quia licet Superior non habeat jus imperandi quod certò injuſtum eſt , aut excedens ejus facultatem, habet tamen jus imperandi quod probabiliter juſtum eſt , vel quod non eſt certum eſſe injuſtum , ejuſve excedens facultatem, ut diximus. Sed dictam ſententiam tenent Ioan. Sanch. *diſput.* 33. *a num.* 32. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 6. *num.* 5. Sayr. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 31. Anton. a Spiritu ſancto *ſupra num.* 170. Vidal. *in arca vital. titulo de pœnit. inquiſit.* 7. *num.* 74. Girag. *part.* 3. *dub.* 3. *num.* 193. Ledeſm. 2. *part. tract. de ſtatibus cap.* 4. *difficult.* 5. *poſt* 8. *concluſ.* Leſſ. *lib.* 1. *cap* 41. *dub.* 9. *num.* 76. Scobat de Mendoza *lib.* 2. *Theol. moral. problemate* 23. M. Barnabas Gallego *de ejus ſcientia probabil. dub.* 11. & alii quos refert, & ut probabiliter ſequitur Diana 1. *part. tract.* 13. *reſol* 10. & 9. *part. tract* 9. *reſol.* 45

Tenetur ſubditus opinans circa juſtitiam præcepti illi obtemperare.

67. Secunda tamen ſententia (quam amplexati ſumus *tom.* 3. *tract.* 11. *de leg. cap.* 2. *num.* 116. & modo amplectimur cum limitationibus infra apponendis) docet in dictis caſibus teneri ſubditum obedire. Probatur primò : quia licet conjux habeat opinionem probabilem de nullitate Matrimonii , & ſic illicitam eſſe debiti redditionem , tenetur nihilominus debitum reddere , ut dicebamus *num.* 65. & miles licet habeat opinionem probabilem de injuſtitia belli, tenetur Principi habenti probabilitatem de juſtitia illius obedire , ſi imperet bellare , ut omnes ex *cap. quod culpatur* 17. *quaſt.* 1. docent : ergo etiam ſubditus tenetur in eo caſu obedire Prælato. § Secundò , quia quoties Prælatus poteſt præcipere , & jus ad hoc habet , debet ſubditus obedire : ſed Prælatus probabiliter opinans hoc eſſe juſtum , vel ſuo intento conſentaneum, poteſt illud præcipere , & ſic jus habet ad illud præcipiendum : quia ſicut ſubditus poteſt operari cum opinione probabili , ſic Prælatus poteſt cum illa jubere : ergo , &c. § Tertio , quia alias eſſet magna confuſio inter Superiorem & ſubditum , & nulla Communitas poſſet rectè gubernari , ſi ob probabiles opiniones excuſandus eſſet ſubditus ab obedientia , & tenerentur Superiores , quod moraliter eſt impoſſibile , nunquam præcipere niſi quod evidenter eſſet juſtum , vel evidenter juxta regulam , vel evidenter conducens ad finem intentum , & talem juſtitiam inferioribus manifeſtare , ne circa illam opinentur, ut ſic illius mandatis cogerentur obedire. Hanc ſententiam tenent Corduba *lib.* 3. *quaſt.* 9. *initio*, Salas *tract.* 8. *diſp. unica ſect* 8. *num.* 78. Sanch. *Summ. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. & *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 6. Pellizzar. *tractatu* 4. *cap.* 4. *num.* 49. & 72. Valentia 2. 2. *diſp.* 2. *quaſt.* 5. *punct* 2. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 11. *num* 3. Azor *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quaſt.* 9. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 26. Martinez de Prado *tom.* 1. *quaſt.* 1. *cap.* 7. *num.* 72.

Prima limitatio dictæ ſententiæ.

68. Sed limitatur primò hæc ſententia , quando id quod præcipitur eſt nimis difficile, & valde moleſtum ſubdito , quod tunc ſæpiſſimè excuſatur ab obligatione præcepti , ſive in dubio , ſive in opinione probabili quod eſt illicitum aut excedens facultatem Superioris. Vt ſi præciperet in carcerem ire , vel longiſſimam aſſumere peregrinationem , &c. Et probatur ex *cap. ſi quis ingenuus* 25. *quaſt.* 2. Vbi de illo qui duxit fœminam , de qua opinatur quod non eſt libera , & ſic quod eſt nullum Matrimonium (ſecundum expoſitionem D. Thom. *in* 4. *diſt.* 33. *in expoſitione literæ.*) dicitur non teneri reddere debitum , nec cum illa cohabitare propter magnum præjudicium quod ſibi fieret, & ob magnam operis difficultatem. Magna enim arduitas operis & difficultas ex parte ſubditi , ſimul cum opinione probabili prævalere debet poſſeſſioni & probabilitati Prælati : quia ſolum in dubio eſt melior conditio poſſidentis , quando utrinque eſt in cæteris æqualitas. Nobiſcum ſentiunt Prado *ſupra num.* 20. Pellizzar. *num.* 72. Palaus *tom.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 14. *num.* 16. Thomas Hurtado *tract.* 3. *num.* 28. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 23. Leſſ. *num.* 73. §. *adverte*, Ludovicus Lopez 1. *part. cap.* 56. *q.* 1. Medina 1. 2. *quaſt.* 19. *art.* 6. *pag* 306. §. *ex his principiis.* Soto *in relect. de ſecreto memb.* 3. *q.* 1. *declaratione* 1. *concl.*

Secunda limitatio præcedentis doctrinæ.

69. Limitatur ſecundo , quod in dubio, vel cum opinione probabili excuſetur ſubditus, ſi id quod præcipitur cedere poteſt in detrimentum honoris , vitæ , vel famæ ipſius , vel alterius , etiamſi ſubditus alias habeat opinionem minus probabilem , quod id non licet : Ratio eſt , quia licet Prælatus ſit in poſſeſſione & jus habeat imperandi , etiam ſubditus , vel ille cui damnum imminet, eſt in poſſeſſione honoris , famæ, &c. & alias ex parte illius malum imminet , & ſic in tali caſu reo eſt favendum, vel illi de cujus præjudicio agitur. Sic Rodrig. *tom.* 2. *Summ. cap.* 9. *num.* 3. & *tom* 3. *qq. Regular. quaſt.* 19. *art.* 4. & 6. Soto *ſupra concluſ.* 3. Prado *num.* 19. Pellizzar. *num.* 72. Bañez 2. 1. *quaſt.* 69. *art.* 2. *dub.* 2. Sanch. *cap.* 3. *num.* 24. Hurtado *tract.* 3. *cap.* 1. *reſol.* 3. Gregor. Martinez 1. 2. *quaſt.* 69. *art.* 4. *dub.* 15. Ledeſma *de ſtatibus cap.* 4. *diffic.* 4. *poſt* 8. *concluſ.* § Sed cum hoc diſcrimine , quod ſi id quod præcipitur cedat in præjudicium alterius , nec teneris , nec potes obedire ; ſed potius non obedire , ut ſi interroget Prælatus circa grave crimen proximi , tu opinaris juſtè, & etiam injuſtè inquirere , non teneris verum dicere, ſed potius non dicere teneris; at ſi in tuum cedat præjudicium quod jubetur , poteris obedire cedendo tuo juri ; ſed ad hoc non teneris. Præcipit tibi Prælatus quod renunties Officium , vel privilegium , vel deſiſtas ab appellatione vel cauſa inchoata , opinaris eſſe injuſtum , & quod obedire vergit in damnum tui, poteris quidem tuo cedere juri , & obedire , & melius facies , ad id tamen non teneris : quia omnes cauſæ litium fori externi ſunt hujuſmodi , & ſubditi miſerrimè gravarentur ſi ad quamlibet Superioris opinionem tenerentur à ſuæ cauſæ proſequutione ceſſare.

Tertia limitatio concluſionis.

70. Tertiò limitatur dicta ſententia , ut ſecluſo ſcandalo non teneatur ſubditus , quamvis poſſit , obedire , ſi probabilius judicat rem ſibi imperatam eſſe iniuſtam , vel excedens Prælati poteſtatem. Tum , quia eſt valde probabile , conjugem probabilius opinantem nullum eſſe Matrimonium , non teneri reddere debitum , ut inquit Soto *in* 4. *diſtinctione* 17. *quaſtione* 1. *articulo* 3. §. *tunc ergo*, Henriq. *lib.* 12. *de Matr. c.* 6. *n.* 7. Tum etiam, quia leges iniuſtæ non obligant in foro conſcientiæ, ſed quandò manifeſtè probabilius eſt præceptum eſſe de re injuſta , eſt injuſtum ex parte rei præceptæ , vel eſt probabilius ita eſſe : ergo

ſubditus

ſubditus prudenter procedens poteſt quod probabilius eſt ſequi, & ſic obedire prætermittere: Tum denique, quia hic datur duplex poſſeſſio, altera ex parte Prælati præcipientis, altera ex parte Dei jubentis oppoſitum, vel ex parte dictaminis rationis ita proponentis, & alias dictamen rationis dicit probabilius eſſe quod Deus hoc prohibeat, vel alius Prælatus Superior: ergo non facio injuriam huic Prælato inferiori illud ſequendo dictamen: quia ipſe ſolum habet jus imperandi quando non eſt contra Deum, vel non eſt fortius jus Dei. Et ſic dixit D. Th. *de verit. q. 17. a. 5.* *Comparare igitur ligamen conſcientiæ ad ligamen quod eſt ex præcepto Prælati, non eſt aliud quam comparare ligamen præcepti divini ad ligamen præcepti Prælati. Unde cum præceptum divinum obliget contra præceptum Prælati, & magis obliget quam præceptum Prælati, conſcientiæ ligamen erit majus, quam ligamen præcepti Prælati.* Quare in caſu hujus numeri, poſſe ſubditum agere contra præceptum prælati, tenent. Suar. *de conſcientia. diſp. 4. ſect. 6. num. 6.* Franciſcus Lugo *de conſcien. cap. 3. q. 13. num. 97.* Cardin. Lugo *tom. 2. de juſt. diſp. 36. num. 91.* Sanch. *lib. 6. conſil. cap. 3. dub. 10. num. 1.* Prado *tom. 1. cap. 1. q. 7. n. 35.*

PUNCTUM VII.

An ſubditus teneatur obedire Prælato aliquid ſupra regulam, infra regulam, contra regulam, vel præter regulam præcipienti?

Quæ implicite & explicitè in regula, conſtitutionibuſque, continentur, poſſunt præcipi à Prælato.

71. Omnia quæ in regula expreſsè, vel implicitè continentur, vel in conſtitutionibus, præcipi poſſunt à Prælatis, & in eis Subditus tenetur obedire: quia ad hæc omnia ex voto ſe obligavit quando promiſit obedientiam ſecundum regulam. Ea autem dicuntur implicitè vel indirectè in regula vel conſtitutionibus contineri, quæ ſunt neceſſaria ad regularem obſervantiam, quæ licet antequam à Prælato præcipiuntur, non teneatur religioſus ea exequi: hoc enim modo ſolum ad ea, quæ expreſsè & directè continentur, tenetur addito tamen mandato Superioris, ad illa obligatur ut ad mutua obſequia, charitatis officia, ordinis negotia, ad pœnam ſuſtinendam propter culpas ſive contra regulam, ſive alia præcepta, nam qui vult & promittit finem etiam velle & promittere media neceſſaria ad illum, cenſetur. Sic cum D. Th. *2. 2. q. 104. a. 5. & in 2. diſt. 44. q. 2. a. 3.* communis tenet ſententia. ¶ Non tamen Subditus tenetur obedire in his quæ ſunt præter regulam, ut ſunt res merè indifferentes, vel infra regulam, id eſt laxiora quam regula jubet, niſi ea quæ ſunt præter, vel infra regulam a Prælatis præcipiantur ex juſta cauſa, quæ ſit ſecundum regulam, vel conſtitutiones: quia ipſe non promiſit obedientiam, niſi ſecundum regulam. Cenſetur autem Prælatus ex juſta cauſa ſecundum regulam præcipere, ſi actus indifferentes vel alios infra regulam præcipiat quando conducere arbitratur ad majorem & ſecuriorem regulæ obſervantiam, ut ſi jubeat ambulare, quieſcere, ad recreationem ire, ut quieſcendo paululiſper, vegetior reſurgat ad obſervantiam regularem: vel ſi actus ex ſe indifferentes ob aliquam circumſtantiam ad regularem obſervantiam conducant. Sic D. Th. & omnes, Mirand. *tom. 1. quæſt. 26. a. 1.* Laym. *lib. 4. tract. 1. cap. 9. n. 15.* Palaus *tom. 3. tract. 16. diſp. 4. punct. 4. n. 2.* Antonius à Spiritu ſancto, *tract. 3. diſp. 6. n. 52.* Pellizzar. *tract. 4. cap. 4. n. 69.* Peyrin. *de ſubd. q. 1. cap. 8. concl. 4.*

Prælatus regulam nequit imperare.

72. Nec etiam tenetur ſubditus obedire Prælato præcipienti aliquid contra regulam: quia hoc excedit Prælati facultatem, & ſubditi ſubjectionem, cum ipſe promiſerit ſolam obedientiam ſecundum regulam; niſi alias Prælatus poſſit in regula diſpenſare, & non conſtet non habere cauſam (ſi enim conſtaret ſubdito cauſam non habere non teneretur obedire, cum nullus Prælatus poſſit ſine cauſa in regula diſpenſare.) Præcipit nobis regula a carnibus abſtinere, jubet Prælatus mihi ut carnes comedam, ſcio ipſum nulla juſta cauſa ad hoc moveri, non teneor, imò non poſſum obedire; ſed cum ipſe in hoc ex juſta cauſa poſſit diſpenſare, ſi mihi non conſtet abſque illa diſpenſare, teneor obedire: quia hoc ipſo quod præcipiat, cenſetur diſpenſare, & judicare debeo ipſum ex juſta cauſa moveri. Miranda *tom. 1. q. 26. a. 5.* Leſſ. *lib. 2. c. 41. dub. 9. n. 74.* Cajet. *2. 2. q. 104. a. 5. circa ſolut. ad 3.* Peyrin. *ſup. concl. 3.* Pellizz. *n. 71. & 124.* Antonius à Spiritu ſancto *n. 51.* & eſt communis.

Non poteſt Prælatus ſupra regulam mandare.

73. Denique non teneor obedire Prælato aliquid ſupra regulam præcipienti, ut ſi novas auſteritates jubeat præciſè ad exercitium virtutis, ſi hæc omninò extra regulam ſint, nec ad ejus obſervantiam neceſſaria, ut ire ad infideles cum manifeſto periculo vitæ, aut ſervitutis. A carnibus abſtinere, quando talis abſtinentia in regula, nec conſtitutionibus non præſcribitur; vigilias vel jejunia nova imponere, quæ in regula & conſtitutionibus non habentur. Eſt ſententia communis cum D. Th. *loco citato.* Et D. Bernard. *opuſcul. de diſpenſ. & præcep.* ubi ait: *Prælati juſſio vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum quæ promiſi, nec plus exigat quam promiſi. Vota mea nec augeat ſine voluntate mea, nec minuat ſine neceſſitate.* (Addit poſtea: *Moventes eos, non cogentes ad celſiora, condeſcentes eis cum neceſſe fuerit ad remiſſiora.* Quod adeò verum eſt ut nec Summus Pontifex poſſit aliquid, quod ſimpliciter ſit ſupra regulam præcipere: quia debitum ſpeciale quod habent religioſi obediendi Pontifici, tanquam ſupremo eorum Prælato ultra alios chriſtianos, eſt ſolum ratione voti: ergo non poteſt eos ad plus quam ratione voti ſe voluerunt obligare, adſtringere. Sylveſt. *religio 6. q. 6. fine.* Leſſ. *lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 74.* Sanch. *lib. 6. ſum. cap. 2. num. 2.* Peyrin *de ſubdito q. 1. cap. 8. §. 1.*

Quibus caſibus aliquid præter regulam poſſit à Prælatis injungi?

74. Hoc tamen non tollit, quod poſſit religio de majore parte capituli, (vel ille Prælatus qui ſtatuta pro toto Ordine, vel aliqua Provintia poteſt facere,) aliquas auſteritates imponere, præter eas quæ expreſsè in regula, vel conſtitutionibus ſunt, quando eas judicat neceſſarias ad perfectam obſervantiam votorum, regulæ, vel conſtitutionum; ob idque merito in pluribus Capitulis Generalibus noſtra ſacra religio omnibus religioſis ſubditis & Prælati, ſumptionem tabaci, & chocholati, prohibuit: quia per tales ſumptiones non parum relaxari votum paupertatis, omnes deplorant, & ſunt valdè contrariæ his qui vitam rigidam & auſte-

riorem profitentur: quia ob id ſecundum regularem obſervantiam, debent ab aliis minoris latitudinis, rebus abſtinere. Quid enim abſurdius eſſe poſſet, quam à carnibus, quæ ſunt omnibus licitæ, abſtinere, ferè per totum annum jejunare, & poſteà ſumptionem chocolaticam repetere, quæ non niſi delitioribus & ditioribus competit? Vtinam ab omnibus Religionibus ſumptiones hujuſmodi abigerentur: non periclitaretur paupertas, non teperet fervor, nec plures aliæ obſervantiæ relaxarentur. Similia poteſt etiam Religio præcipere, vel prohibere, tametſi in regula vel conſtitutionibus non contineantur, quia humana providentia non ſtatim percipit omnia commoda vel incommoda ad aliquem finem, ſed paulatim multa addiscit, quæ convenientia, vel etiam neceſſaria ſunt. Et ob id merito Tridentinum Monialibus perpetuam indixit clauſuram, ut convenientiſſimam, vel certè neceſſariam ad debitam honeſtatem, quam profeſſæ ſunt, obſervandam.

Aliquæ auſteritates ſpeciales poſſunt imponi à Prælatis tempore neceſſitatis.

75. Poteſt etiam Prælatus ad tempus aliquas auſteritates Religioſis imponere ob publicam neceſſitatem, ut aliqua jejunia, flagellationes, Orationes. Si enim Epiſcopus publica occurrente neceſſitate, eas ſuis ſubditis imponere poteſt, cur non Prælatus regularis? Sed illas alicui particulari (niſi ob ſpeciales circumſtantias) imponere non poteſt, nec ipſe teneretur eas obſervare: quia jam non ſunt ſecundum regulam implicitè vel explicitè; ſi enim ſecundum regulam eſſent, omnes obligarent, ſicut regula obligat omnes. Lezan. *tom.1. cap.4. num.* 21. Cordub. *in reg. D. Franc. cap.10. quæſt.2. punct.* 6. Pellizxar. *num.*64. Leſſ. *num.*65. Sanch. *num.*7. *&* 8. Peyrin. *loco citato.* Anton. a Spiritu ſancto *num.*55. Poteſt etiam Prælatus particulares auſteritates præter regulam alicui particulari imponere, in pœnam delicti commiſſi contra regulam, vel aliud præceptum: quia pœnas debitas ſuſtinere eſt juxta regulam, & illas imponere delinquentibus, omninò neceſſarium eſt ad bonum regimen. Poteſt ſimiliter alicui, aliquam auſteritatem quæ non ſit in regula, vel conſtitutionibus, imponere in cautelam ad præcavendum recidivum in aliquod peccatum, cum ſub obedientia ſecundum regulam, ſaltem indirectè, comprehendantur ea omnia quæ judicantur expedire ad obſervantiam regulæ, & aliorum præceptorum. Vazq. 1. 2. *diſput* 154. *cap.4. num.*26. *&* 27. Sanch. *lib.6. cap.2. num.*45. Leſſius *lib.2. cap.41. num.*65. Lezan. *num.*11. Pellizzar. *num.*63. Sylveſt. *Religio* 6. *quæſt.* 6. Addunt Corduba, Sylveſt. & Leſſ. quod ſi ſubditus videat ſe aliter poſſe vitare peccatum, non teneretur ſi abſque ſcandalo id poſſet, illam obedientiam adimplere, quod tamen non admittit Sanch.

Dignitates ſunt fugiendæ.

76. Sed modo eſt duplex difficultas. Prima, an ſubditus poſſit cogi præcepto Prælati ad admittendum Epiſcopatum, vel aliud Officium, aut dignitatem, intra vel extra Ordinem. Notandum eſt primò, quod ut rectè inquit Peyrin. *de ſubdit. quæſt.*1. *cap.*10. *initio.* Humilitas Religioſa poſtulat ut oblatas dignitates declinemus: tanta enim puritas, ſcientia & prudentia requiritur in eo qui prælationis munus functurus eſt, ut ſuperbia magna ſit has dotes in ſe exiſtimare, onuſque tam grave eſt homines regere, ut elati animi ſit credere illud ferre poſſe. Hoc tamen non eſt pertinaciter faciendum, cum ad id ſuſcipiendum ſuperna cognoſcitur voluntas, ut ait D. Thom. *quotlib.*5. *art.*22. ad quod facit illud Antiſthenis, qui rogatus quomodo ad reipublicæ munera accedendum eſſet, reſpondit: *Sicut ad ignem nec nimis propè, ne comburaris; nec nimis longe, ne frigeſcas.*

Non poteſt ſubditus admittere Epiſcopatū ſine licentia Prælati.

¶ Notandum eſt ſecundò non poſſe ſubditum conſentire Epiſcopatui abſque licentia Prælati; petita & obtenta, ſive hoc proveniat ex vi voti Obedientiæ, ut aliqui volunt, ſive ſolum ex jure poſitivo *in cap. quam ſit* 18. *quæſt.*2. *cap. ſi Religioſus, de electione in* 6. Vbi irritus declaratur conſenſus abſque prædicta Prælati licentia, & quod talis conſenſus non teneat. Et loquitur textus de conſenſu in electionem, non in collationem, aut præſentationem. Vnde conſenſus in has proviſiones, nec eſt nullus, nec prohibitus. Suar. *tom.3. de relig. lib.10. cap.10. num.*16. *&* 17. Palaus *tract.16. diſput.4. punct.5. num.*2. Hæc licentia debet poſt electionem haberi, alias nulla eſſet, *Clement. unica, de election.* Si quidem licentia obtenta ante electionem viam parat ambitioni. Suar. *num.*7. Pellizxar. *tract.4. cap.4. num.*82.

Subditus nequit cogi à Prælatis ut admittat Epiſcopatū.

77. Quibus ſuppoſitis, dicimus: quod licet laudabiliter aliqui Sancti ob exercitium obedientiæ, coacti ſint præceptis Prælatorum Epiſcopatum recipere, verè tamen nullus Prælatus cogere poteſt ſubditum ſub præcepto, nec iſte obedire tenetur, acceptare Epiſcopatum, Cardinalatum, aliamve dignitatem quæ à regulari obſervantia illum eximat. Tum, quia votum Obedientiæ eſt ſecundum regulam; ſed has acceptare dignitates eſt extra regulam, & quodammodo contra regulam, cum illum eximat ab obſervantia regulæ. Tum etiam, quia non confert ad bonum commune Religionis, vel Religioſi, illas dignitates acceptare, ſed ad bonum commune Eccleſiæ, cui providere non pertinet ad Prælatum regularem D. Antoninus *3. part. tit.*20. *cap.*1. §. 6. Peyrin. *de ſubdit. quæſt.*1. *cap.*10 *concluſ* 5. Pellizxar. *tract.4. cap.4. num.*84. Lezan. *tom.1. cap.4. num.*18. Valentia *tom.3. diſp.* 10. *quæſt.* 3. *punct.*3. *aſſert* 6. Leſſ. *lib.2. cap.*41. *dub.9. num.*76. Soto *de juſt. lib.*10. *quæſt.*2. *art.*2. §. 3. Sanch. *lib.6. Summ. cap.2. num.*49. Suar. *de relig. tom.3. lib.10. cap.10. num.*21. Palaus *tract.*16. *diſp.4. punct.5. num.*1.

Nequit Religioſus obligari à Prælatis ad acceptandū beneficium extra Ordinem.

78. Hinc fit primò, non poſſe Religioſum obligari à Prælatis ad acceptandum beneficium curatum, vel ſimplex, ſi ſit ſæculare, vel alterius Ordinis: quia illa beneficia non pertinent ad regulam; quin potius hominem extra regulam, & regularem obſervantiam conſtituant; nec eorum proviſio ſpectat ad bonum Religionis, ſed ad bonum Eccleſiæ. Sic authores citati. ¶ Fit ſecundò poſſe Summum Pontificem obligare Religioſum ut acceptet, tum Epiſcopatum, aut aliam dignitatem extra Ordinem, tum etiam beneficium ſæculare, vel regulare alterius Ordinis, non ex vi voti Obedientiæ, ſed ex juriſdictione quam habet in totam Eccleſiam, cuius regimen ipſi incumbit. Si enim poteſtas civilis cogere poteſt cives ad capeſſenda reipublicæ munera, *l. ſi ad Magiſtratum, C. de decurionibus, l.*10. *& toto tit. de excuſat. munerum eodem lib.* cur id non poſſet Pontifex reſpectu omnium Chriſtianórum? Sic authores ſupra citati.

Obligari poteſt ſubditus à Superioribus

79. Fit tertiò poſſe Religioſum obligari ex vi voti Obedientiæ ad ſubeundum munus Prælati intra ſuum Ordinem (& ob eandem rationem ad

ut admittat Prælatiam intra Ordinem.

ad acceptandum beneficium regulare illius) alioquin malè eſſet proviſum diſciplinæ regulari, ſi omnes poſſent refugere Religionis onera, quæ dignitates appellantur. Et ratio eſt quod cum talia à Religioſis adminiſtrari debeant, Prælatus, penes quem eſt Ordinis adminiſtratio, ad id cogere poteſt: quod quidem eſt juxta regulam, cum ſit omninò neceſſarium ad regularem obſervantiam. Sic omnes præcitati Authores. Quod verum eſt, etiam ſi dubitet de ſua ſufficientia: quia in dubiis parendum eſt Superioribus. Si verò Religioſus habeat impedimentum aliquod, ſi poteſt amovere illud tenetur; ſi diſpenſationem Prælati exigat, illi aperire, vel alium quærere à quo diſpenſetur. Si tamen impedimentum ſit quod nec ipſe amovere, nec Prælatus poſſit, ut ſi habeat aliquam incapacitatem, vel irregularitatem ſoli Papæ reſervatam, non poteſt Officium admittere: quia nemo ad illicitum poteſt obligari. Ita omnes cum D. Th. 2.2. *quæſt.* 185. *art.* 2. *ad* 2. idem eſt ſi ſe indignum reputet, & de facto talis ſit, tunc enim peccabit mortaliter acceptando dignitatem: quia dignitas eſt ita intrinſeca Prælaturæ, ut ſuper eam nec Summus Pontifex poſſit diſpenſare. Sanch. *n.* 11. Pellizz. *num.* 88. Peyrin. *concluſ.* 3. Lezana *num.* 17.

Aliqua circa difficultatē ſupponenda.

80. Secunda difficultas eſt: an Religioſus teneatur obedire Prælatis reformantibus regulam collapſam, eamque ut reformatam obſervare, ſi profeſſi ſunt, quando erat deformata? Et loqui poſſumus vel ante reformationem, vel poſtquam jam per habentem poteſtatem eſt regula reformata. Et non loquimur de illa quæ in ſubſtantialibus relaxata fuit, nimirum circa votorum materiam ut ſi introducta eſſet proprietas, inobedientia, aut Caſtitas ſolum conjugalis, contra quæ nulla conſuetudo prævalere poteſt: nam cum conſtituant ex jure divino ſtatum, non poſſunt, manente ſtatu, relaxari legitimè; & ſic ad eorum reformationem omnes adſtringentur. Loquimur ergo de aliis obſervantiis, & de adjunctis votis ſubſtantialibus, ut modus paupertatis & obedientiæ, quem declarare & laxare poteſt conſuetudo. Et ſupponimus ex omnium ferè ſententia, quod antequam reformentur, ſi tempus ſufficiens pro legitima conſuetudine prætererit, non erit obligatus Religioſus eas obſervare, etiam ſi alias obligarent, ex gravi culpa; nec ad id cogi poſſe à Prælato particulari: quia legitima conſuetudo vim habet abrogandi quaſcumque leges poſitivas, ut diximus, & latè probavimus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legibus cap.* 6. *num.* 39. Sed hæc ad ſummum eſt lex Eccleſiaſtica: ergo per illam abrogari potuit regula. Vnde licet peccent contra regulam qui talem conſuetudinem introducunt, & omnes qui contra eam operantur toto tempore, quo non præſcripſit conſuetudo; poſt illius tamen præſcriptionem, omnes licitè contra talem legem operantur, ut ibidem diximus.

Negant alii teneri ſubditum admittere reformationē, quam nō eſt profeſſus.

81. Difficultas ergo eſt, quando regula collapſa reformata eſt a Capitulo Generali, vel à majori parte illius, utrum jam profeſſi, teneantur ſtare reformationi, & ad hoc cogi poſſint Superiorum præceptis? Negat prima ſententia: quia talis Religioſus illam regulam profeſſus non eſt in primitivo rigore, ſed ſecundum quod legitima erat conſuetudine mitigata: ergo tantum poterit obligari ad reformationem neceſſariam ad conſervationem regulæ in illo ſtatu mitigationis, in quo erat quando ipſe ſecundum regulam profeſſus eſt. Sic Palaus *tract.* 16. *diſp. punct.* 4. *n.* 11. N. Ant. à Spir. S. *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 5., & alii quos refert & ſequitur Moronius *reſp. num.* 135.

Poſſe ſubditum obligari ut reformationem admittat, alii cenſent.

82. Secunda ſententia eſt affirmativa, & dicit poſſe Capitulum Generale (imò etiam alios Prælatos qui condendi ſtatuta pro Religioſis, poteſtatem habent) regulam mitigatam, vel relaxatam conſuetudine longæva reformare, & ad primitivum fervorem reducere, obligareque ſubditos jam profeſſos ad illius obſervantiam: quia quando quis regulam profitetur, non eam ut relaxatam, ſed ut primò inſtitutam amplectitur; & quamvis prava conſuetudo vim habeat relaxandi regulam, non tollit à Prælatis facultatem huiuſmodi relaxationem amovendi, nec à ſubditis obligationem ut ad eam ſic reformatam teneantur: quia qui in Religione ſponte ſua profeſſus eſt, ita regulam ſectare promiſit, ut paratus eſſe debeat, quantum in ſe eſt, ad conſervationem ipſius procurandam. Quare ſi bonus ſtatus Religionis collapſus ſit, tenetur pati ut inſtauretur, & per conſequens regulam ſic inſtauratam conſervare. Ita Sylveſter *Religio* 6. *q.* 6. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 9. *q.* 4. Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *c.* 11. *q.* 17. *&* 19. Sanch. *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 35. Vazq. 1. 2. *q.* 95. *art.* 2. *diſp.* 154. *cap.* 4. *à n.* 25. Vega *tom.* 2. *Sum. c.* 86. *caſu* 22. Cordub. *in expoſit. reg. S. Franc. cap.* 10. *q.* 2. *p.* 6. *&* *c.* 2. *q.* 15. *p.* 3. Peyrin. *de ſubd. q.* 1. *cap.* 8. § 4. *concl.* 1. Mirand. *tom.* 1. *q.* 26. *art.* 10. *concluſ.* 2. ¶ Addunt Sanch. Sylveſt. Vega & Vazq. poſſe Prælatos edere nova ſtatuta non contenta in regula antiqua; quando eſſent neceſſaria pro temporis & loci occaſione, ad Religioſæ vitæ reformationem, & ut vota eſſentialia, & alia Religionis ſtatuta ſerventur: quia hæc directè pertinent ad regulam, & ſub illa implicitè comprehenduntur, ut *n.* 74. dicebamus: ſed limitant prædicti Authores hanc ſententiam, niſi profitens poſt regulæ mitigationem limitaverit intentionem ſe obligandi ad amplius, quam ad regulam ſic relaxatam.

Media inter utramque ſententiam via eligitur.

83. Nos verò media via inter has duas ſententias incedimus, & diſtinguimus relaxationem (quæ melius dicitur mitigatio) quæ fit authoritate Summi Pontificis (qualiter fuit mitigata, primitiva noſtra regula ab Innocentio IV. cum qua mitigatione eam profitentur Noſtri PP. Carmelitæ de obſervantia) & relaxationem propriè dictam, quæ introducitur ob pravam conſuetudinem oppoſitam. Et dicimus quod ſi quis profeſſus jam eſt ſecundum regulam primò modo mitigatam, obligari non poteſt ut regulam in ſuo primo rigore obſervet: quia jam pro talibus Religioſis, regula non eſt alia, niſi illa: & in illo ſtatu, in quo Summus Pontifex eam conſtituit. Et ſic nemo dicat obligari poſſe noſtros Carmelitas Calceatos, ut regulam ſecundum primitivum rigorem, quo ſtatuta fuit à ſancto Alberto Patriarcha Hieroſolymitano obſervent. At ſi regula ſecundo modo fuerit relaxata, obligari poterunt Religioſi ad ejus reformationem, ob rationes ſecundæ ſententiæ, quod, & non amplius videntur velle illius Authores, ut diximus ſupra, *cap.* 1. *num.* 54. & expreſsè tenent Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 10. *cap.* 8. *a num.* 17. Pellizzar. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 54.

cundum regulam eſſet, huic præceptum imponere poteſt Prælatus obligans ſub mortali: quia cum Superior ſit cuſtos obſervantiæ regularis ad eam conſervandam poteſt ſubditum relaxatum, quaſi in pœnam tranſgreſſionis, talem obligationem imponere, ut tenent omnes Authores ſupra citati. Et idem dicunt ſi totum Monaſterium (idem cum proportione ſentiendum eſt de tota Provincia vel Religione) eſſet circa aliquam obſervantiam nimis relaxatum, poſſet pro illo imponi præceptum ob eandem rationem, etiamſi alias ſub nulla culpa talis obſervantia obligaret.

Debere in præcepto Prælatum exprimere cauſam ob quam illud imponit, aliqui dicunt.

89. Sed rogabis, an quando Prælatus imponit præceptum in materia levi, vel quæ tantum obligat ad pœnam, debeat in ipſo præcepto exprimere cauſam, cur illam rem præcipiat ſub mortali ad hoc ut ſubditi illi teneantur obedire? Affirmare videntur Moron. *reſponſ.* 21. *n.* 18. & 19. Paſqualig. *de cenſur. deciſ.* 197. *num.* 4. Peyrin. *de ſubd. q.* 1. *cap.* 26. §. 2. *dict.* 5. & *cap.* 12. *ejuſdem quæſt. dict.* 2. & non ſufficere, ſi dicat id facere ex juſtis cauſis, ſed eas explicare debere. Fundantur primò: quia ſi ſubditus dubitet de poteſtate Prælati ad hoc præcipiendum, non tenetur obedire, juxta opinionem poſitam *n.* 66. Sed quando ab ipſo ignoratur cauſa cur graviter præcipiat quod de ſe eſt leve, dubitat de tali poteſtate: quia abſque illa non poteſt, & non tenetur illi credere: quia nemo tenetur credere teſti ſingulari, quantumvis fide digno, maximè ſi ſit in ſuum damnum & illius commodum. *cap. cum à nobis de teſtibus & atteſtationibus.* Secundo, quia Prælatus non poteſt in materia levi, vel ſolum ſub veniali obligante, obligare ſub mortali, niſi ex juſta & rationabili cauſa: ergo nec ſubditus obedire, niſi talis cauſa ſibi innoteſcat: quia quando aliquis non poteſt facere rem niſi ex juſta cauſa, juſtam habere non præſumitur, niſi alteri, cujus intereſt, de illa conſtet: quia ut inquit Navarr. *de ſpoliis Clerici* §. 1. *num.* 7. & 8. & *lib.* 3. *conſil. de regul. conſil.* 56. *n.* 2. Superiori etiam non recognoſcenti alium Superiorem, dicenti ſe aliquid facere ex juſta cauſa, non creditur niſi conſtet de illa ſi id non poteſt facere ſine cauſa.

Expreſſio cauſæ ad impoſitionē præcepti non requiritur.

90. Sed certè etiam non poteſt Prælatus ferre cenſuras ſine juſta cauſa, & tamen, etiam ſi non declaret in ipſa cenſura cauſam, eſt valida talis cenſura ut probavimus *tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſur. cap.* 1. *num.* 73. & docet Suar. *de cenſ. diſp.* 4. *ſect.* 7. *num.* 34. Quare dicendum eſt non requiri quod Prælatus in præcepto cauſam exprimat ut tale præceptum ſubditum liget: quia Prælatus non tenetur ſuis ſubditis de omnibus rationem reddere, maximè quando licitum eſſe patet id quod præcipit, quia ſic Prælatorum conditio duriſſima eſſet, ſubditorumque ſtatus peſſimus, ut inquit Tambur. *de iure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 21. *quæſit.* 12. *num.* 5. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 119. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 38. *num.* 46. ubi rectè ait: [nec ſubditus excogitare debet cauſas huiuſmodi præceptorum, ſtante bonitate, & prudentia Superioris, qui quandoque occultam habet rationem, & cauſam ita præcipiendi, licet ignotam ſubdito, cui illam non tenetur revelare, cum in omnibus licitis jam ex voto obedientiæ propriam voluntatem illi ſubjecerit.]

PUNCTUM IX.

An ſubditus teneatur obedire Prælato aliquid arduum, vel periculoſum vitæ, aut ſalutis præcipienti?

Præcepta nimis ardua & difficilia non obligāt.

91. QUAMVIS antiqui Abbates, & Prælati illi integerrimi, plura difficilia admodum, imò naturaliter impoſſibilia, ad experiendam ſubditorum obedientiam ſæpe illis præciperent: quia fortè ea nec fieri volebant, ſed ut ſubditi illa conarentur efficere, ut in obedientia ſimplici exercerentur, poſteriſque promptæ obedientiæ exempla relinquerent, non tamen poteſt præcipere Prælatus ea quæ ſunt ardua & difficillima, multiſvè periculis expoſita, ut docet D. Th. 2. 2. *q.* 105. *art.* 1. *ad* 3. & *art.* 5. quia ſicut omnis lex humana debet eſſe accommodata hominum fragilitati, & non nimis dura & difficilis, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legib. cap.* 1. *num.* 17. & 18. ſic etiam præceptum. Nec obſtat quod D. Benedictus *in ſua regula cap.* 64. dicat: *Si cui fratri aliqua fortè gravia, aut impoſſibilia iniunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine & obedientia.* Quia in prædictis verbis non continetur præceptum de obedientia impoſſibilium, ſed conſulitur opus arduum magnæ charitatis cum confidentia divini auxilii, ut indicant ultima verba illius capitis: *ex charitate confidens de Dei adiutorio obediat*, quam obedientiam D. Th. 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 5. *ad* 3. appellat obedientiam perfectam, ſeu perfectorum, non autem neceſſariam ad ſalutem. Tum etiam, quia, ut inquit idem D. Th. 2. 2. *q.* 13. *art.* 5. Ubi cum illam clauſulam D. Benedicti ſibi objeciſſet ad probandum electionem poſſe eſſe impoſſibilium dicit: *Ad tertium, quod hoc ideo dicitur, quia ubi aliquid ſit impoſſibile ſubditus non debet ſuo iudicio diffinire, ſed in unoquoque iudicio Superioris ſtare.*

Nō tenetur ſubditus obedire eū periculo vitæ Prælato præcipienti.

92. Et ſimiliter licet ſit valde laudabile, etiam cum vitæ & honoris jactura, aut alterius damni periculo, promptè obedientiam adimplere: quia ut docet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 1. *ad* 3. pro quocumque actus virtutis poteſt quilibet licitè ſe periculo vitæ exponere. Nihilominus non poteſt Prælatus aliquid cum tali periculo præcipere, nec ſubditus teneretur illi obedire cum tam gravi ſui ipſius detrimento. Quia ſi leges Eccleſiaſticæ non obligant cum illo, ut probavimus *tract.* 11. *de leg. cap.* 2. *num.* 126. nec etiam præceptum Prælati obligabit, niſi in caſu quo ſe exponere periculo vitæ conduceret multum ad bonum commune: tunc enim teneretur ſubditus obedire Prælato, etiam cum tali periculo aliquid agere præcipienti. Quia ſi Princeps poteſt ſubditos obligare ut navigent, prælientur, aliave efficiant etiam cum periculo vitæ, quando id expediens bono communi judicatur, ut ibidem *num.* 128. diximus, multo magis Prælatus quando id judicat expedire bono communi Religionis. Nec excuſari à tali obedientia poteſt eò quod non ſit ipſe magis obligatus ſe exponere tali periculo quam alii, ut ibidem *num.* 129. diximus: quia ſic nunquam poſſet Superior providere bono communi, ſi hac ratione omnes excuſarentur.

Poteſt Prælatus obligare Religioſū, ut aſſiſtat peſte laborantibus ſui Ordinis.

93. Ex quo ſequitur poſſe Prælatum obligare Religioſum, ut aſſiſtat, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus infirmis ejuſdem Religionis peſte laborantibus: quia ad conſervationem & bonum Religionis convenit Religioſos mutua ſibi obſequia præſtare, & in neceſſitatibus ſuccurrere, & quia Prælatus omnes illos actus exteriores præcipere poteſt Religioſis, qui ad commune bonum, cuius ipſe curam gerit, conducere arbitratur. Sic Sanchez *lib.6.Summ.cap.2.num.*56. Rodrig. *tom.3.qq.Reg. quæſt.*31. *art.*3. Cajet. *tom.*3. *opuſcul.tractat.*9. *quæſt. unica*, Suar. *tom.*4. *de relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*9 *num.*19. Peyrin. *de ſubdit. quæſt.*1. *cap.*11. *dict.*3. Pellizzar. *tract.*4. *cap.*4. *num.*41. Palaus *tract.*16. *diſp* 4 *punct.*4. *num.*7. Qui omnes limitant, niſi Religioſus eſſet nimis delicatus, vel infirmæ complexionis; vel, niſi eſſet vir valde peritus, ſcientia, aliiſve dotibus pollens, qui obligari non poteſt, ut cum periculo vitæ eis aſſiſtat, qui ſimilibus dotibus carent, ſi alii ſuppetant, per quos tale Officium præſtetur: quia hoc non eſſet bono communi conveniens. ¶ Superior autem Conventus, tempore peſtis nullo modo poteſt fugere deſerto Conventu, quia ſe habet tanquam Parrochus reſpectu Suorum Parochianorum, qui non poteſt fugere, ut eſt communis ſententia. Et ſic de Prælato docent Peyrin. *dict.*2. Sanch. *num.*55. Navarr. *in Summ.cap.*24. *num.*10. *fine.* Rodriguez *ſupra art.*2. *& in Summ. tom.*1. *cap.*9. Niſi fortè bene providiſſet neceſſitati ſpirituali Conventus per alium Fratrem, qui ardenti charitate incenſus vellet ſua ſponte tali neceſſitati ſuccurrere: quia tunc ceſſaret ratio quæ illum ad manendum cogebat: nec poſſe in eo caſu per Superiorem Prælatum ad remanendum compelli docent Sanch. & Peyr. *loc.cit.*

Extraneis aſſiſtere tēpore peſtis non poteſt ſubditus obligari.

94. Aliis verò, qui non ſunt ſui Ordinis Religioſi obligari non poſſunt tempore peſtis cum vitæ diſcrimine aſſiſtere in corporalibus, ut medicinas & cibaria miniſtrare: quia ex præcepto charitatis ad hoc plus quam alii, non tenetur; & ex vi voti ad hoc non eſt obligatus regularis etiamſi ſit ex mendicantibus: quia Religionis mendicantis non eſt obligatio in temporalibus proximis aſſiſtere, ſed in ſpiritualibus D. Thom. 2. 2. *quæſt.*28. *art.*5. *ad* 3. Armilla *verbo obedientia num.*5. Rodrig. *ſupra* 3. Sanchez *num.*59. Palaus *num.*7. Tambur. *tom.*2. *diſput.*21. *quæſt.*8. *num.*3. Excipe, niſi bono nomini Religionis expediret multum, Religioſum peſte infectis, etiam in corporalibus aſſiſtere: tunc enim poterit ſubditus obligari, & teneretur obedire, quia tam Prælatus, quam ſubditus debent bono communi Religionis conſulere. Suar. *tom.*4. *tract.*8. *lib.*2. *cap.*9. *num.*29. Palaus *diſp.*4. *punct.*4. *num.*7. Ant. à Spir. ſancto *tract.*3. *diſp.*6. *num.*63.

Religioſi non mendicantes, non poſſunt obligari ut aſſiſtant peſte infectis; bene tamen mendicātes.

95. In ſpiritualibus autem, an poſſit obligari peſte laborantibus exteris aſſiſtere? Diſtinguendum eſt de Religioſis mendicantibus à non mendicantibus: de iſtis aſſerimus nullo modo poſſe: quia ex ſuo iuſtituto non profitentur ſaluti proximorum incumbere: de illis videndum eſt, an adſit Parrochus, vel alius Sacerdos etiam mercede conductus ab Epiſcopo, qui eis Sacramenta poſſit & velit miniſtrare; & tunc non poſſe obligari ad hoc Religioſum, etiam mendicantem, quia ſolum in ſubſidium Parrochorum & aliorum obligatur, docent Sanchez *numero* 62. Peyrin. *ſupra concluſ.*4. Palaus *numero* 7. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 63. Lezan. *tom.*1. *capite* 4. *numero* 19. Illis verò deficientibus, eſto aliqui non improbabile eſſe dicant adhuc non teneri, quia licet eſſe coadjutorem Epiſcoporum & Parrochorum in ſpirituali ſalute habeat ex inſtituto, debet intelligi, ſervato charitatis Ordine, ex cuius obligatione nemo tenetur ſaluti proximorum conſulere (niſi hoc habeat ex Officio, & tunc ex juſtitia erit obligatus) cum vitæ diſcrimine, ut Navarr. *in Summ. capite* 24. *numero* 11. Cajet. 2. 2. *quæſtione* 26. *articulo* 5. *ad finem.* Moron. *reſponſ.* 3. *numero* 79. Anton. à Spiritu Sancto *numero* 63. Bañez 2. 2. *quæſtione* 33. *articulo* 3. *dub.*4. Palaus *numero* 7. *citato.* Verius tamen eſt teneri, & ad hoc poſſe obligari, cum ſint Religioſi mendicantes ex ſuo inſtituto coadjutores Epiſcoporum in ſpiritualibus, ut habetur *Clement. dudum, §. cæterum, de ſepulturis, cap. inter cætera, de Officio Ordinarii*, & ob id eleemoſynis fidelium ſuſtententur. Ita Rodriguez *tom.*3. *quæſtione* 31. *articulo* 3. *&* 4. Peyrin. *de ſubdit. quæſtione* 1. *cap.*11. *dict.*4. Sanch. *lib.*6. *Summ. cap.*2. *à num.*54. Lezan. *tom.*1. *cap.*4. *n.*19. & alii.

Quibus aliis caſibus teneatur ſubditus obedire cum gravi incōmodo.

96. Debet ſimiliter ſubditus obedire Prælato præcipienti ut eat ad habitandum in locis aëris intemperie laborantibus, vel ad ſuccurrendus Religioſos ſui Ordinis ibi commorantes, vel ad conſervandos, aut regendos Conventus ibi ſituatos, dummodo ſibi non conſtet ex odio ſibi eſſe præſcriptum, quod difficiliter præſumendum eſt de Prælatis: quia ut membrum, & filius Religionis, quæ illum ſuſtentat, tenetur matrem ſuam conſervare, eo modo quo poteſt, etiam cum maximo incommodu ſuæ perſonæ. Lezan. *ſupra num.*16. Peyrin. *quæſt.*1. *cap.*11. *§. unico.* Pellizzarr. *n.*42. Antonius à Spiritu Sancto *num.*64. ¶ Non tamen præcipi poteſt à Prælato ut membrum putridum permittat magnis cum doloribus ſecari, niſi aliàs ſit ſubiectum Communitati valde utile, & remedium ſit certum ad vitam conſervandam, ob bonum commune, ob quod, ſicut mortem, ſic dolores perpeti debet; at his præciſis, obligari non poteſt, quia per remedia extraordinaria & horrenda vitam conſervare nemo tenetur, nec hoc præcipi poteſt: quia huiuſmodi actus eſt adeo heroïcus, ut non cadat ſub imperio Prælati, ob eius ingentem difficultatem, ut diximus *tom.*3. *tract.*13. *de reſtit. cap.*11. *num.*51.

Poteſt obligari ſubditus, ut trāſferatur ad aliam Provinciam.

97. Tenetur etiam ſubditus obedire Prælato præcipienti, ut de una in alteram Provinciam transfetatur; imo etiam ſi jubeat cum longa navigatione, & illius periculis ad commorandum apud Indos, ubi ſunt Ordinis Monaſteria, transferri, vel ut ea viſitet, regat, aut in eis commoretur, & etiam quod tendat ad alias remotiſſimas Provincias, etiam infidelium, ſi fuerint ibi Ordinis Monaſteria: quia non compellitur ad aliquid ſupra regulam, cum totum quod conducit ad bonum commune Religionis ſit juxta illam. Moron. *reſponſ.*3. *num.*75. Palaus *diſp.*4. *punct.*4. *num.*6. Ant. à Spir. S. *tract.*3. *diſp* 6. *n.*66. Pellizzar. *tract.*4. *cap.*4. *n.*42. Peyrin. *de ſubd. q.*1. *c.*11. *§. unico, dict.*2. Navarr. *comment.*3. *de reg. n.*22. Ledeſma *cap.*4. *de ſtatu rel. in comm. concl.*8. *in fine. fol.*136. Suar. *tom.*4. *de relig. tract.*10. *lib.*6. *cap.*4. *num.*22.

98. Non

Ire ad prædicandum inter infideles nemo cogi poteſt.

98. Non tamen cogi poſſet ire ad prædicandam fidem Hæreticis, aliiſvè Infidelibus (etiamſi ad commorandum in Conventibus apud illos exiſtentibus obligetur) cum periculo vitæ: tum quia id præſcriptum regulæ excedit. Tum etiam, quia ad hoc difficillimum opus, multiſque periculis animæ & corporis expoſitum, non eſt præſumendum velle obligari ex generali obligatione procurandi proximorum ſalutem, niſi ad hoc ſpeciale votum emiſerit, quale eſt apud Societatem & noſtram Congregationem Italiæ. Suar. *tom.4. tract.10. lib.6.cap.4.à num.22.* Lezan. *tom.1.cap.4.num.15.* Palaus *num.6.* Ioan. Martinez à Prado *tom.1. Theol.mor.cap.1. quæſt.7. num.24.* Rodrig. *tom.2. Summ.cap.9 concluſ.5.& qq.Regul.tom.3.quæſt.19. art.3.* Sanch. *lib.2.cap.2.num.47.* Leſſ. *lib.2.cap.41. dub.9.num.77.* Peyrin. *concluſ.7.* Ledeſm. *cap.4. de ſtatu Relig.concluſ.8.pag.133.* Summus autem Pontifex poſſet Religioſos, & alios quoſcumque Clericos ad id cogere, ut doceot Peyrin. Rodrig. Sanch. & Ledeſma. ¶ Imò etiam Prælatus poſſet præcipere Religioſo mendicanti, & ille teneretur obedire, ut inſurgente aliqua hæreſi, vel doctrina pernicioſa apud fideles, aſſiſtat in aliquo loco, ibique prædicet, doceat, ſcribat, diſputet, ad defendendam Eccleſiæ veritatem etiam cum periculo vitæ: quia hoc non excedit regulam quam profeſſus eſt, cum ſit coadjutor Epiſcoporum ex inſtituto, Lezan. *n.20.* Peytin. *§ nunc concl.6.* Rodrig. *ſupra.* Bañez *2.2.q.33.art.3.dub.3.concl.3.*

PVNCTVM X.

Quot peccata committat Religioſus contra præceptum Prælati operando?

Proponitur prima difficultas & prima pro ea ſententia.

99. QUADRUPLICEM difficultatem pro praxi valde neceſſariam circa hujus Puncti materiam reſolvemus. Sit prima difficultas: an qui frangit præceptum Superioris graviter obligans, duplicem ſpecie malitiam in Confeſſione detegendam committat præcisè ex hoc capite, alteram ſacrilegii contra votum, & alteram inobedientiæ contra præceptum? Si enim ſolum committit ſacrilegii peccatum contra votum Obedientiæ in profeſſione emiſſum, ſi id quod præcipitur eſt materia alterius voti, non erit neceſſarium explicare in Confeſſione violaſſe præceptum Superioris: quia tunc ſolum erit peccatum ſacrilegii, ſecus verò ſi alterius ſpeciei malitiam habeat. Sit exemplum: præcepit tibi Superior ne cum muliere inhoneſtè loquaris; ne talem pecuniam abſque ejus licentia expendas; frangis illud præceptum: loqueris v. g. inhoneſtè cum muliere, graviter peccans contra votum Caſtitatis, vel pecunias expendis, graviter contra paupertatem delinquens, ſufficit te dicere in Confeſſione: *Graviter deliqui in materia voti Paupertatis vel Caſtitatis.* An verò ulterius debeas dicere te etiam præceptum Superioris fregiſſe? Si enim frangens præceptum ſolum peccas peccato ſacrilegii contra votum, cum omnia ſacrilegia ſint contra idem motivum Religionis ſunt ejuſdem ſpeciei, ſi ſint circa eandem materiam: nec per hoc quod multiplicentur vota, ſi cadant ſupra eandem materiam, multiplicantur ſpecie, vel numero peccata, ut ſi habens votum ſimplex Caſtitatis ſuſcipiendo Ordines ſacros, votum ſolemne emittat, quod iterum faciat in profeſſione, non committit multiplex peccatum ſacrilegii ſi contra caſtitatem delinquat; ſi tamen in caſu dicto non ſolum contra votum, ſed etiam contra obedientiæ virtutem frangens præceptum delinquat, jam ſi tale præceptum ſit circa materiam voti Caſtitatis, committit triplex peccatum omninò in Confeſſione detegendum, alterum luxuriæ, alterum ſacrilegii, alterum inobedientiæ.

Sententia aſſerens Religioſum frangentē præceptum, unum ſolum peccatum committere.

100. Igitur prima ſententia dicit Religioſum frangentem præceptum ſolum agere contra votum Obedientiæ, & ſic ſolum peccatum ſacrilegii committere, quia Religioſus ex vi voti Obedientiæ ſolum tenetur obedire: ergo frangens præceptum Superioris ſolum operatur contra votum in profeſſione emiſſum, & ſic ſolum committit peccatum ſacrilegii: quare, res illa imperata, non eſt materia neceſſaria virtutis Obedientiæ, niſi ob participationem virtutis Religionis, & ſic ſolum erit peccatum contra Religionem. Et ſi agit contra obedientiam, hæc non eſt debita niſi ex virtute Religionis: totum ergo peccatum ſolum contra Religionem procedit; & per hoc quod multiplicentur circa eandem materiam vota, non multiplicantur peccata, ſi omnia ex eodem motivo procedant, ſicut per hoc quod multiplicentur præcepta circa furtum v.g. aliud divinum naturale, aliud Eccleſiaſticum, non committuntur plura peccata, ſi omnia præcepta ex eodem motivo procedant, non enim ex multiplicitate præceptorum multiplicantur peccata, ſed ex diverſis motivis intrinſecis ob quæ imponuntur, ut latè probant N. Salmanticenſes *1.2. tractatu 13. de peccatis, diſputatione 7. dubit.2. numero 26.* Quare hanc ſententiam tuetur Soto *lib.7. de inſt. quæſtione 2. articulo 3. ad 1.* Ledeſm. *tomo primo, de pœnit. capite 19. concluſ.6. fol.318.* citans Cajetan. *2.2. quæſtione 88. articulo 5. ad 3.* Leſſius, quem refert & ſequitur à ſancto Fauſto *libro ſexto, quæſtione 110.& quæſtione 154.* Perez *in reg Sanct.Bened. tomo primo, capite 5. numero 30.* Laym. *lib.4. tractatu 5. capite 9. numero ſexto,* Tambur. *tomo tertio, diſputatione 3. quæſtione 6. numero 14.* Diana *prima parte, tractatu 7. reſolut.16.& 3.part. tract.4.reſol.67.* nam licet in primo loco utramque ſententiam referat, nulli adhærens, in ſecundo hanc amplectitur ſententiam.

Duplex peccatū committit Religioſus frangens Superiorum præceptum.

101. Sed immeritò pro iſta ſententia citatur Caietanus, qui procul dubio tenet duplicem committi malitiam ſpecie, in fractione præcepti, aliam contra Religionem, aliam contra virtutem obedientiæ: ait enim *2.2.q.88. art.5.* [quia obedientia quæ fit Prælatis ex ſe obligat ad mortale abſolutè; etiam ſi nunquam voto firmaretur: quia eſt perpetuæ obligationis vinculum, ideo tranſgreſſor voti Obedientiæ, peccat dupliciter & contra votum, & contra obedientiam.] Malè etiam citatur Leſſ. pro prima ſententia, cum hanc ſecundam maniſeſtè teneat *lib.2.de inſt. cap.41. dub.9. num.80.* ubi ſic ait: [Quando ſubditus contra votum Obedientiæ violando præceptum Superioris in re gravi agit, peccat, non ſolum contra votum ac promiſſionem Deo factam, cui promiſit huic homini tanquam ejus Vicario obedire, ſed

etiam contra virtutem obedientiæ, quam ſubditus omnis debet Superiori legitima poteſtate prædito.] Hanc eandem ſententiam tenet Suar. *tom. 3. de relig. lib. 10. cap 6. num. 3.* Pellizzar. *tract. 4. cap. 4. num. 146.* Palaus *tract. 16. diſput. 4. punct. 1. num. 3.* & *tom. 1. tract. 2. diſp. 3. punct. 3. num. 12.* Garcia *tract. 4. part. 1. difficult. 2. dub. 4. num. 10.* Villalob. *tom. 2. tract. 9. dub. 36. num. 14.* Ant. à Spir. ſancto *tract. 3. diſp. 6. num. 15.* Martinus à S. Ioſeph *in expoſit. reg. D. Franc. cap. 21. n. 21.* Ratio eſt (qua evertitur contrarium fundamentum) quia Superior non ſolum habet jus imperandi ratione voti Obedientiæ, ſed etiam ratione traditionis & promiſſionis illi factæ in profeſſione, uti diximus *num. 44.* ſicut quilibet alius Superior habet jus ut ſibi obediatur, etiam ſi votum illi obediendi non eſſet Deo emiſſum: ergo ſicut quilibet inferior frangens mandata legitimi Superioris peccat contra obedientiam, & ſi ſupra hoc Deo promitteret obedire illi, peccaret contra Religionem, ſic Religioſus utroque peccato delinquit: non aliter ac ſervus qui tenetur ex vi ancillatus obedire Domino, ſi hoc per votum Deo promitteret, contra agens, peccaret contra votum & contra obedientiam Superiori legitimo debitam.

Sententia negans eſſe multiplex peccatum frangere præceptum rei alioquin prohibitæ.

101. Secunda difficultas eſt: an ſi id quod per Superiorem graviter præcipitur ſit jam lege divina vel Eccleſiaſtica præceptum, peccet duplici peccato ſpecie diverſo ſubditus contra agens? & non loquimur quando id quod lege Eccleſiaſtica eſt jam mandatum, ſolum in regula graviter obligante præcipitur: quia tunc cum ſint duæ leges cadentes ſupra eandem materiam, ſi procedant ex eodem motivo non multiplicant ſpeciem peccati, ſicut furtum lege divina & Eccleſiaſtica prohibitum, ſed quando per præceptum formale Superioris in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipitur quod jam lege divina vel Eccleſiaſtica erat mandatum: ſicut nobis præcipitur in virtute ſanctæ Obedientiæ & ſub præcepto, ne extra Domos carnes comedamus, comedit Carmelita extra Domum carnem die veneris, peccabit duplici ſpecie peccati detegenda in Confeſſione, altera contra præceptum Eccleſiaſticum, altera contra præceptum Superiorum, quod debeat in Confeſſione explicari, an ſufficeret dicere, ſe die Veneris carnes comediſſe, vel ſe contra præceptum Superiorum illas manducaſſe? Negat prima ſententia eſſe duplex peccatum; tum quia illa duo præcepta procedunt ex eodem motivo temperantiæ, & non multiplicantur peccata ob diverſa præcepta circa eandem materiam ex eodem motivo, ut ſi à carnibus abſtineri præcipiatur duplici Eccleſiaſtico præcepto, v.g. ſi vigilia alicujus Sancti cadat feria ſexta; vel ſi uno divino, altero Eccleſiaſtico prohiberetur. Tum etiam, quia in tali caſu præceptum illud Superioris ſolum eſt admonitio & excitatio ejus, quod jure divino vel Eccleſiaſtico erat præceptum, nec eſt credendum velle Superiores obligationes multiplicare, novoſque laqueos ſubditis objicere. Sic Caiet. 2. 2. *quæſt. 186. art. 9. §. ad hoc dicitur.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 3. diſp. 6. num. 19. 20. & 326.* Bordon. *tom. 1. reſol. 18. num. 13.* Pellizzar. *tract. 4. cap. 4. num. 150.* Sanch. *lib. 6. Summ. cap. 4. num. 6.* Laym. *lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 6.* Palaus *tractat. 16. diſputatione 4. punct. 1. num. 4.*

103. Sed dicendum eſt duplicem in tali caſu committi malitiam ſpecie diverſam ob oppoſitum fundamentum: quia præceptum Eccleſiaſticum v. g. & præceptum Superioris procedunt ex diverſo motivo. Etenim motivum præcepti Eccleſiaſtici prohibentis carnes comedere, eſt motivum abſtinentiæ: motivum præcepti Superioris eſt motivum Religionis: quia hoc præceptum non ſolum obligat ratione juris quod habet Superior ut talis, ut ſupra dicebamus, ſed ratione voti Obedientiæ in profeſſione commiſſi. Vnde ſicut votum, eſt actus Religionis, & obſervare illud ſpectat per ſe & intrinſecè ad hanc virtutem, ita præceptum quod virtute ipſius voti à Prælato imponitur, obligat per ſe primò ex motivo Religionis, & violatio præcepti eſt violatio voti, ac proinde peccatum irreligioſitatis. Sic Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp. 16. ſect. 4. num. 171.* N. Salmanticenſes *1. 1. tract. 13. de peccat. diſp. 7. dub. 2. num. 19.* Vazq. *1. 2. diſp. 162. num. 16.* Garcia *tract. 4. part. 1. diffic. 2. dub. 5. num. 5.* Fagundez, & Bonacin. quos refert & ſequitur Paſqualig. *de jeiunio deciſ. 319. num. 7.*

Cum quis frangit præceptum rei alias prohibitæ, multiplex committit peccatum.

104. Tertia difficultas eſt, an ſi id quod præcipit Superior aliàs non ſit materia neceſſaria virtutis: quia vel non erat gravis, vel ſi erat gravis, ſolum ex lege, aut regula non obligante ad culpam mortalem præcipiebatur violatio talis præcepti præter malitiam inobedientiæ & ſacrilegii habet etiam malitiam contra illam virtutem, in qua eſt talis materia, quæ debeat in confeſſione aperiri? v.g. præcipit tibi Superior ut jejunes die, quo alias non tenebaris ſub mortali, non jejunas: ſufficietne dicere in confeſſione te fregiſſe præceptum Superioris in re gravi, an debeas explicare materiam circa quam deliquiſti, nimirum contra temperantiam, frangendo jejunium? Affirmat prima ſenteutia dari triplicem dictam malitiam, & ſic explicandam eſſe materiam circa quam eſt præceptum: quia ut ex communi ſententia docent N. Salmanticenſes *loco citato*, *num. 28.* de ratione legis, vel præcepti eſt, ut eo ipſo quod præcipiat aliquem actum ex motivo alicuius virtutis, faciat talem actum materiam neceſſariam illius: & ſic Eccleſia præcipiens jeiunium, facit illud materiam neceſſariam temperantiæ; unde illud frangere, eſt contra virtutem temperantiæ: ſicut lex Eccleſiaſtica ex motivo Religionis præcipiens clericis portare tonſuram, eo ipſo talis actus efficitur materia neceſſaria virtutis Religionis, & eius omiſſio peccatum contra illam: ergo ſimiliter quando mihi præcipit Superior, vel regula, jeiunare, tale ieiunium efficitur materia neceſſaria temperantiæ: unde illud frangendo peccabo, non ſolum contra Obedientiam & Religionem, ſed etiam contra temperantiam. Sic Garcia *tr. 4. part. 1. difficult. 2. dub. 5. num. 14.* & quando non per præceptum, ſed per regulam, vel legem obligantem ſub mortali mandatur, Sanch. & Pellizzar. *loco proximè citando.*

Nova difficultas proponitur, & ratio dubitandi adducitur.

105. Amplectimur nihilominus ſecundam ſententiam aſſerentem quod ſi Prælatus præcipit præcisè in virtute ſanctæ Obedientiæ (& idem eſt de regula, aut de lege præcisè ſub obedientiæ præcepto obligante) ſolum imperat illam rem ex motivo obedientiæ, & ſic violatio talis præcepti ſolum eſt contra obedientiam & votum, quo illa eſt promiſſa, non contra virtutem

Quid circa præcedentem difficultatem ſit tenendum?

tutem, in qua eſt talis materia: quia licet Prælatus poſſit uti iure quod habet conſtituendi illam rem materiam neceſſariam virtutis, non videtur credibile, niſi exprimat, velle multiplicare obligationes, maxime quando ſolum ſub obedientia præcipit, & ſic exprimit ex motivo tantum obedientiæ & Religionis ſe imperare; niſi ſimul cum præcepto obedientiæ imponat cenſuras: quia tunc non ſolum utitur jure ſibi competenti ex voto & ex motivo illius, ſed juriſdictione Eccleſiaſtica per modum legislatoris, aut Superioris rem illam, materiam virtutis neceſſariam conſtituentis, & tunc qui frangit tale præceptum, etiam contra virtutem illam in qua eſt materia mandata, delinquit. Sicut cum Pontifex præcipit jejunium, ut Paſtor univerſalis, utendo juriſdictione Eccleſiaſtica, tale jejunium fit materia neceſſaria virtutis temperantiæ, niſi quod Pontifex, etiamſi cenſuras non imponat, niſi oppoſitum exprimat, ſemper cenſetur uti juriſdictione Eccl. ſiaſtica ſibi competente, non ſic Prælatus Religioſus regularis, aut lex, vel regula Religionis, maximè quando in virtute ſanctæ Obedientiæ imperant, niſi etiam cenſuras adjiciant. Ita Layman. *lib.4. cap.7. num.6.* Suar. *tom.3. lib.10. cap.6. num.6.* Sanchez *lib.4. Summ. cap.12. num.21.* Pellizzar. *ſupra n.149.* Palaus *diſp.4. punct.1. num.4.* Anton. à Spiritu ſancto *num.16. & 19.* Lugo *diſp.16. de pœnit. ſect.4. num.171.*

Tametſi plura circa eandem materiam dentur Superioris præcepta, qui illa violat unum tantummodo peccatum committit?

106. Vltima difficultas eſt: an ſi circa eandem materiam dentur plura præcepta, aliud regulæ, aliud Generalis, aliud Prælati immediati, ſuppoſito quod procedant ex motivo ejuſdem virtutis, pluribus peccatis delinquat qui contra illa operatur? Reſpondetur negativè: quia multiplicatio præceptorum non multiplicat peccata, ſi cadant ſupra eandem materiam; ut ſi vigilia S. Matthiæ Quadrageſimæ cadat, datur duplex præceptum jejunii, & ſi eodem tempore Quadrageſimæ die veneris cadat, datur triplex præceptum abſtinendi à carnibus, & unum committeret peccatum qui ageret contra illa. Vel ſi Feſtum alicuius Sancti die Dominica celebraretur, datur duplex præceptum audiendi Sacrum, & omiſſio illius eſt unum tantum peccatum: quia illa præcepta cadunt ſupra eandem materiam, & ex eodem motivo: ſimiliter ergo in præſenti. Ita Sanch. *lib.9. de Matrimon. diſputatione 15. num.6.* N. Salmanticenſes *loco citato num.26.* Pellizzar. *num.158.* Antonius à Spiritu ſancto *num.33.* Fagundez *in ſecund. præcept. Eccleſiæ lib.3. cap.5. num 6.* Quod verum eſt, etiamſi actio ſit prohibita, ab uno Prælato, quia eſt nociva Petro v. g. & ab alio quia eſt nociva Paulo; quia cum ſit eadem actio & eadem ratio formalis obiectiva, illæ malitiæ uniuntur formaliter, ut citato Lugo docet N. Ant. à Spir. ſancto *n.25.* licet oppoſitum teneant Sanch. & Pellizzar. *locis citatis.*

CAPUT VII.

De aliquibus Religioſorum particularibus obligationibus & prohibitionibus.

Plures obligationes alibi actæ recenſentur.

1. PRÆTER obligationes ſubſtantiales ortas ex tribus votis in profeſſione emiſſis, & alias quas habent Religioſi ex ſuis particularibus inſtitutis, dantur aliæ, quæ ex jure communi habent regulares, quas omnes in præſenti in particulari recenſere, eſſet longiſſimum abire. Quare aliquas dumtaxat, quas ſcitu magis neceſſaria judicavimus, modo attingemus: de pluribus aliis in diverſis tractatibus jam egimus toto hoc Curſu, ſpecialiter iſto tractatu. Nam de obligatione non negotiandi, quam habent regulares, egimus *tom.3. tract.14 de contract. cap.2. punct.3. § 2.* De obligatione non ludendi ludis prohibitis *tract.13. de reſtitut. cap.6. punct.8.* De obligatione ſervandi interdictum, quando in matrice ſervatur *tom.2. tract.10. de cenſur. cap.6. num.30. & 31.* De obligatione non exercendi artem Medici, aut Chirurgi ibi *cap.9. num.22.* & *hoc tract. cap.5. punct.6.* De obligatione non exeundi a Monaſterio ſine licentia, ibi *punct.7.* De obligatione non admittendi fœminas intra clauſtra Monaſterii, ibi *punct.8.* & de aliis obligationibus actum eſt à nobis ſecundum quod ipſæ materiæ poſtulabant, & de aliis agemus aliis tractatibus. Quare in iſto loco de aliquibus particularibus ſermo tantum erit.

Caput hoc continet quinque Puncta.

PUNCT. I. *DE obligatione quam habent regulares non appellandi à ſententiis, correctionibus, ordinationibus & mandatis ſuorum Superiorum,* n 2.

§. I. *Quid & quotuplex ſit appellatio? quot effectus ejus? quo tempore interponenda?* n 3.

§. II. *Quo jure prohibita ſit Religioſis appellatio, & in quibus caſibus permiſſa,* n.9.

PUNCT. II. *De prohibitione facta Regularibus quoad bona propriorum Monaſteriorum, ac Eccleſiarum non alienanda ſine legitima ſolemnitate,* n.22.

§. I. *Quo jure rerum Eccleſiæ alienatio prohibita ſit? & quibus circa hoc gaudeant Religioſi privilegiis?* n.23.

§. II. *Quæ ſint bona Eccleſiæ quorum alienatio eſt prohibita?* n.30.

§. III. *Qui contractus ſint prohibiti, quibus bona Eccleſiæ vel Monaſteriorum non poſſunt alienari?* n.36.

§. IV. *Quæ cauſa & conditiones requirantur ut validè & licitè res*

Eccleſiarum, & Monaſteriorum alienentur? n. 47.

PUNCT. III. *De prohibitione facta Religioſis, ne ſe immiſceant actibus judicialibus*, n. 59.

§. I. *De munere judicis, Procuratoris, & Advocati, regularibus in jure prohibito*, n. 60.

§. II. *An & quomodo exercitium tabellionis, rei, actoris, & teſtis in judicio ſit Religioſis interdictum?* num. 67.

§. III. *Qualiter munus ſuſcipere Curatoris, Tutoris, fideiuſſoris, depoſitarij, teſtamentarij, aut Commiſſarii ad condendum teſtamentum electi, ſit vel non regularibus prohibitum*, n. 77.

PUNCT. IV. *De obligatione quam habent regulares celebrandi Miſſæ Sacrificium, & de loco & tempore quo celebrare poſſunt*, n. 87.

PUNCT. V. *De prohibitione facta regularibus quoad multiplex ſtipendium non recipiendum pro eadem Miſſa*, n. 100.

§. I. *Quid Sacra Congregatio Cardinalium ſub Vrbano VIII. decreverit circa hanc materiam?* n. 101.

§. II. *An Sacerdos pauper illud ſtipendium poſſit pro una Miſſa recipere, quod ſufficiat pro decenti unius diei ſuſtentatione?* n. 106.

§. III. *Poſſitne Sacerdos fructum ſpecialiſſimum ſibi correſpondentem alteri applicare, & pro eo novum ſtipendium recipere?* n. 113.

§. IV. *An liceat Sacerdoti Miſſas anticipatas pro his offerre qui eas poſtea poſtulabunt, vel eleemoſynas tribuent?* n. 117.

§. V. *An Sacerdos pro Miſſa diebus feſtivis celebrata poſſit duplicatum ſtipendium recipere*, n. 123.

§. VI. *An Sacerdos qui Miſſam pro defuncto applicaret, & ſimul pro impetratione alicuius beneficii, à petente illam deſiderati poſſit duplex ſtipendium recipere?* n. 126.

§. VII. *An Sacerdos vel Monaſterium, quod pro dicendis Miſſis ſtipendium ſumpſit, poſſit aliis Sacerdotibus dicendas dare, retenta ſibi parte ſtipendii?* n. 131.

§. VIII. *De reductione Miſſarum, quæ poteſt fieri ab Epiſcopis & Generalibus virtute Concilii Tridentini*, n. 140.

§. IX. *Poſſitne authoritate privata Sacerdotis, reductio Miſſarum fieri?* num. 150.

PUNCTUM I.

De obligatione quam habent Regulares non appellandi à ſententiis, correctionibus, ordinationibus & mandatis ſuorum Superiorum.

2. NOMEN appellationis ſemper odioſum & abominabile fuit in Religionibus, ſemperque ab eis relegandum cenſuere Summi Pontifices diverſis Canonibus illam prohibentes, diverſaque privilegia contra illam Superiores indulgentes ob pacem & tranquillitatem communem Religionum; ob conſervationem diſciplinæ Monaſticæ, quæ non parum turbaretur, & enervaretur ſi talis peſtis eorum Congregationes inficeret, & ob honorem, & decorem Religionum, quæ non parum detrimenti ſubirent ſi cauſæ Religioſorum ad alia tribunalia differrentur. Cæterum, an ſit ita prohibita talis appellatio, ut nullus detur caſus, in quo poſſit admitti, erit præcipua difficultas huius Puncti? Sed prius ipſius appellationis naturam & effectus explicabimus.

Eſt apud Religioſos nomen appellationis odioſum ſemper.

§. I.

Quid & quotuplex ſit appellatio? quot effectus eius? quo tempore interponenda?

3. APpellatio in genere nil aliud eſt, quam *à minori ad maiorem Superiorem provocatio.* Seu recurſus rei ab inferiori Prælato ad Superioré, cauſa gravaminis in ſententia, quam contra eum inferior tulit, vel laturum timet. Conſtat ex *cap. placuit, cap. omnis oppreſſus, cap. ſi quis 2. quæſt. 6.* & relictis aliis diviſionibus quæ non pertinent ad noſtrum inſtitutum, poteſt dividi appellatio *in propriam*, ſeu *juridicam* quæ nimirum à jure eſt introducta, ſaltem quoad modum, & effectus illius, licet ſit ex jure naturæ conceſſa, quæ multoties denegatur ſecularibus, & ferè ſemper Religioſis. Et hæc eſt de qua in tribunalibus agitur, quando debeat admitti vel non? & de qua in præſenti eſt ſermo. Alia eſt impropria, & quæ jure naturæ nulli denegari poteſt, & eſt ſimplex querela, vel ſupplicatio facta à reo Superiori Prælato, ut ſuam cauſam videat, ad ſe advocet, inferiorem inhibeat ante ſententiam, vel poſt illam: rigórem temperet in toto vel in parte. Huius effectus non eſt ſuſpenſivus, ſed devolutivus: nam per modum ſimplicis quærelæ, cauſam ad Superiorem devolvit, ſine eo quod circa eam ſuſpendat juriſdictionem, aut executionem ſententiæ inferioris, donec inhibeatur à Superiori.

Duplex genus appellationis proponitur.

4. Hanc ſecundam appellationem, quæ eſt per modum ſimplicis querelæ & ſupplicationis, ſi fiat ad Prælatos Superiores Ordinis, nullus inferior Prælatus poteſt impedire, ſed ei differre debet: nec eſt ullo jure prohibita Religioſis, ſed magis ex ipſo jure naturali conceſſa. Quare licet melius, & laudabilius faciant ſe ſubmitendo judicio Prælati, ad quem cognitio cauſæ pertinet, patienter tolerando, ſi quid

Appellatio quæ eſt per modum ſimplicis ſupplicationis, prohibita non eſt Religioſis.

contra

contra eos iniuſtè, vel nimis rigidè operetur, licitè eam interponere poſſunt etiam in caſibus, in quibus aliam eſſe denegandam infra dicemus; & hoc etiamſi ſententia inferioris ſit omninò juſta, & ſecundum Ordinis ſtatuta; quam, impedire non poteſt inferior, & Superior admittere debet, niſi rationabilis cauſa oppoſitum perſuadeat. Quia ſubditus ex una parte jus habet procurandi remedium in ſuis malis, & laboribus, tametſi iuſtè inflictis, miſericordiam ab eo depoſcens, à quo ſperat adepturum: & ex alia Prælato inferiori rigidè judicanti, nullam facit iniuriam, cum eius juriſdictionem non limitet, aut ſuſpendat. Sic ex communi ſententia Sanch. *lib.6. Summ. cap.8. n.110. fine.* Rodrig. *qq. Regul. tom. 1. quæſt. 29. art. 2.* Sayr. *in clavi, lib. 12. cap. 17. num. 38.* Pellizzar. *tract. 6. cap. 7. num. 43.* Suar. *tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 11. num. 7. & 8.* Petrus ab Angelis *in Ordine iudiciali part. 1. cap. 26. num. 4.* Palaus *tract. 16. diſp. 4. punct. 15. num. 5.* Lezan. *tom. 3. verbo appellatio num. 3.* Anton. à Spiritu ſancto *tract. 3. diſp. 6. num. 784.*

Quid ſit appellatio propriè dicta & effectus illius.

5. Appellatio propria, quæ dicitur *iuridica*, quia ex jure poſitivo eſt introducta, eſt *provocatio cauſæ à minori ad Superiorem judicem, ratione illati, vel inferendi gravaminis, quæ iniquitas ſententia corrigitur.* Hæc præter effectum devolutivum habet etiam ſuſpenſivum, ſententiam enim & juriſdictionem inferioris ſuſpendit: taliter, quod ſi aliquid poſtea in cauſa egerit, nullum erit & irritum, *l. ex illa, l. minimè, C. de appellation. cap. an ſit eod. titulo.* Excipitur tamen, quando judex inferior in ſententia ponit excommunicationem, vel aliam cenſuram purè & abſolutè; tunc enim ſi appellatio interponatur ante ſententiam, etiam cenſuram ſuſpendit: quia tunc erit nulla ſententia; ſi verò poſt ſententiam, ſed non fuit cenſura purè & abſolutè poſita, ſed vel cum conditione, vel cum dependentia ab eventu futuro: ut ſi hoc feceris, maneas excommunicatus: tunc ſi ante factum, vel eventum conditionis detur appellatio, etiam ſuſpendit cenſuram, ſi tamen purè & abſolutè lata ſit cenſura, non ſuſpenditur per appellationem, ut ſi dicat: quia hoc feciſti excommunico te; vel ſi feceris, ſis ſuſpenſus, & factum eſt: quia cenſuræ ſecum trahunt executionem, & ſic non poſſunt eſſe ſuſpenſæ: nam contra ſententiam executioni mandatam non datur appellatio. Vnde quamvis appellet, quouſque abſolvatur, ligatus manet excommunicatione, & idem eſt de interdicto & ſuſpenſione ab Officio, vel ingreſſu in Eccleſiam *cap. Paſtoralis, §. verum, de appellation. cap. ut cum §. final. de ſententia excommunicat. in 6.* ibi: *Sanè ſicut excommunicatio, ſic ab Officio vel ingreſſu Eccleſiæ lata ſuſpenſio, aut ipſius effectus per appellationem ſequentem minimè ſuſpenduntur.* Unde quando per ſententiam quis ſuſpenditur ab Officio, vel eo privatur, non poteſt, etiam ſi appellet, illud exercere donec reſtituatur à Superiori. Sylveſt. *verbo excomm. §. 1.* Suar. *de cenſur. diſp. 3. ſect. 6. num. 5. & tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 11. num. 6.* Ioſeph de ſancta Maria *in tribun. relig. tract. 5. cap. 9. §. 6.* N. Petrus ab Angelis *loc. cit.*

Quomodo, & quo tempore facienda ſit appellatio?

6. Apud Eccleſiaſticos & regulares facienda eſt appellatio coram judice qui ſententiam tulit, intra decem dies à notificatione ſententiæ *cap. quod conſultationem, de re judicata, cap. ſignificaverunt, de teſtibus.* Quod tempus non currit impedito, ſed ablato appellandi impedimento. In ſecularibus autem ex iure noſtro Hiſpano *l. 1. tit. 18. lib. 4. recopil.* non dantur niſi quinque dies, & ſi intra dictum tempus reus non appellet, poſtea non eſt curandum de eius appellatione, ſed poteſt judex procedere ad executionem ſententiæ: quia hoc ipſo quod tranſire terminum permiſit, præſumitur iuri ſuo renuntiaſſe. Ratio autem quare talis terminus aſſignetur ponitur à D. Thom. 1. 2. q. 59. art. 3. ad 3. ibi: *Ad 3. dicendum quod æquitas iuris ita ſubvenit uni parti quod altera non gravetur, & ideo tempus decem dierum conceſſit ad appellandum, quod ſufficiens exiſtimavit ad deliberandum an expediat appellari. Si verò non eſſet determinatum tempus, in quo appellare liceret, ſemper certitudo iudicii maneret in ſuſpenſo, & ita pars altera damnificaretur.* Unde non poteſt judex hoc tempus minuere, quod datur ad deliberandum; nec illud prorogare. Appellanti autem conceditur à iure annus integer ad proſequendam appellationem, qui annus, juſta cauſa interveniente, prorogari poteſt uſque ad biennium, quod tempus non currit data impoſſibilitate proſequendi. A judicibus autem arbitrio appellari non poteſt, cuius rationem optimam reddit D. Thom. *loc. cit. ad 2. Quod ex proprio defectu, vel neligentia procedit, quod aliquis ſua ſponte ſe alterius iudicio ſubiiciat, de cuius iuſtitia confidit. Levis etiam animi eſſe videtur, ut non permaneat in eo quod ſemel approbavit. Et ideo rationabiliter denegatur ſubſidium appellationis a iudicibus arbitriis, qui non habent poteſtatem, niſi ex conſenſu litigantium.*

Appellatio poteſt fieri à diffinitiva ſententia, & interlocutoria.

7. Cæterum, cum ſententia duplex ſit, altera *diffinitiva*, altera *interlocutoria* (diffinitiva eſt quæ fertur ſuper cauſa principali v. g. an Religioſus ſit adulter? Interlocutoria verò quæ fertur ſuper dubiis, quæ emergunt in ipſa cauſa, v. g. de teſte aliquo recipiendo, dilatione danda, &c.) appellatio fieri poteſt ab utraque ſententia, ita tamen quod ab interlocutoria communiter non liceat, niſi contineat damnum irreparabile, ut decrevit Concil. Trident. *ſeſſ. 13. cap. 1. de reformatione, & ſeſſ. 24. cap. 20. eodem.* Tale autem damnum irreparabile eſt v. g. tortura, excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum: imò etiam ex declaratione ſacræ Congregationis, incarceratio. Poſſe autem ab interlocutoria appellari & teneri judicem deferre illi, quando tale damnum continet, ſecus verò ſi non contineat, docent Portel. *in additionibus ad dub. regul. verbo appellare, num. 6.* Naldus *in Summ. verbo appellare num. 2.* Lezan. *tom. 3. verbo appellatio num. 17.* Pellizzar. *tract. 6. cap. 7. num. 22.* § Differt verò appellatio ab interlocutoria ab appellatione à diffinitiva, quod iſta ligat manus judicis, ut non poſſit ulteriùs in cauſa procedere, non autem illa: & etiam quod in appellatione à diffinitiva non eſt neceſſe, ut exprimatur cauſa gravaminis in ſpecie, ſed ſat eſt quod appellans dicat ſe gravatum eſſe in genere, vel ſententiam iniuſtam eſſe, ſine alia cauſa; in interlocutoria requiritur cauſæ expreſſio, ſive ſit judicialis, ſive extrajudicialis, quamvis in cauſis Religioſorum, & in aliis, in quibus appellatio eſt interdicta, ut quando committitur cauſa appellatione remota, etiamſi ſit à diffinitiva, neceſſarium ſit exprimere cauſam gravaminis in ſpecie, ut judex à quo appellatur videat ſi juſta eſt ut eam admittat, vel ſi frivola,

&

& inſufficiens, ut eam repellat, ſententiamque executioni mandet: quia quando interdicitur appellatio, & ſolum conceditur cum modus exceditur (ut in caſibus dictis) cum jus ei reſiſtat, oportet cauſam exprimere ut appareat appellatum eſſe in caſu conceſſo. Sanchez *lib.6. cap.8. num.105.* Palaus *diſputatione 4. punct. 15. num. 8.* Lezana *tom.1. cap.9. num.7.* Pellizzar. *tract. 6. cap.7. num. 37.* Aldrete *lib.2. cap.28. num.28.*

Quomodo peccet mortaliter reus appellationem interponens.

8. Peccat mortaliter reus appellans à ſententia, de qua certus eſt eſſe juſtam (loquendo de hac appellatione propria) quia injuriam infert judici in re gravi, qui tulit eam, ipſum infamans, & ejus impediens juriſdictionem ſine cauſa. Vnde dixit D. Bernard. *lib. 3. de conſiderat. ad Eugen. Qui non gravatus appellat manifeſtè liquet quod aut gravari intendit, aut tempus redimere*, & D. Thom. 2. 2. *quæſtione 69. articulo 3. corp. Alio modo* (inquit) *aliquis appellat cauſa differendæ moræ, ne contra eum juſta ſententia proferatur, & hoc eſt calumnioſè ſe defendere, quod eſt illicitum: facit enim injuriam & judici, cujus Officium impedit, & adverſario ſuo, cujus juſtitiam quantum poteſt, perturbat, & ideo ſicut dicitur 2. quæſtione 6. omnimodo puniendus eſt, cujus appellatio injuſta pronuntiatur.* Peccat etiam mortaliter judex non admittens appellationem, quam videt juſtè & legitime interponi: quia & reo & judici Superiori, ad quem eſt devolvenda cauſa, facit injuriam, Sylveſter *verbo appellare, quæſtione 12.* Lezan. *tom. 3. verbo appellatio num.8.* Navarr. *in Summ. cap.25. num 3.* Aldrete *lib.3. cap.28.* Portel. *in addit. ad dub. regul. verbo apellare, num 1.* Petrus ab Angelis *in ordine judiciali, parte prima, cap.29. num.9.* ſed ut reus poſſit appellare, ſufficit ut cauſam habeat probabilem injuſtitiæ, vel ſi dubitet: quia tunc jus habet utendi mediis neceſſariis ad ſe defendendum. Sanchez *lib.6. cap.8. num.110.* Lezan. *loco proxime citato.* Sylveſter *quæſtione 12. num.13.* Petrus ab Angelis *num. 10.* Suar. *de cenſur. diſputatione 6. ſect.6. num.2.* Et ſic tenentur judices deferre appellationi, quam reus in cauſa probabili, vel dubia, injuſtitiæ, interponit: quod non accidit in Religioſis, qui, ut poſtea dicemus, appellare non poſſunt, niſi moraliter certa, vel evidens ſit cauſa gravaminis in caſibus, in quibus dicemus, poſſe appellationem interponere.

---

§. II.

Quo jure prohibita ſit Religioſis appellatio, & in quibus caſibus permiſſa?

Recenſentur jura, quibus appellatio Religioſis interdicitur.

9. EX jure communi prohibentur Religioſis à correctione ſuorum Superiorum appellare. *Cap. ad noſtram, de appellationibus*, ibi: *Ne Religioſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi contra regularem Prælati ſui & Capituli diſciplinam appellare præſumant.* Idem habetur *cap. reprehenſibilis, cap. cum ſpeciali in fine eod. tit.* quæ jura intelligenda ſunt ut non permittatur eis appellare à mandatis & correctione legitimè factis ſecundum regulam & conſtitutiones, ſecus vero quando Prælati regulares modum excedunt: tunc enim ſpectato jure communi appellare poſſunt, *cap. de priori de appellat.* Vbi Prior regularis, qui appellationi Religioſi non detulit, graviter puniri jubetur, *cap. ſuper quæſtionem verſu: nos autem de Officio delegati*, ibi: *Niſi modum excedant non liceat appellare, cap. licet de Officio Ordinarii.* Vbi dicit Pontifex: *quamvis in corrigendis exceſſibus ſit appellationis refugium interclusum, non eſſe ſuæ intentionis, remedium appellationis omnino excludere*, quaſi id concidat, ubi in correctione exceditur, & merito: quia appellatio in generali conceſſa eſt omnibus, gratia auferendi gravaminis; ſed quando Religioſus juxta regularem diſciplinam corrigitur & caſtigatur, gravamen nullum eſt: ſecus verò ubi modus in ea præſcriptus exceditur: ergo in priori caſu non eſt locus appellationi, benè autem in poſteriori. Suar. *de de cenſur. diſputatione 3. ſect.6. num. 2.* Sylveſter *appellatio 7. num.9.* Navarr. *comment. 3. de regular. num.51.* Pellizzat. *tract.6. cap.7. num.35.* Azor *lib.12. cap.11. quæſt.8.* Sanch. *lib.6. cap.8. num.102.* Rodrig. *in ord. jud. cap.13. num.4. & qq. Reg. tom. 1. quæſt.29. art.2.* Sayr. *in clavi regia, lib.12. cap.17. a num.38.*

10. Hæc ex jure communi: extant autem plurima Religionum privilegia, quibus ſubditis appellatio omnis interdicitur. Nam Boniſacius VIII. ut refert Sorbus *in compend. privileg. mendicant. verbo appellare num.1.* prohibuit Fratribus Franciſcanis à correctione Prælatorum aliquatenus appellare, & ibi *verbo generalis num. 11. & 12.* refert Sixtum IV. conceſſiſſe Auguſtinianis & Carmelitanis ut Generalis poſſet ſuum munus obire, rejecta quavis appellatione ab ejus præceptis, monitionibus, ordinationibus, mandatis ac decretis; & *verbo appellare num.3.* refert Iulium II. prohibuiſſe ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Fratribus & ſororibus Ordinis Prædicatorum, appellare à mandatis & ordinationibus Prælatorum ſui Ordinis. Pluraque alia privilegia à diverſis Pontificibus emanata refert ibi, & Sanchez *lib.6. cap.8. num.107.* Lezan. *tom.1. cap.9. num.6.* Petrus ab Angelis *in ord. jud. prima parte, cap. 26. num.16.* quibus omnis appellatio, etiam ad Congregationem, vel Sedem Apoſtolicam inhibetur; quibus enixa fuit noſtra conſtitutio *4. part. cap.6. num.10.* omnem à Religione relegans appellationem. Quæ privilegia merito conceſſa ſunt Religionibus à Summis Pontificibus, ut ab eis appellandi uſus reſcindatur, maximè ad externos Prælatos, ut ad Nuntium, vel Pontificem, ob pacem, tranquillitatem, diſciplinam ac honorem Religionum, quæ non modicum detrimentum patiuntur quando Religioſorum cauſæ extra privatos parietes tractantur, ad judiceſque externos deferuntur: quapropter placuit Pontificibus juri ſuo cedere negando appellationem, etiam ad Sedem Apoſtolicam, ut pacem & honorem Religionum indemnem conſervarent. Et ſi quando aliquis particularis ob id gravetur, quod raro continget, id merito debet tolerare ob bonum commune Religionis, cui ſuum proprium cedere debet. Sotus *libro quinto, de juſt. quæſtione 6. articulo tertio, colum. penultim.* Corduba *quæſtion. pract. cap. 23. num.6. verſu 8.* Aragon. 2. 2. *quæſtione 69. articulo tertio, colum. antepenult.* Salon. *ibi dub. 2.* Sayr. *libro duodecimo, capite decimoſeptimo, num.41 & 42.*

Privilegia conceſſa Religionibus, ne Religioſi appellare poſſint à ſententiis Prælatorum.

Rodrig.

Rodrig. *quæſt. reg. tom.* 1. *q.*19. *art.* 3. Valent. 2.2. *diſp.*5.*q.*13.*punct.*3.*fine.* Sanch. *lib.*6. *cap.*8. *num.*108. Palaus *diſp.*4.*punct.*15.*num.*1. Lezan. *tom.* 1. *cap.*9.*num* 6.

A pœnis juſtè inflictis, quantumvis gravibus, nequit religioſus appellare.

11. Ex quo infertur primò: non poſſe religioſum appellare nec ad Pontificem, Nuntium; vel alios Prælatos; intra, vel extra ordinem etiam in cauſis graviſſimis, à gravaminibus & pœnis; quantumvis gravibus, ſibi juſte inflictis, ſecundum ſtatuta ſui Ordinis, etiamſi Prælatus, qnod rigoroſum eſt in conſtitutionibus, ſequatur, nullam gratiam reo faciens quando modus juſtitiæ non exceditur: hoc enim jura & privilegia ſupra poſita loquuntur, & ratio ipſa perſuadet. Tum, quia ſi hoc permitteretur magna perturbatio in ſtatibus religioſis inſurgeret, occaſioque ſubditis tribueretur deſpiciendi Superiorum mandata, nihilque actum eſſet circa diſciplinam religioſam, ſed totum querelis, & perturbationibus expoſitum. Tum etiam, quia appellatio jure permiſſa eſt ad tollenda gravamina. *Cap. ut debitum de appellation.* ſed hoc non ſentit religioſus quando ſecundum ſtatuta quæ profeſſus eſt corrigitur & punitur: quia ad id ſponte ſe in profeſſione obligavit. Pellizzar. *tractat.* 6. *cap.* 7. *numero* 40. & 50. Palaus *numero* 3. Lezan. *tom.* 3. *verbo appellat. numero* 2. Petrus ab Angelis *part.* 1. *cap.* 26. *numero* 30. Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.* 11. *numero* 9. Sylveſt. *appellat.*7. *quæſt.*6. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. reg. quæſt.* 29. *art.* 1. Sanchez *lib.* 6. *num.* 102. Peyrin. *de ſubdit. quæſt.*1. *cap.* 20. *dict.* 2. Aldrete *lib.* 2. *cap.*28. *numero* 8. Unde peccaret mortaliter religioſus talem interponendo appellationem propter inobedientiam quam committit, non acceptando juſtam pœnam impoſitam, & propter alia inconvenientia, quæ ex appellatione ſequuntur, ut tenent prædicti authores: & quia ſub pœna excommunicationis Papæ reſervata, & privatinnis officiorum, & inhabilitatis ad ea, & privationis vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrenda prohibita eſt talis appellatio à Clemente VIII. pro noſtris excalceatis Carmelitis, ut refert Pellizzar. *num.* 45. & ex ipſo Antonins à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſput.*6. *n.*781.

A ſententiis, cauſarum, quæ infamiam non generant, etiam ſi injuſtæ ſint, nequeunt regulares appellare.

12. Infertur ſecundò ab ordinaria correctione Prælatorum, vel à ſententiis cauſarum, quæ non gravem infamiam, nec rigoroſas pœnas continent (ut carceris, triremium, diræ flagellationis, vel officiorum privationis, &c.) quamvis Prælatum excedere juſtitiam, vel religinnis ſtatuta clarè conſtet, non poſſe Religioſos appellationem juridicam interponere ad quemcumque Prælatum, intra vel extra ordinem. Poterit autem per ſimplicem querelam ad ſuperiorem ſui ordinis recurrere, quæ per jus naturale omnibus conceditur, ut ſupra *num.* 4. diximus: & ſi talis recurſus & querela non ſufficiat ad tollendum gravamen injuſtum, debet hoc religioſus Deo offerre, & tolerar ob bonum, tranquillitatem, rectamque religionis exiſtimationem, cui tanquam illius membrum debet incumbere, & conſulere, etiam cum aliquo præjudicio ſui, ſicut membrum corporis ictibus & inciſioni exponitur ob conſervationem totius. Sanchez *numero* 109. Palaus *numero* 6. Pellizzar. *num.* 40. Petrus ab Angelis *num.*31. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 790. Suarez *tom.*4. *de religion. lib.*2.*cap.*11.*num.*12. Ubi hæc præclata verba habet: [Quod ſi interdum interveniente etiam juſta cauſa, ille recurſus non ſufficiat, minus malum eſt quod in raro caſu privata perſona incommodum aliquod patiatur, quam ut relaxatio religionis per uſum appellandi à correctione regulæ introducatur. Eo vel maximè, quod ex hujuſmodi correctione non creatur infamia alicujus momenti, & licet aliqua excogitari poſſit, per humilem certè obedientiam & patientiam, non ſolum recompenſatur, ſed etiam ſuperatur. Aliunde etiam hujuſmodi religioſis pœnis non eſt tantus labor, aut dolor, quin ſine culpa poſſit facilè ſuſtineri ab his qui perfectionem profitentur: nam & ipſi poſſunt & debent hujuſmodi pœnas inter alias pœnitentias & auſteritates, quæ voluntariè ſumunt computare.] Hactenus eximius Doctor, & piiſſimus Suarez.

In caſu dubio injuſtitiæ etiam in cauſis graviſſimis, nequit religioſus appellare.

13. Sed gravis difficultas eſt inter Doctores: an in cauſis graviſſimis, & à ſententiis infamiam, vel rigoroſas pœnas continentibus ex enumeratis *num. præcedent.* poſſent appellare religioſi, quibus manifeſtè conſtaret Prælatum excedere modum religioſæ diſciplinæ, ſeù illas imponere ſupra id quod eſt in religione præſcriptum, ſi per ſimplicem recurſum, ſeù per viam ſimplicis querelæ, non poſſunt gravamen illud evadere? Si enim per hanc viam poſſent inferiores injuſtitiam excutere, nulli dubium eſt non eſſe licitum religinſis remedio appellationis juridicæ uti: imò etiam omnes conveniunt quod ſi dubium ſit circa injuſtitiam, non poteſt ſubditus appellare, nec tenetur Prælatus inferiur tali appellationi deferre: nam ut jura & privilegia ſupra relata, denegantia religioſis appellationem, aliquid novum reſpectu illorum operentur, debet eſſe injuſtitia manifeſta; nam ſi clarum ſit non eſſe injuſtitiam, nullus poteſt, etiam ſæcularis, appellationem interponere, ut diximus *num.* 8. & ſolum ſæcularibus, aut clericis appellatio permittitur in caſu dubio, vel probabili: ut ergo aliquid novum circa Religioſos operentur (cum eis denegatur appellatio quæ aliis conceditur) debet ſaltem in caſu dubio vel probabili talis appellatio interdici, & ſic ſolum eſt dubium quando eſt clara injuſtitia, vel ſaltem certa moraliter.

An tribunalia ſæcularia nunquam religioſi appellare poſſunt.

14. Circa quam quæſtionem duo ut certa ſupponimus. Primum in omni eventu eſſe prohibitum religioſis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Pontifici reſervatæ appellare ad tribunalia ſæcularia, vel coram illis aliquem Confratrum, vel Superiorum convenire, vel ad illa quovis colore confugere. Ut conſtat ex Conſtitutione Bonifacii IX. & Leonis X. quas refert Confectius *in compend. privil. mendicant.* & Gregorius XIII. quem refert idem Confectius *fol.* 194. *numero decimo*, addens dicta excommunicationem, privationem vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrendam. An vero liceat titulo illatæ vis, aut violentiæ ad eadem ſæcularia tribunalia accedere? Latè diximus *tom.* 2. *tract.* 8. *de ordine*, *cap.*7. *à numero* 75, agentes de clericis. Sed licet daretur poſſe judices ſæculares per viam violentiæ de cauſis

Eccleſiaſticorum cognoſcere, adhuc tamen non liceret Religioſis coram illis ſimilem quærelam adducere propter magnum detrimentum religionum, quod inde ſequitur. Vnde id facientes vocant Peytin. & Lezana Latrones & fures, Patricidas & Matricidas, ingratas beſtias, maculas convivantes, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones. Sed licet per quærelam, vel appellationem non poſſit religioſus gravatus injuſtè ad tribunalia ſæcularia accedere, ſi tamen nulla via poſſit vim ſibi illatam injuſtè, intra ordinem repellere: quia vel non admittitur appellatio, vel ſuperior longè diſtat, & eſt periculum in mora; vel non curant Superiores vim auferre, tunc poſſe recurrere ad judicem ſæcularem, non quaſi appellent ad competentem judicem, ſed ut ſibi ſuccurat in illo gravamine, tollendo vim factam, modò qua licite poteſt, nimirum ſuadendo Prælato, ut vel abſtineat à vi injuſta, vel det locum appellationi, vel judices novos aſſignet. Tenent Porrel *in addit. ad dub. regul. verbo appellare numero tertio.* Delbene *tom. ſecundo, capite nono, dub.6. ſect. primo, numero vigeſimo tertio.* Souſa *in bulla cana capite decimo quinto, diſp. 78. numero ſecundo,* Emanuel a ſancto Oliveto *in pract. regul. part. 2. a.7. n 493.* Antonius à Spiritu ſancto, *tract. 3. diſp.6. n.776.*

Corã Epiſcopo nullo modo poteſt Religioſus conqueri.

15. Supponimus ſecundò, in nullo caſu poſſe religioſos appellare ad tribunalia Eccleſiaſtica, quibus non ſubduntur, ut ad Epiſcopos vel ejus Vicarios; vel quærelam coram illis proponere, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, latam tam contra appellantes, quam contra judices Eccleſiaſticus illam admittentes quicumque illi ſint, à Bonifacio IX. & Leone X. ut refert Confectius *loco citato:* quia cum ſint exempti a juriſdictione Epiſcoporum, nullo modo poſſunt ad eorum tribunalia quacumque via recurrere. Sotus *lib. 5. de juſt. q.6. a.3.* Valent. *tom.3. diſp.5. quæſt.15. punct.5.* Sayrus *lib. 12. capite 17. numero 41.* Peytin. *de ſubd. quæſt. 1. capite 20. dict. 3.* Pellizzar. *tract.6. capite 7. numero 46.* Lezan. *tom. primo, capite nono, numero quarto, & tom. tertio, verbo appellatio numero ſexto.* ¶ Difficultas ergo eſt an in caſu propoſito *numero 13.* poſſit religioſus à ſententia Prioris appellare ad Provincialem, ab iſto ad Generalem, ab iſto ad Capitulum, ab iſto ad Protectorem, vel ſacram Congregationem, & ab iſta tandem ad ſummum Pontificem? non obſtantibus dictis privilegiis, vel conſtitutionibus, Ordinis in quibus omnis appellatio interdicitur?

Etiam in cauſis gravibus & cũ clara injuſtitia, religioſos non poſſe appellare, ſententia aliqui.

16. Negat prima ſententia, quam tenet Bañez *2. 2. q.69. art.3. fine,* Salon. *ibi dub.2.* Pet. de Ledeſma *tom.2. ſum. tract.8. capite 24. immediatè ante 8. concluſ. fol.778.* Aldrete *lib. 2. capite 28. à numero 11.* Joſeph à Sancta Maria *in tribunal, tract.5. cap.11. §.4.* Martinus à ſancto Joſeph. *in epitome cap.18. n.9.* Petrus ab Ang. *in ord. Iudicial, 1. p. capite 26. num.32. & 36.* Et probant primo, quia quamvis jus naturale cuique appellationem ut ſe tueatur concedat, id non præcipit, ſed ſolum permittit: ergo poſſunt huic juri renuntiare religioſi, ſicut renuntiant juri, quod natura omnibus concedit contrahendi matrimonium, aut proprium habendi: quia non eſt præceptum naturæ, ſed permiſſio: ergo cenſentur ceſſiſſe illi per profeſſionem, qua ad obſervandas conſtitationes ſui Ordinis (talem appellationem prohibentes) ſe obligarunt, & Pontifices illas approbantes, etiam cenſentur ſuo jur. cedere ob tranquillitatem religionum, denegata facultate ad ipſos appellandi. Secundò, quia privilegia tot religionibus conceſſ, denegantia talem appellationem, aliquid ultra jus commune debent operari. *Cap. Abbate de verb. ſig.* Sed jus commune etiam prohibuit appellationem religioſis, niſi cauſa gravaminis injuſti, ut vidimus. *numero 9.* Ergo privilegia, etiam in tali caſu, voluerunt illam interdicere, ipſamque omninò, & in omni caſu à religionibus relegare.

In caſu gravaminis manifeſti & gravis poteſt religioſus appellare.

17. Secunda tamen ſententia (cui ſubſcribimus) aſſerit, quod quando gravamen eſt manifeſtum, terminos excedens regularis diſciplinæ, in rebus gravibus, præcipue per viam quærelæ, & ſupplicationis, non reputat religioſus ſatis ſibi eſſe ſubveniendum, poteſt tunc appellare ad Generalem, & ab hoc ad Protectorem Ordinis & Pontificem, & ſic privilegia & conſtitutiones denegantes religioſis appellationem intelligenda ſunt quando Prælati regulares corrigentes aut punientes religioſum, non excedunt limites religioſæ diſciplinæ; ſecus quando in rebus gravibus eos gravant, limites tranſiliendo. Quod conceſſum eſſe ex jure communi ſupra *numero nono.* probavimus: Nec hoc tolli per privilegia, aut conſtitutiones conſtat: quia eodem tenore, eâdemque forma verborum utuntur privilegia, aut conſtitutiones ac jus commune hanc appellationem interdicens. Et ſic ſolum operantur privilegia quod in caſibus frequentibus, aut levibus, vel etiam in gravibus, ſi dubium ſit de injuſtitia, non admittatur appellatio, quod tamen ex jure communi non erat interdictum. Et ratio noſtræ aſſertionis eſt: quia in tali caſu, appellatio eſt remedium omninò neceſſarium ad propulſandam ſuperioris injuriam; nec credendum eſt religioſum in profeſſione huic remedio renuntiaſſe, ſive quia talis renuntiatio religioni utilis non eſt, ne foveat Prælatorum iniquitatem, ſive quia ex nullo jure, vel privilegio poteſt colligi: quia hæc ſolum prohibent appellationem à correctione regulari, non à gravi injuria. Sic Sanch. *lib. ſexto, ſum. capite octavo, numero 110.* Vega *1. p. capite decimo nono, caſu 1. notab.3.* N. Thomas à Ieſu *tract.3. de viſit. regul. capite decimo ſeptimo, numero ſexto,* Lezan. *tom.1. capite nono, numero ſeptimo, & tom.3. verbo appellatio, numero quarto,* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 3. diſp. 6. numero 785.* Peytin. *de ſubdit. quæſt.1. cap.20. dict.1.* Pellizzar. *tract.6. capite 7. n.38.* Lugo Card. *tom. 2. de juſtit. diſp.37. ſect. decima quarta, numero 175.* Diana *3. p. tractat.2. reſol.54.* Palaus *diſp.4. punct.15. n.4.* Rodrig. *tom.1. quæſt. reg. quæſt.29. art.2.* Sayrus *in clavi reg. lib.12. cap. decimo ſeptimo, n.38.* & ita Conceſſiſſe Bonifacium IX. Leonem X. Gregor. XIII. Clement. VIII. Sixtum V. *locis relatis,* à Confectio *in compend. Privileg. mend.* & Cherubino *tom.5. in apendice ad Clement. conſtit.1. fol. 33.* & *tom. ſecundo, ſub conſtitutione 31.* Sixti V. *fol.603.* teſtatur Peytin. *loco citato.*

De ordine in appellatione ſervando.

18. Sed inquires primò: quo ordine debeat fieri appellatio in caſo permiſſo religioſis? Reſpondetur, quod ſecundum declarationem Cardinalium

dinalium *anno* 1587. prout refert Lezan. *cap.* 9. *numero* 4. *citat.* & Sixtus V. *anno* 1588. in bulla incipiente: *Ad romanum ſpectat Pontificem*, prout refert Sorbus *in compend. privileg. mend. verbo appellare in ſuis annotationibus* §. 1. & ſecundum bullam Urbani VIII. pro Benedictinis Hiſpaniarum expedita *anno* 1654. quæ incipit: *in Beati Petri Sede*, quam refert Noſter Petrus ab Angelis *in ordin. Iudic. part.* 1. *capite* 27. *numero* 53. Talis eſt ſervandus ordo, ut à Priori appelletur ad Provintialem, ab iſto ad Generalem, vel ejus Diffinitorium; ab his ad capitulum Generale: ab iſto ad Protectorem; ab iſto ad Sacram Congregationem, & ab hac ad ſummum Pontificem. An verò poſſit religioſus omiſſo medio appellare v. g. ad Pontificem quam prius appellaverit ad Generalem; vel ad Generalem quin prius ad Provintialem? Affirmat, & ita eſſe in praxi teſtatur Portel *in addit.* Verbo *Appellare numero* 3. Scofta quem refert nec diſentit Diana *ſupra reſol.* 54. Lezan. *tom.* 1. *capite* 9. *numero* 7. *fine*, & *tom.* 3. *verbo appellatio numero* 4. *fine.* Refetens Novarium *in lucerna regul. verbo appellatio*, & ſic poſſe in dicto caſu religioſum immediatè appellare ad congregationem vel Pontificem, vel ejus nuntium.

Nec ad N[...]6, aut al[...] extra or[...] poſſe[...] fieri appellatio.

19. Cæterum, ſtante dicta declaratione Cardinalium & decreto Vrbani VIII. *num. praced.* relato, non video qua probabilitate id dici poſſit: nam in eo præcipit Pontifex in virtute obedientiæ ut appellatio non fiat à ſuperioribus ordinarus, niſi ſervato ordine *numero praced.* poſito, *pro notoria & manifeſta injuria, & à Capitulo Generali ad Romanum Pontificem immediatè tantum, non vero ad Nuntium, collectores vel alias perſonas eccleſiaſticas*, quod eſt valde conforme juri communi: quia appellatio prætermiſſo medio, non eſt legitima *capite dilect.* 3. *de appellat.* Quarè non poſſe medium in noſtro caſu prætermitti, nec fieri poſſe appellationem immediatè ad Pontificem vel Nuntium (imò ad Nuntium nullo modo, quia Pontifex ſolum ad Pontificem immediatè a Capitulo Generali poſſe fieri permittit: & quia Bonifatius IX. & Leo X. excludunt appellationem coram quocumque judice qui non ſit de dicto ordine) tenent Fr. Manuel à Monte Oliv. *in pract. regul. part.* 5. *a.* 7. *numero* 391. Petrus ab Angel. *ſupra numero* 33. Duardus *in expoſit. bulla cœna lib.* 2. *canone.* 9. *q.* 37. *num.* 8. Antonius à Spiritu ſancto *n.* 789. Spatarius *in praxi tract.* 10. *part.* 4. *capite* 1. *numero* 3. Pellizzar. *tract.* 6. *capite* 7. *n.* 36. Peyrin *de ſubdit. q.* 1. *cap.* 50. Ioannes à Sancta Maria *in tribun. religioſor. tract.* 5. *cap.* 10. §. 1. *num.* 3. Niſi Nuntius habeat ſpecialem & extraordinariam commiſſionem & juriſdictionem Pontificis ſupra privilegia & bullas citatas, quam debet oſtendere ut credatur.

Quando in caſu denegatæ appellationis poteſt fugere religioſus.

20. Inquires ſecundò: an religioſus (in caſu quo licitè appellationem interponere valet) ſi non ſuppetit occaſio appellandi, vel talis appellatio ab inferiori Prælato non admititur, & alias conceſſurum inferiorem licentiam recurrendi ad ſuperiorem non preſumat, ſed potius denegaturum, poſſit iter arripere abſque licentia Prælati ut ad Superiorem tendat, & coram eo vel ſimpliciter conquæratur vel appellationem interponat, non obſtante decreto Tridenti[...] *ſeſſ.* 25. [...] prohibente religioſis à ſuis c[...] recedere abſque licentia Prælati [...] ad ſuperiores accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint? Reſpondetur affirmativè, ſi ex tali fuga ſcandalum non ſequatur, aut timeatur quod præponderet religioſi detrimento, ut conſtat ex dictis *capite quinto*, *numero* 127. & 161. quia in tali caſu permiſſa eſt verbalis appellatio: ergo permittenda eſt realis, quæ facto ipſo fit. Tum etiam: quia Concilium non eſt credendum hunc progreſſum interdixiſſe: quia interdiceret defenſionem jure naturali debitam, ſed ne accedant ad Superiores, niſi ad propulſandam injuriam gravem, & manifeſtam, quæ alia via commodè non poteſt repelli, ſicuti diximus de appellatione verbali. Vnde ſi ſufficienter conſtet inferiorem hac occaſione ad Superiorem confugiſſe; nullo modo puniri poteſt. Sic Navarr. *comment.* 2. *de regul. numero ſexageſimo primo*, & *tom.* 3. *numero quinquageſimo primo*, *ad.* 4. Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *capite* 11. *quaſt.* 7. Rodrig. *quaſt. reg. tom.* 1. *quaſt.* 3. *à* 3. & *in ſum. capite* 43. *numero* 40. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 17. & *numero* 110. *fine.* Palaus *diſp.* 4. *punct.* 15. *num.* 10. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 115. Peyrin. *de ſubd. q.* 1. *cap.* 50. *dict.* 1. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 792.

Eodem modo recuſatio eſt in religionibus prohibita, aut permiſſa, ac appellatio.

51. Inquires 3. An religioſis in aliquo caſu ſit permiſſa recuſatio ſuorum Prælatorum, vel alicujus ex illis? Reſpondetur, quod ſicut in religionibus eſt valde odioſa & abominabilis appellatio, ab eiſque quantum fieri poteſt releganda eſt abominabilis etiam & illicita recuſatio, niſi in caſibus, in quibus licita eſſet appellatio. Quare, ſicut de appellatione diximus omninò non licere in cauſis generalibus ad correctionem ordinatis, ubi gravis infamia, vel notabile detrimentum non timetur, nec etiam in gravioribus cauſis, quando judex non excedit præſcriptum religioſæ diſciplinæ, idem de recuſatione ſentiendum eſt. Cæterum, ſicut diximus licitam eſſe appellationem in cauſis graviſſimis, ſi judex excedat, & hoc manifeſtè conſtet, ſic eſt licita recuſatio Prælati (quantacumque dignitate fulgentis, etiam Generalis) quando certitudine morali timetur ſuperiorem graviter & injuſtè vexaturum; vel quando circa illam materiam valde ſuſpectus crederetur exceſſurus ob paſſionem, vel inimicitiam rei, vel amicitiam intimam partis: ſicut in tali caſu permittitur appellatio. Eo enim caſu, quo permititur poſt ſententiam appellatio, permititur ante illam recuſatio *cap. ſuper eo el.* 5. *de appellat.* Sanch. *lib.* 2. *capite octavo*, *numero* 111. Palaus *diſput. quarta*, *punct.* 15. *numero undecimo.* Peyrin. *de ſubdit. quaſt. prima*, *capite decimo nono*, *dict.* 1. Lezan. *tom.* 1. *cap. nono*, *numero octavo.* Pellizzar. *tract.* 6. *capite ſeptimo*, *numero ſexageſimo quarto.* Petrus ab Angel. *in ord. judic. part.* 1. *capite vigeſimo primo*, *numero* 7. Quomodo autem fieri poſſit & debeat recuſatio? quæ cauſæ ſufficiant ad recuſandum judicem ordinarium vel delegatum? coram quo judice cauſæ illæ cognoſcendæ ſint? Quomodo ſe gerere debeat reus recuſans, aut judex recuſatus, & alia huc pertinentia, latè tractat Peyrin *cap.* 19. *citat.* §. 1. & 5. & Petrus ab Ang. *c.* 51. *toto* §. 1.

PVNCTVM II.

De prohibitione facta regularibus quoad bona propriorum monaſteriorum, ac Eccleſiarum non alienanda ſine legitima ſolemnitate.

De his quæ agenda ſunt hoc puncto.

22. VT bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum jugiter conſerventur, & ne ad uſus veniant profanos, meritò ab Eccleſia ſub graviſſimis pœnis, & in diverſis locis prohibitum eſt res Eccleſiæ immobiles, vel mobiles pretioſas alienare; quod in præſenti agredimur explicandum, non ita latè ut aliqui, qui integra volumina de hac materia congerunt; nec ſic ſuccinctè ſicut alii, qui brevitati multum conſulentes, vix primis labris difficultates attingunt. Deſervient autem dicenda hoc puncto, tam pro religioſis, quam pro aliis Eccleſiaſticis, & Collegiis, ſeu locis piis, quorum bona prohibentur alienari: & ob brevitatem & claritatem in quatuor paragraphos rem hanc dividemus. Et in primo jura, quibus prohibita eſt talis alienatio proponemus, & quomodo recepta ſint explicabimus. In ſecundo de rebus quæ prohibentur alienari in particulari agemus. In tertio de contractibus, quibus res Eccleſiæ alienari nequeunt, diſputabimus. & in quarto cauſas & conditiones, quibus ſervaris, licita eſt & valida talis alienatio proponemus.

---

§. I.

Quo jure rerum Eccleſiæ alienatio prohibita ſit? & quibus circa hoc gaudeant religioſi privilegiis?

Iura quibus prohibita eſt alienatio bonorum monaſterii.

23. PLures dantur textus in jure Canonico, in quibus Prælatis eccleſiaſticis cujuſcumque ſint dignitatis & conditionis, bona Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum piorum locorum alienare probibetur (niſi ſervata ſolemnitate & conditionibus §. 4. recenſendis; quomodo toto hoc puncto loquemur, quoties dixerimus non poſſe dictas res monaſteriorum alienari, & quoties indicaverimus poſſe dicta bona alienari, intelligitur abſque ſolemnitate in jure præſcripta) nam in decreto per plura capita *cauſa* 10. *q.*2. & 12. *q.*2. & in Decretalibus *toto titulo de rebus Eccleſiæ non alienandis.* Et in Clement. 1. *eod. tit.* & in Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de reformatione* talis prohibitio invenitur, & aliis Pontificum bullis, præcipuè verò in celebri extravag. Pauli 11. quæ incipit: *ambitioſæ de rebus eccleſiæ non alienand.* Vbi non ſolum antiqua decreta circa hoc innovantur, & confirmantur; ſed ponitur irritatio & nullitas actuum, qui facti fuerint abſque conditionibus & ſolemnitatibus ibi aſſignatis: & Prælatis alienantibus, ſi non fuerint Epiſcopi, vel Abbates juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, imponit pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & ipſo facto eos privat officio & beneficio, & adminiſtratione bonorum, quæ intendunt alienare; ſi verò Epiſcopi vel Abbates fuerint, interdicit ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi per ſex menſes in tali interdicto perſeveraverint, ſuſpendit eos à præſidentia quam habent in ſpiritualibus & temporalibus.

Qui rem alienatam abſque ſolemnitate accepit, tenetur eam reſtituere.

24. Ex quo ſequitur peccare mortaliter (ubi dicta Paulina eſt recepta) Prælatum, vel rectorem Eccleſiæ, vel monaſterii, rem illius immobilem vel mobilem pretioſam, abſque ſolemnitate in ea contenta, alienantem & reſtituendam eſſe monaſterio talem rem, cum omnibus ejus fructibus & proventibus (deductis expenſis) fuit enim contractus nullus; & ſi in mora fuerit, qui eam accepit, teneri reſtituere damna emergentia, nec poteſt monaſterium cedere tali juri, quia hoc eſt intentum Eccleſiæ in ea prohibitione propter indemnitatem bonorum Eccleſiaſticorum, ut docent Suar. *tom.*4. *de rel. trac.*8. *lib.*2. *cap.*27. *n.*21. Lezan. *tom.*1. *cap.*10. *n.*2. Eccleſia verò vel monaſterium, non tenetur emptori pretium reddere, tum ſi mala fide contractus celebratus fuit: quia ob delictum commiſſum pretio privatur emptor in Eccleſiæ utilitatem. Ut tenent Bonacina *de contractibus fundis diſput.*3. *quæſt.*8. *punct.*4. *num.*12. Palaus *tom.*2. *tract.*12. *diſp. unica punct.*15. §.6. *n.*6. Tum etiam quando bona fide ex parte emptoris celebratus fuit contractus, & res non extat, nec Eccleſia locupletior facta fuit ex contractu; (ſed is qui nomine Eccleſiæ contraxit emptori tenetur pretium reddere & indemnem ſervare) ſecus verò ſi pretium extet, vel Eccleſia, aut monaſterium ditius factum ſit ex contractu, Vazq. *opuſcul. de redditibus cap.*2. §.2. *dub.*15. Molina *diſput.*468. *concluſ.*6. Palaus & Bonacina *locis citatis.* Qui addunt poſſe in tali caſu emptorem retinere rem, vel ejus fructus titulo recompenſationis pretii ſibi reddendi, dum hoc ab Eccleſia non redditur.

Quoniam locorum bona prohibita ſunt alienari?

25. Et non ſolum in dicta Paulina *ambitioſa* prohibetur alienari bona Eccleſiarum, vel monaſteriorum, ſed etiam bona aliorum piorum locorum, ut confraternitatis, collegii, congregationis, hoſpitalis quæ erecta, aut fundata ſunt authoritate Epiſcopi. Secus verò dicendum eſt de hoſpitalibus, confraternitatibus, aliiſque locis erectis ſine licentia & authoritate Epiſcopi: hæc enim non cenſentur in jure loca pia. Uti docent Barboſa 3. *p. de poteſtate Epiſcopi allegat.*75. *num.*32. & 33. Bonacin. *tract. de alienat. bonorum Eccleſ. diſp.*2. *q. unica punct.*2. *n.*11. Filliucius *tract.*4. *cap.*4. *quæſit.*18. Palaus *ſupra punct.*14. *num.*11. Præſumitur autem dicta loca fuiſſe authoritate Epiſcopi erecta, ſi ibi ſint ſepulturæ fidelium, vel cœmeterium, vel ſi in eo adminiſtretur baptiſmus, vel ſi recipiat decimas, vel ſit immune à ſolutione collectarum, vel ſi habeat campanile erectum cum campana, ibique divina celebrentur. Vt latè probat Maſcardus *tom.*1. *de probation. concluſ.*869. *fol. mihi* 398.

Quomodo recepta ſit Paulina ambitioſa?

26. Sed eſt inter Doctores difficultas: an dicta extravagans *ambitioſa* ſit vbique recepta? Non eſſe vbique receptam aliqui docent, ſed ex ſtylo cujuſvis diœceſis, & religionis id eſſe colligendum. Sic Navarr. *in ſum. cap.*27. *num.*150. Sylveſt. *verbo excommunicatio* 7. *in excommun.* 47. *num.*83. Covarr. 2. *variar. cap.*16. *num.*6. Azor. 2. *p. lib.*2. *cap.*2 *verſu quod attinet.* Vazq. *de redditibus cap.*2. §. 2. *num.* 32. ¶ Sed non eſſe ubique receptam quoad totum, ſed quoad aliquid, tenent alij, & ſic non eſſe receptam quoad illam partem, qua petit conſenſum ſedis Apoſtolicæ ad alienationem:

ſiqui

ſiquidem multa bona vendi conſueverunt cum ſola licent a Epiſcopi. Ita Caietanus *in ſum. de excom. num.* 75. Bonacin. *de alienat. diſp.* 2 *punct.* 5. §. 1. *num.* 4. Delbene *tom.* 2. *cap.* 17. *dub.* 4 *ſect.* 2. *num.* 6. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 13. *quæſt.* 12. *num.* 12. Alij verius dicunt receptam eſſe quoad prohibitionem & pœnam intrinſecam annullationis, ibi impoſitam, non quoad extrinſecas pœnas excommunicationis, interdicti, prohibitionis officiorum ibi aſſignatas. Molina *tom.* 2. *diſp.* 466. *poſt medium*. Rebellus *de obligatione iuſtitiæ* 2. *p. lib.* 14. *quæſt.* 5. Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi* 3. *p. alleg.* 95. *num.* 49. Guttierres *lib.* 1. *quæſt. Canon. cap.* 8. *n.* 9. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 2. Palaus *tom.* 2. *tract.* 12. *diſp. unica punct.* 14. *num.* 2.

Privilegia religionum ad alienanda bona monaſterij.

27. In religionibus verò dantur plura privilegia, ut bona monaſteriorum abſque ſolemnitate iuris poſſint alienari. Nam Paulus III & Greg. XIII. ita Societati conceſſiſſe teſtatur Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 13. *qu.* 6. *num* 2. Leonem X. *bulla* 26. ita conceſſiſſe monialibus Sanctæ Claræ, & Tertiariis ordinis Minorum refert Rodrig. *qu. reg. tom.* 1. *quæſt.* 27. *art.* 3. Pium V. *bulla* 141. Sic conceſſiſſe Congregationi Caſinenſium tradit idem Tambur. *num.* 3. ac denique Paulus III. conceſſit noſtris Carmelitis excalceatis ut ipſorum Prælati poſſent omnia bona immobilia & mobilia pretioſa ſuorum Conventuum alienare, dummodo fieret ex conſenſo noſtri Diffinitorij Generalis, & majoris partis capituli illius Conventus, ad quem bona alienanda pertinent: & talis alienatio cedat in utilitatem & commodum ipſorum monaſteriorum, quod antea nobis jam conceſſerat Greg. XIII. dummodo loco Diffinitorii adhiberetur conſenſus Generalis, ut *in compendio noſtrorum privil. pag.* 272. *num* 1. habetur.

Decretum Vrb. VIII. revocans dicta privilegia, non eſt vſu receptum in Hiſpania.

28. An verò extent dicta privilegia in ſuo vigore, eſt magna in præſenti difficultas, propter decretum Sacræ congregationis ſub Vrbano VIII. editum *anno* 1624. *die* 7. *Septembris*, ubi innovatur & confirmatur extravagans *Ambitioſæ* cum ſuis pœnis, & aliæ graviſſimæ adduntur, & omnia privilegia regularium antea quoad hoc obtenta, revocantur: ut videre eſt apud Lezan. *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. Bonacin. *de alien. bonor. Eccleſ. diſp.* 2. *quæſt. unica, punct.* 1. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 3. § Reſpondetur verè eſſe abrogata dicta privilegia per hoc decretum ubi receptum eſt & vſu contrario non abolitum, uti pro Italia teſtatur Lezana. Sed in Luſitania non eſſe in vſu docet Noſter Luſitanus Ant. à Spiritu Sancto *in ſuo director. regul. tract.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 4. *num.* 160. & pro tota Hiſpania receptum non eſſe, & ſic in ea non obligare docet Hyeronim. Garcia *in ſua polit. regul. tom.* 2. *tract.* 12. *difficul.* 1. *dub.* 3. *num.* 2. & ex eo Magiſter Ioann. Martinez de Prado *de Euchariſt.* 3. *p. qu.* 83. *dub.* 13. *num.* 19. & ſic in Hiſpania expectari conſenſum Apoſtolicum, vel congregationem Sacram Concilij conſuli (uti in dicto decreto cavetur) ad alienationem bonorum monaſterij vix unquam reperitur, & fortè id contingit, ut inquit prædictus author: quia cum à Roma multum diſtet Hiſpania, eſſet magnum gravamen, ſi pro qualibet re alienanda congregationem conſulere, ſediſvè Apoſtolicæ licentiam expectare cogeremur.

Caſu quo vigeat Paulina *ambitioſæ*, quando poſſint res alienari ſine conſenſu Papæ?

29. Cæterum pro omnibus locis, in quibus Paulina illa *ambitioſæ*, & decretum Vrbani eſt receptum, dicenda hoc puncto deſervient, & etiam pro aliis, cum non conſtet receptum non eſſe: & eſto receptum non ſit, ut cognoſcatur quando præciſis privilegiis, & eorum forma non ſervata, poſſint res monaſteriorum alienari, & etiam pro aliis Eccleſiis & piis locis pro quibus receptum eſſe eſt certius, maximè cum Epiſcopi iuramentum præſtent res Eccleſiæ non alienare, quod intelligitur, niſi in caſibus à iure permiſſis & in omni eventu poſſunt bona Eccleſiæ alienari, ſi Eccleſia vel conventus ſit in vrgenti neceſſitate alienandi rem aliquam immobilem, vel mobilem pretioſam, & periculum ſit in mora, abſque eo quod expectetur conſenſus Apoſtolicus; nec etiam conſenſus Provincialis, aut Generalis: quia ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 120. *art.* 1. Lex non eſt obſervanda, quando majus malum imminet ſi obſervetur, & quia præceptum non obligat cauſa occurrente, quæ ſuadet contrarium *cap. de cætero. Cap. quamvis de ſent. excom.* Quarè tunc poſſe alienari res Eccleſiæ, & in qualibet vrgenti neceſſitate, in qua periculum eſſet in mora, non ſervata juris ſolemnitate, docent ex communi ſententia Palaus *ſupra punct.* 15. *num.* 5. Bonacin. *punct.* 3. *num.* 1. Peyr. *tom.* 1. *privileg. conſtit.* 9. Iulij II. *n.* 6. Fragoſo *diſp.* 24. §. 5. *n.* 7. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 6. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 13. *quæſt.* 4. *num.* 1. Garcia *tract.* 12. *difficul.* 1. *dub.* 4. *num.* 2. & *dub.* 5. *fine* Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſputat.* 6. *num.* 1208.

---

§. II.

Quæ ſint bona Eccleſiæ quorum alienatio eſt prohibita?

Quæ bona immobilia & mobilia pretioſa nequeunt alienari?

30. OMnia bona Eccleſiaſtica, vel regularia, immobilia vel mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, inalienabilia exiſtunt niſi cum conditionibus à iure aſſignatis, & in caſibus ab eo permiſſis, ut conſtat ex iuribus ſupra *num.* 23. citatis, & ſpecialiter ex extravag. *Ambitioſæ*: bona immobilia cenſentur fundus, prædia, domus, vineæ, oliveta & ſimilia, quæ fixam habent radicem; cenſus quibus annui redditus correſpondent & ius ad illos, cathedra, commenda, beneficium Eccleſiaſticum, debita rerum immobilium, ius patronatus, vſus fructus, longi temporis, & ius ad hæc: talis enim iudicatur actio vel ius, cujus eſt res, cujus eſt actio: & ideo ius ad rem immobilem, iudicatur immobile, uti ex communi ſententia docet Barboſa *de poteſtate Epiſcopi* 2. *p. alleg.* 95. *num.* 46. Palaus *tom.* 2. *tract.* 12. *diſput. unica punct.* 15. §. 1. *n.* 1. Lezan. *tom. cap.* 10. *n.* 4. Gratia *tom.* 2. *tract.* 12. *diffic.* 1. *dub.* 2. *numer.* 9. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 13. *quæſit.* 2. *n.* 2. Quod non ſolum intelligitur de iure perpetuo, ſed etiam de iure ad decennium, tale enim inter bona inalienabilia eſt computandum: quia tempus decennij longum & quaſi perpetuum à iure deputatur.

Res exigui valoris, etiam immobiles, ſunt alienabiles.

31. Sed hæc intelligenda ſunt de rebus immobilibus, quæ non ſunt exigui valoris, res enim parvi valoris, licet immobiles, alienari poterunt ſine iuris ſolemnitate, *cap. terrulas* 12. *quæſt.* 2. ibi *terrulas, ac vineolas exiguas, & Eccleſiæ minus utiles, ac longe poſitas parvas, Epiſcopus ſine conſilio fratrum, ſi neceſſitas fuerit, diſtrahendi habeat poteſtatem.* Et tale caput correctum non fuit, nec per extravag. *ambitioſæ*, nec per Tridentinum, uti declaravit Sacra congregatio 19. *Decembris anno* 1596. nomine autem terrulæ non ſolum prædia veniunt, ſed etiam domus, cenſus & ſimilia, ſi ſint exigui valoris, parumque Eccleſiæ utiles, quod prudentis arbitrio relinquendum eſt: &

regulariter res immobilis, quæ decem aureorum valorem non excedit, exigua reputanda eſt. Bonac. *de contract. feud. diſp. 3. quæſt 8. punct. 4. num 7.* Palaus *punct. 15. §. 2. num. 8.* Diana *5. p. tract. 5. reſol. 57.* Filliuc. *tract. 4 cap 4. quæſt. 3. num. 3.* Addunt verò aliqui rem exigui valoris, quoad præſens, reputandam eſſe, quæ non excedit valorem viginti quinque aureorum. Sic Lezana *tom. 1. capite 10. num. 4. & tom. 3. verbo alienare numer. 7.* Peyrin. *tom. 1. privileg. conſtit. 9. Julij II. num. 15.* Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 223.* & ita Sacram Congregationem declaraſſe teſtantur.

Quæ ſint bona mobilia quæ ſervando ſervari poſſunt?

32. Bona autem mobilia, quæ inter immobilia computantur ad hunc effectum ut non poſſint alienari, niſi ſervata ſolemnitate iuris, quæque pretioſa dicuntur, quæ ſervando ſervari poſſunt; ſunt Lampades, vaſa aurea, vel argentea, gemmæ, caſulæ pretioſæ, & aliæ veſtes, tapetes aliavè paramenta quæ longe ab interitu diſtant, & omnia illa quæ fructificant, & per triennium durant, quarum valor 100. aureos excedat. Alia verò quæ vel hunc valorem non excedunt, vel quæ non durant triennio; ſed vſu conſumuntur, & non fructificant ut vinum, triticum, oleum, lana &c. alienabilia ſunt. Barboſa *3. p. de poteſt. Epiſ. allegat. 95. numer. 38. & 39.* Palaus *numer. 2.* Molin. *tom. 2. diſput. 465. verſu: nomine bonorum Eccleſiæ num. 28.* Pellizzar. *tract. 6. cap. 8. num. 125.* Delbene *tom 2. cap. 17. diſp. 1. num. 24.* Antonius à Spiritu Sancto *tract. 2. diſput. 1. num. 180. licet tract. 3. diſp. 8. num. 1137.* citato ipſo Delbene, aſſerat Sacram congregationem declaraſſe, quod ſi res valeat pluſquam 25. ducata, inalienabilis eſt, quod etiam tenet Diana *4. p. tract. 4. reſol. 223.* cum Antonello *lib. 1. cap. 8. §. 2.* ¶ Grex ouium & caprarum, etiam inter res inalienabiles computatur, licet hæc & illa capita poſſint vendi vel occidi, dummodo grex conſervetur: quia eſt res magni valoris, quæ per multiplicationem continuorum fœtuum ſervari poteſt. Molina *tract. 2. diſp. 456. fine,* Bonacin. *de alienat. bonorum Eccleſ. diſp. 2. quæſt. unica punct. 2. num. 2.* Garcia *tract. 12. difficul. 1. dub. 2. num 6,* Atque idem dicendum eſt de Bibliotheca librorum, de multitudine arborum ferentium, vel non ferentium fructum: quia hæc omnia quoad æſtimationem, comparantur bonis immobilibus. Lezan. *tom. 1. cap. 10. num. 4.* Suar. *tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 18.* Secus dicendum eſſet, ſi arbores eſſent inutiles, & pro aliis vtilibus commutarentur.

Quando pecunia inter bona inalienabilia computatur vel non?

33. Pecunia verò non computatur ſub rebus mobilibus pretioſis etiamſi ſit in maxima ſumma, à teſtatore relicta, vel aliunde conſervata: quia pecunia de ſe vſui quotidiano deſervit, & ad illum eſt deſtinata, nec ſervata vllum fructum parit, cum ſit ex ſua natura ſterilis, ut tenet communis ſententia. Excipitur autem communiter pecunia quæ deſtinata eſt ad emptionem ſtabilium bonorum, ut cenſuum, domorum &c. Tunc enim ratione deſtinationis, loco rei ſtabilis, aut mobilis pretioſæ ſuccedit; ſed non eſt cenſenda deſtinata pecunia ad emptionem rei immobilis ex ſola deſtinatione Prælati, ſed quando deſtinatio pecuniæ ad hunc effectum ortum habet, vel ex eo quod ſic à teſtatore relicta fuit, vel facta fuit ex re immobili, vel mobili pretioſa Eccleſiæ, quæ ut renovaretur vendita fuit, vel ex redemptione alicujus cenſus. Pellizzar. *tract. 6. cap. 8. numer. 101.* Palaus *punct. 15. §. 1. num. 5.* Barboſ. *alleg. 95. n. 41.* Vaxq. *opuſcul. de reddit. cap. 2. §. 2. n. 44.* Bonacin. *diſp. de contract. feud. quæſt. 8. p. 4. num. 2.* & hîc *diſp. 2. quæſt. unica punct. 2. num. 5.* ¶ Idem dicendum eſt de pecunia, quæ monialibus traditur in dotem, quæ ex voluntate donantium cenſetur tradita monaſterio, ut perſeveret pro monialium ſuſtentatione, proindeque inalienabilis eſt. Bonacina & Palaus *locis citatis,* & Dicaſtillo *de juſtitia & jure lib. 2. tract. 15. diſp. 1. num. 179.* Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 6. num. 1138.* Sed notat Bonacina *de alienat. diſp. 2. quæſt. unica p. 2. num. 5.* pecuniam traditam in dotem, & aliam quancumque ad emenda bona immobilia deputatam poſſe in emendis agris, aut in emenda, reedificanda, aut conſervanda domo neceſſaria alienari: quia ſervari non debet donec impendatur ad vſum, ad quem fuit deputata, ut ex conſuetudine ipſa conſtat. Atque idem dicimus de pecunia in Banchis capſorum poſita, quod ſi collecta fuit ex fructibus, vel redditibus rerum immobilium, aut ex voluntate teſtatoris ad quotidianos ſumptus monaſterij relicta, non eſt computanda inter res inalienabiles: quia ibi ſolum reponitur interim, dum non ſe offert neceſſitas illam conſumendi. Franciſcus Leo *in theſauro fori Eccleſiæ decıſ. 160.* Aloiſius, Ritius, quem refert & ſequitur Palaus *ſupra num. 6.*

Reliquiæ Sanctorum inter bona inalienabilia computantur.

34. Sed rogabis primò; an reliquiæ Sanctorum inter res pretioſas inalienabiles ſint computandæ? & non; loquimur de exiguis reliquiis, vel de illis quæ non ſunt mure clauſæ, ſed de inſignibus, ut caput, pes vel manus alicujus Sancti multum cogniti, & qui apud homines in magna veneratione eſt, vel de inſigni alicujus viri famoſi corpore tradito Sepulturæ illius Eccleſiæ. An videlicet hoc cadat ſub prohibitione alienandi res pretioſas? Negat (& quidem probabiliter) prima ſententia: quia prohibitio extravagantis *ambitioſæ* eſt de non alienandis rebus pretio æſtimabilibus: ſed reliquiæ Sanctorum non ſunt pretio æſtimabiles. Sic Diana *4. p. tract. 4. reſol. 223.* Hyeronim. Garcia *tract. 12. diffic. 1. dub. 2. num. 35.* Pellizzar. *tract. 4. cap. 8. num. 91.* & probabile dicit Bonacina *loco ſtatim citando.* ¶ Probabilius tamen eſt oppoſitum: quia licet reliquiæ Sanctorum pretio æſtimari non poſſint, ſunt tamen ſupra omne pretium, & ſic inter res pretioſiſſimas debent computari ut alienari nequeant. Lezan. *tom. 3. verbo alienare n. 14.* Bonac. *diſp. 3. de contr. feud. quæſt. 8. punct. 4. n. 17. de alienat. bon. Eccleſ. diſp. 2. quæſt. unica, punct. 2. n. 31.* Palaus *tom. 2. tract. 12. diſp. unica, punct. 15. §. 1. num. 8.* Dicaſtill. *de juſt. lib. 2. tract. 15. diſp. 1. dub. 6. num. 278.* ¶ Idem eſt de votis aureis & argenteis magni valoris oblatis devotione fidelium alicui imagini: hæc enim cenſentur bona pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt: poterunt nihilominus aliæ oblationes minoris valoris alienari: quia non veniunt nomine rei pretioſæ. Pellizzar. *num. 92.* Diana & Bonacina *locis citatis.* ¶ Idem dicendum eſt de capellis, ita ut qui emit eas, fiat dominus earum; poterunt tamen religioſi vendere vſum alicujus capellæ cum Sepulturis abſque ſolemnitate juris: quia hoc non eſt alienatio, ſed conceſſio ad vſum. Dicaſtillo *num. 301.* Bonacin. *hîc num. 12.* Pellizzar. *num. 90.* ¶ Idem dicendum eſt de loco in quo condita fuit Eccleſia jam diruta, quia adhuc locus eſt Eccleſiæ, & habetur in honore, cum in eo prohibeatur fieri ſtabulum. Bonac. *num. 18.* Dicaſtillo *num. 311.* ¶ Atque idem dicendum eſt de monaſterio deſerto & horto ei connexo, quod ſine ſolemnitatibus juris non poſſunt alienari, nec ſuper eis fundari cenſus. Delbene *tom. 2. cap. 17. dub. 17. num. 7.* Antonius à Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 6. num. 1188.*

35. Rogabis ſecundò: an ſi aliquod legatum

rei

Legatum rei immobilis relictum monaſterio incapaci rei immobilis poteſt ſine ſolemnitate juris alienari?

rei immobilis relinquatur monaſterio incapaci retinendi dominium rei immobilis, poſſit hoc abſque ſolemnitate juris alienari, & in vſus quotidianos monaſterij pretium converti? Reſpondetur affirmativè. Tum quia talia bona non ſunt incorporata monaſterio ob ejus incapacitatem, & prohibitio alienationis eſt pro bonis monaſterio incorporatis. Tum etiam, quia teſtator relinquens hoc legatum monaſterio incapaci illud retinendi, cenſetur velle tacitè ut eo utatur eo modo quo poteſt. Diana 5. *p. tract.* 13. *reſol.* 6. Sanch. *lib.* 7. *de matr. cap.* 27. *num.* 7. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 4. Palaus *punct.* 15. §. 1. *num.* 12. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 1. Delbene *tom.* 2. *cap.* 17. *dub.* 17. *n.* 5. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1132. Gartia *tract.* 12. *difficul.* 1. *dub.* 2. *num.* 34. ¶ Atque idem dicunt ij authores de qualibet alia re pretioſa mobili relicta monaſterio, quod ex vi ſuarum legum eam retinere non poteſt, ut apud nos Lampades argenteæ vel aureæ, & alia vaſa pretioſa, aut etiam paramenta, quæ poterunt vendi, & in ſuſtentationem, alioſque vſus monaſterij converti: & hoc etiamſi talis res pretioſa monaſterio incapaci illius relinquatur cum clauſula ut non poſſit alienari, ut tenet Filliucius *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 32. Roſella Rodrig. Quaranta quos refert & ſequitur Moronius *reſponſ.* 62. *num.* 17. Pellizzar. *num.* 10. *&* 33. Antonius à Spiritu Sancto *numero* 1136. Quoad illa verò bona, quorum capaces ſunt Conventus, ſivè ſtabilia ſint, ut horti annexi Conventui, ſivè mobilia pretioſa, idem dicendum eſt ac de aliis quæ non poſſunt alienari, niſi ſint res pretioſæ monaſterio inutiles. Vt ſi Bibliotheca relicta eſſet monialibus. Pellizzar. *num.* 11. Gartia *num.* 2.

§. III.

Qui contractus ſint prohibiti, quibus bona Eccleſiæ vel monaſteriorum non poſſunt alienari?

Venditio, donatio, permutatio rei Eccleſiæ prohibita eſt.

36. OMnis alienatio rerum Eccleſiæ, ſivè ſtricta ſit, nimirum cum tranſlatione dominij rei alienatæ, ſivè lata, ut tranſlatio cujuſcumque juris, ſeu dominij indirecti, prohibita eſt fieri abſque ſolemnitate juris in extravag. *ambitioſa de rebus Eccleſiæ non alienand.* aſſignata, & *clement.* 1. *eodem tit.* Vt omnes authores tenent. Et ſic non ſolum prohibita eſt venditio, donatio, permutatio, ſed etiam feudum, empbitheuſis, locatio ad longum tempus: quia per hæc transfertur dominium vtile in feudatarium, emphiteutam & conductorem, & removetur ab Eccleſia. Etiam cenſus perpetuos, vel redimibiles ſumere, juribus cedere, pignora reddere, & etiam accipere pecunias ad cambium, vel mutuum cum obligatione ſolvendi lucrum ceſſans, aut damnum emergens, vulgo: *recitur duoros à daño* (niſi ubi oppoſita viget conſuetudo) quia ita declaravit Sacra congregatio 21. Marcii anno 1643. quam declarationem adducunt Lezan. Peytin. Pellizzar. *infra citandi*, in qua non ſolum probibetur accipere cenſus, ſed nec ad cambium pecunias: & ideò eſſe contra Paulinam *ambitioſa* eas accipere (niſi in caſu vrgentis neceſſitatis, in quo non poſſet ſummus Pontifex adiri, vel Sacra congregatio, & eſſet periculum in mora) abſque ſolemnitate quæ requiritur ad res Eccleſiæ alienandas: tenent Peyr. *tom.* 2. *privileg. conſtit.* 8. Vrban. VIII. Tamburin. *tom.* 3. *diſp.* 13. *q.* 6. *&* 9. Gartia *tract.* 12. *difficul.* 1. *dub.* 1. *num.* 5. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 10. *n.* 3. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 37. Delbene *tom.* 2. *cap.* 17. *dub.* 8. *num.* 3. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1164.

Opignorari res Eccleſiæ nequeunt neque hypothecæ ſubijci.

37. Atque idem juris eſt de pignorativa actione & hypothecaria quod bona Eccleſiæ opignorari nequeunt, aut hipothecæ ſubijci ſine conditionibus & ſolemnitatibus iuris, ideoque Lampas, Caliz, vel alia res pretioſa, nequit in pignus dari. Tum, quia cum decretum prohibens alienationem ſit favorabile Eccleſiæ vel monaſterio, extendendum eſt non ſolum ad actus, quibus transfertur dominium vtile, vel directum, ſed etiam ad alios, in quibus nec directum, nec vtile transfertur; manent tamen res obnoxiæ periculo alienationis, ut contingit in pignore & hypotheca. Tum etiam quia ita prohibitum eſt à Sacra congregatione *anno* 1643. Vt teſtatur Lezana *verbo alienare numero* 13. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 29. & ſic non poſſe bona Eccleſiæ opignorari, vel hypothecari docent Bonacin. *de alienat. diſp.* 2. *q. vnica, punct.* 5. *num.* 23. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 13. *quæſt.* 2. *numer.* 9. Diana 5. *part. tract.* 3. *reſol.* 6. Palaus *punct.* 15. § 2. *num.* 2. Gartia *dub.* 2. *num* 20. Lezan. *loco cit. &* *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 55. ¶ Sed dicta circa hypothecam intelligenda ſunt de ſpeciali tantum, non de generali: quia hypotheca generali, non tam res, quam perſonæ manent obligatæ: & ob id debitor qui bona ſua generali tantum hypotheca creditori obligavit, non impeditur ab illorum alienatione, ſecus verò in ſpeciali, Garcia *num.* 22. Palaus *numero* 2. Pellizzar. *numero* 55. Bonacin. *diſp.* 3. *de contract. feud. quæſt.* 8. *punct.* 4. *num.* 38. Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 2. ¶ Similiter in caſu magnæ neceſſitatis, in quo non poſſit adiri Summus Pontifex, aut Sacra congregatio, poterunt bona pretioſa monaſterij opignorari: imò ſi experientia conſtet quod redimantur & extrahantur, poſſe opignorari ſine juris ſolemnitate eſt valde probabile, ut docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 11. *num.* 62. Rodrig. *quæſt. regul. tom.* 1. *quæſt.* 27. *art.* 2. Gartia *loco citato*.

Ceſſio hæreditatis aut legati monaſterio relicti, eſt illicita.

38. Verum triplex difficultas eſt nobis enodanda in præſenti. Prima eſt: an poſſit Prælatus vel Conventus validè repudiare legatum rei immobilis ſibi relictum, vel mobilis pretioſæ abſque juris ſolemnitate? Et dicimus validè, nam peccare mortaliter omnes dicunt, tam Prælatum, quam Capitulum ſine juſtiſſima cauſa non acceptando hæreditatem, vel legatum monaſterio relictum. Prælatum quidem contra juſtitiam: quia ex officio tenetur vtilitati monaſterij incumbere; & Capitulum contra charitatem, vel aliam virtutem prodigè renuntiando emolumenta monaſterij, quæ ipſi poſſunt provenire. Rodrig. 1. *p. ſum. cap.* 190. *num.* 6. Bonac. *de contract. feud. diſp.* 3. *quæſt.* 8. *punct.* 4. *num.* 38. & hîc *diſp.* 2. *quæſt. vnica punct.* 2. *num.* 33. Lezan. *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 60. Barboſa *de poteſt. Epiſcopi part.* 2. *alleg.* 95. *num.* 54. Gartia *tract.* 12. *difficul.* 1. *dub.* 2. *num.* 11. ¶ Poterit tamen licitè Prælatus tranſigere ſuper re litigioſa, aut quæ ſit magni diſpendij monaſterij: quia res litigioſa non dicitur monaſterio incorporata, & ſic poteſt illi cedere, maximè ad evitandum detrimentum quod ex lite provenire poteſt monaſterio. Sic Lezana & Gartia *citati*. Palaus *infra citandus*.

Invalidam eſſe ceſſionem hæreditatis factam ſine ſolemnitate aliqui dicunt.

39. Igitur eſſe invalidam renuntiationem, vel legatum relictum monaſterio, ſi abſque ſolemnitate fiat, aſſerit prima ſententia, quam probabilem reputant Pellizzar. Leſſius, Caſtro Palaus *infra citandi*, & tenent Filliucius *tract.* 44. *cap.* 4. *quæſt.*

*quæſt.*28. Tambur. *tom.*3. *diſp.*13. *quæſt.*2. *num.*8. Molina *tract.*2. *diſp.*468. *num.*10. Quaranta *in ſum. bullarij verbo alienatio bonorum Eccleſiæ n.*23. Barboſ. 3. *p. de poteſt. Epiſcopi alleg.*95. *num.*54. Lambertinus *de jure Patron. lib.*3. *quæſt.*9. *art.*1. *num.*31. & fatetur ſe in hanc partem inclinare, Lezan. *tom.* 2. *cap.*19. *num.*60. & loquendo de legatis, huic adhæret Hyeronimus Garcia *tract.* 12. *difficult.* 2. *dub.*2. *num.*14. & probatur primò, quia ius & actio ad immobile computatur inter bona immobilia, ut diximus *num.* 30. ergo hoc non poterit ſine debita ſolemnitate alienari, & ideò nec repudiari legatum, cum talis repulſa ſit quædam alienatio. ¶ Secundò, quia pupillus non poteſt repudiare legatum ſibi relictum, eo quod rem ſuam nequeat alienare *l. magis puto.* 5. *de rebus eorum*: ergo nec ſimiliter Eccleſia vel monaſterium. Tertio, quia quodlibet legatum, quod in ſpecie relinquitur, à morte teſtatoris tranſit in legatarij dominium, etiam ante additionem hæreditatis, *l.* 2. *Titio ff. de furtis l.* 1. *§. ſed vtrum. ff. ſi quid in fraudem Patroni.* Et in favorem Eccleſiæ legata ipſi relicta in Eccleſiam tranſeunt, etiam abſque traditione, *l. final. c. de ſacroſanct. Eccleſ.* ergo inter bona Eccleſiæ incorporata ſunt computanda quæ quidem ſunt inalienabilia.

Probabilius eſt validam eſſe ceſſionem legati, aut hæreditatis factam ſine ſolemnitate.

40. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis: Sed probabiliorem iudicamus oppoſitam. Primò quia repudiatio non eſt alienatio, ſed ſolum non acquiſitio; ſed in iure ſolum alienatio prohibita eſt fieri ſine ſolemnitate: ergo &c. Secundò, quia antequam legatum incorporetur Eccleſiæ, non eſt ius quæſitum illi, ſed quærendum: quia non eſt abſolutum, ſed conditionatum pendens à voluntate Eccleſiæ, ideóque non tranſit in dominium illius niſi poſt acceptationem, & ſic non eſt computandum ante illam inter bona Eccleſiæ. Et hinc ſoluuntur contraria fundamenta: nam primum ſolum procedit de jure abſoluto, non de illo quod pendet à libera voluntate acceptantis, ſi ipſi placuerit: & hoc ſenſu tertium argumentum eſt intelligendum. Et in ſecundò, quod de pupillo aut minori procedit, nihil contra nos. Nam minori non ſolum alienatio, ſed lucri amiſſio eſt prohibita, ut docent Antonius Gomez 2. *variar. cap.*14. *num.* 14. Sanch. *de matr. lib.*2. *diſput.*4. *num.* 12. Eccleſiæ verò licet ſit prohibita alienatio, non verò lucri amiſſio: quarè valere renuntiationem legati, vel hæreditatis ab ipſa factam abſque ſolemnitate (quamvis poſtea poſſit vti beneficio reſtitutionis in integrum) tenent Laym. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.*4. *cap.* 10. *num.*6. Leſſius *lib.* 1. *cap.* 14. *dub.* 11. *num.*65. Suar. *tom.*4. *de rel. tract.*8. *lib.*2. *cap.* 27. *num.* 18. Pellizzar. *tract.*6. *cap.*8. *num.* 6. Villalob. *part.*2. *tract.* 25. *difficul.*7. *num.*7. Bonac. *de contract. feud. diſp.* 3. *quæſt.*8. *punct.* 4. *num.* 38. & *in præſenti punct.* 2. *num.*31. Peyrin. *tom.* 1. *privil. conſtit.*9. *Iulij* 2. *n.*16. Palaus *tom.*2. *tract.* 12. *diſp. unica punct.*15. §. 1. *num.* 11. Unde infertur quod ſi regulares repudiarent legatum annui cenſus perpetui 400. aureorum cum hærede convenientes, ut pro una vice ſolueret 4000. ut liberè poſſent expendi in vſus neceſſarios Conventus, non contraveniunt huic prohibitioni: quia talis conventio non eſt tacita acceptatio legati in propria & ſpecifica forma à teſtatore relicti quæ dictam conventionem præcedat; ſed potius acceptatio eſt ſimul tempore cum conventione. Ita Pellizzar. *loco citato*, Azor. *part.*2. *lib.*9. *c.*1. *q.*12.

Permutationem fieri non poſſe etiam ... al a Ec... nonnu... aſſe...

41. Secunda difficultas eſt: an bona immobilia, vel mobilia pretioſa vnius Eccleſiæ, vel monaſterij poſſint permutari cum rebus alterius Eccleſiæ, vel monaſterij? Certum eſt in juribus, in quibus alienatio eſt prohibita, etiam per mutationem prohiberi: quia permutatio vera alienatio eſt transferens dominium. Quærimus ergo: an talis permutatio cum alia Eccleſia vel monaſterio poſſit fieri? & non loquimur de locis ubi viget conſuetudo vel commutandi cum ſolemnitate, vel ſine illa: nam hæc ſervanda eſt, cum conſuetudo vel abroget legem, vel explicet, vel ſtatuat; ſed quid ex ipſo jure communi habeatur? Negat prima ſententia: quia *cap. capellas* 10. *quæſt.* 2. *cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. *extravagante ambitioſæ.* Eodem modo prohibetur permutatio, ac venditio, vel donatio: ſed donatio, aut venditio, etiam cum alia Eccleſia, vel monaſterio fieri non poteſt abſque ſolemnitate: ergo nec permutatio. Sic Quaranta *in ſum. bullarij verbo alienatio*, *num.* 15. Bonacin. *diſp.* 3. *de contract. ubi de feud. quæſt.*8. *punct.* 4. *num.* 20. & *de alienatione diſp.* 3. *quæſt.*8. *punct.*4. *num.*24.

Poteſt permutatio cum alia Eccleſia fieri ſine iuris ſolemnitate.

42. Sed tenenda eſt affirmativa ſententia: quia *in cap. ea enim, §. ſibi invicem* 10. *quæſt.* 2. expreſsè dicitur rectè poſſe invicem Eccleſias commutare cum conſenſu & indemnitate vtriuſque partis. Et *in cap.*1. *de rebus Eccleſ. non alien.* dicitur: *non licet Epiſcopo, vel Abbati terram unius Eccleſiæ vertere in aliam, quamvis ambæ in eius ſint poteſtate; tamen ſi commutare voluerit terras earum cum conſenſu ambarum partium, faciat.* Idem fere habetur *cap. ad quæſtionem de rerum permutatione.* Quarè textus pro contraria ſententia adducti, in quibus æquè venditio ac commutatio prohibetur, non loquuntur de commutatione cum aliis Eccleſiis, vel certè moderati ſunt & temperati per textus à nobis citatos. Ita Tambur. *tom.*5. *diſp.*13. *quæſt.*2 *num.*19. & *quæſt.*9. *num.*8. Diana 4. *p. tract.* 4. *reſol.*223. Garcia *tract.* 12. *diffic.*1. *dub.*2. *num.*26. Barboſa 3. *p. de poteſt. Epiſ. allegat.*95. *num.*55. Pellizzar. *tract.*6. *cap.*8. *n.*25. Palaus *tract.*12. *diſp. unica punct.* 15. §. 3. *num.*7. Lezan. *tom.*3. *verbo alienare*, *num.*12. Anton. à Spiritu Sancto *tract.*2. *diſp.*1. *num.*167. Delbene *tom.*2. *cap.*17. *dub.*13. *num.*5.

Regulares vnius conventus poſſunt alis eiuſdem Conventus religioſis res etiam pretioſas de licentia Prælati donare.

¶ Imò regulares poſſunt in vſus Conventus regularibus ejuſdem Conventus vendere vel donare (ſuppoſita licentia Prælati) etiam res pretioſas ſine juris ſolemnitate: quia ſolum eſt prohibita donatio, vel venditio quæ eſt alienatio, qualis non eſt iſta, cum dominium extra monaſterium non transferatur. De donatione verò vel alia alienatione facta cum alia domo eiuſdem religionis, ſed vel eiuſdem Provinciæ, vel diverſæ, quæ quidem ſub eodem Prælato exiſtunt, aſſerendum eſt, quod licet ſtando in vigore juris ſit etiam prohibita, cum ſit vera alienatio cum translatione dominij in praxi id non obſervatur, ſed ſolummodo fieri de licentia Prælati qui eſt talis reſpectu vtriuſque domus, & ita modo fieri poſſe ob talem jam introductam conſuetudinem, docent Lezana *verbo alienare num.* 13. Ritius *in praxi fori Eccleſiaſtici deciſ.* 38. & 74. Tambur. *quæſt.* 2. *num.* 9. Delbene *num.* 14. Antonius à Spiritu Sancto *num.*169 Quod notandum eſt pro aliquibus donationibus, etiam rerum pretioſarum, quæ regulares vnius monaſterij ſolent alteri facere, cum ſola licentia Prælati.

43. Tertia difficultas eſt: an res Eccleſiæ, vel

Locatio ultra trien-nium rerum Eccleſiæ eſt illicita & invalida.

vel monaſterii immobiles ad longum tempus locari poſſint? Reſpondetur negativè: quia ita prohibetur *Clementina* 1. *de rebus Eccleſ. non alien. & cap. nulli cod. tit.* & meritò: quia hæc diuturna locatio quædam alienatio reputatur, quæ in rebus Eccleſiæ non licet, eo quod per ipſam utile dominium in conductorem transfeτatur. Et licet ſpectato jure antiquo, longum tempus reputaretur in præſenti decennium; at verò attenta extravaganti Pauli II. *ambitioſa de rebus Eccleſ. non alien.* Nequaquam poſſunt locari niſi per triennium; ut in ea ſub graviſſimis pœnis cavetur. Ex quo fit invalidam eſſe modo locationem factam ad vitam locantis, vel conducentis: quia hæc locatio ex natura ſua longi temporis durationi ſubjicitur, Covarr. 2. *var. cap.* 16. *num.* 3. Vazq. *opuſc. de redditibus cap.* 2. §. 2. *num.* 23. Garcia *tract.* 12. *diffic.* 1. *dub.* 2. *numero* 30. Tambur. *tom.* 3. *diſp.* 14. *quæſit.* 1. *num.* 5. Imò erit contra dictam prohibitionem rem Eccleſiæ locare ad 6. vel 9. annos, ſivè uno contractu vel ſcriptura: ſivè pluribus, adjecta clauſula ut tot locationes fiant quot triennia dantur, ita ut tranſacto triennio primo, res denuò tunc locetur: quia Eccleſiæ, vel monaſterio nihil intereſt, ſi res illorum vnica vel pluribus locationibns alienentur; ſi tamen longo tempore conducantur, & talis conditio eſt proculdubio in fraudem legis prohibentis conductionem ultra triennium, & ſic irrita & inanis, ſicut omnia pacta in fraudem legis facta. Covarr. *num.* 4. Tambur. *num.* 1. Vazq. *n.* 25. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 15. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1140. Palaus *tom.* 2. *tract.* 12. *diſputatione unica, punct.* 14. *num.* 3. Barboſa *de poteſt. Epiſ.* 3. *p. alleg.* 95. *numero* 17. Et idem eſt de locatione facta ad triennium cum pacto & obligatione in ſcriptura incluſa renovandi locationem triennio tranſacto: quia tunc virtualiter locatur res ultra triennium; ſecus ſi abſque ſcriptura poneretur talis conditio: quia hæc promiſſio non eſt formalis, vel virtualis locatio: Garcia, Palaus, Tambur. Pellizzar. Antonius à Spiritu ſancto *locis citatis.*

Locatio poteſt repeti finito triennio, vel finito ſecundo anno.

44. At ſi locatio facta ad triennium, ante illud finitum renovetur poſt ſecundum annum, valet talis locatio: quia tunc non præſumitur primum contractum continuari, ſed novum effici, & rem denuò locari, & jam primus contractus cenſetur finitus, cum parum pro nihilo reputetur; ſecus verò accideret ſi ante ceptum ſecundum annum, rem eidem perſonæ loces, etiamſi penſio varietur: talis namque conductio eſt nulla: quia præſumitur ex fraude legis fieri, & rem vni per quinquennium locari. Molina *de juſtitia diſp.* 466. *circa finem.* Pellizzar. *num.* 15. Palaus *num.* 4. ¶ At poſſeſſio quæ ſolum biennio vel triennio ſolet fructum dare, poteſt per ſex, vel novem annos locari: quia non eſt ad tempus attendendum, ſed ad fructuum collectionem Barboſa *num.* 4. Palaus *num.* 5. Garcia *num.* 31. Pellizzar. *num.* 14. Bonacina *de alien. bonor. Eccleſ. diſp.* 2. *quæſt. unica, punct.* 2. *num.* 1. *&* 24. facta autem locatione ultra triennium, etiam eſt infirma & nulla, non ſolum ex qua parte excedit, ſed ex qua parte triennium comprehendit: quia in extravag. *ambitioſa* de alienatione ac locatione aliter facta, ac ibi præſcribitur, dicitur: *nullius omnino ſit roboris & momenti, & Clement.* 1. *de rebus Eccleſ. non alien.* dicitur de alienatione facta ultra formam ibi præſcriptam: *nec recipienti ius aliquod acquiratur.*

Covarr. *lib.* 2. *var. cap.* 1. *n.* 5. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 26. Hyeron. Gar. *tract.* 12. *diffic.* 1. *dub.* 2. *n.* 32. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 11. *num.* 68. Vazq. *opuſcul. de reddit. cap.* 2. §. 2. *n.* 28. *&* 29. Bonacin. *de contract. feud. diſp.* 3. *q.* 8. *punct.* 4. *num.* 32. *& de alien. rer. Eccleſ. diſp.* 2. *quæſt. unica, punct.* 2. *n.* 24. quamvis plures alii oppoſitum probabiliter teneant: quia utile per inutile non vitiatur.

Non poſſe beneficiarium fructus beneficii ultra triennium locare dicunt aliqui.

45. Et ſi fortè roges: an fructus, vel proventus ex beneficio pertinentes ad beneficiarium, poſſint ab ipſo locari ultra triennim, vel pro tota ſua vita? Negat prima ſententia, quia ab Eccleſia prohibetur alienatio & locatio ultra triennium bonorum Eccleſiaſticorum: ſed fructus beneficii pertinentes ad beneficiarium, quorum ipſe dominium habet, ſunt bona Eccleſiaſtica: ergo non ſolum eſt prohibita alienatio ultra triennium fructuum & commoditatum pertinentium ad Eccleſiam, quorum beneficiarius ſolum habet adminiſtrationem; ſed etiam pertinentes ad ipſum, quorum ipſe eſt dominus. Sic Barboſa *de poteſt. Epiſcopi* 3. *p. allegat.* 95. *n.* 10. Bonacin. *diſp.* 3. *de contract. feud. q.* 8. *punct.* 4. *n.* 32. *verſu: falſum vero, & de alienat. bonor. Eccleſ. diſp.* 2. *q. unica, punct.* 2. *n.* 26. Rodrig. *tom.* 2. *ſum. cap.* 18. *num.* 5. Armilla *verbo locatio num.* 5.

Probabilius eſt poſſe beneficiarium fructus ſui beneficii ultra triennium locare.

46. Sed probabilior eſt affirmativa ſententia. Primò, quia deciſio illius extravagantis *ambitioſa* ex eius proœmio eſt ſumenda; cum generale ſit legi ex rubrica ſub qua collocatur ſumere interpretationem; ſed in proœmio manifeſtum eſt loqui de ſolis bonis pertinentibus ad Eccleſiam, quorum ſolam adminiſtrationem habet Beneficiarius, quæque abſolutè dicuntur Eccleſiaſtica: ergo &c. Secundò, quia in tali locatione non transfertur dominium utile beneficii; ſed ius percipiendi redditus nomine beneficiarii, & ideo hæc locatio morte illius finitur: & ſic nullum imminet periculum Eccleſiæ, vel ſucceſſori. Atque ita docent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 11. *n.* 70. Vazq. *cap.* 2. *citato* §. 2. *n.* 33. 34. *&* 44. Covarr. 2. *var. cap.* 16. *n.* 6. *ad finem.* Palaus *tract.* 12. *diſputatione unica, punct.* 14. *n.* 12. Dicaſtill. *de juſt. lib.* 2. *tract.* 15. *diſp.* 1. *num.* 221. Molina *de juſt. lib.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 466. *poſt medium.* Azor. 2. *p. lib.* 9. *cap.* 2. *quæſt.* 7. ¶ Et hinc fit poſſe beneficiarium obligare ſe obligatione perſonali ad dandam commoditatem & ius percipiendi fructus per totam ſuam vitam à ſuo beneficio cuicumque ille voluerit, abſque vlla ſolemnitate, ut tenent prædicti authores. At locatio hoc numero ſtabilita, morte locantis & beneficii ſpiravit amiſſione; nec tenetur ſucceſſor illi ſtare: quia conductor nullum acquirit ius in fundum, ſed ſolum in fructus ad locatorem pertinentes. Secus verò accidit cum fundus ipſe locatur; hæc enim locatio ipſum fundum attingit immediatè, & ideo manet, etiam ſi locans beneficium amittat, vel deſerat & ad aliud tranſeat.

---

§. IV.

Quæ cauſæ & conditiones requirantur ut validè & licitè res Eccleſiarum vel monaſteriorum alienentur.

Quatuor cauſæ ob quas res Eccleſiæ alienari queunt.

47. PRo legitima alienatione rerum immobilium monaſterii vel mobilium pretioſarum, quatuor cauſæ aſſignantur in jure, & ab authoribus communiter admittuntur, quas ad duas adducunt aliqui; nimirum *utilitas & neceſſitas vel pietas.* Prima igitur eſt ſi

Eccleſia vel monaſterium gravetur ære alieno, nec ſit in ſolvendo, niſi bona alienet: ut conſtat ex authentica *Sancimus*, *C. de Sacroſant. Eccleſ.* Vel ſit urgens neceſſitas, ut ſi Eccleſia vel monaſterium indigeret reparatione, & non haberet unde, niſi bona illius alienando. Secunda eſt evidens utilitas Eccleſiæ, ut ſi vendatur ager ut utilior habeatur, & calix ut pretioſior, *cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. vel aliquid aliud occurrat, quod in majorem utilitatem cedere prudenter judicetur. Tertia incommoditas ſeu inutilitas rei alienandæ: ſi enim res multam afferat utilitatem Eccleſiæ, vel monaſterio, & poteſt afferre alienata, negotium Eccleſiæ prudenter agitur in eius alienatione: & idem eſt ſi plures ſumptus in tali re conſervanda, vel colenda conſumantur, quam eſt utilitas indè proveniens, *cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 1. *& clem.* 1. *de rebus Eccleſ. non alien.* Quarta eſt pietas vel religio cum neceſſaria eſt alienatio pro redemptione captivorum, vel pro alendis pauperibus, ne frigore, aut fame pereant, §. *Sacra inſtit. de rerum diviſione*, *cap. aurum habet Eccleſia* 12. *quæſt.* 2. Vel ſi neceſſarium ſit ad defendendam fidem vel religionem. Sed non quælibet neceſſitas pauperum ſufficiens eſt, ſed debet eſſe extrema, vel valdè gravis; præcipuè ſi indè diminuendus ſit divinus cultus, Covarr. 2. *var. capite* 16. *num.* 8. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 130. Molin. *diſp.* 468. *concluſ.* 2. Palaus *tract.* 12. *diſputatione unica punct.* 15. §. 2. *num.* 6.

Una ex dictis cauſis ſufficit, & non requiruntur omnes ſimul.

48. Non requiritur quod omnes iſtæ cauſæ ſimul concurrant ad alienationem bonorum Eccleſiæ, ſed quælibet ex illis ſufficit: quia ut ex textibus citatis conſtat, utilitas vel neceſſitas ſufficiens eſt ad intentum. Debet tamen aliqua ex his cauſis exiſtere tempore alienationis, ſiquidem ex illa cauſa alienatio honeſtatur, & quod non eſt, nullam honeſtatem conferre poteſt. Et conſtare debet alienanti cauſam alienationis verè exiſtere: quia in dubia cauſa alienatio facienda non eſt, ut habetur expreſsè in *cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 1. Mutatio verò unius rei in aliam abſque alicujus dominii directi vel utilis, tranſlatione, fieri poteſt ſine aliqua ex prædictis cauſis, aut conditionibus infra recenſendis: quia ſine translatione dominii directi vel utilis in alium, nulla eſt alienatio. Hinc fit licitum eſſe Beneficiario ex calice vetuſto Eccleſiæ non neceſſario, crucem neceſſariam fabricare; ex oliveto antiquo & ferè inutili, vineam facere: quia non eſt alienatio, ſed optima bonorum Eccleſiæ adminiſtratio. Pellizzar. *tract.* 6. *capite* 8. *numero* 11. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſputatione* 6. *numero* 1136. in ſimili caſu, & in propoſito Rodrig. *quæſt. reg. tom.* 1. *quæſtione* 27. *articulo* 4. Palaus *punct.* 15. §. 2. *numero* 7.

Prima ſolemnitas juris, nimirum tractatus habendi.

49. Cæterum, in textibus hoc puncto multoties citatis, quinque conditiones pro ſolemnitate ſubſtantiali aſſignantur ad validam & licitam alienationem rerum Eccleſiæ, vel monaſterii. Prima eſt: tractatus, ſeu communis examinatio de utilitate, aut neceſſitate alienationis inter ipſos, ad quos bona alienanda pertinent, diſcutiendo rationes hinc inde propoſitas. Verum, quia in jure ſolum fit mentio tractatus in ſingulari, ſufficit ſemel rem conſuli, & tractari, ut eſt ferè communis ſententia: nec eſt neceſſarium, abſentes, aut infirmos ad huiuſmodi tractatus vocare, ſed ſufficit quod ex tribus partibus capituli, duæ aſſiſtant, juxta *cap.* 1. *de his quæ fiunt à major. par. capituli cap. ſine* 12. *quæſt.* 2.

Secunda ſolemnitas juris, nimirum conſenſus capituli.

50. Secundò poſt tractatum & diſcuſſionem factam de convenientia vel neceſſitate, requiritur conſenſus capituli, hoc eſt Canonicorum, ſi res alienanda ſit Eccleſiæ cathedralis vel collegiatæ: & religioſorum ſi ſit Conventus: & clericorum beneficiatorum ſi ſit Parochialis plures habens beneficiatos, & etſi non niſi unum, hic de conſenſu Epiſcopi. *cap.* 1. *de rebus Eccleſ. non alien. in* 6. & talis conſenſus à majori parte capituli debet præſtari, quod ſufficit, nec requiritur quod dupla pars capituli conſentiat: quia tunc à toto capitulo fieri cenſetur, quod à majori parte fit. Sed non poterit capitulum hanc rem duobus vel tribus committere, ſed ipſum expreſsè conſentire debet, ut colligitur ex *cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. *& tenent* Miranda *in manuali tom.* 2. *quæſt.* 25. *art.* 5. Diana 3. *p. tractatu* 2. *reſol.* 87. Hyeron. Garcia *tract.* 12. *diffic.* 1. *dub.* 5. *numero* 4. ❡ Et licet Bonacina *diſputatione* 3. *de contractu feud. quæſt.* 8. *punct.* 4. *numero* 7. Pellizzar. *tract.* 6. *capite* 8. *numero* 116. Tambur. *diſput.* 13. *quæſt.* 4. *numero* 7. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſput.* 6. *num.* 1197. & alii judicent ſufficere talem conſenſum præſtari à ſingulis diviſim, etiam ſi non ſint conjuncti capitulariter, verius eſt oppoſitum. Quia in dictis textibus conſenſus Collegii requiritur, ſed ſinguli ſeorſum ſumpti non faciunt Collegium vel Capitulum, nec talis conſenſus ſingulorum eſt conſenſus capituli. Rodrig. *in ſum. tom.* 1. *cap.* 190. *num.* 2. Sylveſt. *verbo alienatio quæſt.* 5. *ad finem*, Garcia *ſup. num.* 5. Palaus *numero* 10. & nulla eſt alienatio abſque dicto conſenſu facta à Prælato, niſi poſtmodum capitulum eam ratam habuerit, hac tamen ratificatione ſequuta, ſubſiſtit, & obligari poteſt capitulum ad ſtandum contractui, *capite cum nos pridem*, *de his quæ fiunt à Prælat.* ut docent Dicaſtillus *de juſt. tract.* 15. *diſputat.* 1. *dub.* 6. *numero* 199. Pellizzar. *num.* 119. & Palaus *loco citato*.

Tertia ſolemnitas juris, eſt conſenſus Prælati Superioris.

51. Tertiò requiritur conſenſus Prælati Superioris reſpectu illius Eccleſiæ, vel domus, & talis eſt Epiſcopus in ſua dioceſi pro alienatione rerum Eccleſiarum ſibi ſubiectarum; & promonaſteriis exceptis, Prælatus cui plene ſubjiciuntur: ut Abbas in monaſteriis monachorum, & Provincialis in ordinibus mendicantium, & in Societate ſolus Generalis, vel cui ipſe conceſſerit: & idem eſt de noſtris Eremis, qui ſolum Patri N. Generali ſunt immediatè ſubjecti. Nunquam tamen verbi gratia Epiſcopus vel Provincialis poterit alienare bona Eccleſiæ, vel monaſterii inferioris abſque illius Rectoris conſenſu: quod adeò verum eſt, ut ſi Eccleſia inferior Rectore careat, & Prælatus bona illius judicet neceſſarium alienare, debet conſtituere illius Eccleſiæ rectorem qui partes Eccleſiæ agat, & abſque illius conſenſu nulla erit alienatio, *capite* 1. *de rebus Eccleſ. non alien. in* 6. Molina *tract.* 1. *diſputatione* 468. *concluſione* 5. Bonacina *de contract. feud. diſputatione* 3. *quæſtione* 8. *punct.* 4. *numero* 7. Palaus *tractat.* 12. *diſputatione unica punct.* 15. §. 2. *numero* 11. Et talis licentia Superioris debet præcedere ad contractum, aliter erit nullus: quia eſt de forma & eſſentia alienationis, ſine qua res non ſubſiſtit. Bonacina *numero* 5. Garcia *numero* 9. Peyrin. *conſtitutione* 9. *Julii II. numero* 14. Diana *prima parte tract.* 8. *reſolutione* 77. Lezana *tomo ſecundo capite* 19. *numero* 61.

52. Quartò

Quarta ſolemnitas juris: *ſubſcriptio Clericorum.*

52. Quartò requiritur ſubſcriptio clericorum, vel religioſorum in caſibus à jure expreſſis, qui ſunt tantum tres, nimirum, venditio, permutatio & donatio. *Cap. 1. de his quæ fiant à Prælat. ſine conſen. capituli.* Sed non eſt neceſſarium ut talis ſubſcriptio fiat manu propria capitularium, ſed ſufficit ſi fiat manu Notarii, ut ex conſuetudine docent Leſſius *lib. 2. cap. 24. dubio. 10.* Molina *diſputatione 468. verſu 4.* Bonacin. *ſup. num. 7.* Dicaſtillus *n. 214.* imò pluribus locis hæc conditio ex conſuetudine non requiri tenet Palaus *punct. 15. §. 2. numero 12.*

Quinta ſolemnitas juris, quæ eſt *conſenſus Pontificis.*

53. Quintò requiritur conſenſus Pontificis ubi extravagans *ambitioſæ* eſt recepta, juxta dicta *numero 26.* & ſacræ Congregationis conſultatio, juxta illius decretum ſupra *numero 28.* relatum: talis autem conſenſus Pontificis, vel ſacræ Congregationis adeſſe præſumitur ex temporis diuturnitate, ut ſi lapſi ſint 30. vel 40. anni poſt alienationem: quia omnia legitimè facta fuiſſe præſumitur ex diuturnitate temporis, niſi aliud manifeſtè ex inſtrumento alienationis, vel ex alio capite conſtet. Bonacin. *num. 7. circa finem.* Palaus *n. 13.* Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi 3. p. allegat. 95. numero 72.*

Alienatio ſine cauſa facta, etiam cũ ſolemnitate juris, eſt nulla.

54. Sed modo reſtat quadruplici difficultati ſatisfacere. Prima difficultas eſt: an ſi alienatio fiat abſque legitima cauſa ex enumeratis *numero 47.* & cum conditionibus & ſolemnitatibus modo recenſitis, valida perſiſtat? Reſpondetur, nullam eſſe in utroque foro. *Cap. 2. de rebus Eccleſ. non alien. in 6. cap. tua nuper de his quæ fiunt à Prælat. cap. ſine exceptione 12. quæſt. 2.* Ubi declaratur alienatio irrita, quæ facta fuit abſque legitima cauſa alienationis, & eſt ferè communis ſententia. At ſi Prælatus exiſtimavit cauſam adeſſe legitimam, quæ verè non dabatur, validum exiſtere contractum: quia ſaltem in foro externo cauſa adfuit legitima, tenet Covarruv. *2. var. cap. 7. num. 2.* Molina *tract. 2. diſputatione 468. concluſ. 6.* Bonacin. *de contract. feud. diſputat. 3. quæſt. 8. punct. 4. num. 5.* & in præſenti *punct. 3. num. 5.* Dicaſtill. *tom. 2. de Juſt. tract. 15. diſputat. 1. numero 193.* Pellizzar. *tract. 6. cap. 8. numero 135.* ¶ Sed verius eſt oppoſitum: quia jus reddit abſolutè irritam alienationem ſine cauſa factam; atqui præſumptio cauſæ, non infert cauſam: ergo, &c. Aliàs, numquam, vel raro declarari poſſet irritus contractus; quandoquidem raro accidit celebrantes ſibi non perſuadere juſtam ſubeſſe cauſam, Navarr. *Comment. de alienat. rerum Eccleſ. numero 9. verſu: octavo noto.* Palaus *tom. 2. tract. 11. diſputatione unica, punct. 15. §. 6. numero 1.* ¶ In dubio autem an alienatio ex legitima cauſa facta ſit, præſumendum eſt ita fuiſſe factam quoties ſuperior conſenſum præbuit; ideoque Eccleſiæ incumbit onus probandi, ſe læſam fuiſſe, ſi beneficio reſtitutionis in integrum uti velit, Bonac. *de alien. bonor. Eccleſ. diſp. 2. quæſtione unica, punct. 3. fine.* Menoch. *lib. 1. præſumpt. 75. n. 15.* Pellizzar. *n. 135.*

Subſiſtente cauſa etiam ſine ſolemnitate, validã eſſe alienationẽ aliqui dicunt.

55. Secunda difficultas eſt: An ſi exiſtat juſta cauſa ex enumeratis valida ſit & licita alienatio ſine conditionibus & ſolemnitate à jure requiſitis? Affirmat prima ſententia: quia finis adæquatus movens Pontifices ſtatuendi has ſolemnitates, eſt ne Eccleſiæ fiat præjudicium, vel ne bona illius ſine urgenti neceſſitate dilapidentur: ergo ſi conſtat nullum præjudicium fieri Eccleſiæ, vel eſſe urgentem neceſſitatem diſtrahendi bona illius, ceſſat ratio & finis prohibitionis, & ſic ceſſat prohibitio. Navarr. *Comment. de alien. bonor. Eccleſ. num. 17.* Azor *2. p. lib. 9. cap. 1. q. 9. fine.* Sylveſt. *verbo alienatio, num. 13.* Angelus *eodem verbo, num. 14.* Rodrig. *quæſt. reg. tom. 1. q. 17. art. 9.* Quaranta *ſumm. bullarii verbo alienatio, n. 34. & 50.* Filliucius *tract. 14. cap. 7. q. 2 ad fin.* Hieron. Rodriguez *reſol. 7. num. 9.* Reginal. *in praxi tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 6. ſect. 2. n. 69. & 70.* Naldus *in ſumm. verbo: actus, n. 15. & verbo contractus n. 10.* Et alii quos refert & videtur ſequi Diana *1. p. tract. 8. reſol. 77.*

Etiamſi cauſa detur ſi ſolemnitas non ſervetur, eſt nulla alienatio.

56. Nihilominus nullam eſſe talem alienationem pro utroque foro verius judicamus cum ſecunda ſententia: & ſic juſtam cauſam ſubeſſe ſolum erit ratio quare facultas à Pontifice, vel ſacra Congregatione, petatur: quæ ſibi reſervare voluit: num in caſibus occurrentibus adſit juſta cauſa alienandi? Ratio eſt: Tum, quia dicta ſolemnitas ſe habet ut forma; ſed ſine forma nullus actus ſubſiſtere valet. Tum etiam (per quod ſolvitur fundamentum contrarium) quia finis hujus irritationis non eſt læſio & fraus Eccleſiæ, quæ hoc vel illo caſu contingere poſſet, ſed quæ communiter & in plurimum ſolet evenire, ſi abſque ſolemnitate fiat, ut in matrimonio clandeſtino contingit, quod quidem ab Eccleſia irritatur, non ſolum ob fraudes, quæ in iſto vel illo caſu contingerent, ſed ob earum periculum, quod ſemper adeſt: & ſic nunquam, etiamſi ceſſet omnis fraus in particulari, eſt validum; ſimiliter ergo dicendum eſt in præſenti. Et ſic in foro externo probata omiſſione ſolemnitatis in alienatione, declarabitur irrita, etiamſi in favorem Eccleſiæ facta probetur; quod etiam in foro conſcientiæ eſt obſervandum. Quia hoc conformari debet cum exteriori, quoties iſtud falſæ præſumptioni non innititur. Atque ita docent Bonacin. *de contr. feud. diſput. 3. quæſt. 8. punct. 4. num. 10.* & in præſenti *diſputat. 2. punct. 4. quæſt. unica num. 14.* Suar. *de leg. b. lib. 5. cap. 14. num. 6.* Covarr. *2. var. cap. 17. num. 2.* Molina *tract. 2. diſp. 468. concluſ. 6.* Palaus *tract. 12. diſputat. unica punct. 15. §. 6. num. 5.* Lezan. *tom. 1. cap. 10. num. 4.* Anton. à Spiritu ſancto *tract. 3. diſp. 6. num. 1209.* Pellizzar. *tract. 6. cap. 8. numero 123.* Garcia *tract. 12. diſp. 1. dub. 1. n. 1. & 10.*

Non requiritur ſolemnitas ad alienandum legatum relictum cum poteſtate ut alienari poſſit.

57. Tertia difficultas eſt: An requirantur dictæ conditiones & ſolemnitates ad alienandum legatum relictum cum clauſula ut quoties Eccleſia vel Monaſterium voluerit illud alienare, & in proprios uſus convertere, poſſit? Reſpondetur negativè: quia tunc Eccleſia vel Monaſterium ex poteſtate accepta à teſtatore legatum alienat. Vnde ſicut poterat teſtator illud alienare pro ſuo libito abſque ſolemnitate, ſic Eccleſia vel Monaſterium nomine illius agens. Quare, ſicut poterat fundus legari Eccleſiæ, vel Monaſterio cum clauſula appoſita, ut poſt aliquot annos teneatur illum in conſanguineum, vel pauperem transferre quem Eccleſia elegerit, ad quam nulla ex dictis ſolemnitatibus requiritur, ſic in præſenti. Ita docent Vgolin. *de poteſt. Epiſcop. cap. 14. §. 7. n. 5. fine.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. 3. p. allegat. 95. n. 61.* Bordon. *reſol. 27. n. 69.* Pellizzar. *n. 52.* Antonius à Spiritu ſancto *n. 1173.* Palaus *§. 2. n. 14.* Garcia *dub. 2. n. 16.*

Etiamſi legatum cum clauſula relinquatur ut alienari non poſſit, poterit ſervata ſolemnitate iuris alienari.

58. Quarta difficultas eſt, an è contra legatum relictum ſub conditione ut nunquam alienetur poſſit ſervatis dictis conditionibus, alienari? Reſpondetur affirmativè, etiamſi Eccleſia alia bona habeat, quæ alienare poſſet: quia quod Eccleſia habeat alia bona, non impedit quominus illius legati alienatio ex cauſa pietatis, utilitatis, vel neceſſitatis, & ſervatis juris circunſtantijs & conditionibus fiat; ſed quoties res incorporata in bonis Eccleſiæ alienatur ex aliqua ex dictis cauſis & ſervata juris ſolemnitate, ab ipſo jure permittitur: ergo cum teſtator non poſſit juri derogare, non poterit contrariam conditionem apponere, & ideò vel explicanda eſt illa clauſula *quod nunquam alienetur niſi ſervato juris ordine*: vel ſi amplius voluerit, aut explicaverit, ut turpis & contra jus eſt reijcienda. Sylveſt. *verbo alienatio quæſt.* 28. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 54. Azor. 2. *p. lib.* 9. *cap.* 2. *quæſt.* 9. Palaus *punct.* 15. § 2. *num.* 15. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1173. Garcia *tract.* 12. *diffic.* 1. *dub.* 2. *n.* 18. Fillincius *tract.* 44. *cap.* 4. *quæſt.* 24. *n.* 30. Barboſa *de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 3. *a num.* 14. Portel *in reſponſ. moral. parte* 1. *caſu* 17.

PVNCTVM III.

De prohibitione facta Religioſis ne ſe immiſceant actibus judicialibus.

Qui actus judiciales ſint prohibiti?

59. PLures dantur actus ad judicium fori exterioris ſpectantes prohibiti à Sacris Canonibus, regularibus, quorum aliqui directè ad judicium ſpectant, ut eſſe Iudicem, Advocatum, Procuratorum, Tabellionem, reum, actorem, Teſtem. Alii qui licet non directè ad illud pertineant, reducuntur tamen: quia multoties illos exercentes ad judicium trahi contingit, ut eſſe fidejuſſorem, depoſitarium, tutorem, Curatorem, executores teſtamentorum, commiſſarium ad condendum teſtamentum: de quibus omnibus agemus hoc puncto, illud in triplicem paragraphum dividentes ad evitandam confuſionem.

§. I.

De munere Iudicis, Procuratoris, & Advocati regularibus in jure Pontificio prohibito.

Cum licentia Prælati & interveniente utilitate monaſterii poteſt monachus officium judicis exercere, & non aliter.

60. DVplex aſſignatur in jure conditio ſine qua regularis nequit eſſe judex, ſivè in judicio Eccleſiaſtico extra ſuam religionem, ſivè in ſæculari, nimirum quod præcedat licentia Prælati, petita & obtenta, & quod utilitas monaſterii interveniat *cap. monachus el* 2. 16. *quæſt.* 1. *cap. ex parte de poſtulando.* Ratio hujus prohibitionis eſt: quia non parum avocant judicialia exercitia mentem ab ſpiritualibus, quibus ratione ſtatus religioſus vacare debet, & quia illorum dedecet ſtatum, ſe judicialibus actibus immiſcere. Quare, cum dicta prohibitio ſit circa rem gravem, proculdubio contra illam facientes, mortaliter delinquunt: & idem eſt de aliis exercitiis forenſibus, de quibus hoc puncto dicemus eſſe Religioſis prohibitos, ut tenent Sanch. *lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 10. & 56. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 13. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1434. & 1453. Cæterum dictis conditionibus, videlicet obtenta licentia Prælati, & interveniente utilitate monaſterij illud munus judicum, in quocumque foro, Eccleſiaſtico & ſæculari, & in quibuſvis negotiis civilibus aſſumere valent, ſiquidem nullibi eſt prohibitum: & meritò, quia ſtante licentia Prælati, & interveniente utilitate monaſterij, reparatur diſtractio illa, quæ ex ſuſceptione talis officii poterat provenire Religioſo, Sanch. *num.* 55. Pellizzar. *numero* 1. Lezan. *tom.* 1. *capit.* 9. *numero* 14. Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *diſputatione* 4. *puncto* 12. §. *primo num.* 1.

Quæ utilitas & licentia ſufficiat, ut regularis judex conſtituatur?

61. Licentia Prælati, quæ requiritur ad dictum munus obeundum, non eſt neceſſarium quod ſit expreſſa, ſed ſufficit tacita, vel præſumpta, quia in dictis juribus expreſſa non poſtulatur: hanc Prælatus, qui aliis concedere poteſt, ſibi valet accipere, aliàs eſſet deterioris conditionis. Quam proculdubio quilibet Prælatus (niſi Superior vel lex aliqua hoc inferiori prohibeat) concedere valet, etiam immediatus: quia verè eſt Prælatus illius, & jura ſolum exigunt licentiam Prælati. Quæ ſunt communia apud Authores. ¶ Utilitas autem monaſterij quæ intervenire debet, ſufficit ſi ſit indirecta, dummodo non ſit modica; ſed magna, & ſit ad minus probabilis: qualis datur, ſi ex commiſſione ſuſceptionis talis muneris damnum aliquod monaſterio obvenire timeatur, ſivè lucrum, aut commodum amittere, vel ſi judicetur prudenter monaſterio expedire gratum habere poſtulantem, vel damnum timeatur votis non annuendo, aut aliud lucrum inde obventurum religioni ſperetur, ut ſi pro amico, vel benefactore utili Religioni ſuſcipiatur: non enim ſolum pro directa utilitate monaſterii (quæ conſiſtit in propriis rebus & juribus petendis & defendendis) hoc munus exercere poteſt regularis: quia tunc non tam ſuſciperetur officium judicis ex utilitate, quod conceditur à jure, quam ex neceſſitate, quod ex ipſo jure naturali debetur. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 12. *numero* 2. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *capite* 11. *num.* 2. Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 13. *num.* 17. Palaus *punct.* 12. §. 1. *num.* 3. ¶ Fratres autem Franciſcani, adhuc duplici dicta conditione interveniente, officium judicis ſuſcipere nequeunt: quia illis quælibet in judicio aſſiſtentia prohibita eſt. *Clementina: exivi de paradiſo, de verborum ſignif.* & tenent authores citati.

Tria notatu digna ex dictis inferuntur.

62. Ex dictis infertur primò: omnes religioſos (exceptis Franciſcanis) poſſe eſſe vicarios Epiſcoporum ex licentia Prælati, & interveniente utilitate indirecta ſaltem monaſterij, qualis cenſetur reperiri in eo quod eſt Epiſcopum gratum & propitium habere. Rodrig. *tom.* 3. *quæſt. regul. quæſt.* 76. *art. ultimo*, Lezana *tom.* 1. *capit.* 9. *num.* 14. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 88. Barboſa *alleg.* 54. *num.* 11. ¶ Infertur ſecundò quemlibet religioſum (exceptis minoribus) de licentia Prælati, interveniente utilitate monaſterij poſſe judicem arbitrum conſtitui, ſecus verò ſine illis conditionibus: quia eſt quaſi conſtitutus judex ex conſenſu partium juriſdictione accepta. Lezan. *num.* 14. Sanch. *num.* 55. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 11. *num.* 6. Arbitrator autem judex conſtitui poteſt quilibet religioſus, etiam Franciſcanus, de licentia Prælati, etiamſi utilitas non intercedat monaſterij. Differt enim judex arbiter ab arbitratore, quod ille inſtituitur à partibus ut ſecundum ordinem juris procedat, & ſic cum ſtrepitu judiciario, & ſolum inſpiciendo quid juris utrique parti conveniat: iſte verò inſtituitur ut amicabilis

compoſitor

compoſitor prudenter inter partes triuſigens, abſque juris ſtrepitu, & ſic potius ad componendas partes attendit, tanquam diſſidentium conciliator, quam ad rigorem juris. Vnde de jure vnius pro bono pacis, poteſt alteri applicare, modo non nimis lædat alteram partem & in actibus extrajudicialibus nullibi eſt prohibitum Religioſis judices fieri. Sanchez Laym. Palaus, *locis citatis*. Pellizxar. *num.* 9. Antonios à Spiritu Sancto *numero* 1447. ¶ Infertur tertio, quemlibet religioſum (excepto Franciſcano) poſſe judicem aſſeſſorem conſtitui (hoc eſt conſultorem & inſtructorem judicis) cum licentia tamen Prælati, & interveniente utilitate monaſterii, ſecus verò ſine illis: quia licet munus aſſeſſoris non ſit ferre ſententiam, illam tamen ordinat, eique ſubſcribit, & juxta eius præſcriptum judex procedit. Vnde talis actus etiam pertinet ad judicium. Sanch. *num.* 83. Lezan. *num.* 14. Pellixzar. *num.* 5. Palaus *num.* 7. ¶ Poſſunt tamen Prælati regulares eligi in judices conſervatores aliarum religionum propter privilegia illis conceſſa: de quibus Rodrig. *tom.* 1. *quaeſt. reg. q.* 65. *art.* 3. niſi ex ſpecialibus legibus ipſis prohibeatur. Qualiter Prælatis noſtræ Congregationis. 3. *p. noſtrarum conſtit. cap.* 13. *n.* 5. prohibitum eſt judices conſervatores conſtitui, niſi de mandato expreſſo Pontificis.

Advocati & procuratoris munus cum conditionibus quibus judices, & non aliter, poteſt religioſus ſuſcipere.

63. Quod diximus de officio judicis, idem cum proportione eſt dicendum de exercitio Advocati & Procuratoris, quod niſi ex licentia Prælati, & utilitate monaſterij interveniente, non poteſt religioſus advocare, aut procurare in judicio Eccleſiaſtico vel ſæculari. Illis autem accedentibus conditionibus poteſt coram judice ſæculari in cauſis civilibus; coram Eccleſiaſtico tam in civilibus quam in criminalibus, *cap. monachi* 16. *quaeſt.* 1. *cap. ex parte de poſtulando. Clement. religioſus de procuratoribus*, exceptis minoribus, quibus ob nullam ſui monaſterij utilitatem, etiam accedente Superioris licentia, permittitur advocare, vel procurare in judicio. *Clement. exivi de verbor. ſignif.* Et licentia, ac utilitas, quas diximus ſufficere pro munere judicis exercendo à religioſis, etiam ſufficiunt pro munere advocati & procuratoris. Quarè poterit conſtitui Advocatus & Procurator religioſus ex licentia ſui Prælati pro defenſione cujuslibet religioſi ſui ordinis, non verò alterius: quia in primo caſu ſuæ religionis utilitas intervenit: in ſecundo alienæ, quæ non eſt ſufficiens cauſa hujuſmodi officia aſſumendi. Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 13. *à num.* 20. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 12. §. 3. *num.* 2. Qui etiam dicunt pro defenſione Epiſcopi, Patroni, vel alterius Dynaſtæ poſſe hæc muneta exercere religioſum, ſuppoſita Prælati licentia: quia non eſt levis utilitas monaſterii hujuſmodi perſonas gratas & obligatas reddere. Ac denique pro defenſione miſerabilium, viduarum, pupillorum, egenorum &c. hæc munera de licentia Prælati valet præſtare. Tum quia eſt proprium Eccleſiæ tales perſonas auxilio deſtitutas favere. Tum etiam, quia cum ſit inſigne pietatis opus, iſtarum perſonarum defenſio, non levis utilitas religionis reputatur tam pio operi religioſos attendere. Saytus *in clavi regia. lib.* 12. *cap.* 22. *num.* 5. Sanch. *num.* 23. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1451. Palaus §. 3. *num.* 2. extra judicium autem poteſt quilibet religioſus, etiam Franciſcanus, adhuc non intervenientibus illis conditionibus, pro defenſione cujuſcunque perſonæ procurare, & advocare: quia nullibi eſt prohibitum: textus enim ſupra citati loquuntur de advocatione & procuratione in judicio exercitâ, quod omnes fatentur.

Pro una vel altera vice advocare, aut procurare, non eſſe religioſis prohibitum aliqui tenent.

64. Duplex adhuc reſtat enodanda difficultas. Prima eſt an prohibitio facta religioſis exercendi munus judicis, advocati & procuratoris in judicio, ita ſit ſtricta, ut nec in vnica cauſa permittatur illis hæc munera exercere? Duplex datur ſententia, & utraque probabilis, ut docent Pellizzar. & Palaus infra citandi. Prima aſſerit, ſolum interdici religioſis eſſe expoſitos ad quaſlibet cauſas ſuſcipiendas, ſed non eſſe interdictum illis in una vel altera cauſa præcipuè non multum ardua, & difficili talia ſuſcipere munera. Et probatur primò: quia etiam clericis hæc exercitia interdicuntur. *cap.* 1. *de poſtulando*, & tamen multi docent id intelligi quando indifferenter vellent hujuſmodi munera exercere; ſecus ſi in una vel altera cauſa, non nimis ardua & difficili. Vt Innocentius *in cap. vnico in fine de obligat. ad rat.* Turrecremar. *cap. fin. diſt.* 86. *num.* 2. Felinus *cap. cum.* 1. *num.* 12. *de ſent. & re judic.* Greg. Lopez *l.* 5. *verbo . otrorſi tit.* 5. *part.* 3. Bernard. Diaz *practicar. can. cap.* 57. *num.* 2. *& cap.* 6. *num. vnico*: ergo ſimiliter in præſenti. Secundò, quia ſuſcipere vnam vel aliam cauſam defendendam non eſt abſolutè advocatus, vel procurator conſtitui, nec advocati, aut procuratoris officium habere: quia hoc officium (ut ex communi modo loquendi conſtat) expoſtulat vſum continuum, & indifferentem eſſe, ac expoſitum ad omnes cauſas ſuſcipiendas. Sed textus eam advocationem & procurationem prohibent (& idem eſt de judicatura) quæ conſtituat advocatum & procuratorem, & ratione cujus advocatus aut procuratoris officium quis dicatur habere. Dicitur enim Clementina *Religioſus de procuratoribus: non poteſt ſine ſui Superioris licentia procuratoris officium ſuſcipere*: ergo &c. Ita Saytus *in clavi reg. lib.* 12. *capite* 22. *numero* 5. Salzedo *practicar. can. capite* 57. *&* 63. Navarr. *comment.* 2. *de regul. numero* 66. Angelus *verbo advocatus numer.* 9. Chriſtophorus Depax *in leg. ſtili leg.* 6. *ſcholio unico numero* 7.

Etiam pro una vice illicita eſt procuratio, vel advocatio religioſis.

65. Sed tenenda eſt ſecunda ſententia, quæ docet prohibitum eſſe Religioſis, adhuc in una vel altera cauſa officium judicis, advocati, vel procuratoris exercere, proindeque peccare mortaliter ſi ſemel tantum in re gravi abſque dictis conditionibus, illud ſuſcipere audeant: quia textus generaliter loquuntur: *& in cap. monachi* 1. *quaeſt.* 1. *cap. ex parte de poſtulando*, ſingularis cauſæ ſuſceptio & procuratio prohibetur, cum ibi dicatur: *Ne ullus monachus forenſis vel Eccleſiaſtici negotij ſuſceptor, vel executor exiſtat.* Et juxta hos textus explicanda eſt clementina illa *religioſus* à contrariis adducta. Atque ita tenent Sylveſt. *verbo advocatus quaeſt.* 7. Tabiena *eodem verbo quaeſt.* 7. *numero* 8. Sanch. *lib.* 6. *ſum. capite* 13. *numero* 34. Pellixzar. *tract.* 6. *cap.* 12. *numero* 4. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1442. *&* 1452. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 12. §. 3. *num.* 5.

Validus eſt actus judicis, advocati, Procuratoris, etiam indebitè à religioſo præſtitus.

66. Secunda difficultas eſt: an officia judicis, advocati, aut procuratoris pro quorum licito vſu diximus requiri licentiam Prælati, nulla & irrita ſint, ſi abſque tali licentia fiant? Aliqui affirmant ſententiam judicis eſſe nullam in eo caſu: quia in canonibus citatis religioſus comparatur ſervo, cujus arbitrium & judicium nullum eſt. Sanchez *lib.* 6. *ſum. cap.* 15. *numero* 69. *&* 97. Laym. *lib.* 4. *capite* 15. *numero* 6. *fine*. Pellizzar *ſupra num.* 10. Atque idem docet Layman *num.* 2. circa officium Advocati & Procuratoris: quia in dicta Clementina *religioſus*, dicitur, ut tradit Gloſſa: *regula non poteſt. de reg. juris in* 6. *non poteſt quod* inducit

 neceſſita-

neceſſitatem & actum contra geſtum reddi nullum. ¶ Cæterum valere judicium religioſi dum à Superiori non irritatur, etiam abſque licentia præſtitum, verius judicamus quia in dictis textibus non datur verbum irritans talem actum, ſed ſolum prohibens; & eſt diſpar ratio inter ſervi, & religioſi judicium: illius enim judicium irritatur, non quia præſtitum à perſona ſubdita, ſed quia præſtitum à perſona vili: quod non reperitur in religioſo. Fulvius Pavian. *conſt.t.* 162. *à n.*72. Caſtro Pal. *diſp.*4. *punct.*12. §.4. *n.*2. Anton. à Spiritu ſancto *n.*1441. Poſſe tamen tale judicium irritari, & annullari à Prælato nulli dubium eſt, ob dominium quod in ſubditi habet voluntatem. ¶ Similiter dicendum eſt advocationem & procurationem à religioſo indebitè præſtitam valere dum à ſuperiori non irritatur, vel à parte contraria excipitur: quia jure naturæ non eſt inhabilis religioſus ad ea munia exercenda, cum non agat nomine proprio, ſed alieno: nec jura propria, ſed aliena patrocinetur; nec eſt inhabilis jure puſitivo: quia nullum in eo verbum datur, quo hæc inhabilitas probetur: omnes enim textus dicunt: *Non licere, ne hoc faciat:* quæ nullitatem non inducunt. Nec verbum illud *non poteſt facere* ſemper illam probat, ſed ſolum quando afficit ipſum actum: ut ſi lex diceret: *non poteſt talis actus eſſe:* ſecus verò quando perſonam aliàs habilem afficit, ut in præſenti contingit. Pellizar. *n.* 13. & 17. Palaus *n.*5. Antun. à Spiritu ſancto *n.*1453.

---

§. II.

An, & quomodo exercitium Tabellionis, Actoris, & teſtis in judicio ſit Religioſis interdictum?

Prohibitum omninò eſt religioſis officium tabellionis.

67. Officium Tabellionis in cauſis ſæcularibus, eſſe omnibus religioſis prohibitum, illudque, etiam de licentia Superiorum ſuſcipere non poſſe, ſuſceptumque deponere teneri, omnes authores docent: quia dedecens omninò ſtatum religioſum reputatur, & ſic meritò eſt prohibitum. *Cap. ſicut. ne Clerici vel Monachi. Cap. ut officium inquiſitionis* §. *verum, de hæreticis in* 6. Ubi ut quid ſpeciale in favorem fidei conceditur religioſo tabellionis officium exercere, ſi hoc in ſæculo habebat; cum hoc tamen ſtat, ut poſſit ſignare inſtrumenta, quæ in ſæculo confecerat, vel latius extendere quæ in protocolo ſuccinctè ſcripſerat: quia hoc non eſt novi inſtrumenti confectio, ſed perfectio jam facti. Lezan. *tom.*1. *cap.*9. *num.*13. Navarr. *Comment.* 2. *de regul. num.*31. Covart. *practicar. quæſt. cap.*19. *num.*8. Sanch. *lib.*6. *ſumm. cap.*19. *num.* 49. Cæterum non ob id erit, invalidum inſtrumentum à religioſo confectum ſine licentia Prælati, ſi aliàs officium tabellionis habebat: quia nullus datur textus irritans, ſed tantum prohibens hujuſmodi tabellionis officium, & ex eo quod actus fiat contra legem, non ob id eſt cenſendus nullus, niſi talis lex irritet illum, vel conditionem ut formam aſſignet: Ut latè diximus *tom.*3. *tract.*11. *de legib. cap.*2. *num.*90. & in præſenti tenent Sanch. *num.* 48. Laym. *lib.*4. *tract.*5. *cap.*11. *n.*4. Palaus *diſp.*4. *punct.*12. §.4. *n.*6.

Quibus caſibus poſſit religioſus munus tabellionis exercere?

68. Cæterum tabellio, vel Notarius, jam profeſſus in religione poteſt licitè & validè teſtamenta, aliaſque ſcripturas & inſtrumenta conficere in caſu neceſſitatis, ut tempore peſtis, aut belli in loco ubi non eſt Notarius, & eſt periculum in mora: quia tabellio ſi ſit clericus, non deperdit officium, ſed illius uſus à jure communiter interdicitur: & cum lex non obliget in magna neceſſitate, ea interveniente, talis uſus non eſt interdictus. Sà *verbo judicialis actus, titulo de advocato & tabellione.* Pellizzar. *tract.*6. *cap.*12. *num.* 20. Anton. à Spiritu ſancto *tract.*3. *diſp.*6. *n.*1462. Imò poteſt validè extra caſum neceſſitatis Notarius profeſſus conficere inſtrumenta de bonis pertinentibus ad monaſterium, uti ex Rodrig. docet Pellizzar. *loco citato.* Omnes verò concedunt poſſe illum exercere munus tabellionis, in quibuſcumque cauſis fidei, ac ſanctæ Inquiſitionis, juxta Conſtitutionem Pii IV. in bulla, quæ incipit: *Paſtoralis officii*, edita anno 1561. imò etiam munus Notarii exercere poſſunt, & à ſuis Superioribus, qui aliàs non erant, creari & conſtitui ad intimanda mandata, privilegia, conceſſiones & indulta Apoſtolica ordini conceſſa quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus, etiam Ducibus, Regibus, &c. ubi & quoties opus fuerit: quia ita conceſſit Pius V. PP. Dominicanus in bulla incipiente: *debitum Paſtoralis* 27. *Martii* 1571. relata à Cherubino *in bullario tom.*2. *conſtit. Pii V.* 124. quod privilegium per communicationem aliis convenit religionibus.

Teſtis eſſe poteſt religioſus in qualibet ſcriptura.

69. Religioſum, etiam Franciſcanum, teſtem eſſe poſſe tam in judicio, quam extra judicium, omnes uno ore concedunt: quia nullibi prohibitum eſt religioſis teſtimonium ferre: imò permiſſum reperitur. *Cap. nuper de teſtibus. Authentica de Monachis.* §. *cogitandum collatione* 1. quod adeò verum eſt, ut poſſit in qualibet cauſa ad ſuum conventum ſpectantem, eſſe teſtis religioſus: quia non ob id in propria cauſa teſtificari cenſetur: cauſa namque communitatis diſtincta eſt ab ea quæ ad ſingulas perſonas ſpectat. Quare, quiliber religioſus poteſt eſſe teſtis in teſtamento, in quo ejus monaſterium, vel religio inſtituitur hæres, vel aliquid illi legatur, dummodo ipſi religioſo in particulari nihil legetur. Et ſimiliter teſtimonium ferre poteſt, orto dubio de illius valore vel in alia ſcriptura, aut inſtrumento in favorem conventus confecto: quia non dicitur in propria cauſa teſtificari. Farinac. *de teſt.lib.* 9.60. *num.*463. Lezan. *tom.*1. *cap.*9. *n.*16. Pellizzar. *tract.*6. *cap.*12. *n.*43. Sanch. *lib.*6. *ſumm. cap.*13. *n.*102. Anton. à Spiritu ſancto *tract.*3. *diſp.*6. *n.*1489. Palaus *tract.*16. *diſp.*4. *punct.*12. §.3. *n.*9.

Sine licentia ſui Prælati illicitè, quamvis validè teſtificatur religioſus coram judice non ſuo.

70. Requiritur tamen licentia Prælati ut religioſus licitè coram judice non ſuo, teſtimonium ferat: quia non poteſt ſubditus alieno ſe ſummittere Superiori abſque proprii conſenſu. Diximus *ut licitè*, validum namque erit teſtimonium illius, etiam coram judice non competente præſtitum abſque licentia Prælati proprii, quia nullibi irritatur, & res interpretari debet potius ut valeat, quam ut pereat, *Cap. Abbate de verbor. ſignif.* nec incompetentia judicis reddit nullam depoſitionem, non adſtante textu, in quo talis depoſitio infirmetur. Layman. *lib.*4. *tract.*5. *cap.*11. *n.*3. Sanch. *lib.*6. *cap.*12. *n.*8. & 10. Palaus *puncto illo* 12 §.4. *n.*7. Pellizz. *n* 20. Lezan. *tom.*1. *cap.*9. *n.*16. hoc tamen non tollit eſſe illicitam talem teſtificationem, & religioſum coram judice non ſuo in judicio teſtificantem abſque ſui

Prælati

Prælati licentia peccare mortaliter; nam juxta *cap. diligenti cap. ſignificaſti de foro compet.* non poteſt conſentire in judicem non ſuum abſque ſui Superioris gravi injuria. Hanc tamen licentiam, etiam Prælatus immediatus præſtare poteſt, nedum Generalis, aut Provincialis, ubi non eſt lex vel conſuetudo in oppoſitum, ut teſtatur Pellizzar. *n.* 40. ex Putell. *de dub. regul. verbo teſtis num.* 6.

In cauſis criminalibus ſanguinis nequit religioſus teſtificari.

71. Cæterum non poteſt Prælatus facultatem concedere religioſis, & minus cogere ad teſtificandum in cauſis criminalibus, in quibus agitur de pœna ſanguinis, etiamſi alias veritas haberi non poſſit, & hoc ob periculum irregularitatis, niſi deſint alij teſtes, & tale teſtimonium neceſſarium ſit ad liberandum à morte innocentem, vel alio gravi damno. Antonius à Spiritu Sancto *numero* 1491. Peyrin. *in formula lit. I. capite* 1. *numero* 3. aliis citatis. Et in tali caſu poteſt cogi à Prælato ut etiam coram judice ſæculari teſtificetur, & etiam in aliis cauſis civilibus, imò & in levibus criminalibus, ſi non dentur alij qui teſtificari poſſint, etiamſi religio privilegium habeat, ne ullus cogatur ad teſtificandum, ut docent Portel. Pellizzar. Peyrin. & Antonius à Spiritu Sancto *locis citatis.* Alius verò præter Prælatum, ſivè ſæcularis judex ſit, ſivè Epiſcopus non poteſt cogere religioſum exemptum ad teſtificandum. ❡ Imò ſi judex Laïcus cogeret regulares ad teſtificandum coram ipſo in cauſis, ſivè civilibus, ſivè criminalibus, incideret in excommunicationem 15. bullæ Cœnæ, latam contra trahentes perſonam Eccleſiaſticam ad ſuum tribunal, quam tamen non incurrere Epiſcopum qui modo dicto compelleret religioſum exemptum ad teſtificandum in ſuo tribunali docet Bonacin. *de cenſur. in particul. diſputat.* 1. *quæſt.* 16. *ſect.* 1. *punct.* 5. *numero* 3. citatis Caietano, & aliis. Nam Papa ferens hanc cenſuram, intendit conſulere immunitati Eccleſiaſticæ contra Laïcos, & ſic ſolum extenditur ad illos qui authoritate ſæculari trahunt, vel trahi faciunt ad tribunal ſæculare Eccleſiaſticos. ❡ Et ſicut teſtificari poſſunt religioſi coram judice Laïco de licentia ſui Prælati, & non aliter: ſic jurare poſſunt in illius judicio occurrenti gravi neceſſitate, vel utilitate de licentia ſui Prælati, & non aliter. Ut benè advertunt Pellizzar. *num.* 47. Lezana *tomo* 3. *verbo juramentum* quoad regulares *num* 7. Quamvis Sylveſter *juramentum* 2. *quæſt.* 3. & Sanch. *lib.* 3. *cap.* 5. *num* 8. dicant Eccleſiaſticos, & conſequenter regulares poſſe abſque Superioris licentia jurare in manu judicis laïci.

In qualibet ſcriptura teſtes eſſe poſſunt religioſi, etiam ſine licentia Prælati.

72. Veruntamen, quamvis licentia Prælati requiratur ut religioſus licitè in judicio teſtificetur coram judice non ſuo, ut dictum eſt; tamen ut teſtis exiſtat extra judicium, talis non requiritur licentia. Quare abſque illa poteſt religioſus eſſe teſtis inſtrumentarius, tam in teſtamento, quam in qualibet alia ſcriptura. Et ratio eſt: quia ex una parte nullo jure poſitivo hoc eis interdicitur: textus enim *in cap. quamquam* 14. *quæſt.* 8. loquitur de teſtimonio judiciali, etſi qui alii dantur. Et ex alia non retrahuntur ab hac teſtificatione ex generali obligatione qua tenentur à ſæcularibus negotiis abſtinere: quia ex hac ſolum probatur non licere ut paſſim, in qualibet ſcriptura teſtes aſſiſtant, non autem quod in hoc vel illo caſu ex juſta cauſa & ſine rationabili teſtes eſſe poſſint. Burgos de Paz. *l.* 3. *Tauri partit.* 1. *numero* 407. & 408. Sanchez *lib.* 6. *ſum. cap.* 13. *numero* 106. Palaus *diſputat.* 4. *punct.* 12. §. 3. *num.* 18. Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſputatione* 6. *num.* 1493. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 16. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 38.

Non poteſt religioſus in judicio eſſe actor, vel reus.

73. In cauſis civilibus non poteſt religioſus, neque ut actor neque ut reus in judicio comparere. *cap. cum dilecta de reſcriptis authentica cauſa quæ fit cum monacho Cod. de Epiſcopis & clericis.* Quia omnia bona, jura & actiones tranſtulit in monaſterium, & ideo non ipſe, ſed monaſterium petere debet, & reſpondere. Et ſic omnia ab eo acta in judicio tanquam ab actore vel reo ſine licentia Superioris (niſi in caſibus in quibus infra dicemus poſſe abſque illa agere in judicio) nulla ſunt: quia ex eo quod religioſus nihil habet proprium, cum omnia ſua jura & actiones religionis ſint, independenter à religione invalidè petit, & ab eo petitur. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 12. *à numero* 1. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 11. *in principio*, Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 31. & 32. Palaus *punct.* 12. § 4. *num.* 3. ❡ Et hoc verum eſt, ut non poſſit religioſus convenire, vel conveniri in judicio etiam de contractu in ſæculo inito, cum ipſe nil habeat: & ſic monaſterium, vel procurator conveniri debent, & hoc non ultra bona à religioſo accepta. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *quæſt.* 12. Palaus §. 2. *num.* 1. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 1481. Sed neque conveniri poteſt monaſterium ob contractum à religioſo factum abſque licentia illius, niſi quatenus inde redditum fuit locupletius: ſibi enim imputare debet qui cum religioſo incapaci contraxit. Palaus *n.* 1. Sanch. *n.* 2.

Actio injuriarum, non competit religioſo, ſed monaſterio.

74. In cauſis verò criminalibus intentare non poteſt religioſus actionem, niſi de Superioris licentia, ſaltem præſumpta, quæ tunc adeſſe cenſetur, quando Superior eſt abſens, nec procuratorem relinquit. Pellizzar. *num.* 31. Sanchez *cap.* 12. *num.* 5. Palaus § 2. *num.* 2. quia religioſus ſui juris non eſt, ſed religionis. Quarè, non ipſe, vel eius parentes, aut filii in ſæculo relicti, ſed religio actionem injuriarum religioſo factarum intentare debet: nec remiſſio injuriæ monacho factæ ipſi competit, ſed religioni, quam facere poteſt, etiam illo invito. Sic Authores citati. At ſi ipſe delinquat, non religio, ſed ille conveniendus eſt: quia ex delicto monachi non obligatur religio, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 12. *cap.* 2. *punctus* 12. § 6. ❡ Ex quo ſequitur quod ſi religioſus vulneretur, vel interficiatur &c. actio injuriarum, ſeu ius accuſandi, pacis ineundæ & conſequenter capiendi pecuniam, ob quam componitur cum partibus, & conceditur remiſſio mortis, vel injuriæ, non competit eius Patri, aut filiis in ſæculo relictis, ſed monaſterio: quia non fuit læſio facta ipſis, à quibus ſeparatus eſt jam per profeſſionem, ſed monaſterio, cui eſt unitus & incorporatus per illam. Rodrig. *quæſ. reg. tom.* 2. *quæſt.* 42. *art.* 3. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 12. *à numero* 39. Pellizzar. *numero* 35. Palaus § 2. *numero* 3. ❡ Et ſimiliter ſi religioſi Pater, vel filius in ſæculo habiti interficiantur, vel lædantur, actio injuriarum, nec ipſi religioſo, nec monaſterio ratione illius competit: quia jam ut mortuus reputatur, & ſic non cenſetur injuria affectus, cujus actionem poſſit intentare monaſterium. Sic præcitati authores, qui hoc limitant in caſu quo vulneratio vel interfectio ante profeſſionem contigiſſet, & monaſterium eſſet capax ſucceſſionis: quia cum in tali caſu ſuccedat in omnia jura, & actiones religioſi, & talis actio illi competeret ante profeſſionem, tale ius competit ipſi monaſterio. ❡ Quomodo autem ipſe religioſus ſine periculo irregularitatis poſſit agere in judicio, in cauſis criminalibus, diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 9. *num.* 14.

Caſus recenſentur in quibus à jure habet religioſus ut poſſit eſſe actor, & ſic ſine licentia Prælati.

75. Dantur tamen aliqui caſus, in quibus religioſus actor eſſe poteſt, tam in cauſis civilibus, quam in criminalibus abſque licentia Prælati, quia eam à jure habet. Primus ſi beneficium habeat ſaltem annuale: quia tunc ſui juris eſſe reputatur, cum liberam habeat beneficii adminiſtrationem. Secundus ſi ex licentia Prælati ſit extra monaſterium in ſtudio litterarum, vel alio negotio: quia tunc conveniri & convenire poterit pro contractibus occaſione ſtudii, vel negotii celebratis, vel pro injuriis eo tempore acceptis. Tertio poteſt agere pro conſervatione juris ſibi ex profeſſione competentis, nimirum ne injuſtè à religione expellatur: ne alimenta communia religionis ei denegentur: ne præeminentiis, ſuffragiis, loco &c. privetur: ne beneficio ſibi competenti ex vindicta, malovè animo ſpolietur; vel ſi intentanda eſt his circa profeſſionis valorem, poterit agere ſine licentia Prælati: quia procedit adverſus illum in hac cauſa pro jure libertatis. Quartò poteſt abſque licentia Superioris eum accuſare in judicio, ſi ita expedire judicaverit: quia ex una parte in tali accuſatione utilitatem monaſterii gerit, cujus intereſt Prælatum habere bonum, & ex alia non expediebat eam licentiam ab accuſato petere, à quo non erat concedenda. Et ideo conceſſa eſt *cap. ex parte de accuſationibus*, in quo capite ſolum ad accuſationem Prælati conceditur facultas, non ad accuſandos alios fratres: & ſic horum non erit licita accuſatio, niſi accedente licentia Prælati, & interveniente utilitate monaſterii. Idem dicendum eſt de denuntiatione judiciali quæ imitatur accuſationem, non de fraterna & charitativa tendente ad ſolam fratris correctionem: quia hanc quilibet de alio fratre facere poteſt, ordine ſervato correctionis fraternæ aſſignato à Chriſto Domino *Matth.* 18. Quæ omnia docent Pellix. *tract.* 6. *cap.* 12. *numero* 53. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 12. *à n.* 14. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 11. *num.* 1. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 9. *numero* 11. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 12. §. 2. *num.* 4. Azor. 1. *p. lib.* 12. *cap.* 11. *quaſt.* 9. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſputatione* 6. *num.* 1486.

Poteſt in caſibus dictis religioſus aſſignare procuratorem. Et quomodo expenſæ ſint illi à monaſterio ſolvendæ.

76. Sed notandum eſt primò quod in caſibus, in quibus religioſus abſque licentia poteſt ſtare in judicio, agendo vel defendendo ſe, poteſt abſque illa procuratorem eligere ut pro eo in judicio compareat: quia quod per nos metipſos facere poſſumus, per alios præſtare valemus, ut cum Gloſſa *Clement. religioſus de procuratoribus, verbo conſtituere*, docent Authores citati. ¶ Notandum eſt ſecundò quod in dictis caſibus debet monaſterium expenſas religioſo ad litem neceſſarias ſuppeditare, ſi peculium non habeat. Et quidem cum accuſatio, vel actio ſit in utilitatem monaſterii, vel de illius licentia, omnes id concedunt. Sed etiam ad hoc teneri monaſterium, quando religioſus propriam cauſam agit, verius judicamus; alias inutilis eſſet facultas agendi, vel ſe defendendi, ſi media ad hoc non ſuppeditarentur, ut cum Ioanne Andrea Abbate, Felino, docet Palaus *diſp.* 4. *punct.* 12. §. 2. *num.* 6. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 1486. At ſi peculium habeat religioſus, æquum non eſt expenſas à monaſterio quærere, cum eo fine concedatur, ut religioſus ex illo ſibi neceſſaria poſſit accipere ad caſus occurrentes. Sanch. *num.* 21. Palaus *num.* 6. Pellizzar. *n.* 23.

§. III.

Qualiter munus ſuſcipere Curatoris, tutoris, fidejuſſoris, depoſitarii, teſtamentarii, aut commiſſarii ad condendum teſtamentum electi, ſit, vel non, regularibus prohibitum?

Quotuplex ſit tutela? & de qua ſit certum non poſſe à religioſo ſuſcipi?

77. Circa materiam hujus §. eſt prima difficultas: an religioſi de licentia Prælati poſſint tutores, aut curatores conſtitui? Pro cujus intelligentia notandum eſt, tutelam eſſe triplicem, *teſtamentariam, dativam, & legitimam. Teſtamentaria* eſt illa, quæ à Patre filiis in teſtamento datur. *Dativa* quando non eſt tutor teſtamentarius, aut legitimus, vel ſi ſit, aut nequit, vel non vult eſſe, & ob id à judice deſignatur. *Legitima* eſt quæ lege defertur ſuccedentibus ab inteſtato, quando Pater nullum deſignavit tutorem in teſtamento. Et quidem non poſſe religioſos eſſe tutores prima & ſecunda tutela omnes concedunt: quia eſt interdictum *cap. finali, diſt.* 86. *authent. de ſanctiſ. Epiſcop.* §. *Deo autem amabiles collat.* 9. *& l. regia* 14. *tit.* 16. *part.* 6. & quia nequeunt Superiores in hac prohibitione juris diſpenſare, utpotè ab alio magis Superiori ſancita, etiam de licentia Prælatorum, nequit à religioſis talis tutela ſuſcipi: in quo omnes conveniunt.

Nec legitimam tutelam poteſt ſuſcipere religioſus.

78. Circa tutelam autem legitimam, ſunt qui dicant, poſſe à religioſis de licentia Prælatorum ſuſcipi: quia licet hoc in dicta authentica prohibeatur, corrigitur per *caput final. diſt.* 86. ubi talis tutela religioſis permittitur. Sic Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 12. *quaſt.* 3. Sylveſt. *verbo tutela quaſt.* 3. Angelus *num.* 1. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 9. *n.* 17. ubi Congregationem ſæpius ad id facultatem conceſſiſſe teſtatur: & de tutela legitima miſerabilium perſonarum, poſſe illam ſuſcipere religioſos, de licentia Prælatorum, tenent Lezana *loco citato* Graffis 1. *p. deciſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 115. Gloſſa, Turrecrem. Sylveſt. Angelus Armilla, Tabiena, quos refert Sanch. *lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 26. Sed ipſe oppoſitum meritò tenet, etiam reſpectu miſerabilium perſonarum. Tum, quia in dicta authentica expreſsè reperitur interdictum. Et *l.* 14. regni citata; quod non invenitur correctum in dicto capite finali: quia in illo nullum verbum reperitur de religioſis, quando permittitur talis tutela, ſed de Epiſcopis. Tum etiam, quia religioſi nulla habent bona, quæ pro adminiſtranda tutela obligationi ſubjiciant, Gregorius Lopez *dicta l.* 14. *verſu: no puede.* Pellizz. *tract.* 6. *cap.* 12. *numero* 23. Palaus *diſputatione* 4. *punct.* 13. §. 7. *numero* 1. *&* 2. Molina *tom.* 1. *diſputatione* 221. *colum.* 3. Sanchez *numero* 23. *&* 25.

79. Secundò inquires: an & quomodo religioſus poſſit fidejuſſor eſſe pro aliis? Reſpondetur, quod abſque licentia Prælati & majoris partis capituli fidejubere non valet *cap. penult. de fideiuſſion. l.* 2. *tit.* 12. *p.* 5. quia religioſus non habet proprium quod obliget titulo fidejuſſionis, quod tamen neceſſarium erat ad fidejubendum, & ſic abſque licentia hoc munus nequit ſuſcipere; imò non ſufficit licentia Prælati, niſi accedat conſenſus capituli. *Ex regula* 26. *iuris in* 6. *quod omnes tangit ab omnibus debet approbari.*

Imò debet intervenire utilitas Monaſterii, & aliæ ſolemnitates pro rebus Eccleſiæ non alienandis: quia eſt quædam virtualis bonorum Religionis alienatio. Sanch. *lib.6. c.14. num.* 38. Palaus *diſp.4. punct.* 13. §. 4. *num.* 1. Auton. à Spir. ſancto *tract.3. diſp.6. num.* 1494. Licet alii oppoſitum teneant. Unde peccat mortaliter Religioſus abſque licentia in re gravi fideiubens, ob contractum initum, & obligationem, quam ſuſcepit propria authoritate, & fidejuſſio ſine licentia facta eſt nulla, etiam ſi Religioſus proprium peculium habeat: quia illud obligare nequit independenter à Superioris voluntate. Lezan. *tom.1. cap.9. num.* 18. Palaus *num.* 2. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 1496. Imò non poteſt Religioſus fidejubere etiam ſi de licentia Prælati extra Monaſterium degat, nec licitè, nec validè; quia ad illos contractus ſolum cenſetur habere licentiam, qui ad ſuſtentationem ſunt neceſſarii, qualis non eſt iſte, ut docet Sanch. *loco cit. num.* 42.

Depoſitum recipere ſine licentia nequit Religioſus.

80. Inquires tertiò: an Religioſi poſſint depoſitum accipere ſine licentia Prælati? Reſpondetur, quod licet validè illud accipere poſſint; quia ſunt capaces depoſitum recipiendi, *cap.1. de depoſito, l.3. regia tit.3. part.5.* Non tamen licitè; & ſic mortaliter peccabit Religioſus grave depoſitum ſuſcipiens abſque licentia ſaltem præſumpta, eius qui illam concedere poteſt, ſiquidem propria authoritate iniit contractum oneroſum, & gravem illam ſuſcepit obligationem. Molina *de iuſt. tractatu ſecundo, diſputatione* 525. *verſu: Non ſolum clericus.* Sanchez *lib.6. cap.14. numero* 27. Palaus *diſputatione* 4. *punct.* 13 §. 4. *numero* 3. & inſuper noſtræ Congregationis Religioſus pœnas luit in conſtitutionibus noſtris contra depoſitum in particulari ſuſcipientem, *prima parte, cap.7. num.* 8. ¶ Cæterum non tenebitur Monaſterium ſolvere, ſi depoſitum à Religioſo, etiam de licentia ſuſceptum culpa depoſitarii amittatur, vel deterioricetur: quia talis licentia ſolum datur ut licitè Religioſus accipiat depoſitum, non ut Monaſterium, aut Prælatus inde obligetur. Imò etiamſi Prælatus ipſe illud receperit abſque conſenſu Monaſterii, & culpa eius pereat, non tenebitur Monaſterium de depoſito: quia ipſum, ut ſupponimus, non conſenſit in ſubeunda tali obligatione, Pellizzar. *tract.6. cap.12. num.* 46. Leſſius *lib.2. cap 27. dub.3 num.* 12. Sanch. *lib.6. cap.14. num.* 29. ¶ Sed ipſe Religioſus Depoſitarius, ſi habeat peculium, & ſit in culpa ut depoſitum amittatur, vel deterioricetur, tenetur ſolvere, ſi abſque gravi incommodo poſſit: & etiam ipſum Monaſterium, ſi ex tali amiſſione ditius factum eſt, tenebitur ſolvere id in quo factum eſt locupletius: quia quoad hanc partem manet virtualiter depoſitum. Molina, Leſſius, Sanch. Palaus, *loc. cit.*

Quis tenebitur de depoſito, ſi pereat?

Tenetur Prælatus reſtituere, ſi negligentem ſubditũ in obſervatione depoſiti nõ corrigat.

81. Poteſt autem, & debet Prælatus punire ſubditum in obſervatione depoſiti delinquentem, & ſi non corrigat, aliqui teneri de depoſito arbitrantur: quia ex Officio damna ſubditi, & ab ipſo facta tenetur impedire, cum ſit iudex inter partes. Sic Gregor. Lopez *l.3. tit.3. verbo è Religioſo, part.5.* Sanchez *lib.6, cap.14 num.* 33. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 1504. Quamvis alii non improbabiliter teneant oppoſitum: quia ipſi non incumbit damna aliorum, ſed ſubditorum præcavere. Sic Confeſſarius ob eandem rationem, non tenetur reſtituere, ſi omittat pœnitenti imponere obligationem reſtituendi, etiam culpabiliter, ut diximus *tom.3. tractatu* 12. *de reſtit. cap.1. num.* 138. & in præſenti tenet Hoſtienſis & Tabiena, quos refert Palaus *punct.* 13. §. 4. quod ipſe reputat probabile, & Pellizzar. *num.46. verſu: Adverto tertio.*

Monaſterii recipiens depoſitum, tenetur ad reſtitutionẽ, ſi ſuâ culpa pereat.

82. Eccleſia verò, vel Conventus recipiens depoſitum, tenetur ſolvere, ſi culpa eius amittatur (ſed non ſufficit quælibet culpa, ſed debet eſſe lata & gravis, ut diximus *tract.12. cap.1. num.* 30.) quia ius permittens Eccleſiæ depoſitum recipere, non extrahit illud à ſua eſſentia & natura: de natura autem & eſſentia depoſiti eſt obligare depoſitarium in ejus obſervatione delinquentem ad ſatisfactionem exhibendam: ergo, &c. Ideoque *cap. gravis, de depoſito*, excuſatur Eccleſia ab obligatione ſolvendi depoſitum; quia non ipſi ſed ſingulari perſonæ commiſſum fuit: in quo ſupponitur, quod ſi ipſi commiſſum eſſet, ad depoſitum ſolvendum teneretur. Atque contra nonnullos oppoſitum opinantes, ita docent Pellizzar. *loco citato, verſu: adverto quarto.* Antonius à Spiritu ſancto *num.* 1501. Sanchez *num.* 35. Palaus *diſp.4. punct.* 13. §. 4. *num.* 6. Qui omnes aſſerunt, quod ſi neceſſarium ſit ad hanc ſatisfactionem exhibendam rem immobilem, vel mobilem pretioſam Monaſterii alienare, poterit abſque ſolemnitatibus juris alienari. Hæc enim ſolum aſſignantur pro alienatione voluntaria & directa, non pro obligatoria, qualis eſt iſta. ¶ Tunc autem cenſetur depoſitum fieri Monaſterio vel Eccleſiæ, & non ſingulari perſonæ quando ex conſenſu Prælati, & Capituli, vel illis ſcientibus, & non contradicentibus cum poſſent, depoſitum à Religioſo accipitur: quia eo ipſo cenſentur depoſitum acceptare. Item ſi fiat apud Sacriſtam, vel alium ad recipienda depoſita aſſignatum, dummodo receptum ſit, ſervatis conditionibus, quibus facultas à Conventu conceſſa eſt. Pellizz. *num.46. fine.* Palaus *n.* 8.

Poſſunt eſſ licentia Prælati, & non aliter eſſe teſtamentarij.

83. Inquires quarto: an Religioſus poſſit eſſe executor teſtamenti, ſive ad cauſas profanas, ſive pias? Ad hoc jam diximus *tom.3. tract.14. de contract. cap.5. punct.* 12. *à num.* 153. ubi aſſeruimus non poſſe niſi de licentia ſui Prælati, & peccare mortaliter oppoſitum facientes: quia ita habetur *cap. Religioſus 2. de teſtam. in 6. & Clement. unica, de teſtam.* Poſita verò huiuſmodi licentia, poterit, ſive in cauſis prophanis, ſive piis (imò ſatis piæ cauſa judicatur executio ultimæ voluntatis defuncti) minimè tamen requiritur ut Monaſterii utilitas intercedat: quia in prædictis textibus ſola licentia poſtulatur. Sanch. *lib.6. cap.18. num.* 2. Lezan. *tom.1. cap.9. num.* 9. Palaus *diſp.4. punct.* 13. §. 1. *num.* 1. Imò apud omnes ſufficit tacita licentia, cum textus non dicant expreſſam eſſe neceſſariam. Sed ab hac regula generali, quod Religioſi de licentia Prælatorum poſſunt eſſe teſtamentarii, ibi excepimus Franciſcanos, quibus in jure prohibitum eſt, eſſe executores teſtamentorum etiam de prælatorum licentia: ita enim habetur, *Clem. exivi, §. proinde cum vir ſanctus de verb. ſign.* Rodrig. *qq. Reg. tom.3 q.70. art.2.* Sanch. *num.* 17. Lezan. *num.* 9. Pellizzar. *tract.6. cap.12. num.* 24.

Quis Prælatus poſſit licentiã præ-

84. Quod diximus de licentia requiſita ut Religioſi munus teſtamentariorum ſuſcipiant, extendendum eſt ad quamcunque ultimam

bere ut Religioſus fiat teſtamentarius.

voluntatem, ut ſunt Codicilli, donationes cauſa mortis, quarum executio abſque dicta licentia Religioſis prohibetur, *cap. Religioſus de teſtam. in 6.* Pelliz. *num.* 24. Ant. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1468. Palaus *punct.* 13. §. 1. *num.* 1. Dicaſtill. *de iuſt. lib.* 1. *tract.* 10. *diſputat.* 3. *dub.* 10. *num.* 109. ¶ Hanc licentiam ex iure communi poteſt immediatus Prælatus concedere; quia verè eſt Prælatus, & in iure ſola exigitur licentia Prælati; at ex particularibus aliquarum Religionum conſtitutionibus conceſſio talis licentiæ reſervatur Generali, ut in noſtra Congregatione, quod habetur 3. *part. conſtit. cap.* 13. *num.* 5. Et de ſua teſtatur Sanch. *num.* 18. Palaus *num.* 3. Pellizzar. *num.* 26. Sed non ob id peccabit mortaliter Religioſus noſter, vel Societatis, ſi de licentia Prælati immediati munus teſtamentarii ſuſcipiat, non obtenta ad id licentia Generalis: quia ſecundum ius commune ſola licentia Prælati immediati ſufficit. Quod autem conſtitutio licentiam Generalis exigat, ſolum facit, ut abſque illa id munus ſubeuntes contra illam conſtitutionem delinquant, quæ non obligat ſub mortali. Lugo Card. *de iuſt. diſp.* 24. *num.* 316. Pellizzar. *num.* 26. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 1471. Imò neque contra talem conſtitutionem faceret qui tale acceptaret munus cum hac conditione: ſi Generalis conſentiat, vel de illius præſumpta voluntate: quia ſufficit in præſenti tacita vel præſumpta licentia, & non requiritur expreſſa. Sylveſt. *teſtamentum quæſt.* 2. *dict.* 3. Sanch. *num.* 11. & *lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 8. *fin.* Lezan. *num.* 1. Pellizzar. *num.* 29. Ant. à Spir. ſancto *num.* 1472. & omnes advertunt Prælatum qui hanc licentiam concedere poteſt, poſſe eam ſibi accipere, ne ſit deterioris conditionis, ac alii.

Licet ſit illicita executio teſtamenti ſine licentia Prælati facta, eſt valida.

85. An verò teneantur Religioſi rationem reddere Epiſcopis de executione teſtamentorum ab ipſis ſuſcepta? egimus *tom.* 3. *tract.* 14. *de contract. cap.* 5. *punct.* 12. *à num.* 161. relatis duabus opinionibus, & iudicium circa illas ſuſpendentes, & alia huic pertinentia ibidem tractavimus. Modò advertimus quod licet ſit illicita exequutio teſtamenti à regularibus facta ſine licentia, eſt tamen valida: nam clauſula: *non poteſt*, quæ in textu prohibente hoc reperitur, licet inducat nullitatem actus quando ponitur ob vitium & defectum perſonæ, non verò quando ponitur ob honeſtatem perſonæ & decentiam ſtatus, ut in præſenti reperitur. Et ita tradunt Lezan. *tom.* 3 *verbo clauſura n.* 47. & *tom.* 4. *verbo teſtamentum num.* 4. Lugo Card. *de iuſt. diſp.* 24. *num* 317. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 13. §. 1. *n.* 3. Azor *tom* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 1. Sanch. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 44. Pellizzar. *num.* 18.

Poteſt Religioſus ſine licentia eligi à teſtatore Commiſſarius ad condendum teſtamentum.

86. Denique inquires: an Religioſus abſque licentia Prælati poſſit licitè eligi à teſtatore ut Commiſſarius ad condendum teſtamentum, eligendos executores, nominandaſque perſonas, quibus legata diſtribuenda ſunt, aliaque exequenda munera propria Commiſſarii, de quibus egimus *tom.* 3. *tract.* 14. *de contract. cap.* 5. *punct.* 10. Vbi egimus etiam de his ad quæ talis commiſſio extendi poteſt, & de requiſitis ad talem commiſſionem concedendam? Negant aliqui Religioſos ſine licentia Prælati poſſe licitè fieri Commiſſarios ad condenda teſtamenta, & Franciſcanos ullo modo, etiam de licentia Prælati, ſicut diximus de teſtamentariis. Exiſtimant enim textus prohibentes Religioſos eſſe executores teſtamentorum, extendendos eſſe, ut etiam fieri Commiſſarios prohibeant: quia idem primum interdicunt, ne litigiis Religioſi involvantur, aut curis ſæcularibus implicentur: quæ ratio æque videtur procedere in Officio Commiſſarii. Sic Sanch. *lib.* 6. *Summ. cap.* 11. *num.* 48. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 29. Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 4. *l.* 5. *gloſ.* 8. *fine.* ¶ Sed immerito: quia nullum ius invenitur prohibens Religioſos fieri Commiſſarios ad condenda teſtamenta, textus namque qui ſolent afferri in contrarium, loquuntur dumtaxat de executionibus teſtamentorum. Quæ leges cum ſint odioſæ, utpotè prohibitivæ, non ſunt extendendæ ultra id quod expreſsè habent. Et eſt diſpar ratio de executore, ac Commiſſario: ideo enim prohibita fuit executio, ne Religioſus pecunias contrectaret, ne litigia haberet in bonorum diſtributione, ne obligaretur iudicio ſtare ad reddendam rationem exequutionis, quæ omnia, ut conſtat, in teſtamento condendo nullo modo procedunt. Quare poſſe licitè Religioſum, etiam Franciſcanum, non obtenta Superioris licentia (niſi ubi datur lex vel ſtatutum contrarium) eligi à teſtatore in commiſſarium, docent Dicaſtill. *de iuſt. tract.* 59. *diſputatione* 3. *dub.* 11. *num.* 174. Antonius à Spiritu ſancto *tractatu* 3. *diſputatione* 6. *num.* 1480. Palaus *tractatu* 16. *diſputatione* 4. *punct.* 13. §. 1. *num.* 10.

PVNCTVM IV.

De obligatione quam habent regulares celebrandi Miſſæ Sacrificium, & de loco & tempore quo celebrare poſſunt.

87. OMNINO Prælati regulares tenentur adhibere curam, ut in ſuis Monaſteriis, ſaltem unum ſacrum in Eccleſia celebretur ſingulis diebus: ut colligitur *ex cap. cum creatura de celebrat. Miſſar.* & tenent omnes DD. quorum aliqui excuſant à mortali Prælatum, qui uno vel altero die ſacrum abſque legitima cauſa omitti permitteret, ut Sotus Victoria, Suar. quos dedimus *tom.* 5. *huius Curſus, tr.* 5. *de Miſſæ Sacrificio cap.* 5. *n.* 45. Alii verò id non admittunt, ut Coninchus *quæſt.* 83. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 203. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 5. Anton. à Spiritu ſancto *in direct. reg. tractat.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1664. Alii verò melius ad id expectandam eſſe cenſent conſuetudinem: ſi enim illa firmatum eſſet, ut quotidie ſacrum celebraretur, eſſet lethale id omittere, ſecus verò, ſi talis non vigeat conſuetudo, ut ibidem reſolvimus, & tenet Palaus *tractat.* 22. *diſp. unica, punct.* 22. *num.* 3. ¶ Pro tali autem Miſſa, etiamſi Conventualis ſit, poteſt Prælatus accipere ſtipendium, vel eam pro quibus voluerit applicare, niſi lex aut conſuetudo detur in contrarium, etiamſi ſit ſolemnis diei feſtivi: quia non datur divinum præceptum, aut poſitivum in contrarium, Peyrin. *tom.* 3. *privil. c.* 1. *num.* 20. Leo *de Officio Capell. quæſtione* 8. *ſect.* 8. *num.* 288. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 1665. Nec eſt neceſſarium quod talis Miſſa cum cantu celebretur: quia nullibi de hoc præceptum invenitur. Peyrin. *num.* 20. Gavant. *in Rubric. Miſſalis part.* 1. *tit.* 11. *num.* 4. ¶ Imò ſecluſo ſcandalo, & ubi non datur ſtatutum circa hoc

Miſſa in qua debet quotidie in Conventibus celebrari.

obligans

obligans ſub mortali, non erit peccatum mortale, Miſſam non canere diebus feſtivis: quia Religioſi dumtaxat ex regula, aut conſtitutionibus ad id obligant, non ex vi alicuius Canonis, aut conſuetudinis Peyrin. *num.* 10. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſol.* 8. Pelliazar. *tract.* 5. *cap.* 9. *n.* 3. Tambur. *tom.* 2. *diſp.* 5. *quaſt.* 9. *num.* 15. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 13. *difficult.* 2. *num.* 7. Gavantus *loco citato.*

Quando Religioſi Miſſam dicere tenentur & pro quo applicare.

88. Quamvis Sacerdotes ſæculares per totum annum à dicenda Miſſa abſtinentes, ſi abſque ſcandalo id faciant, ut aliqui probabiliter docent, non peccent mortaliter, & ut nos diximus *tract.* 5. *de ſacrificio Miſſæ cap.* 5. *n.* 42. id de regularibus minimè eſt aſſerendum; ſed dicendum eſt peccare mortaliter, ſi per annum celebrationem ſacri prætermittant: tum, quia ad perfectionem tendere ratione ſtatus obligantur, & ſic medium apponere ad talem finem conſequendum adeo proportionatum; tum etiam, quia ſine magno ſcandalo id fieri nunquam poteſt. Lezana *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 1. Pelliz. *tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 3. Nullus tamen tenetur quotidie celebrare, niſi à conſtitutionibus propriis ad id obligetur (ut certè obligantur noſtri Religioſi ſingulis diebus, ſub pœna jejunii in pane & aqua celebrare, ut habetur in noſtris conſtitutionibus 1. *p. cap.* 4. *num.* 5.) vel niſi ſit dies feſtus ad adimplendum præceptum, quia alias non eſt Sacerdos à quo Miſſam audire queat. ¶ Neque etiam ſub mortali tenentur Miſſam applicare pro intentione Prælati, niſi de hoc fuerit ſpeciale mandatum, vel conſtitutio, ut eſt apud nos 1. *p. cap.* 10. *num.* 7. Diebus autem quibus non tenentur pro Conventu, vel intentione Prælati celebrare, poſſunt ſacrificia pro aliis etiam extraneis offerre ſine præjudicio voti paupertatis, quamvis ipſos ſtipendia pro Miſſis accipere non ignorent, ut diximus *tom.* 1. *tract.* 12. *de dominio cap.* 2. *punct.* 12. §. 4. An verò ſi promittant alicui unam vel alteram Miſſam pro eo applicare, & prætermittant, peccent mortaliter? Iam negativè reſponſum eſt à nobis, etiam ſi ab eo ſtipendium recipiant, *tom.* 1. *cap.* 5. *tract.* 5. *num* 39. & tenent Fagundez *præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *c.* 1. *n.* 28. & *cap.* 8. *num.* 11. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 5. *num.* 25. Pellizzar. *tract.* 5. *c.* 9. *num.* 20. & aliis relatis Diana 2. *p. tract.* 17 *reſol.* 9. & 10. *p. tract.* 15. *reſol.* 43. ¶ Qui verò omittunt offerre Miſſas pro Defunctis ſui Ordinis, ſecundum regulam, vel ſtatutum Religionis, quæ non obligant ſub mortali reprehenſibiles quidem ſunt, & digni ut pro eis non applicentur poſt mortem, Deo id permittente in pœnam ſuæ omiſſionis, non tamen mortaliter delinquunt: quia talis obligatio ſolum ex illa lege, vel ſtatuto habetur, quæ ſub mortali non adſtringunt. Pellizaar. *num.* 12. Ant. à Spir. S. *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1663. Qui idem dicunt ob eandem rationem de Prælato qui omitteret Miſſas applicare quas jubet conſtitutio pro Defunctis, vel aliquibus neceſſitatibus abſque ſtipendio offerri, ut Miſſæ ſolemnes B. Mariæ in Sabatis, Miſſæ ternariorum, & Feriæ ſecundæ.

Si Religioſus contra voluntatem Prælati applicet Miſſam, tenet illius applicatio.

89. Sed rogabis primò: an ſi Sacerdos regularis, qui vel ex mandato Superioris, vel ex conſtitutionibus tenetur Miſſas pro intentione Prælati applicare non applicet illas pro intentione Prælati, ſed pro aliis, vel gratioſè, vel ſtipendio ab eis accepto, valeat nihilominus applicatio Prælati, non ſubditi, & ſacrificium proſit illis pro quibus Prælatus, non pro quibus Religioſus applicavit? Affirmat prima ſententia applicationem fructus ſacrificii non pendere ex intentione offerentis, ſed illius cui eius ſubditur voluntas, ideoque in illo caſu tenere applicationem Prælati, quemadmodum ſi Religioſus ex oblivione naturali non applicet ſacrificium pro aliqua intentione, etiam Prælati, ſi iſte illud pro aliquo applicaret, illi proficeret à quo juſtè poſſet ſtipendium accipere. Quæ ſententia eſt ſatis probabilis, ut inquit Diana 2. *part. tract.* 14. *reſol.* 72. quam tenent Ioannes Baptiſta Confectius *in compend. privil. mend. tit.* 19. *cap.* 3. *ad fin.* Ang. Barboſ. *de Officio & poteſt. Epiſcopi alleg.* 24. *num.* 28. Philibertus Marchina *tract.* 3. *de ord. part.* 2. *c.* 33. *num.* 3. Cordub. *in quæſtion. lib.* 1. *quaſt.* 3. *notab.* 5. Fraxinel. *in tract. de oblig. Sacerd. ſect.* 6 §. 7. *num.* 1. Honcala *de valore Miſſæ art.* 10. Gavant. *comment. in rubr. Miſſal. part.* 3. *tit.* 12. *num.* 28. ¶ Eſt tamen probabilior ſententia aſſerens tenere ſubditi applicationem, prodeſſeque ſacrificium illi pro quo ipſe immolavit: ac proinde quod ſi Sacerdos nullam faceret applicationem pro intentione Prælati, huius applicatio nullum ſortiretur effectum, quia Sacerdos, non Prælatus, eſt miniſter Sacrificii, & non minus ſubditus Sacerdos eſt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in confectione Sacramentorum, quam in applicatione ſacrificii Miſſæ; ſed ſi Hoſtiam conſecraret, vel aliquem abſolveret, aut baptizaret, contra Prælati voluntatem, proculdubio huiuſmodi Sacramenta eſſent valida: ergo etiam applicatio ſacrificii erit valida ad mentem ſubditi, tametſi diſcordantis à voluntate ſui Prælati. Sic N. Antonius à Spiritu Sancto *in direct. regul. tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1658. Leaan. *tom.* 1. *c.* 4. *num.* 35. Henr. *lib.* 9. *c.* 11. *num.* 6. Fagund. *tract.* 1. *lib.* 3. *c.* 10. *n.* 4. Villalob. *part.* 1. *tract.* 8. *dub.* 10. *num.* 2. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 79. *ſect.* 9. Ledeſm. 1. *part. Summ. de Euchariſt. cap.* 18. *concluſ.* 18. Tambur. *de iur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 5. *quaſt.* 8. *num.* 2. Peyrin. *de ſubd. q.* 1. *cap.* 6. §. *unico.* Peccabit tamen ſubditus, ſi contra præceptum Prælati id efficiat, graviter, vel leviter, iuxta obligationem mandati, & tenebitur ſupplere talia ſacrificia, ſi alias præceſſerit acceptatio ſtipendii, vel obligatio ex legato.

Non requiritur actualis voluntas applicandi ſacrificium, ſed ſufficit habitualis.

90. Rogabis ſecundò: an Sacerdos regularis, vel quilibet alius debeat applicare actualiter, vel virtualiter valorem Miſſæ pro eis, pro quibus tenetur celebrare? Affirmat prima ſententia debere fieri applicationem actualiter vel virtualiter, tempore eiuſdem ſacrificii, & ut proſit illi pro quo applicatur debere talem applicationem à voluntate offerentis proximè vel remotè procedere, & ſic eodem modo philoſophatur de applicatione, ac de intentione conficiendi Sacramentum, proindeque aſſerit, quod ſi Sacerdos qui præterita die applicavit Miſſam pro Petro v. g. vel pro intentione Prælati, poſtea Miſſam celebrando nihil de applicatione Miſſæ cogitet, voluntas illa non proderit ei pro quo applicatur, niſi vel in *Memento*, vel proximè ante Miſſam renovetur. Sic Fraxinell. *de oblig. Sacerd. quaſt.* 4. *concl.* 4. §. 7. *num.* 1. Vaaq. *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 138. *c.* 6. *n.* 76. Berard. *in Summ. corona part.* 4. *cap.* 5. *num.* 3.

91. Nihilominus dicendum eſt ſufficere intentioně habitualem, in qua quis poſtquam habuit voluntatem heſterna die ex tunc applicandi ſacrificium pro aliquo, in ea perſeverat, quam ante applicationem ſeu oblationem non retractaverit, eſto quod talis voluntas nec virtualiter duret,

quare non requiritur nec actualis, nec virtualis intentio applicationis fructus ſacrificii, ſicut requiritur ad conficiendum Sacramentum: & ratio diſparitatis eſt, quia voluntas applicandi ſacrificium non concurrit effectivè ad illud, cùm fieri poſſit ſacrificium abſque applicatione: at vero voluntas, ſeu intentio conficiendi Sacramentum concurrit, & cooperatur ad ipſum Sacramentum, ad quod requiritur quod actualiter, vel virtualiter exiſtat quando conficitur Sacramentum. Sic Suarez *tom.3. in 3.p.diſp.13. ſect.5. concl.2.* Bonac, *de Sacram. diſput.1.quæſt.3. punct.2. §.3. num.13.* Gaſp. Hurtado & Molfeſius quos refert & ſequitur Diana 2 *p. tract.14. reſol.47.*

Duabus horis ante ortum ſolis etiam præciſo privilegio poſſe Miſſam celebrari.

92. Veniamus modò ad videndum tempus & locum quibus regulares poſſint celebrare. Circa quod jam diximus *tract.5. de ſacrif. cap.4.* quo tempore, ex jure communi, debeant ſacerdotes omnes ſacrificare, præciſis privilegiis, nimirum ab aurora uſque ad meridiem ut conſtat ex praxi, & conſuetudine Eccleſiæ, & ex Rubricis Miſſalis §.15.*n.1.* ibi. *Quacumque hora ab aurora uſque ad Meridiem dici poteſt.* Quod præceptum diximus obligare ſub mortali, ſi notabiliter ſine cauſa, privilegio, aut conſuetudine anteponatur, vel poſtponatur, qualem conſuetudinem, nimirum celebrandi tribus, vel quatuor horis ante ſolis ortum hyemis tempore eſſe in Gallia, Germania, & Belgio diximus *n.29.* & tenent Navar. *c.13. num.85.* Coninch. *q.83. art.2.dub.3.* Fagundez *præcept.1.lib.3.c.71. num.13.* Laym. *lib.5. tract.5. cap.4. num.3.* Sed in nocte Nativitatis poſſe proximè poſt mediam noctem ſacerdotes omnes tres miſſas celebrare *num.30.* probavimus. Et tenet pluribus citatis Diana *p.4. tract.4. reſol.236.* & *part.2. tract.14. reſol.33.* ¶ Addimus quod propter cauſam legitimam, ut cauſa celebrandi die feſto, quando quis iter agit, poteſt paululum ante auroram, etiam, præciſo privilegio, & poſt meridiem, miſſam dicere, & quia totum tempus crepuſculi (quod excepto menſe Martij per horam & dimidiam durat) auroræ tribuitur, toto eo poteſt miſſa dici. Etiam ſine ullo privilegio licitum eſſe ſemihora ante auroram, nimirum duabus, horis ante ortum ſolis celebrare tenent Sotus *in 4. diſt.13. quæſ.2. art.2. ad 4. §. privilegium autem.* Suarez *3.p q.83. diſp.80. ſect.4.* Lugo de Euchar. *diſp.20. ſect.1. à n.31.* Ioan. de la Cruz *de ſacrif. Miſſa quæſ.1. dub.1. concl.4.* Hieronym. Gar. *in ſum. tract.3. diff.8. dub.1. n.6.* Rodrig. *in ſum. cap.47. n.1.* Moure *3.p. cap.3. §.14. n.3.* & alij quos refert & ſequitur Diana *p.2. tract.14. reſol.33.* & *p.4. tract.4 reſol.236.* & *p.9. tract.1. reſol.30.*

Ad dandum viaticũ infirmo poteſt miſſa dici immediatè poſt mediã noctem, & tribus horis poſt meridiem.

93. An verò quilibet ſacerdos poſſit ſtatim poſt mediam noctem celebrare, ad dandum viaticum infirmo? Affirmativè reſpondendum eſt, quidquid aliqui dicant in oppoſitum. Quia majoris eſt momenti viatico ſuccurrere ægroto, quam ſtatim poſt mediam noctem celebrare, cum ſit ſolum jure vel ſcripto, vel conſuetudine prohibitum; illud jure divino imperatum. Palaus *tract.22 diſp.11. §.7. n.13.* Magiſter Ioan. Martinez à Prado *3. part. quæſ.83. dub.16. n.13.* Raphaël de Averſa *de ſacrif. Miſſæ quæſt.11. ſect.15.* deinde Martinus à ſancto Ioſeph *tr.14. de Miſſa n.13.* Lugo *de Euchar. diſp.2. num.26.* Diana *p.2. tract.14 reſol.33.* Vaſquez *diſp.232. n.30.* & alij, qui addunt poſſe etiam poſt meridiem per tres horas ad idem effectum dandi infirmo viaticum, celebrare, ob eandem rationem. Et etiam dicunt quod, hoc præciſo caſu, & quocumque privilegio, conſuetudine eſſe receptum, ut quando miſſa ſolemnis inchoata ante meridiem durat poſt illum, etiam uſque ad nonam (id eſt tres horas poſt meridiem) poſſet privata tunc incipi. Quod etiam tenet Narbona *tom.2. hora 7. n.14.* & iterum Diana *part.10. tract.12. reſol.26.* ¶ In funere autem Regis, vel Principis poteſt incipi miſſa & protrahi uſque ad veſperam, quod vidimus Salmanticæ practicari in funere Regum, in quo finita fuit miſſa quinta, vel ſexta hora poſt meridiem. Henriquez *lib.9. cap.24. n.6.* Fagundez *præcept.1. lib.2. c.17. num.19.* Leander *tract.8. de ſacrif. Miſſa diſp.6. quæſ.13.* Qui id ipſum indicat quando Epiſcopus ſacros celebrat ordines, quod licitum eſt incipere Miſſam poſt veſperam aut nonam, ſi actus ordinationis ante meridiem eſt cœptus, ut diximus *n.41.* & tenet D. Thom. *3.p. q.83. art.2. ad 3.* & adhuc præciſis his caſibus, & privilegio, non eſſe illicitum inchoare miſſam una integra hora poſt meridiem: quia ſic habet praxis, & uſus communis clericorum. Docet Bonac. *de Euchar. diſp.4. quæſt. ult. punct.9. num.6.* Narbona *loc. cit. à n.6.* Navarro *in Manual. c.25. n.85.* Dicaſtillo *de Euchar. tract.25. diſp.4. dub.5. n.78.* Prado *3.p. quæſ.83. dub.16. num.18.* Serra *ibi, art.2. §. poſt meridiem.* Leander *quæſt.11.* Diana *2. part tract.14 reſol.34.* & *10. p. tract.22. reſolutione 27.*

In funere Regum poteſt hora quarta & quinta Veſpertina Miſſa celebrari.

Poſſunt regulares per tres horas ante ortum ſolis; Imò; duabus horis poſt mediã noctem celebrare.

94. Videamus modo an religioſi ex vi ſuorum privilegiorum poſſint per tres horas ante ortum ſolis celebrare? Ad quod affirmativè reſpondemus: Nam Greg. XIII. *Bulla 22.* Ieſuitis indulſit ut celebrare poſſent per horam ante auroram, ut refert Peyrin. *de privilegiis ad conſtitutionem Pyrrhi, n.20.* & pluribus citatis Diana *10. p. tract.12. reſol 248.* ſed abſque privilegio poterant ſemihora ante auroram, & ſic per duas horas ante ortum ſolis ut diximus: ergo addita una hora ex privilegio poterunt per tres horas. Sic Narbona *tom.2. de horografia juris hor.2. num.2.* Rodrig. *quæſt. regul. tom.1. quæſt.42. art.2.* Suarez *diſput.80. ſect.4. concluſ.3. excepto.* Lugo *de Euchar. diſp.20. n.33.* Antonius à Spiritu ſancto *tract.1. diſp.2. n.185.* Peyrino & Diana *locis citatis*, & iterum Diana *p.2. tract.14. reſolut.33.* & *p.10. tract.12. reſolut.26.* Leander *tract.8. diſp.6. quæſt.3.* ¶ Immò poſſunt religioſi ex juſta cauſa immediatè poſt duas horas poſt mediam noctem, miſſam dicere; ſic enim conceſſit Alexander VI. Conventui de Monte Serrato Ordinis S. Benedicti. Et Clemens VIII. extendit ad totam Benedictinorum familiam, quo perfruuntur alij religioſi qui communicant cum eis in privilegiis, ut diximus, *tract.5. cap.4. n.41.* Quæ privilegia non eſſe revocata à Trident. *ſeſſ.22. decret. de evitand. in celebrat. Miſſar.* docet Rodrig. *tom.1. quæſt. regul. q.43. art.5.* Lugo *num.27.* Antonius à Spiritu ſancto *n.183.* Narbona *n.2.* Leander *quæſt.4.* Ioan. de la Cruz *1. p. de ſacrif. Miſſ. quæſt.2. dub.1.* Gonel.3. & alij quos refert, & ſequitur Diana *2. p. tract.14. reſol.33.* & *10. part. tract.12. reſol.15.* Qui advertunt talem facultatem non eſſe abſolutam, ſed limitatam, nempe ad celebrandum in Eccleſiis ſuorum Monaſteriorum non extra. Quod privilegium extenditur etiam ad clericos ſæculares celebrantes in Eccleſiis regularium.

Poſt tres horas poſt

95. An vero Religioſi ex vi ſuorum privilegiorum poſſint differre inceptionem Miſſæ uſque

meridiem poſſunt regulares Miſſam dicere.

que ad Nonam, id eſt tres horas poſt meridiem N[illegible]ant aliqui arbitrantes pri[illegible]il[illegible]ia circa hoc [illegible]is conceſſa ab Eugeni[illegible] IV. revocata fuiſſe à Pio V. anno 1566. in Bulla incipiente: *Amantiſſimus in Chriſto pater.* Sic Henriquez *lib 9. cap. 24. num. 6. litt. T.* Azor *tom. 1. lib. 10. cap. 25. quæſ. 3.* Fagundez *præcep. 1. lib. 3. cap. 17. num. 5.* Marcus de los Huertos *de Sacrif. Miſſ. quæſ. 13. fol. 153.* Lezan. *tom. 1. cap. 10. num. 2.* ubi talia privilegia revocata eſſe per declarationem Sacræ Congregat. Cardinalium dicit. ¶ Alii verò aſſerunt non conſtare authenticè, nec de hac declaratione, nec de illa revocatione Pii V. quoniam ipſe ſolum loquitur de Miſſis celebratis, *de ſero, etiam forſan circa ſolis occaſum*, ideoque ſtandum eſſe privilegio Eug. IV. Bulla 2. conceſſum Benedictinis. (Quod etiam idem Pontifex conceſſit prædicatoribus anno 1436. in Bulla incipiente, *Et ſiquiſlibet*) concedenti itinerantibus, aut alia ex iuſta cauſa ut poſſint differre Sacrificium uſque ad horam Nonam incluſivè, hoc eſt, poſt tres horas poſt meridiem. De quo D. Thom. *3. part. quæſt. 83. art. 2. ad 3.* Sic tenent Raphaël de Averſa *de Euchar. quæſt. 11. ſect. 5.* Ioannes de la Cruz *lib. 2. cap. 5. dub. 5. concl. 2.* Dicaſtillo *de Euchar. diſp. 4. tract. 5. dub. 4. num. 58. & dub. 5. num. 74.* Narbona *hor. 7. num. 9.* Lugo *diſp. 20. num. 41.* Leander *tract. 8. diſp. 6. quæſt. 10.* Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract. 2. diſputat. 2. num. 186.* Diana *part. 2. tract. 14 reſol. 34. & p. 10. tract. 15. reſol. 27.* Qui notat ſufficere quamcunque cauſam, etiam ſi non ſit maxima, ut ſi propter invalitudinem citius non poteſt è lecto ſurgere, vel ſi inceptam Confeſſionem habeat, qua fortè duret uſque ad illam horam, vel ſi neceſſitatem ſtudendi habens uſque ad illud tempus.

Quo loco iure communi poſſit Miſſa celebrari.

96. Et quantum attinet ad locum ubi Miſſa celebranda eſt præciſo privilegio, & ex iure communi egimus *tract. 5. cit. de Sacrif. Miſſa cap. 4.* Quamvis enim ex jure antiquo Miſſæ celebrari non poſſent, niſi in Eccleſiis conſecratis ab Epiſcopo vel ſaltem ab eo Benedictis: ut docet D. Thom. *3. part. quæſt. 83. art. 3. ad 1. & 2. ex cap. nullus Presbyter 1. cap. nemo de conſecrat. diſtinct. 1.* modo tamen poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. decret.* de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ, non requiritur eſſe locum conſecratum, aut benedictum, ſed ſufficit eſſe deputatum vel deſignatum ab Epiſcopo, & ſic in Rubricis Miſſalis *tit. 10. num. 1.* unus ex defectibus aſſignatur: *Si celebrans in loco non conſecrato vel non deputato ab Epiſcopo.* Quare modo extra caſum neceſſitatis, & ſine privilegio celebrare Miſſam extra locum ſacrum, vel non deputatum ab Epiſcopo erit peccatum mortale: Cum ſit contra communem uſum Eccleſiæ in re graviſſima. Martinus à ſancto Ioſeph *lib. 1. tract. 14. de Euchar. num. 6.* Martinez à Prado *3. part. quæſt. 83. dub. 17. num. 6.* Serra *ibi art. 3. concl. 1.* Huño *ibi dub. 1.* Ledeſma *de Euch. cap. 20. concl. 1. diffic. 1.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegatione 23. num. 2.* Diana *part. 2. tractat. 14. reſol. 38.* Quamvis Soto *in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 3.* Sà *verbo Miſſa, num. 20.* Ludovicus Lopez *tom. 2. in fruct. Conſcien. c. 16. fol. 300.* aſſerant non eſſe peccatum mortale, ſi nullus intervenit contemptus vel ſcandalum, & quamcunque honeſtam neceſſitatem excuſare, ſi debita ſervetur reverentia. Cæterum ex juſta cauſa vel gravi neceſſitate extra Eccleſiam, erecto altari cum ara, poſſe licitè celebrari omnes ferè aſſerunt *ex cap. concedimus, cap. ſi. ut de conſecrat. diſtinct. 1.* uti in Oratorio non deputato ad communicandum infirmum ſi aliquis peregrinetur, & ſic Miſſam omittere cogatur, ſi Eccleſia ſit diruta, & quæ populum non capit, ſi populus magnus ad Eremitam in campum conflueret, quod omnes capere non poſſet. Poſſet in campo altare decenter erigi, ut omnes Miſſam audiant, & in caſtris pro militibus, in littore pro navigantibus, modo conſecretur in ara conſecrata, ſeu altari portatili. Lugo *diſp. 20. num. 48.* Martinus à ſancto Ioſepho *num. 6.* Villalob. *tract. 8. diſt. 13. num. 5.* Henriquez *lib 9. cap. 23. num. 1.* Leand. *tract. 8. diſp. 7. quæſt. 16.* An vero & quomodo poſſit ſupra Mare, vel magna flumina Miſſa celebrari ſi cum debita decentia fiat, & abſque periculo effuſionis ſanguinis jam diximus *tract. 5. cap. 4. num. 66.* Videatur Lugo *diſp. 20. ſect. 3. num 80.* Angelus Maria Vercecelli *de Apoſtolicis Miſſionibus tit. 8. quæſt. 133. & 134.* Prado *3. part. quæſt. 83. dub. 17. num. 13.* Philibert. *tract. 3. part. 3. cap 9. fine.*

Quo loco ex privilegio poſſunt regulares celebrare?

97. Hæc de jure communi diximus & præciſis privilegiis. Verum Sixtus IV. *in mari magno* Prædicatoribus abſolutè concedit, *ut in locis in quibus degitis liceat vobis habere Oratoria in quibus cum Altari portatili poſſitis Miſſarum ſolemnia celebrare.* Alexander VI. in Bulla incipiente, *Romanus Pontifex* anno 1498. apud Roder. *in Bullar. fol. 553.* *Quod in ipſis grangiis, & locis ubi non ſunt Capellæ, ſeu Eccleſiæ, aliquas Cappellas, ſeu Oratoria vel Altaria, in quibus Miſſæ ſine alicuius præiudicio celebrari poſſint conſtruendi & ædificandi concedimus facultatem, Diœceſani loci licentia, vel alterius ſuper hoc minime requiſita.* Alia Bulla Vrbani V. pro altari portatili in grangiis Carthuſianorum habetur *tom. 2. Bullar. conſtitutione 2. Vrbani VIII.* & alia privilegia Sixti V. Iulii II. & Innocentii IV. refert Ioannes à Cruce *lib. 2. c. 5. tit. 7. concluſ. 21.* qui cum Rodriguez quos ſequitur Lezana *tom. 3. verbo Altare num. 14.* Martinez à Prado *3. part. quæſt. 83. dub. 17. num. 23.* advertunt valere hæc privilegia poſt Tridentinum etiam in caſu quo Epiſcopus repugnet, de quo infra: quia Concilium ſolum concedit ipſis, ut prohibere poſſint regularibus, celebrare in privatis domibus, aut omnino extra Eccleſiam: hæ verò grangiæ ſunt bona Eccleſiæ, & partes ipſius. Idem tenet Peyrin. *tom. 1. privileg. ad conſtit. Pyrrhi num. 31.* Vercecelli *de Apoſtolicis Miſſion. tit. 8. quæſt. 135. num. 6.* Hieron. Garcia *tract. 3. diff. 8 dub. 2. num. 33.* Diana *part. 6. tract. 8. reſol. 39. & part. 9. tract. 1. reſol. 33.* Qui addunt in dictis Oratoriis poſſe etiam celebrare Sacerdotes ſæculares, & ſatisfacere præcepto omnes qui ibi Miſſam audiunt.

Alia privilegia ad argentum.

98. Inſuper Pius IV. anno 1565. conceſſit Canonicis S. Salvatoris, & conſequenter cæteris Religionibus communicantibus cum eis in privilegiis, ut Religioſi infirmi poſſent celebrare, aut facere celebrare in ſuis cellis, etiam ſi infirmitas non ſit adeo gravis, ſi commodè inde non poſſunt exire. Verrucelli *num. 7.* Dicaſtillo *dub. 6. num. 104.* Lezan. *verbo Altare n. 15.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 26.* Diana *6. part. tract. 8. reſol. 39.* Quintanadueñas *tom. 1. tract. 7. ſingular. 34. n. 7.* Paſqualigus *deciſ. 176.* ubi extendit illud ad Moniales. Quòd privile-

 gium

gium valet etiam ſi Epiſcopus contradicat, quia poſt Concilium Tridentinum conceſſum fuit iſtud privilegium, ut diximus loco citato *n.62.* Et tenent Diana, Lezana, Dicaſtillo, & Hieronymus Garcia *n.32.* ¶ Denique Honorius III. conceſſit Prædicatoribus ut ſine Parochialis juris præjudicio, poſſint ubilibet ſive in caſtris, ſive in mercibus, ſive in plateis, ſive in privatis domibus ſæcularium, altaria erigere, & ibi Miſſas celebrare. Quod privilegium in corpore juris eſt inſertum, *cap. in his de privilegiis*; Quod etiam conceſſit Alexander VI. & Sixtus IV. Minoribus, & Urbanus V. & Sixtus IV. Carmelitis, ut teſtatur Lezana *tom. 1. c. 21. n. 14.*

Privilegiū regularibus conceſſum ubilibet celebrandi, nō eſt per Tridentinum revocatum.

99. Difficultas autem eſt inter Doctores, an hæc ultima privilegia revocata ſint per Tridentinum *ſeſſ.22. decret. de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ.* Affirmant plures Doctores: quia ibi præcipitur Epiſcopis, ne patiantur Miſſas celebrari, etiam à regularibus, in domibus privatis, extra Eccleſiam, *non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, & exemptionibus.* Sed verius eſt oppoſitum, ut diximus *tract.9. de ſacrif. Miſſæ cap.4. num.61.* Primò, quia tantum conceditur ordinariis, ut poſſint in foro exteriori cenſuris vel aliis remediis opportunis, impedire ne regulares facultatibus in ipſis privilegiis conceſſis utantur, & ſic non impedientibus Epiſcopis, nec contradicentibus, poſſunt religioſi uti dictis privilegiis. Secundò, quia privilegium Honorij III. continetur in corpore juris, & ſic non videtur derogatum à Tridentino: cum non faciat expreſſam ejus mentionem, uti opus eſt, ad revocationem illius. Proindéque dicta privilegia non eſſe revocata per Tridentinum docent eſſe probabile, Lugo *diſp.20. ſect.2. n.61.* Leander *tract.8. diſput.6. quæſt.17.* Lezana *verb. Altare n.13.* & abſolutè tenent undecim Authores quos refert & ſequitur Verrecelli *de Apoſtol. miſſion. tit.8. quæſ. 134. n.4.* Alios ſequitur & refert Diana *p.3. tract.2. reſol.8.* Et *p.4. tr.4. reſol.106.* & *p.6. tract.8. reſol.29.* Ioannes à Cruce *in epitome de Relig. lib.2. cap.5. §. ſi objicias.* Hemanuel & Hieronymus Rodriguez. Ille *tom.1. quæſt. Regul. q.43. art.5.* & *in ſumm. verb. Miſſa, c.45. num.14.* & iſte *reſol.9. num.4.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib.1. tract.14. de Euchar. num.8.* Antonius à Spiritu ſancto *tract.2. diſput.2. n.8.* Villalob. *tom. 1. tract.8. diff.23. n.7.* Dicaſtillo *tract.5. de Euchar. diſput.4. num.104.* Philibertus *tract.3. part.3. cap.5. num.12.* Ledeſma *de Euchar. cap.20. concluſ.2. diff.4.* & alij. Quamvis uti his privilegiis celebrandi in plateis, vel cameris ſæcularium, niſi in caſu urgentis neceſſitatis, juſtum non erit, & ob id ad tollendos circa hoc abuſus, fortè Concilium dedit facultatem Epiſcopis circa regulares, ut poſſent eis prohibere uſum talium privilegiorum. Cæterùm, quia dictum Concilium ſolum eis concedit, ut non permittant omnino extra Eccleſiam, in domibus privatis celebrare, etiam ipſis repugnantibus, poterunt regulares juxta dicta privilegia celebrare in Eccleſiis violatis, tam ſuorum monaſteriorum quam ſæcularium, itaut in hoc impediri non poſſint, ut tenent Ioannes à Cruce & Antonius à Spiritu ſancto *locis citatis.*

PUNCTUM V.

De prohibitione facta regularibus, quoad multiplex ſtipendium non recipiendum pro eadem Miſſa.

Aliqua iam dicta ſupponuntur.

PLura circa materiam hujus puncti à nobis dicta ſunt *tom.1. hujus curſus tract.5. de ſacrificio Miſſæ cap.5.* Cæterum, quia res adeò gravis eſt, & neceſſaria pro quotidiana praxi, operæpretium duximus, hoc in loco, nonnulla iterum ad examen vocare: & ſic ſuppoſitis his quæ ibidem diximus, quomodo abſque labe uſuræ poſſit accipi ſtipendium pro miſſa, & peti, & circa hoc paciſci: quia non datur in pretium rei ſpiritualis, ſed in ſuſtentationem miniſtri, ob quod etiam à divitibus ſacerdotibus poteſt accipi. Et nomine juſti ſtipendij intelligi quod communi lege ac conſuetudine taxatum eſt, vel quod à viris timoratis ſolet accipi. Modò circa hanc materiam graviores examinabimus difficultates diverſis paragraphis ad evitandam confuſionem & prolixitatem.

---

§. I.

Quid ſacra Congregatio Cardinalium ſub Vrbano VIII. decreverit circa hanc materiam?

Præcipua decreta ſacræ Congregationis recenſentur.

101. SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpres animadvertens facturam ſe Deo rem gratiſſimam, charitatique, ac juſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatageret teterrimum abuſum à Chriſtiana Religione convellere, quo Sacerdotes aliqui ob damnabile lucrum, plures eleemoſynas pro dicendis miſſis accipiebant, quibus ſatisfacere non poterant. *Anno* 1625. authoritate ſibi ſpecialiter attributa à ſanctiſſimo D. N. Vrbano VIII. decretum edidit graviſſimum & ſanctiſſimum (quod utinam ubique ad unguem obſervaretur) cuique titulus eſt, *de celebratione Miſſarum.* In quo plura ſanctiſſimè, ac juſtiſſimè ſancivit: Nam in §. 1. diſtrictè prohibet, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, vel Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera nulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis ad Apoſtolicam ſedem recurratur, quæ rede legentur perſpecta, id ſtatuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Omnino nullas, & inanes decernens quaſcumque reductiones, aut moderationes Miſſarum contra tale decretum impoſterum faciendas. ¶ In §. 2. ſub obteſtatione divini Iudicij mandat, & præcipit, ut ubi pro pluribus Miſſis ejuſdem qualitatis celebrandis, plura ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive à pluribus perſonis collata fuerint, conferentur in futurum: *Tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, itaut alioqui ij ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quin imo graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur.* ¶ In §. 3. revocat privilegia & indulta omnia, quibuſvis

buſvis petionis Eccleſiis, aut locis piis tam ſæcularibus, quam regularibus conceſſa. Quibus indulgetur, ut certarum miſſarum, vel anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſatisfaciunt. ¶ In §. 4. prohibet ſacerdoti qui Miſſam ſuſcipit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem miſſam, alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat, & plura alia ibidem prudentiſſimè decernit, & poſtea difficultatibus, ſeu dubiis occurrentibus, circà tale decretum aliud edidit, quibus plenè ſatisfecit.

Quid ex dictis decretis neceſſario inferatur.

102. Ex quo jam conſtat omninò illicitum eſſe, plura ſtipendia pro ſingulis miſſis dicendis accipere, quod etiam ante decretum jure ipſo omnino, & naturali erat illicitum, ut loco citato *n.* 6. probavimus: & ideo oppoſita aliquorum antiquorum ſententia ut ſingularis & parum tuta, eſt omnino relinquenda, imò rejicienda & condemnanda, ut à ſacra Congregatione condemnatur & rejicitur. Quam falſiſſimam & omni dignam cenſura meritò vocat Villalob. *tom.* 1. *tract.* 8. *diff.* 16. *n.* 1. Et non ſolum falſam, ſed antiquiſſimo uſui Eccleſiæ contrariam, Soto *lib.* 9 *de juſt. quæſt* 2. *art.* 2. §. *Quæſtio præſens.* Nec proderunt circa hoc privilegia à ſede Apoſtolica antiquitus conceſſa: Cum ſacra Congregatio authoritate ſpeciali, ab Urbano VIII. accepta, ea revocet, & extinguat. Conſtat etiam quam falſum ſit, quod Bordon. *tom.* 1. *conſil. reg. conſil.* 25. *n.* 17. dixit poſſe ſacerdotem duplex ſtipendium recipere pro una miſſa, alterum pro applicatione fructus qui tradenti eleemoſynam evenire ſolet: alterum pro applicatione indulgentiæ altaris privilegiati, cui conceſſa ſit liberatio animæ Purgatorij. Hoc enim falſum eſſe ibidem *n.* 23. cum Lezana noſtro probavimus. Quod omninò rejicit Diana 10. *p. tract.* 16. *reſol.* 70. ideò non amplius in ejus impugnatione immorabimur.

Dicta aliquorum Doctorum qui de receptione vel authenticatione dicti decreti dubitant.

103. Nec etiam audiendi ſunt Authores illi qui videntur dubitare vel ad quæſtionem reducere, an hoc decretum ſit authenticum? ſit ſufficienter publicatum? ſit uſu receptum? ſaltem in Hiſpania, vel habeat vim legis ſufficientis ad tollendam probabilitatem opinionum quæ ante illud verſabantur: Uti ſunt Magiſter Seraphinus Freitas Luſitanus *in Bullar. Ordinis B. Mariæ de Mercede, edito Matriti anno* 1636. *in Bulla* 4. *Clem.* 7. *fol.* 164. *in fine*, ubi ait: [Nec obſtat declaratio eminentiſſimorum Cardinalium ſub Urbano VIII. quia non fuit recepta propter prædicta inconvenientia] Caſtro Palao *part.* 6. *tract.* 29. *diſput.* 5. *de cenſuris, punct.* 8. *n.* 15. *in fine* ubi ſic ait [ad extremum alicui non videntur improbabile, hæc ſacræ Congregationis decreta etſi rationi, & æquitati conformia ſint, vim legis ſaltem extra Italiam non habere: quia illis deſunt requiſita publicatio, & communitatis acceptatio, & juriſdictionem à Pontifice in totam Eccleſiam conceſſio, ut indicat Bonac. *diſput.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 11. *in fine.* Quod an verum ſit aliis videndum remitto.] Item habet Gibal. *in ſynopſi cenſurarum tit. Miſſæ fol.* 475. ¶ Andreas Mendo *diſp.* 9. *de ordine militari q.* 5. *n.* 44. ait: [Ubi fuerit acceptatum Urbani decretum non remanet locus huic dubitationi de acceptatione dubitari audivi, ſaltem generali, ſed dum de oppoſito non conſtet, acceptatum fuiſſe eſt tenendum] Enao *de ſacrificio Miſſæ diſput.* 38. *ſect.* 11. *n.* 117. [Num autem alicubi Hiſpaniarum ex integro obſervetur, quod laudè dignum foret, me latet.] Et loquitur de dicto decreto Magiſter Marcus de Serra 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *dub.* 4. *ad* 6. [De qua tamen prohibitione (loquitur de iſta facta à ſacra Congregatione) mihi non conſtat; & multò minus de publicatione talis prohibitionis ſufficiente ad omnes Provincias adſtringendas.] D. D. Fr. Franciſcus Araujo Epiſcopus Segobienſis *in ſuis quæſtionibus variis & ſelectis tract.* 2. *quæſt.* 17. *num.* 16. ibi loquendo de hoc decreto dicit: [Nam in Regnis Hiſpaniæ dubitavi ſemper de ejus acceptatione] Trull. *lib.* 3. *praxis ſacram. cap.* 8. *dub.* 11. *n.* 10. dicit: Et quia non conſtat de eo juridice & authenticè, ut probat quidam Doctor, nec ſic uſu receptum, in hoc & in aliis in dicto decreto contentis, nec executioni mandatum &c.] Et eſſe probabile decretum non eſſe in Hiſpania receptum, ſaltem quod ad totum ait Hieronymus Garcia *tract.* 3. *differ.* 10. *dub.* 2. *n.* 16. & *dub.* 64. *n.* 2. Thomas Hurtado *tom.* 1. *var. reſol. tract.* 12. *c.* 14. *reſol.* 16. *n.* 164. ubi ait: [A multis viris doctis, & religioſis audivi totum hoc decretum non eſſe uſu receptum.] Magiſter Fr. Ioannes Martinez à Prado 3. *p. q.* 83. *dub.* 13. *n.* 21. *in fine*, ſic dicit [declaratione autem in oppoſitum ſolet reſponderi, quod de ea non conſtat authenticè vel quod contraria conſuetudine eſt illi in Hiſpania derogatum.] Bruno Chaſſaing. *part.* 2. *privileg. tract.* 8. *c.* 1. *prop.* 8. & Vercelli *tract.* 2. *quæſt. moral. q.* 6. *n.* 21. apud Dianam *p.* 11. *tract.* 2. *reſol.* 42. dicunt, decretum hoc legem non facere & ſic non tollere probabilitatem quæ antea erat.

Receptum eſt dictum decretum, ſufficienter publicatum & authenticatum.

104. Audiendi igitur non ſunt dicti Authores: nam decretum iſtud fuiſſe ſufficienter publicatum conſtat ex eo, quod in eo in fine dicitur fuiſſe publicatum ad Valvas Baſilicar. S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, ac in acie Campi Floræ, ut videre eſt apud Seraphinum *loco infra citando fol.* 59. *col.* 2. *fine.* Nec enim ad hoc ut leges Pontificiæ obligent omnes Provincias alia requiritur publicatio, ut probabimus *tom.* 3. *tract.* 11. *de leg. c.* 1. *num.* 85. Et eſſe ſufficienter authenticum, tum ex eo liquet. Quod Seraphinus *tom.* 4. *Bullar. conſt.* 43. Urban. VIII. *fol.* 58. Peyriu. *tom.* 2. *privileg. conſtit.* 9. *Urbani VIII. fol.* 285. Philibert. *tract.* 3. *p.* 2. *c.* 16. *num.* 26. Balſæus *verb. Miſſa* 7. *fol.* 609. Tamb. *tom.* 2. *diſp.* 5. *q.* 9. *fol.* 61. & alij, illud decretum de verbo ad verbum afferunt cum teſtimoniis, ſubſcriptionibus, & aliis quæ ſunt neceſſaria ut ſit authenticatum ſufficienter. Quod autem habeat vim legis probatur: Quia fuit editum à ſacra Congregatione authoritate a Papa ſpecialiter ſibi ad hoc attributa ut in eodem decreto dicitur, & declarationes Dominorum Cardinalium quæ fiunt authoritate Pontificis, vim legis univerſalis habere ex multis probat Martinez à Prado *in Theol. moral tom.* 1. *c.* 3. *q.* 7. *num.* 30. & nos diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de leg. c.* 3. *n.* 18.

Eſt in Hiſpania dictum decretum receptum, præcipuè in Religione noſtra.

105. Quod autem uſu ſit receptiſſimum in Hiſpania probatur: Tum ex praxi quod nullus timoratorum in ea, ut vidimus, contra plures illius ordinationes audeat operari, tum quia Doctores Hiſpani innumeri qui poſt illud ſcripſere, ut uterque Lugo, Lezana, Granad. Hieronymus, Garcia, Antonius, à Spiritu ſancto, Martinus à ſancto Ioſeph, Leander, Ludovicus Torres, Ludovicus à Conceptione, Hieronymus Rodrig. & alij plurimi de illo, ut de receptiſſimo

ſimo in Hiſpania loquuntur, ſaltem quoad aliquas diſpoſitiones illius. Hoc addimus, quia quoad illam primam qua Dominis Epiſcopis aufert poteſtatem quam contulerat eis Concilium Tridentinum ad reductionem numeri Miſſarum. [Video paſſim (ait optimè Doctiſſimus Magiſter Fr. Ioannes Martinez à Prado *3. p. quæſt. 83. dub. 13. n. 28.*] abſque ſcrupulo propter diſtantiam & alia inconvenientia ad Romanam curiam non recurri, & factum tot graviſſimorum Præſulum reprobare non audeo, quia leges infirmantur moribus utentium, & leges non receptæ vel conſuetudine abrogatæ non obligant.] Idem Thomas Hurtado.. Hieronymus Garcia *locis citatis*, & alij. Quoad alia vero, ubique in Hiſpania receptum dicimus, & ſufficienter publicatum, vimque habere legis tollentis probabilitatem opinionis contrariæ, Quod in noſtra Religione haud dubitatum eſt: cum in noſtris conſtitutionibus ferè omnia contineantur, quæ in dicto decreto ſanciuntur, & ſi aliquem Prælatorum quidquam contra illud operari appareret, graviſſimè à ſuperioribus puniretur.

---

§. II.

An ſacerdos pauper illud ſtipendium poſſit pro una Miſſa recipere quod ſufficiat, pro decenti unius diei ſuſtentatione?

Aliqua certiſſima pro dubii enodatione ſupponuntur.

106. MUltiplex ſtipendium pro una Miſſa recipere, omnibus eſt notum, eſſe illicitum etiam præciſo dictu decreto Congreg. ſed poſt illud indubitatum. Sed videndum eſt à nobis an unicum ſtipendium, quod ſacerdos pauper poteſt recipere, poſſit eſſe illud, quod pro ſui congrua ſuſtentatione, & decenti, ſufficiat? Pro victu, veſtitu, & neceſſariis, ut vitam ducere poſſit, ſi alio modo decenti non poſſet ſibi de neceſſariis providere, ſi enim alio modo decenti, & ſuo ſtatui minime diſſentaneo neceſſitatibus ſuis ſuccurrere poſſet, & ſine aliorum diſpendio, omnino erunt inexcuſabiles ſacerdotes, vel Monaſteria, plura ſtipendia, vel unum pluribus æquivalens, pro una Miſſa accipiendo, ut nunc ſupponimus. Et tenet Vega *in ſumm. lib. 1. caſ. 160.* Lezana *tom. 4. verb. Miſſa n. 25.* Quare ſi regularis, docendo, legendo, ſcribendo, eleemoſynam poſtulando aliaque ſecundum ſuum ſtatum exercitia operando poſſint ſuæ gravi neceſſitati ſuccurrere, nullo modo poterunt hoc medio uti ad ſtrictam ſui ſuſtentationem. Imò prorſus abſurdum erit pro ſplendido victu, ſeu veſtitu, ampla habitatione, & ſimilibus ſuperfluitatibus, hoc artificio uti in aliorum præjudicium: Ut docet Nuño *3. p. quæſt. 83. art. 10.* Navarro *cap. 25. num. 92.* Ludovicus de Veja *in lib. r ſp. ad inſt. Conſt. Congreg. 4. caſ. 3. §. Reſpondetur:* Ledeſma *in ſumm. 1. p. de Euchar. c. 18.* Lezana *n. 17.* & alij. Quare ſolum inquirimus quando pro ſtricta ſuſtentatione hoc modo uti neceſſarium eſt. Et ſupponimus, quod qui tali medio uteretur, aliis viis & modis ſatisfaceret illi parti fructus ex opere operantis in quo defraudat eos, pro quibus Miſſas dicto modo offert, ſaltem applicando pro illis, in aliis Miſſis eam partem fructus, quam ſine aliorum detrimento applicare poteſt: Supponendo magnam probabilitatem illius ſententiæ, quod ſcilicet Miſſa pro pluribus applicata tantum, valet omnibus, quantum ad fructum ex opere operato, quantum ſingulis, ſi pro ipſis ſolum applicaretur.

Sententia dicens ſacerdoti paupeti eſſe licitum ſtipendium quod neceſſarium eſt ad diurnam ſuſtentationem.

107. Cum his ergo omnibus conditionibus difficultatem iſtam examinamus, quamvis alij magis materiam iſtam reſtringant; alij cum majori amplitudine loquantur: Affirmat ergo prima ſententia licitum eſſe ſacerdoti pauperi, (& idem eſt de Monaſteriis regularium pauperum) ſtipendium illud pro una Miſſa recipere quod ſufficiat pro ejus honeſta ſuſtentatione diei, ſi aliunde non habet unde ſuſtentari poſſet. Et probatur primo hæc ſententia: Quia pro ſacerdotibus in tali neceſſitate & cum prædictis circunſtantiis conſtitutis juſtum ſtipendium Miſſæ non eſt illud quod lex poſitiva, vel conſuetudo taxavit; ſed illud quod lex naturæ, imò etiam divinà: Paul. ad Corinth. 9. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant.* Unde deſumptum eſt illud proloquium: *Qui altari ſervit de altari vivere debet.* Et ſic illud quod pro ſtricta miniſtri ſuſtentatione neceſſarium eſt. ¶ Et confirmatur: Quia ſacerdos pro ſingulis diebus unico tantum ſacrificio altari inſervire poteſt: ergo ob illud, illo die ſuſtentari debet, ſi aliunde non habet unde ſuſtentetur. Nec ſat eſt dicere (dicunt Authores hujus ſententiæ) aliis functionibus poſſe victum quærere: Nimirum prædicatione, horarum recitatione, ſacramentorum adminiſtratione. Quia hæc ſacerdoti, ut tali, per accidens contingunt: munus enim proprium ſacerdotis eſt ſacrificium offerre: præterquam quod contingere poſſet, ut neque his functionibus poſſet decentem ſuſtentationem invenire; unde vel mendicare turpiter cogeretur cum ſui ſtatus dedecore, vel officia mechanica aut negotiationes indignas exercere, contra id quod docet Trident. *ſeſſ. 2 cap. 2. de reform.* ¶ Secundò quia cum ſacrificium ſit valoris infinitè intenſivè, vel ſaltem extenſivè, quatenus ejus valor non minuitur quantumvis pluribus applicetur, non facit injuriam aliquam ſacerdos, illis, qui ſibi præbent eleemoſynam, per hoc quod offerat illud pro aliis, cum ob conſortium aliorum nihil detrahat ipſis.

Authores pro dicta ſententia numerantur.

108. Hanc ſententiam defendit Sotus *lib. 9. de Iuſtitia q. 3. art. 1. §. Reſpondetur ergo.* Et *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1. §. quocirca,* Cano *lib. 12. de locis c. 13. ad 10. §. alterum.* Petrus Navar. *lib. 2. de reſtit. c. 2. dub. 6. n. 315. & 320.* Qui addit conſuetudine & lege poſitiva contrarium ſtatui non poſſe. Araujo *in quæſ. ſelectis tract. 2. q. 17. n. 15. & 16.* & *in deciſ. diſputationibus de ſtatu civili, in eodem volumine poſitis, diſp. 14 p. 2. art. 2. n. 48.* Henriq. *lib. 10. c. 12. n. 5.* Rodrig. *in ſumma tom. 1. dub. 7. c. 253. n. 4. concl. 4. & tom. 4. c. 52. n. 5.* Llamas *3. p. methodi c. 23. §. 17.* Nuño *3. p. q. 83. art. 1. dub 9. verſu. Reſpondetur tamen.* Petrus Soto *tract. de ſacerd. inſtit. lib. 1. de Miſſæ ſacrif.* Franciſcus Sanar. *3. p. theſaur. ſacerd. tit. de Miſſæ valore pag. mihi 43.* Petrus de Aragon. *3. p. q. 83. art. 3. §. his tamen non obſtantibus fol. 923.* Griſal. *in decret. ſi ei verbo Miſſa, n. 22.* Arellan. quem refert & ſequitur Vega *tom. 2. c. 41. caſ. 1.* Honcala *de valore Miſſæ art. 11. & 16.* Iacobus de Graffis *deciſ. aurearum lib. 1 1. cap. 96. num. 13.* Chamerota *de ſacrif. Miſſæ dub. 11. pag. 276.* Et eſſe probabilem docet Ledeſma *1. p. ſumm. cap. 18. de Euchar. n. 8.* Serra *3. part. q. 83. art. 1. dub. 4. ad 6.*

ad 6. Molfeſ. apud Dianam 2. *p. tract.* 14. *reſol.* 8. Et eſſe ante decretum Congregationis probabilem Lezana locis *infrà* citandis. Et probabiliorem Leander & Philibert. Et adhuc poſt decretum eſſe probabilem ſpeculativè Bordon. *reſol.* 25. *q.* 6. *num.* 13. & abſolutè adhuc eo ſtante Bauny *tom.* 2. *tract.* 10. *q.* 12. *fol.* 441. Leonſillus *de privilegiis pauperum* 2. *p. privileg.* 263. *n.* 5. ubi ait talem declarationem Cardinalium ſolum loqui in genere, & fortè non comprehendere pauperes.

Non poteſt Sacerdos pauper ultra taxatum ſtipendium quidquam accipere.

109. Nihilominus oppoſita ſententia eſt omnino tenenda, & modo poſt decretum ſacræ Congr. omnino improbabilem ſententiam jam dictam arbitramur: ut diximus, *tr.* 5. *de ſacrif. Miſſæ c.* 5. *n.* 3. Imò etiam ante illud plures ex noſtris illam appellant improbabilem. Probatur ergo, in primis ex verbis illius decreti, nam §. 2. ſic dicit: *Sacra Congregatio ſub obteſtatione divini Iudicij mandat & præcipit, ut abſolutè eot Miſſæ celebrentur quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint: itaut alioqui ij ad quos pertinet ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.* Non ergo ſtipendium Miſſæ ex majori vel minori neceſſitate miniſtri eſt penſandum, ſed ex eleemoſyna quantumvis exigua, ut ibi dicitur verbis antecedentibus, ſub qua ſe obligavit ad ſacrificium offerendum. ❡ Secundò probatur, quia adhuc, præciſo hoc decreto, eſt illicita & injuſta receptio talis ſtipendij: quia vel ſtipendium aſſignatum lege vel conſuetudine, eſt æquum & juſtum, etiamſi ſit citra requiſita ad ſuſtentationem miniſtri; vel non. Si primum: ergo non poteſt etiam pauper Sacerdos aliquid ſupra illud recipere: Nec enim ex eo quod pauper ſit poteſt ultra juſtam mercedem plus petere, ſicut vendens rem aliquam non poſſet ſupra juſtum pretium, quidquam exigere ob inopiam ſui. Si ſecundum: ergo etiam Sacerdos dives poterit ſtipendium juſtum neceſſarium ad ſui ſuſtentationem exigere: quia per hoc quod ſit dives non debet fraudari juſto ſtipendio ſibi debito. Ex hac enim ratione probat D. Th. *quodlib.* 6. *art.* 10. & cum eo communiter Doctores poſſe etiam divitem ſacerdotem juſtum ſtipendium ab illo exigere, in cujus gratiam offert ſacrificium: *Quia reddere debitum* (inquit S. Doctor) *eſt actus juſtitiæ, & ideò ad hoc quod alicui reddatur, quod ei debetur, non refert utrum ſit dives, vel pauper.* Imò majus ſtipendium pro divite & honorabili ſacerdote, aut in dignitate conſtituto deberetur: quia plus requiritur ad ejus decentem ſuſtentationem.

Alia ratione & confirmationibus dicta concluſio roboratur.

110. Tertiò probatur: quia vel Sacerdos ob ſuam culpam paupertate laborat, quia nimirum fraudulenter ordinatus eſt abſque titulo, & tunc ſibi imputet quod inopia preſſus exiſtat, *& arte aliqua, vel agricultura quærat ſibi victum, fugiat otium, laborando, præbenda bonum exemplum*, ut dicitur *cap. Clericus* 91. Et *in cap. Nunquam de conſecratione diſt. in* 5. ex Divo Hieronymo aſſignantur varia officia in quibus poteſt ſe exercere Clericus, potius quam aliorum bona uſurpare; vel culpa Epiſcopi qui abſque aliquo titulo eum ordinavit, & tunc ipſe Epiſcopus eum teneretur alere, ut diximus *tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 6. *n.* 62. Ex *cap. cum licet, cap. Epiſcopus. cap. ſecundum Apoſtolum de præbendis.* Vel denique caſu poſt ordinationem in paupertatem devenit: & tunc fideles quidem ex miſericordia eum alere debent; ipſe vero, ſecluſa extrema neceſſitate, nequit ex bonis alienis ſuſtentari, ob idque meritò Eccleſia neminem ordinari poſſe ſtatuit, niſi redditus vel patrimonium fixum, & ſufficiens ad ſui ſuſtentationem haberet. ❡ Confirmatur primò: Quia non ſolet Eccleſia taxare pro ſtipendio Miſſæ quod ſufficiens eſt ad ſuſtentationem, eo quod Sacerdos alia habeat miniſteria, ex quibus vivere poſſit, quæ taxatio minimè dicenda eſt injuſta, ſed juſtiſſima, tot legibus, conſuetudinibus, Præſulum decretis, & fidelium æſtimatione firmata: ergo exigere ſupra taxam titulo ſuſtentationis, eſt ſupra juſtam mercedem amplius petere, quod eſt injuſtum. ❡ Confirmatur ſecundò ex uſu & conſuetudine Religionum quantumvis pauperum, quæ ſolum pro Miſſæ ſtipendio id exigunt & accipiunt quod tale, lege, vel conſuetudine cenſetur: quod in omnibus ita fieri non dubitamus. In noſtra tamen eſt certiſſimum cum ex conſtitutionibus habeamus, 1. *p. c.* 10. *n.* 7. *Nunquam pro una Miſſa niſi una tantùm pitantia in ordine recipiatur: nec ulla ratione dicantur Miſſæ anticipatæ pro incertis perſonis, vel eleemoſynis quæ fortè poſtea recipientur: ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per quatuor menſes iis qui in aliquo horum deliquerint.* Quæ pœnæ ſemper applicabuntur in ordine, ſi aliquis Prælatus, quod Deus avertat, titulo inopiæ aut neceſſitatis, aliquod ultra taxam ſtipendium reciperet, quia jam pro eadem Miſſa, multiplex acciperet ſtipendium virtualiter.

Authores pro noſtra ſententia recenſentur.

111. Quare noſtram ſententiam ut certiſſimam tenent Dicaſtillo *tr.* 5. *de Euchar. diſput.* 4. *dub.* 19. *per totum* Navar. *c.* 25. *n.* 92. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 88. *ſect.* 4. Vaſq. *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 234. *c.* 2. Corduba *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 2. Bonac. *de Euchar. diſp.* 4. *quæſt. ultima punct.* 7. §. 2. *diff.* 1. *& punct.* 8. *n.* 14. Miranda *in manuali tom.* 1. *quæſt.* 41. *art.* 25. *concluſ.* 5. *pag.* 248. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 6. Azor. *moral. inſtitut.* 3. *p. lib.* 12. *cap.* 6. *quæſt.* 2. Leſſius *de juſtitia, lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 5. *num* 28. Lugo *de Euchar. diſp.* 21. *n.* 27. *pag.* 588. Ludovicus Lopez 2. *part. inſtruct. cap.* 78. Fagundez 1. *præcept. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 7. *&* 8. Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 1. *quæſt.* 2. Caſtro Palaus *tom.* 4. *tract.* 22. *diſput. unica punct.* 14. *num.* 15. Villalob. 1. *part. tractat.* 8. *diff.* 15. *numero primo.* Tambur. *de Abb. tom.* 2. *diſput.* 5. *quæſit.* 9. *numero ſecundo.* Et poſt decretum eſſe indubitatum docet Lezana *tom.* 4. *verbo Miſſa, num.* 14. Dian. *part.* 2. *tractat.* 18. *reſolutione* 8. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 2. *diſp.* 2. *n.* 194. Martinus à ſancto Ioſeph *de Euchar. libro primo, tract.* 17. *numero decimo quinto*, Philibert. March. *de ordin. tractat.* 3. *part.* 2. *c.* 16. *numero vigeſimo*, Leander *tract.* 8. *de ſacrif. Miſſ. diſp.* 4. *quæſt.* 4. & alij.

Solvuntur contraria fundamenta.

112. Ad argumenta contraria facilis ex dictis apparet reſponſio. Nam ad primum dicimus, nullo modo jure divino eſſe juſtum ſtipendium quod requiritur ad ſuſtentationem ſacerdotis: quia ſolum debet vivere de altari illi deſerviens juxta occupationem, & laborem miniſterij: alias qui duo reſponſoria diceret pro uno defuncto, qui ſacerdoti in miſſa miniſtraret, qui officium Diaconi exerceret, poſſet exigere integrum victum illius diei: quare ab Eccleſia meritò taxantur ſtipendia ad ſuſtentationem, per ordinem ad laborem & occupationem miniſterij, majus pro Miſſa ſolemni, quia plus temporis inſumitur, majus pro funere, quam pro ſola vigilia: non ergo pro dimidiæ horæ occupatione, quæ in ſacrificio inſumitur integra ſuſtentatio diei debet accipi. ❡ Ad Confirmationem conſtat ex dictis. ❡ Ad ſecundum

argumentum dicimus : Quod licet ſacrificium, pro pluribus applicatum omnibus proſit : ſtipendium autem non accipitur pro fructu ſacrificii, quod eſſet ſimonia ; ſed pro parte ſuſtentationis miniſtri, qui iujuſtitiam facit illi pro quo ſacrificium offert, ſi ab eo totius dici ſuſtentationem, pro tam exiguâ temporis morula vellet accipere.

§. III.

Poſſitne Sacerdos fructum ſpecialiſſimum ſibi correſpondentem alteri applicare & pro eo novum ſtipendium recipere?

Sententia affirmativa ponitur & probatur.

113. ADhuc poſt decretum Congreg. affirmat prima ſententia, & pro illa arguitur. Ptunò : quia talis fructus (ſive dicatur ſpecialis ut aliqui, ſive ſpecialiſſimus ut alij, quod parum refert, & ſolet communiter dici fructus ſecundæ intentionis) applicabilis eſt pro altero ut tenet probabilior ſententia Soti *in 4. diſt.* 1. *q.* 2. *art* 5. Nugni 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *dub.* 3. *ſol.* 95. Averſæ *q.* 11. *ſect.* 2. §. *ſcuto.* Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 25. *q.* 8. Pradi 3. *p. q.* 83. *dub* 12. §. 2. Lezanæ *verbo Miſſa n.* 17. Dianæ 5. *p. tr.* 14. *reſol.* 45. & aliorum plurimorum apud ipſos : ergo optimè poterit ſacerdos pro obligatione applicandi talem fructum, aliquod diſtinctum accipere ſtipendium, ab eo pro quo illud offert. ¶ Et confirmatur hoc : Quia fructus iſte correſpondens ſacerdoti ad minus eſt æqualis cum eo qui correſpondet danti ſtipendium : Cum ſacerdos ſit proximior ſacrificio quocumque alio pro quo illud applicat : ergo poterit ſuum fructum ei qui jam dedit ſtipendium applicare, & alium accipere pro applicatione fructus qui communiter correſpondet eleemoſynam danti. ¶ Secundò, quia licet ſacerdos non ſit certus eſſe in gratia, non tamen ei conſtat eſſe in peccato, ut ſupponimus, ſed bona fide accedit ad ſacrificium, quod ſatis eſt ut fructum ſacrificij ſibi correſpondentem alteri applicet, & ei proficiat, tum quia ſic prudenter ſe gerit & non procedit ex malitia in conventione facta. Tum etiam quia invincibiliter ignorans ſe eſſe in peccato accedit ad Euchariſtiam, per accidens acquirit primam gratiam ex opere operato, & ſic capax redditur fructus, quem poteſt pro alio applicare. Tum denique, quia licet celebrans ſit in peccato mortali, & ſic in eo ob indiſpoſitionem ſubjecti non cauſetur valor ſatisfactorius ; tamen valor qui in ipſo deberet cauſari ſi non eſſet impeditus per peccatum, cauſatur in alio pro quo offert, ſi non habet peccatum : quia valor iſte non ex opere operantis ; ſed ex opere operato producitur, in quo non attenditur ſanctitas ſacrificantis : ergo poteſt illud offerre pro dante novum ſtipendium.

Authores pro dicta ſententia recenſentur.

114. Sententiam iſtam adhuc poſt decretum Sacr. Congreg. tenent præter Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 181. qui dixit poſſe pro applicatione hujus valoris trium Miſſarum novum accipere ſtipendium, abſolutè & pro quolibet ſacrificio. Peyrin. *de privil. tom.* 3. *c.* 1. *n.* 25. Philibert. Marchin. *de ordine tr.* 3. *p.* 2. *c.* 16. *n.* 7. Thom. Hurtado *tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *reſol.* 17. Leander *in ſecunda editione, tract.* 8. *de Euchar. diſp.* 4 *q.* 10. Barthol. à S. Fauſto *tract. de Euchar. lib.* 3. *q.* 58. & 158. Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 15 *n.* 40. Remig. *in ſum. tr.* 5. *c.* 4. §. 7. *n.* 2. Et eſſe probabilem poſt decretum docet Lezana *tom.* 4. *verbo Miſſa n.* 17. citans Bordon. *in conſil. regul. reſol.* 25. *q.* 13. *num.* 13. Et etiam probabilem dicunt Diana 2. *p. tract.* 14. *reſol.* 14. Machad. *lib.* 4. *p.* 1. *tr.* 12. *docum.* 3 *num.* 7. Homobon. *p.* 2. *exam. tract.* 4. *c.* 3. *q.* 225. Trull. *de ſacram. lib.* 3. *c.* 12. *dub.* 8. *num.* 8. Gavanto *comm. in rubric. Miſſalis p.* 3. *tit.* 12. *n.* 29.

115. Sed negativa ſententia omnino tenenda eſt, quam *tr.* 5. *de Euchar. c.* 5. *n.* 10. amplexati ſumus. Et probatur primò : quia ob contractus inæqualitatem peccat contra juſtitiam, qui certum pretium, pro re incerta petit, & accipit : Sed ſacerdos applicans fructum proprium, ſtipendio accepto, incertum pro certo dat : peccat ergo contra juſtitiam. Minorem probo : quia fructus ille ex duplici capite eſt incertus : Primùm, quia in opinione eſt, an fructus proprius ſacerdotis poſſit pro altero applicari, pluribus id negantibus, & aſſerentibus eſſe perſonalem & incommunicabilem. Tum etiam : quia eſto communicabilis eſſet, ut tenet probabilior ſententia, debet ſacerdos eſſe in ſtatu gratiæ, ut talis fructus ei correſpondeat, quem proinde poſſit pro altero applicare : qui ſtatus eſt ſacerdoti incertus, Eccleſ. 9. *Neſcit homo an ſit dignus amore vel odio.* Et quæ in ſecundo argumento contrario dicuntur, etiam ſtant ſub opinione & non ſunt omnino certa, & ſic manet in ſuo robore argumentum, & ſecundum illud contrariorum enervatum. ¶ Secundo (quo ſolvitur primum ex adverſo poſitum) quia ſacerdos pro fructu ſacrificij non poteſt ſtipendium accipere, eſſet quippè ſimonia, cum rem ſpiritualem venderet pro temporali : accepit ergo illud pro ſervitute qua obligatur illa hora in alterius commodum ſacrificare, & ut ſuſtentationem, ſeu partem accipiat ex altari cujus ſervitio adjicitur : ergo quod alteri proficiat talis fructus pro eo applicatus etiamſi æqualis ſit cum fructu ſpecialiſſimo, jus non præbebit, novum ſtipendium accipiendi, ſic enim etiam miniſtrans ſacerdoti, imo Miſſam audiens poſſet pro fructu ſibi correſpondente, ſtipendium petere, pro eo quod alteri applicet : Cum ſit probabilis ſententia æqualem eſſe fructum his correſpondentem cum eo qui correſpondet eleemoſynam danti.

116. Tandem : quia eſt talis ſententia manifeſtè contra decretum Sacr. Congreg. In quo habetur, ut pro eadem miſſa multiplex non accipiatur ſtipendium, & quod tot miſſæ dicantur, *Quot ad rationem attributa eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.* In noſtro autem caſu ſacerdos pro eadem miſſa duplex accipit ſtipendium (Miſſa ſiquidem utrumque complectitur) nec tot miſſas celebrat quæ correſpondeant eleemoſynæ datæ ut conſtat : ergo eſt tali decreto condemnata. Et ut omnis ambiguitas tollatur, (præter declarationem Congreg. Card. ſub Alex. VII. *die* 25. *Ianuarij anno* 1659. qua declaratum eſt, contentum eſſe hunc caſum in prohibitionibus dicti decreti, quam declarationem eſſe authenticam, & per totum Archiepiſcopatum Toletanum publicatam teſtatur Magiſter Ioannes Martinez à Prado 3. *p. q.* 83. *de Euchar. dub.* 13. *n.* 34.) Addo etiam decretum ejuſdem Alex. VII. *die* 24. *Sept. anno* 1665. Quod inter alias propoſitiones iſtam prohibet. *Duplicatum ſtipendium poteſt ſacerdos pro eadem miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Vrbani VIII.* Quare ſententiam noſtram tenet

Sententia noſtra authoritatibus & authoribus illuſtratur.

tenet citatus Prado & Lugo *de Euchar. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 33. Rodrig. 1. *p. ſumm. c.* 245. *n.* 2. Bonac. *de Euchar. diſput.* 4. *quæſt. ultima, punct.* 8. *n.* 16. Megala *var. reſol. de Euchar. tom.* 2. *reſol.* 199. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 6. *ſect.* 3. *num.* 58. Martin. à ſancto Ioſeph *lib.* 1. *tract.* 17. *de Euchar. num.* 10. Ballæus *verbo Miſſa* 7. *n.* 9. Antonius à Spiritu ſancto *in directorio tract.* 2. *diſput.* 2. *n.* 203. Suarez *de ſacram. tom.* 3. *in* 3. *p. diſput.* 71. *ſect.* 3. *fine.* Diana 1. *part. tract.* 14. *reſol.* 8. & *p.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 45. & *p.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 8. & *p.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 21. Et illi, quos diximus probabilem dicere oppoſitam. Hanc, ut ſecuriorem & probabiliorem amplectuntur.

---

§ IV.

An liceat ſacerdoti Miſſas anticipatas pro his offerre, qui eas poſtea poſtulabunt, vel eleemoſynas dabunt?

Capellani qu[illegible]do m[illegible] [illegible]a- pol[illegible]æ p[illegible]nt anti[illegible]pare.

117. UT certa ab incertis ſeparemus ſupponendum eſt ut commune apud Doctores, quod Capellani quibus injunctum eſt onus, ſingulis hebdomadibus vel menſibus tot miſſas celebrandi, poſſunt hebdomada antecedenti celebrationem earum prævenire. (Dummodo in fundatione Capellaniæ oppoſitum non fuerit expreſſum, ut ſi in ea eſſet expreſſum, *nulla Miſſa in qualibet hebdomada omittatur*, vel quid ſimile) quia tunc verè eſſet anticipata ſolutio debiti, nihil detrahens utilitati fundatoris; ſed potius cederet in ſingulare defuncti præſidium. Nam quo citius pro eo immolatio fieret, eo citius ſentiret refrigerium. Nec talem anticipationem eſſe contra decretum Sacr. Congregat. infrà referendam, omnes utriuſque ſententiæ adducendi Authores proclamant. Addimus nos nec eſſe contra noſtram conſtitutionem 1. *part. c.* 10. *num.* 7. ubi miſſas anticipatas pro incertis perſonis offerre, ſub graviſſima pœna prohibetur: Hæc enim applicatio non fit pro incerta perſona, cum jam ſit certum pro quo offerendum ſit ſacrificium.

Quibus caſibus miſſæ anticipatè dici poſſint.

118. Idem dicimus de illo qui anticipatè Miſſas diceret pro intentione Æditui (vulgo collector de las Miſſas) aut illius qui ex officio ſolet Miſſas dicendas aliis dare, aut pro intentione amici, vel Sacriſtæ qui ſolet miſſas dicendas differre, caſu quo iſti habeant certas miſſas dicendas, v. g. defunctorum, itaut ſacerdos anticipatè jam ſciat ejus intentionem, ob eandem rationem, uti docet Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 8 Hurtado, Palaus, Barboſa, Prado Leander Mach. poſtea adducendi. Diana 2. *part. tract.* 14 *reſolut.* 18. & ferè omnes qui idem aſſerunt in caſu quo ego ſcio me cras obligandum, pro aliquo jam defuncto, quod poſſum hodie pro illo celebrare. Idemque eſt etiam caſu quo ego ſcirem hæredes, ſeu teſtamentarios talis defuncti teneri facere tot Miſſas pro illo dicere, poſſum pro eo anticipatè Miſſam celebrare & poſtea eleemoſynam ab eo accipere, etſi petere non valeam. Idem denique dicendum eſt ſi Rex aliuſve Dynaſta pro tali neceſſitate jam urgente ſolent aliquas Miſſas applicare, poſſunt pro illorum intentione Miſſam dicere, vel pro tali neceſſitate jam exiſtente, & poſtea eleemoſynam ab eis datam acceptare. ¶ Quæſtio igitur eſt quando perſona, vel neceſſitas pro quibus applicanda eſt miſſa non eſt determinata, vel exiſtens.

Variæ ſententiæ circa quæſitum puncti referuntur.

119. Et tripliciter fieri poteſt: Primò ſi de præſenti fiat applicatio pro anima nunc exiſtente in Purgatorio, vel pro homine nunc indigente pro quo Deus ſcit poſtea petendam eſſe miſſam, & ſtipendium dandum: ſic licere Miſſam anticipatè dicere tenent Vega *lib.* 2. *cap.* 41. *caſ.* 5. & *lib.* 1. *praxis, caſ.* 170. Fraxinellus *de oblig. ſacerd. ſect.* 3. *ad finem.* Henr. *lib.* 9. *de Miſſ. cap.* 21. *num.* 2. & apud illum Theologi & Iuriſperiti Salmantini. Regioald. *lib.* 23. *c.* 17. *dub.* 4. *num.* 237. *fine.* Amicus *in* 3. *part. diſt.* 33. *ſect.* 8. *num.* 286. Bonac. *de ſacram. diſput.* 4. *quæſt. ultima part* 7. §. 5. *num.* 3. Qui idem ſenſiſſe dicit Congregationem pœnitentiariæ Mediolanenſis, eo præſente, & ita conſulente Lugo Cardin. *de pœnitent. diſp.* 13. *ſect.* 5. *num.* 137. & 139. Palaus *tom.* 4. *tract.* 22. *diſput. unica punct.* 6. *num.* 18. dicit validam eſſe talem applicationem, quamvis non eſſe conſulendam, nec ad praxim reducendam plures ex aliis authoribus dicant. ¶ Secundo modo ſi Sacerdos de præſenti offerat ſacrificium non determinando perſonam cui applicet, & ita fructus ſit ſuſpenſus uſque dum ipſe applicet alio tempore ſequenti pro petente, vel ante eleemoſynam, & hoc modo etiam licere Miſſam anticipatè dicere tenent; Petrus Navar. *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 2. *num.* 372. Aragon. 2. 2. *q.* 85. *art.* 4. *dub. de illis qui dicunt Miſſas anticipatas fol.* 927. Moure *in examin. Theol. moralis* 3. *part. cap.* 5. §. 9. *num.* 5. Henr. Regin. & Vega *locis citatis.* ¶ Tertio modo quando miſſa offertur pro anima patiente in Purgatorio tantùm. Quomodo aliqui dicunt licere anticipatè Miſſam dicere, pro intentione illius quem Deus ſcit daturum ſtipendium; non vero pro vivo, quia fortè Miſſa non prodeſt illi, quando ſacerdos immolat, vel quia tunc non eſſet diſpoſitus, vel non indigeret. Vaſq. 3. *p. diſp.* 234. *c.* 3. *num.* 22. & 23. Gaſp. Hurt. *diſput.* 4. *de ſacrificio diff.* 15. Meratius *diſp.* 38. *ſect.* 8. Dicaſtillo *tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 2. *n.* 380. Averſa *de Euchar. q.* 11. *ſect.* 18. §. 6. Rodrig. *in ſum. p.* 2. *c.* 252. *concl.* 8.

110. Id verò in quo omnes iſtæ ſententiæ conveniunt, nimirum poſſe ſacerdotem anticipatè pro eo miſſam dicere quem Deus ſcit daturum eleemoſynam: probatur ex eo, quod hoc modo prævenire iſtam miſſarum celebrationem, nil aliud eſt quam ſolvere anticipato tempore debitum in quo nulli injuria irrogatur; imò favor maximus conceditur, eo vel maximè: quia omnia ſunt Deo in æternitate præſentia, qui fructum illum Miſſæ à ſacerdote oblatum pro illo applicabit, quem ſcit certò daturum ſtipendium, & ſic adeſt interpretativa conventio, & conditio alteri utilis, & virtualis conſenſus illius qui altera die eleemoſynam dabit pro Miſſa antea celebrata pro eo quem Deus noverat, cras daturum. ¶ Sed certè non dari talem conſenſum ex eo conſtat: ſiquidem talis à ſacerdote irrideri, & defraudati meritò conquæreretur, ſi ab eo accepta eleemoſyna pro Miſſa celebranda diceret: *applico tibi ſacrificium quod præterita hebdomada obtuli Deo.* Ut rectè ait Philibert. poſteà citandus. Nec debitum extingui poteſt per hanc anticipatam ſolutionem, cum nullum ſit: Debitum namque Miſſæ celebrandæ oritur ex contractu, qui ante miſſæ poſtulationem eſſe non poteſt: Et nihil intereſt hoc in mente Dei jam eſſe: Cum humani contractus humano modo debeant demetiri; non divina menſura, & fortè

tempore celebrationis is, pro quo offero, erit in mortali, & quando Miſſam poſtulat in gratia, & ſic cum ſolutione anticipata fruſtrabitur fructu ſacrificii pro quo obtulit ſtipendium.

Per decretū Congregat. reprobatur anticipatio Miſſarum.

121. Quare merito anno 1615. die 5. Novemb. prodiit decretum Sacræ Congregat. Tridentini ex mandato Clement. VIII. ſecundum aliquos, ſed verius Pauli V. tranſmiſſum Cardinali de Guevara Archiepiſcopo Hiſpalenſi, huiuſmodi ſententiam tanquam multis nominibus periculoſam fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxiam, atque à vetuſto Eccleſiæ more nimium aberrantem, omnino condemnans, de quo ferè omnes, qui poſt illud ſcripſére mentionem faciunt. Quare immerito Fagund. *præcepto 1. Eccleſ. lib. 3. cap. 19. num. 10.* huiuſmodi decretum non eſſe receptum uſu in Hiſpania dicit. Quia ut bene contra ipſum arguit Noſter Lezana *tom 4. verbo Miſſa, num. 51.* Nihil unquam de tali non receptione in Hiſpania auditum eſt, nec de ea facile conſtare poteſt, cum ferè omnes Doctores Hiſpani tanquam de recepto, & obligante loquantur: & ſic *in Cathalogo expurgatorii Generalis Inquiſitionis in Hiſpania*, præceptum eſt deleri verba Antonii Fernandez, docentis licere dicere Miſſas anticipata ſolutione, ut Ioannes Martinez à Prado, & Thomas Hurtado citandi dicunt: ex quo manet excluſum & receptum quod malè inquit Pellizzar. *tract. 5. cap. 6. num. 68.* loquendo de iſto decreto & declaratione: *An ſit Authentica in hoc dubitant authores.* Nam indubitatum eſt eſſe authenticam, cum de illa ut tali omnes ferè authores loquantur. Et Lugo Card. *de pœnit. diſp. 13. ſect. 5. num. 138.* qui de hoc dubitavit poſtea mentem ſuam explicuit. Et tale decretum non ſtatuit novam legem, ſed declaravit antiquam. Et ſic ante illud illa conſuetudo Miſſas anticipatè dicendi, appellatur periculoſa, ſcandaloſa, atque à veſtuto more Eccleſiæ aberrans. Et ſic illo adhuc non ſtante illa applicatio eſſet illicita, quidquid ſit, an eſſet valida.

Patronibus probatur illicitam eſſe dictam anticipatam celebrationem.

122. Quod probatur primo: quia offerre pro ſtipendium dante ſacrificium eſt offerre pro cooperante, & pro coofferente, & quaſi adjuvante Sacerdotem celebrantem: ſed hoc eſſe debet quando de præſenti dicitur ipſa Miſſa, ut patet ex verbis Canonis: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Et ſic contributio eleemoſynæ ad ſuſtentationem Sacerdotis, eſt quaſi diſpoſitio ex parte dantis ad percipiendum fructum ſacrificii. Secundo, quia ſi talis anticipata ſolutio eſſet licita, ſicut poteſt Sacerdos pro uno die anticipare, poterit pro anno & per centum annos; quia mille anni ante oculos Dei tanquam dies heſterna quæ præteriit, & ſic erit licitum Miſſas offerre pro nondum natis, pro non Chriſtianis. Si Deus prævidet quod poſtea nati aut baptizati Miſſas petent, quod eſt omnino abſurdum & inauditum. Quare illicitam eſſe talem anticipatam ſolutionem tenent Philibert. *de ord. tract. 3. part. 2. cap. 31. num. 9.* Suarez *tom. 3. in 3. part. diſt. 74. ſect. 4. num. 3.* Coninch. *de Sacrif. quæſt. 83. art. 1. dub. 9. concl. 10.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. cap. 2. de Sacrif. Miſſ. quæſt. 1. dub. 8. concluſ. 1.* Molfeſius *tract. 3. cap. 13. num. 28.* Homob. *de exam. Eccleſ. parte 1. tract. 14. cap. 14. quæſt. 130.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. 2 part. allegatione 24. num. 12. & in remiſ. Concil. ſeſſ. 12. init.* Petrus..... *quæſt. Canon. quæſt. 28. num. 6.* Lezana *verbo Miſſa num. 51.* Martinus à ſancto Ioſeph *tract. 17. num. 12.* Martinez à Prado *de Euchar. 3. part. quæſt. 83. dub. 13. à n. 48.* Fagundez *de 5. Eccleſ. præcept. part. 1. lib. 3. c. 9. num. 10.* Layman. *lib. 5. cap. 2. num. 13.* Tambur. *tom. 2. diſp. 5. quæſt. 9. num. 21.* Thomas Hurtado *tom. 1. tract. 2. cap. 4. reſol. 14. num. 125.* Leander *tract. 8. de ſacrif. Miſſa, diſp. 4. quæſt. 19.* Diana *2. part. tract. 14. reſol. 15.* Garcia *Summ. tractatu 3. diffic. 10. dub. 6. num. 5.* & alii.

---

§. V.

An Sacerdos pro Miſſa diebus feſtivis celebrata poſſit duplicatum ſtipendium recipere.

123. CErtum eſt quod adhuc ſtante decreto Congreg. de quo ſæpius diximus, poteſt nihilominus Sacerdos pro obligatione dicendi Miſſam ſummo mane, vel poſt horam decimam, vel tali loco, aut tempore maius ſtipendium accipere, quia gravius in ſe onus ſuſciperet. Et idem eſt de aliis circumſtantiis quibus poſſet in immolatione gravari. Hinc eſt quod pro Miſſa ſolemni maior eleemoſyna debet aſſignari, quam pro privata. Et quando Miſſa exigitur cum Officio Defunctorum, maius ſtipendium aſſignandum eſt; ſimiliter in Nativitate Domini pro tribus Miſſis triplex ſtipendium ſecundum proportionem Miſſarum aſſignari debet. Ledeſma *in Summ. 1. part. de Euchar. cap. 18. concluſ. 9.* Bonacin. *de Sacram. diſput. 4. quæſt. ultima, punct. 8. num. 15.* Tambur. *de iure Abb. tit. 2. diſp. 9. quæſt. 9. n. 15.* Quærimus ergo an hoc quod eſt obligat. ad ſacrificandum pro alio diebus Feſtivis, ſit circumſtantia ob quam poſſit augeri ſtipendium, ita ut poſſit Sacerdos pro Miſſæ celebratione in diebus feſtis duplum eleemoſynæ quam aliis diebus conſuevit, accipere.

Pro Miſſa cum aliquibus circumſtantiis maius poteſt accipi ſtipendium.

124. Affirmat prima ſententia. Primo quia pro Miſſa ſolemni licitè taxatur maius ſtipendium: Imo duplo maius quam pro privata: ergo etiam pro Miſſæ celebratione in die Feſto. Secundo, quia in decreto Congregationis ſolum præcipitur, ut tot celebrentur Miſſæ quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint. Idque quantumvis ſtipendia ſint incongrua & exigua, nulla mentione facta de duplicato ſtipendio, in diebus Feſtis non recipiendo, cum tamen hæc duo ſint valde diverſa: ideoque cum ſimus in odioſis non debeat fieri extenſio de uno ad aliud. Sic Pellizzar. *tract. 6. cap. 3. num. 21.* Fraxinellus *de obligatione Sacerd. ſect. 4. concluſ. 2. num. 12.* Homobon. *in exam. Eccleſ. part. 1. tract. 4. cap. 13. quæſt. 120.* Bonac. *diſp. 4. quæſt. ultima, punct. 8. num. 15.* qui aſſerit in Synodo Diœceſana Mediolanenſi concedi facultatem accipiendi duplicatam eleemoſynam in die Feſto: & hoc ipſum decreviſſe Congregationem pœnitentiariæ Mediolanenſis ipſo præſente & conſulente. Barth. à ſancto Fauſt. *lib. 13. de indulg. q. 65.* Alphonſ. de Leone *de Officio & poteſtate Confeſſ. tempore Iubilæi n. 12.* Tambur. *tom. 2. diſp. 5. quæſt. 9. num. 15.* qui citat S. Carolum Borromæum *act. Mediol. part. 2. deciſ. 16.* Philibert. Marchin. *tract. 3. part. 2. cap. 16. num 2.* Qui teſtatur idem ſtatutum de duplicato ſtipendio in die Feſto ſe legiſſe in Synodo Chremonenſi, & vidiſſe practicare in

Pro Miſſa in die Feſto duplex poſſe accipi ſtipendium aliqui dicūt.

Diœceſi

Diœceſi Florentina. Raphaël de Averſa *de Euchar. quaſt.* 11. *ſect.* 17. §. 7. dicens quod non apparet quod hæc opinio reprobetur, vel quidquam contra eam dicatur in decreto Congreg. & quod in hac re poterit obſervari conſuetudo locorum.

125 Sed tenenda eſt ſententia negativa quam eſſe juxta decretum Congreg. diximus *tract.* 5. *de ſacrif. Miſſæ cap.* 5. *num.* 9. Et merito: nam hoc ipſo quod in tali decreto præcipiatur, quod tot Miſſæ dicantur quot ad rationem eleemoſynæ quantumvis exiguæ acceptæ correſpondent, & hoc univerſaliter abſque limitatione, tollitur quod duplicetur ſtipendium diebus feſtis: iſto namque duplicato, minimè illud obſervaretur. Et quod Sacr. Congregat. de diebus feſtis expreſsè non loquatur, nihil intereſt, quando indiffinitam propoſitionem ſtatuit, quæ in doctrinalibus & moralibus univerſalis æquivalet; maximè quando non accedit nova circumſtantia aggravans obligationem Sacerdotis, qui onus Miſſarum dicendarum in ſe ſuſcipit: nam quod in feſto celebret quis maior ei accreſcit labor vel occupatio, ut ob id duplicatum ſtipendium recipere valeat? Imò minor quam aliis diebus: cum illo die feriatus ab aliis exercitiis manualibus exiſtat, & magis Deo vacare debeat, & ſaltem miſſam audire teneatur, & ſic minus erit ei oneroſum Miſſam dicere. Et eſt diſpar ratio de Miſſis ſolemnibus, in quibus maius tempus inſumitur, miniſtrorum aſſiſtentia requiritur, & canentium illique inſervientium numerus multiplicatur. Quare pro Miſſa privata in die feſto non poſſe duplicatum ſtipendium accipi tenent Leander *tract.* 8. *diſp.* 4. *quæſt.* 7. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſolut.* 9. Machad. *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 12. *docum* 9. *n.* 1.

---

§. VI.

An Sacerdos qui Miſſam pro defuncto applicaret, & ſimul pro impetratione alicuius beneficii, à petente illam deſiderati poſſit duplex ſtipendium recipere.

Authores qui partem affirmativã quæſiti tenent.

126. CUm multiplex ſit fructus ſacrificii, alius ad ſatisfactionem pro pœnis temporalibus in purgatorio debitis, alter pro impetrandis à Deo aliquibus gratiis, vel favoribus: meritò dubitari poſſet, an Sacerdos qui à Petro accepit ſtipendium, ut pro eo diceret Miſſam, de Beata Virgine, vel de aliquo Sancto ad impetrandum à Deo aliquod beneficium, vel gratiam; & poſtea à Paulo recipit ſtipendium, ut pro ſuo defuncto eam applicaret, poſſet unico ſacrificio utrique obligationi ſatisfacere, & pro eo in tali caſu duplex ſtipendium recipere? Affirmat prima ſententia, quam probabilem putat Petrus Navarra *de reſt. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 246. & tenent eam Bordonus *reſol.* 25. *num.* 18. Quem citat Pellizzar. *tra.* 6. *cap.* 3. *num.* 31. Qui probabilem eam reputat quamvis ob decretum Sacr. Congregat. non eſſe admittendam dicat: & olim ante decretum ſatis probabilem extitiſſe docet Philibertus *de ord. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 16. *num.* 19. Quamvis addat hanc opinionem ſatis probabilem extitiſſe, cui nunc tamen non nihil adverſari videntur declarationes Sacr. Congregat. Concilii, eamque teſtatur vidiſſe obſervare viros timoratos, & eam ſuſtinuiſſe Faſcam præſtantiſſimum Societatis Ieſu Theologum, probatque hoc argumento.

127. Quia iſti duo fructus impetrationis & ſatisfactionis ſunt realiter diſtincti, & ab invicem ſeparabiles: ut cum Miſſa offertur pro exiſtente in peccato mortali ad impetrandum pro eo aliquod beneficium, cui proficit, quantum ad impetrationem: non quantum ad ſatisfactionem: ergo poterit Sacerdos unum pro uno, alterum pro alio applicare, ab utroque accepto ſtipendio. Probatur conſequentia, quia nec Sacerdos intendit ſe obligare ad applicandos bonos fructus; nec Miſſam petens, Sacerdotem ad utrumque effectum obligavit: cum id non expreſſerit, ſed tantum optatum impetrare beneficium à Deo virtute Sacrificii, & ſecundum regulam, de qua Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 7. *Hæc regula in oneribus maximè ſervanda eſt, ſi voluiſſet, expreſſiſſet.* § Imò ex motivis quæ habent Miſſam petentes (proſequitur ille) conjicienda eſt illorum voluntas: nam interdum eſt ſanitas pueri ægrotantis, qui non indiget ſatisfactione, interdum impetratio rei temporalis; nec quidquam de ſuorum peccatorum ſatisfactione cogitando, cum ſæpiſſimè ſint in ſtatu peccati mortalis, cum pro temporali aliquo beneficio Miſſam ſibi celebrari curant: non ergo eſt verum univerſaliter petentes Miſſas integrum fructum ex eis velle, ſed niſi aliud exprimant, præſumendum eſt, mentem illorum eſſe ex Miſſa optatum beneficium conſequi. Ratio præcedentis ſententiæ proponitur.

128. Sed hæc ſententia nullatenus eſt tenenda: ex illa namque ſequeretur, quod dum in fundatione Capellaniarum expreſse uterque fructus impetrationis & ſatisfactionis non petatur, ſed ſolum quod applicetur ſacrificium in ſatisfactionem peccatorum, vel refrigerium animæ, vel pro anima fundatoris, poſſet Capellanus ſ. re ſemper, aliud accipere ſtipendium pro applicatione fructus impetratorii, quod abſonum eſt & inauditum, & avaritiam multum fovens. Et contra id quod Sacr. Congregat. in ſolutione ad quartum quæſitum manifeſtè decrevit. Petens igitur à Sacerdote ſacrificium, quod per ſe primò exigit ab eo eſt fructus infallibiliter ex eo ſecutus ex opere operato, ſi non ponatur obex ex parte eius pro quo offertur, & talis eſt ſatisfactorius non impetratorius, ut tradit D. Thom. 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 1. & cum eo omnes: quare licet pro aliquo à Deo impetrando Miſſa votiva de aliquo Sancto petatur, primò & per ſe petitur fructus ſatisfactorius, ut fundamentum impetratorii. Quare hoc ipſo quod Sacerdos obligetur ad applicandum fructum impetratorium, qui non cauſatur ex opere operato, quamvis potens ſit & efficax ſacrificium ad cauſandum illum, obligatur etiam ad applicandum in quantum ſatisfactorium, quia illud fundatur in iſto, & ex illo conſequitur, ſi ita expediat. Et quando unum fundatur in alio ex vi inſtitutionis, obligatus ad unum, ad aliud obligari cenſetur. Quod tamen aliquando is pro quo offert ſit in peccato, & ſic ſacrificium illi non proſit ut ſatisfactorium, ſed in quantum impetratorium, hoc eſt per accidens, & ſic non minuit obligationem Sacerdotis: ac proinde dictam ſententiam falſam eſſe & in decreto relatu Sacr. Congreg. reprobatam, merito docent, Bonacina *diſp.* 4. *quæſt. ultima, punct.* 8. *num.* 15. Rodriguez *in Summ. part.* 1. Sententia oppoſita præcedenti ſtabilitur & probatur.

cap.250. concl.6. Thomas Hurtado *tom.1.tract.2. cap.4. reſol.15. à num.148.* Diana *part.6.tract.9. reſol.9.* Leander *tract.8. diſp.4.q.11.* Poſſevin. *c.2. num.25. pag.43.*

Sacrificium quod offertur pro dãte ſtipendium poteſt pro aliis ex charitate, & liberalitate offerri.

129. An vero idem ſacrificium quod pro uno offertur, à quo ſtipendium datur, poſſit pro alio & alio applicari, ex charitate, miſericordia, liberalitate, obedientia, aut ex alia obligatione quæ non ſit ex juſtitia? Affirmativè reſpondendum eſt cum Doctoribus infra citandis: quia ex una parte cum ſacrificium ſit infinitum, & ob hoc applicatum pro uno, nihil fructus illi detrahatur, per hoc quod applicetur pro aliis: quia omnibus prodeſt ſecundum cuiuslibet devotionem, nec unus ex alterius participatione in re minima lædatur, poterit offerri pro eo à quo ſtipendium accipitur, & ſimul pro aliis ex charitate, gratitudine ſeu liberalitate, & ex alia parte Sacra Congreg. ſolum prohibet pro eodem ſacrificio duplex ſtipendium accipi, ac proinde applicari pro duobus à quibus debetur ex juſtitia; non vero applicari pro uno ex juſtitia, & pro aliis ex gratitudine, obedientia, ſeu liberalitate. § Ex quo ſequitur quod qui ex vi ſuæ regulæ, tenetur certis diebus offerre ſacrificium pro defunctis ſui Ordinis, pro benefactoribus, pro communibus neceſſitatibus, vel pro fundatoribus, præcisè ex gratitudine, & non ex pacto, poterit pro illis Miſſam offerre, & ſimul pro ea accipere ſtipendium, ut offerat illam ex juſtitia pro quo ſtipendium accipit ſine eo quod alicui damnum inferat; vel aliquid ex fructu ſibi pertinenti diminuat: Sic docent Thomas Hurtado *tom.1. tract.2. cap.4. reſol.17. art.183.* Lezana *tom.4. verbo Miſſa, num.22.* Petrus Navarra *lib.2. cap.2. num.268.* Philibertus Marol. *de ordine tract.3. part.2. cap.17. à num.3. fol.387.* Leander *tract 8. de Miſſ. diſp.4. quaſt.15.* Diana 6. *part. tract.6. reſol.5. & part.10. tract.15. reſol.43.* Dicaſtillo *tom.1. de Sacram. tract.5. diſp 4. dub.19. num.364.* Martinus a ſancto Ioſeph *lib.1. tr.17. de Euchar. num.4.* Ioan. Martinez a Prado *3. part. q.83. dub.13. num.20.* & alii.

Doctrina hæc animabus purgatorii, & Religioſis pauperibus favorabilis explicatur.

130. Hæc autem ſententia valde favorabilis eſt animabus purgatorii, magnique ſolatii Religioſis, qui ex ſuo ſtatuto tenentur ſemper pro intentione Prælati ſacrificare: & aliis Sacerdotibus pauperibus qui præ inopia nequeunt, niſi accepto ſtipendio Miſſas dicere. Etenim cum Miſſa ſit inſtar candelæ accenſæ, quæ tam uni, quam multis lumen impendit, per hoc quod uni applicetur ex juſtitia ob ſtipendium datum, æqualiter etiam applicari poteſt pro parentibus, pro amicis, pro benefactoribus, & omnibus ex æquo ſecundum eorum maiorem vel minorem erga ſacrificium affectum proficit: & poteſt contingere, ut in illo pro quo offertur ex pietate, aut gratitudine maiorem effectum cauſet quam in alio, qui ſtipendium dedit; quia in illo maior eſt devotio, juxta cujus menſuram cauſatur fructus ſatisfactorius, ut pulchrè ait D.Thom. *3. p. quaſt.79. art.5.* Vnde poteſt Religioſus pro ſuis neceſſitatibus, pro ſuis parentibus, idem ſacrificium offerre, quod applicat pro intentione Prælati. Unde poteſt amico tot Miſſas promittere oblaturum pro illo; & ſatisfacere per illas obligationi quam habet, ob ſtipendium acceptum, & ob fidem in promiſſione datam. Licet enim promiſſio acceptata pareret obligationem juſtitiæ; tamen non eſt obligatio juſtitiæ ex contractu oneroſo, qualis eſt illa quæ oritur ex accepto ſtipendio: ſolum ergo prohibitum eſt duplici obligationi juſtitia ex contractu oneroſo unica miſſa ſatisfacere; non vero duabus, imò pluribus aliis obligationibus quæ ex aliis capitibus proveniunt: nec ob id vel exiguum detrimentum ſentient uni ob conſortium aliorum. Et ſic advertit rectè Cajetanus *3. part. quaſt.83. art.1. Arguendi inſtruendique ſimul ſunt homines ignorantes petentes, vel exigentes pro ſua eleemoſyna totam ſibi Miſſam dari, aut ſuo Defuncto: non enim minus ipſe habebit ſi mille alii petant eandem Miſſam pro ſe ipſis, & aliis defunctis, quam ſi pro ſeipſo ſolo celebrari dicatur; imo ex huiuſmodi in devotione ſic petentis damnum videtur incurrere quod minus ſibi proderit.* Hactenus Cajetanus.

---

§. VII.

An Sacerdos vel Monaſterium, quod pro dicendis Miſſis ſtipendium ſumpſit, poſſit aliis Sacerdotibus dicendas dare, retenta ſibi parte ſtipendii.

Quid Sacra Congregat. ſtatuent quoad hanc materiam.

131. STante decreto Congregationis ſub Vrbano VIII. de quo hoc Puncto multoties diximus non manet in hac materia difficultas: ſiquidem in eo §. 4. ſic dicitur. *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcipit celebrandam, cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſyna ſibi retenta, celebrandam committat.* Cæterum quia de decreto iſto ſpecialiter quoad hanc partem ſic Philibertus loquitur, *tract.3. part.2. cap.32. num.8. fine.* [Audio tamen hoc decretum quoad hanc partem in multis Italiæ locis, necnon in ipſa alma urbe, à multis Collegiatis non ſervari.] & Martinez à Prado *3. part. quaſt.83. dub.13. §.7. num.67.* Sic dicit. [De acceptatione quoad hanc partem in Hiſpania dubitatum eſt.] & Thom. Hurtado *tom.1. tract.2. cap.4. reſol.16. num.164.* [& ego etiam addo quod in Hiſpania à multis viris doctis & Religioſis audivi totum hoc decretum non eſſe in Hiſpaniâ uſu receptum] quare de hac materia ab illo independenter loquimur, & inſpectis rerum naturis. Illud pro comperto habentes, quod ubi receptum eſt dictum decretum quoad hanc partem (uti eſt in noſtro Ordine) illicitum erit aliquid ſtipendii dati retinere, etiam ſi magnum ſit, & aliis Miſſas dicendas committere inferiori ſtipendio.

Sunt qui dicunt decretum Congregationis non obligare ſub mortali.

132. Dubitant vero aliqui an ubi receptum eſt, & obligat hoc decretum quoad hanc partem, obliget ſub peccato mortali, & ad reſtitutionem illius partis reſervatæ? Hoc mordicus negat Bordonus *in conſil. reg. tom.1. reſol.25. n.28.* Quod admittit ut probabile Thomas Tambur. *de ſacrif. Miſſ. lib.3. cap.1. §.5. num.6.* Nec eam ſententiam audet condemnare Pellizzar. *tract.6. cap.3. num.23.* Et tum iſtam, quam noſtram ſententiam refert Laurentius Peyrin. *tom.2. privileg. conſtit.9. Vrbani VIII. §.4.* Et nullam eligit, quin iſti videtur amplius adhærere cum eam ultimo loco ponat. Et ſatis dubium videri an ſit mortale inquit Lezana *tom.4. verbo Miſſa, num.35.* Probat ſuam ſententiam Bordonus: quia clauſula illa quam *numero præcedenti* retulimus, ſolum continet ſimplicem prohibitionem

nem, quæ non poteſt obligare niſi ad veniale: quia nec in ea aliqua gravis pœna aſſignatur, ſicuti in aliis clauſulis eiuſdem decreti, in quibus etiam obligatio reſtitutionis imponitur. Similiter in aliis verbis graviſſimis utitur Sacra Congregatio, quibus innuit graviter velle obligare: nam vel expreſsè dicit *graviter peccant*, vel, *ſub obteſtatione divini Iudicii præcipit & mandat*. In hac vero clauſula utitur ſimplici verbo *prohibet*, quod ex ſe non magis inducit unum quam alterum peccatum.

Decretum Congregationis ubi receptum eſt ſub mortali obligat.

133. Cæterum graviter velle obligare Sacram Congregationem conſtat, tum ex materiæ gravitate, tum ex motivo illius præcepti, quod eſt. *Omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere.* Tum ex verbo *prohibet*, quod ex ſe, ſuppoſita materiæ gravitate, & motivo gravi cui adjungitur; inducit obligationem gravem: ſicuti enim verbum *præcipio*, eſt præceptivum, & licet indifferens ſit ad veniale, vel mortale, ex materiæ gravitate & motivo ſimiliter gravi gravem inducere obligationem omnes dicunt. Sic verbum *prohibeo*: nam ſicut præceptum imperat actum, prohibitio illum excludit. Et utrumque graviter vel leviter obligare præſumitur juxta motivi & materiæ levitatem, vel gravitatem, quare in præſenti gravem inducere ex juſtitia obligationem tenet Averſa, *quæſt.* 11. *ſect.* 16. §.6. *in fine.* Franciſcus Lugo *de Sacram. lib.* 5. *cap.* 12. *quæſt.* 7. *num.* 77. Martinez à Prado 3 *part quæſt.* 83. *dub.* 13. *num.* 76. Diana *p.* 6. *tract.* 8. *reſol* 10. *& part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 69. & ut omnis ambiguitas in hac parte tollatur SS. Dominus Noſter Alexander VII. inter propoſitiones quas prohibuit Feria 5. die 14. Septembr. anno 1665. una eſt iſta. *Poſt decretum Vrbani poteſt Sacerdos cui Miſſa celebranda traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Cum ergo iſtam & alias contentas in illo decreto propoſitiones, prohibeat Summus Pontifex ſub graviſſimis pœnis, ambigendum non eſt tale decretum quoad hanc partem (ubi receptum eſt) ſub peccato mortali obligare.

Duplex alia declaratio Congregationis.

134. Et cum circa hanc partem decreti Vrbani VIII. ſuborta eſſet iſta difficultas, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem, pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſervientium, Paramentorum, Luminum, Vini, Hoſtiæ, & ſimilium? & circa hoc conſulta fuerit Sacra Congregatio: Reſpondit nullo modo permittendum eſſe: *Niſi cum Eccleſia, vel loca ipſa alios non habeant redditus, quos in uſum earundem expenſarum erogare licitè poſſunt.* Cæterum hæc prohibitio non tollit quod Sacerdos ipſe, qui Miſſam celebrat, etiam ſi adminiſtrator ſit Eccleſiæ qui ut celebrare poſſit cogitur emere ſacras veſtes, candelas, vinum, &c. poſſit licitè ſtipendium augere, alias eſſet pejoris conditionis quam alii, ut docent Philibertus *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 15. *num.* 21. *& cap.* 16. *num.* 20. Leander *tract.* 8. *diſp.* 4. *quæſt.* 13. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 1. *tract.* 13. *num.* 3. ¶ Nec dicta prohibitio locum habet in beneficiis & capellaniis, & ſic ibi in ſolutione ad octavam difficultatem dicitur. *Ad 8. non habere locum, ſed ſatis eſſe, ut rector beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ; niſi in fundatione ipſius beneficii aliud cautum fuerit.* Quod etiam commune eſt inter Doctores ut docet Ledeſma *c.* 18. *de Euchar. concluſ.* 13. *circa finem.* Et meritò, quia hæc pinguia ſtipendia in beneficiis, & Capellaniis inſtituta ſunt, ut Capellani & beneficiarii habeant unde commodè poſſint vivere, & non ſolum inſtituta ſunt ita pinguia propter Miſſas; ſed ob alia onera illis annexa. Et hac indulgentia uti etiam poteſt Capellanus Salariatus ad inſtar beneficiati, ut inquit Lugo *diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 30. Averſa *q.* 11. *ſect.* 17. §6. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 11.

Tria certa apud Authores ſupponuntur.

135. Videamus ergo modo quid juris ſit circa hanc materiam, præciſis decretis. Et ſupponimus primò quod adhuc illis ſtantibus colligentem ex officio ſtipendia pro Miſſis dicendis, ſive laïcus ſit, ſive clericus, pro onere colligendi, diſtribuendi, ſcribendi, &c. poteſt ex illis recipere partem, quæ vel ſibi pro huiuſmodi labore fuerit deſignata, vel alias fuerit juſta: quia dignus eſt operarius mercede ſua. Corduba *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 1. Navarro *Sum. c.* 21. *n.* 91. Thom. Hurt. *tract.* 2. *c.* 4. *reſol.* 16. *n.* 165. Caſtr. Pal. *tom* 4. *tr.* 22. *diſp. unica, punct.* 14. *num.* 9. ¶ Supponimus ſecundo, quod ſi Sacerdoti, qui per alterum facit celebrare, ſponte a celebrante condonetur exceſſus ille ſtipendii, juſte retinere poteſt, dummodo ſcienter, & gratis relaxetur, quod omnes cum duplici limitatione docent. Prima ut juſtum alteri ſtipendium donet, ſaltem infimum intra latitudinem juſti: quia aliter nullum jus habet retinendi reſiduum, niſi forte ille ſciens & volens tacitè, vel expreſſe velit inferiori illa eleemoſyna Miſſam dicere, quia ſcienti & volenti non fit injuria. Secunda quod hæc doctrina vel nunquam, vel nimis circumſpectè reducatur ad praxim: quia prudenter timeri poteſt, ne celebrans non omninò liberè ſeu liberaliter, acceptet onus dicendi Miſſas, & remittat ſtipendii partem, præſertim ſi ſit pauper, & egens, & non amiciſſimus commendanti; ſed potius metu compulſus cedat juri ſuo, eo quod forſan, alioqui non darentur ſibi tales Miſſæ, vel in futurum non dabuntur, vel quid ſimile veretur. Si tamen liberè, ſcienter, & ſpontè donet, dubium non eſt alterum poſſe retinere exceſſum etiamſi infra juſtum ſtipendium celebranti largiatur, ſicut poteſt totum ſtipendium ſibi retinere alio pro ipſo gratis celebrante. ¶ Tertio ſupponimus, quod ſi à viro amiciſſimo datum eſt duplicatum, vel majus ſtipendium intuitu perſonæ quæ Miſſam celebrare debebat, poteſt per alium ſacrificare, dato illi juſto ſtipendio, & reſervato ſibi reliquo. Diana 3. *part. tract.* 14. *reſol.* 12. Thomas Hurt. *tom.* 1. *tract.* 2. *c.* 4. *reſol.* 16. *num.* 161. Dicaſtillo *de Euchar. tract.* 5. *diſput.* 4. *num.* 376.

Quæ dicta & dicenda ſunt intelliguntur de his, qui dominium eleemoſynæ accipiunt.

136. Sed dicta hucuſque, & impoſterum dicenda intelligenda ſunt, de eo qui verè dominium ſtipendii acceperit, quia vel ipſe ſuſcipit onus dicendi per ſe, vel accepit ſtipendium, ut proprium cum onere dicendi per ſe, vel per alium tales Miſſas: ſi enim ſolum ſe haberet, ut ſimplex diſpenſator, qui rem alterius diſtribuit, nullum vel apparentem haberet titulum, exceſſum illum ſibi reſervandi; quin potius injuriam faceret dicentibus Miſſas: cum totum illis debeatur, & operaretur contra voluntatem donantis, qui non illi ut retineat, ſed ut aliis contribuat talia bona relinquit: ſicut œconomus qui non ſit Dominus rei, quam diſtribuendam aſſumit, & ſic nec partem illius citra injuſtitiam ſibi retinere valet. Dicaſtillo *num.* 374.

Palaus *tract.* 22. *diſp. unica punct.* 14. *num.* 9. Bonac. *quæſt. ultima, punct.* 8. *num.* 18. & omnes. Unde Sacriſta vel alius qui Miſſas colligit, ut per alios curet celebrari, niſi hoc lege aliqua, vel conſuetudine, ratione officii & oneris in eo impenſi juxta dicta *num. præced.* non poteſt partem aliquam eleemoſynæ ſibi retinere. Idem dicimus de teſtamentariis quibus committitur ut tot Miſſas, dato pingui ſtipendio celebrare faciant. Idem de illis qui Miſſas celebrandas accipiunt ob ſtipendium non à ſe ipſis, cum vel non ſint Sacerdotes, vel ſint impediti, vel ex proprio ſtatuto habeant, ut non poſſint ſtipendia accipere pro Miſſis: omnes enim iſti non acquirunt dominium illius eleemoſynæ; ſed ſunt meri diſpenſatores, qui nomine dantis illam, eam diſtribuunt.

Doctrina Pellizzarii proponitur, & ut nova & nimis laxa rejicitur.

137. Unde falſum eſt quod dicit Pellizzat. *tract.* 6. *cap* 3. *n.* 13. his verbis. [Addo quod ſi Religioſus electus in executorem teſtamenti, curet minori ſtipendio celebrari alibi Miſſas præſcriptas à teſtatore, quam celebrarentur in loco ipſo teſtatoris; ideoque minorem pecuniæ ſummam inſumeret in celebratione dictarum Miſſarum: tuta conſcientia, retinere poſſet reſiduum illud pecuniæ, quod item expendiſſet, ſi Miſſæ in loco teſtatoris celebratæ fuiſſent: & hoc titulo induſtriæ ab eo exhibitæ, in Miſſarum procuratione, ad quam induſtriam non tenebatur. Proportionabiliter ut dicunt authores communiter, eum qui rem alienam vendit, ex commiſſione illius, qui eſt dominus illius rei ſi ſua ſponte eam transferret in alium locum, ubi carius venditur, acquirere exceſſum illum pretii tanquam fructum induſtriæ ſpecialis ad quam non tenebatur.] Hactenus Pellizzar. qui dicit hoc non eſſe contra decretum Congregationis. Idem habet Thomas Tambur. *de Sacrif. Miſſ. lib* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 16. ¶ Sed abſit talem doctrinam amplecti, & negotiationem adeo turpem in re tam Sacra permittere. Quam non video quomodo non ſit condemnata in decreto Sacræ Cnngregationis. In quo etiam iis, qui ſtipendii dominium recipiunt prohibetur partem illius ſibi retinere, ut omne damnabile lucrum ab Eccleſia removeatur, quanto magis illis qui ſolum ſunt diſpenſatores miſſarum, de quibus omnes authores clamant, minus licere talem retentionem: & ideò ſe audiviſſe teſtatur Diana *part.* 10. *tract.* 10. *reſol.* 68. à fide digniſſimo, hanc opinionem inter aliquas fuiſſe damnatam à Sacra Congregatione indicis, in manuali Patris Pellizzat. eamque rejiciunt Franciſcus Lugo *de Sacramentis, cap.* 12. *q.* 5. *num.* 50. Fagundez *precept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 10. Averſa *q.* 11. *ſect.* 17. §. *tenentur etiam.* Quos refert Diana *loco citato.*

Sententia affirmativa circa quæſitum quæ probabilis eſt imò probabilior.

138. Ad noſtram igitur principalem quæſtionem deveniendo, ſunt qui aſſerant, præciſo decreto Congregationis, & attentis naturis rerum, non eſſe illicitum, nec obligans ad reſtitutionem, poſſeque Sacerdotem ſtipendium recipere pro dicendis Miſſis, & aliis minori commendare, retenta ſibi parte reſidua. Et probatur primo: quia in tali diſtributione, ſeu commutatione nulli fit injuria: non quidem ei qui dedit ſtipendium: quia Miſſa ejuſdem valoris pro illo offertur: neque etiam Sacerdoti cui commendatur: quia ſupponitur ei tribui ſtipendium juſtum in omni rigore, alioqui fieret ei injuria, hoc autem ſervato nulla fit, etiam ſi intra latitudinem iuſti minimum detur: Secundo, quia qui primo accipit ſtipendium ſtatim acquirit dominium illius ſub obligatione dicendi miſſam quam poteſt per ſe, vel per alium implere: ergo ſi poſtea integrè ſatisfacit illi obligationi, nulli fit injuria, tametſi minori ſtipendio id conſequatur. ¶ Tertiò exemplo habentium Capellanias quibus ſatisfaciunt per alios Miſſas dicendo, dando eis ſtipendia juſta, quamvis ipſi multo uberiora recipiant, & apud ſe reliquam partem conſervent. ¶ Quartò, quia ſi inveniret qui gratis ei vellet Miſſam dicere, & liberare ab obligatione quam habebat ratione exceſſivi ſtipendii, poſſet totum retinere: ergo ſimiliter exceſſum. Sic Soto *de iuſtit. lib.* 9. *q.* 13. *art.* 1 §. *ſed & hoc.* Rodrig. 1. *p Sum. c.* 252. *concl.* 9. *fin.* & *concl.* 12. Henriq. *de Miſſa, lib.* 9. *c.* 12. *num.* 8. Suarez *diſp.* 86. *ſect.* 3. *fin.* Vazquez *diſp.* 234. *c.* 4. *n.* 31. & 32. Prado 3. *p. q.* 83. *dub.* 13. *n.* 72. Thomas Hurt. *reſol. moral tom.* 1. *tract.* 2. *c.* 4. *reſol.* 16. *n.* 157. Diana 2. *p. tract.* 14. *reſol.* 10. Bonac. *de Euchar. diſp.* 4. *quæſt. ultima, punct.* 8. *n.* 18. Reginald. *lib.* 23. *num.* 240. Filliuccius *tract.* 5. *c.* 6. *q.* 9. *n.* 186. Palaus *tract.* 22. *diſp. unica, punct.* 14. *num.* 9. Leander *tr.* 8. *diſp.* 4. *q.* 6. Tambur. *de iure Abb. tom.* 2. *aſput.* 5. *q.* 9 *num.* 9. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 22. Dicaſtill. *de Euchar. tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 2. *n.* 372. Quæ certè eſt probabilior ſententia, ſaltem ſpeculativè, licet conſulenda non ſit; ſed potius corrigenda.

Sententia negativa ſatis probabilis & præcedenti oppoſita.

139. Secunda vero ſententia id negat eſſe licitum, & dicit eſſe injuſtum, ac reſtitutioni obnoxium, niſi lege, conſuetudine, vel volūtate ſaltem tacita commendantium ſit ordinatum, atque receptum. Primò, quia videtur eſſe quædam turpis lucri acquiſitio, & in ſpiritualibus negociatio, per ſe indecentiam continens, & avaritiam redolens. ¶ Secundo, quia hac via qui nunquam Miſſam diceret, poſſet hac occaſione diteſcere, quod eſt à ratione omnino alienum. ¶ Sed hæc ſolum probant dignum eſſe ut prohibeatur talis opinio, & ſic merito prohibita eſt per Sacr. Congregationem; Non tamen probatur, quod præciſo tali decreto, quomodo nunc loquimur, ſit ex ſe malum & injuſtum propter rationes primæ ſententiæ. ¶ Tertio quia non datur titulus ob quem reſiduum pecuniarum poſſit retineri: quia ſi aliquis, eſſet maxime ratione donationis gratioſæ factæ à conferente, hæc non datur: quia nec expreſſa, nec tacita voluntas illius conferendi exceſſum illum invenitur: quia ejus voluntas eſt, ut integrum ſtipendium celebranti detur, eo quod juxta quantitatem ſtipendii fructus ſacrificii ei communicatur. ¶ Sed certè hoc ipſo quod conferens eleemoſynam Sacerdoti det ſtipendium; ut dominus illius fiat, vult illi totum gratioſè dare, dummodo ipſe onus per ſe vel per alium adimpleat. Nec verum eſt, quod juxta quantitatem ſtipendii accepti à celebrante fructus ſacrificii danti accreſcat; ſed juxta devotionem, & eleemoſynam dantis, pro quo offert ſacrificium, etiam ſi à recipienti minus, celebretur. ¶ Sed nihilominus hanc ſententiam tenet Ioannes Futierr. *Canon.* 1, *lib.* 1. *q.* 29. *in fine.* Salmeron. *in Evang. tom.* 9. *tract.* 33. *fol.* 343. Hieronymus Garcia *tract.* 3. *diff.* 10. *dub.* 9. *num.* 5. Barboſa *in Paſtoral. part.* 1. *alleg.* 24. *num.* 11. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 7. Philibertus *cap.* 31. *n.* 8. Gavant. *comment. in Rubric. Miſſal. part.* 3. *tit.* 13. *num.* 34. & 35. Ledeſma *de Euch. c.* 18. *concl.* 13. *diff. unic. fol.* 102. Arag. 2. 2. *q.* 85. *art.* 5. *dub. ult.* Cordub. *q.* 4. *dub.* 1. *opin.* 2. Molfeſ. *tract.* 5. *cap.* 16. *n.* 25. Navar. *Summ. cap.* 25. *num.* 91. & alii.

§. VII.

§. VIII.

De reductione Miſſarum quæ poteſt fieri ab Epiſcopis & Generalibus virtute Concilii Tridentini.

Decretum Tridentini proponitur.

140. EXtat decretum graviſſimum Concilii Tridentini circa hanc materiam *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. his verbis. *Contingit ſæpe in quibuſdam Eccleſiis, vel tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum, ex variis defunctorum relictis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus, à teſtatoribus præſcriptis nequeant ſatis fieri, vel eleemoſinam huiuſmodi pro illis celebrandis adeo tenuem eſſe, ut non facilè inveniatur, qui velit huic ſe muneri ſubiicere, unde depereunt pia teſtantium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur. Sancta Synodus cupiens hæc ad pios uſus relicta, quo plenius, & utilius poteſt impleri, facultatem dat Epiſcopis ut in Synodo diœceſana, itemque Abbatibus & Generalibus ordinum, ut in ſuis Capitulis Generalibus re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute, legata ad pios uſus reliquerunt.* Hæc Sacroſancta Tridentina Synodus.

Decretum Congregationis quod hoc non eſt in Hiſpania receptum.

141. Et quamvis indultum hujus decreti, revocatum jam ſit per Sacram Congregationem, facultate ſpeciali ſibi ab Vrbano VIII. conceſſa, in decreto ſæpius in hoc puncto citato, quandoquidem §. 1. ſic dicit: *Primo diſtrictè prohibet, ac interdicit, ne Epiſcopi in diœceſana Synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoque modo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam ſedem recurratur: quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in domino expedire arbitrabitur. Alioqui reductiones, commutationes, & moderationes huiuſmodi, ſi quas contra huius prohibitionis formas fieri contigerit, omninò nullas atque inanes decernit.* Cæterum quia ut diximus *n.* 103. plures doctores graves dubitant, an hoc decretum ſit in Hiſpania receptum, & quo ad hanc partem certius judicamus non eſſe: Cum paſſim a ſanctiſſimis & doctiſſimis Epiſcopis ac Generalibus, reductionem fieri videamus inconſulta ſede Apoſtolica, forſitan quia ob diſtantiam non poteſt pro caſibus occurrentibus adiri, & quia cum Tridentinum ſit receptum in Hiſpania, quoad omnia onera illius, ægrè fertur ut favores in eo conceſſi, pro ipſa revocentur. Ob idque quoad hanc partem non eſſe receptum in Hiſpania aſſerunt Magiſter Ioannes Martinez à Prado *de Euchar.* 3. *p. quæſt.* 83. *dub.* 14. *n.* 10. Hyeronimus Garc. *in ſumm. tract.* 3. *diff.* 10. *dub.* 9. *num.* 3. *& dub.* 3. *num.* 16. *& dub.* 4. *n.* 2. Trullench *dub.* 3. *cap.* 8. *dub.* 11. *num.* 9. *&* 10. Uideamus ergo quid virtute Concilii poſſunt Epiſcopi & Generales ordinum, ubi tale decretum non eſt receptum.

Etiam ſine Synodo poſſunt

142. Et in primis ſupponendum eſt cum Navarro *in manual. cap.* 25. *num.* 138. Philib. March. *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 19. *num.* 2. & aliis: hoc jus Tridentini non eſſe novum, quo ad Epiſcopos, qui ex jure antiquo id poterant, etiam ſine Synodo Cap. *Cum acceſſiſſent*, Cap. *Ex parte*, Cap. *Cum Magiſter de conſtitutione*, Cap. *Quoniam de vita & honeſt. cleric.* Et Concil. Brachar. 4. *action.* 4. *cap.* 26. *fine*, quod non videtur per hoc decretum ſublatum, cum ſit additum ad augendum; non ad minuendum, argumento *ex cap. final. de verb. ſignific.* Quare fieri poſſe talem reductionem ab Epiſcopis modò ſine Synodo, quando ſtipendium eſt exiguum, habita ratione oneris Miſſarum quas poteſt diminuere conſtituta debita eleemoſina, non ſolum Capellaniarum, ſed etiam anniverſariorum & dotationum. Tum ob dicta; tum etiam quia Synodus non requiritur ad ſubſtantiam reductionis, ſed ad benè eſſe illius & ut maturius & conſultius fiat, quare non aſſignatur niſi ut ſolemnitas accidentalis. Et ſic praxi eſſe receptum quod Epiſcopi extra Synodum hoc faciant ex conſilio virorum prudentum, & timoratorum, quod Synodo æquivalet. Præter Navarr. & Philib. citatos, tenent Caſtto Palaus *de beneficiis diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 24. *& de Sacrif. Miſſ. tract.* 22. *diſputatione unica punct.* 16. *num.* 4. Hyeron. Garc. *in ſumm. tract.* 3. *diff.* 10. *dub.* 9. *n.* 25. Trullench. *lib.* 3. *cap.* 8. *dub.* 10. *num.* 9. Rodrig. *in ſumm.* 1. *p. cap.* 252. *n.* 17. Reginal. *tom.* 2. *lib.* 25. *cap.* 17. *num.* 134. Molfeſius *in ſumm. tom.* 1 *tract.* 3. *c.* 27. *num.* 29. Henriq. *tom.* 1. *lib.* 9. *de Miſſa*, *cap.* 22. *num.* 6. *littera* P. Fagundez *de* 5. *Eccleſ. præcepto, p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 15. Mitand. *t.* 1. *quæſt.* 41. *art.* 24. Barboſ. *de poteſtat. Epiſcop. p.* 2. *alleg.* 28. *num.* 12. *& alleg.* 29. *num.* 15. Quidquid alii in oppoſitum non improbabiliter dicant.

Epiſcopi reductiones facere.

143. At vero quia Concilium pro Prælatis regularibus ius novum ſtatuit, & formam conſtituit quomodo facienda ſit dicta reductio, nec ſit conſuetudo in contrarium dictas reductiones facere per ſe ipſos ſolum, non poterunt niſi in Capitulis generalibus eas efficere. Mitand. *art.* 24. *citat.* Barboſ. *alleg.* 29. *num.* 15. Lezana *tom.* 4. *verbo Miſſ. num.* 30. Rodrig. *quæſt. regul. tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 13. Monet. *de comm. ultimar. voluntat. cap.* 5. *num.* 372. Martinez à Prado 3. *p. quæſt.* 83. *dub.* 14. *num.* 18. Diana 2. *part. tract.* 14. *reſol.* 4. *&* 5. Quod ſolum Generalibus competit in Generalibus Capitulis; non Provincialibus in Capitulis Provincialibus, ut malè dixere Pereyn. *in addit. ad privileg. cap.* 1. *num.* 29. *ad finem*, Palaus *punct.* 16. *citat. num.* 3. Bruno *p.* 2. *de privileg. regul. tract.* 8. *cap.* 1. *propoſ.* 8. Sed immerito, cum Concilium ſolum Generalibus id concedat, nulla mentione facta Provincialium. *Fateor* (ut benè loquitur Martinez à Prado *loco citat. num.* 19.) *tamen conſuetudine poſſe Provinciales diſtantes ab Italia, acquirere Iuriſdictionem ad reducendas Miſſas, eo modo, quo conſuetum fuerit in ea provincia, quod etiam faciunt Epiſcopi, ſicut videmus in Italia pro alienatione rerum Eccleſiaſticarum requiri licentiam generalis & Sacra Congregationis; & tamen in Hiſpania propter diſtantiam ab urbe, non eſt in uſu pro alienatione exigere licentiam Generalis, aut Sacra Congregationis.* (De quo diximus ſupra *dub.* 2.) Sicut ergo in alienationis forma ſtandum eſt legitimæ conſuetudini, ita in Miſſarum reductione, ſemper tamen talis reductio admodum cautè & circumſpectè fieri debet à prælatis, & cum timore lædendi ſuas conſcientias, propter illa verba Concilii *re diligenter perſpecta pro ſua conſcientia &c.*

Generales ſine ſuis Capitulis nequeunt reductiones facere.

144. Et præſuppoſita juſta cauſa, quia

Reductio nimis cautè & raro facienda.

voluntates teſtatorum abſque illa violare eſt nephas ut inquit Barboſ. *ſupra n.3.* & Lezana *n.30.* & ut bene inquit Navar. *de Miſſar. celebr. Conſil.9. n.9. lib.3. tom.1.* Alteratio ultimæ voluntatis defuncti facta abſque juſtiſſima cauſa eſt quædam furti ſpecies contra 7. Decalog. præceptum, nequis re ſua privetur. Cauſæ autem juſtæ hujus alterationis eſſe poſſunt vel ſtipendii ac ſalarii diminutio, aut diſtractio, vel augmentum ſtipendii currentis, vel minor numerus Sacerdotum; vel extenuatio redditüum monaſterii, vel majores expenſæ neceſſariæ ad victum & veſtitum habito ſemper reſpectu ad vires legati, ſi quæ ad victum & veſtitum ſpectant longe carius nunc quam aliis temporibus emerentur, ſi defectu eleemoſynarum ſuſtentari nequeunt. Denique ſi magna eſſet neceſſitas fratrum, vel fabricæ Monaſterii, vel Eccleſiæ. Has & ſimiles cauſas aſſignant Azor *Moral. inſtitut. tom.3. lib.12. cap.6. q.5.* Fraxinellus *de obligat. Sacerd. ſect.7. § 5. n.3.* Barboſa *alleg.29. n.3.* Philibertus *tract.3 p.2. cap.19 n.26.* Lezana *verbo Miſſ. n.30.* Qui rectè docent diligenter inveſtigandum eſſe, quo tempore onus fundatum ſit, quibus modis, quibus ſtipendiis, quot Miſſis, præferendo antiquiores aliis.

Quomodo defuncti ſi qui Miſſas reliquerunt ſit commemoratio facienda.

145. Et quo ad id quod addit Concilium: *Eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, &c.* Notandum eſt ex declaratione congregationis ſufficere quod fiat vel in memento vel in collectis Barboſa, *num.11.* Fraxinell. & Lezana *ſupra* Pellizzar. *tract 5. cap.9. num 91.* qui addit fieri etiam poſſe vel in unaquaque hebdomada, generalem Miſſam pro eis celebrando, ſive ſingulis feriis ſecundis recitando primum nocturnum Defunctorum, ſive aliquid aliud tale faciendo. Unde cum in noſtra ſacra Religione tot nocturna recitentur, tot officia, tot reſponſoria, tot ternaria, tot Miſſæ pro benefactoribus applicentur, per hæc ſufficienter fit ſatis huic obligationi. Quibus conditionibus reductio dicta erit licita. Et ſi ob eam fructu aliquo ſacrificiorum alioqui debitorum, defuncti, vel fundatores priventur, id eſt per accidens, cum eorum voluntas moraliter impleri non poſſit. Præterquam quod credendum eſt fructum ex ſacrificiis applicandum, compenſari communicatione indulgentiarum, vel gratiarum quæ illi religioni vel Conventui ſunt conceſſæ, & quæ confratribus & benefactoribus conceduntur: Et eſt credibile Pontificem ex theſauro Eccleſiæ intentionem habere applicandi quidquid ad ſupplendum prædictum defectum neceſſarium fuiſſet ut benè inquit Prado *3.p. quæſt.83. dub.14. n.1.* Suarez *diſp.86. ſect 5. in fine.* Granado *controv.6. tract.14. diſp.11. n.7.* Henriq. *lib.9. cap.22. §.7.*

Regularium Miſſæ ab Epiſcopis poſſunt reduci.

146. Sed advertendum eſt eum Lezana *verb. Miſſa. n.32.* Pellizzar. *tom.1. tract.6. cap.6. n.62.* Prado *ſupr. num.* 27. Diana *2.p. tract.14. reſol.5.* Bordon. *reſol.25. n.33.* poteſtatem Epiſcopi quam diximus habere, vel in Synodo vel extra illam extendi etiam ad onera Miſſarum, religioſorum ſuæ Diœceſis, ſi regulares velint ad Epiſcopum recurrere ad hunc effectum: & ſi Epiſcopo concedatur facultas vel privilegium reducendi onera Miſſarum ſuæ Diœceſis, tale privilegium extenditur etiam ad onera Miſſarum regularium, ita ut poſſint ea reducere ſi verba privilegii, non reſtringant illud ad onera Miſſarum ſolùm Clericorum Sæcularium: quia etiam hujuſmodi onera ſpiritualia commiſſa religioſis ex propria ſignificatione vocabuli, dicuntur onera Diœceſis Epiſcopi habentis privilegium. ¶ Illud autem quod aliqui Authores requirunt, ad reducenda onera Miſſarum Capellaniæ, vel beneficii: nimirum, conſenſum patroni, alii meritò negant requiri, vel de eo mentionem non faciunt: cum nec Concilium Tridentinum nec ſacra Congregatio talem conſenſum, vel conſultationem efflagitent.

Ad quid extendatur vel non facultas Tridentini.

147. Sed modo inquires, ad quid extendatur dicta facultas conceſſa à Tridentino Epiſcopis, & Generalibus? Reſpondetur, quod in primis extenditur etiam ad reducenda anniverſaria & officia pro defunctis, quæ minuere poſſunt habita ratione ſalarii: quia in eis militat eadem ratio, atque in Miſſis, & ita declaratum eſſe à ſacra Congregatione Concilii aſſerunt Philib. *n.4.* Barb. *alleg.29.* Lezana *n.34.* Prado *n.22.* Nicolaus Garcia *de Beneficiis t.2. part.7. cap.1. n.131.* Et alii quos refert & ſequitur Diana *p.2. tract.14. reſol.5.* ¶ Sed non extenditur ad onera Miſſarum manualium, ſeu quæ per ſingulos dies alicui privato vel communitati conferuntur, quia ſi ſinguli dederunt conſuetum ſtipendium non poteſt Epiſcopus facere ut una Miſſa duplici, vel triplici obligationi ſatisfiat, niſi in extrema vel graviſſima alicujus privati vel communitatis neceſſitate. Lezana *verb. Miſſa num.34.* Prado *n.24.* Barboſa *n.14.* Philib. *n.29.* Tambur. *de jure Abbat. t.2. diſp.5. q.10. n.1.* Hieron. Garcia *in ſumm. tract.3. diff.10. dub.9. punct.2. n.11.*

Extenditur facultas ad onera impoſita poſt Concilium.

148. Et quamvis aliqui dicant dictam conceſſionem Tridentini reducendi Miſſas ad ſummam minorem ſolum extendi ad illas, quæ ante Concilium fuerunt impoſitæ; non ad eas quæ poſt Tridentinum imponuntur, quamvis ſit tenue legatum relictum; ſed recurrendum eſſe ad ſedem Apoſtolicam pro tali reductione, ut Pellizzar. *tractat.5. cap.9. n.91.* Lezana *verb. Miſſ. n.30.* Bonac. *t.1. diſp.4. qua. ultima punct.7. §.2. n.11.* Tambur. *t.2. diſput.5. quæſ. ult.* Diana *2.p. tract.14. reſol.2.* & alii, quia ita declaraſſe ferunt ſacram Congregationem. ¶ At verius eſt, extendi etiam ad reducenda onera Miſſarum poſt Concilium relicta. Tum quia indiffinitè loquitur Tridentinum, & ſic revocatio facta hujus conceſſionis ab Vrbano VIII. quam dedimus *num.141.* loquitur *de oneribus Miſſarum non ſolum ante Concilium; ſed etiam poſt Concilium poſitis.* Quod neceſſarium non eſſet, ſi antea ſolum licuiſſet reducere Miſſarum onera poſita ante Concilium. Tum etiam id probatur ex motivo & indigentia hujus conceſſionis, quæ æquè in Miſſarum oneribus poſt Concilium ac ante poſitis militat. Tum, denique, quia conſuetudine & praxi quæ eſt optima legum interpres paſſim vidimus Dominos Epiſcopos reducere etiam onera impoſita poſt Concilium. Atque ita docent Barboſ. *allegat.29. citat. num.5. & lib.3. de jure Eccleſiæ, cap.27. n.63.* Poſſevin. *lib.2. n.25. quæſt.9.* Palaus *tom.4. n.22. diſp. unica, punct.16. n.4.* Martinez à Prado *3.p. q.83. dub.14. num.21.* Philib. *de ordine tract.3. p.2. cap.19. n.13.*

Extenditur facultas Concilii ad onera Miſſarum poſita in limine fundationis.

149. Et ſimiliter quamvis aliqui ſatis probabiliter dicant, non extendi dictam facultatem, ad reducendas Miſſas, poſitas in limine fundationis Capellaniæ, vel Beneficii, ſed ſolum ad Miſſas vel anniverſaria impoſita ex ultimis voluntatibus defunctorum, per modum teſtamenti factis, ſi ob eorum numerum, aut tenuitatem ſtipendii, obiri nequeant, quia loquitur Concilium de Miſſis, vel anniverſariis relictis, non autem de impoſitis in limine fundationis Beneficii, vel Capellaniæ, ut tenent Tambur. *quæſit.10. n.2.* Pellizzar. *num.91.* Lezana *loco cit.* Nicolaus Garcia *de beneficiis, part.7. cap.1. n.3. & 4.* Barboſa *alleg.29. num.12.* Bonac. § 2. *n.10.* Prado *num.13.* Diana *reſol.2.* Miranda *tom. quæſ.41. art.2.* ¶ Probabilius dicimus

cimus extendi, tum quia eadem militat ratio, ut conſideranti patebit, & non negant dicti authores. Tum etiam quia Concilium loquitur abſolutè, & ſimpliciter de Miſſis relictis, non excludendo eas, quæ in limine fundationis imponuntur: & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Maximè verſantes in materia favorabili, qualis eſt iſta quæ non reſtringi, ſed potius ampliari debet. Tum denique: quia Urbanus VIII. revocando hanc facultatem Concilii dixit: *Poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis*, quod neceſſarium non erat ut *num. præcedenti* dicebamus, ſi antea talis reductio non licuiſſet. Sic Navarr. *de celebrat. Miſſ. conſil.* 11. *n.* 9. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *n.* 6. *litt. P.* Miranda *tom* 1. *q.* 41. *art.* 11. *in fine.* Fraxinell. *de obligat. Sacerd. ſect.* 7. *n.* 3. Moneta *de commut. ultim. volunt. cap.* 5. *n.* 368. Philibert. *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 19. *n.* 6. *&* 9. Imo Barboſa *dict. allegat.* 29. *n.* 15. ſic dicit: dicendum puto poſſe Epiſcopos, abſque conſenſu Congregationis Synodalis, temperare onera dicendi plures Miſſas in Beneficiis, ſive Capellaniis ſibi ſubditis.

§. IX.

Poſſitne authoritate privata Sacerdotis reductio Miſſarum fieri?

Sententia dicens poſſe fieri propria authoritate reductionē probatur.

150. HActenus locuti ſumus de reductione quæ poteſt fieri authoritate Epiſcopi, vel Generalis; veniamus ad illam gravem difficultatem, quotidie occurrentem, examinandam. An ſi poſt aſſignatum ab initio juſtum ſtipendium, pro certo Miſſarum numero, in ſingulos annos, contingat ex parte perire, diminutos eſſe fructus, ex quibus colligebatur tale ſtipendium abſque culpa ipſius Sacerdotis, vel communitatis, vel auctam eſſe taxam ipſius ſtipendii, ita ut non percipiatur eleemoſyna juxta præſentem ſtatum adæquata, ad illum totum Miſſarum numerum, poſſit Prælatus immediatus propriâ authoritate, ipſum minuere Miſſarum numerum ad rationem juſti ſtipendii tunc currentis? Affirmat prima ſententia, quæ his argumentis probari poteſt. Primò, quia ſi id in quo fundantur animo redditus pro Miſſis celebrandis penitus pereat, poſſunt omninò Miſſæ omitti propria authoritate. Tum quia beneficium datur ut ſtipendium officii, adcóque eſt æquum, ut ceſſante beneficio, ceſſet & officium. Tum etiam, quia cum eſt legatum omnino extinctum nulla eſt obligatio ad onera illius. Atque ita docent Fraxinell. *ſect.* 4. *concl.* 4. Pelliz. *tract.* 6. *cap.* 3. *q.* 19. *num.* 46. Martinez à Prado *ſupr. n.* 33. Lezana *verbo Miſſa, n.* 37. Houcala *Opuſc. de Val. Miſſæ, art.* 17. *concl.* 1. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1676. & omnes authores quos vidimus: ergo ſimiliter ſi ex parte pereat, poterit propria authoritate prætermitti. Probatur conſequentia: Tum quia eadem eſt proportio partis ad partem, quæ eſt totius ad totum. *l. ſi grege legato ff. de legatis* 1. & idem jus eſt de toto quoad totum, quod eſt de parte ad partem *l. quæ de toto ff. de rei vendicat*: ſed destructo toto ſtipendio, Sacerdos non tenetur celebrare: quando id accidit ſine ſua culpa: ergo etiam pro parte, quando pars deperit ſine Sacerdotis neghgentia. Tum etiam quia legatum relictum cum onere, ſi ex toto vel ex parte evaneſcat, onus quoque ex toto vel ex parte minuitur. *l. ei qui amplius ff. de donation.* & hæreditas relicta cum onere, ſi pro parte ab hoſte destruatur vel deterioretur, onus quoque pro rata eſt diminuendum *lege Plautius ff. de condit. & demonſtr.* Ac denique in contractu locationis non tenetur conductor ſolvere integram penſionem; ſed potius tenetur locator facere ei reſtaurum, quando ob grandinis, vel aquarum inundationem aut hoſtium depopulationem, fructus agri minuitur: ergo pariter in noſtro caſu.

151. Secundò arguitur pro iſta ſententia: Quia ſecundum plurium authorum opinionem, qui ſtipendium accipit inferius eo quod lege, aut conſuetudine taxatum eſt ab uno vel pluribus, poteſt privata authoritate numerum Miſſarum minuere ad rationem eleemoſynæ juſtæ lege, aut conſuetudine debitæ, de qua jam diximus *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. ergo ſimiliter poterit Capellanus vel Beneficiarius, vel alius, onera Miſſarum habens, eas minuere ex parte propria authoritate ad rationem eleemoſynæ tunc currentis, ſi ex parte ſunt redditus diminuti, ita ut ad illud non pertineant. ¶ Tertiò, quia ita videtur mens inſtitutoris, qui ob id pinguius aſſignavit ſtipendium, ut ſemper Sacerdos juſtum & congruum recipiat, & ne gravetur ultra vires ſtipendii. ¶ Negare non poſſumus hanc eſſe probabilem ſententiam (præſcindendo à decreto ſacræ Congregationis) quam tenent Perez de Lara *de Capellaniis lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 11. Bordon. *tom.* 1. *Var. reſol. reſolut.* 25. *num.* 26. Raphael de Averſa *de ſacrific. Miſſ. quæſt.* 11. *ſect.* 18. §. 3. tenet etiam Vidal. *in arca vital. Theol. Moral. tit. de Juſtitia, inquiſit.* 2. *per totam.* Eamque refert & judicium ſuſpendit Diana 7. *p. tract.* 12. *reſol.* 22. Quamvis poſtea 10. *p. tract.* 16. *reſol.* 65. oppoſitæ adhæreat, ob declarationem Cardinalium (de qua non loquimur, quia neque etiam juxta illam poſſet authoritate Epiſcopi dicta reductio fieri) Tenet denique hanc ſententiam Franciſcus Lugo *lib.* 5. *de ſacram. cap.* 12. *quæſt.* 9. *num.* 97. Qui *num* 98. notat [reductionem Miſſarum dupliciter conſiderari poſſe, primo modo quatenus numerus Miſſarum minuitur authoritativè, ſeu per diſpenſationem; in quo ſenſu loquuntur jura tam Tridentini, quam Urbani VIII. & ſic Pontifex, & qui habet authoritatem ab illo recedere poſſunt. Secundo modo quatenus numerus Miſſarum minuitur, ex æquitate ſeu ex juſtitia, quæ non patitur ut Sacerdos faciat gratis, aut minori pretio quod faciendum ſuſcipit ſub ſtipendio juſto; & in hac non requiritur poteſtas Pontificis aut Principis; ſed quiſque poteſt in vero contractu juſtitiæ medium à contrahentibus intentum ſervare, nec hoc eſt mutare teſtatoris voluntatem; ſed operari juxta mentem ipſius, qui noluit aut gratis, aut ſtipendio minori, cogere ſacerdotem ad celebrandum, cum ab initio congruum ſtipendium aſſignaverit: alioqui ejus voluntas eſſet injuſta, quæ ſervari non debet.] hucuſque ille.

Aliis argumentis dicta ſententia & authoritate probatur.

Non poteſt authoritate propria dicta reductio fieri.

152. Sed contra id quod dicit Lugo ſtat, quod reductio eo modo quo fieri poteſt à privato ſacerdote, Concilium tribuit Epiſcopis in Synodis, & Generalibus in Capitulis ut maturius fiat, & caſus illius procedit quando certo conſtat de tenuitate eleemoſinæ pro Miſſis celebrandis: ergo noluit hoc committere cujuslibet arbitrio. Nec quod re ipſa detur æquitas & juſtitia ut fiat talis reductio (cum quælibet diſpoſitio intelligatur rebus ſic ſtantibus, & non alteratis *Lege quod ſervius. ff. de Condict. cau. dat.*)

confert privato ſacerdnti poteſtatem, & juriſdictionem ut per ſe faciat eam, ſed quod ſedes Apoſtolica, vel Epiſcopus eam faciat: Aliàs fruſtra Concilium peteret authoritatem Epiſcoporum, cum caſus de quo loquitur procedat, quando certò conſtat de tenuitate eleemoſinæ pro Miſſis celebrandis, & ſic reductio ejuſdem conditionis erit quoad rationem intrinſecam commutationis vel diſpenſationis, ſive ut ab Epiſcopo, ſive à privato ſacerdote præſtita. ¶ Oppoſita ergo ſententia tenenda eſt. Tum, quia reductio Miſſarum, ſivè per modum diſpenſationis, ſive per modum commutationis fiat, non pertinet ad authoritatem privatam; ſed ad Papam, vel ad Epiſcòpum, qui ſolum poſſunt ex juſta cauſa alterare voluntatem teſtatoris, aut fundatoris, quæ alteratio clauditur in reductione Miſſarum: ob idque Concilium Tridentinum ſolum Epiſcopis in Synodis, & Generalibus in ſuis Capitulis dictam facultatem conceſſit reduceodi miſſas ad minorem numerum. Ex quo conſtat nullum authoritate privata id facere poſſe. Tum etiam, quia diminutio illa, cum ſit contraria fundatoris diſpoſitioni, magna cum circumſpectione facienda eſt, ut ibi dicit Concilium. Non ergo debet Iudex illius conſtitui, qui onus illud in ſe ſuſtinet; quia nemo in propria cauſa Iudex rectus, & circumſpectus eſſe poteſt: ergo vel debet onus in totum relinquere, Capellaniam, vel beneficium quibus annexum eſt, deſerendo, vel excutere non poterit obligationem, niſi recurrendo ad ſupremam poteſtatem, atque ita tenent Azor. *tom.2. lib. 6. cap.24. quæſt.6. & tom.3. lib.12. cap.6. quæſt.4.* Martinez à Prado *3. p. quæſt.83. dub.14. n.29.* Gavant. *in manual. Epiſc. verbo Miſſa n.55. & 56.* Philib. *tract.3. part.3. cap.10. n.26. & 30. & cap.19. n.1.* Pellizzar. *t.1. tract.6. cap.3. n.42.* Lezana *tom.4. verbo Miſſ. n.37.* Palaus *tom.2. tract.3. de beneſic. diſp.1. punct.6. n.23.*

Solvuntur contraria argumenta.

153. Ad primum argumentum contrarium conceſſo antecedenti neganda eſt conſequentia, & ratio diſparitatis eſt: quia cum juſtitiæ æquitas depoſcit, ut omnes Miſſæ committantur ut eſt in caſu argumenti, nullum extat decretum Concilii, aut Papæ, ut recurratur ad ſedem Apoſtolicam, vel Epiſcopum, vel inter religioſos ad Generalem cum ſuo Capitulo, ſicuti conſtat extare in caſu reductionis Miſſarum ad minorem numerum: & fortè ideo eſt, quia ad moderandum numerum Miſſarum requiritur prudentia, & circumſpectio quæ ſolet eſſe in Epiſcopis & Generalibus, vel in ſacris congregationibus; at cum totus ſenſus deficit ſine propria culpa, facile quivis judicare poteſt, quod ceſſat Miſſarum obligatio, quomodo non datur commutatio voluntatis teſtatoris, quæ ſuperioris poteſtatem exigat: ſed revocatio illius & oneris impoſiti, ob ceſſationem ſtipendii totalem. Cætera quæ in argumento adducuntur ſolum probant, hoc poſſe fieri de ſuperioris licentia (ad quem hoc munus pertinet.) Cum tale judicium Concilium voluerit ipſi reſervari ex dignis motivis & rationibus.

Aliis argumentis occurritur.

154. Ad ſecundum quidquid ſit de illa ſententia antecedentis negatur conſequentia: & ratio diſparitatis eſt, quia manualium Miſſarum diminutio ad normam juſti ſtipendii, non poteſt ita congruenter ab Epiſcopis in Synodo, & à Generalibus in Capitulis peragi ob nimiam earum, & quotidianam frequentiam, & probationum defectum de earum ſtipendii tenuitate: ob idque privata authoritate, eſto licita eſſet talis reductio, fieri poſſit; non vero quæ fieri debet in caſu de quo nunc loquimur, in quo ea noo currit ratio, & ſic merito commiſſa eſt talis reductio Superiorum judicio. ¶ Ad tertium negandum eſt, eſſe talem teſtatoris, aut fundatoris voluntatem; quin potius ſemper velle colligitur ut ſua diſpoſitio obſervetur: Cum ob hanc cauſam in conſtitutione hujus oneris, perpetuarum Miſſarum majus ſtipendium aſſignaverit, quam pro Miſſis quotidianis: Et ſacerdos qui illud onus admittit, in ſe periculum ſuſcipit diminutionis ſtipendii, ob cujus periculi ſuſceptionem majus & pinguius accepit ſtipendium: & ſe (ut ſic dicamus) lucro & damno committat. Unde ſicut ob id non tenetur augere numerum Miſſarum, etiam ſi commune ſtipendium taxatum ſit minus, vel annui redditus meliorentur: ita non poterit propria authoritate illum minuere, ſi taxatum ſtipendium creſcat, vel annui redditus minuantur.

155. Plures alías obligationes habere regulares ex jure communi, quàm hoc capite, vel etiam tractatu, à nobis tactæ ſunt, non ambigimus. Reliquas prætermittere duximus; tum quia non ſunt adeò ſcitu neceſſariæ; tum quia paſſim obviæ apud authores, nec omnes de omnibus æquum eſt diſputare. At de illa obligatione quam religioſi habent recitandi officium divinum tam in communi, quam in particulari nihil hoc tractatu diximus: quia ob illius latitudinem expoſtulat ſpecialem tractatum.

TRACTATUS XVI.

DE HORIS CANONICIS A REGULARIBUS RECITANDIS.

PROOEMIVM.

VNA ex præcipuis Regularium obligationibus eſt recitatio Officii divini, tam in communi, quam in particulari : ideò quamvis præcedenti tractatu de aliquibus Regularium obligationibus egimus : ut hanc ex profeſſo examinemus pro ea proprium inſtituimus tractatum. Cæterum, quia horarum canonicarum recitatio non ſolum eſt propria obligatio Religioſorum, ſed etiam aliarum Eccleſiaſticarum perſonarum, aliquatum tantum in particulari & privativè, aliarum etiam in communi, & in Choro cum aliis : Uti eſt obligatio Canonicorum, & aliorum Præbendatorum Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, & aliarum tam ut ſuo muneri ſatisfaciant, & poſſint fructus percipere beneficii, quàm ut quotidianas diſtributiones lucrentur: Ideò de his omnibus hoc in loco ſermonem inſtituimus, præcipuas difficultates examinantes, ut tractatus iſte nedum pro Regularibus; ſed etiam pro aliis pluribus Eccleſiaſticis deſerviat : ideoque in quatuor capita totum negotium iſtud perſolvemus. In primo agemus de obligatione quam habent regulares recitandi horas canonicas in communi, ubi etiam de obligatione ſimili quàm habent Præbendati ſermo erit. In ſecundo de perſonis illis in particulari quæ penſum divini officii perſolvere privatim tenentur, ut de Religioſis profeſſis, de Clericis in ſacris conſtitutis, & de Beneficiariis, ac Capellanis : Ubi etiam agemus de reſtitutione ad quam tenentur beneficium habentes & omittentes Officium divinum. In tertio de modo quo Officium divinum debet perſolvi, ut de ordine, pronunciatione, interruptione, attentione, intentione, loco, tempore, & aliis circumſtantiis. Agemus etiam de cauſis quæ excuſare poſſunt à recitatione officii canonici, necnon de privilegiis quæ ſunt circa hanc materiam conceſſa Regularibus. In quarto de aſſiſtentia in Choro quam debent habere Canonici, & alii Præbendati ut poſſint lucrari diſtributiones quotidianas, & de cauſis excuſantibus ab ea.

CAPUT I.

De recitatione publica & in communi Officii Canonici.

1. QUAMVIS ad perfectionem ſubſtantialem Religionis non requiratur quod in ea Horæ Canonicæ in Choro, horis competentibus, canantur, aut recitentur: Cum aliàs Sanctiſſimæ dentur Religiones (præcipuè Societatis Jeſu) in quibus recitatio communis & in choro non invenitur, quæ non ob id, à vero & ſubſtantiali ſtatu Religionis deficiunt, ut diximus *tract. præced. cap.* 1. *num* 87. Nam ad hoc ſufficiunt tria ſubſtantialia vota Religionis, cum traditione facta Ordini in profeſſione, & in Religione, facta, approbata à Sede Apoſtolica, ſub regula, vel certa forma vivendi ab eadem Sede Apoſtolica approbata, deſcribenti media proportionata ad finem in tali inſtituto intentum: quæ omnia abſque exercitio chori valent reperiri; quamvis ut diximus *loco citato*, *num.* 85. cæteris paribus perfectior ſit illa Religio, quæ ad exercitium chori adſtringitur ex ſua regula, vel conſtitutionibus: Cæterum eſſe laudabile Deoque gratiſſimum, horas communiter cum cantu, vel abſque illo recitare, hoc in loco probare ſupervacaneum duximus: quia ſanis mentibus ſic ab Eccleſia eſſe inſtitutum, videre, ſufficit, & à tempore Apoſtolorum uſu & conſuetudine approbatum. Propterea illud prætermittentes (quod latè præſtat Suarez *tom.* 2. *de Religione, lib.*4 *de Horis Canonicis per octo Capita.*) Videamus quibus tale munus incumbat, & quomodo illi ſatisfaciant, quod hoc Capite, quatuor Puncta complectente, præſtabimus.

PUNCT. I. *De obligatione recitandi in communi Officium Canonicum.* n 2.

PUNCT. II. *De ordine, loco, & tempore quo debet in choro officium divinum recitari.* n.7.

PUNCT. III. *De obligatione integrè recitandi officium divinum in choro*, num 14.

PUNCT. IV. *Quam Breviarii formam teneantur ſequi qui debent Horas Canonicas tam in communi quam in particulari recitare*, n.26.

PUNCTUM I.

De obligatione recitandi in communi.

2. OFFICIUM recitandi vel pſallendi Horas Canonicas in communi, quamvis non ſolùm ad clericos & Religioſos pertineat; ſed etiam ad laicos, ut ex conſuetudine Eccleſiæ conſtat: quia non eſt officium requirens ordinem, ſed communem omnibus Chriſtianis, *cap. Pſalmiſta* 23. *diſt.* Non tamen laici omnes promiſcuè, poſſunt in choro cum clericis pſallere, ſed illi dumtaxat, qui à clericis ad hoc munus obeundum, ſunt deputati, ut in unum locum, cum illis congregati, majori cultu & decentia celebrent officium clericis & ipſis laicis electis canentibus, reliquo fidelium cœtu audiente. Ad clericos vero & Religioſos propriiſſimè hoc officium pertinet, cum illorum munus proprium ſit laudare Deum, pro populo intercedere, ipſumque ad devotionem excitare. Quapropter eſſe in Eccleſia præceptum officium divinum publicè recitandi à ſuis miniſtris, in cathedralibus, Collegiatis, regularibuſque Eccleſiis eſt certiſſimum, ut ex receptiſſima conſuetudine conſtat: & *ex cap. dolentes, de celebrat. Miſſar. & Clementina prima, eod. tit.* Eccleſia namque non ſolum intendit devotionem Eccleſiaſticorum promovere, quod per recitationem privatam obtinere poterat; ſed etiam totius populi profectum, eumque ad devotionem excitare. Et ſic dixit D.Th. *opuſc.* 19. *cap.* 1. *Orationibus & Pſalmis vacare in Eccleſia, eſt quoddam opus publicum, ad Eccleſiæ ædificationem ordinatum.* Quod non conſequeretur Eccleſia niſi officium publicè diceretur, in loco ubi populus congregatur: & ſic tempore interdicti in quo populus prohibetur divinis officiis intereſſe, non pulſantur campanæ, quod ad Congregationem & ad incitationem fidelium ordinatur, cum officia divina publice recitantur in Eccleſia ex conceſſione, *cap. Alma mater, de ſent. excomm.* Præceptum eſt in Eccleſia recitandi publicè officium Canonicum.

3. Unde attento juris rigore in omnibus Eccleſiis, Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus, & Parochialibus eſt obligatio dicendi publicè divinum officium ſingulis diebus, niſi ex proprio inſtituto à Sede Apoſtolica approbato, ab hoc deobligentur ut in graviſſimo Societatis Jeſu ordine repetitur) ut conſtat *ex Clement.* 1. *de celebrat.* ubi ſic dicitur; *In Eccleſiis Cathedralibus, regularibus, & collegiatis, devotè pſallatur; in aliis vero convenienter & debitè celebretur divinum officium diurnum pariter & nocturnum.* Idemque manifeſtè colligitur *ex cap.* 1. *de celebrat. Miſſ. cap. dolentes, eodem titulo, cap. ultimo* 92. *diſtinct.* Et ratio eſt, quia ſi fuit neceſſarium ad excitandam populi devotionem, ut officium divinum publicè recitaretur: talis obligatio præcipuè debebat inveniri in dignioribus, & principalioribus Eccleſiis, quia ibi major datur populi concurſus, majorique poterat cum ſolemnitate celebrari. Cæterum cum hoc ex jure poſitivo dumtaxat habeatur, adverſus quod poteſt prævalere conſuetudo: ex illa in pluribus Eccleſiis præcipuè Collegiatis, & Parochialibus, imò in pluribus regularibus, habetur ut ſolum pro diebus Dominicis, Feſtivis & aliis ſolemnioribus hoc obſervetur; imò in aliquibus, Tenentur ex rigore juris Eccleſiæ Cathedrales, regulares & Collegiatæ communiter dicere offici Canonici.

aliquibus, eſt, ex toto talis obligatio ablata, ſive ob tenuitatem ſtipendii quæ non videbatur ſufficiens ad hanc obligationem gravem, & continuam imponendam, ſive ob paucitatem miniſtrorum, ob quam non poterant officia debitè & convenienter celebrari, ſive quia aliis utilibus & neceſſariis Eccleſiæ miniſteriis, & officiis ſunt occupati. Quare eſt inſpicienda conſuetudo, quæ ſi ex prædictis cauſis fuerit legitimè introducta, erit ſufficiens juris communis obligationem abrogare. Quæ omnia docent, Sylveſt. *verb hor. Canon. quæſt* 10. Lezana *tom.* 1. *c.* 12. *num.* 9. Suarez *lib.* 4. *de hor. canon. cap.* 10. *à n.* 3. Bonac. *de hor. canon. diſp.* 2. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *n.* 2. Caſtro Palaus *tom.* 2. *tract.* 7. *de orat. diſput.* 3. *punct.* 1. *num.* 4. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 23. *c.* 4. *q.* 4. Pelliz. *tom.* 1. *tract.* 5. *c.* 8. *num* 7. Diana *part.* 10. *tract.* 14. *reſolut.* 1. Et talis obligatio incumbit præcipuè ſuperioribus, & Prælatis qui curare debent ut officium divinum debitè, ac devotè, quotidie celebretur, & ne tempus ſacro cultui præfixum acceleretur, neve retardetur vel tranſiliri ſinatur, ſed ſatis temporibus, locoque competenti, penſum divinarum laudum perſolvatur.

Prælatus ſub mortali debet procurare ut quotidie officium divinum recitetur.

4. Ex quo deducitur, quod in Eccleſiis, ubi conſuetudo viget divinum officium publicè celebrandi, vel ubi per contrariam conſuetudinem non eſt abrogatum jus commune, ſub gravi culpa tenentur eorum Prælati & ſuperiores curam, & ſollicitudinem adhibere ne unquam horæ canonicæ publicè omittantur ut ex dicta *Clement.* 1. conſtat. Spectat enim ad ſuperiorem communitatis, cui commiſſa eſt cura & gubernatio illius, ut obligationes ejus (quarum una eſt iſta) executioni mandentur. Quamvis ipſe Prælatus perſonaliter ex vi hujus obligationis, non magis teneatur choro aſſiſtere, quàm alij; Tenetur autem curare ut per ſe vel per alios tali obligationi communitas ſatisfaciat ſi tamen Prælatus fuerit in hoc negligens, ſub eadem obligatione tenetur unuſquiſque particularis procurare, ne dictum officium omittatur in communi: quia devolvitur obligatio munerum, & officiorum communitatis ad ſingulas ejus perſonas, deficiente cura Prælati, ut tenent communiter Doctores.

Nullus religioſus in particulari tenetur ſub mortali choro aſſiſtere.

5. Deſcendendo autem in particulari ad noſtrum inſtitutum: ex jure communi (quidquid ſit de particularibus legibus, vel conſuetudinibus) nullus religioſus in particulari ſub culpa gravi tenetur, horas in choro dicere: quia neque ex jure ſcripto ad hoc tenetur, cum nullum detur obligans in particulari iſtum, vel illum. Nam *Clement.* 1. *de celebrat. Miſſar.* quæ ſolet in oppoſitum adduci, ſolum denotat eſſe talem obligationem in communi. Alii autem textus ut *cap. fin.* 92. *diſt. cap.* 5. *de celebrat. Miſſar.* non loquuntur de religioſis, ſed de Clericis Eccleſiæ per beneficium deputatis, de quibus *cap.* 4. *hujus tract. num.* 3. dicemus, nec etiam ex conſuetudine, nulla enim in religionibus ita graviter obligans reperitur, nec ex eo quod aluntur ex fidelium eleemoſynis, aut Eccleſiaſticis bonis, quia non dantur ſub hac conditione, ſeu ad hunc finem, ſicut Præbendatis, qui ob id magis adſtringuntur choro intereſſe, quam religioſi, ut loco citato dicemus, ſed ut Deo inſerviant juxta ſuum inſtitutum. Unde ſolum aſtringuntur ex vi ſuæ regulæ, ſeu conſtitutionum, quæ regulariter vel ad nullam, vel ad ſolam culpam venialem obligant. Et idem eſt dicendum de Monialibus. Tamburin. *de iure Abb. tom.* 2. *diſput.* 10. *quæſt.* 3. *num.* 3. Barthol. à S. Fauſto *in ſpecul. relig. quæſt.* 152. Pelliz. *tract* 5. *cap.* 8. *num.* 7. Diana 2. *part. tract.* 8. *reſolut.* 38. Palaus *tract.* 7. *diſput.* 3. *punct* 1. *num.* 12. Suarez *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 16. & 18. Bonac. *diſput.* 2. *q* 1. *p.* 1. *num* 10. & 11. Prælatus verò quamvis ſpecialiter obligatus ſit, curare, ne officium divinum in choro omittatur, ut diximus, non tamen ſpecialiori, quam alii, obligatione adſtringitur ibi aſſiſtendi, niſi tantum ob congruentiam, propter bonum exemplum; quin potius ob occupationes, & negotia graviora ſui muneris, faciliùs quam alii, poſſet excuſari.

Per ſolos novitios impletur obligatio chori.

6. Poteſt tamen obligatio communitatis recitandi divinum officium publicè ſufficienter impleri, ſi ad illud ſoli novitii concurrant: quia novitii in favorabilibus reputantur religioſi, & ſic in præſenti cenſendum eſt per religioſos fieri, quod per novitios impletur, & quia novitii ſicut profeſſorum gaudent privilegiis, ita poſſunt concurrere ad implenda onera illorum. Pelliz. *num.* 49. Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract.* 3. *diſput.* 6. *num.* 1598. & inclinat Diana *p.* 7. *tract.* 8. *reſol.* 5. ¶ Debent tamen ad ſatisfaciendum tali obligationi quatuor ad minus religioſi convenire, ſi commodè fieri poteſt, quia abſque tali numero non cenſetur ſufficiens communitas ad intentum: & ſic paucitas religioſorum degentium in monaſterio, excuſat ab obligatione chori, ut ſi in eo non eſſent ſaltem quinque expediti, quia impoſſibilium non eſt obligatio; reputatur autem impoſſibile quod commodè fieri nequit. Vidal. *tit. de horis canonicis inquiſit.* 1. *num.* 94. Bordon. *reſol.* 30. *num.* 8. Pelliz. *n.* 50. Antonius à Spiritu ſancto *n.* 1597. & *tract.* 2. *diſput.* 2. *n.* 151. Et idem eſt quando tametſi plures religioſi ſint in Monaſterio, ſunt aliqui infirmi vel in eorum aſſiſtentia occupati, aliiſve obligationibus gravibus præpediti, ſi quatuor vel quinque non remaneant expediti ad officium in choro debitè perſolvendum.

Quatuor religioſi requiruntur ut communiter officium recitetur.

PUNCTUM II.

De ordine, loco, & tempore quo debet in choro officium divinum recitari.

Ordo & tempus ab Eccleſia aſſignatum, ſervandum eſt pro recitatione publica.

7. IN publica recitatione omnino ſervandus eſt ordo, locus, & tempus ab Eccleſia præſcriptum, ut manifeſtè conſtat, tum ex *cap.* 1. *cap. dolentes Clem.* 1. *de celebrat. Miſſar.* Tum etiam ex conſtitutione Pij V. incipiente *quod à nobis* edita ſeptimo Idus Iulij *anno* 1568. & habetur initio Breviarii Romani reformati, in qua præcipit horas canonicas in choro recitari juxta formam ibidem præſcriptam, ad quam nedum ſubſtantia, ſed modus tempus & locus pertinet. Ordo conſiſtit, in eo quod non invertantur horæ canonicæ, vel ipſius horæ formula ab Eccleſia præſcripta, & ſic priùs dicatur Matutinum, poſteà laudes, deinde prima, &c. & hoc horis competentibus inductis textibus, & rubricis breviarii aſſignatis (quod ad tempus pertinet.) Tum ut res ipſa verbis ſacrorum hymnorum, & orationum correſpondeat, quæ cum temporis, in quo decantanda ſunt mentionem faciant, aliis temporibus decantata abſurditatem ingenerant, ut inquit D. Thom. *quodlib.* 3. *art.* 19. Tum etiam ob memoriam Myſteriorum Paſſionis Chriſti, cujus gratia ab Eccleſia

horas

horas canonicas ab Eccleſia inſtitutas fuiſſe, indicant carmina illa relata *in gloſſa dicto cap. de celebrat Miſſar.*

Hæc ſunt ſeptennis, propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis, cauſam dat Tertia mortis.
Sexta cruci nectit: latus ejus Nona bipertit.
Veſpera deponit, tumuloque completa reponit.

Standum eſt conſuetudini religionis ad tempus recitationis.

Illud autem tempus uſu ſervandum eſt, quod aliqua particularis conſtitutiu, vel mos aut laudabilis alicujus Monaſterii, vel totius ordinis conſuetudo præſcripſerunt, quia licet recitatio ſit de jure divino: *ſepties in die laudem dixi tibi Pſal.* 118. Ut dicitur *cap. 1. de celebratione Miſſar.* determinatio autem, vel diſtinctio officii, ut iſtæ vel illæ horæ dicantur hoc, vel illo tempore, eſt de jure poſitivo, & ideo poteſt per legitimam conſuetudinem mutari. Quare licet ex dicto *cap. 1. & Clement. 1. de celebrat Miſſar.* horæ deſignatæ ſint, quod ſcilicet Matutinum cum laudibus, dicatur, à ſolis occaſum vſque ad ortum, imò proximè poſt mediam noctem: Prima poſt ortum ſolis, Tertia, Sexta, & Nona antè prandium, ſeu circa meridiem, Veſperæ poſt meridiem, niſi in Quadrageſima, Completorium propè noctem. Cæterum, ut diximus, ex vſu ſervandum eſt illud tempus, quod aliqua particularis conſtitutio, vel mos, aut laudabilis Monaſterii, vel totius ordinis conſuetudo præſcripſerit. Pellizz. *tract. 5. cap. 8. num.* 12. Sylveſt. *verbo Hora Canon.* §. 9. Navarro *cap. 3. de oration. num. 39. & cap. 34. num.* 14. Tambut. *t. 2. diſp. 10. quaſt. 4. n. 3.* Reginal. *in praxi lib.* 18. *n.* 179.

In Eccleſia vel choro debet officium Canonicum recitari.

8. Quantum ad locum attinet ſemper talis recitatio debet fieri in choro, vel in Eccleſia, ita ut ſit peccatum mortale illud in Sacriſtia, Capitulo, vel alio loco communiter perſoluere: quia ita jubetur *cap. finali 92. diſtinct. cap. 1. Clement. 1. de celebrat. Miſſar.* Niſi gravis neceſſitas vel conſuetudo oppoſitum perſuadeat: Vt ſi vel Eccleſia ruinam minaretur, ſi ob infidelium perſecutionem non poſſent in Eccleſia congregari, vel ſi alicubi ex juſta conſuetudine ſit introductum, ut tali die, vel feſtivitate, in oratorio privato, vel capitulo tale officium recitaretur. Trullench *in deciſ. lib. 1. cap. 7. dub. 20. num. 1.* Palaus *diſp. 3. punct. 5. n. 2.* Bonac. *diſp. 1. q. 3. p. 5. num. 1.* Soto *de juſt. lib. 7. q. 5. art. 4. ſub fin.* Cajet. *verb. hora c. 5.* Sanch. *Conſil. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub* 44.

Tria notatu digna pro reſolutione quæſtionis proponuntur.

9. Sed rogabis: utrum invertere ordinem in publica recitatione ab Eccleſia vel conſuetudine præſcriptum, ſit peccatum mortale, ut ſi horæ non dicerentur ſtatutis temporibus, ſi quæ prius dici debuerat, diceretur poſterius, ut ſi Matutinum poſt horas minores recitaretur, vel ſi interrumperetur officium divinum in choro per multum tempus? In quo ut certa ab incertis ſeparemus, ſupponendum eſt primò quod ſi gravis & vrgens cauſa talis inverſionis detur, non erit peccatum mortale. Quia præceptum Eccleſiæ de recitando officium illis temporibus, vel ordine, ſemper ſub tacita conditione cenſetur, niſi vrgens cauſa oppoſitum perſuadeat. Ut ſi communitas ad recreationem honeſtam itura eſſet, ob idque primò manè omnes ſimul horæ recitarentur, ſi inſignis concio, vel proceſſio habenda eſſet, ob quod veſperæ in Quadrageſima ad aliquas horas poſt meridiem relinquerentur, vel primò manè, aut poſt ſolis occaſum dicerentur, ſi ob metum hoſtium, vel principis adventum, & ſimilibus cauſis horæ anteponendæ, vel poſtponendæ eſſent, hoc fieret abſque peccato, ut omnes concedunt. ¶ Secundò quod ſi talis alteratio temporis vel etiam ordinis, non fieret frequenter, ſed ter, aut quater in anno, etiam ubi non viget conſuetudo pluries hoc faciendi, omnes infra citandi authores excuſant à mortali talem inverſionem, etiam abſque cauſa factam: quia in ea non apparet tanta deformitas, ut ob id debeat reus peccati læthalis Prælatus judicari, vel alii ad hoc concurrentes. ¶ Tertio quod obligatio recitandi horas publicè, temporibus præſcriptis non eſt nimis reſtringenda cum tempus horarum juxta communium praxim, habeat magnam latitudinem, ut fatentur communiter doctores. Quare ſicut horarum propria tempora revocantur ad conſuetudinem, ita judicium de gravitate ante poſitionis vel poſtpoſitionis legitimi temporis, valde pendet ex conſuetudine, ac communi æſtimatione. Quare unius horæ præventio, aut dilatio non cenſetur gravis mutatio, niſi grave ſcandalum ſequatur, vel totum officium divinum ea de cauſa nimis perturbetur. Etenim quod ſpectat ad tempus recitandi matutinum, uſus obtinuit etiam apud regulares, ut recitetur diverſis temporibus, nimirum, vel proximè poſt mediam noctem, vel ſummo manè, vel veſperi poſt recitationem completorii, vel etiam ſub noctis initium, & ſic in vnoquoque ordine, provincia, aut monaſterio, quia ad hoc ſtandum eſt conſuetudini.

Non eſſe peccatum mortale officium divinum interrumpere, invertere anteponere, vel poſtponere aliquando.

10. Quæſtio igitur præſens eſt, quando nulla cauſa gravi intercedente nimis anteponeretur, vel poſtponeretur recitatio officii divini, & hoc non ſemel, & iterum ſed multoties, vel inverteretur ordo recitationis, ut ſi veſperæ dicerentur non dictis horis minoribus, ſi iſtæ ante Matutinum dicerentur, ſi non finito officio vnius diei, alterius diei Matutinum perſolveretur, ſi completorium, aut Veſperæ extra Quadrageſimam ante meridiem recitarentur, vel in Quadrageſima veſperæ poſt prandium, ſi Matutinum immediatè ante meridiem, vel quatuor horæ minores poſt meridiem dicerentur. Affirmat prima ſententia non peccare mortaliter Prælatum talem inverſionem permittentem aut alios ad id concurrentes, ſecluſo ſcandalo (ut ſupponimus non reperiri: eo enim ſtante nemo dubitat eſſe lætiferum.) Quia circunſtantia temporis vel ordinis, non cadit ſub præcepto, & quia eſt ceremonia accidentalis, quæ, ſi omittatur, non continet gravem deformitatem, & quia talis ordinis variatio ex ſuo genere videtur levis. Sic, loquendo de tempore docent Sanch. *Conſil. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 42. n. 3.* Leander à Murcia Capuc. *ſuper regul. D. Franc. c. 1. ſup. 3. regul. §. 2. n. 33.* Tancredus *3. tract. de relig. lib. 4. q 2.* Val. *tom. 3. diſp. 6. q. 2. punct. 6.* Bonac. *de hor. Canon. diſp. 1. q. 3. p. 3. n. 7. & punct. 4. n. 5.* Gavant. *in Rubric. Miſſ. t. 2. cap. 5. tit. 6. n. 9.* Ant. à Spiritu S. *tract. 3. diſp. 6. n.* 1592. Laym. *lib. 8. tract. 1. c. 3. n. 6.* à Sancto Fauſto *lib. 2. tract. 12. n. 10.* Trull. *lib. 1. cap. 7. dub. 19. n. 5.* Caram. *in regul. D. Bened. diſp. 101. n.* 1321. Diana *1. p. tract. 12. reſol. 14. & 7. p. tract. 11. reſol. 12. fine.* ¶ Idemque tenent de interruptione facta ſine cauſa in officio divino in choro, quod erit veniale, & ſi cum illa nullum, quia eſt quid accidentale, cum omnes Pſalmi & orationes ſuam completam ſignificationem habeant. Tancred. *n. 7.* Ant. à Spiritu S. *n.* 1594. à S. Fauſto *tract. 8. n. 8.* Bonac. *diſp. 1. q. 1. punct. 2. §. 1. n. 28.* ¶ Atque idem ſentiunt de inverſione officii divini, dummodò totum eodem die recitetur, Trullench, *num. 3.*

num. 3. Bonac. *q.* 3. *p.* 4. *num.* 5. Caramvel *n.* 1321. Gavant. *tom.* 2. *ſect.* 5. *c.* 5. *tit.* 8. *n.* 3. Diana 1. *part. tract.* 12. *reſol.* 16. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 31.

Peccatum eſt mortale officium divinum anteponere, vel poſtponere in Choro.

11. Cæterum tenendum eſt peccare mortaliter Prælatum, qui abſque vrgenti cauſa permitteret ordinem horætum canonicarum inverti, & hoc frequenter, vel notabiliter anticipari, vel poſtponi, vel cum magno iotervallo interrumpi in communi recitatione. Tum, ob præceptum graviſſimum Eccleſiæ tot textibus repetitum & in re adeò gravi, qualis eſt recitatio communis in choro, in quo cavetur, ut ſtatutis temporibus, & ſub prædicto ordine horæ canonicæ recitentur. Tum etiam, quia immutare horam debitam chori, vel illam anteponere, vel poſtponere notabiliter, continet notabilem deformitatem: Cum ſit inverſio in re adeò gravi, tantique ponderis. Sic Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 6. *num.* 213. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 11. Azor. 1. *p. lib.* 10. *cap.* 9. *quæſt.* 1. Sotus *de juſtitia lib.* 10. *quæſt.* 5. *art.* 4. *verſu ſequitur de tempore*, Aragon. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 12. *verſu de tempore.* Tambut. *tom.* 2. *diſp.* 10. *quæſit.* 6. *num.* 4. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 24. *diff.* 12. *num.* 2. Angles *in floribus verb. hora Canonica f.* 369. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 15. Palaus *tract.* 7. *diſp.* 3. *punct.* 5. *numero* 1. Reginald. *lib.* 18. *num.* 180. ¶ Ex quo deducitur, quod licet Epiſcopus poſſit deſpenſare ex juſta cauſa ſemel aut iterum (& idem eſt de prælato reſpectu ſui monaſterii) ut horæ in choro aliis temporibus, quam conſtitutis dicantur, & ſimiliter clerici alicujus Eccleſiæ poſſuor ex juſta cauſa, in hac vel illa occaſione mutare; non verò in perpetuum vel per longum tempus: quia in *Clement.* 1. *de celebrat. Miſſar.* præcipitur ex Concilio Viennenſi Prælatis, ut faciant dici publicè debitis temporibus, & in lege Concilii generalis non poteſt inferior diſpenſare. Pelliz. *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 11. Sanchez *tom.* 2. *conſilior. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 41. *n* 6. *&* 7. Trullench. *tom.* 1. *decalog. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 18. *n.* 6. *fine.* Niſi mutatio fieret per breve tempus, nimirum per dimidiam, vel per tres partes horæ aut per horam.

Accedens ad chorum tardè non debet repetere quod in eo eſt recitatum.

12. Rogabis ſecundò, an regulares vel alii Eccleſiaſtici tardè ad horam accedentes, poſt horam jam inchoatam ſatisfaciant obligationi recitandi privatim officium divinum ſi partem horæ omiſſæ poſtea non ſuppleant? Affirmativè reſpondendum eſt niſi multum ſit in hora proceſſum; ſi tamen jam ſit aliqua pars modica recitata, ut per unum, vel duos pſalmos in Matutinis, non eſt neceſſè eos poſtea ſupplere: Nam omiſſio modica in hac materia parvi ſolet æſtimari, quia ob ſocietatis vinculum alii canentes cenſentur defectum ſocii ſupplere, & idem eſt ſi aliquo accidente impeditus non recitet, ut ſi fluat humor è naribus, etiam ſi ob id choro exeat, & poſtea revertatur, & interim integer pſalmus cantetur. Pellizz. *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 43. Laym. *lib.* 4. *diſp.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. Sanch. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 15. *num.* 3. Si tamen ad recitationem Tertiæ, vel Sextæ v.g. accedat non recitata Prima, ſatisfaciet ſufficienter abſque vlla culpa, ſi poſtea intendat Primam recitare: quia tunc excuſatur illa inverſio ordinis ex cauſa rationabili, & prudenti, quæ tunc adeſt, ut eſt communis ſententia.

Prælatus permittere non poteſt, ut unum officium pro alio in choro recitetur.

13. Rogabis tertio, An Prælati regulares & idem eſt de Epiſcopis reſpectu ſuæ Eccleſiæ) poſſint ex juſta aliqua cauſa permittere, ut officium divinum in choro permutetur, nimirum quod chorus recitet de ſancto aliquo, qui non eſt in breviario, vel de ſancto quando de feria? Affirmare tenentur illi Doctores, qui tenent idem judicium quoad hoc, & alia ferendum eſſe de recitatione publica, ac de privata, quos dabimus infra *n.* 15. Cumque ipſi dicant in privata recitatione, poſſe unum officium pro alio recitari abſque vlla culpa, ſtante rationabili cauſa; idem dicere tenentur in hoc caſu. ¶ Sed quidquid ſit de privata recitatione, de qua *cap.* 3. dicemus, in publica hoc fieri nequit abſque gravi peccato. Tum, quia juxta Bullam Pii V. quæ eſt in principio Breviarii, qui debent recitare officium divinum, non utcumque ad illud obligantur, ſed juxta formam Breviarii, idque maximè in publica recitatione. Tum etiam, quia talis mutatio ſine nota & ſcandalo fieri nequit. Tum denique ob declarationem Congregationis Sacræ ſub *Vrbano VIII.* edita 8. *Aprilis anno* 1628. quæ in novis Breviariis apponitur, ubi præcipitur, ne de alio ſancto recitetur, niſi vel a Sacra Congregatione obtineatur facultas, vel ſit illius aliquæ inſignis reliquia in illa Eccleſia. Atque ita docent Portell. *in dubiis regul. V. hora canon. n.* 7. Suar. *t.* 2. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 6. Pelliz. *n.* 22. Raphaël de la Torre 2. 2. *tom.* 1. *contr.* 8. *n.* 6 Diana 2. *p. tract.* 12. *reſ.* 36. ¶ Concedunt autem dicti authores & alii ab ipſis citati, poſſe Prælatum regularem ex juſta cauſa per unam vel alteram vicem (præciſo ſcandalo) in hoc diſpenſare: Quia talis diſpenſatio ex una parte non videtur excedere facultatem Prælati regularis, & ex alia Pius V. vel Sacra Congregatio non videntur contra hoc decernere: quia ſolum præcipiunt ne officium in Kalendario immutetur, unum tollendo, vel aliud addendo, vel ſimplex in duplex, aut è contra immutando quod pro regulari & frequenti immutatione accipiendũ eſt; non verò quod hac, vel illa vice de aliquo ſancto, qui non eſt in Kalendario fiat recitatio.

PUNCTUM III.

De obligatione recitandi integrè officium divinum in choro.

Per unum diem horas in choro prætermittere eſt mortale.

14. PEccare mortaliter Prælatum & omnes ad id cooperantes ſi permittat vel per integrum diem naturalem omnes horas in choro prætermitti, vel vnicam integram horam, vel partem notabilem illius, communis tenet ſententia, ut videre eſt apud Dian. 10 *p. tract* 14. *reſol.* 3. Pelliz. *tract* 5. *cap.* 8. *num* 27. Palaus *tract.* 7. *diſp.* 3. *punct.* 5. *n.* 1. Suar. *t.* 2. *lib.* 4. *c.* 10 *n.* 3. (Quidquid in oppoſitum dicant, Tancredus *de hor. canon. tract.* 4. *q* 2. *dub.* 1. *n.* 11. Vidal *tit. de hor. canon. inquiſ.* 1. *n.* 3. *&* 95. Bruno *de privilegiis regular. p.* 2. *tract.* 8. *c.* 3. *prop* 4. *verſu dixi etiam*, Bordon. *reſol.* 30. *n.* 8. qui pro ſe alios citant. Quod immeritò non eſſe improbabile docet noſter Ant. à Spiritu S. *in direct. regul. tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1584.) Quia ſi omittere horas canonicas integre, vel in parte notabili per unum diem in privata recitatione, eſt peccatum mortale, ut fert communis ſententia, quanto magis omiſſio publicæ & cõmunis recitationis, quæ eſt majoris ponderis: cum actio recitandi publicè officium divinum ex ſe ſit difficilior & laborioſior cultuſque Dei inde proveniens præſtantior.

Datur parvitas materiæ in omiſſione recitationis publicæ.

15. Negare tamen non poſſumus admittendam eſſe parvitatem materiæ in omiſſione recitationis publicæ, ita ut non ſit peccatum mortale ſine cauſa aliquam commemorationem prætermittere, vel aliquem brevem pſalmum, & cum illa nec veniale: quia non eſt ratio, quare

in hac parte non detur parvitas materiæ, ſicut in aliis rebus, nec author detur vllus, ex his quot vidimus, qui eam neget. Cæterum nimis laxam judicamus generalem illam aliquorum Doctorum doctrinam, qui dicunt eodem modo judicandum eſſe de communitate, quoad officium publicum, ſicut de privatis, quoad officium privatum: quia ſicut communitas ſub culpa gravi tenetur ad officium, ſic etiam particularis. Vnde inferunt, quod illa attentio, intentio, & alia quæ ſufficiunt ad ſatisfaciendum particularem, ſuæ obligationi, ſufficiunt pro communitate, & quod illa parvitas materiæ quæ ſufficit ad excuſandum à peccato mortifero particularem Sacerdotem, ſufficit etiam ad excuſandam communitatem. Sic Diana 2. *part. tract.* 12. *reſol.* 41. Trullench *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 23. *num.* 2. Bonac. *diſputat.* 1. *quæſt.* 5. *punct.* 1. *num.* 3. Leander *tract.* 6. *de officio divino diſp.* 13. *quæſt.* 31. *fine.* Caramuel *in Theolog. regul. diſp.* 101. *n.* 1322. Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1591.

Reijcitur ſententia aliquorum circa materiam numeri præcedentis.

16. Hanc tamen doctrinam, tametſi quantum ad interiorem intentionem, & attentionem admittamus; eam tamen quoad reliqua reijcimus. Ex illa enim plura laxiſſima & abſurdiſſima ſequerentur, quæ nec ipſi authores auderent amplecti. Sic enim ſi hoc eſſet probabile poſſet frequenter officium breuius in longius commutari, de quo, dicemus *cap.* 3. *num.* 20. in privata recitatione poſſe eſſe probabile: Imò etiam poſſet communitas quotidie de officio reſurrectionis recitare ſine peccato mortali, in opinione eorum, qui perperam aſſerunt, eſſe probabile, id poſſe privatum in recitatione particulari, poſſet etiam in communi integra hora nimirum Prima prætermitti, toties quoties abſque lethali, vel quarta pars Matutini: quia aliqui eſſe probabile talem omiſſionem dicunt reſpectu totius officii eſſe materiam parvam in recitatione particulari. Poſſetque communitas abſque peccato mortali poſt occaſum ſolis Matutinum illius diei perſolvere, imo totum integrum officium divinum hora noctis decima, quia hoc poteſt facere in communi ſententiam particularis, hæc autem ſunt abſurdiſſima.

Vnius integri Pſalmi non exigui omiſſio in recitatione publica erit mortale.

17. Datur ergo latiſſimum diſcrimen inter obligationem communitatis & particularis, ut quæ in iſto non eſſet mortale, ſit in illa, vel in eius rectore: ſive quoad inverſionem officii, ſive quoad tempus, quoad locum & alia præcipuè quoad materiæ parvitatem. Nam ſicut eodem præcepto tenetur Sacerdos dicere, & verba Canonis in miſſa, & alia quæ in Miſſa recitantur: attamen quia Verba Canonis ſunt majoris ponderis in Eccleſia, minor quantitas ſufficit ad mortale in omiſſione illorum, ut fert communis ſententia, quam in omiſſione aliarum Miſſæ partium: & ſic licet prætermiſſio Evangelii, aut Epiſtolæ, aut aliquid amplius, non eſſet mortale, prætermiſſio autem æquivalentis in Canone, vel etiam dimidiæ partis ſufficeret ad mortale. Ita etiam dicimus in præſenti. Quod cum publica recitatio ſit gravior & ponderoſior, minor omiſſio circa illam ſufficeret ad conſtituendam omiſſionem gravem, quæ talis non eſſet in privata: nec enim quantitas partis omiſſæ attendi deder ſolum ex quantitate aliquota horarum; ſed magis ex quantitate, dignitate, ac gravitate ſua abſoluta. Quare dicimus in omiſſione integri Pſalmi non exigui voluntarie facta in publica recitatione eſſe peccatum mortale. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 3. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 27. Palaus *tract.* 7. *diſputat.* 3. *punct.* 5. *num.* 12

18. Illud autem ut certum ducimus, quod ſi ſemel in choro præter intentionem, bona fide, aut propter errorem vel inadvertentiam, aliquid prætermittitur vel mutatur, ut ſi una homilia loco alterius, vel una oratio alterius loco recitetur, vel certè prætermiſſa ſunt, nec tunc, nec poſtea debent in choro repeti (privatim faciant quidquid voluerint.) Tum, quia iam chori obligationi ſatisfactum eſt, & licet ex advertentia aliquid omittere ſit veniale; ex errore vel inadvertentia nullum. Tunc autem illud repetere eſſet confuſionem parere, officium interrumpere, & notam ex ſe cauſare, poſtea, ad nihil prodeſt; cum obligatio chori non ſit ſicut privata, ut invertendo officium poſſit ſupplere defectus; ſed ſolum eſt, ut officium debitis circumſtantiis perſolvatur, quibus deficientibus ſeu loco, poſtea eas ſupplere, ad nihil niſi ad notam & confuſionem deſervit, & fortè ad ſcandalum. Quemadmodum in Miſſa, ſi quis accedens ad Canonem, recordetur ſe omiſiſſe, vel tranſmutaſſe Evangelium, aut Epiſtolam, aut vtrumque nec tunc, nec poſtea debet illa repetere, quia ſolum eſt præceptum, ut tota cum ſuis partibus ſuo loco, & tempore, Miſſa dicatur, non ut omiſſa per oblivionem, aut inadvertentiam repetantur, ob confuſionem & notam quæ per talem repetitionem ex ſe poteſt adoriri: ſicut enim Miſſa ob publicam aſſiſtentium devotionem ex ſe tali modo dicitur: ſic officium divinum ob publicum decorem, & populi devotionem ex ſe publicè decantatur. Tum etiam, quia ut dicit Sanchez *conſil. tom.* 1. *capite* 2. *dub.* 43. *numero* 6. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 14. Navarr. *capite. Quando, cap.* 3. *Iuſpan. num.* 75. *Latin. numero* 78. Quod elapſo tempore reſpondente horæ canonicæ, quæ debet recitari in choro, melius eſſet illam omittere, quam poſtea dicere, idque ob evitandum ſcandalum, notam, & confuſionem quæ ex tali recitatione, alio tempore facta poterant ſequi, & quia præceptum de recitatione publica ſolum eſt ſtatutis temporibus, quibus tranſactis ceſſat: ergo ſimiliter ſemel jam recitata hora quamvis indebitè, vel ob omiſſionem alicujus partis bona fide factam, vel ob tranſmutationem illius, ceſſabit tale præceptum; & repetitio ſolum deſerviet ad notam & ad confuſionem cauſandam, & manifeſtandum defectum. Quæ diximus, ob plures regulares, quos in hac parte delinquere paſſim vidimus.

Siquid in choro omittitur vel tranſmutatur, poſtea repetendum non eſt.

19. Sed modo inquires primò, an recitantes in choro deſtinati in ipſius chori ſervitium, nimirum in pulſandis organis, vel campanis, libris transferendis, vel aliquibus aliis peragendis choro neceſſariis, ſatisfaciant obligationi recitandi officium divinum, ſi propterea aliquam partem officii omittant illam non cantando, nec audiendo? Reſpondetur affirmativè: quia cum tunc temporis detineantur, in his quæ pertinent ad divinum officium, cenſentur officio cooperare & ſupplere per alios quod omittunt, quia tam ſuo, quam aliorum miniſtrantium nomine recitant, ſicque ipſi cenſentur recitare moraliter, modis dictis cooperantes: vnde illud quod omiſerunt, non tenentur poſtea repetere. Sic Laym. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 13. *quæſt.* 20. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 24. *diff.* 16. *n.* 14. Ioann. a Cruce *in direct. conſcient. part.* 1. *precept.* 3. *art.* 3. *dub.* 7. *concluſ.* 1. Reginal. *lib.* 19. *n.* 160. *ad finem, &* *n.* 188. Molfeſ. *tract.* 5. *c.* 2. *n.* 21. *&* 22. Aragon. 2. 2. *q.* 83 *art.* 1 a *fine.* Leander à Murcia *c.* 1. *ſup.* 3. *regul. D. Franc.* §. 2. *n.* 27. Martin. à S. Ioſeph *in ſum. lib.* 2. *tract.* 6. *de oration. n.* 3. Ant. à Spiritu S. *in direct. regul. tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1599. Caramvel *in regul. D. Bened. diſp.* 100. *n.* 2319. Dian. 2. *p. tract.* 11. *reſol.* 13.

Qui occupantur in rebus ad chorum pertinentibus, etiamſi non recitet ſatisfacit.

Quidquid

Quidquid alii in oppoſitum dicant. Atque idem dicendum eſt qui in recolenda, vel perlegenda lectione, quam debet coram repetere, occupatur, qui excuſatur ab auditione, vel recitatione eorum, quæ tunc a choro dicuntur, quæ poſtea repetere non tenetur.

Quæ in choro per inſtrumenta pulſantur debent repeti privatim.

20. Inquires ſecundo, an recitantes in choro teneantur ſubmiſſa voce dicere verſus, qui organis vel aliis inſtrumentis pulſantur? Negativè reſpondet Sanchez *in ſil. part. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 16.* Quod valde probabile dicit Trullench. *lib. 1. in decalog. cap. 7. dub. 16. num. 6.* quia ab Eccleſia recipitur ſonus ille organicus loco vocis, & pro parte divini officii; ſed oppoſitum eſt dicendum: quia organa, aut alia inſtrumenta, verba humana verè non proferunt, & ſic non recitatur integrè divinum officium. Quare requiritur, ut verſus, qui per organa, vel alia inſtrumenta canuntur, vel ab aliquo altiori voce proferantur, vel a ſingulis ſubmiſſa voce, niſi caſu quo muſici cum organo aliiſve inſtrumentis verſus prædictos clara voce decantent, quia tunc ſufficiens erit muſicos cantores audire. Palaus *tom. 2. tract. 7. diſp. 3. punct. 4. num. 7.* Pellizzar. *tract. 5. cap. 8. num. 41.* Suarez *lib. 4. cap. 14. num. 15.* Bonac. *diſp. 2. quæſt. 3. punct. 2. §. 2. num. 13.* Villalob. *tract. 24. diff. 10. num. 4.* Filliuc. *c. 6. q. 3. n. 191.* Molfeſ. & Martinus à ſancto Ioſeph *loc. cit.*

Officium parvum B. Mariæ & Defunctorũ non obligat (niſi alia detur oppoſita conſuetudo) etiam Communitatem.

21. Inquires tertiò, an omittere officium Defunctorum, & officium parvum B. Mariæ in choro diebus præſcriptis in Romano Breviario, ſit mortale? Reſpondetur negativè reſpectu illorum qui utuntur Breviario Romano Pii V. Nam in Bulla Pii V. quæ eſt initio Breviarii, ſic dicitur. *Quod vero in rubricis noſtri huius officii præſcribitur, quibus diebus officium B. Mariæ ſemper Virginis, & Defunctorum, item Pſalmos pœnitentiales dici, ac pſalli oporteat, nos propter varia huius vitæ negotia, & multorum occupationes indulgentes peccati quidem periculum ab ea præſcriptione removendum duximus.* Quare eſſe jam talem obligationem per Pium V. ſublatam, omnes DD. qui poſt prædictam Bullam ſcripſere, defendunt. Sed hoc intelligitur, niſi alias in illa religione detur univerſalis conſuetudo talis officii recitandi, qualis eſt apud nos, reſpectu recitationis officii B. Mariæ ſemper Virginis diebus ferialibus, & Sanctorum ſimplicium: Tunc enim erit peccatum mortale, in communi tale officium prætermittere: quia reſpectu Religionum, vel Eccleſiarum in quibus viget talis conſuetudo, nihil Pius V. immutavit, quia infra in dicta Bulla dicit: *Hoc autem concedimus ſine præjudicio Sanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus officium parvum B. Mariæ ſemper Virginis in choro dici conſueverat, ita ut in prædictis Eccleſiis ſervetur ipſa laudabilis, & ſancta conſuetudo celebrandi more ſolito prædictum officium.* Cæterum ipſi Religioſi qui in choro tenentur dictum officium recitare ad illud, extra, perſolvendum non tenentur: cum talis obligatio ſolam communitatem afficiat: imò nec ipſi exiſtentes, tenentur cum aliis recitare, ſi per alios ſufficienter tale officium recitetur: quia hæc conſuetudo ſolum eſt reſpectu Communitatis; non vero ſingularium perſonarum illius, niſi quando ob defectus illorum, Communitas non ſufficienter penſum debitum perſolverit. Quæ ſunt communia apud Doctores, quos proinde ſuperfluum erit adducere.

Officium Defunctorũ die 2. Novembris debet omnino recitari.

22. Atque idem omnino dicendum eſt de officio Defunctorum die 2. Novembris, quod in choro debet recitari ob communem jam & receptiſſimam & univerſaliſſimam conſuetudinem: & quia eſt quaſi pars officii illius diei, & ita habetur ex Kalendario, & conſtat ex praxi. Palaus *loc. cit. n. 13.* Bonac. *n. 12.* Pelliz. *n. 48.* Ant. à Spir. S. *n. 1603.* Quidquid aliqui relati à Molf. *tom. 1. tract. 5. c. 1. n. 57.* intendant in oppoſitum probare, quorum fundamenta adducit Pellizz. *n. 4* & dicit videri ſpeculativè probare intentum; licet non practicè. ¶ Illud autem probabilius judicamus quod qui die 2. Novemb. tam officium Defunctorum quam diei omitteret, ſolum unum committeret peccatum, quia illa die duplex illud officium per modum unius imperatur. Tancred. *de rel. tract. 3. lib. 4. q. 5. n. 18.* Ant. a Spir. S *n. 1604.* licet Diana *9. p. tract. 7. reſol. 29.* intendat oppoſitum probare.

Litaniæ vel communiter vel privatiue debent recitari.

23. De Litaniis autem diebus S. Marci, & tribus ante Aſcenſionem, omnes aſſerunt obligare ſub mortali Communitatem ſive in proceſſione, ſive in choro recitentur. Reſpectu verò particularium an obligentur privatim eas dicere, tametſi probabiliter aliqui hoc negent, vel dicant eſſe probabile non obligare. Ita Diana *4. part. tract. 4. reſol. 46. & part. tract. 12. reſol. 42.* Antonius à Spiritu Sancto *num. 1605.* Machadò *lib. 2. part. 3. tract. 2. docum. 1. n. 5.* Pellizz. *num. 47.* Tancred. *tract. 3. lib. 4. q. 1. n. 18.* Molfeſius *in Sum. tom. 1. tract. 5. c. 1. n. 56.* Vaſquez *opuſcul. de benef. c. 4. §. 1. art. 2. dub. 1. n. 58.* Homobonus *in conſult. caſ. conſcient. volumin. 1. p. 5. reſponſ. 244.* Philibertus March. *tract. 2. cap. 12. diff. 2. fol. mihi 250.* Oppoſitum tamen eſt probabilius: quia eſt pars officii illius diei: & ſic in Rubricis Breviarii poſt feriam ſecundam Dominicæ 5. poſt Paſcha dicitur: *Hoc triduo qui non interſunt proceſſionibus Rogationum, dicant Litanias immediatè poſt Laudes cum ſuis precibus & Orationibus ſine Pſalmis pœnitentialibus.* Et idem habetur in die S. Marci. Nec in Bulla Pii V. excipiuntur Litaniæ, ſicut excipiuntur Pſalmi pœnitentiales Suarez *tom. 2. lib. 4. cap. 25. num. 7.* Bonacin. *diſput. 1. quæſt. 3. punct. 1. num. 13.* Trullench. *lib. 1. cap. 7. dub. 13. num. 9.* Palaus *tom. 2. tractatu 7. diſputatione 2. punct. 2. num. 13.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib. 2. tract. 4. num. 10.* Lezana *tom. 1. c. 12. num. 23.* Leander *tract. 6. de Sacram. diſput. 13. quæſt. 32.*

An non attendens vel non audiens partem alterius chori ſuæ obligationi ſatisfaciat.

24. Inquires quarto, an ſatisfaciant obligationi quam habent ſinguli Religioſi privatim recitandi, ſi in choro partem ſuam recitent, & non attendant ad partem quæ ab alio choro dicitur, ut quantum eſt ex parte ſua, illam audiant? Reſpondetur negativè: quia totum officium tenentur recitare, & ſic attendere, ut audiant aliam partem, ut eam per auditionem faciant ſuam (ſuccedit enim auditio loco pronuntiationis ab ipſo faciendæ) ut ſic tota recitatio ſit ab ipſis. Quare ſi non attendant ad illam ut illam audiant non faciunt ſuam: eum ad talem partem nullo modo concurrant: quia nec recitant illam, nec attendunt ut audiant. Sanchez *conſil. tom. 2. lib. 7. cap. dub. 13. num. 1.* Trullench. *lib. 1. in decalog. cap. 7 dub. 16 num. 9.* Bonac. *de horis canon. diſp. 2. quæſt. 3. punct. 2. §. 1. num. 21.* Pellizzar. *tract. 5. cap. 8. num. 38.* ¶ Sed quid ſi partem ſuam recitent, & alterius non poſſint audire, quantumvis attendant, vel quia qui communiter legit ſubmiſſa voce recitat, vel quia fit ſtrepitus in choro, vel quia ipſe ſurdus eſt, aut ſur laſter? Et quidem ſi audiat partem alterius chori

ſaltem in confuſo, omnes ferè dicunt ſatisfacere, tametſi diſtinctè illam non audiat, quantumvis attendat. Imo nec audire poſſit, quia eſt ſurdus, aut ſurdaſter. Cæterum ſi nec etiam ſic audire poſſit, probabile eſt non ſatisfacere. Tum quia ſicut commuiter dicunt Doctores, ſurdus recitans cum ſocio non ſatisſacit, eo quod non communicat cum eo eius audiendo partem: idem in iſto caſu', cum par ſit ratio utriuſque. Tum etiam, quia non ſatisfacit qui non recitat totum officium divinum, hic totum non recitat, quia licet recitet ſuam partem; noo aliam eo quod illam ſuam non facit: quia eatenus ſuam faceret, quatenus auditio loco recitationis ſuccederet. Sic tenent Bonac. *n.* 20. Reginald. *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 87. ¶ Sed probabilius ducimus ſatisfacere. Tum quia facit quod poteſt, nec debet adſtringi ad amplius, cum præcepta Eccleſiæ debeant benigne interpretari. Tum, & præcipuè quia in choro aſſiſtit, & quod ipſe dicit aliis communicat: ergo niſi per ipſum ſtet, quæ ab aliis dicuntur ipſi communicantur: eſt enim chorus corpus quoddam myſticum ſe communicans omnibus membris, & alii ſatisfaciunt pro eo quod iſtė audire non valet, & ſic eſt diſpar ratio de ſurdo cum alio privatim recitante, ac recitante communiter in choro: quia ibi non datur corpus quoddam myſticum, quod loco illius adimpleat, niſi per ipſum ſtet, uti datur in nuſtro caſu. Sà *verbo Hora Canon. num.* 9. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 1. *tract.* 4. *de orat. num.* 14. Trullench. *num.* 9. Diana 7. *part. tract.* 11. *reſol.* 5. Paſqualigus ab ipſo citatus. Et probabile dicit Pellizz. *n.* 39. pro ſe citans P. Suarez.

Etiam ſi recitans in choro ab alio audiri nequeat ſatisfacit.

25. Inquires denique an recitantes in choro, ut ſuæ obligationi privatæ ſatisfaciant, debeant ita clara voce ſuam partem dicere, ut poſſit audiri ab alio choro? Affirmat prima ſententia, & non ſatisfacere ſi ſubmiſſa voce recitent, ita ut audiri non poſſint ab alia parte, & ſic poſtea teneri repetere: quia ideo recitans cum ſocio ſatisfacit dicendo ſuam partem & audiendo aliam, quia communicat cum illo: ſed non cantans, ſed ſubmiſſa voce in choro ſuam partem dicens, non communicat eam cantantibus: ergo, &c. Ita Cajetanus *lib.* 17. *reſp. reſponſ.* 8. *& in Summ. verbo Hora in fine.* Armilla *eodem verbo, num.* 22. Sandobal *libro de Officio Canon.* 6. *part. cap.* 16. Navarr. *cap. quando, cap.* 10. *Hiſp. num.* 80. Latin. *num.* 81. Sed verius eſt ſatiſfacere, etiam ſi ita ſubmiſſa voce recitet, ut ab alia parte audiri non poſſit, & non teneri poſtea repetere, dummodo pars chori in qua ipſe eſt, ita dicat, ut ab alia parte audiatur, & ipſe alios audiat: quia non eſt neceſſe, ut canentes in uno choro audiant omnes voces alterius, aut recitantes, aut cantantes, cum unaquæque pars chori cum alia unum corpus conſtituat, & mutua communione ſe adjuvent. Trullench. *dub.* 16. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 6. *num.* 195. Aragon 2.2. *quæſt.* 83. *art.* 12. Sanchez *conſil. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 14. *num.* 2. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 33. *num.* 184. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 4. *de orat. num.* 12. Sotus *lib.* 10. *de iuſt. q.* 5. *art.* 4. Philib. *de ord. tract* 1. *part.* 6. *cap.* 12. *diff.* 7. *num.* 3. Diana *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 33. Bartholomæus a ſancto Fauſto *de Horis lib.* 2. *quæſt.* 133. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.*.. *punct.* 2. §. 1. *num.* 16. Villalob. 1. *part. tract.* 24. *diff.* 10. *num.* 9. & alii. Ex quo patet minus requiri, ut ita recitet, ut ab eo qui eſt juxta ſe audiri poſſit: id enim ad quid erit neceſſarium? Sufficiet ergo ſi ita recitet ſuam partem cum ea pronunciatione, quæ ad privatam recitationem eſt ſufficiens de qua *cap.* 3. *huius tractat. num.* 5. erit ſermo. An vero hoc modo ſubmiſſa voce recitans, poſſit lucrari diſtributiones quæ choro intereſſentibus conferuntur, vel ſaltem earum partem, pro ea, quam ipſe dicit vel audit *cap.* 4. *num.* 5. *huius tract.* dicemus.

PUNCTUM IV.

Quam Breviarij formam teneantur ſequi qui debent Horas Canonicas tam in communi, quam in particulari recitare?

Breviarium Romanum amplecti debent omnes communitates, quæ ante ducentos annos proprium non habeant.

26. AD principale huius Puncti quæſitum breviter reſpondemus: quod poſt motum proprium Pii V. Qui habetur initio breviarii, & alium Gregorii XIII. qui habetur initio Feſtorum Hiſpaniæ. Tenentur omnes Eccleſiaſtici tam regulares, quam ſæculares, ſequi formam Breviarii Romani, exceptis Religionibus, & Eccleſiis quas conſtat habuiſſe ſpeciale Breviarium, per ducentos annos ante inſtitutionem huius à Pio V. recogniti & emendari, ut conſtat ex ejus Bullis. At vero ſi Eccleſia Cathedralis, Collegialis, aut Regularis, quæ habuerat Breviarium ante ducentos annos, illud relinquere vellet, & ſe cum Romano conformare, hoc debet fieri ex conſenſu Capituli & & Superioris illius. Si vero ſuum retinere velit & Romanum non accipere, probabilius ducimus clericos, & regulares privatim recitantes, poſſe, ſi velint, vel recitare ſecundum Breviarium ſuæ Eccleſiæ, vel ſecundum Romanum. Hoc ſecundum in quo poterat eſſe difficultas probatur: Tum quia dum Pius V. exigit conſenſum Capituli, & Epiſcopi ad relinquendum Breviarium propriæ Eccleſiæ ante ducentos annos habitum, loquitur expreſsè de recitatione publica & in choro, in quo videtur concedere licentiam ad recitandum juxta Romanum privatim. Tum etiam, quia recitans juxta Breviarium Romanum conformat ſe Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt omnium mater. Sanchez *conſil. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 23. *num.* 2. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 18. Reginald. *lib.* 18. *num.* 133. Caramvel *ex Reg. D. Bened. diſp.* 109. *num.* 1392. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1608. Diana 2. *part. tract.* 12. *reſol.* 10. & 3. *part. tract.* 1. *reſol.* 135. & 7. *part. tract.* 11. *reſol.* 8. & probabile reputant Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 1. *num.* 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 12. *num.* 74. Suarez *lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 9. Palaus *tractat.* 7. *diſput.* 3. *punct.* 2. *num.* 3.

Non eſt mortale recitare privatim ſecundũ alium Breviarium à proprio aliqui dicunt.

27. Sed rogabis primò, an ſit modo peccatum mortale recitare juxta aliud Breviarium quam Pij V. ubi eſt receptum, & idem eſt de una religione, ſi recitaret juxta Breviarium alterius? Negat Metina *in ſum. inſtruct. confeſſ. lib.* 1. *c.* 14. §. 11. Caramvel *ſup. n.* 1394. & pro uno, vel altero die id ipſum aſſerunt Vaſquez *de beneficiis, cap.* 5. §. 1. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 57. Regin. *lib.* 19. *num.* 171. Diana *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 10. Antonius à Spiritu ſancto *tr.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1609. Quia ſolum eſt in præcepto quod recitetur officium canonicum, non vero qualitas illius, vel ſaltem hæc pertinet ad ritum accidentalem: ſed hoc de quo loquimur eſt officium canonicum:

ergo

ergo quod per alterd vel illud Breviarium recitetur ... mutatio ... accidentalis, quæ non ſufficiet ad mortale. Maxime ſi ſemel dumtaxat, aut iterum ... ¶ Sed ſi ſemel admittatur, quod bis aut ter abſque mortali talis mutatio fiat, non invenio cur non poſſet fieri frequenter, maxime ex juſta cauſa. Nam ſi præceptum ſolum eſt de recitatione, non verò quod hac, vel illa forma Breviarii fiat, ſed hoc ad ritum accidentalem ſpectat, quod multoties repetatur talis mutatio, non accedet ad mortale, maximè ſi fiat ex rationabili cauſa, ſicut docet probabilis ſententia, quod mutatio unius officii in aliud æquivalens juxta formam Breviarii, non erit mortale, etiam ſi frequenter fiat, quia ſalvatur ſubſtantia Officii Canonici, de qua eſt præceptum, etiam ſi mutetur ritus accidentalis, de quo *c.3.n.20.* dicemus.

Peccatum eſt mortale recitare juxta aliud Breviarium à Romano. 28. Quare probabilius ducimus eſſe peccatum mortale, talem mutationem in caſu noſtro, etiam ſemel, aut iterum factam. Et probatur hoc: Tum, quia Pius V. in dicto motu proprio ſic dicit: *Statuimus quoſcumque, qui tenentur ad horas canonicas, teneri ad dicendum ex præſcripto hujus Breviarij, & neminem ex his, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe.* Quid clarius? Tum etiam, quia aliud Breviarium, præter Romanum, abſolutè non continet officium canonicum, ſed pro illis dumtaxat Eccleſiis, quæ illo uſæ ſunt ante ducentos annos: ergo ſi alius recitet juxta illud, non recitat officium canonicum: ergo tenetur iterum recitare. Bonacin. *diſput.1.quæſt.3.punct.1.num.2.* Garcia *de beneficiis tom.1.part.3.cap.1.num.150.* Palaus *tract.7.diſput.2.punct.2.num.1. & 2.* Suarez *lib.4.cap.. num.4.* Sanchez *lib.2.conſil. lib.2.cap.2.dub.24. num.2.* ¶ Ex quo infertur non eſſe verum, quod aliqui dicunt, quod qui non haberet Breviarium proprium, haberet tamen alienum, à Romano, teneretur, juxta illud recitare: quia hic datur duplex præceptum, & de recitatione, & de hac formula, qui non poteſt primum adimplere teneretur ad ſecundum. Sic Lezana *tom.3. verbo Breviarium, n.6* Fellız. *tract.5.cap.8.n.70.* Antonius à Spiritu ſancto *ſupra n.1611.* Hoc verò non admittimus. Tum, quia in tali Breviario reſpectu illius non datur officium canonicum. Tum etiam, quia Pius V. in allegatis verbis aſſerit neminem ex his qui juxta Breviarium Romanum tenentur recitare, *niſi hac ſola forma ſatisfacere poſſe.* Tum denique, quia unum & indiviſibile tantum præceptum datur de recitatione, & de recitatione ſub iſta forma, aliàs ſi duplex eſſet præceptum duplex committeret peccatum, in confeſſione exprimendum, qui habens proprium Breviarium officium divinum omitteret, quod non dicent prædicti Authores: ergo qui non poteſt præceptum implere ſub illa forma ab eo liber manet, ſicut quia unum & indiviſibile præceptum datur de omnibus horis canonicis, qui non poteſt majorem; vel principaliorem illarum partem dicere, non tenetur ad minorem, ut dicemus *c.3. n.46.*

Aliqui à prædicta regula excipiuntur. 29. Epiſcopi autem religioſi, poſſunt juxta Breviarium ſuæ diœceſis officium divinum perſolvere, ut diximus *tractatu præcedenti cap.5. punct.2.* & idem eſt de ſociis recitantibus cum eis, ut conſtat, *ex clem. dignum de celebratione Miſſarum.* Atque idem dicimus de recitante cum alio, qui habet privilegium recitandi, vel in Breviario habente officium brevius, vel ante tempus recitandi, quod illo modo ſatisfacit ſocius ſuæ obligationi: Nam quod concedit privilegium pro uno correlativo extenditur ad aliud, eo quod diſpoſitum in uno æquè paratorum cenſetur diſpoſitum in alio, *cap. ſi poſtquam de elect. in 6.* Henriq. *lib.7.cap.30. num.4.* Trullench. *lib.1.cap.7.dub.14.num.7.* Diana *1.part. tract.12.reſolut.35.* Portel. *in dubiis regular. verbo hora canonica, num.8.* Martinus à ſancto Joſeph *in ſumm. lib.2.tract.4.de orat. num.18.* ¶ Etiam religioſi qui tenentur juxta Breviarium Romanum recitare, vel ratione itineris, vel alia juxta cauſa, poſſunt recitare cum aliis, vel etiam per ſe ſolos, juxta aliud Breviarium, & ſuæ obligationi ſatisfacere, ob conceſſionem factam Minoribus ab Innocentio IV. quæ habetur in eorum privilegiis *verbo officium divinum, §.4.* Quam non eſſe revocatam per Pium V. docet Rodrig. *in ſumm. cap.225.num.2.* in ultima impreſſione. Martinus à ſanctu Ioſeph *num.19.* Diana *tom.3. tract.2.reſol.135.* Tambur. *tom.2.diſp.10.q.8.n.5.* Antonius à Spiritu ſancto *tr.3.diſp.6.n.1611. & tract.2.diſp 2.n.158.*

30. Inquires ſecundo. An poſſint regulares exempti utentes Breviario Romano, recitare de feſtivitatibus Sanctorum, de quibus in diœceſi in qua exiſtunt, recitatur? Affirmativè reſpondetur (licet ad id non teneantur niſi quantum ad diem feſtivitatis Patroni, in qua cum Matrice tenentur conformari, propter conſtitutionem Gregorij XIII. quæ incipit *Paſtoralis officij,* id præcipientem.) Quia privilegium principis conceſſum Regno, vel Provinciæ, & nemini nocivum, eſt latè interpretandum: ergo privilegium conceſſum à ſede Apoſtolica ut de talibus feſtivitatibus recitetur, omnes Eccleſias etiam regulares ſub forma Breviarij Romani recitantes comprehendit. Trullench. *lib.1.cap.7. dub.13.n.7.* Palaus *diſp.2.punct.2.n.9.* Tambur. *tom 2.diſp.10.quæſit.8.n.6.* Poſſunt regulares de Sanctis ſuæ diœceſis officium dicere.

31. Inquires tertio. An Capellanus Monialium licitè poſſit ſe in recitatione accommodare cum illis, recitans de feſtivitatibus & Sanctis de quibus ob ſpeciale inſtitutum, recitant? Affirmativè reſpondendum eſt, non loquendo de omnibus Capellaniis Monialium, ſed de illo, qui Miſſam conventualem tenetur eis dicere, & eſt quaſi Parochus earum: Et ratio eſt, quia ut habetur in Bulla Pij V. affixa initio Miſſalis, & in prima rubrica ejuſdem miſſalis. Miſſa quotidie celebrari debet ſecundum ordinem officij de quo recitatur: Sed dicti Capellani debent Miſſam dicere Conventualem de ſanctis ordinis, quem Moniales profitentur: ergo poterit recitare officium de illis ſanctis & feſtivitatibus propriis illarum. Sic Quintanadveñas *tom.1. ſingul. quæſt. ſingul.7. n.4.* Favéntque Sylveſter *verbo hora,* Reginald. *lib.8. n.169.* Gloſſa *in cap. diernm de celebrat. Miſſar.* Et alij aſſerentes, quod Monachus qui præficitur Eccleſiæ ſæculari ſequitur conſuetudinem Eccleſiæ, cui inſervit, quoad officium Canonicum: ergo ſimiliter è contra ſæcularis præfectus, aut quaſi præfectus Eccleſiæ regulari ſequitur conſuetudinem illius quoad idem officium, cum contrariorum eadem ſit diſciplina *l. finali ff. de legatis.* Favent etiam Suarez *lib.4. de horis cap.23. n.6.* Filliuc. *tract.23.c.7.n.221.* Bonac. *diſp.1 quæſt.3. punct.1.n.9.* aſſerentes, quod clericus beneficiatus recitare debet juxta morem Eccleſiæ, in qua reſidet, etiamſi in alia habeat Capellaniam, vel beneficium: ergo ſimiliter in præſenti. Capellanus monialium de Sanctis de quibus illæ recitant recitare poteſt.

Epiſcopus non poteſt per ſe facere ut de alio ſancto fiat officium ac de illo de quo præcipit Breviarium.

32. Inquires quarto. An Epiſcopus inſtituere poſſit, ut totus clerus ſuæ diœceſis, feſtivitatem alicujus ſancti celebret, cum juxta rubricas Breviarij Romani de alio ſancto, vel de feria recitandum erat? Reſpondetur negativè per ſe loquendo, & præciſo alio privilegio: quia ritus & forma Breviarij Romani ſervanda eſt, cum ſit præceptum Pontificis, ut quilibet juxta Breviarium Romanum officium recitet, & nullus inferior poſſit in lege ſuperioris diſpenſare. Bonac. *num.* 19. Navar. *de orat. cap.* 11. *num.* 24. Palaus *diſp.* 2. *p.* 2. *num.* 12. Trullench. *lib.* 1. *c.* 7. *dub.* 14. *num.* 14. Concedunt tamen hi Authores in uno, vel altero caſu, in quo non poteſt Pontifex adiri, ut poſſit Epiſcopus indulgere, quod de aliquo ſancto canonizato, qui non eſt in Breviario Romano, clerici ſuæ Eccleſiæ officium recitent. Ob idque diximus non poſſe hoc facere per ſe, nec hoc etiam præcipere poſſet, præciſo alio privilegio: hoc enim ſtante poterit præcipere & obligare clericos ſuæ diœceſis, ut de illo Sancto celebrent. Tale privilegium habent Hiſpani, ut poſſint officium dicere, non ſolum de ſanctis, qui ſunt in manuali ſanctorum Hiſpanorum, ſed de quovis ſancto electo in patronum illius diœceſis, vel ſi eſt naturalis talis diœceſis, vel ejus corpus, ſeu notabiles reliquiæ in diœceſi requieſcunt. De his enim, omnes & ſinguli illius diœceſis officium celebrare poterunt propter conceſſionem factam à Gregorio XIII. in Bulla edita *anno* 1573. quæ incipit, *Paſtoralis officij*, & habetur in codice officiorum ſanctorum Hiſpanorum ubi ſic dicitur. *Vnamquamque Hiſpaniæ Eccleſiam eorum tantum ſanctorum qui in Breviario non ſunt deſcripti officia propria celebrare poſſe, qui vel illius Diœceſis ſunt naturales, vel eius Eccleſiæ, vel Diœceſis ſunt patroni, vel eorum corpora, ſeu notabiles reliquiæ in ea Eccleſia, vel diœceſi requieſcunt.* Quo quidem privilegio, alii, extra Hiſpaniam, certiſſimum eſt non gaudere, cum ſit pro ſola Hiſpania conceſſum.

Vocatum privilegium Hiſpanorum & declaratio Cardinalium adducitur.

33. Sed an hoc privilegium vigeat in Hiſpania modo, vel ſit abrogatum? Eſt etiam inter Doctores Hiſpanos nonnulla controverſia, ſpecialiter propter decretum Sacræ Congregationis rituum, quod juſſu Vrbani VIII. appoſitum fuit in editione noviſſima Breviarij Romani, ubi inter alia hæc habentur: *Inſuper vetuit, vel prohibuit celebrari per totam civitatem vel diœceſim etiam de cujuſcumque Ordinarii authoritate Miſſam, vel feſtum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adſit parochialis, vel regularis, aut abbatialis aut aliqua reliquia; ſed tantum in ipſius ſancti Eccleſia titulari, ſeu ubi aſſervatur inſignis reliquia, & non alibi.* Et addit: *niſi ea duntaxat quæ Breviarij Romani rubricis, vel ſacræ rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur.* Ergo nec de ſancto naturali illius diœceſis, poterit in tota, officium celebrari, nec de ſancto cujus corpus vel inſignis reliquia in illa diœceſi continetur, poterit in tota diœceſi officium divinum fieri, niſi tantum in illa Eccleſia ubi talis reliquia reperitur. Aliæ declarationes non ita claræ, authenticæ & publicatæ ac eſt iſta quam adduximus ſolent etiam hic compilari.

Explicatur declaratio Cardinalium & quædam limitatio præcedenti privilegio adjicitur.

34. Cæterum hæc minimè obſtant, quin dicamus poſſe Hiſpanos indulto à Gregorio XIII. conceſſo, uti: Quia ſacra Congregatio ſolum decernit id, quod de jure communi eſt obſervandum, & ſecluſo privilegio Sedis Apoſtolicæ, nec dictum privilegium eſt in tali decreto revocatum, cum in eo nullum detur verbum revocatorium quorumcumque privilegiorum, quod neceſſarium erat, ut tale privilegium in ſuo robore non perſiſteret. Quin potius in dicto decreto id obſervandum dicitur, niſi aliud à Sede Apoſtolica ſit conceſſum. Cum ergo Hiſpania habeat à ſede Apoſtolica hoc indultum, non eſt dicendum fuiſſe abrogatum, ſed ex vi illius poſſe modo Hiſpanos uti facultate recitandi officium divinum, vel de Patrono totius diœceſis; vel de ſancto naturali illius diœceſis, vel de ſancto cujus corpus vel inſignis reliquia in tali diœceſi requieſcit, nedum in illa Eccleſia in qua aſſervatur; ſed in omnibus & ſingulis Eccleſiis illius diœceſis. Ita Caſtro Palaus *tom.* 2. *tract.* 7. *de orat. diſp.* 2. *p.* 2. *num.* 10. Quintanadueñas *tom.* 1. *ſingul. tract.* 7. *ſingul.* 9. *à n.* 2. Trullench *lib.* 2. *in decalog. cap.* 7. *dub.* 14. *num.* 14. Lezana *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 34. Lugo Card. *in reſponſ. moralibus, lib.* 5. *dub.* 17. quamvis addat *num.* 4. quandam limitationem, nimirum, quod ex vi conceſſionis Gregorij XIII. in qualibet diœceſi poteſt fieri officium Sanctorum, qui vel naturales illius diœceſis ſunt, vel ejus patroni, vel quorum in illa diœceſis reliquia inſignis habetur, nimirum ſi ſancti illi ſint Hiſpani; non vero ſi ſint alienigenæ, & licet alii Authores citati, abſolutè abſque aliqua limitatione loquantur; nos vero hanc limitationem adhibitam ab hoc graviſſimo authore libenter admittimus, eo quod Gregorius XIII. in dicta Bulla addiderit: *Item concedimus quod quælibet Eccleſia, vel monaſterium Hiſpaniæ habens aliquas reliquias inſignes puta, caput, brachium, vel crus, alicujus ſancti etiam alienigenæ, non exiſtentis in Breviario, vel de quo in Breviario fit tantùm commemoratio, poſſit illius feſtivitatem celebrare & officium duplex facere, &c.* Quod fruſtra concederetur, ſi jam conceſſum eſſet, etiam pro ſanctis alienigenis in verbis præcedentibus officium in tota diœceſi. Cum enim Pius V. Hiſpaniæ indulſiſſet, ut de omnibus ſanctis ſibi naturalibus poſſet officium celebrare. Hanc conceſſionem Gregorij XIII. limitavit ſolum ad ſanctos, vel naturales, vel Patronos diœceſis, vel quorum inſignis reliquia in diœceſi quieſcebat: Pro ſanctis vero alienigenis conceſſit, ut ſolum in illa Eccleſia in qua erat inſignis reliquia poſſet officium celebrari; non in tota diœceſi.

De ſanctis quorum adeſt in Eccleſia reliquia officium fieri poteſt.

35. Sed hic advertendum eſt non ſolum in Hiſpania, ſed etiam extra illam, poſſe de ſanctis, quorum inſignis habetur reliquia, in illa Eccleſia, in qua talis reliquia habetur, ſub ritu etiam duplici celebrari. Sic Navar. *in* Lucerna *verbo officium num.* 8. Gavanto *ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 8. Quintanadueñas *ſup. ſingul.* 27. *num.* 7. Qui aiunt hoc conceſſum fuiſſe à ſacra rituum Congregatione 23. *Novembris anno* 1602. Inſignis autem reliquia judicatur (ut dicitur in decreto ſacræ Congregationis, quod habetur in principio Breviarij Romani noviſſimi) *inſignes autem reliquias declaravit eſſe caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua paſſus eſt martyr, modo ſit integra, & non parva, & legitimè ab ordinariis approbata.* Porrò de certitudine requiſita in approbandis his reliquiis Doctores plura dixere: moralem verò ſufficere deductam ex probabilibus argumentis, non autem eſſe neceſſariam, evidentem, & infallibiliter concludentem fere omnes concedunt, nec ut in una diœceſi reliquiæ colantur, & de ſancto cujus ſunt,

celebretur,

celebretur, neceſſarium eſſe ab Epiſcopo illius diœceſis approbari, ſed à quocumque orbis Epiſcopo ſufficere: quia ſolum approbatio requiritur, ſive ab hoc, ſive ab illo antiſtite fiat. Propterea vigore Tridentini *ſeſſ. 25. de reliq. & vener. ſanct.* poteſt quilibet Epiſcopus, etiam extra propriam diœceſim, & abſque Epiſcopi diœceſis licentia, reliquias ſuæ diœceſis approbare, & honorandas proponere: Cum hæc non ſit juriſdictio contentioſa, ſed voluntaria. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. p.3. alleg. 97. n. 14.* Diana 2. *part. tract. 15. reſol. 51.*

36. Cæterum, ut de Sancto cujus eſt reliquia celebretur, non eſt neceſſe ut ipſa ponatur in altari, ut omnibus pateat, ſufficit, quod vel ibi, vel in aliquo loco monaſterii obſervetur, non tamen ſufficit habuiſſe aliquando monaſterium talem inſignem reliquiam, licet fruſtrum aliquod ex illa perſeveret: quia privilegium ceſſat, ceſſante cauſa conceſſionis: ut *ex l. nihil intereſt, ff. de nautico fœnore*, docet Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 30. num. 16.* At ſi ex pluribus fruſtris, & non inſignibus reliquiis ejuſdem Sancti, una inſignis coaleſcere poſſet, celebrare de illo liceret, uti docet Quintanadveñas *tom. 1. ſingul. tract. 7. ſingul. 28. num. 6.* qui *num. 7.* advertit, quod ſi reliquia ſit eminentiſſimi alicujus Sancti, vel Chriſti Domini, aut Beatæ Virginis, non ita magna pars, aut quantitas requiritur, ac ſi fuiſſet alterius non ita eximii Sancti. Et ſic docet quod unica Coronæ ſpina, crucis non valde magnum fruſtrum, aliquot Beatæ Virginis Capilli, S. Ioannis Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum ſufficiunt oſſa ad palmum, vel quid æquivalens, ut reliquia inſignis dicatur, licet integrum caput, brachium, aut crus non ſiot: quia defectus quantitatis, ab exceſſu qualitatis ſuppletur.

CAPUT II.

De his qui tenentur in particulari horas canonicas recitare.

1. VTILISSIMUM eſſe officium divinum ab Eccleſiaſticis perſonis recitandum, luce clarius eſt, ad divinam majeſtatem laudandam, gratias illi referendas, inſtruendum animum, mentemque ad cœleſtia promovendam: cum plenum ſit verbis à Spiritu ſancto dictatis, SS. Patrum ſententiis, & exemplis mirabili modo diſpoſitum. Ob idque meritò dicitur divinum officium: quia Spiritu ſancto dirigente eſt ab Eccleſia tam ordinatè diſpoſitum. Et quia certis horis recitandum eſt juxta canonicas ſanctiones, *horæ canonicæ* appellatur, & dicitur *penſum*: quia ad illud recitandum quaſi ad tributum ſolvendum clerici obligantur. ¶ Et quamvis aliqui hoc officium conſtare ex octo horis canonicis dicant, quia Laudes à Matutinis ſecernuut, verius eſt eſſe tantum ſeptem horas, & Matutinum cum Laudibus unam dumtaxat conſtituere, & ſic terminantur ſub una oratione, & cum regulare ſit in omnibus horis initio dicere *Pater noſter*, id non advertunt rubricæ Breviarii in Laudibus, etiamſi ſeparentur à Matutinis in nocte Nativitatis. Bonac. *de horis canon. diſp. 1. q. 1. punct. 2. num. 2.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 6. n. 6.* Villalob. *tom. 2. tract. 24. diff. 6. num. 2.* Sanch. *conſil. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 1. num. 4.* Qui ob id aſſerit Sanchez non eſſe neceſſarium dicere *Pater noſter* in initio Laudum, etiamſi ſeparatim à Matutinis recitentur, nec orationem in fine Matutinorum, quando diviſim à Laudibus recitantur, licet ſit laudabilius id præſtare.

2. Tria ſunt genera perſonarum, quæ ad hoc penſum officii divini ſingulis diebus perſolvendum adſtringuntur: nimirum clerici in majoribus ordinibus conſtituti, puta Diaconi, Subdiaconi, Præsbyteri, Religioſi profeſſi choro ex profeſſione deputati, & beneficium aliquod habentes. Unde tamen talis obligatio naſcatur an ex jure divino? an ex poſitivo? An ex conſuetudine? & qualiter obliget hoc Capite diſputabimus, quod continet quatuor puncta.

PUNCT. I. *Qvomodo clerici ſacris ordinibus initiati teneantur quotidie horas canonicas recitare?* n. 3.

PUNCT. II. *An Religioſi profeſſi non conſtituti in ſacris, & Moniales teneantur ſub peccato mortali ad recitandum officium canonicum*, n. 9.

PUNCT. III. *De obligatione recitandi horas canonicas quam habent beneficium aliquod poſſidentes.* n. 26.

§. I. *De his qui tenentur ad recitationem ratione beneficii.* n. 29.

§. II. *An habens animum reſtituendi fructus beneficij peccet omittendo officium divinum?* n. 33.

§. III. *An ut Beneficiarius obligetur ad recitationem requiratur quod ſit in pacifica poſſeſſione beneficii?* n. 36.

§. IV. *An qui nullos fructus ex beneficio percipit teneatur ad recitationem?* num. 40.

§. V. *An ſi beneficium ſit exiguum teneatur illud poſſidens officium divinum recitare?* n. 46.

PUNCT. IV. *De reſtitutione quam tenentur facere beneficiarii officium divinum omittentes.* n. 50.

PUNCTUM I.

Quomodo clerici ſacris ordinibus initiati teneantur quotidie horas canonicas recitare?

Ex conſuetudine ſoli clerici in ſacris tenetur recitare.

3. SUbdiaconos, Diaconos, & ſacerdotes teneri quotidie ſub peccato mortali recitare officium canonicum, à die quo ſacris ordinibus initiantur omnes ferunt Doctores, ſive hoc pruveniat ex jure poſitivo *cap. 1. & cap. dolentes de celebrat. Miſſar. cap. ſi quis Prebyter diſt.* 92. Quod aliqui meritò negant: quia prædicti textus loquuntur vel de præsbytero parocho, vel rectore alicujus Eccleſiæ, ut loquitur *cap. 2. de celebrat. Miſſar.* vel de officio publico; non de privato, ut loquitur *capus dolentes*, vel de clerico alicui Eccleſiæ deputato, id eſt, qui habet beneficium in aliqua Eccleſia, cui debet deſervire, ut loquitur caput, *ſi quis Præsbyter*. citatum. Sive boc proveniat, quod eſt verius, ex antiqua & generaliſſima, ac receptiſſima conſuetudine, quæ forte ſic interpretata eſt illos textus. Cum conſuetudo ſit optima legum interpres. Undecumque autem talis obligatio proveniat, gravis eſt, & quælibet illius tranſgreſſio conſtituit peccatum mortale. Er meritò talis obligatio eſt conſuetudine introducta: quia per ordinem ſacrum conſtituuntur clerici in tali ſtatu, qui ad cultum, & Laudes divinas celebrandas eſt iostitutus. Unde in genere præ cæteris ad tales Laudes obligantur. Ne autem in incertum ferrentur determinatæ ſuot illæ Laudes, & preces in horis canonicis. Sed talem obligationem non ex jure ſcripto; ſed ex conſuetudine provenire, docent Villalob. *tom. 1. tractat. 24. diff. 7. num. 1.* Trullench. *lib. 1. in decal. cap. 7. dub. 12. num. 1.* Philibert. *de ord. tract. 2. part. 6. cap. 12. diff. 1.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de orat. cap. 16. num. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 45.* Caſtru Palaus *tom. 2. tract. 7. diſput. 2. p. 1. §. 1. num 1.* ¶ Sed intelligitur hæc obligatio de recipiente ordines ſpontè, non coactè, niſi fortè poſt modum ſpontè in ordine ſuſcepto miniſtret, qui coactè ad illum aſcenderat: quia per illum uſum liberum ratificat ordinem, & ſic omnes illi annexas obligationes ſubiit. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 19. num. 7.* Palaus *ſuprà num. 1.*

Damnati ad triremes recitare non tenentur.

4. Excommonicati verò, ſuſpenſi, interdicti, etiam degradati, ab hac non liberantur obligatione, alias commodum ex delicto reportarent: præcipuè cum officii divini recitatio illi pœnæ non repugnet, ut tenent communiter Doctores: quamvis de damnatis ad triremes, aliqui meritò dicant ab hoc onere deobligari: Tum, quia ſatis habent afflictionum, dum illi ſuppliciu deputantur, & afflictis, non eſt addenda afflictio. Tum, quia id cederet in non exiguum dedecus ordinis Eccleſiaſtici, ſi in illa bominum depravatorum colluvie oſtenderent ſuum ſtatum. Sic docent Leſſius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num 45.* Soto *de juſtit. lib. 10. quaſt. 5. art. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſput. 8. num. 11.* Antonius a Spiritu ſancto *tract 3. diſput. 6. n. 1607.* Pellizz. *tractat. 5. cap. 8. num. 61.* Diana *2. part. tract. 12 reſol. 40.* Quidquid aliqui in oppoſitum dicant.

Ordinibus minoribus tantùm initiati nihil recitare tenentur.

5. Clerici verò minorum ordinum niſi aliàs beneficium habeant, nec ad officium canonicum, nec ad officium B. Mariæ, nec ad Pſalmos pœnitentiales, aut Graduales, vel aliquid aliud recitandum tenentur, non magis quam ſæculares: quia nondum ſortiti ſunt ſtatum inter Eccleſiæ miniſtros, cum poſſint matrimonium contrahere. Si rameo in aliqua diœceſi eſſet generalis conſuetudo, quæ per modum legis eſſet recepta de tali recitatione, ibi ad eam tenerentur, quam tamen neſcimus eſſe alicubi introductam. Poſſet tamen Epiſcopus, ſi vellet, ad hoc eos obligare, quia minorem non habet ad hoc facultatem, quàm conſuetudo: Maximè cum hoc non ſit contra jus commune, quod ſolùm permiſſivè ſe habet in hac parte. Quod non tollit alicubi etiam ſtatuto perpetuo ſanciri. Bonac. *diſp. 1. de hor. canon. quaſt. 2. p. 3. num. 2. verſu Aado.* Palaus *tract. 7. diſp. 2. p. 1. §. 1. num. 4.* licet contrarium teneat Sotus *lib. 10. quaſt. 5. art. 3.* Leſſius *ſupra num. 46.* Suarez *lib. 4. de orat. c. 16. fine.* Omnes tamen in eo conveniunt, quod licet Epiſcupus non poſſet hoc onus perpetuum imponere, poteſt tamen præcipere ordinato, ut bis, vel ter eas preces recitet, ſicut ex juxta cauſa poteſt ſuis ſubditis bis, aut ter, jejunium imponere. Quamvis probabile judicamus, quod quando Epiſcopus modo ordinario, ordinandis præcipit aliquos Pſalmos, & Litanias recitare non vult ſub gravi culpa obligare, ſed ex quadam honeſtate, & decentia, ſic Soto *ſupra.* Valentia *2. 2. diſput. 6. quaſt. 2. part. 10. §. 2. initio.* Palaus *num. 5.* Diana *ſecunda parte, tractatu 12. reſolut. 20.*

Die quo quis ordinatur totum officium dicere non tenetur.

6. Sed rogabis primò, an qui ordinantur in ſacris, vel qui beneficium accipiunt, vel profitentur, teneantur recitare totum officium illius diei quo ordinibus initiantur, beneficium accipiunt, vel emittunt profeſſionem? Reſpondetur negativè cum communi ſententia, ſed ad ſummum teneri ad illas horas quæ correſpondent tempori poſt ordinationem, quæ cum ferè hora ſexta ſemper fiat, non teneri ad Matutinum, nec ad Primam, Tertiam aut Sextam, ſed ſolum juxta horam ſecutam ad tempus quo ordinantur, puta ad Veſperas & Completorium. Imò non videtur improbabilis illa opinio quam refert, nec impugnat Diana *10. part. tract. 11. reſolut. 16.* Nimirum excuſatum eſſe à recitatione eo die ordinatum: quia qui non tenetur ad majorem partem officii divini, nec etiam ad minorem adſtringitur: eo qood major pars trahat ad ſe minorem: Et ſic qui aliquo impedimento legitimo, nnn poſſet majorem partem officii recitare, à minori deobligaretur, ut cum pluribus dicemus *cap. ſeq. num. 46.* Imò aliqui, quos ibi referemus, docent non teneri ad reliquas boras, qui Matutinum cum Laudibus nequit recitare: Quia vel eſt major pars, vel ſaltem principalior: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Sic docent Leander *tract. 6. de ſacram. diſp. 13. quaſt. 10.* Martinus a ſancto Ioſeph *in ſumm. lib. 3. de orat. tract. 6. num. 6.*

Epiſcopus quomodo poſſit, vel non cum clericis ne recitent diſpenſare.

7. Rogabis ſecundo. An poſſit cum clericis Epiſcopus diſpenſare ne recitent officium divinum, qui ſunt ordinibus ſacris initiati? Reſpondetur, quod pro toto clero minimè poteſt: imò nec pro aliquo particulari ad longum tempus: Hanc enim diſpenſationem ſolus Summus Pontifex poteſt impendere: quia hæc eſt lex ſuperioris in qua inferior diſpenſare nequit, niſi ab illo habeat poteſtatem, quæ nollibi conceſſa reperitur. Ad breve tameo tempus, vel pro

hoc vel illo caſu particulari, in quo non ſit facilis ad Pontificem recurſus, poteſt Epiſcopus ex juxta cauſa diſpenſare cum clericis, ubi poteſt in præcepto jejunandi, à carnibus abſtinendi, non laborandi in die feſto, & ſimilibus: quia in caſibus frequenter occurrentibus, ex tacito conſenſu ſuperioris, & ubi non eſt facilis ad eum recurſus, poteſt diſpenſare inferior: quia hoc ad bonum, & ſuave regimen Eccleſiæ expediens judicatur, uti latè diximus *tom. 3. tract. 11. de legibus, cap. 3. num. 38.* & tenet D. Thom. *in 4. diſt. 15. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 4.* Sanchez *de matrimonio, lib. 3. diſputatione 9. num. 22. & conſil. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 5. num. 19.* Cajetan. 2. 2. *quæſt. 147. artic. 4. dub. 1.* Villalob. *prima parte, tract. 4. diff. 6. num 9.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib. 2. de orat. tract. 4. num. 4.* Et idem eſt dicendum de Prælatis reſpectu regularium qui ſunt in ſacris conſtituti, ut dicemus *cap. 3. num. 42.* Nam de religioſis qui non ſunt in ſacris, poſſe eum eis Prælatum diſpenſare etiam ad longum tempus eo modo quo poteſt in aliis obſervantiis dicemus *hoc cap. n. 20.*

Qui ordinatus vel accipit beneficium neſciens recitare peccat mortaliter.

8. Ex dictis infertur eum qui accipit beneficium, aut ordinem ſacrum teneri antea parare breviarium, & modum recitandi ſcire, aliaque prævenire, quibus valeat oneri ſuo ſatisfacere: Alioqui peccabit mortaliter qui promoveretur ad ſacros ordines, vel beneficium acciperet, antequam haberet breviarium, vel ſcientiam recitandi, eo quod ſe exponeret periculo operandi contra præceptum de recitando divino officio. Niſi fortè bona fide putaret poſt acceptionem ordinis, vel beneficii, ſe habiturum breviarium, prætio emptum, vel accommodatum, aut donatum, ſimulque arbitraretur bona fide ſe opportuno tempore recitaturum: quia commode poterit ſibi adhibere ſocium, à quo dirigatur, vel juvetur. Machad. *tomo primo, libro ſecundo, tractatu 3. docum. 1. numero quinto.* Navar. *de oratione, c. 11. numero vigeſimo.* Bonac. *diſputatione 1. quæſt 6. punct. 3. numero decimo.* Trullench. *libro primo, in decal. cap. 7. dub. 29. numero ſeptimo*, Suarez *libro quarto, cap. 28. numero ſexto.* Villalob. *p. 1. tractatu 24. diff. 16. num. 14.* Azor. *libro decimo, cap. 13. quæſtione* 18. Leander *tract. 6. de ſacram. diſput. 13. q. 11.*

PUNCTUM II.

An religioſi profeſſi non conſtituti in ſacris, & Moniales teneantur ſub peccato mortali ad recitandum officium Canonicum.

Qui religioſi ad recitationem non teneantur.

9. GRAVIS hæc difficultas quæ his temporibus multum negotii authoribus faceſſivit, loquitur de religioſis profeſſis; nam de novitiis dubium non eſt, eos eſſe deobligatos ab hoc onere, ſicuti ab aliis religionis obſervantiis, & etiam loquitur de religioſis profeſſis choro deputatis; non vero de laicis, quos ad officium divinum teneri nemo dicit, nec de illis qui ex ſua profeſſione choro non adjiciuntur: Quare religioſos ſocietatis IESV, militares, vel alios, qui ex ſuo inſtituto chorum non profitentur omnes aſſerunt obligatos non eſſe privatim officium perſolvere; niſi fuerint in ſacris conſtituti. Imò etiam religioſi illi qui chorum profitentur, & ob id choriſtæ nominantur, ſi ab illo ſtatu tranſeant, ad ſtatum laicorum, jam non habent recitandi obligationem, ut diximus *tract. præced.* Quia jam non habent ſtatum, pro quo vigeat recitandi officium conſuetudo. Et idem diximus de his qui à religione in qua choro deputati erant, tranſierunt ad aliam, in qua non haberent talem deputationem, ob eandem rationem. Atque idem, ſecundum omnium ſententiam dicendùm eſt, de religioſo non ordinato in ſacris, vel moniali, qui ex diſpenſatione Pontificis contraheret matrimonium. Tum, quia jam non degeret in communitate religioſorum, & conſuetudo recitandi ſolum eſt introducta pro his, qui in religioſorum cœtu choro deputatorum vitam agunt. Tum & maximè, quia talis non eſſet verè religioſus, cum votum caſtitatis, & obſervantia illius ex obligatione, ſit de eſſentia hujus ſtatus, & per conſequens hoc ipſo quod Pontifex diſpenſaret in eo voto ſtatum religioſum diſſolveret, & de Monacho, non monachum faceret, ut diximus *tract. præced. cap. 1. num. 38.* Azor. *prima parte, libro decimo, cap. 6. quæſtione* 8. Villalobos *tomo primo, tractatu 24. diff. 9. num. 13.* Sanchez *conſil. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 4. n. 7.*

10. Ejectus autem in perpetuum à religione, licet verus permaneat religioſus adſtrictus tribus votis ſubſtantialibus, tamen ad recitationem officii divini non tenetur, ut diximus *tract. præced. cap. 3. num. 95.* ſicut nec ad alias obſervantias Ordinis obligantes ſub mortali. Atque idem dicimus de his qui ad triremes condemnantur. Tum, quia frequenter ſunt jam expulſi. Tum etiam, quia indecens eſſet talis recitatio illi ſtatui, ut *num. 4.* dicebamus. Tum denique, quia ſatis afflictionis habent, ob quam non eſt eis hoc onus imponendum. Sanchez *dub. 4. num. 2.* Bonac. *diſput. 1. quæſt. 2. p. 2. num. 3.* Tambur. *tomo ſecundo, diſput. 10. quæſtione prima, numero ſeptimo*, Lezana *tom. 1. cap. 12. numero ſeptimo*, Pelliz. *tract. 5. cap. 8. num. 61.* Leſſius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 50.* Villalobos *ſuprà num. 9.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 3. diſput. 6. num.* 1607. ¶ Atque idem dicunt aliqui de his qui ex legitima licentia degunt in perpetuum extra monaſterium, eo quod non ſunt jam in ſtatu quo degant vitam regularem, nec in quo talis conſuetudo recitandi vigeat. Lezana *n. 7.* Pelliz. *num. 58.* Antonius à Spiritu ſancto *num. 1607.* Bonacin. *num. 4.* Azor. *loco citato*, & Soto *lib. 10. quæſt. 5. art. 3.* Quamvis oppoſitum judicamus probabilius, ſi extra monaſterium religioſus degat abſque diſpenſatione in aliquo ex tribus votis ſubſtantialibus, quia adhuc remanet Monachus, & choro deputatus: ſicuti ſi ob indiſpoſitionem, aut aliud legitimum impedimentum licentiam haberet nunquam cundi ad chorum cum communitate. Palaus *tom. 2. tract. 7. diſput. 2. punct. 1. §. 3. num. 4* Pelliz. *n. 58.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 17. num. 8.* Navar. *cap. 7. de orat. num. 20.* Sanchez *loc. cit. dub. 4. n. 6.* ¶ Fugitivos autem, & apoſtatas non conſtitutos in ſacris aliqui à recitatione deobligant. Sic Bonac. *n. 6.* cum Soto, & Angelo, quod etiam docet Caramvel *in reg. D. Bened. diſput. 117. n. 1443.* quia conſtituuntur in ſtatu in quo non eſt conſuetudo recitandi divinum officium:

Quid de damnatis ad triremes.

Quid de his qui extra monaſterium degunt.

Quid de fugitivis & apoſtatis.

officium : Sed immeritò, aliàs ex ſuo delicto commodum reportarent: ſufficit ergo ut adſtringantur obligationibus omnibus religioſorum, quod ex ſe teneantur cum aliis vivere, licet effrænati à ſocietate aliorum diſcedant: ideoque illos ad recitationem officii, ſicut alios teneri docent Leſſius *num.*50. Pelliz.*n.*58. Palaus *num.*5. Suarez *num.*9. Navar. *de orat. cap.*7. *n.*20. Azor.*loco citato*, & Diana 7. *part.tract.*11. *reſol.*4.

Ex nullo jure poſitivo divino naturali, vel canonico tenentur religioſi ad recitationẽ.

11. His igitur præciſis, eſt in præſenti difficultas de omnibus aliis religioſis profeſſis, ac Choro deputatis in ſacris non conſtitutis, ac de monialibus, an teneantur ſub peccato mortali recitare officium canonicum? Et ut certa ab incertis ſeparemus, ſupponendum eſt, tales religioſos nullo modo ad talem recitationem teneri ex vi alicujus præcepti poſitivi humani, vel divini. Nun divini: quia ex ſacra Scriptura, aut Eccleſiæ traditione non conſtat adeſſe: præcipuè, quia ordinatio officii Canonici eſt ab Eccleſia diſpoſita, & ſic non poteſt adeſſe de perſolvendo illo divinum præceptum: eo vel maximè, quia quamvis daremus teneri religioſos, vel religioſas jure divino aut naturali ex vi ſui ſtatus ad aliquas orationes quotidianas Deo perſolvendas; non vero ad iſtam ſpecialem orationem, quæ fit per recitationem officii Canonici, ut fert communis Doctorum ſententia. ¶ Similiter eſt certum & commune apud Doctores non obligari dictos religioſos, aut moniales ad privatam recitationem officii divini ex vi alicujus præcepti Eccleſiaſtici, quia nullum reperitur in jure, nec ab aliquo Authore aſſignatur. ¶ Nec denique obligatio iſta oritur ex vi profeſſionis, ut aliqui perperam dicunt; nec ex eo quod alantur ſtipendiis aut eleemoſynis fidelium, ut alii immeritò docent: ſiquidem religioſi ex vi ſuæ profeſſionis ſolum obligantur ad tendendum ad perfectionem, quod per alia pia exercitia, & obſervantias religionis fieri poteſt: Et ideo Donati, & alii religioſi choro non deputati, tametſi verè religioſi ſint, & ad perfectionem tendere teneantur, non ob id tenentur ex vi ſuæ profeſſionis recitare officium divinum. ¶ Et exinde evertitur eorum placitum, qui dicebant, ad id teneri quia eleemoſynis fidelium aluntur: quia ſic etiam aluntur Donati, Converſi & Novitii, & non ob id adſtringuntur tali obligatione. Has enim eleemoſynas omnes recipiunt ut pauperes, & à fidelibus conferuntur ut eos adjuvent per orationes aliaque miniſteria, quæ præſtari poſſunt etiam ab ipſis ſi non recitent canonicum officium. In his ferè omnes Doctores conveniunt, à quibus ob id citandis abſtinuimus.

Quid in hac difficultate veniſcetur.

12. Tota ergo difficultas eſt, an ex vi conſuetudinis multis ab hinc annis introductæ ac firmatæ teneantur ſub peccato mortali dicti religioſi, ac moniales quotidie divinum officium privatim perſolvere? Et non loquimur de illis religionibus in quibus vel eſt regulæ, vel ſuperiorum præceptum formale graviter obligans, de tali recitatione: Harum enim religioſos ad illam teneri nemo ambigit; ſed de aliis in quibus non datur talis lex, nec præceptum obligans ſub mortali. Negat prima ſententia dari talem obligationem, aut conſuetudinem talis recitationis habere vim legis, in tali caſu, obligantis ſub mortali. Cujus fortiora fundamenta proponemus latiùs ſolito, ut ex eorum ſolutione magis veritas appareat.

Prima & ſecundum fundamentum ſententiæ talem obligationem negantis.

13. Probatur ergo ſententia talem obligationem negans. Primò, quia conſuetudo introducta à non habentibus authoritatem condendi legem non poteſt habere vim legis: Sed hæc conſuetudo eſt à juvenibus, & fœminis, quæ facultatem non habent condendi legem: ergo non eſt introducta ut lex, & graviter obligans. ¶ Secundò, quia ut conſuetudo introducatur per modum legis, debet introduci, non ex devotione, aut pietate; ſed ex animo obligandi ſe per modum legis, ut diximus *tom.*3. *tract.*1 1. *de legibus*, *capite ſexto*, *punct.*3. §.2. Sed conſuetudo recitandi privatim officium divinum introducta eſt ex devotione, ſicut conſuetudo Virginem ſalutandi ad pulſationem campanæ prima nocte, & jejunandi in ejus Vigiliis, & aliæ plures quæ ex devotione & pietate ſunt introductæ: ergo ſicut iſtæ non ingerunt jus conſuetudinarium obligans ſub mortali ad ſimiles actus: nec illa, legis graviter obligantis, obligationem inducet.

Tertium argumentum.

14. Tertiò, quia quando conſuetudo introducta eſt ex errore, vel ignorantia multitudinis judicantis ſe teneri ad hos, vel illos actus exercendos, quamvis per multum tempus perduret multitudo in frequentatione illorum, non conſurgit jus conſuetudinarium obligans per modum legis ad tales actus, ſed ablato errore vel ignorantia corruit tota vis conſuetudinis, ut diximus *loco citato*, *num.*23. & tenent Suarez *de legibus lib.*7. *toto cap.*12. & *cap.*18. *num.* 8. Araujo 1. 2. *quæſt.*97. *diſput.*3. *ſect.*8. *fol. mihi* 731. Granado *controverſ.* 7. *de legibus tract.*3. *part.* 2. *diſputatione* 16. *ſectione* 2. *num.*14. Illuſtriſſimus *Antiſtes Hiſpalenſis*. Petrus à Tapia *tomo primo*, *ſua catena*, *lib.*4. *quæſt.*25. *articulo ſexto*. Palaus *tomo primo*, *tract.*3. *diſp.*3. *punct.*2. §. 3. *numero undecimo*. Et eſt commune. Sed conſuetudo recitandi officium divinum in religioſis juvenibus & Monialibus ab initio introducta fuit ex errore vel ignorantia, quia judicabant ſe ad tale officium divinum ex aliqua lege teneri, quia fuit à perſonis idiotis, & ignorantibus introducta: cum enim plures viri docti non multum in his materiis verſati, judicent ex lege Eccleſiaſtica, aut divina ipſos adſtringi; cur non dicemus juvenes & fœminas tali ignorantia laborare? ergo cum non detur talis lex nullum jus introduxit talis conſuetudo ad ſimilem recitationem adſtringens.

Quartum argumentum.

15. Quartò, nam ut conſuetudo obliget per modum legis, debet jus certum condere, & certo conſtare eſſe ex obligatione introductum, imò ex animo obligandi ſub peccato mortali: ſi enim dubia ſit ex aliquo ex his capitibus, obligationem ſub peccato mortali non inducet, ut tenet communis ſententia apud Palaum *num.*13. Suarez *loc. cit. cap* 15. *num.*13. Diana *prima parte*, *tract.*10. *reſolut.*30. & 6. *part. tract.*5. *reſolut.* 12. Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. diſputatione* 41. *num.*36. Villalob. *tom.* 1. *tract.*1. *diff.*38. *num.*3. Bonac. *de legibus diſput.*1. *quæſt.*1. *punct. ult.* §. 3. *num.*21. Quia cum obligatio quæcumque ex quocumque capite proveniat ſit oneroſa, & odioſa: in dubio benignior eſt pars amplectenda, *l. ſi præſes. ff. de pœnis*, *lege ea quæ*, *ff. de regulis juris*, ſed dubium multum eſt dari talem conſuetudinem, vel ſi detur fuiſſe

ex

ex animo obligandi ſub peccato mortali introductam: ergo non eſt dicendum inducere talem obligationem. Probatur minor, quia plures & graves Doctores de tali conſuetudine ſub animo graviter obligandi dubitaut, ut Franciſcus Bordonus *in conſil. regul. reſol.* 30. *num.* 3. Martinus de Ledeſma 2. *part.* 4. *quaſt.* 16. *art.* 4. *dub.* 6. Cajetanus *in ſumm. verbo hora canonica.* Caſtro *lib. de leg. pœnal. cap.* 8. Aragon. 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. *dub.* 4. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 24. *diff.* 9. *num.* 8. Diana 2. *part. tract.* 12. *reſol.* 17. Martinus à ſancto Ioſeph *tom.* 1 *lib.* 1. *de orat. tract.* 10. *num.* 3. ubi aſſerit plurimos ſe inveniſſe qui de tali conſuetudine dubitabant, & Leſſius *de juſtitia, lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 49. ubi aſſerit magnam eſſe difficultatem in cognoſcenda obligatione hujus conſuetudinis: ergo non eſt certa, & indubitata.

Quintum argumentũ. 16. Quinto denique, quia ut conſuetudo habeat vim legis non debet eſſe, aut *contra legem*, aut *juxta legem*, ſed *præter legem.* Si enim ſit contra legem, abrogavit quidem legem, ſed non ob id novam ſtatuet, ut conſtat; ſi fuerit juxta legem non facit novam legem, ſed eſt quædam obſervantia & executio legis, nec inducet novam obligationem, ſed illam quam lex imponebat, firmabit & roborabit, quo ſenſu dixit Gratianus *in cap. in iſtis diſtinct.* 4. §. *leges. Leges inſtitui cum promulgantur, firmari autem cum moribus utentium comprobantur.* Debet ergo conſuetudo vim legis babens eſſe *præter legem.* Vnde diffinitur à D. Iſidòro *lib.* 2. *etymolog. c.* 10. *& lib.* 5. *cap.* 3. ut refertur in *cap. conſuetudo diſt.* 1. & *in jure Hiſpano lege* 4. *tit.* 2. *p.* 1. Quod eſt, *Ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur ubi deficit lex.* Unde cum adeſt aliqua lex, conſuetudo nullum jus introducit, ſed eſt mera executio illius legis, nec habet majorem obligationem ponere, quam ipſa lex: & ſic relaxata lege per abrogationem, vel diſpenſationem tota vis conſuetudinis evaueſcit: & ſic dicitur *cap.* 1. *de conſuetudine in* 6. *quod ſublato jure communi, tollitur etiam ſtatutum particulare: itemque conſuetudo introducta ſecundum idem jus:* Sed conſuetudo de qua loquimur eſt introducta ſecundum jus, ſeu eſt executio juris non obligantis ſub mortali: Cum vix ulla detur religio quæ vel ex regula, vel ex propriis conſtitutionibus, non obliget omnes profeſſos & Moniales ad recitationem officii divini: ergo cum regula vel conſtitutiones regulariter non obligent ſub mortali, ſequitur, quod conſuetudo quæ eſt ſecundum talem legem non ſit magis obligatoria quam talis lex, & ſic quod non obligabit ſub mortali.

Authores qui dictam ſententiam eſſe probabilem adſtruunt. 17. Ob hæc & alia argumenta hanc ſententiam eſſe probabilem docent noſter Frater Antonius a Spiritu ſancto *in directorio regular. tractat.* 3. *diſputat.* 6. *ſect.* 2. *num.* 347. & *ſect.* 9. *num.* 1606. Caſtro *lib.* 1. *de leg. pœnal. cap.* 8. *pag.* 143. *poſt medium.* Sà *verbo hora canonica, num.* 1. *in editione. Complut.* Martinus à ſancto Ioſeph latè hanc partem tuetur *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 1. *de ordine tract.* 10. *num.* 3. & apud ipſum Vega *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 128. *caſu* 7. Franciſcus Bordonus *in conſil. regul. reſolut.* 30. *num.* 3. Medina Complut. *cap. de oratione tract.* 6. Armilla *verbo hora canonica,* Petrus Marchan. *in tribunal. ſacr. tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 3. *ſect.* 1. *q.* 2. *fol. mihi* 185. Bruno Caſſain. *ſecunda parte, tractatu* 8. *cap.* 4. *verſu dixi in propoſitione.* Leſſius *in reſol. caſ. conſcient. poſt part.* 2. D. Thom. *verb. horæ canonicæ caſu* 14. *fol.* 194. adductus à Diana 9 *part. tractat.* 6. *reſolut.* 7. cujus verba ibi latè proponit Caramvel *in regulam D. Bened. diſputatione* 103. *articulo ſecundo, reſolutione* 8. *num.* 1358. Qui citat Hieronymum Rodriguez *in compendio quæſt. regul. reſolut.* 98. *num.* 5: Sed male; ſiquidem oppoſitum ibi tenet, niſi fortè eum, ideo adducat, quia oppoſitam ſententiam, quam ibi defendit vocat communiorem & ſecuriorem, in quo inſinuat hanc opinionem communem & ſecuram eſſe. Citat etiam Laytez *in obtica regulari ſpecul.* 58. *inſtruct.* 4. quem poſteà in alio loco ceciniſſe Palinodiam teſtatur. Et videtur huic ſententiæ adhærere Machado *tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 2. *dub.* 1. *num.* 1. ubi aſſerit utramque ſententiam patronos doctiſſimos habere, nec judicium circa aliquam facit. Opitulatur etiam Villalobos *tom.* 1. *tractat.* 24. *diff.* 9. *num.* 8. ubi licet tenendum dicat contrarium, hanc ſe non audere condemnare teſtatur, imò eam approbat dicens, durum ſibi videri talem obligationem imponere.

18. Huic etiam ſententiæ videntur ſuffragari Authores illi qui aſſerunt, non peccare mortaliter religioſum profeſſum in ſacris non conſtitutum aut monialem, aliquoties omittendo divinum officium, niſi id faciant frequenter vel ex conſuetudine. Uti docent Angelus *verbo hora canonica, numero decimo,* citans pro ſe Piſcardum Manuel Rodriguez *in ſumma prima parte, cap.* 145. *numero ſecundo,* apud Villalobos *ubi ſupra.* Aragon. 2. 2. *quæſt.* 83. *artic.* 12. *dub.* 4. Noſter Lezana *tom.* 5. *in mare magnum Carmelitar.* §. 7. *num.* 95. quem refert, & ſequitur noſter frater Antonius à Spiritu ſancto *Luſitanus in direct. regul. tract.* 3. *diſputatione* 6. *ſect.* 2. *num.* 243. Gerſon. *de inſtruct. ſpiritual. anim. lect.* 3. *tom* 3. *alphabet.* 63. *lib.* 22. *in fine.* Henricus de Gandavo *quodlib.* 19. *quæſt.* 30. Bruno Caſſain. *de privileg. regul. part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 4 *propoſ.* 4. *verſu quo autem.* ¶ Sed ab hoc ultimo incipiendo neſcio qua ratione defendi poſſit, conſuetudinem iſtam vim legis habere, & nihilominus à mortali excuſari, qui aliquoties divinum officium prætermitteret. Nam vel iſta conſuetudo habet omnes conditiones requiſitas ut graviter obliget, ut lex, aut præceptum graviter obligans; vel non. Si ſecundum dicas, etiamſi frequenter talis omiſſio detur non erit mortale: quia ut diximus *numero undecimo*, non datur aliud jus obligans ad iſtam recitationem, niſi iſtud proveniens ex conſuetudine: ergo ſi iſtud non habet omnes conditiones ut obliget mortaliter, contra illud agere per omiſſionem nunquam erit mortale. Si primum dicas: ergo ſemel aut iterum talem recitationem omittere erit mortale: quia omiſſio rei mandatæ per legem graviter obligantem, ſuppoſita gravitate materiæ eſt mortale, etiamſi ſemel dumtaxat fiat, ut omiſſio jejunii aut auditionis ſacri. Quod inſtatur manifeſtè: quia etiam conſtituti in ſacris non tenentur niſi ex conſuetudine ad recitationem, ut diximus *n* 3. & tamen negare nemo auderet ſacerdotem ſemel aut iterum omittentem officium canonicum non peccare mortaliter: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Dicere autem conſuetudinem iſtam, de qua loquimur, obligare quidem mortaliter, ſed non cum tanto rigore, ut una, vel altera omiſſio conſtituat mortale, omninò eſt voluntarium,

Aliqui aſſerunt non eſſe mortale aliquoties in anno dictum officium omittere.

Rejicitur doctrina proximè tradita.

& abſque ullo fundamento dictum. Et ſic etiam dici poſſet de conſuetudine obligante ad recitationem conſtitutos in ſacris.

Religioſi ſub mortali tenentur quotidie recitare.

19. Quare dicendum eſt peccare mortaliter religioſum profeſſum, aut monialem officium divinum privatim recitare omittentes, ſive hoc fiat frequenter, ſive ſemel dumtaxat. Quia conſuetudo legitimè præſcripta ſi eſt rationabilis, id eſt, de re honeſta, juri divino, aut naturali minimè diſſona, & per debitum tempus præſcripta habet vim obligandi per modum legis, ut conſtat *ex cap. fin.* de conſuetudine, & omnium Doctorum ſententia: Sed religioſi profeſſi & Moniales habent immemorabilem conſuetudinem recitandi officium divinum, quæ eſt de re ſancta & honeſta, ut conſtat, eſtque per tempus ſufficiens jam introducta, quod nemo ambigit: ergo ex vi illius tenentur ſub mortali ad talem recitationem quotidianam, cum lex quæcumque ſit ſive ſcripta, ſive tradita (uti eſt conſuetudo) in re gravi (qualis eſt iſta de qua loquimur) obliget ſub mortali. Et habere talem conſuetudinem omnes conditiones requiſitas, ut vim legis graviter obligantis habeat, conſtabit ex ſolutione argumentorum. Hæc eſt communiſſima ſententia, quam tenent Valentia 2. 2. *tom. 3. diſput. 6. quaſt. 2. punct.* 10. Pelliz. *in manual. tom. 1. tractat. 5. cap. 8. ſect. 2. num.* 53. Portel. *in dubiis regul. verbo hora canon. num. 3.* Maldetus *de virtut. tract.* 10. *c. 2. dub. 3. quaſt.* 8. Reginald. *lib.* 18. *num.* 140. Filliuc. *tom. 1. tract. 23. cap. 5. quaſt. 2.* Lezana *tom. 1. cap. 12. num. 9.* Bonac. *de horis canon. diſp. 1. q. 2. punct. 2. num. 1.* Leſſius *de juſtitia, lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 49.* Tambur. *tom. 2. diſp. 10. quaſit. 1. n. 11.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 27. num. 9.* Sanchez *conſil. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 3. n. 6. & 12.* Palaus *tom. 2. tract. 7. diſput. 2. punct. 1. initio, & §. 3. num. 1.* Trullench. *in decal. tom. 1. lib. 1. c. 7. dub. 12. num. 1.* a Sancto Fauſto *de horis lib. 1. q. 42.* Vaſquez *opuſcul. de beneficiis, cap. 4. §. 1. n. 1.* Gavant. *comm. in rubric. Miſſal. tom. 2. ſect. 1. cap. 4. num.* 10. Diana *part. 2. tract. 12. reſol. 17.* & *p. 6. tract. 8. reſol.* 12. & *p. 9. tract. 6. reſolut. 7.* & *p. 10 tract. 11. reſol. 45.*

Poſſunt diſpenſare ſuperiores ut religioſi nō recitent.

20. Fatemur tamen poſſe Prælatos regulares majori facilitate diſpenſare cum his religioſis profeſſis, non conſtitutis in ſacris, ut non recitent officium divinum; quàm cum in ſacris ordinatis. Ut cauſa ſtudiorum aliorumve negotiorum, ſicut poſſunt in aliis obſervantiis religionum quantumvis gravibus. Quia obligatio recitationis in iſtis ſolum eſt, quædam gravis obſervantia obligans ſub peccato mortali, ex diurna conſuetudine introducta; non vero aliqua lex ſuperiorum, in qua ob id non poſſet diſpenſare inferior. Bonac. *num. 9.* Leſſius *de juſtitia, num.* 51. Villalob. *num.* 12. Gavant. *ſupra cap. 5. dub. 9. num.* 12. Tambur. *num. 6.* Palaus *punct. 6. num. 3.* Diana 2. *part. tract. 12. reſol. 16.* Qui dicunt non obſtare quod ſuperiores non ſoleant in tali caſu diſpenſare: quia licet non eſſet in uſu, non ſequitur, quod ſi aliquis ſuperior vellet uti hac facultate, poſſet: quia facultas aliquid faciendi abſque aliorum injuria non amittitur per non uſum. ¶ Fatemur etiam, quod ſi in aliqua religione conſtaret ex ſufficienti ſigno non eſſe talem conſuetudinem introductam, ut obligentur ſinguli privatim ſub peccato mortali, talis obligatio in illa religione non eſſet: quia ſolum datur ratione conſuetudinis: ergo ubi talis non viget non daretur. Bonac. Sanch. Cajet. *loc. cit.* Lezana *tom. 1. c. 12. num. 3.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 3. c. 6. n.* 1607.

Solvitur primū contrariorum argumentū.

21. Reſtat ut reſpondeamus ad contraria fundamenta. Ad primum dicimus falſum eſſe non poſſe introducere conſuetudinem per modum legis, niſi qui habet facultatem ad condendam legem: aliàs civitates illæ quæ ſunt ſub dominio principis ſupremi, non poſſent ullam conſuetudinem obligantem introducere: quia illa nequeunt legem condere, ut docet D. Th. 1. 2. *quaſt. 9. art. 3.* & nos diximus *tract. 11. de legibus, cap. 3. num.* 12. ſimiliter in Hiſpania nunquam poſſet introduci conſuetudo obligans per modum legis civilis: quia in his regnis nullus præter Regem poteſt condere legem civilem, ut conſtat *ex lib. 12. tit. 1. & 18. tit. 1. lib. 6. nova recop.* Ac denique non poſſet pro tota Eccleſia introduci conſuetudo Eccleſiaſtica obligans per modum legis, nimirum, ad jejunium obſervationem alicujus feſti: Imò nec pro aliqua diœceſi poſſet talis conſuetudo introduci ab ipſo populo, cum nec pro tota Eccleſia poſſit niſi à Summo Pontifice, vel Concilio generali lex Eccleſiaſtica ſanciri; Neç in aliqua diœceſi niſi ab Epiſcopo illius: quæ tamen falſa ſunt, ut experientia conſtat: Sufficit ergo quod communitas ſive virorum, ſive fœminarum ſit capax gubernationis paſſivæ per legem, ut poſſit conſuetudinem introducere per modum legis, ut docet D. Thom. 1. 2. *quaſt. 97. art. 3. ad 3.* Quia non introducunt illam ex ſua authoritate; ſed ex conſenſu tacito, vel expreſſo ſuperioris jam explicato in *cap. fin. de conſuetudine, & in l. de quibus, ff. de legibus,* ut diximus *loc. cit. cap. 6. num. 6.* & tenent Greg. Mart. 1. 2. *q. 97. art. 3. dub. 3. concluſ. 3.* Tapia *tom. 1. catena lib. 4. quaſt. 25. art. 7. num. 3.* Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 3. punct. 3. num. 4.* Suarez *de leg. lib. 7. cap. 9. à n. 7.* Bonac. *de legibus diſput. 1. quaſt. 1. punct. ult. §. 3. num. 13. & 18.* Salas *de legibus diſput. 19. ſect. 6. num. 59. & ſect. 11. num. 9.* Ob quam rationem dicunt poſſe fœminas introducere conſuetudinem, vel abrogantem legem Eccleſiaſticam, vel novam ſtatuentem: quia licet legem Eccleſiaſticam ferre non poſſint, ſunt capaces ut gubernentur per eam.

Secundo argumento ſit ſatis.

22. Ad 2. fatendum eſt, conſuetudinem ex devotione aut pietate ſolum introductam non obligare per modum legis, ſed debere introduci ex intentione ſe obligandi per eam, ut pluribus probavimus *tract. 11. de legibus cap. 6. punct. 3. § 4. num. 26.* tamen conſuetudinem de qua loquimur, non ex devotione dumtaxat; ſed ex vero animo obligandi introductam fuiſſe exinde conſtat: quia tres conditiones aſſignant communiter Doctores ad cognoſcendum, quando conſuetudo ex animo ſe obligandi cenſeatur introducta: quas in hac, de qua loquimur, nullus cordatæ mentis negabit reperiri. Prima quod materia ſit gravis a populo vel à majori parte continuò obſervata abſque interruptione: quia non ſolent tanta firmitate ſervari, quæ ſolum ex devotione fiunt. Secunda ſi ſuperiores graviter reprehendant, aut puniant, non obſervantes talem conſuetudinem. Tertia, cum prudentes & timorati malè ſentiunt de his qui non obſervant talem conſuetudinem, vel communiter populus ſcandalizatur, exiſtimans tranſgreſſores talis conſuetudinis peccare. Quis non videat in conſuetudine de qua loquimur tales conditiones inveniri?

23. Ad 3.

Tertium argumentũ diſſolvitur.

23. Ad 3. reſpondetur, hanc conſuetudinem non conſtare, fuiſſe ex errore introductam & cum conſtet de conſuetudine, & ſic de obligatione illius, debebat de eius excuſatione conſtare, ut eius obligatio rueret. Etenim licet modo obſervantes illam fortè aliquo modo errent neſcientes, unde ejus obligatio proveniat, an ex lege ſcripta, an ex lege tradita? ipſi tamen non ſunt introductores conſuetudinis, illi vim obligandi conferentes, ſed eam jam ſupponunt in illa, à primis introductoribus communicatam. Probari autem non poteſt, illos primos parentes, & fundatores, qui hanc conſuetudinem introduxere, ex errore proceſſiſſe: quin potius ſicut in aliis rebus, credendum eſt, eos ex motione Spiritus ſancti motos fuiſſe ad eam introducendam, ex certa ſcientia, vel ſaltem non ex errore, putantes, ſe aliqua lege Eccleſiaſtica adſtrictos eſſe, ſed ſe voluiſſe obligare, ſive alias obligati eſſent, ſive non eſſent: quia illi non ad has verſutias attendebant, ſed ad id quod erat magis Sanctum, & perfectum, & quod majorem facultatem præbebat ſine impedimento Dominum obſecrandi.

Ad quartum argumentũ.

24. Ad 4. jam conſtat, quomodo talis conſuetudo certa ſit, & indubitata, cum habeat certo omnes conditiones pro conſuetudine graviter obligante requiſitas, quæ eſt moralis certitudo, quæ in hac parte requiritur & ſufficit: aliàs nulla eſſet conſuetudo obligans per modum legis, quod nemo dicet, & quod aliqui de illa dubitaverint non obſtat, quia ſufficit communis vox graviſſimorum Doctorum tantorum, eam ut certam habentium, & certò habere omnes conditiones requiſitas ut per modum legis obliget, quas fortè non perpendunt, qui de illa in hac parte dubitaverunt.

Vltimum diſſolvitur argumentũ.

25. Ad 5. dicimus, quod licet verum ſit, quod quando conſuetudo quæ eſt juxta legem, ſolum obſervatur, ſicuti in lege præſcribitur, & ſic eſt juxta legem tam quoad rem præceptam, quam quoad modum obligandi ab ea taxatum, non obliget amplius quam lex, nec novum jus conſtituat, ſed ſit obſervantia & executio antiqui, poteſt autem per conſuetudinem, multitudo ſe amplius velle obligare quam ab ipſa lege obligatur, & tunc conſuetudo eſt præter legem quoad illum modum, ſtatuitque novum jus in ordine ad graviorem obligationem. Etenim non habet minorem vim conſuetudo ad introducendam novam legem, quam ad abrogandam antiquam (nec enim minus potens eſt ad deſtruendum, quam ad ædificandum) ſed conſuetudo quæ eſt contra legem poteſt illam tollere quoad totum; non quoad partem, vel illam abrogare quoad modum obligandi, & quoad rem obligatam intactam relinquere, & ſic legem obligantem ad culpam poteſt facere ut ſolum obliget ad pœnam, & obligantem ſub culpa mortali; ut ſolum ſub veniali obliget uti diximus *tom. 3. tract. 11. de legibus cap. 6. num. 38.* Et tunc quoad culpam gravem obligationem legis ſublatam eſſe, per conſuetudinem cenſetur, quando apud timoratos & prudentes ita communiter judicatur, qui non faciunt ſcrupulum culpæ lethalis ob tranſgreſſionem talis legis. Sic etiam poteſt conſuetudo introducere, ut lex alicujus rei quæ per legem ſolum ſub peccato veniali, vel nullo præcipiebatur, quia ſolum obligabat ad pœnam, obliget etiam ad culpam, & etiam ad culpam gravem, quod tunc ita facere præſumitur, quando communiter apud timoratos & prudentes fractio talis legis, ſuppoſita conſuetudine, cenſetur culpa gravis. Et aliæ conditiones *num. 22.* aſſignatæ concurrunt, ſicut accidit in præſenti.

PUNCTUM III.

De obligatione recitandi Horas Canonicas, quam habent beneficium aliquod poſſidentes.

MULTÆ ſunt & graves difficultates circa hoc Punctum, quas oportet dividere ut clarius & commodius in deciſione illarum procedamus.

---

§. I.

De his qui tenentur ad recitationem ratione beneficii.

Beneficiati tenentur officium divinum recitare ſi liberè beneficium recipiunt.

26. QUilibet beneficiatus, etiamſi in ſacris conſtitutus non ſit, ſive ſimplex ſive curatum beneficium Eccleſiaſticum poſſideat, tenetur quotidie ſub peccato mortali horas canonicas recitare, ut conſtat ex Concil. Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ. 9. de reformat. curia, §. ſtatuimus, & ordinamus.* & ex motu Pii V. qui eſt 138. illius edito anno 1572. Quorum verba Puncto ſequenti in principio proponemus, & ex *cap. per ambitioſam de reſcriptis in 6.* & aliis juribus. Et merito, quia quiſque tenetur ad officium propter quod accepit beneficium: ſed beneficium Eccleſiaſticum datur propter officium divinum recitandum: ergo, &c. Sed intelligitur de his, qui beneficium liberè, non coactè recipiunt. Si tamen coactè metu ſaltem reverentiali beneficium accipiant à tali onere deobligantur, niſi adhuc velint frui fructibus beneficii: quia tunc ad recitationem adſtringentur, eo quod per talem fruitionem, coactioni cenſentur renuntiare. Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. num. 124.* Palaus *tom. 2. tract. 7. diſp. 2. punct. 1. § 2 num. 1.* Bonac. *diſp. 1. q. 2. punct. 4. n. 4.* Villalob. *tom. 2. tract. 24. diff. 8. n. 14.*

Quæ beneficia onus recitationis ſecum afferant.

27. Sub nomine beneficii intelligitur apud omnes Epiſcopatus, Rectoria, Canonicatus, Dignitas, Præpoſitura, &c. Et etiam præſtimonia illa, nimirum quæ ſunt portiones quædam ex beneficii redditibus deductæ. Nam eſto beneficia propriè non eſſent, ut aliqui volunt, ea, nihilominus Pius V. ad hunc effectum ſub beneficii nomine comprehendit. Vaſq. *opuſcul. de Benef. cap. 4. §. 1. dub. 3. unico.* Suarez *tom. 2. de horis canon. lib. 4. cap. 22. num. 10.* Palaus *ſup. n. 2.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib. 2. de Orat. tract. 2. num. 4.* ¶ Intelligitur etiam Capellania collativa, ea, videlicet, quæ authoritate Epiſcopi erecta eſt, conſtitutaque inter bona Eccleſiaſtica, & ab ipſo Epiſcopo confertur, etiam ſi inſtituatur ex bonis patrimonialibus laïcorum, & præſentatio ſit reſervata ipſis: quia habet omnes conditiones ad beneficium Eccleſiaſticum requiſitas; quod etiam eſt verum etiam ſi ſit manualis, & ad nutum amobilis, quamvis ad titulum illius non poſſit ordinari; quia titulus ad quem ordinandus promovetur debet eſſe perpetuus. Quintanadueñas *tom. 1. ſing. quæſt 1. tractatu &*

 ſing. 19.

ſing. 19. *num.* 3. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 196. Villalobos *num.* 8. Bonac. *num.* 6. Palaus *num.* 3. Vaſq. *dub.* 3. *num.* 9. Martinus a ſancto Ioſeph *num.* 5 Suarez *num.* 11. Garcia *de Benef.* 1. *part. cap.* 2. *num.* 81. Malder. *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 3. *q.* 3. Cæterum, quia Capellania non collativa, ſeu non erecta authoritate Epiſcopi, etiamſi ab ipſo conferatur, beneficium non eſt, docent prædicti authores talem obligationem ſecum non adducere.

Penſionarii officium B. Mariæ tenentur recitare.

28. An verò Penſionarii ad recitationem officii divini adſtringantur? Reſpondetur quod ſi penſio ſit merè laïcalis, ſeu illa quæ non confertur clerico, ut tali nec exigit ordinem aliquem vel tonſuram in recipiente, quia datur vel in compenſationem obſequiorum, quæ ipſe vel parentes eius Eccleſiæ præſtiterunt, ut quæ ſolet ſæcularibus aſſignari, vel ob laborem aliquem v.g. pulſandi cymbala, aperiendi fores, docendi pueros, &c. Hæc ad nullam obligat recitationem etiam officii Beatæ Mariæ; ſi vero ſit penſio clericalis, quæ clerico, ut tali confertur, ſeu quæ exigit ordinem vel tonſuram in recipiente, ut quæ vel datur in ſubſidium perſonæ Eccleſiaſticæ, vel beneficium reſignanti, aut liti cedenti, &c. Licet non obliget ad recitationem officii divini, quia vere non eſt beneficium (nec enim eſt jus percipiendi fructus, ob aliquod officium Eccleſiaſticum, quod eſt de ratione beneficii, ſed jus percipiendi fructus à beneficiario, qui titulum habet) obligat tamen ad recitationem minoris B. Mariæ, qua hoc penſionariis his Pius V. injunxit loco officii divini, & ſub eadem pœna qua beneficiarii tenentur Horas Canonicas recitare, nimirum ſub obligatione redditus reſtituendi ſi dictam recitationem omiſerint ¶ At ſi ipſi officium divinum recitent abunde ſatisfaciunt huic obligationi, & non tenentur ad officium B. Mariæ etiam ſi aliàs ratione ordinis, vel alicuius beneficii ad talem recitationem adſtringerentur. Quia Pius V. voluit eos ab officio majori relevare, & loco illius brevius injunxit, ſeu ſubrogavit, nec voluit obligationem augere penſionario magis quàm aliis, Villalob. *tr.* 24. *diff.* 8. *num.* 15. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 200. Martinus à ſancto Ioſeph *de orat. lib.* 1. *tract.* 7. *num.* 7. Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 6. Bonac. *de Horis Canonicis diſp.* 1. *quaſt.* 2. *punct.* 4. *num.* 2. & 8. Garcia *de Benef.* 3. *p. cap.* 1. *num.* 17. Palaus *tom.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 2. *punct.* 1. §. 2. *num.* 6. Quorum aliqui merito docent, quod ſi penſionarius habitum alicuius ordinis militaris accipiat, cum indulto retinendi penſionem, ſatisfaciet, ſi *Pater noſter*, & preces in ſua regula præſcriptas perſolvat: quia Pius V. officium B. Mariæ illis iniunxit, qui aliàs nullam habebant ſpecialem orationis obligationem, Sic Bonac. Garcia, Suarez, & Palaus. Et idem dicimus de laïcis, qui penſionem aliquam retinuerint, quod ſatisfacerent ſuæ obligationi, ſi preces in regula, vel conſtitutionibus præſcriptas recitarent ob eandem rationem.

Coadiutor quando teneatur, vel non, recitare officium divinum

29. Coadjutoria autem quæ aliquibus conceditur (aſſignata aliqua portione pro congrua) pro futura ſucceſſione, non obligat ad recitationem, etiam minoris B. V. ſed obligatio recitationis remanet penes proprietarium, qui ad officium divinum tenetur: quia talis coadjutoria non eſt beneficium, ut declaravit Pius V. apud Doctores infra citandos, beneficium namque in duobus exiſtere nequit: ſed proprietarius eſt, qui habet beneficium; coadjutori autem ſolum poteſtas datur ſic cedendi in beneficium poſt proprietarii mortem, & ſic non abſolute, ſed ſub conditione mortis proprietarii datur illi beneficium, & ob id mortuo illo, non requiritur nova collatio, ſed habet effectum præcedens, ut coadjutor ratione illius beneficium poſſideat. Vocatur autem Canonicus, tum ob jus ſuccedendi, tum ob vocem in Capitulo, tum ob ſedem in choro, tametſi poſt proprietarios. Quæ omnia dicunt Villal. *ſup. n.* 16. Pelliz. *n.* 199. Palaus *n.* 7. Suar. *n.* 19. Garc. *n.* 109. Bonac. *n.* 13. Martinus à S. Ioſeph *n.* 11. Barb. *de iur. univerſ. lib.* 13. *cap.* 10. *n.* 59. Sanchez *conſil.* 1. *part. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 64. *num.* 3. ¶ At vero ſi coadjutori aſſignentur aliqui fructus beneficii, non per modum ſtipendii, ſed per modum penſionis tenebitur ad recitationem Minoris Beatæ Mariæ ſicut alii penſionarii, Suarez & Martinus à ſancto Ioſeph. Similiter ſi ex fructibus beneficii aſſignantur coadjutori certi proventus, ad quorum titulum poſſit ordinari, tam ipſe, quam proprietarius tenebuntur ad recitationem officii Canonici: quia tunc jam cenſentur duo beneficia. Bonac. & Pellizzar. Ac denique ſi Parrocho abſenti, vel infirmo, detur adjutor, vel alia ratione ſubrogetur alius, ut adimpleat omnes Parrochi obligationes, ad recitationem officii Canonici, quam nequit præſtare proprietatius, tenebitur coadjutor, quia loco illius ſubrogatur, ob idque ſtipendium accipit. Sic omnes.

Aliqua beneficia recenſentur quæ talem obligationem ſecum non afferunt.

*30. Sunt tamen aliqua beneficia quæ ex ſua inſtitutione non obligant ad Horas Canonicas, ſed ad aliquas preces, ut ſunt aliquæ ſimplices præpoſituræ vel perſonatus, vel prioratus, qui ſolum ad officium B. Mariæ vel aliquorum Pſalmorum obligant. Bonac. *diſp.* 1. *quaſt.* 2. *punct.* 4. *num.* 5. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 7. *num.* 3. Imò aliqua ſunt, quæ non obligant ad quidquam recitandum, ut quæ conferuntur ad pulſanda organa, vel alia inſtrumenta, ad docendum Theologiam, ad Sacriſtiam decenter cuſtodiendam, vel ob alia officia, non Eccleſiaſtica: quæ cenſentur ob titulum ſæcularem concedi: imò verè non ſunt beneficia, ſed quoddam ſtipendium ex fructibus Eccleſiaſticis deductum, ob aliquam actionem temporalem: ideoque ordinem clericatus non exigunt. Quare ſi hæc ut proprium beneficium conferantur, quia exigunt ordinem, vel tonſuram in recipiente, etiam ſi cum onere dentur, choro aſſiſtendi, legendi, pulſandi, vel aliud faciendi, nedum obligant ad hæc munera exercenda; ſed ad recitationem officii Canonici: quia ſunt verè beneficia Eccleſiaſtica. Sic duo Authores citati, & Sylveſter *verbo hora q.* 2. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 2.

Habens plura beneficia ad plura officia non tenetur.

31. Qui juſtè retinet duo, vel plura beneficia non tenetur ad tot officia divina perſolvenda ut ex praxi, & conſuetudine conſtat, nec enim multiplicatio titulorum multiplicat obligationem, ut in beneficiario ordinato, vel etiam Religioſo cernitur: quare unum tantum peccatum committit horas prætermittendo: quia facit contra plures obligationes ejuſdem rationis, cadentis ſuper eandem materiam, in quo omnes Doctores conveniunt. Diſſidium eſt autem inter illos, an qui titulo beneficii & titulo ordinis ſacri, tenetur ad recitationem committat duplex peccatum detegendum in Confeſſione, illam omittens. Affirmat prima ſententia, aſſerens

aſſerens committere duplex peccatum, & contra religionem, & contra juſtitiam: contra religionem quidem, quia ratione ordinis ex motivo religionis, ſicut al i ordinati, tenetur. Contra juſtitiam vero, quia ratione beneficii, tenetur ex juſtitia ad penſum horarum canonicarum, quia beneficium datur propter officium, & ſic quoddam pactum intervenit, quo Eccleſia beneficium confert hac lege, ut horas perſolvat, alioqui fructus ſuns non faciat. Qui autem non adimplet onus ad quod ex pacto ſe adſtrinxit peccat contra juſtitiam. Sic Navarr. *in manual cap.* 11. *num.* 4. Martinus à ſancto Ioſeph *tract.* 9. *num.* 2. Bonac. *diſp.* 1. *quaſt.* 5. *punct.* 1. *num.* 4. Sanchez *lib.* 9. *de matr. diſp.* 5. *num.* 6. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 4. *numero* 5. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *capite* 18. *numero* 5. Fagundez *de pracep. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *numero* 23.

32. Cæterum hæc ſententia ſolum continet verum, quando ordinatus omittens recitationem, vellet nihilominus fructus correſpondentes retinere: quia ex pacto cum Eccleſia ſolum ſe obligavit, ad non faciendos fructus ſuos, ſi recitationem omittat, & hoc ſenſu beneficium datur propter officium, ut nimirum nollet fructus beneficii retinere, qui onus illius non adimplet, & ſic ſolum eſſet duplex peccatum quando poſt omiſſionem recitationis, proponeret non reſtituere, quod debet: ſed de hoc non eſt quæſtio præſens; ſic enim etiam beneficiarius non ordinatus, omittens recitationem, & nolens reſtituere committeret duplex dictum peccatum: vnicum ergo in noſtro caſu peccatum committitur: quia clericus beneficiarius ſive ordinatus ſit in ſacris, ſive non, ſolum ex religione tenetur ad horas canonicas: quia ſuppoſito titulo beneficii, ex ſolo præcepto Eccleſiæ ſub motivo religionis impoſito, obligatur. Quare ſicut Sacerdos religioſus non committit duplex, ſed vnicum peccatum, contra religionem, omittens recitationem, ſic nec clericus beneficiarius. Trullench *tom.* 1. *decal. lib.* 7. *cap.* 23. *num* 3. Antoninus à Spiritu ſancto *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 1644. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 1. §. 2. *n.* 3. & *punct.* 5. *n.* 2. Homobon. *in exam part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *queſt.* 24. Azor. 2. *p. lib.* 4. *cap.* 8. *quaſt.* 6. *circa medium.* Salazar 1. 2. *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 17. Garcia *de benef. tom.* 1. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 125. Diana 2. *part. tract.* 12. *reſol.* 23. & 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 219.

§. II.

An habens animum reſtituendi fructus beneficii peccet mortaliter omittendo divinum officium recitare?

Ratio dubitandi proponitur.

33. RAtio dubitandi eſt, quia beneficiarii obligatio fundatur in eo quod fructus recipiat in ſtipendium, & mercedem laboris: datur enim in illo beneficium propter officium, & ideo ut dicebamus *num. praced.* peccat contra juſtitiam retinendo fructus & recitationem omittendo: ergo ceſſat omnis culpa, & obligatio, hoc ipſo quod nollet fructus ſuos facere, ſed eos inter pauperes diſtribuere.

Tria abſurda quæ ex tali modo dicendi ſequerentur deteguntur.

34. Sed ex tali modo dicendi tria ſequerentur abſurda. Primum quod nec ad illos poſtea reſtituendos teneretur, & ſic fructus retinere, recitationemque omittere ſine culpa poſſet: quia non peccavit in omiſſione recitationis ut ſupponitur: Sed qui abſque culpa omittit recitationem, nihil reſtituere tenetur ut dicemus *num.* 51. eo quod reſtitutio imponatur in pœnam peccati, & ſic ubi nullum datur peccatum, nulla obligat reſtitutio. ¶ Secundum, quia ſi ipſe pauper eſſet, vel ſorores, fratres, aut conſanguinei, poſſet per multum tempus retinere beneficium ad eos ſublevandos, & non recitare abſque peccato. Quia Pius V. ſolum præcipit ut reſtituantur fructus beneficii ad fabricam illius vel tertium vſus pauperum, ut dicemus *num.* 65. nomine pauperum venit ipſe & eius conſanguinei. ¶ Quia aliàs non teneretur recitare, qui ob ſuam culpam fructus non percipit, quod omnes, eſſe falſum, dicunt, aſſerentes Canonicum qui non vult reſidere, & ob id amittit fructus beneficii, non liberatur ab onere recitationis ut dicemus infra. Quod hoc ſequatur, conſtat: Quia iſte nullos percipit fructus: ergo ſi ſolum ob perceptionem fructuum teneretur ad recitationem, ubi nulla daretur perceptio, undecumque hoc proveniat, nulla daretur recitationis obligatio.

Peccat mortaliter qui animo fructus reſtituendi omittit officium divinum.

35. Dicendum itaque eſt cum eminentiſſimo Lugo, *in reſponſ. moral. lib.* 5. *dub.* 6. *num.* 2. peccare mortaliter omittentem recitationem officii divini etiamſi animum habeat omnes fructus reſtituendi. Primo, quia ageret contra finem primarium intentum ab Eccleſia in inſtitutione omnium beneficiorum, nimirum: quia omnia inſtituta ſunt ad ſervitium præſtandum Eccleſiæ, quod in recitatione officii divini exhibetur. Et ſic peccat qui illud omittit, etiam ſi nolit fructus retinere, ſicut habens beneficium parrochiale curam animarum continens, non ſatisfaceret ſuæ obligationi illam prætermittendo, etiam ſi vellet fructus omnes beneficii pauperibus erogare, quia ad illam per ſe primo tenetur. Secundo, quia hic datur duplex præceptum, aliud antiquum quo obligabantur omnes beneficiati recitare; aliud novum Concilii Lateran. & Pii V. de reſtituendis fructibus à non recitantibus, & unum poteſt ab alio ſeparari: & ideo ſex primis menſibus à receptione beneficii, non tenetur fructus reſtituere qui officium prætermittit, quamvis peccet mortaliter, ut dicemus *punct. ſequent.*

§. III.

An ut beneficiatus obligetur ad recitationem, requiratur quod ſit in pacifica poſſeſſione beneficii?

Titulus beneficii ſine poſſeſſione non obligat ad recitandum.

36. SVpponimus per ipſum non ſtare quominus poſſeſſionem acquirat, nam ſi ſua culpa ea privetur, nihilominus ad recitationem adſtringitur: quia ob culpam illius æquum non eſt, beneficium debito obſequio privari. Sic infra citandi authores. Supponimus etiam, contra nonnullos, habentem titulum beneficii, ſed impeditum à poſſeſſione capienda, ſive lite, ſive alia cauſa involuntaria ſibi, non eſſe obligatum ad recitationem, & ſic non ſufficere ſolum titulum ad tale onus imponendum: quia fructus non ſunt omninò certi, ſed contingentes, ob contingentem poſſeſſionem: ergo onus non debet ſubire, quia eſſet certum onus, pro incerto ſtipendio imponere. Sic Rodriguez *ſum. tom.* 1. *cap.* 145. *num.* 1. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 24. *diff.* 8. *num.* 2. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18. *à n.* 7. Palaus *tract.* 7. *diſp.* 2. *punct.* 1. §. 2. *num.* 25. Bonac. *diſp.* 1. *quaſt.* 2. *punct.* 5. *n.* 2. Lugo *in reſponſ. moral. lib.* 5. *dub.* 5. *n.* 1. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23.

*tract.*23.*c.*5.*n.*159. Pellizz. *tract.*5.*cap.*8.*n.*194. Diana *part.*2. *tract.*12. *reſol.*21. Ex quo ſequitur quod ſi duo litigarent, & neuter in poſſeſſione eſſet, nullus ad recitationem teneretur: aliàs omnes litigantes ratione unius beneficii, ad talem recitationem eſſent adſtricti. Sic Authores citati. Quod limitandum ducimus dummodo uterque bona fide litiget, & juſtè impediat alterius poſſeſſionem; nam ſi unus injuſtè litiget, & alterum impediat, tenetur ad recitandum: quia injuſtè privat Eccleſiam debito miniſterio.

Sufficere titulum cum poſſeſſione ſi non ſit pacifica aliqui aſſeruit.

37. Quæſtio igitur eſt in præſenti, quando haberet titulum & poſſeſſionem, ſed non pacificam, ſed lite pendente, ob idque vel fructus non perciperet, quia erant ſequeſtrati, vel ſi perciperet, eſſet cum onere reſtitutionis, ſi vinceretur, an tunc teneretur ad recitationem officii divini? Negat abſolute prima ſententia. Sed ex tunc incipere obligationem recitationis dicit, ex quo eſt in pacifica poſſeſſione beneficii. Primo, quia, tantum onus quale eſt recitatio quotidiana, imponendum non eſt, niſi pro habentibus perfecte beneficium: non ſi illud dumtaxat imperfecte habeant. Aliàs, qui titulum haberet ſine poſſeſſione (quomodo vere dicitur habere beneficium *cap. ſi tibi abſenti de prabendis in 6.*) teneretur ad recitationem contra ea quæ diximus *numero pracedenti*, ſed qui non eſt in pacifica poſſeſſione beneficii, non dicitur perfecte habere beneficium: ergo, &c. Secundo quia nemo eſt obligandus ad certum onus ob incertum ſtipendium: ſed lite pendente non eſt certum ſtipendium applicandum poſſeſſori, cum ſæpe vincatur, & à poſſeſſione deturbetur. Rodrig. *tom.*1. *cap.*145. *num.*1. Vega 1.*p.cap.*28. *n.*18.*ad finem*. Henriquez *lib.*13.*cap.*13.§.2. Diana 2.*part.tract.*12.*reſol* 21. Suarez *lib.*4.*cap.*19.*n.*7. Barboſa *cap. dolentes*, *num.*3. *de celebrat. Miſſar.* Bonac. *diſp.*1. *quaſt.*2. *punct.*5. *num.*2. & *punct.*4. *num.*26. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.*2.*tract.*7. *num.*12. Reginald. *lib.*30. *n.*38. Layman. *lib.*4. *tract.*1.*c.*1.*n.*3.*q.*2. Trullench. *lib.*1.*decal. cap.*7. *dub.*13.*num.*1.

38. Sed quamvis cum hac ſententia conveniamus, in caſu quo deficeret certitudo moralis ſibi applicandos fructus, ſaltem ſervitio debitos; cæterum dicimus non requiri omnimodam pacificam poſſeſſionem, ſed ſufficere titulum & poſſeſſionem etiam litigioſam, ſi pendente lite, ipſe beneficium adminiſtret, cum morali ſpe, & certitudine, quod fructus ſibi applicandi ſunt, ſaltem debiti pro obſequio præſtito: juſtum quippe eſt, ſubire onus illud, qui ſpem illam commodum recipiendi habet, ſimul cum titulo, poſſeſſione, & adminiſtratione beneficii: quia jam perfecte beneficiarius cenſeri debet, & vix exponitur periculo ſtipendium amittendi, ob quod dicendum non eſt incertum pro certo onere recipere. Villalob. *tom.*2. *tract.*24. *diff.*8. *n.*13. Filliuc. *tom.*2. *tract.*23.*cap.*5.*n.*161. Pellizzar. *tract.*5. *cap.*8. *num.* 194. Leſſius *lib.*2. *cap.*34. *num.*173. Ledeſma *tract.*9. *cap.*4. *concl.*6. *diff.*10. Palaus *diſp.*2. *punct.*1.§.2.*num.*24. Sanch. *conſil. lib.*2. *cap.*2. *dub.* 76. *num.*9. & 10. Lugo *in reſponſ. moral. lib.*5. *dub.*5. *num.*9. Idemque eſt ſi interim recipiat emolumentum aliquod ex functionibus & ſervitiis manualibus, vel aliquo alio modo occaſione beneficii, quod poſſidet, quibus privari non timeat, ſi in lite vincatur.

Si quis lite pendente nõ recitavit, poteſt, ſi poſtea vincat ſuos fructus facere.

39. Ex quibus ſequitur primo, quod ille qui ob litem omiſit recitare, poteſt poſtea ſuos facere fructus correſpondentes illi tempori quod non recitavit, ſi poſtea vincat: ſicut facit fructus ſuos, qui per ſex primos menſes à receptione beneficii, non recitat, licet iſte peccet; non ille: & hoc ipſo quod toto illo tempore non recitando non peccavit, non appareat, unde habeat obligationem reſtituendi: cum hæc obligatio ob culpam commiſſam in non recitando proveniat: ſicut ſi quis revera teneretur recitare, & bona fide omiſiſſet, quia aliquis, cui credere poterat, dixit illi, quod non habebat obligationem, poſtea cognito errore, non teneretur fructus perceptos reſtituere, ſed poſſet ſe habere, ſicut qui oblivione invincibili omiſit aliquando recitare. Bonac. *n.*4. Lugo *n.*5. ¶ Sequitur ſecundo, non teneri recitare illum, qui ab initio pacifice ingreſſus eſt poſſeſſionem beneficii, quod per duos annos v. g. poſſedit, ſi poſtea ei intenteretur lis ſuper eodem beneficio: quia revera hic, ſuborta lite, non percipit fructus, ſi ſequeſtrantur, vel certè debet eos poſtea reſtituere collitiganti, ſi ei applicentur, niſi vel ſpem habeat certam non perdendi fructus, vel ſaltem aliqua emolumenta ex obventionibus, & ſervitiis certa, ei, lite pendente remaneant: tam enim ille qui accipit litigioſam poſſeſſionem ab initio, quàm ille qui pacificè poſſidet, & poſtea perturbatur aliqua lite ſuper eodem beneficio, non debet judicari perfectè, & conſummatè beneficiatus pro eo tempore, quo lis perſeverat, & ſic utrumque parificat quoad hoc, Sanchez *lib.*2.*cap.*2.*dub.*76. *num.*10. Ledeſma *tract.*9. *cap.*4.*concluſ.*6.*diff.*10. Pellizzar. *tract.*5. *cap.*8. *num.*195. & Lugo *n.*14. ubi fatetur, nullam ſe invenire differentiam inter utrumque caſum.

Nõ tenetur recitare qui poſt pacificam poſſeſſionem arte aliqua perturbatur.

§. IV.

An qui nullos fructus ex beneficio percipit teneatur ad recitationem?

Quibus cauſis fructus non percipiens excuſetur à recitatione.

40. CErtum eſt in hac parte, quod ſi ab initio aliquis ſolum titulum recipiat beneficii, & ita diſponente Pontifice, fructus omnes alteri applicentur, talis non tenetur recitare: quia ob ſolum titulum, ut diximus, non tenetur, & quia non poſſidet dominium utile, ſed tantum quaſi radicale, & ſic non tenetur laborare. Similiter eſt certum quod ſi quis ſua culpa non percipiat fructus, vel quia eſt juſtè excommunicatus, ſuſpenſus, vel non reſidet, tenetur recitare, quia ex parte ſua jam confert beneficium ſtipendium, à quo non licet, titulo ſervato, obligationem excutere. Niſi hoc quod eſt, non reſidere, ſit ex cauſa legitima, & ſecundum ordinem juris, v.g. cauſa ſtudii: tunc enim ſi fructibus privetur, non tenetur recitare. Quia ad hoc ſolum adſtringitur propter ſuſtentationem ipſi ab Eccleſia ſupeditatam. Quare cum tunc illa privetur ab Eccleſia, & quidem ſine culpa beneficiarii, quia abeſt cum debita licentia, & cauſa jure expreſſà, non eſt cur obligandus ſit ad recitationem, cum ceſſante cauſa ceſſet effectus. ¶ Similiter, ſi per judicem damnetur ut per annum non acquirat fructus beneficii, non tenetur pro eo tempore recitare,

licet

licet ſua culpa fuerit damnatus: quia jam per ipſum non ſtat quod percipiat fructus: ſicut non obligaretur in perpetuum, ſi in perpetuum privaretur fructibus beneficii. Sanchez *lib.2. conſil. cap.2. dub.74.* Pelliz. *tract.5. cap.8. n.190.* Et idem eſt ſi poſt excommunicationem adhibeat diligentiam, ut abſolvatur, & non obtineat, cum jam injuſtè fructibus privetur: Quia excommunicatus procurans abſolutionem, & ſi non obtineat, facit fructus ſuos: Excommunicatio namque ſolum in pœnam contumaciæ, quæ tunc ceſſat, privat clericum fructibus beneficii. Duo Authores citati.

Qui recitare tenentur tamen ſi fructus non percipiant.

41. Ille verò qui cum non ſit idoneus beneficio illud ſuſcipit, & cogitur per alium inſervire cui omnes, vel ferè omnes fructus confert, tenetur nihilominus recitare: quia jam poſſeſſionem habet, & ſua culpa non percipit fructus. Villalob. *1. part. tract.24. diff.8. n.10.* Leſſius *lib.2. c.34. n.168.* Niſi inhabilitas proveniat ex eo quod nondum ſit Sacerdos, nec poſſit eſſe pro eo tempore ex defectu ætatis: tunc enim non tenetur recitare, quia non poteſt acquirere fructus principales, aut fructus ſervitii, nec per ipſum ſtat, quominus eos acquirat. Sanch. *conſil. tom.1. lib.2. cap.2. dub.77.* Pelliz. *tract.5. c.8. n.191.* ¶ Similiter qui pro aliquo tempore non percipit fructus copioſos, vulgò *la grueſa*. Accipit tamen, ſi in choro aſſiſtat, & exerceat alia munera beneficii, diſtributiones quotidianas, vel alia ſtipendia tenetur recitare, quia jam pro officio impenſo ſibi ex beneficio, ſufficiens ſtipendium perſolvitur. Suarez *lib.4. de horis canon. c.20. à n.3.* Vaſquez *opuſc. de benef. c.4. §.1. dub.6. n.27.* Palaus *tom.2. tract.7. diſp.2. punct.1. §.2. n.21.*

Qui ſpem habet fructus recipiendi tenetur recitare.

42. Qui de præſenti nullos fructus percipit beneficii, ſed certo ſperat poſtmodum recepturum tenetur ad horas canonicas: quia ſpes illa certa fructuum orta ex titulo & poſſeſſione beneficii æquivalet jam perceptis, aliter nullus primo anno obligaretur recitare, cum ſoleat regulariter perceptio fructuum ad finem anni differri. Ex quo fit quod ſi in aliqua Eccleſia ſit ſtatutum, ut nihil primo anno beneficiario concedatur, ſed omnes fructus illius reſerventur poſt mortem in ſui favorem expendendi, teneretur recitare illo anno, quia verè lucratur fructus & eſt ſufficiens ſtipendium officii imp. nſi, fructus eo modo recipere. Reginald. *lib.30. num.30.* Filliuc. *tract.23. cap.5. quæſt.9.* Layman. *lib.4. tract.2. cap.4. num.5.* Garcia *de benef. 3. p. c.1. num.62.* Bonac. *de horis diſput.1. quæſt.2. punct.4. n.22.* Leſſius *n.170.* Suar. *n.9.* Palaus *n.13.*

Qui per vim aut fraudem fructibus privaretur ad recitationem non tenetur.

43. At verò ſi per vim, fraudem, aut dolum injuſtè impeditus eſt aliquis à conſecutione fructuum beneficii, nec ſpem habeat fore ſibi reſtituendos, non tenetur ad horas, quia nemo tenetur ad officium, niſi ob ſtipendium acceptum vel recipiendum. Et hoc non ſolum eſt verum quando a conſecutione fructuum beneficii impeditur, quaſi in perpetuum; ſed etiam ſi ſit pro aliquo tempore, & ideo pro eo tempore, pro quo non eſt in ſua poteſtate fructus illos habere, nec ſpem habet poſtmodum recuperandos, deobligatus à recitatione exiſtit. Filliuc. *num.167.* Layman. *n.4.* Suarez *num.7.* Palaus *num.18.* Leſſius *num.168.* Garcia *num.45.* Bonac. *num.25.* Vaſquez *n.11.* Ex quo infert Palaus *loc. cit.* Quod ſi ob ſterilitatem annorum nullos fructus redderet bene-

ficium, & Epiſcopus, vel fideles, alia via, defectum non ſupplerent, beneficiatum non eſſe obligatum ad horas; quia pro illo tempore dici non poteſt in re habere beneficium, ſed ſolum titulum, qui, ut diximus multoties, inſufficiens eſt ad inducendam hanc obligationem.

44. Sed rogabis primò: An ſi aliquis ex reſignatione recipiat beneficium, cum obligatione ejus muneribus ſatisfaciendi, & reddendi omnes fructus in penſionem reſignanti, obligetur ad recitationem? Et quidem ſi ille ſolum accipiat titulum, penſionario autem relinquat, & fructus, & beneficii adminiſtrationem: certum eſt penſionarium teneri ad horas, non qui hoc modo accipit beneficium ut dicebamus in initio hujus §. eſſet enim injuſtum imponere onus cui merces denegatur: *Cap. ſecundum Apoſtolum de præbendis*. at ſi titulum, & adminiſtrationem recipiat: probabilius ducimus ad recitationem teneri: quia ſicut ex ſua voluntate ſuſcepit abſque ſtipendio obligationem adminiſtrandi beneficium, v. g. aſſiſtendi in choro, conferendi ſacramenta: ita onus recitandi, quod eſt ei annexum: aliàs tale beneficium abſque obligatione recitandi horas canonicas maneret: Quod cederet in Eccleſiæ damnum: Nam penſionarius illam non habet, ſed ſolum dicendi officium parvum Beatæ Mariæ. Unde hoc ipſo quod abſque ullo ſtipendio beneficium & adminiſtrationem recipere vellet, cenſetur cedere debito ſtipendio, illud quaſi condonans. Atque ita docent Vaſquez *opuſcul. de benef. c.4. §.1. dubio ſexto, num.34. & 35.* Suarez *libro quarto, de hor. canon. cap.20. numero ſecundo.* Garcia *de benefic. tertia parte, capite primo, num.54.* Bonac. *diſputatione prima, quæſtione ſecunda, punct.4. num.22.* Palaus *diſputatione ſecunda, punct.1. §.2. num.14.* Barboſa *cap. dolentes, num.9. de celebrat. Miſſar.* Reginald. *lib.30. n.30.* Filliuc. *tract.23. c.5. quæſt.5.*

Tenetur recitare qui adminiſtrando beneficium omnes fructus alteri confert.

45. Rogabis ſecundò, an ſi in aliqua Eccleſia, ſtatuto, vel conſuetudine, aut privilegio introductum ſit, ut beneficiarii primo anno nullos omnino fructus, aut diſtributiones percipiant, tametſi inſerviant Eccleſiæ, ſed fabricæ, aut aliis præbendatis applicentur, teneantur illi, pro illo anno recitare horas canonicas? Reſpondetur, quod licet probabile ſit non teneri, ut docent Authores infra citandi: quia cum pro eo anno nullum ex beneficio ſtipendium accipiant, perinde ſe habent, ac ſi non eſſent beneficiarii. Probabilius eſt oppoſitum. Primò, quia ſcienti & volenti non fit injuria: at ipſi ſcientes & volentes ſimile onus abſque ſtipendio accipiunt, tale acceptando beneficium habens annexam obligationem recitationis: Unde ſicut pro eo anno non excuſantur ab exiſtentia chori aliiſque oneribus beneficii, eo quod eo anno non percipiunt fructus, ſic non excuſantur à recitatione. Secundò, quia fructus illius anni per totam vitam percipient: Nam vel ſunt applicati fabricæ vel aliis præbendatis; ſi primum, cum ex fructibus beneficiorum teneantur beneficiati fabricam conſervare, quarta bonorum Eccleſiaſticorum quæ ex jure debebant fabricæ applicari, incorporata fuit Canonicorum præbendis cum onere, ut ex fructibus præbendarum fabricam conſervarent. In illis verò Eccleſiis ſtatutum eſt, quod ut præbendati eſſent ab hoc onere immunes, quod tota vita per partes fabricæ tribuendum

Etiamſi primo anno fructus non percipiat, eſt probabilius teneri ad recitandum.

foret, primo anno ſimul daretur, & ſic cenſetur hic modo eo anno fructus percipere, cum ſpe in poſterum hoc modo reſarciendos. Si autem applicentur aliis præbendatis, cum ſpem habeat, ut fructus beneficiatorum poſtea ingredientium ſibi applicentur, jam hoc modo fructus pro primo anno omiſſos ſperat recuperandos. Unde hoc jus, & ſpes iſta, ut ſtipendium ſufficiens reputatur, ut hac ratione obligetur ad recitationem. Sic docent Villalob. *tract.* 2. *differ.* 8. *num.* 12. Bonac. *diſputatione* 1. *de hor. can. quæſ.* 2. *punct.* 4. *num.* 21. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 5. *quæſt.* 8. *num.* 271. Palaus *t.* 2. *tract.* 7. *diſputat.* 2. *punct.* 1. §. 1. *num.* 19. Azor. *lib.* 10. *cap.* 4. *quæſt.* 4. *ad fin.* Garcia 3. *p. cap.* 1. *num.* 76. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 31. *num.* 170. & 171. Suarez *lib.* 4. *cap.* 20. *numero* 14. & 20. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *numero* 193.

§. V.

An ſi beneficium ſit exiguum teneatur illud poſſidens recitare?

Sententia dicens ex tenui beneficio non oriri obligationem recitationis.

46. CErtum eſt beneficiarium habentem plura beneficia tenuia, quibus omnibus competenter poteſt ex magna parte ſuſtentari, etiam ſi quodlibet ad hoc inſufficiens ſit, teneri ad recitationem: quia jam recipit ab Eccleſia ſtipendium juſtum pro onere impenſo. Difficultas vero eſt quando beneficium vel beneficia habens ex eis nequit, nec partem moderatam pro ſuſtentatione accipere. Celebris eſt in hac parte ſententia Soti, quam poſtea plures ſequuntur, negans beneficiarium, cui non remanet bona pars ſuſtentationis ex fructibus beneficii habere obligationem recitationis. Et probatur primò, quia aliàs beneficium non eſſet beneficium; ſed maleficium, ſi ad tantum onus adſtringeret abſque utilitate conſiderabili, maximè, quia beneficiarii non obligantur ratione ordinis ad recitationem, ſed tantùm ratione mercedis quam accipiunt: ſed non videtur rationabile, ut qui beneficium exiguum, & inſufficiens, ſaltem ad tertiam partem ſuſtentationis accipit, ad tantumdem obligetur, ad quod qui maximum habet, obligatur: ergo, &c. ¶ 2. Quia, beneficium tenue in jure pro non beneficio reputatur: Quia fructus exigui nulli cenſentur, eo quod parum pro nihilo reputatur: & ſic in *Cap. ex cus* 19. *de Præbendis in* 6. Beneficium inſufficiens habetur, quaſi non eſſet beneficium. ¶ Tertio, quia beneficium quod nullos fructus parit, ad recitationem non obligat, eo quod non poteſt onus imponere, quod non dat commodum, nec obligare ad inſerviendum altari, quod ex altari nequit ſuſtentare: ſed tenue beneficium, alere nequit: ergo nec obligare ad inſerviendum altari per recitationem. Sic Soto *lib.* 10. *quæſtione* 5. *artic.* 3. Malderus *de Virtut. tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 3. *verſu nihilominus.* Aragon. 2. 2. *quæſtione* 83. *artic.* 12. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de orat. tract.* 7. *numero* 13. Diana 2. *p. tract.* 12. *reſolut.* 9. Sanchez *lib.* 2. *Conſil. capite* 2. *dub.* 66. Rodriguez *tom.* 1. *ſumm. cap.* 140. *numero* 3. Molfeſius *tract.* 5. *cap.* 3. *numero* 26. & *tract.* 6. *cap.* 1. *numero* 37. Vega 1. *p. ſumm. cap.* 128. *caſ.* 13. Ledeſma 2. *tom. tract.* 9. *cap.* 4. *concluſ.* 6. *diff.* 4. Raphael de la Torre 2. 2. *tom.* 1. *quæſt.* 83. *de hor. canon. controverſ.* 6. *diſputatione* 5. & *controverſ.* 7. *num.* 29. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 31. *numero* 169. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 187. Quamvis iſti duo ultimi authores aſſerunt, quod ſi aliquos fructus percipit, tenetur aliquoties in anno recitare, nimirum dominicis & diebus feſtivis.

Quid ex dicta ſententia ſequatur.

47. Ex hac ſententia ſequitur (quidquid alii dicant) quod ſi juveni concedatur Capellania, vel aliud beneficium, cui annexum eſt dicere aliquas Miſſas, pro quibus ferè omnes fructus inſumit beneficii vel majorem partem, ita ut ei non remaneat bona pars ad ſuſtentationem, talis non tenetur ad recitationem, quia non amplius cenſetur beneficium ſuo poſſeſſori valere, quam, quod deducto ſtipendio Sacerdotis, beneficiario ſupereſt: & ſic ad computandam beneficii quantitatem, penſandum eſt, quod reſtat, detractis Miſſis, & aliis oneribus. Leſſius *num.* 171. Villalob. *loco infra adducendo*, *num.* 6. Martinus à ſancto Ioſeph *numero* 13. *fine.* Sanchez *dub.* 68. *numero* 2. ¶ Variant autem authores in aſſignanda quantitate beneficii ut ſufficiens ſit ad obligationem recitationis inducendam. Nam Soto dicit, non inferre illam, niſi quod reddit 10. vel 15. aureos ſingulis annis. Ledeſma extendit ad 20. Leſſius & Aragon Prudentum arbitrio remittunt, Malderus, & communiter alii, illud judicant inſufficiens, quod pro tertia parte ſuſtentationis clerici fuerit inſufficiens. Quare his temporibus niſi quod ad 30. vel 40. annuos aureos pertingat reputabitur inſufficiens. Nam ſi tempore Soti 10. vel 15. aurei erant neceſſarii ad bonam partem ſuſtentationis. Modò nec 40. ſufficiunt. Pellizzar. *numero* 188. Martinus à ſancto Ioſeph *loco cit.* Sanch. *dub.* 67. *n.* 4. Suarez & Palaus *infra* adducendi, quod ut diximus penſandum eſt, detractis Miſſis & aliis oneribus.

Quodcumque beneficium quantumvis tenue inducit obligationem recitationis.

48. Sed licet præcedens ſententia ſit probabilis; probabilius judicamus quodcumque beneficium quantumvis tenue inducere obligationem recitationis, dummodo aliquos fructus habeat, (ſi enim nullos exhibeat, jam non eſt beneficium, ut dicit tertium argumentum contrariæ ſententiæ) & hoc duplici ratione probamus. Prima, quia beneficiarius ſponte ſua accipiens beneficium tenue, acceptat etiam onus illi annexum, ſicut qui accipit ordines ſacros ſponte ſua, etiam ſuſcipit onera illorum, tametſi nullum emolumentum temporale ſperet: ergo ſicut iſte tenetur ad recitationem, etiam ille. Quod explicatur: tum exemplo militis qui voluntarie dedit nomen ſuum militiæ, tenetur militare, quamvis non recipiat tantum pretii, quo poſſit vitam commode traducere. Tum etiam, viri, qui contentus modica dote uxoris matrimonium contrahit, tenetur nihilominus eam alere: Nam nullus ex his patitur injuriam ex impoſito ſibi onere: cum omnes ſcienter & ſpontaneè tale onus ſubierint. Secunda, quia beneficium habens tenues fructus verè eſt tale, quia eſt jus percipiendi fructus ab Eccleſia, ſpeciali titulo ab ea recepto, & ſic reddit beneficiatum eodem modo exemptum, ac privilegiatum, ſicut pingue: ſed Concilium Lateranenſe, & Sixtus V. in ſua Bulla, onus recitandi imponunt beneficiato, non diſtinguentes de pingui, ac tenui, eo quod beneficium eſt propter officium: ergo, &c.

49. Nec

Evertitur effugium adverſariorum, & præcedens ſententia auctoribus probatur.

49. Nec ſat eſt, dicere, quod adverſarii reſpondent, id intelligendum eſſe de beneficio congruo & competenti officio exhibendo, quale non eſt, quod pro bona miniſtri ſuſtentatiooe non ſufficit. ¶ Nam contra eſt, tum quia talis limitatio in jure non ponitur, quin potiùs ex ipſo oppoſitum deducitur: Nam in *cap. Clericus 1. diſt. 99.* clerico qui in Eccleſia ſibi commiſſa, & ſic beneficiario, commodè ſuſtentari non poteſt, dicitur, ut ſibi victum & veſtitum quærat ex agricultura, vel artificio aliquo, poſt ſui muneris & officii penſum abſolutum. Tum etiam, quia talis obligatio optimè potuit ab Eccleſia imponi cuilibet beneficiario, quantumvis exiguum eſſet beneficium, ſicut cuilibet clerico in ſacris conſtituto illam impoſuit, tametſi nullus fructus ab Eccleſia recipiat, hoc namque onus, honoribus, exemptionibus, & privilegiis, ab Eccleſia conceſſis affatim compenſatur: nec enim onus recitandi adeò grave eſt cenſendum, ut nequeat compenſari tot honoribus, exemptionibus, & privilegiis: quare verum eſt inſervienti altari debere ſuſtentari ab eo, niſi ipſe liberè conductus ſit nullo vel exiguu ſtipendio, maximè ſi aliis rationibus labor ille affatim compenſatur. Ex dictis manent ſoluta omnia contraria argumenta. Quare hanc ſententiam tenent Covar. *3. var. cap. 13. num.* 8. Villalob. *tom. 2. tract. 24. diff.* 8. n. 4. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 2. *punct.* 10. §. 7. Azor. 1. *part. lib.* 10. *c.* 3. *q.* 3. Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. c. 21. à n. 3.* Garcia *de benef. 3. part. t. 1. num.* 30. D. Anton. *p. 3. tit. 13. cap.* 4. §. 1. Bonac. *de hor. diſput.* 1. *quæſtione ſecunda, punct. 4. num.* 17. Navar. *de orat. cap. 7. num.* 27. Palaus *tom. 2. tract. 7. diſputione ſecnuda, punct. 1. §. 2. numero decimo,* Filliuc. *tract.* 23. *cap. 3. num.* 181. Regin. *lib. 30. cap. 4. num.* 34. Layman. *lib. 4. tract. 2. cap. 5. num. 4. quæſt.* 5. Barboſa *cap. dolentes, num. 4. de celebrat. Miſſarum.*

PUNCTUM IV.

De reſtitutione quam tenentur facere beneficiarii officium divinum omittentes.

Decreta Concilii Lateranenſis & Pii V. referuntur.

50. LIcet aliquod dubium olim fuerit apud Doctores circa obligationem reſtitutionis faciendam ab habentibus beneficia, & penſum horarum canonicarum non perſolventibus, nunc ceſſavit omnis dubitatio poſt decretum Concilii Lateranenſis ſob Leone X. & Pii V. Concilium namque, *ſeſſ. 9. §. ſtatuimus*, ſic loquitur: *Statuimus quoque & ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum cura, aut ſine cura, ſi poſt ſex menſes, obtento beneficio officium divinum non dixerit, legitimo impedimento ceſſante beneficiorum ſuorum fructus non faciat, pro rata omiſſionis recitationis officij & temporis, ſed eos tanquam injuſtè retentos in fabricas hujuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas, erogare teneantur.* Et Pius V. *in ſua conſtitut. quæ incipit: ex proximo Lateranenſi* edita 12. Kalendas Octobris 1571. relatis verbis ſupradictis Concilii Lateranenſis, ejuſque decreto innovato, & confirmato pro declaratione illius addidit. *Veruntamen animi ſuſpenſione tenentur cujuſmodi rata prædicta ratio ſit habenda: Nos huic rei, ovidentius, atque expreſſius providere volentes, ſtatuimus, ut qui horas omnes canonicas, uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorum fructus, qui illi vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur: qui vero Matutinum tantum dimidiam, qui ceteras alias horas aliam dimidiam, qui horam ſingulam ſextam partem fructuum ejus diei amittant. Tametſi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum aliis præſens adſit, fructuſque & diſtributiones forsè aliter aſſignatas ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, vel aliàs ſibi lucrari feciſſe prætendas. Is etiam præter fructuum & diſtributionum amiſſionem, grave peccatum intelligat ſe admiſiſſe. Item ille qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit grave peccatum intelligat admiſiſſe: At quicumque penſiones, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas ut clericus percipit, tum modo prætitto ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis. Decernimus obligatum: & penſionem fructuum, rerumque ipſarum amiſſione obnoxium, &c.*

51. Ex quibus decretis habemus primò, eum qui culpabiliter poſt ſex menſes à beneficio recepto, officium omiſerit, teneri fructus, quos poſt illud ſemeſtre lucratur reſtituere correſpondentes illis, vel illis diebus quibus recitationem intermiſit, ita quod omnes teneatur ſolvere ſi totum officium omiſerit, ſi Matutinum cum laudibus dimidiam partem fructus illi diei correſpondentem, ſi alias horas ſimul aliam dimidiam & pro ſingulis horis ſextam partem, ut in Bulla Pij V. habetur, & hoc non ſolum qui unicum beneficium; ſed qui plura poſſidet, debet reddere, itaut omnes fructus omnium beneficiorum cum dicta diſtributione ſolvere teneatur, ut conſtat ex dictis decretis. ¶ Cæterum, qoia ibi dicitur: *Legitimo impedimento ceſſante*, communiter inferunt Doctores, eum, qui abſque culpa læthali omitteret recitationem (ſive ex oblivione, infirmitate, impotentia, ignorantia, inculpabili, vel alio legitimo impedimento) non teneri ad dictam reſtitutionem. Tum, quia jam cenſetur habere legitimum impedimentum. Tum etiam, quia hæc reſtitutio per modum pœnæ aſſignatur ab Eccleſia & pœna gravis non incurritur, niſi gravi culpa præcedente. Bonacin. *diſputatione prima, quæſtione quinta, puncto ſecundo, num.* 24. Pelliz. *tract. 5. capite octavo, num.* 104. & 217. Palaus *tomo ſecundo, tractatu 7. diſputatione ſecunda, punct. 7. numero tertio*, Garcia *de benefic. tertia parte, capite primo, num.* 27. Suarez *de hor. canon. lib. 4. cap. 30. num.* 17. Martinus à ſancto Ioſeph *lib. 2. de oration. tractatu tertio, num.* 14. Villalobos *tomo primo, tractatu 24. diff. 17. numero ſeptimo, & decimo ſeptimo.* Leſſius *libro ſecundo, cap. 34. num.* 181. & 183. Reginald. *lib. 30. num.* 34. & alii.

Quid reſtituere debeat qui culpabiliter omittit officium.

Qui abſque culpa non recitat, nihil tenetur reſtituere.

52. Habemus ſecundò peccare mortaliter qui per illud primum ſemeſtre à recepto beneficio non recitat, ut expreſsè dicit Pius V. tamen ad reſtitutionem non teneri, & hoc verum judicamus, ut non reſtituere quidquam teneatur, nedum ex fructibus correſpondentibus aliis miniſteriis; verum neque ex fructibus officio divino ab ipſis non recitato correſpondentibus (quod aliqui immeritò negant) quia Eccleſia ante illa decreta non conceſſerat illos fructus ſub conditione ut officium divinum recitaretur, ſed ad ſummum, ſub onere recitandi, ſicut parocho concedit fructus ſub onere ut ſacramenta adminiſtret: qui ſi negligens

Primis ſex menſibus peccat qui recitare omittit, ſed nil reſtituere tenetur.

fuerit, non ob id eos reſtituere tenetur: ſed Concilium Lateranenſe, & Pius V. nihil circa hoc innovarunt: ergo &c. Unde præſumendum eſt voluiſſe Eccleſiam primis ſex menſibus liberare beneficiatum ab onere reſtitutionis. Tum ut oſtenderet ſuam benignitatem erga eum, quem timebat eo tempore ſæpe ſuo muneri non ſatisfacturum. Tum etiam ob privationem omnium fructuum, quam ei pro ſequenti tempore imponebat, cujus rigorem voluit per primam benignitatem compenſare. Pellizzar. *numero* 204. & 205. Martinus à ſancto Ioſeph *num.* 4. Villalob. *num.* 4. Palaus *numero* 2. Leſſius *numero* 129. Garcia *numero* 7. & 19. Bonacina *numero* 9. Sanchez *conſil. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 82. *concluſione* 1. & 2. Diana 2 *part. tract.* 11. *reſol.* 25. & 51. *part. tract.* 1. *reſol.* 7.

Ad dictam reſtitutionem nulla judicis ſententia requiritur.

53. Habemus tertiò dictam reſtitutionem faciendam eſſe à beneficiato antè omnem judicis ſententiam. Tum, quia licet ſit pœna, eſt tamen pœna quæ antecedenter inhabilitat ad effectum, non quæ iure quæſito jam privet, de qua jam diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legibus cap.* 2. *num.* 6. non indigere judicis ſententia. Tum etiam, quia potuit Eccleſia ſub ea conditione fructus applicare beneficiato ſi culpabiliter non omittat, aliter non acquirat eorum dominium, & tanquam rem non ſuam, eos reſtituere teneatur: ita de facto fecit: Nam in Concilio Lateranenſi, & Bulla Pii V. expreſſè dicitur: *fructus ſuos non faciant, & tamquam alienos erogare teneantur*: ergo &c. Pellizzar. *numero* 210. Martinus à ſancto Ioſeph *tract.* 13. *num.* 2. Palaus *num.* 10. Bonac. *punct.* 2. *num.* 1. & 7. Suarez *lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 2. Petrus Navarra *de reſtitut. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 195. Leſſius *num.* 183. Garcia *num.* 32. Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 1. Filliuc. *tract.* 28. *cap.* 10. *quæſt.* 4. *num.* 311. ¶ At vero Ioannes de Salas *de legibus diſput.* 15. *ſect.* 2. *num.* 27. putat, quod ſi contingat canonicum jam Canonicatus groſſam prius lucrari, antequam officium omittat, nil ejus reſtituere teneretur, quia pœna non eſt, ut fructus ſuos jam reſtituat, ſed ut non faciat fructus ſuos, cumque jam illos ſuos fecerit, illos reddere non teneretur: alias nimis ampliaretur illa pœna extendendo eam à caſibus expreſſis, ad hos non expreſſos, quod refert, nec impugnat Diana 2. *part. tract.* 12. *reſol.* 8. *fine*, & Pellizzar. *num.* 225. & dicit, probabile eſſe, caſu quo fructus illos bona fide recuperaſſet.

Aſſerunt aliqui non teneri reſtituere beneficiatum qui aliquibus diebus non recitat.

54. Sed modo ſunt aliquæ difficultates diſſolvendæ. Prima difficultas eſt, an qui uno vel altero die omitteret recitationem teneretur reſtituere modo dicto. Negat prima ſententia: quia omittens uno vel altero die debitum obſequium præſumitur ab hero exemptus ab obligatione reſtitutionis ex quadam benigna congruitate, ne dominus nimis exactor judicetur: ſed beneficiarius eſt ſeruus liberaliſſimi Domini, qui quoad hæc multo minus exigit, quam domini temporales, nimirum piiſſimæ Matris Eccleſiæ: ergo præſumendum eſt, eam non eſſe adeo exactam & rigidam, ut velit imponere obligationem reſtitutionis ei, qui una vel altera vice, recitationem omitteret. Sic Layman *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 1. Ioannes de la Cruz *in director. conſ.* 1. *part. precep.* 3. *art.* 3. *dub.* 6. *concluſ.* 3. Sotus *lib.* 10. *de juſt. quæſt.* 5. *art.* 5. *verſu Quod vero Concilium.* Barthol. Medina *in ſum. lib.* 1 *cap.* 14. §. 11 Villalob. *tom.... tract.* 24. *diff.* 17. *num.* 8. Ludovicus Lopez *inſtrut. conſcient. tom.* 1. *cap.* 245. & *tom.* 2. *cap.* 105. Vega *in ſum.* 1. *part. cap.* 36. *caſ.* 1. & 2. & *cap.* 128. *caſ.* 18. Et probabile reputat Martin. à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 13. *de orat. num.* 7. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 216. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 10. *quæſt.* 8. cum Angelo & Arragonio. ¶ Ioannes de la Cruz *loco cit.* cum aliis à ſe adductis excuſat à reſtitutione per decem dies in anno recitationem omittentem. Ludovicus Lopez & Poſſevinus citati à Bonac. *infra*, etiam excuſant eum, qui per octo aut decem dies talem recitationem intermitteret.

Qui uno vel altero die non recitat reſtituere tenetur.

55. Sed neſcio quomodo ſuſtineri poſſit hæc ſententia poſt motum Pii V. in eo namque dicitur, *ut qui omnes horas canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit.* Dum autem Dominus exprimit ſuam voluntatem, ut famulus, vel uno die ſervitium intermittens, reſtituere teneatur ſtipendium, non habet locum præſumpta voluntas in contrarium. Nec ob id cenſenda eſt Eccleſia rigidus exactor, quæ jam ſuam benignitatem oſtendit primis ſex menſibus, beneficiarium à tali onere liberando, & aliis pluribus honoribus, exemptionibus & privilegiis miniſtrum ditescendo. Azor. 1. *part. lib.* 10. *cap.* 14. *quæſtione* 7. Bonacina *diſputatione* 1. *quæſtione* 5. *punct.* 2. *numero* 8. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *capite* 30. *a num.* 9. Vazquez *opuſc. de benef. cap.* 4. §. 1. *art.* 1. *dub.* 8. *numero* 43. Palaus *tomo* 2. *tractat.* 7. *diſputatione* 2. *punct.* 7. *numero* 4. Pellizzar. *ſup. numero* 216. ¶ Ex quo ſequitur etiam omittentem notabilem partem vnius horæ, teneri reſtituere quod illi correſpondet, quia vere horam omittit, ob quam omiſſionem cujuſlibet horæ, ut vidimus, Pius V. talem reſtitutionem impoſuit, ſicut qui partem notabilem Miſſæ non audit, Miſſam omiſiſſe dicitur. Cæterum tam iſte quam totum officium prætermittens uno vel altero die excuſabitur à gravi obligatione reſtitutionis, ſi ſint fructus illi correſpondentes, tenues ob parvitatem materiæ, ut docent Bonac. *num.* 13. Palaus *numero* 5. Garcia *de benef.* 3. *part. cap.* 1. *num.* 27. Reginal. *lib.* 30. *tract.* 3. *lib.* 4. *numero* 44. ¶ Scimus autem Pellizzarium ut *ſupr. numero* 213. & Dianam *part.* 2. *tractat.* 12. *reſol.* 26. cum Filliuc. *tomo* 2. *tract.* 23. *cap.* 10. *numero* 19. dixiſſe, non teneri quidquam reſtituere beneficiarium pro omiſſione minore vnius integræ horæ, & quod licet peccet mortaliter omittendo majorem eius partem, non vero eſſe obnoxium reſtitutioni. Et addit Diana 5. *parte tractat.* 14. *reſolut.* 46. & ex illo Pellizzarius, quod qui Laudes omitteret nihil reſtituere teneretur, quia eſt pars Matutini, & Decretum Pii V. loquitur de omittentibus integras horas, ſed quod diximus, eſt tenendum.

Qui levem partem horæ omitteret, etiam ſi in omnibus horis id faceret, non teneretur reſtituere.

56. Cæterum admittimus, quod qui partem levem alicujus horæ omitteret, etiam ſi in eo venialiter peccatet, nec venialiter quidquam teneretur reſtituere: quia non dicitur horam omiſiſſe, & ſolum pro omittentibus horam impoſita eſt reſtitutio à Pio V. Petrus Navarr. *lib.* 2. *de reſt. capite* 2. *dub.* 3. *numero* 202. Bonacina *numero* 11. Suarez *lib.* 4. *capite* 3. *numero* 13. & eſt commune. ¶ Quod etiam verum cenſemus, etiam ſi partem levem in ſingulis horis omittat: cujus omiſſio comparatione totius officii divini gravis cenſeri poſſit: Quia præceptum de recitatione, & præceptum de reſtitutione ſunt diverſa præcepta, quorum unum ab alio poteſt ſeparari, ut cernitur in primis ſex menſibus à receptione beneficii, quo tempore obligat præceptum recitationis, non præceptum reſtitutionis; præceptum autem recitationis eſt vnum de toto integro officio, ut dicemus *cap. ſequent. numero* 22. vnde qui in ſingulis

gulis horis minorem partem dimidia omitteret, peccaret mortaliter, quia eſto reſpectu illius horæ eſſet levis quantitas, omnes tamen illæ parvæ quantitates reſpectu totius officii, magnam conſtituerent, præceptum autem reſtitutionis eſt pro ſingulis horis; vnde qui cujuſlibet horæ partem levem omitteret, cum non ob id illam horam omiſiſſe diceretur, nihil tenetur reſtituere. Palaus *num.6.* Moneta *de diſtribut. 2.p. quæſt.3. num.22.* Pellizzar. *tract.5.cap.8.num.217.* Petrus Navarr. *lib.2. cap.2.dub.3.* Filliuc. quem refert & ſequitur Diana *5. part. tract.12. reſol.8. fine*, & probabile dicit Bonac. *punct.2.num.15.* citans alios.

Qui diſtractus recitat non tenetur reſtituere.

57. Secunda difficultas eſt, an qui animo diſtractus voluntariè recitat officium divinum teneatur reſtituere? Affirmat prima ſententia, quia hæc obligatio imponitur omittentibus officium divinum, & vere illud omittere dicitur, qui devotè, & ſtudioſe non recitat, & ſic ſtante illa opinione quod peccat mortaliter, & tenetur iterum recitare qui omnino voluntariè diſtractus penſum horarum perſolvit, teneri reſtituere, niſi repetat, docet Reginal. *lib. 30. numero* 88. Bonac. *diſp.1. quæſt.5. punct.2. num.17.* Garcia *de beneficiis 3. part.cap.1. num.* 186. Leſſius *lib.2. cap. 37. dub. 11. num.67.* Palaus *tract.7. diſp.2. punct 7. num.7.* Petrus Navarro *lib. 2. cap.2. à num.* 240. ¶ Sed eſt probabile talem non teneri ad reſtitutionem, & quidem ſtante probabilitate illius ſententiæ, quod voluntariè diſtractus animo, ſi exterius devotè recitet ſatisfacit ſuæ obligationi, de qua dicemus *cap. ſequent. num.27.* non eſt dubium. Sed adhuc ſuppoſita ea opinione, quod talis tenetur repetere, dicimus eſſe probabile, non teneri reſtituere, etiam ſi non repetat: Quia ut diximus duo ſunt præcepta diverſa reſtitutionis, & recitationis: Præceptum recitationis imponitur ut devotè, attentè & ſtudioſè horas canonicas dicant, ut præcipit Innocentius III. *in cap. dolentes de celebrat. Miſſar.* Præceptum autem reſtitutionis impoſitum eſt iis, qui officium divinum dicere omittunt; non autem iis, qui negligenter, aut diſtractè dicunt: & ſic in primo præcepto dicitur, quod ſtudioſè, & devotè recitetur, in ſecundo nullum ex iis verbis invenitur, Villalob. *tom.1. tract.24. diff.17. num.* 13. Diana *2. part. tract. 12. reſol.1,* Malderus *in Theolog. moral. lib.4. tract.1. capite 5. num.10.* Toletus *lib.2. cap.12. dist.4. n.6.* Martin. à ſancto Ioſeph *lib.2. tract. 13. de orat. numero 9.* Caſtro *de leg. pœnal. lib. 2. cap.5.* Azor. *1. part. lib.10. cap. 11. quæſt. 5.* & probabile dicit Leſſius *loco citato.*

Sententia aſſerens teneri beneficiarium non recitantem omnes omniſſo fructus reſtituere.

58. Tertia difficultas eſt, An ſi beneficiarius præter recitationem habeat alia miniſteria annexa beneficio, debeat, ſi non recitet, integrè reſtituere omnes fructus correſpondentes illis diebus, quibus omittit, pro rata, ac ſi dividerentur in plures dies. Affirmat prima ſententia. Primò quia Pius V. & Concilium Lateranenſe in ſua bulla, eodem modo de beneficiario cum cura, & ſine cura, loquuntur, ut conſtat ex verbis *num. 50.* relatis, & de vtroque aſſerit: *Omnes beneficii, ſeu beneficiorum fructus ſuos non faciat, ſed ut injuſte perceptos teneatur reſtituere.* Secundo, quia ut conſtat ex ultimis verbis Bullæ Pii V. privat beneficiarium, Canonicum non recitantem omnibus fructibus quos ob præſentiam, & aſſiſtentiam in choro aliàs lucrari debebat: ergo non ſolum intendit privare omnibus fructibus correſpondentibus recitationi; ſed etiam aliis officiis, & muneribus beneficio annexis. Sic Valentia *tom.3. diſp.6. quæſt. 2. punct. 10. §.8.* Garcia *de benef. 5. p.cap.1. num.28. & 35.* Lorca *1.2. tom.2. diſp.24. de legib. memb.1. verbo in jure autem canonico,* Filliuc. *tom.2. tract. 23. cap. 10. quæſt.5.* Reginal. *lib.30. num.46.* Azor. *1.p. lib. 10. cap. 14. quæſt.5.* Petrus Navarr. *de reſtit. lib. 2. cap.2. num.* 183. & 196. Palaus *tom.2. tract. diſp. 2. punct.7. numer.8.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de horis cap.30. numero 6.* Malderus *de virt. tract. 10. cap.2. dub.4. verſu ſequitur.*

Non tenentur beneficiarii non recitantes omnes fructus reſtituere.

59. Cæterum probabile eſt cum hac limitatione debere intelligi motum Pii V. cum dixit, obligatum eſſe beneficiatum reſtituere omnes beneficiorum fructus, qui illis diebus omiſſionis correſpondent, ut intelligatur de illis fructibus qui præciſe correſpondent recitationi, non de aliis qui correſpondent cæteris beneficii oneribus, quia ſic Bulla recepta eſt, & non aliter, ſic uſu & conſuetudine explicata, cum ſit hoc modo juri naturali conformior. Durum quippe eſſet beneficiatum, Epiſcopum, parrochum, vel Capellanum eamdem habere obligationem reſtitutionis ob non recitationem, cum alia munia valde oneroſa exerceant, ac ſimplicem beneficiatum, cui nullum onus præter recitationem eſt beneficio annexum. Sic Pellizzar. *tract.5.cap.8. numero* 207. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.2. de orat. tract. 14. num. 1.* Ledeſma *ſumm. tom.2. tract. 9. cap.4. numero* 11. Sanchez *tomo 1. conſil. lib. 2. capite 2. dub.83. numero 3.* Soto *de juſt. lib.10. quæſtione 5. art.6.* Villalobos *tract. 24. diff. 7. num.6.* Silvius *2.2. quæſtione 83. art. 13. concluſ.4.* Diana *2. part. tract.12. reſol.8.* Leſſius *lib. 2. cap. 34. num.* 133. Henriquez *lib.13. cap.13. §.2.* Vazquez *opuſc. de benef. cap.4. §.1. art.1. dub. 7. num.38.* Rodriguez *ſumm. 1. part. cap. 164. numero 4.* Raphaël de la Torre *2.2. tom.1. quæſt. 83. de horis canon. contr.9. numero 4.* Bonacina *diſp.1. quæſt.5. punct. 3. n. 2.*

Qualis portio eſt aſſignanda beneficiariis, reſtituenda.

¶ Et inter hos Doctores talis portio communiter aſſignatur à beneficiariis reſtituenda, quod Epiſcopi, vel parrochi ad quartam, vel quintam partem reſtituendam teneantur. Canonici qui tenentur reſidere, vel choro aſſiſtere ad tertiam, vel quartam partem, Capellani, & beneficiarii, qui præter recitationem alia munera habent ad tertiam, beneficiarii ſimplices quibus nullum aliud onus præter horas canonicas incumbit omnes fructus, quamvis quoad Canonicos aliqui diſſentiant, & amplius reſtituere dicant. Illud certum judicamus quod ſi Canonicus, vel Epiſcopus aut parrochus præter illud beneficium aliud, vel alia beneficia habeant, omnes fructus horum beneficiorum ſimplicium debent reſtituere, quia illis ſolum recitationis onus eſt annexum, & inſuper quod diebus omiſſionis correſpondet, & aliis beneficiis curatis, cum taxatione aſſignata. Et de penſionario idem dicendum eſt, ac de beneficiario ſimplici, ſi minorem Beatæ Mariæ recitare omittat.

Quibus facienda eſt reſtitutio ob omiſſionem recitationis.

60. Quarta difficultas eſt, cui debeat reſtituere beneficiarius recitationem prætermittens? Reſpondetur, quod vel fabricæ beneficii, vel pauperibus ut in dictis juribus habetur: ſed unum vel alterum eligere poteſt, ſi fabricam beneficii eligat, non poteſt eos fructus expendere in utilitatem alterius Eccleſiæ ab ea in qua ſitum eſt beneficium ſuum. Quia Pius V. in Bulla dicit in fabricam & beneficium ipſius, poterit tamen per illa bona domum beneficii reparare agros & vineas illius colere. vel in emendis, vel meliorandis agris, ut fructus inde in perpetuum percipiatur, ea expendere, & alia præſtare, quæ in beneficii utilitatem cedere ar-

 bitratur:

bitratur. Bonac. *diſp.1. quæſt.5. punct. 4. num.2.* Suarez *tom.2. lib.4. cap.30. num.19.* Palaus *tr.7. diſp.2. punct.7. num.11.* Diana *2. part. tract.12. reſol.26.* ¶ Si tamen eligat pauperes, non ſolum poteſt inter pauperes illius loci diſtribuere; ſed etiam cuiuslibet: quia in dicto decreto non determinantur aliqui. Sub nomine autem pauperum veniunt quælibet opera pia, & etiam ſuffragia pro Defunctis applicanda, ipſi enim vere ſunt pauperes ſuffragio noſtro maxime indigentes, & ideo ſi Miſſas pro ipſis, eleemoſynam, aliave pia opera applicet, ſatisfacit ſuæ obligationi. Suarez *num.* 48. Palaus *num.12.* Bonac. *num.4.* Navarr. *cap.15. de orat. num.122.* Reginald. *lib.30. ſect.4. num 45.* Pellizz. *tract.5. cap.8. num. 227.* Quintanadveñas *tom.1. ſingul. quæſt. tract.8. ſing.6. num.4.* Filliuc. *tom.2. tr.23. c.10. n.325.* & eſt commune.

Si beneficiarius ſit pauper ſibi ea bona applicare poteſt.

61. Cæterum ſi ipſe verè ſit pauper, nec non parentes fratres conſanguinei vel amici, poteſt illis & ſibi eos fructus in eleemoſynam applicare, licet enim peccaverit officium omittendo, cum tamen reſtitutio ſit pauperibus facienda, & ipſe verè pauper ſit, & non ſit deterioris conditionis, quam alii ſibi ea bona applicare poteſt: Maximè, quia ipſe non applicat ſibi, ſed Pontifex, cuius nomine fit talis applicatio. Bonac. *n.8.* Pellizzar. *n.227.* Leſſius *lib.2. cap.3. num.173.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib 2. de orat. tract.14. num. 4.* Suarez *num.21.* Quintanadveñas *num.6.* Filliuc. *n.316.* Palaus *n.12.* Sanchez *conſil. tom.1. lib.2. cap.2. dub.8. initio.* Villalobos *tom.1. tract.24. diff.17. num.9.* Diana *2. part. tract.12. reſol.26.* Nec indiget ad hanc applicationem conſilio, aut judicio confeſſarii, ſed abſque hoc, ſi ſibi de ſua, vel ſuorum paupertate conſtiterit, poteſt ſibi, vel eis applicare, ut de bonis incertis diximus *tom.3. tract.13. de reſtitut. cap.1. num.216.* Quemadmodum ille, cui ſibi conſtaret de neceſſitate edendi carnes, aut lacticinia, vel non jejunandi diebus prohibitis non indigeret medici, aut confeſſarii, aut ſuperioris licentia, ſeu potius declaratione: hæc enim neceſſaria eſt cum dubitatur de cauſa excuſante. Cæterum conſultius, & ſecurius erit ex conſilio confeſſarii procedere, ut ſic tutior in conſcientia maneat.

Duplex præcedentis doctrinæ limitatio.

62. Sed præcedentis doctrinæ duplex datur limitatio. Prima ſi omittat beneficiarius recitare ſiſus hac ſibi, vel ſuis applicatione facienda, ea ſibi, vel ſuis applicare non poterit: quia tunc non præſumitur velle Pontificem hanc illi applicationem facere, ne occaſionem peccandi præberet: ſicut Bulla compoſitionis eos à privilegio compoſitionis excludit, qui ſpe compoſitionis furantur, vel recitare omittunt. Toletus *lib.2. cap.12. num.5.* Bonac. *n.9.* Palaus *n.13.* Pellizzar. *num.227.* Diana *loco cit.* niſi in gravi neceſſitate conſtitutus ſit, vel pœnitentia ductus ſtatuat in futurum recitare, ut debet, ut judicant Bonac. & Pellizzar. *locis citatis.* ¶ Secunda limitatio eſt, ut poſſit dictos fructus vel pauperibus fabricæ defunctis, ſibi indigenti, aut amicis egentibus applicare, niſi ex conſuetudine, aut ſpeciali ſtatuto, aut lege applicati jam ſint alicui particulari neceſſitati, aut pio operi, aut aliis beneficiatis (ut contingit in diſtributionibus quotidianis) quia tunc non licebit aliis applicare, cum non ſit credendum Pontificem, talem legem, ſtatutum, aut conſuetudinem voluiſſe tollere, cum de hoc nullam mentionem faciat. Aragon. *2. 2. quæſt.83. art.13. verſu ſolet à quibuſdam.* Rodrig. *in Summ. 1. part. cap.146. num.3.* Filliuc. *tract.23. cap.10. num.324.* Toletus *dict.3.* Bonac. *num.9.* Suarez *cap.30. num.18.* Pellizzar. *num.227.* Et ob eandem rationem, non poteſt fieri compoſitio ſuper fructus ſic amiſſos, quando ex conſuetudine, lege, aut ſtatuto ſunt jam alicui operi, vel aliquibus perſonis applicati.

Satisfacit huic obligationi qui etiam immemor illius eleemoſynã æqualem fecit.

63. Notant autem & bene Layman *lib.3. tract.2. ſect.5. cap.12. num.9.* Diana *3. p. tract.6. reſol.57.* Pellizzar. *tract.5. cap.8. num.229.* Quod ſi poſt omiſſionem recitationis, & ſic jam contracta obligatione reſtituendi, dederit pauperibus aliquas eleemoſynas, non tamen cum intentione huic obligationi ſatisfaciendi, poteſt mutato animo per illas tali obligationi ſatisfacere. Quia hæc videtur virtualis intentio omnium facientium eleemoſynas, ut per eas ſatisfaciant omnibus obligationibus, quas ſuis peccatis aut negligentiis contraxerunt, quod etiam habere locum dicunt in debitis ex furto uſuris, &c. Vel aliis quæ ſolvenda ſunt pauperibus ob incertitudinem creditorum: quia eleemoſynæ non repugnat velle ſatisfacere, pro eleemoſyna aliàs debita, & qui dat eleemoſynam cenſetur habere hanc virtualem intentionem ſatisfaciendi etiam alteri debito, cui per actum eleemoſynæ tenetur ſatisfacere: dicimus, *cui per actum eleemoſynæ, &c.* Si enim ſpeciali aliqua lege juſtitiæ, ut mutui, aut venditionis ſolvere aliquid teneretur certo domino, non ſatisfaciet tali debito, ſi immemor obligationis totidem gratioſe donet illi, ut tenet communis ſententia: ſiquidem donatio cum ſit mere gratuita non fit animo compenſandi cum debito: nam donans expreſſam habet intentionem donandi gratis, cum quo non compatitur virtualis intentio ſatisfaciendi debito ex juſtitia. Quamvis non deſint, qui dicant etiam in hoc caſu obligationi ſolvendi ex ſpeciali lege juſtitiæ ſatisfacere poſſe, qui immemor illius donavit totidem creditori, ut Diana *5. part. tract.12. reſol.93.* Baldellus *lib.5. diſp.25. num.18.* & alii Iuniores, quos refert Sanchez *tom.1. conſil. lib.2. cap.3. dub.121. num.3.* & alii quos dedimus *tom.3. tract.11. de legib. cap.2. num.147.*

Qui alio die recitaret duplicatum officiũ non ſatisfacere obligationi reſtitutionis aliqui dicũt.

64. Quinta difficultas eſt, an beneficiarius hoc die omittens recitationem ſatisfaciat obligationi reſtitutionis ſi alio die duplex officium recitet? Negat prima ſententia, tum quia Pius V. aſſerit, omittentem recitationem fructus ſuos non facere, ſed per hoc quod alio die recitet eos ſuos non facit: ergo tanquam alienos tenetur reſtituere. Tum etiam, quia obligatio recitandi eſt alligata diei; & tranſit cum ipſa die, ſicut obligatio jejunii, & auditionis ſacri: ergo ſicut non ſatisfaceret, qui alio die Miſſam audiret, aut jejunaret, ſic non ſatisfaceret, qui alio die recitaret. Ita docent Petrus Navarr. *lib.1. de reſtitut. cap.1. num.180.* Henriquez *lib.13. cap.13. num.2. lit. P,* Aragon. *2. 2. q.83. art.13.* Pellizz. *tract.5. c.8. n.221.* Diana *2. p. tract.12. reſol.24.*

65. Sed probabilius judicamus ſatisfacere. Primo, quia in tali caſu dependet æquale cum debito. Secundo, quia Capellanus qui ratione Capellaniæ hodie teneretur celebrare, ſi alio die celebret ad nullam reſtitutionem tenetur, etiam ſi celebratio ſit onus affixum diei: ergo etiam ſi recitatio ſit onus affixum diei, qui uno die

omiſiſſet

omiſiſſet, poteſt per duplicatam recitationem alterius diei ſatisfacere: nam quamvis per talem recitationem non ſatisfaceret præcepto recitationis alteri diei correſpondentis, & ſic peccaverit eo die omittens, ſicut non ſatisfacit præcepto jejunii, aut auditionis ſacri, qui altero die jejunat, aut audit Miſſam (quod, & nun amplius, probat ſecundum argumentum) ſatisfacit tamen oneri contracto reſtitutionis, alio die recitando: quia hæc reſtitutio non eſt affixa diei in qua recitandum erat. Tertiò (per quod ſolvitur primum adverſariorum fundamentum) quia licet fructus non faciat ſuos qui non recitat, eos tamen ſuos facere poteſt, ſi modo ſufficienti ſatisfaciat obligationi reſtitutionis ad quam tenetur. Sed ſecundum communem Doctorum ſententiam ſatisfacit huic obligationi ſi ſuffragia alia, vel pia opera pro Defunctis offerat æquivalentia pro recitatione, quam omiſit, ut dicebamus *num. 60. fine*: ergo ſi officium ipſe recitet, & applicet per modum ſuffragii pro animabus purgaturii, ſatisfaciet ſuæ obligationi reſtitutionis. Et ſic poterit fructus ſuos facere. Sic Molfeſius *in Summ. tom.1. tract.5. cap.5. num.17.* Qui citat Suarez *lib.4. cap.29. num.11.* Filliuc. *tract.23 cap.10.num.307* Quos conantur adverſarii in alio ſenſu explicare, ſed vere non diſcedunt ab iſto. Citat etiam pro hac ſententia Henriquez *loco citato*, Mourem, Paludanum, & Ledeſmain. Tenet etiam illam Quintanadveñas *tom.1. ſingul. quæſt. tract.8. ſingul.6. n.11.* Eamque ut probabilem tenet Bonac. *de horis canonicis diſp.1.q.5. punct.2. num.5.*

66. Addit etiam Quintanadveñas *num. 5.* idem dicendum eſſe ſi alia opera ſatisfactoria pro Defunctis intuitu hujus reſtitutionis faceret, ut auditionem ſacri, flagellationem, indulgentiarum, & Iubilæorum lucrationem, & his ſimilia recitationi omiſſæ æquivalentia. Imo *num.4 & 5.* dicit, ſufficere ad hanc obligationem reſtitutionis adimplendam, ſi beneficiarius, qui peccavit omittendo horas, curet, ut alius pro ſua intentione gratis, vel eleemoſyna data dictum officium recitet vel alia pia opera dicta pro Defunctis applicet, quemadmodum Capellanus qui peccavit non dicendo debito tempore Miſſas, ad quas ex fundatione Capellaniæ tenebatur, ſatisfacit obligationi reſtitutionis quam ſubiit, ſi alius Sacerdos, vel accepto ab eo ſtipendio, vel gratis vellet pro intentione illius ſacrificare.

67. Cæterum, qui ob omiſſionem officii divini teneretur fructus reſtituere, poteſt ſatisfacere per Bullam compenſationis, vel cum Pontifice componendo, ut habetur in Bulla cruciata compoſitionis, & per ſingulas Bullas, quas acceperit poteſt duorum millium dipondiorum, ſeu marapetinorum, quorum triginta quatuor conſtituunt unum dragma, & ſic quinquaginta & octo dragmas, & viginti & octo dipondia per unam Bullam componere. Et per ſingulos annos poteſt uſque ad quinquaginta Bullas accipere, & ſic componere uſque centum millia dipondia quæ faciunt 2941. dragmas, & ſi majorem iſta quantitatem teneatur reſtituere, recurrendum erit ad commiſſarium pro compoſitione facienda ut huic exceſſui componendo ſingularem concedat facultatem. Sic latè Trullench. *in Bulla, lib.3.c.2.num.3.* Ludovicus à Cruce *ibi diſp.3. in prolum.*

68. Sed hic tria advertenda ſunt. Primum, quod ſic componens per acceptionem Bullæ debet fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus tot dragmas perſolvere, quot ipſi cruciatæ: quare ſi unam Bullam accipiat, quatuor dragmæ argenteæ ab ipſo tradendæ ſunt, duplex fabricæ, aut pauperibus, & duplex cruciatæ: ſi duas Bullas octo, quatuor fabricæ, & quatuor Cruciatæ, & ſic deinceps: quia ita habetur expreſsè in Bulla. ¶ Secundum, quod hæc compoſitio non poteſt fieri, quando fructus illi ſunt jam applicati alicui particulari operi aut certis perſonis, ut dicebamus *num.62.* & ſic non poteſt fieri in quotidianis diſtributionibus, quas Præbendatus tenetur reſtituere ob non aſſiſtentiam in Choro, quia ſunt jam applicatæ aliis intereſſentibus, ut dicemus *cap. 4.* ¶ Tertium quod non habet locum hæc compoſitio, cum ex illius fiducia quis recitare omiſit, ut in Bulla compoſitionis Hiſpana dicitur. Tunc autem ex confidentia Bullæ cenſetur quis moveri ad omiſſionem, ita ut non moveretur ad eam, niſi quia videret facilem eſſe compoſitionem per Bullam; ſecus autem cum notitia hujus bullæ ſolum eſt cauſa facilitans: ut quando quis jam decreverat omittere, & facilius hoc facit ob animum ſumendi Bullam Ioannes à Cruce *in Bull. diſp.3. dub.5.* Trullench. *lib.2. dub.2.n.2.* Henriq. *lib.7. de Indulgent. cap.34. num.3.*

CAPUT III.

De modo, Ordine, loco, tempore & aliis circumſtantiis cum quibus debet Officium divinum recitari.

INNOCENTIUS III. *in cap. dolentes, de celebrat. Miſſar.* præcipit in virtute Sanctæ obedientiæ omnibus ad recitandum obligatis, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit ſtudioſè celebrent pariter & devotè: ad ſtudioſam recitationem pertinet ut integrè, clarè, diſtinctè temporibus debitis, & abſque interruptione recitetur, ne aliquid illius omittatur, ne verba ſincopentur, ne truncentur, ne mutilentur, aut interrumpantur. *Devotè*, tunc fieri dicitur, quando cum debita intentione orandi, & cum attentione interiori & exteriori recitatur. De quibus omnibus hoc Capite agemus, quod continet ſeptem Puncta.

Punct. I. *De pronuntiatione qua divinum officium perſolvendum eſt*, n.1.

Punct. II. *De ordine quo debet officium canonicum recitari*, n.8.

Punct. III. *De loco & tempore quo debent horæ canonicæ dici*, n.11.

Punct. IV.

Punct. IV. *De integritate cum qua debet divinum officium adimpleri,* num.18.

Punct. V. *De intentione, & attentione requiſitu ad ſatiſfaciendum obligationi recitationis,* n.24.

Punct. VI. *De cauſis excuſantibus à recitatione officii Canonici,* n.33.

§. I. *De infirmitate, impotentia, occupatione, & diſpenſatione quibus poteſt aliquis à penſu horarum excuſari,* n.34.

§. II. *Aliquæ difficultates enodantur circa dicta,* n 42.

Punct. VII. *De privilegiis regularibus conceſſis in ordine ad recitationem officii Canonici,* num.51.

PUNCTUM I.

De pronuntiatione qua divinum officium perſolvendum eſt.

Non ſufficit mentaliter dicere officium.

1. QUANTUM attinet ad pronuntiationem certum eſt apud omnes Doctores non ſatisfacere, qui ſolum mentaliter Pſalmos diceret, aut inter ſe legendo Lectiones, aut orationes percurreret, præciſo aliquo privilegio à ſede Apoſtolica conceſſo. Tum, quia eſt præceptum Eccleſiæ, cui per nudos actus internos ſatisfieri nequit, ſicut nequeunt ab ipſa imperari. Tum etiam, quia hìc non præcipitur oratio mentalis, ſed vocalis. Tum denique, quia in Concilio Baſil. *ſeſſ.*21. juſſum eſt, ut horæ canonicæ non inter dentes, nec in gutture, nec ſyncopatè dicantur; ſed clara & integra voce pronuntientur, licet hoc præceptum magis ſit pro recitatione in choro, quàm pro privata: at pro iſta non ſufficere mentalem recitationem ex communi ſententia docent Cajetanus 2.2. *q.*82. *art.*12. Tambur. *de jur. Abbat. tom.*2. *diſput.*10. *quæſit.*9. *num.*1. Sanchez *tom.*2. *conſil. lib.*7. *cap.*2. *dub.*8. *num.*3. ¶ Diximus *præciſo privilegio, &c.* Quia ut dicemus *Puncto ultimo huius capitis num.* 53. Regulares habent circa hoc ſpeciale privilegium conceſſum à Leone X.

Verba truncare, ſyncopare, &c. eſt contra hoc præceptum.

2. Debet ergo officium divinum integrè pronuntiari ſine eo quod verba priora verſiculi ultimis conjungantur omiſſis intermediis, vel ea ſyncopando, quod fit quando celeriter recitatur, ſyllabas abſorbendo, ita ut verborum ſenſus deperdatur, & tunc erit peccatum mortale verba ſyncopando proferre, quando deperditur per hoc ſignificatio verborum, & hoc eſſet in magna quantitate, erit tamen veniale, ſi vel ſenſus verborum non deperditur, vel hoc fiat in exigua quantitate, & erit nullum. Si involuntariè hoc fiat, vel ob inadvertentiam, vel ob balbutionem inolitam. Trullench. *in decalog. lib.*1. *cap. dub.*16. *num.*3. *&* 2. Pellizz. *tract.*5. *cap.*8. *num.*87. *& tract.*10. *cap.*6. *num.*17. Leſſius *lib.*2. *cap.*37. *dub.*10. *num* 56. Baſſæus *verbo hora canon. num.*7. Verum circa hoc vide ſpeciale privilegium regularibus conceſſum infra *num.*60. adducendum. Scimus autem aliquos non improbabiliter docere, etiam adimplere præceptum, qui nimis celeriter recitant, etiam ſi ob id multoties notabiliter verba truncentur, niſi eſſet truncatio verborum ita notabilis, ut nihil dicere vel omnia inculcare videantur, ita ut nec ſignificatio aliqua verborum obſervetur. Leander à Marcia *ſuper regul. D. Franciſci cap.*1. *ſuper reg.*3. §.2. *num.*23. Filliuc. *tom.*2. *tractatu* 23. *cap.*7. *num.*142. Villalobos *tom.*1. *tr.*14. *diff.*10. *num.*7.

Interruptio facta ſine cauſa erit veniale nunquam vero pertinget ad mortale.

5. Interrumpere officium extra chorum, præciſo contemptu, nunquam erit peccatum mortale etiam ſi per multum tempus talis interruptio fiat, dummodo intra diem naturalem totum officium recitetur, & hoc etiam ſi abſque rationabili cauſa fiat, erit tamen veniale ſi abſque rationabili cauſa fiat, quia eſt invertere Ordinem ab Eccleſia aſſignatum, & Deum alloquendo ſine cauſa relinquere, quæ eſt quædam irreverentia, ſicut eſſet indecens Regem alloqui & abſque cauſa ab incepto ſermone deſiſtere. Nunquam tamen ad mortale pertinget, etiam ſi per multum tempus intra eundem diem talis interruptio fiat, & hoc etiam ſi interruptio fiat in medio unius Pſalmi vel Lectionis, cum intentione poſtea continuandi. Ratio horum eſt, quia non impedit interruptio quominus vere, & integrè omnia recitentur cuilibet horæ competentia, quare licet tunc illæ recitationes ſint diſcretæ una integra moraliter continua componi poteſt, & quia quilibet Pſalmus, imo quilibet verſus ſuam completam ſignificationem habet diſtinctam ab alio, ſi ſecernantur Pſalmi à Lectionibus, vel unus ab alio, vel iſti ab Antiphonis, vel pars unius Pſalmi ſeparetur ab alia, dummodo omnia intra eundem diem dicantur fit ſatis præcepto, ita ut repetere nihil teneatur. Machado *tom.*1. *lib.*2. *part.*3. *tractat.*2. *docum.*3. *num.*6. Leander à Sacram. *tract.*3. *diſp.*6. *quæſt.*10. Palaus *tract.*7. *diſp.*2. *punct.*3. *num.*3. Bonac. *diſp.*1 *quæſt.*3. *punct.*2. §.1. *num.*17. Leſſius *lib.*2. *cap.*37. *dub.*10. *num.*57. Villalob. 1. *part. tract.*14. *diffic.*11. *num* 24. Pellizzar. *tracta.*10. *cap.*6. *num.*17. *& tract.*5. *cap.*8. *num.*78. Quintanadveñ. *ſing. quæſt. tom.*1 *tract.*8. *ſingul.*2. *n.*3. Sanchez *conſil* 2. *part. lib.*7. *cap.*2. *dub.*19. Trullench. *lib.*1. *cap.*7. *dub.*15. *num.*11. Diana 2. *part. tract.*12. *reſol.*4. Layman. *lib.*4. *tract.*5. *cap.*1. *num.*6. Martinus à S. Ioſeph *lib.*2. *tract.*8. *n.*6.

Quæ cauſæ excuſent ſeparationem à veniali.

4. Cauſæ autem excuſantes etiam à peccato veniali talem interruptionem erunt, vel Miſſam dicere, ſermonem audire, mandata Superiorum exequi, vel quodlibet aliud opus virtutis, & quælibet alia res neceſſaria vel ſaluti, aut utilitati propriæ, vel proximorum, & ſimilia, quando tales res commodè non poſſunt in aliud tempus differri. Villalob. *num.*5. Martinus à ſancto Ioſeph *num.*7. Navarr. *de orat. cap.*16. *num.*68. *&* 69. ¶ Matutinum autem à Laudibus abſque omni culpa ſeparari poteſt, etiam ſupponendo unam ſolam horam conſtituere ut ſupra diximus: quia licet ſint partes integrales unius horæ, at negari non poteſt eſſe aliter partes integrales quam aliarum horarum, & ſic dividi poterunt ob hanc magnam diverſitatem, & ſic in primitiva Eccleſia fieri ſolebat talis diviſio, quando Matutinum canebatur in tribus vigiliis noctis, & Laudes in quarta vigilia. Suarez *cap.*6. *num.*9. Sanchez *tom.*2. *conſil. lib.*7. *cap.*2. *num.*20. Navarr. *cap.*3. *num.*64. Filliuc. *tract.*23. *cap.*9. *num.*235. Bonac. *punct.*3. *num.* 11. Pellizzar. *tract.*8. *cap.*5. *num.*80. & idem dicimus de ſingulis nocturnis, quod unum ab alio ſeparari poterit: Tum, quia

Matutinũ à Laudibus dividere nullũ eſt peccatũ.

primitùs

primitus ita fiebat. Tum etiam, quia non eſt inter ea tanta connexio ſicut inter partes alterius horæ, & ſic in officio Defunctorum paſſim ſeparantur. Bonac. *num.* 13. Filliuc. *n.* 138. Pellizzar. *num.* 81. Et in tali caſu quando vel Laudes à Maturinis ſeparantur, vel unum ab alio nocturno, non erit neceſſarium terminare Maturinum cum oratione diei (præterquam in nocte Nativitatis ob ſpecialem rubricam) nec etiam Laudes cum *Pater Noſter*, & *Ave Maria*, inchoare: quia non ſunt diverſa hora canonica à Maturinis, Sanchez *loco citato, numero ſecundo*, Azor *prima parte*, *lib.* 10. *cap.* 8. *quæſt.* 4.

Non requiritur ut quia ſatisfaciat præcepto recitationis ut ſeipſum poſſit audire recitãdo.

5. Sed inquires primo, an recitans privatim debeat ita proferre verba, ut ſeipſum audire poſſit? Dixi ut *poſſit*: Nam quod de facto ſeipſum audiat nullus dicit teneri: quia ſolum ad orandum verbaliter obligatur, quod abſque auditu fieri poteſt, & ſic ſurdus privatim recitare valet. Sed difficultas eſt, an ita verba debeat proferre, ut quantum eſt ex parte illorum, ſi non fieret ſtrepitus, aut eſſet impedimentum, ſeipſum audire poſſit? Et non loquimur de eo, qui cum ſocio recitat, iſtum enim debere verba proferre, ut ſocios audiat, ut ille adimplere poſſit, & ſocium etiam ut tu poſſis audire, aliter te non ſatisfacturum omnes aſſerunt: & qui de facto alium non audiret de facto non ſatisfaciet: ob idque ſurdus cum ſocio recitare nequit: quia oratio alterius in tantum poteſt tibi eſſe communis, in quantum illam audis, & ſic auditus in loco pronunciationis ſubrogatur: ergo qui alterius orationem non audit, privatim cum eo recitando ſuæ obligationi non ſatisfaciet. Quæſtio igitur eſt, quando quis ſolus recitat, an ſic debeat pronuntiare verba, ut ablato alio impedimento, ſeipſum audire poſſit. ¶ Affirmat prima ſententia: quia verba, quæ auditu per ſe percipi non poſſunt, non videntur verba, ſed quidam motus in gutture, ſeu inter dentes facti, qui potius ſunt inchoatio verborum quàm verba. Pellizzar. *tractatu* 5. *cap.* 8. *num.* 87. Reginald. *lib.* 18. *cap.* 12. *dub.* 5. *n.* 174. Antonius à Spiritu ſancto *in direct. tractatu* 3. *diſputatione* 6. *num.* 1625. Suarez *tomo ſecundo, de Relig. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 6. Palaus *tractatu* 7. *diſputatione* 2. *punct.* 3. *num.* 6. ¶ Sed probabilius eſt ſufficere ſi pronuntiet linguam & labia movendo, etiam ſi vocem non formet, ita ut à ſe audiri valeat: quia non eſt præceptum ut audiatur, ſed ut recitet, oretque exteriori oratione, nedum mentali, hic autem exterius recitat, orationemque vocalem hoc modo ſufficienter pronuntiat: ergo ſatisfacit. Trullench. *in decalog. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 11. *fine.* Leander à Sanctiſſimo Sacramento *tractatu* 6. *diſputatione* 13. *quæſtione* 18. Leander à Murcia *cap.* 2. *ſuper* 3. *regulam*, §. 2. *num.* 12. Martinus à ſancto Ioſeph *de orat. lib.* 2. *tractatu* 4. *num.* 15. Diana 7. *part. tractatu* 11. *reſol.* 16. Rodriguez *quæſtionum Regularium, tomo primo, quæſtione* 42. *articulo quarto.* Filliuc. *tom.* 2. *tractatu* 23. *cap.* 3. *num.* 117. Azor *prima parte, libro decimo, cap.* 12. *quæſtione* 4.

Quid dicere debeat, qui cum ſocio recitat.

6. Inquires ſecundo. Quid teneatur dicere qui privatim recitat cum ſocio? Reſpondetur teneri proferre alternatim verſus Pſalmorum. At reſponſoria, Capitulas, Antiphonas, orationes, Lectiones, & ſi omnia ſocius dicat, ſufficere ut attendat ad ſatisfaciendum; quia hæc in Choro ſæpe dicuntur ab uno aliis audientibus: & privata recitatio erit bona, ſi ſecum illa conformet. Præterquam quod auditus in tali caſu loco prolationis ſubrogatur, & alterius vocalis oratio, propria fit iſtius, modo dicto cum eo recitando. Trullench. *dub.* 16. *num.* 7. Suarez *cap.* 25. *num.* 5. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. §. 1. *num.* 11. Diana 2. *part. tract.* 12. *reſol.* 12. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 3. *num.* 8. Villalob. 1. *part. tract.* 24. *diff.* 10. *num.* 4. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 11. *num.* 3. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 91. Anton. à Spiritu ſancto *num.* 1635. Et addunt duo iſti ultimi auctores, quod ſi unus per ſe ſolum recitet omnes Pſalmos, & ab alio audiat omnes Lectiones, ſatisfacit ſuæ obligationi, quia eo ipſo cum illo in ea parte communicat audiendo attentè, quæ dicit. Et idem dicendum judicant, ſi partem Pſalmorum recitet cum ſocio partem per ſe ſolum.

Non ſatisfacit recitans cum ſocio, ſi antequam unus dicat ſuam partẽ alter dicit ſuam.

7. An vero recitans cum ſocio ſuæ obligationi ſatisfaciat, ſi ita feſtinanter recitet, ut antequam ſocius verba ſui verſiculi proferat, proferat alius, quæ ſibi competunt. Reſpondetur negativè (quidquid alii dicant) alias poſſes ſimul ac ſocius ſuam partem profert, tu proferre tuam, & ſic interim ac ille legit Lectiones, tu Pſalmos recitare, quod eſt omnino alienum ab uſu Eccleſiæ: Etenim alterius oratio loco ejus quam tu facere debebas ſuccedit, & ſic fieri non poteſt, quando tu illam facere non poſſes, ſed niſi finito tuo verſu tu non poſſes alium recitare: ergo nec ſatisfacere per alterius recitationem, niſi prius tuam partem dixeris. ¶ Dices, poteſt quis ſimul & ſacrum audire & recitare officium, & ſic eodem tempore utrique obligationi ſatisfacere: ergo poterit ſimul & recitare ſuam partem, & partem alterius audire, & ſic utramque facere ſuam. ¶ Contra eſt, quia in Miſſa illius auditus non ſuccedit loco prolationis à me faciendæ: at alterius recitatio loco meæ recitationis ſuccedit; & ſic ſi ſolo eo tempore ſuccedere poteſt, quo ego illam recitare, non poſſum illam recitare quandiu meam partem non finiverim. Atque ita docent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 10. Sanchez *tomo ſecundo, conſil. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 17. *num.* 1. Pellizzar. *num.* 88. Trullench. *libro primo, cap.* 7. *dub.* 16. *num.* 4. Tolerus *libro ſecundo, cap.* 13. *num.* 9. Palaus *punct.* 3. *num.* 9. Bonac. *diſputatione* 1. *quæſtione* 3. *punct.* 2. §. 1. *num.* 3. ¶ Hic advertendum eſt, quod ut modo tetigimus, & latè probavimus *tomo tertio, tractatu* 11. *de legibus, cap.* 2. *num.* 154. poteſt quis ſimul & ſemel & Miſſam ex præcepto debitam audire, & divinum officium, dum Miſſæ aſſiſtit, recitare: quia auditio Miſſæ non perit, ut ad verba illius attendatur: alias qui longè eſſet, eam non audire diceretur, ſed ſolum præſentiam corporalem cum vacatione Deo, quod facit qui recitat officium Canonicum. Azor *tomo primo, libro decimo, cap.* 12. *quæſt.* 7. Soto *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 1. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de orat. tract.* 10. *num.* 8. Trullench. *dub.* 17. *num.* 7. Bonac. *punct.* 3. §. 2. *num.* 13.

Poteſt quis ſimul & Miſſam audire, & officium recitare.

PUNCTUM II.

De ordine quo debet officium canonicum recitari.

O. dinem invertere nõ eſt mortale, erit veniale ſi abſque cauſa fiat.

8. VT debito Ordine horæ canonicæ recitentur, debet, jam officio finito antecedentis diei, prius Matutinum recitari, deinde Laudes, Prima, &c. Cæterum talis ordo non cadit ſub præcepto, ut tenet communis ſententia. Unde illum invertere (nimirum dicendo Laudes ante Matutinum, veſperas aut Completorium ante Primam) etiam ſine cauſa non erit peccatum mortale, erit tamen peccatum veniale, ſi id abſque rationabili cauſa fiat: quia eſt inverſio ordinis ab Eccleſia ſtabiliti, ſufficit autem quælibet cauſa, ut etiam à veniali, talem inverſionem excuſet, ut ſi occurrat occaſio commodè recitandi Matutinum poſt alias horas, ſi debeat ire ad chorum, ad veſperas, vel completorium non recitatis horis præcedentibus, ſi commoditas ad ſtudium interveniat, &c. Et idem dicimus de recitatione alterius diei: non finito officio, imo nec inchoato huius diei, ut ſi hora quinta veſpertina occurrat opportunitas recitandi matutinum pro altera die, non recitato matutino huius diei: erit quidem veniale ſi ſine cauſa fiat, nunquam tamen ad mortale perveniet. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 24. *diff.* 13. *n.* 1. Pelliz. *tract.* 5. *c.* 8. *n.* 83. *&* 108. Diana 2. *p. tr.* 12. *reſ.* 15. *&* 16. Trullench. *decalog. lib.* 1. *c.* 7. *dub.* 19. *n.* 1. Leander à Murcia *ſuper c.* 3. *reg. D. Franc. c.* 1. §. 1. *n.* 18. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 24. *n.* 168. Martinus à ſancto Ioſeph *tract.* 10. *n.* 11. *&* 12. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 4. *à n.* 1. Suar. *tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 24. *à n.* 3. Palaus *tom.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 2. *punct.* 3. *n.* 4.

Miſſam dicere non dicto matutino eſt veniale ſi abſque cauſa fiat.

9. Miſſam autem dicere ante recitationem matutinorum etiam ſine cauſa, aliqui arbitrantur non eſſe nec peccatum veniale (mortale autem non eſſe communis tenet ſententia) quia officium Miſſæ, & recitationis ſunt diverſa, nec ullam connexionem inter ſe habent. Sylveſter *Miſſa* 1. *n.* 6. Villalob. *diff.* 13. *n.* 4. Pellizz. *tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 2. *num.* 111. Sanch. *conſil. p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 38. *n.* 3. Soto *de juſtitia lib.* 7. *q.* 5. *à n.* 4. ¶ Sed difficulter à veniali peccato excuſabitur, qui abſque aliqua rationabili cauſa Miſſam ante recitatum matutinum celebraret. Tum, quia jam non eſt dictum matutinum debita hora, tum ob conſuetudinem, tum ob rubricas Miſſalis ſic præcipientes, ſed quia cenſetur defectus levis non pertingit ad mortale. Leſſius *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 12. *n.* 81. Trullench. *dub.* 19. *num.* 4. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 4. *n.* 11. Palaus *punct.* 4. *n.* 6. Vaſq. *de benef. cap.* 4. §. 1. *art.* 2. *dub.* 3. *n.* 63. Suarez *lib.* 4. *c.* 24. *num.* 6.

Inverſio partiũ eiuſdem horæ eſt veniale facta abſque cauſa, cum illa nullum.

10. An vero ſit peccatum mortale in eadem hora ordinem invertere, ut prius in matutino Lectiones perlegere, quam Pſalmos recitare, Laudes ante matutinum dicere, Pſalmos omnes Matutinorum dicere, & poſtea ſimul Lectiones, unum Pſalmum ante alium recitare, Preces, Antiphonas, aut Capitulas ante Pſalmos dicere, &c. Reſpondetur, non eſſe peccatum mortale, etiam ſi abſque cauſa fiat, ſi cum illa nec veniale, erit tamen veniale talis inverſio abſque cauſa facta, & quidem gravius, quam ipſas horas inter ſe invertere. Quod autem hoc non ſit mortale (ſecluſo ſcandalo, & contemptu) probatur: quia partes cujuslibet horæ ſeorſim ſumptæ habent completam ſignificationem, nec una ab alia dependet, & uniuntur potius per aggregationem quam per continuationem, cui aggregationi non obſtat hæc inverſio & mutatio: quare qui memoriter Pſalmos ſciret, & non haberet Breviarium, & opportunitas recitandi illos occurreret, poſſet eos dicere & poſtea Lectiones repetere. Et è contra ſi haberet breviarium, nec poſſet ſimul totum officium dicere, poſſet Lectiones, Capitulas, & orationes dicere, & poſtea Pſalmos recitare. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 83. *& tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 114. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 12. *num.* 30. Diana *part.* 2. *tract.* 12. *reſol.* 16. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *num.* 2. *&* 5. Trullench. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 18. *num.* 9. *& dub.* 19. *num.* 2. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 10. Leander à Murcia §. 2. *n.* 18. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 14. *diff.* 13. *num.* 1. Palaus *diſp.* 2 *punct.* 4. *n.* 5. Antonius à Spir. S. *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1621.

PUNCTUM III.

De loco, & tempore, quo debent horæ canonicæ dici.

Privata recitatio in omni loco fieri poteſt.

11. NON eſt ab Eccleſia locus aliquis determinatus pro privata recitatione, & ſic in quocumque loco poteſt huic obligationi ſatisfieri. Unde licet aliqui dixerint peccatum eſſe veniale, abſque neceſſitate, & cauſa in locis immundis recitare, ob aliquam indecentiam, quæ in hoc adeſſe videtur, Pellizzar. *tract.* 5. *c.* 8. *n.* 106. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 5. *n.* 5. *&* 6. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 4. *n.* 7. Verius eſt, nullum in eo peccatum reperiri, nam in quocumque loco, quantumvis immundo poſſunt divinæ Laudes perſolvi. Pſalm. 102. *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Unde ſicut ibi mentaliter orare indecens non eſt: Ad Titum 2. *Volo viros in omni loco orare*, & in præfatione Eccleſiæ: *Nos tibi ſemper, & ubique gratias agere*, ſic etiam verbaliter poterit abſque indecentia talis oratio fieri. Angelus *in floribus de orat. quæſt.* 3. *diff.* 5. *concluſ.* 2. Trullench. *decalog. lib.* 1. *c.* 7. *dub.* 20. *num.* 2. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de orat. tra.* 11. *num.* 6. Sanchez *conſil. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 22. *dub.* 44. *num.* 4. Diana 10. *part. tract* 11. *reſol.* 33. Leander *tract.* 6. *diſp.* 13. *quæſt.* 26. Sedere autem cum ſtandum eſt, ſtare cum flectendum, ſi abſque contemptu fiat nullum erit peccatum, quia non præcipitur, ſed conſulitur, & ordinatur majoris devotionis gratia.

Qui uno die notabilem officii prætermittit quantitatem peccat mortaliter.

12. Quoad tempus attinet ſingulis diebus totum officium recitandum eſt. Tum *ex cap. dolentes, de celebratione Miſſ.* Tum ex Bulla Pii V. tum ex conſuetudine communi. Unde peccat mortaliter qui aliquo die totum officium prætermittit, vel partem illius notabilem: quia in re gravi præcepto Eccleſiæ ſcripto, vel tradito contradicit. Ille vero qui hodie non recitavit cras duplex officium dicere non tenetur, nec qui ante tempus debitum officium perſolvit ſatisfacit ſuæ obligationi: ſicut ſi heri recitaſſet officium duplicatum, qui hodierna die à recitatione non manet immunis: quia hoc eſt penſum diei, & non eſt ſicut debita ſoluta hominibus quæ ante tempus

obligationis

obligationis anticipatè perſolvi poſſunt. Villalob. *tom.1. tract.24. diff.12. num.6.* Pellizzar. *num.102.* ¶ Ille vero qui dubitat an omiſerit horam, vel Pſalmum, ſi eſt dubium verè tale, & non ſerupulus repetere tenetur: quia obligatio eſt certa & in poſſeſſione, & de ſatisfactione illius dubitatur, ut diximus *tom.3. tract.11. de legibus cap.2.num.120.* At vero ſi non eſt purè dubium, ſed habet aliquam probabilitatem vel conjecturam, quod illud recitaverit, ut ſi recordetur voluiſſe recitare, vel incepiſſe, & poſtea dubitet, an de facto recitaverit, ſi in fine Pſalmi tertii dubitet, an primum vel ſecundum dixerit, non tenetur repetere, quia probabilius vel ſaltem probabile eſt tunc recitaſſe: Maximè ſi eſt ſcrupuloſus, qui hoc ipſo, quod dubitet, repetere non debet; quin potius ad non repetendum obligandus eſt à Confeſſariis, & Prælatis, Diana *4.part. tractatu 3. reſol.68.* Palaus *diſputatione 2. punct.6. num.1.* Leander à Murcia *cap.1. ſuper 3.regul. §.2. num.22.* Pellizzar. *tract.5. cap.8. num.99.* Sanchez *conſil.tom.2. lib.7. cap.2. dub.34* Trullench. *lib.1.cap.7.dub.19. num.5.* Unde fit non teneri quemquam repetere, quæ non meminit ſe dixiſſe, modo non meminerit ſe non dixiſſe, & conjecturam juſtam habeat credendi quod dixerit. Sanchez *numero 3.* Angles *prima parte, de orat. fol. 34.* Navarrus *cap. quando, cap.3. à num.26.* Trullench. *num.5.* Pellizzar. *num.99.*

Qui dubitat an recitaverit quid facere debet.

Quæ hora incipiat & finiatur obligatio recitationis.

13. Obligatio recitationis officii divini incipit à Puncto mediæ noctis antecedentis diei, & finitur in puncto mediæ noctis diei ſubſequentis, & ita non ſatisfaceret præcepto obligationis qui ante mediam noctem Primam, aut alias horas ſubſequentis diei recitaret (excepto Matutino cum Laudibus, quod ob conſuetudinem poteſt, poſt Veſperas diei antecedentis, diei, ut communis fert Doctorum ſententia) quia divinum officium ſingulis diebus eſt recitandum, *cap.1. de celebrat. Miſſar.* ſed dies juxta communem Eccleſiæ uſum incipit à media nocte antecedentis diei, & finitur in media nocte diei ſubſequentis: ergo, &c. Azor *lib.10. cap.9. quæſt.5.* Sylveſter *verbo Hora, quæſtione 9. dict.6.* Bonac. *diſput.1. quæſt.3. punct.3. num.2.* Trullench. *lib.1. decal. cap.7. dub.10. num.3.* Gavant. *tom.2. theſaur. ſect.1. cap.5. tit.6. num.2.* Villalob. *tract.24. diff.12. num.4.* Quamvis non deſint graves Doctores docentes præceptum recitandi officium divinum incipere à veſpére hujus diei, uſque ad mediam noctem diei craſtinæ: quia jam dies feſtivus craſtinus à Veſperis inchoare cenſetur, & ſic ab illo tempore poſſe, nedum matutinum, ſed prima & aliæ horæ ſequentis diei perſolvi. Pro hac ſententia citat Bonacin. Francolinum, Bellarminum, & Durandum, eamque ſatis probabilem docet Leander *de Sacram. tract.6. diſput.13. quæſt.22.* & probabilem docet etiam Trullench. *loco citato.* Quam etiam tenet Molfeſius *in Summa tom.1. tract.5. cap.2. num.59.* Faber *diſt.24. quæſt.1. diſp.1. num.148.* quos refert, & videtur ſequi Diana *2.part. tract.12. reſol.39.* & videtur eſſe hoc de mente D. Thom. *quodl.5. art.18.* dicentis quod quantum ad horarum recitationem unuſquiſque dies incipit à ſua veſpera, quem refert cum aliis textibus & Doctoribus Navarr. *de orat. cap.3. num.6.* cui ipſe videtur adhærere. Cæterum in fine merito concludit, [quamvis enim ratio D. Thom. de rigore videatur concludere idem quoad Primam & Tertiam, & omnes alias horas, conſuetudo tamen præfata (nimirum ut ſolum de Matutino id intelligatur) illud limitans rationi valde conſona videtur. Quapropter nunquam reſpondere auſus fui licere dicere Veſperam, Primam, aliaſque horas alterius diei exceptis Matutinis & Laudibus.]

Totum officiũ à media nocte diei poteſt ſive mane, ſive veſpere.

14. Cæterum à puncto mediæ noctis licitè omnes horas illius diei recitari poterunt, & tunc omne officium illius diei abſque peccato mortali dicere, & ſic toto eo tempore à media nocte uſque ad mediam noctis poteſt adimpleri præceptum quoad ſubſtantiam, ſive totum mane dicatur, ſive totum veſperi, erit tamen veniale peccatum abſque ulla cauſa primò manè Veſperas, aut Completorium recitare, vel veſperi Primam, vel alias horas: quia ordo præſcriptus ab Eccleſia pervertitur. Et gravius erit intra limites venialis illud poſtponere & differre, quam anticipatè perſolvere, ſed quævis cauſa quantumvis levis etiam à veniali excuſare poterit, ut major commoditas ſtudendi, ſi poſtea non ita commode illud recitare valeat, ſi negocium poſtea eventurum timeat, ob quod differendum nimis putet, vel ſi majorem devotionem in eo perſenſerit. Quæ omnia dicta in hoc numero docent Sanchez *conſilior. libro 7. cap.2. dub.36. num.4.* Diana *reſol.14.* Trullench. *num.5.* Pellizzar. *num.102.* Azor *1.part. lib.10. cap.9. quæſt.8.* Villalobos *num.3.* Palaus *diſp.2. punct.4. num.2.* Antonius à Spiritu Sancto *tract.3. diſp.6. num.1621. & 1637.* Leander à Murcia *ſuper reg.3. D. Franciſci §.2. num.32.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib.2. de orat. tract.10. n.10.* Leſſius *lib.2. c.37. à num.78.*

Matutinum hora ſecũda præcedentis diei poteſt dici.

15. Quamvis ex jure communi Matutinum media nocte perſolvi deberet. Cæterum jam ex conſuetudine habetur ut poſſit anticipari. Sed qua hora? aliqui dicunt quod hora quinta, alii quod quarta, alii quod tertia, alii quod immediatè poſt Veſperas aut Completorium. Cæterum cum hoc quod eſt Deo anticipatè ſolvere, intra terminum præfixum obligationis, melius ſit quam differre, & nullum inconveniens ſequatur quod in hac parte nonnihil habenæ laxentur, probabiliſſimum ducimus, poſſe Matutinum cum Laudibus immediatè hora ſecunda diei qua ſolent Veſperæ recitari: quia dies Eccleſiaſticus in ordine ad divinum officium recitandum incipit à primis Veſperis: & ſic ea hora qua veſperæ primæ canuntur, jam inchoat tempus diei ſequentis quantum ad Matutinum recitandum, & durat uſque ad mediam noctem diei ſequentis, & per conſequens per triginta horas: quod autem hora ſecunda poſſit Matutinum dici, tenet Sanchez *tomo ſecundo, conſil. lib.7. cap.3. dub.37. num.3.* Molfeſius *tom.1. tractatu 5. cap.2. num.54.* Quintanadveñas *ſingul. quæſt. tom.1. tractatu 8. ſing.1. num.1.* Leander *de Sacram. tractatu 6. diſput.13. quæſt.23. & 24.* Anton. à Spiritu ſancto *tract.3. diſput.6. num.1641.* Martinus Azedeſ. *2. part. 4. diſt. quæſt.16. art.5. dub.1.* Trullench. *decal. lib.1. c.7. dub.18. num.8.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib.2. de orat. tract.11. num.1.* Caramvel *in Theol. moral. diſp.114. num.1419.* Diana *4. part. tract.4. reſol.9. & 10. part. tract.11. reſol.16. & 17. & tractatu 26. reſolut.46.* Ex his plures nec veniale peccatum eſſe dicunt hanc anticipatam recitationem etiam ſine cauſa factam, alii vero

eſſe veniale aſſerunt, ſed quamlibet cauſam excuſare ab eo. § Non autem audemus aſſerere, quod Sanchez *dub.*37. *num.*4. cui videtur adhærere Pellizzar. *tract.*3. *cap.*8. *num.*103. & alii quos citat, nec diſſentit Diana 4. *part. tractat.*4. *reſol.*9. Videlicet, quod in Quadrageſima in qua Veſperæ, hora undecima ante prandium recitantur, poſſet Matutinum dici ſequentis diei, quia jam ex tunc incipit dies feſtus craſtinus.

Adimplere obligationẽ recitãdi qui ante mediã noctem incipit officiũ & terminat poſt mediã noctẽ aliqui dicunt.

16. Et ſi ſortè inquiras, an præceptum recitandi adimpleat, qui hodiernum officium recitare incepit paulò ante mediam noctem diei ſequentis, ſi ipſum proſequatur poſt completam mediam noctem? P. Leander a Sacram. *in tract.*6. *de ord. diſp.*13. *quæſt.*23. referens Baſilium Legionenſem *tract. de horis cap.*2. Fratrem Franciſcum a ſancto Iuliano, & Fratrem Ludovicum à Conceptione ſui Ordinis doctiſſimos viros: partem affirmativam defendit, & probat octo rationibus inter quas ea præcipua eſt: quia omnes ſeptem horæ ſunt unica oratio, unico præcepto imperata, ut diximus *num.* 12. ergo qui eas ante mediam noctem incepit, etiam ſi poſt illam finiat, finiet tempore congruenti ut adimpleat præceptum recitandi. Probatur conſequentia: tum, quia res una & individua incepta tempore apto, optime finiri poteſt, imò & debet, ſi res eſt præcepta, tempore ſequenti, ſi id incontinenti fiat, *l. lecta, ff. ſi certum petatur*, & ob id, inquit Francolinus *de Horis Canonicis cap.*41. *num* 34. Eum qui ante meridiem cepit Miſſam, debet eam poſt meridiem finire, & ex hoc ſecunda probatio conſequentiæ inſurgit: quia eſt etiam præceptum ne quis dicat Miſſam poſt meridiem, ut diximus *tract. præced. cap.*7. & tamen licitè poteſt expectare ad illam incipiendam, uſque paulo minus ante meridiem, etiam ſi prævideat ſe eam non poſſe finire niſi poſt meridiem, ut tenet praxis & communis Doctorum ſententia: ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Non ſatisfacit qui officium ante mediam noctẽ inchoat, & poſt illam terminat.

17. Cæterum hanc ſententiam (quæ negligentiam, & pigritiam non parum favet) non poſſumus approbare. Tum, quia communis eſt Doctorum ſententia in Puncto mediæ noctis diei ſequentis finiri, hanc obligationem ultra quod officium Eccleſiaſticum prorogari, aut differri nequit, ita ut media nocte elapſa recitare amplius non proſit, ſi aliqua fuit hora prætermiſſa ad diem præcedentem ſpectans. Navar. *in manual. cap.*25. *num.*97. *& de orat. cap.*3. *n.*39. D. Antoninus 2. *part. tit.*13. *cap.*4. §.4. Sylveſter *verbo Hora, quæſt.*9. Azor *lib.*10. *cap.*9. *quæſt.*6. Trullench. *lib.*1. *in decal. cap.*7. *dub.*18. *num.*8. Villalob. *tract.* 24. *diff.*12. *num.*4. & eſt inter Doctores commune: eo quod onus recitandi horas canonicas eſt onus diei, & ſic tranſacto die neceſſario debet tranſire onus ei affixum. Tum etiam: quia ſi verum eſſet adimplere præceptum recitandi, qui paulo ante mediam noctem illud inciperet, & partem poſt mediam noctem terminaret, idem dicendum eſſet de alio quocumque ad aliquid intra certum tempus faciendum obligato, quod poſſet inchoare factum ultima hora conſtituti temporis, dummodo poſt terminum reliquam conſecutivè conficeret: at oppoſitum in jure invenitur, quod conſtituit, ut eo ipſo hujuſmodi obligetur ad pœnam, ubi ad eam temporis extremitatem deventum eſt, qua opus nequeat perfici, *l. cum ſtipulatus* 113. *l. ſtipulationes* 72. *leg. hoc jure* 30. *ff. de verbor. obligat.* Tum denique, quia actus non tribuitur tempori, quod inchoatur, ſed magis illi quo perficitur, *l. contractus cod. de fidei inſtrum.* ex qua lege, & aliis probat Baldus *in l. ſi quis cum* §.1. *num* 3. *ff. de vulg. & pup.* Quod ſi notarius ante mediam noctem teſtamentum alicujus cepit ſcribere, & poſt mediam noctem perficit, debet in teſtamento ſequentem diem adjicere, quia attenditur ultimum momentum quo res perficitur: ergo licet officium divinum ante mediam noctem inchoëtur, ſi tamen ſequenti die abſolvitur, potius ſequenti die quam antecedenti dici videtur, & ſic non proficiet ad liberandum à peccato: cum unius diei penſum alia die ſolvi non poſſit.

PUNCTUM IV.

De integritate cum qua debet officium divinum recitari.

Sententia aſſerens non eſſe mortale unum pro alio officio dicere.

18. OMNES qui ad divinum officium recitandum adſtringuntur, illud ſingulis diebus perſolvere debent, ita ut peccent mortaliter ſi aliquo die, vel totum officium, vel partem notabilem illius omittant. Circa quod ſunt aliquæ difficultates graves reſolvendæ. Prima difficultas eſt, an ſit peccatum mortale officium longius privata authoritate in aliud brevius permutare, & unum pro alio dicere, ut die feriali de aliquo Sancto, vel die Dominica de Sanctiſſimo Sacramento, aut de beatiſſima Virgine? Affirmat prima ſententia ſatisfieri hoc modo præcepto, & non eſſe peccatum mortale, etiamſi abſque cauſa talis mutatio fiat, ſed veniale eſſe ſi abſque tali cauſa, ut ſi ex quadam accedia fiat, ut citius ſe expediat à recitatione: & hoc non ſolum bis, aut ter in anno fieri poſſe, ſed toties, quoties libuerit: quia præceptum quoad ſubſtantiam impletur, hoc ipſo, quod ſeptem horæ canonicæ in breviario aſſignatæ recitentur, & ſecundum formam Breviarii Romani. Quod vero de hac vel illa feſtivitate officium fiat, vel de Feria, aut Dominica pertinet ad ritum accidentalem, & ſic non cenſetur violatum præceptum, ſed ritus, & cæremonia, quorum tranſgreſſio non eſt ſufficiens ad mortale. Hanc eſſe probabilem docent Trullench. & Filliuccius *infra* citandi, & Valeotia *tom.*3. *diſp.*6. *quæſt.*6. *punct.*10. §.3. Pellizz. *tractatu* 5. *cap.*8. *num.*73. *& tract.*10. *cap.*6. *n.*17. Vaſquez *de benef. cap.*4. §.1. *ad* 2. Vega *in Sum.* 1. *part. cap.*18. *caſ.*17. Eamque tenent Azor 1. *part. lib* 20. *cap.*10. *quæſt.*2. Leſſius *lib.*2. *cap.*37. *num.*77. Cajetanus *in Summ. verbo Hora*, §. *quoad ſecundum*. Sylveſt. *eodem verbo quæſt.*12. *num.*13. Ludovicus de ſancto Ioanne *quæſt. unica, de officio divino art.*10. *dub.*6. Tancredus *tractatu* 3. *de religioſ. lib.*4. *diſp.*11. *quæſtione* 2. *num.*4. Villalob. 1. *part. tract.* 24. *diff.*13. *num.* 2. Miranda *in manual. tom.*1. *quæſt.*37. *art.*13. Layman. *lib.*4. *tract.*1. *cap.*5. *num.*4. Antonius à Spiritu ſancto *tractatu* 3. *diſput.*6. *num.*1612. Caramvel *in Regul. D. Bened. diſput.* 109. *à num.*1385. Leander à Murcia *in Regul. D. Franciſci cap.*1. *ſuper el* 3. *regul.* §.2. *num.*17. Leander à Sanctiſſimo Sacramento *tract.*6. *diſp.*13. *à quæſt.* 27. Martinus à ſancto Ioſeph *in Summ. lib.*2. *de orat. tract.*11. *n.*2. Diana 2. *part. tract.*12. *reſol.*3. & 5. *part. tract.*5. *reſol.*26. & 7. *part. tractat.*12. *reſol.*7. & 10. *part. tract.*12. *reſol.*16.

19. Ex

Aliqui idem dicunt immeritò de officio Reſurrectionis.

19. Ex his Authoribus aliqui abſolutè loquuntur, nullum officium excludendo. Alii verò expreſsè advertunt eſſe probabile non eſſe mortale, etiamſi officium Reſurrectionis loco alterius recitetur, ut Pelliz. Caramvel & Leander à ſanctiſſimo Sacramento. Alii officium Reſurrectionis excludunt, & idem eſt de officio Pentecoſtes inter alia officia indiſtinctè commutationem fieri poſſe admittentes, excluditur autem officium Reſurrectionis & Pentecoſtes, & meritò, etiam ſuppoſita dicta ſententia. Tum, quia licet hæc eadem ratio in omnibus militare videretur; uſus tamen contrarium juſtè obtinuit, eo quod illud officium breve ſit ex ſpecialiſſimo indulto Eccleſiæ illis ſolemnitatibus aſſignatum. Tum etiam, quia non ſolum in eo caſu immutaretur ordo, ac ritus Eccleſiaſticus; ſed nec redderetur moraliter æquivalens, quod quidem reddi judicant, ſaltem quoad modum recitationis, hoc ipſo quod alia officia loco officii diei ſubrogentur.

Vnum pro alio officio transmutare peccatum eſt mortale.

20. Sed licet præcedens ſententia ſit probabilis, longè probabilior eſt, quæ negat non ſatisfacere obligationi recitationis, qui unum officium longius in aliud brevius, vel æquale, etiam novem lectionum commutaret. Aliqui ex Authoribus citandis hoc probant, quod ſi ſemel hoc fieri poſſet, non eſſet ratio, cur talis commutatio fieri non poſſet in officium Reſurrectionis: quia ſi ritus ille non cadit ſub præcepto, ſed eſt aliquid accidentale, & ſolum eſt præceptum de officio canonico recitando, cum illud officium eſſet canonicum, non eſſet lethale illud pro aliis dicere; ſed magis vel minus grave intra latitudinem venialis. Sed ad hoc jam dictum eſt numero præcedenti: Quare aliter probanda eſt aſſertio. Nam præceptum horas canonicas dicendi non eſt de recitando in genere, ſed de recitando ſecundum formam præſcriptam à Pio V. in Bulla poſita initio Breviarii, nimirum, tali die de tali ſancto, tali de Dominica, tali de Feria, totum hoc pertinet ad formulam recitationis, & totum ſub præcepto quoad ſubſtantiam cadere, conſtat ex illis verbis Bullæ: *Omnes presbyteri, & clerici ſeculares & regulares utriuſque ſexus, nec non & milites exempti, quibus officium dicendi, aut pſallendi quomodocumque injunctum eſt, ut ex hujus noſtri Breviarii formula tam in choro quam extra illum dicere & pſallere procurent.* Et hoc aſſerere eſſe rem levem & accidentalem videtur abſurdum. Quis enim non dicat rem graviſſimam eſſe, non ſervare formam à Pontifice ſtabilitam in re tanti ponderis ac momenti? Sicut licet ad ritum Miſſæ cæremoniæ & formula in Breviario aſſignatæ pertineant, & ideò unam vel aliam mutare ſit quid leve, tamen graviſſima res eſſet talem formulam non ſervare, & Miſſam abſque ſubſtantialibus illis cæremoniis dicere, vel eas invertere, aut tranſmutare. Noſtram ſententiam tenent, Caſtro Palaus *tom.2. tract.7. diſp.2. punct.1. n.18.* Reginald. *in praxi lib.18. num.177.* Lezana *tom.1. cap.12. num.20.* Suarez *de religione tom.2. lib.4. cap.11. num.6. & cap.23. num.12. & 14.* Bellarminus *tom.3. lib.1. tract.3. cap.18.* Garcia *de benefic. tertia parte, cap.1. num.150.* Trullench. *lib.1. cap.7. dub.14. num.13.* Gavanto *comment. in rub. Miſſal. tomo ſecundo, ſect.1. cap.5. titulo ſecundo, numero ſeptimo.* Petrus Ledeſma *part.2. tract.9. cap.4. concluſ.12.* Machad. *tom.1. lib.2. part.3. tract.2. docum. 6.* Rodriguez *quæſt. regul. tom. quæſt. 42. artic.8.* Bonacin. *diſputatione prima, quæſtione tertia, punct.1. num.17.* Filliuc. *tract.23. cap.8. quæſt.4. num.186.* Philibert. *tract.2. p.6. cap.12. diff.4.*

Et ſi ſemel facta talis mutatio eſt mortale.

21. Horum plures non eſſe mortale ter, aut quater in anno talem tranſmutationem fieri dicunt, alii melius id negant: quia ſi ſemel eſt præceptum de recitando ſub illa formula, & hæc eſt res gravis, non eſt unde excuſetur, vel unica tranſgreſſio illius à mortali, ſicut ſemel ipſum officium omittere, ſemel non jejunare, aut audire ſacrum diebus præcepti non excuſatur à mortali. Quid autem in hac parte poſſint ex privilegio regulares dicemus infrà *n.59.* ¶ Admittimus tamen quod ſi quis ex errore, vel inadvertentia, hoc die de aliquo officio recitavit, de quo recitandum non erat, non tenetur iterum, de officio illius diei recitare. Tum ob probabilem ſententiam cui conformare ſe poterit, tum etiam quia prætermiſſio hujus formulæ bona fide facta non videtur res adeò gravis, ut ob id imponatur tantum onus, quale eſt, bis in die officium canonicum dicere. Et idem eſt ſi dicto Matutino recordetur ſe circa officium erraſſe, quod poterit, vel proſequi cum illo officio, vel reliquum illius officii de proprio illius diei dicere: & ſimiliter Miſſam de officio de quo ex errore recitavit. Villalobos *diff.13. num.2.* Pelliz. *tract. cap.8. num.74.* Quintanad. *tract.8. ſing.1. num.4. & 5.* Leſſius *lib.2. cap.37. num.77.* Trullench. *dub.14. num.11.* Martinus à ſancto Ioſeph *tract.11. n.5.* Antonius à Spiritu ſancto *num.1614.* ¶ An verò qui altera die ex errore de ſancto recitavit omiſſo officio proprio illius diei, poſſit alia die de officio prætermiſſo recitare? Reſpondetur te poſſe vel de officio jam omiſſo recitare: quia cum dies in quo cadit aliquis ſanctus impeditus eſt, ad alium non impeditum transfertur, & cenſetur morale impedimentum error, vel ignorantia, & ne jure ſuo privetur ille ſanctus, cujus officium omiſiſti, quod habet ut de illo quotannis recitetur. Quintanad. *ſing.9. num.3.* Pelliz. & Antonius à Spiritu ſancto *locis citatis*: Vel poteris diebus ſequentibus de officiis illis occurrentibus recitare, prætermiſſo illo anno, eo quod omiſiſti ex errore: ſicut ſi ex infirmitate non recitaſſes; & melius facies te cum communi Eccleſiæ ritu conformando, ne bis circa officium erres. Lugo *in reſponſ. moral. lib.5. dub.8.* Villalobos *num.3.* Quintanad. *ſingul.5. num.1.* Trullench. *lib.1. c.7. dub.14. n.11.*

Qui ex errore hodie de uno ſancto recitavit quod facere debet.

Vnum peccatum qui omittit omnes horas.

22. Secunda difficultas eſt, quot peccata committat, qui totum officium diei prætermittit? Reſpondetur, quod licet probabilis ſit ſententia aliquorum aſſerentium, quamlibet horam canonicam diverſo præcepto imperari: quia ſingulæ horæ diviſæ ſunt orationibus pro diverſis temporibus ab Eccleſia aſſignatis, & per conſequens tot peccata committere negligens, quot horas prætermiſerit, idque debere in confeſſione manifeſtare. Probabilius eſt unicum tantum præceptum eſſe pro omnibus horis, & ſic unicum tantum peccatum committere, qui omnes omittit, licet gravius ſit, quo plures prætermittit, unde non eſt neceſſe in confeſſione amplius dicere, quam prætermiſi horam, vel horas canonicas in materia gravi: quia, *in cap. dolentes de celebr. Miſſ.* officium nocturnum pariter & diurnum ſimul & ſimpliciter præcipitur, & imperatur. Idem habetur

ex

ex *Bulla Pii V.* & ex inſtitutione horarum, quæ unicum officium continent, nec multiplicanda ſunt præcepta abſque manifeſta lege & ratione, quæ hic non datur. Pelliz. tract.5. cap.8. num.94. & tract. 10. cap.6. num. 17. num.9. Lezana tom. 1. cap. 12. num.10. Leſſius lib.2. cap.37. dub.9. n.53. Trullench. decal. lib.1. c.7. dub.23. num.4. Villalob. tom.2. tract.24.diff.10. num.3. Tambur. tom.2. diſp.10. quæſit.1. num.9. Filliuc. tom.2. tract.13. cap.2. quæſt.11. num.224. Palaus diſp.2. punct.5. num.1. Garcia de benef. prima parte, cap.1. num.133. Bonacin. diſput.1. quæſt.5. punct.1. num.8. Antonius à Spiritu ſancto tract. 3. diſput.6. num. 1643. Sanchez conſil. tom.2. lib.7. cap.2. dub.12. num.2. Martinus à ſancto Ioſeph lib.2. de orat. tract.9. n.3. Leander à Murcia in reg. D. Franciſci c.2. ſuper el 3. reg. § 2. n.24. & alii. ¶ Atque idem dicendum eſt de voluntate interiori omittendi horas omnes, quod quamvis diverſis temporibus habeatur, & modo unam omittere decernat ſtatim aliam, &c. eundem repetens actum diverſis diei temporibus aut occaſionibus: niſi moraliter voluntas illa per retractationem oppoſitam interrumpatur, unum tantum mortale committitur: Nam licet phyſicæ multæ volitiones interiores, & conſenſus in omiſſionem repetantur, unica omiſſione rei præceptæ complentur, & continuantur moraliter, & ſic unum tantum peccatum moraliter conſtituunt, continuatum, toto illo die, quo currit obligatio recitandi. Olivet. de horis canon. lib.2. c.20. num.6. Diana quarta parte, tract. reſol.219. Leander à Murcia loco citato. Martinus à ſancto Ioſeph num.4. Villalob. num.5. Ludovic. Lopez ſecunda parte, introd. cap.105. Garcia num.137. Et eſſe admodum probabile dicit Trullench. num.4. cit.

Cujus quãtitatis omiſſio ſufficiens erit ad mortale.

23. Ex doctrina tradita numero præcedenti facilior eſt reſolutio illius difficultatis, quæ, videlicet cenſenda ſit notabilis quantitas officii, ut ejus omiſſio ſufficiat ad mortale peccatum? Nam Authores illi, qui dicunt pro ſingulis horis eſſe particulare præceptum, non conſiderant quantitatem comparatione ad totum officium, ſed ad ſingulas horas, & ſic dicunt, in ſingulis horis minoribus tertiam, aut quartam partem omittere cenſendum eſſe materiam parvam, & in Matutinis octavam partem. Inter Authores autem, qui nobiſcum unum tantum præceptum pro omnibus conſtituunt, datur diverſitas in aſſignanda parvitate materiæ. Nam Caramvel apud Dianam 3. p. tract.11. reſol.2. cui adhærere videtur Martinus à ſancto Ioſeph loco infrà citando, conſiderans reſpectu totius officii Dominicæ decem Pſalmos vix accedere ad octavam partem, illorum omiſſionem eſſe parvam materiam dicit: Sed aliis hæc doctrina meritò nimis laxa videtur. Alii verò arbitrantur unam integram horam minorem prætermittere eſſe materiam parvam, vel illam quantitatem quæ æquivalet uni integræ horæ: quia dicunt hanc quantitatem reſpectu totius officii parvam cenſeri. Philibert. de ord. tract.2. p.6. c.12. diff.13. num.4. Sotus de juſt. lib.10. q.5. art.5. verſu ſubtexitur. Antonius à Spiritu ſancto tract.6. c.6. n.1647. Martinus à ſancto Ioſeph lib.2. tract.9. n.5. Aliis verò meliùs videtur integram horam omittere, vel certè quantitatem illi æquivalentem eſſe materiam gravem, quia licet comparatione ad totum, non videretur gravis quantitas, eſt tamen unius huius integræ recitatio tanti ponderis, ut intenſivè cenſeatur gravis quantitas. Levem autem quantitatem illam cenſendam eſſe, quæ ad quantitatem unius integræ horæ non pertingit. Trullench. dub.23. n.2. Pelliz. c.8. n.33. Sanchez dub.11. n.2. Leander à Sanctiſſimo Sacramento tract. 16. diſp.13. q.31. Palaus punct.5. n.2. Leſſius dub.9. n.52. Bonac. punct.1. n.2. Admittimus tamen, quod in officio longiori, v. g. Dominicæ, poteſt aſſignari major latitudo parvitatis materiæ, quam in brevioribus quia quantitas ex comparatione ad totum debet menſurari.

PUNCTUM V.

De intentione, & attentione requiſitis ad ſatisfaciendum obligationi recitationis.

Requiritur intentio faciendi rem præceptam, non adimplendi præceptum.

24. Quicumque obligatus eſt ad horarum canonicarum penſum perſolvendum, debet tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis actus neceſſarios habere: intentio ſe tenet ex parte voluntatis, & attentio ex parte intellectus. Et quantum attinet ad intentionem nihil novi occurrit dicendum, quam quod pro adimpletione omnium legum diximus eſſe requiſitum: tom. 3. tract. 11. de legibus punct.8. num.146. Quare dicimus neceſſariam eſſe intentionem faciendi rem præceptam, quæ in præſenti eſt intentio orandi, Deum colendi, vel ſaltem ſuo muneri ſatisfaciendi. Unde ſi quis vel ob ſtudium, curioſitatem, vel aliud motivum horas diceret, non ſatisfaceret ſuæ obligationi, niſi orandi intentionem haberet: non autem requiritur, quod talis intentio ſit expreſſa, aut formalis, ſed ſufficit virtualis, & implicita, quam cenſetur habere, qui ſolito more, aſſumit breviarium ad recitandum. Nec etiam requiritur ut intentionem habeat adimplendi præceptum, modo rem præceptam, modo dicto, intendat apponere. Unde adimpleret præceptum etiamſi expreſſam & poſitivam voluntatem haberet, non adimplendi, illa recitatione, præceptum: ſi poſtea intra terminum præcepti, mutaret animum, & vellet illa recitatione ſatisfacere præcepto: quia re ipſa facit rem præceptam, & ille animus proceſſit ex errore quo putabat, poſſe impedire adimpletionem præcepti, ipſam rem præceptam apponendo. Quæ omnia docent Tambur. tom.2. diſp.10. quæſit.9. Trullench. lib.1. c.7. dub.16. n.13. Garcia de benefic. 3. p. c.1. n.109. Pelliz. tract.5. c.8. num.97. Palaus tract.7. diſp.2. punct.3. n.5. & 10. Leander à Murcia ſuprà §.2. n.10. Sanchez in ſum. tom.1. lib.1. c.13. num.16. Leſſius lib.2. c.37. dub.10. n.59. Vaſquez opuſc. de benef. cap.4. §.1. dub.7. n.114. Henriq. lib.9. c.15. n.9. Valentia tom.3. diſput.6. q.2. punct.11. Antonius à Spiritu ſancto tract.3. c.6. n.1628. Martinus à ſancto Ioſeph lib.2. tract.10. num.3. Diana 2. p. tract.12. reſol.37.

Triplex attentio ponitur, & quæ ſit neceſſaria declaratur.

25. Quantum verò attinet ad attentionem, ſciendum eſt eſſe duplicem: & exteriorem, & interiorem: Et utraque poteſt eſſe vel attentio ad Deum, quæ omnium eſt perfectior, ut ſi quis ore officium pronuntiaſſet, eſſetque totus in Deum abſorptum, meliùs ſatisfaceret obligationi: Et hæc attentio ad percipiendum unum ex tribus effectibus orationis, qui eſt, guſtare, & videre, quam ſuavis eſt Dominus, animæque

que refectione fungi, eſt omnino neceſſaria, ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 13. & ad hanc attentionem reducitur quæcumque conſideratio rei piæ, vel etiam conſcientiæ examinatio: quia hæc omnia ad Deum nos ducunt. Alia eſt attentio ad ſenſum verborum, quæ licet ſit inferior prima, eſt tertia perfectior, nulla tamen ex eis ad impletionem præcepti requiritur, ut docet D.Thom. *loco citato*, & ferè omnes Doctores cum eo: alia eſt attentio ad ipſa verba quæ eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum præcepto: Vnde ſi quis ad ſola verba attendat, cum intentione ſaltem generali colendi, laudandique Deum implebit præceptum. Et quia iſtam attentionem poteſt habere aliquibus rebus occupatus quæ non multum diſtrahunt ea ſe, ideo communiter ſic occupatum ſatisfacere præcepto dicitur, ut ſi dum recitat deambulat per hortum, flores colligit, plantas reſpicit, faciem, vel manus lavat, ſe veſtibus induit, ſternit menſam, vel lectum, aliaſvè actiones operatur non multum ex ſe diſtrahentes: ſecus vero ſi hoc habeant, ut ſi ad ſpectacula vel fabulationes aliorum attenderet, legeret, ſcriberet, &c. Palaus *tractatu* 7. *diſputatione ſecunda, part.* 3. *numero quarto*, Pelliz. *tract.* 5. *capite octavo*, *num.* 85. Trullench. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 18. *numero ſeptimo*, Bonacin. *diſput.* 1. *quæſtione tertia, punct.* 2. §. 2. *num.* 12. Soto *lib.* 10. *quæſtione quinta*, *articulo quinto*, Suarez *tom.* 2. *libro quarto*, *cap.* 26. *num.* 21. Vaſquez *de benef. capite quarto*, §. 1. *articulo ſecundo*, *dub.* 5. Martinus à ſancto Ioſeph *libro ſecundo*, *tractatu* 10. *num.* 7. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 1631.

Diſtractio non omnino voluntaria non tollit adimpletionē præcepti.

26. Difficultas verò eſt maxima inter Doctores, an ſit neceſſaria interior attentio ad ſatisfaciendum præcepto, itaut ſi quis omnino voluntariè diſtractus recitet, ſatisfaciat obligationi. Et diximus: *omnino voluntariè*. Si enim involuntariè, & præter intentionem diſtrahatur, omnes dicunt adimplere præceptum, etiamſi ab initio uſque ad finem diſtractus totum officium percurrat. Et diximus etiam *omnino voluntariè*. Stat enim aliquomodo voluntariè eſſe diſtractum, & tamen adimplere præceptum, in omnium ferè ſententia, ut advertens ali oratione diſtrahi, negligenter nimis ſe gerat in avertendis cogitationibus, ſi tamen aliquem vel levem conatum ad hoc adhibeat, ſatisfacit præcepto: quia licet negligens ſit, & non omnem adhibeat diligentiam, ut attendat; non tamen omnino voluntariè diſtractus recitat: & ſi advertat ſe diſtrahi, ſi tamen non advertat ſe ab oratione diſtrahi, ſatisfacit præcepto, ut cum Cajetano 2. 2. *quæſt.* 83. *artic.* 13. omnes ferè docent. Quæſtio igitur eſt, an ſi quis omnino voluntariè diſtractus cogitationibus, recitet, advertens ſe diſtrahi ab oratione, ſatisfaciat præcepto recitationis, & quod dictum fuerit de præcepto recitationis, idem dicendum eſt de præcepto audiendi ſacrum.

Duplex ſententia circa attentionē pro recitatione requiſita proponitur.

27. Duplex circa dictam difficultatem datur ſententia. Prima aſſerit Eccleſiam non poſſe actus internos præcipere, ſicut de illis nequit judicare: quia Eccleſia non judicat de occultis; & ſic quando in *cap. dolentes de celebrat. Miſſar.* jubet, ut officium divinum ſtudiosè pariter & devotè recitetur, loquitur de externa devotione, ut videlicet recitans exteriùs non diſtrahatur confabulationibus, aliiſve actibus externis incompoſſibilibus cum illa oratione vocali, & ſic non præcipere internam devotionem, quare ſatisfacere huic præcepto dicit, qui exterius devotè recitat; licet interius omnino voluntariè ſit diſtractus. Sic Coninch. *de ſacrament. in* 3. *part. quæſtione* 83. *articulo ſexto*, *num.* 291. Durandus *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 12. Medina *cod. de orat. quæſt.* 14. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 5. *in gloſſa lit. P.* Diana *ſecunda parte, tract.* 12. *reſol.* 2. D.Anton. *tertia parte*, *tit.* 13. *cap.* 4. §. 7. & 8. Angelus *verbo hora num.* 27. Sylveſt. *quæſt.* 11. Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract.* 3. *diſput.* 6. *num.* 1629. Machado *tract.* 2. *docum.* 5. *num.* 2. *pag.* 294. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de orat. tract.* 10. *num.* 6. Et probabilem dicunt Pelliz. *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 6. *num.* 17. Layman. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. Leſſius *lib.* 6. c. 37. *num.* 63. *fine.* Et alii quos dedimus *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 38. ¶ Secunda vero ſententia quam ibi *n.* 39. ſequuti ſumus, conſiderans in dicto *cap. dolentes* præcipi ab Eccleſia ut officium ſtudiosè, ac devotè recitetur, ubi Gloſſa inquit, *devotè ſecundum affectum mentis*, & quod de ratione orationis quæ hîc præcipitur, eſt, elevatio mentis in Deum, ad quod neceſſaria eſt attentio ex parte intellectus, dicit, hanc etiam præcipi ab Eccleſia, quæ licet præcipere non poſſit actus purè internos, benè tamen illos, qui cum externis quos præcipit, habent neceſſariam connexionem, tanquam forma illorum, ut latè diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legibus* c. 1. *n.* 68. Vnde dicit non ſatisfacere præcepto, ſed debere repetere recitatum, qui omnino diſtractus voluntariè horas perſolvit. Sic Sanchez *conſil. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 38. *n.* 9. Malderus 2. 2. *tract.* 10. *c.* 2. *dub.* 2. Moneta *de diſtribut. p.* 2. *q.* 2. *dub.* 2. Trullench. *lib.* 1. *c.* 7. *dub.* 17. *n.* 4. Filliuc. *tract.* 23. *c.* 3. *q.* 2. & *cap.* 6. *q.* 3. & *c.* 8. *q.* 2. Philibert. *de ord. tract.* 2. *p.* 6. *c.* 12. *diff.* 2. *à n.* 3. Rodrig. *tom.* 1. *c.* 141. *n.* 1. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. §. 2. *n.* 7. Leander à Murcia *cap.* 1. *ſuper el* 3. *reg.* §. 2. *num.* 11. & alii quos refert, & ſequitur Leander à Sanctiſſimo Sacramento *tractat.* 6. *diſp.* 13. *q.* 13.

Attentio formalis non requiritur, ſed ſufficit virtualis.

28. Sed re melius inſpecta Authores utriuſque ſententiæ videntur confundi, & verbis ſolum diſcordare; cum tamen in re non diſcriminentur. Nec enim primi omnem attentionem excludunt, nec ſecundi omnem attentionem petunt. Rem explico, & ſuppono primò ex D. Thom. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 4. *art.* 2. quod præter attentionem habitualem, de qua nihil modo, quia inſufficiens eſt ad intentum, attentio actualis omnino requiſita, vel poteſt eſſe formalis, qua quis formaliter & actualiter prout neceſſarium eſt ad orationem attendit, vel poteſt eſſe virtualis, quæ conſiſtit, in eo quod quis volens audire ſacrum vel recitare officium canonicum, vult ab initio orare, Deo ſervire in illo opere, attendere, ut decet, cum aliqua promptitudine voluntatis, & hæc etiam eſt devotio, nam eſt etiam actus voluntatis, quo Deo ſe devovet, illi obſequuturus, talis autem attentio virtualis perſeverat, quandiu non retractatur, retractatur autem non per quemlibet actum, ſed vel per expreſsè oppoſitum, vel per incompoſſibilem: quandiu ergo durat illa virtualis attentio non retractata, datur attentio ſufficiens ad ſatisfaciendum præcepto.

Non requiritur attentio ad Deū, nec ad ſenſum verborum; ſed

29. Suppono ſecundo ex eodem D.Thom. 2. 2. *quæſtione* 83. *articulo decimo tertio*. Quod hæc attentio actualis, ſive formalis ſit, ſive virtualis, vel poteſt eſſe ad verba dumtaxat, vel ad ſenſum illorum, vel ad ipſum Deum, cui oratur, & licet

hic

ſufficit ad verba.

hic ultimus modus ſit omnium perfectior, & fructuoſior, duo priores ſunt ad ſatisfaciendum præcepto ſufficientes, & ad fructum ſatisfactorium, & impetratorium conſequendum, qui ex oratione proficiſcitur. At attentio ad ſenſum verborum nullus, neceſſarium eſſe, dicit, & conſtat in monialibus, quæ ſatisfacere præcepto recitationis poſſunt, etiam ſi ad ſenſum verborum attendere non valeant. Quare ſufficere attentionem ad verba docet D.Thom. *loco cit.* & cum eo omnes utriuſque ſententiæ Authores. Sed in quo conſiſtit attentio ad verba? Audi D. Thom. ibi: *Triplex eſt attentio, quæ orationi vocali poteſt adhiberi, una quidem qua attenditur ad verba ne aliquis in eis erret:* itaque ſi quis attendit ad verba curando, ne erret circa illa, ut debito ordine recitentur, cum tali ordine, pronuntiatione, &c. Satisfaciet præcepto: ſufficit ergo hanc attentionem habere, ſeu intentionem ſic attendendi, & in ea toto tempore recitationis virtualiter perſeverare. Quod facit, qui vel non habet voluntatem expreſsè contrariam illi, vel non pouit actum incompoſſibilem ex natuta rei cum ea.

Attentio ad verba nō eſt incompoſſibilis cum diſtractione mentali.

30. Suppono tertio, hanc attentionem ab initio habitam non retractari per quamlibet voluntariam diſtractionem, quia non quælibet diſtractio etiam voluntaria eſt actus ex natura rei incompoſſibilis cum ea, quidquid ſit de ea, quod aliquando accidentaliter contingit, ſtat enim aliquem eſſe voluntariè diſtractum, in negotiis, vel ſtudiis cogitantem, & ad verba attendere, *Ne erret circa illa*, ut debito ordine & pronuntiatione illa dicat: neque enim mens hominis adeò limitata eſt, ut ſimul & ſemel non poſſit, ex natura rei, attendere ne erret circa verba, & ſimul in mente alia diverſa revolvere: ſi enim attendere poteſt, ut opus valde ſutile efficiat, & ſimul cogitationibus diverſis diſtrahi, cur non dicemus poſſe ſimul advertere ad verba modo dicto, & in aliis negotiis cogitare, maximè in verſatiſſimis jam in recitando. Et conſtat experientia in choro recitantium, qui ſimul attendunt ad dicenda, quæ ſibi competunt, & animo multoties divagantur. Et in his qui recitando attendunt ad Deum, qui non ob id non attendunt ad verba, aliàs non ſatisfacerent præcepto: Igitur per hanc diſtractionem mentis, non interrumpitur illa virtualis attentio ad verba, ad ſatisfactionem præcepti ſufficiens, & neceſſaria. Interrumpitur autem vel per expreſſam voluntatem contrariam, qua nollet attendere ad verba modo dicto, vel per actum incompoſſibilem cum ea, qualis eſt actus exterior nimis occupans attentionem ut confabulatio, lectio, ſcriptio, &c. Vel ſi mentis diſtractio eſt adeò vehemens, ut prorſus hominem abſorbeat, & ab attentione etiam prolationis verborum avertat, quod rarò contingit, & ſic tanquam de raro contingenti non eſt curandum de ea.

Authores primæ ſententiæ partim deela-gantur, partim deſe-runtur.

31. Authores igitur ſecundæ ſententiæ in re hanc ſolum exigunt attentionem, cum omnes, nemine dempto, dicant ſolam attentionem virtualem ad verba eſſe neceſſariam, & ſi excludant internam diſtractionem, vel loquuntur de illa, quæ eſt incompoſſibilis cum hac attentione, qualis eſt illa, quam modo diximus rarò contingere, & ſi aliam excludere intendunt, non conſequenter loquuntur, & ſic illis non aſſentimur, nec eorum rationes amplius probant: Nam textus ille *in cap. dolentes*, ſolum excludit diſtractiooem cum dicta attentione incompoſſibilem, & ſic in eo dicitur: quod non confabulando, nec riſibus indulgendo, aliiſve exterioribus actionibus occupati recitent, & ſic addit ut ſtudioſè, ac devotè recitent. Per hanc attentionem ut diximus notabili primo ſufficiens devotio ſalvatur, nec aliam præcipit Eccleſia, imo nec præcipere poſſet: quia ipſa nequit actum internum præcipere, niſi qui habeat neceſſariam connexionem cum externo: & in noſtro caſu ſola attentio ad verba modo dicto, habet neceſſariam connexionem cum illo actu exteriori, ut jam diximus, nec eſt contra hoc, quod oratio eſt elevatio mentis in Deum, quam non habet qui mente diſtractus ſolum attendit ad verba: Nam, ut inquit D.Thom. 2.2.q.83.art.13. *ad primum. Quod in Spiritu & veritate orat, qui ex inſtinctu ſpiritus ad orandum accedit.* Sufficit ergo, quod quis animo orandi accedat ad recitationem, volens ad verba modo dicto attendere, ut mentem in Deum elevare dicatur: ſolum enim tollitur hæc elevatio, qoando attentio nullo modo jungitur orationi, ot inquit S.Doctor *in 4.diſt.15.quaeſt.4.art.5.quaeſt.4. ad 1.*

Cum voluntaria diſtractione interna ſtat adimpletio præcepti.

32. Nec primæ ſententiæ Authores hanc denegare videntur attentionem: ipſi namque & eſſe neceſſariam intenrionem ponendi rem præceptam dieunt, & eſſe neceſſarium attendere ut verba ſaltem exterius devotè, & ſtudioſè dicantur. Et ſic cum attentione ad exteriorem prolationem, ordinem, & reverentiam, & quod actus externi non efficiantur nimis occupantes, quos ſolos diximus eſſe incompoſſibiles cum tali attentione: quæ vera ſunt, & compatiuntur cum diſtractione illa voluntaria, quæ hanc ex natura ſua non adimit. Igitur tenendum eſt, quod ſi quis recitare incipiat, animo adimplendi præceptum, & cum attentione ad verba, ut non erret circa illa, ſed debito ordine & pronuntiatione proferat, etiam ſi voluntariè mente vagetur, ſed non tantum, ut illam attentionem ad verba excludat, vel non advertat ſe ita rapi, ut impediatur à debita recitatione exteriori ſatisfaciet obligationi recitationis officii divini, nec tenetur repetere quæ ſic diſtractus perſolvit.

PUNCTUM VI.

De cauſis excuſantibus à recitatione Officii Canonici.

Qui legitimè impeditas non recitat ad nil aliud loco recitationis tenetur.

33. CAUSÆ excuſantes à recitatione officii caconici ad quatuor reduci poſſunt, nimirum infirmitas, gravis & repentina occupatio, impotentia, vel extrinſeca, ut ſi non habeat breviarium; vel intrinſeca, ut ſi ſit cæcus, & legitima diſpenſatio, de quibus agemus hoc puncto. Pro omnibus autem ſupponendum eſt, eum, qui aliqua ex his cauſis excuſatur à recitatione officii canonici, ad nihil teneri, nec ad recitandas alias preces, nec vel per alium ſupplere, cum ſit onus perſonale, nec poſt tranſactam cauſam ſupplere quod omiſit, quia eſt onus diei, nec ad ſubrogandum aliud opus pium loco officii intermiſſi, nec ad audiendum alium recitantem, nec ad

aliquid

aliquid aliud : quia hoc non præcipitur ab Eccleſia, nec eſt imponenda nova obligatio abſque aliquo jure expreſſo. Sic tanquam commune (contra nonnullos) docent Pellizzar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *numero* 109. Bonac. *diſputatione* 2. *quæſtione* 6. *punct.* 2. *numero* 8. Lezana *tom.* 1. *cap.* 12. *numero* 26. Trullench. *lib.* 1. *decal. cap.* 7. *dub.* 28. *numero* 3. Sanchez *Conſil. tom.* 2. *lib.* 7. *capite* 2. *dub.* 49. & 50. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 24. *different.* 16. *numero* 2. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 9. *numero* 287. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 12. *numero* 3. Diana 4. *p. tract.* 4. *reſolut.* 11 Diſcurramus prius circa dictas cauſas, & poſtea difficultates aliquas reſolvemus.

---

§. I.

De infirmitate, impotentia, occupatione ac diſpenſatione, quæ excuſare poſſunt à recitatione officii canonici.

Infirmitas gravis etiā voluntariè contracta excuſat à recitatione.

34. CErtum eſt apud omnes quod ſi infirmitas gravis ſit, ita ut ſine magno damno ſalutis corporis, aut nimio dolore aut vexatione recitare non poſſit, non tenetur ad illam : quando infirmus apertè bona fide videt, ſe non poſſe ſine magno incommodo recitare, non requiri medici, ſuperioris aut confeſſarii conſenſus : nam infirmitas gravis potius reddit infirmum moraliter impotentem, & ad impoſſibile nemo tenetur, & pia mater Eccleſia cenſenda non eſt, afflictis velle novam adjicere afflictionem. Unde talis infirmitas, quandiu durat extrahit infirmum omnino ab obligatione præcepti, & ſic, & ſi propria culpa ſit contracta, imo etiam animo ſubſtrahendi ſe ab obligatione hac, excuſat, nec illi ſunt imputandæ omiſſiones ſubſequentes, juxta dicta *tom* 3. *tract.* 11. *de legibus*, *cap.* 2. *numero* 164. Illa autem cenſenda eſſet gravis infirmitas, quæ infirmum à jejunio excuſaret, per ſe loquendo, niſi ex aliquo accidenti oppoſitum contingat.

Levis infirmitas non excuſat à recitatione.

35. Levis autem infirmitas, ut dolor ſtomachi, non nimis vexans, dolor capitis, non multum vehemens, febris tertiana, aut quartana, quæ non vehementer affligit majori diei parte, ita ut non vacet ad recitandum officium canonicum & alia quævis, quæ non impedit actiones ordinarias, quæ fiunt auxilio capitis, aut linguæ, nec ob id morbus augeri notabiliter timeatur, a recitatione non excuſant : quia non reddunt infirmum moraliter impotentem, & cum obligatio horarum ſit adeò gravis, non præſumitur ſuſpendi niſi gravi interveniente cauſa, qualis non eſt infirmitas levis. Sanchez *Conſil. t.* 2. *lib. 5. primo*, *capite ſecundo*, *dub.* 45. Trullench. *in decalog. libro primo*, *capite ſeptimo*, *dubio vigeſimo-ſeptimo*, *numero ſecundo*. Bonac. *quæſtione ſexta*, *punct.* 1. *numero primo*. Tambur. *tom.* 2. *diſputatione decima*, *quæſtione duodecima*, *numero primo*. Pellizzar. *tractat.* 5. *lib.* 8. *numero* 114. Villalob. *p.* 1. *tract.* 24. *different.* 26. *num.* 1. ¶ Sed tria advertenda ſunt : primum quod damna quæ in corpore valido ſunt levia, gravia reputantur in ægroto, & cum omnia præcepta Eccleſiæ ordinentur ad charitatem, quæ circa infirmos eſt multum benigna, non eſt credibile Eccleſiam velle infirmos ad hoc onus obligare, etiam ſi non multum ex recitatione lædantur, & ſic non ſemper eſſe neceſſarium grave damnum, ſed ſufficere quando infirmus credit proventuram aliquam vel ſtomachi cruditatem, vel capitis gravedinem, vel virium laſſitudinem, aut credit febrem tardius remittendam. Sanchez, Trullench. Pellizzar. *loc. cit.* ¶ Secundò advertendum eſt cum eiſdem authoribus, quod poſtquam febris vel infirmitas alia infirmum deſeruit, dum convaleſcit, aut quandiu ſunt vires imbecilles, poteſt per aliquot dies arbitrio prudentis officium prætermittere, cum illa imbecillitas adhuc reputetur infirmitas, & Eccleſia ægris aliquam vult concedere requiem, & ſic contingere poſſet, ut tempore convaleſcentiæ quis poſſet celebrare, & non teneatur officium canonicum dicere. ¶ Tertiò advertendum eſt, quod licet aliquis laborans febri, vel alia infirmitate per notabilem diei partem vacet confabulationibus ordinariis, aut etiam legat aliquem librum ad relaxandum animum, nihilominus non ob hoc tenetur recitare officium divinum : quia illa confabulatio, aut lectio, non auget; ſed potius alleviat morbum, utpotè afferens voluptatem, & non requirens attentionem, quidem requirit horarum recitatio, utpotè res ſeria & ex natura ſua mœrorem & moleſtiam afferens. Sanchez *lib* 7. *cap.* 2. *dub* 45. *n* 4. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de oratione tract.* 12. *n.* 7 Trullench. *dub.* 27. *n.* 2. *fine.* Pellizz. *n.* 116. Antonius a Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1649. Diana 2. *p. tract* 11 *reſol.* 43.

Tria notatu digna proponuntur.

36. In dubio autem an ſit infirmitas ſufficiens ad excuſandum à recitatione, vel poteſt medici arbitrio ſe committere, non quia in hoc diſpenſare queat, ſed quia poteſt declarare eſſe ſufficientem infirmitatem, peritorum enim in arte judicio ſtandum eſt. *Cap. fraternitatis, de frigidis & malefic.* Vel ſuperioris judicio acquieſcere, qui ob juriſdictionem ſpiritualem poteſt, per modum diſpenſationis, aliquid remittere : in caſu enim an ſit cauſa excuſans ſufficiens prælatum diſpenſare poſſe diximus *tract.* 11. *de leg. cap.* 5. *n.* 46. Vel illis deficientibus arbitrio prudentis viri gubernari ſibi perſuadens, quod quoties in hac re bona fide proceditur, & cum probabili judicio excuſationis nulla committitur culpa. Sotus *de Iuſt. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 3. Sylveſt. *verbo hora q.* 4. Sanchez *dub* 45. *n.* 2. Bonac. *n* 5. Martin. à S. Ioſeph *n.* 6 & 9. Tambur. *tom* 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 12. *n* 2. Diana 1. *p. tr.* 10 *reſol.* 28. Cæterum ſi adhuc dubium his omnibus præmiſſis perſiſtat, vel eſt ſimul dubium an poſſit officere graviter talis recitatio, & tunc non tenetur; imo non poteſt recitare : quia jus legis naturalis ſuperius eſt, & fortius, & ſic prævalere debet juri Eccleſiaſtico de recitatione. Si tamen tale damnum non timeatur, ſed ſolum ſit dubium, an indiſpoſitio ſufficiens ſit ad excuſandum, & tunc cum lex ipſa Eccleſiaſtica poſſideat & dubitetur de exemptione ab ea, debet adimpleri : juxta dicta *tom.* 3. *tract.* 11. *de legib. cap.* 2. *numero* 112. ſed poteſt deponi tale dubium, ſi vel non ſit dubium æquale, ſed plura occurrant, quæ faveant excuſationi, vel non ſit tam purum dubium, quod non ſit probabile judicium in contrarium. Pellizzar. Sanchez, Diana, Trullench. *loc. citat.* Suarez *tom.* 2. *de relig, libro* 4. *cap.* 28. *à num.* 21.

Quid in dubio an infirmitas ſit ſufficiens.

Graviter & neceſſario per totum diem occupati à recitatione excuſantur.

37. Poteſt etiam dari excuſatio ratione occupationis, ſi occupatio ſit gravis, honeſta, & neceſſaria, quæ commode non poſſit differri in aliud tempus ſine ſcandalo, aut peccato, aut notabili damno ſui, vel proximi, quia Eccleſiaſtica præcepta non præſumuntur cum tanto onere obligare: ne debeat contra charitatem militare, quod eſt pro charitate inſtitutum: & quia præcepta poſitiva humana debent moraliter intelligi, & admittunt benignam interpretationem. Unde excuſabitur ex hoc titulo, qui gravibus reipublicæ, vel religionis negotiis fere per totum diem occupatus eſt, concionatores, & confeſſores, ſimiliter per totum diem illi occupationi deditos, vel in ipſa operatione, vel neceſſaria præparatione ad illam, ſcholares publicam diſputationem per integram diem habituros, Doctores in concurſu Cathedræ publicam prælationem habituros. Omnes iſti excuſantur ſi commode non poſſunt recitare, & munus ſuum pro dignitate obire. Similiter excuſatur, qui ut ſubveniat proximo ægrotanti, vel gravem dolorem patienti omittit officium, ſi fere per totum diem illi officio pietatis incumbat, qui in negotio etiam privato magni ponderis ſimiliter per totam diem occupatur, vel in ſedando populi tumultu, vel in componendis gravibus inimicitiis, &c. Sic Villalob. *tract.* 14. *part.* 2. *diff.* 16. *num.* 11. Sanchez *conſil.* *t.* 2. *lib.* 7. *cap* 2. *dub* 52. Leander *t.* 1. *cap.* 12. *num.* 25. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1650. Martin. à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de orat. tract.* 12. *num.* 11. Palaus *lib.* 7. *diſp.* 2. *punct.* 6. *num.* 2. Suar. *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 32. Trullench. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 18. *numero* 1. Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 1. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 6. *punct.* 2. *numero* 2. Pellizz. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 110. Caramvel *diſput.* 116. *num.* 1436. qui *num.* 1438. addit ſufficere ut per duodecim horas in his muneribus occupentur ad hanc excuſationem, & minùs, ſi nimis fatigentur.

Duplex limitatio præcedentis doctrinæ.

38. Sed hæ limitationes omnino notandæ communiter ab his Doctoribus prædictæ doctrinæ adhibentur. 1. Quod ſi prævideatur occupatio, & recitatio ſine notabili incommodo poſſit anteponi, aut poſtponi, id fieri debet recitando v. g. ſummo manè: quia cum tunc vigeat obligatio, poſſitque commode adimpleri, non eſt ratio cur non impleatur: at vero ſi quis jam peccaſſet non præveniendo tempus urgente jam occupatione excuſabitur, ſi præcedentis negligentiæ pœniteat: quia jam factus eſt impotens moraliter. ¶ 2. Ut non voluntarie ſuſcipiat occupationem, quam non habet ex officio incompoſſibilem cum recitatione, niſi occurrat aliqua ratio majoris boni, ſuadens ſuſceptionem talis muneris, vel gravis aliqua neceſſitas, cui aliter conſuli nequeat: quia acceptans ex ſuo beneplacito tale munus, eo ipſo implicite cenſetur velle omiſſionem horarum, ſe in eas anguſtias conjiciendo, quod ipſi imputabitur ad peccatum. Ex officio autem omnia operari cenſentur quæ vel ad charitatem publicam vel privatam ſpectant: unicuique enim incumbit quodammodo ex officio ſervire Reipublicæ & proximo in ſpiritualibus vel temporalibus indigenti, & ſuo bono incumbere cum poſſit. Qui enim publicas theſes defendit, vel prælationem ad ſuam oſtentationem, vel aliam convenientiam habet, ad id neceſſitatus non eſt, nec rigorosè ex officio operatur, ſed quia ad ſuum grave commodum id aſſumit, quodammodo ex officio agere cenſetur, & ſic à recitatione communiter excuſatur, ſi commodo non poſſit recitationem, & munus ſuum pro dignitate obire.

Cæcos à recitatione eximitur.

39. Ob impotentiam intrinſecam, cæci, vel oculis caligantes à recitatione excuſantur, niſi fortè totum officium memoriter diſcant: quia tunc non excuſatur: quia præceptum non eſt de lectione, ſed de oratione vocali, quam in tali caſu poſſunt habere. An vero cæcus præbendatus choro teneatur aſſiſtere? *cap. ſequenti.* dicemus. An vero cæcus qui totum officium memoriter neſcit, ſcit tamen Pſalmos vel majorem partem horarum, teneatur illam partem, quam ſcit, recitare, dicemus §. *ſequent. à num.* 46. ubi etiam *num* 44. dicemus an teneatur ſocium adhibere, ſi commodè eum habere poſſit. Illud tamen ut certum judicamus, quod ſi ipſe officium v. g. B. Virginis ſciat, non tenetur de illo quotidie recitare, niſi diebus, quibus ſecundum formam Breviarii de illo officio ſunt horæ dicendæ: Tum quia probabilius eſt non adimpleri præceptum, unum officium pro alio recitando, ut diximus *num.* 20. Tum etiam, quia eſto unum officium pro alio recitando adimpleatur præceptum hoc, eſt ex indulgentia, & quaſi privilegio, quo nemo uti tenetur. ¶ Tenetur tamen cæcus paulatim pſalmos, ſi commodè poteſt memoriæ commendare, & ad hoc mediocrem adhibere diligentiam, ſecundum aliquos, ut præcepto ſatisfacere poſſit, niſi in hoc magnam difficultatem ſentiret. Bonac. *diſput.* 1. *q.* 6. *punct.* 2. *num.* 14. Trullench. *dub.* 28. *numero* 8. Alii id negant, tum propter dicenda infra *n.* 46. Tum etiam, quia hoc reputatur medium difficile & extraordinarium ad quod nemo tenetur. Sotus *lib.* 10. *quæſt.* 5. *artic.* 3. Sanchez *conſil.* *t.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 46. *num.* 4. ¶ Surdus autem vel ſurdaſter non excuſatur à recitatione ſi poſſit ſolus officium dicere: Cum poſſit legere, & non ſit neceſſarium quod ſe audiat; ſi autem alias ſolus recitare non poſſet ob aliquod impedimentum, poſſet tamen cum ſocio, non tenetur illum adhibere. Tum propter dicenda *num.* 44. Tum etiam, quia ſurdaſter vel ſurdus ſocium audire commode nequeunt, niſi ille magna vociferatione loquatur, quod grave cenſetur inconveniens, Diana 5. *p. tract.* 6. *reſolut.* 5. & 14. Palaus *punct.* 6. *num.* 14. Trullench. *dub.* 28. *n.* 9. Pelliz. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 113. Anton. à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1649. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 28. *n.* 17.

Surdus non excuſatur à recitatione.

Quomodo qui breviarium non habet à recitatione excuſetur.

40. Ob impotentiam autem extrinſecam excuſatur à recitatione, qui non habet breviarium, ſi talis carentia fuit illi involuntaria, vel quia caſu ablatum eſt ab eo, vel amiſſum, vel relictum domi ex oblivione, dum iter ageret, vel ipſe domi reliquit probabiliter putans ſe alibi reperturum. Talis ab officii penſo excuſatur, dummodo ſufficientem quærendi breviarium adhibeat diligentiam: quia tunc eſt impotens ad recitationem: & in hoc omnes conveniunt. An verò teneatur horas, vel pſalmos quos memoriter ſcit recitare dicemus §. *ſequent. numero* 48. Diximus *ſi carentia fuit illi involuntaria.* Nam ſi ex ſua culpa caret breviario, quia illud quærere vel emere negligit, vel quia in principio navigationis v. g. in mare projecit illud, vel iter facturus reliquit, vel combuſſit, prævidens ſe non habiturum aliud, & tunc peccat projiciendo, cum det voluntariam cauſam

ſam ſubſequentium omiſſionum, & poſtea non recitando : quia tales omiſſiones ſunt in cauſa voluntariæ, cum voluntariè appoſuerit impedimentum obſtans recitationi, & ſic tenetur ad reſtitutionem ob omiſſiones illis diebus factas, niſi antequam omittat pœniteat facti, pœniteatque illius, quam habuit, culpæ. Tunc enim amplius omittendo non peccabit, nec ob ſubſequentes ad pœnitentiam omiſſiones reſtituere tenebitur : quia non eſt peccatum omiſſio horarum, ſi ex una parte tunc temporis ſit impotens, & ex alia talis impotentia, non eſt amplius illi voluntaria ; & idem eſt, ſi dum reliquit breviarium non potuit vel non debuit omiſſionem futuram prævidere : quia tunc non eſt illi voluntaria in cauſa. Quæ omnia ex doctrina D. Thom. 2. 2. *q.* 79. *art.* 3. *ad* 3. & *quæſt.* 150. *artic.* 4. & 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 3. *ad* 3. docent noſtri Salmant. *tract.* 12. *de peccatis, diſputatione* 5. *dub.* 6. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 4. & *quæſt.* 154. *art.* 5. Soto *in* 4. *diſtinctione* 12. *quæſt.* 1. *art.* 7. Sylveſt. *in ſumm. verbo omiſſione.* Corduba *lib.* 2. *quæſt.* 23. Greg. Martin. 1. 2. *quæſt.* 71. *art.* 5. *dub.* 4. Araujo *ibi dub.* 3. Suarez *diſp.* 3. *de peccat. ſect.* 4. *num.* 9. Sanchez *Conſil. p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 51. Pellizz. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 122. & 123. Lezana *tom.* 1. *cap.* 12. *n.* 26. Trullench. *lib.* 1. *decal. cap.* 6. *dub.* 28. *num.* 6. & alii.

Qui poſſint diſpenſare ſuper obligationẽ recitandi?

41. Denique ob legitimam diſpenſationem poſſe accipientem illam excuſari, omnes aſſerunt. Et quidem Summum Pontificem eam poſſe impende, nemo ambigit : cum ſit de jure humano Eccleſiaſtico tale præceptum ; ſed præter illum, nullus ad longum tempus poterit cum ordinatis in ſacris, aut beneficiariis diſpenſare (de religioſis profeſſis in ſacris non conſtitutis jam diximus *num.* 20.) Poterit tamen Epiſcopus reſpectu ſuorum ſubditorum, & prælatus regularis reſpectu ſuorum, (maxime inſpecto privilegio *num.* 50. adducendo) ad breve tempus talem diſpenſationem impertire : quia licet in lege ſuperioris non poſſit inferior ſimpliciter diſpenſare, vel ad multum tempus ; poterit tamen ad breve tempus, & pro caſibus frequenter occurrentibus, & particularibus, ſicut poteſt diſpenſare hoc modo in lege jejunii, obſervationis feſtorum, uti de omnibus legibus generaliter diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legib. cap.* 5. *n.* 38. ob benignam interpretationem voluntatis ſuperioris, & quia talem facultatem in inferioribus reperiri, ad bonum & ſuave regimen ſubditorum neceſſaria judicatur : Cum pro caſibus particularibus & frequentibus ad ſuperiorem, qui legem tulit, non ſit facilis recurſus. Lezana *cap.* 13. *numero* 28. Sanchez *dub.* 43. *numero* 3. Bordon. *t.* 1. *reſolut.* 30. *num.* 17. Villalob. *tom.* 2. *tractat.* 24. *different.* 16. *numero nono.* Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 28. *numero* 41. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſputatione* 6. *numero* 1651. Pellizzar. *tract.* 5. *capite* 8. *numero* 124. Filliuc. *tract.* 23. *quæſtione* 10. *numero* 304. Et hæc poteſtas diſpenſandi tam ex jure communi quam ex privilegiis convenit prælatis etiam localibus, ut docent Bordonus *numero* 17. Anton. à Spiritu ſancto *num.* 1651. Quidquid dicant alii.

§. II.

Aliquæ difficultates enodantur circa dicta §. præced.

Qui nõ poteſt ſocium cõmodè habere, illum adhibere nõ tenetur.

42. Circa ea quæ reſolutoriè diximus §. præcedenti ſunt aliquæ graviſſimæ difficultates in praxi multoties occurrentes, quibus ſatisfacere diſtinctè neceſſarium judicavimus. 1. Eſt utrum qui per ſe ſolum recitare non poteſt, vel quia cæcus, vel quia inculpabiliter non habet breviarium, vel quia infirmus, vel quavis alia ex cauſa teneatur ſocium adhibere, ſi commode illum habere poteſt ? Quæ difficultas præcipue exagitatur circa cæcos, vel oculis caligantes, ſed quidquid dictum fuerit de illis, de aliis intelligendum eſt : quia eadem eſt ratio reſolutionis in omnibus. Et diximus, *ſi commode ſocium poteſt adhibere.* Nam ſi eum habere non poſſit, niſi cum aliquo incommodo, ad hoc non tenetur, nec debet eſſe circa hoc nimis anxios, & ſolicitus. Quare non teneri eum adhibere ſtipendio ſolnto, verius judicamus. (Quidquid ſit an ſi gratis offeratur ſocius teneatur) quia hoc ſine magno incommodo fieri non poſſet. Caſtro Pal. *tract.* 7. *diſp.* 2. *punct.* 6. *n.* 14. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 9. Diana 4. *tract.* 4. *reſolut.* 221. Oliverus *de hor. canon. lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 12. Unde Religioſum, aut Sacerdotem, qui ſocium non habent, eum quærere non teneri docet Villalob. 1. *p. tract.* 24. *diff.* 16. *n.* 5. Navarr. *cap.* 13. *de orat. n.* 14. Suarez *de relig. t.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 12.

Status quæſtionis proponitur, & ſententia aliquorum rejicitur.

43. Quæſtio igitur eſt : an ſi ſocium commode habere poteſt, qui gratis ſe offert ad recitandum cum illo, teneatur qui impotens eſt ad recitandum ſolus, eum adhibere. Nec in hac parte nobis placet diſtinctio ab aliquibus adhibita, de eo qui ſolitus erat cum ſocio recitare, & qui non habebat talem conſuetudinem, & de illo dicunt teneri ; de iſto vero admittunt non eſſe obligatum. Sic Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 9. *num.* 289. Trull. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 28. *num.* 5. & 8. Garcia *de benef. t.* 1. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 215. Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6. *n.* 1. Villal. *ſupra tr.* 24. *diff.* 16. *n.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 54. Bonac. *diſput.* 1. *q.* 6. *punct.* 12. *n.* 8. & plures alii. ¶ Cæterum ad rem quid attinet ſi ſolitus ſit cum ſocio recitare, vel non, ſi ſemel commode ſocium habere poteſt : Nam quod ſolitus ſit cum ſocio recitare, non induxit novum jus, novamve obligationem, quam ex ſe non habebat, & ſolum arguit ipſum commode habere poſſe : ergo ſi ille qui ſolitus non erat cum ſocio horas dicere, illum adhibere non tenetur etiam ſi commode poſſit, nec etiam ille teneretur, qui ſolitus eſſet, talem ſocium adhibere.

Cum ſocio recitare tenetur, qui ſolus nõ poteſt officiũ dicere.

44. Quare prima ſententia aſſerit non teneri ſocium adhibere, quia recitatio cum ſocio eſt privilegium & favor, quo quilibet poteſt non uti : privilegio namque & favori quilibet renuntiare poteſt. *l. ſi judex* 45. *ff. de muneribus. leg. ſi quis* 39. *Cod. de Epiſcopis.* Idque eſt ſi ſolitus fuiſſet ſocio uti, ſemper enim privilegiatus poteſt renuntiare privilegio. Diana 4. *p. tract.* 4. *reſolut.* 11. Martinus à ſancto Ioſepho *tract.* 12. *n.* 4. Antonius a Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *num* 1649. Ioannes Sancius *in ſelect. diſputatione* 15. *num.* 2. & alii quos refert Garcia *de*

benef.3.p.cap.1.num.254. Qui probabile hoc dicit, *num.215.* & etiam probabile hoc reputant Pellizzar. *tract.5.cap.8.num.51.* Sanchez *tom.2.conſil.lib.7.cap.2.dub.46.num.5.* Et de eo qui ſolitus non erat cum ſocio recitare tenent authores *num. præced.* relati. ¶ Probabilius autem judicamus abſolutè loquendo, eum qui non poteſt ſolus recitare, teneri cum Socio, ſi commode illum adhibere poteſt. Tum, quia jam non eſt dicendus impotens ad recitandum. Tum etiam, quia Eccleſiæ præcepta requirunt ordinariam diligentiam ad ſui adimpletionem, & nullum medium magis ordinarium, quam iſtud de Socio adhibendo. Tum denique, quia hoc jam non eſt privilegium quod pro aliquibus conceditur, ſed jam ex jure communi, ex conſuetudine pro omnibus introductum. Garcia *de benef. loco cit.* Leander à Murcia *cap. 1. ſuper el 3. reg. divi Franc. §. 2. numero 21.* Palaus *tract.7. diſp. 2. punct. 6. num. 13. & 14.* Reginal. *tom.2.lib.18.cap.13.num.283.* Azor. *tom.1.lib.10. cap.13.quæſt.3. & 6.* Rodrig. *tom.1.ſum.cap.144. num.1.* Pellizzar. *num.109.* Sanchez *n.4.* Villalob. *tom.1.tract.24.diff.16.num.4.*

Qui non poteſt majorem partem officii dicere nihil recitare tenetur.

45. Secunda difficultas eſt: an qui non poteſt totum officium recitare, teneatur ad partem illius? Vt ſi cæcus, infirmus, occupatus, non habens breviarium poteſt horas minores memoriter dicere, vel alia, hæc recitare teneatur, tametſi totum officium integrè dicere non poſſit? In quo ſupponimus ut certum ex communi ſententia, eum qui non poteſt majorem partem officii dicere, ad aliam non teneri. Tum quia regulariter major pars trahit ad ſe minorem, *l. per minorem ff. de judiciis & quæ religioſis ff. de re vendicata.* Tum etiam, quia oppoſitum multis eſſet ſcrupulis expoſitum, cum vix cognoſci poſſet ad quam partem eius extenderetur facultas, & nemo ita impeditus vel infirmus eſſet, qui ad aliquam partem minimam dicendam non eſſet potens: Quare qui matutinum nequit recitare, nihil recitare tenetur, etiam ſi horas minores poſſit dicere: quia vel eſt major pars, vel ſaltem prima & præcipua officii. Trullen. *dub.27. num. 5.* Rodrig. *1.p ſum.cap. 145.* Soto *lib.10. quæſt.5. art.3.* Diana *2. p.tract.12.reſol.29. & 4. p. tract.4. reſol.255.* Palaus *diſp.2 punct.6. num.9.* Sanchez *part.2. lib.7. cap.2. dub.43.*

Sententia aſſerens teneri majorem partem officii dicere qui nequit minorem.

46. Aſſerit ergo prima ſententia, qui poteſt majorem partem officii recitare, teneri illam dicere, etiam ſi ad totum recitandum ſit impotens. Tum quia major pars regulariter trahit ad ſe minorem: ſed hoc eſt verum quando minor pars capax eſt ut trahatur à majori: quod in præſenti non accidit, cum ſupponamus eſſe impotentem ad dicendam utramque. Tum etiam, quia qui centum non poteſt ſolvere ad quæ tenetur, debet decem, ſi poſſit reddere creditori, & ſic qui non poteſt per totam Quadrageſimam jejunare, debet, ſi poteſt, aliquibus diebus. Sed hoc argumentum etiam probaret eum, quia minorem partem officii poſſet recitare, teneri illam dicere, etiamſi ad majorem eſſet impotens; ut patet exemplis poſitis, quod authores hujus ſententiæ non admittent. Nihilominus hanc ſententiam tenent Villalobos *1. part. tract. 24. diff.16. num. 6* Palaus *diſput.2. punct. 6. numero 6.* Suarez *tom.2. lib. 4. capite 28. à num. 22.* Bonacina *quæſtione 6. punct.1. num.8.* Diana *2. part. tract.12. reſol. 29.* Sanchez *tom. 2. lib. 7. capite 2. dub. 47.* Filliuc. *tract. 23. quæſt.3. num.287.* Trullen. *dub.27. num.3.*

Dicta num. præcedenti ſententia impugnatur.

47. Sed neſcio qua conſequentia hi authores loquantur, quia plures ex illis docent, eum qui in ſingulis horis, non poteſt præcipuas partes dicere, non teneri ad reliquas, & ſic qui in Matutinis neſcit Lectiones recitare, aut non poteſt qui in reliquis horis capitulas, & orationes non poteſt dicere, non teneri ad Pſalmorum recitationem? quia Pſalmi ſine illis non ſunt officium canonicum. Sic Filliuc. *tract.23. cap.9. num. 294.* Trullench. *num.5. &* Sanchez *dub.46.* Diana *reſol.30. & 43.* Palaus *num.7.* Villalob. *num.5.* Quod etiam docent Leander à Murcia *loco citato §.2. num. 26.* Garcia *de benef. tom. 1. p. 3. cap.1. num.221.* Malderus *2.2. tract.110. cap.2. dub.5.* Sed lectiones, capitulæ & orationes minor eſt pars reſpectu totius officii: & certe ſi res attentè conſideretur nihil obligationis authores *num. præced.* allegati in re ponunt. Ipſi enim dicunt, non potes Lectiones dicere? non teneris Matutinum recitare: quia Pſalmi per ſe ſoli non ſunt officium canonicum. Non teneris Matutinum recitare? Nec etiam teneris alias horas dicere: quia ut diximus *num.45.* Qui excuſatus eſt à recitatione Matutini, à toto officio excuſatus manet: ergo de primo ad ultimum qui non poteſt Lectiones in Matutinis legere, nec alias horas tenetur recitare.

Qui nequit totum officium dicere ad nihil tenetur.

48. Quare univerſaliter dicendum eſt eum qui totum officium integrè dicere non poteſt, ita ut ad partem notabilem illius non ſit potens à totius officii recitatione excuſari, & probatur: quia ſecundum aliam ſententiam vix certa regula poteſt in hac parte aſſignari, & totum ſcrupulis, & perplexitatibus expoſitum relinquitur. Tum, quia præceptum recitationis eſt individuum, unicum, & ſimplex, & unico & ſimplici præcepto totum officium imperatur: nec enim eſt præceptum quoad partem, ſed quoad totum: ſicut præceptum audiendi Sacrum, non eſt de parte ſed de toto: ergo ſicut qui non poteſt totum Sacrum audire non tenetur quoad partem; ſic qui non poteſt totum officium recitare, nec etiam quoad partem, quam poteſt tenebitur. Et eſt diſpar ratio de præceptis illis in argumento contrario poſitis, eius qui debet centum, & jejunandi in Quadrageſima: hæc enim licet ſint una & ſimplicia formaliter, ſunt multiplicia virtualiter, & ob id licet quis ſit ad majorem partem implendam impotens, tenetur ad minorem, quod non accidit in noſtro caſu. Vnde qui non poteſt lectiones in matutinis legere, aut capitulas, orationes, & hymnos recitare, vel certe ex Pſalmis præcipuam partem dicere, ad nihil tenetur. Sic Martinus à ſancto Ioſeph *lib.2. tract.12. num. 4.* Ioannes Sanchez *diſp.15. num.1. & 2.* Antonius à Spiritu ſancto *tractat.3. diſputatione 6. numero 1649.* Leander à Murcia *cap.1. ſuper el 3. reg. D. Franc. num.26.* Caramvel *in Reg. D.Bened. diſp.115. num.1437.* Et videtur adhærere Diana *2.p.tract.12. reſol.43. & 7. part. tract. 11. reſol.53.* Et probabile judicat Pellizzar. *tract. 5. cap. 8. num. 110.* Et idem dicendum eſt de eo, qui memoriter ſciret lectiones, & capitulas & orationes alterius diei, quod non ob id illo die teneretur Pſalmos recitare: quia nemo ad officium alterius diei adſtrigitur; ſed ſolum ad officium proprium illius diei currentis.

Sententia dicens neminem teneri officium anteponere, aut poſtponere.

49. Tertia difficultas eſt, an teneatur præponere, aut poſtponere tempus horarum, qui ſcit poſtea habiturum impedimentum ad illarum recitationem: v.g. ſcis veſperi impedimentum superventurum, infirmitatem, aut occupationem &c. Tenerisne manè totum officium dicere? Et mane impeditus uſque ad meridiem, teneris veſpere Matutinum, & horas illius diei dicere? Et loquimur quando impedimentum non eſt voluntarium, ſi enim voluntarium eſſet, non videtur ratio dubitandi,

tandi, quod tenetur prævenire, vel poſtponere, cum non ſit unde exc ſetur, etiam ſi legitimum ſit, cum liberè ab eo ponatur. Negat teneri prævenire, aut poſtponere in caſu dicto prima ſententia. Tum, quia quælibet hora ſuo tempori correſpondet, & non currit obligatio uſque ad illud, licet ex indulgentia poſſit anteponi, aut poſtponi. Tum etiam, quia facultas quæ conceditur ab Eccleſia præponendi, aut poſtponendi horas intra diem naturalem, eſt privilegium favoris; non vinculum neceſſitatis, & ſic poterit eo uti, ad hoc tamen non tenebitur: quia nemo obligatur uti privilegio, ſed poteſt ſe juri communi conformare. Cano *in relect. de pœnit. part.* 5. *dub.* 31. Oliverus Bonareius *de hor. canon. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 8. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 7. *in gloſſa littera E.* Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 3. *diſp.* 6. *n.* 1649. Martinus à ſancto Joſeph *lib.* 2. *tract.* 12. *num.* 12. Diana 4 *p. tract.* 4. *reſol.* 10. Caramvel *diſp.* 116. *num.* 1442. Et probabilem dicit Sanch. *conſil. p.* 2. *lib.* 7. *dub* 55. *n.* 6. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 8. *num.* 43. Ex quo ſequitur laborantem quartana, iter agentem, aut valde impeditum ob negotia ſtatutis horis divini officii, non teneri antea vel poſtea eas recitare: & ſic impeditum uſque ad meridiem non teneri veſperi matutinum recitare, & legitimè diſpenſatum pro aliquo die, etiam ſi poſtea convaleſcat non teneri poſtea illud recitare, cum jam ſit legitime pro ea die abſolutus. Caramvel, Antonius à Spiritu ſancto, & Diana 7. *part. tract.* 1. *reſol.* 14.

Qui ſtatutis horis nequit officium recitare tenetur illud anteponere aut poſtponere.

50. Sed hæc doctrina nobis nimis laxa videtur, ſic enim qui bona fide, vel etiam ex negligentia officium ad veſperas diſtulit non teneretur niſi à veſperis recitare: quia jam ſecundum hos authores non currit obligatio reſpectu aliarum horarum. Cæterum hic duplex præceptum invenitur, vel unum cum duplici effectu: Nam hoc præceptum & obligat ad recitationem, quæ obligatio pro tota die currit à puncto mediæ noctis diei præcedentis uſque ad punctum mediæ noctis diei ſequentis, & eſt obligatio ſubſtantialis & primaria, cujus tranſgreſſio eſt mortalis, & obligat ad recitandum ſtatutis horis, & hæc eſt obligatio accidentalis, & ſecundaria, & ſic illius tranſgreſſio ſine cauſa eſt ſolum peccatum veniale: licet ergo tranſacto tempore pro horis ceſſet hæc ſecunda obligatio, illa prima toto tempore diei durat, & indulgentia, favor, aut privilegium Eccleſiæ eſt, reſpectu illius obligationis, accidentalis, cui renuntiare melius erit, & ſtatutis horis officium recitare. Reſpectu autem primæ obligationis nullum tale privilegium reperitur in Eccleſia, nec aliqua conſuetudo circa hoc legitimè introducta, & ſic nullus timoratus uſque ad meridiem occupatus ſe immunem à recitatione matutini, & aliarum horarum judicaret ſi toto veſpere vacaret. Quare deberi officium anteponi, aut poſtponi, ſi abſque magno incommodo fieri poſſit, tenent Sanchez *num.* 6. *ſup.* Trullench. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 27. *num.* 5. Villal. *part.* 1. *tract.* 24. *diff.* 16. *num.* 1. & 7. Azor. 1. *p. lib.* 10. *capite* 13. *quæſtione* 1. Pellizzar. *tract.* 5. *capite* 8. *numero* 111. Leander à Murcia *capite* 1. *ſup. el* 3. *reg. D. Franc.* §. 2. *numero* 20. Vide quæ diximus §. *præced. num.* 38.

PUNCTUM VII.

De privilegiis Regularibus conceſſis in ordine ad recitationem Officii Canonici.

Privilegium Leonis X. ut regulares poſſint mentaliter recitare.

51. PLura privilegia à Pontificibus conceſſa regularibus in ordine ad recitationem officii canonici, quæ ab authoribus ſparſim diverſis in locis ponderantur, hic ſimul libuit proponere, ut facilius memoriæ commendentur. Inter quæ illud primum locum obtinet, quod conceſſit Leo X. minoribus (& per participationem convenit aliis religionibus) anno 4. ſui pontificatus die 16. Aprilis 1516. & refertur in compendio privilegiorum D. Franc. & in compendio privilegiorum ordinum mendicantium, *Verbo officium divinum* 1. § 9. Quod obvium apud authores referendos reperies. Conceſſit ergo Leo X. ut regulares ſatisfacerent præcepto recitationis mentaliter dumtaxat officium canonicum perſolvendo, his verbis: *Ne fratres mutuò ſe impediant in officio divino, aut aliis ſint faſtidioſi, quod illa quæ in ordinario jubentur dici ſecretò ſub ſilentio, tam in horis canonicis quam in Miſſa non teneantur proferre vocaliter; ſed ſatisfaciunt dicendo mentaliter aut legendo inter ſe per librum, quia aliqui devotius ſic dicunt, & abſque impedimento & faſtidio aliorum, & quod eodem modo poſſis facere qui ſolum dicit officium per ſe, cum prolatio verbalis ſit præcipuè ut ab aliis intelligatur.*

Sententia aſſerens regulares non ſatisfacere mentaliter recitando.

52. Non deſunt autem plures authores, qui adhuc dicant poſſe regulares totum officium mentaliter perſolvere. Tum, quia conceſſio Leonis X. ſit vivæ vocis oraculum, ut omnes fatentur, ſed ſingula privilegia, facultates, licentiæ, & gratiæ, vivæ vocis oraculo conceſſa, revocata ſunt tam à Gregorio XV. quam ab Urbano VIII. in generali vivæ vocis oraculorum revocatione: ergo &c. ¶ Secundo, quia ad ſummum hoc privilegium concedit, ut mentaliter recitentur, quæ in ordinario præcipiuntur dici ſecretò tam in Miſſa (exceptis verbis conſecrationis, quæ omnino verbaliter ſunt dicenda) quam in officio divino, uti *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo*, & in miſſa canon, & aliæ orationes ſecreto dicendæ, ut conſtat ex verbis privilegii. ¶ Tertio, quia ſublato quod regulares teneantur verbaliter officium recitare, aufertur obligatio recitationis, & ſic nec mentaliter tenerentur: quia hoc præceptum recitandi eſt Eccleſiaſticum; præceptum autem Eccleſiaſticum de ſolo actu mentali puro non aſſociato vocali eſſe non poteſt: quia Eccleſia ſicut nequit de actibus purè internis judicare, ſic nec illi cadere poſſunt ſub præcepto Eccleſiæ: ergo ſublata obligatione recitandi vocaliter, nullum remaneret præceptum recitationis. Sic Pellizzar. *tract.* 5. *capite* 8. *numero* 71. & 72. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 2. *diſp.* 2. *num.* 157. Aſcanio Tambur. *de jure Abbat. tomo* 2. *diſputatione* 10. *quæſtione* 5. *numero* 3. Lugo Cardin. *in reſponſ. moralibus lib.* 3. *dub.* 17. *per totum.* Lezana *tomo* 1. *capite* 12. *numero* 32. Et non audet in hac parte judicium ferre Diana 8. *p. tract.* 7. *reſol.* 58. & 10. *p. tract.* 11. *reſol.* 2.

Non eſſe revocatum dictum privilegium licet ſit vivæ vocis oraculum eſt verius.

53. Sed eſſe in ſuo robore dictum privilegium extendique ad totum officium privatim recitandum (licet ſolum pro his quæ in choro & Miſſa ſecreto iubentur dicere ſit primo conceſſum) probabilius judicamus. Primo, quia licet illud ſit vivæ vocis

oraculum, tamen confirmatum eſt à Pio V. per Bullam ab ipſo conceſſam, ſicut cætera omnia vivæ vocis oracula ante ipſum expedita quam bullam adducit Peyr. *tom.5. privileg. cap.12. ad conſtitutionem Pii V. in ordine* 7. Et ſic tranſit in privilegium Bullatum, proindeque revocatum non fuit in generali revocatione vivæ vocis oraculorum: Hæc enim revocatio ſolum tenet reſpectu illorum, quæ poſt Pium V. fuere conceſſa, quia antecedentia tranſierunt per ipſum in privilegia bullata, quæ proinde revocata non ſunt, ut docet Pellizz. *tom.2. tract.10. cap.10. num.76.* cum Peyrin. *tom.3. privileg. cap.12. ad conſtitutionem* 18. *Vrbani VIII. num.1.* & *tom.2. conſtitut.1. Gregorii XIII.* ubi referunt aliam bullam Gregorii XIII. qua omnia vivæ vocis oracula ante ipſum conceſſa confirmavit. ¶ Secundo, quia ut concedit Lezana *t.1. cap.3. n.21.* hujuſmodi vivæ vocis oraculum fuit declaratio juris communis, *cap. dolentes de celebrat. Miſſarum*: ſed vivæ vocis oracula quæ ſunt declarationes juris communis, aut alicujus bullæ non fuerunt revocata, ut omnes ferè concedunt: ergo, &c.

Dictum privilegium ad totum officium extenditur.

54. Tertiò probatur hoc privilegium ad totum officium extendi, ex illis ultimis verbis extenditur ad privatam recitationem. *Et quod eodem modo poſſit facere; qui ſolus dicit officium per ſe, cum prolatio verbalis ſit præcipuè ut ab aliis intelligatur*, ubi id quod conceſſum fuerat pro recitatione publica, & miſſa in his quæ ſecreto dicenda erant, extenditur quoad totum ad privatam recitationem ob rationem illam, *quia prolatio verbalis*, &c. Nam cum nil in privata recitatione dicatur, ut ab aliis intelligi poſſit, fit inde quod totum poſſit dici mentaliter ex vi hujus Indulti, ſicut ex vi illius dici poſſunt eodem modo in publica recitatione, quæ ab aliis intelligi non eſt neceſſarium: per quæ manent duo contraria argumenta ſoluta. ¶ Tertium autem contrarium argumentum tantum probat ut nihil probet. Probat enim hoc indultum non potuiſſe concedi à Pontifice manente obligatione recitationis, quod eſt falſum, cum de facto conceſſum fuerit à Leone X. & vim habuiſſe, & habere ante revocationem nullus ambigit. Dicimus ergo quod licet Eccleſia non poſſit ſolum internum actum præcipere, poteſt tamen committere arbitrio recitantis optionem, ut vel externè recitet, & ſi hoc noluerit, commutet in internam recitationem, & quod ſi hanc ſubroget loco illius authoritate à Pontifice conceſſa, ſub eadem obligatione eam adimplere teneatur. Quare poſſe modo regulares uti dicto privilegio mentaliter recitandi totum officium divinum, tenent Henriquez *de Miſſa, lib.9. cap.51.* Martinus à ſancto Ioſeph *de orat. lib.2. tract.4. n.16.* Sorbo Capucin. *in compendio verbo officium divinum, num.1. §. 8.* Navarr. *de orat. cap.19. n.88.* Sanctorus *in Comment. conſtitut. Minorum ſtatuto 2. dub.3.* Ioannes à Cruce *lib.2. de ſtatu religioſo, cap.8. numero 1.* Villalob. *tom.1. tract.24. diff.10. num.11.* Thomas Hurtado *tom.1. tr.5. capite 1. reſolut. 9.* Thomas Tambur. *de ſacrificio Miſſæ, lib.2. cap. 9. §. 3.* Leander à ſanctiſſimo Sacramento *tract.6. diſput.13. q.19.* Rodriguez *quæſt. regul. t.1. q.42. art.4.*

Contraria fundamenta ſolvuntur.

Privilegium Clem. VII. ut Prælati poſſint diſpenſare.

55. Secundum privilegium eſt Clem. VII. quod extat in Bullar. *tom.1. conſtitut. Clem. VII. in ordine* 8. conceſſum Clericis S. Sylveſtri, quos Theatinus vocant, ut nimirum fratres prædicationi verbi Dei, audientiæ confeſſionum, lectioni ſacræ Theologiæ, vel ſacrorum Canonum, aut ſtudio, inſiſtentes, vel ſaluti animarum, aut infirmorum ſervitio occupati, diſpenſari poſſint à ſuis ſuperioribus ſuper recitatione divinorum officiorum, *ad hoc ut ipſi occupati, vel impediti certum pſalmorum per ipſos ſuperiores eis aſſignandum numerum non minus ſeptem, aut ſex cum diviſione, ac orationem dominicam ſepties, ſymbolum Apoſtolorum bis: graviter autem ægrotantes orationem dominicam ſemel, & ſalutationem Angelicam ſepties in die recitando ſeptem horis canonicis, & toti divino officio ſatisfeciſſe cenſentur.* Hoc privilegium referunt & approbant, poſſeque eo tuta conſcientia uti ſuperiores, docent Manuel Rodriguez *quæſt. regul. t.1. q.42. artic.5.* Hieronymus Rodriguez *in compendio quæſt. regul. reſol.24. numero 6.* Tambur. *de jure Abbat. tom.1. diſput.10. quæſt.1. num.8.* Lezana *tom.1. cap.12. numero 31.* Thom. Hurt. *tom.1. tract.3. cap.1. reſol* 8. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.2. de orat. tract.4. numero 6.* Pellizz. *tract.5. cap. 8. num.115.* Paſqualigus *tom.2. quæſt.196. numero 4.* Corduba *hora canon. in annotationibus.* Bruno Caſayg. *in privileg. regul. 2. p. tract.8. cap.3. propoſ. verſu 2. Leo X.*

Dictum privilegiū currit etiam ſi occupationes non ſint nimis urgentes.

56. Sed notandum eſt, hoc privilegium (idemque proportione ſervata tenendum eſt pro aliis referendis) quod ad occupatos in ſtudiis & piis operibus, non eſſe reſtringendum ad caſum illum particularem, de quo diximus *numero* 57. & ſic intelligendum eſſe quando occupationes dictæ non ſunt nimis urgentes, & ex ſe ſufficientes ad excuſandum à recitatione: quia tunc licita eſt omiſſio officii etiam ſecluſo quocumque privilegio, aut diſpenſatione. Quare cum occupatio ſerviendi infirmis, concionandi, audiendi confeſſiones, & ſtudendi ſacris litteris poſſit eſſe talis, ut de ſe excuſet à recitatione horarum, præfatum Clementis VII. indultum operatur, licitum eſſe diſpenſare in ea, quando dictæ occupationes de ſe ad excuſandum non ſufficerent. Tum quia privilegium ut non ſit inutile, debet aliquid operari, ultra id, quod conceditur jure communi. Tum etiam quia diſpenſatio non habet locum, ubi in caſu particulari lex deſinit obligare. Pellizz. *n.126.* Paſqual. *num.4.* Anton. à Spiritu ſancto *tract.2. diſp.2. n.156. fine.*

Quid ex dicta doctrina inferatur.

57. Ex quo infert Paſqualigus quod ut poſſit in recitatione horarum diſpenſari ex vi hujus privilegii cum occupato in cura infirmorum, ſtudiorum, &c. non requiritur quod non ſuperſit tempus congruum ad recitandum: quia hoc ipſo ex jure communi excuſatur à recitatione, ſed ſufficit ſi cura vel occupatio petat continuam aſſiduitatem, & ſi aliàs compatiatur cum recitatione. Infert etiam, Confeſſarios poſſe diſpenſari illis diebus quibus aſſiduè vacant confeſſionibus, ut in diebus proximis ante Paſcha, aut aliam feſtivitatem antecedentibus, quibus adeſt magnus concurſus pœnitentium, tempore Iubilæi, aut quavis alia occaſione. Infert etiã, quod Concionatores quotidie in Quadragesima concionantes, poſſunt in hoc diſpenſari, modo conciones non ita memoriæ retineant ut ſine ullo fere ſtudio concionari poſſint. Infert denique lectores ſacræ Theologiæ, Scripturæ, ſacrorum Canonum, caſuum conſcientiæ poſſe diſpenſari tempore lectionum pro illis diebus quibus in ſtudio pro lectionibus adeò

ſunt occupati, ut eis per totum diem, aut ſaltem pro majori parte vacent, quod procedit proportionabiliter de Scholaſticis, qui talibus ſtudent facultatibus, & idem eſt dicendum de illis qui ſcribunt libros edendos, modo ſint de rebus ſacris, & toto fere die vel majori parte in hoc ſtudio occupentur.

Privilegio Eugenii IV. & Martini V.

58. Tertium privilegium eſt quod conceſſit Eugenius IV. Monachis S. Benedicti Congregat. Hiſpaniæ, & refertur in compendio privilegiorum hujus ordinis: illudque referunt Lezana *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 28. Tambur. *tom.* 2. *lib.* 10. *quæſt.* 12. *num.* 5. Miranda *in manuali tom.* 1. *q.* 37. *art.* 16. & alii, concedens ut quilibet Abbas, Prior, ſive Prælatus quorumlibet Monaſteriorum, libere poſſint diſpenſare cum omnibus monachis præſentibus & futuris, *qui ſine tadio non poſſunt dicere horas canonicas, & quod tempore infirmitatis & poſtquam convaluerint loco horarum aut officiorum ad quæ aliàs tenebantur, dicant aliquod certum ad arbitrium ipſorum miniſtrorum, & non teneantur ad illud officium canonicum: & quod cum ipſis prælatis quilibet presbyter Monachus per quemvis eorum eligendus diſpenſare poſſit.* Quod privilegium extendit poſtea Martinus V. per aliud ab ipſo conceſſum fratribus D. Hyeronimi, ut refertur *in compendio privilegiorum mendicantium verbo infirmi fratres, num.* 11. & 12. Vbi dicitur, *Dum fuerint infirmi & etiam ſenes & valetudinarii, qui tenentur ad horas canonicas ſatisfaciunt recitando aliquas, vel id quod ſuis confeſſoribus viſum fuerit.* Quæ privilegia tametſi fuerint vivæ vocis oracula revocata non ſunt. Tum, propter dicta *num.* 53. Tum etiam, quia, ut inquit Bordonus, *reſol.* 30. *num.* 33. & 31. *num.* 2. Quem refert, & ſequi videtur Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 127. per generalem revocationem vivæ vocis oraculorum, ſolum extincta ſunt vivæ vocis oracula, quæ alteri erant præjudicabilia, quod non habent iſta de quibus loquimur, & ideò illa vim habere, ſupponunt, Tambur. *loco citato* Miranda ab ipſo adducto, & Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 4. *n.* 5. Manuel Rodrig. *tom.* 1. *quæſt.* 42. *art.* 7.

Aliud Leonis X de officio anteponendo, vel poſtponendo.

59. Quartum privilegium conceſſit Leo X. fratribus Minoribus ut refert Rodriguez *artic.* 5. *Vt poſſint officia feriarum quæ ſunt prolixiora anticipare diebus quibus ſunt otioſi, & officia feſtiva quæ ſunt breviora reſervare in illos dies quibus credunt ſe eſſe occupatos concionibus, & confeſſionibus audiendis.* Et ad uſum hujus privilegii, ut diximus, non requiritur tanta neceſſitas, ut ſufficiat ad omittendas horas ratione occupationis ſupervenientis; ſed ſufficit ſola major commoditas, facilitas, & utilitas ſtudii, prædicationis, & cujuſvis miniſterii. Id autem quod dicit Lezana *tomo* 1. *capite* 12. *numero* 30. Id privilegium nihil in præſentiarum valere, eo quod non conſtet, an ſit vivæ vocis oraculo conceſſum, admittendum non eſt. Tum propter ea quæ diximus *numero præced.* Tum etiam, quia Doctores tradunt communiter in dubio an privilegium fuerit, vel non revocatum, præſumendum eſſe, non eſſe revocatum, & in ſuo robore perſiſtere: quia poſſeſſio ſtat pro privilegio, & ſic ſemper eſt melior illius conditio. Quare de illo ut modo perſiſtenti loquuntur Rodriguez *loco citato*, Pellizzarius *numero* 121. Tamburinus *tomo* 2. *diſputatione* 10. *quæſtione* 8. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 2. *diſputatione* 8. *numero* 153.

60. Quintum conceſſit Leo X. etiam vivæ vocis oraculo Minoribus ut refertur, *in compendio ſorbi verbo officium divinum* 1. §. 8. Quod recitantes cum male pronunciantibus, aut ſenibus qui ita pronuntiant, ut plura non intelligantur, vel non audiunt recte quæ ab alio dicuntur, vel ob diſtantiam loci, vel ob ſtrepitum, vel ob quamcumque aliam cauſam, ut non teneantur repetere quæ non intellexerint, ſed quod quomodolibet audiant ſuæ obligationi ſatisfaciant, & hoc maximè in choro. Ioannes à Cruce *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 2. *concluſ.* 2. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 159. Martinus à ſancto Ioſeph *tractat.* 8. *numero* 4. Et Innocentius VIII. conceſſit Minoribus, ut non valentes bene recitare in choro ob defectum viſus, vel auditus, ſiquid horarum ſic omittant ſatisfaciant dicendo in fine horarum aliquem Pſalmum, vel *Pater noſter*, & *Ave Maria*, ut teſtatur Ioannes à Cruce *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 2. *concluſ.* 2. Ac denique Leo X. conceſſit eiſdem Minoribus, ut habetur *in compendio eorum conceſſione* 16. & 17. Vt ſatisfaciant divino officio etiam ſi recitent ſedendo, ambulando, vel non integrè verba proferendo, vel ob negligentiam, imperitiam, aut defectum linguæ, vel alio modo, ita ut quomodolibet recitent, etiam male pronuntiando, vel cum animi diſtractione, dummodo id non fiat ex malitia, id eſt, cum plena advertentia, non teneantur quidquam repetere. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de oratione tract.* 8. *numero* 4.

Alia privilegia Leonis X & Innocentii VIII.

Aliud privilegium Clementis VIII. pro monialibus.

61. Sextum eſt, quod conceſſit Clemens VIII. teſte Caſarub. *in compendio verbo Moniales n.* 30. & *in compendio privilegiorum minorum eodem verbo* §. 3. vivæ vocis oraculo, nimirum, ut moniales ad chorum deputatæ, ſi ob eorum imperitiam neſciant perfecte recitare, judicio Prælati, confeſſarii, aut Abbatiſſæ, poſſint ſatisfacere dicendo *Pater noſter*, & *Ave Maria*, quas ſorores Laïcæ ex vi regulæ, aut conſtitutionis tenentur dicere. Vbi notat Pellizzarius *tomo* 2. *tract.* 10. *capite* 6. *numero* 16. Quod ſi monialis admiſſa ad uſum talis indulti, poſtea omitteret recitare præfatas orationes Laïcarum non peccaret mortaliter, quia illa perinde ſe habet, ac monialis Laïca, quæ ſub mortali ad talem recitationem non tenetur: illa namque regula, ſubrogatum naturam illius ſapit in cujus locum ſubrogatur, multas patitur exceptiones, & una eſt, quod non procedat, quando ſubrogatum, & id in cujus locum ſubrogatur, ſunt diverſæ qualitatis, quod in dicto caſu contingit. ¶ Prodeſſe autem poterit hoc privilegium, ut Monialis novitia, quæ ſub finem novitiatus reperitur minus ſufficienter inſtructa circa recitationem, poſſit modo dicto ad tempus diſpenſari, ut recitet officium Laïcarum, uſque dum ſciat bene recitare horas canonicas, ne ulterius hac de cauſa differatur ei profeſſio religioſa.

Privilegium bullatum Innocentii IV. pro monialibus quod extenditur ad religioſos.

62. Septimum privilegium magis amplum, quod eſt bullatum, eſt pro monialibus ſanctæ Claræ conceſſum, aliis per communicationem competens, eſt quod conceſſit Innocentius IV. per bullam X. Vt caſu quo ob rationabilem occaſionem non poſſint dicere horas canonicas, ſatisfaciant officium Laïcarum recitando: Verba Bullæ ſont iſta: *Et quæ occaſione rationabili, non poſſunt aliquando, legendo, dicere horas ſuas, liceat eis ſicut aliæ ſorores, dicere Pater noſter.* Vbi tria notanda ſont cum Pellizzario *tomo* 1. *tract.* 5. *capite* 8. *n.* 129. & *tomo* 2. *tract.* 10. *cap.* 6. *numero* 16. Primum eſt, quod cum in dicta Bulla dicatur: *liceat eis ſicut aliæ ſorores dicere &c.*

nulla

nulla mentione facta conſilii, licentiæ, aut judicii Abbatiſſæ, ſuperioris, vel confeſſarii, quod poſſunt tali uti privilegio propria authoritate, non petita licentia ſuperioris, aut conſilio confeſſarii, quamvis melius erit, id facere. ¶ Secundum, quando in dicta Bulla dicitur, *occaſione rationabili* poſſunt uti hoc privilegio etiam in caſu quo horarum canonicarum recitatio, ab eis perſolvi poſſet, ſine gravi difficultate: ſi enim abſque gravi difficultate, vel ratione occupationis, indiſpoſitionis, aut alterius impedimenti illud non poſſent recitare, ex jure communi à tali obligatione manerent immunes: ſufficit ergo occaſio, vel cauſa rationabilis, qualis cenſetur adeſſe, ſi monialis ſit ſcrupuloſa circa recitationem officii divini, ſi minus expeditè ſciat legere ex breviario, ſi ſit fatigata ex aliquo extraordinario labore, ſi præ manibus habeat aliquam extraordinariam occupationem quæ illam defatiget, vel angat, & ſimiles. ¶ Tertium, quod dictum privilegium per viam communicationis ſuffragatur religioſis, quorumcumque ordinum habentium communicationem privilegiorum. Nam ſecundum communem ſententiam & moniales fruuntur privilegiis fratribus conceſſis, & fratres conceſſis in ſpecie monialibus. Quare etiam religioſi poterunt modo dicto, rationabili cauſa interveniente officium canonicum in *Pater noſter* laicorum commutare: & rationabilis cauſa in eis judicatur vel aliqua ex dictis, vel ſi actum extraordinarium litterarum habituri ſunt, ſi concionentur in Quadrageſima, vel alio tempore (etſi non quotidie) cum labore non ordinario: ſi confluat magna frequentia pœnitentium ad confitendum, ſi ſint ex itinere laxati, aut concione, aut alia ſimili de cauſa, vel ſi ſint convaleſcentes, ita ut ſine gravi incommodo poſſint recitare horas canonicas. Et ſimilibus cauſis.

Privilegium Leonis X ad ſupplendos defectus commiſſos.

63. Denique Leo X. conceſſit omnibus tam clericis quam regularibus, ex obligatione recitantibus officium canonicum, remiſſionem omnium defectuum & culparum, quæ ex humana fragilitate contraxerunt in recitatione officii canonici, ſi devote dicant illam orationem, *Sacroſanctæ & individuæ Trinitati*, &c. cum ℣. *Beata viſcera*, &c. & ℟. *Et beata ubera*, &c. quæ habentur initio breviarii noviſſimi: ſed debet hæc oratio moraliter conjungi cum recitatione officii divini, ſeu antequam recitans ſe divertat ad actiones extraneas, quod non requiritur caſu quo quis uti vellet alio privilegio conſimili conceſſo à Greg. XV. indulgentiis quinque Sanctorum recitando Pſalmum, *Laudate Dominum omnes gentes*. Quia in eo privilegio habetur recitantes prædictum Pſalmum ſupplere omnes defectus inadvertenter commiſſos in recitando officio, celebranda Miſſa, aut aliis operibus ſpiritualibus eo die peractis, & ſic ſufficit quod in fine dici recitetur prædictus Pſalmus ad fructum hujus indulti conſequendum.

Tria requiſita ad fructum dicti privilegio.

64. Sed monet rectè Bordon. *tom. 1. reſol. 27. num. 27.* ad obtinendam prædictam remiſſionem tria requiri. Primum, ut tales defectus ſint ſolum veniales, nam illa oratio, vel Pſalmus non poteſt, etiam ex conceſſione Papæ remittere culpam mortalem. Secundum, ut qui talem vult obtinere remiſſionem non ſit in culpa mortali, ſed curet per contritionem, vel confeſſionem ſe in gratia conſtitui: quia venialia non remittuntur manentibus mortalibus. Tertium, quod etiamſi ſit abſque conſcientia peccati mortalis ſe diſponat ad obtinendam talem remiſſionem per actum amoris Dei, contritionis, vel ſaltem attritionis ſufficientem ad deſtruendum peccatum veniale: ſiquidem prædicta oratio remittit defectus veniales commiſſos in recitatione per modum cujuſdam Sacramentalis, non per modum indulgentiæ, quæ numquam remittit culpam commiſſam, ſed pœnam, ob illam iam remiſſam, contractam. Sacramentalia autem non delent venialia ex opere operato, ſed ex opere operantis, idque mediante actu ſaltem attritionis excitato per Sacramentalia, ut tenet communior Doctorum ſententia.

CAPUT IV.

De diſtributionibus quotidianis, à quibus lucrari poſſunt.

POSTQUAM egimus de obligatione recitandi Officium canonicum, quam habent tam Clerici in ſacris conſtituti, quam Religioſi profeſſi, & Beneficiarii; veniamus ad aliud genus perſonarum, quæ ad recitandum illud in Choro, vel ſaltem intereſſendum dum recitatur, vel canitur ſunt adſtrictæ, ut ſunt præbendati Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, & quia pro aſſiſtentia illorum certæ diſtributiones aſſignatæ ſunt ab Eccleſiis, videamus quando eas lucrentur, vel amittant, vel indebitè acceptas reſtituere teneantur, quæ materia eſt graviſſima ſcituque digniſſima à Viris doctis, præcipue confeſſariis, cum ſit res multoties occurrens, de qua hoc Capite agemus quod continet ſex puncta.

PUNCT. I. *De obligatione Canonicorum choro intereſſendi, & de modo quo in eo debent eſſe ut diſtributiones lucrentur*, n. 1.

PUNCT. II. *Quibus accreſcant diſtributiones quas amittunt qui choro non interſunt*, n. 10.

PUNCT. III. *Quæ cauſa excuſent Præbendatum à choro, ut non obſtante abſentia lucrari poſſit diſtributiones?* n. 14.

§. I. *De infirmitate excuſante à chori intereſſentia*, n. 15.

§. II. *Quæ corporalis neceſſitas excuſet à præſentia in choro?* n. 19.

§. III. *Quæ utilitas evidens Eccleſiæ excuſet à chori intereſſentia?* n. 23.

PUNCT. IV. *De aliis qui ratione utilitatis Eccleſiæ abeſſe poſſunt à choro, & lucrari diſtributiones*, n. 29.

PUNCT. V. *De privilegio, aut diſpenſatione*

ſatione non intereſſendi, & quomodo debeat interpretari. n.41.

Punct. VI. *An ex ſtatuto, vel conſuetudine Eccleſiæ excuſari poſſint, qui amplius quam per tres menſes non aſſiſtunt horis canonicis, & fructus ac diſtributiones debitas præſentibus poſſint lucrari?* num.48.

PUNCTUM I.

De obligatione Canonicorum choro intereſſendi, & de modo quo in eo debent eſſe, ut diſtributiones lucrentur.

Quibus caſibus ſit certum peccare mortaliter vel non præbendatum choro non aſſiſtentem.

1. Circa quæſitum hujus puncti prima occurrit difficultas, an peccet mortaliter præbendatus Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ pluribus diebus à choro abſens ſine legitima cauſa? Diverſæ circa hoc ſunt in his Eccleſiis conſuetudines, juxta quas unuſquiſque poteſt agere. In aliquibus enim quales regulariter ſunt Cathedrales omnes, & aliquæ Collegiatæ pinguiores ſingulis diebus totum officium publicæ canitur: in aliis totum, ſed ſine cantu dicitur: in aliis nec totum, nec omnibus diebus, ſed Dominicis, & feſtivis. Quæſtio ergo eſt an peccet mortaliter præbendatus non aſſiſtens, illis diebus quibus in ſua Eccleſia officium recitatur vel canitur? Et non loquimur de illis tribus menſibus in anno ipſis à jure conceſſis ut abeſſe poſſint, de quo *num.*46. ſermo erit. Nec ſimiliter de his, qui ex legitima cauſa excuſantur, hos enim non peccare omnibus eſt notum. Nec denique loquimur de illis qui per tres, aut quatuor dies in anno à choro abſunt abſque legitima cauſa. Hos enim non peccare graviter omnes dicunt: quia ſic eſt uſu receptum apud timoratos. Et ſupponimus hus abſentes ſine legitima cauſa cedere diſtributionibus, ſi enim eas uſurpent, quæ aliis aſſiſtentibus competunt, etiam pro uno die, ſi id materiæ gravitas admittat & mortaliter peccant, & ad reſtitutionem tenentur, quia uſurpant, id, quod ſuum non eſt. *Cap. unic. de clericis non reſid. in* 6. *Trident. ſeſſ.*14. *cap.*12. *de reformat.* Aut ſi ob ejus abſentiam in choro officium divinum omitteretur, aut non celebraretur cum debita ſolemnitate, & hoc prævideret, etiam mortaliter non aſſiſtendo delinqueret: quia quilibet ex communitate ejus onera ſubire, & ſuſtentare tenetur. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.*4. *de hor. canon. c.*13. *num.*9. Palaus *tom.* 2. *tract.*7. *diſput.*3. *part.*2. *num.*1. Pelliz. *tom.*1. *c.*5 *tract.*8. *num.*130.

Aliqui dicunt non peccare mortaliter præbendatum ex cõſuetudine choro non aſſiſtentem.

2. His ergo præviſis, negat prima ſententia peccare mortaliter præbendatum choro non aſſiſtentem, tametſi hoc in conſuetudinem ducat. Primò, quia non datur jus expreſſum hanc obligationem præbendatis imponens, ſi quæ enim ſunt quæ in oppoſitum adducantur, loquuntur poſt correctionem, mandatum & præceptum Epiſcopi. Secundò, quia ſi ad huc eſſent graviter adſtricti, etiamſi unu dumtaxat die non aſſiſterent, mortaliter peccarent, quod omnes negant, ſicut quia privatim recitare tenentur, vel unius diei omiſſio eſt peccatum mortale. Tertiò, quia obligatio aſſiſtendi in choro naſcitur ex diſtributionibus acceptis: ſiquidem in hunc finem conceduntur: ergo qui diſtributionibus cedit, totam à ſe obligationem excludit. Sic Navar. *de oration. cap.*5. *num.*14. Pelliz. *tractatu* 5. *capite* 8. *numero* 130. & 131. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſolutione* 217. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, tertia parte, allegat.* 53. *num.*181. *fine.* Reginald. *praxi, lib.*18. *num.* 176. Valentia 2. 2. *diſputatione* 6. *quæſtione ſecunda, punct.*10. §.2. Sylveſt. *verbo hora, quæſtione ſecunda.* Cajetanus *eodem verbo*, §.5. Angelus *n.*21.

Peccat mortaliter præbendatus ſine legitima cauſa choro non aſſiſtẽs.

3. Sed verius eſt peccare mortaliter. Primò, quia in *cap. relatus* 91. *diſtinct. cap. ſi quis preſbyter* 92. *diſtinct. cap. dolentes de celebratione Miſſarum Clement.* 1. *eodem titulo*, mandatur excommunicari, & ſuſpendi clericus publicè non recitans, & pœna depoſitionis dicitur afficiendus clericus abſens ab officiis celebratis ab Eccleſia in qua reſidet, & ſub eadem pœna ne tranſcurrendo, mutilando, aut ſyncopando horas in choro recitet præcipitur: graviterque reprehenduntur tarde ad chorum accedentes, vel ante officium expletum exeuntes, vel ibi confabulantes, quæ omnia gravem ſupponunt obligationem, ut ex ſe conſtat. Secundò, quia non ſolum choro aſſiſtere tenetur præbendatus ob diſtributiones acceptas (illis enim dumtaxat acuitur ad aſſiſtendum,) ſed magis ex inſtitutione primaria ipſius beneficii: hoc enim præbendatis confertur, ut officia divina publicè in utilitatem populi, & devotionem fidelium celebrentur: ea autem prætermittere, ad quæ ratione proprii muneris, quis tenetur, mortale eſt. Cæterum conſuetudine ſic benigne interpretante, & introducente, excuſatur à peccato gravi, qui per tres aut quatuor dies choro non aſſiſteret: quia cum hæc obligatio per tres menſes a jure ſuſpendatur, non ita ſtricta eſt, ſicut obligatio privatim recitandi, cui nec unus dies indulgentiæ conceditur, & ſic potuit ex conſuetudine illud legitimè introduci: quare peccare mortaliter, qui ultra dictos dies, & ſine legitima cauſa choro abeſſet, etiamſi cederet diſtributionibus, tenent Vaſquez *opuſc. de beneficiis cap.*4. *art.*2. *dub.*1. *num.*182. Palaus *diſputatione* 3. *punct.*2. *num.*3. Suarez *libro quarto, cap.*10. *num.*17. & *cap.*13. *à num.*5. Garcia *de benefic. tertia parte, cap.*2. *num.*321. Bonacin. *diſput.*1. *de horis q.*1. *p.*2. *num.*1.

Ex rigore juris canonici non ſolum aſſiſtere in choro tenentur, ſed in eo canere.

4. Secunda difficultas eſt, an præbendati choro intereſſentes teneantur cum aliis canere, vel recitare, ut vel non peccent, vel diſtributiones lucrentur, an vero ſola aſſiſtentia & præſentia utrique obligationi ſatisfaciant? Et non loquimur ſi officium minuendum eſſet & abſque debita ſolemnitate celebrandum, ſi non canerent: quia tunc planum eſt non ſatisfacere ſuæ obligationi ibi aſſiſtendo dumtaxat: cum ipſis ex officio competat ſuſtentare officia divina ibi celebrari ſolita; nec etiam loquimur quando cantu, qui figuratus dicitur, officia celebrantur: quia tunc certum eſt non teneri ſuam miſceri vocem, ſed ſufficere ſi ibi aſſiſtant, ut ex praxi conſtat, & quia hic cantus, tametſi honeſtus, non tamen eſt neceſſarius. ¶ Ad quæſitum ergo reſpondendo dicimus, quod ſi juris rigorem inſpiciamus, non ſolum tenentur præbendati choro aſſiſtere, ut non peccent, &

& diſtributiones lucrari poſſint; ſed etiam in eo canere, vel recitare juxta ſuarum Eccleſiarum uſum. Tum, quia in cap. fin. 92. diſt. Clericus Eccleſiæ deputatus obligatus eſt ad Eccleſiam accedere ad recitandum divinum officium. Tum etiam, quia officium proprium Canonici eſt, choro inſervire, & divinas Laudes decantare. Tum denique, quia Concil. Trident. ſeſſione 24. capite duodecimo, de reformat. ſtatuit, omnes canonicos compellendos eſſe, officia divina per ſe, non per ſubſtitutos celebrare. Atque ita, docent Moneta de diſtribut. parte ſecunda, quæſtione ſecunda, num. 31. Navar. de orat. cap. 23. numero decimo tertio. Sotus de juſtitia, libro decimo, quæſtione quinta, articulo quarto. Rodriguez tomo primo, cap. 43. numero quinto. Fuſius tomo ſecundo, concluſione 514. numero ſexto. Graſſis prima parte, libro ſecundo, cap. 51. num. 12. Garcia de beneficiis tertia parte, cap. 2. num. 213.

Ex conſuetudine præbendati non tenentur aſſi choro aſſiſtere.

5. Cæterum attenta conſuetudine, quæ in omnibus ferè Eccleſiis Cathedralibus, maximè in Hiſpania eſt legitimè introducta (per quam explicari dicta jura potuerunt vel certè abrogari) dicendum eſt non teneri per ſe in choro canere, ſed ſatisfacere ſuæ obligationi, poſſeque diſtributiones lucrari aſſiſtendo, & ſua officia præſtando, miniſtris & Capellanis pſallentibus: & certè talis conſuetudo ſecum non præfert indecentiam, ſed magis decorem, & ſplendorem ſpecialem in Eccleſiæ miniſtris: illiuſque extollit authoritatem, quæ habet varios miniſtros, alios ad cantum divinorum officiorum, alioſque deputatos ad aſſiſtendum ſuaque præſentia decorandum. Sic Reginald. tom. 2. lib. 18. num. 175. Pelliz. tract. 5. capite octavo, num. 135. Aragon. 2. 2. quæſt. 83. articulo decimo tertio, dub. ultim. Sanchez conſil. tomo primo, libro ſecundo, c. 2. dub. 99. numero ſecundo, Martinus à ſancto Ioſeph de orat. libro ſecundo, tractatu 15. numero duodecimo, Ledeſma tom. 2. tract. 9. capite tertio, concluſ. 31. Palaus diſput. 7. tract. 3. punct. 3. numero quinto. Suarez tom. 2. libro quarto, cap. 12. à numero undecimo. Leſſius libro ſecundo, cap. 34. dub. 33. num. 184. Petrus Navar. libro ſecundo, cap. 2. à num. 114. Bonacin. diſputatione prima, quæſtione tertia, punct. 2. §. 1. num. 18. Diana ſecunda parte, tractatu 14. reſolutione 6. & quarta parte, tract. 1. reſolut. 6. & tract. 4. reſol. 149.

Sententia aſſerens præbendatis etiam exterius diſtractum in choro lucrari diſtributiones.

6. Tertia difficultas eſt, quomodo aſſiſtere aut recitare tenentur in choro Canonici ut ſuo muneri ſatisfaciant, & diſtributiones lucrari queant? Reſpondent aliqui quod ſuppoſita conſuetudine num. præcedenti approbata ſatisfacerent etiamſi ibi non canant, vel recitent, & lucrantur diſtributiones corporaliter dumtaxat aſſiſtendo, etiamſi officiis divinis non attendant, ſed voluntariè ſint diſtracti interius, vel etiam exterius confabulando, legendo, dormiendo (quamvis aliàs peccent mortaliter, ſic indebitè aſſiſtendo, ſaltem ſi poſtmodum non recitent privatim.) Tum, quia verè aſſiſtunt, licet indebitè: ergo diſtributiones debitas aſſiſtentibus lucrantur. Tum etiam, quia ipſi abſentes à choro dici nequeunt: ergo neque ut abſentes diſtributionibus privari. Corduba in quæſt. lib. 4. c. 13. quæſt. ult. Garcia 3. p. c. 2. n. 514. Suar. lib. 4. c. 14. à n. 12. Medina in ſumm. lib. 1. c. 14. §. 11. Sanch. conſil. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 100. Martinus à ſancto Ioſeph lib. 2. tract. 15. n. 13. Pelliz. tr. 5. c. 8. n. 138. ¶ Imò aliqui etiam dicunt, quod licet privatim poſtea non recitent quæ in choro non recitaverunt, licet peccent mortaliter, & fructus beneficii tali recitationi correſpondentes teneantur reſtituere, non vero diſtributiones quotidianas, quæ ratione aſſiſtentiæ conferuntur juxta dicta, cap. 2. num. 59. Ita Pelliz. num. 138. Sanchez dub. 99. Martinus à ſancto Ioſeph n. 13. & pluribus relatis, Diana 4. part. tract. 4. reſol. 149.

Qui dormiendo, legendo, confabulando aſſiſtit non lucratur diſtributiones.

7. Sed quidquid ſit de his, qui poſtea non recitant, an poſſint, necne lucrari diſtributiones, de quo jam diximus loco citato, & quidquid ſit de his, qui interius diſtracti aſſiſtunt, ſed cum debita exteriori reverentia, de quo cap. 2. num. 57. & cap. 3. num. 27. egimus loquendo de his qui abſque debita exteriori reverentia adſunt, legendo, ridendo, confabulando, dormiendo, aſſerendum eſt ipſos non poſſe lucrari diſtributiones, quia iſtæ non niſi ob aſſiſtentiam humanam conferuntur cedentem in Dei cultum, & divinorum officiorum authoritatem, ſed qui abſque debita reverentia aſſiſtit confabulando, legendo, dormiendo (niſi fortè ſomno oppreſſus vim ſibi faciendo procuret ſe debitè in choro aſſiſtere, & poſtea omiſſa recitet, quia jam ex parte ſua humano modo, & cum reverentia aſſiſtit, ob illam vim, & violentiam quam ſibi facit) non dicitur moraliter & humano modo præſens, præſentia cedente in Dei cultum, & divinorum authoritatem: ergo ſuas non poteſt facere diſtributiones, ſed illas reſtituere tenetur. Petrus Navar. lib. 2. de reſtit. cap. 2. num. 201. Soto lib. 10. quæſt. 5. art. 4. Arragon. 2. 2. quæſt. 83. artic. 12. Petrus Ledeſma 2. part. tract. 9. cap. 4. ult. concluſ. diff. 1. & 2. Palaus tract. 7. diſput. 3. punct. 4. num. 2. Rodriguez in ſumm. tom. 1. cap. 145. n. 5. Bonacin. diſput. 1. quæſt. 3. punct. 2. §. 1. num. 19. & 21. & diſp. 2. quæſt. 4. punct. 1. num. 13. Barboſa 3. part. de poteſt. Epiſcop. alleg. 53. n. 132. Diana 2. part. tract. 12. reſol. 7.

Abſque judicis ſententia tenetur reſtituere diſtributiones qui choro non aſſiſtit.

8. Quarta difficultas eſt, ſub qua pœna teneantur præbendati choro aſſiſtere. Reſpondetur, duplicem pœnam in jure pro non intereſſentibus inveniri. Prima eſt, ut ipſo facto priventur diſtributionibus quotidianis. Sic Bonifacius VIII. cap. unico de clericis non reſidentibus in 6. & Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat. & his diſtributionibus privatus manet illegitimè abſens ante omnem judicis ſententiam, quia qui rei dominium acquirere nequit, nec eam ſuam facere, illam retinere non poteſt. Sed in cap. illo unico, ſic dicitur: Qualiter de diſtributionibus ipſis receperunt, quam intereſſendo divinis officiis in eiſdem Eccleſiis eorum, ſic receptarum dominium non acquirant, nec faciant eas ſuas; imo ad omnem reſtitutionem, quam contra hujuſmodi conſtitutionem receperunt, teneantur. Idem habet Trident. loco citato, quare in præſenti non privatur jure quæſito contra ſuam voluntatem, ſed ipſemet ſe inhabilem facit ad eas, non reſidendo, quas reſidendo poſſet lucrari: ſicuti ſi alicui relinqueretur legatum, ut tali loco reſideret, ſin minus illud non acquireret, ipſemet ſeipſum illo privaret, hoc ipſo quod in tali loco reſidere nollet, & ſic quamvis iſta ſit pœna, ante omnem judicis ſententiam incurritur, Palaus punct. 6. num. 3. Pelliz. tract. 5. c. 8. n. 132. & 181. Moneta de diſtribut. 3. part. q. 7. punct. 2. n. 2.

Quando privantur

9. Secundò, ex Trident. loco citato præter ſupradictam privationem diſtributionum, præbendati

fructibus beneficii choro non intereſſentes.

bendati qui ultra tempus ſibi à jure permiſſum non interſunt, pro primo anno & prima vice privandi ſunt dimidia parte fructuum beneficii, quod ſi iterum ea uſi fuerint negligentia, privandi ſunt omnibus fructibus beneficii, creſcente verò contumacia non ſolum fructibus, ſed beneficio ipſo ſunt ſpoliandi. Quæ privatio non eſt latæ, ſed ferendæ ſententiæ, & ſic requirere judicis ſententiam, omnes docent: niſi alicubi ſit conſuetudine introductum, ut non intereſſentes tali tempore fructibus ipſo facto, & ante ſententiam privati maneant. ¶ Nomine autem diſtributionum illi proventus intelliguntur quos acquirunt quotidie præbendati ob chori intereſſentiam, fructuum verò nomine annui redditus beneficiario ob beneficii titulum conceſſi, quamvis ad illorum acquiſitionem aliqua aſſiſtentia requiratur, & ſic diſtributiones quotidianas à fructibus beneficii diſtingui, conſtat ex Tridentino *loco citato*, & tenent Doctores communiter.

PUNCTUM II.

Quibus accreſcant diſtributiones, quas amittunt qui choro non interſunt.

Diſtributiones omiſſæ ab abſentibus accreſcantne præſentibus?

10. Niſi lex, ſtatutum, aut conſuetudo detur alicujus Eccleſiæ, ut dictæ diſtributiones applicentur vel fabricæ, aut alicui pio operi, cui ſtandum eſt, ſecundum omnes portiones abſentum, & fructus quacumque ratione, ob non aſſiſtentiam in choro amiſſi, accreſcunt aliis intereſſentibus inter quos ſunt dividendi. Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 3. & 24. *cap.* 12. *de reformat.* & meritò, quia æquum eſt, ut ſicut præbendati intereſſentes dum alii abſunt plus laborant, majorem etiam mercedem recipiant, quod præſtatur ſi illis abſentium diſtributiones accreſcant, & quia per hoc ad aſſiſtendum divinis officiis canonici excitantur, ob quam cauſam aſſignatæ fuerunt diſtributiones, unde eas reſtituens pauperibus abſens, non ſatisfacit ſuæ obligationi, nec poteſt ſe componere per Bullam Cruciatæ, cum jam ſit certum opus cui debeant reſtitui ſecundum dicta *cap.* 2. *num.* 68. ¶ Sed hoc limitandum eſt, primò ut non procedat in diſtributionibus extraordinariis, quæ de redditibus alicujus dignitatis conſtitutæ ſunt, ut lucrentur ab eo, cujus eſt dignitas, ut ſic ad aſſiſtentiam & intereſſentiam excitetur; iſtæ enim non aliis, ſed vel fabricæ, vel alteri pio loco arbitrio ordinarii ſunt applicandæ juxta Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. & varias Cardinalium declarationes quas adducit Garcia *de benefic. tertia parte, capite ſecundo, num.* 465. & tenet Barboſa *tertia parte, allegat.* 53. *num.* 154. Bonacin. *diſputatione ſecunda, quæſtione ſeptima, punct.* 1. *num.* 2. Palaus *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 182. ¶ Secundò, ut non procedat de diſtributionibus, aut fructibus amiſſis ob aliam cauſam præter abſentiam à choro, ut quæ ob ſententiam criminis condemnatoriam, aut in pœnam alterius delicti, vel ob excommunicationem, interdictum, vel aliud impedimentum perdiderit præbendatus, tales namque non intereſſentibus; ſed vel Eccleſiæ ſi indigeat, vel alteri pio loco ſunt applicandæ. Garcia *num.* 146. Barboſa *num.* 150. Sanchez *tomo primo, libro ſecundo, capite ſecundo, dub.* 58. *numero octavo*, Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de orat. tract.* 20. *num.* x. Sed in hoc etiam ſtandum eſt ſtatuto, vel conſuetudini Eccleſiæ legitimè introductæ.

Abſentes ex legitimâ cauſa quas diſtributiones lucrentur.

11. Sed inquires primò, an qui ex legitima cauſa ex enumerandis puncto ſequenti abeſt, lucretur diſtributiones, ac ſi eſſet perſonaliter præſens, id eſt non ſolum eas, quæ ſibi ob præſentiam obventuræ erant, de quibus non eſt dubium eas lucrari, ſed etiam eas quæ ob abſentiam aliorum accreſcunt intereſſentibus. Probabilis eſt pars affirmativa, quia fictione juris præſentes reputantur: ergo eodem modo ac alii præſentes lucrari debent diſtributiones, ſic Palaus, & Pelliz. citandi. Probabilior tamen eſt pars negativa: quia nullum privilegium cedens in diminutionem divini cultus, quale eſt hoc de quo loquimur, præſumendum eſt niſi expreſsè in jure inveniatur: ſed nullum jus datur ut impediti abſentium diſtributiones lucrentur: Nam, *cap. unic. de clericis non reſidentibus in* 6. & Trident. *ſeſſione* 21. *capite tertio*, & 24. *capite duodecimo*, ſolum dicunt, legitimè abſentes diſtributiones illis obventuras lucrari: ergo, &c. Sic Pelliz. *n.* 185. Palaus *tractatu* 7. *diſputatione tertia, punct.* 8. *numero octavo*. Bonacin. *diſputatione ſecunda, quæſtione ſeptima, punct.* 1. *fine*. Martinus à ſancto Ioſeph *libro ſecundo, tract.* 16. *num.* 15. Barthol. à ſancto Fauſto *de horis canonicis, libro tertio, quæſtione* 88. ¶ Niſi conſuetudine legitimè præſcripta oppoſitum habeatur, ut videtur habere uſus & praxis aliquarum Eccleſiarum Hiſpaniæ in quibus diſtributiones pro ſingulis horis aſſignatæ non accipiunt illas, qui ſingulis interſunt, ſed in fine anni inter eos qui præſentes & abſentes fuerunt legitimè, dividuntur. ¶ Si autem omnes præbendati culpabiliter abſint, vel ob negligentiam, vel ob interdictum latum contra ipſum Capitulum, aut aliam ſimilem cauſam, tales diſtributiones, Eccleſiæ ſunt applicandæ: iſtæ namque alicui debent applicari, non præbendatis, ne commodum ex delicto reportent: ergo Eccleſiæ, quæ debito cultu eſt fraudata. Si tamen omnes præbendati inculpabiliter abſint, vel quia infirmi, vel quia Eccleſia diruta eſt, vel injuſtè fuerunt interdicti, ipſis, qui abſque culpa abſunt, ſunt applicandæ. Bonacina & Palaus *locis citatis*.

Quid ſi omnes abſint præbendati?

Præbendati præſentes non poſſunt abſentibus remittere diſtributiones amiſſas.

12. Inquires ſecundò. An præſentes, quibus diſtributiones abſentium competunt, poſſint eas donare, remittere, vel ſuper eas tranſigere cum abſentibus? Concilium Tridentinum *ſeſſione* 24. *capite duodecimo, de reformat.* expreſsè prohibens præbendatos præſentes poſſe abſentibus remittere diſtributiones, quas ob non intereſſentiam perdiderunt, addit. *Diſtributiones vero qui ſtatis horis interfuerint percipiant, reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant*, &c. Sed ut termini ipſi intelligantur, nota, *tranſactionem*, eſſe compoſitionem ſuper debito dubio, & incerto, ut quando receditur ab actione exigendi debitum integrè, & pars aliqua ſolvitur, vel cum parte incerta aliqua ſumma componitur. *Colluſio* eſt mutua debitorum remiſſio, ſeu condonatio: *Donatio* eſt illorum quæ quis jam in ſua poteſtate & dominio habet. *Remiſſio* illorum quæ alicui debentur ad quæ habet jus. Igitur ſi præſentes remittant diſtributiones abſentibus, vel ſibi

mutuò invicem per colluſionem remittantur, talis remiſſio eſt illicita, ut conſtat ex Trident. An verò ſit invalida, ut teneantur reſtituere, qui acceperunt, aliqui non improbabiliter id negant, niſi remiſſio fiat in generali in fraudem & detrimentum cultus divini, quo modo dicunt, eſſe intelligendum Tridentinum: præterquam quod ejus decretum nullum verbum irritans habet. Sic Navar. *in manual. cap.25. num.153.* Honcala *opuſc.1. tract.4. de diſtribus. quotidianis.* Sylveſt. *verbo benef. 3. q.3.* Sandoval. *lib. de officio Eccleſ. 6. part. c.17.* Sed oppoſitum eſt probabilius: nam Trident. eas non poſſe retinere dicit, & ſacra Congreg. declaravit, prout refert Garcia *3. p. cap.2. num.431.* *Nec fas ſit cuipiam eas accipere, & ſi accipiat ſuas non faciat; ſed reſtituere cogatur, illicò reſtituendas fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut altero pio loco arbitrio Epiſcopi.* Sic P. Suarez *tr.7. diſput.3. punct.9. §. 13. num.4.* Sanchez *conſil. tom.1. lib.2. c.2. dub.* 108. Pelliz. *tract.5. cap.8. n.179.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib.2. tract.20. n.3.* Bonac. *diſp.2 q.5. punct.7. n.1.*

Dicta doctrina intelligenda eſt non ſolum de amittendis diſtributionibus; ſed de jam amiſſis.

13. Quod verum cenſemus non ſolum de diſtributionibus amittendis in poſterum ob non præſentiam; ſed etiam de jam amiſſis ob abſentiam factam: quia Concilium quamlibet remiſſionem, aut colluſionem excludit: ergo non ſolum remiſſionem diſtributionum amittendarum, ſed etiam amiſſarum. Palaus *num.6.* Bonacin. *§ 1. fine.* Pelliz. *num.179.* Garcia *3. part. cap.2 n.431.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. 3. part. alleg.53. num.140.* contra Vegam *1. part. c.33. caſu 41.* Sandoval *de offic. Eccleſ. 6. part. c.17.* Rodriguez *tom.1. cap.33.* (& probabile reputant Moneta *de diſcrim. 3. part. quæſt.5. num.9.* Bonacin. Pelliz. & Palaus *locis citatis*) aſſerentes talem prohibitionem Concilii ſolum de diſtributionibus amittendis eſſe intelligendam, non de illis quæ jam ſunt amiſſæ, hoc ducti fundamento: quia hoc præceptum eſt odioſum, utpote privans poteſtate cedendi, & actum aliàs validum annullans. Unde ſtrictè eſt interpretandum, & ſic ſufficiet explicare illud de remiſſione amittendarum diſtributionum: quia hæc ſola obſtat divino cultui, præbetque occaſionem remiſſius ſe habendi circa illum; non quæ fit de diſtributionibus jam amiſſis, quia hæc non incitat ad abſentiam quæ jam ſupponitur. ¶ Sed reſpondetur, quod hoc præceptum licet ſit odioſum reſpectu particularium, eſt tamen favorabile Eccleſiæ, fovens divinum cultum, auferens occaſionem remiſſius, circa illum ſe habendi, ſcientes omittendas eſſe diſtributiones abſque ulla ſpe remiſſionis.

At verò licitè & validè diſtributiones donati queunt (ſi omnino gratioſè & liberè fiat) ab iis, qui eas jam poſſident: quia Concilium non prohibuit propriam donationem, ſed vel remiſſionem, vel colluſionem, & meritò, cum quilibet ſit ſuorum bonorum moderator & arbiter. *l. in re mandata, C. mandati.* Diximus *ab his qui illas jam poſſident:* ante poſſeſſionem namque, quia non habent niſi jus ad illas, donatio illarum remiſſio eſt, quæ à Concilio prohibetur, Sanchez *dub.*109. Bonacin. *§.2.* Pelliz. *num.*179. Palaus *num.3.* Moneta *num.6.* Martinus à ſancto Ioſeph *num.3.* & tunc poſſideri cenſentur ſecundum hos Authores, cum ſunt à capitulo diſtributæ, & intereſſentibus aſſignatæ, licet maneant apud Theracirarium, quia tunc jam ſunt apud ipſum nomine ſingulorum canonicorum, non nomine Capituli. ¶ Quilibet etiam poteſt ſuper diſtributiones ſub dubio ſibi debitas tranſigere, nullibi enim talis tranſactio eſt prohibita, quin potiùs utilis ad vitandas lites, pacemque ſervandam, ſic omnes Authores. Et diximus, *ſub dubio ſibi debitas*, nam ſi certò ſibi debeantur, non habet locum tranſactio, ſed potius remiſſio, quæ ſi fiat à Capitulo, licita & valida erit; ſecus verò ſi fiat ab intereſſentibus præbendatis, ut dictum eſt.

PUNCTUM III.

Quæ cauſæ excuſent præbendatum à Choro, ut non obſtante abſentia lucrari poſſit diſtributiones.

14. BONIFACIUS VIII. in *Capitulo unico de cleric. non reſident. in 6.* aſſignat tres cauſas ob quas poſſunt Canonici choro non intereſſe, & nihilominus diſtributiones quotidianas lucrari. Prima eſt, *infirmitas.* Secunda, *juſta & rationabilis corporis neceſſitas.* Tertia, *evidens Eccleſiæ utilitas.* Reliquos vero, qui quacumque ratione choro non interſunt, etiamſi legitimè ſint impediti, ſi non ſit unum, ex tribus enumeratis impedimentis, omnino à conſecutione diſtributionum excludit, ſed quia omnes iſtæ cauſæ plures caſus includunt, quos oportet reſolvere, ut clarius & commodius fiat, diverſis §§. de illis loquemur.

§. I.

De infirmitate excuſante à Chori intereſſentia.

15. CONſtans eſt omnium ſententia, eum, qui ob gravem infirmitatem nequit choro intereſſe, nedum fructus beneficii, ſed diſtributiones quotidianas lucrari, ut ex jure citato conſtat. Levis autem infirmitas à gravi obligatione, qualis eſt iſta, nequit excuſare: ſecundum textum in *lege quæſitum, ff. de rei vindicat.* quæ gravis, vel levis ſit judicanda, ſi res extra judicium agatur, penſanda eſt arbitrio viri prudentis, ſeu medici periti, (quando eſt dubium) quia peritis in arte credendum eſt. *Cap. fraternitatis, de frigidis & maleficiat.* Si verò res in judicio agatur, arbitrio Prælati, vel judicis eſt ſtandum, qui ex medicorum conſilio, & judicio id debet judicare. Menochius *libro primo, de arbitrio caſu 429. numero decimo quarto.* Moneta *de diſtribut. ſecunda parte, quæſtione 6. num.24.* Verum eſt aliquando morbo in ſe levi, poſſe incrementum grave imminere ob acceſſum ad Chorum, quod ob privatam recitationem non timeretur, & in tali caſu excuſatus erit, ac ſi morbo gravi laboraret: quia ob incrementi periculum illa levis infirmitas reputatur gravis. Pelliz. *tract.5. c.8. n.145.* Bonac. *diſp.2. q.5. punct.1. n.13.* Palaus *diſput.3. punct.9. §. 1. num.2.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib.2. tract.12. num.3.* Vide plura quæ diximus *cap. præced.* quæ proportionabiliter hîc ſunt applicanda.

Gravis infirmitas non levis ab aſſiſtentia excuſat.

Etiam qui ſua culpa infirmatur, excuſatur ab aſſiſtétia.

16. Sed advertere oportet dictum privilegium non admittere infirmos etiamſi ſua culpa infirmentur: ut ſi intemperate vivendo in morbum incidant, vel alium verbis lædant, à quo vulnerentur: quia textus, illud omnibus infirmitate impeditis concedit, non excludens infirmos, qui cauſam dederunt infirmitati, & merito, alias magnis litibus aditus pateſieret, ſi ſemper inveſtigandum eſſet, an infirmi cauſam dederint, eſſetque res pluribus ſcrupulis obnoxia, & afflictis non modica afflictio adderetur, Garcia 3. *part. cap.* 2. *num.* 363. Barboſa 3. *part. de poteſt. Epiſc. alleg.* 53. *num.* 168. Covarr. 3. *variar. cap.* 13. *num.* 8. *verſ.* 7. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 145. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *part.* 1. *num.* 7. Qui bene addit, hoc intelligi etiam ſi data opera in morbum incidat, ut in illo impeditus intereſſe non poſſit, quia jura non reſpexerunt intentionem, ſed ipſammet infirmitatem.

Infirmus poteſt lucrari diſtributiones, etiamſi ante infirmitatem nó ſoleat aſſiſtere.

17. Limitant vero aliqui præcedentem doctrinam. Primò, ut infirmus poſſit lucrari diſtributiones non intereſſendo, ſi ante infirmitatem ſolebat intereſſe, vel ſi ſolum horis determinatis, pro eis diſtributiones accipiat: quia tunc infirmitas non eſt cauſa abſentiæ: quandoquidem ea ceſſante abeſſet, & tunc indulgentia hæc locum habet, quando infirmitas unica cauſa eſſet abſentiæ, eaque ceſſante intereſſent. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de orat. tract.* 16. *num.* 5. Covarr. *num.* 8. Barboſ. *num.* 167. Pellizzar. *num.* 144. Moneta *de diſtribut.* 2. *part. quæſt.* 5. *num.* 21. Quod limitat Bonac. *num.* 12. ſi impeditus infirmitate mutaret voluntatem, quam antea habebat, & haberet firmum propoſitum reſidendi, ſi ab infirmitate liber exiſteret, quod tunc lucraretur, quia tunc infirmitas vere cauſa eſſet abſentiæ. ❡ Sed etiam independenter à tali intentione valde probabile eſt, poſſe infirmum percipere diſtributiones, etiamſi ante infirmitatem Choro intereſſe non conſueverit, quia vere infirmitas cauſa eſt ut abſit, & ſic etiam ſi voluntatem aſſiſtendi haberet ab illa impediretur, & ſolum infertur ex eo quod ea ceſſante adhuc abeſſet, non eſſe cauſam unicam abſentiæ, non verò cauſam non eſſe, vere igitur impeditur infirmitate, & frui poteſt privilegio in jure impeditis conceſſo. Petrus Navarr. *lib.* 2. *de reſt. c.* 2. *dub.* 3. *n.* 238. & eſſe valde probabile docet Palaus *tom.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 3. *p.* 9. §. 1. *n.* 5.

Infirmus à loco beneficii abſens an lucretur diſtributiones.

18. Limitant ſecundo aliqui ut procedat in infirmo, qui præſens eſt loco reſidentiæ, nam ſi extra illum exiſtens infirmetur, negant diſtributiones lucrari, quod nos admittimus modo abſque cauſa legitima, à loco beneficii abeſſet, quia hic abſens cenſetur, non tam ex infirmitate, quam ex malitia. At ſi ob negotia Eccleſiæ, vel etiam propriæ, vel ob aliam cauſam legitimam abeſſet, & tunc finito negotio infirmaretur, non ob id amitteret diſtributiones, niſi conſuetudo eſſet in contrarium, quia tunc ipſa infirmitas vera cauſa judicatur abſentiæ. Et idem dicendum eſt de illo, qui tribus menſibus vacationis, alio ſe transferret, ibique infirmaretur, ob quam infirmitatem, non poſſet venire ad reſidendum, quia per ipſum non ſtat, quominus aſſiſtat, & ſic in eo infirmitas cauſa eſt abſentiæ. Barboſ. 3. *p. alleg.* 53. *num.* 167. Sanchez *conſil. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 90. *num.* 4. Palaus *num.* 6. Bonac. *num.* 6. Pellizzar. *num.* 144. Moneta *quæſt.* 6. *à n.* 19. Martinus à ſancto Ioſeph *num.* 7. ❡ An vero cæcus aut ſurdus à reſidentia excuſetur, & non aſſiſtens choro, poſſit diſtributiones lucrari? Affirmant aliqui: quia vere infirmi cenſendi ſunt, & ſic *in l.* 1. *Cod. qui morbus excuſat lib.* 10. dicitur, *qui utriuſque oculi actum amiſit levamen ſentit munerum perſonalium*, eorum ſcilicet, quæ corpore compleantur, ut ibi inquit Gloſ. Eoſque proinde excuſant Diana 5. *part. tract.* 6. *reſol.* 14. Pellizz. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 143. Barboſ. *de canon. cap.* 24. *num.* 30 Martinus a ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 16. *num.* 16. ❡ Sed vere excuſandi non ſunt, quia non eſt infirmitas, quæ chori intereſſentiam impediat, quæ eſt principalis obligatio Præbendati, maxime ubi ſola præſentia requiritur ad authoritatem, Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 18. Covarr. 3. *variar. c.* 13. *num.* 8. *verſu* 7. Petrus Navarr. *lib.* 2. *de reſt. c* 2. *num.* 239. Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 90. *num.* 7.

Cæci, & ſurdi non excuſantur à choro intereſſentia.

---

§. II.

Quæ corporalis neceſſitas excuſet à præſentia in Choro.

Plures caſus recenſentur, ſub iſta cauſa excuſante, contenti.

19. *Juſta, & rationabilis neceſſitas corporis*, quandiu durat excuſat ab aſſiſtentia, ut non obſtante non intereſſentia lucretur diſtributiones: Hæc enim eſt una ex cauſis aſſignatis *in dicto cap. unico, de cleric. non reſid. in* 6. Tota ergo controverſia devolvitur, ut examinetur quando talis corporalis neceſſitas ſufficiens ad excuſandum inveniatur? Ad quod regulam iſtam generalem ſtatuimus, quæ ab omnibus admittitur, quod quando ex aſſiſtentia in choro imminet grave damnum vitæ, ſalutis, honoris, aut fortunæ, tunc juſta & rationabilis neceſſitas judicatur ſufficiens ad intentum, ex quo ſequentes caſus deducuntur, in quibus abſentibus diſtributiones debentur ob iſtam cauſam: nimirum, ſi judicio medici immineat grave damnum, quod judicat eventurum ſi domo egrediatur, ut choro aſſiſtat, ut invaletudinarii, vel illi qui eo die venam ſciderunt ad effuſionem ſanguinis, vel potionem ad exonerandum ventrem ſumpſerunt, & ſequenti die. Qui ex eodem conſilio medici aliò ſe confert, cauſa ſanitatis acquirendæ, ut balnea repetat, ut peritiſſimum medicum conſulat, vel etiam cæli ſibi officientis inclementiam effugiat. Qui cauſa recuperandi vires in infirmitate amiſſas aliò ſe transfert. Qui ob ſenectutem commode non poteſt choro intereſſe; quando verò hoc præſtet ſenectus arbitrio prudentis medici relinquitur, & regulariter in ſeptuagenariis adeſt ſufficiens impedimentum. Qui detinetur; aut ab hoſtibus capitur: quando apud hoſtes commoratur, nec per ipſum ſtat quin redeat. Qui abeſt à choro, vel à loco beneficii ob timorem peſtis graſſantis in illo loco: qui habet inimicum cujus reconciliationem facile obtinere non poteſt, & à quo timet grave damnum ſi aſſiſtat, vel ſi in urbe graſſatur bellum: quia tunc locus tutus non eſt, & ſic præſtat impedimentum aſſiſtendi. Qui timet, ne alios inficiat peſte, eo quo venit à loco infecto, & compellitur non aſſiſtere, & idem eſt ſi alia via detineatur, quam vim nequaquam vincere

 poteſt:

poteſt : quia tunc habet juſtam & rationabilem cauſam abſentiæ, & quodlibet aliud impedimentum appoſitum, quod nequit de facili tollere. Omnes iſti, & ſimiles caſus excuſant beneficiatum ab aſſiſtentia chori, illumque habilitant non ſolum ad fructus beneficii, ſed ad diſtributiones, præciſa qualibet in contrarium conſuetudine, & ſub juſta, & rationabili corporis neceſſitate comprehenduntur. Vaſquez *opuſc. de benef.cap.4.§.3.dub.3.num.226.* Monach. *lib. 1. caſu 153. num. 11.* Pellizzar. *tractatu 5. cap.8 num.147.* Covar. *3.variar.c.13. num.8.* Sanchez *conſil. tom. 1. lib.2. cap.2.dub.92.* Martinos a ſancto Ioſeph *lib.2.tractatu 17.* Garcia *de benef.3.part.cap.2. à num.361.* Moneta *2. part.de diſtrib.quæſt.6. à num. 8.* Palaus *diſputat.3. punct.9. §.2.num.2.* Bonacina *diſp.2. q.5. punct.2. a num.4.* Barboſa *de poteſt.Epiſc.3.part. alleg.53. à num.169.*

Qui ob ſuã culpam detinetur, ne aſſiſtat, diſtributiones non lucratur.

20. Sed rogabis primo, an in carcerem conjectus, vel in exilium pulſus, vel certe timens ne incarceretur, vel exulari cogatur, & ob id à choro abeſſe coactus eſt, poſſit diſtributiones lucrari? Reſpondetur, quod vel huic impedimento cauſam dedit; vel non. Si non dedit cauſam, diſtributiones acquirit, etiam ſi judex ſecundum allegata & probata juſte ſententiam tulerit : quia corporali neceſſitate, quam excutere non poteſt, impeditur ab aſſiſtentia; ſi vero ipſe cauſam dedit, non lucrabitur diſtributiones, quæ choro aſſiſtentibus debentur : quia tunc ipſe eſt cauſa abſentiæ, nec cenſetur abeſſe ob corporalem neceſſitatem, ſed ob ſuam malitiam, Covarr.*num.8. verſ.11.* Moneta *quæſt.5. à num.80.* Pellizzar. *num. 148.* Bonac. *punct.3. §.1. num.4.* Palaus *num.3.* Quod verum dicunt, etiam ſi judex abſque legitimis probationibus illum condemnet : quia injuſtitia judicis non tollit, quod ille veram cauſam condemnationi dederit.

Quãdo qui ob excommunicationem non aſſiſtit lucretur vel amittat diſtributiones.

21. Rogabis ſecundo, an clericus excommunicatus, qui ob eam cauſam non intereſt lucretur diſtributiones? Reſpondetur eodem modo. Vel juſte excommunicatus eſt; vel injuſte. Si injuſtè, non privatur diſtributionibus dummodo procuret abſolutionem, ſeu remuvere illud injuſtum impedimentum, cum commodè poteſt, aliàs ſua culpa abeſſe dicitur, non neceſſitate compulſus. Hoc poſito, nec fructibus, nec diſtributionibus privari debet : quia impeditur corporali neceſſitate, ne divinis aſſiſtat : nimirum ob metum majoris nocumenti. Si juſtè excommunicatus fuerit, ſive vitandus ſit, ſive non, & ob eam cauſam non aſſiſtit, non lucratur diſtributiones : quia ob ſuam voluntatem malitioſam, ob quam in excommunicationem incidit, abeſt à choro : non ob neceſſitatem. Sic Petrus Navarrus *libro ſecundo, cap.2. num. 238.* Pellizzar. *num. 149.* Martinus à ſancto Ioſeph *libro 2. tractatu 17. num.6.* ¶ Cæterum ſi non obſtante juſta excommunicatione, divinis officiis interfuerit, graviter quidem peccabit, & ob hoc merito deberet privari fructibus & diſtributionibus, *cap. Paſtoralis, §. verum, de appellatione.* Cæterum ipſo jure privatus non eſt, ob id tam fructus quam diſtributiones lucrari poteſt : quia verè aſſiſtit, & aſſiſtentibus debentur. Petrus Navarrus *libro 2. capite 2. à num.243.* Martinus à ſancto Ioſeph *num.9.* Pellizzar. *num.150.* Vazquez *num.229.* Palaus *num.4.* Bonacin. *punct.2. §. 2.* Qui hoc limitat, ut non intelligatur de vitando excommunicato; ſed alii hanc limitationem non admittunt, & merito : quia tam vitandus, quam toleratus excluſus eſt ab Eccleſia ab aſſiſtentia Chori : ergo de utroque idem in dicto caſu ferendum eſt judicium.

22. At ſi excommunicatus ipſo facto privatus fuerit diſtributionibus & fructibus, quia habitus fuit, prout juſte excommunicatus, & poſteà appareat fuiſſe injuſte, repeti debent ab ab illis, quibus fuerint applicatæ : quia ipſis non potuerunt applicari, niſi ob juſtam excommunicationem, qua non ſtante nulla fuit perinde applicatio. Petrus Navarrus *num.238.* Bonac. *num.5.* Moneta *quæſt.15. num.32. & 34.* Martinus à ſancto Ioſeph *num. 6.* Palaus *num.8.* Quidquid in oppoſitum dicant alii. Et ſi ab iis quibus fructus, & diſtributiones fuerunt applicatæ recuperari non poteſt, adverſus judicem, qui injuſtè excommunicavit agere valet, & ab illo non ſolum fructus & diſtributiones recipere poteſt, ſed etiam litis expenſas & omne damnum, quod ob excommunicationem fuiſſet paſſus : quia injuſte fuit cauſa illius. Et quamvis ſi judex ex bona fide proceſſit coram Deo excuſetur à reſtitutione, in foro externo non excuſabitur : quia bona fides non præſumitur, hoc ipſo quod declaretur injuſta excommunicatio. Angelicus *de cenſur. tabul. 2. cap. 12. num.4.* Suarez *de cenſur. diſputatione 13. ſect.2. num.23.* Sayrus *de cenſuris libro ſecundo, cap.5. num. 27.* Bonac. *ſup. num.4.* & Palaus *num.8.* ¶ Quæ diximus de excommunicato, proportionabiliter applicanda ſunt ſuſpenſo, & interdicto.

Qui ob excommunicationem fructus vel diſtributiones amiſit, eas recuperare poteſt, ſi appareat injuſte eſſe excommunicatum.

---

§. III.

Qua utilitas evidens Eccleſiæ excuſet à Chori intereſſentia.

Utilitas debet eſſe certa gravis, & in bonum propriæ Eccleſiæ ut in abſentia lucrentur diſtributiones.

23. TErtia cauſa quæ præſentem reddit abſentem, ut diſtributiones lucretur, quæ *in dicto cap. unic. de clericis non reſidentibus in 6.* aſſignatur, eſt evidens Eccleſiæ utilitas. Dubia vero utilitas niſi conſuetudo oppoſitum habeat, hoc jus non præbet : quia non erat juſtum ut Eccleſia præberet diſtributiones ob abſentiam quæ fortè non utilis illi, ſed damnoſa exiſteret : debet etiam eſſe gravis : levis namque à tam gravi obligatione aſſiſtendi excuſare, non eſt æquum. Et debet eſſe utilitas propriæ Eccleſiæ, non alienæ : nam ſi in alienæ utilitatem abſens fueris, ab illa, non à propria ſtipendium debes accipere. Attamen ſi talis abſentia cedat in utilitatem univerſalis Eccleſiæ, & fructus & diſtributiones lucrari poteris. Tum quia bonum commune excellentius eſt particulari, & ſic quod pro iſto conceditur, pro illo concedi cenſendum eſt. Et ſic in dicto *cap. unico*, dicitur *in utilitatem Eccleſiæ.* Tum etiam, quia communis utilitas Eccleſiæ cenſetur utilitas propriæ, & ſic in utilitatem propriæ Eccleſiæ judicandus eſt occupatus, qui utilitati univerſalis Eccleſiæ incumbit. Pellixzar. *tract.5. cap.8. num.155.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib.2. de orat. tract.18. num.3.* Palaus *diſp.3. punct.9. §.3. num.1.* Bonac. *diſp.2. quæſt.5. punct. 3. num.7.*

num.7. ¶ Iudicare autem poterit abſentiam cedete ui utilitatem propriæ Eccleſiæ judicio virorum, ſapientum, & timoratorum. Quia tunc judicatut abeſſe ob Eccleſiæ utilitatem moraliter certam, quæ eſt evidentia & certitudo, quæ in his rebus poteſt haberi. Tum etiam, quoties à proprio Capitulo electus eſt ad aliquod negotium, quod ab ipſo judicatum fuit Eccleſiæ utile: quia tunc optimè poteſt judicare, ſe Eccleſiæ utilitati inſervire.

Abſens à loco beneficii in utilitatem Eccleſiæ lucratur diſtributiones.

24. An vero qui abſens eſt à loco beneficii ob utilitatem Eccleſiæ lucretur diſtributiones debitas intereſſentibus, vel potius ad hoc requitatur, quod in ea lem urbe exiſtat, tametſi choro non aſſiſtat? Communis ſententia affirmat, neceſſariam eſſe aſſiſtentiam in loco beneficii. Et probatur *ex cap. cum non deceat, de cleric. in 6.* Ubi clerici a l Sedem Apoſtolicam accedentes pro negotiis ſuarum Eccleſiarum, diſtributionibus quotidianis privantur: quamvis, quia in utilitatem earum ſunt occupati decernitur, ut lucrentur fructus beneficii: Ne ergo hic textus contrarius ſit *cap. illi unico, de clericis non reſidentibus in 6.* in quo conceduntur diſtributiones abſentibus, dicendum eſt hunc textum intelligi de abſentibus à choro præſentibus, tamen loco beneficii, & illum de abſentibus à loco beneficii. Sic Sanch. *lib. 1. c. 2. dub. 93.* Covar. *3. variar. c. 13. n. 8.* Garcia *9. p. cap. 2. à num. 36.* Guttierrez *Canon. quæſt. lib. 1. cap. 1. à num. 144.* ¶ Verius tamen eſt oppoſitum: quia ſæpe talis abſentia requiritur ob utilitatem propriæ Eccleſiæ: Sed, *in cap. illo unico*, conceditut hoc privilegium abſentibus in utilitatem Eccleſiæ abſque ulla limitatione: cum ergo ſit diſpoſitio favorabilis, non eſt unde debeat limitari. Concordati autem poteſt hic textus cum *cap. illo non deceat.* Si dicamus iſtud caput limitandum eſſe pro illo ſpeciali caſu abſentiæ, quando nimirum recurritur ad Sedem Apoſtolicam ob inſtructionem electionis, in quo caſu dumtaxat abſens privatur diſtributionibus, fructibus acquiſitis, & ſic hic textus limitat pro tali caſu, quod ille pro omni caſu generaliter conceſſerat. Pellizzar. *tractatu 5. cap. 8. num. 156.* Bonacin. *diſputatione 2. quæſtione 5. punct. 3. numero decimo.* Palaus *diſput. 3. punct. 9. §. 2. num. 2.* Martinus à S. Ioſeph *lib. 2. tract. 18. num 4.*

Quibus caſibus abſentia ob utilitatem Eccleſiæ non tollat diſtributiones?

25. Ex dictis infertur ex iſto titulo diſtributiones lucrari. Primo qui a ſuu Epiſcopo mittitur ad viſitanda limina Apoſtolica ejus nomine, vel illum in tali cauſa comitatur: quia cenſetur agere negotium Eccleſiæ inſtruendo Pontificem de ejus ſtatu, præcipuè quia ita conceſſum eſt à Sixto V. *conſtitut. ſua 17.* & variis declarationibus Cardinalium, quas refert Garcia *tertia parte, cap. 2. num. 349.* Barboſa *tertia parte, allegat. 53. num. 159.* Sed hic eſt caſus ſpecialis in jure conceſſus. Quare ſi quis devotionis cauſa hanc ſumat peregrinationem, vel etiam ſi ſit miſſus ab Epiſcopo alterius Eccleſiæ, vel illum in tali cauſa comitetur, non lucratur diſtributiones. Tum, quia eſt diverſus caſus. Tum etiam quia illius Eccleſiæ, non propriæ negotium gerere cenſetur. ¶ Secundò, ſi à Capitulo ad Concilium Generale, vel Provinciale mittatur tanquam Theologus, Canoniſta, vel ſuæ Eccleſiæ procurator: quia tunc in honorem ac utilitatem ſuæ Eccleſiæ cedit illa abſentia. Bonac. *num. 13.* Barboſa *num. 158.* Palaus *num. 5.* ¶ Tertiò, miſſus à Capitulo ut Legatus ad Pontificem, vel Principem ad gratulandum de aliquo felici eventu, vel condolendum de infelici, quando conſuetudo eſt, has fieri legationes: quia cedit in utilitatem Eccleſiæ illum habere gratum. ¶ Quartò, quando à Capitulo aſſignatur ad ſumendas rationes reddituum, & bonorum Eccleſiæ, & in his negotiis tempore divinorum officiorum fuerit occupatus, etiam ſi hæc alio tempore poſſint fieri. Moneta *de diſtribut. 2. part. quæſt. 5. num. 47.* Bonac. *diſput. 2. quæſt. 9. punct. 3. num. 11.* Palaus *diſp. 3. punct. 9. §. 3. num. 6.* ¶ Quintò, ſi miſſus ſit à Capitulo ad exercendam aliquam juriſdictionem Eccleſiæ annexam: quia in negotio utili Eccleſiæ occupatur. Et idem eſt de eo, qui in Sede vacante Vicarius, ſeu proviſor ſuæ Eccleſiæ eligitur, quod abſens lucratur diſtributiones, dum abeſt cauſa exercendi officium: quia cedit talis occupatio in Eccleſiæ utilitatem, ſecus vero ſi cum ſit canonicus Vicarius Epiſcopi eligitur: quia tunc non tam deſervit ſuæ Eccleſiæ, quam Epiſcopo, & ſic non debet Eccleſia ei concedere diſtributiones, ſufficit ut concedat fructus, & relev. t ab aſſiſtentia. Garcia *3. part. cap. 2. num. 357.* Bonac. *diſp. 2. quæſt. 5. punct. 3.* Palaus § *3. num. 7.*

Tres alii caſus in quibus diſtributiones lucrantur in abſentia.

26. Sextò ſi præbendam habeat, cui eſt animarum cura annexa non ſolum fructus, ſed diſtributiones lucratur, dum occupatur in Sacramentis miniſtrandis, vel exercendis aliis, quæ pertinent ad animarum curam: quia utile eſt Eccleſiæ ut curæ animarum provideatur, & cujuslibet præbendæ obligationi ſatisfiat, quod eſt verum etiam cum præbenda cui cura animarum eſt annexa ſimul habeat canonicatum, quod modo dicto obtinebit fructus & diſtributiones utriuſque beneficii, ut conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 3.* & tenent Garcia *3. part. cap. 2. num. 335.* Guttierrez *Canonic. quæſt. lib. 1. cap. 1. num. 335.* Rictius *deciſion. 389. num. 4.* Barboſa *alleg. 35. num. 162.* ¶ Septimò ſi abſit ob jura Capituli, vel Eccleſiæ ſuæ defendenda, quod eſt verum etiamſi ſalarium illi concedatur, quia non conſtituitur ſalarium tali conditione, ut ipſe amittat diſtributiones ex jure debitas quando in utilitatem Eccleſiæ occupatur, ſed ut diligentius Eccleſiæ defenſiool incumbat & facilius onera abſentiæ ſuſtineat. Bonac. *diſp. 2. quæſt. 5. punct. 2.* §. 3. Palaus §. 3. *num. 10.* ¶ Denique ſi pro defendendis juribus ſui beneficii abſit: quia talis defenſio cedit in manifeſtam utilitatem Eccleſiæ, quia ratione illius beneficium melius & optabilius redditur; ſecus vero ſi ob defenſionem juris proprii ad beneficium adverſus alterum, abſit: quia tunc non ob Eccleſiæ utilitatem vel beneficii fit abſentia; ſed ob propriam, & ſic æquum non eſt diſtributiones lucrari. Bonac. *n. 2.* Palaus *num. 11.* Garcia *3. part. cap. 2. num. 49.* Barboſa *allegat. 53. num. 172.*

Qui impeditur ob utilitatem Eccleſiæ non tenetur prævenire ut poſtponere occupationem.

27. Sed modo inquires primo. An debeantur fructus & diſtributiones illi, qui occupatur in negotiis cedentibus in utilitatem Eccleſiæ ſi negotia extra tempus officii divini rectè poſſet expedire, & ipſe eo tempore expediat. Affirmativè reſpondendum eſt: Et probatur primo, quia vere tempore divinorum eſt occupatus, & textus occupatos eximit illo tempore, nec hoc privilegium reſtringitur ad eos qui nulla vi anteponere, vel poſtponere poteſtant

tant

raot occupationem ; ſed abſolutè eſt conceſſum, & cum ſit favorabile, non eſt, unde reſtringi debeat. Secundò, quia ſi occupati in utilitatem Eccleſiæ obligati eſſent, vel prevenire, vel poſtponere occupationem præ ceteris nimis gravarentur, ſiquidem tempore quo alii vacant deberent in utilitatem Eccleſiæ laborare, & inſuper, ſicut alii, choro aſſiſtere, quod non credendum eſt, de ſuavi Eccleſiæ regimine. Sic, contra nonnullos, tenent Pellizzar. *tractatu* 5. *cap.*8. *num.*157. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.*2. *de orat. tract.*18. *num.*5. Bonac. *diſp.*2. *quæſt.*5. *punct.*3.*num.*16. Palaus *tract.* 7. *diſp.*3. *punct.*9.§.3. *num.*13. Sicut è contra, ſi demandatum eſſet quoddam negotium, quod tempore officiorum præbendatus expedire poterat, & tempus præveniendo illud expedivit, vel pro alio tempore remiſit, nun poterat abeſſe à divinis officiis: quia non habet cauſam excuſationis: ſicut non excuſatur pœnitentiarius ab horarum aſſiſtentia ob confeſſiones extra illarum tempus auditas. Sic citati.

Quo tempore lucretur diſtributiones qui pro negotiis Eccleſiæ abeſt.

28. Inquires ſecundo, quanto tempore poſſit lucrari diſtributiones, & fructus abſens ab Eccleſia, pro negotiis ejus expendendis? Reſpondetur, quod toto tempore quod ineundo ad locum negotii, & redeundo, & in illius expeditione conſumit, quod certa regula diffiniri non poteſt, ſed prudentis arbitrio eſt relinquendum. Eſt tamen obligatus eam diligentiam apponere, quam in propriis apponeret negotiis, & quam quilibet prudens & timoratus in ſimilibus haberet: alias ſi ob ſuam remiſſionem negotiorum expeditio longo tempore diſtraheretur, ſecurus non eſſet in conſcientia, nec ei diſtributiones deberentur. Bonac. *n.*19. Palaus *num.* 16. Moneta *de diſtribut.* 2. *part. quæſt.*5. *num.*35. ¶ Regulariter verò pro itinere ſeptem, vel octo leucæ ſolent pro ſingulis diebus aſſignari: quia ſic pro iter agentibus habetur, *l.*1. *ff. ſi quis cauſa*, *l.*3. *ff. de verbor. ſignificat.* Si tamen breviori tempore quam obligatus eſt, peragat iter, negotiumque expediat, non poterit illis diebus ab Eccleſia abeſſe quos poterat in itinere, vel negotio conſumere: quia tunc in utilitatem Eccleſiæ minime eſt occupatus, ſic citati. ¶ Illud certum judicamus, quod ſi dum negotium peragit, vel iter aggreditur, & alia cauſa quam excutere non poteſt detineatur, excuſatus eſt, & eo modo lucrabitur diſtributiones, ac ſi tunc eſſet in negotio occuparus: quandoquidem ex eadem radice præſumitur eſſe impeditus & in negotiis Eccleſiæ occupatus. Moneta *n.*38. Bonac. *n.*18. Palaus *num.*16. Martinus a S.Ioſeph *tract.*18. *num.*6.

PUNCTUM IV.

De aliis qui ratione utilitatis Eccleſia abeſſe poſſunt à Choro, & lucrari diſtributiones.

Capitulis intereſſe tenentur præbendati niſi tempore vacationis.

29. PRÆTER caſus ſupradictos puncto antecedenti, quibus poteſt præbendatus in evidentem Eccleſiæ utilitatem occupatus excuſari à chori intereſſentia & lucrari diſtributiones, ſunt aliqui particulares de quibus hoc puncto agemus. Inquires ergo primo, an ob aſſiſtentiam in Capitulo excuſentur præbendati ab aſſiſtentia in Choro, & diſtributionum amiſſione? Supponimus primo præbendatum ratione ſui beneficii obligatum eſſe capitulis intereſſe, nec excuſari a gravi culpa, ſi ordinariè ab illis abſuerit: quia Capitula celebrare omnino neceſſarium eſt ad rectàm Eccleſiæ gubernationem, & adminiſtrationem: ſed talia Capitula infallibiliter & neceſſario celebrari non poſſent, niſi canonici obligati eſſent illis aſſiſtere: ergo, &c. Atque ita in ſacra Congregatione fuiſſe deciſum teſtatur Garcia *de benef.* 3. *part. cap.*2. *num.*529. Excipitur autem tempus vacationis quo poſſunt à divinis abeſſe: quia ad aſſiſtentiam horum primario ſunt obligati ratione beneficii, ſecundario ad Capitularem aſſiſtentiam: ergo ſi ab illa, quæ eſt prima obligatio pro tribus menſibus excuſantur, multo magis ab iſta: niſi grave damnum Eccleſiæ ſua aſſiſtentia poſſet impedire, quia tunc aſſiſtere obligaretur ex jure naturali. Palaus *tract.*7 *diſp.*3. *punct.*9. §.4. *num.*2.

Non poſſit Capitula celebrari tempore divinorum officiorum.

30. Supponimus ſecundo, Capitulum haberi non poſſe tempore quo divinum officium, præcipuè Miſſa major celebratur (niſi fortè aliqua urgens, & accidens Eccleſiæ utilitas occurrat, cui aliter non poſſet occurri, quod raro contingere poteſt) prius namque Deo ſerviendum eſt, quam hominibus, & divino cultui vacandum quam negotiis temporalibus, nec eſt omittenda primaria obligatio, quæ eſt aſſiſtentia in choro, pro ſecundaria, & quæ in aliud tempus differri poteſt. Ita ſtatuit Clemens VIII. in ſuo breviario, qua citata deciſione, pluribuſque decretis Conciliorum provincial. & ſacra Congregat. docet Garcia 3. *part. cap.*12. *num.*556. Pellizzar. *tract.*5. *cap.*8. *num.*136. Unde abuſum graviſſimum judicamus conſuetudinem illarum Eccleſiarum, in quibus paſſim congregantur Capitula tempore divinorum occaſione ſimulatæ neceſſitatis. ¶ Ex quo apparet deciſio quæſtionis: dicimus ergo quod niſi in caſu extraordinario, & urgenti, cedentique in evidentem, & gravem Eccleſiæ utilitatem in quo Capitulum, nec anteponi poſſet, nec poſtponi, aſſiſtentia capitularis, cauſa non eſſet ſufficiens ut à choro abſens lucretur diſtributiones: quia non cedit talis abſentia in utilitatem Eccleſiæ; ſed potius in detrimentum: ſiquidem cedit in diminutionem divini cultus, & chori aſſiſtentiæ, quæ eſt Eccleſiæ utiliſſima. Sic tenet communis ſententia.

Pœnitentiarius tempore divinorum confeſſionibus aſſiſtens lucratur diſtributiones.

31. Inquires ſecundo. An pœnitentiarius ob ejus miniſterium à choro abſens lucretur fructus & diſtributiones? Reſpondetur affirmativè: Nam Concil. Trident. *ſeſſ.*24.*cap.*8.*de reformatione*, indulſit canonicis pœnitentiariis ut cenſeantur choro præſentes, dum in Eccleſia propria Confeſſiones audiunt, & merito, quia hoc cedit in utilitatem Eccleſiæ muneribus ſui beneficii quemquam ſatisfacere, maxime in re tam utili, & neceſſaria fidelibus. Extendunt tamen communiter DD. ut pœnitentiarius præſens choro cenſeatur, fructuſque ac diſtributiones lucretur, dum in Eccleſia paratus aſſiſtit confeſſiones audire, ibique pœnitentes expectat, vel cum eiſdem loquitur ante, vel poſt confeſſionem, non de rebus inutilibus; ſed de rebus vel ad confeſſionem, vel ſolamen, vel exortationem, vel conſilium præbendum pertinentibus, ſive diſponendo pœnitentes ad confeſſionem,

ſive

ſive illa audita conſilia ſalutaria præbendo, ſive eorum audiendo afflictiones, vel in via ſpirituali inſtruendo: hæc enim omnia ſuo modo pertinent ad confeſſionem, & ſunt propria munia confeſſarii, & neceſſaria moraliter loquendo. Et paratum eſſe ad confeſſiones audiendas, pœnitenteſque expectare multum cedit in ſplendorem Eccleſiæ, & fidelium utilitatem, ut ſic facilius hoc Sacramentum frequentent. Favetque diſpoſitio Congregationis ſacræ apud Barboſ. *in remiſſion. Concil. ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de reform.* ubi mandatur pœnitentiario aſſiſtere in ſede & loco ad confeſſiones percipiendas deputato, ne pœnitentes perquirere eum cogantur, & ob verecundiam ejus inquiſitionis confeſſiones omittant. Barboſ. *loco cit.* & *de poteſt. Epiſc. alleg.* 55. *n.* 28. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 5. *punct.* 3. § 5. *n.* 2. Garcia 5. *p. cap.* 4. *n.* 124. Pellizz. *tr.* 5. *cap.* 8. *num.* 174. Palaus *punct.* 9. §. 5. *n.* 1. Verum eſt pœnitentiarium ab aſſiſtentia horarum excuſatum non eſſe, ob confeſſiones auditas extra illud tempus, vel poſtea audiendas; cum vere occupatus non ſit tempore divinorum; ſed fuerit, vel erit, & aliàs in hac re non admittatur, ut ſic dicamus, compenſatio, ut *n.* 28. dicebamus.

Quando alii canonici confeſſiones audientes choro præſentes judicentur.

32. Sed quid dicendum eſt de aliis præbendatis, qui tempore officiorum confeſſiones audiunt? Reſpondetur hoc fieri poſſe triplici modo. Vel confeſſarius ille ſubrogatur loco pœnitentiarii, ob illius abſentiam, infirmitatem, aut mortem. Sic certum eſt lucrari diſtributiones, & haberi tanquam choro præſentem, ſi tempore divinorum officiorum vacet confeſſionibus audiendis: quia ſubrogatum ſapit naturam illius, in cujus locum ſubrogatur cum omnibus ſuis qualitatibus primordialibus & accidentalibus. *leg. in duobus* 9. 1. *ff. de jurejurando* §. *fuerat, inſtit. de action.* Vel ex ſua devotione huic muneri incumbit, & tunc non eſt habendus ut præſens, nec lucratur diſtributiones, quia licet cedat in utilitatem populi eorum miniſterium ſic ſumptum, regulariter cedit in damnum Eccleſiæ, & diminutionem divini cultus. Vel denique deſignatur in adjutorium pœnitentiarii; eo quod multitudini pœnitentium ſolus ille ſatisfacere non poteſt, ob quod duo, vel tres in illius adjutorium deſignantur, & tunc illi lucrantur diſtributiones ac ſi eſſent præſentes, quam occupantur in evidentem Eccleſiæ utilitatem: cum ſit valde utile Eccleſiæ, imo neceſſarium miniſtros habere, qui fideles inſtruant, & in re adeò neceſſaria eorum ſaluti incumbant, Moneta 2. *p. de diſtrib.* q. 11. *n.* 68. Palaus *diſp.* 3. *punct.* 9. §. 5. *n.* 4.

Magiſtralis & Lectoralis quando præſentes pro diſtributionibus lucrandis habeantur.

33. Inquires tertiò, An canonicus magiſtralis, & lectoralis dum in propria Eccleſia concionatur, vel legit, habeatur ut præſens ad lucrandas diſtributiones? Reſpondetur affirmativè, quia exequitur miniſterium ſuæ præbendæ, quod cedit in Eccleſiæ utilitatem. Inſuper ex conceſſione Greg. XIII. & declaratione Cardinalium, non ſolum in hora in qua concionatur, vel legit; ſed omnibus horis illius diei etiamſi abſens ſit, reputatur ut choro præſens, eo quod exercet actionem valde laborioſam, & quæ ſpecialem præparationem requirit: quia tamen in aliquibus Eccleſiis viget conſuetudo, ut Canonicus magiſtralis, non ſolum die quo concionatur, reputetur præſens, ſed per octo dies antecedentes concioni: quia valde neceſſarii judicantur, ut debitè præparetur, & abſque nimia defatigatione huic muneri, prout decet, ſatisfaciat: videndum erit, quid illa conſuetudo in uſu habeat. Si enim extenditur, ut non ſolum pro lucrandis fructibus, ſed pro diſtributionibus illis diebus præſens habeatur, hos, & illos licite non aſſiſtens lucrari poterit, ſi ſolum pro fructibus præſens judicetur, illos dumtaxat, non diſtributiones lucrabitur, in hoc ſtandum eſt conſuetudini. Cæterùm cum illa indulgentia non aſſiſtendi ſit ligata illis diebus, ſi prò his quibus abeſſe poterat aſſiſtat, vel alias eſſet legitime impeditus, non ob id poterit aliis diebus hanc ſumere indulgentiam: ſicut qui privilegium haberet primis tribus diebus Miſſam non audire, non poterit aliis eo privilegio uti, etiamſi illis diebus uſus non fuerit illo privilegio. Pellizz. *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 176. Sanchez *tom.* 1. *Conſil. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 107. *numero* 1.

Qui in obſequium Epiſcopi ſunt occupati lucrantur fructus beneficii; non diſtributiones.

34. Inquires quartò, An Vicarius Epiſcopi, ejus familiares, examinator Synodalis, viſitator Diœceſis, & qui ab Epiſcopo conſtituuntur viſitatores Hoſpitalium, Monaſteriorum, adminiſtratores locorum, & beneficiorum exactores, vel duo illi canonici, qui ex jure poſſunt ab Epiſcopo in ejus ſervitium deputari, ſi abſint à choro quandiu ſunt his miniſteriis occupati, præſentes judicentur, quoad lucrandos fructus beneficii, & diſtributiones quotidianas? Reſpondetur, quod quantum attinet ad fructus beneficii, certum eſt eos lucrari, excuſatoſque eſſe ab aſſiſtentia chori quo tempore illis muneribus incumbunt, quia habent juſtam & legitimam cauſam abſentiæ, minimè tamen lucrantur diſtributiones quotidianas (niſi forte præbenda alios fructus non habeat præter quotidianas diſtributiones: quia tunc eas lucrabitur, deducta tertia parte, ne privilegium reddatur inutile, ut infra dicemus.) Quia non ſunt occupati in obſequium propriæ Eccleſiæ, aut utilitatem illius, ſed Epiſcopi, aut aliarum Eccleſiarum, & ſic non debent à ſua Eccleſia accipere ſtipendium; niſi oppoſitum ex privilegio, aut conſuetudine alicubi habeatur. Garcia 3. *part. cap.* 2. *num.* 146. & 354. Barboſa 3. *part. de poteſt. Epiſcop. allegat.* 53. *numero* 542. & 161. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 14. *à numero* 7. Pellizzar. *numero* 173. Palaus *diſputatione* 3. *punct.* 9. §. 7. *numero* 1. Nomine autem Epiſcopi, quoad præſens, quilibet habens juriſdictionem quaſi Epiſcopalem intelligitur, & qui eſt caput alicujus Eccleſiæ Collegiatæ ut Abbas, & Prior.

Cauſa ſtudiorum abſens non lucratur diſtributiones.

35. Inquires quintò, An docentes, & ſtudentes in Academiis lucrentur fructus beneficii & diſtributiones? Reſpondetur, quod quantum attinet ad diſtributiones certum eſt eas non lucrari: quia ita expreſsè habetur *in cap. licet de præbendis*, & in privilegiis ab Eugenio IV. (quæ ob id Eugeniana dicuntur) Salmanticenſi Univerſitati (in quibus etiam Complutenſis, & Valliſoletana communicant) & pluribus declarationibus ſacræ Congregat. comprobat Garcia 3. *part. cap.* 2. *num.* 113. 116. & 155. Covarr. 3. *variar. cap.* 13. *num.* 2. Barboſa 3. *p. alleg.* 56. *num.* 19 & 20. Moneta *de diſtrib.* 2. *p. quaſt.* 10. *à num.* 23. Pellizz. *num.* 167. Palaus *numero* 13. Martinus à ſancto Joſeph *tractat.* 13. *numero* 2. Qui limitant, niſi vel beneficium ſolis diſtributionibus quotidianis conſtet, quia tunc dempta tertia parte poteſt eas lucrari: Tum quia illæ diſtributiones

eo caſu loco fructuum ſuccedunt. Tum etiam oe inutile reddatur privilegium, & ita declaratum fuiſſe à Sacra Congregatione teſtatur Quaranta *in ſumma Bullarum Verbo reſidentia*. Pellizzar. *numero* 168. Vel niſi conſuetudine Introductum ſit ut qui ex illis titulis abſunt, etiam diſtributiooes lucreotur: adeſt enim juſta cauſa talis introductionis, ut docet Covarr. *numero* 5. Martinus à ſancto Ioſeph *num.* 3. Ojeda & Gratianus ab ipſo citati.

Studentes in publicis Academiis etiam in abſentia fructus lucrantur.

36. Quantum vero attinet ad fructus beneficii dicimus, eos qui in publica aliqua univerſitate Theologiam (& idem eſt de artibus quæ ad Theologiam diſponunt) vel jus canonicum docent; & ibi eas facultates ſtudentes, ſeu audientes, excuſantur divinis intereſſe, & fructus in abſentia lucrantur. *Cap. final. de magiſtris, cap.* 2, *de privileg. in* 6. *cap. tua, de clericis non reſident.* Et privileg. Eugen. IV. conceſſum Salmantinæ univerſitati, ſed oon ſufficit docere, aut ſtudere in quocumque Collegio, vel alio loco ubi publice legantur ſupradictæ ſcientiæ, ſed debet eſſe ſtudium generale, illud nimirum quod ſolum ad hunc finem eſt erectum, aut inſtitutum à ſummo Pontifice, Rege ſeu Principe ſupremo, & ſic ſtudentes in Eccleſiis cathedralibus, aut aliquibus Conventibus non gaudent hoc privilegio, quo ſtudentes in publicis academiis Barboſa *allegatione* 56 *a num.* 21. Pellizzar. *num.* 167. Palaus §. 9. *num.* 1.

Quas facultates docere debent, qui ob cauſam doctrinæ abeſſe poſſunt & fructus lucrari.

37. Sed eſt advertendum quoad docentes, eos intelligi qui publice docent, etiam abſque ſtipendio, & cathedra, ex licentia tamen clauſtri, ſeu Collegii Doctorum, quod ita cautum eſt, ne hac occaſione inutiles, & infructuoſi Magiſtri exeuſateotur. Barboſa *num.* 26. Bonacina *diſp.* 2. *quaſt.* 5. *punct.* 3 §. 9. Martin. à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 19. *num.* 4. Nec etiam eo funguntur privilegio, qui jus civile doeent; ſed qui jus canonicum, & Theologiam, ac Logicam, & Philoſophiam, ac etiam Grammaticam, quia ad Theologiam, & jus canonicum eſt neceſſaria, & præcipue, ſi non ſit alius qui eam doceat, *ex cap. quia nonnullis de magiſtris.* Excipiendi vero ſunt habentes beneficium parrochiale. Ii namque licet hoc privilegio gaudeant docentes jus canonicum, & Theologiam (& idem eſt de Logica, & Philoſpohia) in Academiis, quia in utilitatem univerſalis Eccleſiæ hoc cedit, & quia nulla limitatio in ſupradictis privilegiis reperitur, ut docet Garcia *de benef.* 3. *p. cap.* 2. *num.* 62. Palaus *tract.* 7. *diſp.* 3. *punct.* 9. §. 9. *num* 4. Ob lecturam tameo Grammaticæ non poſſunt à reſidentia excuſari, ut ex declaratione Sacræ Congregationis teſtatur Gonzalez *regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 6. *num.* 124. ¶ Sed adverteodum eſt, quod ut docentes in univerſitatibus, dictis gaudeant privilegiis, non requiritur licentia ordinarii, ſicut requiritur pro ſtudentibus, ut dicemus: quia jam talis licentia eſt expreſſa in jure, & quia loco licentiæ Ordinarii, qua indigent ſtudeotes, ſuccedit deſignatio, & licentia univerſitatis. Moneta *de diſtrib.* 2. *p. quaſt.* 10. *num.* 22, Bonacina *diſputat.* 2. *quaſt.* 5. *punct.* 3. §. 9. *num.* 9. Barboſa *de poteſt. Epiſ.* 3. *p. alleg.* 56. *num.* 24. & 25. ¶ Nec tamen eſt ulla limitatio temporis pro eis in jure facta, ſicut eſt pro ſtudentibus, ſed toto eo tempore quo in docendo occupati fuerint, fructus percipiant in abſentia: Barboſa *num.* 32. Moneta *num.* 16. Pellizzar. *numero* 170. Palaus *num.* 11.

Quæ conditiones requiruntur pro ſtudentibus.

38. Quoad ſtudentes advertendum eſt, debere Theologiæ. vel juri canonico vacare: probabile eſt, quod etiam ſtudentes jus civile hoc fungantur privilegio: quia *in cap. tua fraternitatis de clericis non reſid.* nulla limitatio invenitur. Moneta *numere* 21. Barboſa *num.* 26. Bonacina *numere* 10. excipiendi tamen ſunt illi, quibus hoc ſtudium eſt in jure prohibitum ut Sacerdotes, Præpoſiti, Archidiaconi, Decani, quibus ſub pœna excommunicationis ſtudium medicinæ, & juris civilis probibetur. *Capite final. ne clerici, vel monachi* (modo quo *tractat. praced. cap.* 5. diximus) niſi ſpeciale privilegium pro hoc ſtudio à ſede Apoſtolica, obtinuerint Bonacina *num.* 9. Barboſa *n.* 26. ¶ Debent etiam majori parte anni in univerſitate commorari, ibique diligenter ſtudere, ſi namque otioſi tempus inutiliter conſumant, ſcholaſque cum debita diligentia noo frequentent, nullo modo privilegio percipiendi fructus in abſentia gaudent. Bonac. *num.* 9. Barboſa *num.* 24. Pellizzar. *num.* 167. Moneta *num.* 19. ¶ Debent etiam licentiam ab Epiſcopo obtioere, & in parrochis eſt omnino certum ex Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. in reliquis probabilius, quia ita habetur ex conſtitut. Pii V. quæ incipit, *Ad aures* 24. Novembris 1564. Et merito, nam ad Epiſcopum pertinet videre, an beneficiati confluentes ad ſtudia habeant qualitates à jure requiſitas, nimirum, an ſint apti ad ſcientiam, & in ætate debita conſtituti, & ne Eccleſia in eorum abſentia patiatur in divino cultu detrimentum. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 19. *num.* 5. Garcia *de benef.* 3. *p. cap.* 2. *num.* 87. Barboſa 3. *p. alleg.* 56. *num.* 28. Palaus *diſp.* 3. *punct.* 9. § 9. *num.* 7. ¶ Ordinarius autem teoetur talem concedere licentiam, dictis qualitatibus concurrentibus: quia ſuppoſito privilegio juris jam non eſt gratia ſed juſtitia. Sic præcitati authores, & ſemel ab eo conceſſa revocari, ab eo oon poteſt, niſi ex juſta, & rationabili cauſa, eaque manifeſta, ut tradit Gloſſa *in cap. cum ex eo*, verbo *ſeptennium de election. in* 6.

Parrochi cauſa ſtudiorum abeſſe non poſſunt à beneficio.

39. Et licet ſit valde probabilis ſententia docens, quod adhuc poſt Tridentinum habentes Eccleſias poſſunt ob cauſam ſtudii à ſuis Eccleſiis abeſſe, quam tenent Navarr. *in ſumm. capite* 5. *num.* 112. Toletus *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 4. Valentia 2. 2. *diſp.* 10. *quaſt.* 3. *punct.* 5. *fol.* 870. Azor. 2. *p. lib.* 7. *cap.* 4. *quaſt.* 3. §. 2. *fol.* 818. Pellizz. *tract.* 5. *cap.* 8. *n.* 171. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 29. *n.* 163. Rodriguez *ſumm. tom.* 1. *cap.* 33. *num.* 2. *concluſ.* 2. & plures alii. Probabilius tamen eſt oppoſitum. Tum, quia in Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* prohibetur Epiſcopis dare licentiam parrochis, ut à propria Eccleſia abſint ultra bimeſtre, niſi ex gravi cauſa: ſed talis non cenſetur in parrocho ſtudium, ut conſtat ex pluribus declarationibus Cardinalium, quas authores citandi adducunt. Tum etiam, quia poſt Concilium nulli conferri poteſt beneficium curatum, niſi prius à tribus examinatoribus Synodalibus fuerit judicatum habere ſufficientem ſcientiam, requiſitam ad curam animarum: atqui prædicta privilegia conceſſa fuerunt, ut beneficiati haberent competentem ſcientiam: ergo non pro parrochis in quibus illa jam ſupponitur. Ita Garcia *de benef.* 3. *p. cap.* 2. *n.* 83. Ricius *in collect. deciſion.* 3. *p. collect.* 563. *in medio* Barboſa *de poteſt. Epiſ.* 3. *part. alleg.* 53. *num.* 3. Palaus *diſputat.* 3. *punct.* 9. §. 9. *num.* 8. Gonzal. *in reg.* 3. *Cancellar. Gloſſ.* 6. *num.* 249. ¶ Si vero cauſa ſtudiorum parrochus abſit, vel quia illis ſtudendis vacat, ſequendo probabilem ſententiam, vel quia dictas ſcientias docet, tenetur toto tempore vicarium ſuæ Eccleſiæ conſtituere ad quod non tenentur Canonici, aliique præbendati, aut alii qui beneficia ſimplicia habent abſque juriſ-

dictione,

dictione, vel cura animarum, ut docet Panormit. *in cap. tua fraternit. de clericis non reſidentib.* Et Covarr. 3.*p. variar. cap.* 13. *n.* 2.

Quo tempore ſtudẽtes dicto privilegio funguntur.

40. Tempus autem conceſſum à jure ſtudentibus licet aliqui dicant, limitandum eſſe ad quinquennium, nec ultra extendendum, quia ita habetur in *cap. final. de magiſtris.* Cæterum quia in *cap. cum ex eo de elect. in* 6. Septennium conceditur ſtudentibus, ut à reſidentia excuſentur, conciliari poterunt hi duo textus, ut primus duntaxat de ſtudentibus jus canonicum loquatur, ſecundus de ſtudentibus Theologiam, cum ad ejus ſtudium requiratur quod artium, per tres annos, præcedat ſtudium, & poſtea quatuor ſoleant in Theologia inſumi: quare toto hoc tempore poſſe ſtudentes Theologiam, fungi dicto privilegio, docent Zerolla 1.*p. verbo ſtudium* § 3. Palaus *ſupr.* §.9. *n.*11. Pellizzar. *tract.*5. *cap.*8. *n.*169. Et de ſtudentibus in Salmantica Academia, Garcia 3.*part. cap.*2. *numero* 107.

PUNCTUM V.

De privilegio, aut diſpenſatione non intereſſendi, & quomodo debeat interpretari.

Nullus præter Pontificem poteſt in reſidentia diſpenſare.

41. POSSE Summum Pontificem concedere alicui præbendato diſpenſationem, aut privilegium, ut non aſſiſtens divinis, nedum fructus; ſed etiam diſtributiones lucretur, nemo ambigit: cum hoc ſolum habeatur ex jure poſitivo. Similiter eſt indubitatum nullum alium inferiorem Pontifice poſſe talem indulgentiam in perpetuum, vel ad longum tempus concedere: Et ſic nec Epiſcopos, nec Capitula Eccleſiarum poſſe hoc concedere, niſi in caſibus à jure permiſſis: quia eſt lex ſuperioris, in qua non poteſt inferior diſpenſare. An vero ad breve tempus, & ex cauſa aliqua rationabili, poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut beneficiatus ultra tempus à jure permiſſum, non reſideat, & nihilominus fructus percipiat beneficii; licet non diſtributiones quotidianas: quia ut iſtæ in abſentia lucrentur, omnes dicunt, non poſſe, nec ad breve tempus, Epiſcopum tale indultum concedere: quia in *cap. unico de Clerico non reſidente in* 6. expreſsè cavetur neminem abſentem poſſe diſtributiones quotidianas lucrari, niſi abſentia ſit ob aliquam ex tribus cauſis aſſignatis, nimirum infirmitas, corporalis neceſſitas, & evidens Eccleſiæ utilitas.

Ad breve tempus poteſt Epiſcopus in non reſidentia diſpenſare.

42. Quamvis aliqui non improbabiliter negent, poſſe Epiſcopum etiam ad breve tempus cum beneficiato aliquo diſpenſare, ut non reſideat, & nihilominus fructus percipiat beneficii, probabiliorem partem affirmativam ducimus, ſi juſta aliqua cauſa interveniat, ut in defenſionem juris ſibi in beneficio competentis, ut viſitet parentes, quos longo tempore non vidit, ut eos in aliqua afflictione conſoletur, & ob ſimiles cauſas, quæ juſtæ & rationabiles reputentur, licet ex eis non fuerint, quæ in jure recenſentur: quia ob has cauſas ſolet Epiſcopus Parochis licentiam concedere, ut conſtat ex praxi, ut à loco beneficii abſit, & fructus illius lucrentur, ſed parrochi reſidentia multò ſtrictior eſt, & magis eos obligat, quàm obligat canonicos reſidentia: ergo multo magis iſtis ultra tempus in jure conceſſum, poterit Epiſcopus indulgere ut ob rationabilem cauſam ad breve tempus non aſſiſtant, & nihilominus lucrentur fructus beneficii. Sic Barboſa *de poteſt. Epiſc.* 3.*p. allegat.*53. *n.*13. Comilit. *reſponſ. moral. lib.*1. *quæſt.*59. *n.*2. Palaus *tract.*7. *diſp.*3. *punct.*9. §.10. *num.* 3.

Privilegium non reſidendi eſt ſtricte interpretandum.

43. Privilegium autem quodcumque ſit à Pontifice conceſſum, quod non fuerit inſertum in jure, percipiendi fructus & diſtributiones in abſentia, ſtrictiſſime eſt interpretandum, ſalva dumtaxat verborum proprietate, quia in divinis cultus diminutionem cedit, derogatque legi communi de reſidentia, & eſt in præjudicium intereſſentium, quibus abſentium diſtributiones accreſcunt. Sic communiter Doctores. ¶ Ex quibus infertur primo, quod ſi privilegium ſit percipiendi fructus, non intelligantur diſtributiones, quæ ſunt ab eis diverſæ: niſi caſu quo præbenda nullum alium fructum præter quotidianas diſtributiones haberet, ut multoties diximus, ne privilegium reddatur inutile: Et quia tunc diſtributiones pro fructibus habentur. Barboſa *alleg.* 55. *num.* 124. Palaus *num.* 6. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de orat. tract.*15. *num.* 2.

Diſtributiones ob anniverſaria à quibus poſſint lucrari.

44. Secundò infertur ſecundum aliquos, indultum de percipiendis diſtributionibus quotidianis conceſſum à jure, non intereſſentibus aliqua ex tribus cauſis ſupradictis, non extendi ad illas diſtributiones, quas minutas vocant, quæ ob anniverſaria conceduntur: quia niſi clarè exprimat Pontifex, non præſumitur ille contra voluntatem defunctorum agere, qui tales diſtributiones pro intereſſentibus dumtaxat reliquerunt, Bonac. *diſp.*2. *q.*5. *punct.*4. *n.*6. Palaus *punct.*9. §.10. *n.*7. Moneta 2.*p. q.*14. *n.*21. & 22. Unde inferunt non poſſe conſuetudine introduci, ut abſentes quocumque titulo lucrentur hujuſmodi diſtributiones, quæ ex voluntate teſtatorum donantur intereſſentibus huic miſſæ, vel huic officio: quia ea jure naturali debentur iſtæ diſtributiones eis, quibus à teſtatoribus relinquuntur, & adverſus jus naturale nulla prævalere poteſt conſuetudo. Solorçano *de iure indiarum, tom.* 2. *lib.*3. *c.*14. *à n.*28. Palaus §.12. *n.*25. Bonac. *punct.*6. *n.*8. Ob quod meritò in omnibus ferè Eccleſiis Hiſpaniæ praxi obſervatur, ut tales diſtributiones, nec infirmis, nec in evidentem Eccleſiæ utilitatem occupatis, nec alia quavis legitima cauſa impeditis concedantur; ſed ſolum diſtribuantur inter præſentes. ¶ Quamvis non deſint, qui probabiliter judicent, non ſolum ex conſuetudine poſſe introduci, ſed de facto ex jure communi eos qui abſentes quotidianas diſtributiones lucrantur, has poſſe recipere: quia jura inter has, & alias non diſtinguunt, & judicandum eſt fundatores illarum ſe juri communi voluiſſe conformari, atque inter præſentes voluiſſe diſtribui, qui vel præſentes reipſa ſunt, vel præſentes moraliter ea fictione juris judicantur. Cardinal. Fuſeus *tom.* 2. *lit. D. concluſ.*511. Sanchez *tom.*1. *conſil. lib.* 2. *cap.*2. *cap.* 105. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *de orat. tract.* 15. *num.* 4.

Privilegium Concilii vacationis trium menſium explicatur.

45. Concilium Tridentinum *ſeſſ.*24. *cap.*12. *de reform.* conceſſit præbendatis tale privilegium ut poſſent in ſingulis annis tribus menſibus abeſſe, cauſa recreationis & levaminis, quo uti libere ipſi poſſunt, etiamſi aliam non habeant cauſam præter iſtam levaminis à

reſidentiæ obligatione Garcia 3. *p. cap.* 2. *n.*914. Nec requiritur ad hoc utendum privilegio facultas ordinarii: quia illam Concilium non expoſtulat. Barboſa 3. *p. de poteſt. Epiſ. allegat.* 55. *n.*118. Verum eſt poſſe Ordinarium, ſi viderit ob multitudinem abſentium, divinum cultum diminui, cogere ne abſint, cum vel ipſi in hoc caſu teneantur hoc privilegio non uti. Palaus *diſputat.* 3. *punct.* 9. §. 10. *num.*8. Et illis diebus abeſſe poſſunt, etiam ſi tale tempus vitiis, & ludis inſumant: quia Tridentinum tale concedens privilegium, non dixit, ut recte dies illi conſumantur, Sanchez 1. *p. conſil. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.*93. & 94. poſſunt ergo ratione illorum trium menſium nonaginta diebus ſive continuis, ſive diſcretis abeſſe: quia regulariter tres menſes tot dies continent, uno vel altero, plus vel minus. Et quia Concilium non determinat à quo die incipere debeant, poſſunt accipi continui, & interpellati. Pellizzar. *tract.*5. *cap.*8. *num.*160. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *tract.* 15. *n.*8. Philiarchus *de officio Sacerdot.* 1. *p. l.b.* 1. *cap.* 13. *conclus.* 2. Solum tempore paſchatis, & maximarum ſolemnitatum debet vitare ordinarius, ne præbendati abſint, ſic declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur Barboſa 3. *p. de poteſt. Epiſ. alleg.* 53. *num.*119. Sed hoc ex decentia intelligendum eſſe non ex obligatione ſtricta, maxime in Hiſpania, ubi ex canonicorum abſentia tempore permiſſo, debito ſibi ſervitio non ſolet defraudari Eccleſia, etiam in diebus ſolemnibus, tenent Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *punct.* 4. *fine.* Garcia 3. *p. cap.* 2. *num* 118. Palaus §. 10. *n.*9. Cæterum ex Congregationis Sacræ declaratione habetur, non poſſe confici ex horis quibus canonici reſidentes abſunt à Choro, dies, & ex diebus, & horis ſic collectis, non poſſe confici menſea abſentiæ, ſed dies reſidentiæ, & ſervitii, ſive continui, ſive interpellati, ſunt numerandi ut compleant numerum novem menſium. Palaus *num.*9. Barboſa *in declarat Concilii ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *pag* 553.

Privilegium vacationis pro obligatis reſidere conceditur.

46. Sed dictum Privilegium ſolum conceditur à Concilio pro Eccleſiis, quæ integro anno obligant reſidere. Unde ſi præbendatus beneficii poſſeſſionem accipiat in medio anno, non poterit illo anno tribus menſiboa abeſſe, ſed ſolum unum cum dimidio: quia cum ſolum ad reſidentiam dimidii anni ſit obligatus tantum medietate privilegii gaudere debet, eorum qui integro anno reſidere obligantur, & ſic pro rata temporis. Bonac. *p.*4. *num.*9. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.*8. *num.*159. Et cum hoc privilegium conceſſum ſit obligatis reſidere; non actu reſidentibus, poterit illo frui, etiam ſi conſuetudinem reſidendi non habeat, vel etiam ſi reſidere non incipiat, & ſic initio anni illius tribus menſibus frui. Ac denique illos tres menſea poterit computare, etiam ille qui abſque legitima cauſa toto anno vel majori parte abfuerit Sanchez 1. *part. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.*104. Bonac. *n.*15. & 22. Pellizzar. *num.*161. Palaus *num.* 11.

Tempore vacationis qui abſunt lucrantur diſtributiones.

47. An verò præbendati tribus menſibus à jure ſibi conceſſis non reſidentes, lucrentur non ſolum fructus beneficii, de quo non eſt dubium, ſed etiam diſtributiones quotidianas? Aliqui hoc negant, quia in *capitulo unico de clerico non reſidente in* 6. ſolum conceduntur diſtributiones quotidianæ abſentibus ob infirmitatem, neceſſitatem corporalem & evidentem Eccleſiæ utilitatem. Bonac. *diſ.* 2. *quæſt.*4. *punct.*2. *num.*11. Pellizzar. *tract.*5. *cap.*8. *num.*59. Palaus *diſp.* 3. *punct* 9. §.10. *num.* 11. Barboſa 3. *part. allegat.*53. *n.*114. Niſi præbenda nullos habeat fructus præter quotidianas diſtributiones, ob rationes ſæpius dictas. ¶ Sed valde probabile eſt, quod quando Concilium hoc tempus conceſſit, etiam illud indulſit pro quotidianis diſtributionibus lucrandis. Covarruvias *lib.* 3. *variar. cap.* 13. *num.*5. Vivaldus *in candelabro* 2. *p. cap.*5. *num.* 48. Sanchez *conſil.* 1. *par. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 93. Martinus à ſancto Ioſeph *lib.* 2. *cap.* 15. *num.*6.

PUNCTUM VI.

An ex ſtatuto vel conſuetudine Eccleſiæ excuſari poſſint, qui amplius quam per tres menſes non aſſiſtunt horis canonicis, ut fructus & diſtributiones præſentibus debitas, poſſint lucrari?

Fundator beneficii ſtatuere poteſt, ut plus temporis præbendatus abeſſe poſſit.

48. LOquimur in caſu quo ſtatutum ſit à fundatore Eccleſiæ vel beneficii, ut longo tempore præter tres menſes abſint præbendati, & nihilominus lucrentur fructus & diſtributiones. Nam licet aliqui dicant nec licitum, nec validum eſſe tale ſtatutum, utpote contra Sacros Canones, ſolum trium menſium vacationem conſtituentes, quaſlibet conſtitutiones & ſtatuta in contrarium abrogantes; Nihilominus verius eſt, & validum & licitum eſſe tale ſtatutum: quia non eſſet contra Sacros Canones, qui fundationes minime immutarunt, ſed eas intactas reliquerunt juxta fundatoris voluntatem, ne alii à ſimilibus fundationibus avertantur, quod in maximam utilitatem cedit Eccleſiarum, quibus utilius eſt habere beneficium cum aliqua reſidentia, quam illa omnino carere. Sic deciſum eſſe à Sacra Congregatione teſtatur Garcia 3. *p. de beneſ. capite* 2. *num.*244. & 7. *part. cap.*1. *à num.*116. & 9. *part. cap.* 2. *à num.*270. Moneta 2. *p. de diſtrib. quæſt.*13. *à num* 33. Bonac. *diſp.*2. *quæſt.*5. *fine.* Barboſa 3. *p. alleg.*70. *num.*78.

Statutum longius vacationis tempus concedens licitum eſſe & validum aliqui dicunt.

49. Loquimur ergo quando tale ſtatutum de non reſidentia ultra tres menſea, & quod toto eo tempore lucrentur diſtributiones, ab Epiſcopo cum capitulo ſanciretur, affirmat prima ſententia, & licitum, & validum fore (& idem eſt ſi decerneretur, ut ultra tres menſes abſentes, lucrarentur diſtributiones, adhuc in ſententia aſſerente, eſſe contra jus commune eas tali tempore lucrari, juxta dicta *num.* 48.) Et probatur primò, quia hoc poteſt per conſuetudinem introduci, ut dicemus: ergo etiam per ſtatutum: quia ſi inferiores poſſunt contra jus commune conſuetudine præſcribere: ergo etiam per ſtatutum: & ſic poterit Capitulum cum Epiſcopo ſtatuere longius recreationis tempus, & eo tempore concedere diſtributiones quotidianas. Secundo, quia de facto in pluribus Eccleſiis eſt factum ſtatutum jubilationis, pro his qui quadraginta annis inſervierunt, quibus non ſolum fructus, ſed etiam diſtributiones quotidianas conceduntur, ut teſtatur Moneta 2 *p. quæſt.*7. *num.*21. & *quæſt.*12. *num.*61. & *quæſt.*13. *num.* 41. Garcia 3. *p. cap.* 12. *num.* 105. Barboſa *de poteſt. Epiſ.* 3. *p. allegat.*53. *num* 117.

Illicitum & invalidum eſt dictum ſtatutum.

50. Cæterum illicitum eſſe, & invalidum tale ſtatutum judicamus: Quia inferior adverſus ſuperiorem ſtatuere non poteſt. *Clementin. in Romani de election. cap. ſuper his, de majoritate & obedientia.* Sed ſacris canonibus ſtatutum eſt, ut præbendati ſolum tribus menſibus vacent: ergo &c. Et eſt diſpar ratio de conſuetudine, quæ

vires,

vires; non tam ab introducentibus illam, habet; quam ex Superioris conſenſu expreſſo in *cap. finali de conſuetudine*, qui conſenſus non eſt expreſſus circa ſtatutum: ſed potius expreſſus diſſenſus: & licet demus ſtatutum illud jubilationis valere, non inde infertur, poſſe Epiſcopum, vel capitulum, quælibet ſtatuta facere à reſidentia excuſantia, & diſtributiones concedentia: quia in illo eſt ſpecialis ratio, quæ in aliis non inveniretur. Nam qui per quadraginta annos Eccleſiæ ſervivit, præſumitur non poſſe firma eſſe valetudine, ut reſidentiam continuare poſſit, & ſic tamquam valetudinarius vel infirmus excuſatur à reſidentia, & lucratur diſtributiones. Præciſo ergo tali caſu eſſet invalidum illud ſtatutum, eoque non poſſe uti in conſcientia Præbendatos, docent idem Garcia *num.* 104. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *punct.* 5. Palaus *tract.* 7. *diſp.* 3. *punct.* 9. §. 11. *num.* 3.

Conſuetudine introduci poteſt plus temporis non reſidendi.

51. Et quidquid ſit de conſuetudinibus introductis quoad hoc ante Concilium Tridentinum, quæ per ipſum fuerunt revocatæ. Si poſt Concilium alicubi introducta ſit conſuetudo, vel vacationis majoris quam ultra tres menſes, qui conceduntur ab ipſo. *ſeſſ.* 24. *cap.* 14. vel lucrandi diſtributiones tempore vacationis, vel alio tempore, quo eſt legitime excuſatus, ſed non tribus illis titulis, infirmitatis, corporalis neceſſitatis, & Eccleſiæ utilitatis evidentis, & talis conſuetudo ex honeſta & rationabili cauſa fuerit introducta, valida erit: quia conſuetudo adverſus jus commune prævalere poterit, licet in eo dicatur, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, ut diximus, *tom.* 2. *tract.* 19. *de Matrim. cap.* 11. *num.* 33. Et tunc licet peccent mortaliter, qui illam introducunt, vel ea utuntur, toto tempore quo non præſcripſerit conſuetudo: quia toto eo tempore viget jus commune contra quod agunt, ut diximus, *tom.* 3. *tract.* 11. *de legib. cap.* 6. *n.* 13. Ea tamen jam legitimè introducta poterunt tuta conſcientia illa uti, ut ibidem diximus, & in caſu de quo loquimur, tenent Covarr. *variar.* 3. *part. cap.* 13. *num.* 6. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 136. Garcia 3. *p. cap.* 2. *numer.* 348. Vazquez *opuſc. de benefic. cap.* 4. §. 3. *dub.* 1. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *punct.* 6. *numero* 4. Palaus *punct.* 9. §. 12. *numero* 2. ¶ Quando vero conſuetudo legitime introducta ſit in hac materia, id eſt, ex juſta & rationabili cauſa, & cum reliquis conditionibus ad conſuetudinem requiſitis, de quibus diximus loco citato *de legibus punct.* 3. Eſt difficultas inter Doctores. Nos caſus inter illos frequentiores proponemus, illud ut commune apud eos ſupponentes, quod regulariter præſumendum eſt, conſuetudinem eſſe legitimè introductam ſi prælatis videntibus, & non contradicentibus talis conſuetudo obſervetur.

Duplex caſus in quo dicta conſuetudo valida eſt & licita.

52. Igitur deſcendendo ad caſus particulares: Primò licita eſt conſuetudo aliquarum Eccleſiarum concedens, ut præbendati quatuor menſibus abſint; forte quia reliquis anni partibus ad ſtrictiorem, vel laborioſiorem reſidentiam obligantur: & quia judicatum eſt in illa Eccleſia, convenire præbendatis, ob aliquas cauſas honeſtas, quæ excogitari poſſunt: hoc enim fieri poterat ex privilegio: ergo etiam ex conſuetudine, quia quod ex privilegio licite fieri poteſt, poteſt etiam ex conſuetudine. Caſtro Palaus *punct.* 9 §. 12. *n.* 4. ¶ Similiter poteſt firmari conſuetudine ut omnes canonici tempore divinorum, Miſſam in eadem Eccleſia celebrantes, ſive illam celebrent ex mandato Superioris, ſive ex devotione, reputentur ut præſentes ad diſtributiones lucrandas: quia adeſt legitima cauſa talis introductionis, nimirum ut præbendati ad celebrandum excitentur, & major fiat populi concurſus ad Eccleſiam, ſcientes plura ibi eſſe ſacrificia. Secluſa vero conſuetudine, nec fructus nec diſtributiones lucraretur, qui tempore divinorum celebraret, niſi à ſuperiore ſubiretur, & idem dicimus de canonicis præter pœnitentiarium, illo tempore confeſſiones audientibus, qui licet, ſecluſa conſuetudine, præſentes minime videantur: hoc ex conſuetudine habere poterunt: quia adeſt juſta & rationabilis cauſa illam introducendi, Garcia 3. *p. cap.* 2. *numero* 401. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 164. Palaus §. 12. *num.* 6. & 7.

Duplex alius caſus in favorem conſuetudinis.

53. Secundo valida eſt, & licita conſuetudo quæ in aliquibus Eccleſiis introducta eſt ut tempore vacationis quotidianæ diſtributiones lucrentur: nam ſi tempore vacationis fructus conceduntur ex rationabili, & honeſta cauſa à Tridentino, eadem ſufficiet ad honeſtandam hanc conſuetudinem, cum diſtributiones quotidianæ ex fructibus beneficii ſint extractæ, & hoc etiam ſtando in probabiliori ſententia, de qua diximus, *num.* 48. Quod ex jure communi, abſentes eo tempore non lucrentur diſtributiones quotidianas, Pellizz. *num.* 162. Garcia 3. *p. cap.* 2. *num.* 148. Bonacina *diſp.* 6. *quæſt.* 5. *punct.* 6. *num.* 6. Covarruvias *tertio variar. cap.* 13. *num.* 5. ¶ Idem eſt de conſuetudine legitime introducta percipiendi non ſolum fructus; ſed etiam diſtributiones, eos qui Epiſcopo, vel Pontifici ſerviunt, docent, vel ſtudent ſuam juriſdictionem viſitant, aliiſque negotiis legitime occupantur, quia ex eadem cauſa qua licita redditur, ſuppoſita lege, fructuum perceptio, licita reddi poteſt diſtributionum lucratio, ſuppoſita legitima conſuetudine, Covarr. *num.* 5. Bonac. *num.* 19. Garcia 333. & 348. Moneta *de diſtribution.* 2. *p. quæſt.* 12. *n.* 42.

Alii caſus in quibus non reſidentia eſt introducta conſuetudine.

54. Tertiò conſuetudo aliquarum Eccleſiarum concedentium Iubilæum abſentiæ, his qui per quadraginta annos Eccleſiæ inſervierunt, etiamſi fortes & robuſti ſint, legitima eſt, quia eſt ex juſta cauſa introducta in ſignum gratitudinis Eccleſiæ, pro tam continuo & perſeveranti ſervitio, ut præbendati ſpe Iubilationis ad inſerviendum continuò, excitentur. Garcia *numero* 344. Moneta *quæſt.* 7. *num.* 20. Renedo 3. *part. collect. juris ad* 6. *decretal. collect.* 15. *num.* 8. ¶ Idem dicendum eſt de conſuetudine qua intereſſentibus matutinis tot diſtributiones conceduntur, ac præſentibus reliquis horis, quia matutinum media pars officii cenſetur. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. *punct.* 6. *num.* 14 ¶ Imò conſuetudine poteſt introduci non eſſe obligatos canonicos matutinis intereſſe, cum media nocte dicuntur, ſuppoſito quod per manſionarios, aliosque inferiores miniſtros ſufficienter choro provideatur: quia eſt rationabilis cauſa, ut ob ſervandam valetudinem excuſentur ab hora tam difficilis intereſſentiæ. Garcia 3. *p. cap.* 2. *numero* 325. & 326. Palaus *punct.* 9. §. 12. *num.* 4. *qui addit.* [Etiamſi in principio noctis dicantur, audio in multis Eccleſiis vigere conſuetudinem non eſſe obligatos intereſſe.]

Alii caſus eiuſdem materiæ recenſentur.

55. Quarto poteſt introduci conſuetudo, ut obligationi chori ſatisfaciat, qui per alium aſſiſtit: quia obligatio aſſiſtendi perſonaliter non eſt orta jure naturæ, non enim Eccleſiæ ſequitur ullum damnum, ſuppoſito non privari debito miniſtro; ſed ex jure poſitivo, quod abrogari poteſt conſuetudine, & quando Concilium *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* præcipit præbendatos per ſe ipſos aſſiſtere, omnem conſuetudinem

in contrarium excludens, loquitur de illa, quæ ante ipſum vigebat, non de poſt ipſum introducta, & ita in pluribus Italiæ Eccleſiis eſſe receptum teſtatur Bonac. *diſp.*2. *q.*1. *punct.*5. & *q.*5. *punct.*6. *n.*17. Pellizzar. *tract.*5. *cap.*8. *num.*172. Leſſius *lib.*2. *cap.*34. *dub.*33. *num.*158, Moneta 2.*p.q.*11. *n.*48. ¶ Et eiſdem rationibus firmari poteſt conſuetudo (ſuppoſita rationabili cauſa eam introducendi quæ rarò juſta eſſe poterit) ut præbendati ſibimetipſis officia ſuppleant, & unus pro alio aſſiſtat tempore quo non eſt obligatus officiis aſſiſtere; ſecus autem cum obligatus eſſet aſſiſtere, quia tunc ſua præſentia non poſſet alterius abſentiam ſupplere, cum defraudaret Eccleſiam obſequio unius miniſtri. Palaus *punct.*9. §.12. *n.*12.

Alii caſus commemorantur.

56. Quinto introduci poteſt conſuetudine (uti eſt introducta in pluribus Eccleſiis Hiſpaniæ) ut canonici groſſam ſeu præbendæ fructus lucrentur, paucis diebus in anno Choro aſſiſtendo, vel ſingulis diebus una dumtaxat hora, Garcia 3.*p. cap.*2. *n.*330. Palaus §.12. *num.*15. ¶ Sed introduci non poteſt conſuetudo ut hi qui unica tantum hora aſſiſtunt, reliquarum diſtributiones lucrentur: quia talis introductio potius corruptela & abuſus cenſendus eſt, cultum divinum diminuens, & relaxationem fovens, nec adeſſe poterit legitima cauſa illius, Bonac. *diſput.*2. *q.*5. *punct.*6 *n.*10. Moneta 2.*p. q.*12. *n.*50. ¶ Idem dicimus de illa conſuetudine ſeu potius corruptela qua diſtributiones conceduntur his qui in principio, vel in fine horæ dumtaxat aſſiſtunt. ¶ Atque idem judicamus adverſus Navarr. *de orat. cap.*5. *n.*21. & *cap.*21. *n.*64. & Martinus à ſancto Ioſeph *lib.*2. *tr.*15. *num.*5. de illa conſuetudine quæ eſt in aliquibus Eccleſiis, ut Præbendati ſingulis menſibus, unum vel duos dies vacationis aſſumant, pro barbæ tonſione: Ex qua enim juſta & rationabili cauſa potuit talis conſuetudo introduci? cum abſque abſentia Chori, poſſit brevi tempore huic operi incumbere. Moneta *numero* 45. Garcia *n.*245. Palaus *n.*18.

Alii caſus in favorem conſuetudinis.

57. Sexto admittenda eſt conſuetudo, qua duo vel tres dies vacationis, redeuntibus ex negotiis Eccleſiæ utilibus conceduntur ut quieſcere poſſint cum lucratione diſtributionum; quia adeſt juſta cauſa talis Jubilæi. Bonac. *numero* 20. Graffis 2. *p. deciſ. lib.*3. *cap.*15. *n.*12. Moneta *de diſtrib.* 2.*p.q.*12. *n.*44. ¶ Et idem dicendum eſt de profecturo, cui concedi poſſunt, duo vel tres dies vacationis, pro itineris præparatione, & judicandus eſt jam abſens in utilitatem Eccleſiæ: quia dum quis ad viam ſe præparat, cenſetur in illa eſſe, *ex l. qui mutantur* § *ſimiliter. & ibi* Gloſſ. *verbo agere, ff. ex quibus cauſis major.* At ubi non eſt conſuetudo hoc arbitrio prudentis penſandum eſt, quot dies abſentiæ ſibi profecturo ſi vere verſuro debeant concedi, ſecundum qualitatem perſonarum, rerum, & negotiorum, ut ex Baldo & aliis probat Menochius *lib.*1. *de arbitrariis, caſu* 33 *in fine.*

Alia laudabilis aliquarum Eccleſiarum conſuetudo.

58. Septimo validam eſſe & firmam illam conſuetudinem ducimus, qua cavetur, non reputandum eſſe infirmum, nec ut talem lucrari diſtributiones, eum, qui extra civitatem exiſtit, vel domo exiit, nec ad Eccleſiam accedit, vel qui Capitulum de ſua infirmitate certum non facit, tametſi talis conſuetudo ſit contra textum *in cap. unic. de Cleric. non reſidentib. in* 6. in quo infirmis conceduntur diſtributiones, & ſic illud ſtatuto, aut lege firmari non poſſet, poſſet tamen conſuetudine, quæ adverſus jus commune valet prævalere, & eſt hîc cauſa rationabilis eam introducendi, ut videlicet, vitentur fraudes, quæ ſine dubio facilius contingerent, ſi præbendatis à Choro excuſatis ob infirmitatem, permitteretur liberè è domo egredi, & per civitatem evagari. Garcia 3.*p.cap.*2. *numero* 435. Palaus §.12. *n.*20. Qui advertunt, eam conſuetudinem ne infirmi ut tales reputentur, ſi domo exeant, non debere intelligi de manifeſta infirmitate laborantibus ut podagra, paraliſi, &c. Quia durum eſſet hos obligare, vel ad nunquam domo exeundum, vel ad carendum diſtributionibus, quæ ipſis ex jure debentur.

TRACTATUS XVII.

DE VOTO, AC JURAMENTO.

PROOEMIUM.

CUM Votum, aut Juramentum ſint actus virtutis religionis in cultum, & honorem Dei ordinati, uti docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.*88. *art.*5. propterea in hoc volumine, in quo de religione agimus ex propoſito, tractare de Voto, & Juramento neceſſarium duximus. Et quia talis materia frequentiſſima eſt, & Confeſſoribus, quos inſtruere nitimur, paſſim obvia, & non paucis difficultatibus implexa. Cæterum plura quæ circa vota, & juramenta in præſenti tractatu à pluribus Doctoribus examinantur; Jam à nobis diverſis in locis hujus Curſus elucidata ſunt, & ne multoties eandem rem repetamus, ea, quæ ſuo loco jam exarata ſunt, omittemus, ad eum Lectorem remittentes, modo breviter attingentes, quæ circa hanc materiam in aliis tractatibus acta ſunt; ut in eis, qui voluerit ex propoſito videre poſſit. Etenim de voto caſtitatis ordinibus ſacris annexo latè egimus *tom.* 2. *hujus Curſus, tract.*8. *de Ordin. cap.*6. *per totum*, ubi quid per tale votum importetur, an ex jure divino, & naturali; an ſolum ex poſitivo, ſit tale votum continentiæ, ordinibus annexum; an ex vi legis Eccleſiaſticæ, vel ex vi voti caſtitatis, obligatio illius obſervandæ, in ordinatis conſurgat, & plura alia ad hanc materiam expectantia ibidem lato calamo dedimus. Quomodo, & quando votum caſtitatis ſit impedimentum impediens matrimonium, illicitum, ſed validum illud relinquens; & quando, & quomodo ſit impedimentum dirimens, illicitum, & invalidum reddens matrimonium, diximus: *dict. tom.*2. *tract.*9. *cap.*13. *num.*5. & *cap.*12. *numero* 3. ubi etiam *cap* 15. *à num.*13. diximus quando, & quo modo conjugatus, qui votum habet caſtitatis debitum reddere, aut petere poſſit.

2. Et eodem *tract. cap.*2. *à num.*29. egimus, quomodo votum ingrediendi religionem, & ſuſcipiendi ordinem ſacrum diſſolvant ſponſalia antecedentia, quæ nulla ſunt ſi poſt dictum votum celebrentur. Ubi etiam *num.*31. egimus, an poſt ſponſalia poſſit aliquis licite votum ſimplex caſtitatis emittere, & illo emiſſo an diſſolvantur ſponſalia. Et in *hoc* 4. *tom. tract.*15. *cap.*1. *à num* 30. in quo conſiſtat voti caſtitatis, aut paupertatis ſolemnitas, an iſta ſit de eſſentia religioſi ſtatus, an Summus Pontifex diſpenſare poſſit in voto ſolemni religionis jam reſolutum relinquimus: ubi etiam *eodem cap. à num.*63. egimus de votis, quæ in or-

dinibus

dinibus militaribus emittuntur, & de obligatione, quam inducunt, & ibi *cap. 4. à num.* 50. quomodo per profeſſionem omnia vota antea emiſſa ſive in ordine, ſive extra ordinem extincta manent. De voto autem ſimplici religionis, ſeu de voto illo ingrediendi religionem, quod eſt unum ex reſervatis; de obligatione, quam inducit, quando, & quomodo extinguatur, à quo relaxari queat plura diximus dicto *tract.*15. *hujus voluminis, cap.*2. per totum, ſimiliter de tribus votis ſubſtantialibus religionis *eodem tract. toto cap. 6. ubi à num.* 27. ſpecialiter fit ſermo de voto ſimplici caſtitatis, quod eſt unum ex reſervatis, de differentia illius à voto ſolemni, ad quid teneatur, qui cum illo contrahit matrimonium, ad quid obliget vǒtum virginitatis, ubi *etiam num.*32. illam graviſſimam difficultatem diſſolvimus, de illo qui graviſſimis tentationibus exagitatus cum periculo labendi votum caſtitatis emittit, an ſit licitum, & validum tale votum, ubi etiam *cap.* 4. *à num* 33. egimus an votum ſolemne ob aliquam rationem nullum ſaltem in vi voti ſimplicis obligationem inducat.

3. Etiam circa juramenta plura diverſis tractatibus ex præcedentibus diximus, nam *tom.*2. *tract.*9. *de matrim. cap.*2. *à num.* 5. diximus ſponſalia etiam jurata ex conſenſu contrahentium diſſolvi poſſe, ubi textum difficile D. Thomæ declaravimus, an vero contractus juramento firmentur, & quando obliget juramentum contractibus adjunctum, tametſi illa non confirmet, & quando, & quomodo contractus confirmet latè egimus *tom.*3. *de juſtitia & jure, tract.*14. *de contractibus, cap.*1. *punct* 7. *per totum:* An vero promiſſio prodiga facta fœminæ ſub juramento obliget *eodem tom. tract.*13. *cap.*1 *num.*166. diximus, an vero promiſſio jurata obliget ante acceptationem diximus *eodem volum tract.*14. *cap.*4. *punct* 4. *n.*70. quo etiam *tract. cap.*5. *à num.*56. explicuimus an licite poſſit revocari teſtamentum juramento firmatum, an vero ſit validum juramentum ex metu gravi extortum, inducatque obligationem illud adimplendi latè diximus *tract.*14. *cap.*1. *à num.*60. & plura alia ad iſtam materiam ſpectantia diverſis tractatibus hujus Curſus exarata ſunt, aliqua iterum attingere neceſſarium erit, omnia ex profeſſo ad quæſtionem adducere ſupervacaneum.

4. Quare hoc tractatu de rebus in generali ad votum, & juramentum pertinentibus agendum erit, quod in triplici capite dividemus. In primo erit ſermo de eſſentia, & natura voti, ac de conditionibus ad illud requiſitis, de materia illius, de ejus multiplicitate, de ejus obligatione, & tempore, quo urget talis obligatio voti executioni mandandi. In ſecundo de juramento, ejus natura, multiplicitate, conditionibus, ſeu comitibus illius, de materia ejus, ejuſque obligatione, de doloſo, amphibologico, metu extorto, juramento, de perjurio, & quando cum blaſphemia conjungatur. In tertio denique de modis, quo juramenta, aut vota ceſſare poſſunt, vel ob ceſſationem cauſæ finalis, vel per relaxationem factam, irritatione, diſpenſatione, aut commutatione.

CAPUT I.

De eſſentia, & natura Voti, ejus multiplicitate, materia, & obligatione, quam inducit.

Caput hoc continet ſeptem Puncta diverſis paragraphis diviſa.

PUNCT. I. *Quid ſit votum, & quibus conditionibus emitti debeat ut ſit validum, & licitum*, n.5.
§. I. *Quæ deliberatio requiratur, & ſufficiat ad votum*, n.9.
§. II. *De promiſſione, in qua voti natura perficitur*, n.16.
§. III. *Quod propoſitum voluntatis debeat dari, ut votum validè, & licitè emittatur*, n.19.
§. IV. *Qualiter votum ſoli Deo fieri debet, ubi de votis factis Sanctis, aut Prælatis*, n.28.
PUNCT. II. *De materia apta pro licita, & valida emiſſione voti*, num.30.
§. I. *An poſſit eſſe materia voti res aliàs præcepta? Ubi quomodo intelligatur illa particula* de meliori bono *explicatur*, n.30.
§. II. *Sitne validum votum de materia oppoſita conſiliis, quæ ad majorem perfectionem conducunt?* num.37.
§. III. *Sitne validum votum de rebus inutilibus, & differentibus?* num 55.
§. IV. *Qualiter votum, aut juramentum debet eſſe de re non peccaminoſa*, n.59.
§. V. *Sitne apta materia voti res impoſſibilis phyſice, aut moraliter? ubi de voto nunquam peccandi agitur*, n 73.
PUNCT. III. *De multiplicitate votorum, eorumque propriis differentiis*, n.86.
PUNCT. IV. *De obligatione voti, & an poſſit per alium talis obligatio compleri*, n.93.
§. I. *Obligatio voti declaratur*, n.93.
§. II. *Qualiter ob parvitatem materia violatio voti ſit ſolum peccatum veniale*, n.105.
§. III. *Poſſit ne obligatio voti, aut juramenti tranſire ad alios*, n.116.
PUNCT. V. *Quo tempore urgeat obligatio voti?* n.128.
PUNCT. VI. *De voto, ac juramento dubio, indeterminato, metu, & errore extorto, conditionali, ac pœnali*, n.133.
§. I. *De voto ac juramento indeterminato*, n.133.
§. II. *De voto, ac iuramento dubio*, n.143.
§. III. *Quomodo vota, aut iuramenta debeant interpretari?* n.148.
§. IV. *De voto, aut iuramento ex errore, aut dolo emiſſo*, n.155.
§. V. *De voto, aut iuramento metu extorto*, n.160.
§. VI. *De voto, aut iuramento conditionato*, n.165.
§. VII. *De voto, aut iuramento pœnali*, n.174.
PUNCT. VII. *De his, qui poſſunt vota emittere, & illis obligari*, n.178.

PUNCTUM I.

Quid ſit votum, & quibus conditionibus emitti debeat, ut ſit validum & licitum.

5. VOTUM (quod à verbo *Voveo*, quod eſt promittere, aliqui derivant, alii à voluntate, qua dicitur aliquis voto facere, quod ſpontaneè, propriaque voluntate ſpondet, ideoque votum quaſi volitum dicunt, unde ad ſignificandum deſiderium conſecutum, dicitur, quis, *Voti compos*, qui deſiderium nanciſcitur) tripliciter ſolet accipi: primo pro deſiderio propoſito, aut voluntate promittendi: ipſa namque pia deſideria, *pia vota*, vocantur, ſecundum illud Eccleſiæ in Canone Miſſæ: *Tibique reddunt vota ſua*, id eſt pia deſideria, affectus, & ſacrificia: & Prover. 11. *Quid dilecto votorum meorum*, id eſt deſideriorum, piarumque affectionum. Secundo pro ipſa materia promiſſa, 1. Paral. 29. *Lætatusque eſt populus cum vota ſponte promitteret:* & Pſal. 49. *Redde altiſſimo vota tua*, id eſt, id quod per vota promiſiſti. Tertio pro ipſa promiſſiono directa ad Deum, qua quis ſe Deo devincit ad aliquid faciendum, vel omittendum: Pſal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea:* Eccleſiaſt. 5. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio:* Deuter. 23. *Cum votum voveris domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum:* & hac ultima acceptione accipitur votum, de quo agimus in præſenti cum D.Th. 2.2.q.88. *per* 10.*art.* cujus titulus eſt, *de voto, per quod Deo aliquid promittitur.* Diverſæ acceptiones voti recenſentur.

6. Unde votum hac tertia conſideratione acceptum, ſic definiri poteſt ex eodem Angelico Præceptore *tota illa quæſtione*, præcipue *art.* 1. & 2. quem DD. communiter ſequuntur: *quod eſt promiſſio deliberata, & ſpontanea Deo facta, de re meliori.* Ex qua diffinitione quinque ad verum votum requiri conditiones, communiter DD. inferunt: quibus explicatis, diffinitio voti dilucidata relinquitur. Prima eſt; deliberatio ex parte intellectus cognoſcentis, & ponderantis onus, quod ſuſcipere nititur, & obligationem, Diffinitio voti proponitur.

qua adſtringi vult. Secunda, propoſitum, ſeu voluntas promittendi, obligandi ſe, & exequendi promiſſum. Tertia, ipſa promiſſio, quæ eſt actus intellectus practici, & quædam locutio practica, qua quis ſe Deo obligat, qui intuetur animam voventis. Quarta, quod talis promiſſio fiat Deo, eſt enim votum actus Religionis, & latriæ, ut docet D.Th. *art.5. hujus quæſtionis*, & ſic ad Deum dirigi debet, & cum Deus non acceptet, nec ei gratum ſit, quod eſt impeditivum majoris boni, additur quinta conditio, quod ſit de *re meliori*, hoc eſt de re Deo grata, & quæ comparatione ad ejus oppoſitum melior ſit, de qua conditione agemus *puncto ſequenti*, cum de materia voti ſermo ſit; modo de aliis quatuor conditionibus diſſeremus, diverſis paragraphis, ut clarius procedamus.

Votum abſque verbis, aut ſignis emitti poteſt.

7. Ex quibus deducitur primo, non requiri aliqua verba, aut ſigna, ut votum perficiatur ut docet D.Th. *hac.q.88.art.1.corp.* nam ſicut per promiſſionem homo obligatur homini, ſic Deo, & ab utroque debet acceptari, ut obligationem pariat; homo autem nequit acceptare promiſſionem ad ipſum directam, niſi per verba, aut alia ſigna externa ipſi manifeſtetur: *quia homines vident, ea quæ parent.* 1.*Reg.*16. *ſed Deus, qui intuetur cor*, poteſt abſque verbis, & ſignis per ſolam internam cogitationem votum ad ipſum factum, & promiſſionem per illud emiſſam acceptare, ideoque ut tale votum obligationem gignat nullis verbis indiget, aut ſignis, tametſi ad majorem certitudinem voventis, & ad majorem excitationem ſuæ mentis in Deum, ſoleat frequenter votum verbis oris declarari juxta illud Pſal.65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea:* quemadmodum de oratione dixit D.Thom. 2.2. *quæſt.* 83.*art.*12. quod licet ad Deum dirigatur, quandoque verbis internis, aut etiam externis ſolet exprimi, ad majorem excitationem affectus, & cogitationis in Deum.

Votum in actu intellectus directè, & principaliter cōſiſtit.

8. Sequitor ſecundo qood licet ad votum diverſi actus requiraotur, tam ex parte affectus voluntatis, quam ex parte intellectus, ipſum tamen eſſentialiter, & in recto in actu intellectus, qui eſt promiſſio, quæ eſt actus intellectus practici, conſiſtit. Quia ut inquit D.Th. *q* 88.*art.*10. Votum eſt lex quædam privata, qua quis ſpontaneæ obligatur Deo ad aliquid faciendum, vel omittendum; ſed ſicut homini non obligatur homo, niſi per promiſſionem factam illi, qua ordinat ad ipſum, quod in obſequium ejus facere ſtatuit, ſic Deo non obligatur niſi per promiſſionem, qua ordinat, & dirigit ad eum id, quod in honorem ejus vult, & proponit, ad quod ſe obligare intendit; ſed ordinatio, & directio eſt actus, qui pertinet ad intellectum: votum ergo in actu intellectus primo, & principaliter eſt collocandum; quamvis ſecum afferat propoſitum voluntatis. Quare ſicut in oratione, & datur affectus, actuſque voluntatis in Deum, quo vult illi ſubjici, ab eoque aliquid impetrari, & locutio mentis directa ad Deum, qua illi loquitur, ſuamque indigentiam manifeſtat, in qua locutione, quæ eſt actus intellectus oratio conſiſtit in recto, ut docet D. Th.*loc.cit.* ſicut in lege, & datur actus voluntatis legiſlatoris, qua vult, & intendit obligare, & ipſum imperiom practicum, quo imperat, & ordinat facienda, quod eſt actus intellectus, in quo lex in recto conſiſtit, ut diximus *tom.3.tr.11.c.2. n.2.* Sic in voto, quamvis præcedat propoſitum voluntatis moventis ad promittendum, quo vult promittere, & ſe obligare, ipſum vero votum in promiſſione illa ad Deum directa, & ordinata conſiſtit, qoæ eſt actus intellectus: ſic D.Th. 2.2.*q.*88.*art.*1.*corp.* P.M.Fr. Ioan. Martin. à Prado *tom.2.c.31.de vot.q.1.§.2.n.5.* Trull. *tom.1.in decal. lib.2.de voto, c.2.dub.1.n.2.* & alii.

---

§. I.

Quæ deliberatio ſufficiat, & requiratur ad votum?

Requiritur plena & perfecta libertas ad votū.

9. REquiri aliquam deliberationem ad votum, & ad juramentum manifeſtum eſt apud omnes, quia eſt quædam lex particularis, qua quis ſibi ſpontanee, & libere obligationem imponit, & ſic cum libertate, & deliberatione faciendum, & non quælibet libertas, aut deliberatio ſufficit; ſed debet eſſe plena, & perfecta deliberatio, & libertas; quapropter ebrii, amentes, dormientes, & abſque uſu rationis, qui plenam cognitionem, & deliberationem rei, quam promittunt, & obligationis, quam amplexantur non habent, non ſunt voti capaces, ob idque votum, vel juramentum verum non eſt illud, quod ab aliquibus repentino quodam motu, aut ira, aut orgenti aliqua neceſſitate non adverteotes, quid agànt, emittitur, abſque plena, & perfecta deliberatione; ſed vel abſque ulla, vel cum ſemiplena tantum libertate, & primo motu, vel cum inadvertentia operantur; non tamen requiritur matura, & longa diſcuſſio, ac conſideratio omnium, quæ conſiderari poſſunt, ſed in inſtanti, abſque diuina, aut longa rerum diſcuſſione ſufficiens deliberatio ad votum reperitur. Illa igitur libertas, & deliberatio requiritur, ac ſufficit pro voto, aut juramenro, quæ ad conſtituendum actum perfecte humanum, & ſimpliciter liberum requiritur, & ſufficit; nimirum illa, quæ eſt ſufficiens, & neceſſaria ad peccandum mortaliter. Quæ omnia docent Cajetan. 2.2. *q.*88.*art.*1. Fr. Ioan. Martin. à Prado *tom.2.cap* 31.*q.*1. §.5.*n.*26. Azor. *tom.5.lib.*11.*c.*12 *q.*3. Valent. 2.2.*diſp.*6 *q.*6. *punct.*1.*verſu in contrarium.* Tambur. *lib.3. decalog. c.*10.*n.*1.& 2. Palaus *tom.3.tr.*15. *diſp.*1. *punct.*4. *n.*2. Leander *tom.2.in decal.tract.*2.*diſp.*1.*q.*6.& 9. Soto *lib.7.de iuſt.q.*1.*art.*2. Sanch. *lib.*4. *Sum.c.*1. *n.*2. Suar. *tom.2.de rel.lib.*1.*c.*9.*mon.*5. & 6. Trull. *tom.1.in decal.lib.2.c.2.dub.1.n.3.*

Quod poteſt in inſtanti dari plena deliberatio ad votum probatur.

10. Et probatur quoad utramque partē aſſertio, quod enim plena, & perfecta deliberatin requiritur, qualis ad peccatum mortale, & non ſufficere ſemiplenam, aut imperfectam ex eo conſtat: quia obligatio voti eſt graviſſima proindeque ſine plena determinatione non poterit imponi; quod autem non requiratur eſſe diurnam, longoque tempore maturam, ſed ſubito poſſe introduci, patet in eo, qui repentino mortis periculo conſtitutus emittit votum rei alicujus bonæ, qoi ratione Religioſi voti meretur, & impetrat. Ratio à priori omnium ea eſt: quia ad eſſentiam voti, aut juramenti ſufficit, & requiritur, quod ſit actus perfecte humanus plene voluntarius, & liber; ſed ad hoc ſufficit illa deliberatio communis, quæ ad peccandum mortaliter ſufficit, & ad alios contractus humanos ineundos, quæ etiam in momento haberi poteſt quantum ad concluſionem, & tempore imperceptibili quantum ad deliberationem, ut in

præſeoti

præſenti dixit Cajetan. ergo, &c. colligiturque ex *cap. ſicut nobis, de regularibus, cap. ſicut ex literis, de jurejurando, cap. veniens, de voto, & voti obligatione*, ubi dicitur, *quod votum factum magis animi facilitate, quam arbitrio rationis validum judicatur.* Non ergo ad valorem voti matura, & diuturna diſcuſſio requiritur, ſed plena, & perfecta quamvis in momento habeatur.

Non eſt ſignum voti non fuiſſe libere factū, quod ſtatim illius pœniteat.

11. Verum eſt quod talia vota repentina juſtam habent in ſe cauſam, ut diſpenſari poſſint, ita quod ſufficiens ſit cauſa diſpenſationis, aut commutationis, quod abſque debita deliberatione votum ſit factum, ut ex dicto *cap. veniens* colligitur, & ibi docet Panormit. & Cajetan. *in præſenti.* ¶ At vero ſi ſtatim ac aliquis votum illud repentinum emiſit, pœniteat facti, non eſt ſufficiens ſignum, non fuiſſe plene liberum: ac proinde fuiſſe invalidum, nam pœnitentia illa non eſt argumentum vere factum non eſſe ex electione ſimpliciter tali, ac plena deliberatione, cum ſæpe contingat actus plene deliberatos à nobis ſtatim retractari ob novam difficultatem, conſiderationem, aut circumſtantiam, de facili enim homo mutatis circumſtantiis mutatur, & ob id multis nonnullos contractus ineunt, quos ſtatim pœnitet celebraſſe: ita Sanch. *de matrim. lib.* 1. *diſp.* 8. *n.* 8. *& in Sum, lib.* 4. *c.* 1. *n.* 10. Sylveſter *verbo votum* 2. *q.* 13. Prado *ſupra* §. 5. *n.* 30. Suar. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 11. Trull. *n.* 3. Azor *c.* 5. *n.* 5. Cæterum ſi cum hoc aliæ circumſtantiæ, & conjecturæ adſint, poterit invalidum, vel validum attentis omnibus judicari; maximè in dubio de vehementi, & repentina paſſione, an abſorberit rationem ad jurandum, vel vovendum; ideo tale ſignum, nec omnino rejiciendum, nec omnino admittendum eſt ut ſufficiens ad intentum, ſed inſpectis omnibus prudentis arbitrio judicandum.

Debet votū ehci cum magna prudentia, & deliberatione.

12. Sed quamvis ita ſit vota repentina nec longa, ac matura deliberatione ſuſcepta rata, & valida eſſe; ſed vere ut prudenter, ac proficuè fiant non niſi cum magna deliberatione, & conſideratione facienda, ſicut & quo major eſt obligatio quæ per votum ſubeunda eſt, eo major, & maturior conſideratio habenda, inſpectis omnibus, quæ concurrunt, & conferendo vires, indolem, ac propriam facultatem, cum re, quæ vovenda eſt, & cum obligatione ſuſcipienda, nec enim decet, aut congruit graviſſimam obligationem, qualis eſt, quæ ex voto conſurgit, ac proinde onus adeò grave ſuſcipere, niſi omnia, quæ inſpici debent maturè, & prudenter inſpiciantur, ut qui votum Caſtitatis, aut Religionis, quæ omnium graviſſima ſunt emitteret, imprudenter procederet niſi diſcuſſis, & ponderatis omnibus circumſtantiis, obligationibus, & aliis onus ſubiret, quia licet indubitatum ſit eſſe meliorem ſtatum Religionis, aut continentiæ, Deumque adjuvare in eum ſperantes: quapropter dixit D.Th. 2. 2. *q.* 89. *art.* 10. conſultationem neceſſariam non eſſe pro ingreſſuro Religionem; ſed ſecum id diſcutere debet, difficultateſque, impedimenta, diſpoſitionem, & alias circumſtantias mature penſare, nam ut recte ibi dixit Cajetan. *Temerè Religionis jugum ſuſcipientibus ſine computatione ſumptuum fit eis laborioſum, & grave: palato enim non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis.*

Quantum ſit peccatū veniale,

13. Quapropter peccare ad minus venialiter, qui ex repentino motu; & levi conſideratione vota magni ponderis emittit, dicimus, quia graviſſimam, & diuturnam obligationem non decet ſuſcipere abſque debita conſideratione, & conſultatione, ſecundum illud Eccleſiaſtici 5. *diſplicet Deo infidelis, & ſtulta promiſſio*: & eſt ſtulta illa promiſſio, quæ imprudenter fit, non conſideratis omnibus circumſtantiis concurrentibus, ſed frequenter in tali modo promittendi ſolum venialis culpa committitur, quia non intervenit niſi defectus prudentiæ in promittendo, qui terminos venialis culpæ non excedit. Quandoque autem nulla in tali voto culpa committitur, ut quando eſt votum de re levi, aut brevi tempore duratura, aut ſub culpa dumtaxat veniali obliganti; nam ad rem modicum, aut brevem non requiritur longa, aut matura deliberatio; Cajetan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. *dub.* 3. Valent. *diſp.* 6. *q.* 6. *punct.* 1. Sanch. *lib.* 4. *Sum. c.* 1. *n.* 9. Suar. *tom.* 2. *de relig. tract.* 6. *lib.* 5. *c.* 1. *n.* 2. Pradò *c.* 31. *q.* 1. §. 5. *num.* 12. Palaus *tom.* 3. *tract.* 5. *diſp.* 1. *punct.* 4. *num.* 5. ¶ Aliquando vero (quamvis raro contingat) erit peccatum mortale ſic præcipitanter vovere, & tunc hoc contingere dicunt Sanch. & Suar. quando promittens expertus eſt, ſe exponere periculo tranſgrediendi votum, cum levi aliqua conſideratione ductus vovet; ſed immeritò, aliàs cum hoc periculum eſſe poſſit in voto etiam plene deliberato, & matura conſideratione emiſſo peccatum eſſet mortale emiſſio talis voti, quod nemo dixit, quia tale periculum non ex præcipitatione in vovendo oritur; ſed vel ex fragilitate, vel ex prava voluntatis affectione. Erit ergo mortale, quando ex tali præcipitatione in vovendo ſe exponeret periculo illicita, aut impoſſibilia vovendi; nam cum talia Deo promittere peccatum ſit gravo, erit etiam tale, ſe tali periculo exponere, quod facit, qui præcipitanter, & inconſideratè vovet, prævidendo tale periculum, quod rariſſime contingit: ſic Caſt. Pal. & Fr. Ioan. Martin: a Prado *loc. cit.*

Quādo mortale præcipitanter vovere.

Objectio proponitur; & diſſolvitur.

14. Sed objicies quod ſi tale votum præcipitanter, aut leviter emiſſum peccatum eſt, non erit validum tale votum, nec obligationem aliquam inducet, quandoquidem votum, quod ſtultum eſt Deo non placet; imò *diſplicet ei infidelis, & ſtulta promiſſio*, & ſic non acceptatur à Deo, proindeque non obligat: ſicut promiſſio facta homini non obligat, niſi acceptetur ab homine. ¶ Reſpondetur, quod licet tale votum ſit peccatum, & ſic non acceptetur à Deo ad meritum gloriæ, acceptatur tamen quantum ad hoc, quod vovens maneat obligatus, ſuppoſito, quod materia ſit bona, Deique accepta, nam ad primum requiritur, quod actus nulla ex parte ſit vitioſus, ut ſit meritorius gloriæ, ut autem ſit operis faciendi obligatorius, & ut ſic acceptetur à Deo ſufficit, quod ex parte materiæ bonus ſit, quamvis ex aliqua extrinſeca circumſtantia vitiatus. Quemadmodum, ſi quis votum emitteret ob vanam gloriam erit ex parte huius extrinſeci malum, & ſic à Deo non acceptaretur ad meritum, quia tamen res promiſſa eſt bona, quamvis extrinſeca illa circumſtantia vitietur votum, cum res ipſa promiſſa non vitietur, manet cum ſuo robore votum, & à Deo acceptatur, ut obligatorium. Sic in præſenti contingit.

Etiam ad votum ſub veniali obligans perfecta deliberatio requiritur.

15. Et ſi forte quæras, an quando votum eſt de re levi, & ideo ſolum obligat ſub veniali, ſufficiat, ut validum, & obligatorium perſiſtat, ſemiplena advertentia: ſicuti ad peccatum veniale

veniale ſufficit ſemiplena deliberatio? Affirmat prima ſententia, quæ probatur primo, ideo votum ad mortale plenam, & perſectam deliberationem exigit, quia æqnum non eſt, hominem ſibi tam grave onus imponere, niſi per actum plene, & perfecte humanum: ergo à contrario ubi ſolum adeſt levis obligatio, & ſic leve onus imponitur, actus imperfecte humanus ſufficit. Secundo, ſufficit ſemiplena deliberatio ad tranſgreſſionem levem voti, aut alterius obligationis: ergo eadem erit ſufficiens ad obligandum leviter ſub peccato veniali; atque ita docent Paludan. *in 4. diſp. 38. quæſt. 1. art. 1. num. 8.* Torres *de juſtitia, & jure diſp. 64. dub. 11. num. 5.* & D. Anton. *2. part. tit. 11. cap. 2. notab. 6.* Guttier. *2. canon. quæſt. cap. 22. num. 5. 8. & 9.* ¶ Sed negativa ſententia tenenda eſt, quam defendunt Aragon. *2. 2. quæſt. 88. art. 1. fol. 965.* Prado *ſupra num. 36.* Sanchez *cap. 1. num. 8.* Toletus *lib. 4. cap. 17. num. 4.* Suarez *lib. 1. cap. 6. n. 7.* Trull. *lib. 2. cap. 2. dub. 1. n. 3.* Lugo *de juſtitia, tom. 2. diſp. 23. ſerm. 1. n. 22.* Fr. Ioannes à S. Thom. *diſp. 29. art. 3.* Soto *lib. 7. de juſt. q. 1. art. 2. col. 5.* Rodriguez *2. p. Sum. cap. 92. num. 1.* Leander *tom. 2. in decalog. tract. 2. diſp. 1. q. 8.* & alii. Et ratio eſt, quia res etiam levis eſt ſub plena, & perfecta poteſtate promittentis; ergo ſine ejus integro, & pleno conſenſu non poteſt ab ejus poteſtate auferri, qnaliter per votum etiam leviter obligans aufertur, & ſic perfectum, & plenum actum humanum requirit ad ejus valorem. Maxime, quia votum etiam rei levis eſt lex particularis, quæ ex ſe, & ex natura ſua gravem induceret obligationem, & ob levitatem materiæ ſolum inducit levem. ergo debet cum plena libertate, & conſideratione emitti, ut vim obligandi habeat. ¶ Per quæ manent contraria fundamenta ſoluta, nam ad primum dicimus, illud votum per ſe, & ex natura ſua inducere gravem obligationem; ideo ex natura rei illam libertatem exigit ad ſui perſiſtentiam, quæ pro voto graviter obligante requiritur, quamvis ob levitatem materiæ ſolum levem obligationem pariat. Secundo fit ſatis ex dictis, quia licet culpa venialis ob ſui perfectionem committi poſſit cum deliberatione ſemiplena dumtaxat, lex autem privata, qualis eſt votum, & quæ ex natura rei gravem, & perfectam obligationem inducit, petit perſectam deliberationem ut ſubſiſtat; ſicut quælibet alia lex, licet per accidens, ob levitatem materiæ ſolum inducat obligationem venialem.

§. II.

De promiſſione in qua voti natura perficitur.

Propoſitum ſine promiſſione non ſufficit ad votum.

16. QUamvis olim inter Doctores fuerit nonnulla controverſia, an votum abſque promiſſione valeat cum ſolo propoſito efficaci faciendi, quod intendit? aliquibus ex Canoniſtis aſſerentibus ſolum propoſitum ſufficere ad votum nulla etiam promiſſione interveniente, ducti ex variis texribus, ſpecialiter ex illo dicto, D. Greg. *homil. 3. in Ezech. relato in cap. qui bona 17. q. 1.* ibi: *qui bona agunt, ſi meliora propoſuerunt, in conſpectu Dei ceciderunt*: cadere autem in conſpectu Dei eſt peccare, juxta illud: *Septies in die cadit juſtus*, quod peccatum niſi ob fractionem voti non eſſet; adeſt ergo verum votum cum ſolo propoſito abſque promiſſione. Præterea, quia qui bona proponit, & non exequitur, inconſtans eſt, & ſic peccat peccato inconſtantiæ, contra quem Salvator dixit, *Qui mittit manum ad aratrum, & reſpicit retro non eſt aptus regno Dei.* ¶ Cæterum communis jam ſententia tam Canoniſtarum, qnam Theologorum tenet nullum propoſitum quantumvis firmum, & efficax niſi promiſſione firmetur, habere vim voti, nec ut tale obligationem inducere. Differt autem propoſitum à promiſſione, illud namque eſt voluntas deliberata aliquid faciendi, & ſolum procedit ex deliberatione rei faciendæ: promiſſio autem procedit ex deliberatione acceptandi obligationem, & ſibi eam imponendi, eſtque locutio practica directa ad Deum, qua ſe vult illi obligare. Probatur ergo communis aſſertio, quia aliud eſt proponere rem faciendam, aliud velle ſe obligare ad illam: per illud ſolum affectum ad rem ſignificatur; at obligatio ſolum ex promiſſione conſurgit: ſicut homo homini dumtaxat promiſſione obligatur, ſic Deo ſolum per illam ſibi obligationem imponit: *& ideo in cap. litterarum, de voto* de quodam morbo laboranti dicitur: *Eum, qui ultra propoſitum mutandæ vitæ non eſt progreſſus, in voto illo non teneri*: & in Trident. *ſeſſ. 25. de regular. c. 15. & 16.* datur libera facultas dimittendi habitum pro toto anno Novitiatus, etiam ei, qui habitum aſſumpſit cum propoſito firmo promittendi. Atque ita docent D. Th. *2. 2. q. 88. art. 1.* Navarr. *c. 12. n. 26.* Covarr. *cap. quamvis pactum 1. part. §. 3. num. 22.* Guttierr. *lib. 2. qq. canon. cap. 22. à num. 32.* Azor *lib. 11. cap. 13. q. 5.* Valentia *diſp. 6. quæſt. 6. punct. 1. in ſolut. ad 2.* Prado *ſuper §. 7. num. 53.* Fr. Ioan. à S. Thom. *diſp. 29. art. 1. ad 2.* Trullench. *tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 1. num. 2.* Sotus *de juſt. lib. 7. q. 1. art. 2.* Palaus *tom 3. tract. 15. diſp. 1. punct. 2. n. 2.* Sanchez *lib. 4. cap. 1. num. 20.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 2. à num. 5.* Leander *tom. 2. tr. 2. diſp. 1. quæſt. 14.* Tambur. *lib. 3. decalog. c. 10. n. 3.* Bonacin. *tom. 2. diſp. 4. q. 2. punct. 1.*

17. Eſſe tamen peccatum veniale inconſtantiæ, ſi abſque cauſa, ſola animi mutabilitate propoſitum melioris vitæ mutetur, cum conſtantiæ virtus exigat hominem non recedere à meliori ſemita aſſumpta; ſicque explicandum eſſe textum D. Greg. pro contraria ſententia adductum, & alium de eo, qui manum mittit ad aratrum, &c. plures graviſſimi Doctores tenent. Quibus illud D. Bernardi dictum opitulatur *epiſt. 9. Quiſquis maius bonum ſubire proponit, bonum minus, quod potuit ſibi illicitum fecit*, & rurſus: *Qui fortiori ſtudio intenderat, retro reſpicere convincitur, ſi relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur*; quamvis enim, dicunt, obligationem merum propoſitum non inducere, tamen ratione inconſtantiæ, trepiditatis, & remiſſionis animi frequenter hoc ſine veniali non fit: propterea de fractione propoſitorum Deo factorum timorati in Confeſſione frequenter accuſantur. Sic Raphaël de la Torre *2. 2. quæſtione 88. art. 1. diſputatione 7. num. 7. & 8.* Bartholomæus à ſancto Fauſto *libro primo, Theſaur. quæſtione 4. num. 9.* Angelus *verbo votum 1. num. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 4. num. 22. fin.* Rodriguez *2. tom. Summ. cap. 92. fine.* Villalob. *2. part. tract. 34. diff. 1. num. 8.* Prado *n. 56.* Palaus *num. 3.* & alii. Eſſe veniale propoſitum factum frangere aliqui dicunt.

18. Sed

Fractio ſolius propoſiti nullum peccatū eſt.

18. Sed alii probabilius nullam culpam agnoſcunt in fractione propoſiti, niſi aliqua circunſtantia ſpecialis adjuncta ſecum illam trahat. Nam propoſiti oatura ex ſe variabilis eſt, ob idque ut firmetur, ei promiſſio voti, aut juramenti adjungitur, & ſic nullam obligationem ſimplex propoſitum inducit, qoia nec eſt obligatio orta ex lege aliqua communi, ut conſtat, nec ex lege particulari, qualis eſt ſolum votum, aut juramentum, nec defectus conſtantiæ habet ſpecialem rationem culpæ, niſi ex aliquo præcepto ſit culpabilis: erit tamen major perfectio virtutis conſtantiæ, nedum in obligatoriis perſeverare; ſed etiam in adimpletione propoſiti ſancti de rebus, ad quas non tenetur, ob idque dicitur à D. Greg. *in conſpectu Dei cadere, qui à bono propoſito reſilit*: quia cadit à perfectione, quam eſt aggreſſus, & textum illum D. Lucæ de eo, qui mittit manum ad aratrum, ſic explicat D. Thom. *art.1. ad 3. Ad tertium dicendum, quod ille, qui mittit manum ad aratrum jam facit aliquid: ſed ille, qui ſolum proponit nondum aliquid facit. Sed quando promittit jam incipit ſe exhibere ad faciendum: licet nondum impleat, quod promiſit: ſicut ille, qui ponit manum ad arandum, nondum arat, jam tamen ponit manum ad arandum.* Quare nullam reperiri culpam in ſola fractione propoſiti, docent Soto *lib.7.q.1.art.2.circa fin.* Azor. *q.5.cit.* Tolet. *lib.4.c.17.n.7.* Dicaſtillo *de juſtit. tom.2.lib.1.diſp.2. dub.12. n.244.* Bonac. *num.2.* Suar. *à n.5.* Sanch. *n.2.* Valent. *p.1. col.9. verſu reſpondeo nullum propoſitum.* Leander *q.16.* Tambur. *cap.11.n.2.* Sayrus *in clavi, lib.6 c.1. num.6.* Trullench. *dub.1.n.2.*

§ III.

Quod propoſitum voluntatis debeat dari, ut votum validè, & licitè emittatur?

Qui vovet abſque animo promittendi, & ſe obligandi nihil facit.

19. Eſſe neceſſarium ad votum propoſitum voluntatis certiſſimum eſt inter Doctores; ſed inter illos non eſt exiguum diſſidium examinare, qualis animus, intentio, aut propoſitum voluntatis requiratur, ut votum validè, & licitè ſit emiſſum. Pro quo recolenda ſunt, quæ diximus *tom.2.hujus curſus tract.9. de matrim.c.1. à n.25.* agentes de intentione requiſita ad conſtituenda ſponſalia: & *eodem tom. tract.8. c.6. à n.35.* agentes de intentione ordinandorum, ut obligati maneant voto caſtitatis: & *hoc tom. 4. tract.15. à n.29.* agentes de intentione, & animo requiſito ex parte profitentis, ut validam, & licitam emittat profeſſionem, & ex ibidem dictis ſupponendum eſt voventem, aut jurantem trifariam ſe poſſe habere circa animum, propoſitum, aut intentionem. Primò, ſi ſolum verbis juret, aut voveat; ſed poſitivum animum habens non promittendi, nec ſe obligandi, & iſtum proculdubio nullum votum emittere cenſendum eſſe, communis tenet ſententia, quia ſolum vult ludere verbis, & dolo, aut fallacia promittere, nullum tamen habet animum vovendi; unde dixit D. Thom. *in 4. diſt.38. q.1. art.1. q.1. ad 2. promiſſio quandoque fit ore, & non corde, & talis apud Deum non eſt votum.*

Nullum eſſe votum factum ſine animo im-.

20. Alio modo ſe poteſt vovens habere, itaut habeat animum promittendi, & ſe obligandi; ſed cum voluntate, & intentione non implendi promiſſum, & iſtius nullum eſſe votum, dixit Valent. *tom.3. in 2.2. diſt.6.q.6. punct.1. §. ſi autem dicatur*, quod probabile judicat Palaus *tomo 3.tract.15.diſp.1. punct.3.n.4.* quatenus oppoſitum ſolum dicit probabilius, & probat primo ex D.Thom. dicente in præſenti *promiſſio procedit ex propoſito faciendi*: Ergo ubi non eſt propoſitum faciendi, non erit vera promiſſio, & ideo *art.1.* aſſignat tres conditiones pro voto valido, nimirum: *deliberatio, propoſitum, & promiſſio.* Secundò, quia ſi quis homini promitteret, & ſtatim diceret ſe non habere animum implendi, potius illudere, quam promittere judicaretur: Ergo ſimiliter apud Deum, qui intuetur cor. Tertiò, id eſt de eſſentia voti, quod eſt de eſſentia promiſſionis; ſed de eſſentia promiſſionis non ſolum eſt velle ſe obligare, niſi propoſitum faciendi: promittere namque verè non poteſt, niſi volendo exequi, quod promittit.

plendi aliqui dicunt.

Obligat votum eum, qui abſque animo implendi promittit.

21. Communis tamen ſententia dicit obligationem voti non elidi ex perverſo animo non adimplendi promiſſum. Obligatio namque voti ex vera promiſſione, veroque animo promittendi, & ſe obligandi proficiſcitur, quæ diverſa ſunt, & ſeparabilia à propoſito adimplendi, ab eoque omnino independentia. Maximè, quia votum lex eſt quædam privata, ſtat autem in legiſlatore eſſe animum obligandi per legem, abſque voluntate exequendi præceptum, ut patet in præcepto, quod Deus impoſuit Abrahamo de occidendo filio, quo voluit eum obligare, abſque animo, quod occiſio executioni mandaretur. Quapropter diximus locis *n.9.* citatis, promittentem ſponſalia abſque animo implendi teneri ſtare promiſſis: & recipientem ordines ſacros animo promittendi, & ſe obligandi ad caſtitatem, cum propoſito perſeverandi in concubinatu, voto caſtitatis manere conſtrictum: & profitentem in religione abſque animo ſervandi vota, & perſeverandi, nihilominus manere verè profeſſum: & in præſenti communiter docent Doctores Cajet. 2. 2. *art.1. circa 3. concluſionem.* Aragon. *ibi concluſ.3. fol.969.* Azor. *lib.11. c.4. q.2. & c.13. q.9.* à ſancto Fauſto *lib.1. theſaur. q.17.* Sanch. *lib.4.c.1.n.23.* Leſſius *lib.2. c.40. dub.1. n.7.* Gutt

iet. *lib.2. can. qq. c.22. num.30.* Suar. *tom.2. de relig. lib.1.c.4.n.3.* Bonac. *tom.2. diſp.4. q.2. punct.1. n.14.* Trullench. *lib.2.cap.2. dub.1.n.14.* Prad. *tom.2.c.31.q.1.§.3.n.9.*

Contraria ſolvuntur argumenta.

22. Ad primum contrariæ ſententiæ reſpondetur, D.Thom. loqui de regulari modo vovendi, in quo ſimul cum promiſſione jungitur voluntas implendi promiſſum: vel (ut melius explicat eum Cajetanus) loquitur de voto licito, & perfecto, ad quod tres illæ conditiones requiruntur; & abſque propoſito manet votum illicitum, & imperfectum, imò truncum; quemadmodum ut homo perfectus ſit debet habere manus; pedes, caput, &c. & abſque aliquo ex illis manet homo; ſed truncus, & imperfectus. ¶ Ad ſecundum dicimus, quod cum homines ſolum judicent de externis, illa verba judicarent promiſſionem illam non ſeriò; ſed jocò factam, ſi tamen conſtaret illum verè voluiſſe promittere, & ſe obligare, licet ſtatim innueret ſe nolle implere, maneret obligatus, & cogeretur promiſſionem implere, nec verba ſubſequentia poſſent præcedentem obligationem auferre: ſic in præſenti, ubi promiſſio fit Deo, qui intuetur cor, & animum promittentis. ¶ Ad tertium, quod licet in promiſſione perfecta, & completa aoimus adimplendi promiſſum debet inveniri, hoc tamen non eſt de eſ-

ſentia promiſſionis, ſed qoid ad illam conſequotum ad perfectionem, & complementum illius.

De duplici modo, quo poſſit aliquis votum facere. 23. Tertio modo ſe poteſt habere promittens, ut habeat animum promittendi, & adimplendi promiſſum, ſed abſque animo ſe obligandi, quod trifariam poteſt accidere. Primò, ut qui ſcit eſſe annexam obligationem voto, ſed de illa non recordatur cum votum emittit, & ſic negativè ſe habeat, nec poſitivè volens ſe obligare, nec poſitivè nolens obligationem ſibi imponere, ſed negativè ſe habens, nec volendo, nec nolendo obligationem, & iſtum manere vi voti obligatum, conſtans eſt omnium ſententia. Tum quia qui vult antecedens, vult conſequens ſaltem implicitè. Tum etiam, quia qui vult vovere, vult juxta naturam illius, & modum communem vovendi, votum emittere: & ſic virtualiter vult ipſam obligationem, quæ eſt naturæ voti eſſentialiter annexa, uti diximus tribus locis citatis *num.* 19. in tribus caſibus ibi poſitis. ¶ Secundo modo, ſe poteſt habere vovens, itaut erret judicio, quo putat votum non trahere ſecum obligationem, & cum hoc errore emittat votum, obligationem nolendo, ſic omnes ferè aſſerunt, iſtum manere ab obligatione voti immunem. Tum, quia nemo ſibi obligationem imponit, niſi volendo illam, & ſibi ſpontaneè eam imponendo; iſte autem minimè vult illam obligationem; nec formaliter in ſe, nec virtualiter in promiſſione, cum erret judicando talem obligationem non eſſe promiſſioni annexam, unde iſta nullo modo eſt illi voluntaria. Tum etiam, quia iſte non vult emittere veram promiſſionem, veram namque promiſſionem velle non poteſt, qui eam penitus ignorat, cum nihil volitum, quin præcognitum, ignorat autem veram promiſſionem, qui errat in eo, quod eſt eſſentialiter annexum promiſſioni. Sic diximus tribus caſibus enumeratis, *n.* 19. non manere obligatum, qui cum tali errore promitteret.

Sententia aſſerens manere voto obligatum, qui promittit animo non ſe obligandi. 24. Denique poteſt aliquis velle promittere, & ſciens eſſe obligationem annexam promiſſioni, nolle obligationem ſibi imponere; ſed eam à promiſſione ſeparare. Et de iſto, aliqui dicunt voto manere obligatum. Et probatur primò, quia iſte verè vult promittere, & vovere, eſt enim promiſſio prior obligatione, & ſaltem in voluntate ſeparabilis ab illa, unde hic volendo vovere virtualiter vult obligationem voluntate antecedenti, quæ ex voto proficiſcitur neceſſario: ergo perverſa voluntas ſubſequens, qua non vult obligatum manere, non tollit obligationem, quæ ex natura rei ſequitur ex voto, ſicut qui vult ſtipulam applicare igni, in ea voluntate vult, quòd comburatur, licet inordinatè poſtea vellet non comburi. Secundò, quia voluntas perverſa quandoque etiam impoſſibilia vult, ſicuti æquari Deo, de qua dixit D. Bernard. *ſerm. 3. de reſur. voluntas propria quantum in ipſa eſt Deum perimit*: ergo ſtat velle vovere, & promittere, & nolle obligationem, quæ ex tali promiſſione conſurgit, quod eſt impoſſibile; ſed in priori voluntate vult virtualiter obligationem, quam per ſubſequentem perverſam voluntatem nequit excutere: ergo, &c. Atque ita tenent Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *quaſt.* 1. *à num.* 28. Soto *de juſtitia*, *lib.* 7. *quaſtione* 1. *artic.* 2. Aragon. 2. 2. *quaſt.* 88. *art.* 1. *fol.* 969. Guttier. *lib.* 2. *quaſt. can. c.* 22. *num.* 31. & alii.

Qui animo non ſe obligandi vovet, non manet voto obligatus. 25. Sed nos conſequenter ad dicta tribus locis *num.* 19. citatis aſſerimus, nullum eſſe votum, nullamque obligationem inducere promiſſionem, qua quis vult vovere, & promittere, poſitivè nollens ſe obligare, etiamſi ſciat obligationem eſſe voto, aut promiſſioni annexam: & ideo locis citatis diximus non eſſe obligatum ad contrahendum matrimonium, qui ſponſalia promiſit animo non ſe obligandi; nec voto caſtitatis manere adſtrictum, qui ordines ſuſciperet ſacros animo vovendi caſtitatem, ſed non ſe obligandi ad illam: nec manere votis profeſſionis alligatum, qui volens profiteri, non vult manere profeſſione obligatum; tametſi omnes ſcirent eſſe talibus promiſſionibus obligationem annexam. Aſſertio ergo probatur: quia qui vult apponere conditionem contra ſubſtantiam contractus, quem vult inire, nihil facit, contractumque nullum reddit: ut qui vellet matrimonium contrahere, & nollet perpetuitatem, vinculum, aut obligationem illi eſſentialiter annexam: ergo ſimiliter, qui vult vovere, & non vult obligationem voti, quia vult qualitatem, aut conditionem contra eſſentiam voti, votum non facit, irritumque illud reddit. Confirmatur, quia votum eſt lex privata, lex autem non obligat niſi juxta intentionem, & voluntatem legiſlatoris, quis enim diceret ſubditos manere lege obligatos, quam Rex ſancivit, ſed abſque intentione obligandi; imò verius diceret ipſum legem non tuliſſe, cum abſtulerit omnem obligationem, quod eſt contra ſubſtantiam legis? ita philoſophandum eſt in voto, cujus obligatio non deſcendit à verbis, ſed à corde, & intentione ſe obligandi, ſine qua votum nequit habere veram rationem voti. Sic Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *diſ.* 1. *punct.* 3. *num.* 2. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 7. & 10. Azor. 1. *p. lib.* 11. *c.* 13. *q.* 9. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 27. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 1. *num.* 6. Bonacin. *tom.* 2. *diſ.* 4. *quaſt.* 2. *num.* 1. 12. & 13. Trullench. *dub.* 1. *num.* 12. & 13. Valent. *diſ.* 6. *quaſt.* 1. *punct.* 1. *poſt medium.*

Argumenta contraria ſolvuntur. 26. Ad primum contrariæ ſententiæ dicimus volentem vovere, & promittere, & non ſe obligare velle impoſſibilia, & contradictoria, & ſic velle vovere, & non vovere, quod in voluntate perverſa non eſt impoſſibile, maximè voluntate inefficaci, & ſic, & vult promittere, & non promittere, quorum unum deſtruit aliud; unde nihil in veritate facit. ¶ Ad ſecundum dicimus, eum qui vult promittere & non ſe obligare, non velle vera voluntate votum; ſed voluntate ficta, & doloſa, qui enim abſque animo ſe obligandi promiſit, fraudulenter, & fictè promiſit, & ſic ex promiſſione obligationem non contraxit, quæ ſolùm ex promiſſione vera conſurgit: ſicut combuſtio non ex applicatione ficta ſtipulæ ad ignem; ſed ex vera procedit.

Quale erit peccatum abſque debito animo votum emittere? 27. Et ſi quæras quod peccatum committit, qui abſque debito animo aliquo ex modò dictis votum emittit? Reſpondetur, quòd ſi fictio fuerit ex defectu propoſiti implendi, erit leve; vel grave, juxta gravitatem materiæ: vovere enim ſine propoſito implendi, idem peccatum eſt cum ipſa fractione voti, & ideo juxta naturam iſtius, illius gravitas eſt penſanda. Si tamen eſſet fictio ob defectum voluntatis ſe obligandi, ſi hoc ex errore fieret nulla daretur culpa, ſi ſciens obligationem eſſe annexam voto, nollet

ſe obligare vovendo, regulariter ſolum peccatum veniale committeret, quia ſolum eſt quædam inordinatio, in hoe quod verba menti non conforment, quod regulariter non excedit limites venialis culpæ. Sie Trullench. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub. num.* 15. Suarez *lib.* 5. *de voto, cap.* 1. *num.* 4. 5. *&* 6. Sanchez *lib.* 4. *c.* 1. *num.* 38. Reginald. *lib.* 18. *praxi, num.* 261. Bonac. *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 15. Palaus *tract.* 15. *diſp.* 1. *punct.* 3. *num.* 5. Villalob. 2. *part. tract.* 34. *diff.* 1. *num.* 5. ¶ Diximus *regulariter*, nam in profeſſione religionis, ordini ſuæ ſacri ſuſceptione, proculdubio erit peccatum mortale, quocumque ex modo dictis, abſque propoſito, & animo vivere: quia licet nemo obligatus ſit ſtatum religionis aſſumere, vel ad ordinem ſacrum aſcendere; attamen hoc ipſo, quod liberè hæc aliquis aſſumat, obligatus eſt ea accipere eo animo, & voluntate, quam Eccleſia, & religio præſcribit: aliter Eccleſiæ, & religioni, quas in re adeò gravi decipit, gravem injuriam infert, uti diximus *tractatu de ordine, & tractatu de ſtatu religioſo*, locis *num.* 19. citatis.

§. IV.

Qualiter votum ſoli Deo fieri debet? Vbi de votis factis Sanctis, aut Prælatis.

Votum eſt actus religionis, quo Deo aliquid offertur.

28. QUarta conditio pro voti eſſentia *n.* 6. aſſignata eſt, quod ſit *promiſſio facta Deo*, eſt enim votum actus religionis, (ut docet D. Thom. *art.* 5. *hujus quæſt.* 88.) quæ cultum divinum Deo debitum reſpicit: nam ſicut per promiſſionem factam homini, ab eoque acceptatam, homo obligatur homini, ſic per promiſſionem Deo factam, homo obligatur Deo, quem per emiſſionem voti honorat, teſtatur namque vovens, Deum habere rerum omnium providentiam, ipſumque eſſe, ad quem confugiendum eſt in anguſtiis, quique ſolus opem ferre poteſt tribulatis. ¶ Etſi fortè objicias, quod votum quandoque Sanctis, quandoque Prælatis ſit, ut quando Beato Petro promittis peregrinationem, Beatæ Virgini recitationem Roſarii; & P. N. Generali obedientiam in profeſſione: non ergo per votum ſit ſoli Deo promiſſio. ¶ Reſpondet ad hoc D. Thom. *art.* 5. *citato ad tertium*, ſic: *Ad tertium dicendum, quod votum ſoli Deo fit; ſed promiſſio etiam poteſt fieri homini, & ipſa promiſſio boni, quæ fit homini poteſt cadere ſub voto, in quantum eſt, quoddam opus virtuoſum: & per hunc modum intelligendum eſt votum, quo quis vovet aliquid Sanctis, vel Prælatis: Vt ipſa promiſſio facta Sanctis, vel Prælatis cadat ſub voto materialiter, in quantum, ſcilicet, homo vovet Deo ſe impleturum, quod Sanctis, vel Prælatis promittit.*

Promiſſio facta Sanctis, ut in eis ſplendet Deus eſt votum.

29. Quod bifariam poteſt explicari, primo, quod in his votis duæ interveniunt promiſſiones, explicitè, vel implicitè, una quæ ſit Sanctis, vel Prælatis, quæ votum non eſt; nam votum, utpotè actus latriæ ſoli Deo fieri debet: ſed talis promiſſio facta homini tametſi non ſit votum, eſt materia voti: alia eſt promiſſio facta Deo de ſervanda promiſſione facta homini, in qua propriiſſimè votum conſiſtit. Sic explicant D. Thom. Raphael de la Tor. 2. 2. *q.* 88. *dub.* 3. *n.* 2. Martinez à Prado *tom.* 2. *c.* 31. *q.* 11. §. 6. *n.* 43. ¶ Secundo modo, quod Sancti, aut Prælati poſſunt conſiderari, vel ſecundum quod in ſe ſunt, vel ſecundum præeminentiam, & excellentiam perſonalem illorum, ſic promiſſio illis facta non eſt votum; ſed promiſſio humana, & civilis, quare qui Beatæ Virgini, aut D. Petro aliquid promitteret in honorem illorum, quatenus ſunt ſanctiſſimæ, & excellentiſſimæ perſonæ votum non emitteret, nec per fractionem illius committeret ſacrilegium; ſed contra obſervantiam, & reverentiam ageret, debitam excellentiſſimæ perſonæ. Vel quatenus in eis ſplendet virtus, & ſanctitas Dei, ſuntque aliquid quodammodo Dei, ut Vicarii ipſius, ſervi, & propinquiſſimi Deo, ſic promiſſio illis facta eſt votum: ſicut juramentum factum per creaturas, quatenus ſunt aliquid Dei, & in eis ſplendet Deus, eſt verum juramentum, & actus latriæ, ac religionis. Sed qui aliquid Prælato, aut ſancto promittit abſolutè, ſine alia limitatione, aut reflexione, talis virtualiter, & implicitè promittit Deo, ejuſque promiſſio eſt verum votum, quia ejus intentio explicanda eſt ſecundum communem acceptionem Eccleſiæ, & modum, quo communiter Sanctis, aut Prælatis aliquid promittitur. Sic Bonacin. *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *num.* 17. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *diſput.* 1. *punct.* 7. *num.* 2. Azor. *lib.* 11. *cap.* 22. *quæſt.* 13. Trullench. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 18. Sayrus *in clavi, lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 11. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 3. Valentia 2. 2. *diſput.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 3. *in ſecunda aſſertione.* Sanchez *lib.* 4. *cap.* 11. *à n.* 41. Suarez *lib.* 1. *de voto, c.* 16. *n.* 5. & alii.

PUNCTUM II.

De materia apta, pro licita, & valida emiſſione voti.

30. VLtima illa particula, in diffinitione voti *num.* 6. tradita, appoſita, petit ut explicemus materiam propriam, & aptam pro illo, & pro juramento promiſſorio facto Deo, de quo, idem quod ad præſens judicium ferendum eſt, quare ut rem hanc latiſſimam ad diverſas claſſes reducamus, claritatis gratia hoc punctum quinque paragraphis dividemus.

§. I.

An poſſit eſſe materia voti res aliàs præcepta? Vbi quomodo intelligatur illa particula, de meliori bono, explicatur.

DE rebus neceſſariis neceſſitate medii, vel præcepti, ſeu de illis, quæ ex aliqua lege ſunt debitæ non eſſe validum votum, proindeque non addere novam circunſtantiam in confeſſione aperiendam, ſi quis de re aliàs præcepta votum emiſſum frangeret, docuit Gerſon. 2. *p. alphabeto* 67. *littera S. &* 2. *p. alphabeto* 25. *littera F. ſequitur ſupplementum.* Gabriel. *in* 4. *diſtinct.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 3. *concluſ.* 5. *& diſp.* 14. *art.* 3. *dub.* 3. *fine.* Angelus *verbo votum* 1. *num.* 1. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 1. Sylveſter *votum* 1. *q.* 4. Tabiena *eodem verbo* 192. Et probatur

Non obligare votum de re aliàs præcepta aliqui dicunt.

batur primò, quia votum debet eſſe de re meliori, id autem melius per hanc diſſinitionem innuitur eſſe, quod eſt ſupererogationis, & non ex neceſſitate præcepti, aut finis debitum, quodque melius dicitur, quia aliis indebitis ſuperadditur, ut poſtea ex D. Thom. dicemus: ergo invalidum eſt votum de rebus jam ex præcepto debitis. ¶ Secundò, quia ſi lex humana præciperet, quod jam eſt lege divina firmatum, non ob id lex humana novam obligationem peccati induceret, ut ſi lex humana furtum, aut homicidium prohiberet, non eſſet nova ſpecies peccati contra hanc legem furari, aut occidere præter illam, quæ ex fractione legis divinæ conſurgit: ergo ſimiliter votum, quod eſt lex privata non adderet novam obligationem materiæ promiſſæ, quam illam, quæ ex lege communi habebat. ¶ Tertiò, quia aliàs, qui frangeret illud votum de re jam præcepta, duo committeret peccata ſpecie diverſa, unum contra illam legem, aliud contra religionem voti, quod non poteſt dici, ut triplici probatione ſequenti conſtabit.

Præcedens ſententia roboratur.

31. Prima, quia *in cap. quia circa de bigamis:* vocatur ſimplex fornicatio acceſſus Clerici ad concubinam, cum tamen ibi, & fractio voti, & legis naturalis reperiatur. ¶ Secunda, quia in baptiſmate omnes vovent abrenunciare pompis ſæculi, & legem Chriſti ſervare: & hoc voto emiſſo de illo ut docent S. Ambr. *hom.1. de ſacram. cap.2.* S. Hyeron. *Amoſ.6. fine.* S. Gregor. *homil. 29. in Evangel.* dicens: *Omnes nos in die baptiſmatis omnibus antiqui hoſtis operibus, & pompis renunciare promiſimus:* & non ob id committit duplicem ſpecie malitiam Chriſtianus, qui contra aliquam legem Chriſti, & illud votum operatur: ergo. ¶ Tertia, quia tertiarii aliquarum religionum, & præcipuè D. Franciſci emittunt votum de obſervandis decalogi præceptis, & tamen iſti, ut ferè omnes Authores aſſerunt, non ſubeunt novam ſpeciem malitiæ, ſi illud votum frangerent, in tranſgreſſione alicujus decalogi præcepti.

Validè, & licitè res aliàs debita vovetur.

32. Sed firmiſſimè tenendum eſt validum, & laudabile eſſe votum, aut juramentum, quo quis promittit Deo ſervare id, quod aliàs erat lege divina, civili, aut Eccleſiaſtica imperatum, duplicemque contrahere malitiam ſpecie diverſam, qui illud frangeret, aliam contra votum, aliam contra legem, ut ſi quis recitare officium divinum voveret, ad quod tenetur, ſervare caſtitatem, furtum non facere, duplicis eſſet reus peccati, in confeſſione omninò detegendi, qui contra aliquod ex his votis delinqueret, ſic D. Thom. *art.2. q.88.* & cum eo omnes communiter, itaut aliqui hanc eſſe veritatem Catholicam fidei quæ proximam; & oppoſitam erroneam dijudicent. Et probatur primò, quia juſtum, & laudabile eſt nos juramento obligari ad ea, quæ ex lege divina, aut humana tenebamur: Pſalm. 118. *Iuravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ,* & patet ex *cap. ego de jure jurand. cap. cum Eccleſiis de majoritate, & obedientia, cap. ſignificaſti de eleccion:* ob idque humanis contractibus juramentum adhibetur faciendi idem, quod lege divina, & humana facere tenebamur: ergo ſimiliter validum, & licitum erit votum de faciendo eo, quod erat alia lege præceptum. Secundò, quia opera præcepta ſunt ſimpliciter humana, & libera, & ſolum neceſſitate obligationis, ſeu finis ſunt neceſſaria, quæ neceſſitas non aufert libertatem ad meritum, ſed eam firmat in bono: ergo poſſumus de opere præcepto nos novo vinculo voti ligari, ut ſic magis, ac magis firmetur voluntas in bono, cum res uno titulo debita, alio titulo debita fiat ex libera noſtra voluntate, non enim eſt ulla repugnantia in hoc quod obligatio addatur obligationi, & quod res, quæ uno titulo debetur, ſimul debeatur ex alio: quia cum prior illa obligatio non determinet modis omnibus voluntatem, aut reddat illam ad adimpletionem immobilem, adhuc manet capax obligationis voti, qua immobilior reddatur, ampliuſque determinetur. Sic Soto *lib.7. de juſtitia, q.1. art.3.* Petrus de Ledeſm. *tract.10. cap.2. dub.3. concluſ.1.* Fr. Ioan. à ſancto Thoma 2. 2. *diſp.25. art.3.* Fr. Ioan. Mart. à Prado *tom.2. cap.31. q.2. §.1. n.3.* Valentia 2. 2. *diſ. 6. q. 6. punct. 2. ad finem.* Azor. *lib. 11. c. 19. quæſt.1.* Leandr. *tom.2. in decalog. tract.2. diſp.4. q.4.* Layman. *lib.4. ſumm. cap.2. num.9.* Sanchez *decalog. lib.4. cap.5. num.6.* Suarez *lib. 6. de voto, cap.2. num.4. & 9.* Palaus *tom. 3. tract. 15. diſ. 1. punct. 8. §. 4. num. 2.* & alii.

33. Primum argumentum petit ut explicemus, quid per illam particulam *de meliori bono* in diffinitione voti poſita intelligatur, aliqui ſatis probabiliter dicunt, melius bonum in præſenti non intelligi bonum omnibus modis liberum, ſeu bonum ſupererogationis; ſed quodcumque aliud bonum, quod licet ſecundum ſe melius non ſit, melius tamen eſt, quam ſuum oppoſitum, ideoque illa comparatio non fit ad bonum præceptum, nec ad quodvis aliud melius bonum; ſed ad oppoſitum ejus, quod promittitur, quod videlicet ſit melius facere bonum promiſſum, quam id, quod ei contradictoriè opponitur: ut ſtudium bonum eſt, ſed non eſt materia voti pro tempore, quo poteſt orationi vacare, quia eſt impeditivum majoris boni; è contra votum audiendi ſacrum validum eſt, licet pro illo tempore ſit impeditivum ſtudii, quia melior eſt auditio ſacri, quam illo tempore vacare ſtudio, quod eſt bonum, quod impeditur: & ita res, quæ ſit apta materia voti debet eſſe res melior quam ſua contraria, ne obligatus ſit ad omittendum id, quod perfectius eſt, & Deo gratius, quod nec divino obſequio, nec noſtræ congruit perfectioni. Sic Leſſius *lib.2. cap.40. dub.7. num.42.* Leandr. *q.20.* Sanch. *lib.4. cap.1. num.1.* Suarez *lib.2. cap.7. num.3.* Palaus *p.8. §.5. num.1.* Bonacin. *diſp 4. q.2. punct.4. §.2. n.2.* Trullench. *dub.1. num.9.* Villalob. 2. *part. tract.34. diff.2. num.1.* & ſecundum hunc modum dicendi nullum eſt contrarium argumentum.

Votum eſt de meliori bono, ideſt meliori ſuo contrario.

34. Sed non minus eſt probabile, quod alii dicunt, nimirum, quod propriiſſima materia voti, id eſt non materia communis pro votis, & præceptis, eſt opus ſupererogationis: quia licet votum ſe extendat ad res præceptas, tamen non eſt ejus propriiſſima materia; imò ipſas res præceptas reſpicit ut novo, & diverſo titulo debitas, quod jam eſt opus ſupererogationis, quia propriiſſima materia voti debet eſſe undequaque libera, hoc eſt nullatenus neceſſaria, nec neceſſitate finis, aut præcepti, quia obligatio ejus tota ex libera voluntate proficiſcitur, & ſic propriè attendit ad ea, quæ ſunt in libera voluntate voventis ponere, vel omittere; unde dixit D. Thom. *in 4. diſt. 38. q.1. art.1. q.3. Si votum accipiatur ſecundum propriam ſui rationem*

Votum dicitur de meliori bono, quia eſt de actibus ſupererogationis.

eſt

eſt proprie de bonis illis, ad qua non omnes tenentur, qua ſupererogationis ſunt, & ideo dicuntur meliora bona, quia ſuperadduntur illis bonis, ſine quibus non eſt ſalus: & ideo votum proprie acceptum dicitur eſſe de meliori bono. Idem habet 2.2. q.88.*art.2.in fine corp.* Eumque ſequuntur Cajet. *dicto art.2.initio,& dub.5.ad 2.* Sylveſt. *verbo votum 1.q.4. dub.3.* Raphaël de la Torre 2.2. *diſ.7. ad 6.* Azor *t.1.lib.11.c.13 q.10.* Unde ad argumentum dicimus in diffinitione apponi, quod ſit de meliori bono ut ſignificetur propriiſſima materia voti, quæ eſt opus ſupererogationis, quod licet ſecundum ſe non ſit melius quam opus præceptum? tamen ut ſuperadditum illi, & ſuperveniens melius eſt, melius namque eſt ſuperaddere præcepto jejunii opus orationis, aut è contra, quod non tollit etiam opus præceptum cadere ſub voto, ut materia ſufficiens illius, ſed non propriiſſima, quæque eatenùs cadat ſub eo, quatenùs induit novum modum, & titulum religionis, quomodo non erat debita, & ſic ſub hac ratione eſt opus ſupererogationis.

Solvitur ſecundum argumentum.

35. Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod ut diximus *tom.3. tract. 11. cap. 2.* quod ſecundum diverſa præcepta, aut leges non diverſificantur peccata ſpecie, niſi ſecum afferant diverſa motiva virtutum, ut docet D. Thom. 1. 2. *quaſt.72. art.6. ad 2.* Quando vero ex diverſo motivo procedunt, diverſificant peccata ſecundum ſpeciem ut furtum probitum lege naturali, ne proximo damnum inferatur, & ſub eodem motivo prohibitum lege civili non eſt diverſum ſpecie peccatum; ſi vero prohibeatur ex alio motivo religionis, ut furtum prohibitum in Eccleſia, ob reverentiam debitam loco ſacro, addit novam ſpeciem peccati contra religionem. Sic etiam in voto contingit, quod id, quod eſt prohibitum ex alio motivo à legiſlatore, ſi voto promittatur, ejus fractio addit novam ſpeciem peccati contra religionem, ut fornicatio prohibita lege naturæ ob motivum proprium continentiæ, per votum prohibetur ob motivum religionis, ſicque addit novam ſpeciem peccati in confeſſione omninò detegendam.

Votum factum in baptiſmate de ſervanda lege Chriſti non eſt verũ votum.

36. Unde ad tertium argumentum neganda eſt minor, ad cujus primam probationem dicimus, quod in *illo c.quia circa,* dicitur ſimplex fornicatio acceſſus clerici ad concubinam in ordine ad bigamiam inducendam, ut diſtinguitur à copula maritali, quia de hoc erat ſermo in illo *cap.* At in ordine ad inducendam novam ſpeciem peccati, non eſt ſimplex fornicatio; ſed ſacrilega: & ideo *in cap. impudicas, cap. ſciendum* 27. *q.* 1. fornicatio monachi dicitur, *ſacrilega contagio.* ¶ Ad ſecundum, quod in baptiſmate non emittitur votum proprium, & rigoroſum; ſed analogicè, & impropriè: qualiter propoſitum firmum ſolet promiſſio appellari, & ideo non addit novam ſpeciem peccati, ſed aggravat communem, eſt enim quædam acceptatio eorum, ad quæ omnes tenentur, quod dicitur votum commune, nam ad illud omnes obligantur; unde dixit D. Th. *in 4. diſ.38. q.1. art.2 q.1. ad.3.* quod tranſgreſſio talis voti communis non facit ſpeciale peccatum, ſed addit peccato ſpecialem deformitatem, magis enim peccat baptizatus eodem genere peccati, quam non baptizatus, & hoc modo docet. 2.2. q 88. *art.2. ad.1.* quod ſub voto baptizatorum cadit abrenunciare pompis diaboli, & fidem, ac legem Chriſti ſervare, quia voluntariè fit, & novo propoſito acceptatur, licet ſit de rebus neceſſariis ad ſalutem, unde non eſſe illud verum votum docet Suarez *lib.1. cap.19. à num.3.* Prado *ſupr. §.2 n.16.* Bellarm. *lib.2.de Monach. c.19.* Barthol. à S.Fauſto *lib.1.q.7.* Cajetan. 2.2. *q.88.art.2. dub.2.* ubi adductis variis rationibus concludit, *ſine dubio enim non eſt votum in baptiſmo, niſi largè voti nomine utendo, pro voluntate novæ vitæ in profeſſione novæ fidei, & ſic multi Doctores exponi poſſunt, quod ſi aliqualiter ſenſerint, ſanctum eſt prahonorare veritatem.* ¶ Eodem ferè modo reſpondendum eſt ad tertiam probationem, quod illud votum Tertiariorum non eſt vere votum, ſed analogice, & improprie, ideſt quædam acceptatio, novumque propoſitum eorum, ad quæ tenentur, ideoque frangentes aliquod præceptum decalogi gravius quidem peccant, ſed intra eandem ſpeciem peccati; unde ſicut cum quis conteritur, aut in confeſſione promittit non amplius peccaturum, talis promiſſio non eſt votum, ſed ad ſummum commune, de iis ad quæ omnes tenentur, & non deſignat veram, & rigoroſam promiſſionem, ſed firmum propoſitum de cætero non peccandi: ſic in præſenti. Unde non eſſe illud verum votum docent Peytin. *tom.2.privil. conſtit.18. Julii II.* Pellizz. *tom.1. tract.1. cap.3. q.18. n.37.* Leander *tom.2. tract.1. diſ.11.q.9.* Prado *cap.31.q.2. §.3. per totum.* Portel. *in dubiis regul. verbo tertiarii, n.5.* Rodrig. *tom.1.q.26.art.4.* Mirand. *tom.2.q.31.art.2.*

---

§. II.

Sitne validum votum de materia oppoſita conſiliis, quæ ad majorem perfectionem conducunt?

Votum contra conſilia invalidũ eſt, & inane.

37. CErtiſſimum eſt apud omnes invalidum eſſe votum, aut juramentum de rebus oppoſitis, conſiliis abſolute ſumptis, ut votum non jejunandi, non ingrediendi religionem, non mutuandi, non dandi eleemoſynam, quia ex ſe impediunt majoris boni executionem, nec poteſt Deo placere, quod eſt impeditivum majoris perfectionis, alias ſi Deo placeret promiſſio de non ſequendo ſuo conſilio, Deus ex una parte daret conſilium, & ex alia parte prohiberet acceptando vinculum voti contra ſuum conſilium, quod minimè eſt aſſerendum, cum Deus non inclinet ad ſibi contraria: ita D.Th. 2.2.*q.89.art.7.ad 2.* & *quodl.3.art.14.* & *quodl.5. art.17.* quem omnes ſequuntur. ¶ Sed hoc intelligendum eſt niſi votum ſit de oppoſito conſiliis cum aliqua moderatione, aut circumſtantia, ratione cujus illud opus, quod prima facie oppoſitum conſiliis apparebat, minimè eis opponatur, ſed potius conſilium ſit cum tali circunſtantia opus exequi, & ſic poteſt valere votum non jejunandi tali tempore, & loco, quibus circunſtantiis melius & conſultius ſit non jejunare. Idem dicendum de voto non dandi eleemoſynam, mutuandi, &c. & aliis caſibus infra recenſendis: hoc etiam eſt commune apud omnes. ¶ Non tamen erit mortale vovere, aut jurare aliquod oppoſitum conſiliis, quia vel excuſantur ignorantia putantes ſe obſequium præſtare Deo, vel non eſt magna deformitas id, quod minus gratum eſt Deo offerre, niſi caſu, quo ita pertinaciter voveat ſe facturum oppoſitum conſiliis, ut etiam in caſu neceſſitatis id efficere intendat: ut ſi voveret, aut juraret ſe non daturum eleemoſynam, etiamſi extrema urgeret neceſſitas; quia

tunc id, quod aliàs erat conſilium eſt jam in præcepto, eſt jurare, aut vovere contra præceptum operari, eſt peccatum mortiferum, ut infra dicemus. ¶ In his ferè omnes conveniunt, ſed reſtant plures difficultates enodandæ, quarum quatuor in præſenti ſolvemus, aliis prætermiſſis, quæ ab authoribus paſſim circumferuntur.

Objectio proponitur, & diſſolvitur.

38. Prima difficultas eſt an votum, aut juramentum factum Deo de contrahendo matrimonio ſit validum? Reſpondetur cum communi Doctorum ſententia invalidum eſſe tale juramentum abſolute, & abſque ulla reſtrictione emiſſum. Tum, quia eſt oppoſitum conſiliis ſervandi caſtitatem, ingrediendi religionem, &c. Tum etiam, quia non eſt de meliori bono, cum impediat majoris boni conſequutionem nimirum vitam cælibem, vel in religionem ingreſſum, quod omnes tenent. ¶ Nec obſtat objectio, quod obligatio voti non minoris eſt roboris, quam obligatio juramenti; ſed ſi quis promiſit, ac juravit ſe contracturum matrimonium cum Berta tenetur hoc implere, necdum obligatione contractus, ſed religione juramenti: ergo ſimiliter ſi votum emiſit de contrahendo cum illa, tenebitur religione voti ad hoc exequendum. ¶ Nam dicimus eſſe diſparem rationem inter juramentum factum homini, & votum, aut juramentum ſolum in honorem Dei emiſſum. quod homini cui facta eſt promiſſio gratior eſt illius impletio, quam quodlibet aliud opus bonum cum illa incompoſſibile; & ſic tenetur quis ſervare ſponſalia jurata, ſicut alios contractus humanos; Deo tamen non placet promiſſio eius, quod impedit bonum ſibi gratius, & ſic de illo non valet votum, aut juramentum in eius duntaxat honorem emiſſum. ¶ Diximus eſſe invalidum tale votum abſolutè emiſſum; valeret tamen ſi aliquibus veſtitum circunſtantiis emitteretur. ut ſi vel obligationem juſtitiæ haberet; ut ſi data fide cognovit virginem, ſeu viduam honeſtæ famæ: vel ſi ad bonum commune eſſet neceſſarium tale matrimonium ad pacem reipublicæ, ad evitandum ſcandalum, aut ſeditiones; vel ex ſuppoſitione, quod vellet nubere, votum emitteret ſe contracturum cum hac paupere ad ſublevandam eius inopiam, vel meretrici ad liberandam eam à periculis. quia in his, & aliis caſibus votum eſſet de re magis grata Deo, & multoties de eo, ad quod graviter eſſet obligatus.

Qui vovet abſolutè nubere cum aliquo voto non tenetur.

39. Sed quod dicendum cum quis promittit abſolutè ſe puellam pauperem, aut meretricem ducturum, ad ſublevandam eius inopiam, vel ut eam à periculis corporis, & animæ liberet. Reſpondetur invalidum eſſe tale votum, aut juramentum, poſſeque illis non obſtantibus, aut vitam cælibem ducere, religionem ingredi, ordineſvè ſacros ſuſcipere, quia & ſi ſalus ſpiritualis fæminæ magni ſit habenda, non eſt medium per ſe ordinatum ad illam, nec omnino ſufficiens; ideoque gratius erit Deo, ut hic ſuam ſalutem ſpiritualem ſecuriorem reddat, vel in cælibatu vivendo, vel ingrediendo religionem, quam ut bonum ſpirituale, vel temporale fæminæ per matrimonium ſolicitet: non ergo valet votum de tali matrimonio contrahendo, niſi ad ſummum ſi ſub conditione fuerit emiſſum, caſu quo contrahendum mihi ſit non contraham niſi cum hac paupere, vel cum hac, cujus ſalus animæ periclitatur. Sic Sanchez *in ſumm. lib. 4. cap. 8. n. 54.* Fr. Ioann Martin. à Prado *tom. 2. cap. 31. quæſt. 2. num. 57.* Raphaël de la Torr. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 2. *diſp. 9. num.* 10. Palaus *tom. 3. tract.* 15. *diſp. 1. punct.* 9. *num.* 15. Leander. à ſanctiſſimo Sacramento *tom. 2. decalog. tract. 2. diſp. 5. quæſt. 46.*

Votum matrimonii etiam in remedium concupiſcentiæ eſſe nullum dicit prima ſententia.

40. Quare tota difficultas in hac parte eſt de eo, qui ob fragilitatem ſuam non ſe poteſt continere, vel plurimis exagitatus carnis ſtimulis multoties ſuccumbit, & in peccatum prolabitur, an ſi iſte ob remedium incontinentiæ voveat ſe contracturum matrimonium ex vi voti ad hoc teneatur? Negat prima ſententia tale valere votum, aut juramentum, quia ut ſit materia voti non ſatis eſt eſſe bonum quod promittitur, ſi ſit impedimentum majoris boni, & altioris ſtatus, quia debet eſſe de meliori bono, ideſt de eo, quod comparatione ad eius oppoſitum eſt melius; ſed tale votum licet ſit de re laudabili, & bona, eſt tamen majoris boni impeditiva, quia impedit altiorem ſtatum aſſumere, nimirum religionem ingredi, ordines ſacros aſſumere, vel in cælibatu vivere, quod eſt majus bonum, quam matrimonium contrahere: ergo &c. Secundo, quia videtur tale votum inutile, & vanum; nam ſecundum Doctores contrariæ ſententiæ, hic non obſtante voto poteſt religionem ingredi, ad quid ergo tale votum deſerviet, maximè quia matrimonium in remedium concupiſcentiæ aſſumere eſt infimum, & ultimum remedium, ad quod nihil faciet votum, cum de facilè illud poſſit accipere. Atque ita tenent Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 7. numero* 44. Fagundez *tom. 1. in decalog. lib. 2. capite* 16. *numero* 4. Palaus *tom. 3. tractat.* 15. *diſputatione* 1. *punct.* 8. *numero* 14. Prado *tom. 2. capite* 31. *quæſtione* 2. §. 5. *numero* 50. Soto *lib. 7. quæſtione* 1. *artic.* 3. §. *contra hanc*, Magiſter Fr. Ioannes à ſancto Thom. 2. 2. *diſ.* 29. *artic.* 7. *concluſione* 4. Ioann. à Cruce, *de voto dub.* 2. *concluſione* 4. *fine.* & alii.

Valet votum contrahendi matrimonium ab homine fragili, & ad venerem proclivi.

41. Sed dicendum eſt hujuſmodi votum eſſe validum ex ſuppoſitione, quod talis homo non vult, aut non poteſt aliis remediis ad frænandas animi paſſiones uti, nimirum ex ſuppoſitione, quod vel non poteſt, vel non vult ingredi religionem, carnis macerationibus uti, quod, & non amplius probant argumenta contrariæ ſententiæ, nec ob id erit inutile tale votum, cum eum adſtringat ad contrahendum matrimonium ob vitanda peccati pericula, quod aliquibus non ita facile remedium apparet, qui per plurimos annos malunt liberos, & expeditos eſſe ab oneribus matrimonii, tametſi pluribus ſcandalis, & peccatis concatenati vivant. Probatur igitur primo noſtra ſententia, quia matrimonium à Deo conceſſum eſt in remedium concupiſcentiæ, & fragili, ac vexato carnis ſtimulis non potenti aliis remediis uti, melius eſt nubere, quam uri: ergo uti tali remedio erit ei melius, conſultius, & ſapientius, & conſequenter tale votum, utpotè de re meliori, erit validum. ¶ Secundo, quia ſi quis habens domi concubinam voveret, vel intra annum cum ea contrahere matrimonium, aut religionem ingredi, talis in omnium ſententia teneretur ex vi voti religionem ingredi, ſi intra annum non nuberet illi: ergo ſimiliter valeret votum contrahendi cum illa, ut quid melius, quam in concubinatu vivere. Patet conſequentia ex infra dicendis, quod ſi quis votum emitteret diviſſivum de duabus rebus, quarum altera eſt inepta materia voti; altera apta, ut ſi votum faceret furandi, aut inſerviendi hoſpitali, eſt nullum tale votum, eo quod in eius poteſtate eſt eligere, quam partem maluerit, & poteſt ineptam eligere, ob quod eſt votum nullius roboris: ergo ſi illud votum diviſſivum, de quo agimus eſt validum, ſignum eſt utramque partem ſeorſim eſſe aptam materiam voti.

42. Denique,

Tenetur contrahere matrimonium, qui non poteſt contineri, ut à peccatis liberetur.

42. Denique, quia homo fragilis ſtimulis carnis vexatus, & frequenter cadens, pluraque peccata committens, ſi alias non habeat impedimentum, ex jure naturæ tenetur contrahere matrimonium, in remedium concupiſcentiæ, & ad evitanda peccata, ex ſuppoſitione, quod nolit, aut non poſſit aliis remediis uti ad evitanda pericula peccati, quia unuſquiſque ex jure naturæ tenetur opportuna remedia adhibere ad evitanda pericula peccati, maxime, qui expertus eſt ſe non poſſe ob fragilitatem ſuam, vel malam conſuetudinem contineri, & ſic tenebitur vel ingredi religionem, aut macerationibus carnis uti, quod eſt remedium opportunius, vel ſi hæc amplecti non poteſt, vel certè non vult, tenetur amplecti remedium contrahendi matrimonium, ut in tranquillitate conſcientiæ & ſine peccatis frequentibus degat: ergo ſi facta tali ſuppoſitione, ex jure naturæ ad hoc remedium tenetur, votum de tali matrimonio in illa hypotheſi erit validum, uti ex communi ſententia de votis oppoſitis conſiliis diximus *n. 35.* Atque ita tenent Sanchez *lib. 4. ſumm. cap. 8. num. 53.* Bellarm. *lib. 2. de monach. cap. 14. fine.* Navarr. *in ſumm. latin. cap. 11. n. 43. verſu decimo tertio.* Villal. *2. p. tract. 34. diff. 2. n. 18. & 19.* Moya *in ſelect. quæſt. tract. 2. diſp. 1. quæſtione 1. num. 7. & 8.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 5. num. 14. & 18.* Bonacin. *tom. 2. diſp. 4. quæſtione 2. punct. 1. numero 21.* Ludovic. Lop. *1. part. inſtruct. cap. 44.* Zanard. *1. part. ſumm. cap. 48. de voto. §. 8. dico.* Cajetan. *2, 2. q. 88. artic. 2.* Vbi ſic ait: *quoniam ſtatus non ſemper conſonat perſonæ quoniam multi ſunt in ſtatu continentium, qui non ſunt continentes, quibus dicitur ab Apoſtolo melius eſt nubere quam uri: ſic opinor votum nubendi factum propter fornicationem vitandam ab impotente ſe continere propter ſuam fragilitatem, &c. eſſe validum.* Hæc Cajetanus, cujus ſententiam ſatis probabilem eſſe dicit Magiſt. Arauxo *in deciſion. moralib. 2. p. diſp. 11. q. 7. n. 5.*

Difficilis objectio contra dicta.

43. Sed contra dicta objicies, quod votum non nubendi, votum ſervandi caſtitatem, aut religionem ingrediendi validum eſt, etiam in eo, qui eſt pluribus ſtimulis carnis vexatus, & ob id expertus ſe multoties cadere in peccata, ut latè ſupra diximus *tract. 15. cap. 6. à num. 32.* ergo melius erit in hoc vitam cœlibem ducere, quam matrimonium contrahere, quia ſi illud votum eſt validum, erit de re meliori, quam oppoſitum, & conſequenter in hoc non erit melius contrahere matrimonium, & conſequenter votum de illo contrahendo erit nullum. ¶ Nec ſatisfacies huic objectioni dicendo, eum qui votum non nubendi, aut caſtitatis eſt adſtrictus teneri uti remediis mortificationis, fugiendi pericula, & aliis aſperitatibus, & cum fiducia in divino auxilio parato iis, qui de ſe faciunt, quod poſſunt, in continentia degere; ſed in noſtro caſu cum non teneatur uti illis remediis, ſi ea amplecti nollet, deberet ad remedium contrahendi recurrere, cum non ſit aliud ad vitanda peccata, & hoc ſibi liberum exiſtat. ¶ Nam contra eſt, tum quia non tenetur, qui caſtitatem vovit macerationibus carnis aut aliis remediis aſperioribus uti, unde cum poſſit liberè ea prætermittere, ex ſuppoſitione, quod prætermittat, non erit ei melius vitam in cœlibatu ducere, vel ſi hoc melius illi fuerit, non erit validum votum de contrahendo matrimonio. Tum, quia fortaſsè eſt impotens ad alia remedia aſperiora amplectenda, vel ob infirmitatem, vel ob alias rationes.

Doctrina ſingularis proponitur.

44. Reſpondetur ex optima doctrina, quam tradunt Valent. *2. 2. diſt. 6. q. 6. punct. 2. diff. 4.* Sanchez *in ſumm. lib. 4. cap. 8. n. 10.* Quam loco citato in objectione *n. 35.* ſequuti ſumus. Nimirum, quod aſtrictus voto caſtitatis poteſt conſiderari, vel ut eſt ſingularis perſona, vel ut eſt pars, & membrum communitatis Eccleſiæ, quomodo bonum, aut malum Eccleſiæ, eſt bonum, aut malum illius; quamvis ergo huic ut ſingularis perſona ſit melius nubere, quam uri, (& ſic quando non habet votum caſtitatis, aut religionis, poteſt emittere votum nubendi, proindeque eſſe validum tale votum) at vero homini ut pars eſt Eccleſiæ omnibus inſpectis melius, & gratius eſt Deo, ut quandiu Superior non diſpenſat, cenſeatur hujuſmodi voto adſtrictus. Ad bonum namque Eccleſiæ plurimum refert, quod adſtrictus voto caſtitatis filius in Deo, utendo omnibus remediis ſibi poſſibilibus, eo judicetur adſtrictus; aliàs votum tam arduum, tamque in Eccleſia Dei celeberrimum, ut ſoli Pontifici ſtrictiſſimè ſit reſervatum, facillimo negotio corrueret, cum quilibet paſſim falleretur, vel ſe fallere niteretur, putans ſibi melius eſſe nubere, quam uri, & ſic à voti vinculo eſſe liberum, & alia mala ſcandala, & inconvenientia in Eccleſia pullularent, de quibus loco citato diximus, quare in ſimilibus votis non oportet materiam eſſe voventi meliorem; ſed quod in ſe, & reſpectu boni communis ſit melior.

Data doctrina diverſis exemplis illuſtratur.

45. Exemplis rem illuſtro, etenim votum ſolemne caſtitatis, apud omnes, eſt validum, etiamſi emiſſum ſit ab eo, qui eſt fragilis, carnis lapſibus aſſuetus, & ingentibus tentationibus vexatus, ſive ante emiſſionem voti, vel poſt illam conſurgant, quia certè idem judicium ferendum eſt in utroque caſu, nam ſi ſemel non eſſet apta materia voti, illud cum dictis circumſtantiis emittere, ſi poſt emiſſum conſurgerent, redderent materiam alias aptam, ineptam; & cum materia voti alias apta, redditur inepta, corruit obligatio illius, ut infra dicemus. Sed quare erit validum illud votum, cum ſit melius voventi nubere, quam vinculo voti adſtrictus tot lapſibus ſubjacere: Quia ut pars eſt illius religionis melius eſt, quod votum in ſuo robore perſiſtat, ne pluribus ſcandalis, & relaxationibus aditus pateſiat. ¶ Clerico, ut perſona eſt particularis, fortè erit melius, judicio ſeculari ſe ſubmittere in hoc, vel illo caſu particulari; quia tamen illi, ut eſt membrum communitatis Eccleſiaſticæ, melius eſt, ſe nunquam ſubdi ſæcularibus tribunalibus: illud primum etiam in illo caſu particulari non erit materia voti; & erit ſecundum pro omni caſu. ¶ Militi, ut perſona particularis eſt, aliquibus caſibus erit melius, tam corpori, quam animæ non præliari, quia tamen hoc melius eſt illi, ut eſt pars exercitus, invalidum ſemper in eo erit votum nunquam præliandi, quia votum ejus præcipuè penſandum eſt ex eo, quod eſt convenientius illi, ut eſt exercitus membrum, & quod ad bonum commune ordinatur.

Quando votum nõ vovẽdi ſit nullum, quando validũ?

46. Secunda difficultas eſt, an ſit validum votum de non vovendo, ut ſi quis promitteret ſe nunquam votum emiſſurum? Reſpondetur breviter ex dictis, quod tale votum abſolutè emiſſum eſt invalidum, quia melius eſt abſolutè in honorem Dei vovere, & ad ſe firmandum in bono, cum ſit actus religionis, res Deo grata; &

accepta, & ſic nulla erit obligatio ad oppoſitum. At ſi tale votum aliquibus circumſtantiis induceretur validum proculdubiò ſubſiſteret, ut ſi promitteret ſe nunquam votum emiſſurum niſi in ſcripto, niſi de conſilio, aut mandato confeſſoris, niſi coram teſtibus &c. ne ſe periculo transgreſſionis, aut vovendi præcipitanter, & inconſiderate committeret, quia hæc non impediunt votum; ſed congruam, & convenientem conditionem, ad illud licitè, & prudenter emittendum, apponunt: quod Deo gratius eſt, quia eſt de re meliori, prudenti, & laudabili ob evitandum periculum, & præcipitationem in vovendo. Sic Rodrig. *tom.* 2. *ſumm. cap.* 94. *num.* 13. Leander. *tract.* 1. *diſput.* 39. *q æſt.* 2. à Sancto Thoma *hic di put.* 29. *art.* 7. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 2. §. 6. *n.* 61. Palaus *tract.* 15. *diſp.* 1. *p.* 8. §. 5. *num.* 3. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 14. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 40. *dub.* 7. *num* 45. Suarez *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 3. Trullen. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 13. ¶ At ſi poſtea contra hoc votum faceres, & ſi aliqui dicant te mortaliter peccaturum, quia prius votum confregiſti; verius eſt ſolum te venialiter deliquiſſe, quia prætermittere maturam illam deliberationem cenſetur res magni momenti; niſi hoc in te magni ponderis accideret, & quando multum tuæ ſpirituali ſaluti cognoſceres expedire, non vovere abſque illis circumſtantiis Leſſius *num.* 45. Sanchez *numero* 15. Prado *numero* 62. Leander. 95. Trullen. *num.* 13.

Votum factum contra prius votum eſt validum.

47. An vero valeat votum contra prius votum emiſſum? ut ſi promittens te non emiſſurum votum niſi cum talibus circumſtantiis, & poſtea ſine illis voveas, an hoc ſecundum votum ſit validum? Reſpondetur, quod vel ſimul cum promiſſione de non vovendo habuiſti animum te non obligandi niſi cum illis circumſtantiis, & tunc votum erit invalidum, quia non cenſetur illa prior voluntas retractata; ſed adhuc manere virtualiter, quæ niſi retractetur, non habet votum vim obligandi: eſt enim votum lex quædam particularis: quare ſicut ſi legiſlator diceret, ſe nolle obligare ſua lege niſi feratur iis, vel illis circumſtantiis, lex ſine illis lata non obligabit, quandiu per clauſulam generalem, aut particularem non derogatur illi priori voluntati: ſic in præſenti. At ſi non habuiſti talem intentionem expreſſam, votum ſecundum, tametſi illicitè emiſſum, validum eſt, quia eſt de re bona, Deo accepta, & ſi illicitè promiſſa, & plura ſunt, quæ non licent, & tamen facta tenent, quemadmodùm eſt illicitum matrimonium contractum ab habente votum ſimplex caſtitatis, & tamen illicitè factum, validum eſt, & tenet. Sic Petrus de Ledeſm. 2. *p. tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 5. Sanchez *cap.* 8. *num* 17. Prado *numero* 36. Suarez *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Palaus *num.* 3. Leander. *tract.* 1. *diſ.* 29. *quæſt.* 4. Trullen. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub* 32. *num.* 9.

Aliqui dicunt invalidum eſſe votum non petendi diſpenſationem.

48. Tertia difficultas eſt de voto non petendi diſpenſationem, commutationem, aut irritationem, an ſit validum? Et quidem ſi ſit de non petenda diſpenſatione abſque legitima cauſa, compertum eſt valere, quia eſt de re juſta, de vitando peccato, & ſe firmando magis in obligatione aſſumpta: Difficultas ergo eſt, quando votum eſſet abſolutè de non petenda diſpenſatione, vel de non petenda illa in nullo eventu. Negat prima ſententia, aliquo modo eſſe validum, hac ſorti ratione enixa: quia votum per modum unius emiſſi comprehendens omnes caſus utiles, & inutiles, aptos pro materia voti; & pro illa ineptos, non tenet, etiam pro caſibus utilibus, quia extenditur inſeparabiliter ad omnes, nec eſt ratio, quare ad unum, & non ad alium extendatur, & ſic pro nullo ſubſiſtit: ut in voto nunquam peccandi, nunquam mutuandi, nunquam fidei jubendi, quia omnes caſus per modum unius comprehendit, inter quos plures ſunt poſſibiles, vel apti pro materia voti; alii impoſſibiles, & inepti, pro nullo caſu eſt validum tale votum, ut dicemus infrà; ſed aliquando eſt expediens, & melius petere diſpenſationem, ut quando eſſet magnum periculum tranſgreſſionis; aliquando illam non petere: ergo votum abſolutum de non petenda diſpenſatione non valet, ſed eſt fictitium, & inutile. Sic Soto *lib.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 9. §. *eſt autem*, Leander. *tom.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 35. *quæſt.* 3. Fagundez *lib.* 2. *decalog. cap.* 21. *num.* 12. Bartholomæus à ſancto Fauſto *lib.* 1. *theſaur. quæſt.* 84. & 85. Trullen. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 20. Richardus *in* 4. *diſp.* 38. *art.* 9. *quæſt.* 3. Tambur. *lib.* 3. *decalog. cap.* 5. §. 4. *num.* 8. Felinus *in cap. conſtitutus de reſcriptis*, *n.* 8. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 21.

Limitatio præcedentis doctrinæ.

49. Quamvis fateantur valere tale votum de non petenda diſpenſatione ob quamcunque cauſam etiam legitimam, niſi tantum quando utilius eſt ſaluti voventis eam petere, ſtat enim adeſſe cauſam legitimam ut valeat diſpenſatio voti, & non ob id eſſe melius voventi, ob eam, talem relaxationem petere; nam votum ex metu gravi, & ex præcipitatione emiſſum habet ſufficientem cauſam ad diſpenſationem, & non ob id magis expedit voventi eam petere. Dicit ergo hæc ſententia, hoc votum eſſe validum, *promitto me non petiturum relaxationem ex qualibet cauſa, etiam legitima; dummodo non adſit illa, ratione cujus magis meæ ſaluti expediat talem relaxationem procurare.* ¶ Addunt Sanchez *num.* 23. & Trullen. *num.* 20. & benè, idem dicendum eſſe de voto nunquam petendi diſpenſationem aliarum legum.

Quomodo ſit validum votum non petendi diſpenſationem?

50. Sed ſecundæ ſententiæ ſubſcribimus, quæ aſſerit valere tale votum abſolutè prolatum de non petenda diſpenſatione; at non obligare, quando utilius eſt animæ eam petere, & ſic ſi eſſet in periculo tranſgreſſionis, non obſtante tali voto poſſet eam petere, quia in eo cenſetur excluſus talis caſus. Probatur hæc ſententia primo, quia tale votum eſt de re meliori, & Deo grata, cui certè placet velle rem debitam exactè adimplere, relicto jure petendi relaxationem, quando non eſt utilius animæ eam petere. Secundo, quia votum, quod habet materiam ex ſe ſeparabilem, cujus aliqua pars eſt apta; alia inepta, verum, quæ apta eſt frequenter, & ut in plurimum contingit; inepta verò non niſi raro, judicandum eſt, quoties de oppoſito animo voventis non conſtiterit illum non per modum unius utramque partem voluiſſe comprehendere, ſed ſeparabiliter, & diviſibiliter, & ſolum ad materiam aptam voluiſſe votum applicare, quia quando non conſtat de oppoſita intentione, ſentiendum eſt voluiſſe comprehendere illam materiam, ſecundum id quod frequenter, & communiter accidit, quia hoc, & eſt rei naturæ proportionatum, & ut actus ſubſiſtat idoneum: ergo cum intra materiam hujus voti, *promitto me non petiturum relaxationem*, claudatur & caſus, quo ſit animæ expediens illam petere, qui eſt ſingularis, & raro contingens, & omnes alii, qui ſunt aptiſſimi pro materia voti, cenſendum eſt, validum tale votum relinqui pro omnibus aliis caſibus ad quos mens voventis cenſetur extendi, excluſo illo quo ſit conveniens animæ illam petere. Sic D. Antonin. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. *fine*. Bonacin. *tom.* 2. *diſp* 4. *quæſtione* 2. *punct.* 1.

punct. 1. *numero* 18. Suarez *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 6. Filliucius *tract.* 23. *cap.* 2 *quæſt.* 11. *num.* 65. Sylveſt. *votum* 2. *quæſt.* 14. Palaus *tom* 3. *tract.* 15. *diſ.* 1. *punct.* 8. §. 5. *num.* 4. Azor. *lib.* 11. *cap.* 19. *quæſt.* 15. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 2 §. 6. *num.* 65. Rodrig. 2. *p. ſumm. cap.* 94. *num.* 2.

Quomodo, qui vovet non petiturum diſpenſationem, poſſit eam petere.

51. Qui tamen peteret cum legitima, ac ſufficienti cauſa diſpenſationem, etiam poſt tale votum, vel abſque illa irritationem peteret, ad quam, ut infrà dicemus, cauſam requiritur, & eam obtineret à Superiori, maneret votum relaxatum, quia tale votum non aufert Superioris poteſtatem, quia poteſt prius tollere votum, & vuventem ab obligatione illius liberare, qua poſita relaxatione, poteſt vovens, non obſtante ſecundo voto, libere uti illa; niſi expreſsè promiſerit utrumque, & non petiturum diſpenſationem, & non uſurum ea, etiamſi talis apponatur, quia tunc poſita relaxatione, remanet votum de illa non utendo. Sic Trullen. *n.* 21. Sanch. *n.* 26. Sed in quolibet caſu, in quo validum eſt votum non petendi relaxationem, aut illa poſita, ea non utendi, poteſt horum votorum prius peti à Superiori relaxatio, & tunc illud primum, & principale votum manebit diſpenſabile, ac ſi non eſſet emiſſum ſecundum, quia hic non ſe obligaverat ad non petendam diſpenſationem de ſecundo, & ſi fortè voviſſet, nec hujus ſe petiturum diſpenſationem, poteſt petere hujus ultimi, & deinceps reliquorum in infinitum; ſed prius ultimi petenda eſt diſpenſatio, ſufficit tamen Superiori, qui poteſt ea relaxare, omnia ſimul manifeſtare, ut ipſe ordine debito pro omnibus concedat indulgentiam. Sanchez *n.* 29. Palaus *n.* 5. Leander. *quæſt.* 8. Trullen. *num.* 22. Suarez *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 6.

Qui promiſit non petere commutationem poteſt petere diſpenſationem.

52. An verò, qui promiſit ſe non petiturum commutationem, poſſit diſpenſationem, aut irritationem petere? aut è contra? eſt aliqualis difficultas. Sanch. *n.* 31. & Trullen. *dub.* 5. *n.* 23. negativè reſpondent, quia qui excludit commutationem, quæ minor eſt relaxatio, utpotè, quæ vinculum non extinguit; ſed in aliam materiam ſubrogat, cenſetur excludere diſpenſationem, aut irritationem, quæ vinculum omnino tollunt, & ob oppoſitam rationem poterit, qui diſpenſationem, aut irritationem non petiturum promiſit, petere commutationem. ¶ Sed certè cum hi modi ſint omnino diſtincti, nec unus in alio includatur, ut conſtat, quia non omnis, qui poteſt commutare, poteſt diſpenſare, nec qui diſpenſare valet, non habet irritandi facultatem, nec qui facultatem habet irritandi, poteſt diſpenſare, aut commutare, ex hoc quòd unus excludatur, non cenſetur alius excluſus, ideoque niſi conſtet de expreſſa intentione voventis, qui promiſit unum non petere, non ob id cenſendum eſt ſe voluiſſe obligare ad non petendum aliud: & ſic poterit petere diſpenſationem, aut irritationem qui non petiturum commutationem promiſit. Sic Prado *num.* 67. Palaus *n.* 5. Leander. *quæſt.* 5. Tamburin. *cap.* 15. §. 4. *fine.*

De aliquibus particularibus votis judicium.

53. Vltima difficultas eſt, quid dicendum ſit de iſtis votis? *Promitto me nullam aliam religionem ingreſſurum niſi hanc: non recitaturum, niſi flexis genibus: non daturum eleemoſynam, niſi decem aureorum:* an caſu, quo non poſſit hanc religionem ingredi: nec flexis genibus recitare: nec dare tantam eleemoſynam, teneatur ingredi aliam, ſtando, vel ſedendo recitare, aut minorem eleemoſynam impertiri? Negat eſſe valida talia vota, Palaus *punct.* 8. §. 4. *n.* 16. quia ſunt impeditiva majoris boni, & ſic qui non hanc religionem ingrederetur, non poſſet aliam ingredi: qui impotens eſſet dare illam eleemoſynam, non poſſet minorem dare; nec recitare officium divinum ſtando, qui genibus flexis illud percurrere non valeret, Tum etiam, quia quoties conjungitur materia apta voti cum inepta, ita ut ex intentione voventis ſint inſeparabiles, votum non tenet; ſed in præſenti tacitè, & indirectè promittitur materia inepta voti v.g. non ingredi aliam religionem, à qua nequit ſeparari, non enim ſolum ingreſſus in iſtam promittitur; ſed negatio ingreſſus in aliam: ergo &c.

Præfata vota valida ſunt.

54. Sed dicendum eſt, dicta vota, & ſimilia valida eſſe, quia ad materiam voti ſufficit, quod directè ſit de meliori bono, quodque directè majus bonum non impediat, licet indirectè ſit impeditivum majoris boni, quia nemo negavit valere hoc votum, *promitto me ſervire hoſpitali, vel promitto me venundare ad pauperes captivos redimendos*, & tamen his impediretur ingredi religionem, quod eſt majus bonum; ſed dicta vota directè bonum promittunt, quod ſolum eſt impeditivum majoris indirectè: ergo &c. Confirmatur, quia qui vovet hanc religionem ingredi, & non aliam, ex ſuppoſitione, quod velit ingredi tenetur ad ingreſſum in iſta, ſed melius eſt, eſſe ligatum obligatione conditionali hujus religionis, quam omninò abſolutum: maximè quando hoc non ponitur in odium aliarum religionum, ſed in affectum ſpecialem ad iſtam: ergo &c. Poterit tamen hoc votum commutare authoritate propria in abſolutum ingrediendi aliam quamcunque: (idem dicimus de aliis duobus votis cum proportione debita) quia abſoluta obligatio, etiam minoris boni, melior eſt, quam conditionata, etiam boni Superioris: & ſic non impeditur à majori bono cum poſſit ingredi aliam quamcunque commutando illud bonum conditionatum, in hoc opus abſolutum. Quare valere illa vota tenent Prado *cap.* 31. *quæſt.* 2. *n.* 105. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 7. *n.* 47. Trullen. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 17. à ſancto Fauſto *lib.* 1. *quæſt.* 73. *num.* 2.

---

§. III.

Sitne validum votum de rebus inutilibus, & indifferentibus?

De rebus vanis votum eſt inutile, & vanum.

55. CErtiſſimum eſt apud omnes de operibus indifferentibus, quæ omnibus inſpectis indifferentia ſunt invalidum eſſe votum, quia ut inquit D. Th. 2. 2. q. 88. *art.* 2. *ad* 3. *vota, quæ ſunt de rebus vanis, & inutilibus ſunt magis deridenda, quam ſervanda*: cujus rationem in corpore articuli breviter reddit: *quia vana eſſet promiſſio ſi aliquis alicui promitteret, id, quod ei non eſſet acceptum.* Quare inutile, & vanum eſſet votum, aut juramentum, quo quis promitteret ſe ungues amputaturum certo die, ſe per illum, aut illum locum non tranſiturum: non iturum in rus: non exiturum de domo dextro pede: nunquam mare ingreſſurum; nunquam equum aſcenſurum: cum illo, aut illo homine non locuturum: de hujus, aut illius officina nihil empturum: illius ſacerdotis ſacrum non auditurum: non admiſſurũ in ſuum famulatum iſtum, aut illum hominem: non miſſurum panes coquendos ad illius aut illius furnum: & ſimilia. ¶ Sed non excedit peccatum veniale, præciſa alia circumſtantia, hæc tam inutilia Deo promittere. quia talis offerens Deo rem inutilem non intendit, quod illa placeat Deo, nec offert aliquid repugnans illius bonitati aut majeſtati; ſed quod eſt præter eam. Quandoque autem talis promiſſio omni culpa caret, ut quando ſimplices putantes ſe obſequium præſtare Deo talia promittunt, monendi tamen ſunt ne inutilia, & indif-

ferentia voveant,& quod non tenentur implere, quod ſic inutiliter promittunt. Sanch. *lib.4. c.7. n.4.* Petr.de Ledeſm. *cap.2. dub.2.concl.1.* Trullench. *lib.2. c.2. dub.7. n. 2.* Prado *tom.2. c.31. q.2. §.4. n.33.*

Indifferentia poſſunt eſſe aliquãdo materia voti.

56. Sed notandum eſt primo, indifferentia dupliciter aſſumi poſſe in materiam voti, uno modo ita ut omnibus modis ſint indifferentia, de quibus hucuſque diximus non valere votum de illis; alio modo quando id, quod indifferens eſt, ad bonum virtutis refertur, ut intrare in talem domum indifferens eſt, quod poteſt ordinari ad evitandum periculum loquendi cum periculoſa fœmina: ire Romam, ſecundum ſe indifferens eſt; ſed ire Romam ad inviſenda loca ſacra jam induit rationem virtutis, quo modo indifferentia apud omnes ſunt materia apta voti, quia ſub illa circunſtantia veſtita, Deo ſunt grata, & opera virtutis, ac meliora, quam oppoſita. At verò votum de illis ſolùm obligavit, quandiù indifferentia ad illum finem honeſtum conducunt, ablata autem tali conducentia, corruit obligatio voti: ut ſi non ingreſſurum in domum aliquam voveres, quia ibi habitat periculoſa mulier, ſi hæc ex illa domo exeat, & in aliam ſe transferat, ceſſat obligatio voti, quia tunc jam non ſunt in ordine boni, ſed ad ordinem purè indifferentium reddunt, & quia votum eſt lex particularis, deficiente autem in totum fine adæquato legis, deficit ipſa lex, ut diximus, *tom.3. tract.15. cap.4. n.3.*

Plurima indifferentia, quæ non ſunt materia voti recenſentur.

57. Secundo notandum eſt, quod indifferentia non transferuntur ab ordine indifferentium, ex libito operantis, quia nimirùm vovens illa ordinat ad finem honeſtum, ad quem minimè conducunt, ſed debet penſari ratio aliqua, quæ verè in ipſis ſit, aut proportio, aut convenientia inter talem rem,& finem intentum, quia mea voluntaria relatio non facit rem eſſe bonam, nec eam extrahit ab ordine indifferentium purè talium, qua ratione nullum erit votum, quo mulier promitteret ſabbati non coquere panem, aut non filare in honorem Virginis, tale votum, eſſet vanum, quia nullo modo cedit in honorem Virginis his vacare operibus, ſi aliis ſervilibus operibus poteſt eodem die incumbere; erit tamen validum votum vacandi ab omnibus operibus ſervilibus, vel etiam illis, aut ſimilibus, ſi nimis in illis diſtraheretur, aut nimium affectum ad illa haberet, ob quem non poſſet expediri, ut ſpecialiter illo die operibus devotionis incumberet. Similiter eſſet vanum; imo ſuperſtitioſum votum de non comedendo carnes aſſas in honorem Sancti Laurentii, aut capita animalium in honorem ſancti Joannis Baptiſtæ, quia revera ad honorem horum Sanctorum nihil tale votum conduceret: eſſet vero validum ſi ob ſpecialem affectum ad talem eſum votum emitteret, aut ſi ab omnibus carnibus abſtinere tali, vel tali die ſponderet. Ac deniquè invalidum judicamus votum agitandi tauros in Sanctorum honorem, quia vel eſt de re illicita, ex circunſtantiis, & modis tali operi adjunctis, vel de re omninò indifferenti minimè in Sanctorum honorem cedenti. Sic Suarez *lib. 2. cap.4. num.7.* Leander *tract 2. diſ.4. q 18.* Sanch. *lib.4. cap.7. n.13.* Palaus *tract.15. diſ.1. punct.8. §.2. n.1.*

Res indifferens, quæ talis eſt, quando votum emittitur, non facit illud validum, quod poſtea honeſta reddatur.

58. Denique notandum eſt, quod honeſtas dicta,& convenientia cum fine in objecto promiſſo debet adeſſe tempore, quo votum emittitur, nam ſi tunc temporis non adeſt talis convenientia non datur objectum obligationis capax, ac proinde nullum eſt tale votum, etiamſi res illa indifferens ſucceſſu temporis induat honeſtatem, ut ſi promitteres te non ingreſſurum in talem domum, quando nullum eſt in ea periculum, nullum eſt votum cujus obligatio non conſurgit ex eo, quod poſt modum habitet in ea mulier periculoſa; ſiquidem tempore, quo emittitur votum debet cadere ſuper materiam capacem obligationis; capacitas autem poſtea ſuperveniens non facit votum validum, quod erat nullum, *non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit. cap. non firmatur de regulis jur. in 6.* Sic Fagundez *tom.2. lib.2. cap.14. n.14.* Leſſius *lib.7. cap.40. n.42.* Bonacin. *diſ.4. q. 2. punct.4. §.2. n.9.* Leander *tom.2. tract.2. diſ.4. q. 22.* Sanchez *ſupr. n.19.* Palaus *punct.8. §.2. n.3.*

---

§. IV.

Qualiter votum, aut juramentum debet eſſe de re non peccaminoſa?

Nullum eſt votũ de re prava.

59. Conſtans eſt omnium ſententia votum, aut juramentum debere eſſe de re licita, & honeſta, proindeque invalidum omninò eſt votum, aut juramentum cadens ſupra rem pravam, quæ eſt contra præcepta naturalia, aut poſitiva: ratio D.Th. *2. 2. q.88. art.2.* eſt optima, quia promiſſio debet eſſe de acceptis, & placitis ei, cui promittitur; aliàs malum, & exoſum illi offerre, non eſſet promiſſio, ſed quaſi comminatio, *ſed odio eſt Deo impius, & impietas ejus*, ob idque *dona impiorum non probat Altiſſimus*: ergo &c. Et confirmatur, quia votum, aut juramentum obligant ad ſui obſervantiam, ſed cum homo lege divina, ac naturali teneatur declinare à malo, nequit aliquo vinculo ad illud obligari, alias votum, aut juramentum eſſent vincula iniquitatis, quod eſt blaſphemum.

Aliquæ objectiones proponuntur.

60. Sed objicies primo, quod Jepte in catalogo Sanctorum ab Apoſtolo ponitur ad Hebræos 1. qui tamen filiam innocentem contra jus naturale occidit, ut impleret votum: ergo votum de rebus aliàs illicitis erit validum, & obligatorium. ¶ Secundo, quia ſi quis voveret immoderatas vigilias, jejunia &c. teneretur vel eas obſervare, vel petere diſpenſationem; & tamen ſunt illicitæ, utpote juri naturæ de conſervanda vita, & ſalute contraria. ¶ Tertio, quia validum eſt votum, quo quis promitteret non peccaturum niſi cum tali fœmina, ut tenet Sanchez *lib.4. cap.6. n.22.* Bonacin. *punct.4. §.1. n.3. & 4.* Et tamen in hoc voto includitur peccatum cum iſta fœmina, quod per modum unius offertur Deo: ergo &c. ¶ Quarto, ſi quis voveret die Dominica jejunare validum eſſet tale votum, ut infra dicemus; & tamen hoc eſt prohibitum jure Eccleſiaſtico *cap. ne quis jejunet. de conſecrat. diſt.3. cap. ſi quis tanquam. cap. Sacerdos 26. q.2.*

Quomodo explicari debeat votum Jepte de occiſione filiæ?

61. Ad primum aliqui dicunt, Jepte ex ignorantia invincibili, ſe ligatum vinculo voti ad occiſionem filiæ cogitaſſe, nam licet de rebus jure naturali prohibitis non poſſit dari invincibilis ignorantia, ſi abſolute, & nudè ſumantur, de illis verò dari poteſt, ut veſtitis aliquibus circunſtantiis, uti diximus *tom.3. tract.11. de legibus cap.1. n.27.* ita in præſenti, occiſio filiæ ſub velamine ſacrificii, & intuitu ad impletionis

pletionis voti, pro victoria in ſalutem totius regni, potuit à viro milite judicari cum ignorantia invincibili licita: & ſic implendo tale votum, fecit quidem materialiter malum, & bonum formaliter ex recta fide, & devotione, ac religione. ¶ Alii vero dicunt, filiam Iepte non reali ſacrificio mactatam, aut crematam; ſed tantum incruenta hoſtia Deo conſecratam, & Nazaræam factam. Sic Lyram. Batabl. Ianctes Pagnious, Iſidorus, Clarus, Arias Martin. & alii. Sed hoc eſt contra SS. PP. Hyeronim. *in cap. 7. Ierem.* Chryſoſtom. *homil. 10. in epiſt. ad Roman.* Ambroſ. *lib. 10. officior. cap. 50.* & alios, qui patricidium vocant illius voti adimpletionem. Quare melius reſpondet D. Thom. 2.2. *quæſt. 88. art. 2. ad 2.* ſic: *& ſic accidit in voto Iepte, qui ut dicitur Iudicum, 11. Votum vovit domino dicens, ſi tradideris filios Amon in manus meas; quicunque primus egreſſus fuerit de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti in pace, eum offeram holocauſtum domino. Hoc autem poterat malum eventum habere ſi occurreret ei aliquod animal non immolandum, ſicut aſinus, vel homo: quod etiam accidit. Unde & Hyeronim dicit in vovendo fuit ſtultus, quia diſcretionem non habuit: & in reddendo impius. Præmittitur tamen ibidem, quod factus eſt ſuper eum ſpiritus domini: quia fides, & devotio ipſius, ex qua motus eſt ad vovendum fuit à Spiritu Sancto. Propter quod, ponitur in catalogo Sanctorum: & propter victoriam, quam obtinuit: & quia probabile eſt eum pœnituiſſe de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat.*

Qualiter votum de macerationibus corporis obliget?

62. Ad ſecundum reſpondendum eſt, ex eodem D. Thom. *eodem art. ad 3.* ſic: *ad tertium dicendum, quod maceratio proprii corporis, putà per vigilias, & jejunia non eſt Deo accepta, niſi in quantum eſt opus virtutis: quod quidem eſt in quantum cum debita diſcretione fit, ut ſcilicet concupiſcentia refrænetur, & natura non nimis gravetur, & ſub tali tenore poſſunt hujuſmodi ſub voto cadere, propter quod, & Apoſtol. Rom. 12. poſt quam dixerat, exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem: addidit, rationabile obſequium veſtrum. Sed quia in his quæ ad ipſum pertinent de facili fallitur homo in judicando, talia vota congruentius ſecundum arbitrium Superioris ſunt vel ſervanda, vel prætermittenda; ita tamen quod ſi ex obſervatione talis voti magnum, & manifeſtum gravamen ſentiret, & non eſſet facultas ad Superiorem recurrendi, non deberet homo talem votum ſervare.*

Quomodo valeat votum non peccandi niſi cum tali fœmina?

63. Ad tertium dicendum eſt, quod ſi in tali voto includeretur voluntas peccandi cum tali fœmina omnino eſſet invalidum; ſed niſi conſtet de oppoſita intentione voventis, non ſic eſt interpretandum tale votum; ſed cum promittit non peccaturum niſi cum tali fœmina ſe vult obligare ad non peccandum cum aliis, præſcindendo ab obligatione non peccandi cum iſta, quia vel expertus eſt ſe magis fragilem cum illa, & non vult ſe obligare voto ne peccata multiplicet, vel quia ad evitandum peccatum cum hac, putat ſe non indigere obligatione voti ob abominationem ad illam. Ideoque tale votum eſſe validum tenent Prado *cap. 31. quæſt. 2. §. 8. num. 102.* Sanchez *lib. 4. capite 6. numero 32.* Bonacina *punct. 4. §. 1. numero 3. & 4.* Trullen. *lib. 2. capite 2. dub. 5. numero 4.*

Valet votum jejunandi diebus Dominicis.

64. Ad quartum dicimus validum eſſe votum die Dominica jejunandi, quia nulla lege eſt prohibitum; unde dixit D. Thom. *in 4. diſt. 15. quæſtione 3. artic. 3. quæſtione 2. quod jejunium quantum eſt de ſe nullo tempore eſt prohibitum.* Illis autem temporibus prohibitum fuit ad evitandum errorem Manichæorum, qui cum jam ſit abolitus, & exterminatus talis prohibitio non obligat. Quare eſſe licitum jejunare die Dominica ob ſtudium, ob carnis macerationem &c. vel vovendo die Dominica jejunare, vel toto anno etiam Dominicis diebus docent Leſſius *lib. 4. capite 40. dub. 9. fine.* Azor. *1. p. lib. 7. capite 26 quæſt. ultima.* Navarr. *capite 21. numero 27. fine.* Trullen. *lib. 2. capite 2. dub. 5. numero 7. & lib. 3. capite 2. dub. 5. numero 18.* Prado *capite 31. quæſtione 2. § 8. numero 107.* Bonacina *tomo 2. diſ. 4. quæſt. 2. punct. 4. §. 1. numero 6.* Leander. *tract. 2. diſ. 4. quæſtione 41.* ¶ Si quis autem voveret in vigilia alicujus ſancti jejunare, & tale feſtum feria ſecunda veniret, melius adimpleret illud die ſabbati jejunando conformando ſe conſuetudini communi Eccleſiæ. Eadem ratione, qui votum haberet jejunandi omnibus vigiliis Beatæ Virginis, ſi incideret feſtum Annunciationis feria tertia, aut quarta Paſchæ non teneretur die antecedenti jejunare, ſed poſſet differre ad vigiliam diei, in quo fit officium ab Eccleſia, ſi autem feria ſecunda incideret, ſatisfaceret cum jejunio ſabbati ſancti. Sic Prado *n. 109.* ex Sylveſt. *verbo votum 2. quæſt. 16.*

Explicantur diverſæ cauſæ finales pro valido voto emittendo.

65. Sed inquires primo, an votum emiſſum de re bona, ſed ob finem pravum, ſit validum, & obligatorium? Reſpondetur diſtinguendo duplicem finem, vel eſt finis operantis, vel finis operis, ſeu ut aliqui dicunt, vel eſt finis rei, quæ promittitur, id eſt, qui executione rei promiſſæ obtineri intenditur, ut ſi promitteres mille aureos in eleemoſynam, ut victoriam in bello injuſto conſequaris, aſſumis eleemoſynam, ut medium ad obtinendam injuſtam victoriam. Et eſt finis ipſius promiſſionis, ſeu voventis, quique ad vovendum excitat, & actu vovendi obtineri intenditur, ut ſi publicè promitteres te erogaturum eleemoſynam ad plauſum, & honorem conſequendum: tunc vana gloria non aſſumitur ut finis operis, ſeu per opus conſequendus, ſed per illam promiſſionem, & voti emiſſionem. Finis autem operis bifariam poteſt conſiderari, vel enim eſt cauſa finalis motiva, vel duntaxat impulſiva: illa dicitur motiva, qua non exiſtente minimè velles te obligare; impulſiva, quæ animum jam ad exequendum motum, & applicatum impellit ad libentius, & celerius exequendum, vel ſub tali modo, utraque eſt cauſa finalis, quia bonitate cognita, moraliter movet ad opus, quod ſoli cauſæ finali convenit; ſed quia impulſiva ſupponit animum determinatum, & tantum impellit ad modum non dicitur cauſa finalis abſolutè, ſed impulſiva, finalis abſolutè dicitur motiva, quia determinat, ita ut abſque illa actus non fieret. Et hæc poteſt eſſe duplex, vel primaria, quæ abſolute dicitur motiva, & ſecundaria, quæ cum impulſiva ſolet confundi: verè tamen eſt motiva, quia ſine illa actus non fieret, ſicut pulchritudo fœminæ cauſa eſt impulſiva matrimonii: verè tamen eſt motiva licet ſecundariò; quia ſine illa cum tali fœmina non contraheret, & de Clerico eunte ad Eccleſiam propter diſtributiones, alias non iturus appellat D. Thom. finem ſecundarium, ſeu applicantem, & impellentem *in 4. diſ. 25. quæſt. 2. art. 2. q. 2. & quodlib. 8. art. 11. fine.*

Com triplici parte aſſertio proponitur, & explicatur.

66. Quibus ſuppoſitis, dicimus invalidum fore votum emiſſum ob pravum finem operis, ſeu per opus conſequendum, ſi ad illum tanquam ad finem primarium motivum ordinetur; validum

vero

vero eſſe, ſi finis malus ſolum ſit finis operantis, ſeu per emiſſionem voti intentus: & etiam erit invalidum votum de opere bono ad malum finem ordinato, etiam ſi talis finis ſolum ſit impulſivus, aut etiam vel motivus ſed ſecundarius. Triplicem partem habet aſſertio, quam probavimus, ſupponentes prius, idem judicium ferendum eſſe de fine pravo mortaliter, ac venialiter: quia uterque malus eſt Deo exoſus, ac proinde adeo intendere illum obtinere, eſt iniquum: & ſimiliter cum proportione eſt ſentiendum idem, de fine vano, aut indifferenti, de fine impoſſibili, quia etiam eſt inepta materia voti id, quod eſt impoſſibile, aut indifferens, ac ſi eſſet pravum, & malum. Ac denique idem eſt judicium ferendum, ſi quis voveat illud opus ut medium ad adipiſcendum à Deo finem pravum, quem intendit, vel voveat in gratiarum actionem, ſi talem finem, quem intendit, obtinuerit, quia non minus iniquum eſt, à Deo velle recipere malum finem per medium, quod ei offertur, quam tale opus illi offerre in gratiarum actionem, quod illum finem obtinuerit, nam utrobique Deo attribuitur eſſe authorem ejus, quod malum eſt, quod eſt blaſphemum: ideoque non minus eſt iniquum, & invalidum votum, quo Deo promitteres, te daturum eleemoſynam, ut mulierem male utendam conſequaris, vel ſi promitteres illam, ſi conſequaris, quaſi in gratiarum actionem, delectationis conſequutæ, & idem eſt de promittente eleemoſynam, ſi victoriam in bello injuſto conſequatur.

Nullum eſt votum factũ ob malum finem operis; nõ vero operantis.

67. Probatur ergo prima pars aſſertionis, nimirum invalidum eſſe votum rei bonæ ad malum finem ordinatæ: quia verè tunc non promittitur opus bonum; ſed malum: quia non promittitur res ut in ſe eſt; ſed ut ordinata ad obtinendum illum finem pravum, & ſecundum, quod habet conducentiam ad illum, quo modo verè eſt mala: quemadmodum res ex ſe indifferens, ſi ad finem bonum ordinatur, eſt bona, & apta materia pro voto; ita è contra res bona ad malum finem ordinata malitiam induit, fitque inepta materia promiſſionis Deo factæ. Secunda vero pars aſſertionis probatur, quia obligatio voti, aut juramenti, non ex honeſtate ipſius voti, aut promiſſionis procedit, ſed ex honeſtate operis promiſſi, quare licet omiſſio voti ex aliqua circumſtantia vitietur, puta ſi inconſideraurer, aut ſubito, & præcipitanter voveret, modo dicto ſupra, ſi tamen opus non vitietur, nec illa circumſtantia prava redundat in illud, remanet apta materia voti, acceptat enim Deus opus promiſſum, quia bonum eſt, & illi gratum, licet malè promittatur: ideoque ille actus vovendi, actus religionis eſt ex ſpecie, & objecto, quod ſufficit ad obligationem voti, tametſi in individuo malus ſit, ſed malitia extrinſeca operi, non redundanti in ipſum quando eſt executioni mandandum. Utramque partem tenent Cajetan. 2.2. *q*.88.*art*.2. *dub*.4. Palaus *tract*.15. *diſ*.1.*punct*.8. §.3.*n*.1. Candid. *tom*.2.*diſquiſ*.26. *artic*.11. *dub*.6. & 8. Navarr. *in ſumm.cap*.12. *num*.30. Soto *de Iuſtit. lib*.7. *quæſt*.1. *art*.3. *dub*.1. Bonacin. *diſp*.4. *q*.2. *punct* 4 §.1. *num*.6. Suarez *tom*.2. *de relig. lib*.2.*cap*.4. *num*.3. & 4. Sanchez *lib*.4. *cap*.7. *n*.13. Toletus *lib*.4. *cap*.17. *num*.16. & 17. Leſſius *lib*.2.*cap*.40. *dub* 7. *num*.15. Azor 2.*p*. *lib*.11. *cap*.15.*q*.3. Valent. 1.2.*diſ*.6.*punct*.1. *diſſ*.2. Prado *cap*.31. *q*.2. §.7.*per totum*.

Votum etiã ob finẽ pravum impulſivum nullum eſt.

68. Tertia vero pars probatur, quia etiam finis impulſivus, aut ſecundario motivus verè eſt finis, movetque animum ad illud opus, quodque proinde eligitur ut medium conducens ad illum finem conſequendum, & ſic opus illud etiam eligitur, ut conducens ad finem pravum, quo modo eſt opus malum, ac proinde inepta materia voti: quare nemo diceret valere votum aſſumendi ordines ob divitias, & pingues redditus capeſſendos, vel votum eundi ad chorum ob lucrandas diſtributiones, quia opus aliàs bonum ob indebitam illam ordinationem vitiatur, & finis tranſit in objectum executionis pravæ Deo diſplicentis. Sic Doctores citati, quamvis non omnes cum tanta claritate loquantur.

Qualiter finis pravus appoſitus voto, illud non vitiet?

69. Verum eſt, quod ſi finis pravus adjungatur promiſſioni honeſtæ, ſine eo quod res promiſſa ad illum finem ordinetur, nec ut medium ad illum aſſumatur, ſed ſolum ſe habeat ut conditio, qua poſita conſurgat rei bonæ obligatio, votum illud validum erit: ſicut ſi dicat, *promitto, aut juro me tot Miſſas dicturum, tot eleemoſynas facturum, ſi ex lite, bello, aut ludo injuſto victor evaſero: ſi beneficium ſimoniacè obtinuero: ſi fratrem occiderim, ut illius hæreditatem acquiram: ſi in furto, aut homicidio non fuerim comprehenſus: ſi filium ex adulterio, aut concubinatu ſuſcepero.* Hæc vota valida ſunt, nec enim eleemoſyna, aut ſacrificium ordinantur ad hæc peccata à Deo obtinenda, nec in gratiarum actionem, quod à Deo obtineantur; ſed per accidens talia prava opera adjungerentur promiſſioni, ut conditiones, quibus poſitis, obligentur ad rem promiſſam, quæ bona eſt, nulla ex parte vitiata; ideoque ſuppoſito peccato adulterii, furto commiſſo, occiſione fratris appoſita, beneficio ſimoniacè obtento, vel victoria in bello, ludo, aut lite injuſtis aſſequuta, tenetur dare eleemoſynas, Miſſaſvè dicere, ſive illa, quæ ſupponuntur ut conditiones ſint mala tantum phyſicè, ſivè moraliter. Ratio omnium eſt, quia votum, aut juramentum in ſimilibus caſibus non feruntur ad finem malum, ſed pendent ab his rebus tanquam a conditionibus: ergo poſitis hujuſmodi conditionibus manet obligatio juramenti: ſicuti in juramento, aut voto, quo quis promittit aliquam pœnam ſibi infligendam, ſi tale peccatum commiſerit, quia res promiſſa tantum a peccato, ut à conditione dependet, & eo ſuppoſito ipſa eſt bona, & Deo accepta, votum eſt validum, & obligatorium. Sic Fagundez. *tom*.1. *in* 2. *præcep. decal. lib*.2. *cap*.12.*n*.2. Candid. *tom*.2. *diſp*.26. *art*.11. *dub*.8. Leſſius *lib*.2.*cap*.40. *dub*.7. *n*.38. Raphaël de la Torre 2. 2. *quæſt*.88. *art*.2. *diſ*.3. *n*.2. & 9. Trullen. *lib*.2. *cap*.2.*dub*.5. *n*.8. Leander *tom*.2. *in decal. tract*.2. *diſ*.4. *q*.30. Bonacin. *tom*.2. *diſ*.4. *q*.2. *punct*.1. §.1. *num*.8. Laym. *lib*.4. *tract*.4. *cap* 2. *n*.7. Sanchez *lib*.4. *cap*.6. *n*.13. Suarez *lib*.2. *cap*.5. *n*.14. & 16. Cajetan. *art*.2. *hujus quæſ.* Prado *cap*.31. *q*.2. §.7. *num*.85.

Qualiter votum valeat emiſſum ad obtinendas res temporales?

70. Ex quo deducitur reſolutio illius quæſtionis, an ſit validum votum propter res temporales à Deo obtinendas? & quidem ſi tales res temporales intendantur obtineri in ordine ad finem ſpiritualem, & bonum, nulli dubium eſt valere hujuſmodi vota, ut ſi promittas te ter Miſſas dicturum, ſi ſalutem à Deo obtineas, ut Deo cum illa expedire ſervias. Sed dubium eſt, quando res temporales intenduntur ſiſtendo in eis, ſine eo quod ad alium finem ſuperiorem ordinentur? Ad quod dicimus, quod ſi res illa temporalis ſit finis materæ voti, eo quod talis materia voti ſolum ordinetur ad

illam

illam rem temporalem, tanquam ad finem à Deo, vel aliundè obtinendum, votum erit nullum: quia in moralibus ſpecies rei ſumitur à fine, & talis eſt res, qualis finis fuerit; unde ſicut ſi finis rei eſt malus, res eſt mala, ſi eſt finis indifferens, res eſt indifferens, & ſic erit inepta materia voti, ut ſi quis jejunium voveret, eo ſolo fine ut ſumptibus parcat, aut diteſcat, vel ſe daturum eleemoſynam, ut non habeatur ut avarus. ¶ Si verò res temporalis ſit finis rei promiſſæ, ordinando eam ad agendas Deo gratias pro re illa indifferenti obtenta, vel obtinenda, vel certè ſit finis ſolius voti ordinando votum ipſum, ut rem temporalem à Deo, vel aliunde obtineat (quo modo cenſendum eſt, niſi aliud de intentione voventis conſtet talia vota ſemper emitti) validum erit votum: quia tunc res promiſſa non afficitur eo fine, non enim eſt ejus finis, & ſic manet bona, ac legitima materia voti; nec per hoc quod vovens finem indifferentem illum intendat obtinere à Deo detrahit aliquid divinæ bonitati, ſicút cum malus eſt talis finis detrahitur, quia illorum bonorum temporalium Deus eſt verus author, cum ſint bona quædam naturalia, & nulla malitia morali affecta. Sic Sanchez *lib.4.c.7.n.22.* & 25. Trullench.*n.9.*Laym.*n.*10.Prado *n.*86.Leander *q.*24. Bonac.*§.2.n.6.* Palaus *punct.*8. *§.3.n.6.*

Quale peccatum ſit Deo rem malam promittere?

71. Denique inquires, quale peccatum ſit, Deo, quod malum eſt, per votum promittere? Ad quod dicimus, quod ſi objectum ſit malum mortaliter, vel ex parte rei, quia res promiſſa eſt lethale peccatum, vel ex parte finis rei, quia ordinatur ad finem malum per rem obtinendum, erit peccatum mortale, etiamſi propoſitom non habeat faciendi quod promiſit, ſi tamen tale propoſitum ſimul cum voto habeat, duplex lethale peccatum committet omnino in confeſſione detegendum; alterum, quia rem pravam Deo offert, quaſi Deo quod malum eſt placeret, quod eſt blaſphemum; alterum, quia propoſitum habet exequendi id, quod eſt peccatum mortale. At ſi objectum promiſſum, vel finis illius fuerit malus ſolum venialiter, communiter talis promiſſio ſolum erit peccatum veniale, quia licet promiſſio ſit ſtulta, & diſplicens Deo, ſicut peccata venialia, non magis illi diſplicet, quam ipſum peccatum veniale: maximè quia communiter intervenit ignorantia, & ſolum intenditur, quod valeat votum quantum valere poſſit. Sic communiter Doctores numero ſequenti citandi.

Rem venialem cum advertentia Deo offerre per votum, eſt blaſphemia.

72. Sed eſt inter illos controverſia, an peccaret mortaliter, qui ſciens, & advertens ſe offerre Deo, quod malum eſt ſolum venialiter, illud per votum promittit? aliqui ſatis probabiliter negant. Tum, quia impletio illius voti ſolum eſt peccatum veniale, facit enim, quod promiſit: ergo etiam ipſa promiſſio cujus tota malitia ex re promiſſa dimanat. Tum etiam, quia ſicut in aliis præceptis datur parvitas materiæ, ita erit parva materia in ſpecie voti, votum quod eſt de re veniali. Sic D. Anton. 2. *p. tit.*30. *cap.*4. § 1. Sylveſter *votum* 2. *q.*7. *dist.*2. Navar. *c.* 12. *n.*18. & 33. Aragon. 2. 2. *q.*88. *art.*2. *fol.*974. *col.* 2. Petrus de Ledeſm. *tom.*2. *tract.*10.*c.*2.*dub.*1.*concl.*2. Sotus *lib.*7.*q* 1.*art.*3. Villalob. 2. *part. tract.*34. *diff.* 2. *num.*3. Bonac. *punct.*4. §.1.*n* 10. ¶ Sed pars affirmativa eſt tenenda, hic namque, quanvis blaſphemiam hæreticalem, & contra fidem non committat, committit practicam, quia offerendo Deo peccatum, de facto proteſtatur hoc illi placere, omnis autem blaſphemia deliberata eſt peccatum mortale, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.*13. *art.*3. unde quamvis velle peccare venialiter ſolum ſit veniale, velle tamen quod peccatum veniale cedat in cultum Dei, eſt gravis injuria, & blaſphemia Deum colere peccatis, & in hoc non eſt materia levis, aut parva, quamvis aliundè parvitas materiæ in voto admittatur. Sic Palaus *punct.*8. §.3. *num.*9. Sanchez *lib.*4. *cap.*6. *num.*9. à ſancto Fauſto *lib.*1. *q.*42. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.* 5. *num.*9. à ſancto Thoma 2. 2. *diſ.*29. *art.*4. Leander *tract.*2. *diſ.*4. *q.*36. Prado *c.*31. *q.* 2. §.8. *n.*10. Cajetan. *in ſum. verbo votum*, §.2. Raphael de la Torre 2. 2. *q.*88. *art.* 2. *diſ.*1. Suarez *lib.*2.*c.*4.*n.*2. & 12. & *lib.*5. *c.*2. à *n.*9.

§. V.

Sitne apta materia voti res impoſſibilis phyſicè, aut moraliter? Vbi de voto nunquam peccandi agitur?

Nullum eſt votum rei impoſſibilis.

73. VOtum, aut juramentum factum Deo, ſemper debet eſſe de re poſſibili phyſicè, & moraliter, cum debeat eſſe de iis, quæ ſunt in poteſtate voventis, & parum refert quod res ſecundum ſe poſſibilis ſit phyſicè, ſi moraliter eſt impoſſibilis, cum nemo ad impoſſibilia etiam moraliter ſit obligatus, *cap. nemo poteſt de regulis juris in* 6. imò non ſolum debet eſſe poſſibilis utcumque; ſed eſſe poſſibilis ipſi voventi: quia ſi illi impoſſibilis foret, hoc ipſo non poſſet promittens ad eam ſe obligare; eſſet tamen duntaxat veniale, ſe per votum ad impoſſibilia obligare, conſiſtens in ſimulata quadam promiſſione, non enim ex animo promitteret, ſi eſſe impoſſibile cognoſceret, eſt commune inter Doctores.

Qui per modū unius poſſibile, & impoſſibile promitteret, nullam ſubiret obligationem.

74. Sed gravis eſt difficultas in præſenti, an validum eſſet votum, ſi quis rem poſſibilem ſimul cum impoſſibili ſponderet, itaut ad partem poſſibilem exequendam maneret obligatus? Et idem judicium ferendum eſt, ſi rem bonam ſimul cum mala, aut indifferenti promitteret, an videlicet, quamvis quoad partem inutilem, aut malam non valeret votum, utpotè materia inepta illius; validum tamen perſiſteret, & obligatorium, quoad aliam partem, quæ eſt apta materia voti? In quo eſt certiſſimum, quod ſi de animo promittentis conſtaret, ſe per modum unius voluiſſe ad utramque partem obligare, atque indiviſibiliter utramque ſimul reſpicere, nullum eſſet votum: quia cum votum ſit lex particularis ultra intẽtionem voventis non extenditur, ideoque ſi ipſe collectivè utramque partem promiſit, aut unam dependenter ab alia, ſi una impoſſibilis, mala, aut indifferens ſit, proindéque inepta materia voti, hoc irritum manet, ita quod, neque quoad partem aptam obligationem inducat. Quare dubium eſt, ſi non conſtet de animo promittentis; ſed abſolutè vovit ſe recitaturum, & furaturum: ſe facturum, quod poſſibile ſibi eſt, & quod eſt impoſſibile, teneatur quod poteſt, & quod bonum eſt exequi religione voti?

Votum de re poſſibili & impoſſibili ſi ſeparabiles ſint,

75. Circa quod aſſerendum eſt primò, quod ſi materia communiter, & ordinario ſit diviſibilis, aut quia eſt de re materiali communiter diviſibile, aut quia eſt de diverſis actibus non connexis communiter, & ordinario, cenſendum

Tenet quoad partem poſſibilem.

eſt votum valere, quoad partem poſſibilem; ſecus vero ſi eſſet de materia, quæ communiter eſt indiviſibilis, & nonniſi rarò ſeparentur ejus partes. Aſſertio quoad ſecundam partem conſtabit ex dicendis pro prima oppoſito modo, ut ſi votuoı feciſti caſtitatis, & nupſiſti, teneris ſervare illam partem, quam potes, nnn petendo, quamvis reddere debitum tenearis: voviſti mille aureos te daturum in eleemoſynam, non potes niſi centum dare, hæc teneris elargiri, licet ad largitionem illorum non tenearis: Voviſti per totum annum jejunare, non potes niſi duobus diebus in hebdomade, hoc jejunare teneris, quia licet materia illa quoad unam partem inepta ſit pro voto; quoad aliam verò, quæ communiter ſeparabilis eſt, & ordinario eſt materia apta. Et ideo dixit. D.Thom. 2.2.q.88. *art.*3. *ad* 2. *Quod ſi illud, quod quis vovit ex quacumque alia cauſa impoſſibile reddatur, debet hoc facere, quod in ſe eſt.* Ratio eſt, quia licet in illo caſu appareat unum ſolum votum emiſiſſe, multiplex virtualiter emiſit, cum ſit de rebus ſeparabilibus, quarum una, ut in plurimum, non dependet ab alia, unde ceſſante obligatione unius voti ob impoſſibilitatem materiæ, manet alterius obligatio: & tunc verificantur verba juris, *quod utile per inutile non vitiatur, cap. utile, de reg. jur. in* 6. Sic Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*11. *num.*3. Villalob. *ſecunda parte, tract.* 34. *diff.* 2. *num* 9. Prado *c.*31. *q.* 8. *num.* 113. & 114. Sanchez *lib.*4. *cap.*10. *num.*7. Palaus *tract.* 15. *diſ.*1. *punct.*8. §.1. *n.*10. Leander *tract.*1. *diſ.*9. *q.* 34. & *ſeqq.*

Si acceſſorium impoſſibile ſit; & principale poſſibile tenet votum; non è contrà.

76. Aſſerendum eſt ſecundò, quod ſi in materia voti acceſſorium ſit impoſſibile, indifferens, aut malum; & principale ſit poſſibile, & bonum, validum eſt votum, & obligat quantum ad bonum poſſibile; ſi verò è contra acceſſorium ſit bonum, aut poſſibile; & principale, aut malum, aut impoſſibile, aut indifferens, votum eſt nullum, quoad totum. Ratio eſt, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, nec illud vitiat, aut enervat; non è contrà, *cap. ſine eo de conſecratione Eccleſ. in* 6. *Impedimentum acceſſorium non redundat in principale:* Ergu ad principale eſt attendendum, ut votum validum, aut nullum judicetur: ideoque, qui nudis pedibus ire Ieruſalem promiſiſſet, ſi non poteſt pedibus nudis ire, tenetur ire modo quo poteſt: qui vuvet jejunare in pane, & aqua, ſi hoc modo non poteſt, tenetur modo communi: ſi quis peregrinationem ſacco indutus promiſit, ſi non poteſt cum ſacco, non liberatur ab obligatione peregrinationis: ſi promiſit pedeſtrem ire Romam, ſi hoc modo non poteſt ire, tenetur ire ſaltem equeſtris; è contra promiſiſti navigationem ob lucrum prævia confeſſione, ſi non potes, aut non vis navigare, ad confeſſionem non teneris, quia confeſſio ut acceſſoria navigationis accipitur: ita in ſimilibus caſibus. Cajetan. 2. 2. *q.*88. *art.*3. §. *dicendum.* Palaus *num.*10. Prado *num.*115. & 116. Trullench. *num.* 5. Sanchez *num.* 10. & 13. à ſancto Fauſto *lib.*1. *q.*17. Navar. *c.*12. *num.*37. Leander *q.* 35. ¶ Sed hoc limitandum eſt niſi acceſſorium redderet rem principalem difficiliorem, quia tunc ſi acceſſorium ſit impoſſibile, non manet obligatio de principali: ut ſi te ire Romam equeſtrem promitteres, non habes equum, quo vadas, non teneris pedeſter ire, quia tunc cenſetur res principalis promitti per modum unius, & dependenter ab acceſſorio, ne dicatur votum obligare cum majori difficultate, quam vovens intendit, cum promiſit. Sanchez *num.*10. Suarez *c.*2. *num.*11. Palaus *num.*10. Leander *q.*40. Villalob. *tom.*2. *tract.*34. *diff.* 2. *n.*9.

Qui Eccleſiam ædificare promiſit, ſi totā non poteſt, ad nihil tenetur.

77. Ex dictis deducitur ſolutio illius difficultatis, an ſi quis promiſit ædificare Eccleſiam, & non poteſt totam, teneatur ad partem, vel ad Capellam in illo, vel alio templo extruendam? Affirmat prima ſententia, nam qui totum, quod promiſit non poteſt implere, tenetur ad partem, quam poteſt, ut ſi promiſit mille dare, & non poteſt niſi centum, hæc dare tenetur, ut docet D. Thom. *hic artic.* 3. *ad* 2. & *in* 4. *diſt.*38. *q.*1. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 3. Ergo qui Eccleſiam promiſit, & totam non poteſt, ad partem tenebitur: fieri namque ſolet, ut alii viſo Eccleſiæ principio inclinentur ad eam perficiendam. Sic Valent. 2. 2. *q.* 6. *punct.* 4. *col.*4. *notab.*2. Sylveſter *votum* 2. *q.* 1. Navar. *cap.*12. *num.*19. Prado *c.*31. *q.*2. §.9. *num.*118. Bonac. *diſ.*4. *q.*2. *punct.*4. §. 4. *num.* 3. ¶ Sed dicendum eſt non teneri niſi conſtet de clara intentione voventis, quia non eſt actus moraliter ejuſdem rationis Eccleſia, & Capella; nec etiam ad partem Eccleſiæ: eſt enim Eccleſia corpus quoddam individuum, quod nec regulariter, nec ordinario ſeparatur; ideoque vovens cenſetur per modum unius totam promittere, & ſic ſi tota impoſſibilis eſt, ad nihil tenetur: Sanchez *cap.*10. *num.*7. Suarez *c.*1. *num.*5. Palaus *num.*10. Laym. *lib.*4. *tract.*4. *cap.* 2. *num.*3. Villalob. *diff.* 2. *num.*8. Leander *tract.*1. *diſ* 9. *quæſt.*31.

Qualiter obliget, vel non, votum nunquam peccandi?

78. Sed eſt modo difficultas, an ſit validum votum nunquam peccandi? Quod quadrupliciter emitti poteſt. Primò, ſi ſit votum nunquam peccandi mortaliter. Secundò, ſi ſit votum nunquam peccandi venialiter. Tertiò, ſi voveat nunquam peccare nec venialiter, nec mortaliter collectivè. Quartò, ſi votum ſit de non peccando mortaliter, aut venialiter diviſivè. Quo ſuppoſito, uno verbo ad quæſitum reſpondeo: validum eſſe primum votum, cætera verò invalida. Ideoque validum eſſe votum nunquam peccandi mortaliter, votum verò nunquam peccandi venialiter eſſe nullum, & etiam votum non peccandi mortaliter, nec venialiter collectivè, & votum non peccandi mortaliter, aut venialiter diviſivè. Quadtuplicem partem habet aſſertio, quarum ſingula ſeparatim probabimus.

Validum eſt votum nunquam peccandi mortaliter.

79. Prima ergo pars, quod votum de mortalibus vitandis ſit validum, probatur, quia eſt de re non ſolum poſſibili phyſicè, & ſecundum ſe cum gratia Dei; ſed etiam moraliter, ac ſæpiſſimè contingenti, cum aliquos per multos annos videamus gratiam Dei acceptam non amittere, & ab omni prorſus lethali culpa abſtinere: & hoc non ſolum eſt verum in viris ſanctiſſimis, & perfectiſſimis, quod tale votum ſolum reſpectu illorum erit validum, ut aliqui non rectè dicunt; ſed etiam in omnibus; nam cuicumque per divinum auxilium ſibi præparatum poſſibile eſt moraliter omnia peccata mortifera fugere, votumque dictum adimplere. Sic Petrus de Ledeſm. *tom.* 2. *tract.*10. *cap.* 2. *dub.*3. *in ſecunda concluſione.* Suarez *tom.*2. *lib.*2. *cap.*3. *num.*2. Leander à Sanctiſſimo Sacramento *tom.* 2. *tract.* 1. *diſ.*9. *q.* 16. Villalob. *ſecunda parte, tract.*34. *dub.* 2. *num.*3. Trullench. *lib.*2. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.*2. & 4. Sanchez *lib.*4. *cap.*5. *num.*16. Sayr. *lib.*6. *cap.*3. *num.*9. Prado

cap.31. quaſt.3. §. 10. *num.*122. Raphael de la Torre 2. 2. *q.*88. *artic.*3. *diſ.*2. *num.*2. Palaus *tract.*15. *diſ.*1. *punct* 8. §. 1. *num.*4. ¶ Tale autem votum conſuli non debet, niſi viris timoratiſſimis, qui per plures annos experti ſunt ſe nunquam peccaſſe mortaliter, ut ſic voluntas magis firmetur in bono, quod obtinere Dei gratia eſt moraliter huic poſſibile: aliis verò fragilibus conſultius eſſet tale votum non emittere, ne novis peccatis, aut periculis iſſotum implicentur.

Votum de peccatis omnibus venialibus vitandis nullum eſt.

80. Secunda vero pars probatur, nimirum invalidum eſſe votum de vitandis omnibus venialibus etiam diviſivè, etiamſi eſſet de vitandis ſolum illis, quæ ex plena deliberatione committuntur. Primò, quia votum de re moraliter impoſſibili eſt nullum; ſed tale eſt hujuſmodi votum, nam in Concilio Trident. *ſeſſione* 6. *can.*23. dicitur: *Si quis dixerit hominem juſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare; niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* ¶ Secundò, quia ad materiam voti non ſufficit eſſe rem poſſibilem in communi, & in confuſo, ſed debet eſſe de rebus moraliter poſſibilibus, & cognoſcibilibus ne homo ſemper de tranſgreſſione anxius remaneat. Sic Sanchez, Raphaël de la Torre, Palaus, Leander, Villalob. Prado, Trullench. *locis citatis.* ¶ Nec contra hoc facit, quod adeſt obligatio ſingula peccata vitandi; & ideo poterit eſſe apta materia pro obligatione voti. ¶ Quia illa obligatio naſcitur ex natura rationali, eamque conſequitur: at impoſſibilitas moralis ex rebellione appetitus oritur, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.*109. *art.* 8. obligatio autem voti oritur ex libera voluntate ſuppoſita poſſibilitate materiæ. Præterea, quia obligatio ſumma, qualis eſt iſta, ſingula vitandi venialia, ſolum à ſuprema poteſtate Dei poteſt dimanare. ¶ Imò invalidum judicamus votum de vitandis omnibus venialibus quantum in me fuerit, quia eſt de objecto humano modo incognoſcibili, pluribus ſcrupulis, & anxietatibus expoſito. Quis enim cognoſcere poteſt, quando debitam adhibet diligentiam? quando illam prætermittit? Votum autem debet eſſe de re certa, humana ratione cognoſcibili, & ab his perplexitatibus libera. Palaos §. 1. *n.* 12. Trullench. *n.*2. *fine.* Prado *n.*126.

In particulari materia votum vitandi venialia eſt validum.

81. At verò votum non peccandi venialiter in aliqua materia determinata, v.g. in mendacio jocoſo, & aliis, poteſt eſſe validum communiter: maximè in viris virtutis heroicæ, & ab occaſionibus remotiſſimis, quia expectato ordine gratiæ poteſt quis in una, vel altera materia peccatum vitare, præcipuè illa, quæ fiunt ex plena advertentia. Hoc tamen in aliquibus moraliter erit poſſibile, in aliis non; nam ſunt diverſæ vires juxta diverſam gratiam, conſuetudinem, & exercitia hominum, ideoque illis, qui iniquitatem ut aquam bibunt, impoſſibilis erit moraliter talis materia, & ſic votum nullum reſpectu illorum. Sunt tamen aliqua peccata venialia, quæ omnibus etiam timoratis, difficillimum eſt, imo impoſſibile moraliter omnia illa vitare, vel in cogitatione, ut in materia luxuriæ, in judiciis temerariis, in cogitationibus otioſis: vel in verbo, ut in vaniloquiis, verbis otioſis: vel in opere, ut exceſſus in cibo, potu, ſomno, &c. reſpectu quorum in omnibus nullum votum judicamus, niſi fortè pro tempore aliquo exiguo, aut pro occaſione determinata. Sic Suarez *lib.* 2. *cap.*3. *num.*11. Villalob. *num.*5. Sanchez *cap.*5. *num.*18. Prado *num.*127. Palaus *punct.*8. §. 1. *num.* 11. Trullench: *n.*5. Leander *q.*26. Cajetan. *art.*8. *ad fin.* Petrus de Ledeſm. *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.*2. *poſt dub.*3. *conclusione* 3.

Votum de vitandis omnibus mortalibus, & venialibus nullum eſt.

82. Tertia pars aſſertionis, nimirum invalidum eſſe votum non peccandi venialiter, nec mortaliter collectivè, ſeu non peccandi abſolutè, non determinato genere peccati probatur ex dictis, quia eſt de re moraliter impoſſibili, ut dictum eſt, & cum per modum unius cōplectatur vitare mortalia, & venialia, cum ſit nullum reſpectu horū, abſolutè erit nullum, & invalidum: unde non manebit obligatio etiam reſpectu illius partis, quam poteſt, nimirum vitare mortalia, quia utramque per modum unius indiviſibiliter, & collectivè complectitur. Unde non eſt eadem ratio de eo, qui promittit jejunare totum annum, qui ſi non poteſt totum, tenetur ad dies ſibi poſſibiles, quia ille emiſit votum de re per ſe poſſibili, quæ ſolum per accidens eſt illi impoſſibilis, ideoque non per modum unius amplectendo poſſibile cum impoſſibili emiſit votum, & ſic ad partem poſſibilem tenetur juxta dicta *n.*75. at in noſtro caſu per modum unius promiſit vitare mortalia, quod eſt poſſibile, & venialia, quod eſt moraliter impoſſibile, & ſic nullum fuit ab initio votum, & ad nullam partem manet, qui vovit obligatus. Sanchez *lib.*4. *cap.*5. *num.*10. Villalob. *num.*13. Trullench. *n.*2, *&* 11. Soto *lib.*7. *q.*1. *art.*3. *col.*9. Fr. Ioan. à ſancto Thoma 2.2. *q.*88. *diſ.*29. *art.*5. Petrus de Ledeſm. *concluſ.*3. *&* 4. Palaus *num.* 5. Leander *q.*21. *&* 22. Aragon. *art.*2. *dub.*2. *circa quartam concluſionem.* Valent. 2.2. *diſ.*6. *q.*6. *punct.*2. *col.* 3. Sayr. *lib.*6. *c.*3. *n.*10.

Votum vitandi peccata venialia, vel mortalia diviſivè, eſt nullum.

83. Denique quarta pars aſſertionis, videlicet votum vitandi omnia peccata mortalia, vel venialia diviſive, eſſe nullum, probatur; quia votum disjunctivum cujus altera pars eſt apta materia voti, alia inepta, taliter quod vovens ad neutram determinate voluit obligari; ſed disjunctivè ad unam, vel alteram, eſt nullum: ut ſi diceret, *Voveo me ingreſſurum Religionem, vel furaturum: voveo me recitaturum officium, vel ludo vacaturum:* quia ex vi talis voti non magis tenetur ad unam, quam ad alteram, & poteſt quam maluerit eligere; unde ſicut erit nullum eligendo materiam ineptam, ita eſt nullum reſpectu utriuſque, cum non obliget eligere materiam aptam: hujuſmodi eſt votum, de quo loquimur: ergo, &c. Sic Sanch. *lib.*4 *c.*10. *n.*19. Villalob. *ſuprà num.*13. Leander *tract.* 1. *diſ.*9. *q.*25. Trullench. *lib.*2. *c.*2. *dub.* 9. *n.* 2. *&* 11. ¶ Erit etiam invalidum votum de confitendis omnibus venialibus commiſſis, quia eſt de re moraliter impoſſibili; ſi vero votum ſit de confitendis omnibus venialibus, quæ adhibita mediocri diligentia memoriæ occurrunt, erit validum: quia hoc moraliter eſt poſſibile, nec ullis ſcrupulis, aut perplexitatibus obnoxium. Sanchez *c.*5. *n.*20. Palaus *punct.*8. §. 1. *n.* 3. Leander *q.*30. Trullench. *dub.*9. *num.* 2. Sayr. *n.* 10. Rodrig. *tom.*2. *c.*49. *n.*4.

Objectio, ex voto facto à S. Thereſia, deſumpta.

84. Sed contra hucuſque dicta objicies, quod Seraphica Mater Noſtra Sancta Thereſia emiſit votum de faciendo ſemper quidquid perfectius eſſe intelligeret, quod eſt difficilius, quam vitare omnia peccata venialia, needum in materia aliqua determinata, verum in om-

nibus materiis; & tamen votum illud fuit validum: ergo etiam erit validum votum de vitandis omnibus venialibus, necdum diviſivè; verum & collectivè ſumptis. Probatur minor, tum quia illud votum emiſſum fuit à Sanctiſſima Virgine ex conſilio doctiſſimorum virorum, & de licentia Provincialis, imo & Generalis ordinis, ut refert exactiſſimus ejus coroniſta R. P. N. Fr. Franciſcus à ſancta Maria *tom.1. hiſtoria ordin. lib.1. cap. 30. à num.5.* & non eſt credibile tot viros doctiſſimos conſuluiſſe Thereſiæ ut votum inane, nulla ratione firmum emitteret. Tum etiam, quia tale votum fuit à diverſis Pontificibus approbatum; nam Gregor. 15. in Bulla canonization. Divæ Thereſiæ edita anno 1621. quæ habetur *tom.3. Bullarum*, quæ incipit *omnipotens ſermo Dei, §.6.* ita dicit: *Ex quibus cœleſtibus donis, divini amoris flamma in ejus corde adeo exæſtuabat, ut maximè arduum votum, à Deo edocta, emiſerit, efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſet, & ad majorem Dei gloriam pertinere intelligeret.* Et Urbanus VIII. in lectionibus ſui officii, ita ait: *eo conſiliante maximè arduum votum emiſit efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſe intelligeret.*

A Deo edocta, & illuſtrata fecit tam arduum votum ſancta Thereſia.

85. Reſpondetur votum illud Sanctiſſimæ Virginis Matris Noſtræ Thereſiæ validum fuiſſe, maximaque cum prudentia, & conſilio emiſſum, utpotè, *à Deo edocta*: ut inquit Gregor. XV. *& eo conſiliante*: ut Urbanus VIII. aſſerit: ac proinde ex ſpeciali inſtinctu, & inſpiratione Dei, ſine qua nullus prudenter, & fructuosè, tale poſſet votum emittere. Verùm cum ipſa Seraphica Virgo tot donis cœleſtibus cumulata eſſet, tot ſupernis illuſtrationibus edocta, totque favoribus, & Dei charismatibus inſignita, ipſo Deo conſiliante, ab ipſoque edocta ſpecialiter potuit aggredi, quod nemo niſi ipſa exequi auderet: nimirùm omnes ſuas, & ſingulas actiones ad Dei cultum dirigere, ſeque voti religione ligare, nunquam aliquam quamtumvis minimam imperfectionem committere, & neque uno pede ab perfectionis apice deflectere: quod & fecit; ob idque votum tam arduum emiſit, illudque ſumma cum omnium admiratione exactiſſimè adimplevit. Quod ſummam hujus præclaræ Virginis ſanctimoniam, & perfectionem commendat, unde rectè dixit N. V. P. Fr. Ioannes à Ieſu Maria in compendio latino vitæ ſanctæ Thereſiæ: *Sed inter univerſa Virginis geſta maximum, quod in alia nulla Sanctorum hiſtoria legiſſe meminimus, fuit votum, quod promiſit, ſe, non grata modo; ſed quæ Deo gratiora crederet effecturam. Votum quippe hoc Angelicum, & uſque ad ſtuporem planè mirum, niſi ab animo divini amoris flammis excocto, & in Deum perenniter rapto edi non potuit.* Idemque dicunt tres hiſtoriographi hujus heroinæ Virginis, & proceſſiſſe illam ex divino inſtinctu, ac ſpeciali Spiritus ſancti inſpiratione. Pater Ribera *in lib. vita S. Thereſia, lib.4. cap.10.* Illuſtriſſimus D. D. Fr. Didacus à Lopes *lib.4. cap.7. ejuſdem vita.* N. R. P. Fr. Franciſcus a ſancta Maria *lib.1. c.30. generalis ordinis hiſtoria.* Et R. P. M. Fr. Ioannes Martinez à Prado *tom.2.cap.31.q.2. §.10. num.129.*

PUNCTUM III.

De multiplicitate votorum, eorumque propriis differentiis.

Voti commune, & particulare.

86. Plura quæ circa hoc punctum dicenda forent, jam à nobis exarata ſunt ſupra, *hoc volum.tract.15.cap.1.punct.3.* quare nunc breviter multiplicitatem votorum recenſebimus. Igitur vota, alia ex parte promiſſionis, alia ex parte materiæ promiſſæ diverſificantur: & poteſt in hoc eſſe diverſitas accidentalis, & ſubſtantialis. Votum ergo aliud *commune* dicitur, ſeu *neceſſarium*, & eſt illud, quod ab omnibus communiter emittitur, eſtque de aliis, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ut eſt votum, quod emittitur in baptiſmate abrenunciando pompis diaboli, & Chriſti Domini legem obſervare promittendo, de quo jam diximus *num.36.* non eſſe verum votum, ſed quandam acceptationem expreſſam eorum, quæ Chriſtianus quilibet tenetur obſervare, ideoque fractionem illius non induere novam circunſtantiam in confeſſione detegendam. Aliud eſt votum *particulare*, ſeu *liberum*: illud ſcilicet, quo quis liberè, & ſpontè ad aliquid agendum, vel omittendum vult obligari, quod licet aliquando ſit de rebus aliàs debitis, & neceſſariis ad ſalutem, quid tamen indebitum erat, quod ſub illa ſpeciali obligatione religionis vovens ſe voluerit obligare, ut *n.34.* diximus.

Votum mentale, & vocale.

87. Rurſus votum *particulare* (de quo in præſenti ſolum agimus) poteſt dividi in *mentale, ſeu internum*, & *vocale*, ſeu *externum*: dicitur *mentale*, vel ex parte promiſſionis, quando ſoli Deo, qui cor intuetur in mente aliquid promittitur: vel ex parte materiæ, ut quando promittitur Deo ſolus actus internus, ut amare Deum, vel orationi mentali incumbere. *Vocale*, quod ad voti confirmationem, vel majorem excitationem voventis ore profertur, juxta illud Pſalm. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* An vero poſſit dari votum de ſolis externis actibus vitandis ex expreſſa voluntate voventis? Reſpondetur nullum eſſe tale votum, ſi ſit de ſolis externis actibus, excludendo omnes internos, cum enim libertas, & malitia actuum externorum, ex actibus internis omnino proveniat, & actus externi ſint cum internis inſeparabiliter connexi, qui obligatur externos actus vitare, obligari debet ad evitandos actus internos inſeparabiles ab externis. At ſi vovens ſolum vult obligari ad evitandos actus externos, non excludendo internos inſeparabiles ab eis, ſed alios cum quibus non habent talem connexionem, validum erit votum, & ex vi illius vovens tenebitur vitare actus internos inſeparabiles ab externis, non autem alios: ut ſi voviſti nunquam fornicari; peccas contra hoc votum volendo fornicari, quia ſicut præceptum, quod prohibet furtum, prohibet etiam voluntatem furti: ſic votum, quo obligaris non fornicari, obligaris non velle fornicari. Cæterum non erit contra hoc votum alias cogitationes moroſas, alioſve affectus pravos contra caſtitatem habere. Sic Vaſquez *q.12. diſ.112.c.2.n.9.* Monteſin. *q.74. diſ.7. q.4.n.91.* Palaus *tract.15. diſ.1. punct.11. num.10.* Prado *diſ.31.q.3.§.1.n.5.*

88. Deinde

Votum abſolutum, & conditionatum.

88. Deinde votum aliud eſt *affirmativum*; aliud *negativum*: quæ diviſio eſt ſolum ex parte materiæ: actus enim voti ſemper eſt affirmativus, utpote actus poſitivus, quo Deo aliquid promittitur; ſed ex parte materiæ quando promiſſio eſt de aliquo non faciendo, eſt votum negativum; ſi eſt de aliquo faciendo, affirmativum. ¶ Rurſus votum dividitur in *abſolutum*, & *conditionatum*. Abſolutum eſt, cum quis abſolutè vovet aliquid abſque conditione ſuſpendente actum. Conditionatum, quod cum tali conditione affectum emittitur, & tunc obligatio ſtatim conſurgit, ſed non abſolutè; ſed ex ſuppoſitione appoſitionis conditionis. Conditiones autem generales, quæ ſemper ſupponuntur, etiamſi non apponantur non faciunt votum conditionatum, ut ſi vixero, ſi potero, ſi Deus voluerit, ſi Superior non irritaverit, vel diſpenſaverit, ut dicitur *in cap. Beata Mariæ 27. quæſt* 2. ¶ Sed notandum eſt, quod votum, quod emittitur animo ſuſpendendi executionem pro tempore opportuno, non eſt conditionatum, ſed abſolutum explicans circumſtantiam temporis, quo eſt executioni mandandum, *ut voveo ingredi Religionem, ſi Pater obierit: ſi vigeſimum annum attigero: ſi curſum ſtudiorum conſummavero*: ly *ſi*, explicandum eſt, ut ſit idem ac *quando*. Et ſolũ ponitur ut circunſtantia adimplendi votum, non ut conditio ſuſpenſiva. Sæpè autem hoc diſcerni non poteſt niſi ex intentione voventis, quæ intentio venari poteſt ex affectu voventis, & in dubio ſtandum eſt communiter contingentibus. Quare in illo voto, *Promitto me ingredi Religionem, ſi frater major natu habuerit filios*: quamvis Suarez *lib.6.cap.22. num.6.* Sanchez *lib 4. cap.40. num.*83. Baſilius Pontius *de matrimon. lib.8. cap.9. num.*18. dicant eſſe conditionale: verius eſt eſſe abſolutum, & ex affectu ad Religionem emiſſum, quia abſolutè intendit Religionem, nec præfert ſucceſſionem fratris obligationi Religionis, ſed illius executioni: ſicut cum promittit ingredi, ſi pater, aut mater obierit, tunc non ex affectu ad vitam patris procedit, nec præfert illam Religioni, ſed ex affectu ad Religionem, & ſolum eſt mors patris circumſtantia, ut ingreſſus in Religionem executioni mandetur. Si autem dicat, *Promitto ingredi ſi ex infirmitate convaluero, ſi ex periculo evaſero, ſi in tale peccatum lapſus fuero*. Tunc non ex affectu ad ingreſſum procedit, ſed ex affectu ad conditionem, ob idque talia vota conditionata remanent. Raphaël de la Torre 2.2.q.88.*art.*12.*diſ.*5.*n.*5. Prado *ſup. num.*8. Palaus *punct.*10.*num.*5.

Votum reale perſonale, & mixtum.

89. Subdividitur votum *conditionale* in purè *conditionale*, & *pœnale*. Tunc dicitur conditionale, quando conditio non apponitur ut pœna, ſed ut conditio, quam vult apponi, & eam conſequatur votum emittitur, ut fuit illud votum Annæ 1. Reg. 1. *Si dederis ſervæ tuæ ſexum virilem dabo eum domino*. Pœnale eſt, quando promittitur pœna ſubeunda in vindictam, & odium peccati, & ut timore illius à commiſſione peccati retrahatur: *Ut promitto me daturum hanc eleemoſynam ſi juravero*. ¶ Deinde dividitur votum ſive conditionale, ſive abſolutum in *reale perſonale*, & *mixtum*. Perſonale eſt, quando promittitur actus, qui ſolum attinet ad perſonam, ut promitto me jejunaturum, recitaturum, &c. Reale vocatur, quo res externa ab actione hominis diſtincta promittitur, ut promitto me daturum hanc eleemoſynam. *Mixtum*, quod ex utroque coaleſcit ex perſonali, & reali, ut promitto me iturum compoſtellam, & ibi hanc eleemoſynam daturum.

90. Deinde votum dividitur in *temporale*, & *perpetuum*, quæ diviſio, vel poteſt eſſe ex parte durationis vinculi; nam quandoque eſt ad certum tempus; quandoque per totam vitam: vel quia eſt de opere in perpetuum duraturo, ut votum inſtituendi hoſpitale, dandi eleemoſynam perpetuam pro maritandis virginibus: vel ex parte materiæ, quia eſt circa actus tractum uſque ad mortem duraturos, ut in voto Religionis, Caſtitatis, jejunandi quotidie, &c. Quandoque autem dicitur votum perpetuum *per ſe*, quod nimirum abſolutè prolatum perpetuum ſubintelligitur: ut qui vovet Caſtitatem, aut Religionem, nihil addendo de perpetuitate, vel non perpetuitate, ex communi intellectu Eccleſiæ manet in perpetuum obligatus. Alia ſunt perpetua *per accidens*, quando abſolute prolata nondum ſcimus obligare in perpetuum, ut votum eleemoſynæ, jejunii, &c. quod ex verbis, intentione voventis, & aliis circumſtantiis eſt judicandum. Votum perpetuum, & temporale.

91. Alia ſunt vota *reſervata*, quando immediatis Prælatis non conceditur facultatis diſpenſandi in eis, ſed hoc competit Superiori: alia *non reſervata*, quando illorum relaxatio immediatis Prælatis eſt commiſſa. ¶ Aliud eſt votum *expreſſum*, & *formale*, quod in ſe expreſſis verbis emittitur: aliud *tacitum*, *vel virtuale*, quando in alio, cui eſt annexum votum elicitur, ut qui ſacros Ordines aſſumeret non cogitando quidquam de voto Caſtitatis, non emiſit votum formaliter, & expreſsè, ſed virtualiter, & implicitè, ſuſcipiendo voluntarie ordinem, cui eſt tale votum annexum. Votum reſervatum, & non reſervatum.

92. Denique votum dividitur celebri diviſione, in *ſimplex*, & *ſolemne*. Vota ſolemnia duo dumtaxat dantur in Eccleſia, illud videlicet, quod ordinem ſacrum aſſumens emittit caſtitatis, quoad matrimonium contrahendum inhabilis redditur: & vota in profeſſione religioſa emiſſa. In quo autem conſiſtat talis ſolemnitas? In quo differat votum ſimplex à ſolemni? An votum Caſtitatis ſolemne Religioſorum ſit diſpenſabile ab Eccleſia? An ſit diverſum ſpecie peccatum, quod committitur contra votum ſolemne ab eo, quod contra votum ſimplex operando? Diximus late *hoc volumine tr.*15. *cap.*1. *punct.*3. *per totum*, quæ modo repetere erit ſupervacaneum. Votum ſimplex, & ſolemne.

PUNCTUM LV.

De obligatione voti: & an poſſit per alium talis obligatio impleri?

TRIA ſunt nobis in hoc puncto examinanda. Primo, obligatio, quæ eſt intrinſeca voto, an ſit levis, vel gravis, & unde oriatur? Secundo, quomodo, & quando ob parvitatem materiæ obligatio voti ſit ſolum veniale. Tertio, an obligatio voti ſit ſolum perſonalis, quæ proinde nequeat præſtari per alium: quod diverſis paragraphis claritatis gratia perficiemus.

§. I.

Obligatio voti declaratur.

Votum ex natura ſua obligat ſub mortali.

93. Certum eſt ſecundum fidem votum ex ſe, & ex natura ſua obligationem inducere in conſcientia præſtandi ea, quæ per votum ſunt promiſſa, eſſeque peccatum, promiſſum Deo non ſolvere: Deuter. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.* Unde dixit D. Thom. *quodlib.* 3. *art.* 12. *Eſſe hæreticum aſſerere votum non obligare*, & *opuſc.* 18. *cap.* 12. *eſſe inſanum.* Imò per ſe, & ex natura ſua inducere obligationem ſub peccato mortali omnes docent: unus pro omnibus ſufficit D. Thom. *in* 4. *diſ.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. ibi: *Qui votum rite factum prætermittit, mortaliter peccat, quia fidem, quam cum Deo iniit, frangit.* Et magis hanc rationem expendit, 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. *Maximè* (inquit) *debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum ratione beneficii ſuſcepti, & ideo maximè obligatur homo ad hoc, quod adimpleat vota Deo facta.* Quæ ratio ſic expendi poteſt: quia major eſt obligatio, quam habet homo erga Deum ad ſervandam illi debitam fidelitatem, quam illa, quam habet erga proximum ſervandi illi juſtitiam; ſed hæc per ſe, & ex natura ſua eſt ſub peccato mortali: ergo, &c.

Objectio proponitur, & diſſolvitur.

94. Sed dices, quod ſecundum D. Thom. *locis citatis*, & communem Doctorum ſententiam obligatio voti pertinet ad fidelitatem, quam Deo ſervare tenemur; ſed fidelitas ſolum ex natura ſua obligat ſub peccato veniali, ſicut veracitas, ad quam illa reducitur ſecundum eundem S. Doctorem 2. 2. *q.* 109. ergo, &c. Reſpondetur, quod ea, quæ Deo promittuntur, cultui, & honori divino, ex vi promiſſionis conſecrantur, & ſic intra materiam Religionis conſtituuntur, quare fidelitas circa impletionem talis promiſſionis pertinet jam ad virtutem Religionis, quæ obligat ſub mortali, & ſic non manet præcisè intra limites fidelitatis. Quare, licet fidelitas, & veracitas ad alias virtutes non extractæ, ſolum obligent ſub peccato veniali; quando intra materiam aliarum virtutum conſtituuntur, obligant juxta materiam illius virtutis, ad quam tranſeunt.

Melius eſt opus factũ cum voto, quam ſine illo.

95. Ex dictis infertur eſſe melius, ac magis meritorium facere idem cum voto, ac facere idem opus ſine illo, ut optimè probat D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 6. triplici ratione. Primo, quia per votum opus conſtituitur in materia Religionis, ab eaque nobilitatur, cujus actus eſt vovere, Iſai. 19. *Colent eum in hoſtiis, & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent.* Secundo, quia magis ſe homo ſubjicit Deo, non ſolum quantum ad actum, quem fecit, præſtando opus bonum, ſed quantum ad poteſtatem, quia a ſe aufert poteſtatem oppoſitum exercendi: ſicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui tantum fructus daret ei. Tertio, quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum, quod pertinet ad perfectionem virtutis, nam talis neceſſitas firmatæ voluntatis in bonum ſimilitudinem quandam habet cum confirmatione, & neceſſitate Beatorum, ut inquit S. Doctor 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 4. *ad* 1.

Conveniens eſt Deo per votum aliquid promittere.

96. Unde per ſe loquendo expediens eſt, & utile vovere, & ut tale conſulendum eſt, juxta illud Pſal. 75. *Vovete*, (quod pertinet ad conſilium) *& reddite*, (quod pertinet ad præceptum) quod probat D. Thom. *quæſt.* 88. *citat. art.* 4. hac ratione. Quia votum eſt promiſſio Deo facta, ſed alia ratione promittitur aliquid homini, & alia ratione Deo: homini quidem aliquid promittimus propter ejus utilitatem, cui utile eſt, & quod ei aliquid exhibeamus, & quod eum de futura exhibitione prius certificemus; ſed promiſſionem Deo facimus non propter ejus utilitatem, ſed propter noſtram. Nam ſicut id, quod Deo damus, non eſt ei utile; ſed nobis: ita promiſſio, qua Deo aliquid vovemus, non cedit in ejus utilitatem, quia à nobis certificari non indiget; ſed ad utilitatem noſtram, in quantum vovendo voluntatem noſtram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere: ergo expediens, & conveniens eſt, Deo aliquid per votum promittere; licet per accidens ex imbecillitate, & defectu perſonarum non ſemper ſit conveniens vovere, quia non ſemper ſunt conſtantes, ut voti arduitatem valeant evincere.

Difficilis objectio.

97. Sed objicies, nam juramentum etiam eſt actus Religionis, & tamen non eſt frequentandum, nec conſulendum, nec expediens illud facere, niſi ſolum in caſu neceſſitatis, vel magnæ utilitatis, propter periculum perjurii, juxta illud Eccleſ. 23. *Vir multum jurans replebitur iniquitate*, & docet D. Thom. 2. 2 *q.* 89. *art.* 5. Ergo nec ſimiliter eſt conſulendum votum, nec expediens, niſi in caſu neceſſitatis, & magnæ utilitatis, ob periculum frangendi illud: ſiquidem facilè promittitur, & difficile impletur.

Diſcrimen inter votũ & juramentum.

98. Sed certè eſt diſpar ratio de voto, ac de juramento, quia ut rectè inquit Soto *lib.* 7. *quæſt.* 2. *art.* 2. Sacra Scriptura nos docet ne frequentemus juramenta, nunquam tamen invenitur ſcriptum, quod non frequentemus vota. Rationem diſcriminis aſſignat D. Thom. *quæſt.* 89. *art.* 5. *corpor.* ubi probat non eſſe utile, nec bonum juramenta frequentare, niſi in caſu neceſſitatis, eo quod juramentum non quæritur per ſe, ſed ad ſubveniendum infirmitati, vel defectui; nam ſicut medicina non quæritur per ſe, ſed ad ſubveniendum infirmitati: ſic juramentum quæritur ad ſubveniendum alicui defectui, quo ſcilicet unus homo alteri diſcredit, & ſic non eſt habendum inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt huic vitæ neceſſaria, *quibus indebitè utitur, quicumque eis utitur ultra terminos neceſſitatis.*]At votum per ſe quæritur ad Deo debitum honorem præſtandum, & voluntatem firmandam in bono, & ſic non eſt neceſſarium caſum neceſſitatis expectare, ut eo utamur, ¶ Aliud diſcrimen aſſignat *in ſolut. ad* 1. *&* 2. quod per votum aliquid in Dei reverentiam ordinamus, non autem utimur Dei veneratione, aut reverentia ad ſubveniendum neceſſitati; ideoque per ſe eſt actus Religionis, ad Dei cultum per ſe tendens: at jurans utitur quidem veneratione ejus, per quem jurat, ad ſuam neceſſitatem, non autem ordinat juramentum ad venerandum, & diligendum Deum, ſed reverentia divini nominis aſſumitur in promiſſi confirmationem, unde ſecundum neceſſitatem debet uti illa, & non aliter.

Non obſtat periculum tranſgreſſionis, ut votũ ſit licitum.

99. Ad illud de periculo non adimplendi votum optimè ſatisfacit D.Thom. 2.2. *quæſt.*88. *art.*4. *ad* 2. quod quando periculum naſcitur ex ipſo facto, tunc factum illud non eſt expediens, ut quod aliquis per pontem ruinoſum tranſeat fluvium. Sed ſi periculum immineat, ex hoc quod homo deficit ab illo facto, non deſinit propter hoc eſſe expediens. Sicut expediens eſt aſcendere equum, quamvis periculum immineat cadendi de equo; alioquin oporteret ab omnibus bonis ceſſare, quæ etiam per accidens ex aliquo eventu poſſunt eſſe periculoſa; unde dicitur Eccl. 11. *Qui obſervat ventum non ſeminat, & qui conſiderat nubes non metet.* Periculum autem voventi non imminet ex ipſo voto, ſed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat, tranſgrediens votum, unde Auguſt. dicit in eadem epiſtola: *Non te voviſſe pœniteat; imo gaude jam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet.*

Voti fracto pertinet ad primum decalogi præceptum.

100. Sed inquires primo, ad quod præceptum decalogi pertineat tranſgreſſio voti. Aliqui aſſerunt pertinere tale peccatum ad ſecundum decalogi præceptum, non aſſumendi nomen Dei in vanum, quia qui male vovet, vel non adimplet, quod bene promiſit, nomen Dei in vanum aſſumit. Sic Suarez *lib.*5. *cap.*4. *num.*2. Navarr. *cap.*12. *num.*1. Leander *tract.*2. *diſp.*3. *quæſt.*3. Bonacin. *tom.*2. *init. diſp.*4. ubi citat Saytum *lib.*5. *cap.*3. *num.*3. dicentem eſſe communem Doctorum. ¶ Sed immerito. Nam pertinere ad primum præceptum primæ tabulæ docet D.Thom. *quodlib.*3. *art.*12. *&* 22. *q.*100. *art.*4. *ad* 1. quia eſt contra Religionem, & latriam Deo debitam, & ideo eſt contra præceptum de uno Deo colendo, & venerando. Cajetan. *in Summ. verbo interrogationes confeſſionis circa primum præceptum.* M.Fr. Ioannes à ſancto Thoma 2.2.*quæſt.*29. *art.*8.*num.*1. Fr. Ioan. Martin. à Prado *tom.*2. *cap.*31. *quæſt.*4.§.1.*num.*3. ¶ Et gravius peccatum eſt votum caſtitatis, v. g. non implere, quam adulterari, ait D. Auguſt. *de bono vidui. cap.*11. D.Chryſoſtomus *epiſt.*16. *ad Theodorum lapſum:* licet ſit minus grave, quam vitium contra naturam, ut probat D.Th. 2.2. *quæſt.*154. *art.*12.*ad* 2. qui *quæſt.* 89 *art.*8. aſſerit votum ex natura ſua eſſe magis obligatorium, quam juramentum, & rationem reddit ad tertium, quia habet majorem firmitatem ex parte Dei, cui votum offertur.

Omnes fractiones votorum ſunt ejuſdem ſpeciei.

101. Inquires ſecundo, an tranſgreſſiones omnium votorum ſint ejuſdem ſpeciei peccata? Reſpondetur affirmative, quia omnia ſunt contra eundem actum Religionis, qui eſt votum. Quare cum votũ non cadit ſupra materiam aliàs debitam, non eſt neceſſarium in Confeſſione exprimere materiam promiſſam, & non adimpletam; ſed ſat eſt, ſe toties confregiſſe votum confiteri: & hoc ſive votum fuerit affirmativum, ſeu de actu poſitivo ponendo; ſive negativum, ſeu de aliquo omittendo, ſemper enim eſt actus poſitivus, qui omittitur, nimirum adimpletio voti, Cajetanus 2.2.*quæſt.*88. *art.*5. *dub.ultim.*Prado §.5.*num.*36. Palaus *tr.*15. *diſ.*1. *punct.*11.*num.*8. Soto *de juſtitia lib.*7. *q.* 2. *art.*3. *ad* 1. Raphaël de la Torre 2. 2. *quæſt.* 88. *art.*5. *diſ.*2. Suarez *lib.* 5. *cap.*3. *num.* 9. *&* 11. Sanchez *lib.*4. *cap.*11. *num.* 23. Unde qui votum aliquod de materia aliàs debita violaret, ſi confitendo materiam, quatenus erat contra aliud præceptum, eſt oblitus circumſtantiæ voti, ſufficit ſi in alia Confeſſione exprimat violationem voti, ſine eo, quod declaret materiam. Imo poteſt data opera materiam peccati ſeorſim à circumſtantia voti declarare, dicendo toties fregi jejunium: toties fornicatus ſum, non exprimendo votum de his materiis, & poſtea dicendo, toties fregi votum in re gravi, non exprimendo materiam, quia quando circumſtantia eſt ſeparabilis à ſubſtantia peccati, poteſt ſeorſim peccatum, & circumſtantia confiteri, ut qui furatus eſt in Eccleſia, ſatisfacit dicendo, furatus ſum, & poſtea ſacrilegium commiſi. Sic Coninchus *de pœnit. diſp.*7. *dub.*7. *num.*60. Henriquez *lib.* 5. *cap.*5. *num.*4. Bonac. *tom.*1.*diſp.*5.*q.*4.*ſect.*2.§.3.*n.*9.*de pœnit.*Trull. *lib.*2. *c.*2.*dub.*12. *num.*24.

Exprimendã eſſe materiã voti fracti, aliqui dicũt.

102. Sed difficultas eſt, an ſi vovens ex ſpeciali affectu ad materiam promiſſam, expreſsè intendat ſe obligare non ſolum ex motivo Religionis, ſed etiam ex motivo illius virtutis, cujus actum promiſit, ejus tranſgreſſio induat diverſam ſpecie malitiam in Confeſſione aperiendam: ut ſi ex motivo temperantiæ promiſit jejunium, non ſolum peccet contra Religionem frangendo votum, ſed etiam contra temperantiam frangendo jejunium? Affirmat duplicem eſſe malitiam ſpecie diverſam in illo caſu, prima ſententia. Primo, qui vovet jejunium, & non ſervat non ſolum peccat graviter contra Religionem, ſed etiam contra temperantiam, quia ex animo inordinato comedit, quæ, & quando comedere non debebat, & mulier maritata, quæ habebat votum Caſtitatis, petendo debitum, non ſolum peccat peccato ſacrilegii, ſed peccato luxuriæ, cui nimis affecta oſtenditur, ideoque non ſatisfaciet in Confeſſione dicendo, ſe confregiſſe votum, ſed explicare debet, in qua materia illud violavit. ¶ Secundò, quia legislator præcipiens actum alicujus virtutis, obligat præcepto illius virtutis, cujus eſt actus præceptus, ideoque qui in die præcepti non jejunavit, non ſatisfaciet in Confeſſione dicendo, ſe confregiſſe legem Eccleſiaſticam, ſed debet explicare materiam, dicendo: ſe non jejunaſſe die præcepto; ſed votum eſt lex quædam particularis, quam vovens ſibi imponit: ergo duplex committit peccatum, votum non implendo, aliud ſacrilegii contra votum; aliud contra illam virtutem, cujus eſt actus promiſſus. Sic Valent. 2. 2. *diſp.*6. *q.*6. *punct.*4. *q.*1. *concl.*2. Sanchez *lib.*4.*c.*11. *n.*6. Bonac. *tom.*2.*diſp.*4.*punct* 5.§ 4.*n.*11. Sayr. *lib.*6. *cap.*6.*num.*8.

Non eſt neceſſe explicare materiã debitam per votum, & prætermiſſã.

103. Sed licet hæc ſententia ſit ſatis probabilis, probabiliorem judicamus partem negativam, quia quantumvis vovens ſit affectus ad materiam promiſſam, non poteſt aliam obligationem ſibi imponere de tali actu adimplendo, niſi quatenus illam materiam Deo promittit, & ſic intra Religionem, quæ non erat conſtituit: ſed ex promiſſione Deo facta, ſolum conſurgit obligatio fidelitatis, quæ erga Deum eſt obligatio Religionis, & materia ſolum ſe habet per accidens: ergo ex vi voti non poteſt ponere aliam obligationem, niſi ex Religione, nec eſt in poteſtate voventis, qui non poteſt naturas rerum mutare, id quod non eſt obligatorium ex vi alterius virtutis, ex eo quod faciat illud materiam promiſſam per votum, aliam obligationem præter illam, quæ eſt propria voti, nimirum Religionis, ſibi imponere, quemamodum de promittente ſimplici promiſſione homini, non poteſt ſibi imponere obligationem juſtitiæ,

juſtitiæ, ſed ſolum fidelitatis, quia hanc, & non illam promiſſio ſimplex ex natura ſua habet, diximus *tom.3. tractat.*14. *cap.* 4. *num.*81. Atque ita docent in præſenti, Cajetan. 2.2.q.88. *art.*5. *dub.ultim.* Prado *cap.*31. *quæſt.*2.§.5.*n.*40. Suarez *lib.*5. *cap.*3. *num.*3. Palaus *diſp.*1.*punct.*11. *num.*8. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*12. *n.*23.

104. Ad primum argumentum contrarium dicendum eſt, eum, qui habens votum jejunandi, non jejunat, contra temperantiam quidem delinquere, ſed talis inordinatio præciſo alio præcepto eſt levis, ex vi præciſè intemperantiæ, ſicut qui indebito modo, aut tempore comederet, ſi non haberet præceptum non comedendi. Idem dicimus de muliere debitum petenti. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, eſſe diſparem rationem quoad hunc inter legem, & votum, quia lex imponendo in aliqua materia neceſſitatem, intendit ſolum bonum facere ſubditum in illa materia: quare motivum intrinſecum illius materiæ eſt proprium legis. At votum per ſe non conſtituit honeſtatem in materia, nec eam per ſe intendit, ſed illa ſuppoſita, vel ex ſe bona, vel ex conducentia ad cultum divinum, intendit per ſe Dei cultum, in cujus honorem illam conſecrat, ex qua conſecratione oritur in materia Religionis obligatio executionis.

---

§. II.

Qualiter ob parvitatem materiæ, violatio voti ſit ſolum peccatum veniale?

Vnde gravitas, vel levitas materiæ ſumenda ſit in voto.

105. QUamvis obligatio voti ex genere ſuo ſit graviſſima, attamen ex imperfecta deliberatione, vel ob materiæ parvitatem, poteſt fractio illius eſſe ſolum peccatum veniale; quia tunc leviter læditur reverentia Deo debita, & ſicut ob res parvi momenti non ſolvitur amicitia inter homines, ſic nec amicitia inter hominem, & Deum. Vnde autem colligendum ſit materiam eſſe gravem, vel levem diximus *tom.*3. *tract.*11. *de legibus cap.*2. *à n.*22. agentes de principiis, unde colligendum ſit materiam eſſe levem, vel gravem in legibus, & præceptis. Modo duplex brevis regula ſolet aſſignari. Prima, quod illa cenſeatur materia gravis, quæ reſpectu legis, aut præcepti gravis judicatur: eſt enim votum quædam lex particularis, quam ſibi vovens imponit. Secunda, colligenda eſt gravitas materiæ ex honeſtate ipſius omnibus inſpectis, quia hac ratione graviter, vel leviter in cultum Dei cedit. ¶ Sed judicium perfectum de gravitate, aut levitate materiæ non eſt completè ſumendum ex eo, quod ante votum res levis erat, aut ſolum ſub veniali prohibita; nam multoties contingit rem levem, aut indifferentem, aut etiam licitam, & honeſtam, poſtquam Deo per votum promittitur eſſe mortale fractionem illius, quod præciſo voto prætermitti poterat abſque ullo peccato. Quia ſuppoſita relatione ad cultum Dei, quæ fit per validum votum, conducit graviter ad Dei honorem, quod promiſſum impleatur: ut ſi promiſiſti jejunium die, quo non tenebaris, vel non ludere die feſto, ut vacares Deo, poteras non jejunare, aut ludere præciſo voto, illo autem ſuppoſito graviter peccas, aut ludendo, aut non jejunando.

Si materia levis ſit non poteſt vovēs ſe graviter obligare.

106. Duplex tamen remanet difficultas in hac materia. Prima, an ſuppoſita gravitate ex parte materiæ, poſſit obligatio voti limitari ad ſolum veniale ex intentione voventis, ita ut ſit validum votum, quo vovens promittit rem gravem animo ſe ſolum obligandi ſub peccato veniali? Reſolutio hujus difficultatis pendet ex reſolutione illius, quam latè tradidimus *tom.*3. *tract.*11. *de legib. cap.*2. *à num.*20. an nimirum poſſit legiſlator in materia gravi ſolum ſub peccato veniali obligare, quare ex ibidem dictis faciliter ab hac difficultate expedimur. Supponentes, quod ſi materia omnibus inſpectis ſit levis, non poteſt vovens ſe ad illam graviter obligare, quantumvis hoc intendat, quia materia ex ſe, & ex ſua natura eſt incapax gravis obligationis, obligatio namque maximè debet commenſurari cum materia, & ob hanc rationem diximus *loco citato*, *num.*18. non poſſe legiſlatorem, ſaltem humanum graviter obligare, ſi materia præcepta ſit levis, ob incapacitatem illius.

Sententia aſſerens ob poſſe voventem leviter obligari in materia gravi.

107. Ad quæſitum ergo reſpondet prima ſententia, dicendo: promittentem, & volentem ſe ſub veniali obligare, habere duplicem intentionem. Prima, promittendi, & vovendi, in qua virtualiter clauditur voluntas ſe obligandi graviter, quia ex vera promiſſione facta Deo gravis obligatio tanquam propria paſſio conſurgit. Secunda, intentio, & voluntas ſe obligandi ſolum leviter, & hæc utpotè poſterior non poteſt coarctare obligationem anteriorem: quare ſic voventem manere graviter obligatum voluntate illa virtuali antecedente, in voluntate vovendi incluſa, quantumvis voluntate conſequenti velit ſe ſolum ad veniale obligare. Aliud eſſet ſi ante promiſſionem, vel in ipſa emiſſione voti diceret, nolo aliter vovere, niſi ſub veniali obligando me, vel volo vovere dummodo ſolum obligatus maneam ſub veniali; quia tunc, dicit hæc ſententia, nullum eſſet votum, quia appoint conditionem contra ſubſtantiam ipſius voti; nam de illius natura eſt gravis obligatio: unde iſtum non manere obligatum, nec ſub peccato veniali, aſſerit. Principale igitur hujus ſententiæ, nimirum non poſſe voventem in materia gravi ſe ſolum ſub veniali obligare, ſed hoc ipſo, quod verum votum velit emittere manere graviter obligatum, probatur.

Quatuor argumenta, & Authores pro dicta ſententia.

108. Primo, quia licet ſit in voluntate voventis promittere; vel non promittere, ſemel tamen quod velit promittere, aut vovere, non eſt in ejus poteſtate obligationem voti coarctare, aut limitare; eſt enim obligatio proprietas, & paſſio ipſius voti, quæ ex ejus natura reſurgit: ſicuti in voluntate hominis eſt natare, vel non natare, hoc autem ipſo, quod ſe ad natandum projiciat, non eſt in ejus voluntate quod humectetur, vel non; ſed obligatio voti ſemel emiſſi, eſt ex jure naturæ, jus autem naturæ graviter, vel leviter obligat juxta materiæ gravitatem: ergo talis gravitas non poteſt per voluntatem voventis impediri ſuppoſita materiæ gravitate. ¶ Secundo, quia in voluntate vovendi, implicitè eſt voluntas ſe obligandi: ergo in voluntate vovendi in materia gravi eſt voluntas vovendi juxta exigentiam materiæ: ergo voluntas illa limitans intentionem, advenit poſt inductam obligationem gravem; & ſic nullius erit efficaciæ ad illam minuendam. ¶ Tertio, quia non eſt minor obligatio, aut vis obligandi

obligandi in voto, ac in juramento; ſed licet ſit in poteſtate jurantis jurare, vel non jurare, ſemel tamen, ac jurat non poteſt limitare obligationem juramenti, ut ſolum velit ſe obligare ad verum dicere, vel confirmare aſſerta ſolum ſub veniali: ergo ſimiliter in voto. ¶ Quarto, quia ſi ſemel ex intentione voventis poſſet obligatio voti ad ſolum veniale limitari, poſſet, qui profitetur in Religione, velle ſe ſolum ſub veniali obligari: poſſet, qui ordinibus ſacris initiatur, velle ſolum ſub veniali manere ad Caſtitatem obligatum: poſſet, qui ſponſalia contrahit, velle ſolum ſub veniali obligari ad contrahendum Matrimonium, imò, qui matrimonium contrahit, poſſet velle dumtaxat ſub veniali obligari ad reddendum debitum: quæ omnia ſunt falſiſſima, & contra mentem omnium Doctorum. Cur ita? Quia omnia hæc ex natuta ſua petunt gravem obligationem, & licet ſit liberum homini, profiteri, ordines ſuſcipere, &c. ſemel tamen hac vnluntate ſuppoſita, non eſt in ejus poteſtate gravem illam limitare obligationem, quæ ſequitur ex natura horum actuum: idem ergo dicendum in præſenti. Atque ita docent Corduba *quaſt.*188. *punct.*1. Raphaël de la Torre 2.2. *quaſt.*88. *art.*5. *diſ.*6. *num.*4. Soto *de juſtitia, lib.*7. *quaſt.*2. *art.*1. *in fine corp.* Monteſinos 1. 2. *de legib. diſ.*23. *quaſt.*9. *num.*139. Baſilius Pontius *lib.*12. *de ſponſal. cap.*2. *num.*12. Martinez à Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *quaſt.* 4. §.2. *num.* 8. & omnes illi, qui aſſerunt, non poſſe legislatorem rem gravem præcipiendo obligare ſolum ſub veniali, quos dedimus *tom.*3. *tr.*11. *c.*2. *n.*19.

In materia gravi poteſt vovens ſe ſolum venialiter obligare.

109. Verum licet hæc ſententia ſit probabiliſſima, probabiliorem judicamus ſententiam affirmantem, eum, qui materiam gravem promiſit, poſſe velle ſe ſolum ſub veniali obligare, & tunc ſolum ſub veniali manere obligatum. Probatur primo, quia votum eſt lex quædam particularis, quam vovens ſibi imponit, dicente D.Thom. 2. 2. *quaſt.* 88. *art.*10. *ille, qui vovet ſtatuit ſibi legem*; ſed lex quantumvis cadat ſub materia gravi poteſt ex intentione legislatoris leviter ſulum obligare, uti probavimus *loco citato num.*20. & non negant aliqui ex authoribus contrariis: ergo ſimiliter in voto. ¶ Secundo, quia ad veram promiſſionem requiritur voluntas ſuſcipiendi obligationem, & ſine tali voluntate obligatio non ſubſiſtit, & ideo dixit D.Thom. 2. 2. *quaſt.* 88. *art.*3. *ad* 3. *obligatio voti ex propria voluntate, & intentione cauſatur* :::: *& ideo, ſi in intentione, & voluntate voventis ſit ſe obligare ad ſtatim ſolvendum, tenetur ad ſtatim, &c.* Ergo ſi in intentione, & voluntate voventis ſit ſe obligare ad mortalia, tenebitur ad mortale; ſi ad veniale, ad veniale. ¶ Tertio, vel eſt poſſibile vovere in tali materia obligando ſe ſolum ſub veniali, vel non? ſi primum, tunc maximè quando vovens expreſsè dicit, ſe nolle obligari niſi ſub veniali: ſi ſecundum, non erit verum votum, & ſic nullo modo manebit vovens obligatus, quia ſolum intendit obligari venialiter, quod in dicta ſuppoſitione eſt impoſſibile. Maneat ergo voventem, & ſolum volentem ſe obligare venialiter nullo modo manere graviter obligatum. Atque ita docent, Suar. *lib.*4. *de vot. c.*4. *n.*5. *& de leg. lib.*2. *cap.*27. Molina *de juſt. diſp.*162. *n.*8. *&* 12. Palaus *tom.*3. *tr.*15. *lib.*4. *c.*4. *n.*5. Filliuc. *tract.*16. *c.*3. *n.*80. Diana 3. *parte tract.*6. *reſolut.*91. Bonacin. *diſp.*4. *punct.*5. §.2. *num.*7. *& diſ.*3. *de contract. quaſt.*12. *punct.*2. *num.*2. Villalob. *tom.*1. *tractatu* 34. *diff.*1. *num.*6. *& diff.*4. *num.*1. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*12. *num.*6. Sanchez *lib.*1. *de matrimon. diſ.*9. *num.*6. *& in Summ. lib.*4. *cap.*1. *num.* 27. *&* 30. Baſſæus *verbo votum* 3. *num.* 4. Portel. *in dubiis regul. verbo voti natura num.*4. Leander *in decalog. tom.*2. *tract.*2. *diſ.*3. *quaſt.* 8. Vnde inferunt, eum, qui generaliter proponit, ſolum ſe velle obligare ſub veniali cum votum emiſerit, ſi hanc voluntatem non revocaverit, & poſtea illius oblitus votum emiſerit in materia gravi, ſolum manebit obligatus venialiter.

Duplicis argumenti contrarii ſolutio.

110. Ad primum argumentum contrarium dicimus, duplicem obligationem in voto reperiri, aliam facti, quæ ex voluntate voventis oritur, & ex illa in *fieri* dependet; aliam juris divini, quæ ſuppoſita illa conſurgit, & primæ attemperatur: ſicut obligatio legis pendet ex intentione legislatoris, ea tamen ſuppoſita ex jure divino, & naturali eſt obligatio obediendi legi; jus enim divinum præcipit legitimo Superiori præcipienti obtemperandum, ſed præcipit obtemperandum juxta intentionem illius, & non aliter. Sic in præſenti. ¶ Ad ſecundum fatemur eſſe in voluntate vovendi intentionem ſe obligandi, & ideo, qui voluit promittere abſque limitatione abſolutè, voluit ſe obligare abſolutè, nec talis obligatio limitatur per ſubſequentem oppoſitam voluntatem. At ſi in ipſa voluntate vovendi limitavit intentionem ſuam ad levem obligationem, non potuit in illa implicitè, & virtualiter velle gravem: non enim ſtat virtualis voluntas alicujus cum formali oppoſita voluntate, & ſic vult quidem vovens in ipſa voluntate promittendi ſe obligare, ſed limitatè, ſolum venialiter, juxta expreſſam voluntatem, quam pro tunc habet.

Duplex aliud argumentũ enervatur.

111. Ad tertium dicendum, eſſe diſparem rationem inter juramentum, & votum, quod juramentum conſiſtit in adducendo Deum ut teſtem, uti in juramento aſſertio: vel ut fidei iuſſorem ut in promiſſorio; vel ut iudicem, ut in comminatorio, in quo non datur magis, & minus in obligatione dependens à voluntate voventis; nam quod ſit gravis illa obligatio oritur, & pendet non ex voluntate jurantis, ſed ex maieſtate eius, qui in teſtem, aut fidei iuſſorem adducitur. Tota autem obligatio voti dimanat à voluntate promittentis, & ſic in *fieri* dependet ab illa, quamvis illo voluntarie facto, obligationeque jam à voluntate ſuſcepta, à Deoque acceptata, non pendet ab ejus voluntate illam minuere. ¶ Ad quartum dicimus, quod in aliis caſibus non pendet ex voluntate ordinati, profitentis, &c. obligatio, niſi quatenus eſt liberum ei illa ſuſcipere, vel non, ſemel tamen eis ſuſceptis, in eo, qui ordinatur, provenit gravis obligatio ex lege Eccleſiaſtica præcipiente ordinandum abſolutè, & abſque ulla limitatione votum emittere debere, ac proinde obligans ſub mortali. Quare ſi ſemel ſolum voluit in votò ſe obligare venialiter peccabit graviter contra illam legem, & ſemper ſub obligatione erit abſolutè votum emittendi, ut diximus *tomo ſecundo, tractatu* 8. *de ordinat. cap.*6. *à num.* 36. In aliis caſibus cum ſint contractus oneroſi utrimque obligatorii, non pendet ex voluntate contrahentium obligationem

limitare, ſed ex natura contractuum gravis obligatio imponitur, quam ſi non appoſuerit aliquis ex contrahentibus peccabit in eo, & tenebitur ex parte ſua contractum ratificare animo ſe obligandi juxta naturam illius. Promiſſio autem, ſive facta hominibus, ſive Deo per votum, eſt contractus gratioſus, & voluntarius, cujus obligatio ex mera voluntate promittentis exoritur, & juxta illam taxatur, unde non eſt æqualis ratio hujus, & aliorum.

Eſſe mortale, votum in re levi, quæ eſt tota materia, frangere, aliqui dicunt.

112. Secunda difficultas eſt, an quando adæquata materia, ſeu totalis voti eſt parva, & levis, ejus tranſgreſſio ſit mortalis? Affirmat prima ſententia, eo quod tranſgreſſio totius ſub voto cadentis habet rationem actus perfecti, & completi in illa materia; ſed tranſgreſſio præcepti naturalis cum opere perfecto eſt mortale. ¶ Sed hoc nihil probat, quia etiam mendacium eſt completus actus in illo ordine, & non ob id erit mortale; tametſi ſit contra præceptum non mentiendi, eo quod ſemper actus levis, & imperfectus, hoc ipſo, quod circa materiam levem verſetur. ¶ Secundo, quia jurans juramento promiſſorio quodcumque minimum opus virtutis peccat mortaliter illud non exequendo: ergo ſimiliter in voto, cujus non eſt minor obligatio. Antecedens probatur, tum quia ideo juramentum aſſertorium, vel promiſſorium, cui deficit veritas de præſenti etiam in parva materia eſt mortale, quia Deus ut teſtis falſus adducitur; ſed etiam, quando deficit veritas de futuro, quia non adimplet, quod promiſit, adducitur Deus ut teſtis falſitatis: ergo, &c. Tum etiam, quia hæc videtur communis ſententia Doctorum aſſerentium, eſſe mortale aliquid leve ſub juramento promittere, & illud non exequi: ita docent Reginaldus *lib.*1. *num.*79. Medina *in Summa cap.* 14. *num.*4. Cajetan. *verbo perjurium, cap.*2. Armilla *verbo jurare num.*12. Valent. 2. 2. *diſ.*6. *quæſt.*7. *punct.*3. *concluſ.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.*42. *dub.*5. *num.*23. Bonacin. *diſ.*4. *quæſt.*1. *punct.*14. *num.*2. Filliuccius *tract.*25. *cap.*10. *quæſt.*7. Covarr. 1. *variar. cap.*7. *num.*2. Philiarchus *de offic. Sacerd. tom.*1. *lib.* 3. *cap.*3. Sayr. *lib.*5. *cap.* 4. *num.* 28. Tolet. *lib.*4. *cap.* 22. *in princip.* Baſſæus *tom.*1. *verbo juramentum* 4. *num.* 3. Quare ſententiam iſtam de voto cujus tota materia eſt res parva, ut recitare unum *Credo*, eſſe mortale illud emittere, docent Cajetan. 2. 2. *quæſt.*89. *art.*7. *dub.*1. Cordub. *in Summ. quæſt.*188. *part.*2. Toletus *c.*17. *num.*20. & probabilem dicit Leſſius *lib.* 2. *cap.*40. *dub.*9. *num.*56.

Non eſt mortale votum in parva materia frangere, etiam ſi ſit tota materia voti.

113. Sed negativè reſpondendum eſt ad quæſitum. Primo, quia votum eſt lex particularis, lex autem non obligat niſi juxta gravitatem materiæ, ob idque lex prohibens mendacium, aut præcipiens fidelitatem non obligat graviter, quia materia eſt levis, etiam ſi ſit tota materia præcepti. Secundo, quia ſi id, quod omittitur, eſſet pars materiæ voti, non eſſet mortale, ſtante parvitate illius, ut ſi unam *Ave Maria* ex Roſario promiſſo prætermitteres, ut etiam concedunt contrarii: ergo etiam ſi ſit tota materia promiſſa: quia ob id in primo caſu eſſet veniale, quia eſt parva irreverentia, in re exigua fidelitatem Deo non obſervare, quod etiam verificatur quando illa parvitas eſt adæquata materia voti. Atque ita docent Soto *lib.*7. *quæſt.*2. *art.*1. Prado *cap.*31. *quæſt.*4. §.3. *num.* 31. Aragon 2. 2. *quæſtione* 88. *art.*3. Raphaël de la Torre ibi: *art.*5. *diſ.* 5. Fr. Ioannes à ſancto Thoma *ibi art.* 8. *concluſ.*1. *num.*5. Trullench. *lib.*2 *cap.*2. *dub.* 22. *num.*5. Suarez *lib.*5. *cap.*4. *num.*9. Sanchez *lib.*4. *cap.*12. *num.*5. Bonacin. *punct.*5. §.4. *num.* 3. Leſſius *loco citato*, Palaus *tom.*3. *tract.*15. *diſput.*1. *punct.*11. *num.*6.

Non implere promiſſa per juramentum in re levi non eſt mortale.

114. Atque idem dicendum eſt de juramento promiſſorio, quod ſi quis animo adimplendi, juravit rem parvam, non erit mortale illius tranſgreſſio, ut ſi mulier juravit verberare filiam, ô volundare, &c. quia in juramento promiſſorio, Deus non adducitur ut teſtis futuræ promiſſionis, ſed ut teſtis præſentis voluntatis, quare in veritate de præſenti non datur parvitas materiæ, ſicut in juramento aſſertoriu non datur, quia hoc ipſo, quod deficiat veritas de præſenti, ad quam Deus ut teſtis adducitur, mendacium Deo tribuitur, quatenus eſt ex parte jurantis, & mendacium, ſive grave ſit, ſive leve æque pugnat cum ſumma, & infallibili veritate. Sed non reddendo promiſſum Deo, aut non exequendo, quod in nomine ejus promiſſum eſt nil Deo tribuitur, ejus veracitati, aut bonitati contrarium: ſed ſolum oſtendit ſe infidelem Deo, cui fidem dedit, quod ſi in materia levi contingat, non eſt irreverentia gravis. Atque ita docent Caſtr. Pal. *punct.*11. *num.*6. Prado *quæſtione quarta, num.* 35. Fr. Ioannes à ſancto Thoma *ſupra num.*3. Leander *tract.*1. *diſ.*7. *quæſt.*33. Sotus *lib.* 8. *quæſt.*1. *art.*7. *dub.* 1. Aragon *quæſtione* 89. *art.* 3. *fol.* 1061. Axor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 27. *quæſtione* 2. Henriq. *lib.*5. *cap.*5. *num.*4. *in comment. littera M*, Petrus de Ledeſma *tom.*2. *tractatu* 11. *cap.* 3. *dub.*1. Sanchez *lib.*3. *cap.*4. *num.*23. Dian. *quarta parte, tractatu* 4. *reſol.*70. *& quinta parte, tractatu* 5. *reſol.* 4. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 29. Trullench. *lib.* 2. *cap.*1. *dub.*6. *num.*6. Tambur. *lib.*3. *decalog. cap.*3. §.3. *num.*4.

Quædam corollaria ex dictis.

115. Ex quo infertur primo, quod votum vitandi aliquod peccatum, ſolum obligat juxta gravitatem peccati; unde ſi ſit votum vitandi mendacium, ſolum erit duplex veniale peccatum, aliud mandatum; aliud contra votum, quia id votum ſolum obligat, quantum præceptum vitandi mendacium. Trullenc. *cap.* 2. *cap.*12. *dub.* 12. *num.* 9. Sanchez *libro* 4. *cap.*13. *num.*9. *& lib.*1. *cap.*4. *num.* 3. Prado *q.*4. §.3. *num.* 27. Navarr. *cap.*12. *num.*65. Niſi voveret peccatum alioqui leve vitare, quia per illud maximè impeditur à profectu virtutis, vel quia mentiri, v.g. eſt notabilis indecentia perſonæ in dignitate conſtitutæ, vel ob ſimiles cauſas, tunc tranſgreſſio voti eſſet mortale, quia vitatio mendacii, aut alterius peccati venialis ob has graves cauſas magni momenti eſt. ¶ Infertur ſecundo, eum, qui vovit quotidie recitare rem exiguam v.g. unum *Credo*, & per totum annum omittit, ſolum venialiter peccare, quia quælibet omiſſio eſt rei levis non excedens veniale, & ex pluribus venialibus non fit unum mortale. Villalob. *tom.*2. *tract.*36. *diff.*5. *num.*9. Soto *lib.*8. *quæſt.*1. *art.*7. *dub.*1. *concl.*4. Dian. 4. *part. tract.* 5. *reſol.*70. Sed hoc intelligendum eſt, quando illa parva materia eſt promiſſa in honorem diei, quod niſi de oppoſito conſtet ita cenſendum eſt. Si tamen dies ſolum aſſignetur

tur ut terminus appoſitus ne ultra illum differatur executio voti, tunc ſi perveniatur ad magnam quantitatem omiſſam erit mortale, quia tranſacto die non extinguitur obligatio voti, ſed cum materia ſequentis diei continuatur. Trull. *dub.*12.*num.*17.Suarez *lib.*5.*cap.*6.*num.*11. Sanchez *lib.*1. *cap.*9. *num.*14. Leander *tract.*1. *diſ.*7.*num.*24. Fr.Ioann.a ſancto Thoma *diſp.*29. *art.*8. *num.*5. & 6. ¶ Idem cum proportione dicimus de illo, qui vovit, aut iuravit quotidie aliquam eleemoſynam daturum exiguam, quod ſi in honorem diei illius promiſit, non peccat mortaliter, nec tenetur reſtituere omiſſa, etiamſi nunquam modicam eleemoſynam promiſſam erogaverit; ſi tamen diem deſignavit non ut terminum obligationis, ſed ne ultra illum differatur, peccavit mortaliter, cum materia omiſſa ex pluribus parvis magna fiat, & tenebitur poſtea eam reſtituere, quia jam continuatur una cum altera materia, & ex omiſſione illarum non leve, ſed grave incommodum pauperi conſurgit. Sic authores citati.

---

§. III.

Poſſitne obligatio voti, aut juramenti tranſire ad alios?

Votum ſoli promittentem poteſt obligare.

116. CErtiſſimum eſt apud omnes obligationem voti, aut juramenti, ſive perſonalis ſit, ſive realis ſolum tangere perſonam, quæ illud emiſit, ipſamque aſtringere; non vero alios, niſi quatenus in ejus bonis ſuccedunt, quæ cum illo onere voti, aut juramenti realis affecta tranſeunt ad hæredes ut dicemus. Votum autem, aut juramentum ſolum voventem obligant, quia ſolum illum obligare queunt, qui ſe voluit liberè obligare, ipſe enim ſibi legem impoſuit, quam ſolus obſervare tenetur. Deuteron. 23. *Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis obſervabis.* Sic D.Thom. 2.2 *quæſt.*88. *art.*9.& 89. *art.*2.*ad* 4. colligiturque *ex c. licet de voto*, & eſt inter DD.commune.

Tres objectiones contra dicta.

117 Sed objicies primo, quod vota parentum filios obligant, *cap.licet de voto, cap.Monach. cap.addidiſtis* 20. *quæſt.*1. & ob id parentes quotidie vovent filios tradere Religioni, quod inutiliter facerent ſi filii votis parentum adſtricti non manerent. ¶ Secundo, quia vota, aut juramenta facta per procuratorem valent, & obligant, *cap.*1.§.*verum, de ſtatu regul.* & tamen non ſunt actiones propriæ perſonæ: ergo ultra voventem, aut jurantem, poſſunt alium vota, aut juramenta conſtringere. ¶ Tertio, quia cum Princeps, vel populus emittit votum de aliquo jejunio obſervando, vel proceſſione quotannis facienda, ſucceſſores illius populi tenentur ex vi illius voti rem promiſſam obſervare, peccantque mortaliter tranſgrediendo tale votum, aut juramentum: ergo poteſt votum, aut juramentum alios obligare.

Vota parentum non tenentur filii obſervare.

118. Reſpondetur ad primum, quod parentum vota (idem dicendum eſt de juramentis) filios non obligant, niſi in illa conſenſerint, eaque ratificaverint, cum ad annos diſcretionis pervenerint, quia hoc ipſo, quod ipſi votum parentum ratificent, proprium illorum fit. Nec ob id eſt inutile votum parentum, ſiquidem obligat illos, ut quantum eſt ex parte illorum inducant filios ad ingreſſum Religionis, & ipſis volentibus, vel conſentientibus in votum ne contradicant; cæterum cum ab ipſis emiſſum ſit votum ſub tacita conditione, quod filii conſentiant, illis non conſentientibus nec filii, nec parentes ad amplius obligantur. Quo modo intelligendi ſunt textus in oppoſitum adducti. Sic D. Thom. *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.unica*, *art.*4. *ad* 3. & communiter Doctores. ¶ Non autem cenſentur filii in vota parentum conſentire, per hoc præcisè, quod parentes in eorum præſentia jurent, aut voveant, filiis tacentibus, & non repugnantibus, quia taciturnitas non arguit conſenſum in his, quæ ſunt oneris, aut laboris, maxime quia reverentia parentum obſtat quominus filius non conſentiens contradicat. Sanchez *lib.*4.*cap.*15. *num.*24. Bonacin. *diſp.*4. *punct.*5. §.2.*num.*17. Palaus *diſ.*1.*punct.*15. *n.*3. Leander *tract.* 1. *diſ.* 26. *quæſt.* 4. Trullench. *lib.*2.*cap.*2.*dub.*15.*num.*13. Baſſæus *tom* 2. *verbo votum* 2. *num.*15. Prado *tom.*2. *cap.* 31. *quæſt.*10. §.1.*num.*3.

119. Ad ſecundum dicimus, vota, aut juramenta emiſſa per procuratorem obligare mandantem, ac ſi per ipſum emiſſa fuiſſent, quia licet obligatio voti oriatur ab ſponſione interna propria voventis juxta *cap. ſecundum* 27. *quæſt.*1. Tamen id me facere dicitur, quod alius meo nomine facit. Quemadmodum matrimonium etiam petit intrinſecum conſenſum contrahentis, & tamen validum eſt per procuratorem celebratum, ut diximus *tom.*2.*tract.*9.*cap.*3. *num.*54. & in præſenti vota, aut juramenta per procuratorem facta obligare mandantem dicunt Sanchez *cap.*15.*num* 15. Leander *quæſt.*5.Trullench. *dub.*15.*num.*2. Prado *num.*4. Palaus *n.*3. *fine.* — Vota per procuratorem obligant.

120. Ad tertium aſſerendum eſt ſucceſſores populi obligatos eſſe obſervare vota, aut juramenta ab anteceſſoribus emiſſa, vel quia eſt eadem communitas continuata, idemque populus *l. proponebatur, ff. de iudic. cap. denique* 7. *quæſt.*1. & poteſtatem habet reſpublica vovendi nomine omnium; unde etiam, qui non conſentiunt obligati manent, ſi major pars in votum conſentit, ut tenent Navarr. *capite* 21. *num.*79. *verſu* 13. Rodriguez *tom.* 2. *cap.* 99. *num.*13. Ludovicus Lopez *prima parte*, *inſtruct.* *cap.*50. *colum.*3. *verſu nec ad vota.* Vel in vi contractus, & promiſſionis, quæ in ſucceſſorem univerſalem pertranſiit, *l.*1. & 2. *l. de hæredit. acceptand.* Sic Authores citati. Vel conſuetudine longæva ſufficienti ad vim legis introducendam. Azor *lib.*12. *cap.* 8. *quæſt.* 5. Baſſæus *tom.*2.*votum.*2.*num.*15.Medina 12.*q.*90.*art.*3.*col.*3. Ioannes à ſancto Thoma 2. 2. *quæſt.* 88. *diſ.*29. *art.*12. Vel denique in vi legis ab ipſo populo prædeceſſore ſtatutæ, & ab Epiſcopo promulgatæ: quia in populo vere eſt poteſtas ad obligandos præſentes, & futuros in vi præcepti humani, ſed requiritur Epiſcopi conſenſus, quia reſpublica in ordine ad leges ſpirituales, vel ſtatuta de ſpiritualibus debet ab habente illius ſpiritualem juriſdictionem gubernari: Suarez *lib.*4.*cap.*9. *num.*10. Sanchez *lib.*4. *cap* 15.*num.*9. Bonacin. *diſ.*4.*quæſt.*2. *part.*5 § 2.*num* 20.Palaus *diſ.*1. *punct.*15. *num.*3. Filliucius *tract.* 26 *cap.*4. *quæſt.*1.*dic.*2.*num.*28.Trullench.*lib.*2.*cap.*2.*dub.*15. *num.*14. — Vota populi obligant ſucceſſores.

121. Ex dictis infertur vota perſonalia, illa videlicet, quæ ſunt de actionibus privatis ab ipſo — Vota perſonalia ſolum

impleri poſſunt à vovente.

ipſo vovente exercendis (& idem eſt de votis mixtis, quoad illam partem, qua perſonalia ſunt) ſolo à vovente per ſeipſum poſſe adimpleri, nec poſſe impleri per alium, quia ounſquiſque tenetur adimplete, quod promiſit, promiſit autem propriam actiooem ob devotionem, vel macerationem ſui, quæ non niſi ab ipſo poteſt exerceri: ergo, &c. Vnde ſi ipſe non poteſt actionem, quam promiſit, implere, non tenetut illam pee alium exercere, etiam ſi ſua culpa factus ſit impotens ad illam, quia ſolum ad actionem perſonalem ſe obligavit. Nec tenetur facere commutationem in rem, quam poteſt, ſi rem promiſſam implere, non valet, quia ad hoc non ſe obligavit. Sylveſter *votum* 2. *quaſt*. 6. Prado *cap*.31. *q*.10. §. 1. *num*. 8. Leander *tract*.1. *diſp*. 15. *quaſt*.4. Trullench. *dub*.14. *num*.5. ¶ Hæredes autem ad vota perſonalia Defunctorum non tenentut, quia erat perſonalis obligatio, quæ cum perſona extinguitur, niſi ſua ſpontè hæres acceptet obligationem, quia tunc tenebitur, *cap. licet de voto*. Poteſt autem hæredem non neceſſarium inſtituere teſtator ſub conditione ut adimpleat votum, & ſi acceptet hæreditatem cum illo onere tenebitur; ſecus autem de hærede neceſſario, quia hic non poteſt gravari à teſtatore in his, quæ hæreditati coniuncta non ſunt: Prado §.2.*num*.12. Raphaël de la Torre 2. 5. *quaſt*.88. *art*.3. *diſ*. 2. *concluſ*.2. Trullench. *dub*.15. *num*.2. Suar. *lib*.4. *cap*.11. *n*.3. Sanch. *lib*.4. *cap*.15.*num*. 57. Palaus *punct*.16.*n*.1. Laym. *lib*.4.*tract*.4. *c*.3.*num*.13. Bonacin. *punct*.5. §.2.*num*.4.

Votū reale per alium poteſt impleri.

122. Vota autem, & iuramenta realia (& idem eſt de mixtis, quoad eam partem, qua realia ſunt) poſſunt per alium impleri, ut ſi ſit votum largiendi eleemoſynam adimples votum, ſi cures, quod alius tuo nomine illam largiatur, quia votum reale ſolum obligat ad rem executioni mandandam, quod per ſe, vel per alium exerceri poteſt. Imo ſatisfacit voto, aut iurāmento reali, qui eleemoſynam ab alio ſuo nomine præſtitam, ipſo inſcio, poſtea ratificat cum illius notitiam habeat, quia tota res promiſſa nomine illius eſt adimpleta, & ſolum deſiderabatur conſenſus illius. Noo tamen ſatisfacit voto, eleemoſyna ſuo nomine per alium, ipſo ioſcio, præſtita, quia ad ſatisfaciendum voto, vel præcepto intentio ſatiſfaciendi requiritut. Bonacin. *diſp*.4. *q*.5.*punct*.5. *num*.5, Sanch. *lib*.4. *cap*.15. *num*. 7. Trullench. *lib*.5.*cap*.5.*dub*.14.*num*.1. Leander *tract*.1. *diſp*.55. *quaſt*.7. Ex quo inferunt, eum, qui per ſe non poteſt votum reale implere, teneri implere per alium. Quod intelligendum eſt, ot bene inquit Palaus *tract*.15. *punct*.16. *num*.7. quod ſi non poteſt per ſeipſum, tenetur per procuratorem ſuo nomine implete, in hoc enim differt votum reale à perſonali, quod licet perſonale poſſit per procuratorem emitti, nequit per illum impleri, quia non impletur niſi actione perſonali voventis; votum autem reale etiam per procuratorem impleri valet. Cætetum non tenetur, qui votum reale emiſit, nimirum dare Calicem Eccleſiæ, & impotens eſt ad illum præſtandum, aut procurare quod amici donent, aut ad hoc petere eleemoſynam, aut laborare, ut acquirat unde donare poſſit, quia ad hoc non ſe obligavit, ſed ſolum de bonis ſuis, quæ habuerit calicem dare promiſit.

Hæres tenetur implere realia vota & iuramēta defuncti.

153. Ex quo infertur, hæredem, ſive neceſſarius ſit, ſive voluntarius, teneri ad vota, & iuramenta realia defuncti, *cap. ex parte, de cenſib. cap*.1. *de ſolutionib. cap. ſi hæres de teſtamentis*, L.2. *ff. de pollicitationib.* ibi: *voti enim obligationem ad hæredem tranſire conſtat*. Vode *cap. licet, de voto*, dicitur poſſe hæredem cogi ſub pœnis privationis hæreditatis adimplere vota, vel iurameota defuncti: imo etiam per excommunicationem poteſt ad hoc cogi. Tum, quia tenetur ad defuncti vota, ſicut ad alia debita perſolvenda. Tum etiam, quia defunctus obligatus fuit ſuis bonis votum reale exequi: ergo ſicut hæres in bonis ioribus, & actionibus defuncti ſuccedit, debet in oneribus, & obligationibus ipſis bonis annexis ſuccedere. Laym. *lib*.4. *tract*.4. *cap*.3. Palaus *punct*.16.*num*.6. Sanch. *cap*.15. *à num*.23. Leander *diſ*.25. *à q*.6. Prado §.5.*num*.13. Imo non poteſt teſtator ab hac obligatione adimplendi vota, aut iuramenta realia hæredem eximere. ſicut nec ab aliis debitis ſolvendis poteſt eum deobligare: eſt enim hoc debitum ſolvendum Deo. Sed hoc intelligendum eſt, quando factum eſt votum abſque reſtrictione temporis, ut ſi calicem voviſſet dare Eccleſiæ abſolute. Si autem factum eſt votum ad vitam, ut voveo me dare quotidie eleemoſynam, quod intelligitur per ſuam vitam, mortuo eo, ſicut ceſſat obligatio voti, ſic minimè tranſit ad hæredes, & ſic credendum eſt voviſſe, cum teſtator à ſolvendis votis hæredem liberat, quia non eſt præſumendum, velle in æternum perire ob favorem hæredis. Suar. *lib*.4.*cap*.11.*num*.15. Bonac. *punct*.5. §.2. *n*.12. Sanch. *lib*.4.*cap*.15.*à n*.58. Laym. *lib*.4. *tract*.4.*c*.3.*q*.6.*n*.5. Trull. *dub*.15. *n*.8. Sayrus *lib*.6. *cap*.9. *dub*.6.

124. Sed ſolum obligatur hæres ad hæc vota, quando volt adire hæreditatem, ſi tamen illam recuſet, ad ſolvenda dicta vota non tenetur, quia ſolum ratione hæreditatis cui eſt annexum tale onus obligatur. Imo ſi vires hæreditatis ad votorum debita non ſufficiant non tenetur ſupra vires hæreditatis ea ſolvere, quia naſcitur hæc obligatio ex accepta hæreditate: ergo quando hæc eſt inſufficiens, non tenebitur hæres ultra vires illius debita perſolvere. Et hoc ſive faciat inventarium, ſive non, non enim tenetur (ſaltem in foro conſcientiæ) ſolvere hæres vota realia defuncti, ultra vires hæreditatis, eo quod inventarium non fecit, ſicut de aliis debitis iuſtitiæ diximus *tom*.3. *tract*.14. *cap*.5. *num*.151. & ratio eſt, quia lex præcipiens hæredi ſolvere debita defuncti, etiam ſi ſint ſupra vires hæreditatis, cum inventarium non fecit, fundatur in præſumptione fraudis, quam credit committere inventarium non conficientes: ergo ſi re vera hæreditas non ſufficit abſque fraude hæredis, non obligabit illa lex in foro conſcientiæ, ad ſolvenda ulla debita, ultra vires hæreditatis. Sic Sotus *lib*.6. *de iuſt. quaſt*.1. *art*.4. *ad* 3. Navarr. *lib*.3. *de reſtitut. cap*. 4. & 2. *part. dub*.9. *num*. 137. Sanch. *lib*.4. *cap*.15. *num*. 37. Bonac. *tom*.5.*diſ*.4. *quaſt*.5.§.5.*n*.4. Palaus *diſ*.1. *punct*.16. *num*.4. Leander *tom*.1.*tract*.1.*diſ*.55. *q*.12. Anton. Gom. *l*.3.*Taur*.*n*.121.

Non tenetur hæres ſolvere vota defuncti ſupra vires hæreditatis.

125. Præferenda autem ſunt vota omnibus legatis, etiam piis, quia legata ſunt libera, & gratioſa; votorum debita obligatoria. Sed omnia debita ex iuſtitia præferenda ſunt debitis ratione voti, quia votum explendum non eſt ex bonis alienis, ſed ex bonis ipſius voventis, & ſolum ſunt illius bona, quæ remanent deducto ære alieno, *l. mulier bona, ff. de iure dot.* expenſæ autem pro funere extrahi debent ante omne debitum etiam iuſtitiæ, *l. penult. de relig. & ſumptib. funer.* Lander *quaſt*.8. Sanch. *num*.39. Bonacin. *num*.56. Laym. *num*.13. Trull. *num*. 11. Palaus *punct*.16 *n*.10.

Qualia debita ſint præferenda.

¶ Ac

¶ At quando plures ſunt hæredes nullus eorum tenetur in ſolidum vota defuncti adimplere, ſed quilibet ſolum tenetur pro rata juxta portionem hæreditatis, quia qui in una ſolum parte eſt hæres, tantum ſecundum illam tenebitur, & non amplius, qui ſolum ratione hereditatis hanc obligationem ſubit. Quod habetur *in l. pro hæreditarius, C. de action. hæred. l. in executione 85. ff. de verborum obligatione.* Niſi in caſu, quo res per votum promiſſa ſit in ſpecie apud unum ex hæredibus, quia tunc ipſe tenetur in ſolidum eam integrè ſolvere, licet actionem poſteà habeat contra alios cohæredes, ut ſuam ſibi partem ſolvant pro rata ſuæ portionis, quæ illis contigit. Sanch. *à n. 42.* Palaus *punct. 16. num. 13.* Leander *tract. 1. diſ. 26. q. 23. & 24.*

Parentes poſſe filios in legitima gravare per vota, aliqui dicunt.

126. Sed difficultas eſt, an pater poſſit in legitima gravare filios, ratione voti ab ipſo parente emiſſi, & filius cum præjudicio legitimæ teneatur vota, vel juramenta parentis ſolvere? v. g. Pater ſi habet deſcendentes, non poteſt diſponere in morte niſi de quinta parte bonorum, juxta *legem 30. Tauri, hodie lex 13. tit. 6. lib. 5. nova recop.* & ſi aſcendentes habeat, ſolum de tertia poteſt diſponere, juxta *l. 6. Tauri, hodie lex 1. tit. 8. lib. 1.* Quæritur ergo, an ſi debita teſtatoris ratione voti ſint ultra quintam partem bonorum, teneatur hæres deſcendens, & ſi ultra tertiam, aſcendens, ſolvere vota defuncti? Affirmat prima ſententia integrum eſſe parentibus in legitimæ præjudicium vovere, quidquid voluerint, ſicut poſſunt viventes in aliqua pia opera expendere in filiorum præjudicium, & ſic teneri hæredes neceſſarios talia vota implere, in noſtro caſu, quia parentes poſſunt gravare legitimam remuneratoriis donationibus, & etiam minuere contractibus oneroſis: ergo gravare, vel minuere votis. Maximè, quia debita teſtatoris ex toto hæreditatis corpore debent extrahi; ſed vota realia verè ſunt debita teſtatoris: ergo, &c. Sylveſter *votum 2. q. 11. dub. 4.* Navar. *conſil. lib. 3. conſil. 10. de voto, & in 2. edit. conſil. 16. n. 4.* Ortiz. Homobonus, Fernandez, Megala, quos refert, & ſequitur Dian. *1. part. tract. 8. reſol. 84.* Ludou. Lopez *1. part. inſtruct. in 2. edit. c. 170. concl. 10. & 11.* Vega *lib. 5. ſum. caſu 295.*

Hæreditatis non tenetur hæres neceſſarius ſolvere vota defuncti

127. Sed oppoſitum eſt tenendum, quod nimirum obligatio ſolvendi vota realia, debet relinquere ſalvam legitimam hæreditatis deſcendentium, vel aſcendentium, quia talis legitima ex jure eſt debita illis, nec poteſt à teſtatore gravari, aut minui ex debito voluntario, quale eſt votum, aut quocumque alio legato pio, eo quod tunc ex iniquo vellet ſolvere, quod eſt à Spiritu ſancto reprobatum. Eccleſ. 34. ibi: *Immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata.* Et D. Aug. relatus *in cap. fin. 17. q. 4.* dicit: *Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum: Imò Deo propitio neminem inveniet.* Quare licet debita ex juſtitia, quæ ſunt omnino neceſſaria ex toto corpore bonorum debent extrahi; non vero debita gratioſa, & ex voluntate procedentia. Quare quæcumque gravamina a teſtatore appoſita bonis, ſive per vota, ſive per alia legata pia in præjudicium legitimæ, nullius roboris ſunt, *l. quoniam, in prioribus, C. de inoffícioſ. teſtam. l. 17. tit. 1. l. 11. tit. 4. partit. 6.* Licet enim pater in vita, quando dominium habet bonorum, eleemoſynis, aliiſque piis operibus, & votis moderatis, minuere poſſit aliqualiter legitimam aſcendentium, vel deſcendentium; ſecus vero poſt mortem, quando jam illorum dominium amittit, & juxta legem de illis diſponere debet. Atque ita docent, Sanchez *lib. 7. de matrim. diſ. 36. num. 6. & in ſumm. lib. 4. c. 15. num. 38.* Rodrig. *tom. 1. cap. 99. num. 13.* Prado *tom. 2. cap. 31. q. 10. §. 2. num. 18.* Antonius Gomez *tom. 1. var. c. 11. num. 24. & 25.* Martinus à ſancto Ioſeph *lib. 2. tract. 16. de teſtam. n. 7. & 8.* Guttier. *de juram. 1. part. cap. 5. num. 28. & lib. 3. pract. q. 61.* Palaus *punct. 16. num. 5.* Covar. *de teſtam. cap. ſi hæres, num. 6.* Bonacin. *punct. 5. §. 2. num. 5.* Leander *tract. 1. diſ. 25. q. 14.* Sayr. *lib. 6. c. 7. dub. 6. n. 13.* Laym. *lib. 4. tract. 4. c. 3. q. 6. n. 13.* Trullench. *lib. 2. c. 2. dub. 15. n. 4.*

PUNCTUM V.

Quo tempore urgeat obligatio voti?

Tenetur ſtatim votum ſolvere, qui tempus non aſſignavit.

128. PLura, quæ dicenda eſſent circa hoc punctum, ſupra jam explicuimus *tractatu 15. c. 4. punct. 4.* agentes de tempore, quo obligat votum ingrediendi religionem, ubi ob connexionem doctrinæ, quid circa alia vota ſentiendum ſit, diximus. Quare ex ibidem dictis aſſerendum eſt, quod ſi tempus à vovente aſſignatum non fuerit pro executione voti, tenetur illud implere ſtatim ac commodè illud implere valet, quia cum tempus non deſignatur, non eſt major ratio, quare hoc, vel illo tempore obliget. Unde ut non inane votum judicetur, ſentiendum eſt, ſtatim obligationem inducere. Quod, & docet D. Thom. *2. 2. q. 88. art. 3. ad 3.* niſi adſit rationabilis cauſa differendi. Quæ autem cauſæ excuſent dilationem voti, & quot peccata committat, qui diu illud differt adimplere abſque juſta cauſa? diximus ibi *num. 30.* Sed in hoc datur parvitas materiæ, & ſic excuſatur à mortali, qui adimpletionem voti per aliquos dies procraſtinat, quæ autem dilatio excuſet à mortali; quæ vero non? diximus, ibi *num. 32.* Sed quia dixit D. Thom. *in 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. q. 1. ad 7. Quod, qui habet votum religionis, & rationabiliter timet perpetuum impedimentum, tenetur ulterius non differre.* Diximus ibi *à num. 33.* quando, qui timet impedimentum ſuperventurum adimpletioni voti, tenetur illam ante præfixum tempus prævenire.

Tranſacto die aſſignato pro ſe promiſſo votum non obligat.

129. Quare ſolum reſtat examinare, an qui votum, aut juramentum deſignato à ſe tempore non implevit, tranſacto eo termino, teneatur illud executioni mandare? Ut qui promiſit hac hebdomada tot dare eleemoſynas, tot dies jejunare, & non fecit, teneatur aliis diebus dictas actiones exercere? Ad quod breviter reſpondendum eſt, quod vel promittens illud tempus aſſignavit ut terminum obligationis, in quo obligatio finiretur, quod ex particulari devotione, aut utilitate eo die occurrente, vel ex ipſa natura rei promiſſæ accipiendum eſt, ut ſi vovit die ſabbati ob devotionem B. Virginis jejunare, vel feria ſexta ob reverentiam Paſſionis Chriſti, ut in adventu ob particularem illius temporis devotionem, aut hac hebdomada jejunare ad lucrandum Iubilæum tunc occurrens, aut mortificationem aliquam facere in vigilia alicujus ſancti: Quomodo dies principalior intenditur, & ut terminus obligationis aſſignatur. Tunc ſi illo tempore præfixo, opus

promiſſum non exercuit, debet de hoc pœnitentiam agere; tamen ab obligatione voti manét liber, quia eſt onus tempori affixum; & propter illod ſpecialiter intenditur. Quare licitè, vel illicitè, tranſacto tempore illo, non manet: quemadmodum in præceptis Eccleſiæ jejunium, auditio ſacri, recitatio officii divini, &c. quæ ſunt onera diei, illique affixa, ipſo tranſacto non obligant.

Quando tēpus non ut terminus voti aſſignatur, eo tranſacto, manet obligatio voti.

130. At ſi tempus non aſſignatur ad finiendam obligationem, ſed ad executionem ſollicitandam, & ut ultra illud talis executio non differatur, quod contingere ſolet, quando non eſt ſpecialis ratio, quare magis hoc tempore, quam illo, votum ſit adimplendum. Tunc ſi præfixo tempore votum non adimpleatur, non ſolum tunc peccat vovens, ſed alio tempore tenetur promiſſa adimplere. Quia tunc non intenditur tempus principaliter, nec opus aſſignatur tempori ut terminus illius; ſed tempus deſignatur, ne ultra illud executio extendatur, quare datur quaſi duplex votum: aliud de exequendo operé: aliud de tali tempore exequendo; violatur hoc ſecundum non exequendo tempore aſſignato, & remanet primum de opere ipſo exequendo. Ut ſi ingredi religionem intra hunc menſem promiſiſti, ſi intra menſem non intraſti, cum poſſes, peccaſti; ſed poſt modum ingredi teneris, quia menſem aſſignaſti ad ſollicitandam executionem voti, non ut terminum ultimum obligationis. Dicta his duobus numeris communia ſunt inter Doctores, eaque docent Sanchez *lib.4. cap.14. à num.25.* Prado *cap.31. q.7. §.2.* Leander *tract.1. diſ.4. quæſt.4. & 27.* Suarez *lib.4. cap.13. num.6. & 13.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.13. num.13.* Laym. *lib.4. tract.4. cap.3. à num.5.* Bonacin. *tom.2. diſ.4. q.2. punct.5. §.1. num.5.* Palaus *diſ.1. punct.14. num.2.*

Idem in realibus votis reperitur.

131. Dicta duobus numeris præcedentibus intelligenda ſunt de votis, tam perſonalibus, quam realibus; nam vota etiam realia, poſſunt etiam in honorem diei, & ut onus illius emitti, quo proinde tranſacto, non permanet obligatio eorum, ut ſi die ſabbati ob honorem Virginis eleemoſynam erogandam promitteres, vel ob aliquam ſpecialem diei feſtivitatem aliquid dandum in cultum Eccleſiæ ſpopondero. Quamvis regulariter, & ſecundum communem uſum non ſoleat circunſtantia temporis in realibus votis principaliter intendi, quia promittitur res permanens, quæ etiam tranſacto tempore poteſt cum eodem fructu adimpleri, & eum ſint in utilitatem tertii regulariter propoitionantur promiſſionibus humanis, quæ etiam tranſacto tempore obligant. Unde niſi aliud manifeſtè conſtet, in his votis tealibus circunſtantia temporis, ſolum ad ſollicitandam executionem apponitur, ne ultra illud tempus differatur. Sic Suarez *n.9.* Prado *n.13.* Palaus *num.6.* Bonacin. *num.10.* Sanchez *n.36.* Vaſquez 12. *diſp.146. cap.2. fine.*

Quid in dubio cenſendum ſit?

132. Sed rogabis, an ſi omnibus inſpectis dubium ſit, an votum emiſſum ſit pro determinato tempore ad finiendam obligationem; an ad executionem ſollicitandam, teneatur vovens, illo tranſacto tempore, votum implere? Negat prima ſententia, quia votum in dubio ſtrictè eſt interpretandum, & quia, licet certus ſit, ſe voviſſe jejunium, v. g. dubitat, an abſolutè, & independenter à tali die promiſerit, & ſic poſſeſſio ſtat pro libertate promittentis. Sic Diana *3. part tract.5. miſcellan. reſol. 26.* Layman. *lib.4. tract.4. c.2. n.3.* ¶ Contrarium tamen eſt inter Doctores commune, quia cum ſit de voti emiſſione certus, dubitat de circunſtantia excuſante, poſſeſſio ſtat pro voto, & ideo illi ſtandum, quoties de alio non conſtiterit. Sic D. Thom. *in 4. diſ.38. q.1. art.3. ad 6.* Sanchez *c.14. num.58.* Palaus *punct.14. n.4.* Bonacin. 14. Prado *n.16.* Trullench. *dub.13. num.18.* Azor. *lib.11. c.15. q.31.*

PUNCTUM VI.

De voto, ac juramento dubio, indeterminato, metu & errore extorto, conditionali, ac pœnali.

MULTIPLICITAS votorum, quæ frequentius accidere ſolent, cogit nos ut de iis omnibus, quæ in titulo enumerantur, ſermonem inſtituamus, ea quæ frequentiora ſunt, & omnibus ſcitu neceſſaria circa quodlibet eorum declarantes: Quod ut clarius præſtemus, diverſis paragraphis, ſingula dividemus. Verum quia circa hanc materiam, ferè idem judicium ſit apud Authores de voto, ac juramento: de utroque hoc puncto agemus.

§. I.

De voto, ac juramento indeterminato.

Quot modis voti indeterminatio contingat?

133. VOtum, aut juramentum indeterminatum dicimus, quod, vel ſecundum tempus, eſt indifferens, ut ſi vovat jejunium non determinando quot dies: vel ſecundum quantitatem, non determinando quantam promittas, ut ſi voveas eleemoſynam daturum ſine determinatione hujus, vel illius quantitatis: vel ſecundum qualitatem, ut ſi promittas calicem Eccleſiæ, non determinando, an aureum, vel argenteum: vel ſecundum numerum, ut ſi plures res promittas ſub disjunctione, non determinando iſtam, vel illam: vel aliis diverſis modis poteſt accidere hæc indeterminatio, de quibus hoc puncto agemus. Igitur ex triplici capite poſſunt determinari vota, aut juramenta ex ſe indeterminata, ſeu cognoſci qualiter obligationem inducant, ex quibus facilè erit caſus in particulari reſolvere.

Qualiter indeterminatum voti ſit interpretandum?

134. Primum apud omnes certiſſimum eſt, votum, vel juramentum indeterminatum, determinandum eſſe ſecundum intentionem promittentis, ſi de ea conſtare poteſt, quia eſt obligatio quædam voluntaria, quam ſibi promittens imponit, cui competit ampliare, vel reſtringere obligationem. Quæ intentio ex circunſtantiis, aliiſque occurrentibus debet præſumi. Et ideo ſi vovens, aut jurans (juramento promiſſorio, de quo nunc loquimur) determinat materiam, finem, tempus, & alias circunſtantias, non ſolum tenetur ad ſubſtantiam, ſed ad illam cum illis circunſtantiis obligatur. Si tamen de intentione non conſtet, inſpicienda eſt materia promiſſa, & ſecundum illam judicandum eſt obligari, eo ſane modo, quo aliæ leges, & præcepta in illa materia obligant, quia præſumitur aſſumere ſibi obligationem, ſecundum quod exigit ipſa materia

teria

teria promiſſa, & ad inſtar aliarum legum, quæ de illa materia dantur: Unde qui promiſit jejunium, intelligendum eſt de jejunio Eccleſiaſtico, ſecundum modum, quo Eccleſia ſolet obſervari. At vero ſi adhuc omnibus inſpectis circunſtantiis dubium remanet de intentione promittentis votum, aut juramentum beniguè interpretandum eſt, ut quoad fieri poſſit minus obliget ſervata verborum proprietate ſecundum communem modum accepta, quia obligatio non eſt imponenda, ſi de illa clarè non conſtat, *cap. ex parte de cenſibus*, & quia creaturam liberam adſtringi, & obligari ad illud opus determinatum, odioſum eſt illi, & grave. Et ſic reſtringendum potius quam ampliandum colligitur *ex cap. ad noſtram* 21. *de jurejurando*, *c.* 1. *eodem tit. in* 6. & eſt commune inter Doctores, ut infrà dicemus de dubio voto loquentes; & modo tenent Sylveſter *verbo juramentum* 3. *q.* 3. Tambur. *in decal. lib.* 3. *c.* 3. §. 4. *num.* 1. Trullench. *lib.* 2 *c.* 2. *dub.* 16. *n.* 6. Palaus *tract.* 14. *diſp.* 2. *punct.* 14. *n.* 1. & *tract.* 15. *diſ.* 2. *punct.* 2. *n.* 3. Azor. 1. *p. lib.* 11. *c.* 20. *q.* 2. Suarez *lib.* 4. *de voto*, *c.* 7. *n.* 18. & *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *de juramento*, *c.* 32. *n.* 7. Leander *in decalog. tom.* 2. *tract.* 1. *diſ.* 19. *q.* 1. Sanchez *in ſum. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 3. Laym. *lib.* 4. *diſ.* 4 *c.* 3. *num.* 3. Bonac. *tom.* 2. *diſp* 4. *q.* 2. *de juram. punct.* 15. *n.* 3.

Qualiter votum ſacrum audiendi ſit interpretandum?

135. Ex hac regula, aliquorum caſuum frequentiorum poteſt accipi reſolutio. Unde, qui votum emiſit audiendi ſacrum, tenetur illud audire eo modo, quod in feſto omnes fideles ad talem auditionem tenentur: & ſic cum eadem intentione, attentione, integritate, &c. qua per præceptum Eccleſiæ die, quo obligat, tenetur. An vero, qui promiſit ſingulis diebus ſacrum audire, teneatur die feſto audire duas Miſſas? aliqualis eſt inter Doctores controverſia, quia, cui injungitur in pœnitentiam à confeſſario auditio ſacri, non ſatisfacit, ſi ſacrum audiat die, quo tenetur. Cæterum, licet hoc votum ſit in pœnitentia de uno ſacro audiendo, quia intentio confeſſoris eſt aliquid amplius illi injungere, quam ex præcepto te..etur, niſi de oppoſito conſtet. At ſi illi in pœnitentiam injungeret ſingulis diebus per menſem, aut per annum audire ſacrum, verius judicamus ſatisfacere die feſto unum ſacrum audiendo, quia jam eſt intentioni Confeſſoris ſatisfactum. Idem dicimus de vovente auditionem ſacri die Aſſumptionis Beatæ Virginis, aut alio determinato feſto: quia ex modo vovendi colligitur ipſum ad amplius voluiſſe obligari, quam alias ex præcepto Eccleſiæ teneretur. At ſi votum fuit de audiendis Miſſis ſingulis diebus per annum, credimus ſatisfacere, ſi feſtis diebus occurrentibus, uno dumtaxat ſacro aſſiſtat. Tum, quia duplici obligationi poteſt unico actu ſatisfacere, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legibus*, *c.* 2. *n.* 149. Tum etiam, quia votum in benignam partem eſt interpretandum, cum determinatum non eſt, ut diximus *num præced.* Tum denique, quia non eſt credendum ſe voluiſſe duplici ſacro obligare, niſi de oppoſita intentione conſtet. Tambur. *ſup. n.* 4. Trull. *n.* 29. Leander *q.* 3. Palaus *n.* 6. Suar. *lib.* 4. *c.* 7. *n.* 14.

Votum recitandi Roſarium explicatur.

136. Deinde, qui promiſit Roſarium in honorem B. Virginis recitare, tenetur illud recitare integrè, attentè, ac devotè, ſicut ad officium divinum tenetur. An vero ſatisfaciat, ſi mentaliter dumtaxat illud percurrat? communiter hoc negatur, quia tenetur illud recitare ſicut officium divinum, qui ad illud ex præcepto Eccleſiæ tenetur, qui non ſatisfacit, ſi mentaliter dumtaxat illud recitet. Sed dicendum eſt, quod ſi conſuetudinem habebat, ob majorem devotionem, illud mentaliter recitandi, credendum eſt, hoc modo voluiſſe per votum obligari, imò etiam ſi talem non habeat conſuetudinem, cum ex privilegio poſſit officium canonicum mentaliter recitari, juxta dicta hoc volumine *tract.* 16. *de horis can. c.* 3, *p.* 7. *à n.* 51. qui hujus privilegii habeat notitiam, poteſt conformiter ad illud recitare Roſarium per votum promiſſum, quod ad inſtar officii canonici obligat. Quod videtur juxta mentem D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. ubi dicit: *Orationem privatam ſingularis perſonæ non debere eſſe vocalem.* Quare ſatisfacere obligationi mentaliter Roſarium recitando, etiamſi ſit votum promiſſum, vel pœnitentia injunctum, docet Leander *in decal.* 1. *part. tract.* 5. *diſ.* 9. *q.* 70. & 1. *part. tract.* 1. *diſ.* 19. *q.* 6. Et de eo, qui haberet conſuetudinem recitandi Roſarium ſolum mentaliter, Palaus *diſ.* 1. *de voto*, *punct.* 12. *n.* 12. ¶ Illud certum iudicamus eum, qui Roſarium promiſit, vel cui iniunctum eſt in pœnitentiam, ſatisfacere tertiam partem recitando, quia hoc communiter nomine Roſarii ſolet intelligi: Candid. *diſquiſit.* 25 *art.* 19. *n.* 5. Tambur. *lib.* 3. *in decal. c.* 15. §. 5. *n.* 5. Prado *tom.* 2. *q.* 6. §. 2. *n.* 11. Palaus *num.* 5. Sanch. *lib.* 4. *c.* 13. *n.* 15. ¶ Imò ſatisfaciet alternatim recitando cum ſocio. Tum, quia illud votum obligat ad inſtar præcepti officii divini recitandi. Tum etiam, quia iam ferè toto orbe conſuetudo invaluit, ut Roſarium alternatim recitetur. Trullench. *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 15. *n.* 19. Leander *tract.* 1. *diſ.* 19. *q.* 5. Tambur. *n.* 5. Prado *n.* 13. Candid. *art.* 22. *num.* 12. Diana *p.* 9. *tract.* 8. *reſol.* 6. ¶ Ac denique ſatisfaciet voto recitandi Roſarium, ſi una decade recitata, aliam in aliud tempus differat, quia ſingulæ decades computantur quaſi una hora canonica. Sanch. *lib.* 4. *c.* 13. *n.* 39. Bonac. *diſ.* 4. *q* 2. *punct.* 6. *n.* 28. Candid. *art.* 13. Prado *n.* 14. Trullench. *n.* 19.

Votum ieiunandi declaratur.

137. Denique ex dictis ſequitur, eum, qui promiſit ieiunium, tenere illud obſervare, eo modo, quo alia ieiunia ab Eccleſia præcepta, & ſic à carnibus abſtinere, non à lacticiniis diebus, quibus Eccleſia non præcipit illam abſtinentiam à repetita comeſtione debet hora conſueta veſci, & poteſt accipere veſpertinam collationem, & in vigilia Nativitatis poteſt lautiorem illam accipere, quia non aliter intendit ſe obligare, ac Eccleſia obligat. Sanch. *lib* 4. *c.* 11. *n.* 65. Palaus *diſ.* 1. *punct.* 12. *n.* 11. ¶ Imò, qui ſingulis diebus per menſem, aut annum ieiunium promiſit, non tenetur diebus Dominicis ieiunare, quia non iudicatur obligari, niſi iuxta conſuetudinem Eccleſiæ ſuſceptam. Idem eſt ſi promiſit ieiunium in vigilia alicuius ſancti, & hæc cadat in Dominica, poteſt ieiunium ad ſabbatum anticipare ob eandem rationem. Prado *q* 6. § 3. *n.* 16. Bonac. *n.* 25. Trullench. *dub.* 15. *num.* 18. Leander *tract.* 1. *diſ.* 20. *q.* 8. Diana *p.* 9 *tract.* 8. *reſolut.* 6. & *part.* 10. *tract.* 16. *reſolut.* 50. ¶ At verò, qui iam fregit ieiunium per votum promiſſum eſu carnium, aut repetita comeſtione, non amplius ad illud tenetur, & poteſt amplius comedere, quia iam illi eſt impoſſibile ieiunium obſervare. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 3. *num.* 3. Caſtro Pal. *diſ.* 1. *punct.* 12. *n.* 11. ¶ Imò, qui ſemel per comeſtionem carnium ieiunium fregit, non peccat poſtmodum carnes comedendo, ſed ſolum in illa prima comeſtione carnium; quia abſtinentia à carnibus eſt acceſſorium ieiunii

ieiunio

ieiunio per votum promiſſo, & ſic fracto ieiunio, non amplius obligat, quia deficiente principali deficit acceſſorium, & eſt diſpar ratio in lege Eccleſiaſtica, in qua duplici præcepto præcipitur ieiunium, & abſtinentia à carnibus; & ſic poteſt unum ab alio ſeparari, proindéque tenetur abſtinere à carnibus, qui ieiunium fregit: quia fracto uno præcepto, remanet aliud: quod in præſenti non accidit. Sanchez *cap.* 11. *num.* 42. Sylveſter *votum* 2. *fine.* Bartholomæus à ſancto Fauſto *lib.* 1. *theſaur. q.* 140. *n.* 5. Prado *cap.* 31. *q.* 6. *n.* 22. *& n.* 50. refert Azor. & Suarez pro hac parte, quod probabile eſſe dicit Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 3. *n.* 3.

Qui ſingulis feriis ſextis ieiunare promiſit, non tenetur in die Nativitatis, ſi feria ſexta ſit, aliqui dicunt.

138. Sed rogabis, an qui votum emiſit ieiunandi ſingulis feriis ſextis, aut ſabbatis per annum, teneatur ieiunare, ſi aliquo ex his diebus cadat feſtum Natalis Domini? Negat prima ſententia, quia cenſetur votum emittere ſecundum morem Eccleſiæ; ſed Eccleſia excuſat ab abſtinentia carnium eo die, etiamſi ſit feria ſexta, & conſequenter à ieiunio ob ſolemnitatem diei; ergo, &c. Tum etiam, quia ſi voventi occurreret, an vellet eo die ieiunare, vel ſe obligare ad ieiunium? proculdubio diceret, quod non: Ergo ſecundum eius intentionem noluit pro illo die obligari: non ergo pro illo die tenetur, niſi expreſsè voveret, ſe velle ſingulis feriis ſextis ieiunare, etiamſi ſit dies Natalis Domini: Uti de vovente ieiunare in Dominicis diebus diximus *ſuprà.* Hanc ſententiam tenent. Molin. *tom.* 2. *de juſtitia diſ.* 272. *verſu exempla ſunt.* Azor. 1. *part. lib.* 11. *cap.* 30. *q.* 3. Fagundez *de præceptis Eccleſ. tract.* 4. *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 6. Rodrig. *tom.* 3. *cap.* 25. *num.* 8. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 34. *diff.* 34. *num* 3. Diana 1. *part. tract* 9. *reſolut.* 6. *& p.* 9. *tract.* 8. *reſolut.* 21. & probabilem dicit, Tambur. *in decal. lib.* 3. *c.* 15. § 5. *num.* 13.

Non deobligatur à ieiunio die Nativitatis, qui per votum ad hoc tenebatur.

139. Probabilior nihilominùs eſt ſententia affirmativa, quæ præcipuè nititur in verbis textus *in cap. finali de obſervatione ieiunii*, ubi dicitur: *Qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in ſexta feria ſi feſtum Nativitatis Dominica, die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis.* Ubi Eccleſia noluit deobligare ab obſervatione ieiunii eo die eos, qui vel per votum, vel per regularem obſervantiam erant ad tale ieiunium obligati: ergo è contra non liberat ab obligatione ieiunii, qui ad hoc ex voto tenebatur. Nec ſatisfacit, quod dicunt contrarii, videlicet textum loqui de his, qui voto promiſerunt expreſsè tali die ieiunare: quia textus loquitur abſolutè, & univerſaliter. Unde ſicuti in omnium ſententia non deobligantur eo die à ieiunio, qui per regularem obſervantiam tali die tenentur ieiunare, etiamſi regula non præcipiat expreſsè ieiunare tali die; ſed dicat, ieiunent ſingulis feriis ſextis: ſic de voto ſentiendum eſt. Et minus ſatisfacit, quod illi dicunt, quod ſi talis dies occurreret memoriæ nollet pro illo obligari: quia illa diſpoſitio habitualis non eximit eum ab obligatione voti, obligatio namque illius non ſumitur ex eo, quod faceret, ſi recordaretur; ſed ex eo, quod fecit, & promiſit. Atque ita docent Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 8. Vaſquez 1. 2. *diſputat.* 20. *cap.* 4. *num.* 26. Martinez à Prado *cap.* 31. *quæſt.* 6. *num.* 25. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 60. Palaus *tractatu* 15. *diſ.* 1. *puncto undecimo, numero duodecimo*, Bonacin. *tom.* 2. *diſ.* 4. *quæſt.* 2. *puncto ſexto, num.* 9. Leander *tract.* 2. *diſ.* 20. *quæſt.* 11.

140. Secundum principium, ex quo poteſt cognoſci obligatio voti indeterminati, eſt, quod ſi indeterminatum ſit quoad tempus, obligat pro ſemper: ut ſi voviſti caſtitatem, jejunium ſingulis feriis ſextis, recitare quotidie Roſarium, ſi ex circunſtantiis non cognoſcatur, te voluiſſe pro aliquo determinato tempore tantum obligationem ſubire, intelligitur te in perpetuum voluiſſe obligare: quia non eſt major ratio quare pro hoc, quam pro illo tempore obliget: & ſicut lex abſolutè prolata intelligitur obligare pro ſemper: ſic votum, quod eſt, quædam lex particularis. Eſt commune inter Doctores, ut diximus *ſuprà.* ¶ At ſi votum fuerit indeterminatum, quoad quantitatem, vel qualitatem, ſolum tenetur vovens ad minimam quantitatem, vel qualitatem utilem ſub re promiſſa contentam, niſi ex certa conſuetudine, aut aliis qualitatibus oppoſitum colligitur, ut ſi eleemoſynam promiſiſti, ſatisfacis dando minimam: ſi aliquot dies jejunare, ſatisfacis duobus jejunando: ſi calicem dare Eccleſiæ, non teneris aureum, ſufficit ſi argenteum; non autem ſatisfacis ſi ligneum, aut lapideum, aut vitreum, quia ex conſuetudine colligitur te voluiſſe offerre calicem, qualis ſolet Eccleſiæ deſervire: promiſiſti Eccleſiam erigere, aut Monaſterium, non teneris ad oſtenſiota, & magna, nec ſatisfacis ſi ex lignis, aut luteo confectam præſtes; ſed illam minimam teneris, quæ ſecundum conſuetudinem loci, vel religionis, cui promiſiſti, eſt communiter uſitata. Ratio præcipui aſſerti ea eſt, quia votum ſolum obligat, ut promiſſum ſervetur; ſed qui promittit eleemoſynam, orationem, &c. minimam præſtando adimplet, quod promiſit: ergo, &c. Suarez *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 18. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 13. *à num.* 8. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 16. *num.* 9. *& cap.* 1. *dub.* 17. *num.* 7. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 6. *num.* 11. Bonacin. *puncto ſexto, num.* 15. *&* 31. Layman. *lib.* 4. *tractatu quarto, cap.* 13. *numero tertio*, Palaus *puncto* 12. *num.* 24.

Votum indeterminatum, quoad quantitatem, & qualitatem, qualiter interpretandum?

141. Denique tertium caput, unde obligatio voti eſt determinanda, eſt, quod ſi votum fuerit indeterminatum in individuo, erit in voluntate promittentis, determinare rem, quam voluerit: ut ſi promiſiſti unum ex ſervis, ex calicibus, ex animalibus, tuum erit eligere ex illis, quod volueris, quia ſibi cenſetur reſervare electionem, qui nullum determinavit. Si ſub diſiunctione, unam de duabus rebus promiſit, & una eſt inutilis, prava, vel impoſſibilis; licet alia ſit bona, poſſibilis, & utilis nullum erit votum, ut *ſuprà num*... diximus, quia cum ſit in voto disjunctivo in voluntate voventis eligere ex duabus rebus, quam voluerit, poteſt eligere illam partem, quæ eſt inepta pro materia voti, ob idque tale votum eſt ab initio inane. Si tamen utraque pars disjunctionis eſt apta materia voti, & jam de duabus unam elegiſti, teneris hanc dare, etiamſi alia poſtea pereat, quia jam per tuam electionem indeterminatum votum determinaſti, & ad unam partem obligationem adſtrinxiſti: ſi tamen pereat, quam elegiſti, non teneris dare ſuperſtitem, quia jam erat ad illam partem obligatio voti alligata.

Votum indeterminatum in individuo, quis licet determinandum?

142. Sed difficultas eſt, an ſi ex duabus partibus in voto indeterminato promiſſis,

Difficilis caſus enodatur.

altera

altera pereat antequam vovens determinetur, teneatur dare ſuperſtitem? verbi gratia habes in domo duos calices, promittis dare Eccleſiæ unum ex illis, & antequam determines qualem, amiſiſti unum ex illis, tenerisne alium dare? Et idem in ſimilibus exemplis. Reſpondetur, vel fuiſti in mora tradendi rem promiſſam, aut tua culpa periit; vel certè non periit tua culpa, nec in mora fuiſti tradendi, aut te determinandi. Si primum teneris calicem ſuperſtitem dare. Si ſecundum non teneris tribuere rem, quæ remanet, ſed vel illam, vel ejus æſtimationem. Ratio primi eſt, quia obligatus eras ad unum ex illis, ſed talem obligationem implere poteſt, donando calicem remanentem: ergo ad hoc teneris: quia æquum non eſt, ut ex tua culpa commodum reportes, & promiſſarius damnum. Unde ex vi modi te habendi tacitè voluiſti obligationem indeterminatam, ad illam partem determinare. Ratio ſecundi eſt, quia non promiſiſti rem ſuperſtitem in individuo tradere; ſed vel illam, vel aliam, quam ex eis eligeris, & ſic voluiſti tibi reſervare electionem inter duas res: ergo ſi abſque tua culpa jam reddatur electio impoſſibilis, non remanet determinata obligatio, eſſet quippe talis obligatio ultra intentionem promittentis: ut ergo, & electio tibi relinquatur, & tu modo, quo potes, obligationem voti adimpleas, teneris vel rem ſuperſtitem, vel æſtimationem illius, quæ periit, nam ſic non obligaris ad amplius, quam fuiſti ab initio obligatus, quandoquidem loco rei peremptæ ſuccedit æſtimatio, & inter æſtimationem, & rem ſuperſtitem remanet tibi electio. Sanchez *lib. 4. cap. 13. n. 25.* Palaus *tract. 15. diſ. 1. punct. 12. num. 28.* Molina *de iuſt. tom. 2. diſ. 270. verſu quando.* Antonius Gomez *lib. 2. variar. cap. 11. n. 40.*

---

§. II.

De voto, aut juramento dubio.

Qui dubitat, an voti emiſerit, nõ tenetur ad illud.

143. PLura circa materiam huius paragraphi dicta ſunt a nobis, *tom. 3. tr. 11. de leg. cap. 2. punct 6.* agentes de lege dubia. Cum ergo votum ſit quædam lex, idem cum proportione ſentiendum eſt de illo, ac de aliis legibus. Quare ſicut ibidem diximus, quod ſi dubium ſit, an ſit lex de hoc, vel non: an lex extendatur, vel non ad hanc materiam, vel illam, ſic dubitans non tenetur lege: ſic dubitans, an votum emiſerit, vel non, à voti obligatione eſt immunis, quia ut ibidem probavimus *numero* 109. illa regula in dubio, melior eſt conditio poſſidentis, non ſolum tenet in materia iuſtitiæ; ſed etiam in omnibus aliis materiis. Quare cum in noſtro caſu non poſſideat votum, de cuius emiſſione dubitatur, poſſidet libertas voventis: ac proinde in favorem illius eſt iudicandum. Illud autem axioma, quod in dubiis tutior pars eſt eligenda, intelligendum eſt de dubio practico. Tunc enim eſt præceptum univerſale, quod ſequamur tutiorem viam, ne periculo tranſgreſſionis exponamur, ut docet D. Thom. *quodlib. 8. art. 3.* & Caietan. *tom. 1. opuſculor. tract. 31. reſp. 13. dub. 7.* non autem de dubio ſpeculativo, quia cum hoc poteſt eſſe moralis certitudo, quod hic, & nunc non peccet, deponendo per alia principia illud dubium ſpeculativum, & cum certitudine practica operando. Quare non teneri ad votum, aut juramentum, qui dubitat an illud emiſerit, tenent Suarez *tom. 5. in 3 p. diſ. 4. lect. 6. num. 14.* Sotus *lib. 7. de iuſtitia, quæſt. 3. art. 2.* Trullench. *lib. 2 cap. 2. dub. 15. numero 25.* & *lib. 2. cap. 1. dub. 17. numero 16.* Tamburin. *in decalog. lib. 1. cap. 3. §. 7. numero 1.* Sanchez *lib. 1. ſumm. cap. 10. numero 36.* & *lib. 1. cap. 1. numero 6.* Leander *tom. 2. in decalog. tract. 1. diſputat. 41. quæſt. 1.* Villalob. *2. p. tract. 34. diſ. 34. à numero 1.* Palaus *tract. 14. diſputat. 2. dub. 15. numero 1.* Prado *cap 31. quæſtione 6. num. 1.* Diana *2. p. tract. 7. reſol. 45.* & *part. 4. tract. 3. reſolut. 11. 36. & 48.* Thomas Delbene *tract. 3. de conſcient. dubi. dub. 1. 2. & 3.*

Excenditur præcedens doctrina.

144. Quod verum judicamus, quamvis dubitans magis inclinetur ſe votum emiſiſſe: quia fortiores rationes habet pro hac parte, ſi pro contraria habeat ſufficientes rationes ad dubitandum, adhuc tunc non teneri voto: quia licet pro voto fortiores urgeant rationes, ſi tamen non ſunt adeò efficaces, ut illius partes certum aſſenſum generent, ſed adhuc rem dubiam relinquant: certa alterius partis poſſeſſio huic inæqualitati debet præponderare, & pro illa judicium prudens ſententiam ferre. Trullen. Villal. Sanch. Leand. Palaus, Prado, Diana *loc. cit.* quibus adde Laym. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 31.* Lorca *1. 2. diſp. 38. memb. 3.* Bonac. *tract. de legib. diſ. 2. q. 4. punct. 2. n. 18.* Atque idem dicendum eſt, ſi certus ſum me verba protuliſſe, quæ poſſunt in ſenſu juratorio, & non juratorio accipi, dubito vero in quo ſenſu illa pronuntiavi? poſſum me liberum à juramento arbitrari, quia ſemper eſt mea libertas in poſſeſſione, cum de juramenti valore, adhuc dubitetur. Palaus *n. 1.* Suar. *lib. 2. de juram. cap. 33 n. 3.* Cajetan. *2. 2. q. 89. art. 7.* Covarr. *de pactis 1. p. §. 8. n. 2.*

Dubitans, an impleverit votũ, ad iterum implendum tenetur.

145. Qui autem eſt certus, ſe votum, aut juramentum emiſiſſe, dubitat vero, an illud impleverit, tenetur iterum executioni mandare: ſicut de eo, qui dubitat de executione legis, certus illam eſſe latam, tenetur rem mandatam exequi, ut diximus *loc. citato, num. 119.* quia tunc votum, & lex eſt in poſſeſſione, & dubitanti incumbit probare certò adimpletionem illius. Quare ſicut debitum certum ſolutione dubia non ſolvitur: ſic nec votum certum dubia ſatisfactione adimpletur. An ſi non ſolum dubitaret, ſed probabiliter opinaretur ſe adimpleſſe votum, ex motivo aliquo, aut ratione, quam ad hoc haberet, excuſaretur à poſitione rei promiſſæ: quia in moralibus ſufficit probabile ſequi judicium, ut prudenter, quis operetur. Diana *3. p. tract. 6. reſol. 50. fine.* Leander *tom. 2. tract. 1. diſ. 43. q. 3.* Thomas Delbene *tract. 3. de conſcient. dub. dub. 3. n. 15.* At ſi votum eſſet conditionale, dubitaret autem, an impleta eſſet; nec ne, conditio, non teneretur ad votum: quia uſque dum purificetur conditio, votum non poſſidet, & ſic de ejus poſſeſſione dubitatur cum de impletione conditionis, proindeque libertas eſt, quæ poſſidet, in cujus favorem judicium ferendum eſt. Sanchez *lib. 4. cap. 16. n. 3.* Martinez à Prado *cap. 31. q. 6. num. 8.* Si tamen certus de voto, dubitet an res ita notabiliter mutatæ ſint, quod ab ejus obligatione excuſetur, voto proculdubio tenetur, quia ab obligatione certa æquum non eſt excuſatione dubia liberari. Palaus *tract. 14. diſ. 2. dub. 15. n. 4.* Suarez *lib. 2. cap. 33. n. 8.*

Qui dubitat an magis, vel minus promiſerit, ſatisfacit, quod minus eſt, exequendo.

146. Si dubium ſit, an ſit majus, an minus, quod promiſiſti, non teneris niſi ad minus, ut ſi dubites, an fuerint centum, an quinquaginta promiſſa, non teneris niſi ad quinquaginta: ſi dubites, an votum fuerit perpetuum, an per annum, non teneris niſi ad annum: ſi ſcis promiſiſſe ingreſſum in religionem, dubitas an ſtrictiorem, an laxiorem, non teneris ad ſtrictiorem: & his ſimilia. Colligitur *ex cap. ex parte de cenſibus.* Et probatur, tum quia obligatio eſt odioſa, & ſic debet in benigniorem partem interpretari, ut minus obliget quantum verba ipſa permittunt. Tum etiam, quia id, quod juris eſt de toto, quoad totum, idem juris eſſe debet de parte, quoad partem, *l. qua de tota, ff. de rei venditione:* ſed cum de voto dubitatur, eſt votum in partem benigniorem interpretandum, ut diximus *num.* 143. ergo etiam cum dubitatur de parte. Atque ita ſentiunt Candid. *diſquiſ.* 25. *art.* 19. *art.* 4 *&* 7. Bonac. *tom.* 2. *diſputat.* 4. *quaſt.* 2. *punct.* 5. §. 4. *num.* 10. Prado *numero* 5. Suarez *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 5. *&* 6. Leander *quaſt.* 4. Sanchez *lib.* 4. *cap* 3. *num.* 17. Thomas Delbene *dub.* 15. *à num.* 1. Trullench. *lib.* 2. *cap* 2. *dub.* 16. *num.* 14. & *dub.* 15. *num.* 26. Diana 3. *p tract.* 6. *reſol.* 30.

Aliæ dubitationes de voto reſolvuntur.

147. Qui certus de voto dubitat, qua intentione illud emiſit, an animo ſe obligandi, an cum plena deliberatione, &c. voto nihilominus tenetur. Tum, quia præſumendum eſt, ipſum voviſſe modo ordinario, & communi, dum non conſtat de oppoſito. Tum etiam, quia nemo præſumitur ficte promittere, ac dicere, quod non ſentit. Tum denique, quia probato facto, præſumitur interveniſſe omnia ad factum neceſſaria. Ut probat Panormitan. *cap.* 1. *de iis, qua vi, num.* 1. *ex cap. in præſentia de probationibus.* Ubi probata profeſſione, præſumitur profitentem habuiſſe legitimam ætatem, & neganti incumbit probatio. Sanchez *lib.* 1. *de matr. diſ.* 9. *numero* 13. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 11. Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *diſ.* 3. *punct.* 10. Delbene *tract.* 3. *dub.* 42. *num.* 9. Leander *tract.* 1. *diſ.* 43. *quaſt.* 16. Suarez *lib.* 4. *cap.* 6 *num.* 4. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 15. *num.* 15. ¶ Qui autem dubitat, an materia ſit honeſta, an poſſibilis, &c. non tenetur voto: quia votum nondum poſſidet, cum dubitetur de illo, quod eſt neceſſarium ad ejus ſubſiſtentiam; nimirum materiam eſſe aptam, ut ſimili diximus de lege, aut præcepto, *tom* 3. *tract.* 10. *cap.* 2. *punct.* 6. *num.* 115. & modo tenent Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *diſ.* 3. *punct.* 12. *numero* 2. Sanchez *lib.* 4. *ſumm. cap.* 5. *num.* 32. & *cap.* 6. *num.* 6. Suarez *lib.* 4. *cap.* 6. *numero* 13. ¶ Qui tamen certus de voto, dubitat an emiſerit illud metu coactus, tenetur ad votum, quod eſt in poſſeſſione, & de cujus excuſatione dubitatur. Et idem eſt, propter eandem rationem, ſi ſciat votum emiſiſſe ex metu, dubitat vero, an fuerit metus cadens in virum conſtantem. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 14. Bonacin. *tom.* 2. *diſ.* 4. *q.* 2. *punct.* 3. § 1. *n.* 11.

§. III.

Quomodo vota, & juramenta debeant interpretari.

Prima regula vota interpretandi.

148. Ex dictis facilis eſt reſolutio hujus difficultatis, ſed ob caſus particulares, quos continet, placuit de illa agere ſeparatim. Quod quadruplici concluſione præſtabimus. Aſſerendum igitur eſt primo, votum, aut juramentum interpretandum eſſe ſecundum intentionem promittentis, quæ eſt regula totius obligationis in hac parte. Si tamen de tali intentione non conſtet interpretandum eſt in benigniorem, ita ut quantum fieri poſſit, & in quantum verba in proprietate ſumpta ſecundum communem acceptionem permittunt, ſtrictius accipiatur. Conſtat ex *c. ad noſtram de iur. iur. c.* 1. *eod. tit. in* 6. eo quod obligatio non debet imponi, niſi manifeſta fuerit, cum ſit odioſa, & odia ſemper reſtringi, ſicut favores convenit ampliari. Videantur dicta à nobis, *tom.* 3. *tract.* 11. *cap.* 4. *punct.* 3. §. 2.

Secunda regula pro votis, aut juramentis interpretandis.

149. Aſſerendum eſt ſecundo juramentum, aut votum reſtringendum eſſe juxta naturam actus, aut contractus ſupra quem cadit, ita ut omnes reſtrictiones, conditiones, limitationes, &c. quas res promiſſa habet ex jure, vel ex lege, vel ex recepta conſuetudine, omnes illas habeat votum, aut juramentum illi adhærens. Quia tunc votum, aut juramentum eſt acceſſorium rei promiſſæ, acceſſorium autem ſequitur naturam rei principalis cui adhæret, juxta regulam *iuris* 42. *in* 6. Aſſertio eſt communis inter Doctores, eamque tradunt Tamburin. *in decalog. lib.* 3. *cap* 3. §. 4. *num.* 3. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 13. Leſſius *lib.* 2. *cap* 42. *dub.* 4. *numero* 22. Bonacin. *tom.* 2. *diſ.* 4 *quaſt.* 1. *punct.* 16. *initio.* Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *quaſtione* 6. *numero* 2. Villalob. 2. *part. tract.* 36. *diff.* 5. *numero* 14. Leander *tom.* 1. *tract.* 1. *diſ.* 19. *quaſtione* 2. Palaus *tract.* 14. *diſ.* 1. *punct.* 14. *numero* 4. Suarez *lib.* 2. *de relig. cap.* 2. *de iuram. cap.* 32. *numero* 1. Ex hac aſſertione ſequitur reſolutio aliquorum caſuum.

Aliqui caſus ex dictis reſolvuntur.

150. Juravit quis Petro dare equum, ipſe non ſervat, quod promiſit, non tenetur dare equum, & hoc non ſolum ſi juravit dare equum ſub conditione, ut Petrus adimpleret promiſſum, quod eſt planum: quia non impleta conditione, non tenetur ad promiſſum; ſed etiamſi expreſsè ſub illa conditione non promiſerit, quia cenſetur ſub tacita conditione promiſiſſe, niſi alius ingratus ſe oſtendat, ut facit non implendo promiſſum: *Cap. pervenit* 2. *de iureiurando*, ibi: *Nec tu aliquatenus teneris ſi conſtat eum conditioni minime paruiſſe.* Bonacin. *punct.* 15. *numero* 2. Palaus *numero* 5. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 16. ¶ Juravit quidam fidelitatem alicui, & illi non eſſe contrarium, intelligitur ſub hac tacita conditione, niſi jus tuum, vel Eccleſiæ, vel tuorum petere, vel defendere ſit neceſſarium, ut expreſsè habetur, *Cap. petitio de iureiurando.* ¶ Juraſti Petro ſolvere centum, potes uti compenſatione, & utendo illa non ſolvere: quia cenſetur juramentum ſub illa conditione emiſſum, niſi aliunde ſatisfecero. Villalob. *numero* 11. Trullench. *numero* 4. Sanchez *capite* 17. *numero* 15. ¶ Juraſti parere mandatis Eccleſiæ, vel Iudicis, ſtareque ejus ſententiæ, ſubintelligitur hæc conditio, niſi injuſte gravatus fueris, quare ſi conſtet de gravamine potes appellare: quia non excludit hoc juramentum rationabilem appellationem. Conſtat *ex cap. prout a nobis de iuio.* Prado *quaſtione* 6. *numero* 2. Sylveſter *iuramentum* 3. *quaſtione* 3. Palaus *numero* 7. ¶ Promittens ſub juramento aliquid abſenti, poteſt ante acceptationem revocare promiſſionem, etiamſi

juraſſet

juraſſet non revocaturum: quia talis promiſſio, cujus naturam ſequitur juramentum, eſt revocabilis quouſque acceptetur. Leſſius *num.* 22. Trullench. *n.*6. Bonacin. *punct.*16. *n.*2. *verſu* 5. Sanchez *lib.*3. *cap.*9. *n.*3.

Alii caſus explicantur.

151. Juravit quis ſervare decreta, ac regulas alicujus Congregationis, aut ſtatuta Reipublicæ, Seminarii, Univerſitatis, &c. intelligitur de illis, quæ ſunt in vigore, & quatenus ſunt in uſu, & quæ ſolent a tota, vel majori parte communitatis ſervari; non vero extenditur ad ea, quæ major pars communitatis non ſervat, & quæ non ſunt in more poſita, aut in deſuetudinem abierunt. Diana *par.* 2. *tract.*6. *miſcellan. reſol.*39. Azor *lib.* 11. *cap.*8. *q.*7. & 8. Trullench. *n.* 8. Leſſius *loco cit.* Sanchez *lib.* 3. *cap.*14. *n.* 2. & 7. ¶ Juraſti te caſtigaturum filium, intelligitur niſi forte inde naſceretur majus incommodum, vel niſi veniam impetraverit, vel ob aliquam cauſam, aliud expediens viſum fuerit. Trullench. *num.*14. & *dub.*6. *n.*7. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.*13 Bonacin. *tom.*2. *diſ.*4 *q.*1. *punct.*14. *num.*3. ¶ Jurans non expellere conductorem domus, vel agri, poteſt expellere ſi biennio conductionis penſionem non ſolvit: quia habet hanc tacitam conditionem, ut ſi biennio non ſoluit expelli valeat, *l. quæro. §. inter locatorum. ff. locati. l.*6. *tit.*8. *partit.*5. ¶ Juraſti non reſignaturum beneficium abſque ordinarii conſenſu, non obligaris, ſed potes abſque illo reſignare, ſi religionem fueris ingreſſus: quia talis occaſio cenſetur tacitè excepta, & fini ordinarii ſatisfactum, qui eſt ne in ſæculo manens cum penſione illius, aliud procures. Sanchez *cap.*17. *n.*11. Baſilius *de matrimonio lib.*2. *cap.*8. *num.*27. Palaus *tract.*14. *diſ.*2. *punct.*14. *num.*14. ¶ Denique urbanitatis cauſa juraſti non ingreſſurum ante alium, non ſeſſurum in nobiliori loco, non præcedere alium, potes præcedere, ſedere, & ingredi ſine præjudicio juramenti, ſi alius roget, vel illi moleſtum ſit: quia intelligitur quantum in te eſt, & quia alius rogando cenſetur remittere juramentum, quod poteſt cum fuerit in ejus favorem emiſſum. Tambur. *lib.*3. *cap.*3. §. 4. *n.*7. Villal. *n.*12. Trullen. *lib.* 1. *cap.*1. *dub.*17. *n.*5. Bonacin. *punct.*16. *n.*2. Leander *tract.*1. *diſ.*19 *q* 3.

Rebus notabiliter mutatis, votum, aut juramentum non obligat.

152. Aſſerendum eſt tertio juramentum, aut votum obligare rebus in eodem ſtatu permanentibus; ſecus vero ſi fuerint notabiliter mutatæ: quia juramentum, vel votum non obligant, niſi ſecundum intentionem promittentis: non autem cenſetur promittens ſe voluiſſe obligare in illa notabili mutatione rerum *argum. ex cap. brevi de jurejurando.* Quare cenſendum eſt, ſe voluiſſe obligare ſub illa tacita conditione, niſi accedat notabilis mutatio rerum: uti de promiſſione ſponſalitia diximus *tom.*2. *tract.*9. *cap.*2. *à n.*63. Nec ob id talia vota erunt conditionata, verè enim abſolute promittit, & illa conditio tacita ſolum deſervit, ut poſſit ſe ab obligatione ſuſcepta liberari, ut ibidem, *numero* 64. diximus. Quare in noſtro caſu non obligare vota, aut juramenta notabili ſuperveniente mutatione rerum, tenent Sanchez *lib.*3. *cap.*17. *à num.*3. Prado *cap.*32. *quæſt.*6. *n.*4. Trullench. *lib.* 2. *cap.*1. *dub.*17. *num.* 21. Sylveſter *juram.*4. *quæſt.* 16. Leſſius *lib.* 2. *cap.*42. *dub.*4. *num.*22. Palaus *tract.*14. *diſ* 2. *punct.*14. *num.*18. In dubio autem an ſit ſufficiens mutatio rerum ad excuſandum à voto, diximus illo obligari, *numero* 130. *fine.* ¶ Cenſetur autem notabilis mutatio rerum ſuperveniens, quando talis eſt, quod ſi fuiſſet à principio cognita jurans, aut vovens non promiſiſſet: quia interpretandum eſt ſecundum intentionem jurantis, qui in tali caſu minime intendebat ſe obligare: ut in ſimili caſu diximus *loco citato de matrimonio num.*63. Nec requiritur relaxatio, ut in tali caſu deſinat juramentum, aut votum obligare: quia facta fuere ſub illa tacita conditione, niſi notabilis occurrat mutatio rerum, ipſaque proinde ſuperveniente, ipſo facto ceſſatur obligatio voti, aut juramenti. Quod intelligendum eſt, quando mutatio eſt tanta ut conſtare poſſit conſenſum promittentis, non fuiſſe extenſum ad promittendum pro illo eventu. Quia contingere poteſt ut mutatio ſuperveniens ſit ſufficiens cauſa concedendi relaxationem: licet per ſe ſolam non ſufficiat auferre obligationem.

Ex dictis diverſi caſus ſolvuntur.

153. Ex hac aſſertione ſequitur ſequentium caſuum reſolutio. Promiſit Petrus conjugium puellæ ſub juramento, ſcit poſtmodum ipſam fornicatam, non tenetur ob hanc mutationem rerum ſtare promiſſis: habetur *ex cap. quemadmodum de jurejurando.* Idem eſt ſi fœmina lepram, infamiam, deformitatem, vel paupertatem notabilem incurrat, ut diximus *loco citato de matrimonio, à num.* 66. ¶ Facta pace cum inimico juraſti te illi non nociturum, non obligaris ſtare juramento, ſi novam cauſam inimicitiæ dederit: quia intelligitur te non nociturum ob cauſas præteritas. Juraſti reſidentiam in Eccleſia; potes pro neceſſitate, vel utilitate illius, abeſſe: *cap. ex parte tua de Clericis non reſident.* Juraſti non dividere ſocietatem, intelligitur, niſi ſocius ſit rixoſus, aut moleſtus. Juraſti ſtare mandato alicujus, intelligitur niſi ipſe immoderatum præcipiat. Juraſti ſtare ſententiæ arbitri, vel dicto alterius de expenſis, vel intereſſe, intelligitur, ſi rationabiliter arbitretur. Juraſti non alienare bona Eccleſiæ, ſine licentia Papæ, vel Superioris, potes abſque illa alienare urgente neceſſitate, cum Superiori adire non potes. Juravit non petere beneficium à ſe renuntiatum, poteſt illud accipere, ſi ſibi denuo conferatur: *cap.* 2. *de renunt.* ſubintelligitur enim ex cauſa tempore renuntiationis exiſtente. Renuncians ſub juramento jus, quod habebat, vel ſperabat, intelligitur de jure, quod ſperabat pro cauſa tunc exiſtente: Unde non cenſetur juramento obligari, nova cauſa, aut ſpe ſuperveniente.

Quarta regula pro interpretatione voti.

154. Aſſerendum eſt quarto, quod ſi juramentum, aut votum cedat in alterius præjudicium, reſtringendum eſt, ut alteri damnum non inferat: quia juramentum alteri præjudicans, illicitum eſt, & ſic obligare non poteſt: *Cap. venientes: cap. cum tua de jurejurando.* Unde ſi juravit ſecretum alicui, non tenetur illud obſervare, cum eſt alteri nocivum; ſed poteſt illis revelare, qui prodeſſe; & non obeſſe poſſunt: *cap. hæc videtur* 22. *q.* 3. Juravit Titio creditori non receſſurum ab hoc loco, niſi prius illi debitum ſolvat, ſi vocetur à Superiori poteſt recedere ante ſolutionem: quia non poteſt juramento præjudicare Superioris juriſdictioni: niſi ex illius licentia in eo loco reſideret, & ad vitam ducendam debitum contraheret. Quia tunc non cenſetur illius juriſdictioni contravenire, cum ex ejus conſenſu tacito, vel expreſſo debitum contraxiſſe, & juramentum emiſiſſe judicetur. Hanc concluſionem tenent Sylveſt. *in juram.*4. *q.*16. Sanch. *lib.*3. *c.*17. *n.*12. Prado *q.*6. *n.*8.

Soarez *tom. 2. de relig. lib. 2. de jure cap. 34. num. 7.* Palaus *tract. 14. diſ. 2. punct. 14. n. 28.* Bonac. *diſ. 4. q. 2. punct. 16. n. 2.* Azor. *1. p. lib. 11. cap. 8. q. 6.*

---

§. IV.

De voto, aut juramento ex errore, aut dolo emiſſo.

Error circa ſubſtantiam voti, illud annullat.

155. Circa dicenda toto hoc paragrapho videnda omnino ſunt, quæ diximus *tom. 2. tract. 9. de matrimonio cap. 10. à numero 1.* Agentes de dolo, aut errore, qui matrimonium irritum reddunt: *& tom. 3. tract. 14. de contract. cap. 1. punct. 7. §. 1.* Agentes de juramento dolo, aut errore extorto: & eodem *tract. cap. 1. punct. 3.* Agentes de contractu, cui dolus vel error cauſam dedit: & ex ibidem dictis faciliter hæc materia reſolvetur. Aſſerimus ergo, quod ſi error ſit circa ſubſtantiam voti, aut juramenti: quia videlicet ignorabat promittens naturam, vel obligationem talis promiſſionis: vel putabat nullam obligationem inducere, invalidum erit tale votum, quia erit involuntarium, quandoquidem nihil voluntarium eſſe poteſt, cujus natura ignoratur, aut aliter, quam eſt in ſe præconcipitur. Ideoque ſi profitens putaret per profeſſionem ſe non obligare in perpetuum, nulla erit talis profeſſio: quia veram profeſſionem non voluit, qui eam non novit, eo quod nihil volitum, quin præcognitum: uti de errante circa ſubſtantiam matrimonii, aut aliorum contractuum diximus loc. citatis. Niſi ignorans obligationem voti vellet votum emittere ſicut alii, vel prout poteſt: quia tunc jam virtualiter vellet votum, & hoc modo credendum eſt velle votum emittere; niſi conſtet de oppoſito: quia quilibet præſumitur velle votum facere, qualiter eſſe poteſt. Sanchez *lib. 4. cap. 22. num. 2.* Suarez *tom. 2. de rel. lib. 1. cap. 11. num. 6.* Palaus *tract. 15. diſ. 1. punct. 6. numero 2.* Prado *cap. 31. quæſt. 5. §. 2. num. 19.* ¶ Idem ſentiendum eſt, ſi ignorantia, vel error ſit circa objectum voti, ſeu circa ſubſtantiam rei promiſſæ: ut ſi promitteret ire Ieroſolymam, credens abſque navigatione ire poſſe, ſi putaret prope eſſe, cum longe diſtet: ſi voveret ingredi religionem Carthuſianorum, Prædicatorum; aut Noſtram putans in eis ſibi veſci carnibus licere, tunc erit nullum votum, & neque ad iſtas religiones tenebitur: quia errat circa ſubſtantiam illarum, neque ad alias: quia non promiſit religionem abſolute, ſed iſtas in particulari. Suarez *lib. 2. de voto cap. 11. num. 12.* Sanchez *lib. 4. cap. 3. num. 11.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 2. num. 11.* Prado *num. 22.* Palaus *num. 5.*

Error circa circunſtantias non vitiat votum.

156. Aſſerendum eſt ſecundo, quod ignorantia circunſtantiarum, quæ in ſubſtantiam objecti non redundant, non vitiat votum, aut juramentum, ſed illorum obligationem quantum ad ſubſtantiam relinquunt; etiamſi perſona quando vovit, ſi hæc prævidiſſet, non voviſſet. Eſt enim talis ignorantia concomitans, non dans cauſam voto, & illud quoad ſubſtantialia voluntarium relinquens: illa autem diſpoſitio habitualis non impedit quominus objectum voti abſolute amplectatur, ut in matrimonio, & aliis contractibus diximus locis citatis. Aliàs ſi ex variis caſibus, & difficultatibus occurrentibus in executione, quæ ſi a principio prævidercntur non fieret promiſſio, votum remaneret invalidum, quot profeſſiones? Quot matrimonia? Quot ordinationes niterentur infringi, quoad illorum obligationes? Totus mundus litibus, & diſſenſionibus eſſet repletus. Sic Sotus *lib. 7. de juſtit. quæſt. 2. artic. 1. ad 3.* Palaus *punct. 6. num. 4.* Leſſius *dub. 2. num. 10. & 13.* Suar. *lib. 1. de voto cap. 11. à num. 9.* Prado *quæſt. 5. §. 2. num. 15.* Sanchez *lib. 4. cap. 3. à num. 8.* Bonacina *tom. 2. diſ. 4. quæſt. 2. punct. 3. §. 1. num 4.* Unde qui promitteret dare eleemoſynam pauperi, aliàs inimico, non promiſſurus, ſi inimicum ſciret: vel dare pauperi, quam putabat juſtum, qui aliàs improbus erat, non promiſſurus ſi hoc ſciret, teneretur dare illam: quia ſolum circa ſubſtantiam perſonæ errabat, relicta vera cognitione eleemoſynæ, quantum ad ſubſtantiam, & eſſentiam.

157. Sed objicies, quod D. Thom. *in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 1.* ſic dicit: *Quod illud, quod votum fiendum impediret, ſi præſens eſſet, etiam voto facto obligationem aufert*: ſed notitia inimicitiæ, aut improbitatis in paupere, & idem eſt de aliis circunſtantiis, (quas ſi ſciret homo votum non faceret) votum impediret: ergo etiam ipſo facto obligationem aufert. ¶ Reſpondetur, D. Thomam loqui de illis rebus, quæ votum irritum facerent, ſi ab initio eſſent, & ſic impedirent ejus ſubſiſtentiam: ut ſi res promiſſa eſſet indifferens, injuſta, aut impoſſibilis; hæc igitur, quæ votum impedirent fiendum, etiam ipſo facto auferunt obligationem; non autem de accidentalibus, quæ ſecundum habitualem diſpoſitionem perſonæ voventis votum impedirent: quia ſicut hæc non tollunt, quoad ſubſtantiam votum eſſe liberum; & de materia apta, non auferunt ejus obligationem. ¶ Diximus in aſſertione, *quæ in ſubſtantiam objecti non redundant*: ſunt enim aliquæ circunſtantiæ ita graves, ut moraliter cenſeantur immutare objectum, ut in caſibus propoſitis *num. 155.* Tunc autem illarum error ab obligatione voti liberat. Sicut, qui promitteret religionem Carthuſianorum, aut Noſtram, putans in eis carnibus veſci poſſe, & aliis caſibus, ibi dictis. Quando autem cenſendum ſit circunſtantiam ita notabiliter immutare objectum, ut error illius, error ſubſtantiæ judicetur? Non poteſt certa regula ſtatui; ſed arbitrio prudentum debet demetiri. Objectio ex D. Thoma proponitur, & diſſolvitur.

Error circa finem nullum votum relinquit.

158. Aſſerendum eſt tertio, quod ſi error ſit circa finem, impedit valorem voti; at ſi fuerit circa cauſam impellentem, aut occaſionem ad vovendum, illius valorem, & obligationem non aufert. Ratio primi eſt, quia ſecundum D. Thom. *1. 2. quæſt. 8. art. 2. ad 3.* Ea quæ ſunt ad finem, in quantum hujuſmodi, non ſunt volita niſi propter finem: ergo qui promittit aliquid ut medium ad aliquem finem conſequendum, vult illud in quantum conducens ad finem: ergo ſi error ſit circa finem, & conſequenter finis non eſt volitus; nec etiam erit volita res promiſſa in ordine ad illum finem. Unde promiſſio de illa erit nulla, cum non ſit voluntaria, ſeu de re volita, ſicuti in voto intenditur: ut promittis eleemoſynam homini ad ſublevandam miſeriam illius, quem credis pauperem, non eſt pauper, non teneris illi dare. Promittis eleemoſynam, vel ſacrificium ad obtinendum beneficium, quod credis vacare, non eſt vacans, non teneris ad rem promiſſam: quia illam ut medium ad talem finem voluiſti. Idem eſt de promittente eleemoſynam, aliudve opus pium ad recuperandam ſalutem filij, qui credebatur infirmus, & non erat, vel erat mortuus. Ratio ſecundi eſt, quia jam manet votum voluntarium circa ſubſtantiam objecti, & talis error voluntatem jam determinatam ob alium finem ſupponit, & ille, circa quem errat, ſolum impellit ut libentius, & facilius promittat: Ut qui promiſit dare

eleemoſynam

eleemoſynam pauperi improbo, quem putabat ſanctum: nam finis proprius illius promiſſionis eſt ſublevare miſeriam hominis; quod ſit probus; vel improbus eſt cauſa impellens; vel retardans. Prado *quæſt.* 5. §. 2. *num.* 23. Bonac. *punct.* 3. *num.* 13. Palaus *punct.* 6. *num.* 5. Leſſius *dub.* 2. *n.* 11. Suarez *cap.* 11. *num.* 14. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 45.

Aliqua deducuntur ex dictis.

159. Sed monet Sanchez *lib.* 10. *de matrim. diſ.* 9. *à num.* 18. Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſ.* 272. quem refert, & ſequitur Bonacina *punct.* 3. §. 2. *n.* 5. Votum ſolemne religionis, vel ordinum non irritari per errorem circa cauſam finalem: ſicut nec matrimonium irritatur: quia qui ſtatum aſſumit parum refert, quod erret in extrinſeca cauſa, cum aliæ intrinſecæ cauſæ remaneant ſufficientes ad valorem illorum actuum. Quod alias difficile videtur. Videatur Sylveſter. *verbo religio* 3. *quæſtione* 11. Navarr. *tom.* 2. *de regul. num.* 31. ¶ Illud certum eſt apud omnes, quod ſi error ſit in ſubſtantialibus, quodcumque votum, etiam ſolemne annullat: quia tollit conſenſum ſubſtantialem omnino ad valorem illius neceſſarium. Et hoc ſive ſit error dans cauſam actui, quo ablato, actus non fieret: ſive ſolum ſit concomitans, idest ſine quo actus adhuc fieret: quia illo ſtante nunquam verificatur adeſſe ſubſtantialem conſenſum neceſſarium: ut in matrimonio, qui contraheret cum Ioanna, putans ſe contrahere cum Maria, nullum faceret matrimonium; etiamſi taliter diſpoſitus eſſet, quod contraheret cum Ioanna, ſi illam agnoſceret: quia in rei veritate conſenſus, qui tunc adeſt, ſolum eſt circa Mariam, circa Ioannam haberet ſi agnoſceret, ſed non habet: ſic in præſenti. Videantur dicta *tom.* 2. *tract.* 9. *de matrimonio cap.* 10. *à num.* 6. & *tom.* 3. *tract.* 14. *de contract. cap.* 1. *à num.* 19.

---

§. V.

De voto, aut juramento metu extorto.

Quot modis ex metu votum poſſit emitti?

160. **C**Irca juramentum diximus jam *tom* 3. *tract.* 14. *cap.* 1. *à n.* 61. qualiter obliget ex metu factum, quæ modo ſolum de voto loquemur. Sed circa modo dicenda recolenda ſunt, quæ *eodem tract. cap.* 1. *punct.* 2. *per totum* Agentes de contractibus ex metu initis: & *tom.* 1. *tom.* 2. *tract.* 9. *de matrim. cap.* 9. *per totum.* Agentes de matrimonio ex gravi metu inito: ubi late diximus, metum alium eſſe gravem, ſeu cadentem in virum conſtantem; alium levem, & gravis poteſt eſſe ab intrinſeco: ut quis infirmitate, tempeſtate vel à fera minatur morte: & dicitur talis metus ab intrinſeco, quia à ſe ipſo, & non ab alio movetur ad vovendum, & ſibi eligit medium illud voti ad evadendum ab illo periculo; alius ab extrinſeco, ut à cauſa libera cogente, & hic poteſt eſſe, vel juſte; vel injuſtè illatus, vel ad extorquendum votum, vel ad alias cauſas, & votum eligitur ut medium ad evadendum à periculo.

Votum ex metu emiſſum validum exiſtit.

161. Quibus ſuppoſitis, dicimus votum eſſe validum, tam jure naturæ, quam jure poſitivo, etiamſi metu gravi ab intrinſeco fiat: quia tunc à nemine cogitur, niſi à ſe ipſo, qui votum eligit ut medium ad evitandum illud periculum, & quo Deum movere intendit, ut eum à tali periculo liberet: & diffinitur *in cap. ſicut nobis de regularibus.* Vnde omnia vota emiſſa metu mortis, ſivè à naufragio, fera, inimico, infirmitate imminentibus, valida ſunt apud omnes, & conſtat ex à nobis dictis locis citatis. ¶ Idem dicimus de metu gravi injuſtè ab extrinſeco illato, ſed non ad extorquendum votum: ut ſi frater puellæ mortem minaretur ob tractatum illicitum cum illa, & tu ad evadendum periculum, illi promitteres matrimonium cum ipſa contrahere. Hic enim metus coincidit cum priori, & vere eſt ab intrinſeco, cum non ſit extrinſecus cogens ad votum; ſed ipſe ſibi vovens illud elegit ut medium ad evaſionem periculi. & ſic ſunt illi voluntarium, & gratum, ab eoque electum. ¶ Atque idem dicendum eſt, quando metum eſt ab extrinſeco, ad extorquendum votum, ſed eſt juſtè illatum: quia tunc non extorquetur conſenſus injuſtè, nec per injuriam: quia ordo juſtitiæ petit, quod cogatur, & is, qui cogitur non eſt rationabiliter invitus: quia jure cogitur, & ſic ipſe ſibi metum infert. *c.* 1. & 2. *de adulter. cap. ex litteris de ſponſalibus, cap. ſi mulier de eo quod metus cauſa fuit.* ¶ Ac denique metum levem non excuſare ab obligatione voti omnes aſſerunt, nec jure Eccleſiaſtico, nec jure naturæ: non jure naturæ; nam nec metum gravem tali jure annullare votum dicemus infra; eſto tamen metus gravis illud annullaret; non levis: quia hic parum, aut nihil lædit conſenſum: nec etiam jure Eccleſiaſtico: nam oppoſitum clare colligitur *ex cap. perlatum de iis, quæ vi c. inſinuante, qui Clerici vel voventes.* Hæc communia ſunt inter Doctores, à quibus citandis abſtinuimus, plures circa hæc locis citatis dedimus.

Votum metu gravi extortum, jure naturæ eſt validum.

162. Quare ſolum remanet difficultas, an votum gravi metu ab extrinſeco & injuſtè ad extorquendum illud illato, ſit validum, vel potius irritum? Et ſupponimus ſic metu coactum habere verum conſenſum, verumque animum vovendi, & ſe obligandi, nam abſque hoc, nulli dubium eſt votum manere invalidum: cum ad eius valorem verus, & voluntarius conſenſus requiratur. Et ne multoties eadem repetamus, ſupponimus votum adhuc tali metu emiſſo eſſe validum ex jure naturæ, ob rationes, quibus latè probavimus *t.* 2. *tract.* 9. *de matrim. c.* 9. *à n.* 1. Vbi probavimus, matrimonium metu gravi initum eſſe ex jure naturæ validum. Et idem de reliquis contractibus probavimus *t.* 3. *tract.* 14. *c.* 1. *punct.* 2 *à n.* 11. Et ſimiliter eſſe validum, & obligare juramentum ex jure naturæ, quamvis metu gravi extortum, probavimus dicto *c.* 1. *punct.* 7 §. 1. *à n.* 61. Et eiſdem ferè rationibus id ipſum probatur de voto. Quarum illa eſt præcipua: quia nec ratione coactionis eſt nullum tale votum, nec ratione injuriæ illatæ per illam. Non per primum, quia coactio, quæ fit per votum, licet diminuat libertatem, & faciat involuntarium, ſecundum quod non tollit voluntarium ſimpliciter ſufficiens ad meritum, & ad peccatum mortale, ut probat D. Th. 1. 2. *q.* 6. *art.* 6. ergo ſimiliter ad votum. Non per ſecundum: quia injuria illa per coactionem illata, ſolum facit quod non teneamur homini promiſſa ſervare, non tamen liberat ab obligatione ſervandi Deo fidem, quam debimus: nam ut inquit D. Th. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. *iuramento* (dic etiam voto) *quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio, una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem. Alia eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen eius promiſit, & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ: quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quam iuramentum violare &c.* Præter authores dictis locis adductis, tenent hanc ſententiam Baſilius Pontius *lib.* 7. *de matrim. c.* 19. *n.* 5. Martin. à Prado *t.* 2. *c.* 31. *q.* 5. *n.* 4. Caſtro Palao *t.* 3. *tract.* 15. *diſ.* 1 *punct.* 5. *a.* 6. Azor. 1. *p. lib.* 11 *c.* 15 *q* 6. Bonac. *t.* 2. *diſ.* 4. *q.* 2. *punct.* 3. §. 1. *n.* 6. Suarez *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 12. Sanch. *lib.* 4. *c.* 3 *a.* 9. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 3. *num.* 18. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 9.

163. Sed

Votum metu gravi extortum, etiã jure Eccleſiaſtico valere, aliqui dicunt.

163. Sed difficultas valde controverſa inter Doctores eſt, an jure Eccleſiaſtico ſit nullum votum emiſſum ex metu gravi injuſtè ad extorquendum illud, à cauſa extrinſeca libera incuſſum? Et quidem de voto ſolemni in profeſſione religioſa emiſſo, omnes concedunt eſſe jure Eccleſiaſtico invalidum, ut colligitur *ex cap. perlatum de his, quæ vi. cap. ſicut qui monaſteria 20. quæſt. 1. cap. præſens 20. quæſt. 3.* Et ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de regular.* ubi conceditur quinquennium ad reclamandum contra valorem profeſſionis ob metum gravem emiſſæ. Videantur authores, quos refert Lezana *tom. 4. verbo profeſſio, num. 16. & verbo Monialis, num. 10. & 11.* Hieron. Garcia *in politica regular. tom. 1. tract. 3. diff. 2. num. 3.* Quantum ad alia vota datur duplex ſententia, utraque ſatis probabilis. ¶ Prima eſt negativa. Et probatur: quia effectus irritationis eſt odioſus, cum talis irritatio ſit derogatoria juris naturalis, & ſic abſque firmo fundamento non debet admitti; ſed nullum datur in jure firmum fundamentum, quo reliqua vota præter profeſſionem invalidentur: quia vel de illa ſolum jura loquuntur, vel de promiſſione, quæ vere votum non erat, vel negare conſenſum perfectum omnino non ſufficientem ad plenam; & omnibus modis perfectam libertatem: cum tamen abſque illa, ut dictum eſt, voti valor ſubſiſtere poſſit. Sic Sylveſter *verbo metus 8. fine, & verbo votum 2. q. 12.* Baſilius *lib. 7. cap. 19. n. 9.* Palaus *ſupra n. 13* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 14. n. 6. & tom. 2. de voto cap. 8. n. 5.* Et probabilem dicunt Prado Bonacin. Trullen. locis *infra* citandis.

Jure Eccleſiaſtico nullum eſt votum, ex metu gravi emiſſum.

164. Tenenda nihilominus eſt ſententia affirmativa, aſſerens eſſe nullum votum ex metu gravi emiſſum, jure poſitivo Eccleſiaſtico. Colligitur *ex cap. cum locum de ſponſalibus.* Cujus textus ratio æquè currit in votis, ibi: *cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit. cap. ad audientiam de iis quæ vi,* ibi: *Debere carere robore firmitatis, quæ metu fiunt.* Et colligitur per locum à contrario, *ex cap. cum dilectus. cap. perlatum eodem titulo.* Qui textus, etſi non expreſsè loquantur, communi Juriſtarum intelligentia, quibus ut peritis in arte credendum eſt: atque conſuetudine Eccleſiæ longæva, quæ eſt optima legum interpres, jam intelliguntur, quod omne votum ex metu factum annullant. Et ita tenent Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub 3. à n. 4.* Bartholom. à ſancto Fauſto *lib. 1. theſaur. q. 111.* Prado *ſup. n. 9.* Navar. *cap. 12. n. 52.* Villalob. *2. p. tract. 34. diff. 5. n. 6.* Bonacin. *punct. 3. §. 1. num. 5.* Sotus *lib. 7. q. 2. art. 1. in ſolut. ad 1. & 2.* Valentia *2. 2. diſ. 6. q. 6. punct. 4. circa finem.* Azor. *1. p. lib. 11. cap. 15. q. 6.* Sanchez *lib. 4. cap. 3. n. 11.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 3. n. 18.*

---

§. VI.

De voto, aut juramento conditionato.

Quot modis votum conditionatum ſit?

165. PLures ſunt conditiones, quæ poſſent voto adjungi, ſicuti & aliis actibus, aut contractibus, de quibus late egimus *tom. 2. de matrim. tract. 9. c. 7. per totum, & tom. 3. tract. 14. de contract. punct. 4.* Et ex ibidem dictis ſupponimus, conditionem poſſe eſſe, vel de præſenti; aut de futuro: & poteſt eſſe contingens; & neceſſaria: & poteſt eſſe de re honeſta, & de re prava. Si conditio fuerit de præterito; aut de præſenti non facit votum conditionatum, nec ejus obligationem ſuſpendit, ut diximus locis citatis. Quoniam de facto res eſt; vel non eſt: fuit; vel non fuit, & ſecundum ejus exiſtentiam votum ſubſiſtere cenſetur. Idem dicendum eſt de conditione de futuro neceſſaria: quia hæc habetur pro impleta, cum impoſſibile ſit eam impedire, & ſic votum ſub illa emiſſum non ſuſpenditur uſque ad illius adventum, ſed ſtatim abſolutum exiſtit, ut docet Sanchez *lib. 4. cap. 23. num. 5.* Palaus *tract. 15. punct. 17. num. 1.* Leander *tract. 1. diſ. 41. q. 9.* E contrario, impoſſibilis conditio nullum reddit votum: quia cum obligatio voti conditionalis dependeat à conditione, ſi hæc eſt impoſſibilis non erit expectanda, & ſic nulla erit obligatio talis voti, ſi quando votum emiſſum eſt, res erat impoſſibilis, licet poſtea poſſibilis fieret, propter dicta *ſupra.* Idem dicendum eſt de turpi conditione, ut ſi dicat: promitto eleemoſynam, ſi vindictam ſumpſero: quia regulariter hæc conditio induit promiſſionis finem, & res promiſſa aſſumitur ut medium ad conditionem turpem obtinendam: Unde quamvis eleemoſyna ſit bona, tamen ut medium ad malum finem, eſt mala, & ſic de illa votum erit nullum, niſi ſolum aſſumatur, ut pura conditio, vel ut pœna in vindictam operis pravi: Sanchez *n. 8.* Palaus *n. 1.* Leander *q. 9. & 10.* Bonacin. *diſ. 4. q. 2. punct. 2. concl. 2.*

Objectio proponitur, & diſſolvitur.

166. Sed objicies, quod conditiones turpes, & impoſſibiles rejiciuntur à contractu matrimonii, *in cap. finali de conditionibus appoſitis.* Et ſimiliter ab ultimis voluntatibus, *§. impoſſibilis inſtit. de hered. inſtituend.* Ideoque validum relinquitur matrimonium, ac legatum, relictis illis conditionibus, ac ſi appoſitæ non eſſent: ergo idem dicendum erit de voto. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam. Quia circa matrimonium, & ultimam diſpoſitionem, ita eſt diſpoſitum à jure, non vero circa votum. Quomodo autem ſtare poſſit, quod matrimonium ſub conditinne turpi, aut impoſſibili contractum, ſtatim ſit validum, tali rejecta conditione? late diximus, *tract. 9. de mat. diſ. 7. à num. 21.*

Non obligat votum conditionatum, niſi purificetur cõditio.

167. Si votum, aut juramentum emiſſum fuerit ſub conditione de futuro contingenti, & honeſta, ſuſpenditur obligatio illius, uſque ad adventum conditionis: quia talis fuit animus promittens. Sed purificata conditione, ſtatim fit votum abſolutum, ac ſi tunc abſolutè emiſſum eſſet, nec requiritur novus conſenſus promittentis, ut de matrimonio conditionato purificata conditione diximus *loco citato num. 66.* Si duplicem conditionem pro voto appoſuit, videndum erit an copulativè, an disjunctivè utramque conjunxerit, quod ex verbis illius, cum de mente non conſtiterit, accipiendum erit. Si enim utramque conditionem copulativè voluerit, ut ſi dicat: promitto religionem, ſi Pater conſenſerit, & ſoror nupſerit, utraque conditio impleri debet, ut res promiſſa ſub illis obliget: quia ad veritatem propoſitionis copulativæ utriuſque partis requiritur complementum. Si tamen ſub disjunctione promittat, dicendo: promitto religionem, ſi pater conſenſerit, vel ſoror nupſerit, ſufficit unius partis eventus, ut votum ex tunc obliget: quia hoc, & non amplius ad disjunctivam requiritur. Si

tamen

tamen non recordetur, an diſjunctivè, an copulativè promiſerit, credendum eſt copulative promiſiſſe, & ſic non teneri quo uſque utraque conditio adimpleatur: quia in dubio votum in benigniorem partem eſt interpretandum. Leand *q.*18. Palaus *n.*2. Sanchez *cap.*23.*n.*19. *&* 20. Fagund. *lib.*2. *cap.*18. *num.*26.

Sufficere conditionem æquivalenter impleri, aliqui dicunt.

168. Sed eſt gravis difficultas, an debeat conditio in ſpecifica forma impleri, ut votum obligare incipiat? an ſufficiat quod æquivalenter impleatur, quando effectus intentus æquè in eo caſu obtinetur? Sufficere conditionem æquivalenter impleri, ut votum obligationem inducat, affirmat Sanchez *lib.*4.*cap.*23.*n.*26. Covarr. *q. practic.cap.*39.*num.*7. *verſu ex parte vero*; hoc nixi fundamento. Quia conditio non propter ſe intenditur, ſed quatenus eſt via & medium ad effectum obtinendum: ergo ſi effectus alia via obtinetur, & conditio eſt æquivalenter impleta, & intentio voventis ſatisfacta, quod his exemplis declarant: voviſti ingredi religionem, ſi ſoror nupſerit, teneris ingredi, ſi mortua fuerit, aut in religione profeſſa: quia intentio tua in appoſitione illius conditionis fuit ne ſoror in ſæculo deſerta maneret, & ſic eſt impleta conditio æquivalenter, quantum ad effectum intentum. Idem dicit de vovente religionem, ſi pater moriatur, cujus intentio in illa conditione eſt, ne pater debito ſubſidio, & neceſſario careat, ſi tamen pater ad pinguiorem fortunam deveniat, quomodo non indiget ſubſidio filii, etiamſi non moriatur, impletur æquivalenter conditio, quantum ad effectum intentum, & ſic remanet obligatio voti. Promiſiſti eleemoſynam, ſi ex tali negotio lucrum reportes, non per illud, ſed per aliud totidem lucrum adquiſiſti, teneris ad votum, in cujus emiſſione illam conditionem appoſuiſti, ut ſic commodius poſſes eleemoſynam impendere, quod æque facere potes cum lucro in alio negotio quæſito.

Conditio debet in ſpecifica forma impleri, ut votum conditionatum obliget.

169. Sed probabilius judicamus deberi conditionem in ſpecifica forma impleri, ut obligatio voti conditionati vigeat, proindeque non dari obligationem voti in caſibus *n. præcedenti* relatis. Habetur *in l. qui hered.* §.1. *l. Mævius ff. de conditionib. & demonſtrat.* Ubi habetur conditionem in ſpecifica forma debere impleri. Et ratio eſt: quia voti obligatio ex intentione voventis dependet, ſed talis intentio alligata fuit illi conditioni, non alteri loco illius appoſitæ, eſto finis intentus æque bene per aliam adipiſcatur, non enim vovit religionem utcumque, quando finis intentus obtinetur, ſed quando obtinetur per illud medium: quia non dicit voveo religionem quando ſoror, aut pater meo ſubſidio non indiguerint, quod eſt finis in illa conditione appoſitus, ſed non eſt ipſa conditio, & non ſufficit quod finis conditionis impleatur, ſed debet conditio ipſa impleri, quia ipſe finem intendit media illa conditione, non per aliud medium obtinere. Sic Palaus *diſ.*1. *punct.* 17. *num.* 5. Tamburin. *in decalog. lib.*3. *cap.*12. §.6. *n.*4. Leander. *tract.*1. *diſ.*41. *quæſt.*21.

Qui dependenter è conditione votum emittit, quando eius eventum expectare debat?

170. Sed rogabis primo, an vovens teneatur ex vi voti expectare conditionem ſub qua votum emiſit, & non ſe reddere incapacem votum implendi ante eventum illius? Reſpondetur, quod vel talis conditio pendet dumtaxat ex ſua voluntate, vel ex aliena. Si primum, non tenetur expectare eventum, & ante illum facere poteſt, quod voluerit: quia tunc ſuæ voluntati conditionem remittit, eique liberum eſt, eam numquàm apponere, & ſic ſe reddere inhabilem ad rem promiſſam, ut ſi dicat: promitto religionem, ſi hoc anno ad aleas luſero, poteſt illo anno matrimonium contrahere, & non tenetur expectare conditionis eventum, ſed potius ab illa fugere. Idem eſt ſi promittat dare eleemoſynam, ſi in tali domo ingreſſus fuero, poteſt illam toto anno non ingredi; immo ad eius ingreſſum inhabilem reddi. At ſi conditio dependeat ab aliena voluntate, ut voveo religionem, ſi pater conſenſerit, ſi mortuus fuerit, quando conditio moraliter fuerit poſſibilis, tenetur expectare eventum eius, & ad votum implendum non ſe reddere incapacem, aliàs fruſtrà, vanè, & inutiliter dependenter ab aliena voluntate obligationem ſubiret, ſi eam pro libito poſſet [illegible]dere, & fruſtrare, ſed tantum à ſua voluntate dependenter obligaretur. Bonac. *diſ.*4.*q.*2.*punct.*2.*num.*5.*verſu prima.* Tambur. *lib.*3. *cap.*12.§.6.*n.*5. *&* 6. Sanch. *lib.*4.*cap.*23. *num.* 28. *&* 35. Palaus *num.* 5. Leander. *quæſt.*22. *&* 23.

Non impedire eventum conditionis quando teneatur, qui votum conditionatum fecit?

171. Rogabis ſecundo, an peccet contra votum, qui conditionem, ſub qua votum promiſit, impedit ne eveniat? Eodem fere modo eſt reſpondendum, quod ſi erat conditio ex ſua mera voluntate dependens, non erit contra illud, illam evitare: quia hoc ipſo, ſuæ liberæ voluntati executionem promiſſionis conceſſit, ut ſi juret, aut voveat ſe ingreſſurum religionem, ſi Romam accedat, poteſt libere non accedere: ſi promittat ſe daturum eleemoſynam quoties è domo exierit, poteſt non exire, etiam animo non dandi eleemoſynam: quia non vovit non apponere condionem, ſed hoc in ſua voluntate relinquit. Si vero ſit conditio ex aliena voluntate dependens, ex vi voti tenetur, vi, fraude, aut dolo non impedire illam, ob eandem rationem, qua *numero præcedenti* diximus teneri expectare eventum conditionis; unde qui promiſit ingredi religionem, ſi pater conſentiat, contra votum agit, vi, aut dolo impediens ne conſentiat pater; ſecus verò ſi ſolis precibus, & rationibus diſſenſum perſuadeat: quia preces, aut rationes non impediunt abſolutè conſenſum patris, ſed cum liberum ad illum relinquunt. Voviſti ingredi religionem, ſi ſalutem integram adipiſcaris, agis contra tale votum, ſi animo ſubterfugiendi obligationem, noxiis cibis utaris, quo ſalutem recuperare non potes, vel nolis ordinaria remedia adhibere; ſecus ſi hæc efficias non eo animo, ſed paſſione, aut fragilitate ductus: quia ex vi voti non promiſiſti procurare ſalutem, ſed ea poſita ingredi religionem. Idem dicimus de eo, qui religionem promiſit ſub conditione, quod literas didicerit, quod ſi eas ob laborem, & difficultatem, quam ſentit non addiſcat, non agit contra votum; agit vero, ſi eo animo non addiſcat, ne religionem ingredi cogatur. Atque idem dicito de illo, qui religionem vovit, ſi Deus illum integro anno à peccato mortali liberet, quod ſi fragilitate ductus in peccatum labatur, non agit contra votum; ſecus vero ſi eo animo peccatum committat, ut ſe immunem à voti obligatione conſervet: quia per votum non obligatus fuit peccatum evitare, ſed ne malitioſe, & in voti fraudem, conditionis executionem impediat. Suarez *lib.* 4. *cap.* 17. *à num.* 14. Sanchez *lib.*4. *cap.* 25. *à num.* 40. & deinceps Fagundez *lib.*2.*cap.*40 *à num.*11. Palaus *tract.*15. *punct.* 17. *numero* 7. Leander. *tract.*1. *diſ.*41. *quæſtione* 22. 23. *&* 26. Layman *lib.*4. *tract.*4. *cap.*6. *concluſ.*2. *&* *cap.*7. *concluſ.*2.

Quando ſeclusa dum aliquos maneat ſub voto, qui conditionem impedivit?

172. Rogabis tertio, an cum in ſupra dictis caſibus culpabiliter aliquis impedit voti conditionem, ea, ex quacumque cauſa, non appoſita, liberetur à voti obligatione? An vero maneat illo adſtrictus, ac ſi conditio adimpleta jam eſſet? Affirmat prima ſententia. Primo, quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari, *cap. adverſus de immuni-*

tate

tate Eccleſiarum. Uti apud homines, qui promitteret alteri rem ſub conditione, teneretur eam tradere, ſi malitioſe impedivit conditionis eventum. Secundo, qui vovit religionem ſub conditione, quam ipſe licitè impedire non poteſt, & ab altero ponenda, tacite vovit religionem, ſi per alium non ſteterit talem conditionem apponere, aliàs non teneretur eventum expectare: ergo manet obligatus, ſi malitiosè impediat: quia jam non ſtat per alium, ſed per ipſum. Ut ſi voveres eleemoſynam, ſi Petrus tuam domum ingrediatur, quis te liberabit à tali voto, ſi Petro volente ingredi, tu claudis oſtium ne ingrediatur? Atque ita docent Sylveſt. *votum* 2. *q.* 2. *dic.* 1. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 4. Diana 4. *p. tract.* 4. *reſol.* 101. & *per* 9 *miſcellan tract.* 8. *reſol.* 3. Bonacin. *diſ.* 4. *q.* 2. *punct.* 2. *n* 6. & 7. *in prima editione*; licet in noviſſima teneat oppoſitum. Prado *c.* 31. *q.* 5. §. 3. *n.* 29. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 27. *n.* 24. & *dub.* 16. *n.* 28. Baſſæus *tom.* 2. *votum* 1. *n.* 36. Fagundez *tom.* 1. *in decal. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 7. Azor *lib.* 11. *cap.* 10. *q. ultima.* Navarr. *cap.* 12. *n.* 42. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 23. *n.* 47. & 53. & alii.

Non impleta conditione, etiā culpabiliter, nō obligat votum.

173. Sed licet hæc ſententia ſit valde probabilis, probabiliorem judicamus partem negativam. Primo, quia talis non tenetur voto ob impletam conditionem, quæ verè impleta non eſt, nec ob peccatum commiſſum in impedienda conditione: quia nimirum malitiosè impedivit eventum ejus, ne voto adſtrictus maneret: quia tale peccatum ſolum obligationem imponit pœnitentiæ, non reſtitutionis, aut ſatisfactionis. In quo eſt diſpar ratio inter promiſſionem factam homini, & factam Deo. Tum, quia illa multum ex juris diſpoſitione dependet; iſta ſolum ex voventis intentione. Tum etiam, quia in illa læditur promiſſarius in bonis ſibi utilibus, quorum compenſatio fieri poteſt, ac debet; in iſta Deus nullum in bonis ſibi utilibus detrimentum patitur, & ſolum ei denegatur debitus cultus, quod eſt per pœnitentiam ſatisfaciendum. ¶ Secundo, quia tota voti obligatio ex intentione voventis dependet, ſed in voto conditionali vovens non vult ſe obligare, niſi impleta conditione: ergo illa ex quacumque cauſa impedita, votum non tenet. ¶ Nec ſat eſt dicere, tunc impletam cenſeri conditionem ſecundum ſenſum formalem à vovente intentum, quoties impletio, non ſtat per eum, ad quem pertinet conditionis appoſitio; tametſi in eo caſu materialiter talis conditio non impleatur. ¶ Nam contra eſt, quia ipſe non ſe obligavit ſub hac conditione, ſi per patrem conſenſus non ſteterit, quæ eſt conditio negativa; niſi ſub hac poſitiva, ſi pater conſentiat, & huic conditioni, quæ vere non exiſtit obligationem alligavit, non illi. Similiter promittit religionem ſub hac poſitiva conditione, ſi Deus ſalutem dederit, ſi à peccatis reſervaverit; non ſub illa negativa, ſi per Deum non ſtat, quæ eſt valde diverſa: cum ergo voti obligatio ex conditionis in voto appoſitæ executione dependeat, aſſerendum eſt minime manere, ſi conditio ex quacumque cauſa impediatur, atque ab illius vinculo voventem manere liberum. Sic Raphaël de la Torre 2. 2. *q.* 88 *art.* 3. *diſ.* 11. *concl.* 5. Filliuc. *tract.* 26. *cap.* 6. *n.* 158. Mayor *in* 4 *diſ.* 38. *quæſt.* 1. *coll.* 7. Suarez *lib.* 4. *cap.* 17. *num* 20. Palaus *tract.* 15. *punct.* 17. *num.* 12. Et valde probabilem dicit Layman, *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 3. Diana *locu citatu.* Et æquè probabilem Tambur. *lib.* 3. *decalog. cap.* 12. §. 6. *num.* 7. Leander *tract.* 1. *diſ.* 41. *quæſt.* 33.

§. VII.

De voto, aut juramento pœnali.

Quo modo votum pœnale dicitur?

174. ILlud pœnale votum dicimus, (& idem eſt de juramento) quod quis emittit non ex affectu ad rem, quam promittit, quam potius averſatur, & nollet, ſed ad conditionem evitandam, ut timore contrahendæ obligationis ad pœnam, retrahatur à culpa. Ut cum vovet ſe daturum eleemoſynam, jejunaturum, &c. ſi in tale vel tale peccatum labatur, vult quidem per ſe vovens vitare peccatum, & ut ab illo liberetur, vult ſibi talem pœnam imponere, ſi forte labatur in illud. Quod ſanctum, pium & laudabile eſt apud omnes: cum ſit promiſſio de re honeſta, non impeditiva majoris boni. Et hoc votum pœnale in *ſimplex. & duplex* dividitur. *Duplex* appellatur, quod duplici voto coaleſcit, unum quo promittit conditionem non apponere, nimirum non labi in peccatum: aliud quo promittit, quod ſi illam apponat, talis pœnitentiæ exercendæ obligationem ſubeat. *Simplex* eſt, quod merè eſt conditionale, & pœnale, quo non vult obligari ad non apponendam conditionem, ſed ad opus tale exercendum, ſi conditionem apponat. In primo caſu apponendo conditionem aliàs illicitam duplex peccatum committit, aliud propriæ materiæ, aliud contra votum. In ſecundo non peccat contra votum conditionem apponendo, ſi poſtea pœnitentiam promiſſam non prætermittat.

Qui oblitus pœnæ peccatum facit, ex vi voti pœna non tenetur.

175. Sed reſtat enodanda triplex difficultas. Prima, an qui invincibiliter ignoraret pœnam à ſe promiſſam ſi in peccatum laberetur, vel certe illius oblitus, illud peccatum committat, cui ex voto erat talis pœna annexa, maneat ad dictam pœnam obligatus? Reſpondetur negativè, quia pœna, quæ non eſt propria delicti, nec illi per ſe annexa, non poteſt contrahi, quin cognoſcatur lex eam aſſignans; imò licet lex ipſa cognoſcatur, ſi pœna eſt medicinalis, debet cognoſci lex non ſolum, ut prohibens delictum, ſed etiam ſub tali pœna prohibens: quare licet vovens ſciat, & recordetur ſe voviſſe fugere fornicationem, & cum hac notitia, in tale peccatum labatur, ſi non recordetur ſe ſub tali pœna illam fugere voviſſe, non tenetur pœnam ſubire, uti de cenſura diximus *tom.* 2. *tr.* 10. *cap.* 1. *a n.* 193. non incurri ab eo qui operatur contra præceptum cenſuram imponens, etiamſi non ignoret præceptum Eccleſiaſticum, ſi tamen illud ſub pœna cenſuræ præcipere non agnoſcat, eo quod illa eſt pœna medicinalis ad reſipiſcendum, & coërcendam contumaciam appoſita. Etiam in noſtro caſu eſt pœna medicinalis præſervativa, quæ in voto apponitur ut illius terrore ab executione peccati vovens retrahatur. Unde non obligari ad illam, qui frangeret votum de non ludendo, ſi non recordetur, aut invincibiliter ignoret, ſub tali pœna abſtinentiam à ludo promiſiſſe, tenent Diana 3. *p. tract.* 6. *miſcell. reſol.* 41. Tambur. *lib.* 3. *decal. c.* 12. §. 7. *n.* 4. Sanch. *lib.* 4. *c.* 22. *n.* 18. Laym. *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 1. *col.* 4. Fagund. *lib.* 2. *c.* 27. *à n.* 14. Palaus *tr.* 15. *diſ.* 1. *punct.* 18. *n.* 3. Trull. *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 26. *n.* 9. Leander *tr.* 1. *diſ.* 42. *q.* 4. & *ſequentibus.*

Diſpenſato voto principali acceſſorium manet diſpenſatum.

176. Secunda difficultas eſt, an ſi quis voto duplici promittat, & evitare ludum. v. g. & ſi ludat talem pœnam ſubire, & obtineat primi diſpenſationem, ſit liber à ſecundo? Et quæſtio eſt, ſi ante incurſionem pœnæ talem relaxationem

obtineat,

obtineat, ſi enim jam contra votum luſerit, & conſequenter obligationem ad pœnam ſubierit, jam eſt abſolutum votum de pœna ſubeunda, & ſic requiritur nova diſpenſatio pro illo. Cæterum ſi ante eventum conditionis, cui eſt pœna annexa, relaxationem prioris obtineat, verius judicamus a voto ſecundo eſſe liberum: quia licet ibi diverſa vota intercedant, ſecundum emittitur cum dependentia à primo, & ut acceſſorium illi, & deficiente principali, deficit acceſſorium illi adhærens. Leander *q.* 8. Trullench. *n.* 7. Palaus *n.* 4. Sanch. *n.* 9. Laym. *collor.* 2. ¶ Nec requiritur ad obtinendam prioris voti relaxationem, mentionem facere ſecundi: quemadmodum requiritur in eo, qui peregrinationem Romanam ſacco indutus promiſit, hujus acceſſorii mentionem facere ad effectum obtinendæ diſpenſationis: ob diſparem rationem inter utrumque caſum. Nam quando acceſſorium illuſtriorem, & nobiliorem materiam voti facit, ſicut redditur principale votum ob id difficilius diſpenſatu, debet mentionem facere illius circunſtantiæ, qui illius diſpenſationem nititur adipiſci; At in voto pœnali, non annectitur voti principalis obſervationi, ſed potius illius tranſgreſſioni; Unde licet voventem ſecuriorem reddat in voti principalis obſervatione; materiam tamen voti non dignificat: Fagund. *n.* 9. Leand. *q.* 7. Palaus *n.* 5. Laym. *collor.* 2. Tambur. *lib.* 1. *c.* 2. §. 10. *n.* 5. ¶ Imò neque, quando ſolius pœnæ, ſive jam incurſæ, ſive incurrendæ petitur relaxatio, non opus eſt mentionem facere principalis voti materiæ, cujus tranſgreſſioni annectitur illa pœna, ſed ſufficit obligationem ad pœnam explicare, qui à priori voto ſe liberare non intendit: quia poteſt quoad partem, vel quoad acceſſorium peti relaxatio, manente in ſuo robore principali, licet enim ablato principali corruat acceſſorium; non è contra. Sic Sanchez *c.* 22. *n.* 10. Leand. *q.* 11.

Quoties pœna ſubeunda, quando votum pœnale frangitur?

177. Ultima difficultas eſt, an qui vovit, v. g. vitare ludum, ſub pœna talis, vel talis pœnitentiæ, toties teneatur ad pœnam, quoties in ludo ſe exercuerit? Reſpondetur ſub diſtinctione, vel enim illud votum fuit ſimplex, & merè pœnale, ut ſi diceret: *ſi luſero, hoc faciam*: & tunc intelligitur de prima vice: quemadmodum, qui vovit in vigilia alicujus Sancti jejunare, intelligitur de prima hoc anno occurrente, niſi de mente promittentis aliud conſtet, ut docet Sanchez *lib.* 4. *c.* 14. *n.* 4. Bonac. *diſ.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 1. *n.* 5. Ratio aſſerti eſt: quia pœnæ obligatio, utpotè odioſa, non eſt extendenda, ſed intra verborum proprietatem reſtringenda; ſed ſalvatur proprietas verborum ſub hac forma promittentis, ſi luſero, hoc faciam, ſi pro prima vice hoc intelligatur: ergo ita eſt interpretandum tale votum, quandiu aliud de intentione voventis non conſtiterit. Diana 4. *p. tr.* 4. *reſol.* 181. Sà *verbo votum n.* 26. & ſatis probabile dicit Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 5. *concl.* 2. *ſi* . Palaus *tract.* 15. *diſ.* 1. *punct.* 18. *n.* 6. ¶ At ſi votum fuit duplex, ut ſi diceret: *promitto me non ludere: & ſi luſero, hoc facere.* Dicimus, quod ſi pœna pro tranſgreſſione aſſignata eſt graviſſima, quæ non ſolet communiter repeti, ut peregrinatio, ingreſſus in religionem, magnæ eleemoſynæ largitio: tunc tale votum ſolum pro prima vice intelligitur: quia timor talis pœnæ ex ſe retrahit perpetuo a vitando ludo, quod eſt intentio voventis, & cum non ſoleat talis pœna repeti, hanc fuiſſe intentionem voventis eſt præſumendum. De aliis verò pœnis levibus toties incurrit illas, quoties votum principale tranſgreditur: quia aſſumit votum pœnæ ad ſe continendum à ludo, ſed intendit non ſemel, ſed ſemper ab illo abſtinere: ergo intendit ſe obligare ad pœnam, non pro prima tantum tranſgreſſione, ſed etiam pro omnibus ſequentibus. Sic Sanch. *lib.* 4. *c.* 22. *n.* 21. Palaus *n.* 6. Laym. *concl.* 1. Diana *loc. cit.* & 7. *p. tract.* 9 *reſol.* 60. Leander *tract.* 1. *diſ.* 28. *q.* 23. 24. & 25. Trullench. *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 26. *n.* 10.

PUNCTUM VII.

De iis, qui poſſunt vota emittere, & illis ſe obligare.

Omnes, qui vota emittere poſſunt, recenſentur.

178. REGULA generalis eſt apud omnes, poſſe vota emittere, illiſque ſe obligare, omnes quoſcũque habentes uſum rationis, niſi à ſuperioribus impediantur, & dũmodo vota ſint de iis, quæ ſunt in eorum poteſtate. Concluſio eſt D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. & 9. & apud omnes communiſſima. Ratio eſt, quia tales poſſunt Deo promittere rem bonam, cum meliori minimè incompoſſibilem, liberè, & ſpontaneè, quæ proinde Deo grata eſt, ab illoque accepta: ergo eſt valida talis promiſſio, & conſequenter votum cum illa. Quare ſolum excluduntur jure naturæ à votorum emiſſione, amentes, furioſi, ebrii, dormientes ob defectum uſus rationis, & etiam pueri ante illum, ſed poſt illum poſſunt validè vota emittere ante pubertatem, quamvis talia vota quæcumque ſint poſſunt à parentibus irritari, & propterea non ſunt firma talia vota, ſed ſub tacita conditione emiſſa, ſi parenti non diſplicuerit: ut D. Thom. ait *art.* 8. Imò poſt pubertatem, votum ſolemne religionis ab ipſis emiſſum ante decimum ſextum annum, nullum eſt ob Eccleſiæ diſpoſitionem, ut diximus hoc volumine *tr.* 15. *c.* 4. *à n.* 33. An vero tale votum ſolemne nullum obliget in vi voti ſimplicis? ibidem reſolvimus. Vota vero Religioſorum, ſervorum, filiorum, qui ſunt ſub patria poteſtate: Uxorum, abſque conſenſu Prælati, Domini, Patris, aut mariti, de iis quæ in illorum præjudicium cedunt, nulla ſunt: quia de illis, quæ non ſunt in eorum poteſtate, nemo poteſt Deo promittere: quia eſſet de alienis ſacrificium offerre. Duplex tamen manet enodanda difficultas.

Non poſſe Eccleſiam aliquos inhabiles reddere ad vovendum, aliqui dicunt.

179. Prima difficultas eſt, an Eccleſia poſſit aliquos inhabiles reddere ad vovendum, eorumque vota irritare, loquendo de votis ſimplicibus, nam de ſolemni religionis jam diximus fieri aliquos inhabiles ad illud: quia cum hæc vota ſint publica, & manifeſta, multum ab Eccleſiæ diſpoſitione dependentia quoad ſolemnitatem, certum eſt poſſe Eccleſiam certas conditiones adhibere, ſine quibus ut ſolemnia non ſubſiſtant. Quare de aliis votis ſimplicibus eſt ſermo, maximè de illis, qui tam quoad actum, quam quoad materiam ſunt purè interna. Aliqui negant ſimilem eſſe poteſtatem in Eccleſia. Tum, quia Eccleſia non habet poteſtatem dominativam ſupra voluntatem omnium fidelium, & ob id non poteſt vota ſemel facta irritare: ergo non valebit voluntatem inhabilitare ad facienda illa, vel illa antecedenter irrita reddere. Tum etiam, quia obligatio voti interna de re nulli ſubjecta facta ab homine habente plenum uſum rationis, eſt obligatio ſolius juris divini, & de re Deo placente: ergo non poteſt fieri quod non

obliget, ſicut fieri non poteſt, quod non ſit Deo grata, & ab eo accepta. Sic Caietan. 2.2. *quæſt.*88. *art.*9. *initio.* Prado *tom.* 2 *cap.* 32.*q.*12.§.3. *à n.*18.

Poteſt Eccleſiæ inhabiles ad vovendum aliquos reddere.

180. Sed omnino tenendum eſt, poſſe Eccleſiam aliquas perſonas reddere inhabiles ad vovendum. Probatur primo, quia de facto Eccleſia irritavit vota ex metu gravi facta, ut *ſup.n.*164. diximus, & inhabiles reddit ſic metum patientes ad vovendum, ob defectum plenæ libertatis: ergo eodem modo poſſet pueros ante pubertatem inhabiles reddere ad vovendum, eorumque vota irritare, & ſic in aliis caſibus, in quibus ad hoc graviſſima cauſa occurreret. Secundo, quia poteſtas civilis poteſt promiſſiones humanas irritare, & inhabiles conſenſus reddere; ergo etiam poterit Eccleſia promiſiones Deo factas reddere nullas, niſi cum conditionibus ab ipſa aſſignatis. Tertio, quo præcedens ratio magis roboratur, & oppoſita fundamenta diluuntur: quia non datur repugnantia in eo quod Eccleſia non acceptet vota de rebus aliàs bonis, niſi ſub tali, vel tali conditione, vel cum talibus circumſtantiis emiſſa; nam ſicut nomine Dei remittit promiſſionem jam factam, licet ſit de jure naturæ eius obligatio, & licet ſit de re Deo accepta, quod facit diſpenſando in votis, nec ad hoc requiritur poteſtas dominativa, ut conſtat, ſic nomine Dei poteſt ante emiſſionem voti, illud non acceptare, niſi cum talibus circumſtantiis emittatur, ad quod non requiritur poteſtas dominativa, ſed poteſtas ſpiritualis, qua nomine Dei non vult acceptare, quod ex juſta cauſa reputat inconveniens. Atque ita docent Suar. *tom.*2.*de relig. lib.* 3.*de voto c.*3.*à n.*8. & *t.*5.*in* 3.*p.diſ.*4 *ſect.*2.*n.*9. Sanch.*lib.*4. *ſum.c.*24.*n.*44. Palaus *t.*3.*tract.*15.*diſ.*1.*punct.*19. *n.*2. Raphael de la Torre 2. 2. *q.*88. *art.*9.*n.*2.

Extenditur doctrina præcedens.

181. Dictum præcedentis numeri extendendum eſt tam ad vota externa, quam ad interna, ſive ſolum ſint interna ex parte actus tantum, ſive ex parte actus & materiæ, ut quando promiſſio fit per actum exterius non prolatum, & eſt de rebus interioribus, ut de oratione mentali, actibus Fidei, amoris &c. quia ſicut poteſt Eccleſia in his diſpenſare, ita reddere inhabilem conſenſum ad valorem talium votorum omnino neceſſarium. Illud autem axioma, quod Eccleſia non judicat de occultis, intelligitur de foro externo, & contentioſo, in foro autem interno, & in rebus favorabilibus animæ, currit illud: quodcumque ligaveritis ſuper terram erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveritis &c. ¶ Et hoc non ſolum facere poteſt Eccleſia indirectè prohibendo materiam promiſſam, & conſequenter votum de illa annullare, quod planum eſt: quia tunc redditur materia prohibita, & votum de re prohibita eſt invalidum; ſed directè, & per ſe reddendo inhabilem conſenſum in promiſſione circa talem materiam. Uti facit cum profeſſionem ante 16. annum factam, vel non præmiſſo anno noviciatus annullat. Et ut irritare diximus matrimonium clandeſtinum, reddendo inhabilem conſenſum ad talem contractum, *tom.*3.*tract.*9. *de matr.* Sic præcitati authores.

Vota religioſorum ſine licentia Prælati eſſe nulla, aliqui dicunt.

182. Secunda difficultas eſt, an vota à religioſis emiſſa ſine licentia Prælati ſint valida in iis, quæ vel non ſunt contra illius mandata, nec eius juriſdictioni præjudicant? Ut votum jejunandi ex ſupererogatione, votum recitandi Roſarium, aut Minorem Beatiſſimæ Virginis, &c. Atque idem eſt de filiis impuberibus, de ſervis, de uxoribus, de votis ab illis emiſſis de rebus, quæ non cedunt in præjudicium eorum, ſub quorum dominium, & poteſtatem ſunt conſtituti. Quæ diximus de religioſis proportionabiliter ſentiendum eſt de iſtis. Igitur dicit prima ſententia talia vota eſſe invalida, ſi abſque conſenſu, & licentia Prælati emittantur, proindeque non indigere relaxatione, ut eorum obligatio ceſſet. Et probatur primo ex D.Th. 2.2.*q.*88.*art.*8. *ad* 3. ubi ſic dicit: ad tertium dicendum, quod religioſus ſubditus eſt Prælato quantum ad ſuas operationes ſecundum profeſſionem regulæ. & ideo etiamſi aliquis ad horam aliquid facere poſſit, quando ad alia non occupatur à Prælato: quia tamen nullum eſt tempus exceptum in quo Prælatus non poſſit eum circa aliquid occupare, nullum votum religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati: ſicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi de conſenſu Patris: nec uxoris, niſi de conſenſu viri. ¶ Secundo, quia in *cap. Monacho* 20. *q.*4. *dicitur: Monacho non licet vota vovere ſine conſenſu Abbatis, ſi autem voverit frangendum erit.* ¶ Tertio, quia votum ſolenne religionis extinguit omnia vota, antea emiſſa, *cap. ſcriptura de voto:* ergo etiam impedit ne nova emittantur, cum ſit eadem ratio. ¶ Quarto, quia religioſi, & impuberes non ſubduntur alienæ poteſtati ſolum quoad materiam promiſſam, ſed etiam quoad ipſam voluntatem, qua votum emittunt, cujus dominium eſt apud ſuperiorem: ergo nequeunt validum votum emittere, non enim eſt Deo acceptus talis actus vovendi, cum ſit uſus voluntatis alienæ invito domino, vel ſine eius conſenſu. Atque ita docent, Valentia 2.2.*diſp.*6.*q.*6 *punct.*6.*& q.*1.*verſic. & quoniam.* Caramvel *in regul. D. Bened. n.*1798. *fol. mihi* 90. Richard. *in* 4. *diſ.* 38. *circa quartum principale q.*1. Angelus *verbo votum* 2. *n.*3. Roſella *eodem verbo* 2.*n.*14. Acacius Marchan. *tom.*2.*verbo votum reſolut.*449.*n.*2. Et valde probabilem dicit, Luiſius de Torres *in ſum.* 1.*p.cap.*154. *dub.* 2. Laurentius Peyrin. *tom.* 2. *ubi de prælato q.*3.*cap.*3. *n.* 2. *&* 3. Et probabilem dicit, Leander à ſanctiſſimo Sacramento *in decalog. tom.*2.*tract.*1. *diſ.*16. *q.*26. & *tract.*2. *diſ.*5. *q.*4. quatenus oppoſitam, quam ipſe tenet dicit probabiliorem.

Valida ſunt vota religioſorum quandiù Prælati non contradicunt.

183. Cæterum omnino tenendum eſt, vota religioſorum, impuberum, ſervorum, uxorũ emiſſa de illis, quæ non præjudicant iis, ſub quorum poteſtate exiſtunt, ſive ſint realia, ut votum eleemoſynæ de iis, quæ poſſunt expendere, ſive perſonalia, ut audiendi ſacrum, jejunandi, recitandi Roſarium &c. eſſe valida; etiamſi abſque conſenſu Prælati, aut licentia emittantur, & quandiù ab illo non irritantur vim obligandi habere. Non tamen eſſe firma cum poſſint pro libito, & abſque cauſa à Superiori irritari, & ſic ſub conditione tacita valere, quandiù Superior non contradixerit. Et ſic intelligendus eſt D. Thom. loco pro contraria ſententia adducto, nam ipſe manifeſtè ſe explicat in ſolutione ad primum, ibi: *& ideo non poteſt ſalvari ratio voti, cum quis in poteſtate alterius conſtitutus vovet id, quod eſt in poteſtate alterius, niſi ſub conditione, ſi ille ad cujus poteſtatem pertinet, non contradicat.* Et quia talis conditio ſemper in ſimilibus votis ſubintelligitur, docet *ad quartum*, ſimile votum firmum non eſſe. Probatur ergo aſſertio, quia res promiſſa per tale votum bona eſt, Deo placens, non incompoſſibilis cum meliori: ergo non eſt unde votum reddatur inane. Nam quod ſit plene ſubditus Prælato, facit ea vota firma non eſſe, niſi ſub intellecta conditione, *ſi Superior non contradicat, vel non impediat.* Per quæ manent ſoluta contraria fundamenta; illud tamen *cap. Monacho*, dubiæ authoritatis eſt, ut plures dicunt, cum nec ſit alicujus Pontificis, Concilii, aut S. Baſilii, ut Gratianus illi attribuit, cum in ejus operibus non invenitur. Eſto eam habeat, cum dicat eſſe *fran-*

gendum

gendum tale votum, ſupponit validum eſſe, ſed infirmum cum ſit pro libito frangendum. Sic Prado *cap.* 31. *quæſt.* 2. §. 4. Navar. *cap.* 12. *num.*69. Cajetan. 2. 2. *q.*88. *art.*8. *ad* 3. à ſancto Thoma *ibid. diſ.*29. *art.*16. à Torre *art.* 8. *diſp. unica n.*6. Tambur. *lib.*3.*c.*12. §.5. *n.*8. Palaus *tract.*15. *diſ.*1. *punct.*19. *à n.*1. Sayrus *lib.*6. *c.*5. *n.*22. Ludou. Lopez 1. *part. ſumm. c.*48. Trull. *lib.*2.*c.*2.*dub.*11.*n.*7. Baſſæus *tom.*1.*votum* 5. *n.*12. & *tom.*2. *votum* 1. *num.*20. Sotus *lib.*7.*q.*3. *art.* 1. Fagundez *lib.* 2.*c.*34. *n.*9. Sanchez *lib.*4. *cap.*25. *n.*6. Suarez *tom.*2. *de relig. lib.*3. *de voto*, *c.* 5. *à num.* 3. Filliuc. *tract.*26. *c.*6. *n.*172. Azor. *tom.*1. *lib.*11.*c.*17.*q.*4.

Quæ res nõ poſſunt religioſi vovere?

184. Votum verò à religioſis (& idem eſt de aliis enumeratis) emiſſum de rebus aliàs lege divina, vel humana, vel regula, aut conſtitutionibus, vel etiam mandato ſuperioris prohibitis; etiamſi tantum ad pœnam tales leges obligent, certum eſt fore nullum: cum ſit de re mala, incompoſſibili cum bona, & hoc etiamſi poſſit de illis obtineri diſpenſatio; imò etiamſi obtenta ſit: quia ſemper eſt melius legem communèm obſervare, quam diſpenſatione, quæ eſt vulnus legis, uti. Si tamen non abſolutè tales res à lege, vel à ſuperiori prohibeantur ne fiant, ſed ne fiant abſque licentia, ut frequenter apud nos præcipitur ne fiant tales, vel tales actus ſupererogationis ſine licentia Prælati, tunc validum erit votum: quia quando res non abſolutè prohibetur, ſed ne fiat ſine licentia, tali licentia obtenta, res non prohibetur, ſed potius conſuletur, & quod fiat res cum licentia, & quod ad illam licentia petatur: nam conceſſio licentiæ in tali caſu, non eſt diſpenſatio præcepti; ſed potius illius executio, ut diximus *tract.*11. *de leg.* Et modo dictum tenent Raphaël de la Torre 2. 2. *q.*88. *art.*8. *quæſt. unica*, *concl.* 4. Suarez *lib.*3. *c.*6. *à n.*19. Sanchez *c.*25. *num.*10. & 11. Palaus *punct.* 19. *n.*6. & 7. Trullench. *lib.*2. *c.*2. *dub.*11. *num.*6. & 7. Prado *c.*31. *q.*12. *à num.*24. Leſſius *lib.*2. *c.*40. *dub.*13. *n.*74. Layman. *lib.*4. *tract.*4.*c.*7.*n.*6.*concl.*4.

Aliqua colloratia deducuntur.

185. Tenetur autem ſic vovens ex vi voti petere licentiam: quia ſine illa res illicita eſt, & ſic qui talem rem promiſit, ſe obligare ad petendam licentiam intendit, ne inaniter, & inutiliter voviſſe cenſeatur. Sic omnes. Niſi ſolam promitteret rem exequi quando licentia generalis ad illam à Prælato daretur: quia tunc non teneretur petere licentiam, ſed expectare poſſet quouſque talis licentia generalis daretur. Suarez *n.*13. Sanchez *n.*25. Layman. *n.*7. Palaus *n.* 8. Si tamen quando votum emiſſum eſt, ignoraret vovens rem promiſſam à ſuperiori eſſe prohibitam, non tenet votum: quia eſt de re illicita facta ſine licentia, nec ad licentiam petendam tenetur, cum hoc in promiſſione talis rei non contineatur; at vero ſi quando emiſit votum res prohibita non erat, & poſtea prohibeatur, tempore prohibitionis ceſſat, vel ſuſpenditur obligatio voti: quia tunc ad rem ſine licentia obligare non poſſet: quia eſſet obligare ad rem iniquam, nec ad petendam licentiam, quia in tali promiſſione rei non continetur: at ſi ceſſet prohibitio, vel quia erat pro tempore determinato, vel quia ſuperior, qui prohibuit amovetur, vel quia vovens ad aliam domum, in qua res prohibita non eſt transfertur, reviviſcit vel redit obligatio voti: quia ſolum exiſtens prohibitio eam ſuſpendebat, qua proinde ceſſante, ceſſat ſuſpenſio obligationis. Trull. *n.*7. Sayrus *c.*5.*n.*22. Palaus *n.*8. Sanch. *n.* 27. Laym. *n.*7. ¶ Non tamen in dictis caſibus in quibus vovens tenetur licentiam petere ad rem exequendam, tenetur votum, quod habet ſuperiori manifeſtare ad effectum obtinendæ licentiæ: quia ſine voti manifeſtatione licentiam obtinere optimè poteſt, imò facilius: quia ſuperior fortaſsè ægre feret, quod ipſo inconſulto factum fuerit votum. Eſtò tamen manifeſtato voto facilius licentiam obtineret, non tenetur omnem diligentiam adhibere ad conſecutionem talis licentiæ, ſed ſufficientem ad effectum. Navar. *c.* 12. *n.*69. Sanch. *c.*25. *n.*29. & 30. Suar. *lib.*3.*c.*6.*n.*13. Raphaël de la Torre *n.*16. Palaus *n.*9. Petrus de Ledeſma *tract.*10.*c.*7.*dub.*1.*n.*6.

186. Vota vero quæ ſunt de obſervatione regulæ, conſtitutionum, &c. quæ tamen à Prælato diſpenſari poſſunt, obligant quandiu ab illo diſpenſatio non impenditur, ipſo tamen diſpenſante, non obligant: quia ſub intellecta conditione emittuntur, ſi ſuperior non contradicat, non diſpenſet, aut diſſentiat: quia ſuppoſita diſpenſatione opus eſt licitum, & neceſſitas vel pietas poteſt cogere Prælatum, ut ſubdito præcipiat uti diſpenſatione, & tunc ſubditus tenetur obedire: cum obedientia ad omnia ſe extendat, quæ Prælatus rationabiliter poteſt præcipere. Nihil tamen eſt prohibitum in regula, aut conſtitutionibus, ſi poteſt à Prælato diſpenſari, quod ſic diſpenſatum rationabiliter non poſſit ordinari à Prælato, vel ob bonum commune, vel ob bonum ipſius ſubditi: v. g. præcipit regula noſtra obſervationem jejuniorum à feſto Exaltationis ſanctæ Crucis uſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis, in principio jejuniorum feciſti votum de obſervandis omnibus his jejuniis; at Prælatus videns te debilem, vel infirmum, vel ob aliam juſtam cauſam præcipit ut tot diebus non jejunes, non teneris pro illis diebus voti obligatione jejunare; imò teneris ſuperiori rationabiliter præcipienti obedire. Cajet. 2.2.*q* 88. *art.*8. *ad* 3. Raphaël de la Torre *ibid. diſp. unica*, *n.*7. Fr. Ioan. à S. Thoma *diſ.*26. *n.*16. Sanch. *lib.*4.*c.*33. *num.*7. Prado *c.*31.*q.*12.*n.*29.

Quæ vota obligent religioſos?

CAPUT II.

De Juramento,

POSTQUAM de voto egimus, quo Deo aliquid offertur, vel promittitur, ſtatim agendum venit de alio actu religionis, quo divinum nomen aſſumitur ad teſtificandum, quod aſſeritur, vel promittitur, cum *D. Thoma*, qui poſtquam 2.2. *q.*88. egit de voto, ſtatim *q.* 89. per decem articulos de juramento ſermonem inſtituit. Materia pro confeſſoribus, & omnibus ſcitu valdè neceſſaria: *his maximè temporibus* (ut cum M. Soto *initio libri octavi, de juſtitia* loquamur) *quando jurandi licentiam tantam pejerandi conſuetudinem peperit, ut vix Chriſtianis enormitatem hujus criminis perſuadere* valeas.

valeas. Id quod Chriſtianiſmum teterrime denigrat. Caput iſtud continet novem puncta.

PUNCT. I. *De nomine, eſſentia, & diffinitione juramenti.* n. 1.

PUNCT. II. *Quotuplex ſit juramentum? Ubi an omnia juramenta ſint eiuſdem ſpeciei declaratur.* n. 15.

PUNCT. III. *De diverſis verbis, & formulis, quibus iuramenta fieri ſolent.* n. 21.

PUNCT. IV. *An ſit licitum iuramentum? an frequentandum, & conſulendum? Et de tribus ejus comitibus, ut licitè emitti valeat.* n. 29.

PUNCT. V. *Qualiter defectus veritatis, iuſtitia, & iudicii: qui ſunt tres comites iuramenti, illud vitiet, & illicitum reddat?* n. 37.

§. I. *De veritate, & iuſtitia requiſita pro iuramento aſſertorio.* n. 38.

§. II. *Qualiter in promiſſorio detur defectus iuſtitiæ, & veritatis?* num. 48.

§. III. *Qualiter in iuramento comminatorio veritas, & juſtitia requiratur?* n. 60.

PUNCT. VI. *De materia propria juramenti, & illius obligatione.* num. 64.

PUNCT. VII. *De aliquibus particularibus iuramentis qualiter obligationem inducant?* n. 76.

§. I. *Qualiter obliget juramentum ſervandi ſtatuta Reipublica, Collegii, Univerſitatis, Confraternitatis, &c.* n. 77.

§. II. *De iuramento, quod faciunt ſcribæ, Procuratores, & alii miniſtri publici ſervandi taxam lege præſcriptam Et quod præſtant Decuriones, Senatores: vulgo,* Iurados, Veintiquatros, y Regidores: *de proſpiciendo publico oppidi, vel civitatis bono.* n. 83.

§. III. *De iuramento à Medicis emiſſo monendi infirmos, ut confiteantur qualiter obliget.* n. 89.

§. IV. *Ad quid obliget iuramentum, vel votum non ludendi?* n. 93.

§. V. *Qualiter obliget iuramentum contra prius iuramentum?* n. 101.

PUNCT. VIII. *De iuramento doloſo, æquivoco, vel amphibologico, vel cum addita reſtrictionis mentalis, emiſſo.* n. 104.

§. I. *Aliqua quæ ſunt certa apud Doctores circa materiam puncti proponuntur.* n. 105.

§. II. *Sententia admittens omnes amphibologias etiam illam, quæ ſolum fit per reſtrictionem mentalem proponitur, eaque auctoritatibus, & rationibus fulcitur.* n. 110.

§. III. *Duplex concluſio proponitur, in qua cum præcedenti ſententia convenimus.* n. 115.

§. IV. *Tertia ſententia proponitur, qua uſus reſtrictionis purè mentalis omnino negatur.* n. 121.

§. V. *Quædam objectio diluitur, & contraria argumenta diſſolvuntur.* num. 132.

§. VI. *Caſus in particulari recenſentur, qui ex præfatis aſſertionibus deducuntur.* n. 139.

PUNCT. IX. *De prava iurandi conſuetudine, quando detur? Quæ peccata in illa? Et quomodo confitenda?* n. 148.

§. I. *Aliqua apud Doctores communia circa hanc materiam recenſentur, & declarantur.* n. 149.

§. II. *An iuramenta provenientia ex prava conſuetudine iurandi, abſque plena tamen advertentia emiſſa, & indeliberatè, ſint peccata mortalia?* n. 156.

§. III. *Qualiter ſe debeat habere pænitens in confeſſione pravæ conſuetudinis, & confeſſor in illius abſolutione?* n. 162.

PUNCTUM I.

De nomine, eſſentia, & diffinitione iuramenti.

1. IURARE nihil aliud eſt, quam Deum in teſtem invocare, ſeu nomen ejus, atque authoritatem adducere, ut aſſertis fidem præbeat, atque alium de re jurata firmet & certificet: unde dixit D. Auguſt. *ſerm. 18. de verbis Apoſt. Quid eſt iurare per Deum, niſi teſtis eſt mihi Deus?* Et rationem reddit D. Th. 2. 2. *q. 89. art.* 1. ex fine ad quem juramentum ordinatur, qui ſecundum Apoſt. *ad Hebræos* 6. eſt, ad finiendas controverſias, confirmandamque veritatem, veritas autem aut confirmari poteſt ratione, aut per teſtes: ratione autem confirmantur veritates neceſſariæ, de quibus eſt ſcientia: veritates autem, quæ ſunt de rebus contingentibus immutabili, & certa ratione nequeunt confirmari, & ſic ſolum ad firmitatem teſtium recurrendum eſt pro earum confirmatione. Teſtimonium autem humanum ad tales confirmandas veritates inſufficiens eſt, propter duo: tum ob defectum humanæ veritatis, quia *os eorum locutum eſt mendacium Pſalm.* 16. Tum ob defectum cognitionis: quia non poſſunt futura, vel abſentia, vel abſcondita cordium cognoſcere, unde recurrendum eſt ad divinum teſtimonium: quia Deus nec mentiri, nec falli, nec aliquid ignorare poteſt, quod proteſtatur jurans, Deum

Nomen iuramenti explicatur.

Deum ut teſtem ad confirmandam veritatem adducens.

Diverſis nominibus juramentũ explicatur.

Hinc fit *iuramentum* à *iure* dici, quia quaſi pro iure introductum eſt, ut quod ſub invocatione divini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur. Dicitur etiam *iusiurandum* in ſcriptura ſacra multoties, eo quod veritas iuramento firmata, ita firma, & ſtabili debet eſſe, quaſi ſi iure ipſo eſſet ſtabilita, & firmata. Dicitur etiam multoties iuramentum in iure Canonico *Sacramentum. Cap. qui Sacramentum* 22. *q.* 4. *cap. non eſt, cap. non peierabis*, ibidem *cap. parvuli, qui ſine ætate* 22. *quæſt.* 5. quia etiam iuramentum habet quandam habitudinem ad res ſacras, quatenus videlicet eſt quædam conteſtatio facta per aliquid ſacrum, nimirum per divinum teſtimonium, ut docet D.Thom. 3. *part. quæſt.* 60. *art.* 1. *ad* 3. Sed non univocè eſt Sacramentum cum aliis ſeptem à Chriſto Domino inſtitutis, ſed analogicè, & impropriè, ob quandam ſimilitudinem cum illis, ut ibi docet Angelicus Præceptor.

Diffinitio juramenti proponitur, & declaratur.

3. Relictis ergo aliis diffinitionibus juramenti brevior & communior illa eſt, quæ ex D.Thom. *art.* 1. *huius q.* 89. deſumitur, nimirum quod juramentum eſt: *Invocatio divini nominis ad fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam. Invocatio*, ponitur loco generis, in qua convenit juramentum, cum oratione per quam etiam divinum nomen invocatur, ſed quia oratio non Deum invocat ut dictis nrantis fidem faciat, ſed ut poſtulata concedat, additur ut differentia juramenti ab illa *ad fidem, &c.* Ad hoc enim juramentum apponitur ut dictis, & aſſertis fidem firmiſſimam faciat, & ſic controverſias extinguat, ut inquit Apoſt. ad Hebræos 6. Dicitur autem juramentum *invocatio* divini nominis, non *enunciatio*, enunciatio namque, quâ aſſeritur Deum eſſe teſtem omnium, non eſt juratio, ſed evidens quædam propoſitio, quæ vel ad fidem, vel ad ſcientiam pertinet. Invocatur autem divinum teſtimonium in juramento, ut fidem dictis faciat, vel promiſſionem infallibiliter firmet, & ſic reddat ſecurum eum, cui de veritate aſſerti juratur, vel aliquid de futuro promittitur.

Iuramentũ eſt actus Religionis, ſeu latriæ.

4. Ex dictis ſequitur juramentum propriè eſſe actum Religionis, ſeu latriæ, ut probat D.Thom. *quæſt.* 89. *art.* 4. tam ex illo Deuteron. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſoli ſervies, ac per nomen eius jurabis.* Et etiam hac ratione: quia ille, qui jurat, invocat divinum teſtimonium ad confirmandum ea, quæ dicit, nihil autem confirmatur, niſi per aliquid, quod certius eſt, & potius; & ideo hoc ipſo, quod homo per Deum juret, profitetur Deum potiorem, certioremque omnibus eſſe, cuius veritas eſt indefectibilis, & cognitio omnium univerſalis, & ſic Deo aliquo modo reverentiam exhibet. Vnde dixit D. Hieronymus ſuper Matthæum 5. *tom.* 9. quod, *Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat.* Exhibere autem reverentiam Deo, pertinet ad Religionem, ſeu latriam. Unde manifeſtum eſt, quod juramentum eſt actus Religionis, ſeu latriæ.

Duo notãda circa dicta.

5. Sed pro majori explicatione eorum, quæ diximus. Notandum eſt primo, quod cum dicitur per juramentum Deum invocari, ut dictis teſtimonium præbeat, non ita intelligendum eſt quod Deus invocetur ut ſtatim, vel opere miraculoſo, & inſolito præbeat teſtimonium veritatis: quia hoc eſſet tentare Deum petendo ab eo miraculum, aut opus extraordinariom abſque urgentiſſima cauſa. Vocatur igitur Deus ut teſtis, ut dictis teſtimonium præbeat quando, & quomodo hoc illi placuerit, ſive in hac, ſive in futura vita; ſive in vita, ſive in morte: ſive ſtatim, ſive per longum tempus. ¶ Notandum eſt ſecundo ex D.Thoma *quæſt.* 89. *art.* 1. *ad* 1. aliud eſſe teſtimonio Dei jam dato uti ad confirmandam veritatem, quod facit ad dictorum confirmationem, qui authoritatem ſacræ Scripturæ apponit, quia hoc ipſo invocat divinum teſtimonium, cuius verba in Sacra Scriptura proponuntur, & non ob id jurat: quia ſolum divino teſtimonio jam dato utitur, ut confirmetur id quod aſſeritur. Aliud eſt divinum teſtimonium implorare ut exhibendum, quod facit in juramento, per quod Deus ut teſtis adducitur, ut in futuru exhibeat veritatem, ut dictum eſt.

Non eſt neceſſarium iuramentum verbis exprimere, & neceſſarius animus iurandi.

6. Notandum eſt tertio, quod invocatio divini teſtimonii, ſi fiat comparatione Dei, ut ſit juramentum non indiget verbis, ſaltem externis, ſed abſque illis poteſt fieri juramentum ſolo actu intellectus, & voluntatis, ut de voto diximus *cap. præcedenti*. Veruntamen cum ad homines dirigitur juramentum ad confirmandos illos in veritate aſſertionis, vel promiſſionis, debet illis manifeſtari vel per verba, quæ juramentum denotent, ut: *juro per Deum, Deus ſit mihi teſtis, quod hoc ita eſt, vel erit:* aut ſignis exprimentibus talis teſtimonii invocationem, ut tactis Evangeliis, aut Cruce, cum ſermo de juramento præceſſit, vel etiam cum Scriptura ſubſcribitur, in qua juramentum continetur: tunc enim talis ſubſcriptio idem eſt ac dicere: *juro ita eſſe*. Quare ubi leges humanæ non poſtulaverint verba ſpecialia ad valorem iuramenti, abſque verbis, cum dictis ſignis, & ſimilibus, verum iuramentum reperitur. Sunt tamen aliqui contractus, ut in ſtipulationibus, & aliis, ubi iura formalia verba pro iuramento illos firmante requirunt, quæ omnino ſervari debent. ¶ Denique notandum eſt, invocationem divini teſtimonii, quæ pro iuramento requiritur, exigere voluntatem liberam, & ſpontaneam, non ſolum proferendi verba, quæ ex uſu communi ſunt juratoria, ſed invocandi divinum teſtimonium per illa: quia abſque tali voluntate, non eſt vera invocatio, ſed ficta, & ſimulata, ut de voto eum proportione diximus. Et ratio eſt: quia iuramentum eſt actus humanus, & ſic debet à voluntate libera procedere: unde ſi quis proferret verba, per quæ videretur divinum teſtimonium invocare, ſed abſque animo Deum in teſtem adducendi, verè iuramentum non emitteret. Sic Sanchez *in decalog. lib.* 3. *cap.* 10. Bonac. *diſ.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 7. *num.* 2. Palaus *tom.* 2. *tract.* 14. *diſ.* 1. *punct.* 1. Valentia 2.2. *diſ.* 6. *quæſt.* 7. *punct.* 1. Suarez *tom.* 2. *de relig. tract.* 4. *de iuramento lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 8. Leander *tom.* 2. *decalog. tractatu* 1. *quæſt.* 11.

Prima obiectio contra dicta.

7. Sed contra dicta ſunt aliquæ obiectiones. Et prima ſit contra id, quod modo in fine numeri præcedentis diximus, quod non videtur neceſſaria voluntas adducendi Deum in teſtem, ut verum iuramentum ſit, ſi verba ſunt ex ſe invocativa divini teſtimonii. Nam qui falſum iurat verum iuramentum, etſi ſacrilege, emittit; & tamen iſte voluntatem non habet, ut Deus teſtis ſit ſuæ falſitatis: quia velle non poteſt id, quod cognoſcit eſſe impoſſibile, & cognoſcit eſſe impoſſibile, ut Deus ſuam falſitatem teſte-

tur: ergo, &c. ¶ Et confirmatur: quia ſi requiritur intrinſeca voluntas iurantis invocandi divinum teſtimonium ad verum iuramentum, cum de illa hominibus conſtare non poſſit nullus ſciet alium vere, & ex animo procedere, & ſic per iuramentum exterius prolatum, non firmabitur in veritate aſſerti, vel promiſſi, quod eſt præcipuus finis iuramenti.

Secunda obiectio proponitur.

8. Secunda: quia videtur iuramentum non eſſe actum Religionis: actus namque Religionis, ſive latriæ, præcipuè verſantur circa aliqua ſacra & divina; ſed iuramentum ſolum adhibetur circa controverſias humanas, ut inquit Apoſt. ad Hebræos 6. ordinaturque præcipuè ad firmandum illum, cui iuratur de veritate rei iuratæ, quæ multoties eſt quid temporale, & humanum. ¶ Et confirmatur primo, quia ſi iuramentum eſſet actus latriæ & Religionis, eſſet laudabilius, & melius, illud frequentare, ſicut alios actus Religionis efficere, & frequentare, laudabilius, & melius eſt; ſed hoc eſt falſum & contra ſacram Scripturam, præcipuè Eccleſiaſtici 23. ubi dicitur: *Vir multum iurans replebitur iniquitate*: ergo non eſt actus Religionis. ¶ Et confirmatur ſecundo: quia potius videtur actus inordinatus, & vitioſus, rem Superioris ordinis, qualis eſt teſtimonium divinum, ad rem valde inferiorem, & temporalem, qualis eſt veritatis manifeſtatio, & confirmatio, ut ad finem proximum, & immediatum ordinare.

Tertia objectio ſumpta ex iuramento per creaturas.

9. Tertia: quia videtur falſum id, quod toto hoc puncto multoties diximus, nimirum, propriam, & ſpecificam rationem juramenti ſitam eſſe in invocatione divini teſtimonii, ſive in eo quod eſt Deum adducere ut teſtem ad confirmandam veritatem: quia negari non poteſt vera eſſe juramenta, quando quis jurat per cœlum, per terram, per ſancta Evangelia, per ſanctos, & per alias creaturas, ſicut juravit Ioſeph: *Per ſalutem Pharaonis*, Geneſ. 42. Et tamen hic non adducitur Deus, ut teſtis, nec ejus teſtimonium invocatur: ergo, &c.

Solvitur prima obiectio.

10. Ad primam reſpondetur, eum, qui falſum jurat, non habere voluntatem abſolutam, & efficacem, ut Deus ſuam falſitatem confirmet, ſed conditionatam; quatenus eſt ex parte ſua, & in hoc conſiſtit periurii graviſſima malitia. ¶ Et ad confirmationem dicimus, quod licet hominibus cognita non ſit ſecreta intentio jurantis; notum tamen omnibus eſt, jurantem habere obligationem vere jurandi, & abſque fictione, quod ſufficit ad ſecuritatem.

Secundæ obiectioni ſit ſatis.

11. Ad ſecundam reſpondetur breviter ex D. Thoma *quaſt.* 89. *art.* 4. *ad* 1. ibi: *In juramento duo conſiderantur, ſcilicet teſtimonium, quod inducitur, & hoc eſt divinum: & id ſuper quo inducitur teſtimonium, vel quod facit neceſſitatem teſtimonium inducendi, & hoc eſt humanum. Pertinet ergo juramentum ad Religionem ratione primi; non autem ratione ſecundi.* ¶ Vnde ad primam confirmationem reſpondet ibidem Sanctus Doctor *in corp. art.* 5. quod id, quod non quæritur niſi ad ſubveniendum infirmitati, vel defectui non memoratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria, ſicut patet de medicina, quæ quæritur ad ſubveniendum infirmitati. Iuramentum autem quæritur ad ſubveniendum alicui defectui, quo ſcilicet unus homo alteri diſcredit. Et ideo juramentum eſt habendum non inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda; ſed inter ea quæ ſunt huius vitæ neceſſaria. *Quibus indebite utitur, quicumque eo utitur ultra terminos neceſſitatis.* Unde quamvis juramentum ſit actus Religionis: quia tamen ad ſubveniendam neceſſitatem eſt introductum, non eſt conſulendum, aut frequentandum, niſi in caſu gravis neceſſitatis. ¶ Ad ſecundam confirmationem dicimus juramentum non ordinari ad manifeſtationem, vel confirmationem veritatis creatæ, tanquam ad finem volitum, vel intentum: quia actus Religionis non eſſet, ſi finis proximus illius non eſſet aliquid ordinatum ad Deum, ejuſque reverentiam; eſt ergo veritatis confirmatio finis effectus illius, ſeu id quod per juramentum effici quæritur; finis autem proprius, & intrinſecus juramenti eſt reverentia, & veneratio divinæ ſcientiæ, & veritatis infallibilis, quæ ſola poteſt rebus, & veritatibus creatis conferre infallibilem firmitatem.

Qui per creaturas iurat, quomodo per Deum tacitè iurat?

12. Ad tertiam reſpondetur, quod, ut dicemus *puncto ſequenti* bifariam poteſt per juramentum invocari divinum teſtimonium, vel *expreſsè*, ut cum quis expreſsè Deum, ut teſtem adducit, dicendo: *Iuro Deum: teſtis ſit mihi Deus*, vel *tacitè*, dum non in ſe, ſed quatenus in creaturis ſpecialiter elucet, invocatur, quod fit quando juratur per creaturas nobiliores, in quibus ſpecialiter emicat divina bonitas, ſapientia, & veritas: ut cum iuratur per cœlum & terram, per Evangelia, tunc enim non intendit jurans, eas creaturas in teſtes adducere, cum teſtificari non poſſint, quæ minime ſunt rationales; ſed per Deum, qui in earum creatione, & conſervatione maxime ſplendet. Ideo qui iurat per Cœlum, & Terram, ſenſus eſt; *Per Deum, qui Cœlum, ac Terram fecit.* Iurare autem per has creaturas, vel per alias principaliter, illicitum eſt: Unde Matth. 5. dicit Chriſtus Dominus: *Ego dico vobis non jurare omnino neque per Cœlum, neque per Terram, neque per Ieroſolymam, neque per caput tuum.* Quod exponens D. Thom. 2.2. *quaſt.* 89. *art.* 6. *ad* 1. dicit: *Quod Dominus prohibuit jurare per creaturas, ita quod eis exhibeatur reverentia divina.* Unde Hieronymus *ibidem* ſubdit: *Quod Iudæi per Angelos, & cætera huiuſmodi iurantes creaturas venerabantur Dei honore.* Et eadem ratione punitur ſecundum Canones Clericus per creaturam jurans, quod ad blaſphemiam infidelitatis pertinet, *cap. ſi quis per capillum* 22. *q.* 1.

Tripliciter poteſt aliquis per creaturas jurare.

13. Sed pro majori horum explicatione advertendum eſt, quod per creaturas rationales, nimirum per Angelos, per Virginem Mariam, per alios Sanctos iurare, tripliciter fieri poteſt. Primo ſi per eos principaliter iuretur, quaſi illos, ut teſtes infallibiles veritatis invocare nitatur: & hoc eſt omnino illicitum, & blaſphemum: quia eſſet creaturis tribuere id, quod ad divinum honorem ſolummodo ſpectat. Et hoc modo prohibitum fuit Iudæis per Terram, Cœlum, Angelos iurare, &c. eo quod illis creaturis honorem, & reverentiam Deo ſolum debitam tribuebant. Secundo modo poteſt fieri per has creaturas rationales iuramentum, ſi eas ſecundum ſcientiam, & dignitatem propriam in teſtes adducamus, ad magis roborandam, & firmandam propoſitionem; ſed non ut teſtes infallibiles veritatis, ſed ſicuti alias perſonas in dignitate conſtitutas ſolemus in teſtes citare, ut authoritatem, & fidem maiorem præbeant narrationi, & ſic non erit illicitum; ſed non erit verum iuramentum: quia tunc neque implicitè, neque explicitè Deus, ut teſtis infallibilis veri-

tatis

tatis vocatur. Tertio modo juratur per has creaturas, ut referuntur ad Deum, eo quod in eis Deus maxime eluceſcat, ut cum juratur per Evangelia, per Deum juratur, cujus veritas manifeſtatur in Evangelio: cum per Angelos, aut Sanctos, aut per animam rationalem, per Deum juratur, cuius ſapientia, & omnipotentia in eis elucet, & ſic ſumuntur ut ſunt creaturæ Dei, utque ad Deum ſingulariter referuntur: & ſic eſt verum, & licitum iuramentum, in quo tacite invocatur divinum teſtimonium.

Iurare per infimas creaturas, non eſt Deũ in teſtem adducere, etiam tacitè.

14. Sed non cum juratur per quaſcumque creaturas, cenſeudum eſt, Deum adduci in teſtem tacite, ſed cum juratur per excellentiores, & nobiliores, in quibus ſingulariter Deus ſplendet, eiuſque bonitas, & ſapientia manifeſtatur. Per alias autem viliores, & infimas creaturas iurare: ut per capillos capitis mei, per muſcas, per canes, &c. non eſt per Deum jurare: quia licet omnes ſint creaturæ Dei, in eiſque divina bonitas, & ſapientia exerceatur, non tamen in eis ſingularitudine ſplendet: ideoque per infimas iurat creaturas, minime invocare divinum intendit teſtimonium, ſed potius per ludum, & jocum verba proferre præſumitur: quæ autem ſint illæ creaturæ nobiles, per quas jurare ſit tacitè invocatio divini teſtimonii, & quæ ſint ex inferioribus, per quas iurare non ſit verum, ſed jocoſum iuramentum, non poteſt certa regula diffiniri, ſed ex uſu, & communi conſuetudine, & acceptatione hominum id erit rectè ſtatuendum.

PUNCTUM II.

Quotuplex ſit iuramentum? Vbi an omnia iuramenta ſint eiuſdem ſpeciei declaratur.

Explicatur iuramentum aſſertorium, & promiſſorium.

15. EX duplici capite dividit iuramenta D.Thom. *quæſt.89. art.1.* & cum eo fere omnes Authores; nimirum ex parte rei iuratæ; & ex parte modi iurandi. Ex parte rei juratæ dividitur iuramentum in *aſſertorium*, & *promiſſorium*: ſolet ſuperaddi *comminatorium*, quod ad promiſſorium reducitur: & *execratorium*, quod potius ex parte modi iurandi accipiendum eſt, ut dicemus. Iuramentum *aſſertorium* eſt illud, quo Deus ut teſtis adducitur ad aſſertionem de re Præſenti, aut præterita, (& ſecundum aliquos etiam de re futura) confirmandam, & ſtabiliendam: ut *juro Deum me heri hoc feciſſe*, eſt de re præſenti: *Iuro me modo nihil habere*, eſt de præſenti. Sed re bene inſpecta, quod per iuramentum aſſertorium affirmatur ſemper eſt veritas de præſenti, nam eſt veritas formalis in mente exiſtens, & quod verba exterius prolata cum illa mentis notitia ſunt conformia. Nam qui iurat eſſe, vel fuiſſe talem rem, principaliter iurat ſe hoc ſcire, & ita in mente habere. Et ideo in juramento aſſertorio primo, & per ſe notitia rei iuratæ expectatur, & ex illa præcipua veritas, vel falſitas juramenti deſumitur. ¶ Iuramentum *promiſſorium*, illud eſt, quo rem futuram, quam quis promittit, iuramento firmat, adducendo divinum teſtimonium, ut alium ſecuriorem, & firmiorem de rei promiſſæ adimpletione reddat: ad quod omnino requiritur, quod verum animum implendi promiſſum habeat. Licet enim verum juramentum faceret, qui abſque animo implendi promiſſum, rem ſub iuramento promitteret, ut *cap. præcedenti, num.21.* diximus loquentes de voto; tamen iniquè, & falſo iuraret, & licet poſtea rem promiſſam impleret, eſſet periurii reus: quia in promiſſorio iuramento veritas de præſenti omnino requiritur, ſeu animus implendi, quod ſpondet, & ſic ſemper in promiſſorio iuramento aſſertorium clauditur, quo aſſeritur, id quod de præſenti in mente retinetur. ¶ *Comminatorium*, eſt illud, quo pœnam alteri comminaris, quod reducitur communiter ad promiſſorium: quia eſt promiſſio de pœna alteri infligenda.

Aliæ diverſæ diviſiones iuramẽti proponuntur.

16. Ex parte modi iurandi dividitur iuramentum, in *ſimplex*, & *ſolemne*. Illud *ſolemne* dicitur quod cum aliqua circumſtantia ſpeciali exercetur, ut tactis Evangeliis, ara, Cruce, &c. *Simplex*, quod tali ſolemnitate caret, & ſolum nomen Dei ſimpliciter invocatur. Deinde dividitur in *iudiciale*, & *extraiudiciale*, illud eſt, quod in iudiciò, ſeu coram iudice legitimè interrogante fit: iſtud quod extra tale judicium exercetur. Deinde dividitur in *tacitum*, & *expreſſum*, iſtud eſt, quo Deus expreſsè invocatur: illud, quod fit per creaturas, in quibus tacitè divinum teſtimonium inducitur. Denique dividitur juramentum in illud, quod fit per ſimplicem conteſtationem, & dicitur *Conteſtatorium*, in quo Deus ſimpliciter, ut teſtis vocatur ad conteſtandam veritatem, eique fidem præbendam, ut *Iuro per Deum ita eſſe*: & in id, quod per execrationem exercetur, & dicitur *execratorium*, quo nos ipſos, vel rem nobis charam divinæ ultioni ſubjicimus, ſi verum non eſt, quod aſſerimus. Vnde execratorium juramentum addit ſupra conteſtatorium imprecationem pœnæ à Deo infligendæ, cui ſe ſubjiçit jurans ſi falſum ſit, quod affirmat, ut cum dicit: *Deus non ſalvet me, ſi ita non eſt: mihi vel meis mortem æternam infligat*. & facit hunc ſenſum, Deus quem in teſtem invoco veritatis aſſertæ me non ſalvet, me æterna morte condemnet, ſi falſum eſt, quod affirmo. Vnde in hoc juramento, ut rectè inquit D.Thom. *art.1. ad 3.* & ibi Caietan. *§. ad id autem*, Deus non ſolum invocatur ut teſtis, ſed etiam ut iudex, quia invocatur ut puniendo teſtetur: quamvis ratio vindicis, aut iudicis ſolum materialiter ſe habeat ad rationem formalem iuramenti: quia formaliter iuramentum in invocatione Dei ut teſtis conſiſtit, ut dictum eſt.

Duplex iuramentum execratoriũ declaratur.

17. Sed hoc execratorium iuramentum adhuc poteſt eſſe *implicitũ*, & *explicitum*. *Implicitum* illud eſt, in quo expreſsè aliquid iuratur, ſubiiciens ſalutem, vitam, & ſimilia, periculo amiſſionis, niſi verum ſit, quod iuratur, ut *per vitam meam, per ſalutem Patris, per caput meum, &c.* quia per illa Deum ut authorem vitæ in teſtem rei aſſertæ adducit, & ſimul eum iudicem interpellat, ut ab ipſo tanquam à vero iudice vita privetur ipſe, vel ille per cuius vitam, & ſalutem iurat, ſi non eſt ita ut aſſeritur. *Explicitum* vero execratorium iuramentum illud eſt, quod per imprecationem expreſſam alicuius mali ab aliquo fit, ut ſi dicat: *peream ſi ita non eſt, nunquam me Deus adiuvet, dæmon me arripiat, ſi verum non dico.* Quæ iuramenta, & execrationes ſummopere cavenda ſunt, tum ob ſcandalum, quod

commu

communiter generant: tum etiam, quia ſunt inter omnia juramenta graviſſima, ut inquit Sotus *lib. 8. de iuſtitia, quæſt. 1. art. 1. colum. 5. & art. 6. colum. 6.*

Eligimus ſententiam negantem iuramenta eſſe diverſæ ſpeciei.

18. Sed difficultas modo eſt, an prædicta omnia juramenta ſint unius, vel diverſæ ſpeciei, & ſic perjuria, ſeu fractiones illorum conſtituant peccata ſpecie diverſa? Suarez *tom. 2. de relig. tract. 5. lib. 1. cap. 9. num. 5.* dicit: valde eſſe propenſum in ſententiam, quæ ſpecie diſtinguit juramentum aſſertorium, & promiſſorium. Et hoc amplectitur, & defendit Palaus *tom. 3. tr. 14. diſ. 1. punct. 2. num. 7.* hac præcipuè enixus ratione: quia in juramento aſſertorio ſolum invocatur Deus, ut teſtis rei aſſertæ; in promiſſorio autem, ut tale eſt, invocatur Deus, ut fidejuſſor promiſſionis, ſeu verbi dati de futuro: hæ autem rationes formales ſunt longè diverſæ ſpeciei: ergo, &c. ¶ Cæterum communis ſententia dicit, omne juramentum, ſive ſit aſſertorium, promiſſorium, comminatorium, execratorium, &c. ſive fiat per Deum, per creaturas, ſive tactu Evangelii, & quacumque alia ſolemnitate, ſive abſque illis, eſſe ejuſdem ſpeciei in ratione juramenti, proptereaque neceſſarium non erit in Confeſſione explicare, quod fuit juramentum, quod falſo protulit, an juraverit per Deum, an per creaturas, an aſſertorium, an promiſſorium juramentum, violaverit; ſed ſat erit dicere: *Fateor me toties pejeraſſe.* Licet enim aliqua ex illis graviora ſint, vel non nimis aggravant intra eandem ſpeciem, ut ob id debeant exprimi in Confeſſione; vel eſtò nimis aggravarent, ſi ſit abſque mutatione ſpeciei, non erit neceſſe talis gravitas in Confeſſione declarari, juxta ſententiam, quam toto hoc curſu multoties ſecuti ſumus.

Probatur omnia juramenta eſſe eiuſdem ſpeciei.

19. Quod autem omnia juramenta in ratione juramenti ſint eiuſdem ſpeciei probatur. Quia ratio formalis, & eſſentialis juramenti in eo ſita eſt, quod invocet divinum teſtimonium, Deumque ut teſtem adducat veritatis, quod autem ſit, vel adducatur, ut teſtis rei præſentis, vel præteritæ, ut in iuramento aſſertorio: vel quod ut teſtis invocetur impletionis rei futuræ: quod per ſimplicem atteſtationem talis invocatio divini teſtimonii fiat, vel per execrationem: quod fiat immediatè & expreſsè Deum invocando: vel tacitè invocando ipſum, ut ſplendet in creaturis, ad rationem formalem iuramenti eſt quid materiale, & accidentale, cum ſemper illa ratio formalis, *Deum ut teſtem veritatis invocare*, eadem ſit formaliter in omnibus: non ergo dantur ſpecies diverſæ juramentorum in ratione talium. Quare etiam in juramento promiſſorio Deus ut teſtis invocatur rei futuræ? quia cum illi omnia præſentia ſint rectè ut teſtis rei futuræ poteſt implorari. Eſtò tamen ratificatio non eſſet niſi de re præterita, aut præſenti, imploratio autem, ſeu invocatio teſtificationis etiam in humanis poteſt fieri de re futura, ut alter teſtetur, quod iſte verax eſt, & erit fidelis in promiſſis, aut ſaltem modo teſtis ſit, quod de præſenti eſt verax, & ut talis quod promittit poſtea exhibebit, ſic adducitur Deus ut teſtis in iuramento promiſſorio. Ob quam rationem dicitur, quod ſimul Deus eſt teſtis, & fidejuſſor, ſicut in execratorio ſimul eſt teſtis, & iudex: ſed hæ ſunt rationes accidentariæ ad juramentum, cuius ſpecifica ratio in invocatione divini teſtimonii conſiſtit. Atque ita tenent Cajetan. 2. 2 *quæſt. 89. art. 1. prope principium.* Prado *tom 2. cap. 31. quæſt. 1. §. 2. num. 12.* Sotus *lib. 8. quæſt. 1. art. 1. ad finem.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 3. num. 9.* Valentia 2. 2. *diſ. 6. quæſt. 7. punct. 2. ad finem* Fagundez *tom. 1. lib. 2. cap. 4. n. 3.* Sanchez *lib. 3. Summ. cap. 1. num. 9.* Tamburin. *lib. 3. in decalog. cap. 1. §. 2. num. 8.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 2. a quæſt. 7.* Sayr. *lib. 5. cap. 2. num. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 42. num. 90. & 100.* Leander *tom. 2. decalog. tract. 1. diſ. 2. q. 3.* Bonac. *diſp. 4. q. 1. punct. 2. num. 2.*

Juramento poteſt addi alia ſpecies malitiæ, & ſic fieri duplex peccatum.

20. Diximus In *vi juramenti*, ſeu in ratione juramentorum non differre ſpecie ſupra dicta juramenta: nam contingere poteſt, quod juramentum factum habeat adiunctam aliam ſpeciem diverſam, quæ licet ſit accidentalis ad rationem iuramenti, erit formalis pro alio genere morali, & ſic omnino aperienda in Confeſſione: ut ſi iuramento adiungatur blaſphemia, ut *juro per vitam Dei*, & alia huiuſmodi, jam in illo actu præter iuramentum eſt alia ſpecies moralis. Idem accidit, ſi quis in iudicio iudici, aut ſuperiori legitimè interroganti ſub iuramento veritatem non aperiret, hic enim præter malitiam periurii incurrit malitiam inobedientiæ, legitimo Superiori præcipienti in re gravi non obediendo. Et hoc etiam ſi non ſit in præiudicium tertii. Nam ſi quis in iudicio falſum iuraret in præiudicium alicuius, triplex ſpecie diverſum peccatum committeret, & periurii contra iuramentum, & inobedientiæ contra præceptum Superioris: & iniuſtitiæ contra eum, cui damnum irrogavit.

PUNCTUM III.

De diverſis verbis, & formulis, quibus juramenta fieri ſolent.

Diverſitas verborum, quæ ſolent cum iuramento proferri.

21. QUAMVIS ad iuramenta, ut dictum eſt nulla determinata verba requirantur, ſed illa, quæcumque ſint, ſufficiant, quibus divini nominis invocatio tacitè, vel expreſsè exprimatur; tamen ſunt aliqua verba, quæ communi uſu, & acceptatione pro iuramento accipiuntur, in quibus abſque dubio iuramentum exprimitur; & ideo niſi aliud conſtet de intentione, aut mente iurantis, ſemper pro iuramento habentur, & ut ſic in omni foro iudicantur. Alia vero ſunt, quæ ex communi uſu, aut conſuetudine non continent divini teſtimonii invocationem, ideoque iuramenta non cenſentur, niſi conſtet de mente illa proferentis, quod voluerit in ſenſu iuratorio ea proferre. Alia denique ſunt indifferentia, & ambigua, quæ aliquando continent iuramentum; aliquando non, & ex modo quo proferuntur, & ex intentione loquentis iudicandum erit, quando ut iuramenta ſint, vel non habenda. Dabimus exempla aliqua horum trium generum, ut ex eis quilibet in ſimilibus caſibus philoſophari queat.

Formulæ verborum, quæ ut in plurimum ſunt iuramenta.

22. Primi generis ſunt iſta: *juro per Deum: teſtis eſt mihi Deus: teſtem invoco Deum vivum.* Idem dicendum eſt de iſta formula: *ſicut credo in Deum, ita eſt:* quia in teſtem Deus adducitur ut in fide ſplendet, idem: *per fidem Chriſti: per fidem Dei iuro:* quia vere per hæc verba veritas fidei divinæ in teſtimonium adducitur. Sanchez *lib. 3. cap. 2. num. 32.* Fagundez *lib. 2. cap. 1. num. 24.*

*num.*24. Villalob. *tract.*36.*diff.*2.*n.*8. Idem dicendum eſt de iſtis? *Per meam vitam: per meam animam: per ſalutem meam: per Cœlum: per Terram: per Templum Dei: per habitum B. Virginis.* Nam in his omnibus Deum ſpecialiter elucere, & invocari, communi eſt conſuetudine receptum. Idem dicendum eſt de iſtis: *Sic Deus me adjuvet; dæmon me arripiat: moriar ſtatim, ſi ita non eſt*: hæc apud omnes ſunt juramenta exècratoria, & faciunt hunc ſenſum: *Si verum non eſt, quod aſſero, Deus, quem in teſtem invoco, me non adiuvet, vita privet, dæmoni tradat, &c.* Idem dicendum eſt de his verbis: *Voveo Deo ita eſſe: ego promitto tibi Deo*: Hiſpanè, *Voto à Dios: ego te prometo à Dios*: hæc enim verba licet ex ſe, & in rigore iuramentum non ſint: ſed votum ſignificent, jam uſu communi, & accommodatione hominum pro juramento habentur. Suar. *lib.*1.*c.*13.*n.*2. Palaus *tract.*14. *diſ.*1.*punct.*1. Sanchez *lib.*3.*c.*2.*n.*14. Fagundez *c.*2.*num.*4. Leander *tract.*1.*diſ.*3.*q.*7.

Aliæ formulæ verboſiſi quæ ut in plurimum non ſunt iuramenta.

23. Secundi generis ſunt, ſi quis diceret: *Per fidem meam: in fide boni viri: per meam fidem iuratam*: qnia talia verba juramenta non ſunt, eo quod in eis non interponitur fides divina, ſed humana: & ſenſu eorum eſt: *Per fidem, quæ in homine probo debet eſſe, & obſervari*: uti fidei, ſeu fidelitati etiam creditio eſt deferenda: & ideo juxta communem uſum & ſenſum ſic loquentium, non cenſentur iuramenta. Soto *lib.*8. *q.*1. *art.*1.*col.*1. Suarez *lib.*1. *de iuramento c.*23.*n.*17. Idem dicito de his: *In fide Chriſtiani, aut boni Chriſtiani, vel per fidem boni Chriſtiani*: Hiſpanè, *à fe de Chriſtiano: à fe de buen Chriſtiano*, eo quod hæc verba non teferuntur ad fidem divinam, quam Chriſtianus profitetur, ſed humanam, efficiuntque talem ſenſum, *ea veritate loquor, qua bonus Chriſtianus loqui debet.* Leſſius *lib.*2.*c.*42.*dub.*1.*n.*4. Petrus de Ledeſma *tract.*11. *de iuram.c.*1.*dub.*1. Sanchez *lib.*3.*c.*2.*n.*32. Villal. *tract.*36. *diff.*2. *n.*8. Idem dicendum eſt de iſtis, non eſſe iuramenta, *in fide Religioſi, aut Sacerdotis*: vnlgo, *ſi à fe de Religioſo, ut Sacerdote*: quia ubi non conſtat de alia intentione, verba hæc de fidelitate humana, & veracitate à bono Religioſo, vel Sacerdote profitentis, intelligenda ſunt. Sic Suarez, Sanchez, Leſſius, Fagundez, Palaus *loc. cit.*

Aliæ formulæ iuramentorum recenſentur.

24. Si quis autem abſolute diceret: *iuro me facturum, vel iuro ita eſſe*: non amplius addendo, non cenſeretur jurare: quia nec explicitè, nec implicitè divinum teſtimonium implorat; imò hoc ipſo, quod ſe continuit, & noluit amplius procedere, ſe nolle iurare convincitur. Suarez *lib.*1.*c.*13.*n.*4. Sanchez *c.*2. *n.*5. Bonacin. *tom.*2. *diſ.*4 *q.*1.*punct.*1. *fine.* Niſi præceſſiſſet interrogatio de iureiurando: nam ſi quis interrogatus de veritate ſub jurejurando, reſponderet: *iuro ita eſſe*: verum efficeret juramentum: quia tunc verbum, *Iuro*, ſatis determinatum eſt per verba præcedentia. Idem potiori jure ſentiendum eſt, ſi verbo *Iuro*, addatur aliud diſtrahens à vera juramenti ſignificatinne, ut ſi diceret: *Iuro à mi: juro à qui en ſoy: juro à tal? juro à diez*: hæc enim verba non ſunt juramenta. Idem eſt de eo, qui ſic diceret: *Iuro per vida de quanto puedo jurar*: quia per nihil cenſetur jurare, cum per nihil jurare poſſit abſque veritate, & neceſſitate. Sanchez *num.*23. Palaus *diſ.*1. *punct.*1. Fagundez *lib.*2.*c.*1.*num.*38. Leander *ſupra q.*26. Similiter non eſſe verum iuramentum arbitramur, cum quis dicit: *Iuro per iſtam Crucem*, Cruce tamen non ſignata, quia qui ab aſſignatione crucis abſtinuit, intentionem iurandi non habere manifeſte indicavit. Sanchez *lib.*3.*cap.*2. *n.*27. Fagund. *n.*40. Villal. *tr.*30.*diff.*2.*n.*10.

Verba, quæ aliquando iuramentũ continent, aliquando non.

25. Alia ſunt verba indifferentia, quæ aliquando continent juramentum, aliquando non, & ex modo, & intentione, quo proferuntur eſt judicandum, ut in iſtis: *Coram Deo ita eſt, Deus ſcit, Deus videt hoc ita eſſe, Deus mihi teſtis eſt, quod verum dico*: hæc enim verba invocativè prolata, ſeu animo invocandi divinum teſtimonium ſine dubio ſunt juramenta; etſi enunciativè ſumantur, ita ut enunciare dumtaxat intendant, Deum illnd ſcire, illud cognoſcere, vere eſſe omnium teſtem, non erunt juramenta. Sayr. *lib.*5.*c.*1.*n.*5. Leander *tract.*1. *diſ.*3.*q.*3. Sanchez *lib.*3.*cap.*2.*num.*21. Bonac. *tom.*2.*diſp.*4.*q.*1.*punct.*1. *num.*2. § De his verbis: *Vivit Deus, vivit Dominus, Deus eſt veritas*: vulgo, *Dios es verdad que es aſſi: coram Deo, quod non mentior*: Hiſpanè, *delante de Dios que no miento*, aliqui dicunt eandem habere æquivocationem ac præcedentia: quia ſi ſolum proferantur enunciativè, affirmando Deum, qui eſt vivens, & ſumma veritas, id ſcire verum eſſe, talia iuramenta non erunt; ſecus ſi per ea Deum intenderet iurans in teſtem invocare. Sic Cajetan. 2.2. *q.*89. *art.*1. Fr. Ioan. à Cruce 2.*pracept. art.*1. *verſu ex dictis patet.* Petr. de Ledeſm. *tom.*2. *tract.*11. *cap.*2.*dub.*1. Verum quia talia verba frequenti uſu, & conſuetudine ut juramenta uſurpantur: communiter inter verba certam divini teſtimonii invocationem continentia referuntur. Et ideo Prophetæ frequenter illo modo iurandi utebantur. Ierem.4. *Iurabunt vivit Dominus.* Elias *Pater noſter* illo utebatur juramento: *Vivit Dominus ante cuius vultum ſto.* 3. Regum 17. & ſenſus eſt ac dicere: *Illum in teſtem affero, qui non modo vivit vitam immortalem, ſed ubique adeſt.* Sotus *lib.*7. *q.*1. *art.*1.*colum.*6. Azor *tom.*2. *lib.*11 *cap.*3.*q.*1. Trull. *lib.*2.*c.*1.*dub.*4.*n.*1. Fagundez *lib.*2.*c.*2.*n.*37. Sanchez *lib.*3.*c.*2.*n.*22.

Alia ferè eiuſdem rationis verba.

26. Illa autem verba: *occidar, interficiar ſi ita non eſt*: vulgo, *que me maten ſino es aſſi*: vel illa, *amputentur mihi aures, ſi hoc non fuit*: Hiſpanè, *que me corten las orejas ſino fue aſſi*: ſi per modum execrationis proferantur, erunt iuramenta: quia faciunt ſenſum: *Deus, quem teſtem invoco, me occidat, &c. ſi hoc ita non eſt.* Cæterum communiter non niſi quandam ſponſionem continent, aut pœnæ obligationem, & faciunt talem ſenſum: *Spondeo vitam meam, aures meas, ſi hoc ita non ſit*: vulgo, *A pueſto la vida, las orejas que eſto no es, &c.* Sanchez *num.*2. Palaus *dicto punct.*1. Fagundez *num.* 12. Trullench. *num.*9. Villalob. *num.*19. § Idem dicendum eſt de illis verbis: *Habear ut infidelis, mendax, hæreticus, ſi ita non eſt*: quia non invocat Deum in teſtem, ſed ſolum ſe illi malæ opinioni ſnbmittit, ſi falſum, quod aſſerit reperiatur. Sanchez *num.*41. Faguodez *num.* 12. Trullench. *num.*8. Et minus erit juramentum, dicere: *Ruin ſea yo, ſi eſto, &c.* & dicere: *Tengan me por un ruin, ſi eſto, &c.*

Formulæ, quæ cõmuniter nõ eſt iuramentũ.

27. Quid autem dicendum ſit de his verbis? *Tot Angeli tollant animam meam quot vicibus hoc feci: melius me Deus ſervet, &c.* Hiſpanè, *Tantos Angeles vengan por mi alma y mejor me guarde Dios.* Reſpondetur, quod regulariter, & frequenter non exècrativè dicuntur, & ideo non ſunt juramenta, ſed enunciativè, vel comparative, & eſt ſenſus: *gauderem*

ut

ut tot Angeli me reciperent, quot vicibus hoc feci: & illa, *melius mihi faveat Deus*, eſt comparando unum cum alio, non execrativè loqnendo. Sanch. *num.* 34. *&* 40. Palaus *loco citato*, Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 8. Villal. *tract.* 36. *diff.* 1. *n.* 19. ¶ Idem dicimus de hac formula: *hoc eſt verum, ſicut verum eſt Evangelium.* Si enim veritatem divinam, vel Deum in Evangelio relucentem in teſtificationem humanæ veritatis adducat, planum eſt hoc modo eſſe juramentum; cæterum non ita frequenter talia verba proferuntur, ſed veritatem humanam eſſe ad inſtar divinæ, eique aſſimilari aliqualiter affirmant, qualiter non ſunt juramenta. Sic Sanchez & Palaus *locis citatis.*

Alia verba de quibus eſt dubium, an ſint juramenta?

28. Si quis tædio affectus dicat: *por Dios que ſi: por Dios que es recta coſa: por Dios que os bueno eſſo*: regulariter non facit juramentum: quia non ex animo adducendi Deum in teſtem, ſed oſtendendi tædium, & iram, aut mœrorem proferuntur. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 7. Bonacina *diſ.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 8. Idem dicendum eſt de iſtis: *Cuerpo de Dios con tal hombre*: quia ſolum animum iratum denotant, nihil affirmando, vel negando. Sic Sanchez *num.* 14. Palaus *punct.* 1. ¶ Quid vero de his verbis ſentiendum ſit? *in anima mea, vel per animam meam: in conſcientia mea, vel per meam conſcientiam: teſtis eſt mihi conſcientia mea: ſuper conſcientiam meam, quod hoc ita eſt.* Reſpondetur, quod priora verba, nimirum, *in anima mea, per animam juro*: probabilius judicamus juramenta continere, & ut ſic communiter accipi: quia cum in anima rationali ſingulariter ſplendeat Deus, ut in ſua imagine, cenſetur Deus ut in ipſa ſplendens adduci in teſtem. Suarez *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 22. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 29. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 18. Quamvis hic ultimus recte addat, quod ſi hæc verba ſenſu proferantur: *in anima mea*, id eſt, *hoc quod dico eſt quod habeo in anima mea:* Tunc non erit juramentum, ſed ad hoc debent hac ſpeciali ratione proferri; aliàs ex communi uſu, & conſenſu hominum pro juramento uſurpantur. Reliqua alia, *in conſcientia mea, vel per meam conſcientiam &c.* juramenta non ſunt: (niſi pronuntians illa velit expreſsè & formaliter jurare) quia in illis nil adducitur in teſtem rei aſſertæ, & purus ac nudus ſenſus illorum eſt: *hoc quod dico, eſt quod ſentio in mea conſcientia: quod mihi dictat conſcientia mea.* Petrus de Ledeſma *tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 1. *dub.* 1. *in ſol. ad* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 2. *num.* 4. Villalob. *tract.* 36. *diff.* 2. *num.* 7.

PUNCTUM IV.

An ſit licitum juramentum? an frequentandum, & conſulendum? Et de tribus ejus comitibus ut licitè emitti valeat.

Juramentum licitum eſſe, certum eſt ſecundum fidem.

29. ESſe jusjurandum ex ſe actum licitum, laudabile, & honeſtum, eſt certiſſimum apud Catholicos, & de fide tenendum. Nam Deuter. 6. & 20. dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis.* Et Pſal. 14. laudatur: *qui jurat proximo ſuo, & non decipit.* Et Pſal. 62. *laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Et conſtat ex pluribus exemplis Sanctorum, qui in veteri, & in novo teſtamento juramentis uſi ſunt, de quibus impium eſſet aſſerere in talibus juramentis peccaſſe. Et ad Romanos 1. jurat Apoſtolus, dicens: *teſtis eſt mihi Deus.* 1. ad Timotheum 4. *coram Deo: quia non mentior.* Et conſtat ex pluribus authoritatibus Auguſt. & aliorum Patrum, & ex uſu antiquiſſimo Eccleſiæ, tam in judiciis, ut habetur *in titulis de jurejurando, & de teſtibus*, quam ad hæreſes objurandas *ex Concilio Epheſino*, Et ad firmandam pacem, finiendas controverſias ut dicit Apoſtol. *ad Hebr.* 6. Ac denique probatur ratione D. Thomæ 2.2. *q.* 89. *art.* 1. ſumpta ex origine, & fine juramenti: ex origine quidem, quia juramentum eſt introductum ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & univerſalem omnium cognitionem, & proviſionem: ex fine autem, quia juramentum inducitur ad certificandum homines, ad firmandum eos in promiſſis, & ad controverſias finiendas.

Objectio ex duplici textu ſcripturæ.

30. Sed contra hanc catholicam veritatem objicies, quod Chriſtus dominus Matthæi 5. ſic inquit: *audiſtis quia dictum eſt antiquis non perjurabis: reddes autem domino juramenta tua? Ego autem dico vobis: non jurare omnino, ſit autem ſermo veſter: eſt, eſt; non, non. Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Quod amplius Iacobus Apoſtolus declarat *in cap.* 5. *ſua canonica Epiſtola Ante omnia fratres mei nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum*: igitur in lege Evangelica nullo titulo, nullaque occaſione licitum erit juramentum.

Prima ſolutio.

31. Reſpondetur primo ad hanc objectionem, Chriſtum dominum, & D. Iacobum non prohibuiſſe omnino juramentum, ob idque eſt commune inter doctores in lege gratiæ præter præcepta fidei, & Sacramentorum nullum aliud poſitivum præceptum reperiri, niſi fidei, & Sacramentorum; ſed jurare frequenter, & abſque neceſſitate ad abolendum errorem Hebræorum, qui ſolum juramentum cum mendacio putabant illicitum; alia vero juramenta præcipue per creaturas licita eſſe, & paſſim frequentanda dicebant, etiam præſtita abſque neceſſitate. Quod voluit Chriſtus dominus condemnare, dicendo: non eſſe jurandum omnino, niſi ad hoc neceſſitate cogente. Quod Apoſtolus (inquit D. Thom. *art.* 2. *ad primum*) *in Epiſtolis ſuis jurans oſtendit quomodo accipiendum eſſet, quod dictum eſt: dico vobis non jurare omnino, ne ſcilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, & ex facilitate jurandi ad conſuetudinem, & à conſuetudine in perjurium decidatur.* Tunc igitur eſt malum, & condemnabile juramentum, quando ſine neceſſitate, & cautela debita emittitur, videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi cauſa teſtem inducit: *quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto*: ut recte inquit D. Th. *in corpore dict. art.*

Secunda ſolutio præcedentis objectionis.

32. Secundo reſpondetur nullum ibi à Chriſto Domino, aut Apoſtolo imponi præceptum, ſed tantum præberi conſilium nunquam jurandi, etiam ſi licite poſſit aliquando jurari propter neceſſitatem, aut charitatem proximi. At regulariter ſit melius, & religioſius ſimpliciter tantum aſſerendo, quam juramento confirmando: quia ut recte inquit Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 15. facilius adhibetur fides ei, qui ſemper loquitur verum, & nunquam jurat, quam ei, qui frequenter jurat. Unde Chriſtus Dominus ſubjunxit: *ſit autem ſermo veſter eſt, eſt; non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt:* Et eſt ſenſus admoneo, & conſulo nunquam jurare, ſed ſimplicibus verbis veritatem ſemper proferre, quamvis ob infirmitatem, & incredulitatem humanam, juramentum ut licitum aliquando permitto, ut

illi

illi ſoccurratur, firmitatem, & authoritatem ex juramento præbendo. Ideo hoc iuramentum *à malo eſt*, non malum: quia licet ſit licitum, eſt ad ſubveniendum malo, & infirmitati alterius introductum. Sic D.Thom. *art.2. citato in ſolutione ad* 2. his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quod ſicut Auguſt. dicit in lib. de ſerm. Domini in monte: ſi iurare cogeris: ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid ſuades: quæ utique infirmitas malum eſt. Itaque non dixit, quod amplius eſt, malum eſt. Tu enim malum non facis, qui bene uteris iuratione, ut alteri perſuadeas, quod utiliter perſuades: ſed à malo eſt illius, cuius infirmitate iurare cogeris.*

Iuramentū non eſt bonum per ſe, & ſic nec conſulendū nec frequētandum.

33. Ex quibus dedocitur, quod licet bonum, & honeſtum ſit juramentum cum debitis circumſtantiis emiſſum, non eſt per ſe appetendum, & conſulendum, nec frequentandum tanquam utile, & bonum, niſi dumtaxat in caſu neceſſitatis eſt eo utendom, ut rectè probat D. Thom. *art.* 5. hac ratione: nam id quod non quæritur, niſi ut alterius defectui ſobveniatur, non numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ob neceſſitatem dumtaxat appetuntur, ſicuti patet de medicina, quæ quæritur ad ſubveniendum infirmitati, quæ non appetitor, niſi quatenus ad infirmitatem ſanandam eſt neceſſaria. Iuramentum autem quæritur ad ſubveniendum alicui defectui, quo ſcilicet unus homo alteri diſcredit, & ideo non eſt habendum inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ quæruntur præcisè ob neceſſitatem, quibus malè, & indiſcretè utitur, qui eis utitur ultra terminos neceſſitatis. Unde in reſponſione ad 3. optimè ait: *Quod ſicut medicina eſt utilis ad ſanandum, & tamen quanto magis eſt virtuoſior, tantum majus nocumentum inducit, ſi non debitè ſumatur: ita etiam juramentum utile quidem eſt ad confirmationem, tamen quanto eſt magis venerandum, tanto eſt magis periculoſum, niſi debite inducatur.* Unde dixit Chryſoſt. Matth. 5. *Nemo eſt, qui frequenter jurat quin aliquando non periuret: ſicut qui conſuevit multa loqui, aliquando loquitur importuna.* Conſonatque illud Eccleſiaſt. 23. *vir multum iurans replebitur iniquitate.*

Tres comites iuramēti explicantur.

34. Vt autem juſiurandum licite & honeſte exerceatur, tres conditiones iure ipſo naturali, & divino exiguntor. Quæ *Comites* juramenti communiter appellantur, videlicet, *veritas, iuſtitia, & iudicium*: juxta illud Ierem. 4. *Iurabis vivit Dominus in veritate, judicio, & iuſtitia.* Quod ita exponit D. Hieronym. relatus *in cap. animadvertendum* 22. *q.* 2. *Animadvertendum eſt, quod juſiurandum hos habet comites, ſcilicet, veritatem, iudicium, & iuſtitiam. Iudicium* in præſenti non accipitur pro executione iuſtitiæ, ſed pro iudicio diſcretionis, quo nimirum attenditur, & penſator cauſa, & neceſſitas jurandi, ſi pius adhibetur fini tuendæ charitati, & paci neceſſarius, ſi alia via non poteſt res confirmari, & comprobari. Per *iuſtitiam*, non intelligitur illa, quæ ſpecialis eſt virtos, diciturque *juſtitia*, ſed ne Deus adducatur ut teſtis alicuius rei improbæ, & malæ, ſive ſit talis contra iuſtitiam, ſive contra aliam quamcunque virtutem. Quod in juramento promiſſorio maximè reperitur, ut ſi quis juraret, ſe furaturum, ſe fornicatorum, &c. Quamvis etiam in juramento aſſertorio poſſit iuſtitia deficere, ut dicemus. *Veritas* in juramento aſſertorio, in eo conſiſtit, quod aliquis rem juret qualiter arbitratur eſſe, vel fuiſſe, & ſicut in mente eam habet, ita ut non affirmet rem ut certam; quam putat eſſe dubiam; nec ut dubiam, quam certam arbitratur. In promiſſorio autem conſiſtit veritas de præſenti in eo, quod quis habeat animum implendi, quod jurejurando promittit; veritas vero de futuro in eo, quod poſtea promiſſum exequatur.

Ratio D. Thom. quare tres dicti comites requirantur ad iuramentum.

35. Rationem quare, ut iuramentum licitum, & honeſtum ſit, requirat tres ſupra dictos comites, reddit D.Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 3. *corp.* Quia juramentom non eſt boonum, niſi ei, qui bene utitur juramento: ad bonum autem uſum illius duo requiruntur, unum ex parte modi jurandi; aliud ex parte rei, quæ juratur. Ex parte modi iurandi requiritur, quod quis non leviter, irreverenter, præcipitanter, abſque juſta & legitima cauſa iuret: quia Deo iniuriam irrogat, eum abſque iuſta cauſa in teſtem adducendo, & ad hoc ponitur *judicium*, nimirum diſcretio, & ponderatio cauſæ & neceſſitatis, & quod attendatur, quod reverenter nomen Dei invocetur, & omnia quæ exiguntur ad debitum modum iurandi. Secundo exigitur in iuramento, quod attendatur ad id, quod per illud confirmatur, ut ſcilicet neque ſit falſum, nec ſit aliquid illicitum: nam ſi ſit falſum efficitur Deus vel ignorans, vel improbus; nam alterutrum falſitatis teſtem eſſe oportet: ſi ſit illicitum efficitur Deus cooperator illius mali, quod illius teſtimonio faciendum promittitur. Et ob id requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum eſt. Et iuſtitia per quam confirmat, quod eſt licitum. Vnde ſi deſit judicium iuramentum redditur incautum ſi veritas redditur mendax, & propriè dicitur periurium. Si iuſtitia redditur illicitum, & iniquum.

Qualiter in iuramento aſſertorio iuſtitia requiratur?

36. Solum eſt difficultas in hac parte qualiter ioramentum aſſertorium defectu *juſtitia* poſſit eſſe iniquum: quia non videtur ob id illicitum dicendum, quia rem illicitam iuramento confirmat: quia ſicut licet mala facere, malum ſit, non tamen malum ſcire, eſt malum: ſic licet illicitum facere, ſit illicitum; non tamen eſt illicitum, illicita iuramento affirmare, ſicut teſtes, qui de adulterio, & homicidio teſtificantur, licite iurant quamvis materia iuramenti ſit turpis. Quare dicendum eſt iuramentum aſſertorium etiam requirere ut comitem *juſtitiam*; ſed non ob id illa carere, & illicitum dicendum, quia rem illicitam teſtificatur, ut probat argumentum; ſed quia ioramentum aſſumit, ut inſtrumentum, & medium iniquitatis. Unde iniquitas, & iniuſtitia huius juramenti non eſt ſita in ſimplici enunciatione mali patrati, ſed ex eo quod iniuſtitiam iuret ad firmiorem, & ſecuriorem iniuſtitiam reddendam. Rem exemplo declaro. Qui occultum crimen proximi propalat, ex cuius revelatione ejus offenditur opinio, & talem manifeſtationem firmat iuramento, iam aſſumit iurameotum ut medium, & inſtrumentum ad ſecuriorem, & firmiorem ſuam iniquitatem reddendam, & tunc, & ſi verum ſit quod dicit, & ſic non deficiat veritas tali iuramento, deficit tamen iuſtitia, non ſolum ob iniuriam, quam proximo irrogat, ſed etiam ob iniuriam, quam Deo facit, illius teſtimonio utendo, ut medio, & inſtrumento, ad ſuam confirmandam malitiam. De quo iterum infra erit ſermo.

PUNCTUM V.

Qualiter defectus veritatis, iuſtitiæ, & iudicii: qui ſunt tres comites iuramenti, illud vitiet, & illicitum reddat?

Defectus judicii in juramento non facit illud mortale.

57. VT à brevioribus, & communioribus incipiamus ſtatuendum eſt, defectum illius comitis, nimirum *iudicii*, ſeu debitæ diſcretionis in modo jurandi, quod requiritur ad neceſſariam jurandi cauſam, & debitam reverentiam, non eſſe peccatum mortale in juramento tam aſſertorio, quam promiſſorio, ſed ſolum veniale communiter: quia ſuppoſita veritate de re, quæ juratur, modica irreverentia Deo irrogatur, quod nomen ſuum abſque neceſſitate invocatur, ſi juſtè, & vere invocatur, ſed eſt ſolum peccatum vanitatis, & ſuperfluitatis. Sic Sanchez *lib. 3. cap. 4. n. 35.* Suarez *de iuramento lib. 3. cap. 12. num. 3.* Palaus *tract. 14. diſ. 1. punct. 5. num. 7.* Leſſius *libro 2. cap. 42. dub. 3. num. 17.* Sayr. *lib. 5. cap. 4. num. 32.* Fagundez *lib. 2. cap. 3. num. 15.* Tambur. *in decal. lib. 3. cap. 5. §. 4. fine*, Sylveſter *verbo iuramentum 2. quæſt. 8.* Leander *tom. 2. decalog. tract. 1. diſ. 7. quæſt. 19.* Niſi defectus judicii ſit ex parte negligentiæ, & inquiſitionis neceſſariæ ad perpendendum, an ſit verum, & juſtum, quod juratur: quia tunc erit mortale, vel veniale, ſecundum quod negligentia gravis vel levis fuerit, non tam ob defectum *iudicii*, quam ob periculum grave falſo, vel injuſtè jurandi. ¶ Agemus ergo modo de aliis duobus comitibus, ſed ut in hoc clarius procedamus ſigillatim de juramento aſſertorio, promiſſorio, & comminatorio agemus, & hoc diverſis paragraphis claritatis gratia.

---

§. I.

De veritate, & iuſtitia requiſita pro iuramento aſſertorio.

Non datur parvitas materiæ in iuramento aſſertorio circa veritatē.

58. CErtiſſimum eſt, veritatem eſſe unam ex præcipuis conditionibus requiſitis ad licitum, & juſtum juramentum, cujus defectus præcipue facit periurium, quod graviſſimè Deum offendit, eum fallacem, falſum, & teſtem, ac coadiutorem falſitatis quantum eſt ex parte iurantis faciendo. Quare dicimus, quod in iuramento aſſertorio defectus veritatis, in quacumque materia quantumvis minima, eſt peccatum mortale: nec ad hoc ut abſque veritate iuretur aliqua excuſatio poteſt reperiri, quæ iurantem excuſet à mortali, niſi defectus advertentiæ, aut libertatis; non autem quod materia iurata ſit, vel non, parvi momenti: quia tam falſum eſt, te non fricaſſe barbam, non levaſſe feſtucam, jurare; ſi verè feciſti: quam non patraſſe homicidium, & cum Deum ut teſtem falſitatis invocare, ſit illi graviſſima iniuria, cum Deus ſit ſumma veritas, cui falſitas quæcumque infinitè repugnat, nequit à mortali excuſari, qui eum ut teſtem adducit rei falſæ, quam jurat; etiamſi iuramentum ſit de re leviſſima, & alias nullius momenti, eſt commune inter Doctores. Ita docent, Sotus *de iuſtitia lib. 8. quæſt. 2. art. 3. concluſ. 2.* Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 4. num. 6.* Palaus *tra. 14. diſ. 5. punct. 5. num. 1.* Valent. *2. 2. diſ. 6. quæſtione 7. punct. 5. colum. 6.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 3. de iuram. cap. 4. num. 2.* Leander à Sanctiſſimo Sacramento *tom. 2. in decalog. tract. 5. diſ. 6. quæſt. 4.* Diana *3. part. tract. 5. reſolut. 5.* Candid. *tomo 2. diſq. 26. art. 9. dub. 1.* Trullench. *lib. 2. cap. 5. dub. 6. num. 5.* Tambur. *in decalog. lib. 3. cap. 2. § 5. num. 1.* & alii.

Defectus veritatis ob excuſatur à gravi peccato, niſi ob inadvertentiam.

59. Nec excuſatur à periurio, & à peccato mortali, qui abſque veritate jurat, ob finem quantumvis Sanctum, aut neceſſarium, aut ob quemcunque timorem, etiam viri conſtantis: quia ſicut mentiri eſt ita intrinſecè malum, ut nunquam poſſit honeſtari, ſic nec mendacium ſub juramento nequit à periurio liberari ob quamcumque excuſationem, vel titulum, nec eſt aliquo modo honeſtabile. Sic Authores citati. ¶ Solum ex defectu perfectæ deliberationis excuſatur à mortali, qui falſum jurat, ut ſi inadvertenter ex lapſu linguæ iuret, vel iuret id, cuius veritatem non ſufficienter diſcuſſit, aut non advertens ſe jurare, aut non advertens falſum eſſe, quod iuramento affirmat. Quia omnes Doctores exigunt ad peccatum mortale in iuramento aſſertorio, ut iurans advertat, & ſe iurare, & id eſſe falſum, quod iurat, vel eius veritatem non eſſe ſufficienter examinatam. Valent. *punct. 3. citato*, Sanchez *num. 15.* Prado *tom. 2. cap. 52. quæſt. 3. n. 7.* Sylveſter *verbum iuramentum 2. quæſt. 6. verſ. 2.* Qui advertunt eum, qui ab initio cœpit abſque plena advertentia, ſi in ipſo diſcurſu iuramenti advertat eſſe mendacium, & non ceſſat, aut ſuſpendit iuramentum, peccare mortaliter: quia iam ex tunc rem falſam iurat conſulto, & cum advertentia.

Cauſa ioci non excuſat iuramenti falſum à periurio.

40. Nec etiam excuſatur à mortali, qui abſque veritate falſum ſub iuramento affirmat, quod cauſa ioci ſit iuramentum factum, ut aliqui minus bene aſſeruere; imò talis gravius peccat, plus enim divini nominis honori derogatur, aſſumpto eo, in falſitatis teſtem, nulla cauſa data iuramenti, ſed ſolo ioco, & eſt magis vanum, & vituperabile tale iuramentum. Vnde dixit D. Thom. *2. 2. quæſt. 98. art. 3. ad 2.* Quod *ille, qui iocosè periurat non evitat divinam reverentiam: ſed quantum ad aliquid magis auget, & ideo non excuſatur à peccato mortali.* Candid. *art. 9. dub. 2.* Trullench. *num. 1.* Fagundez *n. 4.* Leander *quæſt. 5.* Sanchez *num. 7.* Suarez *c. 4. n. 5.* Saytus *lib. 5. cap. 4. num. 26.* Bonac. *diſ. 4. quæſt. 1. punct. 3. num. 5.*

Rem dubiā iurare ut certam, vel certam ut dubiam periurium eſt.

41. Similiter peccat mortaliter, qui rem ſibi dubiam, ut certam iuraret, niſi ſub dubio, ut ſi illam affirmet dicendo: *Credo, ſuſpicor ita eſſe*: quia non ſolum ſe periculo falſum iurandi exponeret, ſed revera falſum iuraret: quia mendacium dicit, qui rem, quam ſub dubio dumtaxat cognoſcit, illam ut certam, & abſque dubio affirmat. Et idem è contra accideret, ſi quis rem, quam certam putat, iuraret ut dubiam, ut ſi videret Petrum occidiſſe hominem, quo modo eſt certus de homicidio, & iuraret ſub dubio, dicens: *Suſpicor, credo Petrum occidiſſe illum.* Quia re vera mentiretur, nam ſicut mentitur, qui rem dubiam ut certam affirmat: ſic qui rem ſibi certam in dubio iurat. Quemadmodum eſſet mendax, qui in Confeſſione Sacramentali confiteretur peccatum ſibi certum,

tanquam

tanquam dubium, & illud ut certum iterum confiteri teneretur; imò totam Confeſſionem reiterare. Candid. *dub.* 3. Bonac. *n.* 6. *&* 8. Palaua *punct.* 5. *n.* 2. Leander *q.* 6. Sanchez *n.* 7. *&* 8. Suar. *n.* 5. *&* 7. Sayr. *n.* 16.

Qualis certitudo requiratur ad iuramentum aſſertorium.

42. Ex quo deducitur, ad veritatem juramenti aſſertorii exigi, neceſſariumque eſſe, ut jurans prudenter, & ſecundum judicium conſentaneum rationi arbitretur, rem ita ſe habere ſicut jurat, ſive poſtea à parte rei, res ita ſit, ſive non: quia ſicut eſſet perjurus, qui judicans rem aliter ſe habere, iuraret ita eſſe, etiamſi res à à parte rei ita ſit: ita à perjurio liberatur, qui rem, quam jurat, ita ſe habere arbitraretur, etiam ſi à parte rei, res ita non eſſet: quia hic verum formaliter juraret, & materialiter falſum; ille falſum ſub jurejurande aſſereret, & ſolum materialiter verum. ¶ Non tamen requiritur iurantem eſſe omnibus modis certum de re, quam iurat, ut eam abſolutè ut certam ſub jureiurando affirmet, ſed ſufficit ſi veriſimili, ac probabili ratione ita eſſe arbitretur. Nec enim requiritur notitia mathematica, & omnino infallibilis, ſed ſufficit ſi prudenter, & ſecundum probabilem rationem, rem ita eſſe iudicet: quia hoc ipſo prudenter, & rationabiliter procedet. Candid. *diſquiſ.* 26 *art.* 1. *dub* 2. Leander *tract.* 1. *diſ.* 7. *q.* 8. Palaus *tract.* 14. *diſp.* 1. *punct.* 5. *n.* 2. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 10 Leſſius *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 4. *n.* 17. Tambur. *lib.* 3. *c.* 2. §. 1. *n.* 6. Valent. 2. 2. *diſ.* 6. *q.* 6. *punct.* 4. *collorar.* 5. Suarez *lib.* 3. *c* 5. *num.* 3. Bonac. *diſ.* 4. *q.* 1. *punct.* 3. *n.* 5. Azor *tom. lib.* 11. *c.* 2. *q* 5.

Inquirenda eſt veritas iuramenti cum maiori cura iuxta gravitatem materiæ.

43. Nec exigitur æqualis diligentia in omni materia ad perſcrutandam veritatem rei iuratæ, ſed ſecundum conditionem rei, adhibenda eſt major, vel minor: in rebus namque majoris ponderis maior eſt adhibenda cura, quam in rebus minoris momenti. Aliquando vero poteſt ita res eſſe clara, ut abſque omni diſcuſſione poſſit juramento affirmari. At qui, attenta rei juratæ dignitate, debitam diligentiam non adhibuit inquirendæ veritatis peccabit mortaliter, vel venialiter, ſecundum negligentiam, quam habuit in veritate inquirenda. Si aliquam diligentiam appoſuit; non tamen ſufficientem, erit veniale peccatum; erit tamen mortale, ſi magnam, & notabilem habuit negligentiam, etiam ſi per accidens contingat eſſe verum, quod juramento affirmavit: quia jam ex parte ſua periculo pejerandi ſe expoſuit. Sanchez *n.* 14. Pal. *n.* 7. Suarez *lib.* 3. *cap.* 5. *fine*. Soto *lib.* 8. *de iuſtitia q.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 6. Leſſius *dub.* 3. *n.* 17. Valent. *diſ.* 6. *q.* 6 *punct.* 3. *colum.* 12. Leander *tract.* 1. *diſ.* 7. *quaſt.* 20.

Qui rem à viro fide digno audivit, ut certam iurare poteſt.

44. Quare dicimus ſufficere, ut quis abſolutè, & ut certam juret, rem illam, quam audivit à perſona ita fide digna, ut moraliter certus ſit rem ita ſe habere, & res videtur certa moraliter ob teſtimonium perſonæ fide dignæ, ſed id ſatis non eſt ad aſſeverandam rem ut certam in iudicialibus, ſed debet addi cauſa illius notitiæ, dicens: ſcio hoc, quia à tali audivi: quia in tali iudicio teſtis ex ſolo auditu non ſemiplenè probat, ſed potius eſt conditio diminuens teſtimonii fidem, ſe audiviſſe dumtaxat aſſerere. Quare in tali foro nemo poteſt ut certam rem aſſerere, niſi notitia viſus, & præſentiæ talem rem poſſit affirmare. Sanchez *num.* 13. Candid. *diſquiſ.* 26 *art.* 1. *dub.* 2. Bonac. *diſ.* 4. *q.* 1. *punct.* 3. *num.* 7. Palaus *n.* 3. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 18.

Explicatur caſus quæſtionis.

45. Sed reſtat examinare gravem illam difficultatem, an nimirum ſit peccatum mortale defectus iuſtitiæ in iuramento aſſertorio? Et loquimur in caſu quo defectus iuſtitiæ ſit in materia gravi de ſe ſufficienti ad mortale independenter à iuramento; nam ſi ſit circa materiam levem, certum eſt, non eſſe mortale, ut de iuramento promiſſorio, in quo eſt deterior defectus iuſtitiæ dicemus *paragrapho ſequenti*. Ponamus exempla. Aliquis abſque iuſta cauſa occultum proximi infamiam detegit, vel ei gravem contumeliam dicit, idque affirmat iureiurando. Alius proprium crimen grave à ſe commiſſum cum iactantia propalat, aut cum delectatione refert, & ut credatur commiſiſſe, id iuramento affirmat. Quæritur modo, an ultra peccatum mortale detractionis, contumeliæ, jactantiæ, delectationis committatur in iis caſibus aliud peccatum mortale, omnino in Confeſſione detegendo, contra illud iuramentum ob defectum iuſtitiæ.

Peccatū eſſe mortale defectum iuſtitiæ in iuramento aſſertorio, aliqui dicūt.

46. Affirmat prima ſententia, quod ſicut in iuramento promiſſorio, iuramentum rei iniquæ, ultra ſpeciem peccati, ad quam pertinet illa materia iniqua promiſſa, committitur aliud mortale contra iuramentum ob defectum iuſtitiæ: ſicut ſi quis promitteret ſub iuramento ſe fornicaturum, animo exequendi illud peccatum, præter peccatum propoſiti illius pravi, datur peccatum mortale contra iuramentum, ex eo quod adducitur Deus in teſtem rei iniquæ ſic in iuramento aſſertorio. Et probatur: quia qui rem iniuſtam ſub iuramento aſſerit, Deo gravem iniuriam irrogat, aſſerendo eum in teſtem ad roborandam ſuam malitiam: ideoque non minus eſt iniuſtum hoc iuramentum, quam cum res iniuſta iuramento promittitur. Sic Ledeſma *in Summ.* 2. *tom. tract.* 11. *cap.* 2. *dub.* 4. Toletus *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 10. *&* 11. Sotus *de iuſtitia lib.* 8. *q.* 1. *art.* 3. *colum.* 2. Aragon 2. 2. *q.* 89. *art.* 10. *paulo poſt princ.*

Non eſt niſi peccatum veniale defectus iuſtitiæ in iuramento aſſertorio.

47. Sed dicendum eſt cum ſecunda ſententia, quod ſolum eſt peccatum veniale contra iuramenti Religionem defectus iuſtitiæ in iuramento aſſertorio, quamvis aliàs iurans peccet mortaliter: quia defectus iuſtitiæ non evacuat directe finem iuramenti, quandoquidem non facit Deum teſtem mendacii, ſed rei iniquæ & indecentis, quod per ſe non eſt gravis iniuria, niſi quando iuramentum aſſumitur ut inſtrumentum, Et medium ad illud peccatum. Rem explico. Qui cum iuramento promiſſorio rem iniquam promittit, aſſumit iuramentum, ut medium, & inſtrumentum peccati, quod proponit, quia in appoſitione iuramenti intendit reddere firmiorem ſuam voluntatem ad exequendum peccatum, ob id enim ſe exequuturum iurat, ut iuramento reddatur firmior, & executio certior: hic aſſumit iuramentum ut inſtrumentum peccati, & Deum, quem in teſtem adducit, facit iniquitatis coadiutorem, quod eſt graviſſimum peccatum. Similiter, qui in iuramento aſſertorio ſub iuramento profert infamiam proximi, vel contumeliam illi gravem aſſumit iuramentum ut inſtrumentum, ut probabilior & certior fiat infamia alterius, quod ut diximus cedit in gravem iniuriam Dei, & ſic talis peccat mortaliter, non ſolum peccato detractionis, aut contumeliæ, ſed ob defectum iuſtitiæ in iuramento. Atqui proprium peccatum manifeſtat, de illo ſe iactans, in eoque ſe delectans, & ut credatur commiſiſſe, & de illo complacentiam habere, hoc iuramento confirmat,

mat, non aſſumit iuramentum ut medium, & inſtrumentum ad confirmandam illam mortalem complacentiam, aut delectationem in ſe, qualiter eſt grave peccatum; ſed in audientium animis, quod eſt quædam animi levitas, & hoc modo dicimos ſolum eſſe veniale peccatum. Hæc omnia ferè docent Suar. *tom. 2. de relig. lib. 1. c. 3. n. 6.* & *lib. 3 c. 12. n. 7. &* 8. Sanch. *lib. 3. ſum. c. 4. num. 33.* Palaus *tract. 14. diſ. 1. punct. 5. num. 4.* Tambur. *in decalog. lib. 3. c. 1.* §. 4. *num. 5. &* 6. Leander *tom. 2. decalog. tractatu 2. diſputatione 6. queſt. 16.*

§. II.

Qualiter in promiſſorio detur defectus juſtitiæ, & veritatis?

Defectus veritatis de præſenti in juramento promiſſorio mortale eſt peccatum.

48. DUplex veritas requiritur in juramento promiſſorio, alia quæ eſt primaria, & eſt veritas de præſenti, conſiſtitque in eo, quod quis habeat animum exequendi, quod promittit; altera de futuro, quæ eſt ſecundaria, & conſiſtit in eo, quod executioni mandetur, quod jurejurando fuit promiſſum. Dicimus ergo, ſemper eſſe mortale peccatum defectus veritatis de præſenti in juramento promiſſorio, nimirum, ſi vox externa non concordet cum animo interiori adimplendi rem promiſſam, & hoc ſive res promiſſa ſit gravis, ſive levis, ſive licita, ſive illicita, ſive parva, ſive magna: quia hoc ipſo Deum ut teſtem falſitatis adducit, in quo conſiſtit ratio eſſentialis perjurii, ſicuti de juramento aſſertorio diximus *num.* 38. eſt enim hoc juramentum promiſſorium, quantum ad hanc veritatem primariam verè aſſertorium: quia eſt quaſi juramento affirmare ſe animum adimplendi rem promiſſam habere. Quare in hoc juramento non admitti parvitatem materiæ, quantùm ad defectum veritatis de præſenti, docent Candid. *diſquiſ. 26. art. 10. dub. 1.* Prado *tom. 2. cap. 32. quæſt. 8. num. 11.* Leander *tract. 2. diſ. 7. quæſt. 26.* Cajetan. 2. 2. *q. 89. art. 7. circa ſolut. ad* 1. Sanchea *lib. 3. c. 4. num. 16.* Tambur. *lib. 3. cap. 3. num. 1.* Palaus *diſ. 1. punct. 6. num. 1.* Soto *lib. 7. de juſtitia, q. 1. art. 7. & q. 2. art. 2.* Fagundea *lib. 2. cap. 6. num. 22.* Valeot. 2 2. *diſ. 6. q. 7. punct. 3. concl. 2.* Suarea *lib. 3. cap. 15. num. 2.* Leſſius *libro ſecundo, cap. 42. dub. 4. num. 18.* ¶ An vero valeat, & obliget juramentum promiſſorium emiſſum abſque animo implendi, vel abſque animo ſe obligandi, &c. vide quæ diximus *cap. præcedenti punct. 1.* §. 3. loquentes de voto, & idem tenendum eſt in juramento.

Debet, qui ſub juramento promittit habere firmum animũ adimpletionis.

49. Imò non utcumque requiritur ad hujus juramenti veritatem intentio adimplendi, quod promittitur, ſed quod animus ſit firmus talis adimpletionis. Unde ſicut in juramento aſſertorio mortaliter peccaret, qui rem dubiam ut certam aſſereret, ſic in promiſſorio mortaliter peccat, qui rem juramento promitteret animo dubio adimplendi. Sic Candid. *dubio primo, citat.* Sanch. *numero decimo ſeptimo,* Soto *q. 1. art. 7. in ſolut. ad* 1. Imò peccaret mortaliter, qui aliquid jurejurando promitteret, credens ſe non poſſe implere promiſſum: quia talis non habet firmum animum adimplendi promiſſionem juramento firmatam. Idem dicimus de illo, qui rem aliquam ſub juramento promiſit, non habens probabilem rationem ſe poſſe implere promiſſum; ſecus tamen contingeret, ſi probabilem ſaltem rationem haberet, quod adimplere poſſet: quia etiam in juramento aſſertorio probabilitatem certitudinis rei aſſertæ ſufficere ad ejus veritatem diximus *n.* 42. Sic Fagundez *cap. 6. n. 24.* Suarea *lib. 3. cap. 18. fine.* Leander *q. 29. &* 3. Azor. *lib. 11. c. 5. q. 1.* Prado *q. 8. num. 11.* Sed in iuramentis, quæ ad ſe honore præveniendum fiunt, ut cum iurat ſe non prius altero per ianuam ingreſſurum, ſe non ſeſſurum ante alios, &c. ut ſint vera non requiritur habere firmum animum implendi, quod aſſeritur, ſed conformem ſenſui, quem talia verba communiter agunt, nimirum, quantum ad me attinet, vel quantum eſt in me non prius egrediar, non prius ſedeam. Sanch. *n.* 20. Prado, Candidus *loc. cit.* Sed triplex reſtat modo enodanda difficultas.

Defectus veritatis de futuro in re gravi mortale eſt.

50. Prima difficultas eſt, an defectus ſecundæ veritatis in juramento promiſſorio ſit ſemper mortale, etiamſi res promiſſa ſit materia levis? Supponimus defectum cuiuſcumque veritatis in hoc iuramento per ſe, & ex natura ſua eſſe mortale, ut probat D. Thom. 2. 2. *q. 89. art. 7.* ex illo Matth. 5. *Reddes Domino juramenta tua.* Et *q. 98. art 3. ad* 1. dicit, quod periurium, etiam contra iuramentum promiſſorium, eſt mortale: quia obligat ex virtute religionis Deo debitæ, quæ excellentiſſima eſt, & proxima virtutibus Theologicis. Quare ſi materia promiſſa ſub iuramento gravis ſit, nulli dubium eſt, eſſe peccatum mortale, non adimplere promiſſum: quia gravis Deo irrogatur iniuria, illius authoritatem, quam ad firmandam promiſſionem adhibuit, in re gravi contemnere? Solum ergo eſt difficultas, an ſi res promiſſa ſit levis, eam non implere grave conſtituat peccatum? Quod eſt quærere, an detur parvitas materiæ in tranſgreſſione iuramenti promiſſorii, quoad ſecundam illius veritatem, nimirum, quantum ad executionem rei promiſſæ?

Quod ſit partialis, vel totalis materia parva nihil intereſt ad intentum.

51. Negat dari parvitatem materiæ in veritate ſecunda huius iuramenti prima ſententia: aſſerens, quod ſicut in juramento aſſertorio, defectus veritatis etiam in re minima conſtituit mortale, & in iuramento promiſſorio ut diximus *n.* 48. defectus veritatis de præſenti, etiam reſpectu rei exiguæ, eſt mortale: ſic defectus veritatis ſecundæ, & de futuro, in quacumque materia: ac proinde, qui in re minima non impleret, quod iurejurando promiſit, mortaliter peccaret. Quamvis diviſi ſint, Doctores hanc ſententiam ſequentes, aliquibus aſſerentibus, quod ſi materia promiſſa ſit totalis, etiamſi exigua ſit, eam non exequi, eſſet mortale, ut ſi iuraret ſe unum aſſem daturum, unum *Ave Maria* recitaturum, dicunt quod omiſſio illius, eſſet mortale; ſecus vero ſi materia parva omiſſa eſſet partialis, ut ſi promitteret dare decem, & ſolum novem daret, tunc dicunt eſſe veniale. Aliis verò dicentibus ſemper eſſe mortale rem promiſſam non integrè implere, ſive ſit totalis, ſive partialis materia iuramenti. Cæterum re bene conſiderata nullius eſt conſiderationis, quod materia ſit partialis, vel totalis, ad intentum: ſiquidem ut rectè docet Suar. *tom. 2. de relig. lib. 3. de iuram. c.* 16. *n.* 5. Palaus *tom. 3. tract. 14. diſp. 1. punct. 6. n. 8.* Valent. 2. 2. *diſp. 6. q. 7. punct. 3. concl. 3.* poſito eſſe mendacium defectum veritatis in materia tali, & ſic Deum adduci in teſtem mendacii,

etiam

etiam verificatur cum materia eſt partialis: nam qui deficit in parte materiæ, quam promiſit, verum non reddit promiſſum, cum veritas hæc conſiſtat in adæquatione executionis cum promiſſione. Vnde ex quocumque capite executio promiſſioni non adæquat, falſum reddetur promiſſum. Sicut in juramento aſſertorio non minus falſum juraret, qui in materia parva deficeret à veritate, quando materia eſſet totalis, ut ſi juraret, ſe Petro dediſſe unum aſſem, quem non dedit; ac quando eſſet partialis, ut ſi iuraſſet dediſſe decem, cum ſolum novem dederit.

Probatur ſententia non admittens parvitatem materiæ in veritate de futuro.

§ 2. Probatur ergo hæc ſententia, quantum ad id, quod aſſerit, eſſe mortale defectum veritatis futuræ in juramento promiſſorio, etiam in minima quantitate. Quia ad juramentum promiſſorium duplex veritas requiritur, nimirum, de præſenti, & de futuro: ſed defectus veritatis de præſenti, etiam in parva materia conſtituit peccatum mortale, ut diximus *num.* 48. ergo etiam defectus veritatis de futuro in materia parva erit grave peccatum. Et confirmatur hoc: quia ideo in iuramento aſſertorio quicumque defectus veritatis, etiam in re leviſſima, conſtituit peccatum mortale, quia Deum ut teſtem adducit, & quantum eſt ex parte ſua facit eum teſtem mendacii, & æquè mendacium eſt, aſſerere rem ita eſſe, quæ ita non eſt, in materia parva, vel magna, ut diximus *num.* 38. ſed etiam in iuramento promiſſorio adducitur Deus ut teſtis veritatis de futuro, aliàs promiſſorium non eſſet vere iuramentum, cuius formalis ratio in eo conſiſtit, quod Deum ut teſtem veritatis adducat; ergo ſi talis veritas deficit, æquè adducitur Deus ut teſtis mendacii, ſive materia parva ſit, ſive magna, eritque proinde mortale talis defectus in quacumque materia. Ita Caietan. *in ſumm. verbo periurium cap.* 2. & 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. *dub.* 1. Candid. *diſquiſ.* 26 *art.* 10 *dub.* 3 Fillicius *tract.* 25. *cap.* 10 *quæſt.* 7. Valent. 2. 2. *diſ.* 6. *quæſt.* 7. *punct.* 3. *concluſ.* 3. Toletus *in ſumm. lib.* 4. *cap.* 22. *in princip.* Covarruv. *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 2. *verſicul.* 2. *ad fin.* Philiarcus, *de officio Sacerd. tom.* 1. *part.* 2, *lib.* 3. *cap.* 3. Balſæus, *tom.* 1. *iuramen.* 4. & *tom.* 2. *eodem verb. num.* 7. Saytus *lib.* 5. *cap.* 4. *a num.* 18. Reginal. *lib.* 1. *num.* 79. Medina *in ſumm. cap.* 14. § 4. Leſſius *de iuſtitia, lib.* 2. *capite* 42. *dub.* 5. *numero* 23. Bonacina *tom.* 2. *diſp* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 14. *num.* 2.

Parvitas materiæ datur in veritate de futuro juramenti promiſſorii.

§ 3. Secunda ſententia (cui ſubſcribimus) affirmat dari parvitatem materiæ in veritate, de qua loquimur, & conſequenter eſſe ſolum peccatum veniale, rem promiſſam ſub juramento non implere, ſi ſit in materia parva, ſive hæc ſit materia partialis, ſive totalis. Probatur primo: quia aliter eſt Philoſophandum in veritate de præſenti juramenti promiſſorii, (& idem eſt de juramento aſſertorio) ac in veritate de futuro. Etenim defectus illius veritatis eſt mendacium, unde ſicut defectus mendacii nulla ratione honeſtari poteſt, ſic nec defectus illius veritatis, & cum Deus ut teſtis mendacii invocetur, ſemper eſt peccatum mortale in quacumque materia. At non ſervare rem promiſſam ſub juramento animo implendi facto, non eſt mendacium, ſed infidelitas, quæ licet reſpectu Dei gravia ſit ex natura ſua, admittit parvitatem materiæ, uti de voto diximus *cap. præceden.* Ergo non adducitur Deus ut teſtis mendacii, & ſic eſt diſpar ratio inter hanc veritatem de futuro, & veritatem de præſenti: ergo quamvis non detur parvitas in defectu primæ veritatis, quia graviſſima eſt injuria Dei, eum adducere ut teſtem cujuſcumque mendacii; poterit tamen dari reſpectu ſecundæ, cujus defectus non eſt mendacium, ſed infidelitas. Quod autem non ſit mendacium rem promiſſam ſub juramento non implere, probatur: Tum ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. *ad* 5. ubi ſic dicit: *qui aliquid promittit, ſi habet animum faciendi, quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si vero non faciat, quod promittit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quod animum mutat.* Tum etiam, quia mentiri eſt ita intrinſecè malum, ut nunquam ex ulla ratione liceat, ſed non implere promiſſum non eſt intrinſecè malum, & ideo ob plures emergentes rationes poteſt prætermitti licitè, ut probat D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 89 *toto art.* 7. Ergo non implere promiſſum non eſt mendacium.

Præcedens ſententia amplius probatur.

§ 4. Secundo probatur aſſertio: quia ideò non datur materiæ parvitas in mendacio perjurii aſſertorii, quia ſemper in eo tribuitur Deo mendacium, quantum eſt ex parte jurantis, eum in teſtem illius adducendo, & mendacium ſive leve ſit, ſive grave, eſt quid omnino repugnans ſummæ Dei veracitati. Sed non reddendo, quod juramento eſt promiſſum, nihil Deo tribuitur, quod ſit eius bonitati, aut veracitati contrarium, ſed ſolum ſe oſtendit jurans infidelem, & quaſi contemptorem majeſtatis, cui fidem dedit, quod leve reputatur, quando in materia parva exercetur. Sic Soto *de juſtitia lib.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 7. *dub.* 1. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 3. *fol.* 1061. Magiſter Fr. Ioann. à ſancto Thom. 2. 2. *q.* 88. *diſ.* 29. *art.* 8. Magiſter Fr. Ioann. Martinez à Prado 2. *tom cap.* 31. *quæſt.* 4. *num.* 35. & *cap.* 32. *quæſt.* 3. *num.* 7. Sanchez *lib.* 3. *ſumm. cap.* 4. *num.* 23. Tambur. *lib.* 3. *cap.* 3. § 1. *num.* 4. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *de juramen. cap.* 16. *à n.* 9. Petrus de Ledeſma *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 3. *dub.* 1. Henriquez *lib.* 5. *de pœnitentia, cap.* 20. *num.* 4. *in commento littera M* Fagundez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 29. Rodriguez *tom.* 1. *ſumm. in ſecunda edition. cap.* 192. *num.* 5. Leander à ſanctiſſimo Sacramento *tom.* 2. *decalog. tract.* 1. *diſ.* 7. *quæſt.* 33. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 27. *quæſt.* 2. Palaus *tract.* 14. *diſ.* 1. *punct.* 6. *num.* 8. Trullench *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 6. *numero* 6. Fagundez *ubi ſupra, & cap.* 15. *numer.* 8. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 70. & 5. *part. tract.* 5. *reſol* 4.

Qui hyperbolicè iurat, non debet verbis ut ſonant ſe conformare, ut verum iuret.

§ 5. Secunda difficultas eſt, an iuret falſum, peccetque proinde mortaliter, qui vel juramento aſſertorio per hyperbolam iurat rem, ſine eo, quod verum dicat, prout verba ſonant: & in promiſſorio, qui rem promittit hyperbolicè, abſque animo adimplendi ſecundum quod verba ſonant? Reſpondetur in neutro caſu eſſe peccatum mortale, nec veniale: quia aliquid dicere per hyperbolem, aut aliam figuratam locutionem, etiamſi res non ſe habeant, ita ut ſonant verba, non eſt dicere falſum; ſed modo vſitato loquendi ſe accommodare, ut probat D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 111. *art.* 1. Et conſtat ex illo 1. *Reg.* 20. ubi dixit David: *Ionatas, & Saul aquilis velociores, & leonibus fortiores:* eſtque uſitatiſſimum in ſacra ſcriptura. Non enim hyperbolica locutio efficit illum ſenſum, quem ſonant verba, ſed eſt quædam exaggeratio, & ſufficit ad veritatem illius habere animam, qui ſecundum exaggerationem petitur, ut ſi diceret: *iuro Petrum infinitas habere divitias: à me infinito amore proſequi. &c.* Sufficit divitias, vel amorem eſſe cum exceſſu. Similiter, *ſe infinitas gratias acturum:* ſi mater, aut Dominus iuret, *filios, aut ſervos occiſuros, vel capita fracturos:* ad horum veritatem ſatis eſt habere animum agendi gratias exceſſivè, aut puniendi ſervum, aut filium rigoroſè. Siquidem hæc duntaxat per illa verba intelliguntur.

guntur. Sic Sanchez *lib.3.c.4.num.19.* Candid. *diſquiſ.26.art.10. dub.6.concluſ.15.* Saytus *lib.5. cap.5.num.12.* Bonacin. *diſ.4. q.1. punct.14.n.6.* Leander *q.27* Palaus *punct.6.num.1.* Fagundez *num.25.& 26.* Prado *c.32.q.8. n.10.* Tambur. *num.4* Eſſet tamen mendax, qui ſic iuraret non habens animum implendi iuxta ſenſum hyperbolicum: quia falſum iuraret ſi talem animum non haberet, v.g. jurat ſe infinitas gratias acturum, ſe filium occiſurum, &c. ſufficit, & debet habere animum ſatis ſuperque ſolvendi gratias, filiumque plectendi.

Promiſſio, etiam iuramento firmata, ante acceptationem revocari poteſt.

56. Tertia difficultas eſt, an ſi quis ſecum juret, aut in abſentia hominis, cui fit promiſſio, nemine illam acceptante nomine ipſius, talem eleemoſynam, v.g. ſe daturum: poſſet illam revocare, & abſque violatione juramenti promiſſum non implere? Reſpondetur, quod ſi promiſſio ſit facta Deo, & in honorem ipſius, (quomodo coincidit juramentum cum voto) non poteſt illam revocare: quia & ſi homo illam non acceptet, acceptat illam Deus, cui redditur infidelis eam non reddendo: iuxta illud Matth.5. *Reddes Domino iuramenta tua.* At ſi in favorem, & commodum hominis promiſſio facta eſt, poteſt ante acceptationem illius, cuius intereſt, eam revocare: quia juramentum, utpotè acceſſorium, ſequitur naturam principalis, cui adhæret, quod in præſenti eſt ipſa promiſſio, quam confirmare intendit: at de natura promiſſionis eſt, ut revocari poſſit antequam acceptetur: ergo ſicut poterat promiſſionem revocare non acceptatam ſi juramentum non adeſſet, ita poteſt eam revocare, etiamſi ſit firmata juramento, uti diximus *tom.3. tract.14. c.4. n.76.* aliis relatis, & modo tenent Sanchez *lib.3 c.9 n.10.* Leſſius *lib.2. c.17. dub.7.n.52.* & *c 42.dub.4.n.22.*

Qui abſque iuſtitia iurat, & promittit, in re gravi, graviter peccat.

57. Hucuſque locuti ſumus de veritate requiſita pro juramento promiſſorio, loquamur modo de *juſtitia.* Dicimus ergo eſſe illicitum, & ex natura ſua grave peccatum, aliquid improbum ſub juramento promittere, ſed non ſemper in actu exercito eſt hoc lethale peccatum, ſed ad hoc eſt inſpicienda qualitas rei pravæ ſub juramento promiſſæ, ut gravitas juramenti inde menſuretur. Si promiſſum ſub juramento ſit aliquid lethaliter grave, erit mortale juramentum contra religionem ob defectum iuſtitiæ, & erit duplex peccatum, ſi animo adimplendi promiſit; ſin minus erit unum graviſſimum periurium defectu iuſtitiæ, & veritatis qualificatum: ut ſi ſub iuramento iuret, ſe vindicaturum, ſe hominem occiſurum, animo adimplendi, quod promittit, duplex committet peccatum, & vindictæ, vel homicidii; & periurii ex defectu iuſtitiæ: quia authoritate divina, divinoque teſtimonio ſe firmat in propoſito peccandi mortaliter, & quia eſt magna iniuria Dei, Deum afferre in teſtem faciendi contra eius legem. Si tamen res promiſſa ſit ſolum venialis, non erit peccatum mortale, ſi animo adimplendi iuret, ſed duplex veniale, aliud ob propoſitum pravum, aliud ob iuramentum malè præſtitum; non igitur erit mortale: quia non eſt gravis irreverentia Dei. Sanchez *lib.3.c.4. num.23.* Suarez *lib.3.cap.19. à n.9.* Bonac. *tom.2. diſ.4. q.1. punct.3. num.9.* Leſſius *lib.2. cap.42. dub.4.n.18.* Valent. *2.2. diſ.6.q.7. punct.3. collorar.11.* Tambur. *lib.3.c.3.§.3.num.3.* Sotus *lib.8. q.2.art.3.concluſ.3.* Fagundez *lib.2.c.6.num.20.* Caietan. *2.2.q.89. art.2. paulo poſt princ.* Palaus *tract.14. diſ.1. punct.6.n.9.* Candid. *diſquiſ.26. art.1.dub.2.* Leander *tract.1.diſ.7.q.36.*

Qui iurat ſe facturum contra conſilia peccat venialiter.

58. Similiter eſſet peccatum veniale, ſi quis iuraret ſe facturum aliquid contra conſilia Evangelica, ut non daturum eleemoſynam, non ingreſſurum religionem, eſſet quidem peccatum: quia ut inquit D. Thom. *2. 2. q.89.art.7. ad 2.* *Si quis iurat ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem iurando, in quantum ponit obicem Spiritui ſancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator, non tamen peccat iuramenta ſervando, ſed multo melius faciet ſi non ſervet.* Quare nullum eſt tale iuramentum, nec aliquam inducit obligationem. Erit verò ſolum veniale: quia levis fit Deo irreverentia, uti iuramento ad obligandum ſe ad non ſervanda conſilia; quæ Deus non præcipit obſervanda. Sic præcitati Authores. Qui etiam docent eſſe veniale, rem indifferentem iurare defectu iuſtitiæ, eo quod res indifferens, ut talis, non eſt apta materia iuramenti.¶ Sed dicta duobus præcedentibus numeris intelligenda ſunt, quando quis promittit ſub iuramento aliquid veniale, vel indifferens, vel contra conſilia Evangelica, animo exequendi promiſſum; nam ſi abſque illo iuret, abſque dubio erit mortale ob defectum veritatis de præſenti, in cuius defectu nulla admittitur nec parvitatis materiæ excuſatio. Et inde fit eſſe minus malum iurare, v.g. aliquid veniale animo exequendi, quam abſque illo: nam ſi cum tali animo iuras, duplex veniale committis; ſi abſque illo, peccas mortaliter, quod deterius eſt multiplici peccato veniali; ſed ſi res promiſſa ſit peccatum mortale, pejus eſt animo exequendi jurare, quam abſque illo: nam in primo caſu committis duplex peccatum mortale, in ſecundo unum dumtaxat.

Qui rem pravam iuratam adimplet, quia iuravit peccat venialiter.

59. Ex dictis deducitur reſolutio illius difficultatis, an peccet mortaliter ille, qui adimplet iuramentum, aut votum, rei venialis, vel contra conſilia, eo quod iuraverit, aut voverit tale commiſſurum? Reſpondetur, quod regulariter loquendo in tali adimpletione non peccat niſi venialiter. Tum quia id facere videtur ex quadam reverentia iuramenti, non ex contemptu. Tum etiam, quia videtur procedere ex quadam vulgari ignorantia, qua iudicatur, hoc iuramentum eſſe exequendum. Secluſa tamen tali ignorantia, executio peccati venialis, aut contra conſilia, quia iurata, ex ſe erit peccatum mortale: quia eſt blaſphemum Deo offerre peccatum, vel contra eius conſilium, quaſi aliquid ei placens. Ita Saytus *lib.5. c.4. n.25. verſu ſecundo eſt.* Suar. *lib.3.c.19. n.6. & 7.* Sanch. *lib.3. c.4.n.29* Palaus *diſ.1. punct.6.fine.* Tambur. *lib.3. c.3 §.3.n.5.* Leander *tract.1. diſ.7.q.38.*

---

§. III.

Qualiter in iuramento comminatorio veritas, & iuſtitia requiratur?

Comminatorium iuramentum coincidit cum promiſſorio.

60. CUm iuramentum comminatorium idem ſit cum promiſſorio, ſolum addens comminationem pœnæ, ſeu promiſſionem illius, eodem modo philoſophãdum eſt de illo, ac de iſto, quantum ad iuſtitiam, & veritatem: ideoque ex defectu iuſtitiæ erit comminatorium mortale, ſi graviſſimam pœnam iniuſtè alteri infligendam comminaretur, etiamſi animo exequendi hoc

non

non faciat, tunc enim periurium proprium eſſet ex defectu veritatis. Si tamen animo exequendi iuraret, eſſet duplex grave peccatum, aliud ob injuſtitiam, & gravamen proximo injuſtè comminatum, alterum ob iniuſtitiam iuramenti. Et in cæteris eodem modo diſcutrendum eſt, ac in juramento promiſſorio loquuti ſumus, ſed claritatis gratia aliqua propria hujus juramenti adjiciemus.

Peccat qui cōminatur pœnam juſtā, & illam non exequitur.

61. Dicimus ergo, quod qui juramentum de infligenda alicui pœna emiſit, tenetur illam implere, ſi juſta ſit, nec ſit impeditiva majoris boni, aut non ſit ablata cauſa, ob quam impleri debeat. Obligat ſiquidem juramentum comminatorium, ne Deus in teſtem falſi adduci videatur, & ut ei fides promiſſi ſervetur, ne illius authoritas, quam ad confirmandum promiſſum adduximus contemptui habeamus. Quare ſi gravis fuerit materia, erit peccatum grave; & leve, ſi levis fuerit, juxta dicta *num* 53. & ſic parentes, aut Domini, comminantes filiis, vel ſervis ſub juramento aliquas pœnas ad correctionem, eis applicaturos, tenentur illas executioni mandare, ſi cauſa puniendi ſubſiſtat. Ita Cajetan. *in ſum. verbo periurium, n.* 20. & 2.2. *q.* 89. *art.* 7. *dub.* 1. §. *inſpice igitur.* Sylveſt. *juram.* 3. *q.* 2. §. *in juramento vero.* Soto *lib* 8. *quæſt.* 1. *art.* 7. *verſic. quarto id demque.* Sayrus *lib.* 5. *cap.* 5. *numero duodecimo,* Sanchez *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 16. Unde ſi punitio iurata per juramentum comminatorium maximè expediret ad Dei obſequium, proculdubio dicendum eſſet, eius impletionem obligare ſub mortali.

In quibus caſibus excuſetur ab executione pœnæ, qui illā iuravit.

62. Sed qui ſic comminatoriè juravit, excuſatur tam ab impletione iuramenti, quam à mortali in ſequentibus caſibus. Primò ceſſante cauſa emiſſi iuramenti, vel quoties ſupervenit ratio filium, aut ſervum non puniendi, ut ſi turbatur pax domus, ſi non ſit opus medicinalis illius pœnæ, vel ſi filius, aut ſervus ſatisfecit, aut veniam petivit, aut amicus pro illo veniam, aut condonationem impetravit, vel aliter ob aliam cauſam expedire iudicet. Quia præſtans tale iuramentum de infligenda pœna, factum ſub hac conditione, illud emiſiſſe cenſetur, *ſi cauſa punitionis non ceſſet*, ſi pax domus non turbatur, ſi opus ſit medicinali illa pœna ad correctionem, &c. Ita Caiet. & Sylveſt. citat. Vincent. Candid. *diſquiſ.* 26. *art.* 10. *concl.* 9 Prado *c.* 32. *q.* 3. *n.* 9. & 10. ¶ Secundò, ſi comminatorium iuramentum de infligenda pœna oritur ex paſſione, ex ira, vel animo vindictæ inordinatæ: quia tale iuramentum, ut ſic præſtitum, non eſt de materia bona, cum ſit potius cauſa vindictæ. Cenſetur iuramentum comminatorium ex ira fieri, dum quis alicui pœnam minatur, cui in eundem defectum labenti, non minaretur depoſita ira. Bonacin. *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 14. *num.* 4. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. *dub.* 1. §. *inſpice igitur.*

Alii caſus, in quibus executio pœnæ excuſatur.

63. Tertio excuſatur talis tranſgreſſio iuramenti à mortali, quo Domini, aut parentes, filiis, aut ſervis pœnam minantur, etiamſi abſit iuſta cauſa excuſandi, ob parvitatem materiæ, quæ non eſt penſanda penes pœnæ gravitatem, ſed penes conducentiam, quam habet ad finem correctionis, aliumve pium intentum. Sanchez *n.* 16. Prado *num.* 10. Sotus *lib.* 8. *q.* 7. *art.* 7. *verſic. quarto id denique.* ¶ Quartò excuſantur à periurio iurantes, ſe filios, ſervos, occiſuros, capita fracturos, quamvis non habeant animum occidendi, caput frangendi, &c. dummodo habeant animum graviter illos puniendi: quia non ſeriò; ſed per quandam exaggerationem, & in ſenſu hyperbolico loquuntur, iuxta dicta *n.* 55. ¶ Denique excuſantur pueri iurantes, ſe alium puerum accuſaturos coram parentibus, magiſtris, &c. à periurio, & mortali, tale iuramentum tranſgrediendo: vel quia gratia ſumendæ vindictæ non ſeſtio communiter iurant: vel quia etiamſi cauſa correctionis iurent, omittunt tamen accuſare cauſa melioris boni, vel vitandi inter ſe rixas, vel ratione parvitatis materiæ. Sic Soto *lib.* 8. *q.* 1. *art.* 7. *col.* 6. §. *quarto id demque.* Sanchez *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 17. Prado *cap.* 32. *quæſt.* 3. *num.* 10.

PUNCTUM VI.

De materia propria iuramenti, & illius obligatione.

Plura hic dicenda, alibi dicta relinquuntur.

64. PLURA dicenda circa materiam, & obligationem iuramenti, iam à nobis explicata ſunt diverſis in locis, & hoc tractatu *cap. præced.* agentes de voto, quia ſunt communia cum illo. Siquidem de obligatione, quam inducit votum, aut iuramentum, dolo, aut metu gravi emiſſum egimus *cap. præced. punct.* 6. § 4. & 5. & *in tom.* 3. *huius curſus, tr.* 14. *cap.* 1. *punct.* 7. §. 1. *num.* 60. Et de materia iuramenti egimus *cap. præced. punct.* 2. *num...* agentes de materia voti, quæ ferè eadem eſt in utroque. Qualiter autem obligatio voti, aut iuramenti, ſit interpretanda, & quando obligent in dubio egimus *cap. præced. punct.* 6. §. 1. & 3. Quomodo autem, & quando iuramentum ultra obligationem, quam inducit confirmet contractum diximus latè *tom.* 3. *de juſtitia, tract.* 14. *de contract. c.* 1. *à n.* 66. Quare breviter in hoc puncto procedemus, quæ ſunt propria iuramenti prælibantes, & ad locum, in quo iam ſunt diſcuſſa, Lectorem remittentes.

Iuramentū Deo factū, debet eſſe de re bona, honeſta, poſſibili; imò meliori.

65. Igitur loquendo de materia iuramenti, conſiderandum eſt, iuramenta poſſe fieri, vel ſoli Deo in honorem eius aliquid promittendo, quomodo induunt rationem votorum, & poſſunt fieri homini in eius commodum, & utilitatem. Iuramentum ergo ſoli Deo factum exigit proportionabiliter eandem materiam cum voto, ideoque iuramentum de re aliquo modo illicita nullum eſt, nec indiget relaxatione: quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, *cap. quanto de iureiurando.* Similiter eſt nullum iuramentum de re impoſſibili, vel admodum difficilis obſervationis, de re otioſa, de re indifferenti, quæ omnibus inſpectis eſt indifferens, & de rebus contra conſilia Evangelica. Et quoties diximus *cap. præced.* de voto, nullum eſſe ob incapacitatem materiæ, idem dicimus modò de iuramento. Et difficultates circa hoc occurrentes eodem modo decidendæ ſunt loquentes de iuramento, ac ſunt à nobis deciſæ loquentes de voto *cap. præced. punct.* 2. ubi videri poterunt. Qualiter vero obliget, & quam materiam requirat iuramentum factum homini, ſtatim hoc puncto dicemus.

Gravius eſt peccatum periurii homicidio, ſed eſt levius.

66. Graviſſima eſt juramenti obligatio, utpotè Deum tangens, ejuſque authoritatem in teſtimonium veritatis aſſumens; unde illius tranſgreſſio eſt perjurium, quod gravius peccatum eſt homicidio, & aliis peccatis, quæ ſunt

Kr contra

peccato cõtra votum.

contra juſtitiam: quia perjurium directè tendit contra divinum honorem, ut tradit D.Thom. *art.* 1. *quodlib.* 18. tenentque Soto *de juſtit. lib.* 8. *q.* 2. *art.* 3. Sanchez *lib.* 3. *ſumm. cap.* 4. *num.* 37. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 2. Prado *tom.* 2. *cap.* 32. §. 1. *num.* 16. Sayrus *lib.* 5. *c.* 4. *n.* 9. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 6 *num.* 36. Leander *tract.* 1. *diſ.* 7. *q.* 47. ¶ An verò ſit major obligatio iuramenti, quam voti? Negativè reſpondendum eſt, ſed voti obligationem eſſe majorem, graviuſque eſſe peccatum contra illud, quam contra juramentum, uti docet D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 8. quia in iuramento ſolum divina authoritas adducitur, ut promiſſio facta aſſeveretur; in voto autem ipſi divinæ authoritati fit promiſſio. Unde ſicut graviorem iniuriam irrogaret Regi, qui pactum cum eo initum, ipſique immediatè obligatus, ſimile pactum violaret, quam ſi in eius præſentia, & ſub eius authoritate, promiſſum alteri factum tranſgrederetur: ſic in præſenti. Nec obſtat, quod votum interdum confirmatur iuramento, & ſic videtur fortius iuramentum, quam votum obligare: quia debilius per id quod fortius eſt ſolet confirmari. Nam ad id reſpondet D.Thom. *loc. cit. ad* 2. *Quod iuramentũ non adhibetur voto, quaſi aliquid firmius, ſed ut per duas res immobiles maior firmitas habeatur.*

Iuramentũ homini factũ impleri debet, ſi impletio non cedat in diſpendium ſalutis æternæ.

67. Iuramentum factum homini, & includit obligationem religionis juramenti, & obligationem iuſtitiæ, & fidelitatis ad hominem. At verò ut tale juramentum obligationem inducat, non attenditur quod res promiſſa ſit honeſta, vel indifferens, &c. Sed ſi ſit poſſibilis ſemper obligat quoties in commodum alterius cedit, & eſt licita, & honeſta, itaut abſque peccato poſſit executioni mandari. Si verò eum peccato etiam dumtaxat veniali debet impleri, nullo modo obligat tale juramentum, quandiu res illicita perſiſtit: quia non eſt vinculum iniquitatis. An verò ſi res, quæ dum promiſſa fuit, erat prava, poſtea decurſu temporis honeſta fiat, obliget de illa jusjurandum, quando iam reddita fuit honeſta? Conſtat ex dictis *cap. præced.* Triplicem partem habet aſſertio. Prima videlicet, quod iuramentum factum homini inducit illam duplicem obligationem, eſt expreſſa D.Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. Ubi etiam docet poſſe unam obligationem ab alia ſeparari, ut in iuramento, quod quis coactus facit, in quo obligatio reſpectu hominis tollitur ratione coactionis: *Quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, quod ei promiſſum non ſervetur*: manente obligatione reſpectu Dei, ut impleat, quod per nomen eius promiſit. Et probatur dari hanc diverſam ſpecie obligationem: quia ſicut religio eſt virtus diſtincta à iuſtitia ſtrictè accepta unius hominis ad alium; ita obligatio iuramenti, quæ eſt ex religione ad Deum, & obligatio pacti, vel promiſſionis humanæ, ſunt obligationes ſpecie diverſæ. Eſt communis inter Doctores, & docent Sanch. *lib.* 3. *c.* 9. *n.* 7. Palaus *tract.* 14. *diſ.* 2. *punct.* 1. *num.* 4. Martinez à Prado *tom.* 2. *c.* 32. *q.* 3. *n.* 11. An verò promiſſio facta homini, & ab illo acceptata inducat obligationem iuſtitiæ, vel ſolum fidelitatis præciſo iuramento, vel eo appoſito? Vide quæ diximus *tom.* 3. *de juſtitia, tract.* 14. *de contract. c.* 4. *à n.* 76.

Iuramentũ de peccato veniali nullam obligationem inducit.

68. Secundam verò, & tertiam partem præcedentis aſſerti, nimirum iuramentum factum homini obligare, etiamſi res ſit indifferens, ſi impleri abſque peccato poſſit; non vero ſi abſque illo nequeat executioni mãdari, latè probavimus loco nuper citato *de contract. c.* 1. *n.* 57. *&* 58. *ex cap. cum contingat de iureiurando, cap. quamvis pactum, de pactis in* 6. ubi dicitur: *Iuramentum factum bonum eſſe obſervandum, niſi eius obſervatio vergat in diſpendium ſalutis æternæ*, & cum peccatum etiam veniale aliquo modo vergat in diſpendium ſalutis æternæ, non eſt obſervandum juramentum, ſi abſque illo nequeat executioni mandari. Et ideo in regula, *non eſt iuris in* 6. dicitur: *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum.* Et merito: quia iuramentum non debet eſſe vinculum alicuius iniquitatis. An verò iuramentum contra bonos mores civiles obliget? *ibid. n.* 58. explicavimus; ubi etiam *n.* 59. aliquos caſus particulares excepimus, in quibus ob ſpecialem diſpoſitionem iuris non obligat iuramentum, etiamſi abſque peccato poſſit impleri, quando nimirũ ius nedum contractum, ſed iuramentum illi additum annullat.

Iuramentũ factum homini obligat, etiamſi ſit contra conſilia Evangelica.

69. Ex quo infertur, quod quamvis iuramentum impediat maius bonum, & ſit contra conſilia, ſervandum eſt, ſi in alterius utilitatem cedere poſſit: quia in obligatione iuramenti facti homini non attenditur ad hoc, quod ſit maius, vel minus bonum, honeſtum, vel indifferens, quod promittitur; ſed quod in alterius commodum cedat, cui promiſſio facta eſt: quemadmodum ſponſalia iurata obligant, etiamſi vitam cælibem meliorem impediant. Prado *c.* 32. *q.* 3. *n.* 13. Palaus *tract.* 14. *diſ.* 2. *punct.* 6. *n.* 4. Sanchez *lib.* 3. *c.* 9 *n.* 19. Leſſius *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 4. *n.* 20. Trullench. *lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 8. *n.* 2. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib* 2. *c.* 12. *n.* 14. ¶ Imò quamvis iuramentum ſit illicitum, & à iure adhiberi prohibitum; (non vero irritatum) vel cum aliqua circunſtantia prohibita factum, ſi tamen ſuppoſito iuramento illicito, res promiſſa per illud poſſit abſque culpa exerceri, iuramentum obligat: *ex cap. & ſi Chriſtus de iureiurando, cap. manet* 21. *q.* 1. Quia res iurata licita eſt, & ea ſuppoſitione culpæ in iurando, & abſque culpa poteſt impleri: & ſic eius executio non cedit in diſpendium ſalutis æternæ, quemadmodum, qui meretrici mercedem ſui corporis iuramento promiſit, tenetur illam reddere, tametſi peccaverit in iureiurando. Molina *tom.* 2. *de iuſtitia, diſp.* 510. *col.* 11. Caiet. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. Suar. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 2. 3. *&* 8. Sanch. *cap.* 9. *n.* 22. Prado *n.* 14. ¶ Imò quamvis promiſſio iure ſit irrita, ſi tamen iuramentum cadens ſuper illam non irritetur, obligat illam impleri rem, quando id fieri poteſt ſine peccato. Sicut promiſſio ſolvendi uſuras eſt iure naturali irrita, & iuramentum illius ſolutionis obligat, ut habetur *cap. debitores de iureiurando.* ¶ Et hinc fit iuramentum per metum, & iniuriam extortum, obligare; quandiu iurans non obtinuerit relaxationem, ſolvere, quod promiſit, ut qui metu coactus à latrone, illi pecunias ſe daturum promiſit, tenetur illas ſolvere ob vinculum iuramenti, quamvis poſſit ſtatim eas repetere, ut habetur *ex cap. ſi vero de iureiurando, cap. Abbas, cap. ad audientiam de iis, quæ vi.* Et docet D.Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 3. Et nos latè diximus *tom.* 3. *tr.* 14. *c.* 1. *punct.* 7. §. 1. *à n.* 61. Ubi etiam diximus, an iuramentum dolo extortum ſit validum, & obligatorium. Vide etiam dicta hoc *tract. cap. præced. punct.* 6.

Deciduntur quædam difficultas.

70. Ex dictis decidendæ ſunt tres difficultates. Prima eſt, an ſi duo concubinarii promittant ſibi invicem fidelitatem, vel ſolum alter alteri, ſcilicet, quod promittens nullam aliam perſonam carnaliter, & illicitè cognoſcat, hoc iuramentum obliget, & ſit validum taliter quod ſi promittens

poſt

poſt illud ad aliam perſonam carnaliter extra matrimonium accedat, teneatur in confeſſione explicare, & peccatum fornicationis, & fractionis juramenti? Negant tale juramentum obligare Diana *part.* 9. *tract.* 8. *miſcellan. reſol.* 9. Fagundez *tom.* 1. *præcep.* 2. *lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 19. Tum, quia finis hujus promiſſionis eſt, turpem amicitiam conſervare, & juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis. Tum etiam, quia tale juramentum occaſionem præbet permanendi in peccata, quia idem eſt ac jurare, ſe non ablaturum occaſionem peccandi. ¶ Sed melius affirmant tale juramentum obligare Sanchez *lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 17. Prado *tom.* 2. *cap.* 32. *q.* 3. *n.* 15. Tum, quia ad obligationem juramenti in favorem alterius facti, non attenditur, quod promiſſum per illud, malè, aut illicitè ſit promiſſum, ſed quod ſuppoſita promiſſione prava, impleri poſſit abſque peccato, ut diximus *n. praceden.* Sed promiſſum in juramento, de quo loquimur, poteſt exerceri ſine peccato, nimirum, non accedere ad aliam fornicando, quod non eſt neceſſe, ut ob finem turpem conſervandæ prioris amicitiæ executioni mandetur. Tum etiam, quia licet turpitudo induxerit ad promittendum, re vera promiſſio illa ſe habet ut merces, & ſtipendium uſus præteriti corporis: quare ſicut teneretur implere promiſſum, qui ut mercedem, & ſtipendium dictum, mulieri promitteret nuptias, aut pecunias, ſic in noſtro caſu. Unde quamvis impletio talis promiſſionis occaſio peccandi eſſet, id eſt per accidens, per ſe namque loquendo, ſuppoſito peccato in promittendo, poteſt, & debet promiſſio ſine peccato impleri.

Qualiter promiſſio prodiga jurata obligationem inducat?

71. Secunda difficultas eſt, an promiſſio prodiga jurejurando firmata obliget etiam quoad exceſſum, ſecundum quem prodiga cenſetur? Duplicem ſententiam circa hanc difficultatem adduximus *tom.* 3. *de iuſt. tract.* 13. *de reſtit. c.* 1. *n.* 166. Et negativæ parti adhæſimus, & modo adhæremus: quia juramentum non obligat ad exequendam rem promiſſam, ſi ſit prava etiam duntaxat venialiter; ſed datio, & executio prodiga, quoad exceſſum, quo prodiga eſt, mala eſt ad minus venialiter, nec exuitur hac intrinſeca malitia per hoc, quod jungatur cum juramento: ſicut mendacium, quia malum ex ſe eſt, nullo modo intrinſeca malitia denudatur. Unde ſi res promiſſa ſit partibilis, ſolum promiſſio obligabit quoad quantitatem, in qua nulla eſt prodigalitas; non vero quoad incrementum: quia prima quantitas impleri poteſt ſine peccato; non ſecunda. Si tamen res ſit impartibilis ad nihil juratus tenetur. Hæc ibi citatis, Soto, Prado, Bañez, Serra, Trullench. quibus modò adde Suarez *lib.* 2. *c.* 23. *fine.* Rodriguez *tom.* 2. *ſum. cap.* 40. *num.* 4. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. *in principio.*

Qui juſtè in carcere detentus tenetur redire, ſi exiens reditum juravit.

72. Ultima difficultas eſt, an qui juravit redire ad carcerem, in qua detinebatur, teneatur redire, quando ex reditu timet pœnam graviſſimam, etiam mortis, qua damnatus eſt? In qua difficultate ſupponimus ut certum, quod ſi juſtè ſit detentus in carcere, vel ſi pœna inferenda mortis ſit juſta, tenetur obſervare juramentũ redeundo ad carcerem, etiam cum periculo vitæ: quia talis reditus, & honeſtus eſt, & fidelitati, religioni, & juſtitiæ debitus, & cum ſit iuramentum de re virtuoſa, & honeſta, eſt omnino obſervandum. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 4. *num.* 13. Sanch. *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 25. Sayrus *lib.* 52. *c.* 18. *num.* 26. Tambur. *lib.* 3. *cap.* 3. §. 5. *num.* 29. Leander *tract.* 1. *diſp.* 10. *q.* 19. Et a fortiori tenent omnes infra adducendi pro noſtra ſententia. Quæſtio igitur eſt, quando iniuſtè in carcere detinetur, aut timet, quod iniuſtè pœna mortis, aut alia graviſſima damnetur. ¶ Sed adhuc iſtum poſſe licitè redire, eſtò non teneretur ad reditum, ob iuramenti religionem, eiuſque obſervantiam, rectè docet Sayrus *num.* 27. Gomez de Ameſcua *tract. de poteſtate in ſcipſum lib.* 2. *cap.* 50. *à num.* 2. Et patet ex à nobis dictis *tract.* 51. *de legib. cap.* 2. *num.* 129. & 136. Vbi ex diverſis exemplis, & ex D. Th. probavimus in pluribus caſibus, & ſi non teneatur aliquis vitam exponere, poteſt nihilominus licitè periculo mortis ſe ſubjicere ex iuſta, virtuoſa, & rationabili cauſa.

Aliqua certa ſupponuntur pro deciſione difficultatis.

73. Quare tota difficultas eſt, an qui iuravit redire ad carcerem, teneatur implere iuramentum, etiamſi carcer ſit iniuſtus, & pœna mortis, quæ timetur iniuſta? Et idem iudicium ferendum iudicamus ſive ſit talis mors iniuſta, & iuridicè, & à parte rei, ſive ſolum ſit iniuſta à parte rei, quamvis iuridicè iuſta ſit: quia nimirum, licet iniuſta ſit re ipſa, ſecundum allegata, & probata, iuſta eſt, quod ſi ſemel poteſt non redire, non obſtante iuramento, quando iniuſta eſt iuridicè, & à parte rei; etiam licitum erit non redire, quando talis carcer, aut mors eſſet illicita re vera; licet licita ſit, ſecundum allegata, & probata. Quia re ipſa, & coram Deo talis pœna eſt iniuſta, & falſitas probationem; non privat reum iure protegendi ſe, & iniuriæ re ipſa iniuſtè illatæ repellendæ, ut rectè docet Sanchez *lib.* 3. *cap.* 11. *numero* 25. ¶ Immò in caſu quæſtionis eſt certum non teneri ad reditum, caſu quo iuramenti relaxationem obtineat, quæ ob iniuriam, quam patitur, facilis eſt conceſſionis. Aut caſu, quo non prævideret mortem, quando iuravit, & iam prævidet in reditu: quia notabiliter ſunt mutatæ circumſtantiæ. Vel denique caſu, quo iuramentum præſtitit cum limitatione in mente concepta, nimirum, ſi teneor, ſi mihi placuerit: (quidquid ſit, an hoc fieri licitè poſſit, de quo erit ſermo puncto ſequenti) quia minimè obligat iuramentum, in quo ob cauſam rationabilem iurans non habens animum ſe obligandi utitur amphibologia, aut reſtrictione aliqua in mente retenta, qualem in præſenti dari nemo ambigit, & cum deſit intentio ſe obligandi omnino ad iuramentum neceſſaria, deficit obligatio iuramenti.

Qui iniuſtè timet pœnam mortis, non tenetur redire ad carcerem ſicut iuravit, ſecundum aliquos.

74. Circa quæſtionem ergo datur duplex ſententia. Prima aſſerit, quod quando mortis iniuſtæ, aut alterius graviſſimi damni probabiliter pœna timetur, non tenetur redire ad carcerem, qui ſub iuramento hoc promiſit. Tum quia de iure naturæ tenetur quis ſuam vitam conſervare. Tum quia eſſet opus temeritatis, ſe abſque neceſſitate morti offerre, & ſic iuramentum de tali reditu eſſet temerarium; non ergo obligatorium. Sic Vazquez 1. 2. *quæſt.* 98. *art.* 5. *diſp.* 174. *cap.* 5. Navarr. *cap.* 12. *num.* 18. Gutierrez *de iurament.* 1. *parte cap.* 57. *à num.* 24. Covarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *numero* 7. Baſilius Pontius *lib.* 2. *de matrim. cap.* 8. *num.* 20. Reginal. *lib.* 18. *num.* 62. Tambur. *lib.* 3. *cap.* 3. § 5. *num.* 31. Diana *part.* 9. *tract.* 8. *reſol.* 57. Plaza *de delict. lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 6. *fine.* Leander *tract.* 1. *diſp.* 10. *quæſt.* 21. *concluſ.* 2. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 10. & *lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 6. ¶ Limitant tamen aliqui ex his authoribus, niſi aliàs ex eius non reditu ſequatur ſcandalum, vel iniuria aliqua religioni Chriſtianæ, ut ſi quis apud Turcas captivus permittatur redire ad patriam, præſtito iuramento, quod ad captivitatem redibit, hic redire proculdubio teneretur, tum ob vitandum ſcandalum, tum etiam ne cum magna iniuria religionis Chriſtianæ arbitrentur infideles nullius momenti eſſe apud nos religionem iuramenti. Sic Leander *quæſt.* 22. Diana *part.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 35. qui citat

Sotum *lib.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 7. *ad* 3. Valent. 2.2. *diſ.* 6. *quæſt.* 7. *punct.* 4. §. 3. Et ex eis docet recte Leander *quæſt.* 23. quod ſi quis captiuus detineretur apud Turcas, & juraret ſe daturum pro redemptione centum aureos, teneretur poſtea dum liber eſſet in patria, illos ſolvere ob rationes dictas.

Etiam cum periculo mortis tenetur redire ad carcerem, qui rediturum juravit.

75. Sed licet hæc ſententia ſit probabilis, probabilior nobis videtur ſecunda ſententia, quæ dicit teneri in caſu quæſtionis redire ad carcerem, & ſe morti offerre, ut fidelitas, & veracitas juramenti ſervetur. Et probatur: quia ſuppoſita promiſſione hoc opus eſt opus virtutis fidelitatis, veracitatis, & fortitudinis, quodque exerceri poteſt abſque præjudicio ſalutis æternæ: ergo juramentum de illo obligat. ¶ Confirmatur primo: quia licet ſe occidere ſit intrinſece malum, & ſubinde nunquam liceat; at periculum mortis non effugere; ſed potius illi ex juſta cauſa ſe exponere, eſt actus virtutis fortitudinis, ut late probavimus, *tom.* 3. *de juſtitia*, *tract.* 13. *de reſtitutione cap.* 1. §. 3. *a num.* 33. ¶ Confirmatur ſecundo: quia ſecundum D. Thom. *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 1. *ad* 3. pro quocumque actu virtutis poteſt unuſquiſque ſe periculo vitæ exponere: ergo etiam pro ſervanda fidelitate, & religione juramenti: ergo tenetur illud obſervare: quia adſtringitur religione juramenti, qui abſque peccato poteſt rem promiſſam executioni mandare, juxta dicta *num.* 67. Hanc ſententiam tuentur Caietan. 2.2. *quæſt.* 89. *art.* 7. §. *ex his autem.* Angelus *juramento* 5. *num.* 37. Sylveſter *eodem verbo* 4. *quæſt.* 26. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 32. Toletus *lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 2. Suarez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 14. & 15. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 6. *num.* 28. Bonac. *tom.* 2. *diſ.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 9. *num.* 2. Filliucius *tract.* 25. *cap.* 6. *num.* 162. Prado *tom.* 2. *cap.* 32. *quæſt.* 3. *num.* 20. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 12. *num.* 3. Laym. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. Palaus *diſ.* 2. *punct.* 4. *n.* 14. & alii.

PUNCTUM VII.

De aliquibus particularibus juramentis qualiter obligationem inducant?

Dicenda hoc puncto etiam pro votis deſerviunt.

76. Quæ dixerimus hoc puncto ferè communia ſunt juramento, & voto; ideo quæ de juramento dicta fuerint, poterunt votis applicari, ſi de illis, aut ſimilibus rebus promiſſio ſub voto fiat. Sicuti quæ dicta ſunt à nobis de obligatione particularium aliquorum votorum *cap. præceden.* etiam pro juramentis poſſunt proportionabiliter applicari. Quare cum ibi de pluribus votis, quoad eorum obligationem jam ſit à nobis diſputatum. Modo de obligatione quinque votorum, aut juramentorum ſermo erit, & ut clarius atque prolixitate in hoc puncto procedamus, illud in diverſos §§. dividemus.

---

§. I.

Qualiter obliget juramentum ſervandi ſtatuta Reipublicæ, Collegii, Univerſitatis, Confraternitatis, &c.

Qui ſtatutum juravit ſolum ad editum tenetur, non ad edendum.

77. Quadruplicem regulam generalem aſſignare poſſumus ad cognoſcendum quando, & qualiter obliget juramentum de ſervandis ſtatutis alicuius Univerſitatis, Confraternitatis, Collegii, &c. Prima ſit, quod juramentum abſolutè præſtitum ſervandi ſtatuta hujuſmodi intelligitur de ſtatutis uſque ad illud tempus editis, non de in poſterum edendis, niſi expreſſe iurans ſe ad futura voluerit obligare: quia iuramentum, ut diximus *cap. præceden.* non debet extendi, ſed reſtringi ob periculum periurii, & ob onus, quod ſecum affert; unde non eſt ampliandum, ſed ſtrictè interpretandum, ita ut non comprehendat, quod verba latè ſignificant. Candid. *diſquiſ.* 26. *art.* 12. *dub.* 12. *concluſ.* 20. Villal. *tract.* 30. *diff.* 5. *num.* 22. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 4. *n.* 42. Leander *tract.* 1. *diſ.* 34. *quæſt.* 4. & 5. Prado *cap.* 32. *quæſt.* 6. §. 2. *num.* 11. Suarez *lib.* 2. *de iuram. cap.* 32. *num.* 11. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 16. *n.* 2. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. Ledeſma *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 5. *dub.* 2. *collorar.* 2. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 3. Niſi novum illum ſtatutum ad ſolius veteris declarationem ederetur, vel ad implicita, & tacita in antiquo ſtatuto contenta declaranda, tunc teneretur iurans hoc novum obſervare: quia verè novum non eſt, ſed idem prorſus cum veteri. Sic Sanchez, Ledeſma, Sylveſter *iuramentum* 4. *quæſt.* 23. Azor. *lib.* 11. *quæſt.* 8. *cap.* 7.

Iuramentum ſervandi ſtatutum, non amplius obligat, quam obligat ſtatutum.

78. Secunda regula ſit, huiuſmodi iuramenta de ſervandis ſtatutis alicuius congregationis, non ſic obligare ſub mortali, ut tranſgreſſio cuiuſlibet ſtatuti lethale peccatum conſtituat, id enim difficillimum foret, & pluribus ſcrupulis expoſitum; ſed eſt intelligendum taliter obligare, qualiter res illa ſervanda in ſtatutis continetur, nimirum, ſi ſtatutum ad mortale obliget, iuramentum in illo obligabit ad mortale, taliter quod duplex mortale committet illud frangens, & contra ſtatutum, quod independenter à iuramento obligat ſub mortali, & contra iuramentum factum de obſervatione illius: ſi ſtatutum obliget ſub veniali, iuramenti fractio circa illud erit veniale: ſi ad pœnam obliget duntaxat ſtatutum, ad pœnam duntaxat obligabit iuramentum: ſi neque ad pœnam, nec ad culpam, ſed tantum ſub conſilio aliquid ſtatuat, hoc modo obligabit iuramentum. Ratio eſt: quia iurans minime promiſit præciſe ſervare rem illam contentam in ſtatutis, ſed ſervare ſtatuta, prout ſtatuta ſunt, ſeu res illas contentas in ſtatutis, non ſecundum ſe, ſed prout in ſtatutis continentur: & ſic iuramenti obligatio iudicanda eſt iuxta ſtatutorum obligationem, & ita dicendum obligare iuramentum de illis obſervandis, qualiter ſtatutum eſt illa obligare. Unde qui ſtatuta alicuius communitatis iuraret decernentia aliquid ſub certis pœnis, & non ſub culpa, nullam culpam committunt in eorum tranſgreſſione: quia ad ſolam pœnam ſolvendam legitime petitam obligantur. Salas *de legib. diſ.* 15. *ſect.* 11. *num.* 59. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 17. *num.* 8. Palaus *diſ.* 2. *punct.* 8. §. 1. *num.* 6. Prado *num.* 13. Sanchez *n.* 2. Bonac. *tom.* 2. *diſ.* 4. *quæſt.* 6. *punct.* 16. *num.* 6. Diana 3. *part. tract.* 6. *reſol.* 36. Medina 1.2. *quæſt* 96. *art.* 4. *colum. ante penult. verſic. ex his patet.*

Si ſtatutum aliqua ratione deſinat obligare, etiam iuramentum de illo obſervando.

79. Tertia regula, quæ ex præcedenti ſequitur eſt, ex vi talis iuramenti non teneri ad obſervanda ea ſtatuta, quæ aliqua ratione non obligant, ut ſi non ſunt licita, non poſſibilia, ſi communiter non ſunt recepta, aut in diſſuetudinem abierunt: quia ſolum eſt iuramentum de illis obſervandis, quatenus obligant: ergo quando ex aliqua cauſa deſinunt obligare, nec etiam iuramentum obligabit. Leander *tract.* 1. *diſputatione* 24. *quæſtione* 6. Trullench. *numero* 6. Palaus *num.* 2. Sanchez *num* 8. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 14. Suarez *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 11. Diana *ſupra*, Prado *num.* 14. Bonacina *numero* 2. Candid. *concluſ.* 21.

Navarr.

Navarr. *cap.* 25. *num.* 23. Azor. *lib.* 11. *cap.* 8. *q.* 8. Atque idem dicendum eſt, ſi certo modo ſint recepta talia ſtatuta, & in uſu, aut quoad partem ſint recepta, non quoad totum, quod eo ſolum modo obligat juramentum, quo ſunt in vigore obligandi ſtatuta. Vnde ſi ſtatutum revocetur per petentem illud revocare, juramentum de illo ceſſat: quia jam verè non eſt ſtatutum. Sic citati. Et hoc verificatur non ſolum quando in generali ſervare ſtatuta juratur, quorum quædam ſunt recepta, & in uſu, quædam non recepta, vel per diſſuetudinem abolita, ſed quando in particulari petitur ab aliquo juramentum ſervandi hoc, vel illud ſtatutum: quia ſi illud particulare ſit abrogatum, vel uſu non receptum, juramentum de illo obſervando non obligat: quia juramentum non eſt de re illa implenda abſolutè ſecluſo ſtatuto, ſed ſervandi ſtatutum, ſeu eſt juramentum rei implendæ juxta ſtatuti præſcriptum, & ideo juramentum ſic eſt accipiendum, ut ſit ſervandi illud ſtatutum, prout uſu receptum eſt, & ſecundum quod tale ſtatutum obligat. Sic Sanchez *num.* 9. Bonacina *punct.* 16. *verſu ex quo licet inferre*, Prado *cap.* 32. *q.* 6. *n.* 15. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſ.* 35 *ſect.* 3. *n.* 5. Candid. *concluſ.* 25. Leander *tract.* 1. *diſ.* 24 *q* 6.

Non obligat jurans obſervare ſtatuta, quæ à majori parte non obſervantur.

80. Quarta regula ſit, quod quando non conſtat de oppoſita mente jurantium, juramentum Civitatis, Univerſitatis, Confraternitatis, aut alterius Collegii, non ligare reliquos, quando rem juratam major communitatis pars non obſervat: quia in tali caſu non eſt judicandum reliquos ſe voluiſſe obligare, ſed dum ſervatur tale ſtatutum in ea congregatione, non tamen dicitur in communitate ſtatutum obſervari, majori illius parte illud non obſervante. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 15. *numero* 2. Azor *lib.* 11. *cap.* 8. *quæſtione* 8. Sa *verbo juramentum num.* 25. Leander *tract.* 1. *diſ.* 24. *q.* 6. ¶ Sed dicta in hac regula, & aliis intelligenda ſunt niſi jurans vellet ſcienter, & expreſsè ſe obligare ad rem illam ſtatuto contentam independenter à ſtatuto: quia tunc ſi res licita eſt, tenetur ſervare juramentum, graviter, aut leviter, ſecundum quod res ipſa gravis, aut levis eſt independenter à ſtatuto; etiamſi ſtatutum nullo modo obliget: quia jam ex intentione jurantis eatenſum eſt ipſum juramentum ad rem ipſam ſecundum ſe independenter à ſtatuto. Sed præſumendum non eſt, eam eſſe jurantis intentionem, niſi de eo conſtet expreſſe, niſi ſervandi ſtatutum, prout viget, & obligandi vim habet. Sic præcitati authores.

Qualiter obliget præceptum Rectoris univerſitatis ſub pœna præſtiti juramenti?

81. Ex dictis in his regulis infertur, ſcholaſticos, qui frangunt præcepta Rectorum Academiæ ſub pœna præſtiti juramenti, non peccare mortaliter, niſi materia gravis ſit in ordine ad finem præcepti, ut cum iubentur ſub pœna præſtiti juramenti intereſſe certæ congregationi, Miſſarum ſacrificio, publicæ & ſolenni ſupplicationi: quia talia præcepta benigne interpretanda ſunt, ut reos perjurii velint eſſe tranſgreſſores, ſed ut memores juramenti ea præcepta non contemnant. Et idem eſt quando Rectorem iubentur comitari ſub pœna præſtiti juramenti in die S. Nicolai, & ſimilibus diebus, & ne induantur veſtibus ſericis contra univerſitatis ſtatuta, & tunc non eſt mens Rectoris obligare ſub mortali, niſi quando eſt circa materiam graviſſimam ad finem Rectoris intentum multum conducens, ut ſi ſigillatim vocaret aliquos pro cauſis gravibus decidendis ſub pœna præſtiti. Sic Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 17. *num.* 9. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 11. Leander *tract.* 1. *diſ.* 23. *quæſt.* 4. Mendo *de iure Academico. lib.* 3. *quæſt.* 10. *à num.* 81. Candid. *diſquiſ.* 36. *art.* 12. *dub.* 17. Covarr. *de pactis* 2. *part.* §. 7. *pr.* Rodriguez *lib.* 2. *cap.* 9. *num. ultimo.* Vazquez 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *diſp.* 158. *cap.* 5. *num* 31. Azor. *lib.* 11. *cap.* 8. *quæſt.* 12. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 14. *numero* 6. ¶ Diximus *niſi materia gravis ſit in ordine ad finem præcepti*: quia contingere poteſt ut materia ſit gravis in ordine ad finem unius Superioris, quæ tamen levis eſſet in ordine ad finem alterius, ut auditio Sacri gravis materia eſt imperata à Superiori Eccleſiaſtico, vel regulari: quia ad profectum animarum intentum ab ipſis multum conducit. Si vero imperetur à Rectore Univerſitatis, vel Collegii ſub pœna præſtiti juramenti, eſt materia levis unius, vel alterius omiſſio Sacri: quia ad finem illorum, qui eſt recta ſubditorum gubernatio parum conducit, uti citatis aliis diximus *tomo* 3. *de juſt. tract.* 21. *de legib. cap.* 5. *n.* 25.

82. Sed rogabis forte, an poſſit univerſitas, Collegium, &c. ſtatutum ſuum juratum revocare? Et quidem ſi juramentum ſit non revocandi ſtatutum, planum eſt, illud non poſſe abſque perjurio revocare, niſi deficiente cauſa finali. Sed abſque hoc, dicimus, quod ſi ſtatutum juratum ſit à perſonis illius Communitatis obſervandum ut perſonæ ſingulares ſunt, ut quando decernit, quod nullus noctu domo egrediatur, nullus arma portet, nullus niſi matriculæ adſcriptus vocem in capitulo habeat, illud revocare poteſt communitas, & ſic juramenti obligatio extinguetur: quia natura ſtatuti eſt ut revocari valeat, quam ſequitur juramentum. At vero ſi ſtatutum juratum ſit, non quod à ſingulis ſigillatim implendum eſt; ſed ab omnibus coniunctis nomine Univerſitatis, ſeu collegialiter, ut ſi decernat non admittere ad eam Congregationem niſi perſonas cum talibus conditionibus, & qualitatibus, vel non admittendum aliquem ultra talem numerum &c. Tunc non poteſt univerſitas, etiam ut univerſitas congregata, illud ſtatutum revocare, ut conſtat *ex cap. dilecte de præbend.* Et ratio eſt: quia tale ſtatutum communiter ſancientes, illudque jurantes, per ſtatutum unà cum juramento à ſe ipſis poteſtatem abſtulerunt aliquid contrarium agendi. Covarr. *de pact. part.* 2. §. 2. *num.* 5. *verſicul. Ego vero*, Prado *cap.* 35. *quæſt.* 6. *num.* 22. Sylveſter. *juramentum* 4 *quæſt.* 2. *dict.* 3. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 4. & 5. ¶ Quando vero poteſt univerſitas ſtatutum ſuum revocare, ſatis eſt, ut illud revocare cenſeatur, ſi ſtatuentes, vel eorum ſucceſſores ſcienter & collegialiter etiam unico actu contra ſtatutum agant; nec tunc erunt perjurii ſtatuto contraveniendo: quia tunc eo ipſo ſtatutum revocant, & ſic ceſſat juramentum circa illud. Prado & Sylveſt. *locis citatis* Sanchez *num.* 7.

Quæ ſtatuta iurata poſſit, vel non, univerſitas revocare?

---

§. II.

De juramento, quod faciunt Scribæ, Procuratores, & alii miniſtri publici, ſervandi taxam lege præſcriptam. Et quod præſtant Decuriones, Senatores: vulgo, Iurados, Veintiquatros, y Regidores: *de proſpiciendo publico oppidi, vel civitatis bono.*

Iuramentum Scribarum de ſervanda taxa, non obligat ſe vera ut

83. SCitum eſt apud omnes, Scribas, Procuratores, & alios miniſtros in ingreſſu officii ſui juramento ſe adſtringere ſervandi taxam lege præſcriptam, non petendo, vel accipiendo amplius ſtipendium, quam eſt jam lege taxatum. Sed ipſi

Stipendium insufficiens.

quotidie conqueruntur, quod tale ſtipendium eſt inſufficiens, & injuſtum. Quæritur ergo modo, an dato eſſe inſufficiens tale ſtipendium, teneantur vi juramenti ſtipendium lege taxatum obſervare? Statim videbimus, an ita ſit, quod tale ſtipendium his temporibus ſit inſufficiens, ac proinde injuſtum. Dicimus ergo, quod ſi vere ſtipendium inſufficiens eſt, & injuſtum, non obligabit dictum juramentum ad eam laboris taxam obſervandam, quæ injuſta eſt, quando probabiliter ob varietatem temporum à viris doctis injuſta judicatur. Quia ut diximus *n.* 78. juramentum ſervandi ſtatutum intelligitur quatenus juſtum, & obligatorium eſt, & ut eſt uſu, & conſuetudine receptum. Nec eſt contra hoc, quod qui juravit dare latroni pecunias, ut ab extorſionibus eius liberaretur, tenetur dare ob juramenti religionem, tametſi injuſtum ſit, quod à latrone petitur. Quia eſt diſpar ratio in utroque caſu: quia hic juravit latroni dare pecuniam, quamvis indebitam, & injuſtam; at in noſtro caſu non juravit niſi ſervare taxam legis: Vulgo, *el Aranzel*, quatenus juſta, & obligatoria, uſuque, & conſuetudine recepta eſt. Sic Sanch. *lib.* 3. *c.* 14. *num.* 14. Palaus *tract.* 14. *diſ.* 2. *punct.* 7. §. 5. *n.* 5. Trullen. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 19. *n.* 8. *& lib.* 8. *c.* 5. *dub.* 5. *n.* 2. Fagundez *lib.* 8. *cap.* 26. *num.* 8. *&* 9. Prado *cap.* 31. *quaſt.* 6. *num* 8. Leander *tract.* 1. *diſ.* 31. *q.* 6. Diana *part.* 9. *tract.* 8. *reſol.* 8. & *part.* 2. *tract.* 59. *reſol.* 60.

Stipendium lege taxatum pro Scribis, probabile eſt, eſſe inſufficiens his temporibus.

84. Videamus modo, an ſit ſufficiens, & juſtum ſtipendium lege, *por el Aranzel*, taxatum, & an ex conſuetudine poſſint miniſtri his temporibus majus ſtipendium exigere? Sed in hoc pro omnibus Provintiis non poteſt aliquid certum diffiniri: quia cum in locis diverſis ſint diverſa ſtipendia pro miniſtris publicis taxata, non poteſt recte judicari pro omnibus, an ſint omnia juſta; vel injuſta? An omnia in viridi obſervantia; vel contraria conſuetudine abrogata? Fateor probabiliſſimam eſſe ſententiam, quam tuentur Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſ.* 83. Baſil. 1. *p. variar. diſ.* 2. *ſcholaſt. cap.* 7. Lugo *t.* 2. *de iuſt. diſp.* 41. *ſect.* 1. *n.* 12. Trullen. *lib.* 8. *in decalog. c.* 26. *n.* 8. *&* 9. & alii, quos referunt, & ſequuntur Diana *locis nuper citatis*, & Leander *q.* 8. aſſerentem, quod in Hiſpania eſt jam tale ſtipendium his temporibus inſufficiens, & injuſtum, & ſic poſſe Scribas, aliosque miniſtros publicos accipere ſibi incrementum uſque ad limites juſti pretii, quod eſſe tale penſandum eſt, non ex indigentia ipſorum miniſtrorum ad alendam familiam; ſed ex opere, & obſequio, quod præſtant. Et hoc arbitrio prudentum.

Stipendium taxatum pro Scribis iuſtum eſt, etiam his temporibus.

85. Sed licet dicta ſententia probabilis ſit; non minus eſt probabilis ſententia aſſerens tale ſtipendium taxatum pro dictis miniſtris eſſe iuſtum, & minime abrogatum. Sic Bañez 2. 2. *quaſt.* 71. *art.* 4. *dub.* 7. *concl.* 1. Villal. *t.* 2. *tract.* 18. *diff.* 4. *n.* 1. *&* 4. Ioann. à Cruce *in ſum. circa* 8. *præcep. art.* 8. *dub.* 2 2. *poſt* 1. *concl.* Petrus de Ledeſma *t.* 2. *tract.* 8. *cap.* 26. *concl.* 9. Prado *c.* 32. *q.* 6. *n.* 18. Caſtro Palao *tract.* 14. *diſ.* 2. *punct.* 7. *n.* 4. ubi hæc præclara verba dicit, quæ placuit in præſenti referre: Inſuper Scribæ Procuratores, aliique officiales iuramentum emittunt ſervandi taxam ſibi à Rege præſcriptam, vulgò, *el Aranzel*, quam multi clamant eſſe magna ex parte conſuetudine derogatam, in cuius confirmationem allegant pretia rerum poſt illam taxam notabiliter excreviſſe, ita ut ſe ſuamque familiam ſuſtentare non poſſint, ſi taxã ſervent. Cæterum his nunquam acquieſcere potui; plures enim Scribas conſului, an ſufficienter ſe ſuſtentare poſſint ex officio ſervando taxam, ſi ipſis committerentur negotia, quæ poſſent expedire, & ab illis reſponſum accepi, optime poſſe. Quæ ergo æquitas, & iuſtitia poſtulat defectum negotiorum augmento pretii ſupplere? Et velle ex uno ſolo litigante accipere, quæ à pluribus accepturus eras? Præterea ab obſervatione taxæ excuſari non poteſt, niſi ob conſuetudinem contrariam. At uſque modo nulla eſt talis conſuetudo: nam ſi aliqui taxam excedunt, clam accipiunt, nec Reſpublica conſentit. Quomodo ergo allegare contrariam conſuetudinem poteſt? Inſuper omnibus his officialibus mandatum eſt, ut in fine cuiuſlibet ſcripturæ apponant ſalarium pro ea acceptum: ſi ergo abundans accipientes, diminutum apponunt, clare oſtendunt, exceſſum à Republica non permitti. Quo ergo titulo illam habere poſſunt? Hactenus ſapientiſſimus Doctor.

Ad quid decuriones teneantur ex vi ſui muneris, ſecundum aliquos.

86. Veniamus modo ad alios publicos miniſtros, nimirum ad Decuriones, vel Senatores Vrbium, qui vulgo dicontur, *los Iurados*, *Veinticuatros*, *y Regidores*: qui etiam quando ad officia admittuntur, iurant ſe publico oppidi bono proſpecturos. Et difficultas eſt in hac parte, an ex vi huius iuramenti teneantur publica peccata, ut concubinatus, publicas ludi menſas, inquirere, ut ea manifeſtent iudicibus, vel Prælatis, vel eis, quibus incumbit remedium adhibere, vel de eorum remedio in conventu vrbis publico, vulgò, *en el Cavildo, conſejo, o Conſiſtorio*, tractare, ut impediantur? Affirmat prima ſententia peccare mortaliter contra iuramentum in hoc ſpecialiter negligentes. Tum, quia hoc eſt eorum ſpeciale munus, ut ſint tanquam Patres, & oculi Reipublicæ, ad peccata publica inquirenda, denuntianda, vel alia via procuranda, ut evitentur. Tum etiam, quia vrbis Rectores, ac Decuriones poſiti ſunt, ut Prætoris coadiutores, & conſiliarii; ſed Prætores in his publicis vitiis extirpandis valde negligentes peccant mortaliter: ergo &c. Sic Navarr. *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 3. *dub.* 3. *n.* 20. Rodrig. 2. *tom. ſum. c.* 28. *num. vnic. in* 4. *interrog.*

Non tenentur Senatores publica peccata inquirere, & denuntiare.

87. Secunda, quam ſequimur, ſententia dicit, non teneri talia publica peccata denuntiare, inquirere, aut eorũ remedia procurare, niſi quando lex correctionis quemcumque aliũ proximum obligat, ac proinde contra iuramentum non delinquere in hoc negligentes. Quia non eſt eorum munus pro his damnis ſpiritualibus vitandis Reipublicæ providere, nec in eorũ conventibus de his agere. Nec enim leges Regni eis hoc onus imponunt; nec de hoc in formula iuramenti, quod faciunt, verbum reperitur. Sed ſolum pro rebus Reipublicæ politicis proſpicere, eamque in temporalibus adiuvare, & ſic in eorum conventibus ſolum de politico vrbis regimine eſt agendum: Putà de proviſione populorum, pretiis rerum venalium, de conſervandis, defendendiſque civitatis rebus, & redditibus, de eis legitime expendendis, de frumentario depoſito tuendo, & providendo, ut oppidum in pace conſervetur, ut latrones publici puniantur, & curare ut viæ ab eorum incurſibus ſint liberæ, ſi alicubi ſit peſtis civitatẽ cuſtodire, & ſi ipſa civitas ſit peſte infecta, curare ut ægris medicina adhibeatur, & incolumitati urbis attendere, ne miniſtri publici civibus iniuriam irrogent, ſuiſque miniſteriis abutantur, & ſimilibus. Ad hoc obligantur ex vi legum, & iuramenti, & in hoc ſunt ſocii, & coadiutores Prætorum, non quoad iuſtitiæ adminiſtrationem, ad quam pertinet peccata publica inquirere, ac punire: & ob id oculi, & Patres Reipublicæ dicuntur, nimirum ad proſpiciendum pro bonum bis regimine, & eius cavendis damnis. Sic Sanchez *lib.* 3. *c.* 14. *n.* 16. Azevedo *in curia*, Piſan. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 1. & *c.* 26. *n.* 4. Martin. à Prado *c.* 32. *q.* 6. *n.* 21. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 7. §. 5. *n.* 2. Fagund. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 16. Leander *tract.* 1. *diſp.* 31. *quaſt.* 2.

88. Sed

Qualiter obliget iuramentum ſervandi ſecretum?

88. Sed rogabis, an juramentum ſervandi ſecretum eorum, quæ in Congregationibus, & Conventibus tractantur, ſemper obliget mortaliter? Et idem eſt de aliis publicis miniſtris, vel de aliis diverſis Communitatibus, in quorum Capitulis aliqua ſub ſecreto ſervanda jurantur? Reſpondetur quod tale juramentum ſolum obligat juxta gravitatem materiæ, ut ſi quæ tractantur ſint gravis momenti, ita ut manifeſtata notabiliter præiudicent bono communi, vel alicujus tertii, eorum manifeſtatio erit mortale. Si autem levis ſint momenti, aut leve detrimentum ex eorum manifeſtatione timeatur, erit veniale peccatum: quia tale juramentum obligat inſtar præcepti ſervandi ſecretum; & ſolum addit novam circumſtantiam ſacrilegii ſi non obſervetur; atqui præceptum ſecreti ſolum juxta gravitatem materiæ obligat, ut diximus *tom. 3. de iuſtitia tract. 13. c. 4. num.* 80. ergo ſimiliter juramentum de obſervatione illius. Sic Sanchez *lib. 3. cap.* 14. *num.* 5. citans D. Antonin. & Navarrum, Palaus §. 5. *n.* 3. Leand. *tract.* 1. *diſ.* 31. *quæſt.* 3. Fagundez *num.* 10. Et omnes, qui nobiſcum tenent, tranſgreſſionem juramenti promiſſorii in materia levi, eſſe ſolum peccatum veniale, quod dedimus *n.* 52. ¶ Addunt præcitati Authores verum eſſe, quod diximus, etiamſi juramentum non ſolum ſit generaliter factum ſervandi ſecretum, ſed etiam ſi aliquod ſpeciale ſe ſervaturum ſub juramento promiſerit, quod ſi non ſit materiæ gravis, ſolum ejus tranſgreſſio erit veniale peccatum.

---

§. III.

De iuramento à Medicis emiſſo monendi infirmos ut confiteantur, qualiter obliget?

Quid Pontifices ſtatuerint circa Medicos.

89. PRo ſolutione huius difficultatis ſupponendum eſt, Innocentium III. *in cap. cum infirmitas de pœnitentiis, & remiſſionibus*, Medicis ſtrictè jubere, ut ad medendum infirmo in lecto jacenti, vocati, eum ante omnia moneant, & inducant, ut confiteantur. Quod innovavit, & extendit Pius V. in quodam motu proprio edito anno 1566. incipiente *ſupra gregem Dominicam.* Addens præceptum, ne Medici ultra tertium diem ægrum viſitent, niſi certificentur de infirmi Confeſſione per Confeſſarii reſcriptum, niſi Confeſſarius judicet ex juſta cauſa infirmo longius tempus indulgendum, & præcipit Univerſitatibus, & Collegiis, ut cum facultatem medendi Medicis conceſſerint, vel Doctoris gradum, ab eis juramentum exigant ſervandi hoc decretum Pii V. Et ſic modo iurant Medici ſe ita monituros infirmos, & ultra tertium diem non viſitaturos niſi Confeſſione præmiſſa iuxta decretum Pii V.

Qualiter dicta Pontificum decreta ſint accipienda.

90. Et eſt commune inter Doctores, hæc præcepta ubi uſu recepta ſunt, neque contraria conſuetudine abrogata, obligare ſub mortali: quia verbis præceptivis Pontifices loquuntur, & circa rem valde gravem, & ſub graviſſimis pœnis, & ſic non poteſt non eſſe eorum obligatio gravis. Quamvis inter illos ſit non modica controverſia de quibus infirmitatibus hæc decreta intelligantur. Quibuſdam aſſerentibus intelligi de ſolis morbis vitæ periculum afferentibus, vel quando eſt dubium an morbus ſit periculoſus, quod periculum explicant tunc contingere, quando ratione ejus tenetur æger præcepto Confeſſionis divino: quia ſic eſt in praxi apud omnes Medicos, & amplius exigere ab eis, eſſet nimis durum, & periculoſum. Sic Roſella *verbo Medicus, num.* 3. Graff. 1. *part. deciſion. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 7. Rodriguez *cap.* 246. *fine.* Navarr. *cap.* 25. *num.* 61. Vega 2. *tom. Summ. cap.* 35. *caſu* 3. ¶ Aliis ex oppoſito dicentibus intelligi de quocumque morbo: quia præceptum generaliter de morbis loquitur; & ſi ſolum de periculoſis intelligeretur, facile eſſet Pontificibus illud ad periculoſos morbos limitare. Sylveſter *verbo Medicus, quæſt.* 3. *dic.* 3. D. Antonin. 3. *part. tit.* 7. *cap.* 2. §. 4. ¶ Nos media via incedimus, & dicimus, non loqui præceptum de omnibus morbis, nec ſolum de periculoſis, ſed de infirmitatibus gravibus, ob quas in lecto jacere ſit neceſſarium infirmis, vel in quibus prudenter judicatur eſſe periculum morale ut morbus gravis fiat. Quia Pontifices novum præceptum Medicis imponunt præter id, ad quod ex iure divino, ac naturali tenebantur, ſed quando infirmus ex iure divino tenetur confiteri, etiam tenetur Medicus ex eodem iure eum admonere per ſe, vel per alium: ergo, &c. Sic Cajetan. *in Summ. verbo Medicus fine.* Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 35. *ſect.* 3. *n.* 4. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 7. Bonac. *tom.* 2. *diſ.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 16. *num.* 10. Palaus *tract.* 14. *diſ.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 2. Leander *tract.* 1. *diſ.* 29. *q.* 10. Candid. *diſquiſ.* 26. *art.* 14. *dub.* 6. Trullench. *lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 19. *num.* 3.

Modo iuramentum Pii V. non eſt in uſu, & ſic non obligat iuramentum de eo ſervando.

91. Ad quæſitum ergo reſpondentes dicimus, juramentum à Medicis præſtitum exequendi huius decreti Pii V. ſolum illos obligare, ſecundum, quod eſt in uſu, & conſuetudine receptum: quia ſolum obligat juramentum prout obligat dictum decretum, quia eſt de ſervando tali decreto; hoc tamen decretum minime in Hiſpania eſt uſu receptum, & ſi fuit aliquando, illi contraria conſuetudine eſt derogatum. Videmus enim Medicos timoratos viſitare infirmos gravi morbo affectos, quin de Confeſſione facienda moneant, niſi cum eos in periculo mortis cernunt, neque exigunt reſcriptum Confeſſarii, fidem de Confeſſione facta faciens, nec pœnis in illo decreto ſancitis multantur. Sic Prado *cap.* 32. *quæſt.* 6. *num.* 16. Sanch. *num.* 14. Cajetan. *in Summ. verbo Medici peccata.* Palaus §. 4. *num.* 6. Leander *quæſt.* 13. Trullench. *num.* 3. Candid. *dub.* 1. Quare juramentum de dicto decreto obſervando ſolum obligat Medicos in locis ubi fuerit in uſu; in aliis vero ubi vim obligandi non habet, ſolum tenentur Medici, circa infirmorum monitionem, obſervare id, ad quod ex iure divino, & naturali obligantur, non ſub iuramento, quia iuramentum non erat de hoc obſervando præcepto, ſed obſervandi motum Pii V. ideoque non erunt periurii, ſi tale præceptum naturale non ſervent. Sic Prado *num.* 16. Palaus *num.* 6. Leander *q.* 14. Trullench. *num.* 3. Suarez *dicta ſect.* 3. *num.* 5. Sanchez *num.* 14.

Ad quid iure naturali, & divino Medici teneantur.

92. Sed reſtat modo ſcire qualiter iure divino, & naturali Medici ad hanc monitionem teneantur? Ad quod dicimus, quod ſi Medicus prævideat in infirmo probabile mortis periculum, ſi credit probabiliter eſſe in mortali, aut eſſe neceſſarium de ſuis rebus temporalibus diſponere ad ſolvenda debita, tollendas lites, &c. tenetur ſub mortali, per ſe, vel per alios monere

monere infirmum, ut Sacramenta recipiat, de ſuis rebus diſponat: quia lege charitatis ad hoc adſtringitur, ſicuti eadem lege quilibet tenetur gravi damno proximo imminenti cum poteſt occurrere; at ſi moraliter certus ſit infirmum ea monitione non indigere, quia in ſpiritualibus recte videt compoſitum, & de temporalibus nil habet componendum, quamvis melius faciet admonendo, quia omnes conſcii periculis mortis melius ad ultimam horam præparantur, non tamen peccabit mortaliter hoc prætermittendo. Sylveſter *medicus quæſt.3. dic.4.* Navarr. *cap.25. num.63.* Sanchez *lib.3. cap.16. num.1.* Leander *tract.1.diſ.19.quæſt.2.* Fagundez *lib.2.cap.25.n.2.* Trullench. *lib.2.cap.1.dub.19.num.1.* ¶ Nec infirmum tenetur admonere, quando illum ita male affectum videt; ut moraliter credat, ea admonitione in pejus iturum: ſicut præceptum correctionis non obligat, quando minime profutura iudicatur. ¶ Sed cum ad talem monitionem ſolum ex charitate, non ex juſtitia teneatur (nec enim tenetur Medicus ex officio triſtia infirmis nuntiare, ut eſt periculum mortis; ſed læta, & exhilarantia, ut eſt ſpes ſalutis, ut recte ait Cajetanus) hanc prætermittens monitionem, quando tenetur ad illam Medicus, non eſt obligatus reſarcire damna, ex non monitione facta, ſequuta: quia ſolum ad reſtitutionem tenentur, qui contra iuſtitiam operantur. Cajetan. Sanchez, Prado, Fagundez, Trullench. Leander *locis citatis.*

---

§. IV.

Ad quid obliget juramentum, vel votum non ludendi.

Quot modis iuramentum non ludendi poſſit accipi?

93. **F**Requentiſſimum eſt votum, vel juramentum non ludendi, ob id de illo ſpecialem mentionem facimus in hoc paragrapho. Et loquimur de juramento facto Deo, quod induit rationem voti; nam iuramentum homini factum, & in eius gratiam, ſolum eſt inſpiciendum, an ſine peccato poſſit impleri, ut obligare graviter, vel leviter juxta materiæ gravitatem cenſeatur, quidquid ſit an licitè, vel illicitè fuerit factum juxta dicta *n.* 67. Quæritur ergo modo, an votum, vel juramentum non ludendi obliget? Et quidem ſi fuerit expreſsè factum de non ludendo, ludo periculoſo, immoderato, vel immoderata quantitate, nulli dubium eſt obligare: quia ſic eſt de re licita, & honeſta. Quare loquimur de voto, vel juramento non ludendi abſolutè, ita ut comprehendat per modum unius tam ludum immoderatum, & ſic inhoneſtum; quam honeſtum, vel de voto expreſſo nullo ludo ludendi, etiam honeſto, & honeſtæ recreationis cauſa aſſumpto. Et certè ſi hoc ſecundo modo juramentum fuerit irritum, credimus etiam fore priori modo: quia ut diximus *cap. præced.* quoties ſub eodem voto, aut juramento comprehenditur per modum unius materia apta & inepta, non valet juramentum, aut votum etiam pro materia apta. Quare de voto non ludendi quocumque ludo, etiam honeſto agemus.

Non valere juramentum non ludendi moderato ludo, aliqui dicunt.

94. Prima igitur ſententia dicit, quod licet juramentum, aut votum non ludendi ludo illicito, & immoderato, ſit validum; at ſi ſolum ſit non ludendi moderato ludo, vel ſit non ludendi abſolutè comprehendendo etiam immoderatum, invalidum erit, & per illicitum ludum, intelligunt ludum magnæ quantitatis, vel in quo ſit periculum blaſphemiarum, iuramentorum, aut rixarum; & per ludum honeſtum illum, qui iis caruerit, & ſit in parva quantitate recreationis gratia. Et probatur, quia talis ludus honeſtus, & moderatus, eſt actus virtutis Eutrapeliæ teſte D.Thom. 2. 2. *q.*168. *art.2. corp.* ergo juramentum de abſtinendo ab eo eſſet contra bonos mores, & actus virtutis: ergo nullum, & invalidum. Sic Rodrig. *tom.1. in 2. edit.c.*189. *num.*10. Baſſæus *tom.2. verbo ludus n.*13. Dicaſtillo *de iuſt. lib.2. tract.*18 *d.ſ.1. dub.2. n.*15. Navarr. *in Summ. c.*12. *n.*17.

Aſſertio 3 tribus partibus proponitur.

95. Sed aſſerendum eſt à nobis, quod ſi votum ſit de non ludendo abſolutè, non determinando hoc, vel illo, validum quidem eſt; ſed ſi non conſtet de intentione jurantis ſe volentis obligare ad abſtinendum à ludo modicæ quantitatis, talis ludens non comprehenditur in voto abſolutè ſumpto, ſed ſolum ludus immoderatus; at ſi de intentione iurantis conſtet, ſe voluiſſe etiam ad abſtinendum à ludo licito obligare, & modicæ quantitatis, vel ut liberius vacaret Deo, vel ut ſe mortificaret in ſatisfactionem peccatorum, privando ſe delectatione in ludo capta, validum eſt votum, & obligat ad abſtinendum etiam à ludo licito, & moderato, & multo magis erit obligatorium, & validum votum, aut juramentum abſtinendi à ludo moderato ob dictos fines, vel alios ſimiles, erit mortale, vel veniale, illius tranſgreſſio juxta gravitatem materiæ. Cæterum ſi abſque fine altiori aliquo intento, quis iuraret abſtinere ſe à moderato ludo, nullum erit tale votum, tanquam otioſum, & contra actum virtutis, ſine eo quod altiorem actum virtutis intendat, quod, & non amplius probat argumentum contrariæ ſententiæ.

Obligat iuramentum abſtinendi à ludo licito probatur.

96. Et incipiendo à probatione ſecundæ partis aſſertionis, nimirum eſſe validum, & obligatorium votum abſtinendi ſe à ludo licito, vel comprehenſo in voto abſolutè ſumpto, ſi de hoc conſtat, vel ſi votum fuerit expreſsè de illo relinquendo ob finem vacandi Deo, expeditius attendendi rebus divinis, vel ſe mortificandi. Probatur, quia quando privatio alicuius actus virtutis perfectius bonum continet, votum, aut juramentum de illa obligat: quia jam eſt de re meliori: ſicut votum de abſtinendo à matrimonio, quod res bona, & Sacramentum eſt, obligat ob majus bonum, quod in caſtitate iotenta in eo voto reperitur: ergo licet ludus recreationis cauſa ſumptus licitus ſit, & actus virtutis; tamen privatio illius ob fines dictos maius bonum eſt: ergo votum de tali privatione erit obligatorium. Prima autem pars aſſertionis, nimirum in voto abſolutè ſumpto, niſi conſtet de oppoſita intentione voventis, ſolum comprehendit ludum immoderatum; non vero moderatum, & honeſtum, probatur. Quia ubi agitur de obligatione contrahenda ſtricta interpretatio facienda eſt, *cap. odia de iur. in 6.* & ut multoties diximus hoc tractatu, obligatio voti, aut iuramenti ſemper eſt reſtringenda, ut minus obliget: ergo iuramentum de abſtinentia ludi reſtringendum eſt, ut non intelligatur de licito, qui fit recreationis gratia; ſed tantum de illicito, & immoderato. Vtramque partem aſſertionis tenent Prado *cap.*31 *q.*2 *n.*61. Candid. *tom.2. diſq.*26 *art.*13. *dub.*7. Bonac. *tom.2. diſ.4. quæſt.1. punct.*16. *n.*4 Palaus *tract.*16. *diſ.2. punct.*7. §.1. *n.*3.

Sanchez

Sanchez *lib.3.c.18.num.2.* Tambur. *lib.3.c.3 §.5. n.58.* Diana *p.7.tract.9.reſol.56* Leander *tract.1. diſ.28.q.2.& 3.*

Quando in juramento non ludendi comprehẽdatur licitus ludus.

97. Quando autem colligatur in juramento abſolute ſumpto de non ludendo, comprehendi etiam ludum moderatum? Dicimus id colligi poſſe ex fine, quo motus eſt ad jurandum: nam ſi ob id juravit ut jacturam bonorum, rixas, perjuria, vitaret, cum hæc ut in plurimum non reperiantur in moderato ludo, non eſt cenſendum voluiſſe illum comprehendere; at vero ſi ob id juravit ut ſe mortificaret, ut vacaret Deo, ut tempus expeditum divinis relinqueret, judicandum eſt voluiſſe comprehendere etiam ludum moderatum. At quia talis finis nimis perfectus eſt, regulariter niſi clare conſtet de illo non eſt credendus appoſitus, & ſic in dubio judicandum eſt noluiſſe ludum honeſtum ſub juramento comprehendere. Sic Palaus *n.4.* Sanchez *lib.1.de ſponſal.diſ.4.n.5.*

Gravitas materiæ in juramento non ludendi ex fine ſub quo emiſſũ eſt debet accipi.

98. Sed inquires primo, unde colligenda ſit gravitas, aut levitas materiæ in ludo, ut tranſgreſſio voti, aut juramenti de illo, gravis; aut levis cenſeatur? Reſpondetur, id ex fine jurantis eſſe menſurandum. Si enim finis juramenti fuit privare ſe illa ludi delectatione in ſatisfactionem pro peccatis, vel ut mens eſſet aptior divinis rebus (quomodo comprehenditur ludus magnæ, & parvæ quantitatis, magno, vel parvo tempore durans) ad hoc ut fractio mortalis ſit, non eſt attendenda quantitas ludo expoſita, ſed ex recreationis ex ludo perceptæ duratione menſuranda eſt. Vnde ſi modico tempore in ludo detineatur erit leve peccatum, etiam magna quantitate expoſita; ſi multo tempore, etiamſi parva, vel nulla ſit expoſita quantitas, erit mortale. Idem dicendum eſt, quando fuit finis vitare temporis jacturam in ludo conſumpti, ut Deo, vel ſtudio, vel rebus familiaribus vacaret, quod erit mortale, ſi multum tempus in ludo conſumat, veniale ſi parvum, niſi periculum ſit, ut de uno in aliud multum in ludo detineatur. ¶ Si finis juramẽti fuit vitare pecuniæ jacturam, & bonorum dilapidationem, ex quantitate pecuniæ expoſitæ tunc eſt menſuranda gravitas tranſgreſſionis juramenti, non ex duratione temporis in ludo. Quare ſi in parva quantitate pecunia exponitur, etiam ſi multo tempore ludus duret, erit veniale peccatum, niſi detur periculum ultra in quantitate progrediendi; & mortale quando magna quantitas exponitur, licet brevi duratione fiat. ¶ Denique ſi finis ſit vitare diſcordias, rixas, juramenta, aut alia peccata ſolita ex ludo oriri, ex occaſione, aut periculo in ludo reperto ad hæc deveniendi, penſanda eſt gravitas, vel levitas culpæ; ſi gravis occaſio, aut periculum illorum timeatur, erit peccatum grave contra juramentum tali ludo vacare tempore, vel duratione, in qua per ludum tale periculum timetur; & erit leve, ſi minus timeatur ex ludo imminere tale periculum, & quia in ludo in quo magna quantitas exponitur, frequenter ſolent huiuſmodi peccata reperiri; non ita in ludo moderato parvæ quantitatis, frequenter erit mortale ludo magnæ quantitatis vacare poſt juramentum, & veniale ſi ludus fuerit parvæ quantitatis. Quæ omnia fere docent Sanch. *lib.3.Summ c.18.n.3.* Candid. *tom.2.diſq.26.art.13.dub.7 concl.11.& 12.* Leand. *tract.1.diſ.28.q.4.& 5.* Fagundez *lib.2.cap.26.à n.3.* Trull. *lib.2.dub.18.n.3.*

Qui juravit non ludere,

99. Inquires ſecundo, an qui juramentum fecit non ludendi poſſit alteri nummos dare, vel mutuare, ut nomine ſuo ludat, ipſum videre, vel eum in ludo adiuvare? Reſpondetur affirmativè, niſi expreſsè voluerit ſub juramento ab his abſtinere: quia hoc proprie non eſt ludere, nec eſt extendendum juramentum ultra id, quod verba proprie ſonant, cum potius ſit reſtringendum. Nec obſtat finem jurantis fuiſſe tempus non inſumere, ut poſſit expeditius aliis vacare, pecunias non prodigere, aut ſuam ſubſtantiam diſſipare, quod æque contingit in caſu quæſiti, ac ſi ipſe per ſeipſum ludo vacaret. Nam in hoc caſu non eſt attendendum, an finis juramenti concurrat; ſed an res ſit ſub juramento comprehenſa ſecundum verborum proprietatem, unde non ſufficit quod concurrat idem finis (ſicuti concurret ſi aliis rebus otioſis tempus inſumeret, aut ſubſtantiam dilapidaret) ſi res geſta verè, & propriè non comprehendatur ſub materia promiſſa. Sic Fagund. *n.8.* Trull. *n.4.* Leand. *q.12.* Candid. *art.13.dub.9. aſſl.16.* Pal. *n.5.* Sanch. *n.5.* Bonacin. *punct.16.n.5.* ¶ At vero ipſe ludere non poteſt, etiam nomine alterius, ſi finis juramenti fuit, ne jacturam temporis faceret, aut quia in ludo occupatus non attendebat ſuo miniſterio, aut ut Deo vacare poſſet, vel ut in privatione ludi aliquam mortificationem ſubiret: quia ex una parte vere ludit, & ex alia finis in juramento intentus ſalvatur. Si vero pro fine habuerit jacturam pecuniarum, & diſſipationem bonorum, fugere pericula rixarum, juramentorum, &c. quæ ex ludo oriuntur, vitare, cum talis finis ut in plurimum ſalvetur quando quis ludit nomine alterius, (niſi oppoſitum de intentione jurantis conſtet) dicendum erit, non eſſe juramenti, aut voti tranſgreſſorem, qui nomine alterius, non proprio ludo vacat. Sanch. *n.6.* Pal. *n.6.* Trull. *n.4.* Leand. *tract.1.diſ.28.q.10 & 11.* Cand. *diſq.26. art.13. dub.8 concl.13. & 14.* Diana *p.7. tract.9. reſol.58.* Fagund. *lib.2.c.26.n.10.*

alteri in ludo aſſiſtere poteſt; non vero nomine alterius ludere.

Tenet juramentum nõ ludendi, hoc loco, cum hac perſona, vel hoc genere ludi determinato.

100. Inquires tertio, an juramenta, vel vota non ludendi cum perſona determinata, vel in tali domo, vel tali genere ludi, valida ſint, & obligatoria, manente juranti, aut voventi libertate ludendi cum aliis perſonis, vel in aliis locis, vel aliis ludi ſpeciebus? Reſpondetur, quod vel tale votum ordinatur ad finem bonum, & honeſtum, quem ex privatione ludi conſequi jurans intendit; vel non? ſi hoc ſecundum, cum ſit de re omnino indifferenti, commune eſt non obligare. Sed ſi privatio ludi cum hac perſona, in hoc loco, &c. ad honeſtum finem intentum ordinetur, qui potius in tali ludo reperiatur, quam in ludo, cum alia, vel in alio loco, &c. proculdubio juramentum obligabit, v.g. juras non ludere cũ illa perſona, quia eſt nimis iracunda, & tibi cauſa rixarum, vel eſt nimis perita in ludo, aut magnã pecuniæ ſummam exponere ſolita, quo tibi eſt cauſa bona propria diſſipandi: vel ſi tale genus ludi eſt tibi cauſa multum tempus inſumendi, quo divinis, aut tuis rebus vacare impediat: vel alterius mali cauſa: denique in tali domo ludere eſt expoſitum periculis, & damnis, à te expertis, quæ non timentur in alio loco. Tunc valet tale juramentum: quia iam eſt de re bona, & honeſta, & tunc non poteris cum hac perſona, hoc loco, &c. ludere, licet poſſis cum aliis, & aliis locis vacare ludo. Sot. *lib.7. de iuſt.q.1. art.3.col.6* Pal. *tr.14.diſ.2.punct 7.§.1.n.7.* Cand. *dub.10.* Aragon. *2.2.q.88.art.2.fol.976.col.9.* Rodr. *2.tom.c.94 n.6.* Fagund. *lib.2.c.26.n.1.* Leand. *q.11.& 16.* Sanch. *n.9.* ¶ Qui rectè *n.11.* monet, non ſufficere rem voto, aut juramento promiſſam, poſſe in bonum

finem ordinari, eique deſervire, ſed ut obliget neceſſarium eſt, ad illum tacitè, vel expreſsè, à jurante ordinari: ut ſi quis juravit, ſe non luſurum in certa domo, vel cum certa perſona, quod conducere poteſt ad divinum obſequium, ob aliquam peccandi occaſionem; at ſi iurans non attendit ad hoc, ſed ex tædio, ira, vel ut vindictam ex illa perſona ſumeret, tale emiſit iuramentum, erit proculdubio invalidum, & nullum.

---

§. V.

Qualiter obliget juramentum contra prius juramentum?

Dupliciter poteſt unũ iuramentum eſſe contra aliud.

101. BReviſſimè ab hac difficultate expediemur: quia quæ circa illam dici poſſent, iam ſunt a nobis expedita *cap. præc. punct. 2. à n. 46.* agentes de voto, aut juramento non vovendi, aut non petendi diſpenſationem, quæ proportionabiliter applicanda ſunt juramento. Sed pro reſolutione quæſtionis ſupponendum eſt, bifariã poſſe unum iuramentum, vel votum alteri contrariari: vel ſolum in actu iurandi, non in materia: vel in materia ipſa iurata ſimul cum iuramento: v.g. Petrus iuramentum fecit nunquam ſub iuramento aliquid promiſſurum, ſed vel in ſcriptis, vel de licentia Superioris, poſtea iurat ſine his circunſtantiis, hoc ſecundũ iuramentum priori contrariatur in actu iurandi: iuraſti Deo caſtitatem, & poſtea ſub juramento promiſiſti puellæ coniugium, vel poſt iuramentum factum de contrahendo matrimonio cum iſta, iuraſti contrahere cum illa, hoc ſecundum iuramentum contrariatur priori, tam in actu jurandi, quam in materia iurata.

102. Dicimus ergo, quod quando iuramentum ſecundum, vel votum contrariatur priori ſolum in actu iurandi, obligat ſecundum votum, ſi alias res promiſſa ſit licita, & honeſta. At vero quando ſecundum votum, aut iuramentum contrariatur priori in materia promiſſa, iuramentum ſecundum eſt nullum, & nullam generavit obligationem. Prima pars aſſertionis probatur: quia licet ſecundum iuramentum fuerit illicite emiſſum eſt de re licita, quæ exequi poteſt abſque diſpendio ſalutis æternæ: ergo iuramentum ſubſiſtet: quia ad eius valorem non eſt attendendum, an licite iuret; ſed an licitum ſit, quod juratur, ut in iuramento blaſphemo, vel abſque animo implendi, quod certè obligat, licet iniquè factum. Sed hoc limita niſi in priori iuramento expreſsè voluerit non ſe obligare alio iuramento, niſi cum illis circumſtantiis facto, iuxta dicta *cap. præced.* ¶ Secunda vero pars aſſertionis probatur: quia illud ſecundum iuramentum eſt de re omnino illicita, cum ſemper ſit illicitum violare, quod voto, aut iuramento eſt promiſſum, Quo ſenſu *cap. quando de iureiur.* dicitur: *Iuramentum illicitum obligatorium non eſſe:* & non intelligitur de illicito ex parte circunſtantiæ extrinſecæ vitiantis iuramentum, ſed ex parte objecti, ſeu materiæ iuratæ: quia eſt de materia contraria materiæ prius juratæ. Sic quoad utramque partem tenent Suarez *tom. 2. de relig. lib. 2. de iuram. c. 14. n. 2. & 3. & c. 19. n. 10.* Sanch. *lib. 3. Sum. c. 6. n. 12. iuncto c. 9. n. 26.* Bonac. *tom. 2. diſp. 4. q. 1. punct. 6. n. 1.* Palaus *tract. 14. diſ. 2. punct. 7. §. 6. num. 2. & 3.*

Quando obliget iuramentum cõtra prius iuramentum factum.

103. Cæterum ut ſecundum iuramentum contrarium priori ex parte materiæ non valeat, debet obligatio primi durare quando emittitur ſecundum, aliàs ſi pro illo tempore, quo ſecundum emittitur, jam primum obligare ceſſavit, ſecundum obligationem habebit: quia iam non eſt contrarium priori nec ex parte actus, nec ex parte materiæ: cum nec actus prior ſubſiſtat cum vigore obligandi, nec materia prioris ſit iam obligatoria, & ſic materia ſecundi erit licita, & ſic obligabit, & conſtat *ex c. tua nos 1. de iureiur.* At vero ſi primum iuramentum habet vim obligandi quando emittitur ſecundum, ſecundum nunquam obligabit, etiamſi ſucceſſu temporis primum obligare deſinat; non quidem obligabit obligante primo: quia eſt de re illicita, & iuramentum non eſt vinculum iniquitatis: neque cum poſtmodum primum obligare deſinit: quia tempore, quo emiſſum fuit, fuit nullum, *& non firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit. regul. non firmatur de regul. iuris in 6.* ut diximus *cap præced.* qua ratione *in cap. quidam, de converſione coniugatorum*, dicitur: virum in Monaſterio profitentem invita uxore, etiam illa mortua, non teneri redire ad Monaſterium. Sic Suarez *lib. 2. cap. 19. num. 16.* Navarr. *c. 12. num. ult.* Sanch. *lib. 1. de ſponſ. diſ. 50. n. 6.* Palaus *ſupra n. 5.*

PUNCTUM VIII.

De iuramento doloſo, æquivoco, vel amphibologico, vel cum addito reſtrictionis mentalis emiſſo.

Quot modis doloſum ſit juramentũ.

104. IUramentum eſſe doloſum poteſt contingere, vel *activè*; vel *paſſivè*: *Paſſive* juramentum doloſum dicimus, quando dolus, & fallatia non eſt ex parte loquentis, ſed ex parte audientis, quia nimirum cum dolo, & fallacia extorquet ab alio juramentum, & de hoc juramento cum dolo extorto, & de illo, quod per metum gravem extorquetur, iam egimus *tom. 3. de iuſt. tract. 14. c. 1. à n. 60.* unde de illo non agemus in præſenti. *Activè* doloſum appellamus juramentum, quando dolus eſt ex parte iurantis: quod bifariam contingere poteſt, vel quia ipſe iurat abſque intrinſeco animo iurandi, vel ſi talem animum habet, non habet intentionem ſe obligandi per juramentum, vel licet utrumque animum habeat, iurat abſque animo implendi, quod promiſit, in quibus omnibus doloſè, & fallaciter procedit, ſed de hoc modo doloſi iuramenti non agimus in præſenti: quia de illo dictum jam eſt à nobis *cap. præced. punct. 1. §. 3.* agentes de voto hoc modo doloſè emiſſo, & quoad hoc idem iudicium ferendum eſt de iuramento. Alio modo doloſum iuramentum reperitur, quando videlicet æquivocis, & amphibologicis verbis, quis utitur in iurando, ut proximum decipiat, accipiendo verba iuramenti in ſenſu, quem ipſe vult; non in ſenſu, quo ab auditoribus percipitur, de hoc agimus in hoc puncto, res planè digniſſima, ut non ex tranſitu peragatur, ſed magno pondere, maturaque conſideratione, & iudicio: quia ex ea plura dependent, ad mores, atque ad humanum convictum, & commercium maximè conducentia. Ideoque in hoc puncto plus aliquid immorabimur, quam in aliis immorari ſolemus, illud in diverſos parrafos dividentes, & certa in eis ab incertis ſeparantes.

§. I.

Aliqua, quæ ſunt certa apud Doctores, circa materiam puncti, proponuntur.

Duplex modus declaratur, quo poteſt dari amphibologia.

105. PRo huius ergo difficultatis enodatione primo ſupponendum eſt. *Amphibologiam*, ſi ad vocis radicem attendamus, nil aliud eſſe, quam dubiam ſermonis ſententiam, quæ vulgo æquivocatio appellatur. Nam *Amphi*, eſt dubium: *bole*, ſententia: *& logos*, ſermo. Contingit autem huiuſmodi dubietas ex eo, quod verba exterius prolata, ac diverſa ſignificant, & ita audientem dubium relinquunt, & velut anxium circa ſenſum, in quo ea proferens loquatur, an videlicet in hoc ſenſu, vel in illo. Quod quadruplici modo poteſt contingere. ¶ Primo, quando verba in acceptione communiter uſitata habent duplicem ſenſum, & utrumque velut ex æquo ſignificant, ut in hac locutione: *Aio te Æacidam Romanos vincere poſſe*: quæ locutio poteſt uſitato modo in duplici ſenſu interpretari, vel taliter quod Æacidas poſſit vincere Romanos, vel taliter quod Romani poſſint Æacidam vincere. Similiter ſi diceres: *hic liber eſt Petri*: poteſt abſque ulla verborum violentia, vel tranſlatione ſignificari, vel quod Petrus libri author eſt: vel quod ſit libri Dominus. ¶ Secundo, quando verba referunt unum ſenſum magis communem, & alium minus communem, vel quando verba duo ſignificant; ſed non æqualiter, ſed unum habent ſignificare per ſe, & veluti ad litteram, aliud autem non tam ad litteram, quam ad ſpiritum, ut in hac propoſitione, *Elias es tu* ſecundum litteram intelligitur de Elia ſecundum perſonam: Myſticè de Elia ſecundum ſpiritum, ideo Chriſtus Dominus agens de Ioanne dixit, *ipſe eſt Elias*: & ipſe de ſe loquens ait, *non ſum Elias*: quod explicans D. Greg. Homil. 7. in Evangelia concordat, dicens: *Ioannes igitur in ſpiritu Elias erat; in perſona Elias non erat. Quod ergo Dominus fatetur de ſpiritu, hoc Ioannes denegat de perſona.* Idem eſt in hac propoſitione *Petrus eſt bonus vir*: nam in ſenſu communi, & primo ſignificatur, quod eſt virtuoſus, & in ſenſu minus proprio, quod eſt ſimplex.

Duplex alius modus amphibologiæ recenſetur.

106. Tertio modo contingit amphibologia, quando verba ex ſe non habent diverſos ſenſus, ſed ad unum prorſus determinantur, & tamen ex modo loquentis, & interrogantis, aut ex aliis adiunctis circumſtantiis temporis, quo dicuntur, perſonæ, quæ loquitur, &c. determinantur ad alium ſenſum, & ſic æquivocationem patiuntur, ut ſi pœnitens interrogatus à Confeſſario, an fecerit hoc peccatum, reſpondeat *non feci*: quod tamen fecerat, ſed in alia Confeſſione dixerat, verum diceret, ea enim Confeſſarii interrogatio refertur ad peccata non confeſſa. Et ex authoritate dicentis multoties verba interpretari debent in diverſo ſenſu ac ſonant, quæ ſi dicerentur ab aliis, non eſſent in eo ſenſu accipienda, ob idque inventæ ſunt multoties in ſcripturis SS. Patrum propoſitiones ex vi terminorum hæreticum dicentes, tamen attenta ſanctitate, & doctrina prædictorum Sanctorum, præfatæ propoſitiones in aliquem verum ſenſum interpretatæ ſunt à Doctoribus, quæ in aliis hominibus inferioris notæ inventæ, ut hæreſes ſunt damnatæ. Plura de hoc dicimus infra. ¶ Quarto denique contingit amphibologia, quando verba ex ſe determinantur ad verum ſenſum, & inſuper ex adiunctis circumſtantiis non reſtringuntur ad alium, ſed tamen ex loquentis intentione trahuntur per ſolam reſtrictionem mentalem ad unum ſenſum diverſum, quem audiens percipere non valet: ut ſi à Petro plures pecunias habente mutuo pecunias petas, & ille reſpondeat, *non habeo pecunias* adiũgendo mentaliter, *ad tibi dandum*, quæ locutionis ſpecies potius *reſtrictio mentalis*, quam amphibologia, vel æquivocatio dicenda eſt: quia non amplectitur plures ſenſus in verbis ut hic, & nunc prolatis fundatos; ſed exprimit unum tantum, qui mente præciſè ad aliud obiectum detorquetur.

Nunquam licet amphibologia uti ſine cauſa.

107. Secundo ſupponendum eſt ut certiſſimum apud omnes, nulla ex prædictis æquivocationibus licere uti, ſine iuſta, & rationabili cauſa, & multo minus dictum ſub æquivocatione, & in alio ſenſu, quam communiter ab auditoribus percipitur, iuramento firmare, ſed eſſe peccatum huiuſmodi iuramentum, ſine rationabili, & iuſta cauſa prolatum. Quia ſocietas hominum politica, & civilis ſervari non poſſet, ſi homo abſque iuſta cauſa poſſit in uno ſenſu loqui, & iurare, ita ut in alio ab auditoribus intelligeretur: quia non poſſent homines ad invicem convivere, nec ſibi invicem credere, quod ad ſocietatem & convictum hominum eſt omnino neceſſarium: ſiquidem neſcirent, quo ſenſu alius loqueretur, & cuncta duplicitatibus, fallaciſque paterent. Vnde dixit optimè D. Thom. 2. 2. *q.* 109. *art.* 3. *ad* 1. Quod *quia homo eſt animal ſociale naturaliter unus homo debet alteri id, ſine quo ſocietas humana ſervari non poſſet, non autem poſſent homines ad invicem convivere, niſi invicem crederent, tanquam ſibi invicem veritatem manifeſtantibus* ¶ Et confirmatur hoc: quia talis modus loquendi repugnat fini, ad quem locutio eſt inſtituta, & loquendi facultas nobis ab authore naturæ data, ut ſcilicet mentis conceptus, eiuſque veritatem aliis poſſimus aperire, cum neſciat audiens quo ſenſu alius loquatur, & ideo ſibi fidem non poſſet, & ſic everteretur omnis fructus converſationis communis. Et in hoc omnes conveniunt.

Non eſt peccatum mortale iuramentum cum amphibologia ſine cauſa emiſſum.

108. Aliquod autem eſt diſſidium inter illos, an peccet mortaliter, vel venialiter is, qui abſque iuſta cauſa iurat cum æquivocatione, in alio ſenſu verba intelligens, ac ab auditoribus communiter percipiuntur? Aliquibus aſſerentibus id eſſe mortale peccatum, etiam præciſo alio damno, aut circumſtantia vitiante. Sed nos non eſſe mortale aſſerimus, ſed dumtaxat veniale in caſibus, in quibus infra dicemus eſſe licitum ex cauſa uti amphibologia in iuramentis, ſi tale iuramentum non ſit in judicio factum, de quo poſtea, aut cum præjudicio alterius, quia tale juramentum, etiam ſi fiat animo alterius fallendi, habet ſecum comitem veritatem, non enim falſum iurat, qui ſecundum unum ſenſum, quem verba ex ſe, vel ex circumſtantiis admittunt, verba profert, quamvis ſecundum alium ab auditoribus accipiatur: quia cum verba omnes illos ſenſus admittant, non itur contra mentem, quando proferuntur, & iurantur, ſi illud iuramentum non cadat ſupra propoſitionem externus prolatam utcumque, ſed ſecundum ſenſum determinatum in mente, ex his, quos verba ſecundum ſe, vel ex circumſtantiis habent.

Nec etiam illi juramento deficit comes juſtitiæ: quia ſupponimus nec eſſe in præjudicium alterius, nec ad firmandum ſe in malo, qualiter juſtitia iuramenti intelligitur: ergo ſolum eſt malum, & illicitum, quia deficit illi alius comes iuramenti, nimirum diſcretio, aut iudicium, eo quod leviter, inconſideranter, abſque iuſta, & legitima cauſa fiat. Sed defectum judicii in iuramento, adſtantibus aliis comitibus, diximus non eſſe peccatum mortale ſupra *num.* 37. ergo idem in præſenti. Sic Soto *de ſecret. membr.* 3. *quæſt.* 3. *fine.* Cajetan. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 4. *dub.* 2. Prado *tom.* 2. *cap.* 32. *quæſt.* 4. *num.* 12. Valent. 2. 2. *diſ.* 5. *quæſt.* 13. *punct.* 2. *ad* 2. Sanchez *in Summ. lib.* 3. *cap.* 6. *num* 23. Candid. *diſquiſ.* 26. *art.* 3. *dub.* 4. Thomas Hurt. *tom.* 2. *tract.* 7. *de reſtric. mental. cap.* 1. *num.* 36. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 9. *num.* 48. Palaus *tractatu* 14. *diſp.* 1. *punct.* 7. *num.* 3. Bonacin. *diſ.* 4. *punct.* 12. *num.* 3. Leander *tract.* 1. *diſp.* 43. *quæſt.* 4. Cardinalis Lugo *de fide diſp* 4. *ſect.* 3. *num.* 65. Diana *part.* 2. *tract.* 15. & 1. *Miſcellan. reſol.* 25. & 3. *part. tract.* 6. *reſol.* 30. *fine.* ¶ Quare, qui amphibologicè loquitur ſine cauſa, non peccat contra præceptum negativum non mentiendi, aliàs nunquam etiam cum cauſa poſſet amphibologice loqui: quia præceptum negativum hoc ſemper, & in omni caſu obligat. Sed eſt peccatum omiſſionis contra poſitivum præceptum veritatis dicendæ, obligans ad dicendam veritatem juxta ſenſum communem, niſi aliqua juſta cauſa perſuadeat uti amphibologico ſermone. Sic fere omnes citati.

Quæ ſit iuſta cauſa, ut licita ſit amphibologia.

109. Et ſi forte roges, quæ ſit iuſta cauſa honeſtans locutionem, vel iuramentum cum aliqua ex æquivocationibus dictis? Reſpondetur, quod iuſta cauſa eſt quoties id neceſſarium, aut utile iudicatur ad ſalutem, & indemnitatem corporis, ad honorem conſervandum, vel res familiares, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut occultatio veritatis cenſeatur hîc, & nunc expediens ad aliquem finem honeſtum. Sanchez *num.* 19. Valent. *punct.* 2. *colum. penult.* Palaus *num.* 4. Bonac. *num.* 2. Leander *quæſt.* 4. qui etiam iudicant eſſe iuſtam cauſam interrogationem importunam, & iniuſtam alterius, ut hic amphibologice loquatur. ¶ Sed non advertimus cum Vincentio Ferre *tom.* 1. *in* 2. 2. *tract. de fide, quæſt.* 3. §. 5. *num.* 34. quod hæc cauſa maior eſſe debet, quo verba maiorem occaſionem præbent errandi; unde quia in primo genere æquivocationis *num.* 105. relato, verba ferè nullam cauſam præbent errandi, quælibet cauſa etiam leviſſima eſt ſufficiens, quia verò alia maiorem præbent errandi occaſionem, ad ſui licitum uſum graviorem cauſam requirunt.

---

§. II.

Sententia admittens omnes amphibologias, etiam illam, quæ ſolum fit per reſtrictionem mentalem, proponitur, eaque auctoritatibus, & rationibus fulcitur.

Sententia admittens puram reſtrictionem mentalem proponitur.

110. PRima ergo ſententia aſſerit, ex iuſta cauſa licitum eſſe loqui amphibologicè quacumque ex quatuor æquivocationibus *num.* 105. recenſitis, etiam illa quarta (de qua eſt tota difficultas) quæ ſola eſt talis præcisè per reſtrictionem mentalem: licereque proinde ex iuſta cauſa quacumque ex dictis æquivocationibus verba iuramento firmare. Sic Sanch. *lib.* 3. *in decalog. cap.* 6. *num.* 15. ubi dicit: poſſunt quoque abſque mendacio ea verba uſurpari, etiam ſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, nec eum ſenſum verum admittant ex ſe, nec ex circumſtantiis occurrentibus; ſed tantum verum ſenſum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcumque illud ſit. Vt ſi quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis gratia, ſive quocumque alio fine, iuret ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera mentitur, nec eſſet periurus, ſed tantum non diceret unam veritatem, quam audientes concipiunt & verba illa ex ſe ſignificant, ſed aliam veritatem diſparatam. Hactenus ille. Idem tenent Valent. 2. 2. *diſ.* 3. *quæſt.* 13. *punct.* 2. *colum. penult.* Villalob. *tom.* 2. *tract.* 3. *diff.* 6. Palaus *tom.* 3. *tractatu* 14. *diſp.* 1. *punct.* 7. *à num.* 3. Bonac. *tom.* 2. *diſ.* 4. *q.* 1. *punct.* 12. *num.* 4. Suarez *tom.* 2. *de relig. tract.* 4. *lib.* 3. *cap.* 11. & 12. Leſſius *cap.* 42. *dub.* 9. *num.* 4. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 15. *per totum.* Vincentius Ferre *tom.* 1. *in* 2. 2. *quæſt.* 3. *de fide* §. 3. *num.* 39. Diana 2. *part. tract.* 15. & *Miſcellan.* 1. *reſol.* 25. & *part.* 3. *tract.* 6. *Miſcell. reſol.* 30. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 4. *à num.* 22. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 11. *à num.* 16. Philiarchus *de officio Sacerd. tomo* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. Toletus *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 9. Filliuc. *tract.* 25. *cap.* 1. *num.* 236. Leander *tom.* 2. *in decalog. tract.* 1. *diſ.* 45. *quæſt.* 10. Candid. *diſquiſ.* 26. *toto art.* 3. *ſpecialiter dub.* 11. Matthæus de Moya *in ſelect. qq. tract.* 2. *de relig. diſ.* 1. *quæſt.* 6. *à num.* 20. Dicaſtillo *tract. de iuram. diſputat.* 2. *dub.* 12. *num.* 300. Conradus *prima parte, q.* 137. *fol.* 261. Gaſpar Hurtado *tract. de iuſtitia diſp.* 4. *de reo diff.* 8. & alii. Qui monent utentem aliqua ex dictis amphibologiis debere ſcire, ſaltem ex genere, ſe poſſe abſque mendacio veritatem tegere; non tamen opus eſſe in particulari ſcire modum, quo debent tegi. Quocirca ſi intendat juramentum emittere eo ſenſu, quo vir doctus verum reperiet, & ſciat ibi verum poſſe reperiri, ſufficit ad excuſationem periurii. Sic Palaus, Sanchez, Suarez, *locis citatis.* Leand. *q* 38. & alii.

111. Probatur primo hæc ſententia triplici Sacræ Scripturæ teſtimonio. Primum habetur Ioan. 7. Vbi interrogatus Chriſtus Dominus à Diſcipulis, an aſcenſurus eſſet ad diem feſtum? Reſpondit, *Non aſcendam ad diem feſtum hunc*; & tamen narrat ſcriptura, quod poſtea aſcendit: at illa ratio negativa *non aſcendam*, verificari non poſſet niſi ex addito in Chriſti mente retento, *Non aſcendam manifeſtè*, quem tamen ſenſum illa verba ex ſe non faciebant: ergo, &c. ¶ Secundum eſt ex Matth. 24. & Marc. 13. ubi dicit ipſe Dominus, *De die autem illa, & hora, nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi ſolus Pater*: quæ verificari nequeunt, cum Chriſtus Dominus illam ſcierit, niſi cum reſtrictione in mente eius reperta, *ad revelandum aliis.* ¶ Tertium eſt illud dictum Raphaëlis Archangeli, qui Tobiæ 5. dixit: *Ex filiis Iſrael ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius*: quæ verba ſunt falſa ſecundum vocum ſignificationem, & ſolum ſunt vera iuxta eorum interpretationem in Angeli mente repertam.

Triplici loco ſcripturæ dicta ſententia probatur.

112. Secundo

Probatur dicta ſententia authoritatibus Sanctorum.

112. Secundo probatur ex tribus auctoritatibus. Prima deſumpta ex *cap. intelligentia de verborum ſignificatione*, ubi dicitur : *Verba ſunt intelligenda non ſecundum quod ſonant, ſed ſecundum mentem proferentis* : & eſt D. Hylarii *lib. 4. de Trinit. cap. 5.* Ex quo textu Tiraquel. *leg. ſi unquam, l. de revocandis donationibus, num. 48.* & alii, colligunt, quod verba debent deſervire intentioni ; non intentio verbis : & quod verba pendent a mente ; non mens a verbis. ¶ Secunda eſt ex D. Gregor. *lib. 26. moralium.* Et refertur *in cap. humanæ aures 22. q. 5.* ubi ſic dicit : *Humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant. Divina vero iudicia talia eſſe audiunt, qualia ex intimis proferuntur* : ergo ſentit veritatem, aut falſitatem verborum non ex verbis externis tantum expectanda; ſed ex proferentis intentione. ¶ Tertia deſumitur ex illa æquivocatione, qua uſus eſt D. Franciſcus, qui à miniſtris interrogatus, an illàc quidam reus tranſiret, manus in veſtis manicas introducens dixit : *non tranſiit*, hoc intelligens de loco, in quo manus habebat, quod non, niſi ex pura reſtrictione in mente habita, verificari poſſet.

Triplex argumentũ ad adſtruendã puram reſtrictionem mentalem.

113. Tertio hæc ſententia triplici argumento probatur. Primum eſt, quia mentiri eſt contra mentem ire, ſed qui verba profert ſecundum reſtrictionem, quam habet in mente, nec intendit aliud aſſerere, aut negare, quam quod ipſe concipit, verba non adverſantur menti : ergo non mentitur, &c. ¶ Secundum, quia libitum eſt ex iuſta cauſa verbis ex ſe ambiguis uti ſine mendacio, quamvis juxta interrogationem unius, & reſponſionem externam alterius verba talem ſenſum non admittant, concipiendo alium ſenſum in mente ex his, quos verba ſecundum ſe, vel ex circunſtantiis habent ſignificare, ut dicemus *parrafo ſequenti*. ergo ſimiliter non erit mendacium uti verbis ex ſe non ambiguis, ſi ex reſtrictione in mente retenta verum ſenſum efficiant. ¶ Tertium, quia ſi quis diceret alta voce, ita quod ab ſtantibus perciperetur, aliquid, quod ita ut ſonat eſſet falſum, & ſummiſſa voce, quæ ab aliis non perciperetur, diceret additum, quo id redderetur verum, non mentiretur : ut ſi interrogatus *comediſti carnes ?* alta voce diceret : *non comedi*, & ſummiſſa, & imperceptibili adderet, *hora tertia* : hic quamvis illas comederit alio tempore, verum diceret, quia tota illa propoſitio integrè ſumpta vera eſt, & ſecundum mentem loquentis, & ad veritatem illius nil intereſt, totam, aut ſolam illius partem ab aliis percipi : ergo idem eſt, ſi additum illud ſola mente retineatur : quia in utroque caſu, id, quod iurans dicere tentat, verum eſt, etſi aliud ab audientibus concipiatur. ¶ Confirmatur, quia cum multoties neceſſarium ſit nonnulla tegere, & veritatem aliquando occultare, ſi verba æquivoca non occurrant, nec ſilentio veritas celari poſſit : (cum ſic frequentius clarius manifeſtetur) ex natura rei debet eſſe modus, ut licitè poſſit quiſque verbis, abſque mendacio, prout oportet veritatem occultare, ſed non aliter congruenter fieri poteſt, cum verba æquivoca non occurrunt, niſi non exprimendo verbis totam ſuam mentem, ſed illam partem dumtaxat, quam vult loquens exprimere, etiamſi error in alio inde cauſetur : ergo hoc modo licitum erit uti reſtrictione mentali.

Ex diverſis caſibus probatur licere uti pura reſtrictione mentali.

114. Denique probatur hæc ſententia diverſis caſibus, in quibus negari non poteſt, uſum reſtrictionis mentalis eſſe licitum. Primus, quia adulteræ confeſſarius, interrogatus à marito de adulterio uxoris poteſt licitè reſpondere, *ſe nihil ſcire*, vel uxorem nihil de tali delicto confeſſam fuiſſe ; tametſi confeſſa illud fuiſſet, quod tamen falſum eſſet, & illicitum ; niſi adjungendo interiùs *ad tibi dicendum* locutionem externam faceret veram. ¶ Secundus caſus eſt de reo, vel teſte, qui non ſervato ordine iuris, vel ſi ab illegitimo iudice interrogaretur de aliquo delicto occulto, quod verè fecit, poteſt negare, & juramento aſſerere, *ſe illud non feciſſe*, ſi mente ſubjungat *ad tibi dicendum*, ut omnes aſſerunt. ¶ Tertius, ille, qui publicando verum delictum, ſed occultum, aliquem infamavit, vel non poſſet licitè, ac ſubinde non teneretur famam proximi reſtituere, vel poteſt uti præcisè reſtrictione mentali : ſi enim dicat, ſe mentitum fuiſſe, in hoc ipſo mentitur, & peccat. Unde vel non reſtituere tenetur, quod omnes negant ; vel obligatur uti aliqua reſtrictione mentali : ut ſi dicat ſe ita tunc exiſtimaſſe, ſed re melius inſpecta deprehendere non ita eſſe, nempe, *ad publicandum*, quod mente addit. Et aliis pluribus caſibus, de quibus *parrafo 6. hujus puncti* agemus.

---

§. III.

Duplex concluſio proponitur, in qua cum præcedenti ſententia convenimus.

Æquivocatio, in quã verba diverſos ſenſus admittunt, licita eſt ex cauſa.

115. SEd nihilominus aſſerendum eſt primò, licitum eſſe ex iuſta cauſa verbis ambiguis, vel æquivocis uti ad occultandam veritatem, & hoc juramento firmare, quando verba ipſa ex ſe ſunt ambigua, & plures ſenſus admittunt, ſive omnes ex æquo, & principaliter, ſive unum primario, alium ſecundario, vel unum in ſenſu litterali, alium in ſenſu ſpirituali; tunc licitum eſt juſta interveniente cauſa in eo ſenſu talia verba proferre, in quo proferens ex illis vult, & concipit ; etſi audientes, & is, cui iuratur, in alio ſenſu accipiant. In hac concluſione convenimus cum præcedenti ſententia, & omnes Doctores illam docent, neque aliquem ex Catholicis reperimus illam negantem. Ratio eſt, quia huiuſmodi iuramentum eſt cum tribus comitibus emiſſum, cum *iuſtitia, veritate, & iudicio* : veritatem habet, quia verba omnes illos ſenſus admittunt, & ſic quando unum intendit iurans verba cum illo conformat, & ſic à veritate minimè aberrat. Habet etiam iuſtitiam, quia ſupponimus non eſſe in præjudicium alterius, neque ad firmandam voluntatem in malo. Habet etiam judicium diſcretionis ob juſtam cauſam, quam habet celandi veritatem, quam non tenemur ſemper manifeſtare, ſed prudenter aliquando celare poſſumus, ut docet S. Thom. 2. 2. *q. 40. art. 3.* Unde dixit D. Hieronym. relatus *in cap. utilem 22. quæſt. 2.* *Utilem ſimulationem, & in tempore aſſumendam.* Quod exponens D. Thom. 2. 2. *q. 111. art. 1. ad* 2. dicit S. Hieron. *Vti largè nomine ſimulationis pro quacionque fictione.* Et ideò optimè dixit Soto *de juſtitia, lib 8. quæſtione 1. articulo 7. fine.* *Tale juramentum eſſe verum, juſtum, & prudens* : Habet igitur ſecum juſtitiam, judicium, & veritatem.

Etiam Deus

116. Idipſum, quod in hominibus adſtruimus,

Poteſt amphibologia uti in ſuis verbis. mus, quoad licitum uſum ex cauſa verborum amphibologicorum, in duplici ſenſu relato, & etiam in illo, de quo dicemus *concluſione ſequenti*, idipſum potiori jure aſſerendum eſt de Deo. Unde omnes Doctores conveniunt in eo, quod Deus uti poteſt verbis amphibologicis, in tribus acceptionibus prioribus *num.* 105. relatis. Tum, quia paſſim experimur in ſacra Scriptura plures locutiones amphibologicas. Tum etiam ob graviſſimas cauſas, quas habet Deus ad hujuſmodi verborum uſum, quarum prima eſt, ne Scriptura ſacra ſit ita facilis, ut etiam rudioribus ſit obvia, & ſic vileſcat apud illos, qui ſpiritualia non guſtant, ac proinde ſi eam de facili intelligant, de facili contemnent. Secunda ut ſtudium noſtrum in ſacra Scriptura excitetur. Tertia, ut Eccleſiæ, & Prælatorum auctoritas major ſit apud vulgum, qui hoc loquendi modo compellitur verum ſenſum ab Eccleſiæ Doctoribus inquirere. Quarta, ut infideles, quibus Libri ſacri ad manus veniunt, ſacra fidei noſtræ myſteria non penetrent, quos expedit hæc neſcire, ne ea irrideant. Tum denique, quia quoties Deus loquitur obſcure, & cum magna difficultate ex parte noſtri ad intelligendum ſenſum, in quo eſt locutus, totus in aliis locis ſe ipſum explicat, itaut benè ſcrutanti ſacras Scripturas, in ipſis inveniet verum ſenſum, in quo Deus locutus eſt: ob idque Chriſtus Dominus conſulebat *ſcrutamini ſcripturas*. Etſi non invenerit adeat, & conſulat Eccleſiam, & ejus ſupremum paſtorem, in quo eſt ſumma auctoritas interpretandi verum, & legitimum ſcripturarum ſenſum. Quod ſi aliquis hæc negligat & ſua auctoritate ductus in errorem incidat, ſibi imputet, qui ſibi fidens ſemitam veritatis ſecuram deſeruit.

Poteſt dari amphibologia, quando verba ex circunſtantiis admittunt diverſum ſenſum. 117. Aſſerendum eſt ſecundo ex juſta cauſa licitum eſſe amphibologice loqui, & jurare, in diverſo ſenſu, ac audientes intelligunt, quamvis verba illa in ſua ſignificatione ambigua non ſint, ſi attentis circunſtantiis loci, temporis, perſonæ loquentis, ac modi interrogandi verba eum ſenſum faciant juxta intentionem loquentis, quem interrogans ex circunſtantiis concipere poſſet, & deberet. Hanc concluſionem tenent omnes Doctores pro prima ſententia adducti, & ferè omnes, quos infrà *concluſione tertia* recenſebimus. Ratio eſt, quia qui interrogat, ſolum cenſetur interrogare, quod verè, & rectè interrogare poteſt, & reſpondens intelligere debet in eo ſenſu alium interrogare, ne præſumat malitiam in illo, & ideo reſponſio adæquatur interrogationi eo modo, quo fieri debebat, nimirum, ut unus interroget ſicut poteſt interrogare, & alius ſicuti reſpondere debet reſpondeat, quamvis ad hoc cogatur uti reſtrictione in mente, ſed tali ut ex circunſtantiis externis de facili exprimatur, v. g. à judice interrogaris, ſed non legitimè, an commiſeris tale crimen? rectè jurare potes te non feciſſe, & ſi feceris, ſubintelligendo *itaut debeam proferre:* quia hoc modo debebat judex, & non aliter de crimine interrogare, & cum tali reſtrictione, & ſic tu reſpondes rectè, juxta illius rectam intentionem, quam debebat habere, & præſumis quod habet, & ſic ipſe ex circunſtantiis poterat in verum ſenſum tuæ negationis devenire.

Diverſis exemplis præcedens 118. Igitur quando in verbis externis prolatis aliquo modo, ſaltem adjunctis circunſtantiis, ſignificatur reſtrictio illa mentalis, qua jurans utitur, non eſt major in ejus uſu difficultas, quam in uſu ſermonis amphibologici. Unde docet D.Thom. 2. 2. *q.*69. *art.*1. poſſe teſtem, qui non legitimè interrogatur a judice *ſe neſcire* rem, de qua rogatur, reſpondere; quamvis verè ſciat: quia illa verba, *nihil ſcio*, jure ipſo reſtricta ſunt, ut intelligantur de illis criminibus, quæ juridicè poſſunt inquiri, in quibus revelandis teſtis tali judicio ſubjicitur. Et *q.*70. *art.*1. *ad* 1. docet, confeſſarium interrogatum de crimine, quod ſcit in confeſſione, poſſe dicere, & jurare, *ſe neſcire:* quia intelligitur *ut homo*; non *ut miniſter Dei*, quia de hoc, & non amplius poteſt interrogari. Similiter pœnitens interrogatus à confeſſario, an commiſerit fornicationem, poteſt eam negare, etiamſi commiſerit, ſi jam in alia confeſſione ſit falſus: quia illa negativa *non commiſi*, ex circunſtantia perſonæ interrogantis, temporis, & facti, illum ſenſum admittit, *non commiſi, quod falſus non ſim:* quia de hoc ſolum credere debebat à confeſſore interrogari. Quapropter Doctores communiter tradunt non intervenire mendacium, quoties reſtrictio mentalis implicite ſignificatur per verba exterius prolata: quia ex circunſtantiis in eis continetur. Et hoc contingere maximè, quando interrogans non habet jus interrogandi, vel quando interrogatus ratione ſui officii, vel ex alio capite non habet obligationem reſpondendi. doctrina declaratur.

119. Et per hæc patet reſponſio ad ſacræ Scripturæ teſtimonia *num.*111. relata, quæ non amplius niſi hanc noſtram concluſionem probant, nec enim in illis reperitur amphibologia per puram reſtrictionem mentalem, ſed illa, de qua nunc loquimur, in qua verba determinantur ſecundum modum loquendi, & per circunſtantias, in quibus locutio fiebat. Nam in priori loco diſcipuli Chriſtum Dominum rogabant ut in publico aſcenderet ad diem feſtum, ut conſtat ex ipſo contextu, & in hoc ſenſu reſpondit Chriſtus, *ego non aſcendam*, modo ſcilicet, quo petitis. Unde neque uſus fuit reſtrictione purè mentali, nec fallax, aut falſus fuit in ea prædictione; licet poſtea aſcenderit: quia ipſe, ut Evangeliſta dicit, *aſcendit ad diem feſtum non manifeſtè, ſed quaſi in occulto*. Quod prius minimè negaverat ſe facturum. ¶ Similiter in ſecundo loco amphibologia non accidit per reſtrictionem purè mentalem. Tum quia ipſe reſpondit juxta legitimam mentem interrogantium, qui petere non poterant niſi notitiam, quam Chriſtus poterat ſuggerere; non illam, quam ex obedientia Patris tenebatur celare. Et quia Filius ex diſpoſitione Patris notitiam illius diei acceperat ut ſecreto habendam, meritò abſque mendacio, & abſque reſtrictione purè mentali reſpondit abſolutè, *ſe non ſcire:* utique in ordine ad manifeſtationem externam, de qua diſcipuli loquebantur. Tum etiam, quia cum Chriſtus ſæpius aſſeruiſſet, ſe eſſe Deum, & manere apud Patrem, ex hac loquentis circunſtantia determinabantur ejus verba ad ſignificandum, non ignorantiam abſolutam diei judicii, ſed quod ipſe non ſciret illam ad revelandum, quod facillimè poterant diſcipuli advertere, qui ſummam ejus auctoritatem, & ſapientiam non ignorabant. ¶ Nec in tertio loco reſtrictio purè mentalis reperitur: quia ut inquit D. Athanaſ. *in ſynopſi. Raphael comitatus eſt illum in ſpecie hominis, qui Azarias dicebatur. Alias* (ut inquit D.Auguſt. *ſerm.* 226. *de tempor.*) *ſi diceret ego*

ſum

Explicantur textus Scripturæ pro contraria ſententia adducti.

ſum Angelus non eſſet Tobiæ mercenarius. Itaque cum aſſumpſerit à ſe diverſam ſpeciem, diverſum aſſumpſit & nomen, proportionatum quidem ſpeciei, quam gerebat; non naturæ propriæ, quam celabat, quod abſque reſtrictione mentali, imò abſque amphibologia fieri poterat.

Declarantur caſus, quos contraria ſententia in ſui favorem adduxit.

120. Etiam ex dictis conſtat ſolutio argumenti contrarii *num.* 114. adducti aſſumpti ex diverſis caſibus. Nam de primo, & ſecundo caſu conſtat ex dictis *num.* 118. Ad illum, de eo qui proximum infamavit verum crimen ejus, ſed occultum revelando conſtat ex à nobis dictis *tom. 3. de juſtitia, tract.* 13. *de reſtit. cap.* 4. *à num.* 131. ubi varios modos propoſuimus, quibus injuſtus diffamator poteſt, & debet reſtituere famam proximi, per injuſtam occulti criminis publicationem ablatam, & hoc ſine mendacio, & ſine recurſu ad reſtrictionem purè mentalem. Et ex ibidem dictis aſſerimus poſſe illum dicere, ſe *deceptum fuiſſe quando talia dixit:* & hoc verè diceret abſque reſtrictione purè mentali: quia omnis, qui peccat à dæmone, vel à ſua paſſione decipitur. *Se erraſſe:* quia omnis qui peccat errat, & dicere cum illis peccatoribus poteſt, *ergo erravimus. Se neſciſſe, quod dixit,* quando talia protulit: quia quod aliquis ſcit, & non poteſt revelare, ſe neſcire illud poteſt aſſerere, hoc eſt ad revelandum: ſicuti dicebat Chriſtus, *de die autem illa nemo ſcit, nec Filius hominis,* hoc eſt ad revelandam eam, ut dicebamus. *Se mentitum fuiſſe:* quia omne peccatum in Scriptura dicitur mendacium: Ierem. 8. *Apprehenderunt mendacium,* hoc eſt peccatum. Et infrà, *a Propheta uſque ad Sacerdotes omnes faciunt mendacium.* Alius modus videndus eſt, quo poteſt, & debet abſque mendacio, vel reſtrictione purè mentali, ablatam famam reſtituere, apud D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 2. & ibi Cajetan. §. *in eadem.* Et Bañez *ibid. dub.* 8. *concl.* 5. §. *tertius modus.* ¶ Reliqua contrariorum argumenta ſolvemus poſtquam tertiam concluſionem proponamus.

---

§. IV.

Tertia concluſio proponitur, qua uſus reſtrictionis purè mentalis omnino negatur.

Licita non eſt ex quacumque cauſa reſtrictio purè mentalis.

121. ASſerendum eſt tertio, quod quando verba non ſunt æquivoca, vel ambigua, nec ex ſe, nec ex circunſtantiis adjunctis, ſed ſola reſtrictione mentali eum ſenſum afferunt, nunquam proferri poſſunt ſine mendacio, nec ſine perjurio valent iuramento firmari. Ideoque neque homines, neque Angeli, neque ipſe Deus poteſt huiuſmodi amphibologia uti per reſtrictionem purè mentalem. Et quidem ſi ſemel in hominibus talis reſtrictionis uſus mendacium eſt, nulla cauſa, nullave occaſione, honeſtabile, idipſum habere reſpectu Dei, omnes dicunt, quod amplius ex dicendis infrà conſtabit. Igitur non poſſe licitè aliquem uti purè reſtrictione mentali abſque mendacio, & periurio ſi iuramentum adiungatur, tenent communiter Thomiſtæ, & ex aliis non pauci. Tenet eam Cajetan. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 4. *dub.* 2. Soto *lib.* 5. *de juſtitia, quæſt.* 6. *art.* 2. *concluſ.* 7. & *lib.* 8. *q.* 1. *art.* 7. *fine,* & *de ſecreto, membr.* 3. *q* 3. *concluſ.* 1. Petrus de Ledeſm. *tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 24. *poſt* 6. *concluſ. dub.* 2. *dict.* 3. Martinez à Prado *tom.* 2. *cap.* 32. *q.* 4. *à num.* 30. Aragon. 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. *fine,* & *q.* 89. *art.* 7. *in* 2. *concluſ. circa ſolut. ad* 4. Gonet. *tom.* 4. *de fide, diſ.* 1. *art.* 4. §. 4. *num.* 106. Labat. *diſp.* 1. *de fide, dub.* 2. §. 2. Baronius 1. *part. Theolog. moral. diſp.* 1. *ſect.* 5. *art.* 3. *à fol.* 84. Sylvius 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *q.* 2. *concluſ.* 5. Ludovicus Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 47. *col.* 7. Raphaël de la Torre *tom.* 2. *in* 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *diſp.* 4. *concluſ.* 2. Thomas Hurt. *tom.* 2. *tract.* 7. *de reſtrict. mental. cap.* 2. *reſol.* 2. & *tom.* 3. *de vero martyrio fidei digreſſ.* 6. *ſectionibus decem & octo.* Malderus *opuſc. de abuſu reſtrict. mental. cap.* 10. *lect.* 3. Coninchus *de fide, diſput.* 10. *dub.* 3. *à num.* 34. & 49. Cardinalis Lugo *diſput.* 4. *de fide, ſect.* 5. *a num.* 62. Paulaus Layman. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. & *cap.* 14. *num.* 8. Rebell. *prima parte, lib.* 4. *quæſt.* 10. *num.* 2. Ripalda *de fide, diſ* 4. *num.* 68. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *q.* 5. *fine.* Franciſcus Bonæ ſpei *de fide, diſp.* 2. *dub.* 3. *num.* 65. & alii.

Ex diverſis auctoritatibus probatur noſtra ſententia.

122. Probatur primo hæc ſententia ex *Concilio Toletano* 4. *anno* 663. præſide S. Iſidoro ubi *in cap.* 74. alias 75. ut anathematizaret Concilium eos, qui Regibus necem machinantur, quia proprio iudicio putabant licere interficere quoſlibet tyrannos, & ut novam ſpeciem peccati perjurii vitarent, ſubtilitate impia ad reſtrictiones mentales recurrebant, ſic inquit: *Multarum quippe gentium (ut fama eſt) tanta extat animorum perfidia, ut fidem ſacramento* (intellige juramento) *promiſſam Regibus ſervare contemnant, & ore ſimulent juramenti profeſſionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem;* Et poſtea: *non ſit in nobis ſicut in quibuſdam gentibus infidelitatis ſubtilitas impia, non ſubdola mentis perfidia, non perjurii nefas, &c.* ¶ Secundo probatur ex *cap. nec artificioſo* 22. *q* 2. deſumpto ex D. Auguſt. ubi ſic dicitur: *nec artificioſo mendacio, nec ſimplici oportet decipere quemquam.* Ubi ſimplex mendacium dicitur, quod nulla mixtione vocalis orationis cum mentali reſtrictione profertur. *Artificioſum,* in quo tales duplicitates reperiuntur. Sic Gloſſa ibi: verbo artificioſo, *Ut ſi hoc modo dicat, iſte equus neſcit ſcandere arborem, intelliges quod neſciat ire ſuper pontem, & ubicumque aliquid obſcurè, & ambiguè loquitur, l. ita fides, ff. de iure fiſci.*

Diverſis rationibus negatio reſtrictionis mentalis probatur.

123. Hæc aſſertio aliquibus rationibus probari valet. Quarum prima eſt: quia juramentum falſum, & deceptorium, ſecundum fidem, eſt intrinſecè malum, nulla juſta cauſa honeſtabile; ſed qui verbis externis jurat id, quod verba ipſa nec ſecundum ſe, nec ex adjunctis circunſtantiis ſignificant, ſola addita reſtrictione mentali, jurat falsò, dolosè, & deceptoriè: ergo in omni eventu peccat mortaliter. Minor, in qua eſt tota difficultas, probatur primo: quia ſecundum D. Thomam 2. 2. *q.* 110. *art.* 1. *Nemo dubitet mentiri eum, qui falſum enuntiat, cauſa fallendi;* ſed hic falſum enuntiat cauſa fallendi: quia non conſonat os menti, eo quod intus non habeat, quod extra explicat, ſi quidem reſtrictionem in mente conceptam non explicat aliquo modo per verba. ¶ Secundo ex D. Auguſt. *de mendacio, cap.* 17. *fine. Cum enim Deo tantum dicitur, tunc tantum in corde veritas amplectenda eſt; cum autem homini dicitur, etiam ore corporis verum proferendum eſt: quia homo non eſt cordis inſpector:* Igitur contra veritatem loquitur, qui verbis ad hominem directis utitur minimè ſecundum

eundum

cundum ſe implicitè, vel explicitè, ſignificantibus id, quod ſolum in corde retinet per reſtrictionem mentalem. ¶ Tertiò, quia per puram reſtrictionem mentalem, nec res ſignificata mutatur, neç vox ipſam ſignificans, ſed ante talem reſtrictionem ſola mente factam falſum omnino erat dicere, *non comedi*, qui comederat: ergo etiam erit falſum poſt illam, non enim per reſtrictionem nova additur vocibus ſignificatio, quam antea non erat in illis, quandoquidem quod voces hoc, vel illud ſignificent, vel mutentur in ſignificatione, non eſt privati hominis cujuſcumque: ergo ſi illa vox interiorem reſtrictionem non ſignificat; non concordat os cordi, nec eſt juxta mentem ſermonem proferre, quod eſt mentiri.

Confirmatio præcedentium rationum.

124. Confirmatur primò, nam ſi quis comedit carnes, & exterius dicat, *non comedi ex carnibus*, intelligendo interius, *ex carnibus tuis*: propoſitio exterior negat univerſaliter omnem carnis comeſtionem, neque enim habet, ut ſupponimus, aliquid, per quod exterius reſtringatur ad negationem comeſtionis ſolius carnis alterius, alioqui reſtrictio non eſſet purè mentalis, ſed exterior, contra id, quod ſupponitur; ſed non datur interior conceptus negans univerſalem comeſtionem carnis, ſiquidem homo interius judicat ſe comediſſe carnes: ergo datur in eo caſu difformitas inter verba externa, & mentem. ¶ Nec ſatisfacis dicendo, quod non tenetur aliquis adæquatè ſuam mentem proferre, unde cum in mente detur, & conceptus comeſtionis carnis, & conceptus negationis comeſtionis carnis alterius, potuit inadæquatè hunc conceptum ſecundum verbis manifeſtare, relinquendo alium abſque manifeſtatione. ¶ Non inquam ſatisfacis, quia & ſi verum ſit liberum eſſe homini conceptus ſuos inadæquatè proferre, cæterum ſive adæquatè, ſive inadæquatè proferat, ſemper tamen conceptum, quem vult ſignificare, debet eſſe per verba, quæ illum conceptum interiorem exterius exprimant, & ipſi exterius correſpondeant, alioqui pervertitur finis locutionis humanæ, qui eſt manifeſtare conceptus; ſed illa verba *non comedi ex carnibus*, ſi purè intrinſecè reſtringantur, nihil habent, per quod conceptum illum inadæquatum comeſtionis carnis alterius, potius quam alterius carnis comeſtionem exterius repræſentent, nam quod ſenſibiliter objiciunt eſt negatio omnis comeſtionis carnis, nec enim exterius magis negant comeſtionem carnis hominis, quam animalis, ſed repræſentant conceptum internum negantem omne genus comeſtionis carnis, qui conceptus cum intra mentem non ſit, ſed alius contrarius, neceſſario ſequitur quod illa verba exterius prolata, quantumvis mente reſtringantur, ſint ipſi menti difformia, & conſequenter falſa.

Alia præteritarum rationum confirmatio.

125. Confirmatur ſecundo, quia ſi quis interrogatus, num habeat librum, quem verè habet, & dicat: *non habeo*, intelligendo *in manibus*: certè per hæc verba addita, *non habeo in manibus*, cum verè habeat, non corrigitur mendacium reſpectu proximi, ſed ſolum reſpectu ipſius loquentis; ſibi autem nemo mentitur, nec verax eſt: unde hæc mentalis reſtrictio ſermonem externum non corrigit, qui in ordine ad proximum ſemper manet mendacio affectus qui non attendit ad conceptum internum loquentis, niſi prout ſignificatur per voces, quæ ex vi reſtrictionis mentalis non limitantur.

Inconveniens, quod ſequitur, ex hoc quod admittatur eſſe licitum mendacium cum cauſa.

126. Secunda ratio formatur ſic: quia omnia ferè inconvenientia, quæ ſequerentur ſi licitum eſſet mendacium ex juſta cauſa; ſequerentur ſi ex ſimili cauſa liceret uti reſtrictione mentali; ſed eſt de Fide ex nulla cauſa eſſe licitum proferre mendacium: ergo etiam ex nulla cauſa licebit uti pura reſtrictione mentali. Probatur major, duplex præcipuum referendo inconveniens, quod ſancti Patres, & Doctores paſſim aſſignant, ſi licitum ex cauſa eſſet mendacium. Primum eſt, quia ſi mendacium liceret, fruſtraretur finis, ad quem ſunt verba inſtituta, nimirum, ut per illa homines cogitationes ſuas in aliorum notitiam proferant, ut ſocietas humana, & convictus inter homines ſervetur, ut alter alteri fidat, &c. quæ ſervari non poſſunt, ſi mendacium aliqua ex cauſa eſſet licitum: audi Auguſtinum *tom.3. in Enchiridion.ad Laurentium c.22.* ubi ſic ait: *Verba propterea ſunt inſtituta, non per quæ ſibi invicem homines fallant; ſed per quæ in alterius notitiam cogitationes ſuas proferant. Verbis igitur uti ad fallaciam; non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt.* Et D.Thom. 2.2. *q.109. art.3. ad 1.* ubi ait: *Quod, quia homo eſt animal ſociale, naturaliter unus homo debet alteri id, ſine quo ſocietas humana ſervari non poſſet. Non autem poſſent homines ad invicem convivere, niſi ſibi invicem crederent, tanquam ſibi invicem veritatem manifeſtantibus.*

Præcedens inconveniens ſequitur ex eo quod reſtrictio purè mentalis admittatur.

127. Quod autem hoc inconveniens ſequatur, ſi licitum eſſet uti cum cauſa reſtrictione purè mentali, probatur. Quia nullum eſſet certum colloquium inter homines, nullum juramentum, cui fidere poſſent, quia liberum eſſet unicuique, verbo, & ſcripto, dicere, & jurare, quæ vellet; etiamſi res non eſſet ut verba ſonant, neque ſecundum ſignificationem, quam vel ex ſe, vel ex adjunctis circunſtantiis habent. Quod ſanè non minus eſſet contra convictum, commercium, & ſocietatem, civilem, & politicam humanam, & contra fidem, quam ſibi ad invicem debent præſtare homines; quam apertum mendacium. Quare optimè dixit Cardinalis Lugo *diſ.4.de fide, ſect.5.n.65.* Cum tota hæc veritatis obligatio proveniat, ut diximus ex neceſſitate conſervandi fidem humanam adeò neceſſariam ad convictum, & commercium publicum, & politicum: neſcio quomodo eadem veracitas non debuerit, æquè prohibere reſtrictiones illas mentales, ex quibus ſi licitæ eſſent eadem omninò inconvenientia orirentur. Æquè enim dubitarent homines audientes, an loquens ultra voces externas, adderet reſtrictiones, mentales, quibus ſenſus contrarius ſenſui, quem voces exprimerent, contineretur, ſicut dubitare poſſunt de veritate, ſi mendacium liceret. Unde inutilis omnino eſſet mendacii prohibitio, omnes enim, qui mentiri non auderent propter prohibitionem, eaſdem voces omnino uſurparent, quas mentientes uſurpaſſent: & eundem finem obtinerent addita reſtrictione mentali. Nec ſatisfacies dicendo, id non licere niſi cum cauſa: nam eodem modo dicerent alii etiam mendacium non licere, niſi cum cauſa. Hactenùs doctiſſimus Purpuratus.

Secundum inconveniens ſequitur ex hoc quod licitum eſſet mendacium cum cauſa.

128. Secundum inconveniens, quod inferunt ſancti Patres, & Doctores, ex eo quod liceret mendacium ex juſta cauſa, eſt. Quod licitum eſſet Deo in ſacra Scriptura ex juſta cauſa mentiri, quia ſi licitum eſſet homini mendacium verbo, vel ſcripto prolatum, cur non etiam Deo liceret? Similiter eſſet licitum Apoſtolis, Evangeliſtis,

geliſtis, Prophetis, & Doctoribus Eccleſiæ ex juſta cauſa proferre mendacium, quo tota Fides Catholica ſubverteretur. Imò qui docent alios, poſſent etiam ex juſta cauſa falſam doctrinam proferre, & ita legentes ſuos libros, vel in ſcholis audientes poſſent prudenter timere, ne ex juſta cauſa mendacium ſub ſpecie veritatis docerent, ideoque prudenter, & abſque temeritate poſſent illis fidem negare, quo omnis diſciplina corrueret. Quod optimè docuit Auguſt. *contra mendacium, c.18. fine*, ibi: *Hoc ſcio, quod etiam, qui docet oportet mentiri, dum verum docere ſe vult videri. Nam ſi falſum eſt, quod docet, quis falſa velit ſtudere doctrina? & ubi fallit docens, & fallitur dicens. Si autem ut aliquem poſſit invenire diſcipulum docere ſe aſſerit verum, cum doceat eſſe mentiendum, quomodo erit ullum ex veritate mendacium, Ioanne Apoſtolo reclamante, omne mendacium non eſt ex veritate.*

Idem incõveniens ſequitur ex admiſſione reſtrictionis purè mentalis.

129. Quod autem hoc ſequatur inconveniens in noſtro caſu, ſic probatur. Nam ſi quis ſcripto mandaret, quod verbis loquitur, & in mente reſtringeret ſcripturam ſuam ad ſenſum verum, non loqueretur falſum, in iſta ſententia, & ſic hoc facere ex cauſa licitè poſſet, nihil enim refert an ore, an calamo verba proferantur, & tunc cum neſciret legens, quo ſenſu loqueretur, an dolosè procederet in ſcriptis, nullam omnibus fidem præſtaret, & eodem modo in ſacra Scriptura citra mendacium poſſet nobis Deus plura referre, quæ ſolum eſſent vera ſecundum reſtrictionem nobis incognitam, quæ in mente divina erat; non ſecundum quod ipſa verba in ſe implicitè, vel explicitè continebant, etiam in ſua ampliſſima ſignificatione: & ſic in omnibus vacillabit ejus auctoritas, quia ſemper eſſet timendum, vel dubitandum, an in hac, vel in illa occaſione, artificio verborum uſus fuerit, qui ſemper illo uti potuit. Unde nulla firmitas in Fide Catholica eſſet, cum ejus tota firmitas ex certitudine, & veritate verborum Dei dependeat. Ponamus hoc exemplum. Demus perſonas divinas eſſe quatuor, (quod falſiſſimum eſt) poterunt omnes locutiones, & revelationes Dei, quibus tantum tres perſonas manifeſtavit, à vitio falſitatis vindicari, dicendo, Deum revelaſſe, tres eſſe tantum perſonas divinas, addendo interius *ad revelandum vobis:* quia Deus non eſt obligatus manifeſtare adæquatè ſuos conceptus, ſed poteſt eorum aliquem inadæquatè proponere: & ſic nullus poſſet firmiter credere eſſe tantum tres perſonas in Deo: quia nemo ſcit an Deus habuerit juſtam cauſam utendi iis fallaciis, ingenii ſubterfugiis, & verborum labyrinthis. Et ſic periit infallibilis certitudo myſterii Trinitatis, & aliorum, quæ obligamur certa fide, & in dubio aſſenſu tenere.

Evertitur quædam ſolutio doctrinæ præcedentis.

130. Nec obſtat contra modo dicta reſpondere, fidem noſtram inniti revelationibus divinis excludentibus amphibologiam: Deum etiam teſtari de ſua veritate, & ſinceritate ſuarum revelationum: Eccleſiæ etiam promitti auctoritatem, & infallibilem certitudinem ad diſcernendum inter ſenſos revelationum Dei, & ad eruendam legitimam ſententiam. ¶ Non inquam prodeſt hæc ſolutio: nam ſuppoſito, quod Deo non repugnet loqui amphibologicè per reſtrictionem purè mentalem, ſicut poteſt dubitari, an Deus ea poteſtate uſus fuerit in revelationibus abſolutis: ita relinquetur ambigendi locus circa revelationes reflexas, quibus Deus manifeſtavit ſe non uti prædicta reſtrictione, aut Eccleſiæ auctoritatem probavit, unde fundabitur proceſſus quidam in infinitum, ac nulla ſecura, & infallibilis fidei certitudo ſubſiſtet.

131. Quod magis inſtatur, & explicatur in opinione ſatis communi aſſerenti, quod quoties licitum eſt uti aliqua æquivocatione, adhuc licet uti illa quando urget interrogans omnem excludendo æquivocationem. Ut ſi judex interroget teſtem, ſed non juſto ordine juris ſervato, an ſciat hoc crimen; & ille reſpondeat *neſcio*, ſubintelligendo, ad *tibi revelandum:* & judex urgeat, an id dicat, & juret ſincerè, abſque ulla ambiguitate, & æquivocatione: adhuc jurare poteſt, ſe abſquè ulla æquivocatione loqui, intus retinendo: *ex qua mihi uti non licet:* & ſi millies interrogans redoplicet, an id ſciat, vel in ſecreto, vel publico, vel quocumque modo, vel itaut manifeſtare non debeat; adhuc poteſt uti ſuper hoc alia, & alia, uſque in infinitum, reflexa æquivocatione. Quia ſemper reſpondet juxta legitimam interrogationem, quæ in eſſe deberet interroganti, & improbitati ſuæ attribuere debet, quod aliud, & aliud, ex verbis percipiat, & decipiatur. Sic Sanchez *lib.3. c.6. n.45.* Aragon. 2.2. *q.70. art.1. fol.*522. Valent. 4. *tom. diſ.7. q.13. punct. ult. col.*2. Bonac. *punct. illo* 12. *n.4. verſ.7.* Moya *tract.2. diſ. 1. q.1. n.6.* Trullench. *lib.2. c.1. dub.15. n.9.* Leander *tract.1. diſ.45. q.37.* Palaus *tract.14. diſ.1. punct.4. fine.* Eodem igitur modo philoſophandum eſſet in revelationibus divinis.

Ex doctrina communi præcedens ſolutio roboratur.

---

§. V.

Quædam objectio diluitur, & contraria argumenta diſſolvuntur.

132. SEd objicies contra dicta toto paragrapho præcedenti. Quod omnia inconvenientia, quæ nos ſequi diximus ex reſtrictione purè mentali, omnia ſequuntur in noſtra ſententia, admittente uſum licitum ex juſta cauſa æquivocationum, ſeu quæ ex natura verborum ſunt tales, vel quæ tales efficiuntur ex adjunctis circunſtantiis, quia ſemel iſtis admiſſis, neſcirent audientes, quo ſenſu jurans loqueretur: neſcirent fideles, quo ſenſu Deus in ſacris Scripturis ſuos proferret conceptus: quo ſenſu Magiſter in ſuis ſcriptis doctrinam diſcipulis propinaret: Everteretur fides humana, imò & divina: & omnia fallaciis, & duplicitatibus ſubjacerent.

Objectio difficilis contra dicta.

133. Sed hæc minimè ſequuntur ex noſtra, & communi ſententia. Non quidem ſequitur in caſu ſecundæ aſſertionis: nam ſi ex circunſtantiis loci, perſonæ, temporis, & modi interrogandi, poſſunt in diverſo ſenſu, ac ſonant, verba accipi: ſuæ inſcitiæ, inconſiderationi, aut pravitati tribuat interrogans, quod decipiatur; non duplicitati loquentis. Hic enim utitur jure ſuo, qui verbis proportionatis menti, ſecundum circunſtantias occurrentes, ſuum conceptum merito inadæquatè declarat. Maximè ſi alius non ut debet interroget, & alius ut debet reſpondeat: quia potius eſt dolus ex parte interrogantis, qui injoſtè vult extorquere veritatem; non vero loquentis, qui in debito ſenſu reſpondit. Societas ergo commercium, & communicatio, &c. inter homines, in eo conſiſtit, ut unuſquiſque ut debet interroget, & intelligat; & alius ut debet reſpondeat, ſcribat, vel loquatur.

Solvitur præcedens objectio.

Si indebitè interroget, ſibi imputet, quod fallatur. Et quod unuſquiſque inſpiciat circunſtantias, ut ſcire poſſit, quo ſenſu alius reſpondet: & iſte ſecundum eas loquatur, ut audiens, ex verbis attentè conſideratis, poſſit in notitiam ſenſus intenti à loquente devenire. At quando nec ex circunſtantiis colligitur, nec in verbis prolatis talis ſenſus continetur; ſolum duplicitati, ſeu duplici cordi loquentis tribuendus eſt dolus. Et ſic tota ſocietas, & convictus humanus deſtruitur ſi talis amphibologia admittatur.

Amplius præcedens ſolutio declaratur.

134. Et minus prædicta inconvenientia ſequuntur in ſenſu primæ aſſertionis, quando diverſi ſenſus re ipſa in verbis continentur. Quia alius jus habet in quo voluerit verba proferre, & cum juſta cauſa poteſt in aliquo loqui, etiamſi ab audientibus in alio ſenſu verba accipiantur: nec enim ad victum, & ſocietatem, ac commercium humanum ſemper animum declarare requiritur, ſed multoties, ut prudenter, & cum ratio id poſtulat, celetur. Et ſic D.Thom. 2.2. q.40. *art.2.* dicit: *Non tenemur ſemper veritatem aperire, licet non dicere mendacium.* Et *q.*110.*art.*3. *ad* 4. *Quod licet veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione.* Et ob id docet Auguſt. *lib. contra mendacium*, *c.* 10. *Deum in Scripturis loqui per metaphoricas, & tropicas locutiones, ut alio ſenſu, ac aliqui percipiunt, ſed in verbis occultè, & verè contento, & ob id abſque mendacio. Quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut ſenſum piè quærentes exerceant, & ne nuda, ac prompta viloſcant.* Alias rationes, vel cauſas, ob quas Deus amphibologicè aliquando loquitur, & quomodo id firmitati fidei non obſtet, diximus *n.* 116.

Pro ſolutione tertii argumenti contrariorũ nova exurgit difficultas.

135. Ex dictis jam conſtat ad omnia, quæ pro ſe adducit contraria ſententia. Omnia ſiquidem ſolum probant, quod in aſſertionibus diximus, & ex ibidem dictis facilè omnia ſolvuntur. Solum reſtat reſpondere ad illud tertium argumentum ex ratione petitum. Cujus ſolutio petit ut explicemus, an ſicut amphibologia, quæ fit per puram reſtrictionem mentalem, importat falſitatem, & eſt illicita, idem dicendum ſit de amphibologia (ut ſic loquamur) per additionem vocis alicujus ſummiſſæ prolatæ, aut alicujus actionis externæ, ut ſi aliquis rogatus, an comederit, reſpond.at clara voce, *non comedi*, addendo voce ſummiſſa *ex piſcibus*, & carnem comederat. Vel ſi rogatus, an per hanc viam tranſierit Petrus; reſpondeat verbis, *non tranſivit per hanc partem:* vel pede terram conculcans, ut judicet per illam partem terræ non tranſiſſe; vel immittendo ſimul manum in manicam, ad denotandum illàc non pertranſiſſe, & ſi Petrum viderit tranſire per viam. Quod & feciſſe ſanctiſſimum virum Franciſcum communiter commemoratur, & laudatur ab omnibus, utpotè, qui tali prudenti æquivocatione miniſtros juſtitiæ fefellit, & reum, quem illi perſequebantur, liberavit.

Sententia affirmans poſſ: ſine mendacio verba altè prolata cum aliis in ſecreto dictis proponitur.

136. Præter Auctores, qui admittunt æquivocationem purè mentalem, qui omnes etiam æquivocationem, de qua nunc loquimur, amplectuntur. Ex his, qui nobiſcum illam negant, aliqui in iſto caſu illam admittunt, & talem modum, quaſi amphibologiæ, non eſſe mendacium defendunt. Sic Pradò *c.*32. *q.*4. *n.*64. Thomas Hurt. *tom.* 2. *tract.*7. *de reſtrict. mental. cap.*5. *n.*71. Et ratio illorum eſt: quoniam locutio exterior, tunc eſt vera, quando exterius concordat conceptui interno, ſive locutio fiat nutibus, aut ſignis, aut verbis, tam clarè, quam ſummiſsè, prolatis: & ſive adæquatè conſtet ex verbis alteri patentibus, ſive partim ex verbis patentibus, partim ex ſummiſſis: ſive adæquatè ex nutibus, ſive partim ex verbis, partim ex nutibus: hæc quippe diverſitas prorſus materialis eſt, ſemper enim ea ſigna integrè ſumpta adæquatè conceptum internum ſignificant, vel ex circunſtantiis actus, vel ex continuatione cum aliis vocibus ſummiſsè prolatis: & eſt per accidens, quod illa ſignificatio lateat audientem, per ſe enim voces illæ aut ſigna exterius, conceptum internum manifeſtant; atqui in exemplis proximè relatis illæ locutiones externæ, ut conſtant adæquatè ex nutibus, & ex verbis, tam clarè, quam ſummiſsè prolatis, concordant conceptibus internis, quibus homo judicat ſe non comediſſe ex piſcibus, & Petrum non tranſiſſe per viam: ergo prædictæ locutiones ſunt veræ, & conſequenter licitæ occurrente notabili neceſſitate celandi veritatem.

Alia ſententia ex adverſo, hujuſmodi æquivocationem licitam eſſe, omnino negans.

137. Per oppoſitum Raphaël de la Torre 2. 2. *tom.* 2. *q.* 98. *art.*3. *diſ.*4. *concl.*2. *ration.*5. Idem judicium aſſerit ferendum eſſe, quando aſſeritur propoſitio, cujus una pars altè, & manifeſtè profertur, verbis, aut nutibus, & alia ita ſummiſsè, & in occulto, ut non poſſit à circunſtantibus percipi: ac ſi una pars eſſet vocalis, aut ſignis exterius ſignificativa, & altera purè mentalis: proindéque propoſitiones ſupra recenſitas eſſe ſimpliciter falſas. Et ratio eſt, quia veritas locutionis ad alterum directæ conſiſtit in conſonantia ſignorum externorum, quæ audienti objiciuntur, cum mente, ſive cum aliquo interno loquentis conceptu; ſed hoc non accidit, quando illæ additiones penitus latent audienti, & ejus ſenſibus nullo modo repræſentantur, tunc quippè additiones illæ reſpectu audientis, & reſpectu locutionis, ut ad ipſum ordinatæ, perinde ſe habent, ac ſi eſſent purè mentales: & relinquũt locutionem in vi locutionis ad alium directæ, ac ſi minimè adjicerentur, in quo eventu certum eſt quod diſſonarent menti loquentis, & eſſent omnino falſæ. ¶ Et confirmatur hoc: quia ſi prædictum locutionis genus eſſet à falſitate immune, non eſſet Deo repugnans, (ut omnes aſſerunt) ex quo ſequeretur Deum non eſſe fide infallibili dignum, & noſtræ fidei certitudo nutaret: ſicuti de reſtrictione purè mentali ſuprà argumentabamur. Quid enim refert, quod reſtrictiones in mente divina fiant purè mentaliter, vel exterius, ita tamen occultè, quod audientem penitus lateant, ſi reſpectu ejus ita ſe habeant, ac ſi purè mentales eſſent? Quod inconveniens graviſſimum eſt, & quod auctores contrarii non potuerunt hactenùs ſufficienter declinare.

Utraque præcedens ſententia cõcordatur.

138. Sed nos media via incedimus, ſeu potius utrumque modum dicendi ſic concordari debere judicamus, & ſub hac diſtinctione reſpondemus. Quod vel illæ additiones verbis, aut nutibus factæ, ita ſummiſsè, vel in occulto fiunt, ut licet fiant exterius, omnino audientem, vel interrogantem latent. Et tunc verum eſt, quod dicit hæc ſecunda ſententia, ob rationes illius fortiſſimas, quæ hoc, & non amplius probant. Vel tales additiones exterius factæ, ſic fiunt occultè, & ſummiſsè, ut aliqualiter ſenſibus audientis objiciantur, quamvis non ita palam, ut queat facilè loquentis ſenſum percipere. Et ſi hoc poſteriori modo fiunt, locutio eſt abſolutè vera, & licita, ſaltem occurrente aliqua neceſſitate, non ita palam manifeſtandi veritatem, ob rationem

prioris

prioris ſententiæ. Quod vero in eo caſu audiens decipiatur, & ſenſum loquentis in eo caſu non percipiat, reducendum non eſt ad falſam dicentis locutionem: quippe quæ hoc modo facta, falſa non eſt; ſed ad inadvertentiam, & minorem attentionem audientis, qui cuncta ſigna ſibi propoſita non advertit, inſpicit, & eorum latentem ſenſum callere ſatagit. Quam deceptionem non tenetur loquens vitare, ſed poteſt licite permittere, intendendo, cum neceſſitas obligat, celare veritatem.

---

§. VI.

Caſus particulares recenſentur, qui ex præfatis aſſertionibus deducuntur.

Aliqui caſus recenſentur, in quibus licita eſt amphibologia ſine mendacio.

139. EX hucuſque dictis plures caſus inferunt Auctores pro praxi neceſſarios, eos, in quibus fere omnes conveniunt, breviter recenſebimus, abſtinendo à citatione auctorum, quia ſunt communes inter illos: poſtea aliquos, in quibus poteſt eſſe difficultas, enucleabimus. ¶ Ex dictis igitur deducitur, teſtem non juridice interrogatum de delicto rei, ſe neſcire, poſſe aſſerere, & jurare; tametſi ſciat, intus habendo *ita ut tenear dicere:* quia ex circunſtantia perſonæ interrogantis, & reſpondentis, & fori, in quo fit interrogatio, ſolum de eo, quod alius poteſt, & debet reſpondere, interrogari cenſetur; immò etiamſi judex interroget juridice, ſi alias ex aliquo capite non tenetur ferre teſtimonium: quia nimirum ipſi ex eo notabile imminet damnum, poteſt eodem modo reſpondere ob rationem datam. Et quoties factum exterius contra legem excuſatur à culpa ratione alicujus circunſtantiæ, poteſt interrogatus etiam juridicè de illo, illud negare, intus intelligendo, de facto crimінoſo. Ut ſi quis hominem ignoranter putans eſſe feram occidat, aut in propriam defenſionem: ſi quis rem alienam ſubripiat in debiti certi compenſationem, poteſt interrogatus juridicè, an hominem occiderit, an rem alienam uſurpaverit, negare: quia interrogatio judicis ex circunſtantia judicii, de ſolo facto criminoſo intelligitur.

Alii diverſi caſus, ejuſdem rationis, ac præcedentes.

140. Similiter, ei cui licitum eſt bona aliqua abſcondere, eo quod illis ad vitam ſuſtentandam egeat, ne à creditoribus capiatur, vel cogatur mendicare, poteſt rogatus à judice ſub juramento, an aliqua bona habeat abſcondita ad ſatisfaciendum creditoribus, aſſerere, ſe nulla bona habere, intelligendo ſecum *quæ judici manifeſtare tenear:* quia hæc eſt intentio juſta, & licita illius interrogationis, ſecundum quam reſpondit verum. ¶ Similiter hæres, qui abſque beneficio inventarii adivit hæreditatem, (quomodo in foro externo tenetur ad omnia debita defuncti, etiam ſupra vires hæreditatis,) ſi vere non occultavit aliqua bona illius, quibus poſſet ſatisfacere creditoribus defuncti, poteſt ſub juramento affirmare, ſe non, talia, aut talia bona accepiſſe, intelligendo, *ita ut ex illis tenear ſatisfacere*, & ſi verè acceperit; quia intentio judicis interrogantis eſt de bonis, quibus ſatisfacere teneretur illis creditoribus, quippe quæ fundata eſt in præſumptione, quod bona ſufficientia recepit ad talem ſatisfactionem. ¶ Similiter quoties quiſpiam ex quacunque ratione liber eſt à cujuſvis debiti obligatione, poteſt rogatus à judice tale debitum negare, intelligendo intra ſe, *ita ut debeam:* quia reſpondet ad debitam judicis intentionem. Verbi gratia, interrogaris an mutuo nummos à Petro acceperis. accepiſti, ſed jam ſolviſti, vel reali ſatisfactione, vel juſta compenſatione. potes negare te mutuo accepiſſe, ſi alia via non potes evadere extorſionem, intelligendo in mente. *ita ut debeam ſolvere:* quia hæc eſt intentio juſta interrogantis, juxta quam rectè reſpondes. Promiſiſti matrimonium fœminæ, immunis es ab obligatione contrahendi cum ea matrimonium, ob aliquam cauſam, ex his, quæ *tom. 2. tract. 9. de matrim. cap. 2. per totum.* recenſuimus. potes, rogatus à judice ſub juramento, negare, te illi matrimonium promiſiſſe, intelligendo interius, *ita ut debeam cum illa contrahere:* ob eandem rationem. Interrogatus Clericus à cuſtodibus, an aliqua emerit, vendiderit, aut portet, eo fine ut gabellam ſolvere compellatur, quam verè ſolvere non tenetur, poteſt, juramento dicere, ſe non portare, emiſſe, aut vendidiſſe, etiamſi verè emerit, vendiderit, aut portet, intelligendo, *ex quo gabellam debeam:* ob eandem rationem. Et idem dicendum eſt de laïco, qui aliqua portat, habet, aut vendit, ex quibus ob aliquam rationem gabellam non debet ſolvere, aut non debet integram, ſaltem ſecundum opinionem probabilem.

Alii caſus ſimilis conditionis proponuntur.

141. Similiter, qui venit ex loco minime infecto peſte, qui falſo in hoc oppido infectus creditur, rogatur ſub juramento à cuſtodibus portarum, an veniat ex tali loco, poteſt dicere, ſe ex eo non venire, intelligendo, *tanquam ex loco peſtilenti:* quia hæc eſt debita cuſtodum intentio in tali interrogatione. Immo etiamſi veniat ex loco peſte infecto, ſed adeò celeriter tranſivit per illum, ut nihil cum peſtis attigerit, poteſt ſe illac non tranſiſſe jurare, intelligendo, ut aliquid mali ex peſtilentia contraxerit. Si vero ibi moratus fuerit, tenetur verum abſque ambiguitate reſpondere, etiamſi putet ſe ibi nihil mali contraxiſſe: quia ſemper eſt periculum contagionis, & niſi certus ſit nullum ſubeſſe, ſemper eſt juſta interrogatio cuſtodum ut ſonat. ¶ Per injuriam extorquetur à Petro promiſſio alicujus pecuniæ dandæ, poteſt in ipſo juramento hac uti æquivocatione, *juro tibi me numeraturum pecunias*, intelligendo, ut ille caſus *tibi* regatur à verbo *juro*; *juro tibi*, me numeraturum, &c. intelligendo, *tibi*, *vel alteri*. Immò etiam licebit jurare, ſe illi daturum, conſtituendo in mente hanc conditionem, *juro tibi daturum, ſi tibi ſecluſo juramento debuero:* quia licet hæc verba ex ſe amphibologiam non patiantur, ex circunſtantiis perſonarum, & temporis illam admittunt. ¶ Fœmina, quæ certo ſcit matrimonium cum Petro contractum eſſe nullum, cogitur cohabitare cum illo, vel à judice Eccleſiaſtico, vel certè à confeſſario, à quo non abſolvitur niſi cohabitet cum illo, & de tali cohabitatione juramentum præſtet: poteſt jurare ſe cohabitaturam, & habere animum cohabitandi, etiamſi non habeat: quia jurat cohabitationem ſibi licitam, & hanc conditionem in mente retinens, loquitur juxta debitam intentionem compellentis.

Ad idem intentum alii proponuntur caſus.

142. Rogatus à judice, an ingreſſus ſis talem domum, in qua eſt delictum perpetratum, vel locutus ſis cum reo, potes, te non ingreſſum, aut locutum, jurare, ſubintelligendo, *ad cooperandum:* quia hæc debet eſſe mens judicis, interrogantis. Idem eſt in univerſitatibus, ſcholaſticus interrogatus, an locutus, an ingreſſus in domum oppoſitoris, jurare poteſt, non locutum, non ingreſſum, etiamſi fuerit, ſi

in mente habeat, *cauſa ſubornationis* : quia de hac eſt intentio interrogantis. ¶ Canonici, Senatores, Iudices, & alii, obligati ſervare ſecretum eorum, quæ in Congregatione tractantur, poſſunt iurare, non violaſſe ſecretum, nec ibi acta cum aliquo communicaſſe, ſi nihil eorum, quæ ſub gravi culpa obligati erant celare, manifeſtaverint: quia de his, & non de aliis cenſetur iudex interrogare. ¶ Licitum eſt teſti interrogato iuridicè, an aliquid ſciat, quod tamen audivit, ſed non vidit, iurare, ſe nihil ſcire, niſi etiam de auditu interrogetur: quia id, quod ſolum ex auditu habemus, non ſcite abſolutè verè dicimus. ¶ Denique etiam ille, qui nemine petente ſe ad iurandum ſpontè offert, poteſt ex iuſta cauſa uti amphibologiis in iuramento: quia adſtante neceſſitate, vel utilitate occultandi veritatem, parum refert, quod rogatus, vel non rogatus iuret, maximè quia huic poteſt occurrere caſus, quo valde expediat ſe invitare ad iurandum, ut ad placendum proximum, liberandum innocentem, vel reſtituendam famam iniuſtè ablatam. Hæc omnia paſſim obvia ſunt apud auctores, in quibus ferè omnes conſpirarunt.

Quidam caſus difficilis diſſolvitur.

143. Sed rogabis modo primo. An creditor exigens virtute inſtrumenti publici coram iudice debitum, poſſit iureiurando aſſerere, quantitatem in eo contentam ſibi eſſe debitam, & ſi pars, vel tota iam ſit ſoluta, ſi tantundem aliàs alius debet, & non habet inſtrumentum, quo recuperare valeat? Reſpondetur poſſe, dummodo id non cedat in præiudicium iuris alterius creditoris, qui haberet ius anterius debito illo, quod per tale inſtrumentum nititur recuperare. Quia cum re vera ea quantitas illi debita ſit, nec iuret ſibi deberi virtute illius inſtrumenti, vere iurat, & iuxta principalem iudicis mentem, nulli iniuriam irrogando, cum debitor aliàs totum illud debitum ſolvere teneatur. Candid. *diſquiſ.*26. *articulo* 3. *dub.*16. Palaus *tractat.*14. *diſ.*1. *punct.*7. *numero* 4. *verſu* 6. Sanchez *lib.* 3. *capite* 6. *numero* 34. Leander *tractat.* 1. *diſ.*45. *quæſt.*21.

Adultera rogata de adulterio non poteſt cum iuramento negare cum ſola reſtrictione mentali.

144. Rogabis ſecundo. An adultera interrogata à marito, an adulterium commiſerit, negare poſſit ſub iuramento, intelligendo in mente, aliam diem, ab ea, in qua commiſit adulterium, *vel ut tibi revelem?* Et quidem ipſam poſſe jurare ſe non fregiſſe matrimonium, omnes meritò dicunt: quia verum eſt, quod dicit, quandoquidem etiam poſt adulterium matrimonium firmum, & ſtabile perſiſtit: quamvis vir ea verba intelligat, ut fidem tori non violaverit, & etiam alia quacumque amphibologia admittente duplicem ſenſum. Sed adhuc poſſe uti amphibologia modo, quo quæſtio illam proponit, docent omnes, qui puram reſtrictionem mentalem admittunt, labeque mendacii eſſe immunem, qua uteretur mulier in illo caſu, ob cauſam urgentem, quæ occurrit. Sed meritò id negat illi licitum eſſe Sotus *de ſecret. memb.*3. *quæſtione* 3. *poſt* 5. *concluſ.* & *lib.*5. *de iuſtitia*, *quæſtione* 6. *articulo* 2. *ad finem.* Et omnes tenentur negare, qui puram reſtrictionem mentalem non admittunt, quandoquidem in tali caſu, ſola æquivocatione ex reſtrictione pure mentali proveniente, poſſet à mendacii, ac proinde periurii crimine liberari.

Eiuſdem rationis ſunt duo alii caſus.

145. Eodem modo reſolutio facienda eſt de duobus caſibus ſequentibus. Primus, an ille, cui mutuo pecunia petitur, quam re vera habet, ſed non tenetur mutuare, poſſet juramento firmare, ſe pecunias minimè habere, intelligendo, *ut mutuo dem?* Omnes admittunt id poſſe, qui ex juſta cauſa uſum reſtrictionis mentalis licitam admittunt. Sed merito oppoſitum tenent, qui nobiſcum illicitum talem uſum reſtrictionis puro mentalis, etiam ex juſta cauſa defendunt: quia tunc non aliter à mendacio ille liberaretur, niſi conformando verba exterius prolata cum illo conceptu mentis recondito, quem verba nullo modo exterius ſignificant. Sic expreſsè Soto *loco citat. de ſecreto, memb.* 3. *quæſt.* 3. Et cum eo Henriquez *lib.*6. *de pœnit. capite* 19. *numero* 8. *in commento, littera K.* ¶ Secundus caſus eſt, an mercatores, qui non poſſunt iuſtum pretium ab emptoribus obtinere, poſſint cum æquivocatione iurare tanti, vel tanti ſibi mercedem ſtare, ſubintelligendo illam cum alia merce? Omnes ſimiliter affirmant, ut licite poſſent uſque dum aſſequi iuſtum pretium ab emptoribus valeant, qui æquivocationis ex pura reſtrictione mentali uſum, ut licitum ex iuſta cauſa admittunt: & idem dicunt de emptoribus, qui poſſunt cum æquivocatione dicta iurare aliàs minoris emiſſe, ut ſic venditores deſcendant ad iuſtum pretium. Sed in utroque caſu id licitum eſſe negandum eſt à nobis, & omnibus, qui puram reſtrictionem mentalem non concedimus: quia tunc non datur alia æquivocatio in verbis, niſi quam loquens ex addito in mente illis imponit. Poterit tamen vendens iurare ſibi tanti mercedem ſtare, ſi penſatis omnibus expenſis, tanti moraliter ſibi extitiſſet.

146. Rogabis denique, an reus iuridicè interrogatus à iudice, (& idem eſt de teſti) peccet mortaliter utendo amphibologiis in confeſſione, aliter reſpondendo verbis, ac intelligit, qui iuridicè interrogat? Et idem eſt in contractibus onerosis, in quibus iure, aut conventione partium exigitur iuramentum, an peccet mortaliter, qui ex contrahentibus amphibologia utendo iurat aliter, ac alius intelligit, & exigit ipſe contractus? Reſpondetur, in utroque caſu mortaliter ſine dubio peccare. In primo quidem: (etiamſi reus manifeſtata veritate damnandus ſit ad mortem) quia tranſgreditur iuſtum præceptum Superioris in re gravi, & juſta, cum teneatur ex iuſtitia legali, ſeu obedientia, Superiori legitimè interroganti, legitime reſpondere. In ſecundo, quia alteri iniuriam irrogat, eum in re gravi decipiendo, & contractum ſine debitis circumſtantiis celebrando. Candid. *diſquiſ.* 23. *artic.* 3. *dub.* 5. & 21. Sotus, *lib.*8. *de iuſtitia*, *quæſtione* 1. *artic.*7. *ad* 4. Leſſius *lib.* 2. *capite* 42. *dub.* 9. *numero* 46. Sanchez *lib.*3. *capite* 7. *numero* 1. & communiter Doctores. ¶ Hinc fit eum, qui à iudice legitimè, & iuridicè interrogaretur de crimine, quod à ſe quidem immediatè non eſt commiſſum, ſed ab alio, nomine tamen ipſius, cui ipſe illud præcepit, & negaret ſub iuramento non commiſiſſe tale crimen, peccare mortaliter, & eſſe periurum: quia illud iuramentum accipiendum eſt ſecundum legitimum verborum ſenſum, quem habent per ſe, & ex communi uſu, vel in quo Canones, & leges illud accipiunt, in quibus facere dicitur, non ſolum, qui exequitur, ſed qui fieri mandavit. Sanchez *numero* 3. Azor. *tomo* 1. *lib.*11. *capite* 8. *quæſtione* 2. ¶ Immò qui iuridicè de delicto interrogatur, illud negare non poteſt, etiamſi ſe ab eo eſſe liberum iudicet:

Reus, qui iuridicè interrogatur à iudice etiam cum periculo mortis, tenetur aperire veritatem.

dicet : quia de eo confeſſus in Sacramento eſt : quia adhuc habet ius Superior de illo Interrogandi ad puniendum in foro externo. Sic citati.

Reus, qui ſemel in iudicio negavit veritatem, non tenetur ſe iterum præſentare ad illam aperiendam.

147. An vero reus (idem de teſte) legitime à judice interrogatus, ita ut mortaliter teneatur abſque ambiguitate verum dicere, ſi negavit veritatem, aut amphibologicis verbis ſubtexuit, abſolvi non poſſit à confeſſario, niſi iterum ſponte redeat ad judicium ad detegendum ſincerè veritatem, etiamſi iterum non rogetur? Reſpondetur, quod licet aliqui non improbabiliter dicant non poſſe abſolvi, & eſſe in continuo peccato, quandiù non retractat ſe in judicio; verius judicamus oppoſitum, poſſeque à confeſſario abſolvi, ſi cum dolore de præterita culpa proponat, ſi iterum interrogetur, verum aperire, & ſatisfacere parti, ſi poteſt alia via, quæ fortè per tale perjurium aliquod paſſa eſt detrimentum. Quia hic in tali perjurio non peccavit contra juſtitiam commutativam, ſed præter perjurium peccavit contra juſtitiam legalem, vel obedientiam debitam judici legitime interroganti; & ſi contra juſtitiam peccavit aliam partem lædendo, poteſt aliis viis illi ſatisfacere: ergo rectè diſpoſitus accedit, ſi habeat dolorem de præterito, & propoſitum emendationis in futurum, & animum ſatisfaciendi parti læſæ, ſi alia via poteſt; ſi enim alia non poſſet damnum illud reſarcire, jam ex hoc capite teneretur iterum in judicio, etiam non vocatus comparere, ut detegeret veritatem, non quia judicem fefellit, aut obedientiam illius violavit, ſed ad ſatisfaciendum parti læſæ, cujus damnum non poteſt alia via reparare. Sic Sanchez *lib. 3. capite 7. numero* 8. Philiarchus, *de officio ſacerd. tomo 1. parte 2. lib. 4. capite* 25.

PUNCTUM IX.

De prava jurandi conſuetudine quando detur? quæ peccata in illa? & quomodo confitenda?

Quam officioſa ſit conſuetudo iurandi?

148. Nihil in mundo eſt frequentius, & magis in confeſſionibus repetitum, quàm prava, & inveterata jurandi conſuetudo; nihil ita difficulter evellitur ex homine aſſueto perjuriis, quàm hæc inclinatio, & propenſio, quæ illum uſque ad interitum æternum perducit: nihil magis animabus nocivum, quàm illas repetitis, & frequentibus juramentis aſſuefacere, ob idque Chriſtus Dominus juramenta fidelibus fugienda præcepit: *dico vobis non iurare omnino.* Matth. 5. quia ut exponit D. Thom. *quæſtione* 89. *artic. 2. ad 1. ne ſcilicet iurando ad facilitatem iurandi perveniatur, & ex facilitate ad conſuetudinem, & à conſuetudine in periurium decidatur.* Et ideò Ioannes XXII. in Bulla 5. incipiente: *Glorioſam Eccleſiam* §. 19. ſic ait: *ad hoc tantum iuramentum eſſe prohibitum, ne iurando facilitas frequentiam, frequentia conſuetudinem, conſuetudo periurium introducat.* De hac igitur conſuetudine agimus in præſenti, & ut in puncto hoc adeò neceſſario clarius procedamus, illud diverſis paragraphis dividemus.

§. I.

Aliqua apud Doctores communia circa hanc materiam recenſentur, & declarantur.

149. Conſuetudo nihil aliud eſt quàm quædam facilitas, & pondus in voluntate exiſtens, cauſata ex repetitis, & frequentibus actibus, inclinans hominem ad actus eiuſdem rationis, inducenſque ad ſimiles actus frequentandos, ac proinde per conſuetudinem alicujus vitii, illum habitum vitioſum, permanenter, & habitualiter, in homine relictum, intelligimus, qui ex frequentia actuum relinquitur, & generatur. Unde poteſt accipi conſuetudo, vel *effectivè* pro actibus præteritis frequentatis collectivè ſumptis, quibus inducitur conſuetudo, qui ſunt cauſæ conſuetudinis; vel *formaliter* pro ipſo termino, ſeu effectu habitualiter permanente ex hujuſmodi frequentia actuum cauſato, & inducens, ac impellens hominem ad tales actus, maxime in his, in quibus virium quaſi in naturam adolevit: ob idque hominem conſtituit in periculo proximo ſimiles actus exequendi, quod paſſim experimur in his, qui ob frequentiam juramentorum ſunt juramentis multum aſſuefacti. § Differt vero conſuetudo proxima ab occaſione, quod licet utraque trahat periculum proximum lapſus, tamen hoc periculum in occaſione provenit ab extrinſeco impellente, ut in eo, qui domi habet concubinam, unde abſque difficultate paratur ruina; in conſuetudine autem provenit ab intrinſeco habitu, nulla extrinſeca occaſione amovibili ad id excitante

Quid ſit conſuetudo declaratur.

150. Hujuſmodi autem conſuetudo in præſenti multipliciter accidit: vel enim eſt conſuetudo jurandi falſum, & ad perjuria attrahens, & impellens: vel iurandi ſine advertentia an verum, vel falſum ſit, quod iuratur: vel conſuetudo iurandi abſque neceſſitate, ſed cum advertentia ut verum ſemper iuretur. Et hæc dupliciter contingit, vel ita ut ſit etiam mendaciis aſſuetus, ob quod ſit in periculo, ut unum cum alio coniungat: nam qui habet conſuetudinem inconſideratè iurandi, & aliàs etiam mentiendi eſt in occaſione, & periculo, ut iungat iuramentum cum mendacio: vel eſt talis conſuetudo abſque hac prava circunſtantia. Vel denique eſt conſuetudo iurandi, ſed advertendo ad iuramentum, & non quod ſit verum, vel falſum: vel conſuetudo non advertendi etiam quando iuramentum emittitur, an ſit iuramentum, vel non: verum; vel falſum.

Quot modis conſuetudo pejerandi contingat?

151. Et ut intelligatur, quid ſit eſſe in malo ſtatu, vel in ſtatu peccati, qualiter dicitur eſſe, qui in conſuetudine eſt peierandi: ſciendum eſt. Quod tripliciter dicitur hominem eſſe in ſtatu peccati mortalis: vel cum actualiter peccat, & dicitur eſſe in ſtatu peccati actualis: vel poſtquam peccatum commiſit, permanet cum macula habituali peccati habitualis, quæ relinquitur ex actu præterito, & eſt privatio gratiæ habitualis, manetque in homine quandiù non iuſtificatur, vel per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento, per quam iuſtificationem tranſit homo ab ſtatu peccatoris, & inimici Dei, ad ſtatum iuſti, & amici: & cum eſt in proxima, & immediata occaſione peccandi, quomodo eſt in ſtatu peccati mortalis. Quem ſtatum aliqui putant medium inter ſtatum peccati actualis, & habitualis. Sed immeritò. Quia hic in ſtatu pec-

Eſſe in ſtatu peccati mortalis poteſt accidere tribus modis.

cati actualis per omiſſionem voluntariam exiſtit: ſicut qui omittit reſtituere cum poteſt, ſemper ac advertit ad talem obligationem peccat actualiter, vel novo peccato numero à præcedenti, vel eodem cum illo continuato moraliter. Sic qui non curat diſſipare pravam conſuetudinem, eum in periculo proximo labendi conſtituentem, ſemper ac advertit ad talem obligationem peccat actuali peccato omiſſionis, ſi non curat illam extirpare.

Quando eſt peccatum mortale ponere, vel conſervare pravam conſuetudinem?

152. Pro quo eſt advertendum, quod ponere vel retinere occaſionem, vel periculum proximum, aut conſuetudinem peccandi, eſt actuale peccatum, diſtinctum ab eo, per quod talis conſuetudo inducitur, vel conſervatur. Ponit autem occaſionem, vel conſuetudinem proximam peccandi, qui periculo illius præviſo pergit frequentando actus, quibus ſe conſtituit in eo habitu, & conſuetudine, unde facile in talia peccata ruit. Retinet tamen, & conſervat talem pravam conſuetudinem culpabiliter, qui advertens periculum ex facilitate illius proveniens, & facilitatem ad lapſum, negligit illam evellere, aut non ponit media efficacia; quibus illam poſſit extirpare. Sicut concubinarius, qui advertens periculum ex retentione fœminæ in domo proveniens, non curat tollere occaſionem, ſemper eſt in peccato actuali, quoties advertit, & non facit quidquid poteſt ad tollendam talem occaſionem.

Conſuetudo paſſim iurandi, ſed verum, non eſt mortale peccatum.

153. Supponendum eſt etiam ut certum apud doctores, conſuetudinem paſſim, vel frequenter jurandi, ſed cum advertentia, ut non falſum juretur, non conſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis, nec eſſe obligationem ſub mortali illam extirpandi. Nam vel talis conſuetudo ſunt ipſi repetiti actus, & frequentes, ut quidam volunt, vel eſt habitus, & facilitas ex illis relicta impellens ut de facili actus frequententur, quocumque modo accipiatur non habet majorem malitiam, quàm illi actus, quibus conſuetudo generatur: cum ergo actus illi ſint juramenta emiſſa cum comite veritatis, licet abſque comite judicii, & diſcretionis, quæ juramenta ſolum ſunt venialia peccata, ut ſæpius diximus, fiet inde conſuetudinem ad tales actus impellentem non conſtituere in ſtatu peccati mortalis, nec cum obligatione ſub mortali eam extirpandi: maximè quia in hoc caſu nullum ſubeſt periculum graviter pejerandi, ob quod ſit in proxima occaſione peccati mortalis: quia ſolum eſt periculum pejerandi ſine judicio, quod ſolum eſt perjurium veniale. Quare non eſt major obligatio extirpandi hanc conſuetudinem, præciſo ſcandalo, & aliis extrinſecis circunſtantiis, quàm vitandi actus, ex quibus procedit, & ad quos propendit, vel allicit. Sic Sanchez *lib. 3. ſumm. cap. 5. num. 9.* Suarez *de relig. tom. 2. lib. 3. cap. 6. num. 4.* Prado *tom. 2. cap. 32. quæſt. 8. num. 17.* Palaus *tract. 14. diſ. 1. punct. 9. num. 2.* Bonacina *tom. 2. diſ. 4. quæſt. 1. punct. 13. num. 2.* Leander *tom. 2. decalog. tract 1. dub. 8. quæſt. 3.* Fagundez *lib. 2. cap. 8. num. 5.* Trullench. *lib. 2. cap. 1. dub. 20. num. 4.* Ledeſma *tom. 2. ſumm. tract. 11. capite 2. dub. 1.* & *capite 5. dub. 4. & 5.*

Extenſio præcedentis doctrinæ.

154. Atque idem dicimus quando conſuetudo jurandi, ſed cum advertentia, ut verum juretur, conjungitur cum conſuetudine mentiendi abſque juramento. Quia quælibet conſuetudo ex frequentatione venialium proveniens, ſolum generat facilitatem, & ſic periculum ad ſimiles actus veniales: hic ſolum eſt conſuetudo ex frequentia venialium proveniens: ſolum ergo generat inclinationem, & periculum jurandi ſine mendacio, vel mentiendi ſine juramento, quod totum eſt veniale; non vero conjungendi juramentum cum mendacio, quia huic actui minime eſt aſſuetus, ſed ad oppoſitum. Unde ſi aliquando fortaſsè iuret falſum, id per accidens erit, & aliàs, non ex conſuetudine: ſicut quilibet alius, qui in ſingulare labitur peccatum. Prado *numero 19.* Fagundez *numero 7.* Leander *quæſtione 4.* Trullench. *numero 5.* Suarez *numero 2.* Sanchez *numero 10.* Palaus *numero 3. contra* Ledeſmam, & Bonacinam *locis citatis.*

In ſtatu eſt peccati mortalis, qui habet conſuetudinem peierandi, & non tollit.

155. Denique ſupponendum eſt, eum, qui pravam conſuetudinem habet falſum iurandi, vel iurandi ſine cautela an ſit verum, vel falſum, quod iuratur: vel mentiendi, non curando an firmet, vel non iuramento mendacium, eſſe in ſtatu peccati mortalis, & toties peccare mortaliter, quoties advertit ad pravam illam conſuetudinem, & periculum peierandi, quod ſecum affert, & illam extirpare non ſollicitat, eo ſane modo, quo diximus de eo, qui eſt in mora reſtitutionis, *tomo 3. de iuſtitia, tractat. 13. de reſtitutione, capite 1. numero 361.* quia hic ſemper eſt in periculo proximo, & occaſione peccati. Unde ſicut peccat mortaliter, qui non avertit periculum proximum, & occaſionem peccati mortalis, ſic ille, qui eſt in prava illa, & inveterata conſuetudine peierandi, tenetur quoties advertit eam extirpare conare; & ſi non facit, & in ea vult perſiſtere, eſt in ſtatu peccati mortalis. Sic Raphaël de la Torre *2. ſecunda quæſtion. 98. artic. 3. diſ. 2. concluſione 3.* Petrus de Ledeſma, *tomo 2. tractat. 11. capite 5. dub. 4.* Prado *numero 20.* Sanchez *numero 16.* Trullench. *numero 5.* Palaus *num. 4.* Leander *quæſtione 5.* Et eſt communis. ¶ Redditur autem involuntaria talis conſuetudo, quando quis de præteritis efficaciter dolet, firmiterque proponit emendam, & aufert externas occaſiones peierandi: quia hoc ipſo iam curat eam extirpare. ¶ At vero, qui dictam habet pravam conſuetudinem, ea non obſtante, ſi aliquando advertat ſe verè, ac iuſtè iurare, licet abſque cauſa, aut iudicio diſcretionis iuret, non peccat mortaliter: quia non eſt unde iſte actus mortaliter vitietur, ad quem prava illa conſuetudo ſolum ſe habet materialiter. Sanchez, Suarez, Palaus, Leander, Trullench.

---

§. II.

An juramenta provenientia ex prava conſuetudine jurandi, abſque plena tamen advertentia emiſſa, & indeliberatè, ſint peccata mortalia?

Ei, qui retractat efficacitet malam conſuetudinem, iuramenta inconſiderata non imputantur ad culpam mortalem.

156. IDem, quod in præſenti diximus de conſuetudine peierandi, cenſendum eſt de conſuetudine blaſphemandi. Et ſupponendum eſt primo, quod ſive talia inconſiderata iuramenta proveniant ex conſuetudine paſſim iurandi falſum, vel ex conſuetudine iurandi abſque debita veritatis indagatione, ſi huiuſmodi conſuetudo interrumpatur per efficacem propoſitum emendæ, poſtea iuramenta ex illa indeliberatè provenientia, non fore peccata mortalia, quamvis ea frequentius reperiantur in eo, qui tali conſuetudine eſt affectus, quàm in alio: quia hoc ipſo quod

per

per dolorem efficacem illa interrumpantur, jam talia juramenta non ſunt ipſi voluntaria, & ſic minimè impotabuntur illi ad culpam, non quidem ſunt voluntaria formaliter directè, & in ſe, ut ſupponimos, quia ſunt indeliberata, & abſque plena advertentia, & libertate emiſſa: nec etiam indirectè, interpretativè, & in cauſa, quia cum talis cauſa ſit jam interrupta, per retractationem non poteſt influere voluntarietatem in ſubſequentia juramenta; unde talis inadvertentia erit purè naturalis, qualis eſſet in eo, qui abſque tali conſuetudine juraret. Petrus de Ledeſma *tom.2.Sum.tract.*11.*cap.*5. *dub.*4.*dict.*3. Fagundez *lib.*2. *cap.*8. *num.*9. Sanchez *lib.*3.*c.*5. *num.*19. Leander *tract.*1. *diſ.*8. *quaſt.*9. Diana 3. *part. tract.*5. *reſol.*62. Suarez *lib.*3. *cap.*6. *num.*8. Trull. *lib.*2 *c.*1. *dub.*20. *n.*11. Laym. *tom.*1. *lib.*1. *tr.*2. *cap.*3. *num.*6.

Quando indeliberata juramenta oriuntur ex conſuetudine, ut ex cauſa.

157. Secundo ſupponendum eſt, nos loqui in præſenti de his juramentis indeliberatis quando procedont ex prava conſuetudine tanquam ex cauſa. Si enim ex alia cauſa procederent ab habente talem inveteratam conſuetudinem, & non ex illa, ſed aut ex repentino iræ impetu, aut ex immoderata ad rem affectione, aut nulla paſſione, aut conſuetudine movente; ſed mera oblivione naturali, quæ in his, qui habent conſuetudinem poteſt accidere, ſicut in aliis. Licet Cajetan. 2.2. *quaſt.*98. *art.*3. *fine.* Navar. *cap.*12. *num.*6. Toletus *lib.*4. *cap.*22. *num.*8. Sayrus *lib.*5. *cap.*4. *num.*17. dicant, adhuc eſſe mortalia: quia ratione illius pravæ conſuetudinis ita affectus eſt, ut ſi adverteret tale juramentum eſſe falſum, non deſiſteret ab eo: oppoſitum eſt tenendum, quia cum in illis caſibus non ſit conſuetudo cauſa inadvertentiæ, non poterunt iuramenta eſſe voluntaria io illa, ſicut in cauſa. Illa tamen affectio, & proclivitas habitualis ſolum eſt inclinatio ad peccatum, noo ut peccatum. Habitus namque nec meremur, nec demeremur: nam ut bene arguit Auguſt. contra Pelagianos: *Non imputat Deus nobis, quod faceremus ſi hoc, vel illud occurreret; ſed quod actu facimus.* Sotus *lib.* 8. *de juſtitia, quaſt.*2. *art.*3. *ad* 3. *verſu unum autem.* Ledeſma *ſup.dub.*4. *verſic. lo tercero ſe prueba.* Valentia 2.2. *diſ.*6. *quaſt.*7. *punct.*3. Raphaël de la Torre 2.2. *quaſt.*98. *art.*3. *diſ.*3. Prado *cap.*32. *quaſt.*8. *num.* 28. Trullench. *num.*11. Sanchez *num.*23. Suarez *lib.*3. *cap.*7. *n.*5. ¶ Verum eſt, quod qui aſſuetus eſt iurare falſum, ut in plurimum, jurando ſine advertentia, an iuret; vel non: an verum; vel falſum, movetur, excitaturque à conſuetudine, & cum ex frequenter contingentibus ſit judicandum, in dubio, niſi de oppoſito conſtet, credendum eſt talia indeliberata iuramenta à conſuetudine oriri, tanquam a cauſa.

Status quæſtionis amplius declaratur.

158. Quærimus ergo, an io eo, qui per efficacem dolorem non retractavit conſuetudinem, ſint peccata mortalia periurii, iuramenta abſque plena advertentia, & deliberatione emiſſa, quæ io alio, qui talem conſuetudinem non haberet, non eſſent mortalia, ob defectum plenæ libertatis? Et hoc intelligitur ſive iuramentum ſit re ipſa falſum; ſive verum, ſed abſque indagatione veritatis emiſſum: quia quod verum, vel falſum ſit à parte rei tale juramentum, eſt per accidens; quemadmodum ſi adhibita diligentia debita iurandi verum, ſi poſtea falſum ſit, quod iuratur eſt per accidens ad formalem rationem juramenti, & ideo non eſt periurium: ſic ea non oppoſita, quod ſit re ipſa verum, quod iuratur, per accidens eſt ad rationem formalem periurii. Quare ſi ſemel conſuetudo facit, ut iuramenta cum inadvertentia emiſſa, ſint peccata mortalia, ſi in ſe re ipſa falſa ſint, eo quod voluntaria ſunt in cauſa, nimirum in conſuetudine, quæ eſt cauſa illorum: etiamſi à parte rei ſint vera, ſed abſque debita indagatione emiſſa, & ſi ſubita ſint, & involuntaria, erunt etiam peccaminoſa, quia talis carentia debitæ indagationis fuit voluntaria in cauſa. Sic Sanchez *lib.*3. *cap.*5. *num.*30. Suarez *tom.*2. *de religione lib.*3. *de iurament. cap.*8. *à n.*1.

Sententia, quæ dicit nõ eſſe in ſe peccata indeliberata periuria, quæ ex prava conſuetudine cauſantur.

159. His poſitis, ad quæſitum prima ſententia reſpondet. Iuramenta prolata ex inadvertentia formali, per ſe ſufficienti ad excuſandum à mortali, ſi conſuetudo non eſſet, non eſſe in ſe nova peccata mortalia, propter ſolam iurandi conſuetudinem, qualiſcumque iſta ſit, etiam non retractata, ſed ſolum in cauſa: ideoque non eſſe neceſſario illa diſtinctè confiteri quot fuerit, ſed cauſam, ſeu conſuetudinem declarare, vel negligentiam in ea extirpanda. Probatur primo, quia actus, vel omiſſiones, qui in ſe non ſunt voluntarii, ſed in ſua cauſa, in ſe non ſunt peccata, ſed effectus peccati, & ſolum ſunt peccaminoſa in ſua cauſa, ut in eo, qui incidit voluntariè in infirmitatem, prævidens inde ſequendas plures omiſſiones ieiunii, recitationis, auditionis ſacri, &c. hæc in ſe ipſis poſtea peccaminoſa non ſunt, ſed in cauſa, quia non ſunt voluntariæ in ſe, ſed in ſua cauſa uti docent Vaſquez 1. 2. *quaſt.* 94. *cap.*2. & 3. Covarr. *clem. ſi furioſus, part.*2. *num.*4. Curiel. 1.2. *quaſt.*75. *dub.*2. §.2. *concluſ.*3. & alii. Quos referunt N. Salmanticenſes *tom.*4. *de peccatis, tract.*13. *dub.*6. *num.*116. Sed hæc iuramenta indeliberata, in ſe libera non ſont, ſed in ſua cauſa, nimirum in conſuetudine: ergo non ſunt in ſe peccaminoſa, ſed in ſua cauſa. ¶ Secundo, quia nullum peccatum poteſt eſſe niſi directè, vel indirectè ſit voluntarium; ſed hæc iuramenta nec directè, nec indirectè ſunt voluntaria: ergo, &c. Non directè, ut ſupponitur, quia ſunt indeliberata in ſe, & talis inadvertentia fuit in ſe invincibilis, & ſic in ſe directè non ſunt voluntaria, quod omnes concedunt. Nec indirectè: quia id eſt indirectè voluntarium, quod qui poteſt, & tenetur vitare; iſte non poteſt vitare talia juramenta, cum inadvertentia illa ſit invincibilis, & ob conſuetudinem non eſt ad eam vincendam potentior, ſed æque rapitur naturaliter, & æquè deeſt illi medium, quo applicetur ad advertendum, ac alteri, qui talem conſuetudinem non habet. Sic Sanchez *lib.*3. *cap.*5. *num.*28. Palaus *tractatu* 13. *diſ.*1. *punct.*9. *num.*5. Trullench. *lib.*2. *c.*1. *dub.*20. *n.*11. Suar. *tom.*2. *lib.*3. *c.*7 *à n.*3.

Sententia eſt æquo præcedenti oppoſitum.

160. Secunda ſententia dicit omnia talia juramenta in ſe eſſe peccata mortalia, omniaque confitenda, ſicut alia actualia peccata, & per oppoſitam rationem, quæ ſic efformari poteſt. Nam actus, qui in ſe exercitus eſt contra legem, & eſt lethale peccatum, & ſolum excuſatur ex defectu libertatis, ſi ſit voluntarius in ſua cauſa prævisa, quam homo arcere tenetur, non ſolum eſt peccaminoſu in cauſa, ſed in ſeipſo, ut docet D. Thomas 2. 2. *quaſt.*79. *art.*3. *ad* 3. & *quaſt.*154. *art.*4. & 12. & *quaſt.*76. *art.*3. *ad* 3. & ex ipſo, & pluribus Thomiſtis, quos citant, docent N. Salmanticenſes *loco citato, à num* 80. ut qui prævideret ſe in ſomno, vel ebrietate, aliquid facturum, vel omiſſurum, non ſolum

peccat

peccat quando ſe ſomno, aut ebrietati tradit, ſed etiam quando talem actum, vel omiſſionem apponit; ſed iuramenta, de quibus loquimur, ex ſe ſunt peccata mortalia, & contra legem, & ſolum excuſari poſſent à culpa ob defectum libertatis: ergo hoc ipſo quod in cauſa ſint libera, nimirum, in culpa introducendi conſuetudinem, vel ea poſita, in voluntate eam non eradicandi; in ſe erunt lethalia peccata. Et ideo ſi poſt introductam conſuetudinem poneretur excommunicatio contra periuros, talis iurans incurreret illam, non quia cauſa appoſuit, ſed quia hæc iuramenta, ex illa cauſa dimanantia, emiſit. Hanc ſententiam tenet Cajet. 2.2. *q.* 98. *art.* 3. *fine.* Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 3. *quæſt.* 3. Rodr. *tom.* 1. *Summ. cap.* 192. *num.* 11. Ledeſma *tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 5. *dub.* 5. *dict.* 2. *& dub.* 5. *dict.* 3. Valent. 2.2. *diſput.* 6. *quæſt.* 7. *punct.* 3. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 10.

Media via inter duas præcedentes ſententias incedimus.

161. Sed nos ſub hac diſtinctione, media via incedentes, reſpondemus. Nam vel talia iuramenta procedunt ex inadvertentia, qua homo omnino abſorptus, & abſtractus, nec advertit an iuret, vel non: an proferat verba iuratoria, vel alia: vel ita ut licet advertat ſe iurare diſtractus tamen, vel abſorptus, non advertit ad malitiam iuramenti, an ſit negligens in indagatione de veritate rei iuratæ, vel an falſum, vel verum iuret. Primo modo dicimus, quod præciſo ſcandalo, aut alio nocumento extrinſeco (ex hac enim parte eſſe peccaminoſa ob voluntarietatem in cauſa, omnes ex noſtris dicunt) nec in ſe, nec in ſua cauſa, ſcilicet in conſuetudine ſunt talia juramenta peccaminoſa. Si ſecundo modo ſunt indeliberata, nedum in ſua cauſa, ſed in ſe peccaminoſa ſunt. In hac ſecunda parte convenimus cum ſecunda ſententia: tum ob rationem illius. Tum etiam, quia qui advertit ſe jurare, & iurat ſine advertentia ad indagandam veritatem, in hoc ipſo peccat, cum deberet aut non iurare, aut adhibita debita advertentia ad veritatèm, vel falſitatem, jurare. ¶ Prima pars, in qua ab utraque ſententia diſcedimus, probatur. Nam verba iuratoria, aut blaſphema prolata abſque animo iurandi, aut blaſphemandi, & ſi ſint iuramenta, aut blaſphemiæ, materialiter; non vero ſunt vera iuramenta, aut blaſphemiæ, formaliter, uti hoc *cap. diximus num.* 6. ſed qui iurat, aut blaſphemat inadvertenter, taliter, ut nec advertat, an iuret, vel non, an ſint verba, necne iuratoria, quæ profert, non habet animum iurandi, aut blaſphemandi: quomodo enim compatitur voluntas jurandi in eo, qui neſcit an iuret? nihil enim volitum, quin præcognitum: ergo conſuetudo jurandi in eo non eſt cauſa perjurii. Ideoque talia iuramenta ſolum ſunt materialiter talia, & ſic ſolum materialiter vera, aut falſa. Sic N. Salmanticenſes *tom.* 4. *tractatu* 13. *dub.* 6. *num.* 107. Dicaſtillo *de pœnitentia, tractatu* 8. *diſp.* 9. *dub.* 8. *num.* 423. Moya *tractatu* 3. *de pœnitentia diſ.* 3. *quæſt.* 5. *cap.* 1. *num.* 3. Ioannes Sanctius *in ſelect. diſ.* 20. *num.* 5. Raphaël de la Torre 2.2. *tom.* 2. *quæſt.* 98. *art.* 3. *diſp.* 3. præcipuè *in ſolut. ad* 5. Prado *c.* 32. *q.* 8. *n.* 31. *&* 32.

§. III.

Qualiter ſe debeat habere pænitens in Confeſſione pravæ conſuetudinis, & Confeſſor in illius abſolutione?

Teneri perjurium exprimere in Confeſſione conſuetudinem, aliqui affirmant, alii negant.

162. PRima difficultas, quæ ſe offert circa quæſitum huius paragraphi eſt, utrum ille, qui ex conſuetudine iurat, vel aliud peccatum ex conſuetudine facit, circumſtantiam conſuetudinis teneatur confiteri, ita ut non ſolum dicere debeat ſe periurium, pollutionem, aliudve peccatum commiſiſſe; ſed illud ex conſuetudine procedere? Affirmat prima ſententia: quia qui ex conſuetudine peccat, gravius peccat; imò multoties repetitos actus peccati committit ob proximum periculum, in quo eſt, & quoties advertit ad illud: ſic Henriquez *lib.* 9. *cap.* 8. *num.* 5. Fagundez *precept.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. Candid. *tom.* 2. *diſ.* 24. *art.* 23. *dub.* 48. Thomas Hurtado *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 211. ¶ Alii vero negant talem circumſtantiam fore confitendam, ſi ſemel pœnitens rectè diſpoſitus accedat, nec ad ſui directionem indigeat Confeſſarii notitia talis conſuetudinis: tum, quia nemo tenetur repetere ſua peccata in Confeſſione jam ritè confeſſa, ſi autem teneretur confiteri conſuetudinem, qui pejeravit, jam cogeretur repetitos actus præteritos confiteri, quos in aliis Confeſſionibus ritè fuerat confeſſus. Tum etiam, quia quod actus ſit ex conſuetudine cauſatus, non facit eum ſpecie diverſum ab eo, qui non eſt ex conſuetudine: nam actus, qui antecedunt conſuetudinem, & ſubſequuntur ad illam eiuſdem ſpeciei ſunt; ſicut actus virtutis, qui antecedunt habitum, & illum producunt, eiuſdem ſpeciei ſunt, ac actus, qui ſubſequuntur ad habitum, & cauſantur ab eo. Ita Ioannes Sanctius *in ſelect. diſp.* 9 *à num.* 6. Lugo *de pœnit. diſ.* 16. *num.* 201. Bonac. *de ſacrament. diſ.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diff.* 1. *num.* 7. Leander *de ſacrament. tom.* 1. *tract.* 5. *de pœnitentia, diſp.* 8. §. 7. *quæſt.* 18. & alii, quos refert & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 7. *reſol.* 4. Et nos hanc ſequuti ſumus *tom.* 1. *tractatu* 6. *de pœnitentia cap.* 8. *num.* 67. Sed ad hunc locum remittendo pleniorem huius rei indagationem.

Duplex præcedens ſententia reducitur, ad concordiã.

163. Sed utraque ſententia concilianda videtur ſic. Quod ſi loquamur de actu periurii, ut eſt affectus, & coniunctus cum illa circumſtantia conſuetudinis, non erit neceſſarium talem circumſtantiam confiteri, ſed ſufficit actum peccati dicere, ob rationes ſecundæ ſententiæ, quæ in hoc ſolo ſenſu loquitur. At ſi ſenſus ſit, quod qui perjurium, aut pollutionem, ex conſuetudine committit, præter peccatum, quod modo facit, debet exprimere culpam, quam habuit, ponendo, vel admittendo conſuetudinem, prævidens per illam ſe conſtituere in proximo periculo peccandi; vel poſtquam in ea inolevit, illam conſervando, & retinendo, ſine eo quod curet de ea extirpanda, cognoſcens ex ea ſibi imminere paſſim lapſus periculum: proculdubio eſt vera prima ſententia, quod & non amplius intendit, ut ex eius ratione conſtat. Sed hoc modo conſuetudo non eſt circumſtantia peccati, quod modo fit ſed novum peccatum ab eo diverſum. Nam licet ſe conjicere in periculum proximum peccati, non

eſſet

eſſet novum peccatum ab eo, in cuius periculum ſe conjicit, quando moraliter coniunguntur: ut qui ſe ponit in peticulo fornicationis, non eſt novum peccatum ab ipſa fornicatione, ſi moraliter coniungatur cum tali periculo. Omnis enim, qui peccat, prius ſe conjicit in periculo peccati. Quod docent merito Lugo *de pœnit. diſp.6. num.11. pagin. mihi* 594. Bonaciu. *diſ.5. citat. quæſt.5. ſect.2. punct.2.§.3. diff.1. num.7.* Leander *tract.5. de pœnitentia diſ.8.§.7. quæſt.18.* & alii, quos refert, & ſequitur Diana 1. *part. tract.7. reſol.4.* At ſi moraliter diſcontinuetur peccatum ſe ponendi in periculo, ab eo, quod poſtea committitur, ſunt diverſa peccata, in omnium ſententia, in Confeſſione detegenda: ut in concubinario, qui aliud peccatum committit retinendo domi concubinam, quam poſtea illi accedendo; ita qui ſe conjicit in periculum conſuetudinis, vel jam cum prævidet ſe illa illaqueatum, non curat illam avertere, diverſum peccatum committit ab eo, in quo poſtea coofuetudine attractus labitur. Sed illud fortaſsè confeſſus fuit aliis confeſſionibus, vel poſt ultimam curavit de tali conſuetudine evellenda: & tunc currit ſecunda ſententia, quod non tenetur iterum in Confeſſione conſuetudinem explicare.

Eum, qui non tenetur confiteri conſuetudinē, nec etiam teneri reſpondere Cōfeſſario, de illa interroganti aliqui dicunt.

164. Secunda difficultas eſt, an quando non tenetur pœnitens confiteri conſuetudinem, ſi à Confeſſario de illa interrogetur, teneatur illam aperire, vel poſſit negare utendo amphibologicis verbis, vel alia via abſque mendacio? Ioannes Sanctius *in ſelectis diſ.9. à num.6.* totus eſt in probando Confeſſarium ius non habere ad ioterrogandum de conſuetudine peccati, ac proinde pœnitentem non teneri, etiam rogatum, illam manifeſtare. Hanc etiam ſententiam tuentur Granados *tract.9. de pœnitentia diſp.9. num.* 16. Baunius *in theologia morali p.1. tract.4. quæſt.15. dub.12.* Leander *tom.5. de pœnit. tract.5. diſ.8.§.7. quæſt.21. & 26.* Gaſpar Hurtado *de pœnitentia diſ.9. diff. 4.* Ioannes Pontius *in Curſu Theolog. diſp.45. concl.2. num.32.* M. Acatius de Velaſco *tom.1. reſol. moral. verbo Confeſſ. reſol.* 188. *num.*8. *fol.*376. Machado *tom.2. lib.7. part.2. tract.3. document.2.* Tancredo *in quæſtion. moral. diſ.3. quæſt.23. fol.*62. & apud ipſos alii. ¶ Probatur primo hæc ſententia, quia id quod pœnitens tenetur ex ſe ad integritatem Confeſſionis declarare, tenetur, & non amplius à Confeſſario interrogatus reſpondere: quia interrogatio Confeſſoris non addit obligationem, ſed illam potius ſupponit, ideo enim Confeſſor iuſtè interrogat, quia pœnitens habet obligationem confitendi, uti communiter teneut Doctores, Suarez *tom.4. in 3. part. diſ.22. ſect.3. num.*10. M. Texeda *tom.5. theolog. moral. tract.8. quæſt.*18. Ludovicus à Conceptione 2. *part. examinis tr.3. in præludiis notab.3.* Franciſcus Bonæ ſpei *in noctua Velgica, dub.16. reſ.3. num.*468. & alii, quos refert, & ſequitur Diana *part. 5. tract. 14. reſol.*101. Et communiter Doctores aſſerentes, eum, qui non tenetur, circumſtantiam notabiliter aggravantem confiteri, nec etiam teneri Confeſſario reſpondere incautè interroganti; ſed in noſtro caſu, ut ſupponimus pœnitens non tenetur conſuetudinem confiteri: ergo nec rogatus à Confeſſario tenebitur reſpondere. Secundo, quia idem prorſus eſt dicere, Confeſſarium habere jus ad interrogandum de conſuetudine peccandi, ac illud habere ad obligandum pœnitentem, ut idem peccatum bis confiteatur; ſed ad iſtud nullum ius habet, quia ſolum habet jus ad interroganda, quæ neceſſaria ſunt ad cognitionem peccatorum, ſecundum numerum, & ſpeciem, quæ ſine expreſſione conſuetudinis pœnitens poteſt explicare.

Oppoſita ſententia præcedenti.

165. Secunda ſententia dicit, teneri pœnitentem declarare conſuetudinem, ſi de illa à Confeſſario interrogetur. Quia ut ritè, & rectè abſolutio impertiatur, non ſatis eſt, ut pœnitens rectè diſpoſitus accedat, ſed oportet, ut id Confeſſario conſtet, & ipſe jus habet interrogandi ea, quæ neceſſaria ſunt ut ſibi diſpoſitio pœnitentis innoteſcat: ergo ſi ipſe, ut huius diſpoſitionis certior fiat, interroget de conſuetudine, tenebitur pœnitens illam aperire; non quidem ut integra fiat Confeſſio, ſed ut conſtet confeſſario de diſpoſitione pœnitentis, & ſe poſſe licitè, & validè, abſolutionem impendere: ergo licet pœnitens non interrogatus non teneatur manifeſtare conſuetudinem; bene tamen ſi de illa à confeſſario rogetur. ¶ Confirmatur, quia licet confeſſor non habeat jus directè obligandi ad iteratam eiuſdem peccati confeſſionem; bene tamen indirectè, cum aliter certior reddi non poſſit de diſpoſitione pœnitentis, de qua ipſi ad abſolutionem conſtare debet. Sic Sotus *in 4. diſ.18. q.2. art.4.* Vaſquez *de pœnitentia quæſt.91. art.1. dub.3.* Lugo *diſp.16. de pœnitentia, num.*129. Dicaſtillo *de pœnitentia diſp.6. dub.21. num.*577. Henriquez *lib.5. cap.8. num.1.* Tambur. *in method. expedit. confeſſ. lib.2. cap.1.§.1. num.5. fine.* Matthæus de Moya *in ſelect. quæſt. tract.5. diſ.3. quæſt. 5. §.2. num.*13. Diana 1. *part. tract.7. reſol.*15. Clariua *reſol.55. & part.9. tract.9. reſol.66.* ubi aſſerit contrariam opinionem deletam eſſe à Sacra Congregatione indicis ab operibus Santii.

Duo præcedens ſententia concordatur.

166. Sed re bene inſpecta, utraque ſententia (ut reor) conciliari poteſt, & utramque veram eſſe in vero ſenſu intellectam. Sub hac diſtinctione, vel enim pœnitens eſt vir doctus, qui directione Confeſſoris non indiget, vel ad debitè ſe diſponendum ad præcavendum periculum in futurum, vel ad medicinale remedium adhibendum, qui etiam ſcit (& fortaſsè melius ac ipſe Confeſſor) quid confeſſor poſſit, & teneatur interrogare, quid pœnitens aperire, quid ad explicandum numerum, & ſpeciem peccatorum, inter quæ ipſa negligentia in eradicanda conſuetudine eſt enumeranda, & quod ad hoc non eſt circumſtantia neceſſario aperienda illa conſuetudinis, & reſpectu huius verum eſt, quod dicit prima ſententia. Nec auctores ſecundæ contradicunt: quia ipſi in eo inſiſtunt, quod Confeſſor de recta diſpoſitione pœnitentis certificetur: ergo ſi videt virum doctum, qui melius fortaſſe ipſo ſcit quid ad hoc ſit neceſſarium, ſuperflue intertogabit, & alius reſpondere non tenebitur. Si vero pœnitens ſit ruſticus, aut indoctus, qui proprio iudicio fidere non poſſit (quod communiter in mulieribus, & ſæcularibus accidit) qui directione confeſſoris indiget, de cujus recta diſpoſitione dubitare prudenter poſſit Confeſſarius, & cui remedium medicinale ad præcavenda recidiva ſit adhibendum, in hoc caſu vera eſt ſecunda ſententia. In quo ſenſu eam etiam videntur amplecti auctores primæ ſententiæ, dum limitationes huic conformes

doctrinæ addont. Et hoc modo explicat Leander *quæſt. illa 26. in 2. edition.* quod prohibitio Sacræ Congregationis indicis intelligenda eſt, caſu quo pœnitenti conſtet indigere directione confeſſarii ad præcavendum peccatum in futurum, aut quando forte eius explicatio neceſſaria ſit, ut ex peccati iteratione ſumat argumentum Confeſſarius pœnitentem non accedere animo contrito.

Status difficultatis proponitur.

167. Tertia difficultas eſt, an habenti conſuetudinem pejerandi, vel blaſphemaodi, nihil apponenti curæ ad emendam, cum admonitus ſæpe fuerit in aliis Confeſſionibus, poſſit, & debeat confeſſor denegare beneficium abſolutionis, ſi accedat cum dolore de præteritis, & in poſterum emendam firmiter proponat? Certum eſt in bac parte, quod ſi talis admonitus non eſt in aliis confeſſionibus, illi deneganda non eſt abſolutio, ſi probabiliter credatur cum vero dolore accedere: quia per talem dolorem interrumpitur illa conſuetudo, & non eſt præſumendum, quod ſi modo corrigatur, de emendatione non curet. Similiter deneganda non eſt illi, qui jam admonitus aliquam adhibuit curam ad emendam: quia cum non poſſit ſtatim huiuſmodi conſuetudo evelli, non eſt præſumendum non accedere cum vero dolore, qui aliquam adhibet diligentiam pro conſuetudine extirpanda. Quare quæſtio eſt de eo, qui ſæpius admonitus in eodem ſemper ſtatu permanet, nihil ex parte ſua curæ apponendo ut ad meliorem frugem redeat. Tres dantur ſententiæ in hac difficultate, & omnes ſatis probabiles.

Sententia aſſerens cōfeſſariū ex cōſilio poſſe negare abſolutionē periuro cōſuetudinario.

168. Prima aſſerit, quod licet ſalubre ſit conſilium differre abſolutionem, quando creditur profutura talis dilatio, ut vel ſic confeſſione ſuffuſus reſipiſcat, & curet pravam illam extirpare conſuetudinem; at ſi pœnitens cum dolore, & propoſito firmo accedat (in quo confeſſarius illi credere debet, ſicut in aliis, inquit hæc ſententia) poteſt illum abſolvere, & ſi hactenus non curaverit per plures vices admonitus emendari: quia talis nullam habet extrinſecam occaſionem, à qua impellatur, quam auferre ſit in eius poteſtate, ſed ex fragilitate cadit in hoc ſicuti in alia peccata: ergo ſi cum dolore, & propoſito accedat, abſolvi poterit. Sic Sanchez *lib. 2. cap. 32. num. 45. & lib. 3. cap. 5. num. 18.* Palaus *tract. 13. de iuram. diſ. 1. punct 9. num. 3.* Bonac. *tom. 2. diſ. 4. quæſt. 1. de iurament. punct. 3. fine.* Sayrus *lib. 5. theſaur. cap. 5. num. 8.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 3. de iurament. c. 8. fine.* Leander *tom. 2. decalog. tract. 1. diſ. 8. q. 11.* Thomas Hurtado *tract. 1. cap. 6. reſol. 21. num. 206.* qui malè citatur pro aliis ſententiis.

Sententia negans poſſe abſolutionem negari periuro conſuetudinario.

169. Secunda ſententia dicit, quod non ſolum non tenetur confeſſor differre abſolutionem, ſed neque id poſſet ſi cum dolore, & propoſito dicto accedat peccator, in quo pœnitenti credere debet, niſi ex aliqua circumſtantia eum non habere verum dolorem dijudicet, & ob id differre abſolutionem utile arbitretur. Tum quia quando pœnitens eſt dignus abſolutione, tenetur Confeſſarius eum abſolvere; ſed qui cum dolore de præteritis, & propoſito emendæ in futurum accedit, dignus eſt abſolutione: ergo, &c. Tum etiam, quia pœnitens non niſi ſub ſpe abſolutionis eſt confeſſus: ergo illi fit gravis injuria niſi abſolvatur. Tum denique, quia illa conſuetudo eſt intrinſeca, inſeparabilis, & involuntaria, quocumque enim homo pergat, ſemper ſeipſum, & ſoam conſuetudinem qoaſi in naturam verſam affert: ergo ſi de præteritis doleat, & concipiat propoſitum de futuro, nihil aliud eſt in manu ſua: ergo ſemper eſt ei abſolutio impertienda. Sic Henriquez *lib. 6. de pœnitentia cap. 26. num. 5. & 6.* Sylveſter *verbo Confeſſ. 3. num. 12.* Tannerius *diſ. 6. de pœnitentia quæſt. 9. dub. 5. num. 134.* Moure *in Summ. 3. part. cap. 6. §. 9. num. 25.* N. Antonius à Spiritu ſancto Luſitanus *in director. Confeſſer. tract. 5. diſ. 3. ſect. 1. num. 132.* Ioan. Sanctius *in ſelectis diſp. 9. à num. 11.* qui addit: *In hac re caveat Confeſſarius, ne abſolutionem, quam inculpatè poterat impendere, cum damno, vel probabili periculo pœnitentis neget, ſive quia is valde animo dejiciatur, ſive quia ad Confeſſionem redire non audebit; itaque communiter non faciet hoc ſine ipſius pœnitentis conſenſu.*

Poteſt, & debet Confeſſor negare abſolutionem ei, qui non curat tollere conſuetudinem peierandi.

170. Tertia nihilominus ſententia, quam probabiliorem judicamus, dicit: non ſolum ex conſilio poſſe confeſſarium differre abſolutionem in caſu quæſtionis, ſed ad id teneri, niſi ex circumſtantiis concurrentibus verum eſſe dolorem, & firmum propoſitum pœnitentis dijudicet: quia ſcilicet illum videt nimis compunctum, & contritum, lachrymis ſuffuſum, & alia ſpecialia ſigna doloris exhibentem, nec in hoc credendum eſt ipſi pœnitenti, quando nec ipſe ſibimet credere valet, qui toties propoſuiſſe videt, totieſque iterum ad vomitum rediiſſe, quod ſignum eſt manifeſtum abſque vero dolore, & propoſito accedere. Nam ut D. Iſidorus relatus *in cap. inanis, de pœnitentia, diſt. 4.* ait: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum ſanatur tardius. Frequenter peccans, & lugens vix veniam meretur. Nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata. Nihil valet veniam de malis poſcere, & mala denuò iterare.* Ratio huius ſententiæ eſt: quia eſto aliquando poſſit contingere; ut habens talem conſuetudinem efficaciter doleat, & firmiter proponat, regulariter oppoſitum contingit, quando qui ter admoniti à Confeſſario conſuetudinem non interrumpunt, qui nec verè pœnitent, nec efficaciter proponunt. Cum ergo debeamus prudenter judicare ex his, quæ regulariter contingunt, non ſolum erit ſalubre conſilium differre abſolutionem, ſed ad id tenebitur Confeſſor. Sic Bartholom. de Medin. *lib. 1. Summ. cap. 14. §. 2. & 4.* Prado *cap. 32. quæſt. 8. num 22.* Ludovicus Lopez *1. part. inſtruct. cap. 25. colum. antepenult.* Trullench. *lib. 2. c. 1. dub. 20. n. 10.* Azor *tom. 2. lib. 11. cap. 3. quæſt. 4.* Rodriguez *tom. 1. Summ. cap. 192. num. 11. in 2. edition.* niſi ex denegata abſolutione ſcandalum aliquod ſequatur, aut aliud extrinſecum inconveniens.

Quæ pœnitentia iniungenda ſit periuro conſuetudinario.

171. Ex dictis infertur, graviorem eſſe pœnitentiam iniungendam ei, qui ex prava conſuetudine peccat, quàm alteri, qui ex mera fragilitate naturali. Nam ut rectè inquit D. Thomas *Opuſcul. 63. Quod iterato peccato gravior eſt pœnitentia iniungenda, vulnus enim iteratum ſi incurratur gravius eſt ad ſanandum.* Vnde erit optimum conſilium pœnitenti, eo conſentiente, aliquam medicinalem pœnam adhibere, ſeu conditionatam, ut pro quolibet peccato, ſi in illud labatur, jejunet eleemoſynam faciat, confeſſionem frequentet, ut vel ſic timore pœnæ à frequentia culpæ deſiſtat. An vero teneatur pœnitens huiuſmodi pœnitentiam acceptare?

ptare? Verius judicamus non teneri: quia nec pro aliis peccatis in futurum præcavendis ſimilis pœnitentia eſt de neceſſitate aſſignanda, nec eſt ſpeciale jus, quod debeat aſſignari, & acceptari pro iſtis. Sanchez *lib.3. cap.4. num.17.* Trullench.*num.10.* Fagundez *lib.2.cap.8.num.21.* Leander *tomo ſecundo, decalog. tractatu 1. diſ.8 quæſt.12.*

Iuramentũ emendationis petendũ non eſt ab eo, qui pravam habet conſuetudinem.

172. An vero poſſit, aut debeat à pœnitente exigere juramentum Confeſſarius de emendatione in poſterum facienda? Reſpondetur negativè, quod nec ab habente conſuetudinem, nec ab exiſtenti in proxima occaſione, non eſt petendum iuramentum, quod illam abjiciet: quia cautio iuratoria exigi non debet, cum ſit nimis oneroſa, niſi in caſibus à iure expreſſis, uti eſt quando abſolvitur excommunicatus notorius, *cap. ſolet, de ſentent. excommunicat. in 6.* Ab incendiario Eccleſiarum, *cap. peſſimam 23. quæſt.8.* à mutilatore membrorum *cap. ſi quis membrorum eadem cauſ. & quæ:* à manifeſto raptore, aut Eccleſiæ violatore, *cap. ſuper eo, de raptor.* ab uſurario publico, *cap. quamquam, de uſuris in 6.* ab iniuriante publicè perſonas Eccleſiaſticas, *cap. quiſquis 17. quæſt.4.* & in his caſibus cautio juratoria exigitur, ut parti læſæ ſatisfaciat. Sed in iure expreſſum non eſt, quod ab habente conſuetudinem, vel occaſionem proximam exigatur juramentum, aut cautio juratoria: ergo eam non poterit exigere Confeſſarius. Quod expreſsè habetur: *in cap. Clericos, de cohabitation. clericor.* Vbi Alexander III. dicit: Crebris exhortationibus, acribus reprehenſionibus, exemplis, &c. iſtum miniſter debet exhortare, & terrere, ut ſic veram habeat contritionem, & dolorem, cum propoſito non relabendi, ut abſolutionis ſacramentalis capax fiat: nec enim per votum, aut juramentum, illi novum vinculum adjicere debet, ſic enim gravior erit relapſus. Solet enim eſſe tentatio non parva, quod qui conſuetudinem peccandi habent, votum faciant, vel iuramentum de non iterum peccando, ut ſic profundius cadant; & quod erat unum, fiat duplex peccatum. Dictum huius numeri tenent Suarez *de pœnitentia diſ.32. ſect.2. num.3.* Navarr. *in Summ. cap. 26. num.2.* Sylveſter *Confeſſor.4. numero ſeptimo.*

CAPUT III.

De Votorum, & Juramentorum relaxatione.

DIVERSIS modis poteſt ceſſare obligatio voti, aut juramenti. Qui omnes nomine generico *relaxationis* comprehenduntur; licet enim *relaxatio* propriè accipiatur pro remiſſione juramenti facta ab habente poteſtatem juriſdictionis, ideoque quod in voto dicitur *diſpenſatio*, in iuramento propriè dicitur *relaxatio*. Tamen iam communiter auctores nomine relaxationis utuntur ad ſignificandam quamcumque voti, vel juramenti, remiſſionem, & hoc modo nos in præſenti ſimili modo utemur. Igitur quinque modis obligationem voti, aut iuramenti, ceſſare poſſe, omnes confitentur. Nimirum, irritatione, diſpenſatione, commutatione, ceſſatione finis, vel notabili ſuperveniente mutatione rerum: de quibus hoc capite agemus. Plura, quæ in præſentiarum dicenda ſunt, ſunt communia pro votis, & iuramentis. Aliqua ſpecialiter ad iuramenta ſpectant. De his priori loco agemus, ut poſtea de communibus utrique vinculo ſermo fiat. Hoc Caput continet decem & octo Puncta.

PUNCT. I. *QVot modis poſſit obligatio iuramenti ceſſare?* n.1.

PUNCT. II. *Qualiter ceſſatione finis, & rerum mutatione, ceſſet obligatio voti, aut iuramenti*, n.15.

PUNCT. III. *De irritatione votorum, & iuramentorum, quo iure conveniat? & in quibus Superioribus ſit facultas ad illam?* n.24.

PUNCT. IV. *De irritatione votorum regularium à ſuis Prælatis facienda*, n.36.

PUNCT. V. *Quæ filiorum vota valeant parentes, tutores, & curatores, irritare?* n.44.

PUNCT. VI. *De votis uxorum, quæ poſſunt à viris: & de virorum votis, quæ poſſunt ab uxoribus irritari*, n.55.

PUNCT. VII. *Quæ vota ſervorum poſſunt domini irritare?* n.60.

PUNCT. VIII. *Aliqua difficultates enodantur circa votorum irritationem hactenus ſtabilitam*, n.64.

PUNCT. IX. *Qualiter per diſpenſationem voti obligatio relaxetur?* n.76.

PUNCT. X. *De his, in quibus iure ordinario reſidet poteſtas in votis diſpenſandi*, n.83.

PUNCT. XI. *De facultate, quam habent Prælati regulares diſpenſandi cum ſuis ſubditis in votis: & de illa, quam habent Confeſſarii regulares reſpectu ſæcularium*, num.88.

PUNCT. XII. *Quorum votorum diſpenſatio, aut commutatio, ſit ſolum Pontifici reſervata? Et quo modo ſit talis reſervatio intelligenda, & interpretanda?* n.99.

PUNCT. XIII. *De cauſa requiſita ut voti cuiuſcumque diſpenſatio valide,*

lidè, & licitè impendatur, n.117.
PUNCT. XIV. *Quid ſit votorum commutatio, & quorum auctoritate, ac poteſtate fieri debet?* n.126.
PUNCT. XV. *De materia ſubrogata, in quam fieri debet commutatio ab habente ad illam facultatem,* n.137.
PUNCT. XVI. *De cauſa requiſita ad licitam, & validam voti commutationem,* n.144.
PUNCT. XVII. *De commutatione, quæ poteſt fieri per Bullam Cruciatam, vel per Iubilæum* n.150.
PUNCT. XVIII. *Vtrum poſt commutationem factam, & acceptatam, ſit reditus ad priorem materiam?* num.164.

PUNCTUM I.

Quot modis poſſit obligatio iuramenti ceſſare?

Qui poteſt relaxare vota, etiam iuramenta facta ſoli Deo.

1. MULTOTIES hoc tractatu diximus juramentum poſſe emitti ſolum in honorem, & cultum Dei, quando nimirum aliquid ſoli Deo, aut Sanctis (quatenus aliquid Dei ſunt in eis Deus ipſe reſpondet) promittitur faciendum, & ut promiſſio ſit firma juramento confirmatur, & tale juramentum ferè cum voto coincidit; licet enim ſint diverſa ſpecie vincula, tamen communi æſtimatione in ordine ad relaxationem idem iudicium fit de uno, ac de alio. Et poteſt juramentum homini fieri, ſeu de re in utilitatem, & commodum illius cedenti. Loquendo & juramento priori modo, communis Doctorum ſententia tenet, omnes, qui poſſunt vota irritare, de quibus infra dicemus poſſe etiam irritare ſimilia iuramenta: quia cum per illa nulli jus aliquod acquiratur niſi ſoli Deo, qui poteſt promiſſiones Deo factas per vota irritas reddere, etiam poteſt irritare iuramenta, quæ ſolummodo ad Deum diriguntur. Ita D.Thom. 2. 2. *quæſt.*89. *art.*9. *ad* 3. & ibi Cajet. Palaus *tractatu* 14. *diſ.* 3. *punct.*1. *num.*1. Sanchez *lib.*3. *Sum.cap.*19.*num.*2. Trullench. *lib.*2.*cap.*1.*dub.*21. *num.*7. Azor 1. *part. inſtitut. moral. lib.*11. *cap.*10. *fine.* Toletus *lib.*4. *cap.*53.*num.*1. Leſſius *lib.*2. *cap.*42.*dub.*12. *num.*61. Unde quæ infra à nobis dicenda ſunt de irritatione votorum, omnino intelligenda ſunt de huiuſmodi iuramentorum irritatione.

Quid circa quæſtionem ſit certum.

2. Sed non pauca eſt inter Doctores controverſia, an ſi alicui committatur facultas commutandi, aut diſpenſandi in votis, hoc ipſo cenſeatur conceſſa facultas commutandi, aut diſpenſandi iuramenta ſoli Deo præſtita, vel vota juramento firmata, ita ut à vinculo voti, & iuramenti liber maneat? In hoc duo certa judicamus. Primum, quod ſi loquamur de poteſtate ordinaria, qui habet ordinariam poteſtatem diſpenſandi in votis, etiam habet in his juramentis; in hoc nullus dubitat, cum præcipua controverſia ſit, quando per Bullam Cruciatam, Iubilæum, vel aliud privilegium, conceditur facultas ad unum, an cenſeatur ad aliud conceſſa, ut videri poteſt apud Doctores infra citandos. Secundum, quod ſi iuramentum votum confirmat, eique ut acceſſorium adiungatur ut novum vinculum, quo præcedens magis roboretur, qui habet facultatem in votis diſpenſandi, etiam in huiuſmodi iuramentis habet: quia diſpenſato voto, eoque ablato, neceſſario iuramentum illi adhærens, ipſumque confirmans evaneſcet, quemadmodum iuramentum contractum firmans, diſſoluto contractu, non perſiſtit; ſed qui habet poteſtatem diſpenſandi in votis, etiam ea vota relaxare poteſt, quæ ſunt iuramento firmata: quia per hoc quod iuramento firmentur non fiunt vota alterius materiæ: ergo, &c. Sic Leſſius *lib.* 2. *cap.*42. *dub.*12. *num.*60. Sanchez *lib.*8. *de matrimon. diſputatione* 1. *num.*23. *&* *in Sum. libro quarto, cap.*53. *num.*18. *&* 20. Et omnes, quos infra pro noſtra ſententia adducemus.

Cui commiſſa facultas vota relaxandi eſt, etiam vota iurata, aut iuramenta ſoli Deo præſtita.

3. Quæritur ergo, an ſi alicui virtute Bullæ, aut Iubilæi, aut alterius privilegii, facultas concedatur diſpenſandi, aut commutandi vota, hoc ipſo conceſſa facultas cenſeatur diſpenſandi, aut commutandi, quæcumque juramenta ſoli Deo præſtita? Negat prima ſententia: quia vinculum voti, & juramenti ſunt diverſa: ergo per hoc quod ad unum concedatur facultas, non cenſetur conceſſa ad aliud, & ideo ex ſtylo curiæ ſpeciale privilegium conceditur ad diſpenſanda iuramenta, præter illud quod conceditur pro votis. Sic Leſſ. *lib.*2. *cap.*42. *num.*60. Sanchez *lib.*8. *de matrimon. diſ.*1. *num* 23. *&* *in Summ. lib.*4. *cap.*53. *num.*18. *&* 20. Bonac. *tomo ſecundo, diſ.* 4. *quæſt.* 1. *punct.*17. *num.*11. Petrus de Ledeſma *tom.*2. *tractatu* 51. *cap.*4. *diff.*4. Azor *tomo primo, lib.*11. *cap.*10. *quæſtione* 2. ¶ Sed oppoſitum probabilius iudicamus: quia iuramenta ſoli Deo præſtita, vel ſunt idem cum votis ſecundum aliquos, vel certe ex communi hominum æſtimatione, ob affinitatem cum illis, ut vota reputantur: unde licet ſint duo vincula ſpecie diverſa, in ordine ad commutationem, & diſpenſationem reputantur quaſi unum, & eiuſdem rationis; nec unum addit alteri gravitatem intenſivam, ſed ſolum extenſivam: quare facultas conceſſa pro uno, cenſetur conceſſa pro alio, quia *diſpoſitum in uno æquiparatorum cenſetur diſpoſitum in altero, l. tantum, ff. de ſervo corrupto unito, l. ſi quis ſervo, ff. de iurib.* Si quando autem ſtylo Curiæ novum conceditur privilegium pro juramentis, præter conceſſum pro votis, id ob maiorem ſecuritatem fit, ratione dubii, ob probabilitatem contrariæ ſententiæ. Sic Cajet. 2.2. *quæſtione* 89. *art.*9. *in Comment. corp. fine.* Aragon. *ibi concluſ.*4. *&* *quæſtione* 88. *articulo* 12. §. *ſi quis, concluſ.*1. Baſilius Pontius *lib.* 8. *de matrimon. cap.*11. *à num.*4. Prado *tomo ſecundo, cap.*31. *quæſtione* 14. *num.*105. Suarez *tomo* 2. *de relig. lib.*6. *de iurament. cap.*14. *num.*19. Diana *prima parte, tractatu* 15. *reſol.*43. Candid. *diſquiſ.*25. *art.*4. *dub.*1. *&* *art.* 15. *dub.*10. Trullench. *in expoſit. Bullæ Cruciatæ lib.*1. §.7. *cap.*3. *dub.*2. *num.* 3. *&* *in decalog. libro ſecundo, cap.*2. *dub.*43. *num.*3. Mendus *in Bullam diſputat.* 26. *dub.*5. Palaus *tractatu* 14. *diſputatione* 3. *punct.*1. *num.*5. Quare quæ dixerimus circa diſpenſationem, & commutationem votorum, etiam pro his iuramentis accipienda ſunt.

Qui donativum

4. Veniamus nunc ad iuramenta homini præſtita, ſeu in favorem alterius emiſſa. Et

dicendum

habet poteſtatẽ poteſt iuramenta homini præſtita irritare.

dicendum eſt primo : omnes, qui habent poteſtatem dominativam, poſſe ſubditorum juramenta hujuſmodi irritare, ſi ſint de materia ipſis ſubjecta. In quibus autem ſit dominativa poteſtas, & reſpectu quorum, & aliæ circa hoc difficultates, puncto tertio reſolvendæ ſunt, de votorum irritatione agentes, & ibi dicenda, hic proportionabiliter ſunt applicanda. Nunc ſolum univerſalem regulam poſitam pro juramentis homini præſtitis ſtatuimus, quam omnes Doctores amplectuntur cum D. Thoma 2. 2. *q.*89. *art.*9. *ad* 3. ubi dicit : *Ad unumquemque pertinet irritare juramentum, quod à ſibi ſubditis factum eſt circa ea, quæ ejus poteſtati ſubduntur : ſicut pater poteſt irritare iuramentum puellæ, & vir uxoris, ut dicitur Num.* 30. *ſicut & ſupra de voto dictum eſt :* nimirum, *q.*88. *art.*8. *&* 9. ¶ Et hoc modo poteſt Summus Pontifex irritare omnia iuramenta facta circa rerum Eccleſiaſticarum, & officiorum Eccleſiaſticorum diſtributionem, commutationem, reſignationem, &c. circa augenda, vel minuenda beneficia: circa non admittendos Canonicos ultra certum numerum : circa rerum Eccleſiaſticarum alienationes, & in omnibus rebus Eccleſiaſticis, vel quomodolibet ad Eccleſiam pertinentibus : quia ſuper his habet dominativam, & pleniſſimam poteſtatem, ob quam in his iuramentis ſemper tacita conditio ſubintelligitur, de exceptione auctoritatis Pontificis aliter decernentis. Cajet. 2. 2. *q.*89. *art.* 9. *circa ſolut. ad* 3. Sylveſt. *iuram.* 5. *q.* 5. Sanch. *lib* 3. *c.*20. *de iuram.n.*1. Palaus *tract.*14. *diſp.*3 *punct.*2. *n.*1. Trull. *lib.*2. *in decal.c.*1. *dub.*2. *n.*7. Nec ad talem irritationem cauſa requiritur : quia non ſunt omnino abſoluta talia iuramenta, ſed ſub dicta conditione tacita emiſſa, ſicut de aliis irritationibus dicemus infra.

In particulari recenſentur qui iuramenta poſſunt irritare.

5. Similiter parentes, & tutores poſſunt irritare omnia iuramenta filiorum, & pupillorum, quibus firmant rerum ſuarum contractum: quia poſſunt eo caſu parentes, & tutores contractum reſcindere, & ſic iuramenti obligationem relaxare. Non vero poterunt parentes filiorum puberum iuramenta, quibus contractum ſuarum rerum firmant, irritare : quia ratione iuramenti extracta eſt materia ab eorum diſpoſitione. Sotus *lib.*8. *de juſtitia, q.*1. *art.*9. *ad finem.* Ledeſma *tom.*2. *tract.*15. *c.*4 *dub.*1. Sanchez *ſup. n.*1. Palaus *n.*1. Leſſius *lib.*2. *c.*42. *dub.*12. *n.*61. ¶ Similiter omnia pacta religioſorum, & omnis promiſſio etiam iuramento firmata, poſſunt a ſuis Prælatis irritari: quia cum religioſus omni voluntate careat, nil firmum efficere poteſt abſque ſuperioris conſenſu. Sotus *lib.*8. *q.*1. *art.*9 *ad fin. corp.* Sanch. *lib.*3. *c.*20. *n.*3. Palaus *n.*1. *verſ.* 3. ¶ Etiam vir poteſt omnia iuramenta uxoris irritare, etiam in favorem alterius facta, quæ fuerint de materia ſuæ diſpoſitionis ſubjecta, & cum omnia bona uxoris etiam dotalia ſint ſub ditione viri *ex l. doce ancillam. C. de rei vendic.* efficitur inde quodlibet iuramentum de his factum ab uxore poſſe irritari à marito : maximè in Hiſpania, in qua prohibetur uxorem quemcumque bonorum contractum inire ſine conſenſu viri *ex l.* 55. *Tauri, hodie l.*2. *tit.*3. *lib.*5. *recop.* & ſic nullus contractus uxoris iuramento firmatur, poteſtque proinde irritari à marito. Cæterum cum bona uxoris ſolum durante matrimonio ſint diſpoſitioni viri ſubjecta, ceſſante, ſeu diſſoluto matrimonio, de illis non poteſt diſponere maritus. Unde ſi uxor de bonis ſuis diſponat in tempus, quo vel morte viri, vel propria, fuerit diſſolutum matrimonium, & talem diſpoſitionem firmaverit iuramento, hoc iuramentum non poterit irritare vir : quia non eſt de re ſibi ſubjecta. Palaus *tract.*14. *diſ.*3. *punct.*2. *n.*1. Sanch. *lib.*3. *ſum. c.*20. *num.*3. Molina *de iuſtitia, tom.*1. *diſ.*243. *col* 2. ¶ Denique ſi ſervus aliquid iuret in Domini præjudicium, poterit Dominus illud iuramentum, quatenus in ſuum præjudicium vergit, irritare ; in reliquis vero, quæ in eius præjudicium non vergunt, poterit ſervus naturaliter obligari, & ſic addito iuramento firmatur contractus, vel promiſſorio, proindéque non poteſt a Domino tale iuramentum irritari. Sic præcitati auctores. ¶ An vero quando omnes ſupradicti contrahunt cum ſuperioris licentia, poſſint iuramenta ab eis præſtita, ab ipſis dominis irritari, dicemus agentes de irritatione voti, ubi alias difficultates de hac materia decidemus.

In quibus caſibus poteſt Eccleſia iuramenta in favorem tertii emiſſa relaxare.

6. Dicendum eſt ſecundo, eſſe in Eccleſia facultatem relaxandi iuramenta homini præſtita, ſeu diſpenſandi, vel commutandi iuramenta, quæ in alterius commodum emittuntur. Hæc aſſertio certiſſima eſt ſecundum omnes. Quia eſt certiſſimum talem facultatem Chriſtum Dominum Eccleſiæ reliquiſſe, quæ neceſſariſſima erat ad ſalutem, & rectam gubernationem animarum : ſicuti ob id in ea eſſe facultatem diſpenſandi in votis, tametſi eorum obligatio ſit de iure naturali, nemo ambigit ut infrà dicemus. Sed talia relaxare iuramenta, nec Summus Pontifex, nec licitè, nec validè poteſt, niſi graviſſima cauſa interveniente: quia abſque illa iniquum eſſet alterum iure ſibi debito privare. Duplex autem communiter aſſignatur cauſa inter alias ad valorem talis diſpenſationis. Prima, quæ directè concernit bonum commune. Secunda, quæ pœnam creditoris attendit, ob cuius turpitudinem, iure ſibi debito per iuramentum poteſt meritò privari. Ad primam cauſam pertinet quoties ſine detrimento boni communis non poteſt iuramentum obſervari : ut ſi iuret non denuntiare, non accuſare, &c. quia ſine hoc delicta nequeunt rectè puniri: & ſimiliter iuramenta cadentia ſupra contractus lege prohibitos, ut ſi ſe obliget, & iuramento firmet, ſe aliquid daturum tanquam in pœnam ſi ab ſponſalibus reſiliat, quod eſt prohibitum ob bonum commune, *cap. gemma de ſponſal.* ut diximus latè *tom.*2. *tract.*9. *de matrim. c.*1. ſi iuramento firmet ſolutionem de rebus perditis ludo prohibito. Imo in Hiſpania omnia, quæ in ludo ad creditum perduntur, prohibentur ſolvi, aut iuramento ſolutionem eorum promitti, *l.* 8. *&* 9. *tit.*7 *lib.*8. *recop.* Unde talia iuramenta poſſunt à ſuperiore Eccleſiaſtico relaxari, ut diximus *tom.*2. *tract.*14. *c.*4. *n.*62. *&* 63. ¶ Imò dicta iuramenta verè relaxatione non indigent, cum ſint nulla utpotè de rebus illicitis, & contra bonos mores civiles, & naturales, & de rebus contra bonum commune, & ſic non indigent relaxatione iuxta dicta *cap. præced.* An vero, qui ludo vetito perdidit teneatur ſolvere, vel qui ad creditum ludo expoſuit ſolvere teneatur, quod amiſit? Et an victor ſi receperit teneatur reſtituere? Vide quæ *loco citato* diximus. ¶ Eſto tamen talia iuramenta eſſent valida relaxari poſſunt non ſolum à Summo Pontifice, ſed ab Epiſcopo, & à Capitulo in ſede vacante, & à quocumque alio iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habente : quia vel ſunt talia iuramenta in fraudem legis emiſſa, vel turpitudinem ad-

verſus legem, & bonum commune habentia. Sic ut probabile Sanchez *lib. 3. in decalog. cap. 21. numero decimo, & lib. 1. de matrimon. c. 32. num. 14.* Et tenent Gutier. *1. part. de jurament. c. 53. num.* 8. Palaus *tract. 14. diſ. 3. punct. 3. a num. 3.*

In pœnam delicti poteſt Eccleſia relaxare iuramentum in favorem delinquentis factum.

7. Secundo poteſt Eccleſia relaxare juramenta in pœnam delicti commiſſi, vel quia iniquè cum dolo, aut metu, is in cujus favorem factum eſt extorſit juramentum, vel quia aliud commiſit delictum, ob cujus pœnam meritò ab Eccleſia poteſt jure ſibi debito privari: quia ad illam pertinet delicta punire, & injuſtitias tollere. Unde ſicut poteſt in pœnam delicti bonis quæſitis privare, ſic bonis acquirendis, ſeu illis, quæ per impletionem juramenti acquirenda forent. Ratione cujus juramentum obedientiæ, & fidelitatis, præſtitum, excommunicato remittitur, in *cap. non ſanctorum, cap. juratos 15. q. 6.* ¶ Et quidem loquendo de juramento iniquè extorto, vel per dolum, vel per metum, certum eſt apud omnes poſſe relaxari à ſuperiori Eccleſiaſtico: quia per illud nullum jus acquiritur ei, cui facta eſt promiſſio, ſed Deo dumtaxat; Deus autem, ne injuſtus exactor commodum, ob injuſtitiam in extorquendo juramento factam, reportet, Dei vicesgerenti commiſit facultatem illud relaxandi. Quod verum eſt etiamſi juramentum extortum non ſit à creditore, ſed ab alio tertio, etiam inſcio creditore: quia ſemper eſt verum, quod debitor injuſtè vexatur, quæ eſt potiſſima cauſa relaxationis hujus iuramenti. Hanc autem relaxationem præſtare poteſt nedum Summus Pontifex, ſed etiam Epiſcopus, vel quilibet alius iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens: quia licet *in cap. ſi vero, cap. verum de iureiurando* dicatur, hæc juramenta à Summis Pontificibus ſolere relaxari, ſolum ibi Pontifex narrat factum, non tamen facultatem relaxandi ſibi reſervat, & ſic cenſetur eam Epiſcopis remittere, juxta *cap. nuper de ſentent. excommunicat.* Sanchez *duplici loco allegato de matrimon. num. 15. & in decalog. num. 6.* Suarez *lib. 2. de iurament. cap. 41. num. 6. & 7.* Palaus *num. 4* Molina *tom. 1. tract. 2. diſput. 149. fol. 742.* Aragon. 2. 2. *quæſt. 89. articulo 7. circa ſolut. ad 3.*

Extenſio præcedentis doctrinæ.

8. Extenditur doctrina tradita *num. præced.* ut intelligatur non ſolum quando iniquus exactor committit iniuſtitiam ex parte rei iuratæ: quia nimirum cogit iurare, quod ſibi minimè debetur, ut qui cogit alium iurare uſurarum ſolutionem, vel latro, qui cogit iurare, quod dabuntur ei indebitæ pecuniæ; ſed etiam quando ſolum eſt injuſtitia in modo exigendi iuramentum, ut ſi cogat debitorem, ut iuret ſibi ſoluturum aliàs debitam pecuniam, quod tunc datur locus relaxationi iuramenti, eo quod in petitione, ſeu extorſione, talis iuramenti fecit iniuriam, quam ipſe tenetur reſarcire remittendo iuramentum, & ſic cogi poteſt à ſuperiori, ut remittat: quia quoties ſuperior ius habet cogendi ſubditum, ut remittat iuramentum, poteſt per ſe ipſum illud remittere. Suarez *lib. 2. cap. 41. num. 51.* Palaus *diſ. 3. punct. 3. num. 5.* ¶ Secundo poſſunt relaxari talia iuramenta ſaltem pro foro conſcientiæ, etiamſi metu levi fuerint ſolummodo extorta: quia etiam, quæ metu levi fiunt, non omnino ſpontè fiunt, & requiritur quòd iuramentum omnino ſpontaneum fuerit, ut relaxari nequeat, *cap. ſcilicet, cap. accepta de reſtit. ſpoliatorum.* Suarez *num. 19.* Sanchez *lib. 4. de matrimonio, diſ. 20. num. 9.* Palaus *num. 6.*

Duplex alia extenſio præcedentis doctrinæ.

9. Extenditur tertio, ut intelligatur poſſe prædicta iuramenta relaxari, etiam poſt commiſſum periurium, ut ſi quis latroni iuret ſe daturum pecunias intra menſem, ſi intra illum non dedit, periurium commiſit, ſed adhuc iuramenti manentis poteſt relaxationem obtinere: quia ob commiſſum ab iſto periurium, nec acquiritur novum ius latroni, nec à relaxante poteſtas aufertur, cum non poſſit ſubditi peccatum obeſſe ſuperioris iuriſdictioni: ergo ſi ante commiſſum periurium poterat ſuperior relaxare iuramentum, etiam poſt illud. Sanchez *lib. 1. de ſponſalibus diſ. 32. num. 16.* Suarez *lib. 2. cap. 41. a num. 22.* Palaus *tract. 14. diſ. 3. punct. 3. num. 7.* Qui merito dicunt ad petendam talem relaxationem non requiri, quod commiſſum periurium manifeſtetur: quia hoc ad iuſtam cauſam relaxationis nihil confert: ſicut qui votum fecit ieiunandi tot diebus, ſi pro aliquibus votum violavit, & petat pro aliis diſpenſationem, ad impetrationem huius non requiritur, quod commiſſi criminis mentionem faciat, ſi aliàs iuſta & ſufficiens cauſa ſubſiſtat. ¶ Extenditur quarto, quod quando in Bulla Cruciatæ, in Iubilæo, & aliis privilegiis conceditur facultas diſpenſandi in votis, etiam ad hæc iuramenta relaxanda cenſeatur facultas conceſſa: quia cum ex illis nullum ius creditori acquiratur, ſed Deo, tanquam vota iurata regulanda ſunt, vel tanquam iuramenta Deo ſolummodo facta, de quibus diximus *num. 3.* poſſe ea relaxare, qui ad diſpenſandum in votis habet facultatem. Rodriguez *tom. 1. ſumm. cap. 231. n. 4. & cap. 189. num. 9.* Bartholomæus de Ledeſma *de matrimon. dub. 23. poſt 3. concluſ.* Et quando in privilegio conceditur facultas relaxandi iuramenta abſque tertii præiudicio, etiam concedi ab iſta tenet Sanchez *lib. 1. de ſponſalibus, diſputatione 32. num. 7. & in ſumm. lib. 3. cap. 21. num. 16.*

Quando iuramenta facta in favorem tertii poſſint remiſſione illius ceſſare?

10. Sed modo inquires, an iuramentum in favorem hominis factum ceſſet remiſſione partis, cui præſtitum eſt iuramentum? Reſpondetur debere inſpici, an tale iuramentum principaliter in commodum & utilitatem alterius, cui præſtitum eſt, fuerit emiſſum? Et tunc remiſſione eius, cui præſtitum eſt, ceſſat iuramentum, non quia talis remiſſio ſit irritatio aut relaxatio, quia non præſtatur ab habente poteſtatem dominii aut iuriſdictionis; ſed quædam ceſſio & condonatio tertii, cui intereſt, qui poteſt cedere iure ſuo, & ea, quæ in ſuum commodum promiſſa ſunt, condonare. Vel tale iuramentum principaliter in honorem & cultum Dei fuit emiſſum, quamvis ſimul ob gratiam, vel etiam alterius commodum? ut ſi fratri promitteres ſub iuramento te ingreſſurum religionem principaliter ob obſequium Dei, & etiam ut ille in majoratu ſuccederet: vel Petro iuras te non luſurum, te auditurum ſacrum. Tunc remittere non poteſt obligationem iuramenti ille, cui præſtitum eſt: quia res promiſſa non pertinet principaliter ad eum; ſed ad Dei honorem, qui illud ut ſibi gratum acceptavit. Quod optimè dixit D. Thom. 2. 2. q. 89. *art. 9. ad 2.* ibi: *Ad ſecundum dicendum, quod homo poteſt alteri promittere aliquid ſub iuramento dupliciter. Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipſius: puta ſi ſub iuramento promittat ſe ſerviturum ei, vel pecuniam daturum, & à tali promiſſione*

miſſione poteſt abſolvere ille, cui promiſſio facta eſt. Intelligitur enim jam ei ſolviſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum ejus voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum: puta ſi aliquis ſub juramento promittat alicui ſe intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum. Et tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſolvere promittentem: quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo: niſi fortè ſit interpoſita conditio ratione cuius poſſit, ſcilicet, ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale. Sic Sotus *lib.8. de iuſtitia. quæſt.1. art.9. ad 2.* Sylveſter *iurament. 5. q 8. & 9.* Sanchez *de iurament. lib.3. cap.10. num.4. & 5.* Bonacin. *diſ.4. q.1. punct.17. n.3.* Palaus *tract.14. diſ.3 punct.2. n.5.* Leander *decalog. tom.2. tract.1. diſ.15. quæſt.1. & 7.* Fagundez *lib.10. cap.32. num.5. & 9.* Trullench. *decal. lib.2. cap.1. dub.5 t: num.6.*

Iuramenta viciſſim in favorē duorum facta mutua remiſſione ceſſant.

11. Sed advertendum eſt primo, quod non ſolum quando unus alteri in utilitatem ejus aliquid promittit, poteſt cui promiſſio facta eſt, obligationem remittere, ſed quando plures viciſſim ſibi aliquid ſub juramento promittunt, poteſt tale juramentum ex mutua remiſſione utrimque ceſſare: quia ſicut alter ſolus poteſt alteri condonare, Ita quando plures ſibi invicem ſpondent, poſſunt juramenta ſibimetipſis facta remittere. Sic auctores citati. ¶ Nemo tamen poteſt juramentum in ſuum proprium commodum factum, ſibimet remittere: quia vana & inutilis eſſet iuramenti talis obligatio, ſi à ſe ipſo remitti liberè poſſet. Nec eſt eadem ratio juramenti facti in favorem tertii: quia hoc tacitam illam claudit conditionem, ſi ille voluerit, ſi acceptaverit, ſi non remiſerit; at juramentum factum abſolutè in proprium commodum, non includit tacitam conditionem, *ſi ego voluero*: quia omnino utilitatem & robur illius tolleret. Eſt igitur omnino abſolutum in ordine ad proprium conſenſum, qui jam tunc adhibetur cum juramento promiſſorio, quod virtualiter includit promiſſionem non mutandi talem conſenſum. Sanchez *lib. 6. de matrimon. diſput.13. num.6.* Suarez *lib.5. de iurament. c.39. num. 16.* Trullench. *tract.25. capite 9. dubio 7. num.573.* Bonacin. *tom.2. diſ.4. quæſt.1. punct.17. num.3.*

Quādo duo ſibi invicem aliquid promittentes poſſint mutuo cōſenſu remittere promiſſionem?

12. An verò ſi duo ſibi invicem jurent ſe recitaturos duo pſalteria, vel roſaria, vel tot Miſſas dicturos, alter pro altero poſſint ſibi invicem eam obligationem remittere? Reſpondetur juxta dicta in reſolutione *num.10.* data, quod vel intentio & finis principalis illorum fuit in honorem Dei illa recitare, quamvis ſecundario in utilitatem mutuam ea applicare. Tunc neuter poterit talem obligationem remittere quoad ſubſtantiam, id eſt, quod non recitentur pſalteria, roſaria, &c. poterit quoad modum, nimirum, quod pro ipſis offerantur: quia in hoc per prius utilitas ejus inſpicitur; in illo per prius cultus Dei conſideratur, cujus obligationem alter remittere non valet. Si tamen principalis intentio & finis illorum fuit, id beneficium ſibi mutuo conferre, poſſunt ad invicem ſibi obligationem condonare. In dubio autem qualis finis fuerit principaliter intentus, cenſendum eſt, quod utilitas & commodum mutuum: quia hæc eſt frequentiſſima intentio hæc ſibi invicem promittentium. Toletus *lib.2. cap.39. num.7.* Sanchez *ſumm. lib.3. c.10. num. 5.* Fagundez *lib.2. cap.35. num.11.* Leander *tract.1. diſ.15. quæſt.9.* ¶ Idem dicendum arbitramur cum duo ſibi invicem promittunt, ſe amplius non juraturos, ſe audituros ſacrum, ſe non luſuros: quod poſſunt ad invicem ſibi obligationem remittere cum diſtinctione datá, niſi quia hæc frequentiſſime principaliter in cultum Dei promittuntur. In dubio ita cenſendum eſt fuiſſe juramenta emiſſa, & ſic non poſſe mutuo conſenſu diſſolvi. Sanch. *loc. cit.*

13. Pro quibus advertendum eſt ſecundo, contingere poſſe, quod aliqua in honorem & cultum Dei cedentia à jurante promittantur, quandoque principaliter intendendo cultum & honorem Deo exhibere: ut cum intuitu religionis, aut pietatis juravit, altero inſtigante, aut movente, & in eius gratiam fuit ſimul iuramentum emiſſum. Et tunc currit doctrina D. Thomæ tradita *num. 10.* ut in exemplis ibi poſitis cernitur. Quandoque verò non principaliter intuitu religionis, & cultum Deo præſtare intendendò, ſed gratiam præſtare amico, vel eius reſpiciendo utilitatem. Tunc quia tale iuramentum fuit principaliter in commodum alterius præſtitum, ille remittere illud poteſt, cui promiſſio facta eſt. In dubio autem inſpicienda eſt materia promiſſa, & quid communiter in tali iuramento intendatur, & ſecundum hoc eſt ferendum iudicium. Trullench. *lib.5. c.1. dub.51. num.6.* Azor. *lib. 11. cap.9. quæſt.9. & 10.* Sotus *de iuſtitia, lib.8. q.1. art.9. ad 2.* Sanchez *num.6.* Prado *cap.32. quæſt.7. num.16.* Unde ſi duo ſibi invicem promittant ſub iuramento ingreſſum religionis, vel alter tantum alteri, vel certam eleemoſynam quotidie alicui pauperi dandam, non poſſunt talia iuramenta ſibi remittere: quia hic cultus Dei, & opus pietatis communiter ſpectatur. Si tamen filia patri promitteret ſe ingreſſuram religionem, ut eum ab onere dotandi eam liberaret, vel frater fratri iuraret ſe matrimonium non contracturum, vel religionem ingreſſurum, ut ille integram hæreditatem patris haberet, vel alio intuitu in alterius commodum cedenti, hic remittere poſſet illam obligationem, ob rationem ſuperius datam.

Quædā advertanda pro præcedenti doctrina.

14. Et ſi fortè roges, an quando iuramentum principaliter in Dei honorem fit, ſed tota res promiſſa cedit in favorem partis, poſſit pars illa id iuramentum remittere? v.g. iurat aliquis intuitu pietatis huic pauperi determinato eleemoſynam dare, huic Eccleſiæ calicem tribuere, Petro pauperi filiam dotare, aut eam ducere in uxorem: quæ omnia & ſi ad cultum Dei ordinantur, cedunt in utilitatem illorum, quibus fiunt. Diximus *determinato pauperi*: nam ſi quis dare pauperi indeterminato eleemoſynam promitteret, nulli dubium eſt, haud poſſe hunc pauperem determinatum illam remittere: quia non eſt in favorem huius pauperis ſolum tota res promiſſa, & ſic illo renuente eam accipere, vel remittente obligationem, ad alteri dandam accedere tenetur: ſicut qui promiſit ingredi religionem in communi, non ſatisfacit ſuæ obligationi per hoc quod in una petat admitti, & repellatur, ſed aliam, & aliam adire tenetur, donec admittatur. ¶ Igitur ad quæſtionem, aliqui negant poſſe in tali caſu eum, cui promiſſio facta eſt, remittere obligationem, etiamſi tota res promiſſa cedat in eius favorem, ut in exemplis appoſitis: quia tale iuramentum ſoli Deo præſtatur, cuius iuri alter renuntiare nequit. Ita Sylveſt. *verb. iurament. q.10. caſu 1.* Sotus *lib.8. de iuſtitia, quæſt.1. art.9. ad 5.* Azor. *tom 1. lib. 11.*

Poteſt pars, cuius intereſt remittere iuramentum, etiamſi ſit principaliter in honorem Dei factum.

lib. 11. *cap.* 9. *quæſt.* 11. & alii, quos citat Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſput.* 52. *num.* 7. ¶ Sed ipſe meritò oppoſitum tenet ibi, *& in decalog. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 7. quia talia iuramenta ſub hac tacita conditione cenſentur emiſſa, nempe dummodo is, cui promittitur, vel de cuius commodo agitur, velit promiſſionem acceptare, & illam non remittere, non enim intendit promittens invitum ad acceptandum cogere, & ſub tali conditione cenſetur à Deo acceptari. Ita Palaus *tract.* 14. *diſ.* 3. *punct.* 2. *num.* 3. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 21. *num.* 6. Prado *cap.* 32. *quæſt.* 7. *num.* 18. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 7. & alii, quos refert, & ſequitur Leander *tract.* 1. *diſ.* 15. *quæſtione* 10.

PUNCTUM II.

Qualiter ceſſatione finis, & rerum mutatione, ceſſet obligatio voti aut juramenti?

Ceſſante fine voti etiã in particulari ceſſat obligatio voti.

15. ASſerendum eſt primo, quod ſi cauſa finalis proxima motiva ceſſet in totum, & pro ſemper, omnino ceſſat obligatio voti, aut juramenti ſive Deo ſive homini facti: quemadmodum de lege, quod ceſſante fine adæquato illius, ceſſat obligatio legis, diximus *tract.* 11. *de legibus, cap.* 4. *num.* 3. Et licet ibi *n.* 6. ut probabiliorem amplexati fuerimus ſententiam aſſerentem non ceſſare obligationem legis, per hoc quod finis illius in hoc vel illo caſu particulari ceſſet, niſi finis communiter ceſſet. Hoc fuit: quia lex eſt regula communis, quæ non attendit ad iſtum vel illum caſum particularem, nec pro caſibus particularibus datur, ſed in communi pro omnibus; at votum vel juramentum eſt lex particularis, & ideo hoc ipſo, quòd finis illius ceſſet, & in hoc caſu particulari, ceſſat ejus obligatio, nec requiritur relaxatio illius, aut ſuperioris auctoritas, ſed quod verè finis intentus modo dicto ceſſet. Ratio eſt, quia votum aut juramentum non obligat non ſubſiſtente materia promiſſa prout à promittente intenta: quia hotum vinculum ultra intentionem voventis non adſtringit, ſed ceſſante fine adæquato motivo voti aut juramenti, jam non ſubſiſtit materia illa prout promiſſa eſt, & intenta à vovente vel jurante: ergo, &c. Minor probatur. Quia vovens non intendit illam materiam abſolutè, ſed prout habet conducentiam ad talem finem, & cum ceſſante fine ceſſat conducentia talis materiæ ad finem, jam non ſubſiſtit illa materia prout intenta eſt à jurante vel vovente.

Doctrina præcedens exemplis diverſis declaratur.

16. Rem explico exemplis: promiſiſti eleemoſynam quotidie cuidam pauperi erogandam, ſi ille fiat dives non teneris illam elargiri: quia non intendebas eleemoſynam præcisè ob honeſtatem, quæ eſt intrinſeca in illa, quia ſic non magis huic, quàm alteri pauperi, eam elargire ſpoonderes, ſed finis movens fuit hujus pauperis miſeriam ſublevare, & eleemoſynam ut ad talem finem conducentem. Sed illo divite facto ceſſat miſeria eius, quæ ſublevetur: ceſſat ergo obligatio talis voti. Promiſiſti peregrinationem ob ſalutem patris obtinendam, & jam mortuus eſt, vel certè ſanus ceſſat finis voti aut juramenti, & tu ab illorum vinculo manes abſolutus. Promiſiſti eleemoſynam ad redimendum captivum, iſte à captivitate fugit, ceſſat finis talis promiſſionis, & eius obligatio. Promiſiſti non ingredi talem domum: quia ibi mulier morabatur, quæ tibi erat cauſa ruinæ, mortua eſt illa mulier, vel ad aliam domum tranſlata, potes ingredi talem domum non obſtante voto aut juramento: quia jam ceſſavit finis motivus illorum. Atque ita docent Sanchez *lib.* 4. *c.* 2. *num.* 42. Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 18. *num.* 3. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 13. *num.* 4. Trulleuch. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 13. & *cap.* 1. *dub.* 21. *num.* 4. Bonacin. *diſpus.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 3. §. 2. *num.* 10. Tambur. *in decalog. lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 12. Palaus *tract.* 15. *diſp.* 9. *punct.* 20. *n.* 1. Leander *tom.* 2. *in decalog. tract.* 1. *diſp.* 12. *q.* 1.

Debet cauſa finalis motiva proximè intenta ceſſare, ut obligatio voti ceſſet.

17. Diximus in concluſione, *ceſſante cauſa proxima motiva:* quia non requiritur quod cauſa omnino finalis (puta cultus & honor Dei) ceſſet: quia talis cauſa nunquam ceſſare poteſt, quando materia voti eſt actus virtutis, ſed non intenditur proximè à vovente vel jurante ut cadit in cultum Dei, quia hæc eſt cauſa finalis remota, ſed ut conducit ad finem proximum intentum, quamvis hoc ipſum in cultum Dei ordinetur, ut conſtat in omnibus exemplis adductis, & tenent omnes auctores citati. ¶ Diximus etiam *ceſſante cauſa finali motiva:* quia per hoc quod præcisè ceſſet cauſa finalis impulſiva, non ceſſat obligatio voti: quia hæc non variat rem promiſſam per hoc quod ceſſet, quia non eſt cauſa executionis illius, nec ſe tenet ex parte eius, ſed magis eſt cauſa impulſiva ad vovendum, quæ etiamſi iniqua ſit, non vitiat votum, & ſic minus illud extinguet per hoc quod ipſa ceſſet. Sic citati. ¶ Diximus etiam, *quod talis cauſa ceſſet in totum*, ſi enim partibilis ſit, ut ſi ſunt plures fines intenti, vel unus diviſibilis in partes, ſi ceſſet unus finis, vel ſecundum unam partem, ſecundum illam ceſſabit obligatio voti; manente ea, quoad aliam partem, vel finem, qui perſiſtit; niſi utramque partem, vel utrumque finem promittens copulativè intenderet: quia jam ceſſante quoad unum finem, ceſſat omnino obligatio promiſſionis, juxta dicta *hoc tract. cap.* 1. ¶ Diximus denique, quod pro ſemper ceſſet finis, ut ceſſet omnino voti aut iuramenti obligatio; ſi tamen pro aliquo tempore dumtaxat ceſſet finis dictus, pro illo ſuſpenditur promiſſionis obligatio, & in alio tempore reviviſcet, & in vigore erit. ¶ In dubio autem, an fuerit cauſa finalis, an motiva, quæ ceſſavit, &c. judicandum eſt pro obligatione voti; nam hæc eſt certa, à qua nequit liberari promittens ob dubiam excuſationem, *l. quidquid adſtringenda, ff. de verborum obligationibus.*

Etiamſi culpa voventis finis voti ceſſet, nõ tenetur amplius ad votum.

18. Sed eſt modo difficultas, an ſi finis ceſſaverit ob culpam promittentis, ceſſet obligatio voti aut juramenti? Ut ſi promiſit intra menſem dotare fœminam ad nuptias, intra menſem non dotaverit, & ipſa tranſacto illo menſe mortua fuerit; vel pecuniam in redemptionem captivi hac hebdomada dare, & ipſe non dederit, & tranſacta hebdomada alius captivitate fugerit: & aliis exemplis. Aliqui affirmant, in illo caſu obligare votum aut iuramentum poſtquam vovens fuit in mora culpabili illius adimpletionis: quia non debet reportare commodum ex ſuo delicto, nec mora debet ei ſuffragari. Sic Bonacin. *tom.* 2. *diſ.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 3. § 1. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 16. & alii, quos refert, & ſequitur Leander *tract.* 1. *diſ.* 12.

*diſ.*12.*q.*6. *&* 7. ¶ Sed non video qua ratioo: in caſibus propoſitis teneatur promittens rem tradem, ceſſante fine adæquato ſuæ promiſſionis, etiamſi fuerit in mora culpab.li ſolutionis: nam cui tradere deberet rem promiſſam, v. g. eleemoſynam, ſi pauper dives factus eſt, ſi captivus captivitate erutus? & ſic eſt per accidens quod ex ſuo delicto commodum reportet, quia ceſſavit finis, ratione cujus obligabatur. Sicut qui hodie tenebatur jejunare, ſi non jejunavit ex ſua culpa, cras non tenetur ad jejunium, & hoc cnmmodum non per ſe ex culpa ſequitur, ſed per accidens cum illa conjungitur, quia ceſſavit præceptum: ceſſav.t etiam in noſtro caſu finis, qui erat quaſi tota vita obligationis, ob idque pœniteat de culpa præterita, ut loquitur D. Thom. 2. 2. *q.*88. *art.*3. *ad* 1. Sed in poſterum durante ceſſatione finis obligatio voti aut juramenti non perſiſtet. Sic Sanch. *lib.*4. *cap* 2. *n.*44. *&* 27. Sylveſt. *votum* 2. *q.* 6. *&* 10. Rodriguez *tom.*2. *ſum.c.*99. *n.*10. Valeor. 2. 2. *diſ.*6. *q.*6. *punct.*4. *concl.*8. *verſu*, *Verum circa hujuſmodi*. Navar. *ſum.c.*12. *n.*55. & alii.

Notabili mutatione rerum ſupervenieпte ceſſat obligatio voti.

19. Aſſerendum eſt ſecundo, quod ſi ſuperveniat notabilis mutatio rerum, quæ materiam promiſſam in ſe vel in hominum æſtimatione diverſam conſtituat, ceſſat obligatio voti vel juramenti facti Deo vel hominibus, *cap. noquit* 22. *q.* 2. *cap. quemadmodum de iureiurando*. Et quidem ſi ob mutationem rerum promiſſa materia reddatur illicita, vel impoſſibilis, planum eſt non perſiſtere obligatiooem promiſſionis, cum iam ſit inepta materia illius, & votum perſiſtere aut iuramentum abſque apta materia pro illis ſit impoſſibile. Sed adhuc cum materia honeſta remanet, ſed notabiliter modo dicto mutata, probatur: quia res promiſſa ſuperveniente notabili mutatione iam non manet eadem, ſed diverſa: ſed voveus aut iurans rem iſtam, non diverſam promiſit: ergo non tenetur ad eam cum notabili illa mutatione qualificatam. Unde dixit D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. *Vt enim Seneca dicit in libro de beneficiis, ad hoc quod homo teneatur facere, quod promiſit, requiritur, quod omnia immutata permaneant, alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promiſit, quod habebat in mente, ſub intellectis debitis conditionibus. Nec etiam eſt infidelis non implendo, quod promiſit, quia eadem conditiones non extant.* Sic Prado *c.*31. *q.*13. *n* 6. Bonac. *in diſ.*4. *q.* 2. *punct.*7. §. 1. *num.* 2. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 2. *à num.*20. Valent. 2. 2. *diſput.*6. *quæſt.*6. *punct.*4. *circa finem*. Suar. *lib* 4. *de voto*, *cap.*19. *à num.*4. Palaus *tract.*15. *diſputatione* 1. *punct.*20. *num.* 3. Henriq. *lib.*11. *cap.*14. *num.* 1. & alii, quos refert, & ſequitur Leander *tract.* 1. *diſ.*13. *quæſt.* 1.

Quæ notabilis mutatio rerum debet ſupervenire, ut votum judicetur ceſſare?

20. Sed non ſufficit quæcumque mutatio, ut iuramentum, vel votum deobligent; alias paſſim diſſolverentur omnes promiſſiones, & omnia vota, & iuramenta ceſſarent, cum res omnes humanæ pluribus ſint mutationibus obnoxiæ. Requiritur ergo, quod mutatio ſit notabilis, & tunc notabilis ceoſenda eſt, quando res per illam conſtituitur in alio ſtatu moraliter diverſo, vel ob novam difficultatem ex parte rei promiſſæ, vel ob alias circunſtantias illi de novo adhærentes, ratione cuius moraliter alia iudicetur, vel ex communi hominum conſenſu, vel ex conſuetudine, vel aliqua regula iuris, vel quando talis eſt mutatio, ut per eam res in eo ſtatu ponatur, in quo leges humanæ non ſolent obligare. In dubio autem, an res ſint ita notabiliter mutatæ, ut deobliget votum aut iuramentum, cenſendum eſt obligare: quia illarum promiſſio poſſidet, & non debet tolli obligatio certa ob dubiam excuſationem. Palaus *n.*4. Sanch. *n.*34. Prado *n.*10. Leander *q.*9. Trull. *lib.*2. *c.*2. *dub.*8. *n.*5. § Ex quo ſequitur, ob periculum vitæ, honoris, vel alterius gravis detrimenti ſuperveniens poſt emiſſum votum aut iuramentum, ceſſare illorum obligationem: quia non cenſetur promittens in eo caſu ſe voluiſſe obligare, niſi eo cognito periculo votum emitteret, quando eſt conſonum rationi, ob aliquem finem honeſtum, ſe tali periculo exponere: ut ſi promitteret ſe tempore peſtis infirmis miniſtraturum, quia tunc non obſtante quocumque periculo, tenetur id exequi, quod promiſit. Bonacin. §. 1. *num.* 3. *&* 7. Prado *num.*9. Palaus *n.*5. Leander *q.*8.

Si superveniat mutatio rerum, quæ ſi ab initio eſſet, votum non emitteretur, aliqui dicunt, illud ceſſare.

21. Sed eſt gravis difficultas, an ſit ſufficieos mutatio rerum, ut ceſſet obligatio voti aut iuramenti, quod talis ſuperveniat mutatio, quæ ſi tempore voti emiſſi contingeret, vel cognoſceretur, non emitteretur, vel exciperetur talis occaſio, vel interrogatus promittens, an voluerit ſe in tali caſu obligare? Negativè reſponderet? Affirmat prima ſententia in tali caſu ceſſare obligationem promiſſionis. Primo ex D. Thom. *in* 4. *diſt.*38. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 1. dicente: *Id liberare à voti vel iuramenti obligatione, quod ſi à principio accidiſſet, aut notum fuiſſet, ea fieri impediret.* Secundo, quia liberalis promiſſio ultra voventis intentionem non eſt extendenda; at intentio iurantis, aut voventis in illo caſu eſt noluiſſe in tali eventu obligari: ergo, &c. Tertio, quia ſicut in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter conceſſurus, *regul. in general. de regul. iuris in* 6. ita in promiſſione abſoluta non veniunt eventus, quos exciperet promittens, ſi in ſpecie cum his & illis circunſtantiis ſibi proponerentur. Quarto denique, quia votum aut iuramentum eſt lex quædam privata, quam promittens ſibi liberè imponit: ſed in legibus locum habet epikeia ad excipiendos eventus tanquam in lege non comprehenſos, quos legiſlator ſibi occurrentes exciperet: ergo ſimiliter in voto aut iuramento, Atque ita docent Molina *tom.* 2. *de iuſtitia*, *diſput.*272. *col.* 2. *&* 7. *notab.*4. Navar. *in ſumm. c.*18. *Hiſpan. n.*5. *latin. n.*7. Sylveſter *verbo votum* 2. *quæſtione* 17. *fine*, & *verbo iurament.* 3. *quæſtione prima*, *particul.*9. & *iurament.* 4. *quæſt.*6 D. Antonin. *ſecunda parte*, *tit.*10. *cap.* 6. §. 5. Henriquez *lib.*11. *de matrimon. cap.*14. *fine*. Caramvel *in Theolog. fundamentali fundamento* 51. §. 4. *num.*1399.

Oppoſita ſententia negativa eſt præferenda.

22. Negari non poteſt probabilitas huius ſententiæ ob auctores, & rationes, quæ pro ea extant. Sed amplectenda eſt ſententia negativa. Tum, quia multæ ſunt circunſtantiæ, quæ ſi cognoſcerentur tempore voti, votum aut iuramentum non fieret, & non ob id ceſſat illorum obligatio: ut ſi pauperi eleemoſynam promiſiſti, quam non promitteres, ſi moribus depravatum, aut tibi eſſe adverſum, cognoſceres: teneris reddere, ſi verè pauper ſit, in communi ſententia, & in ſimilibus. Tum etiam, quia obligatio, vel deobligatio promiſſioois non eſt deſumenda ex promiſſione, quæ futura foret; ſed ex ea, quæ facta eſt, alioqui nihil eſſet in promiſſionibus firmum. Tum denique, quia ſi talis ſententia admitteretur, nullus eſſet in rebus humanis firmus contractus,

quippè plura contingunt ſæpè, quæ ſi prævisa forent, non celebrarentur, nec ad eum eventum ſe contrahentes obligaſſent. Sic Cajet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *verſic. ad hoc dicitur.* Sotus *de iuſtit. lib.* 7. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. Leander *tract.* 1. *diſp.* 13. *q.* 3. Fagundez *lib.* 2. *c.* 31. *num.* 2. Valent. 2. 2. *diſ.* 6. *q.* 6. *punct* 4. *fine.* Suarez *lib.* 4. *c.* 9. *n.* 8. Sanchez *lib.* 4. *c.* 2. *n.* 22. Palaus *tract.* 15. *diſput.* 1. *punct.* 20. *n.* 4. Prado *c.* 31. *q.* 13. *num.* 7.

Solutio argumentorũ, quæ pro cõtraria ſententia adducũtur.

23. Ad primum contrariæ ſententiæ reſpondetur: D. Thom. loqui de impedimento reſpectu materiæ voti, ita ut ſenſus illius ſit, (quem communiter ejus diſcipuli intelligunt) omne id, quod ante votum aut juramentum reddidiſſet materiam ineptam ad producendam obligationem, quia vel illam illicitam, inutilem, aut impoſſibilem redderent, ſi poſtea ſuperveniant, juramentum aut votum irritant, quod veriſſimum eſt: ſed nihil inde contra nos, vel pro contraria ſententia. ¶ Ad ſecundum dicimus, quod hoc ipſo, quod vovens aut jurans non ignoret plura ſuperventura ob rerum mutabilitatem, & nihilominus abſolutè promittat, intendit ſe virtualiter etiam in illo eventu obligare, niſi expreſsè excipiat illum dicendo: *Sic voveo, ſic juro aut promitto, ut ſi aliquid poſtea occurrat, quod ſi modo occurreret, non promitterem:* nam in hoc caſu convenimus cum prima ſententia, quia jam non abſolutè promittit, ſed dependenter à conditione, qua ſtante, non remanet promiſſionis obligatio. Sed quando hanc expreſſam conditionem non ponit, ſed abſolutè promittit, cenſetur virtualiter velle obligari in eventu rem notabiliter non mutante, etiamſi tunc in ſpecie propoſitus fortaſsè promiſſionem impediret. ¶ Ad tertium conſtat ex modo dictis, quia cum tales eventus rem notabiliter non mutantes ſint frequentiſſimi, ne paſſim obligationes voti, & juramenti infringantur, cenſentur virtualiter in promiſſione abſoluta comprehenſi. Regula autem illa juris loquitur de rebus non ita frequenter contingentibus. ¶ Ad quartum dicimus, nec in legibus datur locus epiikeiæ pro rebus frequentiſſimè contingentibus, quas non eſt judicandum legiſlatorem excluſiſſe, ne legis obligationem exponeret caſibus, qui paſſim contingunt, ſed pro caſibus raris & extraordinariis apponitur, quos legiſlator nec virtualiter voluit comprehendere.

PUNCTUM III.

De irritatione votorum & iuramentorum, quo iure conveniat? Et in quibus ſuperioribus ſit facultas ad illam?

Qui vota irritare poteſt, etiam iuramenta, per quæ nullum ius alteri quæritur.

24. NE multoties verba & terminos inutiliter multiplicemus, ante omnia prænotare libuit ea, quæ in hoc puncto, & ſequentibus, circa votorum irritationem dicemus, & in aliis de diſpenſationibus, & commutationibus votorum; pari modo intelligenda eſſe de iuramentorum irritatione, diſpenſatione, aut commutatione: de juramentis, inquam, promiſſoriis, vel quæ ſoli Deo fiunt, quæ, ut diximus multoties, cum votis maximam habent convenientiam, præcipuè in ordine ad eorum relaxationem: quia cum in cultum Dei & honorem ſolummodo cedant, non in alterius utilitatem, à Deo ſolum acceptantur, ſicuti & vota, & à vicem illius gerente relaxari queunt. Vel de illis, quæ licet in commodum alterius ſint præſtita, nullum tamen jus alteri acquiritur per talia juramenta, ut ſunt illa, quæ cum metu, dolo, aut alia injuria ſunt extorta, & ſimiliter illa, quæ licet ſint in commodum alterius, emiſſa abſque ulla extorſione, vel injuria, non ſunt intimata, vel acceptata ab eo, in cujus favorem ſunt emiſſa. Imò hæc nulla indigent relaxatione, cum ſequantur conditionem promiſſionis, quam confirmant, & promiſſio quælibet ante acceptationem promiſſarii poteſt à promittente revocari, ut diximus *tr.* 13. *c.* 4 *n.* 10. Itaque juramenta, per quæ alteri nullum jus acquiritur, æquè poſſunt ac vota irritari, diſpenſari, & cõmutari: quia ſolus Deus eſt in eis creditor ſicut in votis, & per talem relaxationẽ nulli parti præjudiciũ infertur.

Quid nomine irritationis intelligatur, & explicatur directa & indirecta irritatio?

25. Veniendo ergo ad puncti materiam: illud *irritum* dicitur, quod *non ratum*, quod *inane*, *vanum*, & in nihilum eſt redactum. Qualiter dixit Ovid. 1. *methamorſ. labor irritus anni:* ſic irritæ dicuntur preces, irriti labores: quaſi vani, inutiles, & nullius effectus: Similiter irritum dicitur, quod annullatur, & ad nihilum reducitur. Quo ſenſu dixit Tullius *in Anton. Antonius irritum teſtamentum reddit.* Hoc modo in præſenti votum irritare, eſt illud reddere vanum, inutile, & ad nihilum reductum. Et ſic diffinitur, quod irritatio eſt: *Annullatio voti facta ab habente poteſtatem dominativam.* ¶ Duplex ſolet irritatio aſſignari, alia *impropria*, & *indirecta*; alia *propria*, & *directa.* Illa eſt, quæ reſpicit materiam promiſſam, impediendo ejus executionem, quatenus ſibi præjudicare poteſt: & hæc non eſt propriè irritatio; ſed ſuſpenſio, quã facere poteſt etiam, qui dominativam non habet poteſtatem, vel prohibendo ipſam materiam: qualiter Pontifex poteſt omnium fidelium vota irritare, ſeu potiùs ſuſpendere, quia prohibendo materiam promiſſam, ſuſpendit obligationem voti circa illam, quandiu res prohibita eſt, quæ obligatio poſtea reſurgit ablata prohibitione, vel impediendo executionem rei promiſſæ, quatenus ſibi præjudicare poteſt, manente ſemper ipſius voti vinculo, quod planè non permittit executioni mãdari cum præiudicio alterius. Et ſic de pluribus infrà dicemus poſſe ſuſpẽdere executionem voti, quandiu ſibi præiudicat, tametſi non habeant dominativam poteſtatem. De hac non agimus præcipuè in præſenti, quamvis aliquando ad illam recurremus. Alia eſt irritatio propria & rigoroſa, quæ vinculum voti omninò extinguit, & provenit à poteſtate dominativa, vel in perſonam promittentẽ directè & per ſe, vel in materiam promiſſam, cuius alter eſt Dominus, ac proinde ſubditus non poteſt diſponere de illa indepẽdenter ab alterius voluntate, & ſic ut valida ſit promiſſio voti ſemper ſub tacita conditione intelligitur, *ſi ſuperior conſentiat, ſi non contradicat.* Ideoque, qui ratione materiæ promiſſæ eſt ſub alterius dominio, etiam indirectè illius velle, & nolle, circa diſpoſitionem illius rei, eſt ſub alterius dominatione, ob idque nihil ratum & firmũ circa illam rem promittere valet, niſi ſub tacita conditione de conſenſu vel non contradictione illius.

Non ex iure naturali, ſed poſitivo poteſtatem irritandi vota provenire, aliqui dicunt.

26. Sed inquires primo, an hæc propria irritatio ſolum ex iure poſitivo proveniat? An potius ex ipſo iure naturali? Duplex datur ſententia, & utraque ſatis probabilis. Prima dicit, dominativam poteſtatem, nec non irritationem in ea fundatam, ſolum provenire ex diſpoſitione iuris poſitivi Eccleſiaſtici, aut civilis. Et probatur primo,

primo, quia vota ſolemnia profeſſionis ex jure ſolum poſitivo conſtituunt ſtatum religioſum, ut diximus ſupra *tract. de ſtatu religioſ. cap.1.* ergo ſolum ex jure Eccleſiaſtico provenit eſſe infirmum, & debile, proindeque irritabile, quod contra illa factum fuerit, vel promiſſum: ergo irritatio ſolum eſt ex jure poſitivo introducta. ¶ Secundo, quia non omnia vota religioſorum poſſunt à Prælatis irritari, ut votum tranſeundi ad arctiorem religionem à nullo Prælato irritari poteſt *c. licet de regular.* ergo quod hæc, vel illa vota poſſint irritari, quod hæc vel illa non poſſint, hoc provenit ex diſpoſitione juris poſitivi. ¶ Tertio, quia in filiis familias, qui ſunt ſub patria poteſtate, jus naturæ non magis diſtat, puberes ſubjici potius in votis realibus, quam in perſonalibus, parentibus; & tamen illorum vota realia irritari poſſunt à parentibus, non vero perſonalia poſtquam ad pubertatem pervenerunt, ut infra dicemus, ob ſpecialem circa hoc juris diſpoſitionem: ergo ſignum eſt hanc poteſtatem irritativam ex diſpoſitione juris poſitivi ortum ducere, non ex jure naturali. Sic Vazq. 1.2.*q.*96. *diſ.*165. *cap.*4.*n.*29. Leſſius *lib.*2. *de iuſt. c.*40 *dub.*13. *n.*75. Sanch. *in ſum. lib.*4. *cap.*24. *num.*32. Palaus *tom.*3. *tract.*14. *diſ.*1. *punct.*5. *n.*4. Bonac. *diſp.*4 *q.*2. *punct.*7. §.2. *n.*18. & 26. N. Lezana *tom.*4. *verbo votum pro regularib. num.*7. *fine.*

Ex iure naturali provenit poteſtas vota irritandi. 27. Sed nihilominus dicendum eſt: irritationem propriam & directam, de qua nunc loquimur, ex jure ipſo naturæ ortum ducere, & ſic poterunt parentes, & domini infideles, vota filiorum & ſervorum, ſi quæ ſunt valida, irritare. Probatur primo ex D. Thom. 2.2.*q.*185. *art.*5. loquendo de filiis, dicit: *quia pueri naturaliter ſunt ſub poteſtate patris quantum ad diſpoſitionem ſua vitæ, poterit pater vota eorum revocare.* Ubi, ut cernis, non recurrit ad diſpoſitionem juris poſitivi, ſed ad ſujectionem juris naturalis, & loquendo de religioſis, qualiter prælati eorum poſſunt vota revocare *q.*88. *art.* 8. *ad* 1. cum in corpore dixiſſet non eſſe ratum votum religioſi, niſi ſub conditione dependente à prælati voluntate: quia contra jus naturæ eſt, quod quis Deo offerat, quod ſuum non eſt, ſed alterius, dicit: *Et ideo non poteſt omnino ſalvari ratio voti, cum quis in poteſtate alterius conſtitutus, vovet id, quod eſt in poteſtate alterius niſi ſub conditione, ſi ille ad cuius poteſtatem pertinet non contradicat.* Quæ omnia ex jure naturali ſunt, non ex ſolo poſitivo. ¶ Secundo ratione probatur ex doctrina D. Thom. deſumpta: quia religioſus ex vi traditionis factæ in profeſſione ita tranſtulit dominium ſuum in voluntatem prælati, ut ſit impotens ad vovendum, niſi ſub conditione tacita, ſi conſenſerit, vel ſaltem non contradixerit Superior: *quia velle, & nolle non habet, ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cuius imperio ſe ſubiecit, voluntate dependeat:* ut dicitur *in cap. religioſus de elect. in* 6. *cap. non dicatis* 12. *q.* 1. Sed vota conditionata ex jure ipſo naturæ poſſunt irritari ab eo, qui poteſt impedire conditionem: quia hoc ipſo quod conditio non apponitur, ipſo facto manet votum ad nihilum redactum: ergo cum poſſit ex jure naturæ prælatus non apponere conſenſum, quæ eſt conditio huius voti, ex jure ipſo naturæ habet facultatem illud irritandi.

Alia ratio proponitur pro ſententia noſtra, & rationes illius recenſentur. 28. Tertio probatur noſtra ſententia, & ſimul ſolvuntur argumenta contraria. Quia frequenter contingit, quod ſuppoſita diſpoſitione aliqua juris poſitivi, Eccleſiaſtici, aut civilis, ſequatur poſtea obligatio de jure naturali: ut conſecratio calicis ex jure Eccleſiaſtico poſitivo habetur, hac tamen ſuppoſita, ex jure ipſo naturali debetur calici conſecrato reverentia, & quod non vendatur, aut pro rebus temporalibus commutetur, & ſic illius venditio, quatenus conſecratum, erit ſimonia ex jure naturali. Similiter jure gentium poſitivo fit aliquis ſervus, ſuppoſita tamen ſervitute, naturaliter eſt debita ſubjectio illius ad dominum. Ita quamvis ſolemnitas votorum ex jure poſitivo proveniat, & quod in illa traditio totalis religioſi ad prælatum reperiatur, hac tamen ſuppoſita traditione undecumque proveniat, ex jure naturali eſt ſubditus, alterius voluntati ſubiectus, ita quod contra ius naturale agat, ſi quidquam contra voluntatem eius, cuius imperio ſe ſubiecit, operetur. Similiter in vxore ex iure poſitivo poteſt aſſignari ſolemnitas pro contractu matrimonii, & traditione unius ad alterum, hac tamen ſuppoſita, & conſtituto viro capite familiæ, ex iure naturæ debet vxor eſſe illi ſubiecta, ex qua ſubiectione provenit poteſtas dominativa, quæ eſt principium irritationis. Quod non prohibet, quod in aliquibus caſibus poſſit ius poſitiuum coarctare talem facultatem, ob ſpeciales rationes tunc occurrentes, quod contingit in caſibus adductis pro contraria ſententia, in quibus ob ſpecialem illarum rerum naturam coarctatur, ſeu potius declaratur non extendi poteſtatem dominativam ad eos, ut loquendo de ſingulis infra explicabimus. Noſtram ſententiam tenent Caietan. 2.2.*q.*88. *art.* 8. *dub.*3. §. *ad primum dicitur.* Soto *lib.* 7. *de iuſt. q.* 3. *art.* 1. §. *haud ergo.* Raphaël de la Torre 2.2.*q.*88. *diſp.*2. *num.*4. *&* *diſ.*4. *num.*5. Martinez à Prado *cap.*31. *q.*13. *num.*15. Petrus de Ledeſma *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.*7. *dub.* 2. *concl.*3. Hieronym. Garcia *in politic. regul. tom.*2. *tract.* 10. *diff* 6. *dub.*7. *punct.*2. *n.*15. Pellizzar. *tom.* 1. *tract.*3. *cap.*4. *q.*21. *n.*65. Suarez *lib.*6. *de voto cap.*6. *n.*2. & 3. & *cap.* 7. *à num.*4. Peyrin. *tom.* 2. *ubi de prælato q.*3. *cap.*3. *n.*8 Miranda *in manuali tom.*2. *q.*32. *art.*4. *concl.* 6. Trullench. *lib.* 2. *cap.*2. *dub.*29. *n.*1. Baſilius Pontius *de matr. lib.*7. *cap.*5. *à num.*19. & alii.

29. Secundo inquires: an requiratur cauſa pro irritatione licite facienda? In quo ſupponimus ad valorem irritationis nullam requiri cauſam, in quo differt à diſpenſatione votorum, quæ abſque ſufficienti cauſa nec valide poteſt impertiri; irritatio autem ſecundum omnes valida eſt, etiam nulla cauſa exiſtente, quia cum votum emiſſum ſit ab inferiori ſub tacita conditione conſenſus Superioris, hoc ipſo, quod ille nolit conſentire, manet votum ſine alia cauſa annihilatum. Quare circa licitum uſum irritationis eſt difficultas inter Doctores. Omnibus illis convenientibus in eo, quod non erit peccatum mortale, nec in prælato concedente irritationem ſine cauſa, nec in ſubdito petente illam ſine cauſa, ut ex infra dicendis conſtabit, præciſia aliis extrinſecis circumſtantiis, quæ aliunde illam actionem graviter vitiare poterant. Quare ſolum eſt dubium inter illos: an ſit peccatum veniale, petere, & dare irritationem ſine cauſa? — *Valida eſt irritatio facta ſine cauſa.*

30. Affirmat prima ſententia. Et probatur primo: quia irritatio quodammodo eſt actus iuriſdictionis, & ideo debet iudicio, & examine rationis perpendi à Superiore, utrum ſit utilius, vel decentius illam concedere, vel negare. Alienum quippe à ratione videtur, quod Superior ſine ulla cauſa impediat voluntatem ſubditi in bonum obfirmatum, quia ſine cauſa bonum opus alterius impedire velle, vituperabile eſt & malum. Secundo, quia ſive hæc poteſtas data ſit in utilitatem voventis, ut in prælatis & parentibus reſpectu religioſorum & filiorum: vel in utilitatem irritantis, ut in dominis reſpectu ſervorum: vel denique in utilitatem — *Peccatum eſſe veniale irritationem præſtare ſine cauſa, aliqui dicunt.*

 utriuſ

utriuſque, tam voventis, quam irritantis, ut in viro reſpectu vxoris, diſſonum rationi eſt, eam abſque cauſa executioni mandare: quia eſt agere contra finem ipſius poteſtatis, & conſequenter abuſus illius. Sic Soto *lib.7. de iuſt.quæſt.3. art.3. §. de uſa autem* Leſſius *dub.12. num.7.* Sanchez *lib.4. cap.24. num.13.* Valentia *2.2. diſ.6. q.6. punct.6.* Palaus *diſ.2. punct.4. num.5.* Laym *lib.4. tract.4. cap.7. num.18.* Villalob. *2. part. tract.34. diff. 17. num.2.* Aragon. *2.2. quæſt.88. art.2. colum. 2. verſa ſed quoniam,* Sayrus *in clavi lib. 6. cap. 6. num. 14.* Fatentur tamen, quamcumque cauſam, etiam levem, excuſare à tali peccato, & ſufficere pro cauſa, quod ſubditus gravatum ſe voto ſentiat.

Nullum eſt peccatum ſine cauſa votum irritare.

31. Sed verius iudicamus, nullum eſſe peccatum per ſe & ex natura irritationis eam abſque cauſa impertiri. Quia vota inferioris ſemper ſub tacita conditione conſenſus Superioris emittuntur; ſed nullo jure cogitur Superior annuere: ergo utendo jure ſuo poteſt ſine cauſa non conſentire, & ſic vota irritare. Quemadmodum, ſi aliquis ex bonis alterius promitteret eleemoſynam, ſub conditione ut dominus conſentiat, hic libere poteſt non conſentire: quia nullo jure, aut ratione cogitur ad conſenſum. Immò ſemper in noſtro caſu adeſt ſufficiens cauſa: nam ſufficit pro cauſa, quod ſemper ſubditus ſit paratus ad obediendum iuſſis Superiorum, & quod ab illorum arbitrio in velle, & nolle dependeat. Cæterum, quia libitum Superioris debet eſſe prudens & humanum, & cum non dentur actiones in individuo indifferentes, & prælati tenentur ſubditorum profectum non impedire, ex his capitibus poteſt eſſe talis irritatio peccatum veniale; ſed hoc non ex vi irritationis, cum in ea concedenda utatur jure ſuo prælatus, nulli injuriam faciendo; ſed aliunde, quod æquè poterat contingere, ſive ſubditus votum haberet, ſive non, quod impedire bonum ſubditi, vel opus in individuo ſine recto fine apponere, eſſet veniale; non ergo in eo, quod irritatio ſine cauſa detur, vel non, adeſt deformitas peccati. Sic Raphaël de la Torre 2.2. *q.88. art.9. diſputatione 1. num.11.* Prado *ſupra num.26.* D. Antonin. *2. part. tit.11. cap.2 §.6.* Sylveſt. *verbo votum 4. quæſt.1.* Caietanus *in ſum. verbo votorum irritatio.* Ledeſma *dub.2. citat. circa 4. concluſion.* Trullench. *dub.29. num.2.* Baſilius *lib.10. cap.17. num.14.* Leander *in decalog. tom.2. tract.1. diſ.16. quæſt.5.* Fagund. *lib.2. cap.33. num.1.* Tambur. *in decalog. lib.3. cap.16. num.1. &* 14. Azor. *lib.11. cap.17. quæſt.5.*

Solum Prælati regulares, parentes, mariti, & domini poſſunt ſubditorũ ſuorum vota irritare.

32. Tertio inquires: in quibus ſit poteſtas irritativa, & reſpectu quorum? Reſpondetur quod loquendo de poteſtate irritativa directa, de qua nunc loquimur, omnes, & illi ſolùm poſſunt irritare votum, qui habent poteſtatem dominativam, ratione cuius alteri ſub eorum dominio conſtituuntur, vel ratione perſonæ, vel ſaltem ratione rei, quæ promittitur: ita ut nihil ratum & firmum ab eis poſſit promitti, ſed ſemper ſub tacita conditione, ſi alter, cui ſubijciuntur, conſentiat, vel non contradicat: & ſic eorum vota ſunt infirma & debilia, quia, ad nutum alterius ſunt revocabila. Sic religioſi omnes ſe habent reſpectu prælatorum, ſub quorum dominio conſtituuntur ob votum obedientiæ, & traditionem in emiſſione eius factam; & cum hæc ſit totalis traditio, nihil ab eis voveri aut promitti poteſt, niſi ſub intellecta dicta conditione. Sic etiam ſe habent filii reſpectu parentum quantum ad ea, quibus plene illis ſubduntur, de quo ſuo loco agemus. Sic etiam ſe habet vxor reſpectu viri. Sic etiam ſervi reſpectu dominorum ſuorum, ſub quorum dominio degunt. Quare ſolum prælati religionum, parentes, (& idem eſt de tutoribus reſpectu pupillorum, & curatoribus reſpectu minorum, deficiente parente, in cuius loco ſuccedunt) vir reſpectu vxoris, & forte vxor reſpectu viri, de quo infra, & domini reſpectu ſervorum, habent dominativam poteſtatem ad irritanda vota. Vt eſt commune inter Doctores, quos ſuperfluum erit enumerare.

Nec ſummus Pontifex ſæcularium, nec Epiſcopus diœceſanorum vota irritare poſſunt.

33. Vnde Summus Pontifex non poteſt directe irritare vota omnium fidelium: quia licet reſpectu illorum habeat ſupremam poteſtatem iuriſdictionis, non dominativam, quia non conſtat illi datam eſſe à Chriſto Domino, nec erat neceſſaria ad ſupremum regimen Eccleſiæ, cum ad hoc ſufficiens ſit poteſtas iuriſdictionis, ratione cuius, juſta interveniente cauſa, poteſt diſpenſare omnia vota fidelium. Poteſt tamen Pontifex irritare vota Eccleſiaſticorum de rebus ad Eccleſiaſtica beneficia, & bona pertinentibus, ut diximus hoc *cap. num.4.* & omnia vota ſimplicia religioſorum, ac monialium, multo magis quam prælati immediati eorum, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.5. ad 3.* quia Papa ſpecialiſſimus eſt & ſupremus omnium religioſorum prælatus, in quo omnes conveniunt. ¶ Epiſcopi ſolum poſſunt irritare vota Monialium ſibi ſubiectarum, quia reſpectu illarum habent poteſtatem dominativam; non vero vota aliarum Monialium, & regularium exemptorum, qui per exemptionem ſunt ab eorum poteſtate liberati; nec vota ſuorum clericorum, aut aliorum ſæcularium irritare poſſunt: quia reſpectu illorum ſolum habent iuriſdictionem, non dominationem. ¶ Denique nemo poteſt ſibi ſua vota irritare, nec alteri ad irritandum ſibi ſuas vices committere: quia nemo poteſt votum emittere ſub conditione ſui conſenſus & beneplaciti, ſiquidem hæc conditio obligationem deſtrueret, aut illam vanam, & inutilem redderet, ut ſupra hòc *cap. num.11.* dicebamus in alio ſimili caſu, & in noſtro tenent Sanchez *lib. 4. cap.24. num.60.* Prado *capite 31. quæſt.13. §. 2. num.30.* Leander *tract.1. diſ.16. quæſt.14.* Palaus *diſ.2. punct.2. numero 5.* Candid. *diſquiſ.25. art. 13. dub. 1.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.29. num.4.* à ſancto Fauſto *lib.2. quæſt.26.*

Non requiritur quod Superior in ſpecie cognoſcat votum, & illud irritet.

34. Inquires quarto: an requiratur quod Superior in ſpecie cognoſcat votum irritandum, ut valide, & licite illud irritare poſſit? Reſpondetur negative, & quidem in noſtra ſententia non requirente cauſam ad licitam irritationem, eſt planum: ſed ſufficit ſi Superior dicat: *nolo te ullo eſſe voto gravatum: vel omne votum, quod emiſiſti, aufero.* Ideo enim in diſpenſatione, aut commutatione, requiritur cognitio voti diſpenſandi, aut commutandi, in ſpecie: quia cum pro eis iuſta cauſa proportionata requiratur, debet inſpici quod votum, quæ cauſa, ut una cum altero conferatur: cum ergo in noſtra ſententia non requiratur cauſa, etiam ad licitam irritationem; nec etiam erit neceſſarium, ut votum in ſpecie cognoſcatur à Superiore, ut licite & valide irritationem impendat. Sed adhuc in ſententia aſſerente requiri cauſam ad licitam irritationem, cum quælibet ſufficiat, & quod ſubditus ſe gravatum voto ſentiat pro ſufficienti cauſa habeatur, poterit dicere ſe gravatum voto aut votis exiſtere, ut petat irritationem, ſine eo quod ea in ſpecie manifeſtet, & poterit Superior omne votum ab eo auferre, dicendo: *ego tibi irrito quodcumque votum habeas de materia mihi ſubiecta.* Ita Baſilius Pontius *lib.10. de matrim. c.17. §.2. n.22.* Tambur. *in decalog. lib.3. cap.16. §.3. n.1.* Leander *tract.1. diſ.16. q.6.* Palaus *tract.15. diſ.2. punct.4. n.7.*

35. Denique

Poteſt Superior vota inferioris irritare ipſo renitente.

35. Denique rogabis: an Superior poſſit irritare vota inferioris, ipſo nolente, & renitente? Reſpondetur affirmative: qoia in hoc oon dependet ab inferioris conſenſu, ſed utitur poteſtate dominativa, ratione cuius votum inferioris ſub conditione dependentiæ à voluntate Superioris emittitur, aliter nullum eſſet: & ſic Superiore nolente votum exiſtere, etiam renuente ſubdito, ceſſat conditio ad valorem voti requiſita, & ſic votum irritum reddetur. Palaus *n.6.* Sanch. *lib.4. c.24. n.25.* Suar. *lib. 6. de voto c. 1. ad finem.* Sayr. *lib.5. cap.8. n.6.* Candid. *diſquiſ. 25. art. 2. dub. 3.* Bonac. *diſ. 4. q. 2. punct. 7. §. 2. num. 35.* Sed quia poterat ſubditus iterum votum emittere, & ſic irritationem fruſtrare, Superior, qui hoc effugere vellet, poſſet vel prohibere materiam, vel in futurum declarare ſe nolle, votum hoc, vel aliud quodcumque à ſubdito emitti abſque illius prævio conſenſu: quomodo ſi poſtea ſubditus voverit, nihil faciet, ut notant Suarez, Sanchez, Palaus, *locis citatis.*

PUNCTUM IV.

De irritatione votorum Regularium à ſuis Prælatis facienda.

Non omnia, ſed aliqua ſubditorum vota poſſe prælatos irritare, aliqui dicunt.

36. HActenus egimus de requiſitis ad irritationem in communi, veniamus ad particulares ſubditos, & Superiores, ut videamus, quæ vota, & qualiter poſſint ab illis irritari: quod præſtabimus, hoc, & ſequentibus punctis. Certe cum religioſi velle, & nolle, non habeant, niſi dependenter à ſuorum prælatorum voluntate, planum eſt prælatos, qui perfectam ſuper illos habent poteſtatem dominativam, poſſe eorum vota directe irritare. Sed non modica eſt inter Doctores controverſia, ad quæ vota talis poteſtas irritativa extendatur. Sunt qui ſatis probabiliter dicant, non ad omnia ſe extendere, nec omnia poſſe irritare; ſed illa duntaxat, quæ fuerint præiudicantia, aut impedientia iuriſdictionem & gubernationem eorum, aut aliquo modo obſervantiæ, oneribuſque illius præiudicaverint. Quare dicunt non extendi talem facultatem, nec ad vota de actibus internis, nec ad vota de recitatione Roſarii v.g. de moderatis jejuniis, & hujuſmodi. ¶ Et probatur hæc ſententia primo ex D. Th. *qui 2.2.q.104. art.5. corp.* dicit: *in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolum Deo.* Quod magis explicat in *ſolutione ad 2.* ibi: *Deo ſubiicitur homo ſimpliciter quantum ad omnia, & interiora, & exteriora, & ideo in omnibus obedire tenetur. Subditi autem non ſubiiciuntur ſuis ſuperioribus quantum ad omnia, ſed quantum ad aliqua determinatè.* Igitur non omnia inferioris vota poteſt Superior irritare: quia ad hoc requirebatur, quod eſſet inferior ſubditus illi quantum ad omnia. ¶ Et hinc ſumitur ratio huius ſententiæ: quia poteſtas dominativa provenit ex ſubiectione, non eſt quoad omnia ſubditus prælato ſubiectus, ſed quoad ea, ad quæ votum obedientiæ ſe extendit, quod ſolum obligat obedire ſecundum regulam: ergo ſolum ea vota irritare poterunt, quæ regulari obſervantiæ præjudicaverint. Sic Angleſ. *in floribus 2. p. q. unica de voto art. 7. diff. 2. concl. 3.* Armilla *verbo votum n.9.* Cajetan. *2.2. q.88. art.8. ad 3.* & *q.104. art. 5. fine.* Palatios *in 4. diſt. 38. diſp. 3. verſu verum in operibus fol. 873.* Sylveſt. *verbo votum 3. q. 3. fine.* Et probabilem dicunt Prado *cap. 31. q. 13. n. 31.* Sanchez *lib.4. cap. 33. num.6.* Leſſius *dub. 13. num. 74. fine* Palaus *diſp. 2. punct. 8. num. 1.*

37. Sed dicendum eſt: omnia vota religioſorum, quæ ſtatum non conſtituunt, etiam ſi ſint interna, etiam cum obſervantia compatibilia, quæcumque ſint, poſſe à Superioribus irritari. Hæc manifeſtè eſt D.Th. *2.2. q.88. art.8. ad 3.* ubi dicit: *nullum votum religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu prælati.* Idem habet *in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. quæſtiuncula ultima ad 3.* Ratio eſt: quia licet talis vel talis materia non ſubdatur prælato quoad obligationem, quæ ex lege divina, vel religionis, oritur, & ſic illam tollere non poſſit; bene tamen quoad novam obligationem voti, & vinculum voluntariè ſuſceptum: quia hoc ipſo, quod ſuum velle, & nolle, in Prælatum tranſtulerit, & illi quoad omnia ad rectam vitæ ſpiritualis directionem pertinentia ſe ſubiecerit, etiam ſe illi ſubiecit quoad onera ſuſcipienda, ſicut ad cætera ſupererogationis opera, & ſic in ſuſcipiendis novis obligationibus, quæ opera ſunt ſupererogationis, illius voluntati & directioni ſe ſummiſit. Et ſic obligatio & onus voti ab eo ſuſcipitur ſub tacita conditione approbationis Prælati. Et ita eſt communi praxi religionum ſuſceptum. Sic Soto *lib.7. de iuſt. q.3. art.1. dub.2. §. quartum operum genus.* Sanch. *loco citat.* & *cap.24. n.40.* Prado *n.33.* & *34.* Palaus *ubi ſupra* & *punct. 3. §. 1. n. 1.* Candid. *diſquiſ. 25. art. 2. concl. 4.* Suar. *t. 2. lib. 3. de voto c. 7. num. 8.* Aſcanius Tambur. *tom. 2. de iure Abbatum, diſp. 18. q. 4. n. 6.* & *11.* Vazq. *1.2. diſ. 160. cap. 4. n. 17.* Sayr. *lib. 6. cap. 10. num. 4.* Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 7. n. 6. concl. 3.* Bonac. *diſ. 4. q. 2. punct. 7. §. 1. n. 26.* Peyrin. *t. 2. de prælatis q. 3. cap. 3. n. 10.* Pellizz. *t. 1. tract. 2. cap. 4. q. 21. n. 6.* Valent. *diſp. 6. q. 6. punct. 6. q. 5.* Azor. *1. p. lib. 11. cap. 17. q. 16.* & *17.* Fagund. *lib. 2. cap. 35. n. 7.* & *11.* & alii. ¶ Et hæc doctrina non ſolum extenditur ad vota jam facta, ſed etiam ad fienda, & hoc non ſolum indirectè prohibendo materiam, ſed etiam directe, dicendo: quod ſi aliqua vota in poſterum emittantur ipſo inconſulto, ſint ipſo facto irrita & inania: quia hoc ipſo deeſt conditio, quæ imbibitur in voto ſubditi, ut ſit validum, Palaus *§. 1. n. 2.* Prado *n. 35.* Laym. *concl. 3.* Suarez *cap. 3. num. 15. & cap. 6. num. 25.*

Neque Superior vota ſubſtantialia, nec tranſeundi ad arctiorem, irritare.

38. Excipiuntur autem ab hac generali regula vota conſtituentia ſtatum, ſive ſimplicia ſint, ſive ſolemnia, quæ non ſunt irritabilia à prælato, cum ab eis tota hæc facultas irritativa proveniat. Excipiuntur etiam vota, quæ in aliquibus religionibus ſunt annexa tribus ſubſtantialibus, ut in Minimis votum abſtinentiæ, quadrageſimalis: in Mercenariis votum redemptionis captivorum: quia ex ſedis Apoſtolicæ ſtatuto & declaratione hæc vota non habent annexam conditionem conſenſus prælati. Sanch. *lib. 4. cap. 33. n. 2. 5. & 13.* Laym. *n. 6.* Prado *n. 36.* Palaus *diſp. 4. punct. ultim. num. 1. & 2.* Fagund. *lib. 2. cap. 35. n. 11.* ¶ Etiam excipitur votum tranſeundi ad arctiorem religionem ob ſpecialem iuris diſpoſitionem *in cap. licet de regular.* quia libera facultas, quam ius tribuit tranſeundi ad arctiorem, non eſt ſub conditione aſſenſus prælati prioris, cum ex vi illius deſinat eius ſubditus eſſe. Sanch. *num. 2.* Sotus *lib. 7. de iuſt. q. 3. art. 1. dub. 1.* Tambur. Ieſuita *in decalog. lib. 3. cap. 16. §. 3. n. 28.* Immò nec Summus Pontifex poteſt dicta vota irritare, nimirum tranſeundi ad arctiorem, & illa quæ ſunt ſubſtantialibus annexa: quia ipſi non competit poteſtas irritativa, quatenus eſt Summus Pontifex & caput Eccleſiæ, ſed quatenus prælatus ſupremus huius religionis, in qua ego profeſſionem emitto. Nam promittendo in illa obedientiam prælatis eius, etiam Summo Pontifici qui eſt ſupremus prælatus huius religionis illam promitto; ſed ut prælatus huius religionis nec eſt ſupra ius commune tollens à prælatis facultatem hæc vota irri-

 tandi,

tandi, nec eſt ſupra prælatos aliarum religionum, quibus ego per tranſitum ad arctiorem me ſubijcio, nec poteſt facere, quod vota annexa ſubſtantialibus vel non conſtituant ſtatum, vel ſaltem illum non integrent & compleant, & conſequenter non tribuant ius ad irritandum ea: cum nulla res ad deſtructionem ſui præbeat facultatem: cum ergo omnia facultas irritativa proveniat à votis conſtituentibus ſtatum, dicendum erit Summo Pontifici talia vota facultatem ea irritandi non præbere, maneréque proinde etiam ab ipſo, inirritabilia. Sic Sanchez *lib.4. cap.39. num.13.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.32. n.2.* Fagund. *lib.2. cap.35. num.10. & 11.* Leander *tract.1. diſ.16. q.57. & 60.*

Prælati, qui poſſunt vota irritare recēſentur.

39. Sed rogabis primo: qui prælati ſint illi, qui habent facultatem irritandi vota inferiorum directè ratione poteſtatis dominativæ? Reſpondetur, quod omnes illi, qui habent iuriſdictionem ordinariam, ut Generalis in toto ordine, Provincialis in ſua Provincia, Prior, Rector, Guardianus, aut quocumque alio nomine appelletur prælatus immediatus, reſp. ctu religioſorum conventualium ſuæ domus, & etiam hoſpitum, ſi tranſacto die integro hoſpitii maneant plene ſubiecti prælato illius domus, ut apud nos contingit ex diſpoſitione conſtitutionum. ¶ De legato à latere eſt difficultas, an habeat dictam poteſtatem? Aliqui negant: quia poteſtas irritandi non eſt in Pontifice ratione ſupremæ iuriſdictionis, ſed provenit illi à voto obedientiæ, quo religioſi illi, ut ſupremo ſuæ religionis prælato, ſubiiciuntur; ſed religioſi non vovent obedientiam legato: ergo licet hic habeat à Pontifice iuriſdictionem, non poteſtatem dominativam, ratione cuius poſſit irritare vota. Sic Sanchez *n.14.* Fagund. *n.15.* Trullench. *n.7.* Pellizz. *tom.1. tract.4. cap.4. ſect.4. q.6.* ¶ Sed immeritò: quia hoc ipſo quod religioſi promittant obedientiam Pontifici, etiam illam promittunt illius vicem gerenti: ſicut promittens obedientiam Priori, aut Generali, in eius abſentia tenetur illius vicem gerenti obedientiam præſtare; & cum ex voto obedientiæ poteſtas irritativa proveniat in prælato, dicendum eſt hanc habere Nuncium & legatum, qui Pontificis in eius abſentia vices gerunt. Sic N. Thom. à Ieſu *tract.3. de viſit. regular. c.17. n.7.* Lezana *tom.1. cap.4. n.31.* Prado *cap.31. q.13. n.39.* Hieronym. Garcia *in polit. regular. tom.1. tract.4. part.1. diff.3. dub.2. n.12.* ¶ Cæterum dictam facultatem non habent Domini Cardinales Protectores: quia ipſi non ſunt propriè, & ſtrictè prælati religioſorum, ſed ſolum ad determinatas materias habent ex diſpoſitione Pontificum determinatam & limitatam iuriſdictionem & auctoritatem, ut latè probat N. Lezana *tom. 1. cap. 9. num.4.* ſequitur Prado *num. 40.* Pellizzar. *quæſt.7. num.110.*

In quibus caſibus poſſint prælati ſecundarii irritare vota religioſorum.

40. Sed rogabis ſecundo: an prælati ſecundarii Conventuum, quos Superiores Vicarios, & apud Benedictinos, Priores, & in Societate, Miniſtros, vocant, poſſint religioſorum vota irritare? Reſpondetur, quod in præſentia Priorum, ſeu quando illi in domo ſunt, minime poſſunt irritationem impedire; ſi vero Priores (idem eſt de aliis primariis prælatis immediatis domus) à domo abſint per aliquot tempus, putà per unam diem naturalem viginti quatuor horarum, poterunt. Hæc ſecunda pars reſolutionis conſtat: quia tunc omnis gubernatio monaſterii ad hos ſecundarios prælatos devolvitur, tamquam gerentes vices proprii prælati, & pro tunc ſunt veri prælati, plenaque prælatorum poteſtate ad omnes effectus funguntur, (niſi pro aliquibus à prælatis propriis talia poteſtas limitetur,) & poſſunt præcepta imponere, & tenentur religioſi, illis obedire. Cæterum ipſis prælatis præſentibus, vel pro parvo tempore abſentibus, non poterunt vota irritare: quia tunc non ſunt prælati, ſed prælatorum coadiutores ad res quaſdam eis à ſuis ſuperioribus commiſſas, & nullam habent in religioſos dominativam poteſtatem. Sic Sanchez *lib.4. cap.33. n.16.* Suar. *lib.6. cap.7. n.17.* N. Ioan. à ſanctiſſimo Sacramento, *de officio Prioris Clauſtral. part.3. illat.5. num.431.* Candid. *diſquiſ.25. art.2. dub.5.* Prado *cap.31. q.13. §.3. n.42.* Fagund. *lib.2. cap.35. n.3.* Peyrin. *tom.1. tract.2. q.3. cap.3. n.16.* ¶ Poterunt tamen etiam prælato præſenti occupare ſubditum, tempore quo erat impleturus votum, in rebus ad ſuam domeſticam gubernationem pertinentibus, niſi aliàs ex ſpeciali mandato Superioris id tempus habeat ſubditus ad adimpletionem voti deſtinatum: quia tales vicarii ius habent præcipiendi in rebus illis, quæ ad eorum pertinent domeſticam gubernationem, commiſſum à Superioribus primariis. Quare licet directè non poſſint vota irritare, ut dictum eſt, poſſunt tamen ea ſuſpendere, quando illorum executio ſuæ gubernationi præiudicaverit, & ſic eo tempore, quo impleturus erat votum, ſubditum occupare, ac ſi tale votum non haberet. Suarez *lib.6. cap.7. n.17.* Palaus *tract.14. diſ.2. punct.8. n.5.* Sanchez *ſupra n.16.* & ex eo Fagundez *n.5.* & ex utroque Leander *tract.1. diſputatione 16. quæſt.19.*

Poſſunt Abbatiſſæ omnia vota ſuarum monialium irritare.

41. Rogabis Tertio: an Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ poſſint vota ſuarum monialium irritare? Reſpondent aliqui, ipſas ſola illa vota irritare poſſe, quæ ſuæ domeſticæ gubernationi præiudicaverint: quia illæ nullam aliam habent facultatem, niſi domeſticam, vel politicam, in ordine ad bonum, & temporale regimen domus ſeu familiæ: nec Moniales illis obedientiam promittunt niſi de illis rebus, quæ ad hanc domeſticam & politicam gubernationem pertinent: ergo ſolum de huiuſmodi poterunt vota irritare, quia ſolum circa hæc habent voluntatem monialium ſibi ſubiectam. Sic Azor. *1. part. lib.11. cap. 17. quæſt.3. ad finem.* Palaus *tract. 15. diſp.1. punct.8. n.7.* Rodrig. *tom.2. ſum. cap.89. n.9.* ¶ Sed abſolutè & univerſaliter dicendum eſt, ipſas poſſe omnia vota reſpectu ſuarum monialium irritare, quæ poſſunt prælati reſpectu ſuorum ſubditorum: quia hæc poteſtas non eſt poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis, quam Prioriſſæ non habent, ſed eſt poteſtas dominativa ſpiritualis, quam habere poſſe fœminas conſtat de ipſis, quando ſunt tutrices, aut curatrices filiorum. Et hanc habere Abbatiſſas vel Prioriſſas probatur: quia eis obedientiam promittunt moniales, & non minus illis ſubditæ ſunt, quam puellæ matri tutrici, & ſic nedum quoad gubernationem domeſticam, ſed quoad omnia ad ipſarum profectum ſpectantia illis ſunt ſubditæ & ſubiectæ. Et ſic vota cenſentur ab illis emiſſa ſub conditione, ſi Abbatiſſa conſentiat, vel non contradicat. Ledeſma *tom. 2. tract. 10. cap. 7. ad finem.* Lezana *tomo 1. ſumm. cap. 26. numero 15.* Pellizzar. *tomo 2. tract.3. cap.4. quæſt.31. num.64.* Sanchez *lib.4. cap.33. num.19.* Leſſius *lib.2. cap.40. dub.13. num.107.* & in alia editione *dub. 18. numero 133.* Suarez *lib.6. cap.7. num. ultim.* Candid. *diſquiſ.25. artic. 3. dub.4.* Raphaël à Torre *2. 2. q.88. art.9. diſ.2. num.6.* Aſcanius Tambur. *de iure Abbatiſſar. diſp. 32. q.6.* Alter Tambur. Ieſuita *in decalog. lib.3. cap.16. §.3. n.31.* Hieronym. Garcia, *in polit. regular. tom.2. tractat.10. diff. 6. dub. 7. punct.2. num.20.* Prado *cap.31. quæſt.13. §.2. numero 44.* Bonacina *diſp.4. quæſt.2. punct.7. §.2. numero 26.* Trullench. *lib.2. cap. 2. dub. 32. num.3.* & alii.

42. Denique

Nequeunt prælaõ directè vota novitiorum iritare ; ſed poſſunt illa ſuſpendere.

42. Denique rogabis : an prælati poſſint irritare vota novitiorum ? Reſpondetur negative : quia novitii cum adhuc obedientiam non promiſerint, ſub nullius ſunt poteſtate dominativa, ſed ſunt ſui juris, unde à nemine, etiam à ſum no Pontifice, poſſunt eorum vota irritari, ut tenet omnium ſententia. Cæterum prælati (& idem eſt de novitiorum Magiſtris, quibus ſpecialiter & immediate regimen illorum incumbit) poſſunt perſonalia vota novitiorum impedientia executionem exercitiorum Novitiatos ſuſpendere; imò ipſo iure ſunt ſuſpenſa, & non obligant Novitium dum eſt in Religione : quia votum non debet maiori bono obſtare, ut votum de aliquibus jejuniis, peregrinationis, &c. Et idem eſt de aliis votis, quæ licet oon impe liant exercitia ordinis nimis aggtavant Novitios, quod poſſunt illa prælati ſuſpendete pro tempore Novitiatus ; ſecus verò alia vota, quæ nec nimis aggtavant, nec ſunt incompatibilia cum exercitiis Novitiatus, ut votum recitandi Roſarium, jejunandi tali die, &c. Candid. *art.* 2. *dub.* 6. & 7. Sanchez *num.* 35. & 37. Fagundez *num.* 6. à Sancto Fauſto *lib.* 2. *de votor. irritat. quæſt.* 179. Leander *tract.* 1. *diſ.* 16. *quæſt.* 30. Sed hæc vota, quæ ſuſpenduntur à prælato, ſi exeat à Religione Novitius, teviviſcunt : quia ſolum pro illo tempore eraut conſopita & ſuſpenſa. ¶ Vota vero tealia, cum non impediant exercitia Religionis, aut Novitiatus diſciplinam, aut jugum Religionis aggravent, nec irritari, nec ſuſpendi poterunt à prælatis vel magiſtris, ut votum eleemoſynæ ex ſuis bonis elargiendæ, votum ſic de ſuis bonis diſponendi, &c. Sanchez *num.* 36. Fagundez *num.* 4. Suarez *l.b.* 6. *c.* 7. *n.* 12. Palaus *diſ.* 2. *punct.* 8 *.n.* 10.

Vota Novitiorum poteſt prælatus in exercitia Religionis cõmutare.

43. Cæterum hæc vota tealia, & illa perſonalia, quæ non poſſunt prælari, nec irritare, nec ſuſpendere, poſſunt a prælatis vel magiſtris commutari in onera Novitiatus exequenda : quia ex una parte eſt commutatio in id, quod evidenter eſt melius, & ex alia cum à nemine ſint vota tealia acceptata (ut ſupponimus) nec intimata, nec alicui ius aliquod quæſitum, poſſunt non minus quam perſonalia, in opera Religionis commutari. Leſſius *lib.* 2. *cap* 40. *dub.* 13. *num.* 80. & *dub.* 16. *n.* 107. *in ſecunda editione.* Rodtiguez *tom.* 2. *Summ. c.* 89. *numero ultimo*, & *tom.* 2. *quæſtionum Regularium, quæſt.* 25. *articul.* 8. Sanchez *num.* 45. Fagundez *cap.* 36. *num.* 4. Prado §. 3. *num.* 45. Palaus *num.* 10. Qui bene advertunt, quod in dicto caſu oporteret in hæc, vel illa opera determinata commutationem fieri, niſi in omnia opera Novitiatus vota commutentur, nimis gravetur Novitius, & ſcrupulis exponatur, ſi omnia exercitia Novitiatus ut obligatoria ex voto ſuſciperet, ſi in omnia eſſent vota commutata ; ſed tenebitur ex vi voti ad illa opera determinata, in quibus commutatio fieret. ¶ Semel tamen facta commutatione, ſi Novitius è Religione exeat, vota non reviviſcunt, ſi commutatio fiat abſolutè, & in opera æquivalentia, quæ tam in Novitiatu, quam extra exequi poterant, ut in tot jejunia, tot flagellationes, &c. quia jam tunc facta eſt legitime & abſolute commutatio, & tranſiit obligatio voti in materiam ſobrogatam ; ſecus tamen ſi commutatio non fuit facta abſolute ; ſed pro tempore Novitiatus, ut quando fuit facta in opera propria Novitiatus. Et quia ut in plurimum ita ſolet fieri commutatio, in dubio præſumendum eſt, ſic fuiſſe factam, & tenebitur exiens votis, quibus antea tenebatur. Sanchez *cap.* 33. *numero ultimo*, Fagundez *num.* 4. Palaus *num.* 10. *fine.* Leander *quæſt.* 34. ¶ Advertit tamen Sanchez *lib.* 4 *Summ. cap.* 39. *num.* 17. & *de matrimon. lib.* 9. *diſ.* 39. Rodriguez *tom.* 2. *quæſtionum Regularium*, *q.* 25. *art.* 8. & *in Summ. tom.* 2. *cap.* 89. Bonac. *punct.* 7. §. 4. *num* 27. poſſe prælatos diſpenſare in votis Novitiorum : quia habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam in illos, & gaudent privilegiis Religioſorum, ut ſupra hoc tomo *tractatu* 15. *de ſtatu Religioſ. cap.* 4. *num.* 88. diximus. Et infra *hoc capite* latius dicemus.

PUNCTUM V.

Quæ filiorum vota valeant parentes, tutores, & curatores irritare.

Quando infantia, pubertas, minoritas, incipiat, & finiatur.

44. PRo dicendis hoc puncto prænotandum eſt : infantiam tam in viris, quam in fœminis, incipere à puncto Nativitatis, & durare uſque ad ſeptimum annum completum, & tunc finiri, eoque tempore dicuntur infantes. Ætas autem pupillaris, ſeu impubertatis (ratione eujus dicuntur impuberes & pupilli) incipit ab anno ſeptimo, & finitur in fœminis anno duodecimo expleto, & in viris anno decimoquarto : computato tempore à die Nativitatis pueri, vel puellæ uſque ad duodecimum in fœminis, & in viris uſque ad decimum quartum, & tunc finitur. Et ab eo tempore incipit ætas pubertatis, & minoritatis (ratione cuius dicuntur puberes, ac minores) quæ ætas pubertatis ſecundum jus commune durat uſque ad vigeſimumquintum annum tam in viris, quam in fœminis, computato tempore à die Nativitatis, *leg.* 2. *C. ſi minor ſe maiorem dixerit.* ¶ Et hinc fit officium tutoris, qui pupillo, & impuberi, regendo in defectum patris datus eſt, finiri ipſo facto, cum pupillus attingit pubertatem *inſtitutis quibus modis tutela finitur princip.* Officium vero curatoris, qui pro minori ætate puberi in defectum patris aſſignatur, ad illius res præcipuè adminiſtrandas, ceſſat ipſo iure, finita pubertate ſeu ætate minoris, quæ ut diximus ſecundum ius commune eſt uſque ad vigeſimumquintum annum. Aliquando autem ſolet beneficio Principis officium curatoris finiri, concedendo veniam ætatis, antequam pubertas finiatur, ut colligitur *ex l.* 1. & 2. *C. de his, qui veniam Principis.* Per matrimonii autem contractum non finitur officium curatoris, juxta *legem* 1. & 2. *ff. de minoribus.* ¶ Quid autem ſit patria poteſtas ? quos effectus habeat ? in quibus detur ? reſpectu quorum ? quibus modis ſolvatur ? diximus *tom.* 3. *de iuſtitia tract.* 12. *cap.* 2. *punct.* 10. §. 1. *per totum.* Quæ ſint bona caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, profectitia, & adventitia, quorum pater habeat dominium, quorum uſumfructum, vel adminiſtrationem ? ibidem §. 2. diximus : ad quæ hoc puncto recurrere neceſſarium erit.

Valida ſunt vota impuberum ; ſed omnia tam realia, quam perſonalia poſſunt à patre irritari.

45. His ſic prænotatis, dicimus omnia vota filiorum impuberum tam realia, quam perſonalia, & mixta, tametſi valida ſint, poſſe à parente irritari ; etiam votum Caſtitatis, vel Religionis, vel quodcumque aliud perſonale, vel reale ; etiam ſi filius doli ſit capax, & ob id ante pubertatem matrimonium contrahere

poſſet,

poſſet. Quod autem talia vota ſint vali la,etiam emiſſa ab impubere, dummodo rationis uſu gaudeat, ita ut peccare, & mereri poſſet, docet D.Thom. 2. 2. *quaſt*. 88. *art*.9. *ad* 1. *& quaſtione ultima, art*.5.*ad* 3. ubi ſola vota puerorum uſu rationis carentium dicit eſſe invalida. Et ratio eſt, quia ex iure naturæ ſulum requiritur ad valorem voti, quod ſit promiſſio de meliori bono cum ſufficienti & pleno uſu rationis emiſſa, & aliàs nullo jure poſitivo pro votis deſignatur determinata ætas, niſi ſint vota ſolemnia: ergo habent quidquid requiritur, ut talia vota valida ſint & obligatoria. Quod omnes concedunt. ¶ Quod autem omnia vota impuberum irritare poſſit pater, etiam ſi ſit votum caſtitatis, etiamſi religionis, etiamſi votum reale, vel mixtum, etiamſi votum reale ſit de peculio caſtrenſi, aut quaſi caſtrenſi, probatur. Primo ex D.Thom. 2.2. *quaſt*.88. *art*.9. ubi ſic dicit; *Si vero ante pubertatis annos attingit uſum rationis, poteſt quidem quantum in ipſo eſt ſe obligare; ſed votum eius poteſt irritari per parentes, quorum iuri remanet adhuc ſubiectus.* Idem habet *ad* 2. *& art*.8. *ad* 3. Et habetur *c.mulier* 32. *queſt*.2. & in Concilio Tuletano 10.*c*.6. ut refertur *c*.1.10. *quaſt*.2. Cum ergo de omnibus votis abſolute loquantur tam iura, quam D. Thom. non diſtinguendo inter perſonalia aut realia, inter hæc vel illa: intelligendum eſt loqui de omnibus. ¶ Secundo, quia maxime expediens erat, ut tempore, quo filius imbecilli uſu rationis gaudere creditur, aliena voluntate regatur, illique ſubiectus ſit in obligationibus aſſumendis, quæ in illa ætate non ita perfecte cognoſcuntur & ponderantur; & licet aliquando gaudeat perfecto uſu rationis ad hæc perpendenda, id eſt per accidens, quare cenſendum eſt omnia vota ab ipſis emitti ſub conditione conſenſus patris. Sic Cajet. 2.2. q.88. *art*.9. *ad* 1. §. *ad hoc dicitur: & in ſumm. verbo votum, cap*. 3. Suarez *lib*.6. *cap*.6. *num*.6. *&* 7. Sanchez *lib*.4. *cap*.18. *num*.7. Prado *cap* 31.*quaſt*.23. *num* 61. Bonacin. *tom*.2. *diſ*.4. *queſt*. 2. *punct*.7. §. 2. *à num*.18. Tamburin. *in decalog. lib*.3. *cap*. 16. §. 3. *num*. 9. Fagundez *lib*. 2. *cap*. 33. *num*.11. Trullench. *lib*.2. *cap*. 2. *dub*.34. *num*.2. Palaus *tract*.15.*diſput*.2. *punct*.7. *num*.4. Layman. *lib*.4. *tract*.4. *c*.7. *n*.10. Leſſius *lib*.2.*c*.40.*dub*.14.*n*.28.

Vota perſonalia puberiſi nequeunt à parente irritari, niſi præiudicent patriæ poteſtati.

46. Poſteaquam filii pubertatem nacti ſunt, ſive pueri fuerint, ſive puellæ, etiamſi ſint ſub patria poteſtate, nullum eorum votum perſonale poteſt à parentibus irritari, niſi præjudicet patriæ poteſtati, ſeu impediat gubernationem & regimen domus. Quia eatenus ſunt irritabilia, quatenus emiſſa ſunt ſub conditione conſenſus eius, cui vovens ſubjectus eſt, & ſub cujus eſt poteſtate & dominio; ſed homo liberæ conditionis eum pervenit ad perfectum uſum rationis (qualiter jam pubes factus cenſetur pervenire) nulli eſt ſubjectus quantum ad ea, quæ pertinent ad diſpoſitionem ſuæ perſunæ, ſed pro libito de illa, & actionibus eius diſponere poteſt, ut docet D.Thom. *in* 4.*diſ*.38. *q*.1. *art*.1. *quaſtiunc.ultim.ad* 2. *&* 2. 2. *queſt*.88. *art*.8. *ad* 2. ob idque diximus *tom*. 2. *tract*.9. *de matrim. cap*.6. *num*.14. poſſe ſine conſenſu patris matrimonium contrahere, & profeſſionem emittere: ergo quantum ad perſonalia vota non ſubjicitur parentibus: & hæc proinde non poterunt ab eis irritari. ¶ Quod autem ea, quæ præjudicent patriæ poteſtati ſeu gubernationi domus, poſſint irritari à parentibus, conſtat, Quia cum talia ſint in præjudicium patris, ut valida ſint, debent emitti ſub tacita conditione conſenſus illius: ac proinde poſſunt à parente irritari. Vnde dixit D.Thom. *loco citato ex* 2.2. *Quod ex quo homo venit ad annos pubertatis, ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ poteſtatis, quantum ad ea, quæ pertinent ad ſuam perſonam: puta, quod obliget ſe Religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat; non autem eſt ſuæ poteſtatis, quantum ad diſpenſationem domeſticam. Vnde circa hoc non poteſt aliquid vovere, quod ſit ratum, ſine conſenſu patris.* Et ratio utriuſque partis radicalis eſt: quia homo poſt pubertatem jam præſumitur plenam & perfectam diſcretionem habere ad vovendum, & ſic ex parte perſunæ nulla adeſt ratio irritationis: unde ſolum poteſt adeſſe ex parte materiæ promiſſæ, quæ ſi adminiſtrationi paternæ aut domeſticæ gubernationi præjudicium attulerit, neceſſario promiſſio de illa ad ſui valorem debet ſub illa tacita conditione fieri, *Niſi parens in aliquo præjudicaverit*. Unde utramque partem docent Raphaël de la Torre 2. 2. *quaſt*.88. *art*.9.*diſ*.4. *num*.3. Prado *cap*.31. *q*.23. *num*.63. Sylveſter *verbo votum* 3. *queſt*.6. Sanch. *cap*.35. *à num*.14.Fagundez *lib*.2.*cap*.33.*num*.30. Trullench. *num*.3. Tambur. *num*.11. Sayr.*lib*.6. *cap*.3. *num*.6. Valentia 2.2.*diſ*.6. *quaſt*.6. *punct*.6. *queſt.ultim*. Palaus *num*.9. Leſſius *num*.48.Bonac. *num*.21. Suarez *lib*.6. *cap*.3. *num*.4. ¶ Vnde nequit pater irritare filiorum puberum vota, Caſtitatis, Religionis, de jejuniis moderatis, de recitatione Roſarii, aut aliarum precum, de frequentia Sacramentorum, & alia ſimilia. Poſſet tamen irritare vota longæ peregrinationis, vel abſentiæ, etiam ſi in illis nulli ſumptus paterni eſſent conſumendi: quia obſtant curæ paternæ, quam cum filio habere debet: etiam votum vacandi orationi horis, quibus inſervire patri debebat, aut votum de jejunio non compatibili cum modo illius familiæ, vel quo non poſſet labori ordinario incumbere, & ſimilia.

Omnia vota realia filiorũ puberum poſſunt à parentibus irritari.

47. Cæterum omnia vota realia à filiis puberibus emiſſa quandiu ſunt in ætate minoris, nimirum ante completum vigeſimumquintum annum, poſſunt à parentibus irritari. Et ratio eſt, quia ante illam ætatem carent adminiſtratione bonorum, & ſunt ſub parentum cuſtodia, & cura, ita ut de rebus & bonis ipſorum ſine illorum auctoritate non poſſunt diſponere, & ſic ſub conditione de conſenſu paterno cenſentur promiſſiones emittere. Unde dixit D. Thom. 2. 1. *quaſt*.88. *art*.8. *ad* 1. *Non poteſt omnino ſalvari ratio voti, cum quis in poteſtate alterius conſtitutus vovet, id, quod eſt in poteſtate alterius, niſi ſub conditione, ſi ille, ad cuius poteſtatem pertinet, non contradicat.* Et idem eſt de votis mixtis quoad partem, qua realia ſunt: quia quoad illam præjudicant paternæ poteſtati, non quoad partem, qua ſunt perſonalia, niſi utraque pars ſit inſeparabilis, ut votum longi itineris, aut peregrinationis; non enim Deus recipit votum, quod cedit in alterius præjudicium. Prado *num* 67. Sanchez *num*.22. Trullench. *num*.6. Leander *tractatu* 1. *diſputatione* 16. *quaſt*.86. *&* 88.

Non poteſt pater irritare votum reale filii de peculio caſtrenſi.

48. Excipitur votum de peculio caſtrenſi, aut quaſi caſtrenſi, quod irritari nequit à parente: quia quoad illud eſt filius ſui juris, nec patri præiudicare poteſt, *l. filiusfamilias, ff. de donationib*. Similiter non poteſt irritare votum filii puberis de bonis adventitiis, quorum neque

que uſufructum, nec dominium habet pater: quia ſolum ob illas rationes ei præjudicare poterat. Sanchez *cap.35. num.*41. Palaus *num.*22. Quando autem, & in quibus caſibus habeat pater adminiſtrationem, vel uſumfructum horum bonorum? diximus *tom.3. tract.*12. *cap.*2. *num.*135. ¶ Similiter nequit pater irritare votum filii eundi Romam ad petendam abſolutionem excommunicationis *ex cap. relatum, de ſentent. excommunic.* niſi ratione Bullæ, aut privilegii poſſet ab alio abſque tali peregrinatione abſolvi: quia tunc ceſſat neceſſitas, quæ eſt ratio legis. Palaus *num.*10. Trullench. *num.*7. Sanchez *num.*27. Prado *num.*68. Leander. *q.*192. ¶ Denique quæcumque vota a filio emiſſa poſtquam egreſſus eſt à patria poteſtate, non ſunt à parente irritabilia: quia jam non eſt ſub cura, aut cuſtodia parentum. Quando vero ſolvitur patria poteſtas, vel non: diximus *loco citato*, §.1.

Tutor reſpectu pupilli, & curator reſpectu minoris, poteſt illius vota irritare, quæ pater poteſt.

49. Quæcumque hactenus dicta ſunt de patre, intelligenda ſunt de tutore reſpectu pupillorum, nimirum puellarum, vel puerorum impuberum: quia in omnibus inſtat pater habetur, & ei cura tradita eſt tam bonorum, quam perſonæ pupilli. Et ſic omnia vota tam perſonalia, quam realia illius, irritare poteſt, quandiu durat ufficium tutoris. Quod extinguitur quando pupillus pervenit ad pubertatem, *l.*1. *regn. tit.*16. *partit.*6. Curator autem reſpectu minoris poteſt vota perſonalia, quæ præjudicant gubernationi domeſticæ, & non alia. De realibus eadem ac pater irritare poteſt: quia ſuccedit in vices illius: cum hoc ſolo diſcrimine, quod pater poteſt irritare vota filiorum, quandiu ſub patria poteſtate exiſtunt; quia tandiu habet ſuper illos poteſtatem dominativam, à qua minime eximitur, ob quamcunque ætatem etiam ſenilem, aut decrepitam, ut diximus *tract.*12. *cap.*2. *punct.*10. §.1. *n.*126. At curator nequit vota minorum irritare quando ipſi vigeſimum quintum annum attingunt: quia ipſo facto ceſſat curatoris officium. Sanchez *hic lib.*4. *cap.*35. *num.*29. *& de matrimon. lib.*6. *diſp.*39. *num.* 10. Leſſius *lib.* 2. *cap.*42. *dub.*12. *num.* 61. Candid. *diſquiſ.*25. *articulo* 10. *dub.*15. ¶ Si autem fuerint plures tutores impuberis, vel puberis plures curatores, poteſt quilibet ipſorum vota ſui ſubditi irritare: quia quilibet habet ſufficientem ad hoc poteſtatem, cum hæc ratione officii cuilibet conveniat, nec unus in hoc dependeat ab alio, nec ſit major ratio quare unus, & non alter id efficere poſſit, & cum quilibet poſſit, prævalet irritans: quia neuter eorum habet facultatem ab altero impedibilem. Suarez *lib.*6. *cap.*6. *num.*22. Sanchez *in Summ. cap. illo* 35. *num.*70. Bonac. *diſp.*4 *quæſt.*2. *punct.*7. §.2. *num.* 25. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*35. *num.*6. Tambur. *lib.*3. *cap.*16. §.3. *num.*18. Prado *c.*31. *q.*13. *n.*71. Palaus *tr.*15. *diſp.*2. *punct.*7. *n.*14.

Aliqua pro difficultatis reſolutione ſupponuntur.

50. Secunda difficultas eſt: an mater valeat vota filiorum, vel in præſentia, vel in abſentia patris, irritare? Aliqua ut certa ſupponimus. Primo, quod ſi mater ſit deſignata tutrix, aut curatrix filiorum, ob mortem, vel abſentiam patris, poteſt irritare vota filiorum ſicut alii tutores, & curatores: quia iam filii ſub cura illius conſtituuntur, quorum habet bonorum adminiſtrationem. Et hinc fit, quod ſi filius nec curatorem aut tutorem habeat, nec patrem, nec avum ex parte patris, quod tunc mater poterit filiorum vota irritare: quia conſonum eſt rationi in eo caſu, ut mater, vel avia ſuccedat, quæ minori provideat, & tunc vere erit curatrix, aut tutrix, & ut talis ad minus, ſi non ut mater, poterit dicta vota irritare. Quod aliqui non admittunt, arbitrantes in illo caſu filium eſſe ſui iuris, & illi bonorum adminiſtrationem incumbere: proindeque matrem, neque ut matrem, neque ut curatricem, poſſe filiorum puberum in eo caſu vota irritare; niſi deſignetur curatrix, quod ex iure ipſo non habet. Sic Sanchez *lib.*4. *cap.*35. *num.*77. Suarez *lib.*6. *cap.*5. *fine.* Palaus *punct.*7. *num.*15. Trullench. *dub.*36. *num.*4. Sed id, quod diximus in eo caſu matri incumbere eſſe curatricem, dicunt eſſe probabile. Quod tenent Tambur. *lib.*3. *cap.*16. §.3. *num.*25. Sayr. *lib.*6. *cap.*10. *numero ultimo*, Prado *num.*77. Leander *quæſt.*121. ¶ Secundo ſupponitur, quod patre vivente, vel eo mortuo, exiſtente curatore, non poterit mater filiorum puberum vota realia irritare: quia tunc adminiſtratio bonorum non eſt penes ipſam, iuxta textum §. *fœmina inſtitut. de adoption.* ſed apud patrem, vel curatorem. ¶ Tertio ſupponitur, quod licet mater non poſſit directe filiorum vota irritare, vivente patre; poteſt illorum executionem ſuſpendere, quouſque pater conſulatur, & de remedio provideat: quod neminem negare vidimus. ¶ Denique ſupponitur, quod deficientibus patre, matre, tutore, aut curatore, poſſunt avii, & aviæ, & alii aſcendentes irritare vota nepotum, cum hac proportione, quod aſcendentes ex parte patris poſſunt vota, quæ pater irritare poterat; aſcendentes ex parte matris, quæ mater, quia illis competit hoc ius ratione iſtorum, & ſunt velut parentes ſucceduntque in eorum loco, & illis tenentur filii obedire. Sanchez *libro quarto, cap.*35. *numero* 82. Trullench. *libro ſecundo, cap.*2. *dub.*36. *num.*5. Suarez *lib.*6. *cap.*6. *n.*22. Bonac. *punct.*7. §. 2. *num.* 18. Tamb. *lib.*3. *cap.*16 §.3. *n.* 21. Palaus *diſ.*2. *punct.*7. *num.*7. & 8.

Non poſſe matrem in præſentia patris filiorum vota irritare, aliqui dicunt.

51. Circa difficultatem ergo variæ ſunt & multiplices ſententiæ, ad duas illas reducemus. Prima duo dicit. Primum, quod ſi pater ſit præſens, vel eo mortuo, curator aut tutor, non poteſt mater ulla vota filiorum impuberum irritare. Secundum, quod ſi non ſit pater, vel quia mortuus, vel quia amens eſt, vel ita diſtans ut nequeat moraliter adiri, nec detur curator, aut tutor, poteſt, tunc mater vota omnia filiorum impuberum irritare. Probatur quoad primam partem hæc ſententia: quia poteſtas irritativa in eo fundatur, quod filius eſt ſub cura & dominio parentum quandiu eſt ſub patria poteſtate; ſed mater non habet patriam poteſtatem reſpectu filiorum, ut diximus *tract.*12. *cap.*2. *n.*125. & conſtat ex *inſtitut. de adopt.* §. *fœmina*, ubi dicitur: *Fœminæ nec naturales filios habent ſub ſua poteſtate.* Ergo quatenus mater (niſi alias ſit tutrix, aut curatrix, quod præſente patre non poteſt eſſe) non poteſt filiorum impuberum vota irritare. Secundo, quia ſolus pater eſt caput familiæ, vel avus ex parte patris, vel tutor, qui in vices patris ſuccedit: illi ergo, & non mater, poterunt filiorum vota irritare. ¶ Secunda vero pars probatur, quia ſi non ſit pater, avus, vel tutor, jure ipſo naturali matri datum eſt,

impuberem gubernare, ne pupillus impubes careat, qui eius imbecillitati in vovendo conſulat, & hoc ipſum convenit avo, & ayiæ ex parte matris, deficiente parente, tutore, & matre: quia ſunt parentum loco, & in illorum vice ſuccedunt. Sic Suarez *lib.6. de voto, cap.5. fine, & cap.6. à num.19.* Sanchez *lib.4. cap.35. num.77.* Tambur *lib.3. cap.16.§.3. num.21.* Vivaldus *in Candelabr. 3. part. cap.14. num.47.* Rodriguez *tom.2. cap.91. num.10. concluſ.9.* Raphaël de la Torre *2.2. quæſt.88. art.9. diſputatione 4. num.10.* Palaus *tractatu 15. diſ.2. punct.7. num 7. & 15.* Candid. *diſquiſ.25. art.10. dub.5.* Trullench. *cap.2. dub.36. à num.1.* Leander *tractatu 1. diſputatione 16. à quæſtione 118.* Laym. *lib.4. tractatu 4. cap.7. num.10.* Bonacin. *diſp.4. quæſt.2. punct.7.§.2.n.18.* Hæc eſt probabiliſſima ſententia.

Verius eſt poſſe matrē omnia vota filiorū, quæ poteſt pater irritare.

52. Sed non minus probabilem iudicamus ſententiam, quam tenent R.P.M.Fr. Ioannes Martinez à Prado *tomo ſecundo, cap.31. quæſtione 13. à num. 77.* Philiarch. *de offic. Sacerdot. tomo primo, parte ſecunda, libro tertio, capite 4. Margarita Confeſſorum, ubi de irritatione votorum, fol.1341. colum. 2.* Aſſerentem; matrem, etiam patre vivente & præſenti, vel eo mortuo, etiam tutore aſſignato, poſſe omnia vota impuberum irritare, ſicut poteſt pater: quamvis talis poteſtas ſit primario & principaliter in patre, & in matre minus principaliter; & ſic in matre cum hac ſubordinatione ad patrem, quod pater etiam contradicente matre poſſit vota filiorum irritare; non ſic mater contradicente patre. Similiter aſſerit hæc ſententia: poſſe matrem filiorum, & filiarum puberum vota perſonalia irritare, quæ ſuæ gubernationi domeſticæ præiudicant, ſicut de patre diximus, non tamen poterit vota realia filiorum puberum irritare præſente patre, aut curatore, quibus competit adminiſtratio rerum filii puberis, juxta *textum, §. fœmina inſtitut. de adoptionib.* niſi mater bona paraphernalia habuerit, quorum adminiſtratio eſt penes ipſam, & ſic ſi vota filiorum realia fuerint de iſtis poterit illa irritare: quemadmodum de patre diximus, quod vota realia filiorum de rebus, quæ ſunt ſub adminiſtratione patris, poteſt irritare, non vero vota de peculio caſtrenſi, quod eſt ſub plena poteſtate filii pubertatem nacti. Vnde hæc ſententia in omnibus æquiparat matrem cum patre: nam vota perſonalia filiorum puberum, quæ poſſunt ſuæ gubernationi præjudicare, & non alia, dicit, poſſe matrem irritare. Quod idem diximus *num.46.* de patre. Quod vota realia puberum de rebus, quæ ſub adminiſtratione matris exiſtunt poteſt irritare; non de aliis rebus, quarum non habet adminiſtrationem. Idem diximus de patre *num.47.* Ac denique, quod adhuc vivente & præſente patre, vel eo mortuo, tutore exiſtente, poteſt mater omnia vota realia, & perſonalia filiorum impuberum irritare, ſive ſit votum Caſtitatis, Religionis, ſive votum ſit reale de peculio caſtrenſi, ſive quodcumque aliud, uti diximus *num.45.* de patre. Hoc ultimum, in quo hæc ſententia diſcedit à communi.

Probatur rationibus, & auctoritatibus dicta ſententia.

53. Probatur primo ex D.Thom. *opuſc.17. cap.13. ad 10.* & ſequitur Soto *lib. 7. quæſt.3. art.1. §.ſcieſcitaris:* ubi indiſtincte affirmant parentes irritare poſſe vota filiorum; nomine autem parentum venit & pater & mater: & ideo *in cap. addimus 20. quæſt. 1.* dicitur, loquendo de irritatione votorum: *Si pater, vel mater, & in leg. regia 3. tit.8. partit.1.* ibi: *el que no fuere de edad no puede façer tal prometimiento, ò menos demandado de ſu padre, ò de ſu madre, ò de ſu guardador.* Ecce patrem, & matrem, & tutorem æquiparat quoad intentum. ¶ Secundo, quia in rebus ſpiritualibus, & ad animam ſpectantibus, qualis eſt hæc irritandi vota, potius ratio naturalis quam civilis attendenda eſt; ſed filii quamvis civiliter non ſint ſub cura matris, nec ipſa habeat patriam poteſtatem civilem ſuper illos, *inſtitut. de adoption. §. fœmina;* ſunt tamen naturaliter: & ſic, adhuc vivente & præſente patre, eſt mater Superior reſpectu filiorum, & illis præcipere poteſt, eoſque occupare, & ipſi matri obedire tenentur: quod præcipue currit reſpectu filiarum, quæ magis illi ſubditæ, ab eaque melius reguntur, & occupantur: ergo poterit mater eorum vota irritare, adhuc præſente patre; maxime in noſtra ſententia, quod talis poteſtas convenit non ex jure civili, ſed ex iure naturali. ¶ Et confirmatur hæc ratio: quia filii illegitimi etiam naturales non ſunt: ſub patria poteſtate iure civili, ut diximus *tract.12. cap.2. num.155.* ex *inſtitut. de patria poteſtate in principio*, ut omnes docent; & tamen quia naturaliter ſunt parenti ſubiecti, & ſub eius cura & obedientia, poteſt pater illorum vota irritare: quia ad hoc non eſt inſpicienda ratio civilis, ſed naturalis: ut tenent Sanchez *lib.4. cap.35. num.82.* Palaus *diſputatione 2. punct.7. num.5.* Tamburin. *lib.3. cap.16.§.3.num.9.* Leander *tractatu 1. diſput.16. quæſt.79.* & eſt communis: ergo licet mater non habeat civiliter patriam poteſtatem filiorum, quia illam habet naturaliter, poterit illorum vota irritare. Ob quam naturalem poteſtatem æque poteſt pater, ac mater, offerre filium impuberem Religioni, ut ſumitur *ex cap.2. de regular. cap. puella 2. quæſt.1.* quod tenent plures Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.4. Summ.cap.18. num.19.* Idem, & ob eandem rationem dicendum erit de votorum irritatinne, cuius poteſtas provenit ex eo, quod filii naturaliter ſunt ſub cura parentum, quibus teneutur obedire, ut inquit D.Thom. *2.2. q.189.art.5.*

54. Vltima difficultas eſt: an ſi impubes deſtitutus ſit patre, matre, tutore, curatore, & aſcendentibus: heri vel domini, magiſtri, vel nutritii illorum, ſub quorum diſciplina & directione exiſtunt, poſſint eorum vota irritare? Duplex probabilis in hac parte datur ſententia, & probabilem utramque eſſe ferè omnes auctores utriuſque aſſerunt. Prima affirmativa, quia in his orphanis, illi, à quibus reguntur, ſuccedunt loco parentum, vel tutorum, & eſt rationi conſentaneum eos habere talem facultatem, ne parvuli hoc ſubſidio careant, ſed habeant, qui in illa ætate debili, & infima in hac parte de remedio provideant. Suarez *lib.6. cap.6. num.23.* Sayrus *lib. 6. cap.10. num.18. fine.* Tamburin. *lib.3. cap.16. §.3. num.52.* Leſſius *libro ſecundo, cap.40. dub.20. n.78. in 1. editione, & in ſecunda, dub.14. num 82.* Pellizzar. *tomo primo, tractatu 4. capite primo, quæſtione 38. num.107.* Laym. *lib.4. tract.4. cap.7. num.10.* ¶ Sed tenenda eſt negativa ſententia: quia huiuſmodi impuberes carentes

Quis poteſt orphanorū vota irritare, qui parētibus, curatoribus & tutoribus ſunt orbati.

carentes parentibus, avis, curatoribus, & tutoribus, ſunt ſui juris, & nullus datur, qui habeat in eos poteſtatem dominativam: non civilem, quia nullo jure cavetur: non naturalem, quia nulli naturaliter ſunt ſubiecti. Quare illorum vota ſunt rata & firma à nullius voluntate dependentia. Sanchez *lib.4.cap.35. num.*84. Bonac. *diſt.4.quaeſt.2.punct.7.§.2.num.*18. Fagundez *lib.2.cap.33.num.*12. *& cap.39.n.*12. Trull. *lib.2.cap.2.dub.36.n.*7. Leander *tract.1.diſ.*18. §7.q.126. Palaus *tract.15.diſ.2.punct.7.num.*8. Prado *cap.31.quaeſt.13.§.4.num.*83.

PUNCTUM VI.

De votis uxorum, quæ poſſunt à viris, & de virorum votis, quæ poſſunt ab uxoribus irritari.

Vxor nulli mariti votũ poteſt irritare niſi ſibi præiudiciũ afferat.

55. CErtum eſt in præſenti uxorem non poſſe ulla vota viri irritare, niſi ea dumtaxat, quæ illi præiudicium afferunt: quia vir in nullo eſt ſubiectus uxori, quia ipſe eſt caput uxoris, & totius familiæ 1. Corinth. 11. *Caput uxoris vir, & in cap. mulierum 23. quæſtione* 5. dicitur, nullam mulieri ineſſe poteſtatem, ſed in omnibus viro eſſe ſubiectam. Vnde vota illa, quæ fuerint præiudicantia mulieri, potius dicenda ſunt nulla, quam ab ea irritabilia: quia ſunt de re non ſua, & de materia pro voto inepta. Quia tamen communiter ſic Doctores loquuntur, nimirum uxorem ea ſola vota, quæ ſibi præjudicant, irritare poſſe in viro, ſic eſt à nobis loquendum: quia licet vir non ſubjiciatur uxori, quoad voluntatem, neque quoad regimen domus; ſubditur tamen quoad illorum votorum materiam, quia vir & uxor mutuam ſibi corporum tradiderunt poteſtatem in contractu matrimonii, & non ſemper irritatio eſt actus poteſtatis Superioris, ſed poteſt eſſe cuiuſcumque habentis dominium. Sanchez *lib.4.c.30.num.*20. Baſilius *lib.10.c.17.§.2.num.*18. Tambur. *lib.3.c.16.§.3.n.*54. Prado *c.31.q.33.n.*101. Cand. *diſquiſ.25.art.*12. Bonac. *§.1.n.*17. Palaus *punct.6.n.*9. Trul. *lib.2.c.2.dub.33.n.*7.

Quæ vota mariti, ob præiudiciũ ſui, poteſt uxor irritare.

56. Quare poteſt uxor irritare votum viri longæ peregrinationis, niſi fuerit Hieroſolymitanæ in ſubſidium Terræ Sanctæ, ut conſtat ex *cap. multa, de voto*, cuius rationem breviter tangit D. Thom. *in 4. diſt. 32. art. 4. ad 1. Quod uxor debet velle contineri ad tempus ſubveniendo neceſſitati generalis Eccleſiæ.* Et etiam votum magnæ abſentiæ, ob cauſam etiam piam, poteſt irritare: quia ſibi præjudicium affert. ¶ Poteſt etiam irritare votum viri de mutando habitum ſæcularem in habitum Eremitæ aut Tertiarii (& multo magis vir poterit ſimile votum uxoris irritare) quia talis habitus generat horrorem, ſubindeque nocet obligationi reddendi debitum. Navar. *cap.12.num.*62. Fagundez *lib.2.cap.38. num.*35. Palaus *punct.6.num.*9. Sylveſter *votum.5.quaeſt.*1. *fine.* Leſſius *lib.2.cap.40.dub.15.num.*98. Suarez *lib.6. de voto cap.14. num.*14. Sanchez *lib.4. cap.34. num.35. & de matrimon. lib.9. diſ.3. n.*9. ubi ſic dicit: *Neutro coniugi abſque alterius conſenſu licere habitum mutare, v. g. indui veſtibus tertii Ordinis D. Franciſci: quia horrorem generat, ac ſubinde obligationi reddendi debitum nocet.* ¶ Etiam ſecundum aliquos poteſt uxor irritare votum viri de non petendo debitum, eo quod eſſet in eius præjudicium: quia ipſa cogeretur ſemper petere contra pudorem naturalem fœminarum. Layman. *lib.4.tract.4 c.7.num.*16. Henriquez *lib.11.de matr.c.15. num.8.ad finem.* Rodr. *tom.2. Summ.cap.90. num.*3. Trullench. *dub.33. num* 7. Vega *tom.2. Summ. cap.129. caſu* 93. Fagundez *lib.2. cap.38. num.*29. Et probabile dicit Candid. *diſquiſ.25. art.12. concluſ.*7. & probabiliſſimum Leander *tract 1.diſp.16. quaeſt* 141. Alii vero dicunt non poſſe tale votum viri irritare, nec illud in præjudicium uxoris cedere, cum hac conditione, ſi maritus ſe offerat aliquoties paratum debiti redditioni, quia per hoc tollitur uxori verecundia, quam habere poterat in petendo. Baſilius *lib.10.cap.17.§.2.num.*19. Sanchez *lib 4.cap.34.num.*7. Villalob. *tom 2. tr.34. difficult.22. num.*4. Leſſius *lib.2.cap.40. dub.15. num.*99. Illud eſt certum tale votum, ſicut & votum caſtitatis, aut continentiæ, ab uxorato emiſſum, eſſe indiſcretum, & illicitum: tum quia alteri coniugi moleſtum: tum quia valde periculoſum, & ſic minime conſulendum.

Sunt, qui aſſerunt, nõ omnia uxoris vota poſſe maritum irritare.

57. Quare tota difficultas devolvitur ad virum reſpectu uxoris: an nimirum poſſit omnia vota, tam realia, quam perſonalia, uxoris irritare: non ſecus ac prælatus poteſt omnia ſubditorum vota annullare, & pater reſpectu filiorum impuberum? Negat cum hac generalitate poſſe prima ſententia; ſed ea dumtaxat, quæ uſui matrimonii, educationi prolum, & gubernationi domeſticæ, præjudicaverint. Ideoque nec poſſe irritare votum de non peccando, de moderatis orationibus, aut jejuniis, de parva eleemoſyna facienda, de frequentatione Sacramentorum, de non ludendo, &c. Et probatur primo: quia vir ea ſola uxoris vota irritare poteſt, quæ ſunt de rebus, in quibus mulier ei ſubjicitur; ſed uxor non ſubjicitur viro in omnibus, ſed in his ſolum, quæ pertinent ad uſum matrimonii, educationem filiorum, & gubernationem familiæ, ac bonorum adminiſtrationem: ergo ea ſola vota irritare poterit, quæ tali ſubjectioni præjudicaverint; non aliа, ſive perſonalia fuerint, ſive realia. Secundo, nam ſubjectio uxoris ad virum non provenit ex eo, quod illi tradatur totaliter, ſicut Religioſus ſuo prælato eſt totaliter ſubjectus ob traditionem ſui totalem factam in profeſſione; nec ex aliqua determinatione juris poſitivi, ſicut impubes ſubjicitur totaliter patri, & tutori, quæ in præſenti non datur: ſed ſolum ex contractu & Sacramento Matrimonii; ſed hoc non dat totalem & omnimodam traditionem, & ſubjectionem, ſed ſolum eam, quæ ad talem finem conducit: ergo ſolum ea vota uxoris vir irritare poterit, quæ tali fini præjudicaverint. Sic D. Antonin. *3.part. tit.1. cap.*22. *§.1.fine.* Sylvius 2.2. *quaeſt.*88. *art.8.concluſ.*7. Sylveſter *verbo votum 5. quaeſt.*1. Graffis 1.*part. deciſion. lib.2. cap.19. num.*8. Gregor. Lopez 1. *part. cap.47. §.ultim.* Valentia 2.2.*quaeſt.88.diſp.6. quaeſt.6.punct.6. in ultim. difficult.* Navarr. *cap.11. num.*65. Sayr. *lib.6. cap.5.num.*8. Laym. *lib.4. tract.4.cap.5. num.*12. Azor *lib.11. cap.17.q.*11. *& cap.16. quaeſt.ultim.* Suarez *lib.3.cap.6.num.*26. *& lib.6. cap.4.num.*2. Leſſius *lib.2.cap.40.dub.15. num.89. in ſecunda editione.* Palaus *diſp.2. punct.6. num.*2. Baſilius *lib. 10. de matrim. c.17. num.*3. Bonac. *diſp.4. q.2.punct.7.§.2.n.*22. Trullench. *lib.2.c.2.dub.33.n.*2.

Omnia vota uxoris realia, & perſonalia, quæcûque ſint, poſſunt à marito irritari.

58. Sed dicendum eſt: virum poſſe omnia vota, tam realia, quam perſonalia, uxoris, quæcumque illa fuerint irritare; nnn ſecus ac prælatum omnia ſubditorum vota irritare poſſe diximus *num.* 37. & patrem omnia vota filiorum impuberum diximus *num.* 45. Et probatur aſſertio ex auctoritate: nam Apoſtol. ad Epheſios 5. dicit, quod: *Sicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.* Et 1. ad Corinth. 11. dixerat: *Caput uxoris vir.* Vnde ſicut omnes corporis actiones capiti ſubduntur, & ab eo gubernantur, & Eccleſia eſt Chriſto quoad omnia ſubiecta: ita uxor quoad omnes actiones reales & perſonales ſubjicitur viro, ut ab ipſo gubernetur. Et ob id merito *in cap. noluit, cap. manifeſtum* 33. *quæſt.* 5. ex D. Auguſtino, *& cap finali, ibidem* ex D. Ambroſio *de Paradiſo cap.* 10. dicitur: *Evidentiſſimo apparet ita virum eſſe caput mulieris, ut nulla vota, abſtinentia, vel Religioſæ converſationis, liceat ſibi, ſine eius licentia Deo offerre.* Quid clarius? & ſic D. Thom. 2. 2 *quæſt.* 88. *art.* 8. *ad* 3. pariſicans ſubjectionem, quam habet uxor viro, cum ea, quam habet Religioſus prælato, & filius impubes patri, quoad hoc quod eſt, nullum votum poſſe ratum & firmum emittere ſine conſenſu eius, ita dicit: *Nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu prelati; ſicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu patris; nec uxoris, niſi ſit de conſenſu viri.* Ergo ſicut prælatus omnia Religioſorum vota, & pater omnia filiorum impuberum, poſſunt irritare nullo dempto: ſic dicendum eſt de uxore reſpectu viri. ¶ Et ratio deſumitur ex dictis textibus: quia licet ſubjectio v. g. Religioſi ad prælatum ſit diverſi ordinis, & ordinata ad diverſos fines, ac ſubjectio uxoris ad virum; ſunt tamen æqualis amplitudinis, eo quod ſit valde expediens ad pacificam gubernationem domus, ad fovendum & conſervandum mutuum amorem, quod mulier viro ſit in omnibus ſubjecta, nec velle, aut nolle, habeat, niſi dependenter ab illo, & quod vir habeat amplam dominationem & poteſtatem reſpectu illius, ut ſic pax familiæ conſervetur, & fœminarum impetus retundantur. Hanc eſſe probabiliſſimam ſententiam tenent ferè omnes contrarii. Quam docent Soto *lib.* 7. *de iuſtitia q.* 3. *art.* 1. §. *at vero ſicuti.* Petrus de Ledeſma *de matrimon. quæſt.* 64. *art.* 4. *dub.* 2. *concluſ.* 1. *& de voto, tract.* 10. *cap.* 7. *dub. ult. dicto ſecundo.* Prado *c.* 31. *quæſt.* 13. *num.* 93. Tambur. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 3. *n.* 48. Leander *tract.* 1. *diſp.* 16. *quæſt.* 127. Raphaël à Torre 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *&* 9. *diſp.* 3. *num.* 7. Ioan. à Cruce *in direct.* 1. *part. precept.* 2. *artic.* 2. *dub.* 10. *concluſ.* 3. Candid. *diſquiſ.* 25. *art.* 11. *concluſ.* 1. Aragon 2. 2. *q.* 88 *art.* 8. *dub.* 7. *q.* 5. Rodrig. *tom.* 2. *Summ. cap.* 90. *num.* 9. Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. diſp.* 39. *num.* 4. *& in Summ. lib.* 4. *c.* 34. *num.* 3. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 2. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 34. *difficultat.* 21. Diana *tertia parte, tract.* 4. *reſolut.* 20. *&* 4. *part. tract.* 4. *reſolut.* 110. & alii.

Quid de voto continentiæ mutuo conſenſu facto ſentiendum.

59. Ex quo infertur omnia vota pro contraria ſententia recenſita poſſe à marito irritari. & votum non peccandi, votum adimplendi præcepta, & votum caſtitatis factum ab uxore ſine conſenſu viri, & votum ingrediendi Religionem poſt mortem viri: quia licet materia horum votorum non ſit marito ſubiecta, eſt tamen voluntas uxoris; ne novis vinculis & obligationibus abſque conſenſu mariti implicetur: ut in Religioſorum votis de non peccando, de adimplendis ſuis legibus, ſupra diximus. Sic ex noſtris ferè omnes: quia ex tradita aſſertione manifeſte ſequitur. Specialiter Sanchez, Soto, Aragon, Prado, Fagundez, Leander, & alii. At ſi mutuo conſenſu uterque continentiam voverint, neuter poteſt alterius votum irritare: quia eodem mutuo pacto, quo uterque ex mutuo conſenſu continentiam vovet (& idē eſt de voto intrandi Religionem ex mutuo conſenſu facto) virtualiter unuſquiſque cedit iuri ſuo, quoad quemcumque actum matrimonialem tacitè, Deo offerens vitam cælibem, in quo etiam tacite renunciat omne ius revocandi talem promiſſionem ad obtinendum illud bonum vitæ continentis. Sic Doctores communiter, Sanchez *lib.* 9. *de matrimon. diſ.* 40 *num.* 9. *& in Summ. lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 15. Aragon *art.* 8. *dub. ult.* Sayr. *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 17. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 9 *cap.* 9. *num* 6. ¶ Sed ſi poſt votum dictum caſtitatis mutuo conſenſu emiſſum, conjuges mutuam corporum poteſtatem ſibi invicem tradiderint, poterunt ſicut antea petere, & reddere debitum: quia ſicut mutuo conſenſu contractus ille de ceſſione mutui iuris celebratus eſt: ita mutuo conſenſu poteſt valide diſſolvi, quia eſt contractus quidam humanus, qui neque ex ſe, nec ex iure aliquo poſitivo exigit perpetuitatem. Baſilius *lib.* 10. *de matrim. cap.* 17. *num.* 14. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 13. *num.* 99. Palaus *diſp.* 2. *punct.* 6. *num.* 6. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 18. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 34. *num.* 17. Suarez *lib.* 9. *cap* 9. *num.* 7. Bonac. *diſ.* 4. *quæſt* 2. *punct.* 7. § 2. *num.* 16. Trullench. *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 33. *num.* 6. Sed talis contractus diſſolutio erit peccatum grave contra votum factum, & ſolum poteſt eſſe licita ob graviſſimam cauſam occurrentem.

PUNCTUM VII.

Quæ vota ſervorum poſſunt Domini irritare?

60. NON loquimur de ſervis, hoc eſt, de famulis, qui quoad tempus conducti dominis inſerviunt; ſed de mancipiis, qui prorſus libertate carent, & ſunt in ſervitutem perpetuam redacti: quia illorum vota minime poſſunt domini directe irritare, quia non ſubduntur ſuæ poteſtati dominativæ; ſed ſunt ſui juris, vel ſaltem ſub poteſtate patris, aut curatoris, conſtituti, & ſic eorum vota non claudunt tacitam conditionem de conſenſu dominorum: proindeque ſunt firma & rata, & nullo modo directe à dominis irritabilia. Poſſunt tamen domini ſuorum ſervorum, vel famulantium vota, eorum ſervitio, aut obſequio præjudicantia, ſuſpendere, pro tempore, quo illis inſervire debent, & ideo licet inſtet illo tempore executio voti, non agunt nec domini, nec famuli contra illud, ſi in obſequiis domino debitis occupentur, Sanchez *lib.* 4. *cap.* 24. *n.* 24. Candid. *diſquiſ.* 25. *art.* 13. *dub.* 13. Suarez *lib.* 6. *c.* 3. *num* 6. Bonac. *punct.* 7 §. 2. *num* 9. Prado *c.* 31. *q.* 13. § 5. *n.* 90.

De ſervis quando loquimur, intelligitur de mancipiis, non de ſolū famulantibus.

61. [illegible] ſervis ergo proprie dictis eſt difficultas, [illegible] illorum vota poſſint irritari à dominis? Prima ſententia dicit: omnia vota ſervorum poſſe à Domino irritari, ſicut de Religioſis

Duæ ſententiæ circa vota ſervorum, quæ poteſt do-

dixiumus

minus irritare.

diximus reſpectu prælati, & de impuberibus reſpectu patris, aut tutoris. Et ideo D. Thom. *in 4. diſ. 38. q. 1. art. 1. quæſt. ultim. ad 3.* dicit: *Sicut ſervum, ita nec Religioſus aliquod votum emittere poteſt, abſque conſenſu ſui Superioris.* Sic Abulenſis *cap. 30. numerorum in principio quæſt. 91.* quem videntur ſequi Tabiena *verbo votum 5. in fine.* Petrus de Ledeſma *tract. 10. cap. 7. dub. ult. dict. 4.* Aragon 2. 2. *quæſt. 88. art. 8. column. 9. verſu,* de dominis eſt aliud dubium. Qui ſolum excipiunt votum caſtitatis. ¶ Secunda vero ſententia huic ex diametro oppoſita dicit: nullum votum ſervi poſſe directe à domino irritari: quia ſervus ad ſe obligandum, intrinſece & per ſe non dependet à conſenſu domini, quia non eſt ſervus ſecundum animam; & ſolum indirecte, & ex parte materiæ promiſſæ domino ſubjicitur, & ſic ſolum votum ſuſpendere, aut irritare indirecte, poteſt: quatenus ſuo obſequio præiudicaverit. Sic Suarez *lib. 6. cap. 3.* Palaus *diſput. 2. punct. 5. n. 1.* à S. Fauſto *lib. 2. q. 130.*

Omnia vota ſervorum facta de rebus ſub dominio domini exiſtentibus poſſent ab eis irritari.

62. Sed dicendum eſt: poſſe dominium directe irritare omnia vota ſervorum, tam realia, quam perſonalia, emiſſa de illis rebus, quæ ſunt ſub dominio domini; non vero de aliis, in quibus ei ſervus non ſubjicitur. Ratio eſt, quia poteſtas ad irritandum fundatur ſupra dominium Superioris, ratione cuius nihil firmum, imo nec validum, ab inferiori poteſt promitti, niſi ſub conditione tacita aſſenſus ſuperioris: quia nemo firmiter vovere poteſt, quod eſt ſub dominio alterius, eſſet enim de alienis velle Deo offerre ſacrificium; ſed ſervus quantum ad omnia opera ſua, artes, labores, &c. eſt ſub poteſtate domini, *Inſtitut. per quas perſonas, §. item votis.* Et ideo D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art. 8. ad 2.* dicit, quod non poteſt ſervus obligare ſe voto ad Religionem: *Quia eſt in poteſtate domini, etiam quantum ad perſonales operationes.* & *in l. 2. ff. de pollicitationib.* dicitur: *Filius enim familias, vel ſervus, ſine patre dominique auctoritate, voto non obligantur.* ¶ Ideoque poteſt dominus vota peregrinationis, nimiæ abſentiæ, prolixæ orationis, ingreſſus in Religionem, directe irritare: quia præjudicant obſequio illius; & omnia vota realia: quia ſervi opera, induſtria, ars, & reliqua, in domini bonis enumerantur, *inſtitut. per quas perſonas, §. item votis, l. regia 7. tit. 21. part. 4.* niſi ex aliquo titulo aliquid proprium habeat, quod non poſſit iuſte ab eo auferri eo invito, quia in hoc nullo modo domino præiudicat.

Vota, quæ non præiudicant domino, non poſſunt ab eo irritari.

63. Alia vero vota, quæ præjudicium domino non afferunt, non poſſunt à domino irritari, ut votum caſtitatis, votum non peccandi, obſervandi Dei legem, moderate jejunandi, orandi, &c. quia in his nec domino præjudicat, nec unus alterius ſervus conſtituitur. Et ideo Seneca, cuius ſententiam adducit, & approbat D. Thom. 2. 2. q. 104. *art. 5.* dixit: *Errat ſi quis exiſtimat ſervitutem in totum hominem deſcendere, nam anima eſt ſui iuris.* Quare utramque partem aſſertionis tenent Soto. *lib. 7. de iuſt. q. 3. art. 1. ad 2.* Tamb. *lib. 3. c. 16. §. 3. n. 45.* Sanch. *lib. 4. c. 36. n. 2.* Dian. *p. 7. tr. 7. reſol. 27.* Prado *c. 31. q. 13. n. 86.* Bon. *punct. 7. § 2. num. 7.* Leander *tract. 1. diſ. 16 q. 151.* Raphaël de la Torre 2. 2. *q. 88. art. 9. n. 14. & 15.* Candid. *diſq. 25. art. 13. dub. 6.* Trull. *lib. 2. cap. 2. dub. 37. n. 2. & 4.* Fagund. *lib. 2. c. 39. n. 3.*

PUNCTUM VIII.

Aliquæ difficultates enodantur circa votorum irritationem hactenus ſtabilitam.

Prima difficultas proponitur, & ratio dubitandi pro illa.

64. POSTQUAM facultatem irritativam Superiorum explicuimus, & ad quæ vota extendi poteſt in inferioribus, operæ pretium duximus aliquas difficultates proponere, & diluere, ut plenior huius materiæ notitia capiatur. Plures in præſenti excitant Doctores, nos quinque proponemus, quas magis neceſſarias judicavimus. Sit prima difficultas: an hæc facultas Superiorum irritandi vota inferiorum extendatur ad vota, ex eorum licentia emiſſa? An nimirum hæc poſſint ab ipſis irritari? Loquemur autem de prælatis reſpectu Religioſorum, & idem cum proportione ſentiendum eſt de patre reſpectu filiorum, de viro reſpectu uxoris, de domino reſpectu ſervi: an poſſint irritare directe vota inferiorum, ex eorum licentia emiſſa? Et ratio dubitandi eſt, quod illa ſolum vota ſunt irritabilia, quæ in ſui firmitate pendent ex conſenſu alterius; ſed conceſſa licentia, & exhibito conſenſu Superioris, jam eſt impleta conditio: ergo remanent vota rata, & bona, & ſic nullo modo irritabilia. Aliqua certa ſupponenda ſunt pro difficultatis deciſione.

Quæ certa ſunt in hac parte ſupponuntur.

65. Primo ſupponitur, quod licet Superior conceſſerit ſubdito licentiam faciendi votum, ante illud emiſſum poteſt revocare talem licentiam & valide, & licite, & ea revocata ſi ſubditus voverit, eius votum manebit omnino revocabile: quia nulli facit iniuriam ſuo jure utens: & hoc etiam ſi promiſerit non revocaturum licentiam, quia aliquid occurrere poteſt, ratione cuius, expediens bono ſubditi, vel communitatis, judicetur, licentiam conceſſam revocare. ¶ Supponitur ſecundo, poſſe Superiorem prælatum irritare votum Religioſi, emiſſum de licentia prælati inferioris; quia licentia inferioris, nequit facultatem Superioris infringere, aut coarctare; non tamen poterit prælatus inferior irritare votum ſubditi, emiſſum de licentia prælati Superioris: quia hoc ipſo, quod emiſſum ſit de licentia Superioris non pendet à à conditione conſenſus inferioris. ¶ Tertio ſupponitur, quod prælatus ſuccedens in eadem ſede ei, qui dedit licentiam, poteſt & licite & valide votum revocare, ac ſi abſque ulla licentia fuiſſet emiſſum: quia non fuit particeps illius voti, cum ipſe licentiam non dederit, nec anteceſſor potuerit eius facultatem coarctare, *Cum par in parem non habeat imperium, cap. innotuit de electio.* Unde prælatus Religionis in officio ſuccedens poteſt irritare vota cum licentia prædeceſſoris emiſſa: maritus ſuccedens in matrimonio vota uxoris de licentia prioris mariti facta: tutor, aut curator, vota pupilli, aut minoris, ex licentia parentis facta, quia ſuccedunt in loco patris. Ledeſma *tom. 2. tractatu 10. cap. 7. dub. ultim.* Raphaël à Torre 2. 2. *q. 88. art. 8. dub. 3. num. 8.* Sanchez *lib. 4. cap. 27. num. 36.* Aſcanius Tambur. *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 18. q. 8. num. 4.* Alter Tambur. Ieſuita *in decalog. lib. 3. cap. 16. §. 3. num. 25.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap. 8. num. 10.* Prado *cap. 31. q. 13. num 57.*

Palaus *punct.* 3. §.2. *num.* 3. Unde, qui à ſucceſſore vult petere voti irritationem, non tenetur manifeſtare eſſe emiſſum cum licentia anteceſſoris: quia ſucceſſor liberè poteſt, etiam abſque cauſa, illud revocare; tenebitur tamen petendo ab eo, qui licentiam dedit, & forſan non recordatur, quia hic ſine iuſta cauſa licitè irritare non poteſt, ut dicemus, & ideo neceſſarium erit, quod talis circunſtantia illi innoteſcat Prado *n.* 57. Sanch. *n.* 36. Palaus *n.* 10.

Validè poteſt ſuperior votum de ſua licentia factum irritare.

66. Loquendo ergo de eo, qui licentiam dedit, dicimus: ipſum validè, quamvis illicité, poſſe votum ex ſua licentia factum, revocare. Poterit quidem validè, quia per licentiam non amiſit poteſtatem dominativam in ſubditum, nec iſte factus eſt Dominus, aut ſui juris ſimpliciter: unde ſemper in ejus voto imbibitur conditio, niſi ſuperior licentiam revocaverit. Et hoc etiamſi ſuperior dixerit ſe juri ſuo cedere, & velle in ea re non poſſe licentiam revocare: adhuc irritare poteſt, quia adhuc ſubditus manet ſub ejus dominativa poteſtate. Sed illicitè, niſi juſta interveniente cauſa, quia impediret opus bonum, ad quod cooperatus eſt licentiam concedendo: Unde & ipſe irritando, & ſubditus irritationem petendo, peccaret. Quoad utramque partem, nimirum poſſe validè, ſed non licitè, revocationem fieri, eſt ferè communis inter Doctores. Cajet. 2.2.*q.* 88.*art.* 8. *dub.* 3. Torre *diſp.* 2. *num.* 10. Prado *n.* 49. Palaus *num.* 3. Saytus *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 12. Suarez *cap.* 8. *num.* 4. Sanchez *cap.* 27. *num.* 9. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 30. *n.* 2. Leander *tract.* 1. *diſp.* 16. *quaſt.* 36. & 41.

Non peccare mortaliter ſuperiorem, irritantem votum factũ de ſua licentia, aliqui dicunt.

67. Sed difficultas eſt: an ſit peccatum mortale ex genere ſuo, irritare vota facta cum licentia eum, qui licentiam dedit, juſta non interveniente cauſa? Duplex ſatis probabilis datur ſententia. Prima negativa, niſi adſit ſcandalum, vel contemptus: quia illa irritatio non eſt contra juſtitiam, cum ſuperior utatur jure ſuo, & facultate in eo permanenti: nec contra religionem, quia ſuperior non vovit, & ſic non violat votum, nec eſt cauſa violationis voti in ſubdito; quia ablato voto per irritationem, non datur violatio voti, & ſic ſolum erit cauſa, quod votum non ſit, aut non obliget, quod non ſufficit ad mortale; ſed vel erit contra fidelitatem, (maximè ſi promiſit non revocaturum licentiam) quæ per ſe ſolum obligat ad veniale, vel quædam levitas, vel inconſtantia animi, qua rem vel perſonam Deo dicatam retrahit abſque cauſa à via perfectionis, quod cum non fiat per violentiam, ſed per uſum ſuæ poteſtatis dominativæ, non videtur gravem culpam conſtituere. Sic Sotus *lib.* 7. *de juſtitia, quaſt.* 3. *art.* 1. *col.* 9. §. *majori autem.* Suarez *lib.* 6. *cap.* 4. *ad finem.* Peyrin. *tom.* 2. *tract.* 2. *de Prælat. quaſt.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. Tamburin. *lib.* 3. *in decalog. c.* 16. § 3. *num.* 37. Diana 4. *part. tract.* 4. *miſcell. reſolut.* 110. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 30. *num.* 6. Bonacin. *punct.* 7. §. 2. *n.* 29. Pelliz. *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 4. *q.* 21. *n.* 66.

Peccat mortaliter ſuperior irritans votũ de ſua licentia factum.

68. Secunda (cui ſubſcribimus) ſententia eſt affirmativa. Quia licet poſt licentiam conceſſam maneat apud ſuperiorem dominium illius rei Deo per votum exhibendæ, remanet tamen ſuperior obligatus ad exhibendam talem rem Deo ob votum ſui ſubditi, ad quod cooperatus eſt licentiam concedendo: & ideo ſuppoſita hac cooperatione ad votum, tenetur illud non impedire ſine iuſta cauſa; aliter tanquam violator, & deluſor vinculi, mortaliter delinquet. Quod colligitur ex illo Numer. 30. ubi de viro irritante votum uxoris, de eius licentia emiſſum, dicitur: *portabit ipſe iniquitatem eius*: id eſt pœnam pro voti illius tranſgreſſione debitam, ut Lyra, Batablus, Abulenſis, & Olcaſter explicant. Culpa autem venialis non rectè appellatur iniquitas, nec ſubjacet pœnis tranſgreſſionis voti, quæ eſt culpa mortalis. Dicendum ergo erit peccare mortaliter, & prælatum irritantem ſine cauſa votum de ſua licentia à ſubdito emiſſum, & ſubditum ſine cauſa talem irritationem poſtulando. Ita Cajetan. 2.2. *q.* 88. *art.* 8. *dub.* 3. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 32. & *de matrim. lib.* 9. *diſput.* 40. *num.* 7. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 16. Leander *tract.* 1. *diſput.* 16. *q.* 46. Laynian. *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 7. *n.* 18. Sayr. *lib.* 6. *c.* 10. *n.* 12. Prado *c.* 31. *q.* 13. *n.* 55. Raphael à Torre *q.* 88. *art* 8. *diſp.* 8. *concl.* 4. Ledeſm. *tom.* 2. *tract.* 10. *c.* 7. *dub.* 2 *circa* 4. *dictum.* Villalob. *tom.* 2. *tract.* 34. *diff.* 18. *n.* 7. & *diff.* 21. *n.* 19.

69. Etſi roges, quando cenſeatur ſuperior concedere licentiam ad vovendum, itaut votum abſque juſta cauſa nequeat irritare? Reſpondetur, non ſolum quando ſciens voluntatem ſubditi tribuit facultatem ad vovendum, ſed quando votum ab eo factum approbat, & ratificat, & in eo conſentit: quia quando conſenſus ſuperioris non requiritur ad actus valorem (ut in præſenti accidit, quandoquidem votum ſine conſenſu ſuperioris emiſſum eſt validum) poteſt præſtare illum vel in ipſo actu, vel ante, vel poſt illum, ratificando per ſuum conſenſum actum jam factum: quia hoc ipſo in noſtro caſu apponitur conſenſus Prælati, quæ eſt conditio ad firmitatem voti requiſita. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 4. & 42. Palaus *diſput.* 2. *punct.* 3. §. 2. *num.* 12. Non autem cenſetur eam dare, ex eo quod ſubditus tacito voto obtinet licentiam ad exequendam rem promiſſam: quia licentia operis exequendi non eſt approbatio voti emiſſi. Quare ſi ſubditus licentiam petat ad aliquid donandum, vel faciendum, & poſtea voveat ſe facturum, hoc revocabile eſt à ſuperiore, ſicut alia. Sanchez *num.* 44. & *de matrim. lib.* 9. *diſput.* 40. *num.* 10. Palaus *num.* 12. Taciturnitas autem ſuperioris interno conſenſu deſtituta, non ſufficit, ut votum cenſeatur approbare: quia conſenſus ad firmitatem voti omnino requiritur, utpotè ſub conditione illius emiſſi, & ſuperior quamvis votum ſciat poteſt tacere, ſe merè negativè habendo, nec aſſentiendo, nec diſſentiendo, ut maturius circa ſuum conſenſum dandum, vel denegandum, deliberet. D.Thom. *in* 4. *diſt.* 32. *in expoſit. lit.* Cajet. *ſup. cap.* 30. *Numer.* Suar. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 14. Palaus §. 2. *num.* 14. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 46.

Quando ſuperior concedere licẽtiã ad votũ cenſeatur?

Vota ſemel legitimè irritata, nunquam reviviſcunt.

70. Secunda difficultas eſt: an vota ſemel irritata, poſtea reviviſcant? Reſpondetur, quod omnia vota, quæ ſemel a ſuperiori directè irritantur, nimirum ratione poteſtatis dominativæ, nunquam reviviſcunt, ſed ad nihilum redacta cenſentur, ut colligitur ex *cap. quidam, cap. placet, de converſ. conjugator.* Et ratio eſt, quia ideo vota ſunt irritabilia, quia ſub conditione de conſenſu ſuperioris emittuntur, quo deficiente, ſunt ſicut vota conditionata; ſed vota conditionata, deficiente conditione, non ſolum pro tempore deobligant, ſed manent omnino extincta: ergo ſimiliter irritata, & ſic nunquam reviviſcunt: *Nam quod ſemel extinctum*

ctum eſt, non reviviſcit, l. cum ex cauſa, C. de remiſſ. pignor. Quare quodcumque votum, ſive uxoris, ſive filii, ſive ſervi, ſive religioſi, ſemel à ſuperiori irritatum, nullam deinceps virtutem retinet, qua ullo tempore obligare poſſit. Hanc aſſertionem ſtatuimus contra aliquos, qui quoad hoc, diſcrimen ponunt inter vota, quæ à patre, vel à Prælato irritantur; & ea, quæ à marito reſpectu uxoris, vel Domino reſpectu ſervi. Sed noſtram concluſionem tenet Soto *lib. 7. de iuſtitia. quæſt. 3. art. 1. §. aliud poſt hæc.* Et pluribus citatis, Sanchez *lib 9. de matrim. diſp. 39. num. 14.* & *lib. 4. ſumm. cap. 6. num. 4. & c. 35. n. 20.* Torre *art. 9. diſput. 2. in fine 3. concluſ.* Trullench. *dub. 29. n. 14.* & *dub. 32. n. 6.* Leander *tract. 1. diſ. 16. q. 85.*

Irritatio ab eo, qui putabatur ſuperior, & non erat, facta, eſt nulla.

71. Niſi in caſu, quo aliquis votum irritaret, qui communi exiſtimatione putabatur, Prælatus, pater, Dominus, aut maritus, qui verè non erant tales: quia tunc irritatio non eſt valida; & ſic cognito errore obligatio voti reviviſcit. Nam licet in his, quæ ſunt iuriſdictionis error communis cum titulo ſatis ſit ad valorem actus, juxta legem *Barbarius Philippus, ff. de officio prætor.* non autem ut actus dominii ſit validus, qui non eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, ſed poteſtatis dominativæ. Sicut ſi Dominus venderet ſervum, qui verè ſervus ſuus non erat, ſed vel alterius, vel liber, & communiter ſervus illius putabatur, talis actus dominii in venditione exerciti, & ipſa venditio, nullius eſſent momenti: ſic evenit in noſtro caſu. Sanchez *cap. 32. n. 16.* Bonacin. *diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 2. num. 23.* Palaus *diſput. 2. punct. 4. num. 10.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 34. num. 11.* Leander *tract. 1. diſput. 16. q. 95.* Quamvis ſit probabile oppoſitum. Et quod dicitur de ſupplenda poteſtate juriſdictionis, ob paritatem rationis, extendendum eſt ad ſupplendam poteſtatem dominativam, ut tenet Prado *c. 31. q. 14. n. 10.*

Tranſacto ſubjectionis tempore, nō poſſunt vota ſubditi à ſuperiori irritari.

72. Tertia difficultas eſt: an vota emiſſa à ſubdito, tempore, quo ſubditus erat, poſſint irritari à ſuperiori, tranſacto ſubjectionis tempore? Reſpondetur negativè, quia hoc ipſo ceſſat poteſtas dominativa, ratione cujus poterat talis irritatio fieri, ut tenet communis Doctorum ſententia. Et hinc fit non poſſe Prælatos regulares irritare vota, aut expulſi à religione in perpetuum, aut tranſeuntis ad aliam cum legitima licentia: quia jam non ſunt ſubjecti Prælatis illius, nec ſub illorum regimine & poteſtate. Nec ſimiliter poſſunt Prælati vota irritare, etiam intra ordinem emiſſa, religioſi jam facti Epiſcopi: quia per talem aſſumptionem extrahitur à poteſtate ſuperiorum. Sed ſi, depoſito Epiſcopatu, revertatur ad religionem, cum jam in eorum ſubjectionem redeat, poſſunt vota ab eo ante Epiſcopatum emiſſa, irritare. Imò etiam facta quando erat Epiſcopus: quia ſunt vota veri religioſi cum illa conditione facta, *ſi conſentiat, qui verè Prælatus fuerit, quicumque ille ſit.* Sanchez *lib. 4. cap. 30. n. 22.* Palaus *tract. 15. diſp. 2. punct. 3. §. 3. num. 3.* Nec ſimiliter poteſt maritus vota ab uxore durante matrimonio facta irritare tempore divortii: quia ratione divortii extrahitur mulier à poteſtate viri; tametſi culpam divortio dederit: ſi tamen reconcilientur, & ceſſet divortium res ad priſtinum ſtatum redeunt, & ſic maritus illius irritare vota poterit facta ante divortium, ac ſi hoc minimè factum eſſet.

Vota perſonalia ante pubertatem facta, poſſūt irritari à patre etiam poſt pubertatem.

73. Denique vota realia filiorum puberum nequit pater irritare poſtquam jam emancipati ſunt, & ſui juris effecti: quia cum iſti bonorum adminiſtrationem habeant, nec ſint ſub parentis patria poteſtate, ceſſat fundamentum irritationis. Idem dicimus de votis perſonalibus ante pubertatem factis, ſed confirmatis in pubertate: quia vota confirmata in pubertate ejuſdem rationis ſunt ac facta in illa, quæ non poteſt pater irritare. Sed difficultas eſt de votis perſonalibus ante pubertatem factis, & in illa non confirmatis: an poſt pubertatem poſſint à parentibus irritari? Circa quod, omiſſis aliorum placitis, probabilius judicamus, poſſe etiam poſt emancipationem. Quemadmodum diximus *tract. 10. de cenſur. c. 2. n. 67.* de excommunicatione reſervata incurſa ante pubertatem, quod poſt pubertatem poteſt quilibet confeſſor ordinarius ab illa abſolvere, *ex cap. ultim. de ſentent. excommun.* ob eandem rationem: quia non ſpectatur tempus, in quo petunt abſolvi, ſed in quo delictum commiſſum eſt, (& in noſtro caſu votum emiſſum) eo quod in ætate debili & infirma, in qua non perfectum eſſe judicium diſcretionis præſumitur, vel ad peccandum, vel ad vovendum. Cajetan. *2. 2. q. 88. art. 5. poſt princip.* Candid. *diſquiſ. 25. art. 10. dub. 7.* Villalob. *tract. 34. diff. 19. num. 7.* Sayr. *lib 6. cap. 10. num. 26.* Sanchez *lib. 4. c. 30. num. 9.* Bonacin. *diſput. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 2. num. 19.* Suarez *lib. 7. cap. 6. num. 8.* Trullench. *lib. 2. c. 2. dub. 34. n. 3.* Leander *tract. 1. diſput. 16. quæſt. 75.* Palaus *tractatu 15. diſputatione 2. punct. 3. §. 3. num. 5.*

Irritari poſſūt vota tēpore ſubjectionis emiſſa, quāvis implēda illo tranſacto.

74. Quarta difficultas eſt: an vota emiſſa tempore ſubjectionis, implenda tamen tempore, quo eſt ſubjectio diſſoluta, poſſint irritari à ſuperiori, tempore, quo ſubjectio durat? Ut ſi filius votum reale faceret de aliquo exequendo tempore emancipationis: vel religioſus aliquid voveret faciendum, tempore, quo hic Prælatus finierit: vel uxor aliquid voveat pro tempore, quo maritus mortuus fuerit: an maritus, Prælatus, & pater, poſſint, tempore, quo verè ſunt ſuperiores, illa vota irritare? Reſpondetur affirmativè: quia eſtò ſubditi non habeant ſubjectionem, inſpecto tempore, pro quo votum obligat; illam tamen habent pro tempore, quo contrahitur obligatio: & cum talis obligatio habeat tacitam conditionem de conſenſu ſuperioris, qui tunc eſt, non habet firmitatem; ſed à ſuperiori tunc exiſtente poteſt irritari. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 29. num. 5.* Palaus *punct. 3. §. 4. num. 1.* Et de filio tempore impubertatis vovente, vel caſtitatem, vel religionem, implendum tempore pubertatis. Sayr. *lib. 6. cap. 10. num. 29.* Valentia *tom. 3. diſput. 6. quæſt. 6. punct. 6. verſu quinta quæſtio.* Soto *lib. 7. quæſt. 3. art. 1. ante ſolut. argum.* Diana *4. part. tract. 4. reſol. 29.* & de voto uxoris, caſtitatis, aut religionis poſt matrimonium, implendo. Sanchez *lib. 9. de matrimon. diſp. 39. num. 16.* Diana *loc. cit. reſol. 110.* Tambur. *lib. 3. c. 16. §. 3. num. 49.* Leander *tract. 1. diſp. 16. q. 136.*

Nequit ſuperior vota irritare, emiſſa tempore, quo inferior ſubditus illius nō erat.

75. Ultima difficultas eſt: an ſuperior irritare poſſit vota inferioris, tempore, quo ſubditus eſt; ſed emiſſa, tempore, quo ſubditus non erat? Ut ſi uxor ante matrimonium aliquod votum emiſiſſet, an poſſet maritus tempore matrimonii illud irritare? Si ſervus ante ſervitutem? Si minor antequam ſit ſub tutoris poteſtate? De religioſo non procedit quæſtio: nam vota

ab

ab ipſo ante profeſſionem emiſſa, extincta, & commutata ſunt in actum profeſſionis; quæ tamen poſtea fecerit, licet non ſit ſub hoc Prælato, tempore, quo emiſſa ſunt, ab illo irritari poterunt, tempore, quo eſt ſub illius poteſtate: quia ſunt emiſſa ſub conditione conſenſus Prælati, quicumque ille ſit, ſub cujus poteſtate inventus ſuerit. De aliis dicimus non poſſe ſuperiorem directè irritare vota emiſſa tempore, quo inferior non erat ſibi ſubjectus: quia ea ſola vota ſunt à ſuperiori irritabilia, quæ ſunt emiſſa ſub conditione beneplaciti ſuperioris; ſed vota illius, qui ſuperiorem non habet, ſub nullius beneplaciti conditione emittuntur: ergo non ſuut irritabilia à ſuperiore. Poterit tamen ſuperior executionem illorum ſuſpendere, quatenus ſibi præjudicantia: quia virtute dominativæ poteſtatis, quæ ſupervenit, poteſt illorum impedire executionem, quatenus ſibi poſſunt præjudicium afferre. Suarez *lib.6. cap.4. num.16.* Sayr. *libro ſexto, cap.10. num.11. & 19.* Palaus *punct.3. §. 5. num.2. & 3.* Sanchez *libro quarto, cap.31. num.9.* Aragon. 2. 2. *quæſt.88. artic.8. fol.*1010. Valentia *diſp.6. q.6. punct.6. quæſt. ult.* Fagundez *lib.2. cap.38. num.13.* Leander *tract.1. diſ.16. quæſt.135.*

PUNCTUM IX.

Qualiter per diſpenſationem voti obligatio relaxetur?

Alibi dicta circa hanc materiam recenſemus.

76. PLURA circa diſpenſationem acta ſunt à nobis *tom.3. tract.11. de legibus, c.5. per totum*: ubi latè egimus de diſpenſatione legum: ubi de diffinitione ejus, de diſcrimine, quod eſt inter illam & commutationem, irritationem, permiſſionem, ſimplicem, licentiam, abſolutionem, derogationem, & privilegium *punct.1. per totum* egimus. Et *punct.2.* de tacita & expreſſa diſpenſatione, & quid ad tacitam ſit requiſitum & ſufficiens. Et plura alia toto illo capite circa legum diſpenſationem reſolvimus. Quæ pro diſpenſatione votorum etiam poſſunt proportione debita applicari. Et in *tom.2. tract.9. de matrim. c.14. per totum* egimus de diſpenſatione impedimentorum matrimonii. Et *tract.10. de cenſur. c.7. & 8.* de diſpenſatione pro diverſis irregularitatibus. Ad quæ in præſenti recurrere multoties neceſſarium erit ob connexionem doctrinæ, & ne multoties eadem repetamus.

Certiſſimū eſt, eſſe in Eccleſia poteſtatē vota diſpenſandi.

77. Eſſe in Eccleſia Dei poteſtatem diſpenſandi in votis, adeò certum eſt, ut eſſe de fide ab aliquibus aſſeratur. Et meritò: nam Matth.16. Chriſtus Dominus Petro, ejuſque ſucceſſoribus, juriſdictionem ſpiritualem Eccleſiaſticam concedens ait: *Tibi dabo claves regni cælorum, quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Et Matth.18. *Amen dico vobis, quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Quæ verba, ob ejus generalitatem, intelligunt communiter Doctores, de poteſtate ſolvendi à quocumque vinculo ad ſalutem ſpiritualem animarum, & rectam Eccleſiæ gubernationem, conveniente: & cum ſit convenientiſſimum animarum ſaluti, & Eccleſiæ rectæ gubernationi, quod in ea detur poteſtas ſpiritualis juriſdictionis ad ſolvenda vincula votorum per eorum diſpenſationem, indubitatum eſt hanc in Eccleſia reperiri. Quod docet D. Thom. 2. 2. *q.88. art.10.* & cum eo omnes Doctores. Et ratio eſt, quia unuſquiſque poteſt cedere rebus in ſuum obſequium promiſſis, & remittere ſibi debitum ex vi talis promiſſionis, vel per ſe, vel per alium ejus vices gerentem, qui ipſius nomine debitum relaxet. Cum ergo Prælati Eccleſiæ vices Dei gerant, nomine ejus, & poteſtate ab ipſo recepta, poſſunt per diſpenſationem remittere obligationem Deo ſactam ob voti promiſſionem. Unde dixit D. Thom. 2. 2. *q.88. art.12. Quod ſit in aliqua promiſſione acceptum ei, cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio; Prælatus autem in Eccleſia gerit vicem Dei.*

78. Nec hoc eſt verè & propriè diſpenſare in jure divino aut naturali: quia non diſpenſatur ut permanente voto non obliget, quod eſſet diſpenſare in obligatione voti, quæ eſt de jure naturali, quandiu votum manet; ſed ipſum votum de medio tollere, nomine Dei, qui eſt creditor, & hoc modo auferendo obligationem, quod non eſt contra ius naturale, ſed magis ipſi iuri naturali conforme. Quare dixit D. Thom. *in 4. diſt.38. quæſt.1. art.4. quæſt.1. ad 2. Quod obſervare votum, durante voti obligatione, eſt de lege naturali: ſed ceſſante obligatione voti, non eſt obſervatio eius de lege naturali.* Idem habet 2. 2. *q.88. art.10. ad 2.* ¶ Quare diſpenſatio voti, de qua nunc loquimur, poteſt diffiniri, quod eſt: *Ablatio vinculi voti facta nomine Dei ab habente iuriſdictionem ſpiritualem in foro externo.* Quæ diffinitio non indiget explicatione, cum ex dictis ſit manifeſta. ¶ Dicitur autem in fine illius, quod talis diſpenſatio debet ab habente iuriſdictionem ſpiritualem provenire, ut intelligatur diſpenſationem eſſe actum iuriſdictionis; non verò eſſe actum ordinis: nec enim eſt aliquis ordo ad hoc deſtinatus. Unde ſufficit Prælatum, v. g. Epiſcopum habere poteſtatem iuriſdictionis, (quod habet per electionem, & confirmationem Summi Pontificis) ut poſſit in votis diſpenſare; tametſi ordinatus non ſit Epiſcopus, aut conſecratus: quia non eſt actus ordinis, ſed iuriſdictionis. ¶ Sed utique iuriſdictionis externæ ſpiritualis Eccleſiaſticæ: quia ſolum ex iure ordinario competit perſonæ Eccleſiaſticæ habenti ſubditos, illoſque in foro externo gubernanti: quia diſpenſandi poteſtas ſpectat ad externam Eccleſiæ gubernationem, ſicut & indulgentias concedere, & à cenſuris abſolvere. Baſil. Pont. *lib.8. de matrim. c.4. num.3.* Sanchez *lib.4. ſumm. cap.37. à num.16.* Leſſius *lib.2. cap.40. dub.17. num.114.* Palaus *tract.15. diſ.2. punct.9. num.2.* Bonac. *tom.2. diſ.4. quæſt.2. punct.7. §.4. à num.1.* Quod non tollit per delegationem poſſe diſpenſare in votis, qui externam non habent iuriſdictionem, ut infrà dicemus; ſed modo loquimur de iis, qui iure ordinario poſſunt diſpenſare.

Quid ſit diſpenſatio, & quomodo actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ?

79. Sed antequam agamus de his, in quibus eſt poteſtas ordinaria ad diſpenſandum in votis, triplicem quæſtiunculam reſolvemus. Prima eſt: an Prælatus, qui poteſt cum ſuis ſubditis in votis illorum diſpenſare, poſſit etiam ſecum diſpenſare in votis ab ipſo emiſſis, vel ſaltem alteri ſuas vices delegare, ut ſecum in dictis votis diſpenſet? Reſpondetur utrumque poſſe. Quod colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q.185. art.8.* ubi docet, poſſe Prælatum ſecum diſpenſare in legibus, in quibus poteſt cum ſubditis diſpenſare, ut nos pluribus citatis tradidimus *tom.3. tract.15. de legibus, cap.5. n.60. & tom.2. tract.10.*

Poteſt Prælatus ſecum diſpenſare in votis, in quibus poteſt cum ſubditis.

de

de cenſur. c. 1. punct. 4. n. 43. Si ergo in legibus ſecum poteſt diſpenſare, etiam in votis, in quibus cum ſubditis poteſt, alias eſſet deterioris conditionis quam ſubditi. Unde ſicut poteſt Prælatus uti licentiis, quas ſubditis concedere valet: ita poteſt ſecum diſpenſare in votis, vel confeſſario concedere facultatem, ut eum à voti vinculo abſolvat, & hoc etiam extra confeſſionem. Imò ſe ipſum immediatè poteſt à tali vinculo liberare: quia ut loco citato probavimus, non repugnat juriſdictionem diſpenſandi exerceri in ſe ipſum, cum ſit voluntaria, & non contentioſa, nec ex ſe ſit ſacramentalis, quæ diſtinctionem perſonarum efflagitat; & aliàs ipſi Prælati habent plenam diſpenſandi in votis juriſdictionem, quæ non eſt quoad hoc reſtricta. Et ſic nec à nobis reſtringenda. Sic Sanch. *lib. 8. de matrim. diſ. 3. n. 8. & 9.* & *lib. 4. decal. c. 18. n. 42. & 45.* & *c. 39. n. 37.* Bonac. *diſ. 1. q. 4. punct. 7. §. 4. n. 31.* Barth. à S. Fauſto *lib. 3. q. 43. & 44.* Prado *c. 31. q. 4. § 6. n. 64.* Fagund. *lib. 2. c. 41. num. 42.* Rodrig. *tom. 2. ſum. c. 30. n. 4.* & *in Bullam cruciat. §. 8. dub. 6. n. 11.* Thom. Tambur. *tom. 2. in decal. lib. 3. c. 16. § 4. n. 6.* Diana *p. 8. tom. 3. reſol. 3.* Suarez *lib. 6. c. 11. num. 5.* Azor. *3. p. lib. 7. c. 29. q. 6.* Aſcan. Tambur. *de jure Abbatum, tom. 2. diſ. 18. q. 1. n. 2.* Leander *tom. 2. in decal. tract. 1. diſ. 17. q. 62. 63. 64. & 65. & 153.* Trull. *lib. 2. c. 2. dub. 38.*

Qui vota diſpenſare jure ordinario poteſt, etiam illa commutare.

80. Secunda quæſtio eſt: an qui habent poteſtatem diſpenſandi in votis, etiam habeant facultatem illa commutandi? Loquimur de illis, qui dictam facultatem habent delegatam, vel per privilegium, ut de confeſſoribus regularibus dicemus, vel per Bullam, Iubilæum, vel aliud indultum. Nam certiſſimum eſt omnes illos, de quibus dicemus puncto ſequenti, habere facultatem ordinariam diſpenſandi in votis, illam habere ad vota commutanda; & è contra: quia utraque hæc facultas ſimul & ſemper in Prælatis reperitur; quia hoc ad bonum regimen Eccleſiæ eſt conducens, eo quod multoties non adeſt cauſa ſufficiens ad diſpenſandum integrè & abſolutè, & ſic oportuit, ut cum tali facultate diſpenſandi poteſtas commutandi vota conjungeretur, ut ſic aliquod onus imponēdo, quod deficit de ſufficiēti cauſa ſuppleatur. Quod certè ſuppletur, eo ipſo, quod vovēs loco prioris obligationis aliam acceptet, in quam votum commutatur. ¶ Similiter eſt certum, non ob id cenſeri conceſſam facultatem ad diſpenſandum, quod concedatur poteſtas delegata, ex Bulla, privilegio, aut Iubilæu, ad commutandum: quia facultas ad diſpenſandum longè major & amplior eſt, cum per eam omnis obligatio voti omnino tollatur, quam facultas ad commutandum, per quam una obligatio loco alterius ſubſtituitur. Quare difficultas eſt: an qui per Bullam, Iubilæum, vel aliud privilegium, &c. habet diſpenſandi poteſtatem, etiam commutandi facultatem habeat?

Qui facultate etiam delegata poteſt in votis diſpenſare, etiam poteſt ea commutare: non è contra.

81. Circa quam difficultatem, quamvis Navar. *in ſum. c. 13. n. 70.* Valent. *2. 2. diſ. 6. q. 6 punct. 7. verſu denique.* Azor. *1. p. lib. 11. c. 10. q. 4.* & *c. 18. q. 7.* & Sanch. *lib. 8. de matrim. diſp. 2. n. 13.* & *in ſum. lib. 4. c. 53. n. 4. & 5.* partem negativam defendant; quia dicunt eſſe poteſtates omnino diverſas, quarum una ſub alia non comprehenditur: ergo ex eo quod concedatur una, non cenſetur alia conceſſa. ¶ Nihilominus dicendum eſt, quod quoties in privilegio, Bulla, Iubilæo, aut alio indulto, conceditur facultas ad diſpenſandum in votis, etiam cenſetur conceſſa ad ea commutanda. Quia iſtæ duæ poteſtates non ſunt omnino diverſæ, ſed una continetur ſub alia; ſicut pars ſub toto, imperfectum ſub perfecto, & id, quod eſt minus intra idem genus, continetur ſub eo, quod eſt majus in eodem genere. Etenim poteſtas diſpenſandi quid majus & perfectius eſt in illo genere, cum tollat omnino obligationem; poteſtas autem commutandi eſt poteſtas diſpenſandi imperfecta, quia non omnino tollit obligationem, ſed eam tollit cum onere alterius materiæ ſubrogatæ. Unde commutatio, qua parte tollit votum, eſt diſpenſatio, qua parte vero aliam obligationem ſubrogat, eſt imperfecta, & quid minus in illo genere quam diſpenſatio abſoluta abſque ulla ſubrogatione; ſed qui poteſt majus poteſt minus, quando unum ſub altero continetur, *reg. jur. 53.* ibi: *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.* Quæ regula præcipuè currit, quando id, quod eſt minus, ſub eo, quod eſt plus, continetur, ut in præſenti contingit. Et ita docent Barboſ. *de poteſt. Epiſc. 2. p. alleg. 37. n. 13.* Prado *c. 31. q. 15. n. 48.* Raphaël de la Torre *2. 2. q. 88. art. 12. diſp. 1. n. 7.* Villalob. *tom. 2. tract. 34. diff. 32. n. 2.* Soto *de juſtit. lib. 7. q. 4. art. 3.* Palaus *tract. 15. diſput. 2. punct. 14. num. 4.* Leſſ. *lib. 2. cap. 40. dub. 16. num. 108.* Suar. *lib 6. c. 12. num. 9.* Baſil. *lib. 8. de matr. cap. 10. num. 3.* Layman. *lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 20.* Diana *3. p. tract. 5. miſcell. reſol. 25.*

Quæ vota emiſſa in utilitatem tertii ſint diſpenſabilia, quæ non?

81. Tertia quæſtio eſt: an vota emiſſa in utilitatem tertii ſint diſpenſabilia? Reſpondetur, quod ſi ille tertius ſit aliquis quaſi divinus, vel cœleſtis, ut ſi alicui Sancto, Patrono Eccleſiæ, B. Virgini, aut etiam Prælato fiat ut gerit vicem Dei, ſine eo, quod admiſceatur promiſſio humana ab alio acceptata, poteſt talia diſpenſare aut commutare vota, qui reliqua alia diſpenſare, aut commutare, valet. Quia ejuſdem eſt auctoritatis commutare, aut diſpenſare, promiſſiones factas Deo, & factas ſuæ Curiæ cæleſti, cum non ſit minor in Eccleſia auctoritas in concernentibus cœleſtem Curiam, quam in ſpectantibus ad ejus Principem, ut loquitur Cajet. *tom 2. opuſc. opuſ. 11. q. 13.* quem ſequuntur Candid. *tom. 2. diſquiſ. 17. art. unico, dub. 3. & 4.* Sylveſt. *verb. votum 4. q. 7. diſ. 4.* Prado *c. 31. q. 14. n. 103.* N. Anton. à ſpiritu ſancto Luſitanus *in direct. regul. tom. 2. diſ. 3. ſect. 2. n. 85.* Suar. *lib. 6. de voto, c. 15 à n. 3.* Sanch. *in ſum. lib. 4 c. 41. à n. 7.* Bonac. *punct. 7. §. 4. n. 25.* Raph. à Torre *2. 2. q. 88. art. 12. diſp. 2.* Quando vero voto adjungatur promiſſio humana ab homine acceptata, non poterit diſpenſari, aut commutari, niſi in caſibus dictis ſupra *hoc cap. n. 6.* quia tunc tranſit in contractum, & acquiritur jus illi tertio, quod ipſo in voto remitti nequit. Videantur omnino dicta *hoc cap. punct. 1.* circa relaxationem juramentorum, & quæ dicemus infrà *n. 108.*

PUNCTUM X.

De his, in quibus jure ordinario reſidet poteſtas in votis diſpenſandi.

Poſſunt, qui ordinariam habent poteſtatē, aliis eam delegare.

83. NON loquimur in præſenti de illis, in quibus eſt facultas delegata ad vota diſpenſanda; nam ſolum illis competere poteſt, quibus commiſſa fuerit ab habente poteſtatem ordinariam. Omnes enim illi, de quibus diximus hanc facultatem jure ordinario habere, poſſunt illam aliis delegare, ut commune eſt in

omnibus ordinariam poteſtatem habentibus, quod illam delegare queunt. Et in his delegatis inſpicienda eſt formula delegationis, quia ſecundum quod in illa continetur poterunt diſpenſare, & non amplius. Sed ob connexionem doctrinæ, multoties hoc & ſequentibus punctis aliqua attingemus pro habentibus delegatam poteſtatem, præcipuè puncto ſequenti agentes de facultate, quæ eſt in confeſſariis regularibus reſpectu ſæcularium, ad diſpenſandum cum eis in omnibus votis, præter quinque reſervata.

Solum qui veri ſunt Prælati Eccleſiaſtici & habẽt juriſdictionem ſpiritualem, poſſunt in votis diſpenſare.

84. Igitur certiſſimum eſt apud omnes, prætèr Prælatos Eccleſiæ, vel ex eorum anctoritate & commiſſione, nullum poſſe in votis quibuſcumque diſpenſare. Quia nullus hoc poteſt niſi habens ſpiritualem juriſdictionem: (quæ ſolum reſidet in Prælatis Eccleſiaſticis) quia directè ordinatur talis facultas ad bonum ſpirituale, & animarum ſalutem. Et probat D. Thom. 2. 2. q.88. art.12. *Quia votum eſt promiſſio Deo facta de aliquo, quod eſt Deo acceptum. Quid ſit autem in aliqua promiſſione acceptum ei, cui promittitur, ex eius pendet arbitrio. Prelatus autem in Eccleſiâ gerit vicem Dei, & ideo in commutatione, vel diſpenſatione votorum, requiritur Prælati auctoritas, qui in perſona Dei determinat, quid ſit Deo acceptum, ſecundum illud: 2. ad Corinth. 2. Nam & ego, quod donavi, ſi quid donavi, propter vos, in perſona Chriſti.* ¶ Quare nec Principes ſæculares, etiam Catholici, quantumvis ſupremi, non poſſunt in votis diſpenſare: quia non ſunt Prælati Eccleſiaſtici, nec juriſdictionem habent ſpiritualem ad profectum animarum ordinatam. Nec Prioriſſæ, Abbatiſſæ, aliæve fœminæ, habent ſimilem facultatem: quia licet habeant poteſtatem dominativam ad irritandum vota monialium ſibi ſubditarum, ut diximus *ſuprà*, non vero poteſtatem, aut juriſdictionem ſpiritualem, quæ requiritur ad diſpenſationem. Nec Parochi, aut ſimplices Sacerdotes: quia non ſunt ſimpliciter Prælati, nec habent juriſdictionem in foro externo. Imò nec in articulo mortis poſſunt, aut Parochi, aut ſimplices Sacerdotes, in votis diſpenſare; tametſi poſſint ab omnibus caſibus, & cenſuris reſervatis, abſolvere: quia talis abſolutio ad ſalutem animarum eſt neceſſaria, non ſic diſpenſatio votorum: ideoque ad illam pro articulo mortis omnibus ſacerdotibus facultas conceditur; non verò ad hanc. Sic Sanchez *lib.8. de matrim. diſ.9. n.27.* & *in ſum. lib.4. c.37. n.22. & c.38.n.35.* Raphaël à Torre *art.12.diſp.1.n.6.* Fagundez *lib 2. c.41. num.27.* Prado *c.31.q.14. §.6.n.57.* Trullench. *lib.2 c.2. dub 38. n.14.* Leander *tom.2. In decalog. tract.1. diſp.17.q.76.* Nec Archidiaconi, Pœnitentiarii, aut alii, qui carent juriſdictione quaſi Epiſcopali, nec ſunt verè Prælati, poſſunt votorum diſpenſationem impertiri. Imò nec Vicarii Epiſcopi ex vi ſui muneris hanc facultatem habent, niſi ſibi ſpecialiter committatur: quia non ſunt veri paſtores & Prælati. Trullench. *n.11.* Prado *num.58.* Leander *q.70.* & latè Sanchez *lib.2. de matrim.diſp.40. à n.11.*

Ex delegatione poteſt dari facultas diſpenſandi in ſolum prima tonſura inſignito.

85. Cæterum ex delegatione, vel commiſſione, poteſt inveniri facultas diſpenſandi in votis in Clerico prima ſolummodo tonſura ordinato, dummodo non ſit conjugatus: nam in hoc ſolum ex delegatione Summi Pontificis poteſt reperiri. Et ratio eſt, quia poteſtas ad diſpenſandum, ut diximus, non eſt poteſtas ordinis, & ſic non requirit aliquem ordinem determinatum; eſt ergo poteſtas juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ob id petit reſidere in perſona Eccleſiaſtica; ſed per primam tonſuram jam efficitur perſona Eccleſiaſtica, & ſic ſola ea inſignitus poteſt eſſe Vicarius generalis Epiſcopi, & habere poteſtatem excommunicandi, & abſolvendi in foro externo ab excommunicatione, quæ pertinent ad juriſdictionem ſpiritualem Eccleſiaſticam. At verò Clericus conjugatus non reputarur perſona Eccleſiaſtica, niſi quoad ſola Canonis, & fori privilegia, & hoc non abſolutè, ſed ſervatis quibuſdam cõditionibus, de quibus diximus *tom.2. tr.8. de ord.c.7.n.59.* Et ideo ipſe non poteſt hanc poteſtatem habere, niſi à Summo Pontifice, cui eſt ſupra omne jus poſitivum Eccleſiaſticum conceſſa. Sic Sanch. *lib.4.c.37.n.20. & 21.* Sayr. *de cenſur. lib.1.c.5. num.8.* Leſſ. *lib.2.c.40.dub.12. n.100.* Bonac. *punct.7. §.4.n 4.* Prado *ſup. n.59.* Trull. *lib.2.c.2.dub.38.n.3.* Leander *tr.1. diſp.16. q.40. & 41.* Fagundez *lib.2. c.41.n.6.* Villalob. *p.2.tract.34.diffic.24.*

Qui Prælati poſſunt jure ordinario in votis diſpẽſare?

86. Hæc igitur poteſtas pleniſſimè reſidet in Summo Pontifice, qui vicem Chriſti gerit in toto orbe. Unde in eo tanquam in ſupremo capite & fonte reſidet facultas ad diſpenſandum cum omnibus fidelibus, in omnibus & quibuſcumque votis, tam realibus, quam perſonalibus, & in voto ſolemni caſtitatis ordinibus annexo, ut docet D. Thom. 2.2.q.88.*art.11.* Et ſimiliter in votis, quæ in aliquibus religionibus ſimul cum tribus ſolemnibus in profeſſione emittuntur. An vero poſſit Summus Pontifex diſpenſare in votis ſolemnibus religioſorum? latè egimus hoc volumine *tract.15. de ſtatu religioſ.c.1. punct.3. à n.40.* Et qualiter diſpenſare poſſit in iuramentis, ac proinde in votis factis in favorem alicujus tertii, diximus *hoc cap.n.4.* ¶ Deinde talis facultas reſidet in Concilio generali cum ſupradicta amplitudine. Similiter eſt poteſtas ordinaria diſpenſandi in votis in ſummi pœnitentiario Pontificis, cujus officio ex commiſſione Papæ eſt perpetuo annexa poteſtas diſpenſandi in votis, quæ proinde convenit ei jure ordinario. Sed non reperitur, nec in aliis Cardinalibus, nec in Protectoribus religionum, adhuc reſpectu religioſorum: quia non ſunt propriè & ſtrictè eorũ Prælati. Poſſunt etiam diſpenſare in votis Legati à latere: & Nuntii in tota Provincia ſibi commiſſa. Archiepiſcopi, & Epiſcopi reſpectu ſuorum ſubditorum. Capitulum Cathedrale in ſede vacanti: quia ſuccedit in omni iuriſdictione Epiſcopi. Abbates juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes. Prælati omnes regulares reſpectu ſuorum ſubditorum, reſpectu quorum habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Et etiam Magiſter noſtrarum ſcholarum Salmanticenſium poteſt diſpenſare in votis ſuorum ſcholaſticorum, qui matriculæ ſunt adſcripti, ex privilegio Pontificio illi ſpecialiter conceſſo, non ratione perſonæ, ſed ratione muneris & officii: & cum ſit perpetuo annexum illius dignitati, competit ei iure ordinario, ut tenet Aragon. 2.2.q.88.*art.12.fol.1042. col.2.* Rodrig. *tom.2.ſum.c.100.n.3.* Sanch. *lib.4. ſum.c.38.n.23.* Fagund. *lib.2.c.41.n.28* ¶ Hi omnes jure ordinario poſſunt omnia vota realia, vel perſonalia ſuorum ſubditorum, quæ ſpecialiter non ſunt reſervata, (ut ſunt illa quinque, de quibus agemus *punct.12.*) cætera vero, quæcumque ſint, ſunt ab eis diſpẽſabilia. Quia ut inquit D. Thom. 2.2. q.88. *art.12. ad 3.* *Vota, quæ communiter fiunt, indigent frequenti diſpenſatione, ut habeant homines de facili ad quem recurrant.* Quare poſſe Prælatum, qui habet juriſdictionem diſpenſandi,

penſandi in votis, omnia & quæcumque vota diſpenſare, quæ non ſunt ſpecialiter reſervata, docent præter D.Thom. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 4. §. 6. *num.* 55. & 60. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſ.* 9. *n.* 3. & *in ſumm. lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 25. Palaus *tract.* 15. *diſp.* 2. *punct.* 10. *num.* 1. Fagundex *lib.* 2. *cap.* 43. *à num.* 4. Thomas Tambur. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *à numero* 26. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 39. Leander *tract.* 1. *diſ.* 17. *quæſt.* 77. Et eſt communis.

Qualiter Epiſcopus poſſit in votis communitatis diſpenſare?

87. Sed forte rogabis: quia poſſit in votis communitatis diſpenſare? Ad hoc reſpondet optime Doctiſſimus Magiſter Fr. Ioannes Martinez à Prado *tom.* 2. *cap.* 31. *quæſt.* 14. §. 10. *num.* 102. & Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 9. *num.* 12. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 41. *à num.* 1. Quod illi, qui votum fecerunt, & emiſerunt, cum communitas ipſa vovit, poſſunt ex juſta cauſa ab Epiſcopo diſpenſari, ſicut de aliis votis non reſervatis: quia talia vota communitatum nullo jure ſunt reſervata Pontifici. Cæteræ vero perſonæ communitatis quæ perſonaliter non voverunt, & ſucceſſores omnes, liberari poſſunt à voto ſola Epiſcopi voluntate, etiam nulla interveniente cauſa ſufficienti: quia ad tale votum obſervandum tantum tenentur præcepto, vel lege Epiſcopi, recepta populi conſenſu: ſicut in obſervatione ſpecialium feſtorum requiritur populi conſenſus *cap. conqueſtus de feriis*: & quilibet in ſua lege poteſt etiam ſine cauſa valide diſpenſare, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de leg. cap.* 5. *num.* 63. & ipſa praxi receptum eſt Epiſcopos in his votis diſpenſare, tamquam in ſuis legibus. Unde nec voventes, nec populus communi conſenſu, ſe ab hac obligatione poterunt eximere, non accedente Epiſcopi conſenſu. Vide quæ diximus *hoc tractat. cap.* 1. agentes de modo, quo vota communitatum poſſunt non voventes obligare. Et *cap.* 2. agentes de juramentis ab aliquibus communitatibus factis.

PUNCTUM II.

De facultate, quam habent prælati regulares diſpenſandi cum ſuis ſubditis in votis, & de illa, quam habent confeſſarii regulares reſpectu ſæcularium.

Prælati regulares omnia ſuorum ſubditorum vota diſpenſare poſſunt non conſtituentia ſtatum.

88. OMnes prælati regulares, nimirum Generales in toto ordine, Provinciales in ſua provincia, & immediati domus Prælati reſpectu religioſorum illius conventus, habent ordinariam poteſtatem (quam proinde aliis delegare poſſunt) diſpenſandi in omnibus votis & juramentis, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis diœceſanis diſpenſare: quia præter dominativam poteſtatem, quam habent ad irritanda ſuorum ſubditorum vota, habent ſpiritualem juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in foro externo. Unde ſicut ferre cenſuras poſſunt, & ab eis abſolvere, quod pertinet ad dictam juriſdictionem: ita & omnia vota ſuorum religioſorum diſpenſare, præter illa, quæ ſunt ſpecialiter reſervata; ſed ad hæc inutilis eſſet talis juriſdictio, ut de voto caſtitatis & religionis conſtat, cum ex vi ſuæ profeſſionis ad illa teneatur regularis; à quibus liberari nequit ab alio, præter quam à Summo Pontifice; immo Summum Pontificem non poſſe illam impertiri, eſt opinio ſatis communis, & probabilis à votis trium peregrinationum ſuperfluum eſſet in prælatis facultas ſubditos abſolvendi, cum invalidum ſit modò in religioſis tale votum peregrinationis, quibus ſanctius & melius eſt in clauſtris degere, & ſi aliquando fuerit validum eſt ſemper dependenter à licentia Superioris, quam ipſo negante, voti obligatio omnino corrueret.

89. Sed difficultas eſt: an hæc poteſtas, quæ eſt in religionum prælatis ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis in quibuſcumque votis, præter quinque reſervata, extendatur ad diſpenſandum in votis Novitiorum? Ad quod reſpondetur affirmative ſecundum ſuperius dicta: quia licet prælati non habeant in novitios poteſtatem dominativam, ideoque illorum vota nequeant irritare; habent tamen juriſdictionem ſpiritualem ad integre illos regendos in ſuis actionibus, ad eos puniendos, vel gubernandos, ſed facultas diſpenſandi in votis fundatur ſupra dictam juriſdictionem ſpiritualem: ergo &c. Sic N. Lezana *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 47. Miranda *tom.* 2. *q.* 32. *art. ultim. fine.* Leander *tract.* 1. *diſ.* 17. *quæſt.* 154. Aſcanius Tambur. *tom.* 2. *de iure Abbat. diſp.* 18. *q.* 3. *n.* 2. Palaus *tract.* 15. *diſp.* 2. *punct.* 10. *num.* 3. Pellizzar. *tom.* 2. *cap.* 7. *q.* 16. *n.* 38. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 39. *n.* 17. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 27. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 18. *num.* 133. *in ſecunda editione* Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 71. Henriq. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 22. *num.* 7. Rodrig. *tom.* 2. *cap.* 89. *num.* 9. N. Antonius à Spiritu ſancto *in director. regular. tract.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 2. *num.* 100. Et habetur ex conceſſione *Eugenii IV. Bull.* 21. quæ refertur à Cruce *in Epitho. lib.* 1. *dub.* 6. *concluſ.* 2. ¶ Verum eſt poſſe etiam Epiſcopum in dictis votis novitiorum diſpenſare: quia cum veri religioſi non ſint; non ſunt plene ab eius juriſdictione exempti, uti docet Bonac. *num.* 28. Sanchez *num.* 18. Palaus *numero* 2. Pellizzar. *num.* 39. Henriq. *num.* 7. Epiſcopus ergo illius diœceſis, in qua de præſenti reſident novitii poteſt cum illis in votis diſpenſare: quia reſpectu illius ſunt ſubditi, quia cum novitii animo perſeverandi in monaſterio degant, ibi acquirunt domicilium: ſicut qui ad aliquem locum ſe transfert animo ibi manendi. Unde ſicut non tollit, iſtud domicilium in illo loco acquirere, quod ſi poſtea ſibi diſpliceat ad alium tranſeat: ita non obſtat, quod novitius poſſit exire, ſi illi religio diſplicuerit, ad hoc ut dictum domicilium non acquirat, & ſic ſit ſubditus Epiſcopi illius diœceſis. Sic Sanchez, Palaus, Bonacina, *locis citatis.*

Poſſunt prælati omnia vota novitiorum, præter reſervata, diſpenſare.

90. Poſſunt ergo prælati omnia ſuorum ſubditorum vota, quæ reſervata non ſunt, per diſpenſationem relaxare. Et hoc etiamſi ex ipſorum licentia dicta vota emiſſa fuerint: quia & ſi dubium ſit, an irritare poſſit prælatus votum de ſua licentia à ſubdito emiſſum, de quo egimus ſupra hoc *cap. num.* 65. Eſt certum, quod poſt datam licentiam, & votum emiſſum, poteſt in illo diſpenſare: quia adhuc integra remanet ſua juriſdictio ſpiritualis, quæ pro tali relaxatione eſt totale fundamentum. Sylveſter *verbo votum* 4. *quæſtione* 5. *dict.* 9. Fagundez *lib.* 2. *capite* 43. *numero* 6. Suarez *lib.* 6. *de voto capite* 10. *numero* 17. Sanchez *lib.* 4. *capite* 42. *numero* 4. ¶ Similiter quamvis inferior prælatus non poſſit irritare votum emiſſum de licentia Superioris, ut diximus *numero* 64. poteſt nihilominus in illo diſpenſare: quia Superioris licentia non eximit religioſum à juriſdictione prælati inferioris, licet eximat à dominativa illius poteſtate, ut ibidem diximus. Suarez *num.* 18. Sanchez *num.* 5. Fagundez *n.* 7. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 14. *num.* 67. ¶ Poteſt etiam diſpenſare in votis non peccandi, & in votis adimplendi divina præcepta: quia licet ſubditi Dei lege ad hæc teneantur, quoad novam voti obligationem prælatis, nihilominus ſubduntur. Sanchez *n.* 6. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *dub.* 1. *concluſ.* 4.

Etiam in votis ex ſua licentia factis poſſunt diſpenſare.

91. Imm&

Poſſunt prælati diſpenſare in voto tranſeundi ad arctiorem religionem.

91. Immò poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in voto tranſeundi ad arctiorem religionem, quod ſupra *num.* 38. diximus non poſſe irritare. Quia nullo iure legimus eſſe talem diſpenſationem reſervatam, nec reſervatin, cum odioſa ſit, eſt aſſignanda abſqoe manifeſto textu. Unde ſicut Epiſcopus cum ſuis ſubditis poteſt diſpenſare in voto arctiorem religionem ingrediendi, voto religionis quoad ſubſtantiam relicto, ut infra dicemus: ſic prælatus cum ſuis ſubditis, cum quibus eandem habet poteſtatem, quàm Epiſcopus cum ſuis diœceſanis. Leſſius *lib.* 2. *cap.*40. *dub.* 13. *numero* 107. Antonius à Spiritu ſancto *in director. regular. tract.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 2. *num.* 10. Soto *lib.* 7. *de iuſt. quaſt.* 3. *art.* 1. *dub.* 2. & *quaſt.* 4. *art.* 3. Fagundex *lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 3. Aragon. 2.2. *q.*88. *art.* 8. *dub.* 1. *concluſ.* 5. Rodrig. *tom.* 2. *cap.* 89. *n.* 4. Sanchex *n.*42. Ledeſma *tract.* 10. *cap.* 7. *dub. ultim. diſt.* 1. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 91. Lezana, *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 50. qui bene notat, quod licet rationabilis cauſa ad talem diſpenſationem requiratur, ſufficit ſi quis vere & prudenter iudicet, ſe melius ſervire poſſe Deo in illa religione, quàm in alia ad quam ſe transferre promiſerat. ¶ Immò poſſunt prælati regulares cum illis diſpenſare, qui fecerunt votum religionis ſtrictioris, ut in laxiorem intrent, dummodo diſpenſatus intret in religionem ipſius diſpenſantis: & erit ſufficiens cauſa, ſi ille, qui vult diſpenſari, exiſtimet ſe melius in alia religione laxiori Deo ſerviturum, uti ex conceſſione *Eugenii IV. Bulla II.* apud Crux *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 20. *concl.* 3. docet N. Antonius à Spiritu ſancto *loco adducto num.* 101. Rodrig. & Martinus à Sancto Ioſeph *citatis.*

Nec in votis ſubſtantialibus, nec in ſubſtantialibus annexis poſſunt prælati diſpenſare.

92. Prælati autem non poſſunt cum ſuis ſubditis in votis ſubſtantiallbus diſpenſare, neque in aliquibus ſpecialibus votis, quæ fiunt ſimul cum ſubſtantialibus in quibuſdam religionibus, ut votum quadrageſimale apud Minimos, votum non ambiendi, &c. quia hæc etiam ſuo modo ad ſubſtantiam ſtatus illius religionis pertinent, cum ſint ſubſtantialibus annexa, & adintegrent & perficiant ſubſtantialiter illum ſtatum. Unde ſicut *Concilium Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. agens de votis ſtatum conſtituentibus, dicit, compertum eſſe, quod ea, quæ ad ſubſtantiam vitæ pertinent, non poſſunt per Superiores, relaxari, huius rationem reddit: *etenim ſi illa, quæ baſes ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſervata & cuſtodita, totum ſtatim corruat ædificium, neceſſe eſt.* Et de voto non ambiendi, quod apud aliquas religiones fit, inquit Paulus V. *in conſtitut.* 16. die decima Februarii expedita *anno* 1610. *ibi* § 4. *ſuper huiuſmodi voto diſpenſari minime poſſe, nec illud commutari, non ſecus ac cætera ſubſtantialia vota religionis, &c.* Quare, quidquid nonnulli dicant, id eſt commune inter Doctores. Suarez *tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *capite* 12. *numero* 28. Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 6. *aſſert.* 5. Diana 6. *part. tract.* 8. *reſol.* 34. Prado *ſupra numero* 69. Palaus *punct.* 8. *num.* 3. Aſcanius Tambur. *de iure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *cap.* 2. *dub.* 32. *numero* 7. Sanchex *lib.* 4. *cap.* 33. *numero* 3. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 54. & *tom.* 4. *verbo* tranſeuntes regulares *num.* 14. & *verbo* votum *num.* 10. ubi refert motum proprium Vrbani VIII. anno 1643. declarantem, quod votum, quod aliquæ religiones emittunt, de non procuranda, vel acceptanda, extra earum ordinem dignitate, non poteſt diſpenſari, aut relaxari, niſi à Romano Pontifice. ſublata facultate id faciendi omnibus & quibuſcumque Superioribus, Nuntiis Apoſtolicis, Legatis etiam de latere: ſublatis etiam omnibus privilegiis, indultis, & facultatibus in contrarium.

Abſque dubio confeſſarii regulares poſſunt omnia vota non reſervata ſæcularium commutare.

93. Veniamus modo ad examinandam facultatem, quam regulares habent reſpectu ſæcularium, ad diſpenſandum in eorum votis, in quo præcipua difficultas ea eſt. An omnes confeſſarii regulares de facto habeant poteſtatem delegatam diſpenſandi in omnibus votis non reſervatis ſæcularium undecumque ad eos accedentium, quam jure ordinario habent Epiſcopi reſpectu ſuorum ſubditorum? Et quidem ipſos habere facultatem commutandi omnia prædicta vota, ſolis reſervatis exceptis, nemo eſt, qui dubitet: quia hoc ad minus concedit eis illud privilegium Eugenii IV. conceſſum monachis Sanctæ Iuſtinæ ordinis S.Benedicti, in conſtitutione, *& ſi quaſlibet perſonas*, anno 1436. ubi poſt aliorum conceſſionem dicitur: *inſuper & omnia vota commutare, &c.* Et aliud Pauli III. ibi: *nec non vota quæcumque per eos pro tempore emiſſa, in alia pietatis opera commutandi, &c.* Quod omnes fere concedunt, etiam aliqui Neoterici, qui nimis ſcrupuloſe Bullas Pontificum ſcrutantes, nolunt concedere poſſe regulares diſpenſare cum ſæcularibus in votis, quia, inquiunt, ſolum privilegia loquuntur de commutatione, non de diſpenſatione, & ut diximus *num.* 81. licet cui diſpenſandi conceditur facultas, etiam commutandi cenſetur conceſſa, non tamen è contra, ex eo quod alicui commutandi concedatur poteſtas, hoc ipſo conceditur diſpenſandi. Hæc notent confeſſarii regulares, ipſos ex privilegiis facultatem habere, nedum diſpenſandi in omnibus votis, reſervatis exceptis, ſed etiam illa commutandi: quia ut dicemus infra ſaluberrimum eſt conſilium, ut ſemper cum diſpenſatione admiſceatur commutatio, ſcire debent ipſos & diſpenſare poſſe & commutare, ut utrumque coniungere debita cum conſideratione valeant.

Poſſe regulares confeſſarios diſpenſare in omnibus votis ſæcularium non reſervatis communis tenet ſententia.

94. Cæterum communis ſententia Doctorum, tam ex antiquis, quam modernis, dicta privilegia, & alia plura, de facultate diſpenſandi intelligunt; & interpretantur. Quare dicendum eſt, poſſe confeſſarios regulares omnes & quoſcumque fideles, ſive in confeſſione, ſive extra confeſſionem (non enim requiritur, ut qui habet facultatem diſpenſandi in votis, hoc intra confeſſionem faciat, ſed vel intra, vel extra, æquè bene id præſtare poteſt) diſpenſare, delegata ſibi à Pontifice facultate, in quibuſcumque votis ab eis emiſſis, in quibus poſſunt Epiſcopi jure ordinario diſpenſare cum ſuis diœceſanis. Sic communiter Doctores. Nam inprimis extat ad hoc privilegium Innocentii VII. vel VIII. ut alii volunt, concedens regularibus poſſe cum ſæcularibus diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi. Aliud Eugenii IV. conceſſum monachis S. Benedicti Valliſoletani. Aliud Iulii II. pro congregat. Benedictin. quod refert Baſſæus *in floribus in* 3. *edition. Antuerpia verbo votum* 7. *num.* 10. Et Bordonus *in conſiliis regular. tom.* 1. *reſol.* 15. affert, & explicat illud privilegium Eugenii IV. conceſſum monachis S. Iuſtinæ, de quo locuti ſumus numero præcedenti, quod etiam de diſpenſatione expreſſe loquatur. Alia privilegia refert, & ponderat Quintanadveñas *tom.* 2. *ſingular. quaſtion. tract.* 13. *ſingular.* 15. *num.* 1. & *ſingular.* 10. *num.* 1. Aliud Martini V. adducit Rodrig. *tom.* 2. *qq. regular. quæſt.* 63. *art.* 3. ubi ſine ulla reſtrictione concedit, poſſe diſpenſare in votis, etiam Epiſcopo reſervatis. Ex quibus omnibus privilegiis ſequitur,

poſſe

poſſe regulares diſpenſare in omnibus votis ſæcularium undequaque venientium, exceptis duntaxat quinque illis, quæ ſunt Papæ reſervata, de quibus agemus puncto ſequenti. Sic præter citatos auctores Aragon. 2. 2. quæſt. 88. art. 12. concluſ. 6. Ludovicus Lopez 1. part. cap 50. Candid. tom. 2. diſquiſ. 27. art. unico dub. 2. Pellizzar. tom. 2. tract. 8. cap. 3. ſect. 2. num. 141. Truilench. lib. 2. cap. 2. dub. 44. à num. 2. Villalob. tom. 2. tract. 34. diff. 29. num. 2. & 3. Vidal. tit. de votis inquiſit. 3. num. 77. Fr. Antonius à Spiritu ſancto in director. regular. tract. 2. diſp. 3. ſect. 2. num. 80. Fr. Martinus à S. Ioſeph in explicatione regulæ S. Franciſci in 5. edition. anni 1655. fol. 500. num. 9. Mendus in bullam Cruciatam diſp. 6. cap. 1. numero 34. & 35. Machado lib. 3. part. 3. tract. 3. docum. 1. num. 1. Leſſius lib. 2. cap. 40. dub. 18. n. 134. in 2. edition. Leander tract. 1. diſputat. 17. quæſt. 35. Fagundez lib. 2. cap. 45. à num. 11. Baſilius Ponti. de matrim. lib. 8. cap. 10. num. 9. Thom. Tambur. in decalog. lib 3. cap. 16. §. 4. num. 46. Bruno Caſaing. in privilegiis regul. tract. 3. cap. 3. prop. 2. Diana part. 6. tract. 6. reſol. 30. Navarrus in ſumm. cap. 12. numero 29. Miranda tomo 1. quæſt. 48. artic. 3. Sayrus lib. 6. theſauri cap. 11. dub. 17. num. 95. Sanchez in ſumm. lib. 4. capite 43. numero 4. Palaus tomo 3. tract. 15. punct. 13. num. 7. Bartholomæus à ſancto Fauſto, lib. 3. theſauri à quæſt. 173. uſque 181. à Cruce in epitome lib. 2. cap. 6. dub. 8. concluſione 1. & alii.

95. Ex quo infertur primo, poſſe regulares confeſſarios deputatos à ſuis Superioribus diſpenſare in quibuſcumque votis (reſervatis exceptis) cum religioſis ſui, & alterius ordinis, ex privilegio illo Eugenii IV. concedente regularibus diſpenſare poſſe cum omnibus Chriſti fidelibus in omnibus votis, exceptis Papæ reſervatis. Et ex alio Sixti IV. Bull. 2. quam refert Peyrinea ad conſtitution. 1. Sixti IV. §. 4. concedente, ut poſſint vota religioſorum non ſolum commutare, ſed toties quoties relaxare, quod verbum relaxare idem eſt ac diſpenſare, ut notavit Lezana tomo 3. verbo iuramentum. n. 24. & Nos hoc capit. initio. Sic Bordonus tom. 1. reſol. 14. n. 16. Urbanus tract. 2. part. 2. cap. 4. regul. 1. fol. 314. Peyrines ad conſtitution. 2. Iulii II. § 32. num. 61. Quintanaduẽñas, tract. 3. ſingul. qq. tract. 3. ſingular. 19. numero 9. Antonius à Spiritu ſancto ſupra §. 2. n. 131 & 133. ¶ Infertur ſecundo poſſe confeſſarios regulares cum quibuſcumque ſæcularibus diſpenſare, etiam in quinque votis reſervatis in omnibus & illis caſibus, in quibus dicemus puncto ſequenti reſervata non eſſe: quia ſolum excipiuntur in eorum privilegiis vota reſervata, quæ verè & quandò reſervata ſunt, & quia hoc ipſo, quod reſervata non ſint, poſſunt ab Epiſcopis diſpenſari jure ordinario, & ſic etiam à regularibus, qui ut diximus quoad hoc habent eandem facultatem delegatam reſpectu omnium fidelium, quam habent Epiſcopi reſpectu ſuorum ſubditorum.

96. Infertur tertio, quodammodo eſſe ampliorem facultatem, quam habent regulares quoad votorum diſpenſationem reſpectu ſæcularium, illa, quam habent Epiſcopi; nam iſti ſolum reſpectu ſuorum ſubditorum ſuæ diœceſis ſimilem facultatem habent, at religioſi reſpectu omnium fidelium undecumque ad eos venientium. Quamvis ex alia parte minus quam Epiſcopi poſſint, quoad vota reſervata. Siquidem Epiſcopi, ut dicemus puncto ſequenti, poſſunt diſpenſare in votis reſervatis in caſu neceſſitatis, quando non eſt facilis recurſus ad Pontificem, & eſt periculum in mora: & in tali caſu neceſſitatis non poſſunt regulares diſpenſare in votis reſervatis, aut ea commutare, etiamſi eis commiſſa ſit facultas vota Epiſcopalia commutandi, vel diſpenſandi: quia talia vota non deſinunt eſſe reſervata, eo quod concedatur Epiſcopis facultas illa relaxandi in caſu urgentis neceſſitatis; ſicut facultas conceſſa abſolvendi à caſu reſervato in articulo mortis non tollit eſſe caſum reſervatum. Illa ergo vota regulares ex vi ſuorum privilegiorum poſſunt relaxare, quæ conceduntur Epiſcopis jure ordinario & reſervata non ſunt; ſecus vero illa, quæ jure extraordinario Epiſcopis indulgentur, & ſunt reſervata. Sic Auguſt. Barboſ. 2. part. de poteſt. Epiſcop. alleg. 37. num. 14. Prado cap. 31. quæſt. 15. num. 56. Baſilius lib. 8. de matrim. cap. 10. num. 11. Bardi. in bull. part. 2. tract. 7. cap. 2. ſect. 5. num. 141. Diana part. 6. tract. 6 reſolut. 50. Lezana in ſumm. verbo votum, num. 21. Matthæus de Moya in ſelect. qq. tract. 2. diſ. 1. §. 4. num. 22. Palaus tract. 13. diſp. 2. punct. 12. numero 7. Sanchez de matrim. lib. 8. diſputatione 40. numero 9. & in ſumm. lib. 4. cap. 43. num. 7. Leander tract. 1. diſput 17. quæſt. 136. Miranda in manual. tomo 1. quæſt. 48. num. 4. Rodrig. qq. regular. tom. 1. quæſtione 63. artic. 3. & 6. Suarez lib. 6. de voto capite 26. numero 16. Laymam lib. 4. tract. 4. capite 8. num. 17. fine.

97. Tametſi non ſit oppoſitum improbabile, quod docet Vidal. tit. de voto inquiſit. 3. num. 77. & 88. Courſerſ. in regul. S. Franciſci capite 7. ſect. 29. fol. 785. Leander à Murtia Capuccin. in regul. D. Franciſci cap. 7. quæſt. 7. §. 2. numero 56. & alii, quos refert, & ſequitur N. Antonius à Spiritu ſancto in director. tract. 2. diſput. 3. ſect. 2. num. 84. Fr. Ludovic. à Conceptione in examin. verit. tom. 1. tract. 1. de matrim. caſu 30. fol. 102. Fr. Franciſcus Pichon ordin. Minor. in tractat. de matrim. diſputatione 6. cap. 2. ſect. 3. numero 133. quia regulares per ſua privilegia poſſunt in omnibus votis diſpenſare, in quibus poſſunt Epiſcopi jure ordinario; ſed in caſibus neceſſitatis facultas diſpenſandi in votis reſervatis competit Epiſcopis jure ordinario: quia illis conceditur ratione ſui muneris & officii, & eſt perpetuò eorum dignitati annexa. ¶ Deinde quia confeſſarius regularis poteſt virtute ſuorum privilegiorum commutare & diſpenſare omnia vota non reſervata Pontifici; ſed vota caſtitatis, aut religionis, non ſunt reſervata Pontifici quoties eſt periculum incontinentiæ, aut imminet aliud grave damnum, & non eſt facilis aditus ad Pontificem: ergo tunc poterunt in eis regulares diſpenſare. Minor eſt Dianæ part. 6. tract. 6. reſolut. 50. Ledeſmæ in ſumm. part. 2. tract. 10. de voto cap. 8. ad ultim. argument. §. Digo lo quarto Raphaël à Torre 2. ſecunda quæſt. 88. art. 12. diſputatione 3. num. 14. Leſſii lib. 2. de iuſtitia, capite 40. dub. 18. à numero 125. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 10. numero 22. & lib. 4. ſumm. cap. 40. num. 32. & 34. Qui omnes dicunt in dictis caſibus Summum Pontificem noluiſſe reſervare ſibi talia vota; ſed permittere Epiſcopis, ut ſua poteſtate ordinaria, quam ſuppoſita reſervatione habebant, utantur: ergo talia vota cum illis circumſtantiis non ſunt reſervata: ergo pertinent jure ordinario ad Epiſcopos: ergo poterunt in illis regulares diſpenſare.

98. An vero religioſi poſſint uti prædicta facultate diſpenſandi in votis ſæcularium, ſi ſæculares, cum quibus diſpenſare volunt, non habeant Bullam cruciatam? Aliqui hoc negant: quia privilegia regularium ſuſpenduntur per bullam *Prædicta privilegia regularium non ſuſpenduntur per bullam Cruciatam.*

bullam quoad ſæculares, & per eam tevslidsntur: & ideo in bulla quædam clauſula invenitur, in qua datur facultas commiſſario ſuſpendendi omnes gratias & facultates conceſſas quibuſvis monaſteriis, &c. Et commiſſarius ſuſpendit. Sic Trullench. *lib.* 1. *in expoſit. bulla* §. 9. *dub.* 3. & *in decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 44. *fine*. Petrus de Ledeſma 1. *part. ſumm. de pœniten. cap.* 13. *in fine*. Barnabas Gallego, *in bull. cap.* 12. *dub.* 174. Navarr. *lib.* 5. *conſil. tit. de privileg. conſil.* 16. Ludovicus Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 2. *de clavibus colum.* 10. Rodrig. *in bull. crucia.* §. 12. *numero* 4. ¶ Sed probabilius dicendum eſt: non ſuſpendi privilegia commooia regularium per bullam cruciatam, atque ideo ad uſum illorum non eſſe oeceſſarium ſæculares bullam habere. Quia cum talia privilegia adeò ſint favorabilia, conceſſa noo uni vel alteri monaſterio, ſed toti religioni, oon videntur ſuſpendi per verba adeò generalia, ſed illorum ſpecifica mentio eſſet facienda. Quaptopter illa clauſula bullæ intelligitur de gratiis conceſſis particularibus monaſteriis, quales ſunt, qui viſitaverit tale monaſterium conſequetur indulgentiam plenariam, & ſimilia, quibus fungi non poſſunt ſæculares bullam cruciatam noo habentes. Sic Sanchez *lib.* 4. *decalog cap.* 54. *num.* 62. Lezana *tom.* 3. *verbo bull. cruciat. num.* 38. Palaus *tomo* 4. *tract.* 25. *diſputatione nnica, punct.* 10. *num.* 9. Prado *capite* 31. *quæſt.* 15. *num.* 58. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 15. *num.* 60. *in prima edition.* Rodriquez mutans ſuam ſententiam in *additiomb. ad bull. cruciat.* §. 12, *num.* 4. & *in qq. regular. tom.* 1. *quæſt.* 61. *artic.* 12. ubi aſſerit multos viros doctiſſimos ſic ſentire. Et Henriq. *lib.* 6. *de pœnitentia*, *cap.* 16. *num.* 7. & *lib* 7. *de indulgent. cap.* 48. *num.* 7. *ubi in Gloſſa littera* a. refert multos doctiſſimos ex ordine D. Dominici, & Franciſci, qui ita ſenſerunt.

PUNCTUM XII.

Quorum votorum diſpenſatio, aut commutatio, ſit ſolo Pontifici reſervata, & quomodo ſit talis reſervatio intelligenda, & interpretanda?

Solum voti caſtitatis, religionis, & triplicis peregrinationis, eſt reſervatum.

99. Dicendum eſt, eſſe tantum quinque vota reſervata, cujus relaxatio, ſive per diſpenſationem, ſive per commutationem, ad ſolum Romanum Pontificem pertinet. Nimirum votum ſimplex caſtitatis, votum religionis, votum triplicis peregrinationis, Terræ Sanctæ, & ad viſitanda limina D. Petri, & peregrinatioois Compoſtellanæ ad D. Iacobum. Concluſio habet virtualiter duas partes. Prima, hæc quinque vota eſſe teſervata. Secunda, noo dati alia reſervsta præter iſta. Prima ergo para conſtat *ex capite ex multa capite ſuper his de voto extravaganti*, & *ſi dominici* 2. *de pœnitentiis & remiſſionibus*. Et ex communi uſo & acceptatione Eccleſiæ ſic iſta iura interpretante, & ex doctorum communi conſenſo. Cujus rationem reddit D. Thom. 2. *ſecunde*, *quæſtione* 88. *artic.* 12. *ad* 3. quia res magis difficiles, arduæ, & extraordioariæ non debent niſi ad ſupremum caput, & principem pertinere; licet aliæ frequentiores, & minores momenti, ad alios inferiores prælatos pertioere valeaot. ¶ Secunda vero para, qood nulla alia vota præter iſta ſunt reſervata, eſt contra nonnullos ponentes votum peregrinationis Lauretanæ inter reſervata: & alins, qui alia pro libito aſſignant. Noſtra autem aſſertio probatur: qoia nullo authentico jure, aut præſcripta conſuetudine, conſtat, alia præter dicta reſervari; & cum reſervatio ſit odioſa, ut dicemus, non eſt ponenda, niſi ex jure aut conſuetudine manifeſte probetur. Sic ex commoni ſententia doceot Lezana *tom.* 4. *verbo* votom pro regulat. *num.* 10. Prado *cap.* 31. *quæſtione* 14. *num.* 85. Raphaël de la Torre 2. *ſecunda*, *quæſt.* 88. *art.* 12. *diſ.* 3. *à num.* 1. Palaus *tract.* 15. *diſp.* 2. *punct.* 10. *num.* 5. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 7. Baſilius *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 4. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 21. *à n.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap* 40. *dub.* 18. *num.* 112. *in* 2. *edition.* Sanchez *in ſumm. lib.* 8. *cap.* 40. *num.* 6. & 8.

Duplex objectio ex D. Thoma proponitur & enervatur.

100. Sed obiicies, quod D. Thom. *artic.* 12. *citat. ad* 3. ſolum enomerat inter vota reſervata votum continentiæ, & peregrinationis Terræ Sanctæ: ergo ſeotit ſolum hæc duo vota eſſe reſervata. Ex alia parte videtur eſſe alia reſervata præter dicta: nam idem D. Thom. 2. *ſecunda*, *quæſt.* 184. *art.* 6. & 185. *art.* 4. & 189. *artic.* 7. docet, vota perpetua eſſe Pontifici reſervata, ut votum perpetuò jejunoandi, perpetuam eleemoſynam quotaonis tribueodi: ergo alia vota præter quinque dicta ſunt inter reſervata connumeranda. ¶ Ad primum reſpondetur primo cum Prado *numero* 82. D. Thom. in voto continentiæ comprehendiſſe votum religionis, & in peregrinatione Terræ Sanctæ peregrinstionem ad D. Iacobum, & ad S. Petrum, & adduxiſſe duplex exemplum aliud unius, aliud alterius generis. Vel ſecundo cum Cajetano *ibi* quod tempore D. Thomæ non erant tot vota reſervata, quæ decurſu temporis jure vel conſuetudine reſervari potuerunt. ¶ Ad ſecundum reſpondetur ſimiliter duplici modo: primo cum Cajetano *art.* 12. *ad* 3. *dub. penult.* Sylveſtro *verbo votum* 4. *quæſtione* 3. *dict.* 6. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſputatione* 9. *numero* 13. loqui S. Doctorem de votis perpetuis per ſe, uti ſunt votum religionis, & caſtitatis; non de perpetuis per accidens, ut ſunt votum jejunandi, aut eleemoſynam faciendi in perpetuum. Vel ſecundo cum eodem Sanchez *in ſumm. lib.* 4. *capite* 40. *numero* 10. Suarex *lib.* 6. *de voto cap.* 21. *numero* 10. Raphaël à Torre 2. *ſecunda*, *quæſt.* 88. *art.* 12. *diſputatione* 3. *numero* 2. loqui S. Doctorem de reſervatione intrinſeca & petita ex vi gravitatis materiæ, talia ſont vota perpetua, quæ ex vi gravitatis materiæ reſervationem exigebant. Cæterum de facto non ſunt reſervata, niſi accedat extrinſeca reſervatio Pontificis, quod poteſt ob aliquas ratiooes prætermittere, ſicut è contra alia vota non perpetua teſervare ob rationes ſibi occurrentes.

In caſu urgentis neceſſitatis poteſtnè Epiſcopus in votis reſervatis diſpenſare?

101. Sed rogabis: an in his votis reſervatis poſſit Epiſcopus, vel alius prælatus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens, diſpenſare in caſu vrgentis neceſſitatis, quia non eſt facilis aditus ad Pontificem, & eſt in mora periculom gravis damni ſpiritualis, aut temporalis? Reſpondetur affirmativè, ut ſi ſit periculum violationis voti ſi diſpenſatio differatur, ſi ſcandalum, infamia, aliudve grave damnum ex dilata diſpenſatione timeatur: ut ſi adſtrictus voto caſtitaris, aut religionis, violaſſet virginem, & ad reparationem honoris illius neceſſarium eſſet matrimonium, & timeretur apponeoda impedimenta ab aliquibus ad illud, ſi differatur. Vel ſi morti proximus ad conſulendum honorem fœminæ honeſtæ famæ cum qua inhoneſte communicaverat, vel ad legitimandos filios, eſſet neceſſarium matrimonium.

In

In his, & ſimilibus caſibus, gravis neceſſitatis urgentis, occurrentibus, poteſt Epiſcopus, vel juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens, diſpẽſare cum ſuis ſubditis in votis dictis reſervatis: quia cum id recte Eccleſiæ gubernationi conveniat, & ſaluti animarum ſit multum expediens, credendum eſt Summum Pontificem noluiſſe in hoc caſu ſibi diſpenſationem reſervare, ſed eam inferioribus prælatis remittere, ac concedere. Sic Barboſa *de poteſt. Epiſc. 2. part. allegat. 37. num. 8.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 126. & 127. in 2. edition.* Suarez *lib. 6. de voto cap. 26. a num. 6.* Candid. *diſquiſ. 27. dub. 7.* Sylveſter *verbo votum 4 quæſt. 4.* à Torre *diſp. 3. num. 14.* Prado *cap. 31. quæſt. 14. num. 92.* Baſſæus *tom. 1. votum 7. num. 15.* Tambur. *in decalog. lib. 3. cap. 16. §. 4. num. 37.* Sanchez *lib. 4. cap. 40. num. 44.* Palaus *tract. 15. diſ. 2. punct. 12 num. 3.* Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 16.* Leander *tract. 1. diſp. 17. quæſt. 117.* ¶ Cæterum in his caſibus diſpenſatio concedenda eſt quatenus neceſſitas obligat, & non amplius: cum ob ſolam neceſſitatem talis facultas concedatur. Quare ſi ſufficit ſuſpendere voti executionem, hoc eſt dumtaxat indulgendum. Si concedatur diſpenſatio, ut adſtrictus voto caſtitatis nubat, non diſpenſatur cum illo abſolute, ut contra votũ non peccet cum alia fornicando, ſe polluendo, aut diſſoluto illo matrimonio, ad quod urgebat neceſſitas, aliud cum alia celebrando. Sanch. *n. 40.* Leand. *quæſt. 120.* Prado *n. 92.* Tambur. *num. 37.* Suarez *num. 13. & 14.* Laym. *num. 17.* Palaus *n. 6.* ¶ An vero in caſu, quo poſſit de facili adiri ad eum, qui habet privilegium in hæc vota diſpenſandi, poſſit tunc Epiſcopus diſpenſare? Vide quæ diximus *tom 2. tr. 10. de cenſ. c. 2. n. 65.*

Solum cenſentur dicta vota reſervata, cum ſunt certa, perfecta, integra, & abſoluta.

102. Vetuntamen cum reſervatio ſemper odioſa cenſeatur, eo quod adimat vel coarctet ordinariam poteſtatem prælatorum: ideo ſtrictè, & non late, eſt interpretanda. Quatecum dicta quinque vota reſervata dicuntur, intelligendum eſt de votis, v. g. Caſtitatis, & Religionis, certis, abſolutis, & perfectis. Vndecumque autem dicta vota certa non ſint, abſoluta, & perfecta, minime ſunt reſervata: & ſic ſuper illis poteſt à quocumque, qui alia vota nnn reſervata diſpenſare valet, diſpenſatio abſoluta concedi. Quod eſt commune inter omnes Doctores. Vnde plures caſus particulares modo inferremus.

Caſus reſeruntur, in quibus facta vota non ſunt reſervata.

103. Ex modo dictis infertur primo: quod ſi aliquis ad caſtitatem, vel religionem, vellet ex voto obligari ſolum ſub veniali, non eſſet tale votum reſervatum: quandoquidem reſervatio intelligitur de voto integre & perfecte facto cum intentione proportionata materiæ reſervatæ. Sic Sanchez *lib. 4. cap. 40. num. 47.* Palaus *diſp. 2. punct. 12. num. 2.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 39. num. 14.* Baſſæus *tom. 2. votum 2. num. 16.* ¶ Infertur ſecundo ſimiliter ſi dicta vota emiſſa fuiſſent ex metu, etiam levi, ad extorquenda illa incuſſo: quia jam non ſunt perfecta, cum plena, & expedita, ac perfecta, libertate, facta. Baſſæus *tom. 1. votum 7. n. 17. & tom. 2. votum 2. num. 26.* Thom. Tambur. *lib. 3. decalog. cap. 16. § 4. num. 41.* Aſcanius Tambur. *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 19. q. 10. num. 17.* & alii quos refert, & ſequitur Leander *1. parte, tract. 5. diſp. 14. q. 17. & part. 2. tract. 1. diſput. 17. q. 104.* ¶ Infertur tertio; quod ſi dubium ſit, an ex aliqua ratione, aliquod ex dictis votis, ſit necne reſervatum, iudicandum eſt reſervatum non eſſe: quia cum ſit reſervatio odioſa, reſtringenda eſt ad caſus certos & determinatos. Quare ſi vel ratione materiæ, quia non eſt integra & perfecta: vel ex defectu libertatis: vel ex alio capite, dubium ſit, an votum caſtitatis, aut religionis, reſervatum ſit: vel, an dictum votum fuerit; vel non, emiſſum? iudicandum eſt non eſſe reſervatum. Sic Sanchez *lib. 8. cap. 40. num. 16. & 80.* Suarez *lib 6. cap. 16. n. 6.* Thom. Tambur. *lib. 1. cap. 3. § 7. num. 15.* Baſilius *lib. 8. cap. 9. num. 14. & 16.* Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 8 num. 14.* Palaus *diſp. 2. punct. 12. n. 8.* Diana *p. 4. tract. 3. reſol. 59.* Leander *tom. 2. in decalog. tr. 1. diſ. 17. q. 112. & q. 127.*

Quibus caſibus non ſint prædicta vota reſervata.

104. Infertur quarto: nullum ex his votis eſſe reſervatum, quod ex parte materiæ promiſſæ non eſt integrum & perfectum: ut v.g. votum caſtitatis, quod non ſit caſtitatis abſolutæ, perpetuæ, & integræ. Et ſic non eſt reſervatum votum non contrahendi matrimonium, votum noo fornicandi, non polluendi, non tangendi turpiter mulierem, votum non petendi debitum, votum caſtitatis pro tempore determinato, votum virginitatis, ſi per illud ſolum intendatur florem virginitatis conſervare, qui per primum actum amittitur; ſecus vero ſi per illud intendat abſtinere ſe ab omni actu & delectatione venerea, iuxta dicta hoc volumine *tract. 15.* quia nullum ex dictis eſt integrum, & perfectum votum caſtitatis. Idem dicendum eſt de voto aſſumendi ordines ſacros, quia non eſt votum promiſſæ caſtitatis; ſed promittendæ: & ideo non eſt reſervatum: ſicuti votum faciendi votum caſtitatis, aut religionis, quia non eſt votum factum caſtitatis; ſed faciendum: oon eſt reſervatum. Raphaël à Torre *diſ. 81. num. 1. fine.* Prado *cap. 31. q. 14. num. 89.* Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regular. tract. 2. diſp. 3. ſect. 2. num. 81.* Saytus *lib. 6. cap. 11. num. 60.* Palaus *tract. 15. diſputat. 2. punct. 11. num. 1.* Suarez *lib. 6. cap. 11. num. 7. & cap. 24. num. 2.* Laym. *lib. 4. tract 5. cap. 8. num. 8.* ¶ Idem dicimus de voto caſtitatis coniugalis ſervandæ, quod non eſt reſervatum: quia cum non ſit totius caſtitatis abſolutæ, non eſt perfectè votum caſtitatis, ſed partis dumtaxat illius: & ideo liberum eſt habenti illud, contrahere matrimonium, cum ſolos illicitos actus comprehendat. Henriq. *lib. 7. de indulgent. c. 30. num. 6.* Trullench. *lib. 2. cap. 2. dub. 39. num. 17.* Fagundez *lib. 2. cap. 42. num. 9.* Sanchez *lib. 9. de matrimon. diſp. 9. num. 7. & lib. 4. decalog. cap. 40. num. 30.* Qui bene excipiunt quando votum coniugale ex auctoritate Pontificis eſt annexum ſtatui Religioſo, ut eſt hodie ſtatui equitum Ordinum militarium.

Eadem materia extenditur ad alios caſus.

1n5. Nec ſimiliter eſt reſervatum votum religionis non approbatæ, quia vere non eſt votum religionis: nec votum paupertatis, & obedientiæ extra ſtatum Religioſum; quia nullibi tale votum reſervatum invenitur. Nec votum peregrinationis Romanæ, Compoſtellanæ, aut Hieroſolymitanæ, emiſſum ob alium expreſſum finem, quam devotionis cauſa: quia ſolum votum factum ob devotionem illorum locorum eſt reſervatum: *Extravaganti & ſi dominici 2. de pœnit. & remiſſ.* Vnde licet ex devotione ad hæc loca votum emittat, reſervatum non eſt, niſi procedat ex devotione illorum locorum. Quare ſi quis voveret Romam ire ad ſalutandam Imaginem S. Mariæ Majoris, aut ad oſculandos pedes Pontificis, &c. aut voveret Hieroſolymitanam

tuam peregrinationem ad inviſendos, vel communicandos viros ſanctos ibi exiſtentes, aut Compoſtellanam ad viſitandam aliam baſilicam, quam D. Iacobi votum reſervatum non eſſet. Quia ſolum votum peregrinationis Rumanæ ad viſitandam baſilicam D. Petri Compoſtellanæ ad corpus D. Iacobi, & Hieroſolymitanæ ad inviſenda loca ibi à Domino conſecrata, eſt reſervatum. Sanchez *lib.4. cap.40. num.77.* Pal. *diſp.2. de voto punct.11. num.3.* Fagundez *lib.2. cap.43. num.14.* Baſſæus *tom.2. votum 2. num.16. & tom. 1. votum 7. num.13.* Aſcanius Tambur. *tom.2. de iure Abb. diſp.19. q.10. n.31.* Th. Tamb. *lib.3. decalog. c.16. §.4. n.26.*

Amplius extenditur dicta doctrina.

106. Denique prædicta quinque vota emiſſa cum aliqua circumſtantia, ſecundum illam circumſtantiam non ſunt reſervata, ſi abſque ea integrum votum manet quoad ſubſtantiam. Vnde poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto ingrediendi arctiorem religionem, ut laxiorem ingrediatur: quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis, quoad ſubſtantiam, ſed quoad circumſtantiam illi adiunctam. Poteſt etiam votum diſpenſare perſeverandi in Religione: quia hoc non eſt votum Religionis; ſimiliter in voto ſtatim exequendi votum Religionis: quia eſt diſtinctum votum à voto ipſius Religionis, & circumſtantia illius. Thom. Tambur. *num.28.* Baſſæus *tom.2. votum 2. num.16.* Palaus *punct.11. num.4.* Baſilius *lib.8. cap. 8. num. 17.* Sanchez *num.74. & lib.8. de matrimon. diſp.8. à num.17.* ¶ Idem dicendum eſt de voto peregrinationis, pedeſter, vel mendicando, vel ſacco indutus, quod in his circumſtantiis poteſt diſpenſari. ¶ Idem dicendum de voto non petendi diſpenſationem alicuius voti ab alio, quam à Summo Pontifice: quia non eſt votum de materia reſervata.

Votum diſjunctivum caſtitatis, aut iejunii, non eſt reſervatum.

107. Nec ſimiliter eſt reſervatum votum diſiunctivum de materia reſervata & non reſervata, ſaltem re integra, antequam unam de duabus eligat: ut ſi voveret Religionem, vel per unum annum jejunare, aut in Xenodochio inſervire: caſtitatem, vel dare talem eleemoſynam; quia in eius eſt voluntate eligere quam maluerit; & ſic votum non eſt reſervatum. Sanchez *cap.40. num.42.* Suarez *lib.6. de voto cap.24. num 4.* Palaus *num.6.* Leſſius *lib.2. c.40. dub.18. num.124.* Laym. *lib.4. tractat.5. cap.8. num.12.* Leander *tract.1. diſp.17. quæſt.106.* Aſcan. Tambur. *tom.1. de iure Abbat. diſp.19. q.10. num.5.* Sed quid ſi jam elegerit partem reſervatam: ut ſi vovit caſtitatem, vel jejunium, & primum elegit? Aliqui affirmant non poſſe diſpenſari ab alio, quam à Summo Pontifice: quia jam eſt votum caſtitatis abſolutæ, quod eſt reſervatum. Sic Palaus *diſput.2. punct.11. num.6.* Sanchez *lib.8. de matrimon. diſp. 9. num.14. & in decalog. lib.4. cap.40. num.43.* aliis citatis. Sed alii non minus probabiliter affirmant, non eſſe tunc votum reſervatum: quia ſemper remanet in ſua primæva natura voti diſiunctivi, cum adhuc electa una parte voti nempe caſtitate poſſit vovens voluntatem mutare, & aliam partem, nempe jejunium, eligere. Sic D. Th. Tambur. *lib. 3. decalog. cap.16 §. 4. num.30. & 31.* & pluribus citatis Leander *tom.1. in decalog. tract.5. diſp.14 quæſt.143. & tom.2. tractatu 1. diſp.17. q.108.*

Iuramenta caſtitatis, & religionis,

108. Sed modo reſtant aliquæ graves quæſtiones enodandæ. Inquires ergo primo, an iuramenta Deo præſtita, religionis, caſtitatis, & triplicis peregrinationis, ſint etiam reſervata Summo Pontifici, ſicuti vota de illis? Duplex datur ſententia, & utraque probabilis. Prima eſt negativa: tum quia in iure nullum eſt iuramentum reſervatum, & cum reſervatio ſit odioſa non eſt amplianda, ut id quod de votis dicitur extendatur ad iuramenta. Tum etiam, quia votum eſt fortius vinculum quam iuramentum, ut multoties diximus: ergo ex hoc, quod votum ſit reſervatum, non ſequitur quod juramentum circa illam materiam reſervatum ſit. Unde licet non poſſit Epiſcopus diſpenſare in voto Religionis, &c. bene tamen in iuramento illius materiæ: quia ex eo, quod aliquis non poſſit quod maius eſt, non ſequitur non poſſe quod minus. Sic Petrus de Ledeſma *tom. 2. Summ. tract.11. cap.4. dub.2. poſt 5. concluſ.* Tabiena *verbo iurare q.20. verbo iurare num.21. in ſecunda editione.* Mag. Texeda *in theolog. mor. tom.2. lib.3. tract.2. contron.6 num.229.* Bruno Caſaing. *de privileg. tract.1. cap.5. propoſit.1. & 2.* Rocaful. *in praxi theolog. moral. tom.2. lib.2. prax.2. cap.2. decalog. ſect.5. cap.1. num.289.* Navar. Trullench. quos refert, & ut probabile ſequitur Diana *4. part. tract.4. reſol.69.* Martinus a ſancto Ioſeph quem refert, & ſequitur N. Antonius a Spir. ſancto *in direct. tract.2. diſp.3. ſect.2. num.86.* ¶ Sed probabilius dicendum eſt, tale iuramentum eſſe reſervatum: quia ſecundum aliquos iuramentum promiſſorium Deo factum, nil aliud eſt, quam votum, ut docet Cajetan. *2.2. q.89. art.9.* vel ſaltem quoad omnia ut votum reputatur, cum illius habeat naturam, & ſic iuramenta Deo facta, quæ ſi eſſent vota eſſent reſervata, manent ſimiliter reſervata. Deinde, quia iuramentum promiſſorium Deo factum, includit totam eſſentiam voti, ac proinde eſt votum iuratum caſtitatis, v. g. quemadmodum juramentum homini factum de re ipſi utili, includit promiſſionem ipſi factam; & ſic iuramentum factum Deo, factam ipſi promiſſionem includit, quod eſt votum: ergo manet ſicut ipſum votum reſervatum. Sic Cajetan. *loc. citat.* Fagundez *lib.2. c.42. num.1.* Bordoous *tom.1. reſol.15 num.28.* Leander *1. part. tract.5. diſp.14. quæſt.100. & 106. & 2. part. tract.1. diſp.17. q.80.* Sotus *lib.8. quæſt.1. art.9.* Rodriguez *tom.2. c.100.* Mendo *in Bull. diſp.26. cap.6. num. 81.* Matth. à Moya *in ſelect. tract.2. diſp.1. de voto quæſt.4. §.1 num.5.*

Deo præſtita, ſunt reſervata.

Materia, in quam commutata ſunt vota reſervata, non eſt reſervata.

109. Inquires ſecundo: an ſi quis à Summo Pontifice, vel alio, de eius commiſſione, accipiat commutationem voti reſervati, quia in aliud votum aut materiam commutatum eſt, hoc ſecundum reſervatum ſit, ita ut nequeat ab alio quam à Papa relaxari? Affirmat Azor *lib.11. cap.18. q.11.* & alii, quos refert Leander *1. part. tract.5. diſ.14. q.44. & part.2. tract.1. diſputat.17. q.113.* Quod ipſe probabile reputat: tum quia ſubrogatum ſapit naturam eius, cuius loco ſubrogatur, *L. unica. C. de re uxoria actione.* Tum etiam, quia Pontifex transfert vinculum prioris voti reſervati in materiam illam ſubrogatam, & ex vi tranſlationis manet materia reſervata, ſicuti erat votum, quod in eam transfertur. ¶ Sed hæc nullius roboris ſunt: nam primum eſt verum in favorabilibus, non in odioſis; eſto tamen in eis, ſubrogatum ſapiat naturam eius, cuius loco ſubrogatur, intelligitur de primæva & propria natura illius, non de accidentaria illi adhærente, qualis eſt reſervatio. Nec ſequitur ex tranſlatione manere materiam ſubrogatam

gatam reſervatam: quia prius votum ſolum ratione materiæ propriæ illius erat reſervatum: und vinculum ſubrogatum cum ſit de diverſa materia non manet reſervatum. Quare quia votum de materia reſervata per commutationem extinctum eſt, & loco illius ſuccedit votum de materia non reſervata, dicendum eſt hoc ſecundum minime manere reſervatum. Sic Leſſius *libro ſecundo, cap.* 40. *dub.* 18. *numero* 124. Sanchez *de matrimon. lib.* 8. *diſputatione* 5. *n.* 20. *& in Summ. lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 46. Tambur. *tomo primo, de iure Abbat. diſputatione* 19. *quæſtione* 10. *num.* 11. Alter Tamburin. *lib. decalog. cap.* 16. §. 4. *num.* 33. *&* 34. Laym. *libro quarto, tractatu* 4. *capite* 8. *numero* 13. Prado *capite* 31. *quæſtione* 15. *num.* 54. Palaus *tractatu* 15. *diſ.* 2. *punct.* 11. *num.* 5. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 20. *num.* 15. Baſilius *lib.* 8. *de matrimon. cap.* 8. §. 2. *num.* 24.

Quale ſit votum conditionale, de quo eſt quæſtio.

110. Inquires tertio: an votum Caſtitatis, vel Religionis, &c. conditionale ſit reſervatum? Pro reſolutione aliqua ſupponenda ſunt. Primo non omne votum, quod conditionale apparet, vere eſſe tale; ſed etiam ſi cum conditione videatur emitti, eſt abſolutum: ut ſi conditio ſit de præſenti, vel de præterito; quomodo minime reddit conſenſum conditionatum, ſed abſolutum: quia non illud ſuſpendit, ſed ſtatim ſi conditio eſt, vel fuit conſurgit obligatio, ſi non prorſus evaneſcit, ut diximus *tomo ſecundo, tractatu* 9. *de matrimon. cap.* 7. *num.* 1. Idem eſt de conditionibus de futuro, ſed omnino neceſſariis: quia ut non appoſitæ cenſentur, & ſi remanet conſenſus perfectus, abſolutus, & purus, ac proinde votum ſub illis emiſſum non minus reſervatum, ac ſi abſolute abſque ulla conditione emiſſum eſſet. Idem eſt dicendum, quando conditio eſt de futuro, etiam contingenti, ſed eſt communis & generalis omnibus votis imbibita: ut *ſi vixero, ſi potuero, ſi Deus voluerit, ſi Superior non contradicat*: iſtæ ergo conditiones, quæ virtualiter in votis imbibuntur, etiamſi expreſſe apponantur, non faciunt votum conditionatum, ut diximus *hoc tract. cap.* 1. *num.* 88. Ubi etiam diximus non reddere votum conditionatum, quando conditio apponitur non ut ſuſpendens obligationem uſque ad adventum eius, ſed animo ſuſpendendi executionem illius pro tempore opportuno: & ſic non apponitur ut conditio ad votum, ſed ut circumſtantia temporis, quo eſt executioni mandandum: *Ut voveo ingredi Religionem, ſi pater obierit, ſi vigeſimum annum attigero, ſi curſum ſtudiorum conſummavero.* Hæc igitur omnia vota minime ſunt conditionata, ſed abſoluta; ac proinde non minus reſervata, atque alia, quæ abſque ſimilibus conditionibus emittuntur.

Votum caſtitatis conditionale ante impletam conditionem reſervatū non eſt apud omnes.

111. Secundo ſupponendum eſt, quod ut *loco citato* diximus *num.* 89. votum conditionatum (illud videlicet quod pendenter à conditione contingenti de futuro ſpeciale emittitur: *Ut voveo Religionem, ſi evaſero ex hoc periculo, ſi convaluero ex hac infirmitate, ſi facultates, quas habeo, amiſero*) poteſt eſſe & pure conditionale, ut in exemplis poſitis: & poteſt eſſe pœnale, quando nimirum res promittitur ſub conditione in pœnam & deteſtationem illius, ut vel ſic timore illius à conditione apponenda retrahatur: *Ut promitto Religionem, ſi luxero, ſi in hoc vel illud peccatum lapſus fuero.* Et utrumque votum, tam conditionale, quam pœnale, poteſt conſiderari, vel ante impletam conditionem, vel jam conditione purificata. Et quidem omnes auctores, quos vidimus, concedunt votum conditionale, ſive pure conditionale fuerit, ſive pœnale, reſervatum non eſſe ante adimpletionem conditionis, & ſic pendente conditione poſſe diſpenſari à quocumque, qui alia vota non reſervata relaxare valet. Quia reſervatio, utpote odioſa, debet intelligi de obligatione perfecta & conſummata; ſed votum, v. g. Religionis, ſive pœnale ſit, ſive conditionale, pendente conditione non gignit perfectam & conſummatam obligationem: quia hæc poſt adimpletam conditionem, & non antea, generatur: ergo ante adimpletionem conditionis non eſt reſervatum tale votum. Quod eſt communiſſimum inter DD.

112. Tertio ſupponendum eſt, quod ſi poſt impletam conditionem voverit vel ratificaverit votum prius factum, vel novum & abſolutum conſenſum appoſuerit ex affectu ad rem promiſſam: ut ſi votum Caſtitatis, aut Religionis, emiſiſti ſub conditione, ut à periculo, vel infirmitate incolumis evaſeris, ſi liber à periculo, vel infirmitate, in votum antea factum conſenſeris, illudve ratificaberis, procul dubio hoc ſecundum votum erit reſervatum: quia tunc eſt novum factum non conditionatum, ſed abſolutum, & perfectum, quod neque in ſuo principio fuit imperfectum, ſed ſemper perfecte & abſolute emiſſum. Nec enim, ut votum conditionatum obliget ad ponendam rem promiſſam, requiritur, ut poſt impletam conditionem novus conſenſus abſolutus ponatur, ut diximus *tomo ſecundo, tractatu* 9. *de matrimon. cap.* 7. *num.* 67. ſed ſufficit ille prior conſenſus ſub conditione poſitus, virtualiter remanens, quia non eſt retractatus. Unde ſi poſt adimpletam conditionem novum & abſolutum conſenſum apponas, novum efficis votum, quod eſt abſolutum, & undequaque perfectum, & ſic omnino reſervatum. ¶ Quare tota difficultas eſt in præſenti: an ſi quis votum emiſit Caſtitatis, vel Religionis, ſub conditione contingenti pendente de futuro, ea jam purificata, & voto de novo non facto, aut ratificato, maneat tale votum reſervatum? Tres ſententiæ dantur circa hoc, & omnes ſatis probabiles.

Poſt impletam conditionem votum conditionatū eſt reſervatum ſi de novo ratificetur.

113. Prima ſententia dicit: quod ſive votum fuerit pure conditionale, ſive pœnale, eſt reſervatum, conditione jam adimpleta, non minus quam alia vota de eadem materia reſervata. Et probatur primo: quia obligatio voti, quæ pendente conditione ſuſpenſa & imperfecta erat, ea jam purificata, perficitur & completur, ac ſi tunc votum eſſet emiſſum; ſed ſi votum tunc de novo emitteretur, ut diximus, eſſet reſervatum: idem ergo in noſtro caſu. ¶ Secundo, quia omnes contractus celebrati ſub conditione, ea impleta habent omnes effectus civiles, ac morales, ac ſi eſſent abſoluti & puri; ut in contractu ſponſalium inito ſub conditione, ea poſita, oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quod ante conditionis eventum minime oriebatur, *cap. unic. de ſponſalib. in ſexto*, & in mandantibus ſub conditione percutere Cardinalem, ea poſita, & effectu ſecuto, excommunicantur, ac ſi mandatum fuiſſet abſolutum: ergo, &c.

Sententia afferens, votū caſtitatis cōditionale pu.è & pœnale eſſe reſervatum, impleta cōditione.

Sic Soto *lib. 7. de juſtitia, quæſtione 2. artic. 1. ad 4.* Covarr. *de pactis 1. part. §. 13. num. 12.* Gutierrez *Canonic. q. lib. 2. cap. 22. num. 50. & 51.* Azor *1. part. dub. 11. cap. 10. quæſt. 3. & cap. 19. quæſt. 13.* Baſil. Pont. *lib. 8. de matrimon. c. 9. num. 7.* Monteſinos *1. 2. diſp. 23. quæſt. 7. num. 124.* ¶ Secunda ſententia convenit cum iſta in votis purè conditionalibus, ob rationes illius: & quia *in l. potior 11. ff. qui in pignore potiores habeantur,* dicitur: *Cum ſemel conditio extiterit, perinde habetur, ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet.* Negat tamen in votis pœnalibus reſervationem reperiri: quia illa vota ſunt reſervata iudicanda, quæ ex affectu ad rem promiſſam emittuntur, ſic enim perfecta cenſentur; ſed qui promittit religionem v. g. ſi tale delictum commiſerit, nullum affectum habet ad Religionem, ſed potius illam averſatur, & ſic ut timore illius retrahatur à peccato, illam in pœnam peccati promittit: ergo tale pœnale votum etiam conditione adimpleta non eſt reſervatum. Sic Bonacin. *punct. 7. § 4. num. 17.* Rodrig. *in Summ. tomo ſecundo, cap. 92. num. 2. concluſ. 2.* Candid. *diſquiſ. 26. articulo 17. dub. 5.* Lezana *tomo quarto, verbo votum numero 13.* Suarez *libro ſexto, de voto cap. 22. à numero 11. cap. 23. à numero ſexto,* Leſſius *libro ſecundo, cap. 40. dub. 18. à num. 130. in ſecunda editione.* Layman. *lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 10.*

Sive votum pœnale ſit, ſive pure cõditionale, etiam poſt impletam conditionẽ, non eſt reſervatum.

114. Sed nihilominus dicendum eſt: omnia vota conditionalia, ſive pure conditionalia, ſive pœnalia fuerint, etiam poſt adimpletam conditionem, non eſſe reſervata, etiam ſi aliàs fuerint de materia reſervata. Probatur primo: quia in votis hiſce conditionalibus conſenſus circa materiam promiſſam eſt valde imperfectus, utpote à conditione dependens; ſed adhuc poſita conditione manet imperfectus, ſiquidem eſt idem præcedens conſenſus permanens virtualiter, non enim purificata conditione apponitur novus formaliter conſenſus; aliàs eſſet novum votum, ut *num. 112.* dicebamus: ergo ſive ante, ſive poſt impletam conditionem, non eſt tale votum reſervatum. ¶ Secundo, quia ſive votum fuerit pœnale, ſive pure conditionale, non emittitur ex voluntate & affectu ad rem promiſſam. Si pœnale fuerit conſtat ex dictis pro ſecunda ſententia; ſi conditionale probatur: nam ſi quis promittat Religionem, ſi divitias amiſerit, ſi beneficium non impetraverit, non procedit ex affectu ad Religionem, quam potius averſatur, & ſic totis viribus conatur divitias non amittere, & beneficium impetrare. Et in aliis conditionatis ſemper præfert conditionem rei promiſſæ, ſiquidem ab illa dependenter iſtam promittit: & ſic principalis affectus & voluntas eſt ad conditionem: ut qui promittit Religionem, ſi ex periculo evaſerit, ſi ab infirmitate liberetur. Non ergo perfecte & cumplete tendit ex affectu ad rem promiſſam. Cum ergo vota reſerventur ratione materiæ promiſſæ, & intelligenda ſit reſervatio, ſecundum omnes, de votis perfectis & completis: utique etiam intelligenda eſt de votis perfecte ſe habentibus circa voluntatem & affectum ad materiam promiſſam, ratione cuius reſervantur, quo proinde non ſtante, uti in omnibus votis conditionatis contingit, non datur reſervatio illorum votorum etiam ſi conditio ſit impleta.

Solvuntur contraria fundamẽta, & auctores pro noſtra ſententia recenſentur.

115. Quare licet, hac purificata conditione, obligatio voti reddatur pura & abſoluta, quia tamen ortum habet ex imperfecto & diminuto conſenſu, ob id non reſervatur votum ſub ea emiſſum. Quare licet poſita conditione ſequantur omnes effectus, qui ex contractu abſoluto ſequi ſolent, loquendo de effectibus, qui ex obligatione contractus abſoluti ex natura rei oriuntur; non vero de illis, qui ex modo perfecto vel imperfecto contractus perficiendi dimanant. Per quæ manent omnia contrariorum argumenta ſoluta. Quare noſtram concluſionem tenent Raphaël de la Torre *2. 2. quæſtione 88. art. 12. diſ. 5. concluſ. 3.* Ledeſma *ſecunda parte, tractatu 10. cap. 8. pagina mihi 126.* Prado *cap. 31. quæſtione 14. n. 93. & 95.* Palaus *tractatu 15. diſputatione 2. punct. 12. num. 15.* Sanchez *lib. 8. de matrimon. diſputat. 10. num. 13. & in Summ. lib. 4. cap 40. num. 94.* Toletus *libro quarto, cap. 17. num. 11.* Aſcanius Tambur. *de iure Abbat. diſputatione 19. quæſt. 10. num. 39.* Villalob. *2. part. tractatu 34. diffic. 26. num. 10.* Bruno *de privileg. tractatu 5. capite 5. propoſ. 1. & 2.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 2. diſputatione 3. ſect. 2. num. 82.* Trullench. *in bull. lib. 1. §. 7. dub. 7. num. 9. & in decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 40. num. 5.* Leander *prima parte, tractatu 5. diſputatione 14. quæſtione 128. & 2. part. tractat. 1. diſputatione 17. quæſtione 103.* Diana *1. parte, tractatu 11. reſol. 54. & 69. & 6. part. tractatu 8. reſol. 16.* Bordon. *tom. 1. reſol. 5. per totam.* Mendo *in bull. cruciat. diſp. 26. cap. 7.*

Non extenditur facultas diſpenſandi in omnibus votis ad vota reſervata.

116. Denique inquires: an ſi quis per bullam privilegium, vel Iubileum facultatem accipiat abſolutam diſpenſandi, aut commutandi omnia vota, talis facultas etiam extendatur ad reſervata? Reſpondetur omnino negative, niſi detur ad hæc ſpecialis licentia, vel ſaltem generalis cum clauſula, qua conceditur facultas diſpenſandi etiam in votis reſervatis, ut conſtat *ex extravag. & ſi dominici 2. de pœnitent. & remiſſion.* Vbi dicit Pontifex, omnia illa relaxari non poſſe ab alio, quam à Romano Pontifice: *Niſi ex ſpeciali licentia, & certa ſcientia noſtra, & in capite ſi Epiſcopus eodem titulo,* loquendo de caſibus reſervatis, negat Pontifex comprehendi eos in generali conceſſione, qui ſpeciali expreſſione indigent, & rationem reddit: *Quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veroſimiliter conceſſurus. Regula in generali 81. de regulis iuris in 6.* Quæ ratio eadem occurrit in noſtro caſu. Et ita docent Sanchez *libro quarto, Summ. cap. 40. num. 16.* retractans ſententiam, quam tenuerat *lib. 8. de matrimon. diſputatione 9. num. 2.* Prado *cap. 31. quæſt. 14. num. 16.* Suarez *lib. 6. de voto, cap. 25. num. 4.* Layman. *libro quarto, tractatu 4. cap. 8. num. 7.* Baſilius *lib. 8. cap. 10. num. 5.* Palaus *tractatu 15. diſputatione 2. punct. 13. n. 2.* ¶ Si vero concedatur facultas diſpenſandi reſervata ſine ulla exceptione, ad omnia quinque reſervata ſe extendit: quia non eſt major ratio, quare ad unum, & non ad aliud. Si concedatur facultas diſpenſandi in omnibus votis, hoc vel illo excepto, nimirum excepto voto caſtitatis, de cæteris omnibus intelligitur: quia exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis, *c. 2. de coniugio leproſor. cap. dominus 32. quæſtione 7.* Vnde communi uſu, & Doctorum conſenſu, intelliguntur hæc indulta, & privilegia, ut extendantur

dantur ad reſervata non excepta, quando aliqua reſervata excipiuntur, Baſilius *num.6.* Prado *num.86.* Suar. *num.10.* Sanch. *n.22.* Pal. *n.3.* Bonac. §.4. *n.12.* Diana *part.5. tractatu 12. reſolut.58.* ¶ Conceſſa autem facultas ad votum Religionis, non intelligitur conceſſa ad votum caſtitatis, aut è contra: quia diverſa ſunt vota, etſi æqualia videantur: & non ex eo, quod ad unum æquale conceditur, ſequitur concedi facultatem ad aliud. Sic Doctores citati.

PUNCTUM XIII.

De cauſa requiſita, ut voti cuiuſcumque diſpenſatio valide & licite impendatur.

Diſpenſatio facta ſine cauſa, & illicita, & nulla eſt.

117. OMNINO requiri rationabilem & juſtam aliquam cauſam, nedum pro licita, ſed etiam pro valida votorum diſpenſatione; ita ut illa non exiſtente, nulla ſit diſpenſatio, & votum cum omni ſua obligatione perſiſtat, conſtans eſt omnium Doctorum ſententia cum D. Thom. 2.2. *quæſt.*88. *artic.*12. *in tractatu 11. de legib. cap. 5. punct. 6. §. 2. à num.70.* diximus. Tum, quia hæc eſt diſpenſatio in lege Superioris; diſpenſatio autem inferioris in lege Superioris abſque rationabili cauſa nulla eſt, & illicita, eo quod non cenſetur Superiorem facultatem concedere ad diſpenſandum in ſua lege irrationabiliter & ſine cauſa, quia hæc non eſſet diſpenſatio, ſed diſſipatio; nec poteſtas ad ædificationem, ſed ad deſtructionem. Unde dixit D. Bernard. *lib.3. de conſiderat. ad Eugen. cap.23.* diſpenſationem abſque cauſa in rebus de iure divino obligantibus diſpenſationem non eſſe, ſed diſſipationem; & non fieri de plenitudine poteſtatis, ſed de plenitudine tempeſtatis. Tum etiam, quia prælatus diſpenſando nomine Dei remittit obligationem voti poteſtate ab ipſo conceſſa; ſed Deus non vult iura ſibi debita remitti irrationabiliter, & ſine juſta cauſa: ergo, &c.

In dubio de ſufficientia cauſæ poteſt Superior diſpenſare.

118. An vero, cum dubium eſt circa ſufficientiam cauſæ poſſit Superior votum diſpenſare? Reſpondetur ſecundum id, quod *loco citato*, diximus *num.75. & 76.* quod ſi dubium ſit de cauſa ſecundum ſubſtantiam, quia nimirum dubitatur, an ſit certa cauſa, quæ proponitur, tunc non poteſt diſpenſatio impendi: quia certa obligatio voti, non debet ob incertam cauſam, relaxari. Si vero ſuppoſita aliqua cauſa, ſit dubium de ſufficientia illius (id quod frequentiſſime contingit) diximus, quod in tali caſu & licite & valide poterit diſpenſatio impendi (admiſcendo aliquam commutationem) tum propter dicta *loco citato.* Tum etiam, quia licet diſpenſatio ſit odioſa, ipſa vero facultas ad diſpenſandum favorabilis eſt, utpote beneficium Principis nemini nocivum, uti *loco citato num.53.* diximus; & ſic amplianda eſt, ut ad caſum de dubia cauſa extendatur. Sic D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 88. *articulo* 12. *ad* 2. Diana, Granados, Sanchez, Tapia, quos *loco citato, num. 75.* adduximus. Sylveſter *verbo diſpenſatio* 14. *num.20. fine.* Layman. *lib.4. tractatu* 4. *cap.8. num. 5.* Palaus *tractatu 15. diſputatione 2. punct.9. num.4.* Palacios *in 4. diſt.38. diſp.3. verſu eſt igitur.*

Etiamſi cauſa non ſit, ſi bona fide putetur eſſe, valet diſpenſatio voti.

119. Et ſi forte repetas: an ſi poſtulans diſpenſationem, & illam concedens, bona fide procedant, putantes cauſam legitimam adeſſe; cum tamen re ipſa nulla eſſet cauſa, vel omnino inſufficiens, valida eſſet voti diſpenſatio? Aliqui hoc negant, ſed dicunt debere ad votum redire, ac ſi nulla data eſſet diſpenſatio, quando conſtaret de fallacia cauſæ, aut inſufficientia illius: quia jura & Doctores clamant, ad diſpenſationis valorem cauſam legitimam requiri: ergo veram, & non apparentem tantum. Sic Salas, Baſilius, quos refert, & ſequitur Palaus *tomo primo, tractatu 3. de legib. punct.8.§.2. num.5. & tom.3. tractatu 15. de voto diſputatione 2. punct.9. num.4.* ¶ Sed nos conſequenter ad ea quæ diximus *tomo tertio, tractatu 11. de legib. cap.5. num. 75.* aſſerimus, in tali caſu validam eſſe diſpenſationem voti, & manere ab eius vinculo liberum omnino voventem. Quia incredibile eſt aliam eſſe mentem Superioris humani circa ſuas leges, & Dei circa ſuas, quandoquidem ſic evitantur plures ſcrupuli, conſcientiæ aſſecurantur, & geſta à prælatis permanent firma, quæ ad rectam Eccleſiæ & inferiorum gubernationem maxime neceſſaria videntur. Sic præter ſeptem auctores ibi citatos Sanchez *in Summ. libro quarto, cap.44. num. 10.* Thom. Tambur. *libro tertio, decalog. cap.16. §.4. num.3.* Leſſius *libro ſecundo, cap.40. dub.17. num.119.* Leander *de voto tractatu 1. diſputatione 17. quæſt. 7.* ¶ Si vero è contra res contingat, quod cauſa ſufficiens re ipſa detur, ſed à diſpenſatore minime cognoſcatur: an ſit tunc valida diſpenſatio ab ipſo temere & illicite abſque cauſæ cognitione impenſa? Affirmativè reſpondimus *loco citato, de legib. cap.5. à num.77.* rationibus, & auctoribus pluribus pro tali reſolutione adductis. Unde diſpenſatus, cui conſtiterit de cauſæ ſufficientia, ſecurus erit in conſcientia, ſe liberum à voto exiſtimans; etiamſi non ignoret diſpenſatorem abſque cognitione cauſæ in diſpenſatione indulgenda proceſſiſſe. Videantur ibidem dicta.

Semper debet cauſa diſpenſationis eſſe cũ materia voti proportionata.

120. Sed inquires, quæ ſint ſufficientes cauſæ pro valida & licita voti diſpenſatione? Reſpondetur, ſemper debere proportionari cauſam cum voto, pro quo diſpenſatio petitur, & quo gravius & excellentius eſt votum, eo graviorem pro ſui diſpenſatione cauſam expoſtulare: & cum vota caſtitatis, religionis, & triplicis peregrinationis, necnon vota perpetua jejunandi, dandi eleemoſynam, inſerviendi Xenodochio, graviſſima ſint, cauſam maiorem exigunt pro eorum relaxatione: alia minora, & frequentiora, cauſam minus gravem requirunt, ſemper tamen cum ipſis votis proportionatam. Et ratio eſt: quia cum materia voti multum in Dei cultum cedat, non eſt cenſendum Deum remittere obligationem illius, niſi ob graviſſimam cauſam & rationabilem; ac proinde materiæ debitæ proportionatam. Quare, ut omnis ſcrupulus in hac parte evitetur, ſaluberrimum conſilium erit, non integre & abſolute diſpenſationem concedere, niſi cum conſtiterit cauſam eſſe omnino ſufficientem; ſed admiſcere aliquam commutationem, ut ſic quod de cauſa supereſt, ſuppleatur. Et ita eſt in praxi Pontificum Romanorum, & colligitur *ex cap.2. cap. magna de voto*, ubi quamvis adeſſet cauſa ſufficiens non penitus diſpenſatur, ſed admiſcetur

commutatio, aliquod onus imponendo, quod ſemper fieri oportet pro majori conſcientiæ ſecuritate. Sic Prado *quæſt.* 31. *cap.* 14. *num.* 123. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 10. *num.* 101. Raphaël à Torre 2.2. *quæſtione* 88. *articulo* 12. *diſputatione* 4. *numero ſexto*, Cajetan. *dicto articulo* 12. *dub.* 2. Baſſæus *tom.* 1. *votum* 7. *num.* 8. Navarr. *cap.* 13. *n* 6;. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 42. *fine.* Palaus *punct.* 9. *num.* 17. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 17. *à num.* 14. Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 5. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 9. *à num.* 28. & *lib.* 4. *Summ. cap.* 45. *num.* 19. & 52. ¶ Si tamen arbitrio prudentis probabiliter detur cauſa ſufficiens pro integra & abſoluta diſpenſatione, tunc dari poterit abſque commutationis commixtione: quia ex una parte non eſt certitudo in his rebus moralibus quærenda, quia cum hæc vix aut nunquam detur de ſufficientia cauſæ, nunquam diſpenſatio integre concedenda foret, & omnia eſſent ſcrupulis obnoxia: & ex alia parte prælati Eccleſiæ habent poteſtatem diſpenſandi independenter à poteſtate commutandi; proindeque integre & abſolute diſpenſare poterunt abſque impoſitione alicuius oneris, ſi cauſa ſufficiens certo detur, vel ſi probabiliter & prudenter cauſam eſſe ſufficientem & iuſtam credatur. Suar. *n.* 18. Sanch. *loco de matr. n.* 28. & *in Sum. n.* 52. Palaus *num.* 17. Baſſæus, Trull. Navar. Torre, *loc. cit.*

Quod voti non ſit perfecte liberi ſufficit pro cauſa diſpenſationis.

121. Sed deſcendendo ad aſſignandas cauſas ſufficientes in particulari, ſciendum eſt: quod votum poteſt eſſe perfecte & abſolute voluntarium, ut illud, quod maturo conſilio, plena & perfecta libertate, abſque ullo errore, aut metu, emittitur, & reſpectu horum votorum, quæ ſunt perfectè libera, communis Doctorum ſententia tenet, illam dumtaxat eſſe cauſam ſufficientem pro illorum diſpenſatione, quæ voti executioni poteſt obſtare: quia cum eius obligatio cedat in honorem Dei, & voventis utilitatem, non cenſetur Deum conſentire tali remiſſioni, niſi propter cauſam, quæ talem executionem impediat. ¶ Si tamen votum non fuerit perfecte voluntarium, quia vel ex metu gravi vel levi fuit extortum, quia ex errore circa cauſam impulſivam, vel quia fuit præcipitanter & inconſideratè emiſſum, ſi fuit abſque plena & perfecta diſcretione factum, quod in votis omnium impuberum præſumitur, vel aliqua alia ratione non fuerit plene voluntarie emiſſum: ſufficit pro cauſa diſpenſationis facilitas in vovendo, defectus perfectæ libertatis, aut plenæ diſcretionis. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 1. *concluſ.* 3. Bonac. *diſ.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 24. Palaus *tract.* 15. *diſp.* 2. *punct.* 9. *num.* 7. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 14. *num.* 119. Navarr. *cap.* 12. *num.* 25. & 77. Azor 1. *part. lib.* 11. *cap.* 15. *q.* 5. *fine.* Graffis 1. *part. deciſion. lib.* 2. *cap.* 31. *fine.* Ludovicus Lopez 1. *part. inſtruction. capite* 49. §. *Levitas.*

Sufficit non fuiſſe votū omnino libere factū, ſine alia cauſa, ut in eo diſpenſetur.

122. Ex quo infertur, quod etiam ſi ille, qui aliquo ex modo dictis non perfecte libere votum emiſit, de facto non habeat aliquam exequendi votum difficultatem, nec ſpeciale periculum illud violandi, ea ſolum ratione, quod immaturè, imperfecta deliberatione, vel abſque perfecta libertate, illud emiſerit, præbet ſufficientem cauſam concedendi diſpenſationem. Quia Doctores æque aſſignant pro ſufficienti cauſa facilitatem in vovendo, vel defectum plenæ libertatis: ac aſſignant difficultatem in exequendo votum, ac periculum violandi illud, nec petunt unum cum altero coniugi: ergo ſicut difficultas executionis, & periculum tranſgreſſionis ſunt ex ſe ſufficientes cauſæ, etiamſi non adſit imperfecta libertas in promittendo; ita talis libertatis defectus erit ſufficiens cauſa, etiamſi non adſit difficultas in executione, aut periculum in tranſgreſſione. Sic Cajetan. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *dub.* 3. Soto *lib.* 7. *de iuſtitia q.* 1. *art.* 2. Prado *num.* 159. Palaus *num.* 7. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 17. *num.* 8. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 30. Thom. Tambur. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *n.* 53. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 45. *num.* 28. Leander *tract.* 1. *diſput.* 17. *quæſt.* 9. ¶ Sed quando datur diſpenſatio præciſe ob defectum plenæ libertatis, rarò ita abſolute impendenda eſt, ut non admiſceatur cum illa aliqua commutatio, & hoc prudentis arbitrio, penſatis, tum voti materiæ gravitate, tum etiam cauſa, ob quam ortus eſt defectus libertatis, quibus conſideratis, poterit vel abſolute, vel cum admixtione commutationis diſpenſationem concedere.

Quæ vota ob imperfectam libertatem ſint diſpenſabilia ſine alia cauſa.

123. Et ut hoc in particulari explicemus, dicendum eſt: vota impuberum, quæcumque illa ſint, ob defectum libertatis perfectæ à jure præſumptum, abſque alia cauſa, poſſe integre & abſolute diſpenſari ſine commutatione aliqua: quia eſt valde conforme benignitati divinæ, ne obligatio in tenera ætate ſuſcepta, ita rigide ab eo acceptetur, quin prælatis Eccleſiæ liberam illius remiſſionem commiſerit. Covarr. *cap. quamvis pactum, part.* 3. §. 1. *num.* 3. Palaus *punct.* 9. *num.* 8. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 45. *num.* 30. Tambur. *lib.* 3. *cap.* 16. §. 4. *numero* 14. Leander *tract.* 1. *diſp.* 17. *quæſt.* 10. quod intellige, quod etiam poſt pubertatem poſſunt diſpenſari vota facta in pubertate, juxta dicta *ſup. hoc capite, & tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſur. cap.* 2. *num.* 67. ¶ Idem dicendum eſt, ſi votum emiſſum eſt ob metum etiam levem incuſum ad extorquendum illud: quia Deo conſonum eſt de facili remittere obligationem, cui iniuſtitia & violentia cauſam dedit. Sanchez *capite* 45. *num.* 32. & *de matrimon. lib.* 8. *diſput.* 20. *num.* 15. Palaus *num.* 9. Idem dicendum eſt, quando imperfecta deliberatio aut libertas in vovendo orta eſt ex triſtitia, ira, metu, vel alia paſſione, quod eſt ſufficiens cauſa ad diſpenſationem abſolutam abſque alicuius oneris impoſitione: atque idem eſt, quando votum eſt factum ob timorem mortis, naufragii, vel cujuſcumque alterius mali, quod diſpenſationis abſolutæ datur ſufficiens cauſa. Nam licet hic timor non ſit incuſus ad extorquendum votum, præſtat tamen regulariter ſufficientem cauſam diſpenſationi, quia cum immatura deliberatione ſic voveri ſolet. Vitalis *tractatu de vot. inquiſit.* 3. *num.* 6. Sanchez *diſput.* 10. *num.* 14. & *cap.* 45. *num.* 31. Tambur. *num.* 15. & 16. Leander *quæſt.* 11. Si tamen conſtat maturam adfuiſſe deliberationem, non erit ex hac parte ſufficiens cauſa, ut diſpenſatio abſoluta conferatur, niſi admixta cum aliqua commutatione, ut ex Sanchez *locis citatis*, docet Palaus *num.* 9. & ex utroque Tamburin. *loco citato.* Ceſſatio autem cauſæ impulſivæ, vel error circa illam, præbet quidem cauſam diſpenſationi, ſed cum admixtione commutationis, ut colligitur *ex cap. magna de voto*, & docet Tambur. *num.* 17. Palaus *num.* 10. Sanchez *loco citato, de matrim. diſp.* 20. *n.* 16. & *c.* 45. *n.* 34.

Ob periculũ tranſgreſſionis, vel difficultatem executionis, datur ſufficiens cauſa diſpenſationis voti.

124. Ex primo autem capite, unde provenit ſufficiens cauſa diſpenſationis voti, quia nimirum obſtat voti executioni: ſofficiens ad diſpenſationem cauſa judicatut, quod detur periculum traoſgreſſionis, vel ob communem fragilitatem hominum, vel ob ſpititualem indiſpoſitionem voventis. Qua ratione diſpenſari poteſt votum nunquam peccandi, votum non petendi debitum in conjugatis. Similiter ſi contingat gravis difficultas in executione, ptæcipuè ſi non ſit ſatis prævisa, quando votum emiſſum eſt: Tum, quia in eo caſu adeſt periculum tranſgreſſionis voti. Tum etiam, quia eſt conforme benignitati Dei remittere obligationem ob difficultatem non prævisam, quam habet bomo in executione; quæ licet non ſufficiat, ut voti obligatio ceſſet; ſufficit tamen, ut diſpenſatio concedatur. Sanch. *diſp.*20. *n.*22. & *cap.*45. *num.*41. Prado *cap.*31. *quæſt.*14. *n.*112. Palaus *tract.*15. *diſput.*2. *punct.*9. *num.*13. Suarea *lib.*6. *de voto*, *c.*17. *num.*12. ¶ Sed addendum eſt primo: quod etiam eſt ſufficiens cauſa ad diſpenſationem in dicto voto magoa difficultas exequendi illud, etiamſi hæc fuerit ptæviſa, quando votum emiſſum eſt: quia ſemper multo difficiliot apptehenditut res quando inſtat executio, quam qoando remotè ſolum prævidetur facienda: & quia etiam tunc adeſt periculum tranſgreſſionis, quod ſufficientem pro diſpenſatione cauſam ſubminiſtrat. Tambur. *lib.*3. *decalog.cap* 16. §.4. *n.*18. Leander *tract.*1. *diſput.*17. *quæſt.*15. ¶ Addendum eſt ſecundo, quod etiamſi periculum aut difficultas dicta ortum habeat ex malitia, aut prava conſuetudine voventis, adhuc tunc præbet ſufficientem cauſam diſpenſationis: quia ſemel ſuppoſita tali malitia voti, executio habet quaſi moralem adjunctam impoſſibilitatem, & omnibus inſpectis, votum hic & nunc potius eſt in laqueum, quàm in profectum voventis, & ſic redditum eſt inutile, & damnoſum. Ptado *n.*112. Palaus *num.*12. Suarez *num.*11. Sayr. *cap.*12. *num.*51. Layman. *lib.*4 *tract.*4. *cap.*8. *num.*5. Leſſius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*17. *num.*120. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*42. *num.*12. ¶ Addendum eſt tertio, eſſe ſufficientem cauſam in votis diſpenſandi, quod vovens vexetur magnis ſcrupulis conſcientiæ ratione illorum: v. g. aliquis promiſit, ſe quotidie Roſarium B. Virginis recitare, angitut magnis ſcrupulis, num attentè, ac integrè recitarit, paſſim repetens, nec quieſcens, & in ſimilibus caſibus: adeſt ſufficiens cauſa diſpenſationis, eo quod tale votum ſit valdè oneroſum, & potius noceat, quàm proficiat. Sanch. *lib.*8. *de matrim. diſp.*8. *num.*23. & *lib.*4. *decalog. c.*35. *num.*42. Tambut. *lib.*3. *cap.*16. §.4. *num.*23. Trullench. *num.*12. Faguodea *libro ſecundo*, *c.*40. *num.*16.

Quibus caſibus ex parte executionis voti detur ſufficiẽs cauſa diſpẽſationis?

125. Deinde ex hoc capite adeſt ſufficiens cauſa. Primo, ſi ſit dubium, an votum impeditivum ſit majoris boni, quia tali dubio ſuborto, non ſatis conſtat tale votum eſſe Deo acceptum, & ſic præſtat pro diſpenſatione ſufficientem cauſam, ut conſcientia ſecuta reddatur. Trullench. *dub.*42. *num.*12. Palaus *n.*14. Suarez *lib.*6. *cap.*17. *num.*10. ¶ Secundo, ſi ex voto bonum commune aliquo modo impediatur, quia gratius eſt Deo boni communis jacturam impedire, quam obligationem voti durare: ut ſi egregius dnctor, aut prædicator, voverit jejunium, orationem, &c. quod publicam lectionem, concionem, aut doctrinam impediat: ſi expediens ſit, quod adſtrictus voto caſtitatis, contrahat matrimonium ad ſedandas lites, pacemque Provinciæ, vel Civitatis, cónſervandam: quia bonum commune quid excellentius eſt, quàm privatum. Ptado *num.*116. Suarez *num.*13. Layman. *lib.*4. *tract.*4. *cap.*8. *num.*5. Sayr. *lib.*6. *cap.*12. *num.*29. ¶ Tertio, ſi votum cedat in damnum domus, vel familiæ, ut ſi ſit votum peregrinationis, & ex ejus abſentia, grave incommodum, aut detrimentum domui, aut familiæ, proveniret: quia eſſet oimis dura & gravis obligatio voti, ſi cum tali jactura conſetvanda eſſet. Navar. *cap.*17. *n.*77. Prado *num.*114. Trullench. Suarea, Sanchez, Palaus, *locis citatis.* ¶ Quarto, ſi ob illuſtrem conſervandam familiam diſpenſatur in voto caſtitatis, vel religionis, adeſt ex hac parte ſufficiens cauſa admixta aliqua commutatione: quia nimirum illuſtrium familiarum conſervatio maximè cedit in bonum & ſplendorem Reipublicæ Trullench. *num.*15. Leander *quæſt.*24. Tambut. *n.*19. Palaus *num.*16. Sanchez *diſput.*20. *num.*25. & *cap.*45. *num.*51. ¶ Deniqoe etiam erit ſufficiens cauſa, non ſolum utilitas communis, ſed etiam utilitas privata ipſius voventis, ſi diſpenſatio cedat in majus bonum illius, quàm voti executio: ut ſi ex voti relaxatione ſperetur major utilitas, majorque profectus illius ſpiritualis, quia id eſt, quod per votum principaliter intenditur, nimirum majus bonum voventis. Sic D. Thom. *in* 4. *diſt.*38. *q.*1. *art.*4. *q.*1. *corp.* Sanch. *cap.*41. *n.*38. Tambut. §.4. *num.*22. Suarea *lib.*6. *cap.*17. *num.*10.

PUNCTUM XIV.

Quid ſit votorum commutatio, & quorum auctoritate, & poteſtate fieri debet?

Quid ſit cõmutatio? & in quo differat ab irritatione, & diſpenſatione?

126. COmmutare, ut ipſa vox ſonat, idem eſt, quod unum pro alio permutare, quod noſtro idiomate dicitur: *trocar una coſa por otra:* ſicut qui veſtem vel imaginem pro libris permutaret, unum commutare in aliud diceretur. Unde in votis tunc commutatio fit, quando voti vinculo manente, alia materia loco promiſſæ ſubrogatut, quaſi una pro alia permutetur, ſemper ſub eadem obligatione voti. Unde dixit D. Thom. 2. 2. *q.*88. *art.*10. *Si autem pro hoc, quod obſervandum erat, aliquod aliud imponatur, dicitur commutatio voti.* Ex quo ſequitur peccare mortaliter eum, qui non exequitur id, in quod votum commutatum eſt, vel ſaltem reddit ad materiam promiſſam, ut eam exequatut: quia non extinguitur voti obligatio, ſed ea manente, una materia in aliam mutatur: & ſic vel materiam ſubtogatam, vel materiam promiſſam, debet ex religione voti vovens obſervare. De quo amplius *punct.*16. erit ſermo. Sed hoc, quod diximus, eſt inter Doctores communiſſimum, ob quod nullum in particulari adducimus, cum omnes in eo conveniant. ¶ Unde conſtat diſcrimen inter *irritationem*, *diſpenſationem*, *& commutationem*, quod irritatio penitus tollit obligationem voti abſque ulla cauſa ad hoc requiſita, ſed ſolum voluntate ſuperioris, ut diximus *hoc cap.* Diſpenſatio tollit quidem omnino obligationem voti, ſed juſtam ad hoc & proportionatam cauſam requirit. At commutatio non omnino obligationem tollit, ſed

ſub eodem vinculo voti unam materiam pro alia ſubrogat.

Vota commutare eſt actus juriſdictionis, cujus poteſtas reſidet in omnibus, qui poſſunt diſpenſare.

127. Talis commutatio votorum eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, non minus ac diſpenſatio. Quare illi omnes, & non alii, de quibus diximus *ſup. hoc cap. punct.* 10. poſſe jure ordinario in votis diſpenſare ob ſuperioritatem & juriſdictionem Eccleſiaſticam, qua funguntur: poſſunt commutare poteſtate ordinaria vota. In quo omnes Doctores conſentiunt, ob idque non erit modo neceſſarium enumerare, in quibus hæc poteſtas jure ordinario conſiſtat, ſed videndum eſt, quod loco citato diximus. Imò omnes, qui habent delegatam diſpenſandi in votis facultatem, habent hoc ipſo facultatem commutandi vota, uti probavimus *ſup. num.*.. licet non è contra contingat, quod qui habet poteſtatem commutandi vota, etiam habeat illa diſpenſandi. Et ideo in Bulla cruciatæ datur facultas commutandi vota, non vero ea diſpenſandi, ut communiter docent Bullæ expoſitores: quia ut inquit D. Thom. *loc. cit. minus eſt votum commutare, quam in voto diſpenſare*: ſed cui conceditur, quod eſt minus; non ideo conceditur quod eſt majus: ergo cui facultas commutandi conceditur, non ideo conceditur poteſtas diſpenſandi. Ratio autem, quare votorum commutatio ſit actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ pertinens ad Prælatos vices Dei gerentes, traditur à D. Thom. *in 4. diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 4. his verbis: *Commutatio eſt quidam contractus, qui perfici nequit abſque conſenſu utriuſque partis, & ideo perfici nequit abſque conſenſu ejus, qui vicem Dei gerit in terris, ſcilicet Prælati, niſi fortè unum votum ab alio includatur. Et quia votum religionis includit omnia alia vota, tum ratione perpetuitatis: tum ratione obedientiæ, qua homo voluntatem ſuam Deo tradit, per quam ſui & omnium Dominus eſſe poteſt; ideo qui aliquod votum temporale fecit, poteſt non requiſita alicujus Prælati diſpenſatione religionem intrare, non obſtante voto præcedenti, quod ingreſſum religionis impediret.*

Qui ſecum poteſt diſpenſare in votis, poteſt etiam propria vota commutare.

128. Sed tota difficultas eſt in præſenti, an vota auctoritate propria voventis poſſint commutari? Et loquimur de illis, qui non habent facultatem commutandi, vel ordinariam, vel per commiſſionem; illi namque, qui habent facultatem aliorum vota commutandi, eodem modo, & cum eiſdem conditionibus, cum quibus poſſunt aliorum commutare vota, poſſunt ipſi ſua commutare: quemadmodum diximus *ſuprà num.* 79. poſſe ſecum diſpenſare in votis, eodem modo, quo poteſt diſpenſare cum aliis. Nam qui poteſt diſpenſare, poteſt commutare, ut diximus; & ideo qui poteſt ſecum diſpenſare in votis, ea ſibimet commutare valet, ut tenent omnes Doctores ibi citati. Loquimur ergo de illis, qui non habent facultatem commutandi, aut diſpenſandi, ut ſunt ſæculares, fœminæ, aut etiam infideles, & alii: an iſti poſſint ſua vota, non requiſito ſuperioris conſenſu, vel illius vices gerentis commutare?

Certum eſt, poſſe votum propria auctoritate in melius, quando id melius continet materiam voti, commutari.

129. Pro quo ſupponimus primo: certiſſimum eſſe, poſſe quemlibet propria auctoritate vota ſua commutare in evidenter melius, quando hoc melius continet & includit materiam promiſſam: ſicut qui Eccleſiæ Calicem argenteum promitteret, & aureum daret: qui promitteret jejunare modo ordinario, & jejunaret in pane & aqua: qui promitteret dare fructus vineæ hoc anno Monaſterio, & illi vineam daret antequam fructus colligeret: hoc enim in rigore non eſt commutare, ſed ſuperabundantiſſimè ſolvere: ſicut qui promitteret Petro dare centum argenteos, & daret centum aureos; licet materialiter non dedit, quod promiſit; dedit tamen ſuperabundantius, & ſic perfectiſſimè debitum abſolvit. Et hac ratione docet D. Thom. *in 4. diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 4. & 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *ad* 1. omnia vota, etiam reſervata, optimè commutari poſſe propria auctoritate in religionis votum, quia hoc cætera continet: ſicut univerſale continet particularia. *Omnia alia vota* (verba ſunt S. Doctoris *loco citato ad* 1.) *ſunt quorundam particularium operum, ſed per religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat. Particulare autem in univerſali includitur. Et ideo decretalis dicit, quod reus voti fracti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam religionis obſervantiam commutat, cap. ſcriptura de voto.* Quæ eſt communis ſententia Doctorum. Quare dubium eſt in præſenti, an poſſit aliquis propria auctoritate commutare votum in id, quod eſt melius, quod minimè continet materiam voti, ſed diſparatè ad illam ſe habet: ut ſi promiſiſſes Roſarium recitare, & loco illius minorem B. Virginis, vel officium canonicum, ſubrogares: ſi per aliquam horam preces vocales fundere promitteres, & in duas vel tres horas orationis mentalis votum commutares?

In rem inferiorem, vel ſub dubio æqualem, fieri non poteſt commutatio.

130. Supponimus ſecundo, quod in rem manifeſtè inferiorem non poteſt ullo modo commutari votum propria auctoritate: quia eſt contra juſtam commutationem, rem ſuperiorem in inferiorem permutare: & contra rationem, velle Deum obligare, qui eſt in voto creditor, ut acceptet inferiorem materiam, loco ſuperioris illi debitam, ſubrogatam. Idem dicimus, ſi res, in quam fieri debet commutatio, dubitetur, vel etiam ſit ſub opinione, an ſit æqualis cum materia promiſſa. Quia debito certo ex voto non poteſt ſatisfieri per ſolutionem incertam: quandoquidem id ignoratur gratum futurum creditori, vel ab eo acceptari. Quod ſupponunt omnes auctores, qui ſolum in dubium vertunt, an poſſit commutatio fieri in evidenter melius? Vel an poſſit fieri in evidenter æquale propria auctoritate? Et ſic negant omnes, in dubio, vel probabilitate, æqualitatis, poſſe commutationem fieri ſine auctoritate Prælati, cui dubium reſolvere eſt in hac parte commiſſum, *c.* 1. *de voto.*

Sententia negãs, poſſe in melius commutari votum propria auctoritate.

131. Igitur prima ſententia dicit: etiam in evidenter melius non poſſe privata auctoritate vota commutari, ſed ſemper exigi ad hoc auctoritatem Prælati, vel ejus delegationem. Quæ videtur D. Thom. 2. 2. *q.* 82. *art.* 12. *corp.* ibi: *Et ideo in commutatione vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui in perſona Dei determinet quid ſit Deo acceptum.* Idem habet *art.* 10. *& in 4. diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 1. cujus verba *ſuprà num.* 127. dedimus. Ubi ſolum excipit, *niſi fortè unum votum ab alio includatur*: ergo ubi non includitur, etiamſi ſit in melius, non poterit commutatio fieri niſi auctoritate Prælati. ¶ Deinde probatur: quia ut diximus *num.* 127. commutatio eſt actus juriſdictionis: ergo fieri nequit niſi à ſuperiori, qui habet juriſdictionem Eccleſiaſticam. Secundo, quia votum eſt quædam lex particularis; ſed nemo poteſt ſe eximere ab obligatione & vinculo legis propria auctoritate, etiam rem præceptam in meliorem commutando; & ſic non adimpleret

præceptum

præceptum jejunii Miſſam audiendo: ergo, &c. Tertio, quia apud homines, qui promitteret rem determinatam, nimirum, veſtem, non adimpleret dando meliorem, nimirum, equum, *l.2. ff. ſi certum petatur.* ¶ Denique, quia aliàs poſſent vota reſervata in evidenter melius commutari, quia ratio cur poſſent alia, eadem currit in reſervatis, nimirum, quod Deo eſt gratius quod melius eſt; hoc autem eſt falſum: tum quia *in cap. ſi dominici de pœnitentiis & remiſſionibus*: eorum commutatio reſervatur ſoli Papæ. Tum etiam, quia aliàs de facili poſſent homines ſine recurſu ad Pontificem ab his votis liberari, & ſic fruſtra tam ſtrictiſſimè reſervarentur, ſiquidem poſſent à ſe ipſis, vel ab alio, in evidenter melius commutari: facta autem commutatione, cum non ſit reſervatum votum de materia ſubrogata, ut ſupra diximus *num.* 109. poterit hoc poſterius votum à quocumque diſpenſari, vel commutari. Quod eſt graviſſimum inconveniens, ob quod communiter Doctores negant, poſſe vota reſervata, etiam in evidenter melius, commutari, etiam auctoritate cujuſcumque Prælati præter Pontificem. Hæc ſententia, licet paucos pro ſe habeat patronos, eſt ſatis probabilis, eamque probabilem reputat Prado *tom.2. cap.31. quæſt.15. num.8. fin.* Quam tenuerunt olim Innocentius, Ioannes, Andreas, Hoſtienſis, Panormitanus *in cap. pervenit 2. de jurejurando.* Sylveſter *verb. votum 4. quæſt.7. dict.1.* cum pluribus ex antiquis Canoniſtis, & Theologis.

Poteſt propria auctoritate fieri in melius commutatio.

132. Sed nobis ut probabilior & communior amplectenda eſt ſententia, affirmans: poſſe quemlibet propria auctoritate votum ſuum in evidenter melius commutare: (exceptis quinque votis reſervatis, ob ſpecialem diſpoſitionem juris circa illa, quæ non eſt circa alia: quo uno verbo manet ultimum argumentum enervatum.) Probatur primo ex D.Thom. 2. 2. *q.*88. *art.*12. ubi dicit, quod auctoritas Prælati exigitur ad commutandum, ut vice Dei declaret, & determinet, quid ſit Deo acceptum & gratum: ergo quando eſt evidens, quid ſit Deo magis acceptum, (uti eſt, quando eſt melius & perfectius, ut dicemus,) non requiritur auctoritas Prælati. Quare in illis locis, qui pro contraria ſententia afferuntur, vel loquitur in caſu, quo non conſtet, quid ſit magis Deo gratum & acceptum; vel loquitur in caſu, quo non conſtet de conſenſu ipſius Dei creditoris: nam ſi conſtiterit de conſenſu ipſius Dei, nec loca D. Thom. nec argumenta contraria vim habent. Etenim hoc ipſo, quod aliquid ſit evidens eſſe melius, evidens eſt, eſſe Deo magis gratum & acceptum; ſiquidem voluntas Dei eſt rectiſſima & ordinatiſſima, quod non habet voluntas hominum, quibus multoties gratius eſt, non quod melius, ſed quod eſt ſibi commodius: ergo quando conſtat eſſe melius, poterit fieri commutatio propria auctoritate: quia jam conſtat de voluntate Dei creditoris, ſicut apud homines, ſi conſtet de conſenſu implicito vel explicito creditoris, poteſt unum pro alio rectè ſolvi *inſtitut. quibus modis tollatur obligatio, in princip.* Quare talis commutatio non eſt actus juriſdictionis, ſed prudentiæ, & cognitionis naturalis, & ſuperabundans ſolutio; licet commutatio in materiam inferiorem, vel dubiam de æqualitate, vel certò æqualem, ſit actus juriſdictionis. Pro hac ſententia refert 36. auctores Sanchez *lib.4. cap.49. num.4.* quam ipſe tenet, & Azor. 1. *part. lib.11. cap.18. quæſt.1.* Valent. 2. 2. *diſput.6. quæſt.6. punct.7. verſu, hac ipſa ratione.* Suarez *lib.6. de vot. c.16. à num.4.* Layman. *lib.4. tract.4. cap.8. num.19.* Prado *c.31. quæſt.15. num.13.* Candid. *diſquiſ.25. art.1. dub.5. concluſ.8.* Trullench. *lib.2. cap.2. dub.45. num.2.* Villalob. *part.2. tract.39. diff.31. num.2.* Palaus *tract.15. diſp.2. punct.14. n.2.* Sayr. *lib.6. c.12. n.5.* & hodie eſt communis.

Sententia tenens in evidenter æquale poſſe commutationem fieri propria auctoritate.

133. Sed major difficultas eſt: an propria auctoritate poſſit votum in evidenter æquale commutari? ut qui vovit ingredi aliquam religionem, ſi eligat aliam æqualem: qui promiſit certam pecuniam daturum alicui Eccleſiæ, & daret calicem aut ornamentum ejuſdem valoris. Affirmat ſatis probabiliter prima ſententia. Primo, quia utraque materia eſt æquè grata Deo: ergo nihil refert, an una, vel altera eligatur: ergo adeſt Dei virtualis licentia, ut vovens eligat, quam maluerit. Secundo, quia ſi eſt æquè bonum utrumque opus, æquè Deo placeret utrumque, ſi abſque voto ei offerretur, & æquè utrumque acceptaret Deus, ſi ab initio ei per votum promiſſum eſſet; & cum aliàs hilarem datorem diligat Deus, videtur relictum electioni voventis, ut Deo offerat, quod ipſe cum majori alacritate & promptitudine efficere præſumit, & quod melius & aptius Deo offerre poteſt. Sic Sanchez *lib.3. ſumm. cap.19. num.9. fine*, & *lib.4. cap.5. num* 28. licet *lib.4. cap.49. num.12. &* 21. oppoſitam ſententiam, ut probabiliorem ſequatur. Tenet etiam Medina *lib.1. ſumm. cap.14. §.7. regul.2. fol.91. col* 2. Thomas Tambur. *in decalog. lib.3. cap.16. § 5. num.14.* Henriq. *lib.5. cap.20.* & *lib.7. cap.30. num.5.* Ioan. Sanctius *in ſelect. diſput.14. num.13.* Rodriguez *tom. 2. ſumm. cap.110. num.4. concluſ.4.* Emanuel Sà *in ſumm. verb. voti irritatio, num.9.* Diana 1. *part. tract.11. reſol.48.* & 2. *p. tract.16.* & 2. *miſcell. reſol.7.* & 3. *part. tract.5. miſcell. reſol.25.* Ferdinandez *part. 1. cap.6. §.11. n.2.* Villalob. 2. *part. tract 34. diff.31. n.5.* Bonacina *diſput.4. quæſt.2. punct.7. §.3. num.8.* & ut probabilem amplectuntur Trullench. *in decal. lib.2. cap.2. dub.45. num.5.* D. Fr. Bartholomæus à ſancto Fauſto *in theſaur. lib.4 quæſt.10. num.3.* Leſſius *lib 2. cap.40. dub.16. num.105.* Aragon. 2.2. *quæſt.88. art.12. dub 1. concluſ 3.* Vincent. Candid. *diſquiſ. 25. artic.1. concluſ. 12.* à Cruce *in ſumm. de vot. dub.11. in fine 4. concluſione.*

In ſolum æqualē materiam fieri non poteſt commutatio propria auctoritate.

134. Sed tenenda eſt ſecunda ſententia, dicens: nullum votum poſſe commutari in evidenter æquale propria auctoritate, ſed ad hoc auctoritatem Prælati requiri, aut ejus commiſſionem, aut privilegium. Probatur primo ex D. Thom. *in 4. diſt.38. quæſt.1. art.4. quæſt.4.* ibi: *Quia commutatio eſt quidam contractus, qui perfici nequit abſque conſenſu utriuſque partis: & ideo perfici nequit abſque conſenſu ejus, qui vicem Dei gerit in terris, ſcilicet Prælati.* Unde ſicut in contractu inito cum homine de danda tali re, non poteſt in aliam commutari abſque conſenſu ejus, cui facta eſt promiſſio, vel alterius illius vices gerentis: ſic in noſtro caſu. Secundo, quia quamvis materia ſubrogata æquè ſit Deo grata, ac illa, quæ promiſſa eſt, utraque ſecundum ſe conſiderata; at ſuppoſita promiſſione & obligatione unius ſpecialiter, non eſt Deo æquè gratum, aliam pro libito voventis loco illius Deo offerre. Quia ex parte rei promiſſæ ſtat firmitas & conſtantia promiſſionis, in qua firmitet

mitet

miter perſeverare Deo magis gratum eſt, quàm de una in aliam prout libuerit mutari, cujus variatio honeſtari non poteſt, niſi ob exceſſum materiæ ſubrogatæ: ergo non præſumitur adeſſe Dei conſenſum, niſi quando exceſſus eſt manifeſtus. Ita Cajetan. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *in fine, dub.* 1. & *in ſumm. verb. votum, cap. ultim.* Soto *lib.* 2. *de juſtitia, quæſt.* 4. *art.* 3. Sanchez, ſibi contrarius, ut diximus, *lib.* 4. *cap.* 49. *num.* 11. Suarez *lib.* 6. *de vot. cap.* 19. *num.* 3. Saytus *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 8. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 15. *num.* 31. Palaus *tract.* 15. *diſput.* 2. *punct.* 15. *n.* 4. Layman. *lib.* 4 *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 19. Tannerus 2.2. *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *dub.* 5. *num.* 81. Miranda *in manual. tom.* 1. *quæſt.* 20. *art.* 9. Raphaël à Torre *artic.* 12. *diſ.* 5. *num.* 7. Barnabas Gallego *in Bull. cap.* 9. *clauſul.* 9. *part.* 3. *fol.* 144. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 16. *c.* 10. *num.* 283. Leander à ſanctiſſimo Sacramento *prima parte, tract.* 5. *diſput.* 14. *quæſt.* 154. & 2. *part. in decalog. tract.* 1. *diſput.* 18. *q.* 9. Reginald. *in praxi, tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 15. *n.* 197. Malderus *in* 2. 1. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 11. ¶ At ſi materia ſit certo æqualis, & dubitetur, aut probabiliter judicetur eſſe meliorem, poterit in illam tunc fieri commutatio propria auctoritate: Tum quia utiliter negotium Dei facit, qui lucrum expectat, & jacturam non timet. Tum etiam, quia jam res illa ſubrogata abſolutè eſt melior, ſiquidem habet cum alia certam æqualitatem, & ſub dubio ſuperioritatem. Sanchez *num.* 14. *in dicto c.* 49. Suar. *num.* 10. Candid. *diſquiſ.* 25. *art.* 3. *dub.* 1. Palaus *punct.* 15. *n.* 5.

Commutationem factam in æquale non eſſe irritam, nec etiam in minus, aliqui dicunt.

135. Sed adhuc reſtat examinare: an peccet mortaliter, qui in æqualem evidenter materiam ſuum votum commutaret? Et an talis commutatio eſſet valida, ita quod ſubrogata materia jam ab ipſo executa, non teneatur ad prius votum redire? Et quidem ſecundum priorem ſententiam *num.* 133. poſitam, clarum eſt, validam & licitam eſſe talem commutationem, cum dicat poſſe propria auctoritate licitè & validè materiam promiſſam in æqualem ſubrogare. Sed adhuc ſuppoſita noſtra ſententia, aliqui dicunt, non eſſe peccatum mortale facere propria auctoritate talem commutationem: nec eſſe irritam dictam commutationem factam in materiam æqualem; imò etiamſi facta eſſet in minorem; ſed teneri voventem, vel prius votum implere, vel ſupplere, quod defuit in commutatione, quando facta eſt in æquale, vel in minus, quouſque ad bonum evidenter melius perveniatur. Quare ſi id, quod defuerat, ſubjungat, itaut omnibus inſpectis, rem meliorem Deo offerat, quam erat promiſſa, manet omnino liber à voto, etiamſi ſupplementum faciat propria auctoritate. Ratio quare non ſit mortale votum in æquale commutare, eſt: quia eſt infidelitas in re modica, quæ defuit ut res illa ſit melior: ſicut eſſet veniale modicum materiæ promiſſæ non implere. Ratio quare ſit valida commutatio, etiam facta in minus modo dicto, eſt: quia tunc Deus ſolum judicatur invitus quoad modum & partialem ſolutionem, quæ ſi ſuppletur remanet ſolutio completa: quemadmodum eſſet liber à ſolutione debita, ſi cui debebas centum, cum non dediſſes niſi quinquaginta, poſtea alia quinquaginta ſolveres, quo debitum undequaque adæquaretur. Ledeſm. *tract.* 10. *cap.* 8. *part.* 3. *poſt* 3. *concluſ.* Gallego *cap.* 9. *clauſul.* 9. *part.* 3. *in fine, fol.* 144. Candid. *dub.* 4. *concluſ.* 9. Leander 2. *part. tract.* 1. *diſput.* 18. *quæſt.* 10. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 51. *n.* 11. & 16. Mendus *in Bull. diſput.* 26. *cap.* 3. *num.* 45. Diana 2. *part. tract.* 16. & 2. *miſcell. reſol.* 7. §. *notandum*, & *reſol.* 8. §. *plus addam.* Fauſto *lib.* 4. *q.* 22. *concl.* 3. *n.* 3. qui etiam dicunt, id verum eſſe, etiamſi commutatio in æquale, vel minus, facta, eſſet ſine cauſa.

Cõmutatio in rem minorem, vel æqualem, facta propria auctoritate, eſt nulla.

136. Sed dicendum eſt, quod ſive commutatio facta fuerit in æquale, ſive in minus, ſive cum cauſa, ſive abſque illa, eſſe peccatum mortale, ſuppoſita noſtra ſententia, talem facere commutationem, & eſſe irritam, & nullam; ac proinde teneri voventem redire ad prius votum, ac ſi nulla eſſet facta commutatio. Et quidem eſſe mortale prius votum non implere propter commutationem, ſi hæc nulla fuit & irrita, eſt planum: quia ſi poſt materiam ſubrogatam manet cum ſua obligatione prius votum, illud non implere, erit mortale peccatum. Probatur ergo eſſe nullam talem commutationem. Tum quia facta eſt ſine poteſtate, & ſine conſenſu creditoris: ergo executio talis commutationis non fuit ſolutio voti: ergo non potuit extinguere obligationem illius. Tum etiam, quia ubi non eſt poteſtas, aut juriſdictio ad actum, nullus & irritus eſt actus productus, quia actus validus fieri nequit niſi ab habente ad illum legitimam poteſtatem; ſed commutatio in rem æqualem, vel minorem, actus eſt juriſdictionis, ut etiam adverſarii concedunt: ergo nequit fieri validè niſi ab habente juriſdictionem ſpiritualem Eccleſiaſticam; hanc ſolum habent Prælati, vel alii ex illorum commiſſione, ut omnes admittunt: ergo commutatio in rem minorem, vel æqualem, propria auctoritate facta, eſt nulla; & ſic votum eodem modo obligabit, ac ſi commutatio facta non eſſet: quia quod nullum eſt, nullum producit effectum, *regul. non præſtat de regul. iuris in* 6. Ita Palaus *tract.* 15. *diſ.* 2. *punct.* 17. *num.* 2. & 6. Prado *c.* 31. *quæſt.* 15. *num.* 38. & 40. Suarez *lib.* 6. *cap.* 20. *num.* 7. & *cap.* 19. *num.* 14. & *cap.* 17. *num.* 5. & *c.* 20. *num.* 6. Raphaël à Torre *art.* 12. *diſp.* 5. *n.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 18. *q.* 12.

PUNCTUM XV.

De materia ſubrogata, in quam fieri debet commutatio ab habente ad illam facultatem.

Commutatio juncta cum diſpẽſatione poteſt fieri in rem inferiorem.

137. HACTENUS egimus de materia, in quam poteſt fieri commutatio propria auctoritate, quòd debet eſſe melior certo, non æqualis, non minor, non inferior. Reſtat agere de illa, in quam fieri poteſt auctoritate Prælati, vel ejus commiſſionem habentis. Et eſt præcipua difficultas: an ſemper fieri debeat commutatio in opus moraliter æquale? An vero fieri poſſit in opus paulo minus perfectum? Et non loquimur de illis, qui ſimul cum commutatione admiſcent diſpenſationem, ad quam faciendam poteſtatem habent: nam tunc certum eſt fieri poſſe commutationem in minus; quia per diſpenſationem poterant, juſta ad id cauſa exiſtente, totam obligationem tollere, nullo onere ſubrogato; ergo multo magis poterunt, admixta diſpenſatione cum commutatione, illam facere in rem multo inferiorem, ſecundum quod res occurrentes efflagitant. Unde ad evitandos omnes ſcrupulos & anxietates,

quæ

quæ in hac materia paſſim occurrunt, qui vult ſibi vota commutari, recurrat vel ad Prælatos, vel ad confeſſarios regulares, qui ex vi ſuorum privilegiorum valent & diſpenſationem & commutationem impendere, ut diximus *ſuprà* ut ſimul cum commutatione diſpenſationem adjungant, ut ſic abſque ullo ſcrupulo maneat. ¶ Quare ſolum eſt in præſenti difficultas de illo, qui ſolum commutare, non diſpenſare, poteſt, ut ſit per Bullam cruciatam, per Iubilæum, &c. an hic poſſit in materiam aliquantulum inferiorem facere commutationem? an illam ſemper facere teneatur in materiam moraliter æqualem?

Sententia dicens poſſe fieri commutationem in materiâ inferiorem.

138. Affirmat ſatis probabiliter prima ſententia poſſe fieri commutationem in minus: (dummodo exceſſus non ſit notabilis.) Primo quia difficillimum eſt æqualitatem demetiri, aut invenire in materia ſubrogata: ergo ſi non poſſet in minorem fieri commutatio, poteſtas ad ſolum commutandum raro poſſet executioni mandari, niſi cum pluribus dubiis, ſcrupulis, & anxietatibus: ergo inutilis, imò damnoſa & periculoſa eſſet talis facultas conceſſa in Bulla, & in Iubilæis, ſi ſolum eſſet facienda commutatio in æquale. ¶ Secundo, quia eſt probabile in æquale poſſe fieri propria auctoritate commutationem, ut diximus: ergo quando requiritur poteſtas ſuperioris, ſive ordinaria, ſive delegata, debet eſſe ad aliquid minus, aliter non eſſet neceſſaria talis poteſtas Eccleſiaſtica, & privilegium nihil operaretur. Sic Diana 2. *part. tract.* 16. *&* 2. *miſcell. reſol.* 8. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 3. *num.* 11. Sà *voti irritatio*, *num.* 10. Trull. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *dub.* 12. *c.* 3. *n.* 5. & *in decalog. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 45. *n.* 7. Metin. *lib.* 1. *ſum. c.* 14. §. 7. *regul.* 3. *pag.* 74. Leander 1. *part. tract.* 5. *diſp.* 14. *q.* 156. & 2. *part. tract.* 1. *diſp.* 18. *q.* 12. & probabilem reputat Leſſ. *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 11. *n.* 95. in una editione, & *n.* 109. in alia. Barnabas Gallego *in Bull. cruciat. c.* 9. *dub.* 140. *concl.* 2. ubi refert quindecim auctores dicentes, quod per Bullam poteſt commutari in aliquid minus. Vide infrà dicenda *num*...

Commutatio debet fieri in materiam moraliter æqualem.

139. Secunda ſententia, cui ſubſcribimus, dicit debere fieri puram commutationem in materiam moraliter æqualem, aliter peccare mortaliter & petentem commutationem, eaque utentem, & illam concedentem. Tum, quia ut commutatio ſit juſta debet eſſe cum æqualitate rei ad rem, ut conſtat ex *Ariſtotel.* 5. *Ethicor.* & in aliis commutationibus cernitur, quæ ut juſtæ ſint debent eſſe cum dicta æqualitate, & ſi fuerint factæ in minus erit donatio vel remiſſio creditoris. Tum etiam, quia ſi ſemel commutatio poteſt fieri in minorem materiam ſubrogatam, quamvis ſubrogatio fieret in materiam notabiliter minorem, teneret commutatio: quia non apparet unde debeat limitari, & ſic facultas ſolum commutandi coïncideret cum facultate commutandi & diſpenſandi, quod minimè adverſarii concedent: ſtandum eſt ergo naturæ contractus commutationis, quæ petit moralem æqualitatem. Soto *lib.* 7. *de juſtit. q.* 4 *art.* 3. Cajetan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *dub* 2. *circa fin.* Prado *c.* 31. *q.* 15 §. 2. *n.* 29. Covar. *de pact.* 1. *p.* §. 3. *n.* 4. Sanchez *lib.* 4. *ſum. c.* 50. *n.* 4. Suar. *lib.* 6. *c.* 19. *n.* 7. *&* 8. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 34. Palaus *tract.* 15. *diſp.* 2. *punct.* 16. *n.* 2. Sayr. *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 19. ¶ Sed hæc æqualitas (quibus ſolvitur contrarium fundamentum) non eſt ſcrupuloſè, & mathematicè metienda, quia hoc eſſet moraliter impoſſibile, ſed ſufficit æqualitas moralis, itaut parvà differentia eſſe credatur: quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; & tunc reputabitur moralitas æqualis quando exceſſus manifeſtè non apparet: & arbitrio commutantis hæc æqualitas determinari debet, qui ſi prudenter, aut probabiliter judicet adeſſe talem æqualitatem, & commutans & commutatus manent ſecuri in conſcientia. In quo differt hæc commutatio ab ea, quæ fieret propria auctoritate in æquale ſecundùm opinionem probabilem, quod debet eſſe in evidenter æquale, nec ſufficit ad hoc probabilitas, ut diximus *n.* 130.

Non requiritur ad rectam commutationē, quod votū perſonale in perſonale cōmutetur, & reale in reale.

140. Sed inquires primo: an ſit neceſſarium ad rectam commutationem, quod votum perſonale commutetur in aliud perſonale; reale in reale, perpetuum in perpetuum: & temporale in temporale? Reſpondetur, quod licet ſit ſalubre conſilium ita fieri, quoties fieri poteſt, quia ſic major ſervatur proportio in commutationibus. Cæterum hoc non eſt neceſſarium, ſed poteſt reale in perſonale, & è contra: & perpetuum in temporale, quando materia illius æqualiter cedit in obſequium Dei, & voventis utilitatem, quod contingere poteſt ob ejus excellentiam. Conſtat reſolutio, tum *ex cap.* 2. *de voto:* ubi votum peregrinationis Ieroſolymitanæ, quod eſt perſonale, commutatur in eleemoſynam, quod eſt reale. Tum etiam, quia in commutatione juſtè facta non eſt attendenda æqualitas mathematica rei ad rem, ſed quod ſit æquale Dei obſequium hic & nunc penſatis omnibus circunſtantiis, perſonæ, operis, loci, temporis, & finis, ob cujus conſecutionem votum factum eſt. Baſſæus *tom.* 2. *votum* 2. *num.* 19. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *c.* 3. *dub.* 18. *num.* 16. Tambur. *in decalog. lib.* 3. *c.* 16. §. 6. *n.* 5. Palaus *punct.* 16. *n.* 4. Layman. *n.* 24. Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 16. *n.* 109. Sanch. *lib.* 4. *cap.* 56. *num.* 24. Suar. *c.* 19 *n.* 16. Prado *n.* 84.

Qualiter ex iure debeat commutari votū peregrinationis?

141. Inquires ſecundo, qualiter commutari debeat votum peregrinationis? Reſpondetur hoc conſtare *ex cap. magnæ de voto*, ubi ſic dicitur: *Tibi pro te, & famulis tuis, licentiam concedimus, votum peregrinationis taliter commutare, ut expenſas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui religioſo committas, laborem etiam laboribus compenſes.* Ubi duo dicit Summus Pontifex, nimirum, laborem itineris aliis laboribus piis & æquivalentibus compenſandum: & expenſas itineris in pia opera expendendas. Excipiendæ tamen ſunt expenſæ, quas domi ſuæ facturus erat. Et ſi expreſsè voviſſet ire mendicando, nullas expenſas teneretur ſolvere: quia nullas facturus eſſet; & ſic ſolus labor itineris cum hac circunſtantia eundi mendicando eſſet computandus. Et niſi aliud conſtet de intentione voventis, cum judicandum ſit promiſſam peregrinationem eſſe qualiter à perſonis ejuſdem qualitatis fieri ſolet, expenſæ in comitatu faciendæ computandæ ſunt: quia licet expreſsè non fuerint promiſſæ, moraliter ut quid acceſſorium promiſſæ cenſendæ ſunt. Suarez *lib.* 6 *cap.* 19. *num.* 20. Sanchez *lib.* 4. *c.* 56. *num.* 14. Palaus *punct.* 16. *num.* 4. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 15. *num.* 89. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 20. Sufficit computare expenſas famulorum, cum quibus ſolet iter agere, non eorum, quibus domi utitur. ¶ Debent etiam computari expenſæ reditus: quia ita in dicto capite habetur: & quia reditus eſt aliquid peregrinationis promiſſæ. Addit Sanchez *n.* 19. Rodriguez

*tom.2.cap.*100. *num.*5. eſſe conſideranda pericula itineris & moræ, & damna inde ſuis rebus provenientia, & tributa, quæ ſolent ſolvi infidelibus in peregrinatione Ieroſolymitana.

Principia unde penſanda ſit gravitas materiæ ſubrogandæ.

142. Inquires tertio, qualiter gravitas materiæ ſit penſanda, ut inde æqualis, minor, aut major cum materia promiſſa judicetur? Reſpondetur, non poſſe præſcribi certam regulam, pro omnibus, cum ſint innumera vota, & cum innumeris circunſtantiis, & ſic nulla alia poteſt dari, quam prudens confeſſarii judicium, qui omnibus penſatis & expenſis æqualitatem moralem conſtituat. Sed ut ipſe prudenter ſe gerat ſequentia pro regula habeat ex graviſſimis Doctoribus deſumpta. ¶ Primo, quod gravitas materiæ voti eſt conſideranda ſolum ſecundum ſe, præſcindendo à vinculo voti, quo eſt affecta: eo quod in commutatione verè vinculum voti permanet, & ſolum ſit commutatio de materia in materiam; & ſic ſolum ad rem ſecundum ſe eſt attendendum. Sanch. *lib.*4. *c.*56. *n.*2. ex Cajetano, Soto, Valentia, & Rodriguez. ¶ Secundo, non eſſe ſpectandam materiam ſubrogandam juxta excellentiam virtutis, quam habet; ſed ſecundum quòd eſt aliquid utilius voventi, & ad finem intentum ab eo, magis expediens: ut ſi quis ad domandas carnis illecebras vovit jejunare, aut flagellari: aut ad auferendam avaritiam, eleemoſynam tribuere: non rectè fiet commutatio in opera alia, tametſi excellentiora, ſed quæ ſunt ita apta ad illum finem intentum. Suar. *lib.*6. *c.*18. *n.*8. & *c.*19. *num.*21. Sanch. *n.*6. Tambur. *lib.*3. *c.*16. §.6. *n.*3. Leſſius *lib.*2. *c.*40. *dub.*11. *n.*87. Sed monent Sanch. *n.*7. & 8. Bardus *in Bull. p.*2. *tract.*7. *c.*3. *n.*4. Baſſæus *tom.*2. *votum* 2. *n.*17. Tambur. *n.*3. *citato*: quod nihil tutius & ſanius conſilium eſſe poteſt, quam omnia vota in frequentiam Sacramentorum commutare, ſi eam facilè pœnitens acceptet, & ſperetur quod adimpleat: quia per hæc facilius pervenitur ad rei promiſſæ æqualitatem, cum per ea maximè communicentur merita Chriſti, remittantur peccata, augeatur gratia, & ad emendationem vitæ ſummoperè deſerviant, ad præcavenda peccata, & augendas vires ſpirituales, ad legem Dei facilius obſervandam.

Ad finem voti attendendum, ut debitè in commutatione materia ſubrogetur.

143. Tertio, ad rectam commutationem faciendam habenda eſt ratio majoris dignitatis finis per votum intenti. Quia dignitas materiæ promiſſæ creſcit ob dignitatem finis, ob idque majori indiget commutatione: ut ſi quis voveret non ludere gratia vacandi Deo, aut vitandi juramenta, majori indigeret commutatione, quam ſi haberet pro fine pecuniæ vitare jacturam. Sanch. *n.*9. Bard. *in Bull. p.*2. *tract.*7. *c.*3. *ſect.*1. *num.*4. Trullench. *in Bull. lib.*1. §.7. *cap.*3. *dub.*18. *n.*7. Etiam conſiderandum eſt, an materia per votum promiſſa ſit aliàs præcepta, quia tunc minor poſtulabitur commutatio; nam tunc vovens per commutationem non eximitur ab obligatione materiæ, de qua erat votum. Sanchez *lib.*4. *c.*56 *n.*4. Bardus *n.*7. & 8. ¶ Quarto, attendenda eſt ratio difficultatis & oneris adimplendi rem promiſſam, & ſubrogatam. Qua ratione votum jejunii a paupere emiſſum, ſi in eleemoſynam ſubrogetur, poteſt illi minor imponi, quam ſi dives vovens fuiſſet: quia majoris oneris eſt in paupere paucas pecunias dare, quam in divite multas. Similiter pauciora jejunia debent in commutatione hominibus laborantibus & debilibus imponi, quam otioſis, & robuſtis: quia illorum pauciora æquivalent pluribus iſtorum, ratione majoris difficultatis & laboris, in illis perferendis. Sanch. *n.*10. Suar. *lib.*6. *c.*1. *num.*16. Baſſæus *tom.*2. *votum* 2. *ſub n.*18.

PUNCTUM XVI.

De cauſa requiſita ad licitam & validam voti commutationem.

144. Cum commutatio non ſit totalis extinctio voti, ſed alterius ſubrogatio, non cum tanto rigore exigit cauſam, ac illam petit diſpenſatio. Quare quando in Iubilæo, Bulla, vel alio privilegio, datur facultas voti commutandi, non requiritur alia cauſa, ut valida & licita ſit commutatio, quam exhibitio oneris, eleemoſynæ, orationis, vel jejunii, quod in eis aſſignatur: ſiquidem ob hanc cauſam Summus Pontifex eam gratiam & indulgentiam concedit. Candid. *diſquiſ.*25. *art.*2. *dub.*2. Diana 2. *p. tract.*16. & 2. *miſcell. r. ſolut.*8. Sanch. *lib.*4. *c.*50. *n.*19. Suar. *lib.*6. *c.*19. *n.*10. ¶ Similiter quando commutatio fit in evidenter melius, hoc ipſum ſufficit pro cauſa, & alia non exigitur, *c.*1. *cap. ſuper his de voto.* Et idem eſt, quando eſt certum materiam eſſe æqualem, & probabile meliorem: quia hoc ipſo, ut diximus *n.*134. *fine*, eſt moraliter melior. Palaus *punct.*15. *n.*5. Sanch. *c.*49. *n.*14. Suar. *num.*10. Candid. *dub.*2. *concl.*4. Prado *c.*31. *q.*15. *n.*33. Quando nō requiritur cauſa pro commutatione?

145. Quamvis commutatio in æquale præter Prælati auctoritatem, vel ejus commiſſionem, exigat aliquam cauſam, ut ſumitur *ex c.*1. *de voto.* & docet D. Thom. 2.2. *quæſt.*88. *art.*12. & communiter tradunt Doctores: eo quod ſit talis commutatio actus juriſdictionis Prælati vices Dei gerentis, quæ exerceri ad libitum non poteſt, ſed ad honorem Dei, & voventis utilitatem. At quæcunque cauſa etiam levis ad hoc ſufficit: quia non eſt abſoluta obligationis remiſſio, ſed ejus tranſlatio: unde moraliter nunquam deeſt cauſa ſufficiens, quia pro cauſa ſufficit, quod vovens petat diſpenſationem, & Prælatus condeſcendat illi, qui ſponte ſe Deo obligavit; quia cum illa petitione concurrit promptior voluntas ad exercendum materiam ſubrogatam. Quare ſolum erit illicita talis commutatio, quando Prælatus eam pro libito impenderet ante ſubditi petitionem, & non intuitu condeſcendendi petenti, & illius gratificationis, ut docent Cajetan. 2.2. *quæſt.*88. *art.*12. *verſu in commutatione.* Sanchez *cap.*50. *num.*23. Trullench. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*46. *numero duodecimo*, Prado *num.*35. Diana *reſolut.*8. *citat.* Valent. 2.2. *diſput.*6. *quæſt.*6. *punct.*7. *circa finem, verſu ex commutatione.* Leſſius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*16. *num.*110. *in* 2. *edition.* Palaus *tract.*15. *diſputatione ſecunda, punct.*15. *num.*8. Villalob. *tom.*2. *tractatu* 39. *diffic.* 31. *num.*8. Layman. *lib.*4. *tract.*4. *cap.*8. *num.*23. Quæ cauſa requiratur, quando cōmutatio fit in æquale?

146. Quare tota difficultas eſt, quando commutatio fit in minus, vel ſequendo opinionem probabilem, quam *n.*133. propoſuimus, vel admiſcendo illi diſpenſationem, vel alia ex cauſa. Quomodo omnes dicunt, requiri cauſam rationabilem rei proportionatam, ut licitè fiat: quia non ſolum ex poteſtate commutandi procedit, ſed etiam ex poteſtate diſpenſandi ortum habere poteſt. Et ſic eandem cauſam requiri, ac pro licita Non tanta requiritur cauſa pro commutatione, ac pro diſpenſatione.

diſpenſa

diſpenſatione requiritur, aliqui dicunt. Sed immerito. Siquidem etiam ſi tunc admiſceatur diſpenſatio, nun eſt diſpenſatio abſoluta & pura, ſed cum onere materiæ ſubrogatæ: & ſic major & urgentior cauſa requiritur quando diſpenſatio abſolute conceditur, per quam omnino vinculum voti diſſolvitur, quam pro diſpenſatione ſimul cum commutatione in minus. Ob idque diximus ſupra *num.* 120. ſalubre eſſe conſilium, ut cum diſpenſatione ſemper aliqua commutatio adiungatur, ut ſubrogatio oneris per illam impoſiti ſuppleat defectum cauſæ pro diſpenſatione requiſita. Quare difficultas eſt in præſenti: an ſi commutatio fiat in minus abſque rationabili cauſa, talis commutatio non ſolum ſit illicita, ſed invalida, ita ut vovens teneatur redite ad prius votum, etiam poſt adimpletionem materiæ ſubrogatæ.

Commutationem factam in minus ſine cauſa eſſe validam, aliqui dicunt.

147. Prima ſententia dicit: eſſe validam talem commutationem cum ſola obligatione ſupplendi id, quod defecit, ut materia ſubrogata adæquetur cum promiſſa, quod propria auctoritate poteſt ipſe vovens præſtare. Et probatur primo, quia mitius agitur cum Deo, quam cum hominibus, *l. celſus, ff. de receptis arbitris*: ſed inter homines commutatio iniuſte facta, ob defectum æqualitatis inter res permutatas, non eſt irrita, ſed valet cum obligatione ſupplendi exceſſum. *l. 2. C. de reſcindenda venditione*: ergo a fortiori idem eſt dicendum in commutatione voti, quæ eſt quaſi contractus inter voventem & prælatum vices Dei gerentem. ¶ Secundo, quia ſi eſſet iuſta cauſa commutandi, commutatio facta in minus valida eſſet partialiter cum ſola obligatione ſupplendi ad æqualitatem, quando non admiſcetur diſpenſatio, ut omnes ſupponunt, qui ſolum illicitam talem commutationem dicunt, eo quod adeſt in Superiori poteſtas, qui vult commutare, & in ſolo modo deliquit; ſed defectus cauſæ non ſufficit ad tollendum valorem commutationis, quia ſolum eſt abuſus poteſtatis in modo illam exercendi: ergo, &c. Sic Sanch. *lib. 4. cap.* 51. *num.* 8. Barthol. à Sancto Fauſto *lib. 4. quæſt.* 28. *num.* 2. Vicent. Candid. *diſq.* 25. *art.* 2. *dub.* 3. *concluſ.* 6. & 7. Rocaful. *tertia parte, prax. lib.* 3. *in* 2 *præcept. cap* 5. *q.* 4. *n.* 563. Diana *p.* 2. *tract.* 16. & *miſcell.* 2. *reſol.* 7.

Nulla eſt cōmutatio in minus facta ſine rationabili cauſa.

148. Sed eſt probabilior ſententia dicens: commutationem factam in minus abſque rationabili cauſa, eſſe omnino nullam. Quia ut diximus, poteſtas ordinaria, vel delegata, ad commutandum, eſt poteſtas juriſdictionis, ſicut poteſtas ad diſpenſandum; ſed actus poteſtatis iuriſdictionis ſine legitima cauſa exercitus, eſt nullus: ergo ſicut eſt nulla diſpenſatio voti exercita ſine cauſa; ita diſpenſatio in minus erit ſine illa irrita. Probatur hæc conſequentia: tum quia in eo caſu admiſcetur diſpenſatio, ſine qua non poteſt fieri commutatio in minus, ut diximus *num.* 139. Vnde currit ratio D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 88. *art.* 12. *corp.* & *ad* 2. quod diſpenſatio in votis ſine cauſa eſt invalida: quia prælatus in Eccleſia in ea concedenda gerit vicem Dei, cui non eſt acceptum quòd diſpenſetur ſine cauſa, nec ad hoc concedit commiſſionem, quia non eſſet in ædificationem, ſed in deſtructionem data, ut diximus *num.* 117. Tum etiam, quia qui habent ordinariam vel delegatam commiſſionem commutandi vota, ſolum habent illam ad liberandum à voti obligatione, ſubrogata materia æquali, vel ad minus ex iuſtiſſima cauſa minori: ergo qui ſine cauſa in minus commutaret, excederet commiſſionem ſibi datam: ergo totus actus eſt nullus defectu commiſſionis & poteſtatis; ac ſi ab alio exercitus eſſet, qui talem non haberet facultatem. Sic Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 19. *num.* 14. Trullench. *lib.* 2. *decal. cap.* 2. *dub.* 45. *num.* 13. Mendus *in bull. diſput.* 26. *cap.* 3. *num.* 45. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 15. *num.* 40. Palaus *diſput.* 2. *punct.* 17. *n.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 15. *cap.* 18. *q.* 12. Ludovicus Lopez 1. *part. c.* 50. *col.* 3. *§. etiam ſecundum.*

Contrariæ fundamenta ſolvuntur.

149. Ad primum contrariæ ſententiæ argumentum fatemur mitius agi cum Deo, quam cum hominibus, ſed in pluribus aliis rationibus, & rebus in hac materia, quæ toto hoc capite diſperſæ ſunt; ſed non in eo quod illius vices gerens excedat eius commiſſionem, & facultatem ſibi datam, quod faceret irrationabiliter in minus commutando: id eſt, ſine rationabili ad hoc cauſa. In aliis autem commutationibus humanis verum eſt illas eſſe validas cum obligatione ſupplendi defectum; quia ita diſpoſitum eſt à republica ad evitandas lites; ſed Deum ita diſpoſuiſſe circa commutationem votorum ignoramus; imò de oppoſito conſtat ex probationibus à nobis adductis. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, admittendo majorem, & minorem negando: quia commutatio in minus ſine cauſa facta eſt irrationabilis, ad deſtructionem; non ad ædificationem; & ſic excedit facultatem commutantis, & eſt omnino irrita: ut diſpenſatio voti eſt nulla, ex hoc ipſo dumtaxat quod ſit impenſa ſine rationabili cauſa, etiamſi reliqua omnia habeat ad diſpenſationem requiſita, ut omnes Doctores dicunt.

PUNCTUM XVII.

De commutatione, quæ poteſt fieri per Bullam Cruciatam, vel per Jubileum.

Duo diſcrimina inter Bullā Cruciatam & Iubileum.

150. CUm in celebri Bulla Cruciata detur facultas ſpecialis ad vota commutanda, oportet aliqua in præſenti intexere circa illam, & circa facultatem, quæ in Iubileis conceditur. Verba igitur Bullæ Latinæ plumbeæ ſunt iſta: *Et illis vota omnia (ultra marino, caſtitatis, & religionis exceptis) in aliquod ſubſidium huius expeditionis per eundem Confeſſorem commutari.* Et in clauſula Iubilei dicitur: *ac vota quæcumque ab eis emiſſa (Caſtitatis & Religionis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare.* Ubi, ut vides, duplex datur diſcrimen inter utramque facultatem. Primum, quod in bulla præter votum Caſtitatis & Religionis excipitur ultramarinum; in Iubileo autem ſolum excipitur votum religionis & caſtitatis; ac proinde ex vi illius (non virtute Bullæ) poſſunt commutari vota peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, juxta dicta *num.* 116. quod quando excipitur in facultate aliquod ex reſervatis, ad alia cenſetur facultas concedi. Secundum, quod bulla concedit ſolum facultatem commutandi in aliquod ſubſidium expeditionis belli, quod non petitur in Iubileis,

ſed in alia quæcumque opera pietatis poteſt fieri virtute illorum commutatio. Iam diximus *n.* 144. ad commutationem faciendam virtute jubilei, aut bullæ, nullam requiri cauſam.

Vota caſtitatis, & religionis, in caſibus, in quibus non ſunt reſervata, poſſunt virtute jubilei aut bullæ, commutari.

151. Sed notandum eſt, quod quamvis in bulla, & jubileo, excipiantur vota caſtitatis, & religionis, intelligitur de votis abſolutis, perfectis, & integris, ac completis, quomodo ſunt reſervata; non de votis caſtitatis, verbi gratia, quoad partem: ut votum non contrahendi matrimonium, votum non fornicandi, caſtitatis conjugalis &c. nec de votis conditionatis; nec de illis, quæ ex metu, dolo, aut errore, ſunt emiſſa, quomodo vota caſtitatis, aut religionis non ſunt reſervata. Quare in omnibus illis caſibus, in quibus diximus *punct.* 12. non eſſe reſervata talia vota, & pertinere ad Epiſcopum in illis diſpenſare, (excepto illo caſu vrgentis neceſſitatis, de quo egimus *num.* 96. quia de illo infra ſpecialiter agemus) poſſunt dicta vota virtute bullæ, aut Iubilei, commutari. Uti docent Raphaël à Torre 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *diſp. ultim. num.* 3. Medina, Petrus de Ledeſma. Nugnus, quos refert & ſequitur Prado *cap.* 31. *quæſtione* 15. §. 5. *num.* 63. Barnab. Gallego *in bull. capite* 9. *dub.* 141. *uſque ad* 156. Palaus *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 9. *num.* 16. citatis Sanchez, Suarez, Layman, & aliis, & eſt commune. ¶ Et talis facultas bullæ, aut Iubilei, extenditur ad vota emiſſa ante & poſt publicationem illorum: nam verba ſunt generalia: ſicut facultas ut poſſit abſolvi à reſervatis extenditur ad caſus ante & poſt publicationem incurſos. Trullench. *in expoſitio. bullæ, lib.* 1. §. 7. *capite* 3. *dub.* 4. *num.* 8. & hic *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 47. *num.* 3. Navarr. *cap.* 12. *num.* 80. *fine.* Candid. *diſquiſ.* 25. *art.* 3. *dub.* 5. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 53. *numero* 26. & *cap.* 54. *num.* 9. ¶ Poſſunt etiam vota commutari, facta ſub ſpe obtinendæ commutationis per bullam, aut Iubileum: quia hoc non excipitur, ſicut cum de compenſatione per bullam agitur. Candid. *art.* 6. *dub.* 3. Trullench. *in primo loco numero* 5. & *in ſecundo, num.* 4. Sanchez *capite* 54. *num.* 18. Prado *num.* 67.

Vt virtute jubilei, aut bullæ commutatio concedatur, non requiritur Sacramentalis confeſſio.

152. Poſſunt etiam virtute bullæ, & jubilei, (immo quicumque commutandi, aut diſpenſandi, facultatem habent) intra & extra confeſſionem talem conceſſionem commutationis indulgere: quia dicta privilegia, & alia, non limitant talem facultatem pro ſola confeſſione, Gallego *in bull. cap.* 9. *dub.* 146. referens decem & octo auctores, quorum aliquos refert, & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 45. & 2. *part. tract.* 2. *reſol.* 9. & 3. *part. tract.* 5. *reſol.* 25. & 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 8. & 5. *part. tract.* 12. *reſol.* 36. Trullench. *in bull. dub.* 3. & hic *num.* 4. Bonacina *quæſt.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num.* 16. Prado *num.* 68. Candid. *diſquiſ.* 25. *art.* 1. *dub.* 8. Lezana *tomo* 3. *verbo bulla numero* 24. & *verbo votum num.* 24. qui bene addit: non exigi quod confeſſarius aliquando pœnitentis confeſſionem audierit, ut virtute bullæ, jubilei, aut aliorum privilegiorum valeat eligi ad hoc, ut licite, & valide vota commutet, aut in eis diſpenſet. ¶ Sed modo reſtant aliquæ difficultates enodandæ.

Nec virtute bullæ aut jubilei poteſt fieri in minus commutatio.

153. Quæres ergo primo: an virtute bullæ, aut jubilei poſſit fieri in minus commutatio? Aliqui affirmant, ut vidimus *num.* 138. quia alioqui nihil privilegium operaretur, quia ſine cauſa poteſt fieri commutatio propria auctoritate in melius, cum illa auctoritate prælati in æquale: ergo ut hoc celebre privilegium aliquid operetur, dicendum eſt poſſe fieri in minus ex juſta cauſa. Sic præter ibi citatos tenet Candid. *diſquiſ.* 25. *artic.* 1. *dub.* 2. *concl.* 5. citans Ludovicum Lopez, Conrad. *tomo* 1. *quæſt.* 313. §. *notandum.* Rodriguez *part.* 2. *cap.* 102. *num.* 4. ¶ Sed nos conſequenter ad dicta *num.* 139. oppoſitum ſentimus: Tum, quia licet ſit privilegium favorabile non eſt extendendum ultra verborum proprietatem; ſed commutatio proprie ſignificat æqualitatem: ergo &c. Tum etiam quia in commutatione in minus admiſcetur diſpenſatio, ad quam nec jubileum, nec bulla tribuit facultatem. Nec ob id privilegium nihil operatur: nam concedit hanc commutationem fieri poſſe à quocumque confeſſario à pœnitente electo, quod antea non poterat niſi à prælato: & quod ſine cauſa poſſit fieri, quæ tamen non poterat fieri ſine cauſa.

In caſu vrgentis neceſſitatis non poſſunt virtute bullæ aut jubilei commutari vota reſervata.

154. Quæres ſecundo, an virtute bullæ, aut jubilei poſſint commutari vota religionis, aut caſtitatis, in caſu vrgentis neceſſitatis, de quo diximus *ſuprà* poſſe ab Epiſcopis diſpenſari, aut commutari? Reſpondetur juxta duplicem ſententiam, quam adduximus *ſupra* examinantes hanc difficultatem circa regulares. Siquidem eandem facultatem, quam habent regulares ad diſpenſanda vel commutanda omnia vota quam habent Epiſcopi ex vi ſuorum privilegiorum, habent confeſſarii electi virtute bullæ cruciatæ; & eodem modo excipitur votum religionis & caſtitatis in illorum privilegiis, ac excipitur in bulla aut jubileo. Vnde ſecundum priorem ſententiam ibi adductam, concedentem regularibus facultatem diſpenſandi, aut commutandi vota caſtitatis, aut religionis, in caſu vrgentis neceſſitatis, quando non eſt aditus ad Pontificem, & eſt periculum in mora: idem eſt dicendum circa facultatem bullæ, aut jubilei. Sed quia nos primum ibi negavimus, etiam negamus modo hoc ſecundum. ¶ Idem dicendum eſt ad aliam quæſtionem, quæ ſolet hic examinari; an videlicet virtute bullæ, aut jubilei, poſſint commutari juramenta Deo facta de ſervanda caſtitate, aut de religione? Quod ſecundum duplicem ſententiam *num.* 108. adductam, aliam negantem eſſe ſimilia vota reſervata; aliam id aſſerentem: aſſerendum eſt, poſſe; vel non, virtute bullæ, aut jubilei, ea commutari: nam ſi reſervata non ſunt, poterunt commutari; ſecus vero ſi fuerint reſervata.

Votum vel juramentum emiſſum in favorem tertii, & ab eo acceptatum, aliqui dicũt, poſſe commutari.

155. Inquires tertio: an votum vel juramentum de eroganda eleemoſyna alicui pauperi determinato, vel alicui Eccleſiæ, poſſit poſt eius acceptationem, virtute bullæ, aut jubilei, commutari? Et idem eſt de aliis, quibus conceſſa eſt facultas ad commutationem jure ordinario, aut delegato: an poſſint huiuſmodi vota vel juramenta commutare? Eſſe probabilem ſententiam affirmativam aſſerentem poſſe vota aut juramenta facta in favorem tertii, & ab eo acceptata, propria auctoritate commutari in melius: & virtute jubilei, aut bullæ, aut alterius facultatis ordinariæ, vel delegatæ, in æquale: docent Trullench. *lib.* 1. *in bull.* §. 7. *cap.* 3. *dub.* 8. *numero* 2. Tambur. *in decalog. lib.* 2. *cap.* 16. §. 5. *num.* 5. & *cap.* 17. §. 2. *num.* 15. Fagundez *in decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 51. Leander 2. *part. in decalog. tract.* 1. *diſputatione* 18. *quæſt.* 21. Et ratio illorum eſt, quia talia vota aut juramenta in Deum diriguntur, & fiunt propter illum, tamquam propter finem *cuius gratia*, & ſolum in pauperem diriguntur tamquam in finem *cui*; & ſic principaliter in Dei obſequium, & in pauperis utilitatem tamquam in acceſſorium,

acceſſorum, & minus principale ordinantur; ſed acceſſorium ſequitur principale: ergo ſicut poteſt votum aut juramentum in Deum ſolum directum, quod eſt principale, in melius propria auctoritate commutari, & in æquale auctoritate Superioris: ſic quæ fiunt in utilitatem pauperis minus principaliter.

Votum, vel juramentum factum in favorem tertii, non poteſt virtute bullæ, aut jubilei, cõmutari.

156. Sed hoc non obſtante, ſtandum eſt Superius dictis, quod licet ante acceptationem pauperis, vel Eccleſiæ, poſſint ſimilia vota, aut juramenta, non minus quam alia in honorem Dei ſolummodo facta, commutari; vel etiam quæ fiunt in honorem Sanctorum, ut ibidem diximus. At quando facta ſunt in commodum determinatæ perſonæ, vel Eccleſiæ, & ab eis acceptata, ſine conſenſu illorum nequeunt diſpenſari, aut commutari, nec propria auctoritate, nec facultate prælati, aut cuiuſcumque privilegij: quia licet promiſſio magis principaliter fiat Deo, quàm homini, fit tamen modo ſufficienti, ut homini acceptanti paret ius ad rem promiſſam, cuius violatio ſit contra juſtitiam, ut etiam adverſarii fatentur: ergo abſque præjudicio tertii, & per conſequens abſque eius conſenſu, nequeunt relaxari, aut commutari. Et hinc fit poſſe hoc fieri ante acceptationem tertii, in cujus favorem facta ſunt: quia ante acceptationem nullum jus illi tertio acquiritur, & ſic ſolum ſpectatur jus Dei, cui ſemper placet, quòd ei, quod melius eſt, offeratur, vel quod ab eius vices gerente, nomine eius, cum ratio id expoſtulat, votum in aliud æquale commutetur. Sic Leſſius *lib.* 2. *capite* 40. *dub.* 11. *num.* 90. & *cap.* 41. *dub.* 12. *num.* 58. Matthæus de Moya, *in ſelect. qq. de voto, diſp.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 6. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſputatione* 9. *numero* 12. & *in ſumm. lib.* 4. *capite* 41. Navarr. *capite* 12. *numero* 78. Candid. *diſquiſ.* 25. *artic.* 4. *dub.* 4. Suarez *tomo* 2. *de relig. lib.* 6. *capite* 15. *num.* 7. Sayr. *lib.* 6. *capite* 11. *num. ultim.* Galleg. *in bull. capite* 9. *dub.* 145. Diana 1. *parte tract.* 11. *reſol.* 47.

Tranſacto tempore bullæ, non poſſunt per eam vota commutari, poſſunt per jubileum, etiam poſt tẽpus illius.

157. Inquires quarto: an qui bullam ſuſcepit, vel jubileum lucratus eſt, & tempore illorum, vota non commutavit, illo tranſacto, poſſit votorum commutationem virtute illorum obtinere? Reſpondetur, eſſe diſcrimen inter bullam & jubileum quoad hoc, quod cum in bulla dicatur, eius gratias ſolum conſequi *eo anno durante*; ideo tranſacto anno publicationis bullæ, ſicut non poſſunt aliæ gratiæ lucrari, ſic nec virtute illius commutari vota. At in jubileo non ſic contingit, nam qui tempore debito illud lucratus, noluit, aut non potuit virtute illius vota commutare; quia forte illorum non recordabatur, tranſacto illo, poteſt vi illius commutationem obtinere, etiamſi memor voti eo tempore commutationem prætermiſerit: quia licet diligentiæ ad lucrandum jubileum ſint alligatæ tempori; tamen virtute illius obtinetur amplum privilegium ad abſolutionem & commutationem, quod tempori non eſt alligatum. Unde ſicut vi illius tranſacto illo tempore poteſt, qui illud lucratus eſt, à reſervatis abſolui: ita votorum commutationem obtinere. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 45. *num.* 36. & *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 15. *numero* 18. Candid. *diſquiſ.* 25. *art.* 6. *dub.* 2. Leſſius *dub* 16. *num.* 109. Diana 2. *p. tract.* 6. & 2. *miſcell. reſol.* 9. Leander *tom.* 1. *tract.* 5. *diſputatione* 14. *quæſt.* 98. Henriq. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 11. *num.* 4. Laym. *in theſaur. lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 17.

Vota commutata per jubileum, etiam eo non lucrato, non reviviſcunt.

158. Inquires quinto: an vota commutata virtute jubilei, eo poſtea non lucrato, reviviſcant? Ut qui initio hebdomadæ votorum commutationem obtinuit, animo faciendi diligentias ad jubileum lucrandum, quas poſtea vel ex negligentia, vel ex oblivione, vel quia non potuit, eas non exercuit, & ſic non eſt lucratus jubileum: quæritur, an votum commutatum reviviſcat & commutatio ceſſet? Reſpondetur negative: quia talis commutatio non fuit conditionata, ſed abſoluta, & ideo ſtatim ſortita eſt effectum, proindeque votum extinctum; & obligatio ſemel extincta non reviviſcit. Secus eſſet dicendum, ſi commutatio fuiſſet facta ſub conditione exercendi opera neceſſaria ad lucrandum jubileum: quia commutatio conditionata, non appoſita conditione, eſt nulla; & ideo obligabit prius votum, ac ſi commutatum non eſſet. Rodriguez *tom.* 4. *cap.* 188. *num.* 9. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 10. *num.* 307. Henriq. *lib.* 7. *de indulgen. cap.* 11. *num.* 4. & *de pœniten. lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 6. Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 47. *numero* 9. Suarez *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 9. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 15. *num.* 22. & *lib.* 4. *ſum. cap.* 54. *numero* 99. Bonac. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 3. *numero* 18. Diana 1. *part. tract.* 2. *miſcell. reſol.* 10. & *p.* 2 *tract.* 5. *reſol.* 25. Immo non peccare mortaliter, qui bona fide commutationem obtinuit animo lucrandi jubileum, ſi poſtea voluntarie diligentias emiſit, aſſerunt Sanchez, Diana, Trullench Bonacina: quia hic nihil promiſit, nec talem obligationem impoſuit confeſſarius, nec jubileum talem obligationem petit, nec conſtat fuiſſe intentionem Pontificis ad hoc obligare.

Peccat confeſſarius cõmutationem petenti non tribuendo, niſi ob juſtã cauſam excuſatur.

159. Inquires ſexto: an peccet confeſſarius, qui requiſitus à pœnitente virtute bullæ, aut jubilei, ut ſibi vota commutet, id facere non vult? Reſpondetur affirmative, niſi adſit juſta cauſa negandi talem commutationem; ſed regulariter ſolum erit veniale peccatum contra charitatem. Ratio eſt, quia eſt judex conſtitutus in petentis favorem, exigentis uſum privilegii ſibi conceſſi: ſicut dicitur, Epiſcopus *in cap. quanto* 2. *q.* 5. infidelis denegans diſpenſationem ſubdito petenti ex juſta cauſa, Diximus, niſi juſta cauſa ſubſit ad non commutandum: quia hac ſtante, nullum erit peccatum, præcipue ſi excuſatur, quia prudenter timet, quod non aſſignavit materiam æqualem, vel proportionatam. Quod vero hoc ſolum regulariter eſſet veniale conſtat: quia parum petenti detrimentum affert, cum paſſim reperiantur alii, à quibus poterit commutationem obtinere. Cæterum ſi grave urgeat periculum tranſgreſſionis, & paucitas ita eſſet miniſtrorum, ut difficulter alium inveniat à quo commutationem obtineat, tunc peccabit mortaliter confeſſarius, illius petitioni non annuens: quia eſſet cauſa ruinæ illius. Sed hoc rarò contingit. Trullench. *lib.* 1. *bull.* §. 7. *cap.* 3. *dub.* 14. *num.* 1. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 54. *n.* 12. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 44. Mendo *in bull. cap.* 20. *num.* 204. Lezana *tom.* 3. *verbo bull. cruciat. num.* 34. Prado *cap.* 31. *quæſt.* 15. *à num.* 8.

Sententia, aſſerens poſſe commutationem per bullam fieri in ſubſidium ſpirituale, proponitur.

160. Denique inquires circa illam clauſulam bullæ *in aliquod ſubſidium huius expeditionis*: An commutatio facienda virtute bullæ ſolum fieri poſſit in pecuniam in ſubſidium temporale belli? Circa hanc graviſſimam difficultatem triplex datur ſententia, & omnes tutæ, & probabiles, illas ſubiiciemus, & poſtea judicium circa illas faciemus. Prima igitur ſententia dicit: quod ſi adſit legitima cauſa (nempe paupertatis temporalis eius, qui vovit) poteſt commutatio tota fieri in ſubſidium ſpirituale, nempe, in orationes, jejunia, & alia pia opera. Quia clauſula illa morali & ſuavi modo interpretari debet, & quatenus fuerit poſſibilis, cum non ſit credendum Pontificem voluiſſe pauperes ab hoc privilegio excludere. Hanc eſſe probabilem, &

cutam in conſcientia, docent Vivaldus *3. p. candelabr. cap. 14. n. 59.* Suarez *lib. 6. de vot c. 29. n. 18.* Leſſ. *lib. 2. cap. 4. dub. 11. num. 9. in 1. editione, & in ultima dub. 16. num.* 109. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 21. Sanch. *lib. 4. cap. 54. num.* 56. Trullench. *in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub.* 11. Mendus *in bull. diſp. 26. c. 17. n.* 177. Lezana *tom. 3. verbo Bulla Cruciata, num.* 34.

Alia ſententia recenſetur, dicens: partem cõmutationis poſſe fieri in ſubſidium ſpirituale.

161. Secunda ſententia dicit : ſufficere, ut pars commutationis fiat in ſubſidium temporale belli, & alia pars in alia pia opera. Tum quia illa verba *in aliquod ſubſidium* indicant aliquam partem commutationis debere fieri in ſubſidium temporale belli, non omnem ; imò ipſe Commiſſarius Cruciatæ ſic exponere verba Bullæ videtur, cujus verba in tranſumpto Bullæ Hiſpanæ ſunt iſta : *Podra tambien el dicho Confeſſor commutarles, &c. dando la limoſna, que pareciere, en favor y beneficio de la ſancta Cruzada.* Vbi non faciendam omnem commutationem in eleemoſynam dicit, ſed aliquam arbitrio Confeſſoris. Tum etiam, quia non videtur alia mens Summi Pontificis, qui intendit ut expeditioni adverſus infideles ſuccurratur ; ſi tamen tota commutatio facienda eſſet in ſubſidium illius temporale, nullus, aut ferè nullus commutationem virtute bullæ expoſceret, & ſic intentio Pontificis fruſtraretur. Sic ut probabilius docet Sanchez *num.* 58. Diana, Trullench. Mendus, *locis citatis*, Henriq. *lib. 7. cap.* 30. Villalob. *tom. 1. tract. 27. clauſul. 9. §. 3.* à Sancto Fauſto *lib. 4. theſaur. quaſt.* 75. & probabilem dicit Palaus *tom. 4. tract. 35. diſp. unica, de bull. punct. 9. num.* 10. Prado *c. 31. q. 15. n.* 78.

Tertia ſententia dicens: totam commutationem per bullam faciendam eſſe in ſubſidium temporale.

162. Tertia ſententia dicit : omnem commutationem virtute bullæ faciendam eſſe in eleemoſynam pro expeditione belli tribuendam. Ratio eſt, quia privilegia quamvis amplianda ſunt ; ſunt tamen ſecundum eorum tenorem interpretanda, nec contra concedentis intentionem expreſſam extendenda ; ſed in bulla fit ſermo de ſubſidio temporali in expeditionem belli tribuendo, ſeorſim ab orationibus ; & aliis piis operibus, quæ in ea aſſignantur pro ſubſidio ſpirituali : ergo intelliguntur de temporali, Si tamen de ſubſidio temporali loquuntur, cum abſolutè loquantur, non eſt cur una pars, & non totum intelligatur : ſicuti cum de ſubſidio ſpirituali ſermo eſt, totum de ſubſidio ſpirituali debet intelligi. Verba autem illa *in aliquod ſubſidium* non indicant aliquam commutationis partem ſolummodo ; ſed potius denotant omnem commutationem faciendam eſſe in eam eleemoſynam, quæ cenſetur eſſe aliquod ſubſidium huius expeditionis. Nec obſtat aliquos hoc privilegio non poſſe frui ob inopiam ; ſicut non obſtat quod aliorum privilegiorum bullæ non gaudeant, qui præ inopia bullam accipere non poſſunt : nam aliunde eorum neceſſitati Pontifex jam providet varia privilegia Religioſis concedendo, ut ſine bulla, & ſine hoc onere poſſint vota commutare. ¶ Denique ſic declaraſſe Commiſſarium Cruciatæ, cui à Papa eſt conceſſum dubia circa bullam declarare, aſſerit Machado *lib. 2. part. 3. tract. 12. document.* 3. & noviſſime refert Barnab. Gallego *in bull. cap. 9. dub.* 150. *fol.* 152. ita declaraſſe D. D. Fr. Antonium de Sotomayor Commiſſarium Cruciatæ in inſtructione impreſſa, & promulgata Matriti anno 1642. quam etiam refert M. Fr. Ioannes Martinez à Prado *tom. 2. cap. 31. quæſtione 15. §. 5. num.* 75. Quibus ſtantibus declarationibus, videntur duæ præcedentes opiniones omnino corruere : quia Commiſſarius Generalis Cruciatæ habet à Summo Pontifice expreſſam & amplam commiſſionem ad dubia declaranda, quibus ſtare omnes debent. Sic omnes auctores, qui abſque limitatione docent in ſubſidium temporale commutationem neceſſario faciendam. Sed expreſſe loquendo de tota tres auctores nuper citati, & Soto *de iuſtitia lib. 7. quaſt. 4. art. 3. § rurſus circa* Aragon 2. 2. *quaſt.* 88. *artic. 12. dub. 1. col. 2. § ad argumentum fol.* 1040. Ludovicus Lopez *ſecunda parte, inſtruct. cap. 9. ubi de bulla in fine.* Navarr. *in Summ. cap. 12. num.* 88. Rodriguez *de bulla §. 9. num.* 109. Palaus *tom. 4. tract. 35. diſput. unica punct. 9. n.* 20. ubi hanc amplectitur ut probabiliorem.

Iudicio noſtro ſententia, quo tertia eligitur, & ſecunda probabilis iudicatur.

163. Ex his tribus ſententiis hanc tertiam eligimus : quia eſt conformior menti Pontificis, & illius intentioni, & verbis bullæ unitis cum reliquis clauſulis illius. Sed ſtantibus dictis declarationibus Commiſſarii Cruciatæ, non videtur prima ſententia probabilis, cum expreſſe aſſignet aliquod temporale ſubſidium pro votorum commutatione virtute bullæ conceſſa. Sed adhuc illis ſtantibus, probabilem ſecundam ſententiam judicamus : quia Commiſſarii declaratio expreſſe non dicit, quod tota commutatio ſit in ſubſidium belli, ſed ſolùm quod de eleemoſyna commutationis non applicetur niſi in ſubſidium belli, quod ſalvatur etiam ſi pars commutationis in alia pia opera fiat, & quod tota eleemoſyna, in quam altera pars commutatur, in ſubſidiom belli applicetur. Sed adhuc ſi expreſſe diceret, totam commutationem faciendam eſſe in eleemoſynam pro bello applicandam, non videtur talis declaratio cum tanto rigore uſu recepta, & conſuetudo, quæ eſt optima ſemper interpres, eſt in Hiſpania in oppoſitum. Et merito, quia ſi dumtaxat pars commutationis fit in eleemoſynam faciiius adducentur homines ad commutanda ſoa vota per bullam, & ex pluribus exiguis quantitatibus majus emolumentum in belli ſubſidium accreſcet, quæ eſt mens & intentio Pontificis in ea clauſula conceſſionis, quàm ſi tota quantitas eſſet in ſubſidium dictum eroganda ; quia ſic vix aliquis unquam per bullam peteret commutationem, maxime cum ſit tam facilis aditus ad regulares, qui abſque onere eleemoſynæ totum votum in alia pia opera commutare valent, imò diſpenſare, vel unum cum alio conjungere.

PUNCTUM XVIII.

Vtrum poſt commutationem factam, & acceptatam, ſit redditus ad priorem materiam?

Poſt factam commutationem tenetur voveſ ad materiam ſubrogatã.

164. CUm commutatio voti in eo differat à diſpenſatione, quod *quando votum commutatur* (verba ſunt D. Thom. *in 4. diſt. 38. quaſt. 1. art. 4. quaſt. 3.*) *Vovens abſolvitur ab uno, & ligatur ad aliud : ſed quando in voto diſpenſatur, ſimpliciter à voto abſolvitur, ſine hoc quod ad aliud ligetur.* Hinc fit quod poſt factam commutationem materia ſubrogata obligat ſub eodem vinculo voti & religionis, ſub quo materia commutata obligabat. Siquidem tali pacto nomine

mine Dei commutatio perficitur, ut extinguatur prioris materiæ obligatio, & ſubrogetur obligatio poſterioris, quæ ſit ejuſdem roboris ad obligandum, ac prior erat. In quo omnes conveniunt.

Facta commutatione, etiamſi fiat materia ſubrogata impoſſibilis, non tenetur vovens ad commutatā redire.

165. Quare ſi vovens materiam ſubrogatam non impleverit, (in quo peccabit mortaliter) vel illi facta ſit impoſſibilis; non tenetur ad prius votum, etiamſi ſua culpa hoc eveniat, v.g. promiſiſti peregrinationem, commutatur tibi in jejunium tali hebdomada, illa hebdomada jejunare non potuiſti ob infirmitatem, vel certè noluiſti ob malitiam, non teneris ad peregrinationem: quia commutatio facta fuit abſolutè in ſecundam materiam, & per eam prior obligatio fuit omnino extincta, licet in aliam ſubrogata; ſed obligatio ſemel extincta non reviviſcit, *l. qui res, §. aream, ff. de ſolut.* maximè obligatio, quæ ex propria voluntate proficiſcitur, quæ non niſi ex propria voluntate poteſt conſurgere: ergo ſuppoſita commutatione, niſi iterum emittatur novum votum, non reviviſcet prius vinculum; ſed judicandum eſt ac ſi de materia ſubrogata eſſet emiſſum prius votum. Sanch. *lib.4.c.55.num.*15. Prado *cap.*31.*quæſt.*15. *num.*110. Palaus *tract.*15. *diſput.*2. *punct.*18. *num.*2. Trullench. *lib.*2. *in decalog. c.*2. *dub.*48. *num.*3. Sayrus *lib.*6. *cap.*12. *num.*24. à Cruce *in Bull. diſput.*1. *cap.*6. *dub.*16. *num.*12. Suarez *tom.*2. *de relig. lib.*6. *cap.*20. *a n.*6. Layman. *lib.*4. *tract.*4. *c.*8. *n.*28. Leander 2. *part. in decal. tract.*1. *diſp.*18. *q.*32.

Limitatur præcedens doctrina quando cōmutatio fit propria auctoritate.

166. Sed hoc eſt intelligendum quando per legitimam juriſdictionem facta fuit commutatio; nam ſi propria auctoritate facta fuiſſet, tunc ſi materia ſubrogata non impleatur, aut redditur impoſſibilis, tenebitur ad materiam promiſſam: ut ſi v.g. votum recitandi officium divinum commutavit in tot jejunia, ſi jejunare non potuerit; potuerit tamen recitare, tenebitur ad prius votum redire. Quia non transfertur vinculum ad rem ſubrogatam per commutationem propria auctoritate exhibitam, ſed ſolum per ſuperabundantem ſolutionem, vel ſaltem æquivalentem, fit ſatisfactio benigniſſimo creditori; cum ergo non fiat illi ſatisfactio vel ſuperabundans, vel æquivalens, niſi materiam ſubrogatam offerendo, ſi hæc non offeratur illi, undecumque hoc proveniat, manet ſicut prius votum cum obligatione materiam promiſſam exercendi. Sic Ludovicus à Cruce *loco citato num.*2. & ex illo Thom. Tambur. *lib.*3 *decalog. cap.*16. §.7. *num. ultim.* & ex utroque Leander *tract.*1. *citat. diſp.*18. *q.*31.

Facta commutatione in minus, vel æquale, liberum eſt voventi redire ad priorem materiam.

167. Quare in præſenti difficultas eſt: an ſemel facta commutatione à legitima poteſtate, & acceptata à vovente, liberum ſit illi, propria auctoritate ad priorem voti materiam redire? In quo ſupponimus, quod ſi commutatio ſit facta in minus admixta diſpenſatione, poteſt propria auctoritate, relicta materia ſubrogata, redire ad materiam promiſſam: quia cuilibet eſt licitum gratia, favore, aut diſpenſatione, non uti, & perſeverare, vel redire ad id, quod melius eſt, ſicut & ad altiora aſcendere. ¶ Similiter eſt certum, quod ſi facta fuerit commutatio in æquale, liberum eſt voventi toties quoties voluerit, vel ad priorem materiam redire, vel ſubrogatam obſervare: quia commutatio facta fuit in favorem voventis, & ut facilius, & hilarius impleret, quod Deo promiſit, ſed quilibet renuntiare poteſt beneficio, & favori ſibi collato: ergo, &c. Ita ex communi Sanchez *lib* 4. *cap.*55. *num.*16. Suarez *lib.*6. *cap.*10. *num.*4. Palaus *punct.*18. *num.*8. Pradò *cap.*31. *quæſt.*15. *num.*101. & 102. Quare tota difficultas eſt, quando commutatio facta fuit in notabiliter melius, cognitum à vovente, & ab eo acceptatum. Duplex datur ſententia, & utraque ſatis probabilis.

Facta commutatione in melius, aliqui dicūt, non eſſe reditum ad priorem materiam.

168. Prima ſententia eſt negativa. Et probatur primo: quia commutatio in melius non videtur facta ſolum in favorem voventis; ſed potius in majorem Dei cultum, & obſequium; ergo jam non erit illi liberum redire ad materiam inferiorem, poſtquam loco ejus excellentior materia fuit in Dei cultum ſubrogata. Secundo, quia quando in melius fit commutatio, nova obligatio introducitur, & eſt quaſi nova promiſſio illius operis excellentioris, & ſic eſſet reſpicere retro, redire ad prius votum, relicto poſteriori. Tertiò probatur exemplo ejus, quod contingit in humanis: ſi enim Petro promiſiſſes vas argenteum, & eo conſentiente, promiſſionem in vas aureum commutares; non liceret tibi retrocedere, nec vas argenteum ſolummodo dando jam adimpleres promiſſum; nam licet ille favorem tibi præſtiterit in talem commutationem conſentiendo; at poſt ejus conſenſum, & a te factam commutationem, favor ceſſat, & ſolum attenditur, quid ſit Petro gratius & utilius: ita in præſenti. Quod tenent Suarez *loc. cit. n.*1. & 4. Raphaël à Torre 2. 2. *q.*88. *art.*12. *diſput.*5. *num.*12. Filliucius *tom.*2. *tract.*26. *cap.*10. *num.*288. Reginald. *tom.*2. *lib* 10. *c.*1. *n.*362. & ſatis probabilem dicunt Palaus *tom.*3 *tract.*15 *diſp.*2. *punct.*18. *n.*9. Prado *tom.*2. *c.*31. *q.*15. *n.*104.

Etiam in melius facta commutatione poteſt vovens redire ad primam materiam promiſſam.

169. Secundæ tamen ſententiæ ſubſcribimus aſſerenti: liberum eſſe voventi redire ad materiam promiſſam, etiam poſt commutationem factam, & acceptatam, in meliorem. Tum, quia ſemper commutatio quocumque modo fiat, fit in favorem ejus, qui vovit, eo quod licet res ſit perfectior; facilius, melius, & jucundius exequitur materiam ſubrogatam: ſed unuſquiſque ei renuntiare poteſt, quod pro ſe noſcitur introductum, *cap. ſtatuimus de regulis juris*: ergo, &c. Tum etiam, quia commutatio ſub tacita fit conditione, ut vovens impleat rem ſubrogatam, niſi malit votum prius factum implere: ergo in ejus arbitrio eſt eligere quod voluerit. Quod autem commutatio ſemper fiat ex benigna Dei conceſſione cum facultate redeundi ad priorem materiam, probatur. Quia benignitas Dei in eo maximè elucet, ut voventes intelligant mitius cum Deo agi, quàm cum hominibus, nec ſui juris ita rigidum eſſe exactorem, quin aliquam illius remiſſionem faciat in favorem voventium, ut ſic facilius & hilarius vota exequantur, & ad nova emittenda vota in cultum & honorem Dei excitentur. Sic Leſſius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*16. *num.*111. *in* 2. *edition.* Sanchez *lib.*4. *cap.*55. *à num.*26. & *de matrimon. lib* 8. *diſp.*9. *num.*21. Tambur. *lib.*3. *c.*16. §.7. *num.*4. Leander 1. *part. tract.*5. *diſput.*14. *quæſt.*149. & 2. *part. tract.*1. *diſput.*18. *q.*14. Candid. *diſquiſ.*25. *art.*6. *dub.*5. Prado *ſupra, num* 105. Palaus *num.*10. Azor. *lib.*11. *cap.*18. *quæſt.*10. & 11. Sayrus *c.*12. *num.*22. Bonaciu. *diſput.*4. *quæſt.*2. *punct.*7. §.3. *num.*10. Layman. *lib.*4. *tract.*4. *cap.*8. *num.*27. Diana 2. *part. tract* 2.

miſcell.

*miſcell.reſol.6.& p.3. tract.5. reſol.*25. Barthol. à S.Fauſto *lib.4. q.*81. Malderus 2.*7. tract.*10.*c.*5. *dub.*11.*q.*9. Trull.*lib.2.c.2.dub.*48.*n.*6 ¶ Et ſi redeat ad commutatam, omiſſa ſubrogata, poterit iterum ad ſubrogatam redire, omiſſa commutata: quia ad adimplendum votum liberum erit eligere ex duabus materiam, quam maluerit ex promiſſa, vel ſubrogata: & hoc quoties ſibi placuerit. Sic citati.

Limitationẽ ab aliquibus adhibitã nõ admittimus niſi cum ſpeciali circunſtantia.

170. Sed limitat Sanchez *num.*27. Fauſt. *quaſt.*80 Suarez *lib.6. c.*20. *n.*19. Trullench.*n.*7. Diana *reſol.6. citat.* niſi vovens commutationem in melius bonum acceptaret, & id conſulto faceret ad maiorem Dei cultum augendum: quia tunc cum illa commutatio in ſui favorem facta non eſſet, ſed in Dei quaſi favorem, honorem, & cultum, non poſſet ad priorem materiam redire. Quod verum judicamus, ſi hoc efficiat emittendo de novo votum de materia ſubrogata, vel novo voto uſum redeundi ad priorem materiam renuntiaret. Aliter limitatio non eſt admittenda. Quandoquidem illa intentio de majori cultu Dei, niſi novo voto firmetur, abſque mortali peccato poteſt non impleri: quia ut inquit D.Thom. 2. 2. *q.*88. *art.1.ad* 2. *Conceptio boni propoſiti non firmatur ex animi deliberatione, niſi promiſſione deliberationem conſequente:* ergo perſeverare in illo novo propoſito, voto non ſtante, non erit graviter obligatorium; & ſic abſque gravi peccato poterit redire ad priorem materiam; & juxta cauſa exiſtente, abſque ullo. Sic Palaus *diſp.2.punct.*18.*num.*11.*fine.*Prado *cap.*32. *quaſt.*15.*n.*109. Villalob. *p.1 tract.27. de bulla clauſula* 9.§.3.*n.*34.

171. Hinc fit eum, cui facta fuit ſæpius commutatio, poſſe ſervare quamlibet materiam, in quam commutatio facta eſt, vel ad priorem redire. V.g. promiſiſti annuam peregrinationem; hæc commutata eſt in menſtruam Confeſſionem; menſtrua confeſſio in jejunium hebdomadarium hoc jejunium in certas preces quotidianas: potes ſatisfacere voto, vel fundendo preces, vel jejunando, vel confitendo, vel denique ad priorem materiam peregrinationis redeundo. Diana, Trull. Villal. Sanch. *loc.cit.* ¶ Si quis tamen poſt factam commutationem, & admiſſam materiam ſubrogatam, iterum voveat materiam commutatam; non ſolum ad votum ſubrogatum tenetur, ſed ſimul ad prius votum commutatum, ſi habeat animum ſe obligandi novo vinculo voti; ſi vero non habeat animum ſe obligandi novo vinculo, ſed revertendi ad prius votum, relicta commutatione; ſolum primi voti obligatione tenebitur. In dubio autem de ejus animo, præſumendum eſt habuiſſe illum ſe obligandi novo vinculo: quia poſſeſſio ſtat non ſolum pro commutatione, ſed pro novo voto, quod conſtat emiſſum, & dubitatur de intentione. Trull.*n.*7. Sanchez *c.*55.*n.*31. Bonac. *q.*2.*punct.*7. §.1.*n.*23. Quamvis ſit probabile, quod in dubio non eſt præſumendum ſe voluiſſe novo vinculo obligare, ſed ſolum ad relinquendam commutationem; & ſic ſolum tenebitur ad materiam commutatam: quia judicandum eſt, ſecundum quod frequenter contingit, & ut in plurimum, qui poſt commutationem prius votum promittit, ſolum intendit commutationem renuntiare.

Quid ſequatur ex ſupradicta doctrina.

TRACTA

TRACTATUS XVIII.

DE PRIVILEGIIS.

PROOEMIVM.

REM aggredimur difficillimam, vaſtiſſimumque navigare Occeanum, cum de privilegiis agere ſuſcipimus, eo, quod ſit res adeo ampla, plurimiſque nexibus implicata, tum ob multitudinem privilegiorum, quæ ab initio ferè naſcentis Eccleſiæ in beneficiorum,& favorem Religionum,tam à Summis Pontificibus, quam à Conciliis Generalibus, & Provincialibus emanarunt; tum propter diverſas revocationes, & novas illorum confirmationes, quas poſtea Sedes Apoſtolica adhibuit: tum denique propter materiæ latitudinem, & intrinſecam difficultatem, & obſcuritatem. Nec nos omnia in brevi iſto tractatu exhaurire præſumimus, quod ferè nullis conſequutus eſt, etiam integris, & latiſſimis voluminibus, ſed nonnulla prælibare, quæ magis neceſſaria, & proficua judicavimus. Alia videnda erunt apud Authores, quorum ſelectiores vidimus, & hoc in loco adducimus. Et quamvis pro regularibus præcipuè totus hic tractatus, imo totum volumen iſtud elaboratum ſit; in eo, ut alibi nos dixiſſe meminimus, plura intexemus, quæ etiam pro aliis viris doctis, & pro diverſis ſtatibus utilia fore non dubitamus. Privilegia namque, & nobilibus à Principe conferuntur, & militibus à Rege, & minoribus, viduis, & aliis à jure, ac denique Eccleſiaſticis plura à Pontificibus ſunt conceſſa. Ideoque dicenda in præſentiarum pro regularibus, maximè circa privilegia in communi, cæteris omnibus applicanda ſunt proportione ſervata. Quare in hoc tractatu, hoc Ordine procedemus: ut prius agamus de privilegiis in communi, eorum naturam, conditiones, & proprietates explicantes. Deinde de illorum ceſſatione, vel per renunciationem, revocationem, non uſum, &c. Poſtmodum de illorum confirmationibus, quæ omnia ad privilegia in communi pertinent: ac denique de particularibus privilegiis, circa diverſas materias Religionibus conceſſis, tam pro prælatis, quam pro ſubditis, tam per comparationem ad ipſos Religioſos, quam per comparationem ad ſæculares.

CAPUT I.

De Privilegiis in communi, eorum natura, conditionibus, & proprietatibus.

Capuṭ hoc novem continet Puncta.

PUNCT. I. *DE quidditate, & natura privilegii, à quo, & quibus concedi poteſt*, n.1.

PUNCT. II. *An privilegiatus teneatur uti privilegio ſibi à iure, vel principe conceſſo*, n.11.

PUNCT. III. *De multiplicitate privilegiorum in communi*, n.16.

PUNCT. IV. *Diverſæ clauſulæ, quæ ſolent in privilegiis Pontificum reperiri explanantur, vel in eorum confirmationibus, aut revocationibus*, n.38.

PUNCT. V. *De conditionibus requiſitis, ut privilegium ſit validum, & licitum* n.57.

PUNCT. VI. *De interpretatione privilegiorum, à quibus fieri poſſit, & quomodo debeat adhiberi*, n.70.

PUNCT. VII. *De communicatione generali privilegiorum, quæ in omnibus fere ordinibus reperitur*, num.87.

§. I. *Qualiter omnes Religiones mendicantes, & non mendicantes ſibimetipſis in privilegiis communicent?* n.88.

§. II. *Aliquæ difficultates circa iſtam generalem communicationem deciduntur*, n.100.

§. III. *An privilegia conceſſa uni Provinciæ, uni Conventui, vel Eccleſiæ particulari, vel etiam ſingularibus perſonis, cenſeantur conceſſa cæteris Provinciis, Conventibus, Eccleſiis, necnon ſingularibus perſonis, ex vi generalis communicationis*, n.108.

PUNCT. VIII. *De uſu privilegiorum tam pro foro conſcientiæ, quam pro foro externo*, n.119.

§. I. *Quando, quo loco, & quomodo poſſunt uti regulares privilegiis ipſis conceſſis*, n.120.

§. II. *An regulares uti poſſint privilegiis per Tridentinum revocatis?* num.130.

PUNCT. IX. *An duret privilegium poſt mortem concedentis, vel privilegiati?* n.139.

PUNCTUM I.

De quidditate, & natura privilegii, à quo, & quibus concedi poteſt?

1. OMISSIS variis diffinitionibus, quæ ſolent hîc adhiberi, brevior & communior illa eſt, qua privilegium diffinitur, quod eſt: *Lex privata aliquod ſpeciale beneficium concedens.* Dicitur *Lex* lato modo, & ſecundum quid; neque enim privilegium eſt proprie lex quæ ex natura ſua debet ad bonum commune ordinari, ut diximus *tract.11. de legib. cap.1.n.10.* quæque ex ſe obligationem inducere in eis pro quibus imponitur, ut ibidem *num.51.* declaravimus. Privilegium autem neutrum ex natura ſua petit: nam licet aliquando in bonum commune ordinetur, multoties etiam conceditur ob bonum, & commodum alicuius particularis, nec etiam ex ſe habet obligare privilegiatum, ut eo utatur, ut dicemus *puncto ſequenti*, ſed ſuo modo eſt lex reſpectu aliorum, quibus neceſſitatem imponit, ne impediant privilegiatum ab uſu privilegii, vel illum in tali uſu perturbent, quod etiam ex jure naturali habetur, dictante privilegiatum non eſſe privandum jure, & facultate ſibi à Superiore conceſſa. Dicitur *privata*, non quia plures non reſpiciat; multoties enim ad plures congregationes extenditur, ut privilegia Religionum, Eccleſiaſticorum, minorum, pupillorum, &c. ſed quia non ad omnes extenditur, ſicut lex, quæ ex natura ſua omnes tangit. Dicitur *aliquod beneficium ſpeciale continere*, ideſt, favorem, indulgentiam, vel aliud quidpiam, aliàs ex iure non conceſſum; & ſic præter jus ſemper debet aliquid operari privilegium, quamvis neceſſarium non ſit, ut ſemper contra jus operetur aliquid, ut cernitur in indulgentiis, quæ per modum privilegii conceduntur, & tamen contra jus nihil operantur, ſed ſolum præter jus aliquid concedunt. Diffinitio privilegii ponitur, & declaratur.

2. Ex quo patet diſcrimen inter privilegium, & diſpenſationem. Tum, quia privilegium latius patet, quam diſpenſatio; poteſt enim privilegium, & eſſe contra jus, ut privilegium Bullæ Cruciatæ edendi lacticinia in Quadrageſima, & præter jus, ut dicebamus de indulgentiis, & in privilegiis decimas, aliave ſubſidia accipiendi facultatem concedentibus: at diſpenſatio ſemper eſt contra ius; ob idque vulnus legis dicitur, & eſt ſemper odioſa, ſtrictéque interpretanda. Et hinc oritur, ad diſpenſationem ſemper cauſam requiri, ut licitè tantum impertiatur; ut quando à legiſlatore ipſo, vel ejus ſucceſſore, aut Superiori impenditur, vel ut licitè & valide poſſit concedi, ut cum ab inferiore in lege Superioris conceditur, ut diximus *tract.11. de legib, cap.5. num.70.* Sed ad concedendum privilegium valide cauſa non requiritur ut, infra *num. 6.* dicemus. Inſuper differunt, quia privilegium datur per modum legis, & ſic ex natura ſua per multum tempus, & ad plures actus extenditur: at diſpenſatio, potius datur per modum præcepti, & ad breve tempus, vel ad unum, vel ad paucos actus, ut diſpenſatio in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, &c. In quo differat privilegium à diſpenſatione.

3. Sed rogabis primo, quæ ſit materia, & forma Materia, &

forma privilegii? ¶ Reſpondetur materiam privilegii debere eſſe honeſtam, & rationabilem, & ſic nullo modo iuri naturali, aut divino adverſam; eſt enim lex quædam privata privilegium, & de ratione legis eſt, ut ſit de materia honeſta, & rationabili ut diximus *in hoc tractatu cap. 1. num. 17.* Debet inſuper eſſe favorabilis; quia hoc eſt de ratione propria privilegii, ut *in eius diffinitione dicebamus, & conſiſtens in aliqua facultate, ad aliquid agendum, vel non agendum, recipiendum, vel non recipiendum, quod non habebatur ex iure communi; cum ſit lex aliquid ſpeciale concedens. ¶ Forma illius, alia eſt intrinſeca; nimirum voluntas concedentis, ex qua tota vis, & vita privilegii dependet. Alia eſt extrinſeca, ſeu externa; nimirum, id per quod talis volutas principis explicatur, ſive ſit ſcriptura, verba, ſeu ſigna, quæ ſint ſufficienter declarativa voluntatis concedentis. Vnde in privilegiis maxime attendendum eſt ad verborum ſignificationem, tam communem, quam juridicam, ut dicemus *hoc capite punct. 6.* cum forma externa privilegii præcipue conſiſtat in verbis externis ſignificantibus conceſſionem alicujus gratiæ.

Forma privilegii declaratur.

4. Rogabis ſecundo, quæ ſit cauſa ſufficiens, & materialis privilegii, ſeu à quo, & quibus concedi poſſit? ¶ Reſpondetur, quod nullus præter legislatorem, poteſt privilegia concedere, & hoc circa materiam ſibi ſubjectam, & circa quam ſubditos cogere poteſt. Et ratio eſt: Nam vel privilegium conceſſum eſt contra jus, vel præter jus: ſi primum: ergo ſolum poteſt concedi ab eo, qui jus condere poteſt: nam privilegium contra jus diſpenſationem permanentem includit, quam nemo præter legislatorem, aut ſucceſſorem in Sede, vel Superiorem concedere valet. Si ſit præter jus, concedens illud cogit vel cogere poteſt per modum legis alios ne uſum impediant privilegii: ergo à ſolo potente condere legem, poteſt privilegium expediri: ergo omnes illi, & ſoli qui poteſtatem habent legislativam poſſunt privilegia concedere, & hoc circa materiam ſibi ſubiectam; aliàs non poſſet alios modo dicto cogere, ne privilegiatum in uſu privilegii impediant. Tambur. *de iure Abbat. tomo primo, diſputatione 16. quæſtione 1. numero ſecundo*, Layman. *libro primo, tractatu 4. cap. 23. num. 14.* Pellizzar. *tomo ſecundo, tractatu 8. capite primo, num. 14.* Bonacin. *de privileg. diſputatione 1. quæſtione 5. punct. 2. numero primo*, Suarez *de legib. lib. 8. cap. 18. numero 2.* Salas *de legib. diſputatione 17. ſect. 3. à num. 17.* Baſſæus *in florib. Theologor. verbo privilegium, capite primo, num. 6. & 7.* Caſtro Palao *tomo primo, tractatu 3. de legibus diſputatione 4. punct. 4. num primo.* Ex quo patet Summum Pontificem, Regem, poſſe privilegia concedere, circa materiam latiſſimam, & juri communi contrariam. Pontifex in ſpiritualibus ubique terrarum, & circa materiam, cuicumque juri Eccleſiaſtico ſubjectam: in temporalibus autem, ſolum quoad terras dominio temporali Eccleſiæ ſubjectas: & ſimiliter Rex in temporalibus, quoad provincias in ſua ditione contentas: Epiſcopi autem, & Magiſtratus, vel alii prælati ſolum quoad territorium ſibi competens, & circa materiam, circa quam leges ſanxerunt, vel condere poſſunt.

A quo, & quibus privilegium concedi valet.

5. Ex quo ſequitur, quod privilegia diſpenſativa legis, ſeu quæ ſint contractus, ſolum conferri poſſunt à Principe propriis ſubditis; quia illos dumtaxat leges illius obligant, a quibus eximuntur per privilegia. Si autem privilegium ſit alicujus facultatis conceſſivum; etiam non ſubditis impendi poteſt, dummodo ſit de materia Principi ſubjecta: poteſt enim Rex tam ſubditis quam exteris aliquos contractus permittere, aliis prohibitos, & facultatem concedere arma, cibos, & alia extrahendi, quæ aliis non ſunt permiſſa, & ſic plura privilegia ſunt conceſſa Religioſis, & clericis à Principibus ſæcularibus, tametſi eorum non ſint ſubditi; non enim privilegium obligat, aut ligat privilegiatum ad utendum illo, ſed alios, ne illum ab uſu impediant. Vnde ſicut non ſubditus, capax eſt donationis à Principe factæ; ſic etiam privilegiis, quod eſt quædam donatio gratiæ, & favoris. Sed quia reſpectu aliorum, vim legis habet privilegium, obligantis, ne illius uſum perturbent; ob id diximus, debere eſſe de materia principi ſubjecta, circa quam ſubditos cogere poteſt. Sic authores citati *numero præced.*

Non ſubditis poteſt Princeps aliqua concedere privilegia.

6. Rogabis tertio, an ad licitam, & validam privilegii conceſſionem, aliqua cauſa requiratur? ¶ Reſpondetur quod, ut licitè privilegium concedatur, aliqua cauſa juſta, & honeſta requiritur; at ſi abſque illa concedatur, valida erit talis conceſſio, licet non licita. Prima pars probatur: quia vel privilegium eſt derogativum legis, vel juris tertii; & ſic requiritur aliqua iuſta cauſa ut licitè impendatur; quia eſt quædam diſpenſatio legis, quæ abſque iuſta cauſa illicitè confertur: & tunc eſt contra juſtitiam diſtributivam, aliquos eximere, ex quo plus alii graventur, abſque rationabili cauſa; & multo magis ſi privilegium juri alterius tertii derog t, in quo alteri damnum infertur. Vel eſt purum beneficium principis, & etiam hoc juſtam exigit cauſam, pro ſui conceſſione: quia licet non ſit contra legem aut jus tertii, argueretur Princeps de vitio prodigalitatis, & acceptationis perſonarum, aliiſque invidiæ, & perturbationis fomitem miniſtraret. ¶ Quæ autem ſint cauſæ ſufficientes, pro tali conceſſione? vide quæ diximus *tract. 11. de legib. cap. 5. num. 73.* Pro diſpenſationibus, quæ applicari poſſunt privilegiis, illud certum iudicamus ſufficere pro cauſa, bonum privatum; cum privilegium ſit lex privata, & etiam remunerationem ſcientiæ, virtutis, &c. quia hoc etiam cedit immediatè in bonum commune, & aliquando, quod Princeps ſe mittem, & liberalem oſtendat, ut diximus de diſpenſatione *ibid.* & ſemper, ac Princeps privilegium concedit, præſumendum eſt, ex juſta cauſa procedere; cum in eo non debeat præſumi delictum, præcipuè ſi ex proprio motu, & certa ſcientia procedat. Et quando bona fide, ſubditus illud petit, tutus in conſcientia poteſt eſſe, utendo illo, hoc ipſo, quod princeps concedat; cum præſumere debeat, ex juſte cauſa illud conceſſiſſe. Sic authores citandi *num. ſeq.*

Pro valida privilegii conceſſione, non requiritur aliqua cauſa, bene tamen pro licita.

7. Secunda vero pars, quoad validam privilegii conceſſionem, non requiritur cauſa, ſive ſit purum beneficium, ſive contra jus, ſic probatur. Quia ſemper eſt de re, quæ ex ſola voluntate principis, legem ferentis dependet: unde, ſicut ipſe poterit, vel legem tollere: vel coarctare; etiam abſque ulla cauſa, ſic

Valor privilegii abſque cauſa expeditum.

poteſt per privilegium, aliquos ab obligatione legis eximere; uti de diſpenſatione à legiſlatore, vel Superiore conceſſa, *diximus locis citatis num.*63. Quod etiam tenuimus, *tom.* 2. *tract.* 9. *de matrimonio capite* 14. *à numero* 20. & docent Suarez *lib.*8. *de legib. diſputatione* 17. *ſect.* 4. *numero* 29. Palaus *de legib. tract.*3. *diſputatione* 4. *punct.*5. *numero* 1. *&* 2. Noſt. Antonius à Spiritu ſancto *in Direct. regular. tract.*1. *diſputatione* 1. *numero* 24. Noſter Petrus ab Angelis *in ſpeculo privileg. diſputatione* 7. *ac* 9. *num.*3. An vero ceſſante cauſa, ob quam privilegium eſt conceſſum, ceſſet ipſum privilegium? diximus *loco citato de matrimonio, num.*27. & *de legib. num.* 88. *& cap. ſequenti etiam dicemus.* Quæ autem occultatio cauſæ, vel falſa illius narratio vitiet reſcriptum, faciatque privilegium invalidum, diximus loco citato, de matrimonio, agentes de diſpenſationibus, pro impedimentis illius *cap.*14. *num.*31. quæ modo non oportet repetere.

Non requiritur clauſula derogatoria iuris, ut privilegium contra ius concedatur.

8. Rogabis quarto. An ſit de ratione privilegii, quod eſt contra jus, ſeu quod ab obſervatione legis eximit, ut in eius conceſſione, per formalia verba derogetur juri communi? ¶ Reſpondetur neg[illegible]e: ſi privilegium non poteſt habere effectum, niſi derogando juri communi, vel niſi jus commune reſiſtat privilegio, cum clauſula, *non obſtantibus quibuſcunque privilegiis in contrarium.* Vel denique niſi privilegium ſit contra conſuetudinem aliquam: aut legem municipalem, cui non cenſetur Princeps derogare, niſi de illa expreſſam mentionem faciat, cum clauſula derogativa illius. Plures partes habet aſſertio, ſingulas probabimus. Probatur in primis, privilegium contra jus commune, non qualificatum per clauſulam reſiſtentem privilegiis, non indigere ad ſui valorem, clauſula derogativa juris communis; nimirum, *nonobſtante quacunque lege in contrarium.* Quia princeps non præſumitur ignorare jus commune, *cap.* 1. *de conſtitutionibus in* 6. ergo dans contra illud privilegium, in actu exercito, vult illi derogare: alias præſumeretur nihil efficere velle, ſed tantum conceſſionem inutilem facere, & conſtat, *ex cap. in his de privilegiis.* Vbi reiicitur quædam interpretatio privilegii, per quam inutile reddebatur. Quare ſive ex certa ſcientia, ſive ex motu proprio, privilegium ſit conceſſum, ſive non, abſque clauſula derogatoria *nonobſtantibus* ſuum habebit effectum. Tambur. *de iure Abbat. tom.*1. *diſp.* 16. *quæſit.* 7. *num.* 1. *&* 3. Portel. *in dubiis regular. verbo privilegium num.*13. Palaus *ſupra punct.* 10. *num.* 9. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.*1. *num.*13. Suarez *lib.* 8. *cap.*14. *n.*4. *&* 5. Aotonius à Spiritu ſancto *loco cit. num.*26. Sed hoc ut diximus, niſi privilegium non poſſit aliquem effectum ſortiri abſque tali derogatione Si vero poteſt eſſe utile abſque illa, noo habet vim derogandi juri communi, niſi cum clauſula expreſſa illud extendente, etiam contra jus commune, ut docent prædicti authotes. ¶ Ex quo infertur privilegium, quod uni juri derogat, non eſſe extendendum contra alterum, ſi cootra læſionem alterius utile eſſe poteſt.

Quando clauſula revocatoria iuris communis requiratur in privilegio?

9. Secunda verò pars reſolutionis, nimirum quod ſi jus commune ſit qualificatum & munitum per clauſulam reſiſtentem privilegiis, ut ſunt plura decreta Tridentini in quibus clauſula *nonobſtantibus, quibuſcumque privilegiis, &c.* reperitur; debeat per clauſulam derogatoriam juris communis eſſe qualificatum (niſi ex certa ſcientia, & motu proprio expeditum, ut intra hoc *cap. num.*40. dicemus) ut vim habeat. Probatur: quia quando jus reſiſtit privilegiis derogando, ſeu revocando illa, niſi privilegium, huic juri deroget, cum clauſula dicta fortificato, nullum robur habebit: quia clauſula illa juris communis, omois efficacia privilegiis tollitur: & ſic quandiù illi clauſulæ per oppoſitam non derogatur, nullius erit efficaciæ; alias fruſtanea eſſet talis clauſula in jure, ſi per privilegium nudum eius non revocatorium tolleretur. Et hoc verum eſt etiam ſi privilegium redderetur inutile: quia præſumendum eſt Principem nolle iuri communi derogare; hoc ipſo, quod abſque derogatoria, derogatoriæ, illud expediat; ſed tantum ſatisfacere importunitati petentium. Suarez *cap.*14. *n.*16. Palaus *num.*10. Pellizzar. *n.*13. Antonius à Spiritu ſancto *num.*18. Tambur. *num.*4. Portel. *loco citat.* ¶ Sed improbabile non erit, adhuc privilegium habere robur, etiam contra ius, illa clauſula *nonobſtantibus* qualificatum; quia per iſtam clauſulam iuris, ſolum revocantur privilegia ad illud antecedentia, non vero, quæ poſt illud feruntur: & ſic non redditur fruſtratoria, cum deroget antecedentibus privilegiis, contra talem legem, licet adverſus privilegia poſtea concedenda, vim non haberet, quod amplius ex infra dicendis conſtabit.

10. Tertia denique pars, nimirum, quod per privilegium nudum non derogatur conſuetudinibus, vel legibus particularibus, niſi per clauſulam, *nonobſtante quacumque conſuetudine, vel ſtatuto contrario*, fuerit munitum, probatur. Quia Princeps non præſumitur, leges particulares, aut conſuetudines ſcire, ut conſtat ex eodem *capite* 1. *de conſtitutionibus in* 6. *ob idque diximus tract.* 11. *de legib. cap.*4. *num.*14. per legem generalem, non abrogari conſuetudinem, aut legem particularem, niſi de eis fiat expreſſa mentio. Quare, licet ex certa ſcientia, & motu proprio tale privilegium concedat; non præſumitur, per illud velle principem iuribus, aut conſuetudioibus particularibus derogare, niſi cum clauſula derogativa illorum. Sic præcitati authores. Sed hoc intelligendum eſt, dummodo ſtatutum, vel conſuetudo particularis non contrarietur iuri communi; ſi enim illi contrarietur, cum privilegium ſit iuri communi conforme, eſt latè interpretandum; ſiquidem eſt favorabile, & ſic intelligendum eſt contra illud ius municipale, maxime ſi ex motu proprio, & certa ſcientia procedat; quia lata explicatio eius, favet iuri communi, & ſic non eſt reiicienda. Palaus *punct.*10. *numero* 4. Suarez *lib.*8. *cap.*28. *num.*16. Bonacina *de privilegiis diſputatione* 1. *quæſtione* 3. *punct.*7. §.1. *num.* 8. Salas *de legib. diſputatione* 20. *ſect.*10. *num.* 90. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *numero* 146. Tamburin. *tom.* 1. *diſputat.*16. *quæſit.* 5. *num.* 10.

PUNCTUM II.

An privilegiatus, teneatur uti privilegio, ſibi à jure, vel à Principe conceſſo?

11. AD hoc breviter reſpondemus: quod ſi privilegium eſt in commodum particularis, illo non tenetur uti; ſed illi renunciare valet, quia nemo tenetur uti privilegio ſibi conceſſo, eo quod, *quæ in gratiam alicuius, conceſſa ſunt non debent in eius damnum retorqueri regul.* 61. *iuris in* 6. niſi cedat in grave damnum ſuum illo privilegio non uti; ut ſi noo oſtenderet privilegium exemptionis, morte plecteretur, vel niſi cederet in damnum alterius, ut ſi haberet privilegium

Privilegio particulari per ſe nemo tenetur uti.

gium non ſolvendi decimas; eo uti teneretur, ſi per talem ſolutionem redderetur impotens ad ſolvendum creditoribus. Diana *part.9. tract. 1. reſolut.* 19. Baſſæus *in floribus verba privilegium cap.*2. *num.*5. Et idem eſt ſi privilegium, ita ſit in commodum illius, ut eius non uſus cedat per ſe io incommodum alterius; & ſic vxor non poteſt fideiuſſione obligari, abſque conſenſu viri, & filiusfamilias non poteſt debita ſolvere, ſine licentia patris. Salas *diſp.*27. *ſect.*2. *n* 25. Diana & Baſſæus *loca citat.* Pellizzar. *tractat.*8. *capite* 1. *numero* 84. Diximus *per ſe:* ſi enim ex conſequenti dumtaxat, alterius incommodum ſequatur; noo tenetur ob id privilegiatus uti privilegio, ut privilegium per ſe religioni, vel monaſterio conceſſum, ex conſequenti, famulis, & ſervis illius: & privilegium conceſſum domino, & ex conſequenti ipſum commoicantibus, non tenetur eo uti privilegiatus, etiamſi ex conſequenti, ex noo uſu illius, alii ſequatur incommodum, per amiſſionem commodi, quod ex uſu illius conſequi poterant, ut tenent authores citati. Privilegio autem in bonum commune conceſſo, ut privilegia immunitatis Eccleſiaſticis, & alia religioni in communi impenſa, quilibet in particulari tenetur uti, nec illi valet renuntiare: quia non poteſt particularis renuntiare, quod ſibi directe conceſſum non eſt, eſto illo fruatur *Cap. ſi diligeati de toro competenti. Cap. ſi contingat, de ſententia excommunicationis, ut omnes Doctores tenent.*

Quid in hac quæſtione habeatur certum.

12. Sed inquires primo. An quando actus, qui alias erat illicitus, efficitur licitus per privilegium, ſi ille actus legi ſubiiciatur, privilegiatus teneatur uti privilegio? v. g. tempore interdicti illicita eſt auditio Sacri, habet privilegium, vel bullam, qua talis auditio tibi licet; venit dies feſtus, quo auditio ſacri cadit ſub præcepto: teneberis, necne uti privilegio, & audire Sacrum? vel poteris privilegio renuntiando, ab auditione abſtinere? Et idem eſt de aliis exemplis infra aſſignandis ¶ Circa quam quæſtiooem, ut certum ſupponimus, quod ſi impedimentum allatum, ſit mere perſonale, quo ablato vrget lex, & præceptum, tenetur privilegiatus eo uti, & legi ſe conformare. Et in carcere deteotus, & tibi conceditur, ut eas ad Eccleſiam die feſto; teoeris audire Sacrum, quia impedimeotum illud eſt perſonale. Avila *de cenſuris part.*5. *diſp.*4. *ſect.*2. *dub.*6. *num.*54. Noſter Petrus ab Angelis *in ſpeculo privilegiorum diſp.*5. *ſect.*8. *numero* 8. habet mulier nupta votum caſtitatis, quod ante matrimonium, vel poſt illud emiſit, vir eius in adulterium incidit, poſſet alias non recedere ab eo, vel ſi receſſit, cum eo reconciliari; ſed quia ſolum perſonaliter ex conjugio erat impedita, ab obſervatione voti ablato illo impedimento, & adquiſito jure ad recedendum ob adulterium viri, non poteſt cedere privilegio recedendi, ſed debet non remittere conjugi adulterium, & votum ſervare. Palaus *tract.*3. *diſputat.*4. *punct.*7. *num.*3. Sylveſt. *matrimonium* 7. *quæſt.*5. *dict.*6. Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſp.*6. *num.*14. Suarez *de legibus lib.*8. *cap.*23. *num.*8.

Q̃ñdo impedimentũ ex iure cõmuni aufertur, debet privilegiatus uti privilegio, at legem obſervet.

13. Loquimur ergo, quando impedimentum obſtans obſervationi legis eſt commune, ut interdictum quod impedit miſſam dicere, vel audire, niſi hoc habeatur ex privilegio, vel ſi quis eſſet infirmus, incarceratus, aliove modo detentus, & non poſſet ad Eccleſiam accedere pro dicenda, vel audienda miſſa, haberet tamen privilegium, ut eam in oratorio privato dicere, vel audire poſſet; an iſte in utroque caſu poſſet renuntiare tali privilegio, & ab auditione Sacri deſiſtere? Et quidem, ſi privilegium ſit ex iure communi conceſſum, per quod in communi fuit impedimentum ſublatum, haud dubium eſt teneri privilegiatum eo uti, ut præceptum obſerver, ut in feſtivitatibus, in quibus ſuſpenditur interdictum ex iure communi *in capite Alma mater de ſententia excommunicationis.* Et in omnibus diebus, pro Eccleſiaſticis perſonis, pro quibus in prædicto iure, conceditur, ut poſſint dicere, & audire Sacrum, cum conditionibus ibi poſitis, & à nobis *tract.* 10. *de cenſuris* explicatis, ut ibidem *cap.*6. *num.* 64. probavimus, quia iam reſpectu illorum, ex iure commune eſt ablatum impedimentum illud interdicti, & ſic eſt privilegium commune, cui ſinguli renuntiare non poſſunt.

14. Sed quando privatim per privilegium aufertur impedimentum, ut in duplici caſu *numero præcedenti* allegato, per privilegium perſonale, licet plures authores ſatis probabiliter dicant teneri privilegiatum uti in eo caſu privilegio & Sacrum audire, ut præcepto illo die vrgente ſatisfaciat; probabilius oppoſitum duximus loco citato, adductis pro hac ſententia Cornejo, Avila, Victoria, Llamas, Conincho, & Diana. Quod etiam modo aſſerimus: quia melius erit ſe iuri communi conformare cedendo privilegio, & obſervando interdictum, & quia tam iſtud, quod concedit, ut audire Sacrum poſſit tempore interdicti, quam illud ut poſſit illud audire, vel dicere in oratorio privato, eſt privilegium mere perſonale, cui ipſe renuntiare valet; alias in onus cederet, quod in favorem erat conceſſum, & ſic in utroque caſu, non teneri miſſam audire docent Pellizzar. *tom.*2. *tract.*8. *c.*2. *ſect.*2. *num.*134. Diana 9. *part. tract.*1. *reſolut.*19. Eſcobar *in Theolog. Moral. tract.*1. *exam.*11. *c.*11. *n.*97. Merola *tom.*3. *diſp.*6. *cap.* 6. *dub.* 22. *n.*132. Ledeſma *tom.* 1. *de Sacram. Euchar. cap.* 27. *concluſ.*16. Homobon. *in reſponſ. caſuum conſcientiæ volum.*1. *reſp.*41.

Quando teneatur confeſſarius uti privilegio abſolvendi à cenſuris, vel reſervatis.

15. Inquires ſecundo. An habens privilegium abſolvendi, à caſibus vel cenſuris reſervatis, teneatur uti privilegio, & ita abſolvere à caſu, vel cenſura reſervata pœnitentem, cuius confeſſionem audivit, vel illum remittere poſſit ad Superiorem, cui caſus reſervatus eſt? ¶ Aliqui probabiliter docent non teneri pœnitentem nec à cenſura, nec à caſu reſervato abſolvere, Henriquez vero *lib.*7. *de indulgentiis cap.*28. *num.*2. *& in commentario littera I.* diſtinguit inter cenſuram, & caſum reſervatum; & ob hoc dicit teneri eum abſolvere, ne cogat pœnitentem iterum confiteri: ſecus vero à cenſura, à qua, à Superiore extra confeſſionem abſolvi poteſt. Cæterum quis non videat nullum eſſe hoc diſcrimen cum Superior niſi cæco modo procedat, à cenſura non abſolveret: niſi cognito delicto, ob quod in eam cecidit, & ſic cogeretur pœnitens extra confeſſionem, iterum culpam coram Superiore dicere, quod eſt quid durius, & magis abſurdum. Quare dicendum eſt, regulariter teneri confeſſarium uti privilegio, & tam à cenſura, quam à peccato reſervato pœnitentem abſolvere; quia alias cogeret eum his peccatum manifeſtare, quod eſt graviſſimum onus, & incommodum & ut diximus *n.*11. tenetur privilegiatus uti privilegio, quando ex eius non uſu, alteri ſequitur damnum, vel detrimentum. Diximus *regulariter*; quia ob iuſtam, & rationabilem cauſam poteſt confeſſarius privilegio in dicto caſu non uti, ut ſi pœnitens ſæpe in eadem peccata reſervata incidere ſoleat, vel ex alia ſimili cauſa. Quia tunc propriè non dicitur renuntiare privilegio in præjudicium pœnitentis; ſed potius in favorem animæ ipſius, ut in futurum cautior ſit in

committendis talibus peccatis. Angelus *verbo Confeſſ n.28. fine.* Merola *diſput.6. cap.6. diſt.2. num 69.* Rodriguez *in explicat. Bulla cruciata, §.9. n.142.* Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſp.5. ſect.8.n.10.*

PUNCTUM III.

De multiplicitate privilegiorum in communi.

Diverſæ ſpecies privilegiorum recenſentur.

16. NOn agimus in præſenti, de diverſis privilegiis, quæ circa diverſas materias ſunt conceſſa, pluribus, & diverſis perſonis. Hæc enim minimè poſſent ad numerum reduci; ſed in communi, de diverſis ſpeciebus privilegiorum, quorum naturam ſcire neceſſarium eſt, pro dicendis toto hoc tractatu. Dividitur ergo primo privilegium in reale, & perſonale. Secundo in gratioſum, & remuneratorium. Tertio in affirmativum, & negativum. Quarto in generale, & ſingulare. Quinto in favorabile, & odioſum. Sexto in ſcriptum, & non ſcriptum. Septimo in conceſſum pro foro externo, vel ſolum pro foro conſcientiæ. Octavo in abſolutum, & conditionatum. Nono in perſonale, & locale. Primo in temporale, & perpetuum. Quas ſpecies, modo ſuo ordine declarabimus.

Perſonale privilegium explicatur.

17. Igitur ad primam diviſionem deveniendo, ſciendum eſt, quod licet omnia privilegia conveniant præcisè perſonis, quia illæ dumtaxat, capaces ſunt illa recipiendi; aliqua tamen ſunt privilegia, quæ privatis perſonis, ut talibus ſunt conceſſa: & iſta dicuntur *perſonalia.* Alia conceduntur ratione qualitatis inventæ, in perſona, ſeu illi adjunctæ; & talia dicuntur *realia*; quia ratione rei conveniunt perſonæ, ut quæ loco, officio, dignitati, aliiſque ſimilibus annectuntur, quæ non perſonæ ratione ſui, ſed ratione illius rei, quæ eſt in illa conveniunt. Inter quæ plura dantur diſcrimina: unum eſt, quod perſonale privilegium, reſpicit commodum privatum perſonæ, cui proinde ipſe renuntiare poteſt. Reale vero, reſpicit bonum commune, & ſic à particularibus nequit renuntiari. Aliud, quod perſonale ſequitur perſonam, & cum ea ſpirat, non vero tranſit ad alios, *cap. privilegium, de regulis jur. in 6.* Sed reale ſequitur rem, duratque toto tempore, quo res durat, & tranſit ad omnes, in quibus res invenitur, *l. Imperatores, ff. de publicanis.*

Res, cui annectitur privilegium explicatur.

18. Res autem cui annectitur privilegium, aliæ dicuntur corporeæ, ut Eccleſia, Monaſterium, &c. Aliæ incorporeæ, ut Epiſcopatus, Doctoratus, Clericatus, Monachatus, &c. unde omnia privilegia conceſſa Univerſitati, Civitati, Collegio, Monaſterio, &c. ſunt realia; quia licet conveniant ſingularibus perſonis; non vero quatenus ſingulares ſunt, ſeu ratione ipſarum perſonarum, ſed, ut partes ſunt illius communitatis. Unde hoc ipſo, quod deſinant eſſe partes illius, tale privilegium amittunt. Similiter, conceſſa minoribus, pupillis, viduis, militibus, &c. quia reſpiciunt illas perſonas ſingulares, non quatenus tales ſunt, ſed ratione illius qualitatis communis adhærentis. Salas *de legibus, diſp.17. ſect.2.n.9.* Suarez *de legibus, lib.8. c.4. a n.3.* Baſil. *de matrim. lib.8.cap.18.n.4. & 6.* Palaus *tom.1. tract.3. diſp.4. punct.2. §.1. num.2.* ¶ Unde fit, quod cum ferè omnia privilegia conceſſa regularibus, ſint in bonum commune, & per ſe conceſſa, vel toti religioni, vel alicui Provinciæ, conventui, Eccleſiæ, dignitati, vel particularibus non ut talibus; ſed ut unum in communi faciunt, ut quæ conceduntur pro novitiis, confeſſoribus, prædicatoribus, &c. abſque dubio ſunt realia, & perpetua, tranſeuntque de perſona in perſonam, quamvis ſingulares in ea varientur; quia faciunt unum morale, ſicut aquæ fluvii, quarum aliæ decurrunt, aliæ ſuccedunt, unum tamen fluvium conſtituunt. Bordon. *tom.2. reſol.52. art.4.n.13.* Portel. *in dub. regul. verbo privilegium, num.4.* Rodrig. *qq. regul. tom.1.q.16.art.14.* Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſp.1. ſect.1.n.7.*

Omnia privilegia regularium, ſunt realia.

Quomodo ſit cognoſcendum privilegiũ eſſe reale, vel perſonale?

19. ¶ Sed rogabis primo, quando cognoſcendum ſit, quod privilegium conceſſum eſt perſonæ, vel rei illi adhærenti? ¶ Reſpondetur, quod ex ipſis verbis privilegii id erit accipiendum. Si namque per ſe primo dirigantur ad munus, dignitatem, vel officium perſonæ, *ut concedo hoc privilegium Epiſcopo Salmantino, Duci de Alva,* &c. cenſendum eſt regulariter reale, & tranſmitti ad ſucceſſores. Si vero dirigatur ad perſonam, eam nominando, ut ſi dicat, *concedo tibi Petro vel Franciſco*, &c. perſonale. Diximus *regulariter*, eo, quod accidere poteſt, ut materia ipſius privilegii incapax ſit, ut tranſeat ad hæredes, vel ſucceſſores; & tunc erit perſonale, quantumcumque verba ſonent: quia verba debent rebus accommodari. Layman. *lib.1.tract.4. c.23.n.2.* Sanch. *de matrim. lib.8. diſp.27.n.3.* Baſil. *lib.8.c.8.§.1.n.6.* Similiter ſi officium nominetur, ſed conſtat ex verbis, & materia privilegii, concedi ob ſpecialem ſcientiam, & prudentiam, vel ſanctitatem, etiamſi perſona non nominetur, privilegium erit perſonale, ut ſi dicat, *Concedo tibi Epiſcopo Oxomenſi ob prudentiam, ſcientiam, virtutem, nobis notam.* Sanch. *num.3.* Palaus *punct.2. §.1.n.3.* Et idem eſt, ſi expreſſa perſona, aliquid addatur, quo perpetuitas, vel ſucceſſio ad hæredes, denotetur: ut ſi dicat. *Tibi Petro Epiſcopo Salmantino, & ſucceſſoribus tuis*, nam tunc erit reale, non perſonale: & idem eſt ſi dicat, *tibi in perpetuum concedo hanc facultatem*, talis conceſſio eſt realis, & tranſit ad hæredes, quia licet tibi conceſſio facta ſit ſub expreſſo nomine, ſucceſſoribus autem nomine implicito, & virtuali. Et ratio eſt: quia ſi ad ſucceſſores non tranſiret illa poteſtas, particula illa *in perpetuũ* eſſet inutilis, & fruſtranea, quia hoc ipſo, quod ſibi abſolutè conceſſum eſt privilegium ſine ulla reſtrictione, intelligitur pro toto tempore vitæ: ergo ut illa particula *in perpetuum* aliquid operetur, debet ſucceſſoribus illa facultas tranſmitti. Baſil. *lib.8. c.18.n.5.* Palaus *ſupra n.4.* Suar. *de legibus, lib.8. c.3.num.12.* Antonius à Spiritu ſancto *in direct. tract.1.diſp.1.n.5.*

Si privilegiũ ſit favorabile, in dubio judicandum eſt reale, ſi odioſum perſonale.

20. Rogabis ſecundo, an in dubio, utrum privilegium ſit reale, vel perſonale, judicandum ſit eſſe reale, vel perſonale? ut ſi verba tam ad perſonam, quam ad dignitatem referantur, dicendo: *Concedo tibi Epiſcopo Salmanticenſi*, ubi conceſſio ad perſonam, & dignitatem dirigitur, & ambiguum eſt, an ad perſonam tantum ratione ipſius, vel ratione dignitatis dirigatur? ¶ Reſpondetur, quod ſi privilegium ſit favorabile, & nec juri communi, ne alterius tertii adverſum, *reale* judicandum eſt: & ſic extendendum ad ſucceſſores. Tum, quia beneficium

Principis

Principis latè eſt interpretandum. Tum etiam, quia beneficium à Principe conceſſum, debet eſſe manſurum, *r.gul. decet* 13. *juris in* 6. ſi vero ſit odioſum, quia videlicet, vel eſt contra jus alterius, vel contra jus commune, ſtrictè eſt interpretandum, judicandumque *perſonale*, tranſiens cum perſona: quia quæ à jure communi exorbitant, & ſic odioſa ſunt, ſtrictè debent interpretari. Hieronym. Garcia *in polit. regul. tom.*1. *tract.*8. *ſſ.*1. *dub.*2. Diana 4. *parte, tract.*3. *reſolut.*51. Portel. *verbo privilegium, n.*4. Salas *diſp.*7. *ſect.*6. Sanchez *lib.*8. *diſp.*1. *num.*1. *fine, & num.* 4. Suarez *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 18. Antonius à Spiritu ſancto *tract.*1. *diſp.*1. *num.*6. Petrus ab Angelis *diſp.*1. *ſect.*1. *num.*5. Bonac. *diſp.*1. *quæſt.*3. *punct.*1. *num.*7. Advertunt tamen hi authores, quod, qui habet majorem probabilitatem eſſe privilegium *reale*, non *perſonale*, vel econtra, pro parte majoris probabilitatis ſtare deberet; quia illa major probabilitas, eſt quædam moralis certitudo, & majus jus confert: addit vero Palaus, *tract.*3. *diſputat.* 4. *punct.*2. §.1. *num.* 7. Quod etiam, qui haberet pro una parte majorem probabilitatem, ſi pro alia habeat probabilem ſententiam, poteſt quam maluerit ſequi: quia id, quod eſt probabile, in ea ratione, qua eſt probabile, prudenter poteſt illi conformari.

Aliqua adduntur doctrinæ præcedentis.

21. ¶ Addunt tamen Suarez, Bonacina, Salas, Palaus, Baſſæus, Portel. Lezana, & Garcia, *locis citatis*, quod ſi poſſidenti privilegium, ut *reale* oriatur dubium, an ſit perſonale, & diligenter re examinata, adhuc dubium perſiſtit, poterit illud *reale* reputare: quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis. ¶ Adverte tamen, quod ſi privilegium ſit in favorem Religionis, & cauſæ piæ expeditum, tametſi juri communi deroget; latè eſt interpretandum, & ſic in caſu dubii reale, præſumendum: *Quia ſummum ius, eſt quod pro Religione facit, l.ſi perſona, ff.de relig. & ſumptib.* tenet Suarez *cap.*27. *num.*7. Garcia *loc. cit.* Palaus *num.* 5. Laurentius Peyrinis *tom.*1. *privil. ad conſtit.*10. *Clement.VIII. num.*12. & huius generis ſunt privilegia omnia regularibus conceſſa, quæ late interpretanda ſunt, ut dicemus infra. Ob idque judicanda ſunt realia in caſu dubii, ut tenent Hieronymus Garcia *loco citato dub.*2. Henriquez *lib.*7. *de Indulgentiis cap.*30. §.1. Rodriguez *qq. Regular. tom.*1. *quæſt.*11. *art.*5. Sanchez *conſil. tom.*2. *lib.*6. *cap.*9. *dub.*1. *num.*40. Hynoloſa *in director. deciſ. regul. verbo privilegium*, §. *& ſitu.*

Explicatur privilegium remuneratorium, & gratioſum.

22. Secundo dividitur privilegium, in *gratioſum*, & *remuneratorium*. Illud eſt in quo non habetur reſpectus ad aliqua merita ut talia, hoc quod in premium, & ſatisfactionem ejus, parentum, vel conſanguineorum eſt conceſſum. Nam dupliciter ſe poteſt princeps habere in expeditione privilegii: vel purè gratioſè, quod non tollit reſpicere ad merita privilegiati, tanquam ad cauſam impellentem, ſeu moventem ad conceſſionem; non tamen attendere ad merita ut merita, in quorum ſatisfactionem, & præmium intenditur privilegium concedi, vel ob talia merita, & in eorum quaſi ſolutionem, & præmium; & hoc dicitur *remuneratorium*, illud *gratioſum*. Palaus *tract.*3. *diſp.* 4. *punct.*2. §.3. *num.*1. Pellizzar. *tract.*8. *cap.*1. *num.*2. Anton. à Spir. ſancto *tract.*1. *diſp.*1. *num.*7. & ad hoc cognoſcendum non ſufficit mentio generalis meritorum; ſed requiritur ſpecialis, ita ut expreſſe dicatur, *ob hæc, & illa merita, concedimus tibi præſens privilegium*, ut inquiunt Pellizzar. *loc. cit. n.*2. Petrus ab Angelis *diſp.*4. *ſect.*1. *n.*6. Palaus *punct.*21. §.1. *n.*6.

Omnia privilegia regularium ſunt remuneratoria.

23. ¶ Hinc colliges omnia privilegia regularium eſſe remuneratoria, ſiquidem conceſſa ſunt intuitu meritorum ipſorum, & eorum fundatorum, & in remunerationem obſequiorum, & laborum, quos in utilitatem, ſplendorem, ac defenſionem Eccleſiæ ſunt perpenſi; ut conſtat ex bulla Sixti IV. emanata 7. Kalend. Auguſt. 1489. in favorem Prædicatorum, ubi inter alia dicitur: *Quos pro eorum ampliſſimis meritis, & uberrimis fructibus, quos in Dei Eccleſiam continuo operantur, præ cæteris paterna charitate dil gimus noſtra conſideratione dirigentes illa eis liberaliter concedimus. &c.* & ex bulla Pii V. ſub dat. 27. Kalend. Iulii 1567. Pro omnibus mendicantibus, ibi: *ac ex inde pro ſuis Sanctis ſtudiis, honeſtiſſimiſque laboribus proque ſalute animarum, ab Apoſtolica Sede, cuius continue pacem ordines ipſis fortiter tutati ſunt, tam ſpiritualia, quam temporalia ſubſidia, ornamentaque ſuſceperint, & accipiunt, &c.* Idem habet Paulus III. in Bulla quæ incipit, *Licet debitum* in conceſſione privilegiorum Societatis Ieſu. Et Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit, *Cum dudum*, pro Carmelitis Diſcalceatis. Et alia Alexandri IV. cuius initium eſt, *Patris æterni benignitas*, pro Prædicatoribus, & Minoribus. Ideoque privilegia regularibus in communi eſſe *remuneratoria*, tenent Rodriguez *qq. regul. tom.*1. *q.*6. *art.*6. Mandoſus *in* 13. *regul. Cancellar. q.*8. *n.*6. Bruno Caſaing. *tom.*1. *privileg. regul. c.*4. *propoſ.*1. Peyrinis *tom.*3. *cap.*4. *num.*24. Bordon. *tom.*2. *reſol.*52. *num.*26. Antonius à Spiritu ſancto *tract.*1. *diſputat.*1. *num.*6. Petrus ab Angelis *in ſpecul. priv. diſp.*4. *ſect.*1. *n.*6. & eſt commune de quo amplius *cap. ſeq.* erit ſermo.

Privilegium affirmativũ non ſemper eſt contra jus, bene tamen privativum.

24. Tertio dividitur privilegium in *affirmativum*, & *negativum*, ratione materiæ privilegii. Illud eſt, quod facultatem concedit ad aliquid faciendum, hoc ad omittendum: ex quo apparet diſcrimen inter utrumque: quod cum actio, de qua eſt privilegium, & poſſit eſſe contra jus; quia illi contraria, vel non conceſſa, ut ingrediendi Monaſteria monialium, comedendi carnes, &c. Et poſſit eſſe præter jus, ut privilegium lucrandi indulgentias, eligendi Confeſſorem, &c. Privilegium *affirmativum*, & poteſt eſſe præter jus, & contra jus; at *negativum* ſemper eſt contra jus certum, vel ſaltem dubium; alias nihil concederet, cum quilibet poſſit omittere, quæ agere non tenetur. Vnde colligunt, Azor *tom.*1. *lib.*5. *cap.*23. *q.*3. Suarez *de legibus, lib.*8. *c.*1. Salas *diſp.*17. *ſect.*1. *num.*5. Palaus *diſp.*4. *punct.*1. *n.*3. Peyrin. *tom.*1. *privileg. conſtitut.* Pyrrhi §.2. *n.*7. Ioannes à Cruce *de ſtatu Relig. lib.*2. *cap.*1. *dub.*1. Baſſæus *in florib. verbo privilegium*, §.1. & 2. Hieronymus Garcias *in Politic. regul. tractat.*8. *diff.*1. *dub.*1. *num.*2. Quod quando privilegium concedit abſolutè facultatem ad aliquid, ad quod jam ex ſe habebat illam, intelligendum eſt, ultra id ad quod habebat facultatem in eodem genere, v.g. dat Pontifex Epiſcopo facultatem ad teſtandum, intelligendum eſt de bonis Eccleſiaſticis; nam de patrimonialibus iam ipſe habebat illam. Concedit Generalis facultatem Priori ſubditum puniendi, vel aliqua bona alienandi, intelligendum eſt, ultra id, ad quod ipſius facultas non erat jam extenſa, quia alias nihil concederet tale privilegium. ¶ Verum eſt

dari

dari etiam privilegia declarativa iuris, vel facultatis jam conceſſæ, ut quando jus dubium eſt, & non obligat, niſi vel ex ignorantia, vel ex ſcrupulo alicuius; & tunc privilegium illi conceſſum, non eſt propriè tale, cum non ſit conceſſio alicuius facultatis, quam antea non haberet; ſed eſt declaratio facultatis incognitæ, quam habebat: operaturque ut ſecure, & abſque ſcrupulo, aut trepidatione operari poſſit. Sic citati.

Privilegium cõmune, & ſingulare explicatur.

25. Quarto dividitur privilegium in *commune, & ſingulare*. Illud eſt, quod immediatè in bonum commune conceditur, quamvis ex conſequenti cedat in commodum particularium; ut quod primo & per ſe, pro communitate expeditur, & inde ad ſingulas perſonas illius communitatis derivatur; non quia ſingulæ, & privatæ perſonæ ſunt; ſed quia ſunt partes illius communitatis, ut privilegia clericis conceſſa ne ad tribunalia ſæcularia trahantur, & omnia, quæ religionibus in commum conceduntur, vel alicui conventui, aut Provinciæ in particulari. Et huic privilegio communi nemo particularis poteſt renuntiare, *cap. ſi diligenti de foro competenti, cap. contingat, de ſententia excommunicationis.* Quia nemo renuntiare poteſt, quod ſibi directè conceſſum non eſt, eſto illo fruatur. ¶ *Singulare* eſt, quod ob commodum perſonæ ſingularis conceditur, etiamſi plutibus concedatur, non ut conſtituunt communitatem, ſed ut ſunt ſingulares perſonæ, ut privilegia Bullæ cruciatæ. Huic autem privilegio, quilibet cedere poteſt, *cap. ad Apoſtolicam de regular. l. ſi quis in conſcribendo, C. de pactis.* Quia ſi in commodum ipſius privilegium eſt expeditum, ipſe Dominus illius conſtituitur, illique proinde poteſt renuntiare, niſi privilegium in gratiam unius, cedat etiam alterius in favorem, & unum ab alio non poſſit ſeparari: quia non poteſt alterius gratiæ cædere, ut privilegium uxoris ut non poſſit obligari fidejuſſione, niſi de conſenſu mariti: & privilegium filiifamilias ut non poſſit debita ſolvere, niſi de conſenſu patris, ſub cujus eſt patria poteſtate, ut *num.* 11. dicebamus, & tenent Bonaciu. *diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 1. *num.* 10. Suarez *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 1. Salas *diſp.* 17. *ſect.* 2. *n.* 24. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 2. §. 4. *n.* 2.

Odioſum, & favorabile privilegium explicatur.

26. Quinto dividitur *in favorabile, & odioſum*. Illud eſt, quod abſolutè concedit aliquam gratiam vel facultatem, ſive ultra jus, ſibi contra jus, ſed in nullius gravamen redundantem, ut faciendi teſtamentum ſine juris ſolemnitate, audiendi Miſſam tempore interdicti, veſcendi carnibus diebus prohibitis, &c. odioſum eſt, quod & ſi privilegiato commodum afferat, aliis præjudicium: ut privilegium non ſolvendi decimas, exemptionis à juriſdictione, habendi plura beneficia, privilegium conceſſum ad lites, maximè ſi ſit ut *remota appellatione procedat*: quia talia favent privilegiato, & reſpectu illius ſunt favorabilia, & ſecundum hanc rationem, inſpectoque dumtaxat favore, poſſunt latè interpretari: aliis vero præjudicium afferunt, & ſic ſunt abſolutè odioſa: ideoque qua parte cedunt in damnum tertii ſunt ſtrictè interpretanda. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 13. Pellizar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 7. Lexana *tom.* 4. *verbo privilegium, num.* 2. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 1. *diſputatione prima, numero decimo,* Suarez *lib.* 8. *cap* 6. *num.* 5. Palaus *tract.* 3. *diſput.* 4. *punct.* 2. §. 4 *n.* 3.

Privilegia regularibus cõceſſa eſſe favorabilia probatur.

27. Etſi fortè quæras, an omnia privilegia regularibus conceſſa in communi ſint favorabilia? ¶ Reſpondetur affirmativè, loquendo de illis, quæ vel religioni in communi, vel communitati alicui, vel conventui in perpetuum conferuntur, etiamſi ſint contra jus commune, vel etiam contra jus Parochiale, vel Epiſcopale. Et probatur primo. ¶ Quia omnia ob piam cauſam religionis, & in remunerationem obſequiorum ſunt conceſſa, ut *num.* 23. dicebamus, *& ſumma ratio eſt, quæ pro religione facit, l. ſicut perſonæ, ff. de relig. & ſumptibus funer.* Secundo, quia ſunt conſtitutiones perpetuæ, quæ non conceduntur uni, aut alteri perſonæ, ſed religioni, quæ perpetua eſt, & nunquam moritur, & ſic habent vim legis, ac ſi eſſent in jure expræſſæ; æquivalentque legibus in jure communi inſertis, quæ favorabiles ſunt. Ob idque licet ante conceſſionem dicantur odioſa, & contra jus commune; conceſſa tamen jam ſunt de iure communi. Tertio, quia nulli præiudicium afferunt, ut latius infrà *num.* 85. dicemus; non quidem Pontifici, quia ipſe poteſt, & ampliare iura, & limitare, & cenſetur iuri ſuo cedere, hoc ipſo, quod privilegia, quæ videntur in eius præiudicium cedere, concedat. Non iuri Epiſcoporum, aut Parochorum, nam læſio ſupponit actum iuſtitiæ, & Papa nullius iuſtitiam lædit: nam cum omnis poteſtas ſpiritualis ab eo dimanet in alios, vel ſaltem eam habeant dependentem ab illo; eam ampliare, vel reſtringere poteſt, per privilegia. Non denique iuri communi, nam ipſa ſunt ius commune, ut iam diximus.

Idipſum alia ratione, & authoribus probatur.

28. Quarto, quia Papa concedendo hæc privilegia, quod intendit per ſe, & principaliter, eſt favorem concedere, licet ex conſequenti, & quaſi per accidens ſequatur damnum alterius, & ſit odioſum illi, ut in privilegio canonis conceſſo Eccleſiaſticis in communi, quod dicitur abſolutè favorabile, in gratiam, & favorem clericorum, licet percutientibus ſit odioſum: & quia in eo principaliter, quod attenditur eſt favor à Principe, & per accidens ſequitur odium aliorum, de hoc non eſt curandum; & ſic eſt abſolutè favorabile: ſimiliter ergo dicendum eſt in præſenti. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſput.* 1. *num.* 16. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 3. *& cap.* 24. *num.* 4. Bonacin. *de privilegiis, diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 5. 6. *&* 7. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 1. *diſput.* 16. *quæſit.* 5. *n.* 14. Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23. *quæſt.* 3. Petrus ab Angelis *diſput.* 1. *ſect.* 2. *num.* 2. Moronus *conſil.* 99. *à n.* 119. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 10. *num.* 5. *&* 6. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *num.* 5. §. *dixi autem.* Pellizar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 142. Suarez *lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 7. Bordon. *tom* 2. *reſolut.* 32. *num.* 26. *& reſolut.* 52. *num.* 18. Quæ doctrina maximè valet in privilegiis, quæ in favorem animarum conceduntur, ut in privilegiis comedendi carnes, ſeu lacticinia tempore prohibito, recitandi ante horam debitam, confitendi, audiendi confeſſiones, vel abſolvendi à caſibus reſervatis, vel eligendi confeſſorem, prædicandi, &c. quia etſi à prima facie videantur in præiudicium Epiſcopi, vel Parochi; hoc præiudicium non eſt conſiderabile; imò non eſt præiudicium, ſed potius Epiſcoporum adiutorium, & levamen. Ut inquit D. Thom. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 5. & Pater Suar. *lib.* 2. *de leg. c.* 34. *n.* 15. & nos latius infrà *num.* 85. & 86. *huius capitis* dicemus.

Non inqui-

29. Sexto dividitur privilegium *in ſcriptum,*

&.

...itus ſcriptura pro foro conſcientiæ, bene tamen pro foro externo, & qualis pro iſto ſufficiat.

& non ſcriptum. Illud eſt quod per ſcripturam conceditur; & licet pro foro conſcientiæ non requiratur ſcriptura, ut jam dicemus, nec aliqua exhibitio privilegii, in forma authentica, ſed ſufficit ſibi conſtare, vel probabiliter de illo judicare, ſive quia ipſe, ore tenus accepit, ſive quia in aliquo libro impreſſam vidit, vel ab aliquo viro docto audivit: & ideo Leo X. conceſſit (prout refert Baſſæus *privilegium* 1. *num.* 8.) minoribus, *ut poſſint in foro conſcientiæ uti omnibus privilegiis conceſſis à ſede Apoſtolica, ſive per Bullas, aut brevia, aut viva vocis oracula, prout in libris ordinis reperiuntur, ac ſi omnia ſpecificè fuiſſent tunc expreſſa. Quæ omnia, pro maiori conſcientiæ ſecuritate, de novo conceſſit.* Attamen ut fidem faciat privilegium pro foro externo, debet exhiberi per ſcripturam authenticam, & ſigillatam Principis ſigillo: Cujus ſi tranſumptum deducere velis, debes citare partem cujus intereſt; alioquin nullam fidem faciet tranſumptum, ſic deductum ex originali. Verumtamen poſt Clementem V. in omnibus privilegiis ſpecialiter conceſſis religionibus, apponunt Pontifices clauſulam, ut tranſumptis eorum, etiam expreſſis habeatur integra fides; ſi ſubſcripta ſunt manu Notarii publici, & munita ſigillo perſonæ in dignitate conſtitutæ. At Iulius II. unum ex his duobus ſufficere conceſſit, in Bulla, quæ incipit. *Nihil eſt, quod ſapius*, prout refertur *in compendio privilegiorum*, §.18. ubi ſic dicit: *Præterea, ut omnia, quæ firmiſſima ſunt, quæ vobis Apoſtolica ſedes elargita eſt proprio motu, & ſcientia, atque de plenitudine poteſtatis, volumus, ſtatuimus, decernimus, ut hæc noſtra conceſſio, & quæcunque alia, vel tibi, vel tuo ordini facta, ſive per ſe, ſive per communicationem, quam fecimus cum aliis ordinibus, eandem omnino vim, ac efficaciam perpetuo habeant, tam in judicio, quam extra judicium, ac ſi plumbo, ſigillo obſignata eſſent. Quod intelligi volumus tam de his, quæ in forma brevis, quam de aliis, quæ per ſupplicationem expedita ſunt: in quibus placuit, ut ſola ſignatura ſufficeret.* Nec hoc privilegium Iulii II. cenſetur revocatum, per hoc quod Pontifices ſequentes utrumque expoſtulent, & ſubſcriptionem Notarii, & ſigillum perſonæ in dignitate conſtitutæ; quia hoc intelligitur, niſi aliud ſit ſpecialiter conceſſum. Rodriguez *quæſt. regul. tomo primo, quæſtione* 8. *articulo ſexto.* Bruno Caſſaing. *tractatu primo, capite tertio, propoſit.* 3. Palaus *tractatu tertio, diſputatione* 4. *punct.* 2. §. 5. *numero primo.* Imò addimus ſufficere, ut exhibeatur privilegium pro foro externo, in forma probante, quod vel ſit ſubſcriptum Notarii, vel alicujus Prælati manu, vel in libris ordinis inſtrumenta reperiantur confecta, vel privilegium reperiatur in aliquo libro impreſſum uti fuit deciſum per ſacram Rotam, & latè probat cum Naldo, & aliis Bordonus *tomo ſecundo, reſolutione* 52. *numero quinquageſimo quarto*, & Nos infrà *n.* 59. latius dicemus.

Poteſt acquiri privilegium per conſuetudinem.

30. Privilegium *non ſcriptum*, eſt quod abſque ſcriptura confertur; neque enim ſcriptura pro privilegio requiritur, ut *num* 58. dicemus, & conſtat *ex cap. inſtitutionis* 25. *quæſt.* 2. *Gloſſa Clement. audium de ſepulturis.* Sufficit ergo, quod ore tenus conceſſum ſit à ſuperiori, quod dicitur *viva vocis oraculum*, ſive per conſuetudinem ſit introductum; & dicitur *privilegium ex conſuetudine.* Sicut enim per conſuetudinem, poteſt jus acquiri ad tributa, vel juriſdictio comparari, *cap. contingat, de foro competenti*; ſic etiam exemptio, & privilegium: ut conſtat *ex cap. ſuper quibuſdam, de verborum ſignificatione.* Conſuetudo namque, ſicut vim habet, vel in totum, vel in partem legem abrogandi, ut diximus *tractatu undecimo, de legibus, capite ſexto, numero trigeſimo ſeptimo*, ita etiam jus novum acquirendi, & talis abrogatio, vel juris acquiſitio privilegium eſt: & ideo in aliquibus privilegiis bullatis, ſolent hæc verba reperiri: *Concedimus, & indulgemus, ut poſſit potiri omnibus, & ſingulis privilegiis, quibus alii fruuntur, quomodolibet ſive de jure, aut conſuetudine.* In quo ſupponunt Pontifices, poſſe per conſuetudinem acquiri privilegium. Ita Suarez *libro octavo, capite ſeptimo, à numero quinto.* Palaus §. 5. *numero ſecundo.* Pellizzar. *tractatu octavo, capite primo, numero vigeſimo tertio.* Antonius à Spiritu ſancto *tractatu primo, diſputatione prima, numero tertio.* Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſputatione ſecunda, ſectione ſecunda, numero vigeſimo octavo.* Bonacin. *diſputatione prima, quæſtione tertia, punct.* 1. *numero tertio*, Bruno *tract.* 1. *cap.* 2. *propoſit.* 3. Salas *diſputatione* 17. *ſectione* 2. *num.* 22. Navar. *lib.* 3. *conſil. conſil.* 15. *de regul. numero quarto*, ubi ſic inquit: *Poſſeſſio, & conſuetudo immemorialis vim habet privilegii; itaut ſi quis allegaret, aliqua ſibi competere ex privilegio Papæ, ad quod probandum litteras Apoſtolicas non haberet, probando conſuetudinem immemorialem, probaret privilegium à ſe allatum, ſecundum omnes.* Quot tempus debeat intercedere, quot actus, ut tale privilegium per conſuetudinem acquiratur? Diximus *tract.* 11. *de legibus, cap.* 6. *num.* 15. & 18. ubi etiam *num.* 31. diximus, quod ut conſuetudo, vel abroget legem præcedentem, vel novam inducat (& idem eſt de privilegio per conſuetudinem acquiſito, vel contra jus, vel præter jus concedente facultatem) non requiritur alius conſenſus Principis, præter jam expreſſum in *cap. ultim. de conſuetudine, & in l. de quibus, ff. de legibus*, quod etiam *tract.* 9. *de matrim. c.* 11. *num.* 28. latè probavimus.

Revocatis privilegiis, non cenſentur revocata per conſuetudinem acquiſita.

31. Sed hic notandum eſt, quod quamvis privilegium ex conſuetudine introductum verè tale ſit; non ob id, quoties revocantur privilegia circa aliquam materiam, cenſentur revocari quæ ſunt alicui ex conſuetudine comparata: quia nomen privilegii, pro privilegio ſpecialiter à Principe conceſſo, communiter accipitur. Et ob id in materia odioſa, qualis eſt revocatio, aut reſtrictio, non debent venire privilegia non à Principe conceſſa ſpecialiter, ſed ex conſuetudine acquiſita. Bonacin. *numero tertio.* Salas *numero vigeſimo ſecundo.* Suarez *numero decimo quinto.* Palaus *numero quinto.* Cæterum ſi fiat extenſio, vel augmentum favorabile, poſſunt conſuetudines, ſub nomine privilegii comprehendi, quia verè privilegia ſunt: & ſic talis favor poteſt illis applicari. Quare per generalem communicationem privilegiorum, de qua agemus *puncto ſeptimo*, non ſolum communicari aliis religionibus omnia privilegia uni ſpecialiter conceſſa; ſed etiam per conſuetudinem acquiſita, deducitur ex Authoribus citatis, & expreſsè docent Noſter Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſputatione ſecunda, ſectione ſecunda, numero vigeſimo octavo,*

& Pater Donatus *tractatu ſeptimo, quaſtione* 16. ab ipſo citatus.

Explicatur privilegium pro foro cõſcientiæ, & externo.

32. Septimo dividitur privilegiom in illud, quod datur *pro foro conſcientiæ* tantum, *& pro foro externo*. Primum ſolum deſervit, ut tuta conſcientia, uti illo poſſit privilegiatus: at nihil in foro externo prodeſt; ſed ita ſe debet gerere externus, ac ſi nullo privilegio gauderet. Privilegium autem *pro ſoro externo* (quod ſemper præſumitur ſi abſolute concedatur niſi aliud conſtet ex verbis, vel materiæ qualitate) tam pro illo, quam pro conſcientiæ foro deſervit, & ſic ſecurus erit in utroque foro, qui per illud operatur. Illa enim particula *pro foro externo* non apponitur ut excludatur forum internum, ſed ut oſtendatur ſuffragari etiam pro externo. Sed hoc intelligendum eſt, ſi privilegium ſit verè tale, & non ſubreptitio quæſitum: iſtud namque licet pro foro externo proficiat, quia in illo judicatur verum, quandiù non conſtat de oppoſito; nititur tamen falſæ præſumptioni, & ſic in foro conſcientiæ, quod veritati nititur prodeſſe non valet. Pellizzarius *tractat*. 8. *capite* 1. *numero* 2. Palaus *loco citat. numero* 4. Quare omnia privilegia regularium, pro utroque foro ſuffragantur, ut conſtat ex bullis Pauli IV. Gregorii XIII. Sixti V. & Clementis VIII. concedentium, ut poſſint illis uti, tam in iudicio, quam extra, tam in foro conſcientiæ, quam externo. Antonius à Spiritu ſancto *tract*. 1. *diſp*. 1. *num*. 18. Bordoo. *tom*. 2. *reſolut*. 52. *num*. 18.

Forum pœnitentiale non eſt ſolum intra Sacramentũ pœnitentiæ.

33. Sed eſt difficultas in præſenti, an quando privilegium conceditur, pro foro pœnitentiali, uti eo poſſit privilegiatus, extra Sacramentum pœnitentiæ? Supponendum eſt triplex forum diſtingui ab authoribus, *contentioſum*, quod dicitur externum: *pœnitentiale*, & *quaſi pœnitentiale*, quod eſt forum conſcientiæ, & hoc non requirere forum Sacramentale, omnes dicunt; cum multa extra illud exerceri poſſint, quæ favorabilia ſunt conſcientiæ, niſi materia privilegii aliud expoſtulet; ut ſi ſit ad tollenda peccata, quæ ſolum auferri poſſunt in foro pœnitentiæ. Hoc ſuppoſito dicimus privilegium *pro foro pœnitentiæ* conceſſum, & ſi aliqui probabiliter dicant non prodeſſe extra confeſſionem Sacramentalem; verius eſt etiam extra Sacramentum prodeſſe, niſi materia aliud expoſtulet, ut quando malum, quod tollendum eſt, non poſſit aliter tolli, niſi per Sacramentalem pœnitentiam, quod ſolum eſt malum culpæ. At ſi ſit malum pœnæ, ut pœnitentia, cenſura &c. quæ tolli poſſunt extra confeſſionem, privilegium pro foro pœnitentiæ conceſſum, prodeſt extra confeſſionem, pro illis malis pœnæ auferendis: quia pœnitentia Eccleſiaſtica ſæpe extra confeſſionem Sacramentalem imponitur, & aufertur; ut cum aliquis ab excommunicatione ſolemniter abſolvitur; talis abſolutio pœnitentialis eſt, & in foro pœnitentiæ datur, & tamen non datur in foro Sacramentali. Sic Sylveſt. Roſſella, & Antonin. Tabien. Quos refert, & ſequitur Suarez *lib*. 8. *de legibus capite* 6. *numero* 25. Palaus *tractat*. 3. *diſputatione* 4. *punct*. 2. §. 5. *numero* 6. Quod adeo verum judicant, ut etiamſi indultum committatur Sacerdoti, confeſſario; non debet od id intelligi exercendum neceſſario in Sacramento pœnitentiæ, quia illis verbis ſolum innuitur qualitas perſonæ eligendæ, non vero, quod actualiter debeat eo uti in confeſſione.

34. Octavo dividitur privilegium *in abſolutum*, & *conditionatum*. Illud dicitur, quod abſque vlla conditione, aut onere conceditur, & impertitur. Hoc vero, quod vel ſub conditione, aut onere alicuius operis faciendi conceditur. Et ſolum eſt difficultas, quando omiſſio operis ſub cuius onere conceditur privilegium, irritet illud? Ad quod dicimus, quod vel opus imponitur per modum *conditionis* rigoroſæ, & tunc fit, quando opus injunctum, antecedere debet ad uſum privilegii; ut pro uſu privilegii bullæ cruciatæ requiritur antecedere eleemoſynæ pro cruciata conceſſionem, & in ſimilibus: & tunc nullum eſt privilegium, non præſtito opere, ſub cuius onere datur; quia privilegium non operatur ultra intentionem concedentis: ſed hoc ipſo, quod concedatur ſub tali conditione, Princeps illi conditioni, ſuam mentem alligavit: ergo, &c. Vel impoſitum fuit per modum *modi* & oneris annexi? Et tunc valet privilegium, etiamſi opus injunctum non apponatur, uti de matrimonio ſub modo, & onere celebrato diximus in eius *tractat. capite* 7. *numero* 5. & tunc per modum *modi* aut *oneris* cenſetur, quando opus injunctum exercendum eſt poſt uſum ipſius privilegii, ut abſolutus à reſervatis, cum obligatione poſtea comparandi, aut hoc vel illud efficiendi, manet vere abſolutus, etiam ſi poſtea non compareat, licet in hoc mortaliter peccet. Virtute privilegii diſpenſatus fuiſti in votis, vel remiſſionem peccatorum obtinuiſti; ſed ſub onere poſtea efficiendi aliqua opera; vel lucratus eſt indulgentiam plenariam impoſitis aliquibus oneribus, etiamſi poſtea hæc non efficias, & diſpenſatus, & abſolotus, & lucratus eſt indulgentiam; quia jam privilegium ſortitum fuit ſuum effectum, & fuit abſolutè datum, & onus ſubſequens imperatur ut onus, non ut conditio: ſicut contrahens cum Petro, ut doceat, ut patrem defendat, manet matrimonium validum, etiamſi Petrus hæc poſtea non exhibeat, ut ibidem diximus. Sic Suarez *lib*. 3. *capite* 13. *à numero* 4. Bonacina *diſputatione* 1. *quæſt*. 3. *punct*. 4. *numero* 2. Azor. 2. *part. lib*. 12. *capite* 5. *quæſt*. 3. Salas *diſputatione* 16. *ſect*. 10. Pellizzar. *tractat*. 5. *capite* 2. *numero* 56. Palaus *diſputatione* 4. *punct*. 2. §. 7. *numero* 2. Antonius à Spiritu ſancto *tract*. 1. *diſputatione* 1. *numero* 31. Ex quo ſequitur, quod ſi in privilegio dicatur, ut poſſit hoc vel illud facere, de conſilio alterius, ſi non petat, non valet privilegium, valebit tamen, ſi petito conſilio, illud non ſequatur, niſi in privilegio nedum conſilium, ſed exigatur conſenſus: quia aliud eſt conſilium ab altero petere, aliud verò eius ſequi conſilium. Suarez *numero* 6. Palaus *numero* 3. *&* 4. Pellizzar. *num*. 22. Salas, & Azor. *loco citato*.

Quando omiſſio operis aſſignati in privilegio illud vitiet.

Mandans implere cõditionem privilegii non vitiet ipſum.

35. Sed excipitur à ſupradicta doctrina (nimirum non valere privilegium niſi conditione impleta, ſub qua fuit expeditum) quando conditio appoſita in privilegio eſt de illis quæ juri communi inſunt; ſi enim talis conditio, de jure non requiratur, ut forma, etiamſi non apponatur, valet privilegium: at non valebit, ſi ut forma à iure communi talis conditio exigitur, niſi ea appoſita: Quare omiſſio talis conditionis, ſolum operabitur, ut valeat, vel non privilegium; ſi ex iure communi talis conditio exigitur vel non ſubſtantiabitur ad actum: quia tunc non intendit Princeps novam formam inducere; ſed certiorem facere, de eo, quod ſecundum ius commune, ſeu

æquitatem

æquitatem favendum eſt. Cujus duplex exemplum reperies; unum *in tract. 10. de cenſuris, c. 2. n. 24.* ubi diximus valere abſolutionem a cenſuris virtute Bullæ cruciatæ, aut Iubilæi, quamvis illicitè fiat, etiamſi impendatur non ſatisfacta parte; tametſi in Iubilæo aut Bulla dicatur poſſe abſolvi *ſatisfacta parte*, & non aliter: quia cum talis conditio habeatur ex jure communi, ad abſolutionem cenſurarum, & non ut forma, & ut validè fiat, ſed ut licitè; non aliter requiritur in privilegio. Secundum habes *tract. 9. de matrim. cap. 3. num.* 101. ubi diximus valere matrimonium celebratum à procuratore, non præmiſſis denuntiationibus, quamvis mandans, ſeu dans illi poteſtatem, non aliter dederit, niſi ut celebret præmiſſis denuntiationibus. Quia cum talis conditio habeatur ex jure communi, ad licitè, non ad validè contrahendum; ſic eſſe appoſitam in mandato, niſi aliud conſtet, eſſe judicandum.

Privilegiũ locale, & perſonale ponuntur.

36. Nono dividitur privilegium *in perſonale, & locale.* De perſonali jam diximus *numero decimo ſeptimo*, *Locale* eſt, quod Eccleſiæ, Collegio, hoſpitali eſt conceſſum, & eſt reale, & ſic tranſit de perſona in perſonam: illoque gaudere poſſunt omnes, qui temporis ſucceſſu monaſterium vel Eccleſiam poſſident; donec omnino deſtructa ſint, ſine ſpe refectionis; nam ſi ſpes ſubſiſtat reparationis, adhuc poſt deſtructionem perdurat privilegium, & cenſetur adhærere ſolo argumento ex *l. æde ſacra, ff. de contrahend. emptionibus*, & Gloſſa *in cap. paſtoralis 7. quæſtione ſecunda*, Layman. *libro primo, tractatu quarto, cap. 23. numero ſecundo.* Lezana *tomo quarto, verb. privileg. numero quarto.* Garcia *in polit. regul. tomo primo, tractatu octavo, ff. 1. dub. 2. num. 1.*

Perpetuum, & tẽporale privilegium explicatur.

37. Decimo dividitur privilegium, *in temporale & perpetuum. Perpetuum eſt*, quod abſolutè, & abſque ulla determinatione temporis conceditur alicui dignitati, religioni Eccleſiæ, Monaſterio, &c. & ſic omne privilegium reale; abſque ulla determinatione temporis datum, *perpetuum* eſt: & ideo, quando princeps vult ad tempus durare illud determinat; proindéque ſi abſolutè expediatur, in perpetuum expediri cenſetur. *Temporale* eſt, quod vel pro temporis duratione datur, vel particularibus perſonis, ut talibus conceditur; quia ut diximus *numero decimo octavo*, privilegium perſonale, ſolum ſequitur perſonam, & cum ea extinguitur: Durat tamen pro vita illius, (niſi aliud exprimatur) hoc ipſo, quod abſolutè concedatur; ob idque dicitur *vitale.* Sic communiter Doctores.

PUNCTUM IV.

Diverſæ clauſulæ explanantur, quæ ſolent in privilegiis Pontificum reperiri, vel in eorum confirmationibus, & revocationibus.

Clauſulæ frequentes recenſentur.

38. Præter diverſas ſpecies privilegiorum, quas *puncto præcedenti* explicuimus, dantur aliæ quaſi ſpecies eorum, quæ proveniunt ex diverſis verborum formulis, quibus conferuntur, revocantur vel confirmantur, quas oportet ſcire. Quia cum tota vis privilegii, ex verbis, quibus expeditur dependeat; neceſſarium eſt ſcire quid hæc vel illa verba ſignificent, ſub quorum tenore ſolent frequenter concedi. Frequentiores formulæ, ſeu clauſulæ ſunt iſtæ. *Ad inſtar, ex motu proprio, ac certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis, appellatione ſemota, non obſtantibus, dummodo non ex confidentia, vel non cenſeantur revocata niſi de iiſdem de verbo ad verbum mentio fiat, quorum tenores, quatenus ſunt in uſu, quatenus ſacris canonibus ac decretis Tridentini non adverſantur, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, prorſus eximimus ac totaliter liberamus, decernimus irritum, &c. ex tunc prout ex nunc: non ſint commiſſa in contemptum clavium, per quas omnes breviter pertranſibimus.*

De privilegio ad inſtar.

Explicatur privilegiũ ad inſtar, & variæ eius cõditiones.

39. Illud dicitur privilegium *ad inſtar*, quod ad ſimilitudinem, & exemplum alterius conceſſum eſt, ut ſi conceſſo alteri privilegio, tibi dicatur, *concedo tibi privilegium idem, quod Petro conceſſi*, hoc ad inſtar illius eſt expeditum; itaut omnem limitationem, & extenſionem, quam habuerit Petri privilegium habeat tuum. Pellizzar. *tract. 8. capite primo, num. 23.* Garcia *tractatu 8. diff. 1. dub. 3. numero primo.* Bonacin. *diſputatione prima, quæſtione tertia, punct. 7. §. 1. num. 20.* Quare ad valorem privilegii *ad inſtar*, requiritur neceſſario, ut privilegium illud ad cujus ſimilitudinem eſt conceſſum, habeat ab initio effectum, & valorem, & ſit verè privilegium; aliàs nulla erit conceſſio. Suarez *de legibus, lib. 8. cap. 15. num. 2.* Palaus *tractatu 3. diſputatione 4. punct. 2. §. 8. numero primo.* Bonacin. & Garcia *loco citato.* Qui hoc bene limitant, quando princeps in hoc privilegio *ad inſtar* expreſſit quid concedat, dicendo; *Concedo tibi hanc facultatem diſpenſandi in votis, carnes comedendi, &c. ſicut habet Petrus.* Tunc licet Petri privilegium ſit nullum, tibi conceſſum valet: quia conceſſio facta, ſatiſque explicata, per illam particulam ad ſimilitudinem, non irritatur; non enim apponitur ut conditio, ſed exempli gratia. ¶ Similiter ſi Petri privilegium, aliquando fuit validum, & firmum, & amiſſum fuit, & diminutum, aut renuntiatione, aut alio modo; privilegium *ad inſtar*, etiam generaliter conceſſum, abſque explicatione materiæ, firmum perſeverat; quia conceſſio facta videtur ad inſtar illius fieri, quod Petro conceſſum fuit, & exiſtimabatur haberi. Pellizzar. *num. 25.* Palaus *numero quarto.* Ex quo inferes, quod ſi aliqua religio extinguatur, cui conceſſum fuit aliquod privilegium; aliæ, quæ cum illa communicabant, quibus proinde ad inſtar fuit conceſſum, illo perfruantur, ut *puncto ſeptimo*, dicemus. ¶ Ac denique ſi auferatur, diminuatur, aut omnino tollatur privilegium exemplare, poſt conceſſum *ad inſtar*; non ob id iſtud diminuitur aut tollitur: quia ſolum dependet ab exemplari in fieri, non in conſervari, eo quod voluntas concedendi privilegium *ad inſtar* ſolum attendit privilegium Petri in exemplum, ſecundum ſtatum, quem habebat tempore conceſſionis: & ſic ex variatione poſtea ſubſequenti in exemplare, non variatur privilegium *ad inſtar.* Lezana *tom. 4. verbo privilegium, num. 24.* Garcia *u. ſ.*

Peytin. *tom.1. privileg.* Pyrrhi §. 11. *num.52.* Portel. *in dub. regular. verbo privilegium, num.17.* Rodriguez *quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 9. art. 9.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 1. diſputatione prima, num.34.*

Ex motu proprio.

Diverſitas inter privilegium ex motu proprio cõceſſum, & ad inſtantiam partis.

40. Privilegium *ex motu proprio* conceſſum, differt ab eo, quod conceditur *ad inſtantiam partis*; quia iſtud conceditur, quandn propter inſtantiam privilegiati, vel alterius ejus partes gerentis conceditur à Principe, alias nnn conceſſuro: illud, quod Princeps à ſe motus independenter à qualibet interceſſione concedit. Nec ob id à tali gratia, vel privilegii conceſſione excluditur petitin privilegiati; poteſt namque ab en peti, & tamen privilegium non eapediri ob ejus petitionem, tanquam per cauſam formalem, ſed ex mera vnluntate Principis, quia conceditur ex ejus voluntate ſicut eſt petitum; non quia petitum eſt. Sanchez *de matrimon. lib.8. diſput.1. num.6.* Suarez *lib.8. de legibus, cap.12. num.6. & 7.* Cæterum, quia talis motin, & voluntas Principis, non poteſt conſtare niſi ex ejus expreſſione; quia continet univerſalem negativam, nimirum, ex nullo alio motum eſſe, cujus probario eſt moraliter impoſſibilis, nunquam gratia cenſenda eſt *motu proprio* conceſſa, niſi hoc in ipſa conceſſione exprimatur, ut conſtat ex *cap. ſi motu proprio de prebendis in 6.* & tenent Layman. *lib.1. tract.4. cap.23. num.8.* Palaus *tract.3. diſp.4. punct.2. §.6. num.2.* ¶ Triplex datur diſcrimen inter privilegium *ex motu proprio*, & *ad inſtantiam partis*. Primom, quod cæteris paribus, illud ſemper eſt favnrabilius: hoc vero magis odioſum, præſertim ſi gratia inſolita ſit, & extraordinaria. Secundum, quod quando privilegium motu proprin conceditur, ordinariè ſuum effectum non ante cnnſequitur, quam privilegiato innoteſcat, *cap. ſi tibi abſenti de prebendis in 6.* Privilegium autem, quod in gratiam petentis, per litteras, vel procuratorem conceditur; ſtatim ſuum effectum ſortitur, cum conferens annuit, vel voluntatem ſuam ſignificavit, etiam adhuc ignorante eo, qui poſtulavit. Sylveſter *verbo privilegium, quæſt. ultim.* Baſſæus *eodem verbo, §.1. num.5. & 9.* Pellizar. *tract.8. c.1. n.8.* Sanchez *lib.3. de matrim. diſput.36. n.6.* & Nos infrà *n.69.* dicemus.

Quãdo privilegium ex motu proprio expeditum, excludat ſubreptionem.

41. Tertium diſcrimen, ab aliquibus abſolutè aſſignatur, nimirum, quod privilegium *motu proprio* expeditum excludit omnem ſubreptionem, vel ſaltem præſumptionem illius: ſecus ſi ad inſtantiam partis cnncedatur ut colligitur, ex *cap. ſi motu, de prebendis in 6.* Sed hoc cum grano ſalis eſt accipiendum. Vitium namque ſubreptionis, poteſt provenire, vel ex taciturnitate veritatis alioqui explicandæ, ut ſi petens privilegium non exprimat ea, ſine quibus non ſolet juxta ſtylum curiæ concedi; quibus cognitis, fortè non concederetur. Et hoc vitium ſubreptionis, per clauſulam ex motu proprio, tollitur: quia tunc cenſetur Principem à ſe ipſo motum conceſſiſſe, & velle ſupplere defectum ex parte informationis defectuoſæ. Vel poteſt provenire ex falſæ cauſæ expreſſione, qua non ſtante, non ſolet concedi; ut ſi in petitione diſpenſationis dicatur puellam pati jacturam honoris, vel eſſe pauperem, vel manſuram innuptam; quod re ipſa falſum erat: tunc clauſula motus proprii, non tollit hanc ſubreptionem: quia quando falſa cauſa exprimitur, ſatis conſtat principem, illa informatum eſſe, & ex falſa informatione proceſſiſſe, & nnn cenſetur concedere privilegium, niſi quatenus judicat rem, ſic ſe habere. Cum ergo aliter ſit, ac ipſe exiſtimat, efficitur non habere intentionem concedendi, & ſic eſſe nullum privilegium. Menochius *libro ſecundo, de arbitrar. centur. 3. caſu 201. num. 80.* Sanchez *lib. 8. de matrimon. diſput.21. num.47. & 52.* Barboſ. *de clauſul. clauſul. 79. num.19.* Pellizzar. *num.18.* Palaus §. 6. *num.5. & 7.* Layman. *ſuprà num.8.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 1. diſputat. 1. num. 81.* ¶ Et ſimiliter non validatur gratia, etiam ex motu proprio conceſſa, ſi ex aliis capitibus ſit ſubreptitia, vel nulla, vel ratione perſonæ; ut ſi alioqui inhabili concedatur, nimirum ſi beneficium impendatur excommunicato, illegitimo, puero, &c. non obtenta prius diſpenſatione: quia hæc clauſula *motu proprio* ſignificat concedentem moveri à ſe, nnn ab alio, in conceſſione; non vero ſe diſpenſare in impedimentis, vel in inhabilitatibus, ſi quæ exiſtont. Sic citati Authores, cum Suarez *lib.8. de legibus, cap.12. num.14. fine.* Vel ex parte materiæ; ut ſi in præjudicium tertii expediatur: quia non cenſendum eſt concedentem velle juri acquiſito derogare, niſi illius faciat mentionem. Et idem eſt, ob eandem rationem, ſi privilegium ſit adverſus conſuetudinem, vel legem particularem. Sic omnes citati Authores.

Ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis.

Clauſula ex certa ſcientia declaratur, & eius effectus.

42. Hæc duo ferè coïncidunt, & eandem vim habere, omnes uno ore proclamant; de quibus infra plura dicemus. Igitur privilegium expediri poteſt, *vel in forma communi*, vel *ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis.* In forma communi expeditur, quando Pontifex de negotio non bene inſtructus confirmat contractum, vel privilegium in eo ſtatu, & prout antea erat, *cap. quia diverſitatem de conceſſione prebendæ.* Et ſic nec confirmat contractum nullum, aut privilegium, neque ei novum robur adjicit. *Ex certa ſcientia* concedens præſumitur procedere cum plena notitia illius negotii, & omnium circunſtantiarum: ideo confirmat actum; alias ex defectu alicujus circunſtantiæ nullum, eique addit novum robur, tribuitque validitatem, *cap.1. de tranſact.* & ſic *ex certa ſcientia*, quæ valuerunt, approbantur; quæ valida non ſunt, recipiunt robur ex confirmatione. Tamburin. *tomo primo, de jure Abbatum, diſputatione 18. quæſtione prima, numero ſeptimo*, Barboſ. *in collect. ad caput cum dilecta, numero decimo octavo, de confirmationibus.* Et ſtante hac clauſula, contraria omnia cenſentur ſublata, abſque alia derogatione, vel clauſula non obſtante. Barboſ. *de clauſula uſu frequentibus, clauſula 59. numero duodecimo,* Tambur. *ſuprà quæſit. 6. numero decimo quinto.* Qui addunt, quod pariter operatur, ut id, quod confirmatur, ſi non fuit ſolemne, reddatur ſolemne; itaut det robur quoad ſolemnitatem, ſicut quoad validitatem; & ideo ſupplet omnes defectus ſolemnitatis, non provenientes à natura,

tuta; quia Papa poteſt juris ſolemnitates ſupplere, ſententiamque ſine ordine judiciale prolatam, confirmare; ſupplendo juris poſitivi defectus, non tamen iuris naturalis. *Abbas cap. ex litteris, de fide inſtrum. cap: ea quæ deſunt de re iudicata.* In tertii vero præjudicium nihil operatur, maxime ſi ſit in re alicuius momenti: neque etiam in his, quæ in facto conſiſtunt, de quibus Princeps non præſumitur habuiſſe notitiam. Sanchez *lib.8. de matrim.diſp.4. num.6.* Barboſ.*clauſ.59.n.34.*Ant.à Spir.S. *tract.1.diſp.2. num.82.*

Quãdo ponitur clauſula de plenitudine poteſtatis.

43. Idem ut diximus operatur clauſula *de plenitudine poteſtatis*, & addit ut ea poſita nihil operari poſſet contra privilegium. Barboſ. *clauſul.41. num.x1.* Tambur. *quæſt.6. num.29.* & ſic de poteſtate abſoluta rem minus validam, reddit validam, & efficit quod nullus inferior ordinarius poſſit de validitate illius rei, amplius cognoſcere, & quod ſi quis juſte non poſſideat, incipiat iuſte poſſidere, & habet vim novæ conceſſionis, ut ex Gloſſa, & Felino probat Archangel. *lib.1. cap.4.* ſed iſtæ clauſulæ ſolum habent vim novæ conceſſionis; quando privilegium fuit validum à principio,& poſt ex revocatum, vel abrogatum fuit. Nam ſi privilegium fuit nullum à principio,& ſubreptitium; per ſequentem confirmationem his clauſulis munitam non confirmatur, niſi expreſſe dicatur, *Non obſtante falſitate, & ſubreptione.* Circa quæ plura dicemus infra *cap.3.* cum de Confirmatione privilegiorum agamus.

Appellatione ſemota.

Quãdo ponitur clauſula, *appellatione ſemota.*

44. Iſta clauſula non excludit appellationem, à ſententia interlocutoria; ſed diffinitiva, ut diximus *hoc volum.tract.15. cap.7. punct.1.* & tenet Tambur. *tom.1. diſp.28. quæſt.6. num.60.* licet aliqui, etiam ad interlocutoriam, extendi aſſerant. Hieronym.Garcia *in Politio.regul.tom.1. tract.8 diff.1.dub.6 num.18.* Sanchez *conſil.tom.2. lib.6.c.3. dub.x.num.24.* Lezana *tom.3.verbo clauſul.num.10.* & non intelligitur ut ſolum frivolam appellationem excludat, ſed etiam legitimam. Frivola enim, ex jure ipſo eſt rejecta,ut ibidem diximus; & ideo ut clauſula aliquid operetur utramque excludere, eſt judicandum. Tambur. *num.57.* Peyrin. *in expoſitione 7. conſt. Iulii II. num.3.tit.1.*Rodriguez *qq.regul.tom.1. quæſt.8. art.13.* & hoc intelligendum eſt, niſi ſit clara & manifeſta iniuſtitia, in re gravi, & multum oneroſe gravans, ut ibidem *num.17.* probavimus, & tenent citati authores. Eodem modo, quo totaliter appellatio per iſtam clauſulam, etiam recuſationem tolli cenſendum eſt: quia recuſatio, & appellatio eodem modo in jure excluduntur, vel admittuntur, juxta dicta *loco citato num.21.* ubi plura diximus de appellationibus, quæ per privilegia regularium, ſunt Religioſis prohibita.

Non obſtantibus, &c.

Quãdo ponitur clauſula non obſtantibus.

45. Huius clauſulæ effectus eſt tollere omnia, quæ diſpoſitioni in qua eſt poſita, obſtare poſſunt: ſed quando dicitur in decretis *non obſtantibus privilegiis in contrarium*, non cenſentur revocata privilegia inſerta in corpore juris, niſi dicatur, *non obſtantibus omnibus, & ſingulis privilegiis.* Nam iſtæ dictiones, *omnes & ſingula*, adeo efficaces ſunt, ut etiam privilegia juris communis contineant, & quæ aliàs comprehenſæ non erant. Bordon.*tom.2.reſol.5x. num 13.* Antonius à Spiritu ſancto *tractatu 1. diſp.2. num 85.* Nec etiam extenditur ad privilegia, quæ habent clauſulam, ut revocari non poſſint, niſi de eis fiat expreſſa mentio; niſi addantur alia verba, quibus voluntas derogantis amplius explicetur; nimirum dicendo, *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, ſub quacumque forma conceſſis, vel etiam ſi de verbo ad verbum, debeat de illis mentio fieri*, vel ſi dicat, *non obſtantibus quibuſcumque derogatoriarum derogatoriis.* Quia ſenſus huius clauſulæ eſt, ut per eam revocentur quæcumque privilegia, etiam ſi habeant clauſulam, ut non cenſeantur revocatæ, niſi de illis expreſſa mentio fiat. Lezana *tom.3. verbo clauſula num.42.* Tambur. *quæſt.6. num.37.* ¶ Neque extenditur ad privilegia per modum contractus conceſſa, niſi in ipſa revocatione dicatur, *etiam ſi per modum contractus*, nec derogat privilegiis ad pias cauſas, neque ea, quæ commiſerationis cauſa, ob publicam utilitatem conceſſa ſunt. Barboſ. *de clauſulis clauſur.83. num.18.*Tambur.*num.40.*Lezana *num.44.* Nam vivæ vocis oracula, quæ in odioſis non veniunt nomine privilegiorum; bene tamen in favorabilibus, niſi de eis fiat expreſſa mentio. Barboſ. Tambur. *citat.* Antonius à Spiritu ſancto *num.84.* & idem eſt de privilegiis per conſuetudinem acquiſitis, ob eandem rationem, juxta dicta *num.31.* Nec conceſſa à Conciliis generalibus, niſi de eis expreſſa mentio fiat, ſub hac forma: *non obſtante quacumque conſtitutione, ſive lege à Concilio generali condita.* Pellizz. *tract.8.cap.1. num.98.* Archangelus *de privilegiis lib.1. cap.3.* Peyrin. *ad conſtit.1. Sixti IV. num.12.* Imo addunt Henriquez *lib.7. de indulg. cap.27. num 3.* Sanchez *de matrimon.lib.3.diſp.x6.* quod ſi privilegium contineatur in Tridentino, non ſufficit privilegiorum revocatio, niſi fiat expreſſa mentio Trid. Circa quæ, vide quæ late diximus *tom.2. tract.10. de cenſuris c.2.n.52.*

Ex confidentia huius indulti.

Clauſula ex confidentia declaratur.

46. Hæc clauſula, quando ponitur, ut nemo ex confidentia privilegii delinquat, excludit ea, quæ fiunt ex cauſa motiva illius, ſeu quando quis movetur ad delinquendum, ob confidentiam, quod per indultum liberabitur, ut de bulla compoſitionis, quæ non valet cum ex confidentia, v. g. omittitur officium divinum, diximus *tractatu præcedenti, cap.x. num.67.* Cæterum quando talis clauſula, in privilegio non apponitur, licet aliqui dicant ſubintelligendam eſſe; quia Pontifex in ſuis privilegiis non intendit viam ſternere pro peccatis, verius eſt oppoſitum, & quod poſſunt abſolvi utique privilegiis, in quibus talis clauſula non invenitur, qui ex eorum confidentia peccant. Quia cum Pontifex vult non valere ſuum privilegium, pro his, qui ex confidentia delinquunt; id exprimit: ergo quando non exprimit, adhuc in eo caſu valere intendit: alias clauſula illa ſuperflua eſſet, ſi etiam abſque illa eundem effectum haberet. Lexana *tom.1.c.18. n.4x.* Lugo *de pœnit.diſp.20.ſect.8.n.130.*Sanch. *Summ. lib.4. de voto c.54.n.18.* Suar. *de relig.tom.4. tract.8. lib.2. c.21.n.10. & 11. & lib.6. de voto c.13.n.6.*

Ut non cenſeantur revocata, niſi de eiſdem de verbo ad verbum, mentio fiat.

Duæ clauſulæ explicantur.

47. Ut privilegium, ſimili clauſula munitum, per ſubſequens revocari poſſit, requiritur & ſufficit, ut in eo, clauſula hæc revocatoria revocatoriæ ponatur: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, etiamſi de eis de verbo ad verbum mentio fieri debeat.* Quia Sommus Pontifex hoc modo loquendi, ſatis indicat velle privilegium revocare, quod ſemper ab ejus voluntate dependet. Secus vero de revocatione facta per clauſulam generalem, *Non obſtantibus:* quia per eam non explicat ſufficienter Pontifex, velle privilegium ſic roboratum, infirmare: alias fruſtra illa clauſula in privilegiis apponeretur. Sylveſter *Privileg.* 10. §. 11. Bonacin. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 3. *num.* 11. Tamburin. *tom.* 1. *diſp.* 16. *q.* 8. *num.* 1. & 2. Cæterum ſufficienter derogatur hujuſmodi privilegium, per clauſulam, *quorum tenores*, per quam ex curiæ obſervantia derogatur quibuſcumque privilegiis, habentibus derogatoriarum derogatorias, quæ inventa fuit, ut Papa poſſet derogare gratiis, quarum notitiam non haberet. Tamburin. *num.* 3. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellaria.* Gloſſa 36. *num.* 3. Rota *deciſ.* 213. *num* 1. *part.* 1.

Quatenus ſunt in uſu.

Clauſula quatenus ſunt in uſu, explicatur.

48. Hæc clauſula, quæ ſolet poni in confirmationibus tantum, ea confirmat privilegia, quæ ſunt in obſervantia, & retinent ſuum vigorem; non vero, quæ reddita ſunt invalida, vel amiſſa per non uſum, vel renunciationem: ſecus vero ſi ſunt in uſu, quamvis reddita invalida, ex quocumque alio capite hoc proveniat. Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 18. *num.* 16. Ioannes à Cruce *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. *concl.* 6. Tambur. *tom.* 2. *diſp.* 17. *q.* 6. *num.* 1. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 1. *diſp.* 1. *num.* 71. ¶ At vero ſi per modum communicationis, vel ad *inſtar* aliquod privilegium prius conceſſum mendicantibus, alicui ordini, vel Eccleſiæ conferatur, cum hac clauſula: *quatenus eſt conceſſum*, non tenetur diſquirere talis ordo, num huiuſmodi privilegium, tempore conceſſionis ſibi factæ, eſſet in uſu apud mendicantes, necne? ſive conſtet privilegium hoc tempore, quo dictus ordo, vel Eccleſia vult eo uti, eſſe in uſu penes mendicantes; & ſic ſupponatur fuiſſe conceſſum, etiam eo tempore, in quo facta fuit conceſſio: ſive etiam non conſtet eſſe in uſu, hoc ipſo tempore; modo conſtet ante talem conceſſionem, fuiſſe aliquando in uſu; ſecus ſi conſtet tale privilegium nunquam fuiſſe in uſu; ſic namque præſumitur fuiſſe tempore conceſſionis. Rodriguez *qq. regul. tom.* 3. *quæſt.* 52. *art.* 4. Pellizzar. *tom.* 2. *tractatu* 8. *cap.* 1. *num.* 88.

Quatenus ſacris Canonibus, & decretis Concilii Tridentini non adverſantur.

Clauſula frequentiſſima declaratur.

49. Hæc clauſula frequentiſſima eſt in bullis, quæ modo expediuntur, ſed non ſic intelligenda eſt, ut per ſacros Canones intelligantur omnes, qui in corpore juris ſunt inſerti, plura enim privilegia, & frequentiora dantur contra jus commune Canonicum, & ſic confirmatio vel conceſſio cum tali clauſula, nihil operaretur. Sed neque intelligenda eſt de Canonibus in Tridentino inſertis, prout diſtincti à decretis, prout aliqui dicunt, arbitrantes dictionem illam &, quæ conjunctiva eſt, conjungere canones Concilii, cum ipſius decretis, & de Canonibus, & decretis Tridentini fore intelligendam: ut docent Tambur. *ſupra quæſt.* 6. *num.* 2. Lezana *tom.* 3. *verbo clauſur. num.* 27. Leander à Murtia *quæſt. ſelect. ſuper regul. num.* 34. Antonius à Spiritu ſancto *ſupra num.* 71. Sed hoc minime eſt tenendum, ſiquidem contra canones Concilii, qui res de fide continent, nullum datur privilegium, nec poteſt eſſe: ſignificat ergo in præſenti *Canon* idem quod decretum Concilii; nam verbum *Canon* late ſumptum ſignificat idem quod regula, ſtatutum, diſpoſitio ſeu decretum. Nec eſt inconveniens, ut diverſa verba, idem ſignificantia, geminentur; ſed frequenter in bullis dicitur: *Fruuntur, potiuntur, gaudeant*, quæ idem prorſus ſignificant: & ob id aliqui Pontifices verbum *Canonis* omittunt: Sic Bordonus *reſol.* 52. *num.* 313. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 59. Petrus ab Angelis *diſp.* 7. *ſect.* 2. *num.* 18. Donatus *tract.* 11. *q.* 14. *num.* 5. Hieronymus Rodriguez *in Compend. reſol.* 116. *num.* 16.

50. Sed quando talis clauſula apponitur, non de omnibus decretis Concilii intelligitur; ſed tantum de illis, quæ reſiſtunt privilegiis contra ipſa, ſeu in quibus eſt clauſula: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis*, & ſic de illis, quæ à Concilio revocata ſunt per dictam clauſulam: hæc enim ſunt, quæ ſimpliciter ſunt contraria Tridentino, quæ ab eo revocata fuerunt. Et ſic quando aliqua privilegia antiqua confirmantur, vel nova cum dicta clauſula conferuntur; non habent vim contra decreta Concilii, per clauſulam *non obſtantibus* munita; bene tamen contra alia, in quibus privilegia revocata non ſunt, & ſic tacitè admiſſa. Ioannes à Cruce *lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 6. Pellizz. *tract.* 8. *c.* 2. *n.* 81. Petrus ab Angelis *n.* 19. Diana *p.* 11. *tr.* 2. *reſol.* 6. Suar. *lib.* 8. *c.* 18. *num.* 18. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 51. *n.* 130. Lezana *tom.* 2. *c.* 1. *n.* 38. Tamb. *ſupra n.* 3. Hieronym. Garcia *tract.* 8. *diff.* 1. *dub.* 5. *n.* 5. Navar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 190. Thomas à Iesu *de procuranda omnium ſalut. lib.* 12. *cap.* 8. *verſ. ſequitur.* Qui idem dicunt de illa clauſula: *Dummodo conſtitutionibus Apoſtolicis, non ſint contraria*, id eſt per illa revocata: atque idem ſentiendum judicant de bulla Pii IV. incipiente: *In Principis Apoſtolorum Sede*, quia revocat omnia privilegia, & indulta, quæ Tridentini decretis contrariantur: quia cum ſit edita talis conſtitutio, ad majorem obſervantiam, & robur Concilii; intelligenda, & explananda eſt, prout idem Concilium intelligitur, & explicatur.

De quibus Concilii decretis, clauſula dicta intelligatur.

Supplentes omnes, & ſingulos defectus.

51. Triplex defectus poteſt reperiri: vel naturalis, qui ſequitur ex rei natura, uti eſt citatio partis in cauſis damnum tertii concernentibus: iſti nunquam ſuppleri poſſunt à Pontificibus. Alii ſubſtantiales; ut quod reſcriptum

Triplex defectus qui ſuppleri, vel non poteſt exponitur.

ptum impetrans, non ſit excommunicatus; quod non impetret per ſubreptionem, vel per fraudem; & neque iſti ſupplentur per dictam clauſulam, etiam ſi ex motu proprio expediatur, ut diximus *num.* 41. Alii dicuntur in præſenti defectus accidentales, illi nimirum; qui ſolum ex iure poſitivo exiguntur, quoſque ſupplere poteſt Pontifex. & per iſtam clauſulam intendit ſupplere. Barboſ. *de clauſul. clauſula* 177. *num.* 158. Tamburin. *tom.* 1. *diſputatione* 16. *quæſt.* 6. *num.* 4. *&* 5. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. regular. quæſt.* 8. *artic.* 15. Moneta, *de commut. ultim. voluntat. cap.* 7. *n.* 158. Nec ſupplet defectus, qui concernunt perſonam ſupplicantis, vel contrahentis, prout nec ſupplet defectum cauſæ Barboſ. *n.* 19. Tamburin. *n.* 5.

Prorſus eximimus, ac totaliter liberamus.

Clauſula *prorſus eximimus*, declaratur.

52. Clauſula iſta ob ſuam generalitatem, & derogat privilegiis privatæ perſonæ conceſſis, & etiam communitati in genere, vel in ſpecie, ſub cuiuſcumque tenoribus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, aut per viam generalis legis, aut ſtatuti perpetui, & excludit omnem interpretationem in contrarium, vel omnia, & ſingula, quæ in contrarium excogitari poſſunt. Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 27. *num.* 4. Tambur. *num.* 6. *&* 7. Peyrin. *ad conſtit.* 2. Sixti IV. *num.* 10.

Sine Parrochiæ præjudicio.

Alia clauſula explicatur.

53. Quando Pontifex in privilegiis dicit, vitandum eſſe parrochiæ præjudicium ab exemptis, & privilegiatis, intelligendum eſt tantum circa decimas, & primitias clericis, à laïcis exhiberi ſolitas, prout declaravit Sixtus IV. ſicut refert Ioannes à Cruce *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. *concluſ.* 2. Tambur. *ſup. num.* 18. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 1. *diſputatione* 1. *num.* 77. Peyrin. *de Privileg. adcenſ.* Pyrrhy. *num.* 32.

Decernentes irritum, &c.

Quando per clauſulam actus irritatur.

54. Per iſtam clauſulam irritantur omnia, quæ in contrarium fieri poſſunt, per eamque forma inducitur: qua non ſervata, actus ipſo jure corruit; & ſic eſt nullus ipſo jure, etiam parte non opponente; niſi actus ante illius decreti interpoſitionem plane perfectus ſit, & ligat etiam ignorantes, non ſolum ſi in eo decreto dicatur: *ſcienter, vel ignoranter*; ſed etiamſi non adſint hæc verba, quoad effectum nullitatis, non quoad pœnas in eo decreto impoſitas. Quod procedit, ſive conſtitutio facta ſit motu proprio, ſive in forma communi, ſive cauſa cognita, ſive non cognita; tollitque præſcriptionem, & conſuetudinem in præteritum inductam, & ſecundum aliquos, etiam in futurum. Barboſ. *clauſul.* 40. *à num.* 2. Tamburin. *à num.* 47. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancellar. Gloſſa* 67. *à num.* 12.

Ex tunc prout ex nunc.

Alia clauſula aperitur.

55. Habet hunc effectum iſta clauſula, ut actus poſtea factus, cenſeatur à principio factus; non tamen eſt retroactiva à die dati in præjudicium juris alteri quæſito, medio tempore. Barboſa *Clauſul.* 61. *num.* 8. *&* 26. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 90. Tamburin. *à num.* 51.

Dummodo peccata non ſint in contemptum clauium.

Quando in contemptū peccata cōmittuntur.

56. Non intelligitur quis peccare in contemptum clavium, & Eccleſiæ, ut inquit D. Thomas 2.2. *quæſt.* 186. *art.* 9. *ad* 3. quando ex odio, iracundia, aliove affectu delinquit; ſed quando non vult ſubiici clavibus, etiamſi credat ad hoc teneri (alias eſſet hæreticus) & tunc non poterit, uti privilegio, qui ſic peccavit, niſi poſtea idem privilegium fuerit conceſſum ſine ulla clauſula, ſed abſolute. Nam generalitas poſterioris, ſufficit ad revocandam limitationem anterioris, ut in privilegio conceſſo religionibus ab Eugenio IV. & Bonifacio VIII. Quod poſtea Clemens IV. abſolutè conceſſit. Rodriguez, *tomo* 1. *quæſtione* 20. *artic.* 5. Suarez *de Relig. tomo* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *capite* 21. *numero* 10. Hyeron. Garcia *in Polític. regul. tom.* 1. *tractat.* 8. *diff.* 1. *dub.* 5. *num.* 1.

PUNCTUM V.

De conditionibus requiſitis, ut privilegium ſit licitum, & validum.

Scriptura pro privilegii valore non requiritur: eſt tamen conveniens.

57. PRæter hucuſque numeratas conditiones, pro privilegiis valide aut licite accipiendis, tres aliæ reſtant explicandæ: nimirum, *ſcriptura*; quando neceſſaria ſit *promulgatio*, & *notitia* illius. Et loquimur de privilegio à Principe conceſſo: nam de eo, quod conſuetudine comparatur, nullam ſcripturam, promulgationem, aut notitiam eius, ad valorem requiri compertum eſt.; ſed ſolum actuum repetitionem, quibus conſuetudo introducatur. Igitur ſcriptura, ſeu bulla, vel breve, per ſe neceſſaria non eſt, ad privilegii, & gratiæ valorem, ut conſtat. *Tum ex Clementina dudum de ſepult. extravag. Etſi domini de Pœnitentiis, & remiſſionibus, cap. conſtitutionis* 25. *quæſtione* 2. Tum etiam, quia totus illius valor, ex voluntate concedentis dependet, quæ verbis explicari valet, etiam litteris non expeditis. Lezana *tom.* 4. *verb. privileg. numero* 6. Tamburin. *tomo* 1. *diſputatione* 17. *quæſt.* 2. *numero* 1. Rodriguez *quæſt. regular. tome* 1. *quæſtione* 7. *articulo* 1. Pellizzar. *tomo* 2. *tractat.* 8. *capite* 1. *numero* 6. Salas *diſputatione* 17. *ſect.* 2. *num.* 20. Bruno Caſaing. *tract.* 1. *capite* 2. *propoſit.* 3. Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio diſputatione* 35. *numero* 10. Neceſſaria tamen erit ſcriptura, tum ad probationem privilegii, cum alio qui ſine ipſa difficulter probari in judicio poſſit; quamvis gratiæ conceſſæ ab aliis, præterquàm à Pontifice, ſuffragari poſſint, etiam in externo foro, ſi per teſtes ſufficienter probentur; quia nullo jure oppoſitum invenitur ſancitum: Maſcard. *de probationibus concluſione* 845. *numero* 11. Azevedo *lib.* 2. *titulo* 25. *nova recopilat. numero* 2. Palaus *tractatu* 3. *diſputatione* 4. *punct.* 5. §. 1. *numero* 2. Tum etiam ad eius ſtabilitatem, & durationem. Tum denique ad eius intelligentiam; quippe quæ pendet ex tenore verborum, quæ ſi ſcripta ſint, magis ad id deſervient, cum ex eorum proprietate, conſecutione, aut collatione antecedentium cum conſequentibus, vera mens concedentis coniiciatur.

58. Diximus

Pontificum privilegia imperfecta ſunt ſine ſcriptura.

58. Diximus privilegia ab aliis, quam à Pontificibus conceſſa valere, ſi probentur pro foro externo, etiamſi ſcriptura careant: nam privilegium Papæ oretenus conceſſum, in ordine ad judicium in foro externo, ante ſcripturam, cenſetur informe, & imperfectum; quia non habet neceſſariam perfectionem, ut ex eo judicetur: ut habetur *ex regul.* 28. *Cancellaria*, & ex Gregorio XIII. *regul.* 50. *Cancell.* ubi dicitur: *Nulla talis diſpenſatio cuiquam in judicio, vel extra ſuffragetur, antequam ſuper ea, littera Apoſtolica ſint confecta*, hoc eſt, nec in judicio contentioſo, nec extra judicium, in foro tamen externo publico non ſuffragari. At gratia oretenus impetrata, in ſe formalis, & perfecta eſt, & in foro conſcientiæ omnino valida eſt. *Cap. ſi probe, de reſcriptis in* 6. *cap. finali, de conceſſione Prabenda in* 6. Pro foro igitur externo, neceſſarium erit in ſcriptis, & in forma probante, exhibere privilegium; quia in hoc foro nulli creditur ſine probatione, *cap. tua nos, de ſponſalib. cap. accepimus* 4. *de privilegiis.* Vnde beneficia à Papa obtenta, ante expeditionem litterarum, non jure poſſidentur: & qui ſine tali expeditione poſſidet, cenſetur intruſus, & violentus poſſeſſor, nec illi prodeſt regula Cancellariæ de annuali, & biennali, ſeu triennali poſſeſſione. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 15. Bonac. *de legib. tom.* 2. *diſp.* 1. *punct.* 4. *num.* 49. Petrus ab Angelis *in ſpec. diſp.* 2. *ſect.* 3. *num.* 2. Ex quo colligitur, quod ſi Papa ſolo verbo aliquem pronunciet Epiſcopum, licet ſtatim ſit Epiſcopus per pronuntiationem; verum non debet pro Prælato recipi, nec tractari, quin ſuam gratiam probet. Navarrus *in cap. accepta, de reſtitut. expoliator. oppoſit.* 8. *num.* 30. quem ſequitur Rodriguez *tom.* 1. *quaſt.* 7. *art.* 1.

In foro externo qualiter probetur privilegiũ.

59. Quomodo autem probandum ſit in foro externo privilegium, diximus ſupra *num.* 19. addimus Leonem X. Dominicanis conceſſiſſe die 22. Novembris cum Generalis eſſet Eminentiſſimus Cajetanus, ut ſufficienter probetur in foro externo, per tranſumpta, vel copias, manu publici Notarii ſubſcriptas, & ſigillatas: quod poſtea idem Pontifex ampliavit anno 1518. die 21. Iunii; ita ut crederetur tranſumpto ſigillo Ordinis munito, ut habetur *in privilegiis Dominicanis fol.* 187. & conſtat ex alio privilegio Iulii II. Auguſtinianis conceſſo, ut fides in foro externo adhibeatur tranſumptis, munitis ſigno, & ſigillo Generalis Ordinis, ac ſi eſſent plumbo ſignata. Hieron. Rodriguez *reſolut.* 116. *num.* 5. Ioannes à Cruce *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 2. *concl.* 3. Bordonus *tom.* 2. *reſolut.* 52. *num.* 34. Navarrus, Donatus, & Portel. quos refert, & ſequitur Petrus ab Angelis *ſup. num.* 3. Ex quo ſequitur, quod cum ex Pio V. poſſint Provinciales creare Notarios Religioſos, qui privilegia ordinis tranſcribant; illorum ſcriptis tanta fides adhibenda eſt, quanta Notario publico obſignatis, ut docet Portel. *verbo Notarius, num.* 1. *& verbo privilegium, num.* 79. & latè probat Petrus ab Angelis *in compend. ordin. judicial. part.* 1. *cap.* 3. Etiam fidem faciunt in judicio copiæ privilegiorum, typis excuſſæ in folio, vel in aliquo bullario, vel in libris impreſſæ probatorum authorum, qui eas excerperunt ex originalibus, vel ex tranſumptis authenticis, ut fecit Confectius, Rodriguez, Laertius, Cherubinus. Sic Suarez *lib.* 8. *de legibus cap.* 24. *num.* 7. Pellizzar. *tract.* 8. *c.* 1. *ſect.* 5. *q.* 19. Naldus *verb. Privilegium, num.* 5. Bordon. *ſup. num.* 53. *&* 54. Portel. *Privileg.* 3. *&* 79. Et idem dicendum eſt, ſive integrum adducatur privilegium, vel aliqua eius particuncula, modo ſit authentica aliquo ex modo dictis. Patet Donatus *tract.* 2. *quaſt.* 14. *num.* 3. *& q.* 13. *à num.* 8. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 6. *art.* 18.

Si in lege ſcriptura prodeſt ut peratur, non prodeſt privilegiũ abſque illa acceptum.

60. Quod diximus *num.* 47. nimirum, privilegium etiam Pontificum, in foro conſcientiæ prodeſſe, litteris non expeditis; limitandum eſt, quando in lege expreſsè habetur gratiam, privilegium, aut licentiam nullam eſſe, niſi in ſcriptis conceſſa; tunc oretenus habita, nulla erit, & peccabit contra talem legem agendo: quia actus lege, vel conſenſu contrahentium, ſcripturam exigens eſt nullus, ſi ſcriptura careat, *l. contractus, C. de fidei inſtrument.* juncta Gloſſa ibi: quia tunc videtur ſcriptura de forma actus, & actus ſine forma non ſubſiſtit. Lezana *tom.* 5. *verbo clauſur. num.* 25. Bonac. *de clauſura q.* 4. *punct.* 3. *num.* 2. & hic *diſp.* 1. *quaſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 50. Suarez *de Religione tom.* 4. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 15. Delbene *tom.* 2. *c.* 19. *dub.* 37. *n.* 6. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 3. *§.* 1. *à num.* 3. Axor *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 2. *q.* 9. *circa finem.* Antonius à Spiritu ſancto *tr.* 3. *diſp.* 6. *num.* 502. Quare in ſequentibus caſibus, non proficit privilegium, gratia, vel licentia abſque ſcriptura.

Quæ conceſſiones ad ſui valorem ſcripturam requirant.

61. Primo in beneficiis collatis, confirmatis, & unitis à Sede Apoſtolica, quorum poſſeſſionem nullus apprehendere poterit, niſi litteris expeditis, alioquin totum irritum erit, nec ſuos fructus faciet, quin beneficio privatur. Et non poteſt juvari annali, biennali, vel triennali poſſeſſione; quia cenſetur intruſus, & violentus poſſeſſor. *Extravag. incurriſſ., de electionib.* juncta conſtitutione Pauli III. quæ incipit: *Cum nobis*, & Iulii II. quæ incipit *Romani Pontificis.* Sed quia iſtæ conſtitutiones non extenduntur ad beneficia, ab ordinariis impetrata, litteris non expeditis; poterit illorum poſſeſſionem capere, fructuſque facere ſuos. Azor Bonacina, & Palaus. ¶ Secundo in facultate non reſidendi in beneficiis habentibus curam animarum, quæ ut valida ſit, debet in ſcriptis ab ordinario obtineri, ſecundum Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de reformat.* Bonacina, Lezana, Palaus, *ſupra.* ¶ Tertio, in facultate ingrediendi intra ſepta Monaſterii monialium, quæ valida non eſt, ſine Epiſcopi vel Superioris reſpectivè licentia in ſcriptis conceſſa ſecundum idem Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de reform.* Bonacina, Lezana, Palaus *ſupra.* ¶ Quarto ex legibus Hiſpaniæ, in remiſſionibus delictorum: nam invalida eſt remiſſio delicti, à Rege facta, antequam Rex ſuo nomine, & ſigillo obſignaverit remiſſionem, & duo Conſiliariorum, *ex l.* 2. *tit.* 25. *lib.* 8. *nova compil.* ut pluribus ibi exornat Axevedo *à n.* 2.

Noſtri abſque licentia in ſcriptis extra domos veſci carnibus non poterunt.

62. Denique ex particulari jure noſtræ ſacræ Religionis 1. *part. conſtitut. cap.* 12. *num.* 2. Religioſi noſtri, quibus præcepto eſt prohibitus eſus carnium, extra domos noſtras, abſque licentia in ſcriptis à Superioribus obtenta, illis veſci non poterunt, abſque peccato mortali: ſi oretenus duntaxat, & non in ſcriptis illam recipiant; tum quia talis ſcriptura exigitur, ut forma, ut licentia valeat: ſicuti ad beneficia, ingreſſum clauſuræ, & non reſidentiam, ut dicebamus in præcedenti, abſque forma autem, nihil ſubſiſtere valet. Tum etiam, quia non

ſolum

ſolum talis ſcriptura, pro foro externo exigitur, ut conſtare poſſit de illa, & uon puniatur, qui eam non oſtenderit, ut aliqui perperam intelligunt; ſed ut maturius, & rarius talis licentia concedatur; ſicuti in ipſis conſtitutionibus noſtris 1.*p.c.*15.*n.*3. ſtatuitur, ut præcepta à Superioribus impoſita, graviter non obligent, niſi ſub tali forma verborum, in ſcriptis imponantur: & nullus dicet valere præceptum, abſque ſcriptura: quia hæc ut forma exigitur, & ut maturius, rariuſque imponatur, uti docet N. Ant. à Spir. S. *in ſuo Directorio regul. tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 501.

Debet dari aliqua promulgatio privilegii.

63. Veniamus ad alias duas conditiones, pro privilegiis reqoiſitas, nimirum, *promulgatio*, & *notitia*, quarum una, ſequitur ex alia. Dicimus ergo, quod cum privilegium ſe habeat, ut lex, non reſpectu privilegiati, ſed aliorum, qui vel ex jure naturali, vel poſitivo in privilegio contentum, obligantur, ne impediant uſum illius; ſicuti de ratione cujuſlibet legis eſt promulgatio, ut latè *in tract.* 11. *de legib. c.* 1. *n.* 37. probavimus; ſic de ratione privilegii promulgatio aliqua reqoiritur, ſeu publicatio, quatenus in aliis inducit obligationem: quia id in hanc partem habet rationem legis, aut præcepti, quæ obligare non poſſunt, ubi non eſt illorum notitia. Pellizzar. *tract.* 8. *c.* 1. *num.* 8. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 3. §. 2. *num.* 1. Hæc autem notitia (niſi privilegium ſit univerſali lege conſtitutum, ut latum *in Extravag.* 1. *de reliquiis, & venerat. SS. & in cap. Si quis ſuadente Diabolo, de ſentent. excommunic.*) non debet dari publicatione ſolemni, ut in particularibus indultis, & reſcriptis, conceſſis ſingularibus perſonis, ſingularum commodum, & favorem reſpicientibus, & etiam communitatibus in bonum commune; ſed ſufficit ſingularis publicatio: ea ſcilicet, quæ ſufficit privilegiatis, ad utendum privilegio, ſufficit per ſe aliis, ne illius uſum impediant; quia unum ſequitur ex alio. Bruno Caſaing. *tract.* 1. *cap.* 2. *propoſ.* 1. Portel. *in dub. regul. verbo privileg. num.* 9. Palaus *num.* 19. Pellizzar. *num* 8. Mirand. *tom.* 2 *q.* 41. *art.* 6. ¶ Vnde privilegium occulte conceſſum, & ſolum privilegiato innoteſcens debet aliis manifeſtari, ne illius uſum impediant, & ut teneantur non impedire. Quæ manifeſtatio fieri debet, vel oſtenſione publici inſtrumenti, vel probatione per teſtes (niſi privilegium ſit notorium, non ſolum per famam, ſed per uſum illius repetitum) omni exceptione majores, qui de conceſſione facta, & litteris expedita, teſtentur: vel ſaltem teſtentur privilegiatum uſum eſſe privilegio; quamvis pro foro conſcientiæ, minor probatio requiratur, & ea ſufficiat, quæ virum prudentem, de privilegio certum reddere poteſt; tametſi dictum ſolius privilegiati non ſufficiat: quia nullus in propria cauſa eſt teſtis idoneus, cui credere ſit neceſſarium; quamvis ex urbanitate, aliqua ei fides adhiberi poſſit. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 14. *n.* 10. Pellizzar. *num.* 9. Palaus *n.* 1.

Privilegium licet valere poſſit ante notitiã privilegiati, regulariter non valet.

64. Loquendo tamen de privilegio reſpectu ejus, in cujus favorem expeditur, eſt difficultas, an valeat antequam privilegiatus illius notitiam habeat, illudque acceptet? Licet enim ut licite illo utatur, procul dubio notitia ejus requiratur: At vero quando actus ab eo faciendus eſſet nullus ſine privilegio, ſi iſtud ante notitiam, habuerit valorem, an actus erit validus, etiam abſque ejus cognitione? Dicemus ergo, quod licet Princeps poſſit diſpenſationem, vel privilegiom concedere; nulla habita notitia à privilegiato; attamen nunquam ſic concedere cenſetur; niſi exprimat; quare eius conceſſio imbibit tacitam conditionem, *ſi non reſiſtas, ſi acceptes*, & ſic uſque ad acceptationem valorem non habet, niſi ad petitionem partis, per litteras, vel procuratorem expediatur, de quo dicemus poſtea. Prima pars probatur: quia nulla eſt repugnantia, ut invito, & nolenti Princeps habilitet; v. g. ad matrimonium, vel ab irregularitate liberet, vel ab obligatione jejunandi, recitandi, miſſam audiendi, &c. quia hæc omoia ex Principis voluntate tantum ſunt inducta, & ſic ex illa poſſunt tolli abſqoe ſubditorum conſenſu. Baſſæus *in floribus verbo privilegium cap.* 2. *num.* 1. Antonius à Spiritu ſancto *tractatu* 1. *diſputat.* 1. *num.* 28. Layman. *lib.* 1. *tractatu* 4. *cap.* 23. *num.* 10. Palaus *tractatu* 3. *diſput.* 4. *punct.* 3. §. 2. *num.* 1. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 10. Bonacin. *de privileg. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 4. Salas *diſput.* 10. *ſect.* 14. *num.* 13. *&* 108. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 25. *num.* 15. Quare valida eſt diſpenſatio in voto caſtitatis, quam ſponſus obtinuit, ſponſa inſcia illius: qoæ tale votum habebat. ¶ Secunda vero pars probatur: tum, quia privilegium, eſt quodammodo donatio quædam; donatio autem, abſque conſenſu donatoris, non habet effectum: tum etiam, quia hoc expediens videtur rectæ gubernationi, ne contemnantur beneficia, & merecdes Principis, & ne dentur niſi volentibus, & petentibus, ac illorum indigentibus. Bonacin. *num.* 5. Palaus *num.* 3. Pellizzar. *num.* 10. Suarez *n.* 13. Salas *num* 12. Layman. *num.* 9. *&* 28. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 18. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 3. *q.* 7. *& cap.* 23. *quæſt. ultim.* Sanchez *de matrimon. lib.* 1. *diſp.* 6. *n.* 10. *&* 29. *& lib.* 3. *diſp.* 30 *n.* 13. *& diſp.* 36. *per totam.*

65. Sed dicta intelligenda ſunt de privilegiato decreto, & per ſe, non de indirecto, & per accidens, ſive ex conſequenti; ut ſi communitati, vel toti Religioni fiat conceſſio, non requiritur quod talis acceptatio, & notitia detur in ſingulis ad ejus valorem. Vel ſi ſtatui clericorum; non requiritur ut validum ſit privilegium, reſpectu ſingulorum, quod ipſi illius notitiam, vel acceptationem habeant: ſed ſufficit notitia, vel acceptatio à communi ſtatu præſtita. Et ſic clericus privilegio fori, & canonis potitur, etſi illud ignoret: & privilegia regularium, ab ſtatu Religioſo in communi acceptata, proſunt ſingulis, tametſi illorum ignorantibus: & qui obtinuit diſpenſationem de affinitate, conſanguinitate, vel alio impedimento com fœmina, eum qua intendit contrahere, illa licet ignara, manet diſpenſata: quia privilegia, vel gratia conceſſa uni directe, in aliis per quandam conſequentiam, & neceſſariam illationem, ſequuntur: & ſic eorum ſcientia, vel acceptatio non requiritur. Sic Sanch. *de matr. lib.* 8. *diſp* 26 *n.* 6. Henriq. *lib.* 1. *de matr. cap* 3. *n.* 6. *litt. H*, Pelliz. *n.* 11. Baſſæus *Privil.* 1. *n.* 1. Ant. à Spir. S. *n.* 28. Palaus *n.* 9 Suar. *n.* 17. Bonac. *n.* 1. ¶ Similiter privilegia data ratione officii, in acceptatione officii cenſentur acceptata. Addimus, quemlibet Religioſum particularem, poſſe acceptare privilegium favorabile Religionis, niſi forma illius obſtet, vel detur lex, aut ſtatutum in contrarium: quia per talem acceptationem, nullum infertur præjudiciom religioni. Bordon. *tom.* 2 *reſol.* 31. *n.* 57. Pell. *n.* 13. Ant. à Spir. S. *n.* 22.

Non requiritur notitia in ſingulis ad valorem privilegii cõmunitati conceſſi.

Tres limitationes ab aliquibus adhibitæ præcedentis conclusionæ.

66. Doctrinam traditam, nimirum quod ante notitiam, & acceptationem privilegiati, per ſe non valet privilegium, aliqui limitant. Primo: ut hoc intelligatur de privilegiis gratioſis, non de remuneratoriis, qualia ſunt omnium regularium, quæ & ſi expreſſe non acceptentur, nec detur eorum notitia; adhuc valere dicunt; quia tacitè cenſetur acceptare mercedem, qui rem præmio dignam operatur. Sic Eſcob. *in exam. 15. Theolog. mor. tract. 1. in ſuis leges c. 2.* Bruno Caſaing. *tract. 1. c. 2. propoſ. 3.* Bonac. *ſup. n. 15.* Sanch. *lib. 3. diſp. 36. n. 3.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. centur. 2. caſu* 185. *n.* 45 ¶ Secundo limitant alii, ut privilegium ante acceptationem non habeat ſuam vim integram, & valorem: habere tamen dicunt aliquem effectum, nimirum, ut non poſſit à concedenti revocari, fundati *in cap. ſi tibi abſenti, de Prabend. in 6.* Vbi collatio beneficii, abſenti facta, quamvis non habeat integrum effectum ante acceptationem; revocari tamen non poteſt. Sic Decius *c. 2. de conſtitut. in 1. lect. n. 44.* Baldus *in l. Beneficium, n. 15. ff. de conſtit. Principis.* Cardin. *in proœm. Clement. verbo univerſitas. q. 5.* ¶ Tertio alii limitant, ut privilegium requirat notitiam, & acceptationem in privilegiato, ſecus vero in aliis, in quorum cedit in commodum: & ſic privilegium ſuos ſortiri effectus, licet ignoret illud, is, contra quem privilegium obtinetur. *c. de conceſſ. prab. in 6.* verſicul. *dicebat autem*, ad finem, ubi ſic dicitur: *Nam ſi alicui à Sede Apoſtolica concedatur, quod excommunicari non poſſit, licet id forſitam ſuus ignoret Epiſcopus; non tamen propter hac eius ligatur ſententia*, & infra: *ſi alicui conferendi prebendam aliquam à Sede Apoſtolica tribuatur poteſtas, videtur quod ſit Epiſcopo conferendi, tunc iam penitus interdicta facultas.* Et ratio id ipſum perſuadet: quia privilegium eſt gratia Principis independenter à ſubditis, quibus ignorantibus, nemo etiam ſcientibus, & contradicentibus, poteſt illam cui voluerit concedere. Sic Ioannes à Cruce, *de ſtatu Relig. lib. 1. c. 1. dub. 3. concl. 3.* Sanchez *diſp. 36. num. 5.* Palaus *diſput. 4. punct. 3. §. 2. num. 7.* Antonius à Spiritu ſancto *num. 28.* Bruno *propoſ. 3. fine.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. caſu* 185. *num. 28.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. num. 12.* Bonac. *ſupra num. 14. & 15.* Suarez *lib. 8. c. 25. n. 28. & 30.*

Duplex limitatio ſupra adducta, excluditur.

67. Sed prima limitatio admittenda non eſt; quia illa ſola acceptatio in dignitate meritorum fundata, nimis eſt remota, & confuſa: ex illa namque ad ſummum ſequitur, bene operantem velle, & optare ut opere condignum præmium ſibi detur: at vero, quod ſit hoc, vel illud non infertur. ergo quando hoc præmium determinatum, nimirum hoc privilegium offertur, neceſſaria erit acceptatio, aliàs cogeretur acceptare, quod forte nec conveniens ſibi, nec meritis erit æquale: ergo talis limitatio quod in privilegiis remuneratoriis, notitia, vel acceptatio, non requiritur, non eſt admittenda, & ideo eam objiciunt. Suarez *de legib. lib 8. cap. 25. à num. 18.* Palaus *loco citato, num. 5.* ¶ Nec ſecunda limitatio eſt admittenda: quia collatio beneficii Eccleſiaſtici, diverſum quid eſt, à conceſſione privilegii; & ſic beneficium concedere tenetur Princeps; ſecus vero privilegium. Et cum conferendo beneficium etiam abſenti functus jam fuerit ſuo beneficio; non eſt mirum non poſſe beneficii collationem revocare; & debere conſenſum illius expectare, cui collatio facta eſt. At privilegii conceſſio, cum ſit liberalis quædam donatio, revocari poterit à donante, quamdiu a privilegiato non fuerit acceptatum. Ita docent Sanchez *diſp 36.* Bonacin. *diſp. 1. quaſt. 5. punct. 3. num. 12. & 13.* Baſſæus *verbo privilegium c. 2. num. 3.* Covarr. *3. variar. c. 16. n. 1.* Salas *diſp. 17. ſect. 5. n. 38.* Suarez *n. 7.* Palaus *n. 6.*

Tertiam admittimus limitationē, & eam explicamus.

68. Admittimus autem tertiam limitationem; quia privilegium non petit acceptationem illorum, in quorum cedit damnum, & reſpectu quorum non eſt privilegium: & ſic nec eorum notitia eſt neceſſaria, ut reſpectu ejus in cujus favorem cedit, ſit vere privilegium. Cæterum ſi jus tertio jam quæſitum fuerit, & fuerit in uſu, & poſſeſſione illius, adverſus quod datur privilegium, illi eſt danda notitia, *argument. ex cap. cum perſona, de privileg. in 6. & ex cap. ſi duobus, cap. comparat. de appellationib.* Et ratio eſt: quia non debet præſumi, velle Principem, niſi exprimat, privare aliquem jure ſuo, abſque illius notitia; cum talis privatio communi bono, & ſuavi gubernationi non parum ſit adverſa; & ex alia parte ſit valde expediens damnificatum monere, ut poſſit ſi velit ſe opponere. Et textus in oppoſitum adductus intelligendus eſt, quando judex non poſtulat oſtenſionem privilegii, ſufficienſque tempus præteriit, ut poſſit notitiam conſequi, & per ipſum ſtet, ut non opponatur. Suarez *n. 3. fine.* Palaus *n. 8.*

Quomodo ſit acceptandum privilegium.

69. Sed rogabis modo, quæ ſcientia, notitia, & acceptatio requiratur, & ſufficiat reſpectu directi privilegiati, ut privilegium valorem habeat? ¶ Reſpondetur ſufficere ſi per ſe, aut per ſuum miniſtrum, aut per procuratorem acceptet, aut per litteras ab eo miſſas, vel ab alio nomine, & conſenſu illius, cui beneficium petit, quæ eſt quædam anticipata acceptatio illius, ſub conditione tacita, *ſi Princeps annuerit*, & ob id diximus ſupra *num.* 40. generaliter privilegia ad petitionem partis conceſſa, non indigere ad ſui valorem partis petentis notitiam. Et ratio eſt: quia acceptatio modo dicto, ſufficit ad conſtituendam validam, & firmam quamlibet donationem, ut diximus *tom. 2. tract. 14. de contract. cap. 4 à num. 72.* ergo etiam privilegium, quia ejus conceſſio eſt quædam donatio. Si tamen ab alio acceptetur, qui nec ejus eſt nuntius, nec procurator, nec ex ejus conſenſu petit, erit nullum privilegium, antequam à privilegiato acceptetur, & ipſe ratum habeat, quod ab alio geſtum eſt, & ſic nullum erit matrimonium contractum cum impedimento dirimente, etiamſi ab alio, quam à contrahente, vel ejus miniſtro fuerit obtenta diſpenſatio, ſi ante ejus notitiam celebratum fuit: quia acceptatio, quæ vel ab ipſo immediatè non proficiſcitur, vel ab alio ex conſenſu ipſius illi tribui non poteſt; nec ſua dici poteſt quæ non eſt facta ſuo nomine, ut de omnibus donationibus, & earum acceptationibus, *loco citato*, diximus. Quæ *hoc num.* reſolvimus, tenent Salas *diſp. 20. ſect. 14. num. 109.* Sanchez *lib. 1. de matrimonio, diſput. 6. num. 3. & 20. & libro 3. diſputatione 36. num. 7. &* 8. Pellizzar. *tractatu 8. cap. 1. num. 10. & 19.* Baſſæus *cap. 2 num. 2.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 1. diſp. 1. num. 26.* Bonac. *ſup. num. 5.* Suar. *n. 13. & 14.* Palaus *n. 10.*

PUNCTUM VI.

De interpretatione privilegiorum, à quibus fieri poſſit, & quomodo debeat adhiberi?

Generalia principia pro interpretatione privilegiorum.

70. CUm privilegium ſit quædam lex privata, quæ latè diximus circa interpretationem legum *tom.3. tract.11. de legibus, cap.4. punct.3. per totum*, hic applicanda erunt. Vnde ſicut lex taliter interpretanda eſt, ut non reddatur inutilis, *l. non dubium, C. de legib.* ſic privilegium non debet eſſe inutile, ſed ejus verba aliquid debent operari, ne reddantur ſuperflua, *cap. ſi Papa in fine, de privileg. in 6.* Nec privilegium dici poteſt, quod nihil ſpecialiter concedit, ſed illud tantum, quod jure communi conceſſum eſt, *cap. Abbate 25. de verborum ſignificatione, cap. ultim. 25. quæſt. 1.* Et ſicut ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. non diſtinguimus, ff. de reſcriptis arbitr. cap. quia circa 22. de Privileg* niſi authoritate alterius legis; quia lex una indiſtincte loquens, per aliam diſtinguitur, & limitatur, *l. iuris gentium, §. ſi paciſcatur, ff. de pactis.* Idem dicendum eſt de privilegio. Et ſicut lex non includit id, ad quod mens, & ratio authoris non ſe extendit, *l. cum prætor, §. dolo, ff. de legatis 2.* ſi verba privilegii ſunt intelligenda, non ſecundum quod ſonant; ſed ſecundum mentem, & intentionem proferentis, uti ex D. Thoma diximus *loco citato num. 24.* & ideo privilegia recipiunt interpretationem à ſupplicante, cum mente enim ſupplicantis præſumitur ſe conformare concedens, *cap. cum dilectos, §. cæterum de fide inſtrumentorum*, cum Gloſſa ibi, & Baſſæus *verb. privileg. 6. n. 7.* Palaus *tract. 3. diſp. 4. punct. 9. num. 1.*

Alia generalia principia pro privilegiorum interpretatione.

71. Etiam eſt interpretandum privilegium, ita ut non ſit oneroſum privilegiato, ſed ut potius illi aliquid tribuat, quam auferat juxta regulam 6. *iuris in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Ideoque privilegium exemptionis v. g. conceſſum regularibus, non impedit quominus ii cum Prælati conſenſu ſubjicere ſe poſſint Epiſcopo, ut ab eo abſolvantur à peccatis, & cenſuris, vel diſpenſetur cum eis in voto, iuramento, irregularitate; ſi accidat Epiſcopum, non autem prælatum ordinis, tali facultate gaudere. Et idem accidit, ſi Prælatus ordinis conſenſum irrationabiliter neget; cum non videatur mens Summi Pontificis, privilegium ad talem caſum extendere, quod in perniciem animæ cedere poteſt, uti diximus *tom. 2. tractatu 10. de cenſuris cap. 2. num. 52.* & tenent Henriquez *lib. 7. cap. 25. num. 2.* Avila *2. part. de cenſuris c. 2. diſp. 1. dub. 6. concluſ. 3.* & alii *loco citato*, adducti. ¶ Mens etiam concedentis privilegium ex materia illius capienda eſt: *Quia quoties idem ſermo diſtinctas ſententias exprimit, ea potiſſime accipitur, quæ rei gerendæ aptior eſt, l. 66. ff. de regulis iuris.* Quare cum dubia eſt mens Principis, attendenda eſt materia privilegii cum circumſtantiis antecedentibus, & conſequentibus, quia ex omnibus coaleſcit integritas ſenſus, præcipue accipi poteſt illius notitia ex procemio, & principio privilegii, ſæpe enim ibi ponitur finis, & cauſa ob quam expeditur, ut conſtat *ex l. regula circa finem, ff. de iuris, & facti ignorantia, l. finali, ff. de teſtateria tutela.* Quid autem in dubio tenendum ſit diximus *loco citato, ex tract. de legibus, num 27. & 31.* & an debeat extendi ad caſum ſub verbis privilegii non comprehenſum, ob ſimilitudinem, & identitatem rationis, *ibid. à num. 32.* explicuimus.

72. Hæc generaliter dicta ſunt circa privilegiorum interpretationem, ex paritate illorum cum legibus. Nunc deſcendamus in particulari, ad propria huius materiæ; & inquires primo, quis poſſit privilegia interpretari. ¶ Pro quo ſupponendum eſt, quod *loco citato* diximus; interpretationem aliam eſſe authenticam, iuridicam, vel judicialem: aliam doctrinalem; hanc quilibet vir doctus adhibere poteſt, non ex cerebro, ſed ſecundum iura, verba, & alias regulas traditas, & tradendas, & eorum doctrinali interpretationi legitime factæ, maxime ſi prælati fuerint, quilibet acquieſcere poteſt in conſcientia, ut omnes dicunt, quamvis eam ſequi non cogamur. Authenticam, ſeu judicialem, & juridicam interpretationem, nemo niſi ſolus Princeps, qui privilegium dedit, exhibere poteſt; quia hæc omnes cogit eam ſequi, habetque eandem vim, ac habet lex, & privilegium, quia cuius eſt interpretari actum, cujus eſt condere ſeu actum facere, *l. ſacratiſſima, C. de legibus.* Vnde privilegia à Summis Pontificibus conceſſa regularibus, ſolus ipſe Pontifex, vel cui ipſe conceſſerit, poteſt judicialiter interpretari. Vnde Epiſcopi, Archiepiſcopi, aut alii Prælati Eccleſiaſtici licet doctrinaliter poſſint privilegia religionum interpretari, ſicuti alii Doctores; minime autem judicialiter.

Interpretatio doctrinalis, & iuridica explicatur.

73. Quapropter Clemens IV. conceſſit Prædicatoribus, & minoribus, & Alexander VI. Congregationi S. Benedicti, & Paulus III. Societati Ieſu, ut habetur *in compendio privilegiorum Societatis, titul. privilegium, §. 2. & 4. & in compendio mendicantium, verbo Privilegium. §. 5.* Quod aliæ Religiones per communicationem participant) ne prælati Eccleſiarum, privilegium eorum interpretentur (intellige de interpretatione judiciali, & authentica, non de doctrinali) ſive clara ſint, ſive dubia, & ſi quod dubium oriatur, de eo judicetur inter homines peritos, vel Sedes Apoſtolica conſulatur: & ideo dicitur in dicto compendio *Clemens IV. inhibuit, & diſtrictius, omnibus Eccleſiarum prælatis, ne interpretari præſumant privilegia, & indulta conceſſa fratribus minoribus, & Prædicatoribus, ſive clara quæ interpretatione non indigent, ſive dubia contineant, & voluit, quod interpretatio ſuper huiuſmodi dubiis, reſervetur Sedi Apoſtolicæ, cum eius ſit interpretari, cuius eſt condere.* Et eſt conforme juri communi *in cap. veniſſem de Iudiciis*, ubi Innocentius III. ſic ait: *Cum ſuper privilegiis Sedis Apoſtolicæ cauſa verſatur, nolumus de ipſis per alios judicari.* Et etiam rationi eſt conforme: quia in dubio, an juriſdictio contra regulares pertineat ad Epiſcopum, & ad judices Eccleſiaſticos, non poſſunt ipſi cognoſcere de cauſa, ne ſint judices in cauſa propria, juxta *l. qui iuriſdictioni, ff. de iuriſdict. omn. iudic.* Atque ita docent Sanchez *conſil. tom. 2. tract. 8. cap. 1. num. 134.* Baſſæus *in florib. c. 6. n. 2. verbo privileg.* Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 25. n. 6.* Lezana *tom. 4. verb Privil. n 12.* Portel. *eodem verb. n. 77. & verb. Epiſcop. n. 13.* Tambur. *tom. 1. diſp. 16. q. 6. n. 1.* Bordon. *tom. 1. reſolut. 52. num. 50.* Miranda *tom. 2. quæſt. 44. art. 2.* Bruno Caſaing. *tractatu 1. cap. 4.*

Epiſcopi vel Archiepiſcopi, an poſſint interpretari privilegia Religionum.

propoſit. 2. Ioannes à Cruce *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 2. *& capite* 3. *dub.* 5. Hyeronim. Garcia *in Politic. regul. tract.* 8. *difficult.* 1. *dub.* 4. *num.* 12.

Privilegia regularium dubia in eorum favorē ſunt interpretanda.

74. Cæterum quando dubium aliquod ſuboritur circa privilegiorum regularium intelligentiam, & ſedes Apoſtolica conſuli non poteſt, ſed à viris juris peritis, aliiſve judicibus eſt judicandum, in eorum favorem interpretanda ſunt, ob conceſſionem Alexandri VI. factam Benedictinis Valliſoleti, Romæ Kalendis Aprilis 1501. ubi ſic dicitur: *Sicut quando dubium fuerit in intellectu privilegiorum regularium, ſemper per iuris peritos, & alios iudices in favorem regularium fiat interpretatio.* Idem conceſſit congregationi S. Iuſtinæ de Padua, idem Alexander VI. ut teſtatur Tamburin. *loco citato*, qui etiam affirmat conceſſiſſe idem ſuæ congregationi Vallis-umbroſæ, Iulium II. Idibus Iunii anno 1507. Ac idem conceſſum eſſe Societati à Paulo III. teſtantur Pellizzarius *numero* 139. Miranda *tomo* 2. *quæſtione* 44. *art.* 1. *concluſ.* 2. Et merito ita conceſſum eſt: nam omnia, vel fere omnia ſunt favorabilia, ut diximus *num.* 27. & ſunt etiam remuneratoria, ut *num.* 23. probavimus. Favores autem, maxime in remunerationem præſtiti, late ſunt interpretandi: & ſic in dubio, eorum ſenſus in favorem privilegiatorum exponendus eſt. Et ita docent in noſtro caſu, Pellizzar. & Mirand. *loco citat.* Portel. *verb. Privileg. declaratio. num.* 76. Bordon. *tomo* 2. *reſolut.* 9. *num.* 49. Baſſæus *privileg.* 6. *numero* 2. Ioannes à Cruce *lib.* 2. *capite* 2. *concluſ.* 3. §. 1. Tambur. *tomo* 1. *diſputatione* 16. *quæſtione* 6. & *diſputatione* 18. *quæſtione* 6. *numero* 6. Rodriguez *tomo* 2. *quæſtione* 63. *artic.* 7. Bruno *loco citat.* Petrus ab Angelis *in ſpeculo privileg. diſp.* 1. *ſect.* 2. *num.* 7. & 5. Lezana *tom.* 4. *verb. privileg. num.* 3. Ex quo inferunt, quod ſtantibus duobus probabilibus opinionibus, valeat, vel non privilegium regularium, ſit revocatum, vel non ſit revocatum, extenditur vel non ad iſtum caſum; judicandum eſt in favorem regularium, quod valde notandum eſt, pro his, quæ infra dicemus.

Prælati religionum poſſunt interpretari eorum privilegia.

75. Interpretari tamen poſſunt privilegia, cum dubia ſunt (interpretatio namque ſolum habet locum, quando dubia, ambigua vel obſcura ſunt privilegia, quando vero nulla ambiguitas invenitur, non habet locum interpretatio *l. ille, aut ille ff. de legatis* 3.) Generales religionum pro toto ordine, nedum doctrinaliter, ſed etiam juridice, & authentice, ita ut omnes ſubditi teneantur ſtare illorum interpretationi, quando vel leges, conſuetudines, exemptiones, vel privilegia interpretatur. Ita conceſſit Iulius II. Generali Prædicatorum 14. Decembr. 1504. conſtitution. quæ incipit: *Conſiderantes, quod multa.* Et Clemens VII. pro Tertiariis conceſſit, ut eorum viſitatores, quæcumque dubia in ordine, regula, conſtitutionibus, ſtatutis, conſuetudinibus, & privilegiis, pro tempore occurrentia interpretari, declarare, & decidere valeant. Et pro omnibus Prælatis etiam immediatis, ſi prudenter, & ex conſilio peritorum procedant, ut poſſint pro foro conſcientiæ, authoritate Apoſtolica omnia dicta decidere, interpretari, ac declarare non ſolum doctrinaliter, ad quod non erat neceſſaria nova conceſſio; ſed authentice, ac juridice conceſſit Sixtus IV. Canonicis regularibus S. Salvatoris, bulla incipiente. *Ad univerſos* §. 3. & Paulus V. Præpoſito, aut deputato oratorii Neapolitani. Quibus privilegiis omnes prælati religionum; Generales, Provinciales, reſpective, imo immediati gaudent. Sic Lezana *verb. privileg. num.* 12. Merola *lib.* 3. *de privileg. diſp.* 6. *cap.* 6. *dub.* 8. *num.* 258. Donatus *tom.* 1. *tract.* 8. *quæſt.* 7. *numero* 1. & 16. Petrus ab Angelis *diſp.* 1. *ſect.* 2. *numero* 17. Navarrus *in manual. cap.* 21. *num.* 22. Bruno Caſaing. *tract.* 1. *cap.* 4. *propoſ.* 2. imo D. Thomas & Caiet. 2. 2. *quæſt.* 174. *art.* 4. hanc facultatem à jure illis conceſſam habere, affirmant.

Prælati religionū poſſunt ſuorum religioſorū privilegia reſtringere.

76. Ex quo infertur, poſſe prælatos regulares non ſolum interpretari, ſed limitare, & reſtringere, imo etiam pro ſuis ſubditis tollere uſum privilegii alicuius, imo, & quorumcumque à ſede Apoſtolica dimanantium: tum ex conceſſione Leonis X. facta Minoribus, & Auguſtinianis, & Clementis IV. Ciſtercienſibus, & Gregorii XIII. Societati Ieſu: Tum etiam, quia credendum non eſt Summos Pontifices, qui ſummopere zelant obſervantiam regularium, velle ut fratres, privilegiis eorumdem ordinibus conceſſis, uti poſſent, contra voluntatem ſuorum Superiorum. Quare, quando dicti prælati utuntur authoritate Apoſtolica ſibi conceſſa in ſupra dictis privilegiis, interpretando, ſeu declarando juridice, authentice, ſeu judicialiter illa, ſubditi tenentur ſtare eorum determinationi. Sic Mirand. *tom.* 2 *quæſt.* 43. *art.* 4. Lezan. *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 56. & *tom.* 4. *verb. privileg. num.* 13. Petrus ab Angel. *num.* 2. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. regul. art.* 2. Suarez *de religione tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *capite* 22. *num.* 14. Diana 3. *parte tractat.* 2. *reſolut.* 87. Pellizzar. *tom.* 2. *tractat.* 8. *capite numero* 62. qui addit *numero* 63. poſſe capitulum generale tollere pro tota religione, aliquod, vel aliqua privilegia, illiſque renuntiare, imo ab ipſo Generali, quo eſt Superius capitulum; cum privilegia tam prælatis, quam religioni conceſſa ſint in favorem ipſius religionis: quibus proinde ipſa conjuncta in capitulis generalibus cedere poteſt. Ita etiam colligitur ex Suarez *tomo* 4. *de religion. tractat.* 10. *lib.* 11. *capite* 2. *num.* 11.

Privilegium favorabile late, odioſum ſtricte eſt interpretandum.

77. Inquires ſecundo, quomodo ſint interpretanda privilegia? ¶ Reſpondetur, quod ſi privilegium ſit favorabile, latiſſime interpretandum eſt, quantum recta ratio, & prudentia dictat, ſervata verborum proprietate, quod fieri poterit: nam odia reſtringi, favores convenit ampliari, *regul.* 15. *iuris in* 6. Et beneficium Principis nulli nocivum, late explicandum eſt, *l. Beneficium, ff. de conſtitut. Princip.* Sicut odioſum (niſi oppoſitum cogat neceſſitas, quia nimirum alias redderetur inutile, vel certe materiæ neceſſaria connexio exigat) ſtricte regulariter eſt interpretandum; eo quod Princeps in odioſis, ſolum cenſetur derogare, quatenus per verba expreſſe declaravit, *l. Quod auſus, C. de Mancip. liber.* Diximus *regulariter*; quandoque namque privilegium, etiam odioſum eſt ampliandum, ut infra dicemus: ut ſi neceſſitas, vel gravis cauſa cogat ampliare, aut agatur de cauſa pia, ac religioſa. Tunc dicitur favorabile, quando concedens illud, primo intendit favorem concedere, & ex conſequenti, & quaſi ſecundario, ſequitur alterius detrimentum: ut privilegium exemptionis à foro ſæculari. Si vero Princeps, primo, & per ſe tendat in odium, & pœnam alterius, illud concedere; dicitur odioſum, licet alias cedat in favorem alterius: quia privilegium eſt diſpoſitio quædam, & quælibet diſpoſitio debet attendi ex primario fine, ut diximus, *tom.* 2. *tractat.* 11. *de legibus cap.* 4. *num.* 24. Si partim intendat favorem, partim odium, & favor, & odium poſſunt diſtingui; ex qua parte eſt favorabile late eſt interpretandum, ſtricte

ex

ex qua parte eſt odioſum: ut privilegium Canonis, quod favorabile eſt reſpectu Eccleſiæ, odioſum reſpectu delinquentis. In dubio autem, an favorabile, an odioſum ſit privilegium; ſimpliciter eſt judicandum favorabile; quia lex per ſe intendit favorem Pellizzar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 11 *num.* 141.

Privilegia in jure contenta, late ſunt interpretanda.

78. Ex qua generali doctrina ſequitur primo omnia privilegia contenta in jure communi, late eſſe interpretanda; ſunt enim favorabilia, utpote jam leges, & jura, ſicuti alia, & ſic debent interpretari juxta regulas juris communis: quod cùm ordinatum ſit ad bonum commune, eſt favorabile, & ſic late interpretandum. Lezana *verb. privileg. num.* 9. Baſſæus *eodem verb.* §.2. *numero* 11. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 10. *num.* 6. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 8. Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio. diſput.* 1. *num.* 7. Pellizzar. *num.* 143. ¶ Extenſio, autem ſemper fieri debet ſalva verborum proprietate naturali, vel civili, & non ſunt impropriandа, & ad varios ſenſus deflectenda: alias nihil certum determinari poſſet, ſi verba ad libitum interpretantis retorqueri poſſent, *ut diximus tract.* 11. *de legibus cap.* 4. *num.* 27. Proprietas autem verborum accipienda eſt, tum ex uſitata ſignificatione, ac communi uſu; tum ſecundum acceptationem juris, privilegio proportionatam. Si privilegium ſit regium, ſecundum acceptationem juris civilis: ſi Pontificium, ſecundum jus canonicum, & eodem modo illæ regulæ ſunt exponendæ. *Privilegium non plus operatur, quam verba exprimunt: privilegium ſimpliciter favorabile extendendum eſt, privilegium ſimpliciter odioſum reſtringendum*, quæ interpretari debent ſecundum privilegiorum conditionem, obſervata verborum proprietate communi, aut juridica, niſi alias eſſet inutile, vel ſpecialis neceſſitas, aut ratio juſtitiæ cogat ad verba improprianda; vel aliunde rationabiliter præſumatur mens concedentis. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num* 6. Baſſæus *in florib. verb. privileg.* §.3. *num.* 9. Petrus ab Angelis *diſputat.* 1. *ſect.* 1. *num.* 1. Tamburin. *tom. diſp.* 16. *quæſit.* 5. *num.* 3. & 11. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 28. *numero* 12. Pellizzar. *ſupr. num.* 150. Bonacina *de Privileg. diſputatione* 1. *quæſtione* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 1.

Privilegium juri communi contrarium ſtricte interpretandum eſt.

79. Sequitur ſecundo privilegia, quæ juri communi derogant, ſtricte eſſe interpretanda, niſi in caſibus infra referendis, ita ut juri minus quam fieri poteſt, derogetur. Tum, quia derogatio juris communis, per ſe eſt odioſa, & ſic quantum fieri poſſit minuenda: Tum etiam, quia licet ſint favorabilia privilegiato, ut à jure communi exorbitant, ſunt odioſa: eo quod privilegium contra jus commune, continet illius diſpenſationem, quæ ſemper eſt odioſa: Ideoque cum favor communis præferendus ſit privato, ubi oportuerit unum reſtringi, ut aliud minus lædatur, reſtringendum eſt privilegium. Tamburin. *tom.* 1. *diſputatione* 18. *quæſt.* 6. *num.* 72. & *diſp.* 16. *quæſt.* 5. *num.* 6. Baſſæus §. 2. *num.* 10. Layman *numero* 5. Pellizzar. *num.* 144. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *num.* 1. & 5. Palaus *punct.* 10. *num.* 2. Miranda *part.* 2. *quæſt.* 44. *art.* 3. ¶ Ex quo ſequitur, quod ſi illegitimo concedatur privilegium ad ſuſcipiendos ordines, intelligendum eſt de minoribus ordinibus, niſi jam minoribus eſſet inſignitus: quia tunc ne privilegium eſſet fruſtraneum, & inutile, de majoribus debet intelligi: & niſi dicat Pontifex, diſpenſo ad omnes ordines; quia tunc, tam de minoribus, quam de majoribus intelligendum eſt. Similiter ſi cum illegitimo, vel alio modo irregulari diſpenſetur ad beneficia; privilegium, aut diſpenſatio intelligi debet de ſimplicibus, non vero de dignitatibus, & curatis; niſi dicat Pontifex: diſpenſo cum irregulari, in irregularitate, quam habet: quia tunc omne vinculum tollere cenſetur, proindeque habilem reddere ad omnes ordines, & ad omnia beneficia, Salas *diſp.* 17. *ſect.* 8. *à num* 49. Sanchez *diſp. citat. à num.* 26. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 26. *à num.* 16. Bonacina, & Palaus *loco citato.*

Privilegium contra jura particularia, ſtricte eſt interpretandum.

80. Quæ diximus numero præcedenti intelligenda etiam ſunt, de privilegiis derogantibus ſtatutis, aut conſuetudinibus particularibus, maxime religionum, quæ ſtricte ſunt interpretanda; ut quantum minus potuerit ius illud lædatur: quia in hac parte ius illud particulare æquivalet juri communi, niſi tale ius particulare, ſit contra ius commune, ut ſupra dicebamus: quia tunc ample eſt interpretandum privilegium, eo quod in eo caſu, privilegii lata interpretatio eſt iuri communi favorabilis, Lezana *verb. privilegium, num.* 8. Suarez *cap.* 27. *num.* 16. Palaus *punct.* 10. *num.* 4. Pellizzar. *num.* 146. Tambur. *diſp.* 16. *quæſit.* 5. *numero* 10. Bonacina *diſputatione* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 7. §. 1. *numero* 8. & niſi privilegium ſit inſertum in corpore juris; quia tunc late eſt interpretandum; licet alias eſſet contra ius commune aut particulare: quia jam illud eſt ius commune, & favorabile, ut *numero.* 78. dicebamus. ¶ Sed quamvis privilegium contra ius ſtricte ſit interpretandum; poteſtas tamen concedendi privilegium, vel diſpenſationem, abſolutionem, &c. late eſt interpretanda, ut diximus *tractat.* 11. *de legib. capite* 5. *numero* 10. & 53. quia hæc ſemper eſt favorabilis; & nulli iuri opponitur, & eſt utilis ad commune bonum, ſi moderate, & prudenter habens illam, ea utatur. Palaus *punct.* 11. *numero* 2. Suarez *numero* 11. Bonacina *numero* 17. Baſſæus §. 2. *numero* 12. Nugnius *de Indulgent. quæſtione* 27. *art.* 4. *diff.* 3. Hinc eſt, quod privilegia, & facultates Bullæ cruciatæ latè ſunt explicandæ, cum ſint favorabiles, & utiles ad bonum commune, ordinatæ ad ſubveniendum neceſſitati publicæ Eccleſiæ; nec debent dici univerſaliter privilegia contra ius, & idem ſentiendum eſt, de facultate conceſſa confeſſario, ad abſolvendum à reſervatis.

Nunquam debet reddi privilegium inefficax & fruſtaneum.

81. Ab illa regula generali, quod privilegia contra ius: ſtricte debent interpretari, excipitur. Primo quando privilegium redderetur inutile; tunc enim quantumvis grave, & odioſum, non eſt reſtringendum, ita ut fruſtraneum reddatur (dummodo abſque injuſtitia poſſit executioni mandari; ſi enim injuſtitiam contineret, non eſſet privilegium, ſicut lex injuſta, non eſt lex, & ſic ſub illa tacita conditione ſemper intelligitur: *ſalva juſtitia, & æquitate.*) Ratio eſt: quia voluntas Principis nunquam debet fruſtrari, aut reddi inefficax, etiamſi privilegium extendi debeat ad aliquod exorbitans & odioſum, & quidem etiam ultra rigoroſam verborum proprietatem. Palaus *punct.* 2. *num.* 4. Baſſæus *num.* 10. Lezana *num.* 8. Suarez *cap.* 28. *n.* 2. Tambur. *num.* 9. Salas *diſp.* 17. *ſect.* 8. *numero* 46. & 52. Layman *lib.* 1. *tractat.* 4. *capite* 23. *num.* 6. ¶ Et hinc fit, quod privilegium aut diſpenſatio, quantumvis odioſa extendi debeat, ad ea, quæ ſunt illi neceſſario connexa, & ſine quibus non poteſt habere effectum: nam qui concedit facultatem alicuius rei, cenſetur etiam concedere omnia requiſita ad uſum talis facultatis, ut diſpenſatus ut miſſam dicat tempore interdicti; eſt diſpenſatus ut ſecum

ſocium affetat; diſpenſatus ad plura beneficia, ſimiliter eſt diſpenſatus in reſidentia utriuſque; diſpenſatus in minoritate, ut beneficium Parochiale habeat, eſt in obligatione diſpenſatus aſſumendi intra annum ſacerdotium; Parochus diſpenſatus ne intra annum ordinetur, etiam diſpenſatus cenſetur, ne ejus beneficium vacari poſſit; quia non vacator niſi ob culpam, quæ nulla eſt, ſtante diſpenſatione. Suarez *lib.6.c.*15. *num.*10. Bonacina *diſp... quaſt.*3. *punct.*7. §.1.*n.*5. Sanchez *lib.*8. *de matrim. diſput.*1. *num.* 19. 24. *&* 27. Layman. *num.*6. Palaus *tract.*3. *diſput.*4. *punct.*9. *num* 4. Addunt hi duo ultimi hoc exemplum. Si eum illegitimo, vel alias irregulari diſpenſetur ad omnes ordines, hoc ipſo ceoſetur diſpenſatus, ad obtinendum aliquod ſimplex beneficium; quia ſine hujuſmodi titulo nequit promoveri in ſacris: nec obſtat habere patrimonium, ſeu penſionem, quia penſio, aut patrimonium per ſe non ſufficiunt ad ordines ſacros recipiendos, niſi adſit neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ.

Alii caſus, in quibus privilegium contra jus commune eſt extendendum.

82. Excipitur ſecundo, privilegium ex motu proprio, & certa ſcientia: nam licet ſit contra jus commune, latè eſt interpretandum, *cap. ſi motu proprio de prabendis in* 6. Et ratio eſt: quia hæc extenſio pertinet ad favorem, & honorem ipſius Principis concedentis: nam quod motu proprio, & certa ſcientia concedit, ejus particulare beneficium cenſetur; & ſic illius extenſio cedit io favorem, & honorem Principis concedentis. Lexana *tom.* 4. *verb. privileg. num.*9. Portel. *verb. privilegii extenſ.*45. Pelliz. *tom... tract.*8. *cap.*1. *num.* 144. Palaus *punct.* 10. *num.*7. Salas *diſput.* 20. *ſect.* 10. *num.*89. Sanchez *de matrim. lib.*8. *diſput.*1. *num.*5. *&* 6. ¶ Extenditur etiam privilegium contra jus commune, quando non magis derogatur juri communi; ut quando ad contenta in eo fit extenſio, ut qui habet ad comedendas carnes in quadrageſima, etiam ad ova, & lacticinia. Suarez, Layman. Pellizxar. ¶ Similiter quando conſuetudo aliter interpretatur, cui ſtandum eſt? quia ſicut conſuetudo eſt optima legum interpres; ſic privilegiorum: quare ſi illa interpretata eſt privilegium, ut extendatur ad talem, vel talem caſum; ſtandum eſt illi, etiamſi ſit contra jus commune. Miranda *tom.*2. *q.*44. *art* 4. Baſſæus *privileg.* 6. *num.*6. Pellizar. *num.*154. Tambur. *num* 72. ¶ Ac tandem extendendum eſt privilegium, quando licet ex una parte deroget juri communi, ex alia cenſetur neceſſarium communi bono Reipublicæ: qoia tunc poteſt hæc ratio illi præponderare, & privilegium ampliari contra jus commune, & ſic ſolent ampliari privilegia militum, religioſorum, pupillorum, &c. Quia cum hæc privilegia habeant mixtionem odii, & favoris reſpectu diverſorum; neceſſe eſt, ut in effectu favoris, vel odii, illud vincat, quod ſecundum rectam prudentiam, majoris ponderis fuerit: & quia prudenter conjectamur hanc fuiſſe mentem Principis concedentis: in qua conjectura, tota hæc interpretatio privilegiorum nititur. Suarez *lib.*8. *de legibus*, *c.*27. *num.*7. Lexana *tom.*4. *verb. privilegium, n.*9.

Privilegium cum damno tertii, ſtrictiſſimè interpretandū eſt.

83. Sequitur tertio, privilegia, quæ in præjudicium alterius cedunt, ſtrictè eſſe interpretanda, ſervata verborum proprietate, etiamſi motu proprio tale privilegium ſit expeditum, niſi ex gravitate cauſæ, aut qualitate materiæ, aliud præſumatur de intentione concedentis; quia non eſt præſumendum, velle Principem alicui damnum inferre, jurique alterius derogare, niſi id exprimat. Sanchez *de matrim. lib.*8. *diſput.*7. *num.*6. Palaus *tract.*3. *diſput.*4. *punct.* 10. *num.*8. Suarez *de religion. cap.*27. *num.*9. Lezana *verb. privileg. num.*8. Baſſæus *privileg.*2. *num.*13. Layman. *lib.*1. *tract.*4. *cap.*23. *num.*6. Tamburin. *tom.*1. *diſput.*18. *quæſt.*1. *num.*72. & *diſp.*16. *q.*5. *num.*6. Salas *diſput.*17. *ſect.*8. *num.*47. Pellizzar. *tract.*8. *cap.*1. *num.*147. ¶ Et illa quæ inferunt damnum tertio, privando illum jure quæſito, ſi damnum ſit grave, adeo ſtrictè ioterpretanda ſunt, ut etiam cum improprietate reſtringi debeant. Nam licet poſſet princeps ex juſta cauſa, jus quæſitum auferre ab alio, ſi tamen non exprimat, non cenſetur illud velle auferre: quare non comprehendere damnum tertii grave, tametſi in illis generaliter loquatur, cenſendum eſt; quin potius præſumitur illud ignorare: ac per conſequens nec ipſum velle, quod aliqui intelligunt, etiamſi alias privilegium redderetur inutile, eo, quod ob præſumptam ſubreptionem privilegiati, potius annullandum, quam admittendum ſit. Portel. *verb. privileg. num.*47. Pellix. *num.*150. Quod alii merito non admittunt, dicentes, nunquam reſtringendum eſſe privilegium, itaut nihil operetur; ſed interpretandum eſſe, ut potius valeat, quam pereat: nam juſta Principis voluntas, nunquam fruſtrari, aut inefficax reddi debet, *cap. in aliis de privilegiis.*

Alia privilegia, quæ ſunt ſtrictè interpretanda.

84. Ex his ſequitur privilegium *ad lites* conceſſum, eſſe ſtrictè interpretandum, eo, quod præbeat occaſionem litigandi, & vexandi alios, ac frequenter minuat inferiorum jodicum poteſtatem, ut tenent communiter Doctores. Idemque eſt de privilegio, quod dicitur *ambitioſum*, quale reputatur, quod acquiritur ad plura beneficia obtioenda: ſemper enim derogat juri communi, vel alterius tertii, & ſic eſt ſtrictè interpretandum. Idem eſt de privilegio conceſſo ad beneficia vacantia conferenda: quod non eſt intelligeudum de beneficiis providendis ab ordinario, niſi in eo hoc explicetur. Sanchez, *&* Palaus *loc. cit.* Ac denique idem dicimus, de illis quæ præbent occaſionem peccandi, ſeu ſcandali; quale eſſet, ſi alicui religioſo aliquid concederetur, contra regularem obſervantiam, vel quietem religionis; quod reſtringi debet, quantum fieri poteſt: non enim præſumendum eſt Principem, & multo minus Papam, velle alicui concedere gratiam contrariam obſervantiæ, aut quieti religionis. Bonacin. *diſp.*1. *q.*3. *punct.*7. §.1. *num.*13. Layman. *libro primo*, *tract.*4. *cap.*23. *num.*6. Lexana *tom.*4. *verb. privileg. num.*8.

Privilegia regularium latiſſimè interpretanda ſunt.

85. Inquires denique, an privilegia religionum, quæ toti ordini in communi, vel alicui Provinciæ, conventui, &c. conceſſa ſunt, quæ per communicationem omnibus conveniunt, ſint ſtrictè, vel latè interpretanda? ¶ Reſpondetur omnia illa eſſe pleniſſimè interpretanda, etiamſi ſint contra jus commune, vel contra jus tertii: puta contra jus Parochiale, vel Epiſcopale; eo, quod omnia ſunt favorabilia ut diximus *num.*27. *&* 28. Probatur deinde aſſertio primo: quia Papa nulli facit injuriam in tali conceſſione: non ſibi; qoia concedendo tale privilegium, liberè cedit juri ſuo, & conſequenter ſibi non præjudicat, nec odioſum eſt. Nec Epiſcopis, aut Parochis lædere dicitur in aliquo eorum jure; quia Papa nullius lædit juſtitiam,

ſtitiam, cum utatur jure ſuó, quod habet ſupra omne jus, & præſit omnibus, & ab eo omnis dimanet, vel dependeat poteſtas ſpiritualis in his, quibus poteſt illam ampliare, vel reſtringere; quia dependenter ab illo recipiunt, & poſſident. ¶ Secundo. Quia plures, & diverſi Pontifices conceſſerunt ſuperioribus regularium, ut omnia ipſorum privilegia interpretentur in favorem ipſorum religioſorum, & ſic lato modo ſemper, & quod ubi dubitatio in privilegio oritur, ex ambiguitate verborum, vel juriſtarum interpretatione, in eorum favorem, & beneficium reſolvatur, ut *ſuprà n.74.* dicebamus. ¶ Tertio: Quia principalis intentio Papæ in his privilegiis, eſt afficere religioſos favore, & beneficio; ex quo ſi per accidens ſequatur vulneratio juris, non attenditur: nam principale, in unaquaque re, non acceſſorium, ſpectandum eſt, *l.reg.-ſti., ff. ſi certum petatur, Rota Romana volum.* 1. *deciſ.* 714. *n.* 12.

Idem alia ratione ex D.Thom. deſumpta, probatur.

86. Denique hoc ipſum probatur: quia privilegia quæ videbantur contra jus Parochiale, vel Epiſcopale, verè non ſunt contra illud, ſed magis illi favent, quod præclariſſimis verbis D. Thomæ libuit explicare. Ait enim *in 4. diſtinct.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 3. *quæſtiuncul.* 5. *ad* 1. ſic: *Privilegium non fit alicui, niſi ſubtrahatur quod eſt in favorem ipſius indultum: juriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa homini in favorem ſuum; ſed in utilitatem plebis, & honorem Dei: & ideo ſi ſuperioribus Prælatis videatur ad ſalutem plebis, & ad honorem Dei promovendum, quod alii quæ ſunt juriſdictionis committant, in nullo fit præiudicium inferioribus Prælatis, niſi illis, qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, & qui gregi præſunt, non ut eas paſcant, ſed ut ab eis paſcantur.* Et *in opuſculo* 19. *contra impugnantes religiones, cap.4. propè finem,* ſic dicit: *Dicendum quod præiudicium dicitur fieri alicui, quando ſubtrahitur ei aliquid, quod in favorem eius eſt indultum, vel quod ad utilitatem eius ordinatur, ſed ſubjectio alicuius ſubditi ad Rectorem Eccleſiæ non eſt ordinata principaliter ad utilitatem præſidentium; ſed ad utilitatem ſubditorum: & ideo nullum præjudicium fit Rectori Eccleſiæ, quando ſubditus eius, à ſua poteſtate eximitur; ſicut Papa eximit Abbatem à poteſtate Epiſcopi, ſine eius præiudicio. Si autem ipſemet operetur in ſubditis, quæ pertinent ad ſalutem, vel alius hoc ipſum commutat, non ſolum non facit præiudicium, ſed præſtat ei maximum beneficium; quod maximè acceptatur à cunctis Rectoribus, qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed Ieſu Chriſti. Vnde ſuper illud Num.*12. *Quid æmularis Princip.? dicit Gloſſa Gregor. Pia mens Paſtoris, quia non propriam gloriam, ſed Authoris quærit ab omnibus vult juvari in eo quod facit: fidelis enim prædicator optat ſi fieri valeat, ut veritatem, quam ſolus loqui non ſufficit, ora cunctorum ſonet.* Reſolutionem duobus numeris probatam tenent Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 7. §. 1. *n.* 5. Palaus *tract.* 3. *diſp.* 4 *punct.* 10. *n.* 6. Azor. 1. *part. lib.* 5. *c.* 23. *q.* 2. Tambur. *tom.* 1 *diſput.* 16. *q.* 3. *n.* 11. Petrus ab Angelis *in ſpecul. diſput.* 1. *ſect.* 2. *num.* 5. Henriq. *lib* 7. *c.* 22. *n.* 3. Sylveſter *verb. privileg. q.* 3. Suarez *lib.* 8. *c.* 27. *n.* 7. Lezana *verb. privileg. n.* 9. & 10. Coninch. *p.* 2. *diſp.* 33. *dub* 2. *num.* 16. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 6. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 22. *num.* 26. & *reſol.* 52. *num.* 18. Moronius *conſil.* 99. *à n.* 119. & alii.

PUNCTUM VII.

De communicatione generali privilegiorum, quæ in omnibus ferè ordinibus reperitur.

In quo cõſiſtat communicatio privilegiorum, explicatur.

87. EFFICIENTIA communicationis privilegiorum in eo conſiſtit, quod jus uni conceſſum per aliquod privilegium, alteri etiam concedatur, per novam communicationem, qua illud ipſum iſti conceditur, vel certè per quandam extenſionem talis privilegii: & ſic idem ferè eſt ac privilegium *ad inſtar*, de quo *num.* 39. loquuti ſumus; ſeu ad imitationem prioris proportione ſervata. Et talis proportio in eo conſiſtit, ut conceſſum uni religioni, ad aliam religionem extendatur; conceſſum uni Provinciæ, ad aliam; conceſſum Generalibus, aut Provincialibus unius ordinis, Provincialibus aut Generalibus aliarum deſerviat; conceſſum capitulis, pro capitulis; & conceſſum ſingularibus religioſis, non ut ſingulares ſunt, ſed ut partes communitatis, pro aliis ſingularibus alterius religionis, vim habeat, ut conceſſum Prædicatoribus, & Confeſſoribus, Procuratoribus, &c. & conceſſum pro feſtivitatibus unius Ordinis, pro alterius Ordinis feſtivitatibus reſpectivè concedat; ut conceſſum Dominicis pro die Patroni, vel alterius Sancti illius Ordinis, conveniat aliis ordinibus pro die Patronorum, & ſanctorum talium religionum. Unde verba indulti attentè conſideranda ſunt; tum ex parte ejus cujus privilegium communicatur, an perpetuum ſit, an totale, an conditionatum? Tum ex parte ejus cui communicatur, an extendatur ad conceſſa dumtaxat, an etiam ad concedenda. Tum etiam ex parte modi, quo communicatur, an cum aliqua circunſtantia, limitatione, vel modo, quæ omnia ſunt conſideranda. Sed ut clarius procedamus in hac materia, eam in diverſis §§. decidemus.

§. I.

Qualiter omnes religiones mendicantes, & non mendicantes ſibimetipſis in privilegiis communicent?

Æquiſſimũ, & rationi conforme eſt, quod regulares in privilegiis cõmunicẽt.

88. CUm regulares, licet Ordinum diverſorum, ſint perſonæ Deo per vota eſſentialia conſecratæ; æquiſſimum fuit, ut unum in Deo, & profeſſione exiſtentes, uniretur etiam in eiſdem privilegiis, & gratiis, ut ſic uniti arctiori vinculo Sedi Apoſtolicæ, & inter ſe ad nomen Dei propagandum, & animarum ſalutem procurandam copulentur. Et ideo dixit Sixtus IV. In mari magno Auguſtinianorum: *Conveniebat, ut quos par labor, & paria merita conjungunt, paria conjungerentur privilegia, & favores.* Quæ unio per privilegiorum ſuorum inter ſe communicationem procurata; juſta, rationabilis, & ſancta habenda eſt proculdubio: Quam confirmat uſus communicationis privilegiorum temporalium, quæ paſſim in Republicis reperitur; quandoquidem Reges peculiaria privilegia & exemptiones unius civitatis ſolent alteri communicare, ut ſic animi ad ſibi obſequia,

obſequia, & obedientiam præſtandam conjungantur.

Omnes religiones mendicãtes inter ſe in privilegiis communicant.

89. Omnes igitur religiones mendicantes ita in privilegiis adamuſſim ſtrictè communicant, tam conceſſis quam concedendis, ac ſi unicuique ſpecialiter, & nominatim, ſingula, & omnia aliarum religionum, eſſent communicanti conceſſa; taliter, quod id quod poteſt generalis unius ordinis, idipſum poſſint generales aliorum: & proportione ſervata dicendum eſt idem de Provincialibus, prioribus, vicariis, prædicatoribus, confeſſoribus, & aliis. Similiter privilegia conceſſa Eccleſiis, domibus, & religioſis unius ordinis, ut ſunt partes illius, participant aliæ domus, Eccleſiæ, & religioſi ejuſdem, vel alterius Ordinis, & conceſſa pro feſtivitatibus unius Ordinis, reſpectivè intelligantur feſtivitatibus alterius convenire; ſive ſint indulgentiæ, ſive aliquid ſimile. Aſſertio eſt certiſſima, & communiſſima inter Doctores, & conſtat ex Bulla Iulii II. die 1. Iunii anno 1509. conceſſa Minoribus, & prædicatoribus, quam referunt Paſſarel. *in privileg. ordin. minor. fol.* 99. & Rodriguez *quæſt. regul. tom.* 1. *quæſt.* 55. *art.* 2. Aliam ampliſſimam Leonis X. refert Pater Donatus, *tom.* 1. *tract.* 2. *quæſt.* 4. & habetur in bullario Dominicanor. *fol.* 185. Ex reſpectu omnium mendicantium inter ſe. Idem conceſſit idem Leo X. conſtitutione. *Dudum per nos.* Apud Confectium *fol.* 160. ut videre eſt apud Cherubinum *in Bullario tom.* 3. *fol.* 524. & eſt ordine 32. in conſtitutionibus hujus Pontificis. (Atque ut alia prætermittamus, quæ quælibet ex mendicantibus habet, quæ ex eorum compendiis conſtãt, adjiciam conceſſionem Clementis VIII. ſpecialiter pro nobis Carmelitis excalceatis expeditam 5. Iunii 1595. & habetur *in noſtro Bullario fol.* 184. ubi inter alia verba ſic dicit: *Necnon prædicta, & omnia videlicet privilegia, indultas immunitates, exemptiones, indulgentias, & gratias, & alia quæcumque dicti, & aliorum ordinum, etiam mendicantium, fratribus perſonis, & bonis etiam confraternitatibus, & aliis piis bonis, vel alias quomodolibet præfatis ordinibus, & domibus, & eorum bonis conceſſa, & concedenda prædictis fratribus diſcalceatis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, Domibus & eorum bonis eadem omnino, ſimilique modo competere, verè, & propriè ac ſi ipſis ſpecialiter conceſſa eſſent præſentibus, pro expreſſis, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, haberi volentes; decernimus, & ſtatuimus, & ſi opus eſt eadem nunc concedimus, & impertimur.* Quæ omnia, prius nobis conceſſerat Clemens VII. in Bulla, quæ incipit: *Ex Clement.* anno 1530. & pro toto ordine Sixtus IV. *Bulla* 37. *&* 38. in re adeo certa ſuperfluum erit Authores recenſere.

Mendicãtes cum non mendicantibus ad invicem communicant privilegia.

90. Aſſerendum eſt ſecundo religiones mendicantes, non ſolum communicare in privilegiis conceſſis, & concedendis, cum aliis religionibus mendicantibus; ſed etiam cum aliis omnibus religionibus, tam monachalibus, quam non monachalibus; itaut omnia, & ſingula privilegia, indulta, gratiæ, exemptiones, indulgentiæ non mendicantium, monachorum, Congregationum, confraternitatum, & aliorum piorum locorum, illis conveniant, non ſecus, ac ſi cuilibet ordini mendicanti omnia in ſpecie, & nominatim conceſſa forent: & idem eſt de confirmationibus, innovationibus, &c. ut dicemus *cap.* 3. Hæc aſſertio eſt communiſſima, ut ſupervacaneum ſit Authores, & privilegia id concedentia adducere. Videatur Rodriguez *quæſt. regular. tom.* 1. *quæſt.* 55. *art.* 8. Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 46. *artic.* 5. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 17. *quæſt.* 1. *num.* 12. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 41. Bruno Caſſaing. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. *propoſit.* 2. Petrus ab Angelis *diſput.* 2. *sect.* 1. *n.* 5. ¶ Idem dicendum eſt de Donatis, & Converſis, qui veri ſunt religioſi juxta dicta *tract.* 15. *c.* 1. *num.* 33. Quod omnia, & ſingula privilegia participant ſicut alii religioſi. An religioſi, Epiſcopi facti ſuæ religionis privilegiis fungantur? Diximus *ibi cap.* 5. *num.* 43. An novitii? *cap.* 5. *num.* 34. An religioſi expulſi? *ibi* ex eodem *capite* 5. ¶ Et è converſo omnes aliæ religiones non mendicantes, ſive monachales, ſive non monachales, omnia privilegia mendicantium eodem modo participant, & per conſequens non mendicantium, & piorum locorum, ac ſi eſſent mendicantes, ut conſtat ex eorum privilegiis, quæ recenſet Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſp.* 2. *sect.* 1. *à num.* 9. *uſque ad* 39. Bruno *tract.* 1. *cap.* 3. *propoſ.* 2. Rodriguez *tom.* 3. *q.* 10. *artic.* 1. Tambur. *num.* 22. Lezana *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 46. *artic.* 5. Pelliz. *num.* 41. Ubi bene advertunt unamquamque religionem debere attendere clauſulas ſuæ Bullæ communicationis, ut juxta reſtrictionem, vel ampliationem illius operetur.

Moniales omnia privilegia religioſorum cõmunicant tam ſui ordinis, quam aliorum.

91. Aſſerendum eſt tertio: quod moniales tam ordinum mendicantium, quam non mendicantium, in his in quibus ſunt capaces, gaudent, & participant omnia privilegia, conceſſa, & concedenda fratribus ſui ordinis, & per conſequens, quibuſlibet aliis, ac ſi ipſis fuiſſent in ſpecie conceſſa. Sicut è contra; ipſi fratres communicant omnia privilegia, monialibus ſui ordinis conceſſa; & per conſequens quibuſlibet aliis, eodem modo: & hoc licet in privilegio fratribus conceſſo dicatur ipſum impertiri; *viris aut maſculis religioſis*, ut notavit Pellizzarius *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 72. Quia in Bulla Leonis X. quam adducit Caſarrubias verbo. *Communicatio privilegiorum*, *num.* 18. abſolutè conceditur monialibus fratrum minorum, ut poſſint uti omnibus, & ſingulis privilegiis, & indultis ſpiritualibus, & temporalibus per Sedem Apoſtolicam ipſis fratribus quomodolibet conceſſis, & concedendis, perinde ac ſi ea ipſis monialibus eſſent conceſſa. Quare, licet ex vi privilegii conceſſi ſub expreſſione, *ipſis viris fratribus. aut maſculis religioſis*, moniales non poſſent uti illius indultis, & favoribus: quia jam ex tenore verborum, ad maſculos religioſos præcisè applicatur. Ex vi tamen aliorum privilegiorum, quibus ipſis conceditur generalis communicatio, in omnibus gratiis, & favoribus, quibuſvis ordinibus, & congregationibus factis, illo frui poterunt: ſicuti contra, ob eandem rationem, licet privilegium concedatur monialibus ſub nomine mulierum, vel fœminarum religioſarum, hoc extenditur ad religioſos, niſi materia oppoſitum exigat, non ex vi illius privilegii; ſed ex vi privilegiorum communicationibus, quibus omnia privilegia, & indulta cuicumque Congregationi, Eccleſiæ, vel Collegio conceſſa, ipſis communicantur. ¶ Notat tamen Bordonius *tom.* 1. *reſolut.* 52. *q.* 14. Quòd moniales ſolum in favorabilibus gaudent privilegiis religioſorum, non autem in odioſis: ſicut religioſi ſolum in favorabilibus participant privilegia monialium, non vero in pœnalibus, & odioſis, quod commune eſt quibuſvis,

cum

eum aliis communicantibus, ut *numero* 107. dicemus.

Moniales etiam non ſubjectæ religioſis, omnibus religioſorum privilegiis funguntur.

91. Limitant aliqui præcedentem concluſionem, ut intelligatur de monialibus, fratribus ſubjectis; non vero de monialibus ſubditis, vel immediatè Pontifici, vel Epiſcopis. Sed talis limitatio minimè admittenda eſt; ſed aſſerendum moniales prædictis privilegiis gaudere, ſive ſubjectæ ſint religioni, ſive non: Quamvis ut bene advertit Pellizzar. *num.* 74. Quando religioſis conceditur aliquod privilegium, per Prælatos regulares expediendum, vel diſpenſandi, vel abſolvendi, tunc loquendo de monialibus immediatè ſubjectis Epiſcopis, ab Epiſcopis poſſunt diſpenſari, vel abſolvi; quia Epiſcopus in eis ſuccedit loco Prælatorum regularium. Probatur: omnes moniales, etiam non ſubjectas Prælatis ordinis, omnibus dicti ordinis, & aliorum privilegiis, per communicationem gaudere; quia ſic conceſſit Clemens VII. pro monialibus S. Auguſtini. Bonifacius VIII. Nicolaus V. & Sixtus IV. pro Carmelitis. Sixtus IV. Sixtus V. Leo X. Gregorius XIII. Dominicanis, & Franciſcanis. Et ratio, quæ movet Pontifices ad concedendam talem communicationem privilegiorum, eſt quia eandem regulam obſervant, eandem vitam religioſam ducunt, eodem utuntur habitu, & ſic ſub eodem motivo vivendi, Deo famulantur, æquè currit in monialibus ordini ſubjectis, ac non ſubjectis: atque ita tenent. Bordon. *tom.* 1. *reſolut.* 52. *quæſt.* 14. Pellizzar. *tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 72. & 73. Antonius à Spiritu ſancto *tom.* 1. *tract.* 1. *diſput.* 1. *num.* 109. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſput.* 2. *ſect.* 1. *à num.* 6. Lezana *tom.* 5. *in mari magno Carmelitarum, num.* 385. Bruno *tract.* 1. *cap.* 3. *propoſ.* 3. Suarez *de legibus, lib* 8. *cap.* 10 *num.* 7. Baſſæus *in floribus verb. privileg. cap.* 5. *num.* 7. Quintanadveñas *ſingular. quæſt. tom.* 1. *tract.* 8. *ſingular.* 16. & 17. & *tom.* 2. *tract.* 2. *ſingular.* 14. *num.* 5. Palaus *tom.* 7. *tract* 3. *diſp.* 4. *punct.* 12. *num.* 1. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 7. §. 2. *n.* 2. Tambur. *tom.* 2. *diſput.* 17. *quæſit.* 1. & alii.

Quædam objectio cõtra dicta proponitur, & præcedẽs doctrina roboratur.

93. Nec refert ſi cum aliquibus oppoſitum ſentientibus objicias: quod aliquibus ex Bullis recenſitis, ſimilis clauſula reperitur. *Moniales ſub obedientia ordinis veſtri*, & ſimilia: ergo non loquuntur de monialibus Pontifici, vel Epiſcopis ſubjectis. Sed hoc non obſtat. Tum, quia prædictæ clauſulæ, ſolum demonſtrant proprium inſtitutum ordinis, ſeu religionis ſub qua profitentur, & vivunt, illiſque gaudere privilegiis, quandiu vivunt ſub tali inſtituto, & ordine, nec ab eo recedunt. Hæc namque privilegia eis conceduntur propter earum merita, circa obſervantiam talis ordinis, non ob ſubjectionem Prælatis. Sicuti è contra; religioſi, illarum gaudent privilegiis; tametſi non ſubjiciantur illis. Tum etiam: quia plura dantur pro eis privilegia, abſque dictis clauſulis; ſed abſolutè eis concedentia communicationem: ut eſt illud Iulii III. pro Monialibus Dominicanis in Bulla communicationis privilegiorum ordinum omnium, tam mendicantium, quam non mendicantium, quam refert Pater Donatus *tom.* 2. *tract.* 7. *quæſt.* 5. Quod alii Pontifices, pro aliis ordinibus præſtitere, ut in eorum Bullis reperitur: audi Paulum V. in Bulla incipiente: *Quæ regulares perſonas* die 10. Octobris expedita anno 1606. ubi inter alia verba ſic dicit: *Motu proprio, & de Apoſtolica poteſtatis plenitudine, ac certa ſcientia, harum ſerie declaramus tam indictis Clementis, quam in aliis hujus Congregationis privilegiis comprehendi, & comprehenſas Abbatiſſas, Prioriſſas, & alias quaſcunque moniales, quæ gerunt, & in futurum gerent habitum dictæ Congregationis.* Ubi ſolum attendit Pontifex ad portationem habitus, & profeſſionem inſtituti, ad concedenda dicta privilegia; non ad ſubjectionem iſtius, vel illius Prælati. Et ut omnis in hac parte tollatur ſcrupulus, audi Paulum V. in Bulla revocatoria omnium indulgentiarum pro regularibus conceſſarum anno 1606. ubi loquendo de aliis, quæ de novo concedit, loco revocatarum, ſic concludit: *Volumus autem, ut ſupradicta omnes indulgentia, & gratia religioſis regularibus, cujuſvis ordinis, tam monaſtici, quam mendicantis, dumtaxat ut præfertur conceſſæ, etiam omnibus monialibus cujuſvis regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viventibus, & perpetuam clauſuram conſervantibus, tam ordinariis locorum, quam etiam regularibus cujuſcumque ordinis, regulæ, & inſtitutis ſubjectis.*

Tertiariæ, & Beatæ exceptis aliquibus gaudent omnibus privilegiis, quibus ſunt capaces.

94. Quod dictum eſt de monialibus, aſſerendum eſt de aliis fœminis (idem dicendum eſt de viris proportione ſervata) ſubditis gubernationi mendicantium, quæ Mantellatæ, Beatæ, vel Tertiariæ dicuntur, ſive vivant in Congregatione (de quibus nemo dubitat) ſive in particulari, habitum portantes religionis, & votum caſtitatis, ſaltem conjugalis, emittentes; quæ gaudent omnibus privilegiis, & gratiis, quibus mendicantes, in quantum capacitas earum permittit; & hoc ex multis privilegiis tam minoribus, quam aliis ordinibus mendicantium conceſſis, ut videre eſt apud Tambur. *tomo ſecundo, diſputatione* 17. *quæſtione prima. propè finem*, Baſſæus *verbo privileg.* 5. *numero ſeptimo*, Rodriguez *tomo primo, quæſt.* 55. *artic.* 13. 14. & 15. & *tomo tertio, quæſtione* 73. *articulo primo*, Caſarrubias *verbo tertiaris, fratres, & ſorores, num.* 19 & *verbo mulieres, numero ſeptimo*, Serbo *in compend. tertiariis, numero vigeſimo quinto*, Pellizzar. *tomo ſecundo, tractatu octavo, capite primo, numero* 70. Miranda *tomo primo, quæſtione* 36. *articulo quarto*, exceptis his, quæ à Concilio Lateranenſi, ipſis fuerunt ſpecialiter ſublata, de quibus Caſarrubias *loco citato*. ¶ Cæterum ſæculares confratres cordæ, corrigæ, ſcapularis, &c. gaudent eiſdem privilegiis quoad indulgentias, & remiſſionem peccatorum tantum, non autem in aliis, quæ poſſunt perturbare juriſdictionem ordinarii, conformiter ad decreta Trident. *ſeſſione vigeſima quarta, capite undecimo, de reformatione.* Nec in aliis, ut recitatione officii divini in loco, & tempore, Miſſam celebrandi, & aliis hujuſmodi. Rodriguez *tomo primo, quæſtione* 55. *articulo* 16. Bruno Caſſaing. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. *propoſit.* 3.

Privilegiorũ cõmunicatio extenditur ad ordines non fundatos, ſed fundandos.

95. Generali dicta communicatione privilegiorum, non ſolum gaudent religiones tam fundatæ, itaut gaudeant omnibus indultis conceſſis, & concedendis pro aliis religionibus jam fundatis; ſed extenditur ad participanda omnia privilegia conceſſa, vel concedenda religionibus poſtea fundatis, vel fundandis: quamvis hoc non exprimatur in generali illa communicatione: quia illa diſpenſatio circa privilegia conceſſa, & concedenda, eſt favor, & beneficium Principis, abſque ulla reſtrictione conceſſum; quod latè eſt interpretandum. Unde ſicut

extenditur ad privilegia nondum conceſſa, ſed futuri temporis concedenda ordinibus jam inſtitutis; ſic extenditur ad concedenda pro qualibet religione poſtea fundata, vel inſtituenda. Balſæus *in floribus verb. privileg. c.5. n.14.* Petrus ab Angelis *diſput 2. ſect. 2. num.*8. Bruno *tract.1. cap.3 propoſ.6.* Lezana *tom.1. c.3. n.7.* Ioannes à Cruce *lib.2. cap.4. de communicatione privileg. concluſ.3.* Rodriguez *tom.1. q.55. art.7.*

Virtus magna hujus communicationis.

96. Ex hac generali communicatione provenit, quod privilegia per communicationem, ita fiunt propria religionis communicantis; ac ſi ipſi primo, & immediatè inſpectæ eſſent conceſſa. Quia ex vi privilegii dantis communicationem, illa omnia communicanti in particulari de novo conferuntur, ut dicunt communiter Doctores: taliter quod ſi privilegium pereat primæ religioni recipienti; non ideo perit reſpectu ejus, cui communicatur, ſi tempore communicationis erat validum: ut de privilegio *ad inſtar*, quod ab hoc in nihilo differt, ſuprà dicebamus: quia privilegium primæ religioni conceſſum, factum fuit per communicationem, proprium communicantis, omnino independenter à priori religione; itaut quamvis à privilegio illius in impetrari, & fieri dependeret, non vero in conſervari: & ſic contingere poteſt, ut in illa religione, cui primo conceſſum eſt, pereat; & in alia, cui per communicationem convenit, vigorem habeat. Sanchez *conſil. lib.6. cap.9. dub.9. num.2.* Suarez *de legibus, lib.8. cap 16. num.17.* Lezana *tom.4. verb. privil. num.24.* Petrus ab Angelis *n.30. & 39.* Actioze *cap.4. citat. concluſ.3.* Bordon. *tom.2. q.39. n.26.* Pelliz. *tract.8. cap.1. num.40. & 54.* Bruno *propoſ.8.* Rodriguez *art.19.* Tambur. *tom.2. diſp.1. quaſt.5. num.3.* Miranda *tom.2 quaſt.46. art.8. concluſ.2.* Fagundez *in Eccleſia precept. lib.3. c.3. n.12.* Antonius à Spiritu ſancto *tract.1. diſp.1. num.34.*

Ita fit proprium communicantis privilegiũ, ut nomen ſuum in eo ponere liceat.

97. Ex quo ſequitur primo, ita fieri per communicationem propria privilegia ipſi communicanti; ut poſſit religio communicans apponere nomen ſuum juxta ipſum privilegium, vel tranſumptum, loco illius religionis, cui conceſſum fuit: abſque eo, quod in hoc reperiatur vitium falſitatis. Tum, quia ille dicitur falſarius, qui mutat veritatem cum dolo, *l. quid ſit falſarius, ff. de falſariis.* Sed in noſtro caſu, non immutatur veritas: quia veriſſimum eſt illud privilegium eſſe ſuum; cum privilegia per communicationem, taliter fiant propria communicantis; ac ſi ipſi religioni in particulari eſſent conceſſa: ergo, &c. Tum etiam, quia ad hoc datur expreſſum privilegium à Iulio II. Minimis conceſſum, conſtitutione incipiente: *Dudum ad ſacros ordines* 5. Kalend. Auguſt. anno 1506. & refertur à Confectio *pagin.*118. & Peyrinis *tom.1 privileg. ad dictam Bullam Iulii II. §.35.* quæ habetur apud Cherubinum *tom.2. Bullarii, Bulla* 10. *hujus Pontificis.* Idem conceſſit Clemens VI. die 21. Iunii anno 1524. & refertur à N. Petro ab Angelis *in ſpecul. diſp.2. ſect.2. num.30.* Quæ omnia confirmavit, & innovavit Gregorius XV. ſeptim. idus Februarii anno 1621. Sic Bordon. *tom.2. reſolut.52. n.96.* Bruno *tract.1. c.3. propoſ.1.* Petrus ab Angelis *loc. cit.*

Etiamſi pereat ordo, cui datum fuit privilegium, aliæ per communicationem illud participant.

98. Sequitur ſecundo: quod ſi aliquis ordo per Pontificis ſententiam, aliquod, vel aliqua privilegia, ſibi immediatè conceſſa amiſerit, vel limitationem acceperit, vel etiamſi tota illa religio deſtruatur; poſſunt communicantes, eodem modo ac antea utebantur, abſque ulla limitatione, eis uti. Similiter ſi privilegium reſtringatur, vel revocetur, in religione, cui per communicationem convenit, id non nocebit primæ religioni, cui primo conceſſum eſt. Sic Authores citati *num.*96. At vero aucto, vel extenſo privilegio pro prima religione, cui conceſſum eſt, vel quoad alia in particulari, non cenſetur auctum, vel extenſum quoad omnes ſecundum aliquos Authores; niſi earum communicatio extendatur etiam ad privilegia concedenda: quia talis augmentatio, vel extenſio eſt privilegium novum. Unde ſi in privilegio communicationis, non exprimat Pontifex, ut extendatur ad conceſſa, & concedenda, non extenditur ad privilegia, vel extenſiones eorum, quæ poſtea concedentur. Ita Balſæus *verb. privileg. num.11.* Suarez *cap.16. num.8.* Hieronym. Rodriguez *reſolut. 116. num.55.* Palans *tract.3. diſp.4. punct.2. §9. num.1. in fine.* Cæterum ſi res attentè conſideretur, etiamſi religio ſolum haberet privilegium communicandi in conceſſis; extenderetur ad concedenda, & per conſequens ad extenſionem jam conceſſorum: nam religio communicans in conceſſis privilegiis, omnia participat, quæ ſunt aliis jam conceſſa. Sed plures ſunt religiones habentes privilegium communicationis, in conceſſis, & concedendis; ut conceſſit Leo X. Dominicis, & Minoribus. Clemens VII. Carmelitis. Gregor. XIII. Ciſtercienſibus. Paulus V. Societati, & alii aliis, ut in earum bullariis cernere licet: ergo de primo ad ultimum, religio communicans cum aliis in conceſſis, quibus jam eſt conceſſum privilegium communicandi in concedendis; etiam communicat in concedendis. Sic Manuel Rodriguez *quaſt. regul. tom.3. q.10. a.1.* Miranda *tom.2. quaſt.46. art.5.* Hynojoſa *verb. communicatio privilegiorum.* quem refert, & ſequitur Hieronymus Garcia *tract.8. diff.1. dubio quarto, num.3.*

99. Sequitur tertio: quod per communicationem aliis convenit potiſſime, non eſt uſus privilegii; ſed jus utendi eo: quia privilegia ordinum fiunt ſic propria ordinis, cui communicatur, ac ſi ipſi eſſent ſpecialiter conceſſa. Sed cum privilegium alicui ſpecialiter conceditur; non tam uſus, quam jus utendi eo, impertitur: ergo, &c. Unde fit, quod religiones habentes privilegium communicationis, poſſunt uti privilegiis conceſſis alteri religioni, quibus ipſa propter aliquam cauſam non utitur; quamvis in aliquibus privilegiis ponatur clauſula: *quatenus ſunt in uſu*: quia ſenſus eſt, quatenus habent valorem, quoad jus utendi; quia hoc ipſo, quod valida ſint privilegia quando communicantur; nihil aliud requiritur, ut religio communicans habeat jus eis utendi, & de facto utatur independenter ab uſu, vel non uſu primæ religionis. Balſæus 5. *num.*11. Tambur. *tom.2. diſput.17. quaſt.5. num 3.* Lezana *tomo primo, cap.3. numero decimo ſeptimo, & tom.4. verb. privileg. num.25.* Bruno, Rodriguez, Miranda, Ioannes à Cruce, Bordon. Petrus ab Angelis *locis citatis.* ¶ Sequitur quarto. quod ſtatim, ac privilegium conceſſum fuit primæ religioni, poteſt alia religio communicans liberè uti illo, ſive acceptetur à prima religione, ſive rejiciatur, ſive adſit ſtatutum regulare, ut prius acceptentur privilegia in capitulis, vel diffinitoriis, ſive non: quia licet re-

ligioſi huius religionis habentis tale ſtatutum, eo uti non poſſint ante acceptationem ordinis, modo in ſuis legibus aſſignato; alii alterius religionis, quæ non habet tale ſtatutum, eo libere uti poterunt: quia hæc ſunt extrinſeca reſpectu privilegii conceſſi: ideoque non debent præjudicare aliis religionibus communicantibus, modo in illis, vel juxta ſuas leges, & ſtatuta acceptetur. Vel ſi non adſit lex circa hoc particularis, modo dicto *numero* 69. atque ita ſentiunt. Bordon. *reſolut.* 5 a. *num.* 88. Petrus ab Angelis *diſp.* a. *ſect.* a. *num* 40. Maldeus *verb. privileg. num.* 15. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 40. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 1. *diſp.* 1. *num.* 34. Apud nos autem tale ſtatutum repetitur, ut omnes bullæ, litteræ, ſive privilegia quæ quoquomodo ad religionem expectant, diffinitorio generali proponantur, & ab eo debitæ executioni mandentur: ut habetur in conſtitutionibus *noſtris* 3. *p. cap.* 3. *num.* 4.

---

§. II.

Aliqua difficultates, circa iſtam generalem communicationem deciduntur.

Non communicantur privilegia, quæ ſtatutis religionum ſunt contraria.

100. Circa dicta §. præcedenti, aliquæ ſunt difficultates, quas diviſim reſolvere libuit. Prima ergo difficultas eſt. An ſi privilegia alicui religioni conceſſa, alterius religionis ſtatutis, legibus, aut modo vivendi adverſentur, participentur per communicationem ab iſta religione; ita ut eis uti poſſint religioſi, contra id, quod in ſuis legibus ſtatuitur? ¶ Reſpondetur, omnino negativè. Quemadmodum privilegia religioſis militaribus conceſſa, ut nubere poſſint, ut teſtari, neutiquam aliis poſſint convenire, nec privilegia laxiori conceſſa religioni, alteri ſtrictiori poſſunt communicari. Ob idque in aliquibus privilegiis communicantibus; talis clauſula ſolet apponi: *Dummodo regulari obſervantia non ſint contraria.* Vel hæc. *Dummodo conſtitutionibus ordinis non contradicant.* Et quando expreſſe non apponitur, tacite ſubintelligitur: tum quia privilegia ſecundum quod opponuntur proprio inſtituto, ſunt odioſa: odia autem non communicantur, ſed privilegia, ut numero ſequenti dicemus. Tum etiam, quia Pontifices per ſua privilegia intendunt regularem obſervantiam fovere, non relaxationi ſemitam aperire, ſed ſalutarie ſtatuta augere, & conſervare. Tum denique: quia aliàs, quod in favorem conceditur, in odium extorqueretur: quod nequit præſumi tamquam irrationabile de Summo Paſtore. Tambur. *tom.* 1. *diſputatione* 17. *quæſt.* 6. *num.* 4. Lezana *tom.* a. *cap.* 1. *num.* 56. Portel. *in dubiis regularibus*, *verb. communic. privileg. numero* 8. Baſſæus *verb. privileg.* 5. *num.* 6. *& verb. relig.* 2. *num.* 10. Antonius à Spiritu ſancto *tractat.* 1. *diſputatione* 1. *numero* 41. Palaus *tractat.* 3. *punct.* 2. *diſputat.* 4. §. 9. *numero* 2. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 45. Petrus ab Angelis *diſputatione* 2. *ſect.* 2. *num.* 13. Bordon. *tom.* a. *reſolut.* 5 a. *num.* 7 a. Ex quo infertur, quod Patres Capucini, qui ex proprio inſtituto, non poſſunt confeſſiones ſæcularium excipere non poſſunt uti privilegiis regularibus confeſſoribus conceſſis, circa abſolutionem, & diſpenſationem ſæcularium: quia repugnant ſuo inſtituto, & ſic non intelliguntur communicata. Pellizzarius, Bordon. & Petrus ab Angelis, *locis citatis.*

In odioſis privilegia non communicantur.

101. Secunda difficultas eſt, an religiones communicantes cum aliis, etiam in odioſis, & pœnalibus communicent, ut ſi aliquæ pœnæ, cenſuræ, vel alia onera ſint eis impoſita? ¶ Reſpondetur, non communicari pœnas, & odia reperta in privilegiis religioſorum, reſpectu ipſorum; niſi hoc cedat in favorem communem religionis. Tum, quia tales conceſſiones, in quibus pœnæ ſunt inſtitutæ, dici potius debent ſtatuta, quam privilegia: ſtatuta autem non communicantur. Tum etiam: quia Pontifices dum concedunt communicationem, favere potius volunt, quam onerare: & ſic in favoribus, quos convenit ampliari, non in odioſis, quæ reſtringenda ſunt, communicationem impendunt. Pellizzar. *tom.* a. *tractat.* 8. *cap.* 1. *numero* 48. Baſſæus *verb. privileg.* 5. *num.* 9. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 46. *art.* 6. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 53. Bordon *tom.* a. *reſolut.* 5 a. *num.* 93. Petrus ab Angelis *numero* 31. Lezana *tom.* a. *cap.* 1. *num.* 5 a. Bruno *tract.* 1. *cap.* 3. *propoſit.* 1. *prope finem.* ¶ Diximus *reſpectu ipſorum.* Reſpectu autem ſæcularium, pœnæ contentæ in privilegio unius religionis, communicantur aliis in favorem religionum, ut timore pœnæ ſæculares perterriti, reverentiam, & obſequium religioſis exhibeant, non contemnendo privilegia. ¶ Diximus etiam: *niſi hoc cedat in favorem communem religionis.* Sunt enim aliqua privilegia, quæ licet videantur pœnalia, & odioſa reſpectu alicuius particularis religioſi; reſpectu tamen religionis favorabilia ſunt; quatenus per illa conſervatur melius diſciplina regularia, & augetur obedientia erga Superiores. Immo ipſis particularibus favorem ſpiritualem impendunt; ſiquidem ipſi ſubditi per obſervantiam talis privilegii, commodius exequuntur perfectionem ſui inſtituti, & hæc proculdubio communicantur. Bordon. Pellizzar. Antonius à Spiritu ſancto, Petrus ab Angelis *locis citatis.* Atque hinc fit, pauciſſima eſſe privilegia, quæ ſi non repugnant regulæ, ſeu conſtitutionibus proprii ſtatus, non ſint favorabilia, & ſic communicabilia reſpectu cuiuſlibet religionis; cum fere ſemper in eis ſaluti animæ, & corporis conſulatur.

Duplex ſententia contraria circa hanc difficultatẽ proponitur.

102. Tertia difficultas eſt: an religio communicans in privilegiis, poſſet per privilegium alteri conceſſum, contra eam ſe defendere, illudque retorquere contra primam privilegiatam? Aliqui negativè reſpondent, ob regulam illam: *privilegiatum contra privilegiatum, non poteſt uti, aut gaudere privilegio, l. ſed & milites. C. de Sacroſanct. Eccleſiis, l. verum cum ſequentibus, de Minoribus.* Et ideo minores, aut milites adverſus alios milites, aut minores, non poſſunt gaudere privilegio militum, aut minorum; prout habetur dictis textibus. Nam inter perſonas æque privilegiatas, confunduntur, & conquaſſantur privilegia; & attendendum eſt jus commune. Sed de hoc agemus infra, *hoc capite punct.* 8. agentes de uſu privilegiorum: nam hoc eſt commune omnibus privilegiatis, quod poſſint, vel non, uti privilegio adverſus pariter privilegiatos. Modo autem loquimur de privilegiato per communicationem, an poſſit uti privilegio alteri conceſſo, adverſus eum? ¶ Alii abſolute reſpondent affirmativè: quia religio communicans in privilegiis, ita ea propria ſibi facit; ac ſi ſibi primo, & per ſe, eſſent communicata: & ideo ſi vel per non uſum, aliove modo à priori ruant, vel minuantur, vel etiam tota extinguatur religio, in alia perſeverant, ut *numero* 95. dicebamus:

ergo eis agere, & ſe tuere poteſt adverſus aliam: ut ſi Auguſtiniani participarent in aliquo privilegio Dominicanorum primo illis conceſſo, poſſent ſe illo tueri adverſus Dominicanos, & reciproce: ac etiam ſi Dominicani illud ſpernerent, poſſent illo Auguſtiniani legitime, & valide uti adverſus quoſcumque alios. Sic Baſſæus *in florib. Theolog. verb. privileg. capite 5. numero 13.* Lezana *tomo 2. cap. 1. num. 57. & tomo 4. verb. privileg. num. 24.* Hieronym. Garcia *in Polit. regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 4. num. 3.* Bruno Caſſaing. *tom. 1. tract. 1. prop. 9.* Martin. à S. Ioſeph *ſuper. regul. minor. capite 3. numero 3.* Tambur. *tom. 2. quæſit. 17. quæſtione 4. numero 5.* Excipiunt autem eos, qui ſolum indirecte, & per ſe ſecundo communicant, ut famuli, & familiares religionis, qui ex conſequenti participant privilegia ipſius religionis, & non poſſunt eis uti adverſus ipſam religionem.

Media via incedimus, & utramque ſententiam conciliamus.

103. Nos verò ſub hac diſtinctione reſpondemus: quod ſi in dictis privilegiatis omnia ſint paria, ut ſi uterque de lucro acquirendo, vel damno vitando agat; conquaſſatur privilegium, & ſtandum eſt juri communi, & ſic vera eſt prima ſententia: quod aliquibus exemplis infra illuſtrabimus. Si autem privilegia illa ſint diſparia in utroque privilegiato, & in uno ſit fortius, & potentius, iſte agere contra alium poteſt, & ſe defendere, etiam utendo privilegio immediate & primo alteri conceſſo, & ſibi per communicationem competenti. Tunc autem cenſetur fortius, & potentius in uno quando iſte agit de damno vitando in re poſſeſſa, & alius de lucro acquirendo in re non poſſeſſa. Rem explico hoc exemplo. Ordini fratrum minorum, tale conceſſum eſt privilegium, ne juxta ſuum monaſterium poſſit ædificari aliud monaſterium Prædicatorum, Carmelitarum, &c. in paupertate viventium, intra ſpatium trecentarum cannarum, menſurandarum per aërem; ubi alias recte menſurari hoc diſpoſitio non permittit. Ita Clemens IV. conceſſit, ut habetur *in compend. privileg. mendicant. verbo ædificare* §. 1. Et unamquamque iſtarum cannarum, voluit octo palmos in longitudine habere. Huic privilegio communicant Prædicatores, Carmelitani, &c. Poſtea minoritæ volunt ædificare conventum prope Carmelitas intra idem ſpatium: poſſunt iſti, qui agunt de damno vitando ſe defendere, vel agere contra minores, qui de lucro acquirendo agunt, per illud privilegium conceſſum primo minoribus; quia hoc privilegium jam eſt æque proprium factum utriuſque; unius, per primam conceſſionem; alterius, per ſecundam factam in communicatione, & in uno eſt fortius, & potentius, qui agit de damno evitando; ſecus vero in alio qui agit de lucro acquirendo. Ita Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſputatione 2. ſect. 2. numero 37.* Rodriguez *quæſt. 55. num 1.* Miranda *tom. 2. quæſt 41. art. 7.* Bordon. *tom. 2. reſolut. 52. numero 63.* Portel. *verb. privileg. num. 24.* Antonius à Spiritu ſancto *tractat. 1. diſputatione 1. numero 59.* Quod etiam tenent authores ſecundæ ſententiæ: ſed intelligendum eſt cum limitatione in eadem poſita.

Privilegiis conceſſis Societati uti ipſa non poteſt, ſine licentia ſui Generalis.

104. Quarta difficultas eſt, an mendicantes, & qui cum eis in privilegiis participant; uti poſſint privilegiis Societatis Ieſu abſque licentia ſui Generalis, vel Provincialis? Et idem eſt cum alicui religioni conceditur privilegium, cum aliqua limitatione, vel reſtrictione; & alteri abſolute abſque illa reſtrictione, illudmet privilegium communicatur, non dicendo, quod ſit *ad inſtar illius*, ſeu eo modo quo illa, illo uti poteſt; ſed abſolute concedendo illud. Quod ſpecialiter agitur in communicatione privilegiorum Societati conceſſorum: nam illi ſemper conceduntur cum dependentia à ſuo generali; ita ut religioni Societatis Ieſu non poſſint uti aliquo privilegio ſibi immediate, vel per communicationem conceſſo, abſque dicto conſenſu ſui Generalis, propter bullam Gregorii XIII. in qua præcipitur, & aſſeritur, quod omnia privilegia ſocietati conceſſa, aut concedenda, non intelligantur conceſſa, aut concedenda inferioribus, ſed immediate Præpoſito generali, qui per ſe, vel per alios ab ipſo electos, ſingulis communicare libere poſſit. Et ſic nec licite, nec valide, abſque tali licentia ſui generalis, uti poterunt aliquo privilegio, Societatis religioſi. Vt docent Suarez *lib. 5. de legibus cap. 31. num. 11.* Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 4. punct. 2. §. 9. num. 4.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 1. numero 46.* Et omnes tam intra, quam extra Societatem. ¶ Quæritur ergo nunc, an religioſi alterius ordinis, cum Societate in privilegiis communicantis, uti poſſint privilegiis Societati conceſſis, abſque dicta reſtrictione, & eis uti abſque licentia ſui Generalis, vel Provincialis?

Privilegia conceſſa Societatis dependentes à ſuo generali, ab aliis participantur, abſque tali dependentia.

105. Affirmativè reſpondendum eſt, cum communi ſententia (quidquid in oppoſitum dicat Bordon. *tom. 2. reſolut 82. num. 57.*) Primo: quia talis reſtrictio, & limitatio facta eſt dumtaxat reſpectu Societatis, cuius inſtituti ratio, ob perfectum monarchicum regimen, & omnimodam dependentiam ab uno capite, id plane exigebat: ut in dicta bulla Pontifex ait: *propter inſtituti ipſius, ab aliis religionibus diverſitatem.* Ergo quando fit communicatio aliis, abſque tali reſtrictione eſt intelligenda. Ob idque in Societate concedit Pontifex privilegia immediate Generali; aliis vero concedens communicationem, non generali, ſed immediate ipſis religioſis talis communicatio conceditur. ¶ Secundo: quia talis limitatio non eſt privilegium, ſed magis privilegii reſtrictio; & ſic onus, & odium. Communicatio autem fit in favoribus, & gratiis; non vero in reſtrictionibus, & Pontifices communicant privilegia, non odia, vel onera: ergo, &c. Tertio: quia religioſi Societatis, etiam ſi communicent privilegia aliarum religionum, ſemper illa communicant cum illa dependentia à ſuo generali; quamvis in privilegiis aliarum religionum, non petatur talis dependentia: quia hoc eſt conveniens pro illo inſtituto perfectiſſime monarchico: ergo quando aliæ religiones participant illa privilegia Societatis, hoc erit abſque dependentia à ſuo generali: quia non eſt neceſſaria, nec pro inſtituto, nec pro bono regimine illarum. Dummodo communicatio modo dicto, non ſit contra inſtitutum particulare alicuius religionis quod ſemper ſubintelligitur juxta dicta *num. 101.* Idque ita tenent Palaus *ſupr. numero 4.* Pellizzar. *numero 46.* Baſſæus *privileg. 5. numero 10.* Hieronym. Garcia *tractat. 8. diff. 1. dub. 4. numero 5. fine.* Cœleſtin. *in compend. moral. Theolog. tract. 8. capite 15.* Bruno *tomo 1. tractat. 1. capite 3. prop. 8.* Petrus ab Angelis *in ſpecul. diſputatione 2. ſect. 2. numero 3.* Antonius à Spiritu ſancto *tractat. 1. diſputatione 1. numero 50.* Rodriguez *quæſtion. regular. tom. quæſtione 55. articulo 17.* Suarez *lib. 8. capite 17. numero 6.* Miranda *tomo 2. quæſtione 46. articulo 5. concluſione 2.* Diana *3. parte tractat. 2. reſolut. 81, & 5. parte tractat. 13. reſolut. 46.*

106. Quinta

Privilegia conceſſa cũ clauſula incommunicabilitatis, aliqui dicũt non cõmunicari aliis.

106. Quinta difficultas eſt, an privilegia, quæ habent clauſulam incommunicabilitatis; ut videlicet aliis communicari non poſſint, adhuc ab aliis religionibus poſſint communicari, quæ abſolute habent clauſulam communicandi cum aliis religionibus in privilegiis? Et quidem ſi in conceſſione iſta communicationis ponatur clauſula, ut poſſint communicare in omnibus, etiamſi habeant clauſulam incommunicabilitatis; non eſt dubium communicari dicta privilegia, & hoc licet una tantum religio, cum tali clauſula communicationem habeat: quia aliæ communicant cum ipſa in omnibus privilegiis; & ſic etiam in iſto cum tali clauſula favorabili fortificato. Sed quando non datur, ut fit communitet; aliqui negativam partem amplectuntur, propter aliqua privilegia à Gregorio XIII. & XIV. conceſſa Societati, ut ordinari poſſint in Sacris abſque interſtitiis, extra tempora, ſine examine in cantu, &c. cum clauſula ut non poſſint ab aliis, & alia ſimilia: ergo niſi in communicatione addatur clauſula revocatoria iſtius, non communicabuntur. Sic Peyrinis *tomo* 1. *Privileg. constitution.* 7. Sixti IV. *numero* 39. & *conſtitut.* Pythi §. 11. *fine.* Hieronym. Garcia *tractat.* 8. *diff.* 1. *dub.* 4. *numero* 3. Bordon. *tomo* 1. *reſolut.* 55. *numero* 86. Lezana *tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 41. & *capite* 14. *numero* 19. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 47. Suarez *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 8. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 5. §. 9. *num.* 3. & alii.

Etiam privilegia cõmunicantur, in quibus dicitur non poſſe communicari cum aliis religionibus.

107. Verius tamen dicendum eſt, quod ſi poſt conceſſionem factam Societati cum clauſula ut alii in tali privilegio non communicent, concedat vel idem Pontifex, vel ſucceſſores, aliis religionibus abſolutam communicationem omnium privilegiorum, ut nobis, & pluribus aliis conceſſum eſt; vel in ſpecie in privilegiis omnibus Societati conceſſis, vel concedendis, quod fecit Gregorius XIV. Ciſtercienſibus, & Cruciferis, quod aliæ omnes communicant; etiam communicantur illa, quæ dictam clauſulam incommunicabilitatis habent, etiam ſi in illis mentio non fiat eorum, ſed abſolute communicatio concedatur. Quod probatur primo. ¶ Quia Pontifices concedentes privilegia, cum illa clauſula, ut communicari aliis non poſſint, ligare non potuerunt manus ſucceſſorum, ut iſti abſolvere non poſſent, quod illi ligaverunt, & concedere, quod negarunt: ergo cum concedunt aliis religionibus, vel in ſpecie, ut communicent omnia privilegia Societatis, vel in genere ut communicent privilegia omnia cæteris religionibus conceſſa; concedunt etiam illa privilegia, quæ habent dictam clauſulam, ut non poſſint communicari. ¶ Secundo: quia Pontifices concedentes privilegia, vel communicationem illorum, ſolum addere conſueſcunt clauſulam illam: *Dummodo contraria non ſint Tridentino.* Et ſic concedunt communicationem in omnibus aliis conceſſis, & concedendis, quæ Tridentino non contrariantur: ergo omnia aliis concedunt, etiam cum clauſula incommunicabilitatis munita. ¶ Tertio: quia frequenter in communicatione dicitur, cum qualitate, & clauſula *quorum tenores*, quæ vim habet derogandi omnibus juribus, & conſtitutionibus derogantibus, & derogaturis privilegiis, in quibus eſt appoſita, & derogat omni clauſulæ reſiſtenti, tollitque omnes derogatorias derogatoriarum, ut *ſupr. num.* 47. dicebamus: ergo, &c. Atque ita docent. Donatus *tom.* 1. *tract.* 7. *quæſt.* 8. *Urbanus tract.* 2. *part.* 1. *cap.* 3. *regul.* 1. Bruno *tract.* 1. *cap.* 3. *propoſ.* 7. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſp.* 5. *sect.* 5. *num.* 9. Antonius à Spiritu ſancto *in Direct. regul. tract.* 1. *diſput.* 1. *num.* 49. Manuel Rodriguez *quæſt. regul. tomo* 1. *quæſt.* 55. *art.* 17. Hieron. Rodriguez *in compend. reſolut.* 116. *num.* 50. Ioannes à Cruce *de ſtatu religioſ. lib.* 2. *cap.* 4. *concl.* 3. § *ex aliis patet.* Hinojoſa *verb. confirm. privileg.* §. *dubium hoc loco.* Baſſæus *in florib. verb. privileg. cap.* 5. *numero* 10. Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 46. *artic.* 5. *concluſ.* 2. Diana 3. *parte tract.* 2. *reſolut.* 81.

§. III.

An privilegia conceſſa uni Provinciæ, uni Conventui, vel Eccleſiæ particulari, vel etiam ſingularibus perſonis, cenſeantur conceſſa cæteris Provinciis, Conventibus, & Eccleſiis, nec non ſingularibus perſonis, ex vi generalis communicationis?

Ratio dubitandi, qua pars affirmativa probatur.

108. PRæcipua difficultas in hac materia eſt, quam in præſenti proponimus: ob idque de illa ſigillatim agere libuit, & paulo latius; quia paſſim occurrens, & eius reſolutionis notitia eſt multum neceſſaria. Et ratio dubitandi pro parte affirmativa eſt, tum generalis, & ampliſſima privilegiorum conceſſio, qua Romani Pontifices omnia, & ſingula privilegia, immunitates, indulgentias, &c. Quibuſvis Congregationibus, Societatibus, aut aliis locis, vel illarum perſonis quomodocumque conceſſa, in genere, vel in ſpecie, tam conjunctim, quam diviſim, ſingulis mendicantium ordinibus concedunt, extendunt, & communicant, cum debitis, & conſuetis clauſulis, *motu proprio*, *certa ſcientia*, *de plenitudine poteſtatis*, *quorum tenores*, uti dicebamus *num.* 90. Et ideo multoties authores utuntur privilegiis uni provinciæ, aut conventui privative conceſſis, ad probandum ea aliis conventibus, & provinciis convenire, tam ipſius, quam aliarum religionum; præcipue de privilegiis conceſſis conventui S. Benedicti Vallisoletani, de quibus tanquam de communibus omnibus religioſis, conventibus egimus *tom.* 2. *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 14 *num.* 14. Et de Privilegiis conceſſis conventui S. Stephani Salmantino ordinis Prædicatorum, ſimiliter egimus *hoc tom.* 4. *tract.* 15. *de ſtatu religioſ. in comm. cap.* 3. *num.* 66. Et de aliis conceſſis particularibus provinciis, & conventibus, tanquam de communibus, per communicationem, omnibus religionibus, multoties in hoc curſu tractavimus.

Ratio dubitandi pro parte affirmativa, validiſſimis inſtantiis fulcitur.

109. Ex alia parte videtur hoc valde difficile, & alienum à mente Pontificum, atque à jure communi multum exorbitans, maximaſque parere confuſiones, & abſurda, & omnia ut ita dicam, confundens. Quis enim credere poterit, quod privilegia conceſſa provinciis religionum, apud infideles degentium, & in propaganda fide laborantium; ubi nec adeſt aſſiſtentia Epiſcoporum, nec copia miniſtrantium neceſſaris pro ſalute infidelium; intelligantur conceſſa pro Provinciis, & Conventibus inter fideles exiſtentibus? Quis, privilegium conceſſum uni monaſterio pauperi, ad ſublevationem paupertatis, diceret conceſſum eſſe alteri monaſterio diviti, illius, vel alterius ordinis? Quis, conceſſum alicui monaſterio, propter magnam numeroſitatem religioſorum, in illo frequenter viventium, aſſereret extendendum, ad aliud, quod paucos continet, & ſuſtentat religioſos? Quis, indul-

gentias, aut privilegia conceſſa alicui Eccleſiæ, vel monaſterio, in quo eſt imago ſingularis, & miraculoſa B. Virginis, vel Chriſti Domini, vel corpus, aut ſingularis reliquia alicuius Sancti, vel ob magnam populi devotionem, & frequentiam; judicaret conceſſa eſſe aliis monaſteriis, aut Eccleſiis, in quibus talis ratio non invenitur? Sic enim tepeſceret populi devotio, & non eſſet diſcrimen inter viſitare Eccleſiam Lauretanam, vel Ieroſolymitanam, vel Præſepe Domini, vel D. Iacobi, & alias viſitare Eccleſias, quod nullus dicet. Certe talia credenda non ſunt, quia à ratione aliena. Et idem eſt de conceſſis alicui particulari religioni, ob ſpecialem inſtitutum: ut conceſſum Societati Ieſu non recitandi officium divinum in Choro, &c. Et nobis non eundi ad proceſſiones publicas ob ſtrictiſſimam clauſuram, quam profitemur, quæ proculdubio non participantur ab aliis religionibus, niſi eis in ſpecifica forma fuerint conceſſa.

Quæ privilegia ſine dubio communicantur, quæ etiam non communicantur?

110. Sed ut certa ab incertis ſeparemus, certiſſimum eſt apud Doctores primo, quod privilegia conceſſa alicui perſonæ, ratione dignitatis, officii, vel miniſterii; quibuſvis perſonis, eiuſdem, vel alterius ordinis communicantur in eadem dignitate, officio, vel miniſterio exiſtentibus: ut Generalibus, Provincialibus, Prioribus, Capitulis, Confeſſoribus, Prædicatoribus, &c. Et alia, quæ conceduntur particularibus perſonis alicuius ordinis, non ut particulares ſunt; ſed ut membra, & partes alicuius Congregationis, vel Communitatis: quia ſicut ſunt vel in eodem officio, & dignitate, vel in eiſdem exercitiis religionis in communi; ſic participare æquum eſt eoſdem favores, & gratias: quod eſt communi inter Doctores. Sicut etiam eſt commune inter illos privilegia conceſſa alicui particulari perſonæ, ut tali; aliis nullo modo communicari, nec in proprio, nec in alieno ordine: quia talia privilegia ſunt perſonalia pure, & ſequuntur perſonam, & cum illa extinguntur; & ſunt omnino incommunicabilia. *Cap. ſane de regul. iuris, in 6.* Maxime, quia quod uni ut proficuum conceditur, aliis fortaſſe erit inconveniens, & nocivum, everteretur que totus ordo religionum, ſi quod aliquibus ob ſpeciales circunſtantias, neceſſitates, aut qualitates conceditur; omnibus indiſcriminatim communicaretur.

Conceſſa religioſis conveniunt Prælatis, nó econtra.

111. Secundo eſt certum Prælatos omnes, gaudere privilegiis omnibus, ſubditis religioſis conceſſis, etiam ſi de Prælatis in eis nulla mentio fiat; eo quod in favorabilibus, licet non in odioſis, nomine religioſorum, prælati veniant. At conceſſa privilegia prælatis, ut talibus non conveniunt ſingulis religioſis; quia conceduntur ratione dignitatis, non vero ratione perſonæ, aut quia religioſi ſunt, ſed quia prælati. Nec ſimiliter conceſſa prælatis Superioribus ut talibus, nimirum Generali, aut Provinciali, non conveniunt prælatis inferioribus. Et ſic conceſſa Generalibus, non competunt Provincialibus, nec conceſſa Provincialibus, communicantur prioribus; quia illis ob dignitatem ſupremam competunt, quæ non reperitur in iſtis. Et idem eſt de conceſſis capitulis Generalibus, quæ Provincialibus capitulis non conveniunt. At privilegia conceſſa prælato inferiori, licet aliqui dicant non convenire Superioribus, ob conſtitutionem Iulii II. in qua diſponit, quod communicatio fiat ordinatim inter partes; de Superiore locali ad Superiorem localem; de Provinciale ad Provincialem: ergo non eſt faciendus tranſitus de Priori, ad Provincialem. ¶ At verius eſt oppoſitum: nam ſi prælatus Superior de jure habet eandem, & majorem poteſtatem, quam prælatus inferior, reſpectu cujuſlibet monaſterii, deneganda non eſt ei participatio privilegii conceſſi inferiori ratione poteſtatis, ſeu officii: maxime cum ſimus in re favorabili. Conſtitutio autem Iulii II. ſolum ſtatuit modum communicationis, inter Superiores, qui pares ſunt in officio; ſed non negat ut majores gaudeant privilegiis, conceſſis minoribus.

Omnia privilegia uni, Conventui, Eccleſiæ, vel Provinciæ conceſſa, aliis omnibus convenire aliqui dicunt.

112. His ſic ſtatutis, veniamus ad principalem quæſtionem, circa quam plures, & graves authores abſolute tenent omnia, & ſingula privilegia conceſſa uni Provinciæ, Conventui, Eccleſiæ, vel particularibus religioſis (non ut particulares ſunt, ſed ut membra alicuius communitatis, vel Congregationis) competere aliis Provinciis, conventibus, & religioſis, non ſolum eiuſdem, ſed alterius cuiuſvis Ordinis. Quod probant primo ex dictis *num.* 108. Secundo: quia ita conceſſit Clemens VIII. Ordini S. Hieronymi in Hiſpania. Gregorius XIII. Societati. Clemen. VII. & VIII. nobis Carmelitis excalceatis, & aliis alii Pontifices conceſſere. Vt conceſſa uni monaſterio, aut perſonis eiuſdem ordinis, extenderentur ad omnia monaſteria, & perſonas, eiuſdem ordinis. Et cum hæc ipſa privilegia communicentur aliis, ſequetur etiam omnes alias religiones, & in omnibus earum monaſteriis, gaudere privilegiis conceſſis uni conventui, vel Provinciæ. Et ideo Pius IV. ad inſtantiam noſtri Regis Philippi II. Ordini S. Hieronymi in Hiſpania hæc conceſſit; prout refert *collector privilegiorum eiuſdem ordinis*: verbo *extenſio privilegiorum: Quod omnia, & ſingula privilegia, immunitates, & exemptiones prærogativa, indulta temporalia, favores & gratiæ ordinis, & ſingulis cuivis monaſterio per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, per ſe, & per ſedem Apoſtolicam, eiuſque legatos, & nuntios in genere, & in ſpecie conceſſa ad omnia, & ſingula monaſteria, tam virorum quam mulierum quibus in ſpecie conceſſa ſunt: & in quibus alia cauſa conceſſionis, & indultorum prædictorum, alias quam profertur, ſubeant, ad id ut ipſa monaſteria, illis pariformiter uti, frui, & gaudere poſſint, & debere; proinde ac ſi eis in ſpeciali conceſſa fuiſſent, authoritate Apoſtolica extendit, & ampliavit: illaque inter omnia tam virorum quam mulierum monaſteria ordinis, in omnibus, & ſingulis communicavit.* Hactenus ibi: quibus adiunge privilegium conceſſum à Clemente VIII. Conventui S. Stephani Salmantino ordinis Prædicatorum, quo gaudet totus Ordo Prædicatorum, ac proinde alii cum eo in privilegiis communicantes.

Sententiæ dictæ explicatio, & authores pro ea.

113. Hanc ſententiam modo dicto tenent, Tamburin. *de iure Abbat. tomo* 1. *diſputatione* 17. *quæſit.* 2. *numero* 1. ubi alia adducit privilegia. Pellizzar. *tractat.* 8. *capite* 1. *numero* 42. & 43. Bruno Caſſaing. *tractat.* 1. *capite* 3. *prop.* 5. Quintanadueñas *ſingular. quæſt. tom.* 2. *tractat.* 2. *ſingul.* 15. *numero* 5. Portel. *verb. communicatio privileg. numero* 6. & *verb. privileg. num.* 10. Miranda *tomo* 2. *quæſtione* 46. *artic.* 7. Antonius à Spiritu ſancto *tractat.* 1. *diſputatione* 1. *num.* 40. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 55. *art.* 18. Hieronym. Garcia *in Politic. regul. tractat.* 8. *diff.* 1. *dub.* 4. *num.* 8. & præcipue *num* 11. Quare dicunt hi authores, quod licet ex vi conceſſionis, hoc intuitu, vel illo, hac

vel

vel illa ratione, aut circumſtantia non extendatur privilegium ad alia Monaſteria, vel Eccleſias, ubi non eſt talis circumſtantia, vel ratio; bene tamen ex vi alterius generalis conceſſionis: quia ſucceſſor Pontifex, omnia conceſſa quacumque ratione pro aliis extendit; maxime, quia in dubiis extendenda ſunt privilegia, non coartanda: quemadmodum indulgentia Portiunculæ communicata Eccleſiæ ſpeciali, extenditur ad omnes Eccleſias Minorum. Sed hoc ultimum nihil probat: quia ad hoc datur privilegium ſpeciale Pauli V. extendentis illam indulgentiam Portiunculæ ad omnes Eccleſias minorum. Ex quo colliges extendi etiam per communicationem ad omnes Eccleſias aliorum Ordinum juxta *n.* 118. dicenda.

Quæ in aliis Cóventibus eadem vel ſimilis ratio militat, participant privilegia uni Conventui conceſſa.

114. Sed huic ſententiæ nunquam acquieſcere potuimus propter dicta *num.* 109. Quare aſſerimus primo, quod tunc privilegia conceſſa Provinciæ, Eccleſiæ loco ſacro, aut particularibus perſonis, conveniunt per communicationem omnibus Eccleſiis, Provinciis, locis ſacris, & particularibus Religioſis (non ut particularibus, ſed ut partes ſunt alicujus Congregationis) tam ejuſdem, quam aliarum Religionum, quando in eis militat eadem, vel ſimilis ratio, propter quam Pontifex alia privilegia conceſſit: quia ibi ſunt eadem ſimilia, vel æquipollentia obſequia Dei, vel Eccleſiæ ſanctæ; credendum eſt velle Pontificem, illa privilegia extendere. At ubi talis ratio, eadem ſimilis, vel æquivalens non militat; credendum eſt nolle Pontifices concedentes alicui Congregationi Eccleſiæ, vel Conventui, ob rationes, & circumſtantias particulares illius, aliqua privilegia, ea extendi ad alia, quia illis conceduntur ob rationes ſingulariſſimas, in eis inventas, quæ non militant in aliis: & tunc cenſentur quaſi perſonalia, & non extenſibilia. Quod verificatur in omnibus caſibus à nobis adductis *num.* 109. & quæ pro contraria ſententia adduximus, *num.* 108. intelliguntur comprehenſi in illis, de quibus in prima parte hujus aſſertionis loquimur.

Id ipſũ alia via explicatur, & confirmatur inſtantiis manifeſtis.

115. Quod alii aliis verbis explicant, quod quando privilegium, indulgentia, &c. conceditur alicui ordini, Monaſterio, Eccleſiæ, &c. intuitu Religionis, vel intuitu Doctrinæ, &c. quamvis forte major Religio, aut doctrina in tali Monaſterio urgeat, ob quam cauſam ei primo conceditur, extenditur ad alia Monaſteria eiuſdem Ordinis, & etiam aliarum Religionum: quia jam eadem, vel ſimilis, vel æquivalens ratio cenſetur in omnibus reperiri: ut Indulgentia pro die Patroni, vel alicujus Sancti Ordinis: vel ſuſpendere interdictum pro eis diebus; quod reſpectivè communicatur aliis ordinibus. ¶ At ſi privilegium, vel indulgentia conceſſa ſit intuitu alicujus ſpecialis circumſtantiæ, loci, vel Congregationis; quia nimirum, in eo eſt imago valde miraculoſa, corpus alicujus Sancti; quia in loco illo exercitum fuit aliquod myſterium, vel excellentiſſimum opus; vel quia hoc petit ſpecialis ratio inſtituti illius Ordinis, talia indulta non extenduntur ad alios ordines, loca, vel Eccleſias, in quibus non viget illa ratio: ſed ſunt quaſi ſingulares, & perſonales illius loci favores. Quemadmodum privilegia conceſſa Prælatis ſecundum omnes, non competunt ſubditis; quia illis conceduntur, ob ſpecialem circumſtantiam excellentiæ, quæ in iſtis non reperitur, & privilegia conceſſa huic particulari, ut tali, omnes dicunt alteri non convenire; quia illi conceduntur ob ſpecialem circumſtantiam perſonæ, quæ in iſto non datur: ergo ſimiliter conceſſa particulari loco, Provinciæ, aut Monaſterio non intuitu Religionis; ſed ob ſpecialem circumſtantiam illius; non conveniunt aliis, etiam per communicationem, ubi tales circumſtantiæ deſunt: aliàs omnia confunderentur: pietas, & devotio in fidelibus reſpectu aliquorum locorum non parum frigeſceret, & minueretur. Atque ita docent Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 1. Lezana *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 52. Petrus ab Angelis *in ſpeculo diſp.* 2. *ſect.* 2. *à num.* 14. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 52. *à num.* 75. Quareſmi *in ſua Hieruſalem illuſtrata, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *dubio* 5. *§. Alterum.*

Quæ raro, & cum difficultate conceduntur, non extenduntur ad alios ordines.

116. Aſſerimus ſecundo: non extendi communicationem ad eas gratias, quæ alicui particulari Conventui, vel Religioni per brevia particularia, præcedente decreto, vel examine alicujus Congregationis, Pontifices concedunt; quia enim non conceduntur intuitu obſequii communis cum aliis Religionibus, ſeu Conventibus; ſed ob particularem, & ſpecialem rationem: & ſic computantur inter ea, quæ raro, & cum magna difficultate conceduntur, ſapiuntque naturam ſingularium gratiarum, quæ non communicantur ex vi generalis communicationis. Vt ſi alicui Conventui præbeatur facultas alienandi bona immobilia, ſi alicui Congregationi detur poteſtas recitandi de aliquo Sancto, vel apponendi in breviario Sanctum illius ordinis, vel reducendi numerum Miſſarum: ad quæ omnia decreta Congregationis, & examen illius regulariter præcedunt: & ſic computantur inter ea: quæ raro, & difficulter conceduntur, minime extenduntur ad alia monaſteria, vel ad alios ordines. Lezana *tom.* 3. *verbo Miſſa. num.* 51. Quintanadueñas *ſingul. citat. num.* 3. Diana, quem refert, & ſequitur N. Petrus ab Angelis *diſputat.* 2. *ſect.* 2. *num.* 17.

Solvuntur ea, quæ pro contraria ſententia afferuntur.

117. Ex his patet, ad ea, quæ pro contraria ſententia afferuntur. Illæ namque ampliſſimæ conceſſiones Summorum Pontificum, intelligi debent cum limitationibus aſſignatis: quia ſolum loquuntur de communicationibus, quæ Ordinibus, & Congregationibus, locis, & perſonis communiter fiunt, ſeu intuitu Religionis, doctrinæ, vel alterius circumſtantiæ, quæ eadem vel ſimilis, vel æquivalens in aliis reperitur; non vero de conceſſis particularibus locis, vel Eccleſiis privatis ob ſpecialiſſimas rationes, in eis repertas: ſicut nec loquuntur de conceſſis privatis perſonis, ut talibus, ob ſingulares circumſtantias, & qualitates, quæ in illis conſiderantur; nec intelliguntur de his, quæ raro, & non ſine magna difficultate, ac præcedente examine conceduntur: quia in generali conceſſione non veniunt, quæ non eſſent conceſſa, ſi ſpecifice peterentur. De quibus eſt intelligendus notabilis textus *in capite cum Capella, de privilegiis.* Vbi diſponitur, quod privilegium conceſſum uni Eccleſiæ, vel Provinciæ, ſeu loco nequit trahi ad aliam Eccleſiam, Provinciam, ſeu locum: quod intelligitur modo in duabus noſtris aſſertionibus dicto.

118. Aſſerimus

Omnia hæc uſque dicta etiam de indulgentiis accipienda ſunt.

118. Aſſerimus tertio : omnia quæ dicta ſunt de privilegiis adaptari debere pro Indulgentiis ; ſiquidem ſub privilegii nomine comprehenduntur, & ſub proprio nomine indulgentiæ nobis, & aliis ſunt communicatæ. Quare omnes communicantur, quæ generaliter alicui Religioni conceduntur, intuitu Religionis : niſi fuerint de his, de quibus ſpecialis mentio requiritur ; non vero quæ ob ſpecialem, & ſpecificam rationem alicui ordini, Eccleſiæ, vel Monaſterio conferuntur, & quæ raro, & non niſi cum magna difficultate ſolent concedi. Talis eſt indulgentia altaris privilegiati ; quia hoc conceditur ex ſpecialiſſimo indulto, & difficillimi : & ideo non comprehenditur ſub generali communicatione, uti practicatur de ſtylo Curiæ. Peyrinis *tom.2. privileg. ad conſtitut. Pauli III. in annotat.num.*1.Tambur. *tom.*1. *diſp.*17. *quæſt.*2. *num.*4. Merola *tom.*3. *de privileg. cap.dub.*12. *num.*21. Antonius a Spiritu ſancto *tract.*1. *diſp.*1. *num.*45. *licet alii oppoſitum probabiliter teneant.* ¶ Similiter, Indulgentiæ perpetuæ, quæ continent generalem rationem, nimirum auxilium Sanctorum, augmentum Chriſtianæ Religionis, ſplendorem Eccleſiarum, communicantur ; licet in ſpecie ab aliqua Religione impetratæ fuerint. Non vero communicantur indulgentiæ, ſicuti nec alia privilegia, quæ ſolum ad tempus determinatum conferuntur : quia communicatio intelligitur de indulgentiis, & privilegiis perpetuis. Bordon. *tom.*2. *reſolut.*52. *num.*77. *&* 81. Lezana *tom.*3. *verbo indulgentia, num.* 8. Antonius à Spiritu ſancto *tract.diſput.*1. *num.*43. *&* 46. Hieronym. Garcia *tract.*8. *diff.*1. *dub.*4. *n.*9. Petrus ab Angelis *diſp.*2. *ſect.*2. *num.*25. *&* 26.

PUNCTUM VIII.

De uſu privilegiorum, tam pro foro externo, quam interno.

Alibi dicta circa hanc materiam recenſentur.

119. PLURA quæ ad uſum privilegiorum pertinent, manent jam ex dictis explicata. Nam utrum privilegiatus teneatur aliquando uti privilegio ? diximus *num.*11. An ſi privilegium fuerit ſub conditione impetratum, eo uti poſſit impetrans, ante impletionem conditionis ? *num.*34. & alia plura diverſis locis hujus Capitis explicuimus, & an Novitii uti poſſint omnibus privilegiis, pro Religioſis profeſſis expeditis diximus *hoc tomo, tract.*15 *de ſtatu Religioſo in communi cap.*3. *num.*85. Nunc ad alia, quæ remanent accedentes, duplici, §. totum hoc negotium abſolvemus.

§. I.

Quando, quo loco, & quomodo poſſint uti regulares privilegiis ipſis conceſſis.

Ad utendū privilegio pro foro conſcientiæ non requiritur ſcriptura.

120. UT privilegiatus poſſit uti privilegio ſibi immediate, vel per communicationem conceſſo, in foro conſcientiæ ; debet ſibi conſtare de validitate, aut firmitate eius, vel ſaltem circa hoc habere opinionem probabilem, quod ſufficit ut ſit tutus in conſcientia illo utendo. Non requiritur autem pro tali foro ſcriptura, vel bullatio, ut latè diximus *num.*57. ſed ſufficit, quod uretenus illud impetraverit, vel impetratum eſſe ſibi conſtet, per aliquod vivæ vocis oraculum. An vero, & quomodo revocata fuerint vivæ vocis oracula per Vrbanum VIII. dicemus *capite ſequenti.* Vel etiam ſufficit, quod per conſuetudinem illud acquiſierit. Nam per conſuetudinem poſſe acquiri privilegia, diximus ſupra *num.*30. Pro foro autem externo requiritur, quod illud exhibeat in ſcriptis, vel in forma probante ; quia in hoc foro nulli creditur ſine probatione, *cap.tua nos de ſponſalibus, cap. accepimus* 4. *de privilegiis, cap. cum perſona* 7. *eodem titulo in* 6. Quomodo autem pro foro externo probetur privilegium, dictum eſt jam à nobis ſupra *n.*29. *&* 30.

In dubiis de valore privilegii, non poteſt Epiſcopus uſum illius impedire.

121. Sed rogabis primo, an Epiſcopus dubitans de validitate privilegii regularium, an ſit in uſu, an ſubreptitium, an vitioſum, an amiſſum, aut aliter intelligendum, poſſit regulares impedire, ne interim tali privilegio utantur ? ¶ Reſpondetur negativè : tum, quia illis privilegiorum Religioſorum judicialis interpretatio eſt prohibita, uti probavimus *ſup. num.*72. & ſic de eis judicare : ſed conſulenda eſt Sedes Apoſtolica, & interim lite pendente circa valorem, non eſt privandus privilegiatus ſua poſſeſſione : tametſi talis poſſeſſio ſit contra jus. Tum etiam, quia nemo poteſt eſſe judex in cauſa propria, quod præſtaret Epiſcopus, ſi modo dicto ageret contra exhibentem ſua privilegia. Tum denique ; quia privilegia regularium in dubio, late ſunt interpretanda, ut diximus *num.*73. & ſtante utriuſque opinione, aut dubio, in favorem eorum explicanda ſunt, ut ex multis probavimus, *num.*74. & ſic tenent authores dictis *locis citatis*, & in præſenti, Rodriguez *tom.*1. *quæſt.*56. *art.*12. *& tom.*2. *quæſt.*64. *art.*7. Pellizzar. *tract.*8. *cap.*1. *num.*85. Petrus ab Angelis *diſput.*2. *ſect.*3 *num.*8. ¶ Addit autem Hieronym. Garcia. *in Politic.regni.tom.*5 *tractatu* 8. *diff.*1. *dub.*4. *num.*13. poſſe Religioſos uti ſuis privilegiis adverſus quemcumque inferiorem Papa, & ſi ab oppoſitione non deſiſtat, eum excommunicare, & quod factum fuerit ab Epiſcopo, vel alio adverſus illos eſſe nullum, ob indultum Iulii II. Fratribus de Monte Oliveti, & Leonis X. qui conceſſit Auguſtinianis, ut clericos, qui ſe oppoſuerint, poſſint privare ſuis dignitatibus. Quod privilegium refertur *in compendio Societatis* §. 2. Sed ad hoc debent judicem conſervatorem nominare.

Vbi poſſint regulares ſuis privilegiis, etſi habuerint non uſum, vel uſum contrarium.

122. Rogabis ſecundo : an regulares poſſint uti ſuis privilegiis, etſi contra ea habuerint uſum contrarium ? ¶ Reſpondetur affirmativè, ob privilegium bullatum Eugenii IV. conceſſum Congregationi S. Iuſtinæ, quod refert Rodriguez *in bullar. fol.*199. & Tambur. *de iure Abbat. tomo primo, diſputatione* 16. *q.*12. *num.*4. ubi ſtatuitur *ut ſi quando contigerit per aliquem, aut plures actus contra huiuſmodi, aut quæcumque alia privilegia indulta, gratias, immunitates prædicta Congregationi conceſſa, aut ipſorum aliquod, à quocumque, cuiuſcumque conditionis, gradus, ſeu ſtatus exiſtat, ex negligentia, vel ignorantia præſentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis cauſa propterquam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obſervatum ignoranter*

ignoranter, vel ſcienter, nullum tamen præjudicium decretis, privilegiis, indultis, gratiis generetur; ſed ſub ſuo vigore, ac robore permanerent. Portel. *in dubiis regularibus, verbo privilegium, in addit. num* 4. Tamburin. *loco citat.* Diana 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 88. Ioannes à Cruce *de ſtatu Relig. lib.* 2. *cap.* 3. *dub* 2. *concluſ.* 2. Pellizzar. *ſupra num.* 77. Sed de hoc amplius redibit ſermo, *cap ſequent.* cum de amiſſione privilegiorum per non uſum, vel uſum contrarium loquamur. ¶ Atque idem Eugenius IV. Monaſterio S. Pauli extra muros conceſſit, ut non poſſit præſcribi contta illa, niſi per 100. annos, ut refert Tamburin. *loco citat.* Quæ præſcriptio debet numerari ab ultima confirmatione, ex certa ſcientia, ut aſſerit Ioannes à Cruce *loco citat.* & Tamburin. *quæſt.* 14. *num* 8. Antonius à Spiritu ſancto *tr.* 1. *diſput.* 1. *num.* 114. ¶ Ac denique idem Eugenius IV. conceſſit Congregationi S. Benedicti, ut eorum privilegia non poſſint amitti per contrarium uſum, vel per non uſum, ut refert Portel. & Diana citati.

Superiores Religioſi poſſunt eorum privilegia reſtringere, & auferre.

123. Rogabis tertio, an poſſint Superiores regulares limitare uſum privilegiorum ſuis inferioribus, vel illum in totum auferre? ¶ Reſpondetur affirmativè, juxta dicta *num.* 76. Præcipue autem Generales, Capitula generalia, aut Provincialia poſſunt limitare, ſeu reſtringere ſibi ſubditis uſum quorumcumque privilegiorum Apoſtolicorum, ut conceſſit Leo X. Minoribus, ut habetur in Compendio mendicantium, *verb. privileg. Fratrum*, §. 26. & Clemens IV. Ciſtercienſibus, *ut in eorum compend. verb. privileg.* §. 6. *reperitur*, & Gregorius XIII. Societati, ut in eius compendio dicitur, *verb. gratiarum uſus*, §. 2. atque ita tenent Tamburin. *tom.* 1. *diſputat.* 16. *quæſtione* 9. *num.* 1. & 2. Diana 2. *part. tractat.* 2. *reſolut.* 88. Peyrin. *tomo primo, privileg. conſtit.* 2. *Iulii XI.* §. 3. *num.* 9. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 105. Miranda *tom.* 2. *quæſtione* 43. *articul.* 4. Baſſæus *verb. privileg. num.* 41. Manuel Rodriguez *tom.* 1. *quæſtione* 9. *artic.* 2. Hieronym. Rodriguez *reſolut.* 116. *num.* 26. Portel. *verb. privileg. num.* 78. ¶ Non tamen poterunt, virtute prædictarum conceſſionum tollere aut limitare privilegia, quæ ſunt in corpore juris inſerta. V. g. quod Superiores confiteri extero Sacerdote poſſint, & alia hujuſmodi: quia privilegia in corpore juris inſerta, habent vim legis, quam abrogare, vel tollere aut reſtringere non poteſt inferior. ¶ Et ex dictis *loco citato*, conſtat, poſſe Capitulum generale reſtringere, & auferre uſum alicujus, vel aliquorum privilegiorum, reſpectu generalis: quia privilegio, quod fuit toti Religioni conceſſum, ipſa tota conjuncta in Capitulo poteſt cedere, & uſum illius à quolibet abdicare. Pellixzar. *num.* 63. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 106.

Quando privilegiatus adverſus privilegiatū agere poteſt.

124. Rogabis quarto, an privilegiatus adverſus pariter privilegiatum, poſſit uti privilegio ſibi conceſſo? ¶ Aliqua diximus circa hanc difficultatem ſupra *num.* 103. ſed quia alia huic loco remiſimus, reſpondemus utrumque eſſe verum, & affirmativa pars, & negativa. Sed in diverſis caſibus, v. g. habet quis privilegium generale accipiendi decimas ab omnibus exiſtentibus in hoc territorio: habet alius privilegium ſpeciale non ſolvendi decimas, hic poteſt agere adverſus illum, ille vero agere non poteſt adverſus iſtum: quia ſpeciale prævalet generali*, cum generi derogetur per ſpeciem. *Regul.* 34. *de regul. iuris.* Imo non prævalet cum non ſint contra; ſed in generali ſemper intelliguntur excepti, qui ſpeciale habuerint privilegium. Idem eſt in iſto caſu. Habet aliquis creditot privilegium ad compellendum omnem debitorem: & debitor talis habet privilegium, ut non poſſit compelli intra tale tempus, ut in hoc regno habent agricolæ, ut non poſſint cogi ad ſolvendum tempore meſſis colligendæ: non poterit creditor ille hunc debitorem compellere; ſed magis iſte per privilegium ſe poteſt contra illum defendere. Accipe aliud exemplum: habet dux privilegium à Rege ut obliget quemcumque plebanum, ut recipiat hoſpitem militem: habet è contra plebanus Religioſorum Carmelitarum confrater, eo quod recipiat fratres in ſua domo, privilegium ne cogatur ad recipiendos tales milites: in tali caſu Dux privilegiatus, non poteſt agere contra illum plebanum; quia ille eſt in genere privilegiatus, iſte in ſpecie, & ſic iſte adverſus illum debet prævalere. Ita in aliis, & ſimilibus caſibus, tenent Palaus *tractatu* 3. *diſputatione* 4. *punct.* 8. *num.* 2. Rodriguez *tom.* 1. *quæſtione* 9. *articulo* 1. Garcia *tractatu* 8. *diff.* 1. *dub.* 8. *num.* 3. Salas *de legib. diſputatione* 17. *ſect.* 14. *num.* 24. Antonius à Spiritu ſancto *tractatu* 1. *diſputat.* 1. *num.* 115. Baſſæus *verb. Privileg.* 4. *num.* 12. Bordon *tom.* 2. *reſolut.* 51. *num.* 63. Pellizzar. *tractatu* 8. *cap.* 1. *num.* 78.

Quomodo privilegiatus non poteſt agere contra pariter privilegiatum.

125. Si tamen contraria privilegia concurrant, itaut non poſſint concordari, ut utrumque valeat; ut ſi privilegium habeat Monaſterium ædificatum, ne aliud intra certas cannas ædificetur, & alteri Monaſterio conceſſum ſit intra illas ædificare; tunc antiquius privilegium debet prævalere adverſus poſterius: cum Princeps non præſumatur velle derogare juri alterius, jam acquiſito, niſi illius faciat expreſſam mentionem, illi manifeſte derogando. Idem eſt, quotieſcumque agitur de damno vitando, vel lucro acquirendo: tunc ille præfertur, qui paſſurus eſt damnum. Bartholus *in authentic. quas actiones, Cod. de ſacroſ. Eccleſ. num.* 3. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 23. *num.* 5. & 6. Pellizzar. Bordon. Palaus, Rodriguez, *loco citato*, & conſtat ex dictis ſupra *num.* 103. ¶ At vero ſi utrumque privilegium ſit æquale, æque ſavorabile, & concurrit in actu exercito; tunc privilegiatus uti non poteſt privilegio adverſus alium pariter privilegiatum; eo quod ſimile non agit in omnino ſimile, ut docet Philoſoph. *libro quarto, de generat. cap.* 7. *text.* 50. & tunc currit regula illa juris, de qua mentionem fecimus *num.* 102. quod privilegiatus contra pariter privilegiarum non gaudeat privilegio, *l. verum. ff. de minoribus.* Et ſic quando duo habent privilegium circa eandem rem æquale, utrumque conquaſſatur, & ceſſat; & ſtandum eſt juri communi. Quare miles adverſus militem uti non poteſt privilegio militum, minor adverſus minorem, non poteſt uti privilegio Minorum. Cujus duo exempla adduximus *tom.* 3. *tract.* 14. *de contract. cap.* 5. *de ecſtam. num.* 121. 125. & 126. circa quartam tabellianicam deducendam ab hæreditate, & quartam falcidiam deducendam ex legatis.

Privilegiatus, in omni loco poteſt uti ſuo privilegio.

126. Rogabis quinto, an regularis, vel quilibet alius privilegiatus, poſſit in omni loco uti privilegiis ſibi conceſſis? ¶ Reſpondetur, quod ſi privilegium ſit abſolute, & abſque ulla determinatione conceſſum; poteſt in quolibet loco illo uti, niſi de mente concedentis aliter conſtet. Tum: quia ſicut privilegium abſque determinatione temporis conceſſum, eſt perpetuum, & pro omni tempore, ſic conceſſum abſque determinatione loci, deſervit pro omni loco. Tum etiam: quia ubi lex non diſtinguit, aut limitat, nec nos diſtinguere debemus, aut limitare; niſi ad id aliqua ratione, aut lege cogamur. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 5. *punct.* 5. *num.* 1. Palaus *tract.* 3. *diſput.* 4. *punct.* 6. *num.* 1. Suarez *lib.* 8. *cap.* 26. *num.* 2. Pellizzar. *tract.* 8. *cap* 1. *num.* 59. Baſſæus *privileg.* 5. *num* 7. ¶ Ex quo fit, poſſe privilegiatum uti privilegio reali, vel perſonali ſibi conceſſo, abſque ulla determinatione loci, ubicumque fuerit, etiam extra territorium concedentis (dummodo ſpeciali lege, conſuetudine, vel ſtatuto, non fuerit materia illius prohibita in aliquo loco, & abſit ſcandalum, ut ſupponimus) quia privilegium ſequitur perſonam, vel qualitatem ejus: & cum non ſit localis non alligatur loco, ſed perſonæ, ſi fuerit perſonale, vel qualitati perſonæ, ſi reale. V. g. habes diſpenſationem a tuo Epiſcopo in voto caſtitatis; quando illam concedere poteſt, potes ubique matrimonium contrahere, vel debitum ab uxore petere. ¶ Habes licentiam ab Epiſcopis, vel Inquiſitoribus legendi libros prohibitos; ubique potes eos legere. Habes licentiam generalem audiendi Confeſſiones ſubditorum hujus Epiſcopi; ubilibet potes eus confiteri. Diſpenſatus es ab Epiſcopo in jejunio, in abſtinentia carnium, in irregularitate; ubicumque fueris, potes tali diſpenſatione uti. Sic citati, & Sanchez *lib.* 8. *de matr. diſp.* 31. *num.* 17. Salas *de legib. diſputat.* 17. *ſect.* 10. *num.* 54. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *capite* 23. *num.* 16. Azor *lib.* 5. *cap.* 23. *quæſt.* 6. & alii communiter.

Prima limitatio præcedentis doctrinæ.

127. Sed duplicem limitationem tetigimus. Prima eſt: *Niſi aliud conſtet de mente concedentis.* Si autem conſtaret ipſum ſolum velle pro certo loco valere privilegium, pro illo tantum eo uti poteris. Mens autem concedentis colligi poteſt, tum ex verbis illius, tum ex ſupplicatione, quæ interponitur, tum ex re, quæ petitur, tum ex antecedentibus, & conſequentibus, tum ex ratione motiva, & finali, ob quam conceditur. Ex quo fit primo: quod ſi concedens privilegium, plures habeat Provincias, & regna; inſpiciendus eſt modus loquendi: nam ſi loquatur ut Princeps unius loci, & non alterius, cenſetur ſolum pro uno loco privilegium conceſſiſſe. Si loquatur ut Princeps omnium, cenſetur univerſalem pro ſuis regnis facultatem dediſſe. Vnde privilegium conceſſum ab Imperatore, ut Imperatore, vel à Pontifice, ut tali, valet pro omnibus locis, & regnis. ¶ Sequitur ſecundo. Quod ſi Papa alicui nationi, facultatem comedendi lacticinia concedat in Quadrageſima, ob diſtantiam à mari, vel ob defectum, & inopiam piſcium; non licet extra talem regionem veſci lacticiniis: quia cum Superior in concedendo privilegium reſpexerit conditionem illius loci particularis, & ob illam motus eſt ad concedendum; præſumitur nolle illud concedere, extra illam regionem. Suarez *num.* 3. & 4. Bonacin. *num.* 5. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 16. *quæſt.* 3. Palaus *ſup. num.* 3. Privilegium autem bullæ Cruciatæ, extenditur etiam extra Hiſpaniam; quia conceſſum fuit à Pontifice abſolute, non ob inopiam piſcium; alias in locis maritimis, eo uti Hiſpani non poſſent; ſed ut jejunii rigorem temperaret ſumenti bullam, ob eleemoſynam in ſubſidium Cruciatæ præſtitam.

Secunda limitatio præcedentis doctrinæ.

128. Secundam adhibuimus limitationem: *Dummodo ſpeciali lege, conſuetudine, vel ſtatuto, &c.* Si enim in illo loco ſit ſpecialis lex, aut conſuetudo contra privilegium, illo uti non poteris, niſi a Principe illius loci habeas illud, quia adverſus legem aliquam, non poteſt privilegium concedere, niſi qui illam tulit, vel Superior illius: ideoque ſi ibi habeas domicilium, non poteris uti tali privilegio conceſſo ab Epiſcopo, vel Principe qui non eſt talis reſpectu talis territorii. Si tamen ibi ut hoſpes exiſtas, non indiges privilegio ad agendum contra legem, vel ſi fuerit alias jure etiam communi prohibitum; poteris illo uti: quia leges municipales non obligant hoſpites, vel peregrinos, ut diximus *tract.* 11. *de legibus*, *c.* 3. *n.* 58. Niſi ſint etiam leges vel conſuetudines circa contractus, quas etiam peregrini, & tranſeuntes tenentur obſervare, juxta ibidem dicta, & *tom.* 2. *de matr. c.* 8 *n.* 18.

Cujuſdam caſus reſolutio proponitur.

129. An vero ſufficiat te habere privilegium, à Superiori Principe conceſſum, ut contra leges municipales agere poſſis, vel requiratur illud habere a Principe illius loci, qui legem tulit? ut ſi ab Epiſcopo hujus territorii ſit impoſitum jejunium, aut dies feſtus indictus, aut abſtinentia à carnibus, vel conſuetudine ſint hæc introducta, an uti poſſis privilegio abſolute a Pontifice conceſſo non jejunandi, non abſtinendi à carnibus, &c. Aliqui negant: quia Pontifex concedendo illud privilegium, non cenſetur velle legibus municipalibus derogare; quia eas ignorare præſumitur. Palaus *num.* 3. Bonacin. *num.* 3. & 4. Sed hoc verum eſt, quando materia non eſt de rebus, quæ ſub jure communi ſoleant cadere frequenter. Secus ſi ſit de illis, ut in exemplis adductis: quia Superior, vel Epiſcopus illius loci imponendo jejunium, vel abſtinentiam à carnibus, non intendit graviorem obligationem imponere, quam obliget jus commune: & conſequenter virtualiter vult, ut quotieſcumque aliquis in jure communi, vel in jejunio Eccleſiaſtico diſpenſationem habet; cenſeatur ad illud ſpeciale jejunium diſpenſationem habere. Sic Salas *de legib. diſp.* 17. *ſect.* 10. *num.* 56. cujus opinionem ideo amplexati ſumus; quia videtur durum, & difficile aſſerere, eum qui a Pontifice habet diſpenſationem, vel privilegium nunquam jejunandi, nunquam à carnibus abſtinendi, etiam in Quadrageſima, etiam in Vigiliis, etiam in Feriis ſextis; teneatur jejunare, aut à carnibus abſtinere diebus quibus in ſuo loco, vel conſuetudo, vel Epiſcopi præceptum introduxere, cum illorum obſervantia ſit gravior, ſacratior, & urgentior, utpote ab Apoſtolis accepta, quam alia quæcumque introducta.

§. II.

§. II.

An regulares uti poſſint privilegiis per Tridentinum revocatis.

Quid certũ ſit in hac difficultate, & quid dubium.

130. HÆc eſt graviſſima difficultas, multum inter authores exagitata. Et quia ad praxim multum neceſſaria ſunt, quæ dicemus, libuit ex profeſſo illam examinare. Et non loquimur in præſenti de privilegiis, quæ ſunt contra decreta Tridentini, quæ ut diximus *numero* 50. revocata non ſunt per illud; ſed de illis privilegiis, quibus reſiſtit Tridentinum, per clauſulam revocatoriam illorum, dicendo: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis*, & ſimilibus verbis, cujus plura exempla affert Ioannes à Cruce, *de ſtatu Religioſo libro ſecundo, cap.* 3. *dub.* 6. Talis autem derogatio privilegiorum aliquando ponitur in fine capitis, vel decreti, ut patet *ſeſſion.* 5. *cap.* 2. *& ſeſſ.* 23. *cap.* 12. & aliis locis. Aliquando ponitur in fine ſeſſionis, in qua multa capita, ſeu decreta comprehenduntur, ut patet *ex ſeſſion.* 25. *de regular. cap.* 22. De iſtis ergo ſic revocatis per Tridentinum loquimur: an modo vim habeant, ita ut illis poſſint uti regulares vel in foro externo, vel in foro conſcientiæ? ¶ Et quidem, ſi loquamur de privilegiis extra Tridentinum, ſive a jure communi, ſive ab aliis Conciliis generalibus revocatis; omnes fere authores affirmant in ſuo robore perſiſtere, ſive quia Tridentinum revocando aliqua, etiam jam ante illud revocata, cætera tacitè confirmare videtur, ſive quia plures dantur bullæ Pontificiæ, quæ omnia privilegia regularibus conceſſa confirmant; dummodo Tridentino non ſint contraria, quorum aliquas in præſenti adducemus, & clauſula illa, dummodo Tridentino non ſint contraria, ut jam diximus *num.* 50. intelligenda eſt de illis privilegiis dumtaxat, quæ per Tridentinum revocantur per clauſulam *non obſtantibus*; non vero de aliis, quæ licet contraria ſint ejus decretis, per illud modo dicto non revocantur. De iſtis ergo, quibus Tridentinum reſiſtit per clauſulam *non obſtantibus* loquimur in præſenti.

Sententia aſſerens privilegia per Tridentinũ revocata modo habere vigorem.

131. Non deſunt plures, & graves Doctores, qui abſolute aſſerunt omnia privilegia modo dicto per Tridentinum revocata, modo habere vim etiam pro foro externo, eiſque poſſe uti regulares, ac ſi revocata non eſſent. Sic Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentiis, cap.* 24. *& tractatu* 1. *de pœnitentia, cap.* 6. *num.* 6. Llamas *in method. parte prima, cap.* 7. §. 6. Rodriguez *in additionib. ad ſummam, tomo quarto, cap.* 105. *& in expoſit. bulla Cruciata* §. 5. *num.* 16. Sorbus *in compend. privilegiorum, verb. proceſſiones*, §. *an teneantur, & verbo interdictum num.* 3. citans, Medinam, Peyrin. *tomo primo, privileg. conſt.* 7. *Pii V.* §. 1. *num.* 2. N. Thomas à Ieſu *de procuranda omnium gentium ſalute, libro ſecundo, capite* 8. Bruno Caſaing. *tractatu primo, cap.* 6. *propoſit.* 6. Auguſtinus de Bellis *in ſuo libello idiomate Hiſpano, cujus titulus eſt, allegaciones en derecho.* Baſſæus *in floribus Theolog. verb. Miſſa, cap.* 8. *num.* 9. & probant ſuam ſententiam: quia Pius V. in bulla incipiente: *Etſi mendicantium Ordines*, expedita 17. Iulii 1567. Pontificatus ſui anno 2. quæ habetur in bullario magno, & apud Rodriguez in ſuo bullario, in qua confirmat in favorem regularium omnia privilegia eorum, quæ erant per Tridentinum revocata, & ſi contra eas dicas (quod certe dicendum eſt) Gregorium XIII. poſtea in bulla incipiente: *In tanta rerum, & negotiorum mole*, expedita Kalendis Martii, anno 1573. Pontificatus ſui anno 5. revocaſſe illam bullam Pii V. & omnia reduxiſſe ad terminos ipſius Concilii. ¶ Dicunt primo bullam Gregorii XIII. revocatoriam bullæ Pii V. nullam habuiſſe vim: quia & ſi Pontifex intentum habuerit illam publicandi; nunquam tamen eam publicavit, etiam Romæ; quod probant ex eo, quod Doctiſſimus Navarrus in Curia tunc temporis exiſtens, id aſſeruit in *manuali Latin. cap.* 27. *in fine.* Quod etiam aſſerit Pater Donatus *tomo primo, tractatu* 16. *quæſtione* 8. *numero* 5. ¶ Secundo dicunt, quod licet bulla Gregorii fuerit publicata; tamen poſtea idem Gregorius XIII. revocavit ſuam bullam, confirmavitque privilegia Minorum, cum clauſula derogatoria ſuæ ante dictæ conſtitutionis, per bullam expeditam die 25. Maii, anno 1575. quæ incipit: *Ex benigna*, confirmans privilegia omnia, tam vivæ vocis oracula, quam bullata, tam per conceſſionem; quam per communicationem; motu proprio, & ex certa ſcientia. Quam bullam adducit Rodriguez *in ſuo bullario, bulla* 1. *huius Pontificis.*

Fundamẽtã præ dictæ ſententiæ diſſolvuntur.

132. Sed ex his fundamentis male probatur hæc ſententia. Nam bullam illam Gregorii XIII. revocatoriam bullæ Pii V. conſtat eſſe publicatam Romæ, & affixam ad Valvas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, S. Ioannis Lateranenſis de Vrbe, & in acie Campi-Floræ per Ioannem, & Marcum-Antonium Brutum Curſorem ejuſdem Pontificis; & fuit regiſtrata per Cæſarem Secretarium, & fuit appoſita inter alias bullas Cameræ Apoſtolicæ, & habetur *tomo ſecundo, apud Cherubinum inter bullas huius Pontificis.* Nec authoritas Navarri eſt in oppoſitum; nam non loquitur ibi de bulla revocatoria Gregorii XIII. ſed de alia bulla ipſius Pii V. qua voluit moderare ſuam primam bullam propter magna inconvenientia, præter ſuam ſpem, ſequuta ex priori; & morte præventus non potuit illam edere, & publicare: & de hac loqui Navarrum, oſtendit Lezana *tom.* 2. *cap.* 1. *numero* 14. & illius verbis ex profeſſo adductis, N. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. ai, p.* 7. *ſect.* 1. *à num.* 4. Quare eſſe publicatam dictam bullam tenent Machado *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 6. *tract.* 10. *document.* 11. *num.* 4. Nicolaus Bravo *in tract. Monaſt. cap.* 1. *num.* 9. Cherubin. *in compend. bullar. tom.* 2. *conſt.* 9. *Gregorii XIII. et col.* 1. Quaranta *ad eandem bullam.* Diana 11. *parte, tract.* 2. *reſol.* 6. Manuel Rodriguez *qq. regul. tom.* 3. *q.* 74. *ar.* 16. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 17. *q.* 1. *num.* 16. & alii communiter. Vnde primus author, qui ſequutus eſt Navarrum, eum male intellexit, & alii qui eum ut oves ovem, & aves avem ſequuti ſunt, etiam ſunt manifeſte decepti. ¶ Nec ſecundum, quod hæc ſententia pro ſe adducit, ei favet: nam bulla illa ſecunda Greg. XIII. *Ex benigna* non revocavit primam, *In tanta rerum mole*, quatenus favebat Tridentino, cum in ea addatur; *Quatenus ſunt in uſu,*

& ſacris Canonibus, ac decretis ſacri Concilii Tridentini non adverſantur: ut videre eſt apud Rodriguez in bullario, & apud Cherubin, *loco citato*, ubi de verbo ad verbum adducitur talis bulla.

Duplex ſpecialis bulla adducitur in favorem prædictæ ſententiæ.

134. Melius tamen probaretur illa ſententia ex Bulla Gregorii XIII. expedita 11. Februarii anno 1582. apud Rodriguez *in bullario, bulla 23. Gregorii XIII.* qua ex motu proprio, certa ſcientia, & de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis confirmavit omnia privilegia Societatis Ieſu, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, ab omnibus ſuis prædeceſſoribus conceſſa; qualiacumque ſint, & ea omnia, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur pro expreſſis habere, & nullam clauſulam reſtrictivam apponit, nec ex non uſu, nec ex revocatione, aut contrarietate ad Concilium Tridentinum, & ſic fiat maxima conceſſio, qua aliæ Religiones communicantes cum Societate, funguntur. ¶ Vel ex alia bulla Gregorii XIV. expedita 24. Septemb. anno 1591. Camandulenſibus conceſſa. Vbi *in* §. 11. communicat eis omnia, & ſingula privilegia cuiuſcumque Ordinis, & Congregationis tam virorum, quam mulierum quomodolibet conceſſa, & concedenda: etiam ſi talia ſint, vel fuerint, quæ ſpecialem, & individuam requirant mentionem, ſeu in præſentibus de verbo ad verbum inſertionem, ſeu particularem expreſſionem petant, & addit: *Eu authoritate, & tenore perpetuo communicamus, extendimus, & concedimus æque, & pariformiter, & abſque ulla penitus differentia, perinde ac ſi illis, & eorum ſingulis perſonaliter, & ſpecialiter, & expreſſe, ac nominatim, nec non ad inſtar conceſſa eſſent; uti, frui, potiri libere, & licite poſſunt, & valent.* Et nullam apponit reſtrictionem non uſus, nec decretorum Tridentini; ſed potius §. 15. in derogatoriis derogatoriarum derogat omnia, & quæcumque his contraria, ſub quibuſcumque clauſulis, tenoribus, & verbis, à ſuis prædeceſſoribus emanata; etiamſi de verbo ad verbum eſſent inſerenda ad ſui revocationem, quæ fuit maxima conceſſio, & videtur dictæ ſententiæ opitulari, ſic diſcurrendo.

Ex dictis bullis deducitur ratiocinium.

135. Quia quoties in decretis Pontificum confirmantibus, vel communicantibus omnia, & ſingula privilegia, à ſuis prædeceſſoribus emanata; non apponitur clauſula: *Quatenus contrariantur Concilio Tridentino*, eſt probabiliſſimum illud revocare, quatenus eſt revocativum privilegiorum, ſeu quatenus illis obſiſtit, uti docte probat Franciſcus Samaria Samuellius *tom. 1. de elect. Canonic. tractatu 1. controverſ. 11. num. 9. & 10.* Hieronym. Garcia *in Polit. regul. tom. 1. tractatu* 8. *diff. 4. dub. 4. num. 6.* Bonacin. *tom. 1. diſputat. 2. de excommunic. quæſt. 5. punct. 2. num. 8.* Barboſ. *in collectan. Concilii ſeſſion. 25. cap. 21. de reformat.* Quia reſpectu Tridentini reſervavit ſibi Pontifex authoritatem ad illud revocandum, vel contra illud aliquid decernendum. Ideoque ſi non exprimit ſe nolle derogare Tridentino per clauſulam: *Quatenus Tridentino non adverſatur*, in conceſſionibus, & confirmationibus illi contrariis, cenſetur velle derogare illi: quia quando non vult per dictam clauſulam, illud exprimit: ob quam rationem frequentiſſime poſſunt Pontifices dictam clauſulam, quando volunt in ſuis conceſſionibus Tridentino derogare, ut pluribus adductis eorum bullis, & exemplis, late probat N. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſput 7. ſect. 2. per totam.* Sed in duabus bullis adductis, confirmant, & concedunt omnia, & ſingula privilegia, eaque de novo communicant, cum extenſionibus, & ampliationibus numero præcedenti recenſitis; ſine eo, quod apponant clauſulam; *quatenus Tridentino non adverſantur*, ut ibidem vidimus: ergo videntur confirmare, & innovare omnia privilegia per Tridentinum revocata, illique derogare, ut erat revocativum illorum: & ſic erunt in ſuo robore, eiſque uti poterunt regulares, & omnibus privilegiis à Tridentino per clauſulam *non obſtantibus*, revocatis.

136. Sed nihilominus dicendum eſt primò. Omnia privilegia contra Tridentinum cum clauſula *non obſtantibus*, ſive dicta clauſula ſit initio decreti, ſive in medio, ſive in fine, ſaltem pro foro externo extincta omnino eſſe, nec poſtea vim recuperaſſe, quamvis ex motu proprio, & certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis confirmata videantur; niſi cum clauſula expreſſa; *non obſtante Concilio Tridentino.* Quorum nullum uſque modo emanaſſe ſcimus, confirmativum abſolute privilegiorum. Et ratio eſt: quia licet Pius V. in bulla illa *Etſi mendicantium* confirmaverit plura privilegia, etiam contraria Tridentino, ob lites, & diſſenſiones in praxi ortas ex illa, inter regulares, & Epiſcopos; Gregorio XIII. in bulla illa, *In tanta rerum, & negotiorum mole*, revocavit dictam conceſſionem, ut jam diximus; & talem bullam fuiſſe publicatam oſtendimus, *num.* 133. & imposterum ipſe, ejuſque ſucceſſores, etiam in ampliſſimis conceſſionibus, & confirmationibus privilegiorum illam clauſulam adjiciunt frequentiſſime: *Dummodo decretis Tridentini non ſint contraria.* Et quamvis aliqua bulla abſolute conceſſa, reperiatur abſque illa clauſula; ut in recenſitis *num.* 134. reperitur; praxis tamen, & uſus omnium tribunalium oſtendit explicandam eſſe, cum tali clauſula ſubintellecta. Quia per hoc, quod Pontifices omittant illam, ſi non ponunt expreſſe contrariam; non ob id cenſentur contra Tridentinum concedere, nec illius decretis derogare; quia in generali conceſſione, non veniunt ea, quæ raro, & difficillime ſolent concedere. Ita Layman. *tract. 4. de legib. cap. 23. q. 4.* Tamburin. *diſputat. 18. quæſt. 6. num. 3.* Suarez *tractat. 8. de legib. cap. 19.* Lezana *tom. 2. cap. 1. num. 58. & cap. 15. numero* 18. Ioannes à Cruce *libro ſecundo, capite tertio, dub. 6. concluſ. 3.* Ludovicus Lopez *in Summ. prima parte, capite 8.* Portel. *in dubiis regular. verbo privilegium, numero* 64. Miranda *tomo primo, quæſtione 39. articulo primo, & tomo ſecundo, quæſtione 42. articulo 3.* Garcia *tractatu 8. diff. 1. dub. 5. numero ſeptimo*, Machad. *tomo ſecundo, libro quarto, parte ſexta, tractatu* 10. *document.* 11. Pellizxar. *tomo ſecundo, tractatu 8. capite primo, numero* 81. Diana *parte 11. tractatu ſecundo, reſolut.* 6. Horum authores, aliqui abſolute loquuntur, & ſic ſaltem pro foro externo debent intelligi. Alii etiam pro foro conſcientiæ id aſſerunt, in quo cum illis non convenimus, ut in concluſione ſecunda dicemus.

Privilegia per Tridentinum revocata, vim non habent pro foro externo.

137. Sed hic advertendum duximus ex communi conſenſu Doctorum, utriuſque ſententiæ; nimirum

Plures declarationes

Concilii à Pio V. poſitæ, revocatæ non ſunt à Greg. XIII.

nimirum multa reperiri in Bulla illa Pii V. quæ non ſunt privilegia, ſed declarationes ipſius Concilii, & hæc non fuiſſe revocata per Bullam revocatoriam Gregorii XIII. & hoc modo in ſuo robore perſiſtere. Quia multa in illis declarationibus Pii V. inventa, reperiuntur confirmata à Clemente VIII. Urbano VIII. & à ſacra Congreg. Trident. Nam declaratio Pii V. circa *ſeſſionem 22. cap. 9.* videlicet, quod ſæculares poſſint audire Miſſas, & conciones in Eccleſiis regularium diebus feſtivis, ſunt confirmata à Clemente VIII. ut refert Hieronymi Rodriguez *reſol. 25. num. 5.* & ab Urbano VIII. anno 1625. Et declaratio illa *ſeſſionis 23. c. 15. & ſeſſionis 25. cap. 10.* quod confeſſarii monialium exemptarum non examinentur ab Ordinario, confirmata fuit à ſacra Congregat. Trident. ut refert Barboſa *in remiſſ. ad cap. 10. ſeſſ. 25.* & declarat illa *ſeſſ. 5. cap. 2.* Quod concionatores ad prædicandum in propriis Eccleſiis non ſunt examinandi ad Ordinario, fuit confirmata à ſacra Congregatione, prout refert Reginaldus *lib. 18. num. 123.* & declaratio illa, *ſeſſ. 25. cap. 5.* quod Epiſcopus non poſſit dare licentiam, ad ingrediendum in exemptarum monaſteria monialium, confirmata fuit ab eadem ſacra Congregatione, ut inquit Barboſa, *ad ſeſſionem 25. cap. 5. Tridentini.* Ac denique declaratio *ſeſſionis 25. cap. 13.* quod quarta funeralis non intelligatur, niſi de illo quod affertur, fuit etiam confirmata à ſacra Congregatione, ut multi ferunt, & ſuo loco dicemus; & ſic de quibuſdam aliis declarationibus, de quibus multoties toto hoc tractatu dicemus.

Pro foro conſcientiæ poſſunt regulares uti privilegiis à Tridentino revocatis.

138. Dicendum eſt ſecundo, poſſe regulares pro foro conſcientiæ uti omnibus privilegiis à Tridentino revocatis, & à Pio V. confirmatis, adhuc ſtante Bulla Gregorii XIII. revocatoria conſtitutionis Pii V. & omnium privilegiorum, quæ Tridentino adverſantur. Probatur concluſio primo: Quia Gregorius XIII. in illa Bulla loquitur de privilegiis confirmatis à Pio V. contra diſpoſita, & ordinata in Tridentino; non utcumque, ſed prout ex illis litigia, & perturbationes inter religioſos, & Epiſcopos in foro externo poterant exoriri, ut ex proœmio dictæ conſtitutionis (ex quo ut diximus, mens Principis concedentis privilegium, vel legem ſtatuentis maximè venari debet) ubi ſic ait: *Demum animadvertens, quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magniſque difficultatibus obſtructa, multas, magnaſque diſſenſiones, & altercationes, & lites inter prædictos locorum ordinarios, & fratrum ipſorum ordines, non ſine gravi divini cultus, & animarum detrimento, ac populorum ſcandalo concitaverant*, &c. ¶ Secundo probatur ex vivæ vocis oraculo Pii V. relato à Rodriguez *tom. 2. Bullar. ad finem Bulla Pii V. & à compend. Societ. ſuul. de Concil. Trident. §. 3. ſub anno 1566.* in quo minoribus concedit, ut uti poſſint omnibus ſuis privilegiis etiam revocatis à Tridentino, pro foro conſcientiæ tantum. Quod privilegium, per communicationem extenditur ad alios ordines: nec revocatum fuit hoc oraculum per Bullam illam revocatoriam Gregorii XIII. eo quod ſibi ſolum loquitur de privilegiis, nòn de oraculis, & ut diximus ſupra, (& eſt ſententia Innocentii in *cap. conſtitutinus, num. 2.* Lezan. *tom. 1. cap. 3. num. 21.* Peyrin. *tom. 1. privileg. ad conſtitut. 17. Iulii II.*) licet in favorabilibus oracula, nomine privilegiorum veniant. Non ſic in odioſis, aut revocationibus, niſi de eis expreſſa mentio fiat: & quamquam omnia oracula à Gregorio XV. & Urbano VIII. ampliſſima revocatione oraculorum, revocata fuere: De hoc jam diximus *tract. 16. c. 3. num. 53. & 59.* & latius *cap. ſequenti* agentes de revocatione oraculorum; & dicemus non eſſe intelligendam de oraculis, quorum uſus pro foro externo nullam perturbationem aut inquietudinem generant. Quare concluſionem noſtram ex his, & aliis fundamentis tenent Pater Hinojoſa *in director. deciſ. regul. verb. confirmatio gratia deciſ. 4.* Henriquez *lib. 7. de indulgentiis, cap. 4. num. 8.* Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regular. tract. 1. diſput. 1. num. 118.* Rodriguez *quæſt. regular. tom. 3. quæſt. 15. art. 6.* Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſp. 6. ſect. 3. à num. 5.* Sanchez *in ſumma, tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 16* Leander à Murcia Capuccinus *quæſt. 19. ſuper regul. ad cap 6. regul. num. 33.* Vega *in ſum. 4. part. caſ. 38.* Ioannes Præpoſit. *tertia parte, q. 83. art. 3. num. 151.* Bartholomæus à ſancto Fauſto *in theſaur. relig. lib. 5. quæſt. 167. num. 2.* & probabilem dicit, Pottel. *in dubiis regul. verb. privileg. num. 64.* & Diana *3. part. tract. 2. de dubiis regul. reſolut. 59.* licet pro oppoſita ſententia non deſint plures, & graves Authores eam patrocinantes.

PUNCTUM IX.

An duret privilegium poſt mortem concedentis, aut privilegiati?

Quid ſit reſcriptum gratiæ, & juſtitiæ?

139. PRo intelligentia eorum, quæ in hoc puncto dicenda ſunt, explicare prius oportet tria; ex quorum notitia, maximè hujus materiæ cognitio dependet. Nimirum quid ſit *reſcriptum gratia, & juſtitia?* Quid ſit *rem eſſe integram, & eſſe inceptam?* Quid ſit *gratia facta, & gratia facienda?* Igitur *reſcriptum juſtitia*, eſt privilegium, vel poteſtas, quæ datur ad exercendos actus juſtitiæ, ſive civilis, ſive criminalis: ut facultas cognoſcendi de tali cauſa, exercendi juriſdictionem in foro conſcientiæ, &c. *Reſcriptum gratia*, quando aliquid indulget gratioſè conferendum: ut ad diſpenſandum, & abſolvendum, & ſic ex parte actuum ad quos datur reſcriptum, in gratiæ, & juſtitiæ reſcriptum bipartitur. Sanchez *lib. 8. de matrim. diſputatione 28. à numero octavo*, Palaus *tomo primo, tractatu 3. diſputatione 4. punct. 16. §. 1. à num. 1.*

Quando dicitur res integra quando incepta?

140. In reſcriptis juſtitiæ, quando judex incepit uti juriſdictione ſibi data; dicitur *res incepta*: ut ſi aſſignavit locum judicii, nominavit Notarium, teſtes percipere cœpit, litteras redigere in publica forma; quia tunc juriſdictio *integra* non eſt, ſed potius *cepta*, *cap. licet undique, de offic. delegati, cap. ſi à ſubdelegat. eod. tit. in 6.* Et hoc etiam ante citationem: quia licet citatio ſit primus actus judicii; non tamen juriſdictionis; cum ante illam pluries exerceri poſſit juriſdictio. Bonacin. *diſput. 1. quæſt. 3. punct. 8. §. 1. num. 22.* Sylveſter *verb. delegatus, quæſt 6.* & valde probabile dicit Sanchez *loco citato.* Quamvis ipſe cum aliis rem integram eſſe ante citationem dicat, & deſinere per eam: Sed notat Palaus *ſuprà n. 20.* ex Molina *tract. 3.*

 diſp. 19:

diſput. 19. *num.* 4. Quod ſi alicui munus delegetur, in cujus exercicium citatione non indiget; ut viſitandi aliquam domum, vel Provinciam religioſorum: Tunc prima illius muneris exercitatione, dicitur *capta* juriſdictio, quia non habet alium modum inceptionis. Unde fit, quod, quia in reſcriptis gratiæ non habet locum citatio judicialis; loco illius ſuccedit, ut, *res capta* dicatur partis vocatio, cum qua eſt diſpenſandum. Nam hoc ipſo, quod authoritate reſcripti, vocet eam, *res capta* dicitur, & deſinit eſſe *integra*. Vel ſi mandet informationem fieri de veritate cauſæ, vel aliud efficiat, quod ſit uſus authoritatibus reſcripti: at per præſentationem reſcripti *res capta* non intelligitur; quia talis præſentatio, uſus non eſt juriſdictionis per reſcriptum conceſſæ, ſed diſpoſitio ad talem uſum. Sanch. *n.* 10. Palaus *n.* 11. Felinus *in cap. paſtoralis, §. quoniam, n.* 3. *de reſcriptis.*

Quando gratia facta, quando facienda dicatur.

141. Tunc dicitur *gratia facta*, quando indiffinitè, & generaliter conceditur, vel quando tota gratia videtur eſſe ejus, cui conceditur, independenter ab alio cui facienda committitur: ut ſi alicui detur gratia providendi de perſonis idoneis, ad beneficia vacatura. Tunc dicitur *facienda*, quando non tibi ob tuam gratiam, ſed ob favorem aliorum, conceditur privilegium: ut ſi tibi detur facultas providendi certæ perſonæ; quia non videtur gratia tui conceſſa, cum tibi non detur libera facultas conferendi, ſeu providendi quos malueris, ſeu de beneficiis, quæ volueris; ſed gratia illius qui providendus eſt: quia in ejus commodum, & utilitatem cedit. Quæ omnia habentur, *cap. ſi cui nulla de præbendis in* 6. Circa quem textum obſervat Nicolaus Garcia 6. *part. de beneficiis*, *cap.* 2. §. 2. *à num.* 304. Baſſæus *verb. privileg.* 3. *num.* 11. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 18. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 1. *num.* 23. & 24. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 28. *num.* 87. Facultatem Petro conceſſam de proviſione certæ perſonæ in aliquo beneficio, vel de abſolutione, diſpenſatione facienda in ejus favorem, qui eſt diſpenſandus, vel promovendos; eſſe *gratiam faciendam*. Si Petrus poteſt liberè uti illa facultate, & ſi ex præcepto, aut mandato illud facere tenetur, eſſe gratiam factam. ¶ Ratio primi eſt, quia tunc nec diſpenſatio, aut abſolutio eſt facta ei, cum non ſit in ejus favorem expedita, nec diſpenſando; quia hoc ipſo, quod relinquatur arbitrio diſpenſantis velit nc illam impendere; nullum eſt ius ei quæſitum ad diſpenſationem, & ſic non eſt ei facta gratia. At cum tenetur diſpenſator ea uti, iam diſpenſando facta eſt gratia, cum iam acquiſierit ius ad rem, cum alius teneatur illi gratiam impendere. ¶ Sed hoc limitandum eſt, ut intelligatur de mandato providendi certæ perſonæ, de beneficio determinato, vel diſpenſandi cum certa perſona, de re certa, & determinata; aliàs non eſſet *gratia facta*, ſed *facienda*. Quia cum non determinetur in quo gratia fiat, non poteſt dici iam facta, ſed magis in poſterum facienda, *cap. ſi cui nulla cuat.* Garcia *num.* 305. Palaus *diſputatione quarta, punct.* 16. §. 2. *num.* 4. Molin. *tract.* 5. *diſput.* 20. *num.* 2. *fine.*

Reſcriptum iuſtitiæ morte delegantis ſpirat.

142. Quibus ſuppoſitis aſſerendum eſt primo: Quod ſi reſcriptum ſit iuſtitiæ, ſeu iuriſdictio delegata, expirat finita iuriſdictione in delegante, vel quia mortuus, amotus, aſſumptus eſt, ſi res delegata integra ſit; ſecus vero ſi non ſit integra, *cap. gratiam, cap. relatum, de officio delegati*, *cap ſi cui nulla de præbendis in* 6. Et ratio eſt: quia licet per reſcriptum delegatus iuriſdictionem acquirat; non radicatur in illa, uſque dum ea uti cœperit: ergo pereunte in delegante iuriſdictione, perit in delegato, uti diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſur. cap.* 2. & tenet Covar. *quæſt. pract. c.* 11. *num.* 2. Bonacin. *ſuprà num.* 14. Baſſæus *n.* 13. Sanchez *num.* 36. 57. 94. Palaus § 3. *num.* 1. niſi adſit communis error, & ignorantia, tam in populo, quam in delegato. Nam communis error caſſatæ iuriſdictionis ſufficit, ut geſta delegati valeant, cum in eo præſupponatur titulus coloratus. Bonacin. *num.* 30. Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 22. *num.* 59. Baſil. *de matrim. lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 2. Cæterum per hoc quod eo tempore inchoet iuriſdictionem, non firmatur in illo: quia firmari non poteſt iuriſdictio, quæ iam non eſt. Delegatus autem nullam ex reſcripto habet iuriſdictionem, & ſolum habet illam ex communi errore vulgi, in ordine ad validitatem actuum, ob communem utilitatem ex *l. Barbarius*, *ff. de officio prætoris.* Baſil. *num.* 4. Palaus *num.* 3.

143. Aſſerendum eſt ſecundo: quod ſi ſit reſcriptum gratiæ, ſive ſit putè favorabile, ſive ſit odioſum, & contrarius, aut in præiudicium tertii; non ſpirat talis gratia, ſi ſit *gratia facta* abſolutè, & ſine reſtrictione, morte, vel amotione concedentis; quia eſt quædam quaſi donatio; donatio autem non ceſſat morte donantis. At vero, ſi ſit *gratia facienda*, & res ſit integra, ſpirat morte concedentis; propterea quæ de delegato diximus: quia eadem ratio in hoc caſu currit. Secus vero ſi ſit res incæpta; quia iam radicatur, & firmatur in illo, *cap. ſi ſuper gratia*, *de officio delegati in* 6. *cap. ſi cui nulla de præbendis*, *eod. lib.* ut diximus *tract.* 11. *de legibus, cap.* 5. *num.* 95. & ex communi ſententia docet Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſput.* 28. *num.* 64. Filliucius *tract.* 10. *quæſt.* 10. *cap.* 20. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *num.* 18. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 8. §. 1. *num.* 19. Suarez *de legibus*, *lib.* 8. *cap.* 31. *n.* 1. Guttier. *canon. quæſt. lib.* 1. *c.* 15. *n.* 24. & *lib.* 2. *c.* 17. *initio.*

Reſcriptum gratiæ non ſpirat morte concedentis, ſi ſit gratia facta.

144. Ex quo ſequitur primo, licentiam conceſſam ſacerdoti audiendi confeſſiones pœnitentium, per Epiſcopum, vel Pontificem, non perire morte concedentis; quia eſt gratia & favor factus præcipuè ipſi ſacerdoti, potius quam pœnitentibus: Quia nec ipſi expreſſi, & nominati ſunt, nec ad eorum petitionem conceſſa eſt. Gratia autem facta non periit morte concedentis. Et licet ſit iuriſdictio delegata, non ob id dicendum eſt ſpirare: quia ſolum in materia iuſtitiæ, iuriſdictio delegata periit morte delegantis, eo, quod ita habetur *cap. gratiam*, *cap. relatum, cap. licet*, *de officio delegati*, non in reſcriptis gratiæ, de quibus nihil determinatur in iure. Baſſæus *privileg.* 3. *num.* 13. Sanch. *num.* 72. Palaus §. 4. *num.* 3. Baſil. *de matrim. lib.* 8. *cap.* 19. §. 1. *num.* 2. Bonacin. *num.* 24. Layman. *num.* 18. Suarez *lib.* 8. *cap.* 31. *num.* 3. Sayr. *de cenſur. lib.* 7. *c.* 14. *n.* 7. Salas *de legibus*, *diſp.* 20. *ſect.* 17. *verſu dico ſexto.* Garcia *de benefic. ſexta parte*, *capite* 2. *num.* 321.

Licentia ad confeſſiones audiendas, morte concedentis non ſpirat.

145. Sequitur ſecundo: quod ſi detur Petro indultum, ut abſolvat determinatas aliquas perſonas, vel cum illis diſpenſet ob illarum favorem, & res ſit integra; ſpirat morte concedentis, quia eſt gratia *facienda*, non facta. Gratia

Si gratia ſit facienda ſpirat morte concedentis.

tia autem facienda, morte concedentis ſpirat re integra manente. Sanch. *num.*73. Baſſæus *n.*13. Garcia *num.*327. Bonac. *num.*24. licet ſit probabile gratiam illam conceſſam eſſe etiam in fa[illegible] Confeſſoris, & ſic eſſe gratiam factam, proindeque non ſpirare morte concedentis, eo quod ipſe ut magis idoneus electus ſit ad illam diſpenſationem concedendam; & ſic tuta conſcientia poteſt illa uti, etiam poſt mortem concedentis. Palaus §.4. *num.*5. Salas *diſputatione* 20. *ſect.* 17. *fine.* Suarez *cap.*31. *numero decimo octavo, ad finem.* Baſil. *lib.*8. *cap.*19. §.1. *num.*5. & 8.

Facultas per Bullam, vel Iubilæum conceſſa, morte concedentis ceſſat.

146. Sequitur tertio: facultatem mihi conceſſam, v.g. per Bullam, vel Iubilæum eligendi Confeſſorem, ſive determinatum, ſive indeterminatum, ut abſolvat me à reſervatis, vel diſpenſet mecum in votis, irregularitatibus, &c. non perire adhuc re integra, morte concedentis. Et idem eſt de facultate recipiendi ordines extra tempora, vel non ſervatis interſtitiis, celebrandi, vel audiendi Miſſam in oratorio privato, comedendi carnes diebus prohibitis, & aliis ſimilibus; quia iſtæ omnes ſunt gratiæ *factæ* mihi, & beneficium legit mè à me poſſeſſum, non vero *faciendæ*: ſed gratia facta non ſpirat morte concedentis, quia jam facta eſt: ergo, &c. Ita Sanchez *lib.*8. *diſp.*28. *num.*72. 75. & 78. Garcia *de benefic.* 3. *part. cap.*2. *n.*315. 317. & 318. Baſil. *num* 7. & 9. Suarez *c.*31. *num.*3. & 19 Bonacin. *num* 27. Palaus § 4. *n.*7. Henriquez *lib.*7. *cap.*21. § 6. ¶ Ex quo ſequitur, quod cum omnia privilegia, gratiæ, conceſſiones factæ religionibus, ſint gratiæ in illarum favorem factæ, nulla ex illis ſpirat morte concedentis, ut omnes tenent.

Diſpenſationes commiſſæ ordinariis, non ſpirãt morte Pontificis.

147. Sequitur quarto: non ſpirare morte concedentis diſpenſationes, quæ committuntur expediendæ *ſi preces veritati nitantur*, & expediri poſſe ab ipſis ordinariis, etiamſi res integra fuerit, quia fuit gratia facta ipſi diſpenſando. Tunc enim gratia cenſetur facta diſpenſando; quando delegatus, qui expediturus eſt diſpenſationem, eſt executor neceſſarius, ut *num.*140. dicebamus, & tenent Bonacin. *num.*23. Baſil. *num* 7. Sanchez *num.*87 Suarez *lib.*6. *cap.*17. *num.*9. Palaus *num* 8. Garcia *n.*312. ¶ Et idem eſt de facultate teſtandi conceſſa Epiſcopis à Papa; quia eſt gratia ipſis facta, quæ non ſpirat morte Pontificis, qui conceſſit adhuc re integra, etiamſi litteræ expeditæ non fuerint, quia eſt perfecta gratia, eo ipſo quod Pontifex dicat, *fiat.* Sanchez *num.*28. Garcia *num.*328. Palaus *num.* 11. ¶ Nec ſimiliter ceſſat privilegium, ante mortem concedentis non acceptatum; ſed poteſt poſt mortem illius acceptari à privilegiato, antequam revocetur à ſucceſſore (à quo proculdubio revocari poteſt) quia jam ex parte concedentis, gratia facta eſt. Suarez *lib.*8. *cap.*31. *num.*21. Sanchez *lib.*8. *de matrimonio, diſp.*28. *num.*43. licet cum aliis oppoſitum dicat Bonac. *diſputatione* 1. *quæſtione* 3. *punct.*8. §.1. *n.*28. qui tamen probabilem dicit noſtram ſententiam.

Alia quæ ſequuntur ex dictis.

148. Sequitur quinto: quod ſi à Pontifice, vel ejus legato detur reſcriptum, & mandatum, ut Petrus provideatur in aliquo beneficio tunc jam vacante, talis gratia adhuc re integra, non ſpirat, etiamſi concedens ante proviſionem moriatur; quia jam acquiſivit jus ad rem: & ſic fuit gratia facta, hoc ipſo quod impetravit mandatum de proviſione certi beneficii, ſecundum dicta *num.*140. Sanchez *num.*87. Palaus §.4. *num.*10. Henriquez *lib.*14. *cap* 17. *num* 7. ¶ Ac denique, ſi reſcriptum gratiæ, conceſſum ſit pro aliquo tempore limitato, v.g. pro ſpatio unius anni, (ut ſunt privilegia Bullæ cruciatæ) valet per totum annum, etiamſi intra illud moriatur concedens; quia jam eſt gratia facta pro illo anno. Baſil. *lib.*8 *cap.*19. *num.*7. Sanchez *diſputatione* 28. *à num* 50. & 78. Palaus §. 5. *numero primo.* Suarez *libro octavo, capite* 32. *num.*10. Henriquez *lib.*7. *de indulgent. cap.*21 *num.*4.

De privilegiis cū aliquibus clauſulis conceſſis.

149. Sed inquires primo. An privilegium, vel gratia conceſſa ſub illis verbis: *Donec voluero, ad placitum noſtrum, quouſque fuerit noſtra voluntas*, pereat morte concedentis? ¶ Ad hoc jam diximus *tom.*2. *tract.* 11. *de legibus*, *cap.*5. *num.*91. perire: quia mens concedentis ſub hac forma, eſt ut privilegium à voluntate ipſius poſitiva, nedum negativa, id eſt non-contraria, dependeat. Et cum eo mortuo amplius non habeat voluntatem; nec ab ea poteſt pendere privilegium, dicendum erit poſt mortem illius ceſſare. ¶ Aliud eſt ſi diceret, *donec revocavero*: quia ut ceſſet privilegium, requiritur poſitivus actus revocationis, quem non habuiſſe ante mortem ſupponimus, & poſt illam habere non poterit: & ſic adhuc poſt illam, in ſuo permanet vigore. Si autem cum clauſula ad voluntatem Sedis Apoſtolicæ expediatur; adhuc mortuo concedente, durabit: quia hæc verba ad dignitatem Pontificiam diriguntur, quæ ſemper durat. Salas *de legibus*, *diſputat.*20. *ſect.*17. *num.*115. Suarez *de legibus*, *lib.*8. *cap.*5. *num.*1. Sanchez *lib.*8 *de matrimonio*, *diſput.*28. *num.*49. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap* 23. *num.*17. ¶ Sed non caret probabilitate, per illa verba primo adducta: privilegium aut gratiam non ſpirare morte concedentis; ſed durare, quouſque revocentur: quia videntur in communi modo loquendi, æquivalere illa verba *ad beneplacitum noſtrum*, illis verbis *donec revocavero*, ſeu aliter ordinavero: quia dum aliter non ordinatur, ſemper eadem eſſe, ac durare voluntatem videtur. Sic cit. Salas Palaus *tract.*3. *diſp.*4. *punct.*16. §.5. *num.*5.

Quando morte privilegiati, reſcriptum iuſtitiæ, vel gratiæ ſpirat.

110. Inquires ſecundo: An reſcriptum gratiæ ſpiret morte privilegiati, vel reſcriptum iuſtitiæ morte delegati, aut ejus finito officio? ¶ Reſpondetur, quod tribus modis fieri poteſt delegatio: aut expreſſo nomine delegati tantum; aut illo tacito, expreſſo officio, aut dignitate; aut expreſſo utroque. Si primo modo fiat reſcriptum, regulariter cenſetur perſonale; niſi ex ſubjecta materia, & circunſtantiis oppoſitum colligatur: ideoque ſpirat morte delegati, nec tranſit de perſona in perſonam: *quia deſtructis nobis, deſtruuntur ea, quæ ſunt nobis.* Si expreſſo officio regulariter eſt reale, & adhæret officio, tranſitque ad ſucceſſores in dignitate, ſive res ſit integra, ſive incepta; quia hoc non immutat conceſſionem, quæ hoc ipſo quod fiat, & facta ſit dignitati, cum illa durat. Si dignitatis, & perſonæ nomen exprimatur in conceſſione, judicanda eſt non realis, ſed perſonalis; niſi aliunde oppoſitum colligatur: quia nomen perſonæ ibi poſitum, reſtringere videtur univerſalem ſignificationem, provenientem ex nomine dignitatis: & ſic facit, quod ſolum unicæ perſonæ communicetur reſcriptum, & non pro omnibus habentibus illam dignitatem. Sic Baſſæus *in floribus verb. privileg. cap.*3. *num.*10.

Pellizzar.

Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 92. Tambur. *tom.* 1. *diſput.* 16. *quæſt.* 11. *num.* 2. & 3. Sanchez *lib.* 8. *diſput.* 27. *a num.* 6. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 8. §. 1. *à num.* 1. Palaus *punct. illo* 16. §. 6. *a num.* 2. Salas *diſput.* 20. *ſect.* 17. *num.* 124. ¶ Idem cum proportione ſentiendum eſt de reſcripto gratiæ. Limitant autem prædicti Authores præcedentem doctrinam, ut intelligatur in ultimo caſu, commiſſionem eſſe perſonalem; niſi ex circunſtantiis redderetur vel damnoſa alteri, injuſta, vel inutilis: quia ſemper in caſu dubii præſumendum eſt delegantem, non velle ſuam diſpenſationem injuſtam, vel inutilem eſſe. ¶ Ex quo ſequitur commiſſiones per ſe loquendo, eſſe perſonales.

CAPUT II.

De ceſſatione, ſeu amiſſione privilegii.

MULTIS modis conſiderari poteſt, quod privilegium ceſſet. Vel morte concedentis (de quo diximus *cap. præced. dub. ultim.*) vel temporis lapſu, vel ceſſatione cauſæ finalis, vel per renuntiationem privilegiarii, vel per revocationem concedentis, vel per non uſum, ſeu abuſum ipſius; de quibus omnibus hoc capite agemus, quod continet octo puncta.

PUNCT. I. *Qualiter lapſu temporis, ceſſatione cauſæ, & renuntiatione ceſſet privilegium?* n. 1.

PUNCT. II. *Qualiter per non uſum, vel per contrarium uſum, vel per abuſum deperdatur privilegium?* num. 9.

§. I. *Certa apud Authores circa præſentem materiam proponuntur.* num. 10.

§. II. *Triplex concluſio pro reſolutione puncti proponitur.* n. 13.

§. III. *Ex dictis corollaria quædam inferuntur.* n. 18.

PUNCT. III. *Qualiter per revocationem privilegia ceſſare poſſint, & quis ea revocare valeat?* num. 26.

PUNCT. IV. *Qualiter revocanda ſiat privilegia, ut debitum effectum ſortiatur revocatio?* n. 38.

PUNCT. V. *Qua publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur?* n. 45.

PUNCT. VI. *Qualiter vivæ vocis oracula revocata fuerint à Gregorio XV. & Urbano VIII.* n. 49.

§. I. *In quo differat oraculum, à Bullato privilegio? & quæ ſint oracula, quæ certo non ſunt à dictis Pontificibus revocata?* n. 50.

§. II. *An privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & poſtea confirmata per Bullam, tranſierint in privilegia bullata, taliter, quod per revocationes dictas oraculorum, non ſint revocata?* n. 56.

§. III. *Qualiter oracula, quæ ſortita ſunt ſuum effectum ante revocatorias, non ſint per illas abrogata?* num. 65.

PUNCT. VII. *De confirmatione privilegiorum, ſub qua forma; & modo fieri ſoleat?* n. 68.

PUNCT. VIII. *An per confirmationem privilegiorum unius ordinis, aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis?* n. 76.

PUNCTUM I.

Qualiter lapſu temporis, ceſſatione cauſæ, & renuntiatione ceſſet privilegium?

1\. QUANDO privilegium conceditur pro tempore determinato, hoc ipſo, quod tempus illud prætereat, ceſſat ipſo facto privilegium: quia ſolum pro eo tempore fuit animus concedentis, illud conferre. Quando vero privilegium abſolutè conceditur, nulla temporis determinatione, niſi oppoſitum ex materia privilegii, vel ex aliis circunſtantiis de mente concedentis conſtet, nullo temporis lapſu deperditur; ſed ſemper durat, quouſque legitimè revocetur; vel contra illud modo dicendo *puncto ſequenti*, præſcribatur, ut eſt communis ſententia Doctorum, niſi temporis lapſu, conditio ceſſet, ſub qua fuit conceſſum privilegium: quia tunc jam conſtat de mente concedentis, quæ alligata fuit illi conditioni; qua proinde ceſſante, privilegium ceſſat; ſicut quælibet alia gratia, donatio, vel obligatio, ſub conditione ſuſcepta, conditione non appoſita, penitus evaneſcunt. Per temporis lapſum quando privilegium ceſſet?

2\. Sed in hoc eſt notandum: quod conditio appoſita privilegio poteſt ſe tenere, vel ex parte conceſſionis, & tunc ſolum in fieri, non in conſervari; dependet privilegium à conditione: proindéque ſi quando conceſſum fuit, adfuit conditio, valet privilegium: cujus valor non deperditur, per hoc, quod poſtea res mutentur. Ut ſi Princeps dicat: *Concedo tibi privilegium, ſi Epiſcopus conſentiat.* Semel iſto conſentiente, etiamſi poſtea ipſe, vel ejus ſucceſſor non conſentiat, non infringitur privilegium; quod ſolum in fieri à conſenſu Epiſcopi dependebat. Vel poteſt conditio ſe tenere ex parte privilegii; quia privilegium ipſum annectitur conditioni; & tunc tam in fieri, quam in conſervari à conditionibus pendet. Qua proinde deficiente, privilegium corruit: ut privilegium conceſſum ſi fueris religioſus, ſi in habitu clericali incederis, ſi pueros doceas, &c. Et poteſt ſe Quando ab appoſita conditionis privilegium ſuſpendat, vel deſinat?

ſe tenere conditio ex parte uſus privilegii; & tunc deficiente conditione, non amittitur privilegium ſecundum ſuum eſſe, ſeu ſecundum facultatem, quam confert; ſed ejus uſus ſuſpenditur, quando conditio non apponitur: & ſi poſtea apponatur, reddit quod contingit in conditionibus, quæ varietatem communiter accipiunt. Ut ſi Pontifex tibi concedat privilegium, ut poſſis miniſtrare ſacramenta, non ſolvere decimas, concionari, &c. conſentiente Epiſcopo; privilegium non annectitur illi conditioni quoad facultatem, quam præbet; ſed quoad uſum: & proinde non poteris uti illo, Epiſcopo non conſentiente, & ſic quoties non adeſt conſenſus Epiſcopi, uſus privilegii eſt ſuſpenſus; ſi vero poſtea conſentiat, redit uſus, & ſic illo uti liberè poteſt. Palaus *tom. 1. tract. 3. de leg. diſput. 4. punct. 14. n. 3.* Suar. *de legibus, lib. 8. c. 9. n. 5.*

Ceſſetne privilegium ceſſãte cauſa finali cõceſſionis?

3. Sed modo inquires, an ceſſante cauſa finali motiva privilegii, ceſſet ipſum privilegium? ¶ Plura diximus circa hanc quæſtionem *tom. 2. tract. 9. de matrim. c. 14. à n. 27.* & *tom. 3. tract. 11. de legibus, c. 5. punct. 8* § 1. agentes de diſpenſatione, de qua idem judicium, ac de privilegiis, quoad hoc eſſe faciendum, omnes docent. Ubi duplicem ſententiam retulimus; aliam aſſerentem ceſſare privilegium, aut diſpenſationem, hoc ipſo, quod ceſſet in totum cauſa finalis motiva: quia judicat ſemper talem diſpenſationem, aut privilegium, ſub tacita conditione durationis cauſæ finalis concedi. Plures Authores pro iſta ſententia locis citatis dedimus, ubi amplexati ſumus, & modo amplectimur ſententiam negantem in tali caſu ceſſare privilegium, aut diſpenſationem, ſi abſolutè conceſſa ſunt. Tum: quia non ſemper dantur ſub conditione, nec ſunt privilegia conditionata, ſed abſoluta, abſoluteque impenſa. Tum etiam: quia hoc ipſo, quod Pontifex abſolutè concedat diſpenſationem, aut privilegium ad aliquid omittendum, v.g. ceſſat obligatio legis reſpectu privilegiati: ergo ut de novo illum obliget, debet de novo lex reproduci: quod niſi per actum legiſlatoris novum, non efficitur. Sic Authores utroque loco adducti. Quod intelligitur, quando diſpenſatio, aut privilegium abſolutè conceditur abſque aliqua limitatione, conditione, aut reſtrictione. Quando autem cenſeatur abſolutè concedi, quando ſub tacita conditione; regulam tradidimus *loco citato de legibus.*

Privilegium abſolutè cõceſſum, per unum actũ non ceſſat.

4. Et hinc deducitur: quod dicendum ſit, ad illam quæſtionem, an privilegium, vel diſpenſatio ad aliquid agendum, vel non agendum, ceſſet unico actu? ¶ Reſpondetur negativè, juxta dicta *tract. 11. c. 5. n. 94.* Quod non ceſſat privilegium, aut diſpenſatio, ſi abſolutè concedatur, per unum, vel alium actum. Ut ſi aliquis obtinuerit diſpenſationem in voto caſtitatis, aut religionis, ad contrahendum matrimonium; non ceſſat diſpenſatio per unum, vel aliud matrimonium contractum. Si privilegium ad non jejunandum, non abſtinendum a carnibus, non recitandi officium divinum; non ceſſat diſpenſatio, per unum, vel alterum actum; ſed durat quandiu cauſa diſpenſationis durat: quia quando diſpenſatio, aut privilegium pro uno actu conceditur, hoc exprimitur dicendo: *pro hac vice, ſemel tantum in vita, &c.* ergo quando non apponuntur dictæ limitationes, & privilegium abſolutè, & ſine limitatione conceditur; pro omnibus actibus conceſſum judicatur. Sic præter ibi citatos, Baſſæus *verb. privileg. 3. num. 7.* Suarez *lib. 8. c. 29. num. 8.* Palaus *tom. 1. tract. 3. de leg. diſp. 4. punct. 4. num. 8.* ¶ Sed dicta intelliguntur niſi ex circunſtantiis colligatur privilegium, aut diſpenſationem concedi ſolum pro caſu determinato: ut ſi petas diſpenſationem in voto caſtitatis, ad contrahendum matrimonium cum fœmina à te deflorata; illa mortua, non poteris contrahere cum alia. Et idem eſt, quando ex ſtylo, vel ex uſu communi, & acceptatione Doctorum diſpenſatio, aut privilegium cum limitatione ad caſum particularem, cenſetur concedi: ut ſi petas diſpenſationem ad contrahendum cum conſanguinea; tantum cum una intelligenda eſt. Qua mortua non poteris cum alia contrahere. Alia exempla dedimus *loco citato:* & qui plura voluerit videre, adeat Caſtrum Palaum *loco proximè* adducto.

Cedere privilegiis non poteſt, niſi qui illorum Dominus exiſtit.

5. Inquires ſecundo: Qualiter per renuntiationem ceſſet privilegium? ¶ Quod diximus de diſpenſatione *tract. 11. de legibus, cap. 5. n. 106.* idem ſentiendum eſt de privilegio. Quod ſi fuerit conceſſum in favorem alicujus communitatis, non poſſunt particulares illius, illi renuntiare. Si in favorem alicujus Provinciæ, non poſſunt renuntiare particulares conventus illius; imo nec tota Provincia conjuncta poterit privilegiis in favorem totius Ordinis conceſſis: quia ſolum ille, cujus eſt privilegium, & qui habet dominium illius, illi cedere poteſt. Nec in præjudicium aliorum, poterit particularis privilegium renuntiare: ut *cap. præcedenti num. 11.* diximus: ut de privilegio Canonis, & fori, quod non poſſunt Clerici particulares illud renuntiare, omnes dicunt. Poterit tamen capitulum generale, quod totam religionem repræſentat (vel qui ad hoc ſuas vices habuerit) renuntiare privilegia ipſi religioni, vel directè, vel per communicationem conceſſa, quod ſemper præſumitur, quod in majus bonum religionis renuntiabit. Et datur ad hoc privilegium Leonis X. quod refertur *in compendio privilegiorum, verbo generalis, §. 24.* & privilegia alicui particulari Provinciæ conceſſa, in quibus non communicant aliæ, poterit Provincialis cum ſuo capitulo Provinciali, renuntiare: ex Bulla Alexandri IV. incipiente: *Mente ſolicita.* Et alia Honorii IV. pro Dominicanis, & alia Iulii II. pro Minimis, quibus aliæ religiones communicantes participant. Tum etiam Priores locales, cum ſuis capitulis poſſunt cedere illis privilegiis, quibus ſui conventus privativè participant abſque communicatione aliorum, *ex capite primo, & tertio, de pactis in 6.* uti aſſerit Bordonus *tomo ſecundo, parte ſecunda, reſolutione 52. numero 109.* N. Fr. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſputatione tertia, ſectione prima, numero quarto.* Quia talia privilegia ſunt quaſi perſonalia, & propria illius conventus, vel Provinciæ: & ſic ſi congregantur in ſuis capitulis, poterunt liberè renuntiare illis.

Particularis bus privilegiis poſſunt particulares renuntiare, accedente conſenſu ſuperioris.

6. Sed quilibet particularis renuntiare poteſt perſonalibus privilegiis, quæ ſunt propria illius: quorum renuntiatio aliis non infert præjudicium, juxta dicta *cap. præcedenti n. 11.* Quia unuſquiſque cedere poteſt favoribus ſibi collatis, & illi liberum eſt juri ſuo renuntiare: ut probant textus *leg. ſi index 24. ff. de minoribus, cap. Tunc 39. cap. ad Apoſtolicam, de regularibus.* Et intelliguntur de privilegio, quod habet tractum ſucceſſivum; ut facultas ad eligendum Confeſſorem, ad non ſolvendas decimas, &c.

vel de eo, quod effectum habet in futurum : ut diſpenſatio ad contrahendum matrimonium ; non de illo quod habet effectum momentaneum, & ſtatim operatur, ac obtentum eſt; ut diſpenſatio in irregularitate, abſolutio à cenſuris, quod poſtquam obtentum eſt, nemo poteſt renuntiare, cum jam ſit conſequutum ſuum effectum. Baſſæus *in floribus verb. privileg.* 3. *n.*6. ¶ Sed ut diximus *loco citato de legibus*, *n.*101. ut renuntiatio privilegii, aut diſpenſationis ſit valida, & conſummata, debet acceptari ab illo, qui tale privilegium, vel diſpenſationem impertitus fuit; aliter non erit valida, & privilegium, aut diſpenſatio manebunt in ſuo robore. Tum : quia dum diſpenſator, vel privilegium concedens non acceptat renuntiationem, perſeverat in voluntate diſpenſandi, vel privilegiandi ; quæ eſt quaſi continuata, & protogata diſpenſatio, & privilegii conceſſio. Tum etiam : *quia res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur* : ſed privilegium otiginem ducit à Principe, acceptante privilegiato : ergo ut ceſſet, debet à privilegiato incipere, & in acceptatione renuntiationis à Principe facta, conſummari. Sic præter ibi citatos, Baſſæus *n.*6. Sanch. *lib.*8. *de matrim. diſp.*32. *num.*2. Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract.*1. *diſp.*1. *ſect.*7. *n.*129. Palaus *tom.*1 *tract.*3. *diſp.*4. *punct.*17. *n.*6. Petrus ab Angelis *in ſpecul. diſput.*3. *ſect.*1. *n.*5. Pelliz. *tract.*8. *c.*1. *ſect.*5 *q.*7. *n.*107. Bordon. *tom.*2 *reſol.*51. *n.*109. ¶ Ex quo ſequitur : quod ſi renuntians privilegium ante acceptationem concedentis, mutet voluntatem, gaudet privilegio, ac ſi nunquam ceſſionem feciſſet : quia talis ceſſio ante concedentis illud acceptationem, vim non habet. Unde ſi aliquis confeſſarius (inquit Bordon.) tædio affectus, vel ob multitudinem pœnitentium, vel ob aliam cauſam, facultatem audiendi confeſſiones, quam habebat ab Epiſcopo in ſcriptis, porrigat ſuo ſuperiori, vel eam laceret coram ipſo, proteſtando ſe amplius nolle illud munus exercere; ſed omnino renuntiare tali facultati : Si poſtea pœnitentia ductus ſponte, vel ex obedientia ſui Prælati, velit ad tale munus voluntariè redire, poterit : quia illa non fuit perfecta renuntiatio ; cum deſideretur acceptatio Epiſcopi, vel Papæ, qui talem facultatem conceſſit.

Qualis acceptatio Principis requiratur, ut privilegium per renuntiationem ceſſet ?

7. Sed notandum eſt dictam acceptationem ſuperioris poſſe bifariam fieri. *Vel ab homine* : ut quando renuntiatio acceptatur à Principe, privilegium concedente. Vel à *jure* : ut quando ſunt jura vel privilegia conceſſa à Principe paciſcendi, vel renuntiandi ; quia tunc in ipſo jure, vel conceſſione talis facultatis, includitur Principis voluntas acceptandi, & ipſa acceptatio : unde nulla alia requiritur. Quare illi de quibus diximus *n.*5. poſſe vel ex jure, vel ex privilegio, privilegiis renuntiare, ob ſpecialem poteſtatem, quam vel à jure, vel à Principe recipiunt, ſi de facto renuntient ; valet renuntiatio, nulla alia expectata concedentis acceptatione : nec poſſunt amplius frui tali privilegio, niſi de novo eis concedatur. Et idem eſt de illis, qui diſpoſitione juris amittunt privilegia, vel per temporis præſcriptionem, vel per factam renuntiationem, incluſam in uſu contrario (de quo latè puncto ſequenti) qui non indigent Pontificis acceptatione ; quia ab ipſo jure conceditur facultas acceptandi talem renuntiationem, à tertio læſo per privilegium, vel à tertio præſcribente. Pelliz. *q.*7. *n.*108. Bordon. *reſol.*51. *n.*111. Antonius à Spiritu ſancto *ſect.*7. *n.*129. Petrus ab Angelis *ſect.*1. *n* 6. & *ſect.*3. *num.*18. Suarez *c.*35. *n.*5. ¶ Quod intelligendum eſt de illis, qui ſpecialem habent à jure vel privilegio facultatem renuntiandi ; non de his, qui perſonalibus privilegiis, aut facultatibus renuntiare poſſunt : quorum renuntiatio non valet, niſi accedente ſuperioris concedentis privilegium, acceptatione, ut diximus *num. præced.*

Quis renuntiationem acceptare poſſit ?

8. Eſt ergo facienda renuntiatio in manibus ſuperioris (qui conceſſit privilegium) illam acceptantis. Unde facta in manibus non habentis ejus ad hoc poteſtatem, nulla eſt, *cap. denique* 6. *q.*3. *cap. admonet. de renunt.* Et cum ſit odioſa, eſt ſtrictè interpretanda ; itaut niſi ad expreſſa non extendatur : & ſic non extenditur etiam ad caſum ſimilem, & multo minus ad diverſum. Rota *volum.*1. *deciſ.* 664. *n.*8. & *volum.*2. *deciſ.*242. *n.*4. & cum aliis Bordon. *reſolut.*52. *n.*114. Verum eſt quod renuntians intelligitur renuntiare omnibus, quæ ex illa renuntiatione ſequuntur, & etiam omnibus cohærentibus, *cap. ſi quis ſacerdotem, diſt.*81. *cap. ſi quis Epiſcopus, q.*1. *cap. nullus primas q.*2. In dubio autem, an renuntiaverit, vel non ? non præſumitur renuntiaſſe, cum renuntiare juri ſuo de facili, nullus præſumatur : niſi prorſus liberè, & abſolutè aliqua cauſa contrarium operetur, *c.*5. *de renunt. cum gloſſa ibi verb. voluerit.*

PUNCTUM II.

Qualiter per non uſum, vel per contrarium uſum, vel per abuſum deperdatur privilegium?

9. VT clarius in hoc puncto procedamus, quod propter multiplicitatem opinionum non parum eſt implexum, illud in diverſis §§. dividemus. In primo quæ certa ſunt apud omnes proponemus. In ſecundo diverſas aſſertiones, omiſſis aliorum placitis declarabimus. Et in tertio illationes, quæ ex dictis inferuntur deducemus.

§. I.

Certa apud Authores circa præſentem materiam proponuntur.

Per non uſum, vel per contrarium uſum, ſolent amitti privilegia.

IN primis ſupponendum eſt ut certum, & ut principium generale hujus materiæ, per non uſum, vel per uſum contrarium deperdi privilegia, ſi cætera requiſita, de quibus dicemus, adfuerint. Quod conſtat ex clauſula, quæ ſolet in conceſſione privilegiorum apponi : *quatenus ſunt in uſu, dummodo ſint in uſu.* In quo ſupponitur per non uſum, vel per contrarium uſum deperdi. Quod ut communiter docent Lezana *tom.* 2. *verb. privilegium*, *n.*15. & 16. Hieron. Garcia *in polit. regul. tom.*1. *tract.*8. *diff.*1. *dub* 7. *n.*13. Fr. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſp.*3. *ſect.*2. *n.*1. Palaus *tom.*1. *tract.*3. *diſp.*4. *punct.*18. *n.*1. Fr. Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract.*1. *diſp.*1. *ſect.*7. *n.*139. Bordon. *tom.*2. *p.*2. *reſol.*52. *n.*123. Azor. *lib.*5. *c.*8. *q.*8. Salas *de legibus, diſput.*17. *ſect.*13. *à n.*36. Suar. *de legibus, lib.*8. *c.*34. *num.*1. Bonac. *diſput.*1. *q.*3. *punct.*8. §.5. *num.*3. Baſil. Pont. *lib.*8 *cap.*18. *num.*21. ¶ Quod ex duplici capite poteſt provenire,

provenire, quod per non uſum, vel per uſum contrarium privilegium deperdatur. Vel quia talis uſus includit virtualem, & tacitam renuntiationem privilegii: vel quia ſufficiens tempus tranſient ad præſcriptionem, contra illud, requiſitum; nec eſt aliud caput, unde hoc provenire poſſit. ¶ Semper tamen præſumitur privilegium uſu receptum, & aſſerenti contrarium incumbit onus probandi: qui ſimul debet probare, quod illud habens fuerit in culpa, non uſus privilegii, & quod per eum ſtetit, quominus privilegio uteretur: ut multis citatis probat Aſcan. Tambur. *de iure Abbat. tom. 1. diſp. 16. q. 14. à n. 10.*

Quot modis non uſus privilegii contingat.

10. Secundo ſupponendum eſt; poſſe dari non uſum merè negativum: quando nimirum, nulla oblata eſt occaſio, vel opportunitas utendi privilegio, vel ea oblata, fuit impedimentum ad eo utendum: & per hunc non uſum minimè deperdi, aut minui privilegium, etiamſi longiſſimum tempus præterierit, omnes aſſerunt; & conſtat ex *l. unus ex ſociis, & ſequentibus, ff. de ſervit. ruſtic. præd.* ubi dicitur ſervitutem debitam alicui, de aqua educenda in fundum illius, ex puteo, non amitti; ſi illa non fuit uſus, quando fons exaruit. Unde qui haberet privilegium à Rege exigendi aliquod tributum, vel non recipiendi milites in ſua domo, non amitteret illud, etiamſi longiſſimo tempore eo uſus non eſſet, quia nulla ſe obtulit occaſio, & in ſimilibus. Et idem eſt, ſi non utatur privilegio ob conventionem factam cum alio: quia tunc non poteſt ratione conventionis uti illo, vel potius eo utitur æquivalenter: quia per non uſum illius aliquid in conventione recipit. Bordon. Garcia, Palaus, Bonac. *locis citatis.* ¶ Poteſt etiam dari non uſus *privativus* privilegii, quando ſciens, & potens, data opportuna occaſione, eo non eſt uſus privilegiatus: Et de hoc non uſu deinceps loquemur. Poteſt etiam eſſe non uſus, ſeu *uſus contrarius* privilegii, quando privilegiatus facit actum contrarium privilegio ſibi conceſſo; nimirum ſolvit decimas à quibus erat exemptus, & datur *abuſus* privilegii; nimirum, non utendo illo loco, & tempore præſcripto in ipſo, vel utendo illo extra limites privilegii. ¶ Et certum eſt nullo ex his modis amitti privilegium, niſi adſit ſcientia, & notitia privilegii; quia abſque illa impotens eſt privilegiatus ad uſum ejus: vel ſi adſit impedimentum aliquod, per quod eo uti non poſſit; vel deficiat libertas in privilegiato; quia invitus eo non eſt uſus, vel uſus eſt in contrarium: quia quod invitus fecit, nihil ei nocere poteſt, ut omnes tenent.

Per non uſũ deperditur materies privilegiũ.

11. Tertio ſupponendum eſt: quod quando privilegium ad diverſas res extenditur, ex eo, quod reſpectu alicujus partis adſit non uſus, vel uſus contrarius, non deperditur quoad alias partes privilegii, etiamſi longiſſimum tempus tranſierit; ſed ſolum quoad illas, quibus non eſt uſus data occaſione, & opportunitate: quia quoad alias, nec etiam tacita renuntiatio reperitur, nec præſcriptio, cum eis uſus fuerit, vel non ſe obtulerit occaſio utendi, quod etiam eſt commune. Sicut etiam eſt inter Doctores certiſſimum eſt non deperdi privilegium toti religioni conceſſum per non uſum, vel uſum contrarium alicujus particularis religioſi, vel monaſterii, vel etiam Provinciæ: quia contrarius uſus, per quem amittitur privilegium debet eſſe ab habente poteſtatem renuntiandi tacitè, vel expreſsè, quæ in jure idem ſunt. Poteſtas autem renuntiandi privilegio reali, toti religioni conceſſo, non reſidet in particularibus perſonis, monaſteriis, aut Provinciis, ſed in capitulo generali repræſentante totam religionem, vel in alio ejus vices gerenti, ut diximus *n. 5.*

Quot têpus ex jure requiratur ad præſcribendum contra privilegiũ.

12. Quarto ſupponendum eſt, quod tempus ad præſcriptionem requiſitum, ut per illam privilegium deperdatur, inchoat à primo non uſu libero, ſpontaneo, data opportunitate, & ſine ullo impedimento utendi. Quod reſpectu omnium non eſt idem; ut diximus *tom. 3. tract. 12. c. 2. à n. 104.* Nam reſpectu particularium ſufficient decem anni inter præſentes, & viginti inter abſentes, ut ibidem diximus. Ad præſcribendum in rebus immobilibus (inter quas privilegia computantur) contra Eccleſias, monaſteria, hoſpitalia, & alias pias cauſas, res immobiles uſucapi, ſeu præſcribi non poſſunt, niſi tranſierint triginta anni inter præſentes, & quadraginta inter abſentes, *ex auth. quas actiones 6. de ſacroſanct. Eccleſ. recepta in cap. ultim. & penult. 16. q. 3.* Contra Romanam Eccleſiam præſcribi non poteſt, ſive in rebus mobilibus, ſive immobilibus; niſi poſt longiſſimum tempus, quod eſt centum annorum. Dicta *auth. & cap. cum à nobis 14. de præſcriptionibus.* Et ex jure communi, ut regulares amittant ſua privilegia per præſcriptionem, quadraginta anni debent tranſire, *ex cap. volumus 2. 16. q. 4. cap. accedentibus, de privilegiis,* & tenent Salas *de legibus, diſp. 17. ſect. 13. num. 64.* Suar. *lib. 8. c. 24. n. 20.* Palaus *tom. 1. tract. 3. diſp. 4. punct. 18. num. 6.* Tambur. *de iure Abbat. tom. 1. diſp. 16. q. 14. n. 5.* & eſt communis. Debent autem obſervari omnes conditiones ad legitimam præſcriptionem requiſitæ, de quibus egimus *loco citato.* Hoc eſt quod de jure communi habemus. Quot autem tempus debeat tranſire ad præſcribendum contra privilegia regularium, ex ſpecialibus privilegiis conceſſis, §. 3. hujus puncti dicemus.

---

§. I.

Triplex concluſio pro reſolutione puncti proponitur.

Privilegia merè gratioſa per nõ uſum, vel per contrarium uſum, minimè amittuntur.

13. His ſuppoſitis aſſerendum eſt primo, privilegia merè gratioſa, quæ in alterius gravamen, aut detrimentum non redundant, nunquam deperdi, nec per non uſum privativum, nec per uſum contrarium, etiamſi longiſſimum tempus pertranſeat. Illa appellamus privilegia merè gratioſa, quæ privilegiato afferunt commodum, & aliis non inferunt incommodum, vel aliquod gravamen, aut ſervitutem inducunt: ut non jejunandi, comedendi carnes, lacticinia, audiendi ſacrum tempore interdicti, celebrandi tali tempore, & ſimilia. Inter quæ computantur privilegia confitendi, abſolvendi à reſervatis, vel cenſuris, concionandi, &c. quia hæc minimè in Epiſcopi, aut Parochi gravamen, ſed potius levamen cedunt; quia non diminuunt eorum poteſtatem, ſed eos adjuvant in ſuo miniſterio. Ratio aſſertionis eſt: quia hæc privilegia ob non uſum, vel contrarium uſum non deperduntur; per legem ſtatuentem amitti debere: quia nulla datur; ſiquidem omnes leges, & textus, qui poterant adduci in oppoſitum, non de iſtis privilegiis gratioſis loquuntur;

ſed de illis quæ in aliorum gravamen cedunt, de quibus dicemus concluſione ſequenti. Nec perduntur per tacitam renuntiationem in eis inventam; ſiquidem ut diximus *tract.* 11. *de legibus, cap.* 6. *num.* 102. per non uſum, aut uſum contrarium, non præſumitur quis renuntiare privilegiis; ſiquidem iſta non obligant ad utendum illis: & ſtat privilegiatum velle conſervare privilegium, & ob aliquos fines nolle uti illo, quin ob hoc illi renuntiare judicetur. Nec etiam amitti poſſunt hæc privilegia per præſcriptionem, quamvis longiſſimum pertranſeat tempus: quia in privilegiis quæ ſolas actiones privilegiati concernunt, nulla dari poteſt præſcriptio: nam ad hanc requiritur, quod præſcribens habeat in illa re continuatam poſſeſſionem, ratione cujus dominium rei, quod erat in uno transferatur ad alium. In his autem privilegiis nullam poſſeſſionem poteſt alius habere, nullumque dominium eſt transferibile in ipſum, ut ex ſe conſtat: ergo nullo modo dicta privilegia gratioſa, deperduntur per non uſum, aut uſum contrarium, atque ita docent. Lezana *tom.* 2. *verb. privileg. num.* 15. & 16. Salas *diſp.* 4. *punct.* 18. *n.* 4. Hieronym. Garcia *in politic. regul tom.* 1. *tract.* 8. *diff* 1. *dub.* 7. *num.* 14. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 34. *num.* 17. Bonac. *diſput.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 3. *num.* 5. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 16. *q.* 14. *num.* 2. Baſil. *cap.* 18. §. 3. *num.* 22. Palaus *tract.* 1. *diſp.* 4. *punct.* 18. *num.* 3. & *punct.* 19. *n.* 1. Petrus ab Angelis *diſput.* 3. *ſect.* 2. *num.* 8. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 20.

Privilegia cedentia in aliorũ præjudicium per præſcriptionem amitti valent.

14. Aſſerendum eſt ſecundo: quod privilegia illa, quæ in aliorum gravamen cedunt, vel quia aliquam ſervitutem alterius annexam habent, vel quia ſunt de exercenda aliqua actione aliis oneroſa, ut de exigendo aliquo tributo, de exemptione à ſolutione decimarum, Gabellarum, aut aliarum diſtributionum, &c. ſi cætera adſint, de quibus diximus §. *præcedenti*, ſpecialiter illorum notitia, opportunitas, & occaſio illis utendi, & nullum impedimentum nulla revocatio in contrarium, per non uſum, vel per uſum contrarium per præſcriptionem deperduntur, ſi tempus ad præſcriptionem præterierit. Hæc aſſertio eſt communis inter Doctores, & probatur. Tum: quia per contrarium uſum, vel per non uſum data opportunitate, in jure præſumitur privilegiatum renuntiare privilegio, *cap. cum acceſſiſſent, de conſtitutionibus, cap. accedentibus de privilegiis.* Cæterum cum hæc jura ſolum fundentur in præſumptione animi renuntiandi, ſi liberè talis animus non detur, ob iſtum titulum factæ renuntiationis, nunquam privilegium deperditur, ut infrà dicemus. Quare melius probatur aſſertio: quia gravatus per privilegium, poteſt præſcribere contra privilegiatum poſſidendo ſuam libertatem ab illo onere, toto tempore, quo privilegiatus non utitur liberè ſuo privilegio data opportunitate, & occaſione: ergo ſi tempus ad præſcriptionem tranſierit, privilegiatus amittit dominium, alteri onus imponendi, & gravatus eximitur ab illo onere, quod eſt per præſcriptionem amitti privilegium: nam hæc vim habet auferendi ab uno dominium, & illud in alium transferendi, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 12. *c.* 2. *n.*... ergo dicta privilegia per præſcriptionem contra illa deperduntur, per non uſum privativum, vel uſum contrarium, toto tempore ad præſcriptionem requiſito. Sic Layman. *num.* 21. Lezana *n.* 16. Garcia *num.* 15. Palaus *punct.* 18. *num.* 4. & *punct.* 19. *n.* 7. N. Fr. Petrus ab Angelis *num.* 14. Suarez *n.* 16. Bonacin. *num.* 5. Tambur. *num.* 3. & alii.

15. Sed aſſertionem aliqui merito limitant, quando privilegia conceduntur privilegiato, ut utatur illis cum clauſula, *prout libuerit*, *quando voluerit*, quod etiamſi illis per multum tempus non utatur, illa minimè amittet. Non quidem renuntiatione facta, quæ hic locum non habet: quia ejus libero arbitrio uſus illorum committitur; & ſic per hoc quod illis non utatur, vel contrariè utatur; non ob id cenſetur velle renuntiare privilegio, cum uſus illius ſuo libero arbitrio relinquatur. Non præſcriptione: aliàs illa clauſula inutilis eſſet in privilegio, nihilque operaretur: quia in omni privilegio tacitè includitur, ut privilegiatus eo utatur prout voluerit, nec enim obligatur ab eo utendum: ergo quando expreſsè ponitur, ut aliquid operetur; intelligenda eſt, ut etiam tempore præſcriptionis, eo uti, vel non uti poſſit, ſine præjudicio: quod ſanè ſibi inferretur, ſi tempus præſcriptionis computaretur contra ipſum; itaut tranſacto illo, amitteret privilegium. Felin. *in cap. cum acceſſiſſent de præſcriptionibus*, *num.* 26. & 27. Molina *de Hiſpan. primogen. lib.* 2. *c.* 7. *fine*, §. *ſed verius videtur.* Azevedo *leg.* 5. *tit.* 7. *lib.* 2. *novæ copil. fine.* Azor. *lib.* 5. *c.* 4. *q.* 8. Palaus *punct.* 18. *n.* 5. Garcia *dub.* 5. *n.* 15.

16. Aſſerendum eſt tertio, eum qui abutitur privilegio, dignum eſſe illo ſpoliari, illudque amittere: *Nam privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur facultate, cap. ubi diſtinct.* 34. *cap. privilegium* 11. *q.* 3. *cap. licet de regularibus.* Tunc autem dicitur aliquem abuti privilegio, quando vel illud extendit ultra id, quod ſibi conceſſum eſt, vel ex illius uſu, ſumit occaſionem liberius delinquendi; vel quando ſuis pravis moribus, fini motivo privilegii contradicit, & aliis ſimilibus caſibus. ¶ An vero ipſo facto nulla expectata judicis ſententia, amittatur privilegium per abuſum? Aliqui abſolutè negant; niſi præcedente ſuperioris ſententia, ſaltem criminis declaratoria. Tum: quia in dictis juribus, ſolum aſſeritur mereri privilegio privari, qui eo abutitur; non quod ipſo facto privetur. Tum etiam: quia licet de facto illis privari diceretur, cum ſit lex pœnalis, qua privatio imponitur in pœnam abuſus, non obligat niſi poſt judicis ſententiam: ut diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *de legibus*, *c.* 1. *n.* 59. atque ita tenent in præſenti. Suar. *lib.* 8. *de legibus*, *c.* 36. *n.* 8. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 20. *n.* 3. Fr. Petrus ab Angelis *diſp.* 3. *ſect.* 2. *n.* 20. Bruno Caſſaing. *de privileg. tract.* 1. *c.* 5. *propoſ.* 3. Fr. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 1. *diſp.* 1. *ſect.* 7. *n.* 147. Pelliz. *tract.* 8. *c.* 1. *q.* 10.

Quomodo per abuſum privilegium perdatur.

17. Sed diſtinguendum eſt: vel enim in jure abutens privilegio, in pœnam privatur illo; & tunc vera eſt præcedens ſententia: & ſic requiritur ad minus ſententia declaratoria criminis, ad talem privationem, ut in *cap. contingit* 2. *de ſentent. excommun.* Clericus incedens ſine habitu, & tonſura amittit privilegium clericale; ſed ter admonitus, & per ſententiam condemnatus. Idem habetur *in cap. ex literis, de vita, & honeſtate cleric.* Ubi Clericus negotiator, privatur privilegio exemptionis à tributis; ſed ter admonitus, & negotiator declaratus *in cap. ult. de immunitat. Eccleſiar.* Quod poſt criminis declarationem intelligitur. ¶ Vel abutens tali privilegio, eo privatur, quia fuit illi conceſſum

Per abuſum quandoque amittitur privilegiũ, ipſo facto, quandoque poſt judicis ſententiam.

ſub

ſub aliqua conditione, quæ non apponitur propter abuſum : & tunc ipſo facto privatur privilegio, nulla expectata ſententia : ut in *cap.2. de poſtulat. Prælatorum, cap. cum in cunctis de electione.* Qui indignum eligit ea vice jure eligendi ipſo facto privatur : quia ſub ea conditione conceditur facultas eligendi, ut dignum eligant : & non aliter. Similiter clerico conjugato, conceditur gaudere privilegio clericali, ſi habitum deferat clericalem, & inſerviat alicui Eccleſiæ; qui privatur eo ipſo, quod laicè vivat. In Trident. *ſeſſion. 23. cap. 6. de reformat. cap. ex parte, de cleric. coniugat.* ¶ Vel denique ob abuſum, ceſſat totalis finis privilegii : & tunc ipſo facto ceſſat privilegium; vel in totum, ſi omnino ceſſet finis; vel quoad aliquam partem, ſi quoad illam finis ceſſat : ut ſi beneficiario conceditur privilegium lucrandi fructum ſuæ præbendæ, abſque reſidentia, ob ſtudium; ſi non ſtudeat, ſed terat tempus vanis rebus occupatus, amittitur privilegium; non abſolutè; ſed quoad lucrandos fructus illius temporis, quo ſtudiis non vacat : eo quod tunc privilegiatus non eſt, & beneficiarius abſque privilegio, non reſidens, pro eo tempore non facit fructus ſuos. Suarez *lib. 8. cap. 36. num.7.* Palaus *punct.20.num.4.* Bonacin. *diſput.1. q.3. punct.ultim. §.7. fine.* Salas *diſput.17. ſect.13. num.68.*

---

§. III.

Ex dictis corollaria quædam inferuntur.

Ob renunciationem tacitam, ſive animo renũciandi non amittitur privilegiũ.

18. EX dictis infertur primo : privilegia ob non uſum privativum, vel ob uſum contrarium, non amitti (ſaltem in foro conſcientiæ) ob renunciationem tacitam imbibitam in illis, niſi ſimul cum non uſu animus adſit renuntiandi, & à potente renuntiare privilegio : & idem eſt pro foro externo, ſi talem animum non fuiſſe conſtaret. Et ſic ſolum ob præſcriptionem poſſunt amitti, tranſacto tempore ad illam. Quia ut diximus *tract.11. de leg. cap.6. num.102.* ſtat optime aliquem velle conſervare privilegium, & ob alios fines, quam ob renunciationem velle illo non uti : quia per illud non cogitur ad utendum, & poteſt velle conſervare facultatem utendi, & non uti ob aliquem finem. Et ſic ſolum poteſtatem talem amittit, quod eſt privilegium, qui animum habet renuntiandi, & legitime renuntiare poteſt, ut colligitur ex *l. voluntariæ, cap. de excuſat. tutor, l.2. de his, qui ſponte munera ſubeunt, leg.2. de privilegiis veteranis :* ubi dicitur non labefactari privilegium immunitatis, ab oneribus civitatis, eſto quis aliqua munera ſponté ſubeat; eo quod animus renuntiandi non inducitur, ex eo, quod quis contra privilegium operetur. Pellizzar. *tract.8. cap 1. quæſt 8. num.114* Bruno *tract.1. cap.5. propoſ.1.* Lezana *tom 2. verb. privil. num.16.* Baſil. *lib.8. cap.8. §.5. num.27.* Salas *diſp.17. ſect.13. num.66.* Palaus *punct.19. num.17.* Petrus ab Angelis *diſp.3. ſect. 2. num.15.* Suarez *lib.8. cap.35. num.10. & 25.* Bonacina *punct.8 §6. num.12.* Layman. *lib.1. tract.4. cap. 23. num.25.* ¶ Optimum autem erit conſilium, quod ſi privilegiarius, aliquod, quod ſit contrarium privilegio operetur, abſque animo illi renuntiandi, illud faciat præmiſſa proteſtatione non præjudicandi privilegio : nam talis proteſtatio excludit voluntatem renuntiandi, etiam pro foro externo, & oſtendit talem actum non eſſe formaliter contrarium privilegio; ſed uſui illius. Salas *ſect.13 num.63.* Tamburin. *q.14. n.8.* Lezana *n.16.* Suarez *c.35. n.3.*

19. Ex quo infertur ſecundo : quod ſi per ſententiam aliquis condemnetur in amiſſione privilegiorum, quæ tractum ſucceſſivum actuum ſecum afferunt, eo quod fecerit actum privilegio contrarium, & hoc abſque animo renuntiandi, cum poſſet; non tenetur in conſcientia illi ſtare ſententiæ : & ſic poterit ſecluſo ſcandalo, uti ſicut antea, ſuo privilegio; quia ſententia judicis in illo caſu, nititur falſæ præſumptioni de animo renuntiandi : ut diximus *tom. 3. tract. 11. de legib.* quia quando ſententia judicis falſæ nititur præſumptioni, non tenemur illi ſtare, & in præſenti docent Lezana *num.16.* Bruno *propoſ.1.* Palaus *punct.19. num.9.* Bonacin. *diſputat.1. quæſt.3. punct.8. §.6. num. 16.* Suarez *cap.35. num.25.* Si tamen ſententia daretur de amiſſione privilegiorum ob legitimam præſcriptionem, quæ fit tranſacto tempore neceſſario ad illam; tali ſententiæ teneretur ſtare privilegiarius. ¶ Sed nota quod adhuc non amittitur privilegium per contrarium uſum, animo renuntiandi factum, vel per præſcriptionem; quando contrarius uſus fit v.g. per particularem Monaſterium, vel etiam per totam Provinciam, ſi privilegium ſit ex illis, quæ pertinent ad totum ordinem : quia uſus contrarius, etiam per præſcriptionem, ſolum tollit privilegium, quando uſus fit ab eo cujus eſt privilegium. Non eſt autem proprium huius, vel illius domus, huius vel illius Provinciæ, privilegium, quod ad totum ordinem pertinet : & ideo illi renuntiare non poſſunt, nec per præſcriptionem illud deſtruere; ut diximus *num.11.*

Privilegio uti poteſt per ſententiam condẽnatus ad amiſſionem illius; qui animum renuntiandi non habet.

20. Infertur tertio : quod quando privilegium habet diverſos actus ſucceſſivos, per hoc, quod privilegiarius contra illud operetur; non deperditur quoad omnes quouſque gravatus privilegio contra privilegiatum præſcribat: ceſſat tamen quoad illos, quibus contradicit privilegio, nec tale privilegium pro illis actibus amplius alligare poteſt. Vt ſi habeas privilegium non ſolvendi decimas, & ſolvas, jam quoad illam ſolutionẽ amittis privilegium : quia quoad illam non vis gaudere illo : quia in eo, in quo contradicis privilegio, illi renuntias, illoque gaudere non vis; ſed non ob id amittis privilegium in poſterum illas non ſolvendi. Habes privilegium non ſolvendi vectigâlia, permittis ſcribi in libro, ubi cæteri non privilegiati ſcribuntur; pro illa vice teneris ſolvere; ſed manes cum privilegio ad non ſolvendum in poſterum, niſi tempus ad præſcriptionem tranſire permittas. Habes privilegium ne eligaris ad officia oneroſa Reipublicæ, permittis modo eligi; pro illa vice, qua electioni conſenſiſti amiſiſti privilegium; ſed eo gaudere poteris, ne ad alia munera eligaris. Habet Monaſterium privilegium decimas non ſolvendi, ſemel, & iterum ſolvit; non ob id abſolute amittit privilegium, niſi tempore pro præſcriptione tranſacto; ſed ſolum quoad illas decimas ſolutas, quas repetere non poteſt : quia non præſumitur, per unam, vel alteram ſolutionem, integre voluiſſe renuntiare privilegio; ſed vel ad evitandas lites, vel alia ex cauſa voluiſſe illis vicibus

Per quod circa aliquos actus privilegium amittatur non deperditur quoad omnes.

ſolvere. Ioannes à Cruce *cap.3. dub.3.* Lezana *tom.4. verb.privileg.regul.num.16.* Palaus *punct.18. num.8.* Hieronym. Garcia *tom.1. tract.8. diffic.1. dub.5.num.17.* Tamburin. *tom.1.diſp.16.quaſt.14. num.19.* Rodriguez *tom.3.q.51. art.5.n.9.* Diana *3.p.tract.2.reſol.11.*

Quomodo intelligatur clauſula in confirmationibus privilegiorum apponi ſolita.

21. Infertur quarto: quomodo intelligenda ſit illa clauſula, quæ ſolet in confirmationibus aliquorum privilegiorum apponi: *quatenus ſunt in uſu*, vel *prout ſunt in uſu*. Intelligitur primo ſi contra illa non ſit perſcriptum, per hoc, quod totum tempus ad præſcriptionem requiſitum, tranſierit: id eſt ſi deperdita non ſunt per uſum contrarium, tempore requiſito ad præſcribendum: & conſequenter intelligitur de privilegiis aliis onerosis; non de merè gratioſis: contra quæ nulla poteſt dari præſcriptio: ut diximus *num.13.* § Secundo: quod ſi dicta privilegia aliis gravoſa, per præſcriptionem deperdita ſint quoad unam partem, non quoad aliam; de novo confirmentur quoad illam partem, qua non perierunt: quia ut diximus *num.11.* § ſi quis contra privilegium operetur quoad unam partem illius; illud non deperdit quoad alias, contra quas non eſt uſus. § Tertio: & præcipue operatur illa clauſula; quod ſi incœpta fuerit præſcriptio contra tale privilegium, eo quod aliquod tempus jam tranſierit; ſed non omne, quod requiritur ad præſcriptionem; incipiat de novo computari tempus præſcriptionis, ab inſtanti confirmationis; ac ſi tunc privilegium de novo conceſſum fuiſſet: nihil curando de tempore præterito, ac ſi nullum tranſactum fuiſſet. Sic Hieronym. Garcia *loco citat. num.17.* Tamburin. *num.8.* Corduba *in compend. privileg. titul. Abſolutio quoad ſaculares 1. verſu Quoad*, §. 19. Ioannes à Cruce *de ſtatu Relig. lib.2. cap.3. dub.2.concluſ.ultim.* Bruno *tract.1.c.5. propoſ.1.verſ.petes.* Portel. *verbo privilegii non uſus.* cum aliis ab eo citatis.

Raro privilegia regularium poſſūt per præſcriptionem amitti.

22. Infertur denique: privilegia regularium difficulter, ac raro deperdi poſſe per præſcriptionem. Tum: quia ab aliquibus Pontificibus ſunt de novo confirmata, quæ alias deperdita fuerant per non uſum, vel uſum contrarium, abſque clauſula; *quatenus ſunt in uſu.* Et licet illa confirmata ſint (ut diximus *num. præcedenti*) ab inſtanti confirmationis, debet de novo inchoare præſcriptio, abſque computatione temporis præcedentis, & aboletur quæ habet in contra præſcriptio adverſus illa. Et cum tempus adeo longiſſimum requiratur ad præſcribendum contra illa, ut dicemus *num ſequenti*, vix unquam, his omnibus computatis, poterit contra ea legitima præſcribi. Tum etiam: quia ut privilegium alicui Ordini conceſſum, non cenſeatur amiſſum; ſufficit quod illud ſit in uſu apud aliquam domum, vel Provinciam illius Ordinis: quia privilegium Ordinis exiſtens, ad omnes domus illius Ordinis extenditur; imo etiam ſi in illo ordine non ſit in uſu; ſufficit, quod in aliis ordinibus ſit; ut hic ordo, in quo non eſt in uſu, communicans cum aliis in privilegiis, illo fruatur; ac ſi in tali Ordine extinctum non fuiſſet: ut diximus *cap. præcedent. num.114.* Quibus omnibus bene perpenſis, vix aut raro poſſunt privilegia regularium, per præſcriptionem amitti, uti docent Bordon. *tom.1. part.2. reſol.52. n.122.* Confectius *tit.1. cap.3. § nec etiam, & tit.12. c.1. de præſcript. pagin. 376.* Portel. *in dubiis regul. verb. privileg. num.55. & 63.* Pellizzar. *tract.8. cap.1. quaſt.8. num.113.* Bruno *tractat.1. cap.5. propoſ.1.*

Tempus aſſignatur ad præſcribendum contra privilegia regularium requiſitum.

23. Sed videamus modo, quo tempore ſit requiſitum ad præſcribendum contra privilegia regularium? De jure communi jam diximus *num.12.* modo ex particularibus privilegiis loquemur. Et in primis Eugenius IV. bulla 7. huius Pontificis, apud Bullar. Rodrig. conceſſit Patribus Benedictinis Valliſoletanis; ut non niſi per ſexaginta annos poſſet dari præſcriptio contra illos, ut tenet Garcia *in Politic. regul. tom.1 tract.8.diff.1.dub.6.num.56.* Bordon. *reſ.52. num.122.* à Cruce *lib.2. cap.3. dub.2. concluſ.2.* Idem conceſſit Camandulenſibus Leo X. teſte Confectio *tit.12.cap.1.* Peyrin. *in introduct.compend.* § 4. Atque idem conceſſit dictus Eugenius IV. in alia bulla *Ex Apoſtolica.* Monaſterio S. Pauli extra muros bulla 17. eius in bullar. Rodriguez teſte Lezana *tom.2.verb.privileg.n.15.* Et hoc privilegium, quod non niſi per ſexaginta annos poſſit præſcribi, extenſum eſt à Iulio II. ad Congregationem Vallis-umbroſæ, anno 1507. idibus Iulii, ut teſtatur Tamburin. *tom.1. de iure Abbat. diſput.16. quaſt.14. num.5.* Quibus gaudent cæteræ Religiones, cum iſtis in privilegiis communicantes.

Magis extenditur tēpus præſcriptionis.

24. Plus conceſſit Paulus tertius conſtitut. quæ incipit: *Benignitas*, & eſt 15. in Bullario Romano teſte Bordon. *num.122.* Pellizzar. *ſect.5. num.113.* à Cruce *loco citat.* ubi concedit eiſdem Benedictinis, ut nonniſi centum annorum ſpatio, contra privilegia eorum poſſet præſcribi. Idem conceſſit Pius IV. anno 1607. pridie idus Iunii Congregationi Montis Oliveti, ut habetur *in lib. privileg.* S. Benedicti impreſſo Romæ anno 1589. *fol.802.* teſte Fr. Petro ab Angelis *in ſpeculo privileg. diſp.3. ſect.2.num.1.* Quod etiam conceſſum antea fuiſſe à Gregorio IX. & Honorio III. Congregat. Canonic. regul. S. Salvatoris Lateranenſis, habetur *in lib. privileg. eiuſdem, pagin. 128. & 145.* ut refert Bruno *tr.1. cap.5. propoſ.1. verſ. ſecunda pars.* Atque idem conceſſiſſe Eugenium IV. ſub data Florentiæ anno 1442. ſeptimo Kalendas Iulii. Conventui S. Pauli extra muros Congregationis Sanctæ Iuſtinæ, refertur à Rodriguez *in nova collect. Bullar. Apoſt. pro regul. bulla* 17. eiuſdem Pontificis, ubi ſic dicitur: *Vt ſicut contra Romanam Eccleſiam, non niſi centinaria curris præſcriptio ſecundum conſtitutiones Canonicas, & legitimas ſanctiones; ita quoque prædicto Monaſterio, minoris temporis præſcriptio non obſiſtat.* Quod privilegium, jam eſt ad totam Congregationem extenſum, & ſic etiam aliis ordinibus communicatum, ut inquit idem Rodriguez *tom.3. qq. Regul. quaſt.35. art.2.* Quare, requiri centum annorum ſpatium ad præſcriptionem contra privilegia regularium, præter citatos *hoc numero, & numero ſequenti*, citandos, tenent Portel. *verb. præſcribere, & verb. privileg.* Diana *3. part. tract.2. de dubiis regul. reſol.88.* à Cruce *de ſtatu Relig. lib.2. cap.3. dub.2. concluſ.2.*

Expenditur quoad hoc ampliſſima Pontificum conceſſio.

25. Aliam ampliſſimam conceſſionem refert Rodriguez *tom.3. quaſt.35. citata, art.12.* quam etiam referunt, & admittunt Portel. *verb. privil. num.4.* Diana *loco citato.* à Cruce *concl.2.* Bruno *propoſit.1.* Petrus ab Angelis *ſect.2. num.7.* per quam concedit Benedictinis Eugenius IV. (cuius bullam adducit Rodriguez in ſuo bullar. & eſt nona in ordine) ut nullo modo poſſit contra eos præſcribi: ubi inter alia, hæc dicit: *Quod ſi contigerit per aliquem aut plures actus*

contra

contra hujuſmodi, aut quæcumque alia privilegia, indulta, gratias, immunitates præfatæ Congregationi conceſſa, aut ipſorum aliquid, à quocumque cujuſcumque conditionis gradus, ſeu ſtatus exiſtat, ex negligentia, vel ignorantia præſentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis cauſa, propterquam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obſervatum, ignoranter, vel ſcienter; nullum tamen præjudicium dictis privilegiis generetur, ſed ſuo vigore, ac robore permaneant: hæ ibi quod eſt magnum privilegium, quod adhuc durat, & eſt bullatum, & in eo cæteræ Religiones participant: Quod etiam Clementem VIII. bulla incipiente: *Romanum Pontificem* innovaſſe, & extendere pro Carmelitis Diſcalceatis, dum præeminentiam, & prærogativas illorum, nullo modo decurſu temporis, vel alio præſcriptionis modo amitti decernit, teſtatur Bruno Caſſaing. Franciſcanus *de privilegiis tractatu 1. cap. 5. propoſ. 1. verſ. ſecunda pars, ſine.*

PUNCTUM III.

Qualiter per revocationem privilegia ceſſare poſſint, & quis ea revocare valeat.

Privilegium gratioſum oneroſū, & remuneratıvum explicatur.

26. PRivilegium (ut diximus *cap. præcedenti, num. 22.* vel eſt mere *gratuitum*, id eſt ex mera Principis voluntate dependens; qui licet motus ſit ex meritis privilegiarii ad illud dandum; non tamen ut remuneratorium, & compenſatorium illorum; ſed tanquam aliquid ex benignitate, & liberalitate Principis conceſſum: & ideo in eius expeditione nulla meritorum mentio fit: & hoc vel poteſt conſiſtere in aliqua facultate ad agendum, vel non agendum contra legem, vel præter legem, vel in aliquo, per quod jus privilegiato circa aliquam rem acquiratur: & dicitur *jus quæſitum*; ut ſi privilegium, illam, aut caſtellum præbeat, cujus poſſeſſionem privilegiatius acquiſivit, vel jus ad exigenda tributa, vel non ſolvendas decimas, &c. Vel eſt oneroſum, aut luctativum, quod datur ob aliquod onus exhibitum à privilegiario, & ſic ibi intervenit quidam contractus oneroſus: *do, ut des, facio, ut facias.* Et ideo privilegiarius ponit onus, & ob illud Princeps privilegium impendit, ut in bulla cruciata accidit, in qua ob eleemoſynam exhibitam à privilegiario, conceditur illud privilegium à Pontifice. Vel eſt *remunerativum*; quod datur in præmium, & remunerationem obſequiorum, quæ exhibita ſunt ab alio, ad quod requiritur, quod in ipſo privilegio exprimatur in ſpecie, quod ob tale, vel tale meritum, tale privilegium communicatur: & non ſufficit, quod meritorum fiat generalis mentio; ſed debet eſſe ſpecialis, hæc vel illa recenſendo: quia generalis mentio meritorum, potius cenſetur pro honore privilegiati, quam pro veritate fieri: quapropter reputanda eſt, ac ſi facta non fuiſſet. Caſtro Palao *tract. 3. diſput. 4. punct. 21. §. 2. num. 6.* N. Fr. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſputatione 4. ſect. 1. num. 6.* Pellizzar. *tractatu 8. capite primo, numero 106.* Matienzo *libro quinto, recopilat. titulo primo, lig. 5. gloſſa 12. num. 2.*

Privilegium gratioſum ſine cauſa poteſt revocari valide.

27. His ſuppoſitis, aſſerendum eſt primo: quod privilegium mere gratuitum, per quod dominium aliquod non transfertur in privilegiatum; ſed ſolum præbet facultatem ad aliquid agendum, vel non agendum contra jus, vel præter jus poteſt à Principe, ſeu concedente revocari, vel ab ejus ſucceſſore, vel Superiore, quando voluerit, & quomodo voluerit valide, vel etiam ſine cauſa; ſed abſque illa illicitè. Et ratio eſt: quia hæc privilegia omnino gratioſa, in fieri, & conſervari à Principis voluntate dependet, & ſub quadam tacita conditione cenſentur ab ipſo conceſſa; *niſi revocavero, quandiu non revocavero:* ergo, &c. Sed voluntatem concedendi mutare ſine cauſa, eſt inconſtantiæ, & levitatis indicium, & contra naturam ipſius beneficii à Principe conceſſi, quod decet eſſe manſurum, *regul. decet in 6.* ob id dicimus illicitè, ſine cauſa illa revocare, quod limites peccati venialia non excedit. Baſſæus *verb. privileg. 3. num. 2.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 1. diſput.utione 16. quæſtione 12. num. 1.* Hieronym. Garcia *in Politic. regul. tom. 1. tractat. 8. diff. 1. dub. 6. num. 1.* N. Fr. Petrus ab Angelis *diſp. 4. ſect. 1. num. 2.* N. Fr. Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract. 1. diſput. 1. ſect. 8. num. 132.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 1. ſect. 5. num. 101.* Salas *de legib. diſp. 17. ſect. 14. n. 70. & diſp. 20. ſect. 18. num. 126.*

Privilegium non ſubdito conceſſum nequit à Principe revocari.

28. Sed hoc intelligendum eſt niſi privilegium conceſſum ſit non ſubdito: nam privilegium factum non ſubdito, & ab eo acceptatum, tranſit in contractum, & jus quæſitum; & nullus Princeps poteſt non ſubditos privare jure ſuo; niſi tanta rerum mutatio ſuperveniat; ut privilegium cenſeatur graviter pernicioſum Regi, vel Regno. Ita authores infra citandi. Qui ex hoc principio inferunt, quod Imperator, Rex, aut alius Princeps ſæcularis non poteſt revocare privilegia Religionibus, Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis, ſemel conceſſa: quia Religioſi, & Eccleſiaſtici perſonæ, illi ſubditæ non ſunt, *cap. ſi diligenti, de foro competenti, cap. Atſi clerici, de judiciis, cap. 1. & ſequent. 11. quæſt. 1.* Privilegium autem conceſſum non ſubditis, non poteſt amplius per ipſum concedentem revocari in præjudicium privilegiarii, ipſo non conſentiente; niſi in caſu illo, quod ſuperveniat notabilis mutatio rerum, taliter, quod privilegium jam cenſeatur notabiliter pernicioſum Regi, & Regno. Tambur. *q. 13. num. 2.* Lezana *tom. 2. verb. privileg. num. 20.* Suarez *lib. 8. cap. 37. num. 2.* Diana *part. 3. tractat. 1. reſolut. 57. & part. 5. tract. 1. reſol. 14.* Antonius à Spiritu ſancto *num 134.* Baſſæus *ſupra n. 2.*

Privilegium rei transferens dominium, poſt acceptationem nequit revocari.

29. Aſſerendum eſt ſecundo: quod ſi privilegium transfert dominium alicuius rei in privilegiatum, à quo acceptatum eſt, & jus quæſitum; ut privilegium non decimandi, exigendi aliquod tributum, vel ſi oppidi dominium conferat, &c. hoc nec validè nec licitè, niſi ob urgentiſſimam cauſam boni communis poteſt à concedente, vel ejus ſucceſſore revocari: quia eſt quædam donatio jam acceptata, quæ ad libitum poſt acceptationem nequit revocari: & cum jam ſit jus quæſitum illius rei à ſubdito, ejuſque dominium poſſideat; nequit eo expoliari à Principe, qui non poteſt ſubditos bonis ſuis privare. Palaus *ſupra num. 2.* Garcia *num. 2.* Lezana *verb. privileg. num. 20.* Diana *duobus locis citatis.* Suarez *lib. 8. cap. 37. n. 7.* Bonac.

disp. 1.

diſp. 1. *quæſt.* 3. *punct.* 8. §. 2. *num.* 5. Baſil. Pont. *lib.* 8. *de matrim. cap.* 19. §. 2. *num.* 11. ¶ Cauſæ autem ſufficientes, ut valida, & licita ſit talis privilegii revocatio, in primis ſunt illæ omnes, ex quibus diximus *tom.* 3. *tract.* 14. *cap.* 4. *part.* 5. §. 4. poſſe donationes acceptatas à donante revocari. Deinde ob grave crimen, in pœnam delicti: denique quando hoc ad bonum publicum Reipublicæ, vel Eccleſiæ conducit, quia ſubditorum bona, ſubduntur Principis voluntati, in ordine ad bonum publicum; & ſic etiam privilegia, quæ ſub ea tacita conditione conceſſa judicantur, ut durent quoties eorum ceſſatio ad publicam utilitatem non pertinuerit. Suarez *num.* 5. Baſil. *num.* 13. Palaus §. 2. *num.* 4. Matienzo *lib.* 5. *titulo* 10. *leg.* 6. *gloſ.* 1. *n.* 11. & 12. ¶ Sed in eo caſu non requiritur aliqua loco privilegii revocati compenſatio: quia licet ſit bonum quæſitum privilegiarii, illud, quod revocatur privilegium; illi tamen gratis donatum fuit: nam ſupponimus fuiſſe gratioſum, non oneroſum, aut remuneratorium: ergo ſicut donatio, & conceſſio fuit gratiosè, ſine onere ex parte privilegiarii; ita revocatio ex juſta cauſa, poteſt ſine onere, & compenſatione ex parte revocantis fieri. Bonac. §. 3. *n.* 3. Baſil. *lib.* 8. *c.* 9. §. 2. *n.* 13. Palaus *n.* 6. Suarez *lib.* 8. *cap.* 37. *num* 9.

Privilegia oneroſa, niſi ob bonum publicũ, & facta compenſatione nequeunt revocari.

30. Advertendum eſt tertio, privilegium oneroſum per modum contractus conceſſum, quodque conceditur ratione pretii dati, aut ratione operis injuncti, revocari non poſſe à concedente, vel alio, niſi ex urgentiſſima cauſa boni publici, & tunc ſi Princeps pretium recepit, illud reddere tenetur; & ſi onus injunxit recompenſationem per æquivalentiam illius, aliàs nulla eſſet revocatio: quia Princeps ſtare teneretur contractui inito cum ſubdito; aliàs nullus contrahere poſſet cum Principe ſupremo: qui licet ob publicam utilitatem poſſet reſcindere contractum initum cum ſubdito; non vero illum re ſua privare ſine debita compenſatione. Hæc namque obligatio oritur ex juſtitia, quæ etiam obligat Superiores reſpectu inferiorum. Pellizzar. *tract.* 8 *cap.* 1. *sect.* 5. *n.* 101. Tambur. *tom.* 1. *diſput.* 16. *quæſt.* 12. *num.* 5. Leaana *tom.* 2. *verb. privileg. num.* 20. Baſil. §. 2. *num.* 13. Palaus *diſp.* 4. *punct.* 21. §. 2. *num.* 1. & 2. Bonac. *ſup.* §. 3. *num.* 2. & 12. Salas *diſp.* 17. *sect.* 14. *n.* 70. & *diſputat.* 21. *sect.* 18. *ad finem.* Suarez *libro* 8. *cap.* 37. *num.* 7. Hieronym. Garcia *tract.* 8. *diff.* 1. *dub.* 6. *num.* 2. Baſſæus *privileg.* 3. *num.* 2. Fr. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 1. *diſputat.* 1. *sect.* 7. *num.* 34. Fr. Petrus ab Angelis *diſputat.* 4. *sect.* 1. *num.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 4. *num.* 35. & alii. ¶ Et hinc fit primo, non poſſe Summum Pontificem revocare diſpenſationes, quas dedit contrahendi matrimonium in gradibus prohibitis, niſi ex urgenti cauſa, & reddendo diſpenſatio, quod dedit. Fit ſecundo, privilegia per bullam cruciatam conceſſa, non revocari, neque per bullam Cœnæ, neque per Iubileum, quod nunc 25. anno conceditur, licet in eo dicatur revocari omnes gratias, privilegia, & facultates, etiam Regibus ex quacumque cauſa conceſſas: quia privilegia bullæ Cruciatæ ſunt conceſſa per modum contractus oneroſi: conceduntur enim, quia ſinguli illam eleemoſynam tribuunt: & ſic, ut valide revocentur, præter urgentiſſimam cauſam, debet eleemoſyna reddi, alias nulla erit revocatio. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 33. *num.* 10. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentiis*, *cap.* 21. *num.* 7. Rodriguez *in expoſit. bullæ*, §. 12. *num.* 13. N. Fr. Petrus ab Angelis *n.* 3. Salas *sect.* 18. *fine.* Bonac. *num.* 13. Palaus *num.* 4. Baſilius *num.* 14. quæ notanda ſunt (inquit Baſilius) pro Religionibus, quæ bullas accipiunt revocatorias bullæ Cruciatæ, de quo alibi erit ſermo.

Per bullam Cruciatam non ſuſpenduntur privilegia regularium.

31. Et ſi obiter hic inquiras, an privilegia regularium revocentur, vel ſuſpendantur per bullam Cruciatam ubi iſta publicatur? Reſpondetur negativè: tum, quia cum talia privilegia ſint favorabilia, non uni, aut alteri Monaſterio conceſſa; ſed toti Religioni, & ordinentur in bonum commune fidelium; non revocantur, nec ſuſpenduntur per verba generalia, niſi de illis fiat ſpecifica mentio (ut infra dicemus) qualis non ſit in dicta bulla. Tum etiam: quia bulla ſolum revocat indulgentias, non privilegia, quæ ſunt valide diverſa, ut infra probabimus. Vnde non obſtante bulla, poſſunt regulares abſolvere, & diſpenſare, &c. in omnibus caſibus ſibi conceſſis per ſua privilegia, ac ſi bulla non eſſet. Baſſæus *privileg.* 3. *num.* 5. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 52. *num.* 136. Lezana *tom.* 3. *verb. bulla Cruciat. num.* 38. Lugo *de pœnit. diſp.* 20. *sect.* 8. *num.* 145. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 120. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 45. *num.* 62. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *reſolut.* 10. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 16. *quæſt.* 16. Mirand. *tom.* 1. *quæſtione* 46. *artic.* 11. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 1. *diſput.* 1. *sect.* 7. *num* 139. Imo neque per Iubileum anni Sancti revocantur privilegia communia Religionum, ut tenent authores citati; ſed per bullam Cœnæ revocari modo omnia privilegia regularium, quæ ſunt contraria bullæ Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis publicatur, merito docent Bordon. *loco citato, num.* 135. Megala *part.* 1. *de pœnitent. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 17. Tambur. *tomo* 2. *diſputat.* 4. *quæſt.* 15. Diana *reſolut.* 10. & 72. *de regularibus*, & alii ab ipſis citati.

Privilegia regularium ſunt remuneratoria.

32. Sed circa privilegia remuneratoria, non levis eſt inter Doctores controverſia, an ſint revocabilia modo ordinario (hoc eſt) abſque urgenti cauſa boni communis, & cum debita compenſatione. Et hæc difficultas præcipue exagitatur propter privilegia regularium, quæ eſſe remuneratoria eſt certiſſimum, ut paſſim in bullis Pontificum habetur, talia privilegia concedere ob eximia merita, continuos labores, quos tam in Prædicationibus, quam Confeſſionibus, tam reſpectu fidelium, quam infidelium ſunt perpeſſi. Quod præcipue videri poteſt in bulla Sixti IV. emanata ſeptimo Kalendas Auguſti anno 1489. pro Dominicanis, & Minoritis, & in bulla Pii V. ſub dat. 27. Iulii anno 1567. pro omnibus Mendicantibus, & in bulla Vrbani VIII. quæ incipit: *In ſpecul.* & in bulla Pauli III. expedita pro Societate Ieſu, quæ incipit, *Licet debitum*, & alia à Clemente VIII. emanata pro nobis Carmelitis Excalceatis, quæ incipit: *Cum dudum*, & ab aliis Pontificibus pro aliis Religionibus. Ex quibus liquido infertur, & conſtat privilegia Ordinibus conceſſa eſſe remuneratoria; pro illorum laboribus, & meritis. De iſtis ergo, & ſimilibus eſt difficultas an ſint modo revocabilia.

Irrevocabilia eſſe privilegia re-

33. Prima ſententia aſſerit dicta privilegia non aliter eſſe revocabilia, niſi eo modo, quo privilegia ex pacto, & contractu oneroſo: ac

proinde

gularium, aſſerit prima ſententia.

proinde nonniſi in caſibus magnæ, & publicæ utilitatis, & cum debita compenſatione. Et licet hoc variis fundamentis probent eius ſectatores, hoc eſt illorum præcipuum: quia privilegia remuneratoria, illa videlicet, quæ dantur in premium, & ſtipendium meritorum non ſunt revocabilia modo ordinario, & ſolum in caſu urgentis, & publicæ utilitatis, & cum debita compenſatione revocari poſſunt, ut in obſequiis famuli inſervientis, & etiam ſine pacto; & in ſervitiis, & laboribus militis in bello libere præliantis; quorum intuitu Dominus, aut Rex illis privilegium concedit. Quæ privilegia quia remuneratoria, ſunt irrevocabilia, niſi in caſu dictæ neceſſitatis, & debita facta ſatisfactione, ut omnes concedunt: ſed privilegia regularibus conceſſa, ut vidimus *num. praced.* ſunt remuneratoria, & in premium laborum, & obſequiorum conceſſa: ergo non aliter ſunt revocabilia, quam privilegia ex pacto oneroſo, vel ex contractu conceſſa. Ita Tambur. *diſput.*16. *q.*12.*num.*9. ubi abſolute irrevocabilia docet eſſe omnia privilegia, quæ cauſa meritorum conceduntur. Tiraquellus *leg. ſi nunquam, verb. donatione largitus num.*11. *Cod. de revocand. donat.* ubi multa congerit, quibus probat, quod conceſſa vel data ob remunerationem, ſunt irrevocabilia, uti habita titulo oneroſo. Palaus *tractat.*3. *diſp.*4. *punct.*12.§ 2.*num.*4.*&* 5. ubi omnia privilegia remuneratoria tam ex gratia, quam ex juſtitia; non aliter dicit eſſe revocabilia, quam illa quæ ſunt habita ex contractu oneroſo. Quam tenet Matienzo *lib.*5.*nova recop.tit.*10.*leg* 6. *gloſſ.*1. *num.*18 Baſſæus *verb. privil.*3.*num.*5. *citat.* Surdo *conſil.* 540. *num.*39. *&* *conſil.*4. 19. *num.*51. Bruno Caſſaing. *de privil. regular. tract.*1. *cap.*4. *propoſ.*1. Vbi adductis variis fundamentis, & authoribus id probat N. Lezana *tom.*2. *verb.privileg. num.*20. & adducens pro ſe Salas, Suar. Bonacin. dicit: quæ enim ſubditis data ſunt per contractum oneroſum, vel in premium, & remunerationem meritorum irrevocabilia ſunt, niſi ex gravi cauſa, ob bonum publicum: & tunc adhibita compenſatione. Et addit ſtatim: *Quæ maxime animadvertenda ſunt pro privilegiis regularibus conceſſis, ea enim magna ſaltem ex parte, illis conceſſa ſunt in præmium laborum, quos paſſi ſunt, & quotidie patiuntur pro Sancta Romana Eccleſia defenſione, & augmento,* & animarum ſalute, *prout ipſi Summi Pontifices, qui talia privilegia conceſſerunt, ſæpius teſtantur.*

Dantur privilegia remuneratoria ex juſtitia, & gratia.

34. Sed pro reſolutione huius graviſſimæ difficultatis, ſupponendum eſt, privilegia remuneratoria eſſe in duplici differentia. Alia remuneratoria ex juſtitia, alia remuneratoria ex gratia. Illa ſunt remuneratoria ex juſtitia, quando merita ob quæ conceſſa ſunt dant privilegiario jus agendi, & actionem implorandi officium judicis, pro meritorum ſatisfactione; ut in exemplis pro contraria ſententia adductis, cernitur, vel famuli etiam ſine pacto explicito ſervientis, vel militis libere in bello præliantis; quorum intuitu Rex illis privilegium concedit. Quia cum talia privilegia ſapiant meritum ex contractu implicito; dantur illis ex merito juſtitiæ, licet ob ſervitia, quæ videbantur liberaliter præſtita. ¶ Privilegia remuneratoria ex gratia, ſunt quæ dantur ob obſequia, vel ſervitia ex aliis titulis jam debita, vel certe, ita liberaliter exhibita, ut nullum pactum, neque implicitum habeant; quia aliunde præmium, quam à Principe, præſtolantur: & quamvis ex gratitudine & benignitate, illorum cauſa Princeps privilegia concedat; talis remuneratio eſt antidoralis, non ex aliquo debito juſtitiæ; ſed gratitudinis, benevolentiæ, & liberalitatis. Talia ſunt fere omnia privilegia regularium, conceſſa à Romanis Pontificibus in premium laborum, quos paſſi ſunt, & quotidie patiuntur: Cæterum talia obſequia regularium, alias erant debita ex obligatione regulæ, & Religioſi ſtatus. Et licet aliqua ſint obſequia præſtita à Religionibus, quæ limites ſuæ obligationis excedebant, ut patet in rebus difficillimis ab ipſis aggreſſis, ut ſunt labores maximi, & continua ſtudia in Prædicationibus fidelium, & infidelium, cum maximo periculo propriæ ſalutis, & vitæ, quæ ſunt opera ſupererogatoria, & ſic limites ſuæ obligationis excedentia: cæterum cum fiant, & debeant fieri ex amore Dei, & proximi voluntariè, & gratioſè fiunt, retributionem à ſolo Deo, non à Romano Pontifice expectando; non præbent jus agendi contra illum, nec ex juſtitia aliquid ab eo poſtulandi; ſed ſolum ex gratitudine, & benevolentia: quare privilegia ob talia merita expedita, dicuntur remuneratoria ex gratia. Quibus ſuppoſitis.

35. Dicimus, quod licet privilegia remuneratoria ex juſtitia ſint irrevocabilia, niſi ob gravem cauſam boni publici, & adhibita compenſatione debita, quod omnes concedunt, at privilegia remuneratoria titulo gratitudinis, ſunt revocabilia abſque aliqua compenſatione. Et quamvis pro illorum valida revocatione requiratur aliqua cauſa, non requiritur, quod ſit concernens bonum publicum; ſed ſufficit vel nova, vel antiqua; quæ ſi prævideretur tempore conceſſionis, non concederetur privilegium, vel jus commune illibatum ſervare, vel in caſu violationis ad illud redire, vel alia ſimilis cauſa, quæ ſemper in Principe, præcipue in Romano Pontifice præſumitur adeſſe. Id in quo à prima ſententia diſcedimus probatur primo: quia plura privilegia diverſis temporibus regularibus conceſſa, à Pontificibus ſunt revocata, ſine aliqua illorum compenſatione, ob cauſas juſtas ab illis judicatas, ut videre eſt apud authores infra citandos: & illos erraſſe in re tam gravi aſſerere, videtur erroneum. ¶ Secundo: quia concedens privilegium ex mera gratitudine, non præſumitur ſe velle obligare ex juſtitia ad compenſationem ſi revocet, niſi ſolum ex eadem gratia, & gratitudine, ſicut ex illa dumtaxat motus eſt ad præſtandum id, atque ita docent Baſilius *de matrimon. lib.*8. *cap.* 19 §.2. *num* 13. Pellizzar. *tract.*8. *cap.*1. *ſect.*5. *n.*102. Fr. Petrus ab Angelis *diſputat.* 4. *ſect.*1. *num.*5. *&* 7. qui citat P. Donatum *quæſt.*19. *num.*13. Suarez *lib.*8. *cap.*37. *num* 6. Merolá *tom.*3. *cap.*8. *num.*447. & alii ab ipſis citati.

Privilegia remuneratoria gratioſa poſſunt revocari.

36. Concedimus tamen primo: quod talia privilegia remuneratoria regularium, non cenſentur revocata per quaſcumque clauſulas generales: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, &c. revocamus, derogamus, annullamus, &c.* quamvis duplicentur, aut triplicentur, niſi de privilegiis regularium expreſſa mentio fiat. Baſſæus *privilegium* 3. *num.* 5. Rodriguez *tom* 1. *quæſtionum Regularium, quæſt* 6. *art.*6. Bordon. *reſolut.*52. *num.*26. *&* 128. à Cruce *lib.*7. *cap.*3. *dub.*4. *concluſ.*2. Azor *tom.*1. *lib.*5. *cap.*16.

In dubio nõ cenſetur privilegium revocatum.

quæſt.7. Hieronym. Garcia *tom.1. tract.8. diff.1. dub.6. num.6* ¶ Secundo concedimus, quod in dubio non præſomitur privilegia regularium revocata, niſi de revocatione conſtet. Tum quia in dubio, melior eſt conditio poſſidentis. Tum etiam, quia ut diximus, requiritur, quod de illis in revocatione expreſſa mentio fiat, & ſic quod conſtet de revocatione illorum. Lezana *tom.2. verb. privileg. num. 20. fine.* Sanctarellus *tom.1. variarum reſolutionum, quæſt.16. num.12.* Bordon. *reſol.52. num.17.* Diana *part.4. tract.3. reſol.51.* Bruno *tract.1. c.6. propoſ.5.*

Quis eſt ille Superior, qui poteſt privilegia revocare?

37. Sed in fine puncti huius rogabis, quis ſit ille Superior, qui poteſt privilegium, gratiam, vel diſpenſationem conceſſam revocare, caſu quo revocabilia ſint. ¶ Reſpondetur juxta à nobis dicta *tom.3. tract.11. cap 6. num.97.* agentes de legum diſpenſatione, quod Superior, qui conceſſit diſpenſationem, aut privilegium, & validè, & licitè poteſt ex juxta cauſa illud revocare. Tum: quia ex ejus mera voluntate dependet. Tum: quia ſub tacita conditione cenſetur conceſſa; *niſi revocavero, quandiu non revocavero:* atque idem eſt de ſucceſſore in ſua dignitate. Poteſt ergo qui conceſſit, revocare privilegium, etiam ſine cauſa valide: quia ex eius voluntate in fieri, & conſervati dependet; ſed illicitè, quia eſſet quædam levitas, & animi inconſtantia, ut concluſione prima huius puncti dicebamus; ſed ſolum eſſet veniale, ſi abſque ſcandalo, aliove damno id efficeret, ut *loco citato*, ex Tapia, & Bonacin. probavimus. Inferior autem diſpenſationem aut privilegium à Superiore conceſſum nequit revocare, quia non poteſt eius actus infringere: at Superior poteſt privilegium aut diſpenſationem expeditam ab inferiori, vel in lege Superioris, vel in lege, aut contra legem ipſius inferioris revocare: quia inferior poteſtas, eſt Superiori ſubordinata, ut eam corrigere, ſuſpendere, ac revocare valeat; ſed illicite hoc fieret ſine cauſa: quia eſt contra debitum ordinem, & honorem, ac decorem inferioris prælati, illius acta ſine cauſa infringere, & cum damno illorum, quibus rationabiliter erat indulgentia conceſſa: & ſic erit peccatum grave, vel leve juxta gravitatem damni inde ſequuti, ut ibidem diximus. ¶ At cum inferior, privilegium, vel diſpenſationem ex commiſſione Superioris concedit contra legem, vel præter legem ipſius Superioris; ipſe inferior poteſt illam & licitè, & validè cum cauſa revocare: at ſine illa nec licitè, nec validè poteſt. Poteſt quidem cum illa, quia facultas concedendi privilegium, vel diſpenſationem, annexa eſt facultati revocandi: ergo ſicut inferior ex commiſſione Superioris in eius lege diſpenſans, validè, & licitè diſpenſat, cum cauſa, & ſine illa nec licitè, nec validè; ſic quando revocat privilegium conceſſum, aut diſpenſationem. Sic nos *loc. citat. num.99.* cum Tapia, Suarez, Bonac. Sanchez, Salas, & Martinez, adde Baſilium, *lib.8. de matr. c.19. n.15.* Palaus *tom.1. tract.3. diſp.4. punct.21. §.3. num.3.*

PUNCTUM IV.

Qualiter revocanda ſunt privilegia, ut dictum effectum ſortiatur revocatio?

Revocatio expreſſa & tacita explicantur.

38. DUplex aſſignatur ab authoribus revocatio. Alia *expreſſa*, illa nimirum, quæ fit verbis expreſſis, *revocamus, annullamus*, & ſimilibus. Quæ poteſt eſſe vel ſpecialis, vel generalis. Specialis dicitur, quando per eam revocatur aliquod privilegium ſpeciale in particulari. Generalis cum non ſpecificatur aliquod privilegium, quod revocetur; ſed in genere, & in communi dicitur revocari omnia privilegia, & indulta in contrarium: ut quando ponitur clauſula: *Non obſtantibus, quibuſcumque privilegiis.* Alia *tacita*, ut quando Princeps facit aliquid, ordinat, ſeu concedit, quod non poteſt ſubſiſtere, ſeu habere effectum intentum, niſi revocando privilegium in contrarium. Ut expreſſè revocari privilegium poſſit, ſufficit clauſula generalis: *revocamus, annullamus, hoc fiat non obſtantibus, &c.* (niſi in caſibus infra aſſignandis) quia hæc clauſula eſt de ſe ſufficiens quælibet privilegia revocare, niſi ob ſpeciales rationes exigatur amplius. Palaus *diſp.4. punct.21. §.4. num.2.* Baſil. *lib.8. cap.19. num.6.* Suarez *lib.8. de legib. cap.38. n.3.* Lezana *tom.2. verb. privileg. num.21.* Bonacin. *diſp.1. q.3 punct.8. n.11.* Salas *diſp.17. ſect.14. n.72. 73. & 79.*

Quæ privilegia non revocantur per clauſulas communes.

39. Excipiuntur ab hac regula: Primo privilegia regularium, propter dicta *num.36.* ¶ Secundo privilegia per modum contractus vel oneroſi, vel remunerativi ex juſtitia, quæ non revocata cenſentur per quamcumque clauſulam generalem, niſi in ea, privilegia etiam per modum contratus conceſſa, ſpecificentur: quia cum ſint ex ſe irrevocabilia, niſi ob publicam cauſam, & facta compenſatione debita, revocari minime præſumuntur, niſi exprimantur. Baſſæus *privilegium 3. num. 3.* Suarez, Baſil. Palaus, Bonac. Lezana *locis citatis.* ¶ Tertio, privilegia, quæ aliqua clauſula fulciuntur, ut revocari non poſſint, niſi de eis expreſſa mentio fiat, niſi eorum tenores de verbo ad verbum referantur, quæ per clauſulas generales quantumvis geminarentur, non revocarentur: nam ea clauſula, qua roborata ſunt, aliquid aliud exigit, quam alia privilegia, quæ ſimili fulcimento carent. Cæterum ſimilia privilegia ſufficienter revocata cenſentur, ſi in revocatoria dicatur: *Omnia revocamus privilegia, etiam ſi in eis clauſula requiratur, quod de eis expreſſa mentio fiat*, vel *privilegia, quacumque clauſula munita*, vel *ſub quacumque forma conceſſa, &c.* & ratio eſt: quia cogendus non eſt Pontifex, ut de verbo ad verbum talia privilegia referat, quæ fortaſſe ſcire non poteſt: nec eſt privandus facultate revocandi illa: ergo ſatis eſt, ut per alia verba generalia, quæ priora comprehendant, ſufficienter explicet ſuam mentem. Lezana *loco citato, num.21.* Pellizzar. *num.98.* Baſſæus *privilegium 3. numero tertio*, Suarez *cap.38. n.11.* Palaus *num.4.* Garcia *tractatu 8. diff.1. dub.6. num.5.* N.Fr. Petrus ab Angelis *diſput.4. ſect.2. num.33.* Baſil. *num.16.* Bonac. *n.11.* Salas *diſp.17. ſect.14. num.71.*

40. Tertio,

Alia privilegia, quæ per clauſulas communes non revocantur.

40. Tertio, excipiuntur privilegia inſerta in corpore juris: quia hæc ſunt verè leges, & canones. Unde niſi dicatur in revocatione: *nonobſtantibus quibuſcumque privilegiis, conſtitutionibus, aut legibus in contrarium, &c.* non cenſentur revocata. Et quia creditur principem noſſe ius commune, & ſic ſi illud vellet revocare, expreſſe illius mentionem faceret. Sic communiter Doctores, cum *Gloſſa authentica quia in Provincia Cod. ubi de crimine agi oportet verbo omni privilegio*, Salas *numero* 73. Baſil. *num.* 16. Suarez *numero* 1. Palaus *num.* 5. Pellizzar. *tract.*8. *cap.* 1. *ſect.* 5. *num.* 98. Baſſæus *num.* 3. Lezana *num.* 11. Bordon. *reſol.* 52. *num.* 129. Rodriguez *tom.* 1. *qq. quæſt.* 59. *artic.* 2. § Excipiuntur vivæ vocis oracula, quæ per revocationem generalem privilegiorum, non intelliguntur revocata, niſi de illis mentio fiat: quia licet gratiæ oretenus ſolum modo factæ ſint privilegia; tamen in communi, & propria ſignificatione alicuius vocis *privilegia* non veniunt intelligenda oracula, niſi addatur ore tenus conceſſa; quandoquidem in acceptatione communi, ſub nomine privilegii, ſolum privilegia ſcripta denotantur: & cum in odioſis reſtrictio ſit facienda, ſicut in favorabilibus ampliatio; ſub revocatione generali privilegiorum non ſunt intelligenda oracula. Pellizzar. *ſect.* 1. *quæſtione* 19. Lezana *tomo* 1. *capite* 3. *numero* 21. Donatus *tractat.* 15. *quæſtione* 3. Bordon. *de oracul. reſolutione* 31. *quæſtione* 1. *numero* 1. Peyrin. *tomo* 1. *privileg. ad conſtitut.* 4. *Iulii III.* § 3. *num.* 26. *fine.* Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 24. *numero* 8. Hieronym. Rodriguez *in compend. reſol.* 117. *n.* 1. *& ſequentibus.*

Privilegia à Concilio generali conceſſa; non revocantur per clauſulas generales.

41. Denique excipiuntur privilegia à Concilio aliquo generali conceſſa, quæ non intelliguntur revocata per quaſcumque clauſulas revocatorias, niſi de illis expreſſa mentio fiat, etiamſi tales clauſulæ ſint revocatoriæ quorumcumque legum, aut canonum: quia privilegia conceſſa à Concilio generali, in quo tot viri graviſſimi, & Doctiſſimi concurrunt, mature, & cum magna deliberatione expediuntur: & ob eius gravitatem cenſetur habere clauſulam derogatoriam, adverſus alia poſtea decernenda. *Cap. unic. de exceſſib. prælatorum.* Et ſic ſub quacumque clauſula generali minime derogata cenſentur, niſi de illis fiat expreſſa mentio, ſaltem ſub illis verbis; *nonobſtante quacumque conſtitutione, etiam à Concilio generali edita*: ut colligitur *ex cap. ex parte, capite ultim. de capellis monachor.* Sic Covarruv. 4. *variar. cap.* 16. *num* 4. Pellizzar. *num.* 98. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 26. *num.* 7. Molina *de juſtit. tractat* 2. *diſputatione* 173. *verſ. occaſione*, Baſſæus *privileg.* 3. *num.* 3. Bonacina *diſputat.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 8. *num.* 13. Fr. Petrus ab Angelis *diſput.* 4. *ſect.* 3. *num.* 25. Palaus *tract.* 3. *diſput.* 4. *punct.* 21. § 4. *num* 6. § Imo addendum judicamus, quod ut revocentur privilegia inſerta in Tridentino, vel ab ipſo confirmata, non ſufficiunt clauſulæ communes, & generales revocatoriæ etiam cujuſcumque Concilii generalis, niſi Tridentini ſpecifica mentio fiat. Tum, ob magnam eius authoritatem. Tum etiam; quia generale Concilium novum, ut eſt Tridentinum exacte cognoſcit convenientiam, & diſconvenientiam rerum pro ſtatu præſenti: & hoc cum maturo, & exacto examine ſapientiſſimorum virorum: ex quo habet majorem reſiſtentiam pro futuris diſpoſitionibus, quam alia Concilia generalia antiqua, & ſic indiget fortiori, & expreſſiori revocatione, qualis eſt ſpecifica, & individualis Monteſinus *in manuſcriptis de pœnitentia, diſputat.* 2. *quæſt.* 3. *num.* 1. Azor. *part.* 2. *lib* 8. *cap.* 8. *quæſt.* 7. Sanch. *ſupr. num.* 7. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 26. *num.* 3. Baſſæus *num.* 3. Vivaldus *candelabr.* 3. *p. cap.* 12. *num.* 12. Salgado *de retent. Bullar. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 62. Boſſius *ſect.* 1. *de Iubil. caſu* 10. *numero* 12. *&* 13. Zerola *in praxi parte* 2. *verb. abſolut.* § *dico tertio.* licet alii oppoſitum arbitrentur.

Quando conſtat de mente Pontificis per clauſulas generales, dicta privilegia exempta revocantur.

42. Dictæ autem exceptiones intelligendæ ſunt niſi aliter conſtet de mente revocantis: ſi enim conſtaret principem in bullis, verbis generalibus: *nonobſtantibus, &c.* vel etiam dicta privilegia exempta derogare, vere derogata erunt: quia hæc, vel illa verba ſolum apponuntur ad denotandum eius voluntatem: ergo quocumque modo hæc dare denotentur, etiamſi formulam communem non ſervet, privilegium revocabit. Unde fit, quod ſi revocatio fiat motu proprio, & ex certa ſcientia, vel ex plenitudine poteſtatis, privilegia quomodocumque qualificata revocantur, (exceptis privilegiis, quæ in contractu oneroſo fundantur, & idem eſt de illis, quæ juri tertii lædunt in re gravi acquiſita, & poſſeſſa tempore à lege præſcripto) quia iſtæ clauſulæ, ut infra dicemus, denotant cognitionem ſaltem confuſam, & voluntatis Pontificis revocantis, quod ſolum requiritur ad veram revocationem. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 5. *num.* 58. Baſſæus *privilegium* 3. *num.* 3. N Fr. Petrus ab Angelis *diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 39. Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio diſp.* 26. *num.* 7. Bonacina *ſup. num.* 13. *circa finem.* Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 26. *num.* 3. Palaus § 3. *num.* 7. Qui inde bene infert diſpenſationes ſuper impedimentis affinitatis, & conſanguinitatis, quæ obtinentur à Pontifice, vel Sacra pœnitentiaria ſub illa clauſula nonobſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque quibuſcumque contrariis, validæ ſunt, licet non fiat expreſſa mentio Concilii generalis: quia ex uſu, & praxi conſtat Pontificem velle, pro illo caſu ſpeciali, diſpoſitioni generalis concilii derogare.

Quando novo Principis diſpoſitio, revocet privilegium antiquum?

43. Loquendo vero de revocatione tacita, quæ fit vel per legem, vel privilegium, aut alium actum contrarium præcedenti privilegio; ſtatuendum eſt, quod ſi novum privilegium, vel diſpoſitio, quæ contrariatur antiquo privilegio expediatur ex ſcientia, & notitia prioris privilegii, antiquum derogatum manet, in ea parte, qua novæ diſpoſitioni eſt contrarium, ne dicamus Principem noviter aliquid diſponentem, velle actum nullum efficere, quod de illo non eſt præſumendum. Sed hoc ut diximus intelligitur quando Princeps ex certa ſcientia prioris procedit; quia hæc derogatio debet eſſe libera, & voluntaria, & ſic ex cognitione derogantis procedere. *Cap. cum nulli de reſcriptis, cap.* 6. *de conſtitutionibus in* 6. Et hoc ſolum in ea parte, qua illi eſt contrarium: quia ſi diſpoſitio nova ſalvatur cum ſola derogatione prioris privilegii quoad partem; tunc ſolum quoad illam, non quoad totum cenſetur antiquum privilegium derogatum; quia derogatio eſt odioſa, & ſic quantum poſſibile eſt reſtringenda. Ut ſi tibi habenti privilegium non ſolvendi tributum exigatur de mandato principis tributum, judicandum eſt exigi pro illa vice dumtaxat, vel pro illo anno: & ſic quoad illam partem privilegium derogabitur; non tamen auferetur privilegium abſolutè; ſed integrum relinquetur pro reliquis annis. Baſil. *lib.* 8. *de matrim. cap.* 19. § 2. *num.* 17 Bonac. *diſput.* 1. *quæſt* 3. *punct.* 8. *numero* 14. Bordon. *reſol.* 52. *numero* 134. Portel. *in dubiis regul. verb. privileg. revocatio numero* 14. Suar. 2 *lib* 8. *de legibus cap.* 38. *num.* 6.

num. 6. Palaus *tract.* 3. *diſp.*4. *punct.* 21. §.4. *n.*8. Noſter Fr. Petrus ab Angelis *diſputatione* 4. *ſect.*2. *num.*19. *&* 23. ¶ Sed difficultas eſt, quando præſumenda eſt talis ſcientia à Principe, cum verba novæ diſpoſitionis, legis, aut privilegii nihil aliud contineant, quam novam ordinationem contrariam privilegio abſque illius aliqua clauſula derogatoria?

Quando præſumitur in Principe notitia prioris privilegii?

44. Ad quod dicimus: quod aut privilegium antiquum eſt inſertum in corpore juris, aut extra illud? Si primum, manet derogatum, per diſpoſitionem illi contrariam, etiam ſi in ea non ſit clauſula revocatoria illius: quia non præſumitur ignorare Principem ea, quæ ſunt inſerta in corpore juris. *Cap.* 1. *de conſtitutionibus in* 6. Unde hoc ipſo, quod legem ſtatuat, vel privilegium concedat contrarium alteri, quod erat in jure communi, præſumitur hoc velle revocare. Si ſecundum, lege univerſali non revocatur illius mentionem non facienti: quia non præſumitur in Principe notitia illius ſpecialis privilegii: quia eſt ſpeciale, & privatum jus, quod non ſemper venit ad notitiam Principis. *Cap. dicto* 1. *de conſtitutionibus in* 6. ibi: *licet princeps præſumatur ſcire ea, quæ ſunt juris communis, tamen ignorare poſſe, jura, facta, & conſuetudines privatas.* Layman *lib.* 1. *tract.*4. *cap.*23. *num.*17. Baſſæus *privileg.* 3. *num.*4. Pellizzar. *tractat.* 8. *cap.*5. *ſect.*5. *num.*99. Bonac. §. 3. *num.* 15. Palaus §.4. *num.* 10. Baſil. *numero* 19. Suarez *lib.*8. *cap.*39. *num.*2. Salas *diſputatione* 17. *ſect.* 14. *num.* 74. ¶ Idem dicimus de privilegio novo, jam præexiſtenti contrarium, quod ſi antiquum ſit inſertum in corpore juris, manet derogatum per novum, in qua parte eſt illi contrarium, etiamſi in iſto nulla illius fiat mentio, ſive ſecundum ſit ſpeciale, ſive generale: quia primum jam præſumitur à Principe ſcitum. Si vero primum ſit extra corpus juris, non derogatur ſubſequenti, quia illius ſcientia in Principe non præſumitur. Sic authores citati.

PUNCTUM V.

Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur?

Qualis publicatio revocationis à jure facta requiritur, ut revocatio ſubſiſtat?

45. BReviter ab hoc puncto expediemur, quia ejus materia magnam habet connexionem cum publicatione legum, de qua late egimus *tom.*3. *tract.* 11. *de legib. cap.*1. *punct.* 6. per totum: & ea ibidem dictis, quid in præſenti dicendum ſit, innoteſcet. Revocatio ergo privilegii poteſt fieri vel à jure, quando nimirum lege lata, & à Principe ſtabilita, privilegium illi contrarium revocatur: & tunc illa publicatio revocationis, requiritur ad ejus valorem; quam ad legis valorem, & obligationem eſſe neceſſariam, diximus loco citato: quia niſi conſtituatur in ſuo eſſe perfectè, & completè, ſicut non habet vim obligandi, ſic nec revocandi contrariam diſpoſitionem contra eam; nec lex in ſuo eſſe perfectè conſtituitur, uſquedum ſolemniter, & authenticè publicetur, ut ibidem probavimus, & modo tenet Lezana *tom.* 2. *verb. privileg. regular. num.*20. Suarez *lib.*8. *cap.*40. *num.*1. Bonacina *diſp.* 1. *q.*3. *punct.*8. §. 3. *num.*20. Salas *diſp.*17. *quæſt.*17. *n.*80. & 81. Palaus *ſupr.* §. 5. *num.*1. Imo etiam requiritur, quod talis revocatio, quantumvis ſolemniter facta in Curia, pervenire poſſit ad notitiam privilegiatorum: quia ſic videtur expediens ad convenientem ordinem gubernii, & vitanda plura inconvenientia. Unde ſicut de lege canonica, aut civili, diximus *loco citat. num.*91. non habere vim obligandi niſi poſt duos menſes à publicatione ſolemni, facta in curia, ut in illis poſſit pervenire ad notitiam ſingulorum, idem dicendum eſt de revocatione à lege, ſeu à jure facta, quod niſi poſt duos menſes à publicatione, non habet ſuum effectum. Layman *lib.* 1. *tract.*4. *cap.*23. *num.*28. Suarez *ſupr. cap.*40. *num.*3. Portel. *ſupr. numero* 1. Lezana *num.* 20. Non tamen requiritur, ut talis lex omnibus privilegiatis innoteſcat; ut vim habeat revocandi privilegium, ſatis enim eſt ſi legitima promulgatio ſit facta, & ſufficiens tempus præteritum, ut poſſit ad ſingulorum notitiam pervenire, licet de facto non perveniat.

Poſt publicationem, invalidi ſunt actus facti virtute privilegii.

46. Facta autem legitima publicatione legis revocatoriæ, ita ut ejus notitia ad ordines communicantes, & monaſteria privilegia habentia pervenire poſſit; manet ea tunc privilegium revocatum, ita ut acta per illud non valeant, etiam ſi ignoranter, & ſine culpa fiant, ut *loco citat. num.*78. diximus: quia ignorantia excuſare poteſt à culpa, non tamen præbere ad actum facultatem eis qui talem facultatem non habent. Sed excipiuntur actus publici facti cum errore communi, & titulo colorato; nam iſti validi ſunt, non in vi privilegii, ſed adminiculo juris ſimiles actus ſuſtinentis, *l.* Barbarius *ff. de officio Prætoris*, Baſil. *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 14. Lezana *numero* 20. Bordon. *reſolut.* 52. *num.* 137. Suarez *num.*9. Bonacina *n.* 20. Pellizzar. *num.* 100. Baſſæus *num.* 5. Fr. Petrus ab Angelis, *diſp.* 1. *ſect.*7. *num.*1.

Revocatio privilegii ab homine facta, qualiter debeat intimari.

47. Quod ſi privilegium revocatur ab homine, vel mandato concedentis, vel alio privilegio contrario, vel alio modo privatim revocando privilegium præexiſtens; tunc non habet effectum talis revocatio, nec irritat geſta per dictum privilegium, niſi ad notitiam privilegiati perveniat, illique ſpecialiter intimetur: quia hoc pertinet ad rectam gubernationem Eccleſiæ, ut non it Princeps privilegiatos ſuo jure per privilegium quæſito privari, quo uſque ejus revocatio illis innoteſcat, & intimetur. Tum etiam; quia quælibet revocatio privilegii debet habere aliquam publicationem: ſed revocatio ab homine facta aliam non habet publicationem, quam illam per quam intimatur, & manifeſtatur eis, quibus intereſt, & conſtat ex privilegio Gregorii XIII. conceſſo Ieſuitis, ut ſcilicet nulla derogatio ſub qualibet ampliſſima forma præjudicet ſuis privilegiis, ſi non fuerit illi intimata. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 68. Cordub. *lib.*4. *quæſt.* 38. *concluſ.* 3. Fr. Petrus ab Angelis *num.* 1. Bordonus, & Lezana *locis citat.* Suarez *num.*5. *&* 6. ¶ Hæc autem intimatio debet fieri, vel per Epiſtolam, reſcriptum, aut nuntium ad id deſtinatum, & à revocante miſſum privilegiario: & non ſufficit alio quocumque modo privilegiarium de ſui revocatione privilegii notitiam habere; eo quod revocatio privatim ab homine facta, debet notificari privilegiato, ne amplius utatur privilegio. Quod fieri rectè non poteſt niſi ipſi per Epiſtolam, reſcriptum; aut nuntium miſſum à revocante, illi intimetur: Bonac. *num.*20. § *Dixi.* Lezana *num.* 20. Palaus *num.* 4. Pellizzar. *num.* 104. Baſil. *num.* 14. Sa, *verb. gratia, num.* 1. Quod etiam videntur docere illi authores, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.*30. *num.* 12. *& diſp.*36. *n.*9. qui dicunt revocationem juriſdictionis ordinariæ, vel delegatæ debere fieri per nuntium ad id deſtinatum; nec ſufficere notitiam revocationis, aliunde habitam.

48. Sed

Duo notanda circa dicta.

48. Sed notandum eſt primo: quod quando privilegium revocandum eſt alicuius communitatis particularis, non eſt neceſſarium, ut intimatio eius revocationis fiat cuilibet particulari, de tali communitate; ſed ſufficit quod fiat corpori communitatis, ſcilicet eius capitulo; vel eius capiti, aut Priori, vel ſi conceſſum ſit Provinciæ, Provinciali: vel ſi toti religioni, ſufficit quod publicetur, ſeu intimetur capitulo generali, vel ipſi generali: vel eis, qui eorum vices gerunt: & ex illis, cum primum poſſit ordinatè debet derivari notitia in ſingulos. Quod ſi negligenter ſe gerant, quibus hoc incumbit, abſque dubio peccabunt graviter: ipſi tamen ſubditi ignorantes invincibiliter revocationem, licitè uterentur privilegio, quoad uſque certam eius notitiam habeant: actus tamen illius eſſent invalidi juxta dicta, *num.* 46. ¶ Secundo eſt notandum: quod revocatis privilegiis unius ordinis, non ob id alii ordines manent illis privati, nec revocata ſunt reſpectu aliorum, cum illo ordine communicantium; etiamſi illi ordini, cui revocata ſunt, fuerint primo, & per ſe conceſſa, & aliis per communicationem: eo quod communicatio privilegiorum, privilegium ſic facit proprium ordinis communicantis, ut iſte illud poſſideat, independenter ab ordine, cui per ſe fuit illud conceſſum: & ſic in conſervari non dependet à priori. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 5. *num.* 104. Bordonus *reſolut.* 51. *num.* 132. Miranda *in Manuali. tom.* 2. *quæſt.* 42. *art.* 5. Suarez *lib.* 8. *cap.* 76. *num.* 14.

PUNCTUM VI.

Qualiter vivæ vocis oracula revocata fuerint à Gregorio XV. & Urbano VIII.

Agenda in hoc puncto proponuntur.

49. Hic ſolet ab aliquibus tractari de diverſis revocationibus, diverſis factis temporibus, quod longiſſimum eſſet percurrere. Sed quia celebres ſunt aliquæ, & generales, ac paſſim obviæ; de illis eſt nobis pro exacta huius materiæ notitia agendum. De privilegiis à Tridentino revocatis, an poſſint illis uti in conſcientia regulares latè egimus *cap præcedenti punct.* 8. Nunc modo de celebri revocatione oraculorum, facta à Gregorio XV. & Urbano VIII. diſputabimus, quia paſſim plura oracula citata reperies, & ſtat inter authores diſſidium, an ſint, nec ne revocata? Et quia hæc materia adeo frequens, & neceſſaria eſt, convenient duximus, aliquantulum in ea immorari: ad quam nobis hoc tractatu, & aliis paſſim recurrendum erit: & ſic hoc punctum triplici §. dividemus. In primo quæ ſunt certa, & communia apud authores ſubiiciemus. In ſecundo, & tertio duplicem graviſſimam difficultatem circa hanc materiam prælibabimus.

---

§. I.

In quo differat oraculum à bullato privilegio, & quæ ſint oracula, quæ certo non ſunt à dictis Pontificibus revocata?

In quo differat oraculum à privilegio bullato?

50. Sciendum igitur eſt privilegia bullata, ab eis, quæ oretenus conceduntur, & oracula nuncupantur, non differre in eo, quod inæqualem habeant valorem; habent enim æqualem valorem ad omnia: quia ſive ſcripto, ſive abſque eo, dum gratiam Pontifex impendit, nihil de gratia tollit: & ſi Leo X. (teſte Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. regul. quæſtione* 7. *articulo* 7. *fine. & tom.* 3. *quæſtione* 22. *art.* 1.) conceſſit, ſeu declaravit in gratiam fratrum Minorum. *Quod non ſunt minoris efficatia conceſſa illis per oracula, quam ſi per bullam, vel breve conceſſa forent.* Atque idem docet Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio diſputatione* 29. *numero* 4. Lezana 3. *parte ſumm. verb. gratia numero* 13. *& verb. oracul. numero* 5. Baſſæus *verb. privileg.* 1. *numero* 8. Peyrin. *de oracul. privileg. minor. ad conſtitut. Iulii II. conſtitut.* 17. §. 1. *numero* 1. Donatus *tractat.* 15. *de oracul. quæſtione* 3. *numero* 1. N. Fr. Petrus ab Angelis *diſputatione* 8. *ſect.* 1. *numero* 1. *&* 3. Differunt tamen in eo, quod privilegia bullata neceſſario petunt ſcripturam manu Papæ ſubſcriptam; oracula vero non; ſed ſolum ut conſtet, quod ore fuerint conceſſa. Unde ſi duo teſtes conceſſioni adfuerint, qui de illa teſtificari poſſint, etiam pro foro externo valebunt: ſin minus, ſi conſtet privilegiatio de tali conceſſione, valebunt pro foro conſcientiæ, non pro externo. Ob idque Leo X. conceſſit, ſeu declaravit pro fratribus minoribus, & in foro conſcientiæ poſſent ſecure frui omnibus indultis ſibi à ſede Apoſtolica conceſſis, prout in libris ordinis reperiuntur, Donatus *quæſtione* 2. *num.* 6. Bordon. *reſolut.* 31. *quæſtione* 1. *numero* 1. Fr. Petrus ab Angelis *numero* 1. Lezana *oracul. num.* 4. Portel. *in dub. regul. verb. oracula num.* 2. Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *quæſtione* 7. *art.* 3. & *tomo* 3. *quæſtione* 22. *art.* 1. *&* 3. Hieronym. Rodriguez *reſponſ.* 117. & alii. ¶ Sed revocatis aliis privilegiis, non revocantur oracula niſi ſpecificentur, ut diximus *num.* 40. & tenent Lezana, Peyrin. Portel. & alii.

Revocationes factæ à Gregorio XV. & Urbano VIII. proponuntur.

51. Secundum eſt ſecundo: quod Gregorius XV. *anno Domini* 1622. *die* 2. *Iulii*, bulla, quæ incipit; *Romanus Pontifex in ſpecula*, revocavit omnia oracula à ſe, & à ſuis prædeceſſoribus uſque ad illud tempus conceſſa, niſi illa, quæ authentica eſſent, & manu alicuius Cardinalis ſubſcripta, vel conceſſa ad inſtantiam Regum. Sed quia circa hoc plures emergebant difficultates, poſtea Urbanus VIII. *anno* 1631. *die* 20. *Decembris*, conſtitutione, quæ incipit: *Alias felicis recordationis*: quæ ad verbum reperitur apud Lezana *tom.* 5. *verb. oracula vivæ vocis, numero* 3. & Laurentium, de Peyrinis, *tom.* 3. *privileg. minorum cap.* 11. *in additamentis ad conſtitut. Urban VIII. conſtitut.* 18. confirmavit, innovavit, & ampliavit, eandem revocatoriam, revocans etiam oracula, quæ Gregorius XV. exceperat. Quam conſtitutionem poſtea idem Urbanus VIII. in appendice eius temperavit, declarans ſuam revocatoriam, non comprehendere oracula expedita per illos Pontificis officiales, quibus ratione munerum ſuorum, antea de Summi Pontificis oraculis fides præſtari ſolebat: ut teſtantur authores infra citandi, & in ipſa conſtitutione videri poteſt. Qui autem ſint dicti officiales annotatur *in extravagant. ad regimen de Prabendis, & dignitatibus.* Ut Camerarii, Vicecancellarii, Notarii, &c. inter quos annumerandus eſt eminentiſſimus Cardinalis Protector, licet in dicta extravagante non ponatur; quia verè eſt officialis Papæ, & inter miniſtros eius computandus: qui in religionem ſibi commiſſam, ut talis, iuriſdictio-

nem exercet, cuius aſſertis in hac parte, fides omnino eſt præſtanda. Peyrin. *in formular. prælator. regular. littera Z. cap 3. in appendice ad Vrbanum VIII.* Donatus *tract.* 16. *de oracul. quæſt.* 12. Fr. Petrus ab Angelis *diſp* 8. *ſect* 2. *num.* 3.

Oracula, quæ tum mere declarationes, vel indulgentias concedunt, non ſunt revocatæ.

52. Tertio ſciendum eſt, ſub dictis revocationibus non comprehendi primo oracula, quæ ſunt mere declarationes vel decretorum Pontificum, vel Concilii Tridentini in favorem regularium: quia tales declarationes non cenſentur privilegia, aut indulta Pontificum; ſed manifeſtant id, quod in decretis, bullis, & indultis continentur: & ſolum revocantur gratiæ, quæ aliquam facultatem concedebant; ut conſtat ex ipſis revocatoriis, & ea fine potiſſimo illarum. Bordon. *reſolut.* 31. *q.* 7. *num.* 7. Pellizzar. *tractat.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 5. *num.* 130. Baſſæus *privilegium* 1. *num.* 8. Fr. Petrus ab Angelis *diſp* 8. *ſect.* 3. *num.* 1. Peyrin. *tom.* 2. *ad conſtit.* 8. *Pauli V.* Lezana *tom.* 2. *verb. clauſul. numero* 5. Alfonſus de Leon. *tract. de iubileo part.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 247. ❡ Secundo non comprehenduntur indulgentiæ vivæ vocis oraculo conceſſæ: quia indulgentiæ in odioſis (qualia revocatio cenſetur) non veniunt nomine indultorum, privilegiorum, ſeu gratiarum; eo quod indulgentia eſt quædam abſolutio, ſeu relaxatio pœnæ debitæ, & non eſt facultas aliquid agendi, vel non agendi, quam privilegium, ſeu gratia ſpecialiter ſignificant. Vel certè ut inquit Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 4. circa finem, eſt quædam ſpiritualis eleemoſyna, de Theſauro Chriſti per diſpenſationem eius facta, medio Pontifice: eleemoſyna autem non eſt privilegium; ſed purum beneficium alterius rationis; ſed in præfatis revocationibus oraculorum non exprimuntur indulgentiæ; ſed privilegia, facultates, & indolta: non ergo in eis revocantur oracula indulgentias concedentia. Sic Lezana *num.* 5. Bordoni a *num.* 4. Pellizzar. *num.* 133. Petrus ab Angelis *num.* 2. Peyrin. *ad conſtit. Vrban VIII. cap.* 11. *num.* 1. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 9. *numero* 10. & 11. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 98. *art.* 4. à ſancto Fauſto *lib.* 2. *de Iubil. & anno ſancto quæſtione* 79. Prado *tom.* 1. *cap.* 5. *quæſtione* 6. §. 3. *numero* 17. Diana 5. *part. tract.* 14. *reſolut.* 17.

Oracula pro omnibus cōceſſa, non revocantur.

53. Tertio non comprehenduntur in dictis revocationibus, privilegia, pro omnibus fidelibus, ſeu pro omnibus Eccleſiaſticis conceſſa; ſiquidem in dictis revocatoriis, ſolum exprimuntur privilegia hactenus conceſſa quibuſvis Collegiis, Capitulis, ordinibus tam mendicantium, quam non mendicantium, Societatibus, etiam Societati Ieſu, Congregationibus; eorum Præpoſitis, Decanis Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Miniſtris, Generalibus, vel Provincialibus; non vero privilegia pro omnibus fidelibus, vel pro omnibus Eccleſiaſticis conceſſa. Sic Doctiſſimus Noſter Stratius *in inſtruct. pro Carmelitis cap.* 20. *num.* 8. & 9. N. Lezana *in ſumm. verb. oracula num.* 5. & *verb. officium divin. num.* 12. & 13. N. Fr. Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſputatione* 8. *ſect.* 3. *num.* 5. ❡ Et inde probat N. Doctiſſimus Lezana, gratiam factam à Leone X. vivæ vocis oraculo pro recitantibus officium divinum, ut quicumque dixerit orationem illam, quæ in principio Breviarii noviſſimi continetur: videlicet, *Sacroſanctæ, & individuæ Trinitati, &c.* conſequatur remiſſionem omnium defectuum in officio divino recitando, humana fragilitate commiſſorum, in ſuo robore manere, nec eſſe revocatam; quia fuit indultum pro omnibus Eccleſiaſticis conceſſum. Et idem eſt dicendum, de recitantibus orationem ſancti Sudarii, & tres ſalutationes ſolitas, coram imagine ſanctæ Annæ; quia ſunt oracula conceſſa pro omnibus fidelibus, quamvis hæc ex alio capite revocata non ſint: quia ſunt indulgentiæ, & non privilegia, ut *n. præced.* dicebamus.

Limitatio præcedentis doctrinæ.

54. Sed hæc doctrina debet intelligi de gratiis, ſeu privilegiis factis primo, & per ſe ipſis fidelibus, non vero factis alicui religioni, communitati, vel particulari, licet in utilitatem fidelium concedantur. Aliter facultas verbi gratia, conceſſa aliquibus regularibus abſolvendi, vel diſpenſandi cum omnibus fidelibus in reſervatis, per vivæ vocis oraculum non eſſet revocata; ſiquidem in favorem omnium fidelium fuit expedita, quod à veritate eſt prorſus alienum: aliàs multa vivæ vocis oracola, data pro religioſis, aut perſonis alterius communitatis, concedentia facultatem abſolvendi, ſeu diſpenſandi in reſervatis, non eſſent revocata: quod eſt contra mentem Pontificum, & Doctorum, qui hunc modum ſequuntur. Si tamen daretur aliquod oraculum concedens omnibus viſitantibus talem Eccleſiam, vel Sanctuarium, vel recitantibus tales, vel tales orationes, ut poſſint abſolvi à reſervatis, vel diſpenſari in illis; cum talis facultas eſſet primo, & per ſe conceſſa omnibus fidelibus, & ſecundario, ſeu indirectè confeſſoribus talis loci, per dictas bullas Gregorii XV. & Vrbani VIII. non revocaretur, quemadmodum privilegium Cruciatæ concedens, ut à reſervatis poſſint accipientes illam, abſolvi: quia conceditur primo & per ſe non Confeſſoribus; ſed fidelibus accipientibus bullam: ſi eſſet dumtaxat oraculum, non eſſet in dictis revocatoriis comprehenſum.

Privilegium per bullam uni conceſſum, & alteri per oraculum communicatum, revocatum non eſt illo modo.

55. Sed inquires, an privilegium conceſſum per bullam uni religioni, & alteri communicatum ſolum per oraculum, revocatum ſit per dictas revocatorias, reſpectu illius religionis, cui fuit ſolum per oraculum conceſſum? ❡ Reſpondetur negativè: Tum, quia privilegium per bullam conceſſum uni religioni, ſed communicatum alteri per vivæ vocis oraculum, jam non ſapit naturam oraculi; ſed remanet ut conceſſum per bullam, licet quoad modum concedendi ſit ſine ſcriptura: nam communicare uni religioni privilegia alterius, idem eſt ac ea illi concedere, ſicut conceſſa fuerant priori religioni. Tum etiam, quia dictum oraculum, jam ſortitum fuerat ſuum effectum tempore revocationis, qui fuit facere proprium, privilegium bullatum alienum: & ſemel jam hoc effectu ſequuto, non revocatur oraculum, ut §. 3. declaravimus. Ita Bordon. *reſolut.* 31. *n.* 6. Lezana *tom.* 2. *verb. oracula, num.* 8. Petrus ab Angel. *diſputatione* 8. *ſect.* 5. *num.* 1. Peyrin. *tom.* 3. *privileg. cap.* 21. *ad conſtitut.* 18. *Vrban VIII. in additionib.* Turrianus *in ſelect. part.* 2. *diſp.* 16. *dub.* 5. Et eodem modo philoſophandum eſt, caſu, quo per oraculum confirmarentur aliqua privilegia bullata invalida ex quavis cauſa ante revocatorias: quia effectus proprius, & unicus talis oraculi fuit revalidare privilegia caſſata: ergo cum tale oraculum jam ſortitum fuerit ſuum effectum ante revocatorias, minime fuit ſub illis comprehenſum, ut ex dicendis §. 3. amplius innoteſcet.

§. II.

§. II.

An privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & poſtea confirmata per Bullas, tranſierint in privilegia Bullata, taliter, quod per revocationes dictas oraculorum, non ſint revocata?

Dupliciter poteſt vivæ vocis oraculum confirmari per Bullam Pōtificiam.

56. HÆc eſt præcipua difficultas hujus materiæ: quia plura, quæ per oracula erant conceſſa, ante generalem revocationem oraculorum de qua egimus, fuerant per Bullas Pontificias confirmata. Et eſt magnum inter Authores diſſidium, an talia privilegia ore tenus ſolum conceſſa; ſed per Bullas poſtea confirmata, ſub dicta revocatione comprehendantur? aliquibus id negantibus, aliis affirmantibus? Sed pro intelligentia ſupponendum eſt primo: quod dupliciter poteſt Pontiſex privilegium ore tenus conceſſum, iterum per Bullam concedere, ſeu confirmare. ¶ Primo: quando Pontifex ex nulla mentione facta, neque in ſpecie, neque in genere de conceſſis per vivæ vocis oracula, eadem concedit per Bullam: & tunc planum eſt non comprehendi in dictis revocatoriis privilegium ſimili modo conceſſum: ſed in tali eventu gratia conceſſa prius per oraculum, & poſtea per Bullam, ſine mentione, quod prius fuerit oraculum, eſt valida, adhuc poſt generalem illam oraculorum revocationem; non quatenus per oraculum conceſſa; ſed quatenus per Bullam independenter ab oraculo expedita. Sit exemplum: habent ſuperiores regulares privilegia per vivæ vocis oraculum, diſpenſandi cum ſuis ſubditis in recitatione officii divini ratione infirmitatis, prædicationis, lectionis, &c. ſed poſtea idem conceſſerunt per Bullas, nulla mentione facta oraculorum Clemens VII. & Paulus III. in quo caſu oraculum præcedens circa illam materiam, ſe habet tanquam ſi non eſſet; quia nec juvat, nec movet: & hujus generis ſunt multa alia, quæ cum ſimpliciter ſint per Bullas conceſſa, independenter ab oraculis, non revocantur per revocationes oraculorum: quod omnes docent. ¶ Secundo, quando Pontifex confirmat oraculum præcedens, cum illius expreſſa mentione, ſive in genere omnes gratias ore tenus ſolum conceſſas confirmando, ſeu de novo concedendo; ſive in ſpecie hoc vel illud oraculum nominando, vel illius tenorem in Bulla inſerendo. De his oraculis ſic per Bullas confirmatis, præſens procedit diſceptatio.

Confirmationes oraculorum factæ per Bullas recenſentur.

57. Secundo ſupponendum eſt: quod multi Pontifices, ante, & poſt dictas revocatorias Gregorii XV. & Urbani VIII. confirmarunt, & innovarunt omnia privilegia, etiam ore tenus ſolummodo conceſſa religionibus, ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatis; imo cum clauſulis: *quorum tenores.* Quod fecit Paulus III. conſtitutione: *Ex Clemens.* apud Conſectium *pag.* 185. Gregor. XIII. conſtitut. *Ex benigna*, apud eundem Confectium *pagina* 247. Sixtus V. conſtitut. *Etſi mendicantium.* Confect. *pag.* 176. Clemens VIII. conſtitut. *Ratio paſtoralis offi.ii*, anno 1597. apud Confect. *pagina* 286. pro Minoribus ad inſtantiam R. P. Ioannis Baptiſtæ Malles Commiſſarii generalis. Et idem fecit cum magna amplitudine pro Dominicanis Paulus V. die 23. Maii anno 1605. & idem Paulus V. die 3. Aprilis anno 1610. Idem, & cum eadem amplitudine conceſſit in conſtitutione pro nobis Carmelitis excalceatis expedita, prout habetur *in noſtro compendio. Bulla* 4. *Pauli V. num.* 13. Imò idem Gregorius XV. die 16. Octobris anno 1621. in Bull. *In Apoſtolica* Theatinis, confirmavit omnia privilegia, etiam ore tenus, pro illis aut aliis religionibus conceſſa, prout refert Pelliz. *tract.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 5. *num.* 131. Ex quibus habemus ferè nulla oracula conceſſa religionibus dari, uſque ad diem 23. Maii 1605. juxta Bullam Pauli V. pro Dominicanis conceſſam, vel uſque ad diem 3. Aprilis anno 1610. juxta Bullam ejuſdem Pauli V. pro nobis expeditam. Imò uſque ad 16. Octobris anno 1621. juxta Bullam Gregorii XV. pro Theatinis, quæ non inveniantur innovata, & confirmata per Bullas Pontificias, cum clauſula *ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis*, &c. Quæritur ergo modo an dicta oracula, etiam in Bullis confirmata, ſint ſub revocationibus generalibus comprehenſa?

58. Negat prima ſententia privilegia ore tenus conceſſa, per hoc, quod per Bullas Pontificias confirmentur, tranſire in privilegia Bullata: ſed affirmat adhuc intra limites oraculorum contineri: ob idque comprehenſa eſſe in revocatione generali oraculorum, facta à Gregorio XV. & Urbano VIII. etiamſi ante talem revocationem eſſent per Bullas dictas confirmata. Quæ ſententia tribus validiſſimis fundamentis fulcitur. Primum eſt: nam poſt confirmationem etiam *ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis, quorum tenores, pro inſertis, ac ſi de verbo ad verbum, &c.* non mutatur natura, & conditio ejus, quod confirmatur, nec tranſit in alienam naturam, nec accipit novum eſſe, ab eo, quod habebat: nam confirmatio ut dicemus puncto ſequenti, eſt acquiſiti juris roboratio, eo, quod privilegium intra ſuam naturam roborat, & ſtatuit: & ſi aliqua ratione ceſſatum fuit, deperditum, vel diminutum; illud in ſuo eſſe, & intra ſuam naturam innovat, & ad primum valorem reſtituit: ergo Bulla confirmans oracula, non extrahit illa à ratione oraculorum; ſed intra ſuum eſſe, ſuamque rationem oraculorum confirmat: ut ſi fortè aliqua via ſuum robur, & virtutem amiſerint, ad primum vigorem redeant: ergo non facit illa privilegia bullata; ſed intra naturam privilegii ore tenus conceſſi relinquit: cum ergo omnia oracula in dictis revocatoriis contineantur, etiam iſta continentur; tametſi per Bullas confirmata, quæ non ob id tranſeunt in privilegia bullata. ¶ Confirmatur hoc: nam confirmatio privilegiorum per Bullam conceſſorum, ſolum dant novum jus, novumque valorem privilegiis bullatis extinctis, tantum intra ſuam naturam: & ideo quæ merè gratioſa erant, remanent gratioſa; quæ oneroſa, oneroſa; quæ remuneratoria, remuneratoria; Non vero tranſeunt per confirmationem ex uno genere in aliud: ergo ſimiliter, quando per Bullam confirmatur oraculum, ſolum renovat, & reſtituit illud intra naturam oraculi, quin faciat illud in naturam privilegii bullati tranſire: ergo, &c.

Sententia affirmans oracula cōfirmata per Bullas eſſe revocata proponitur.

59. Secundo eadem ſententia probatur: quia ex Bullis revocatoriis Gregorii XV. & Urbani VIII. conſtat revocari omnia oracula, quomodocumque conceſſa, & confirmata, ut patet

Eadem ſententia amplius probatur.

ex

ex illis verbis Gregorii X V. (& eiſdem quoad intentum utitur Urbanus V I I I. in ſua revocatoria) non obſtantibus, &c. ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficatioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritatoriis, & aliis decretis in genere, & in ſpecie, ac alias in cootrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, & confirmatis, & innovatis, &c. ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Ubi illa clauſula quomodocumque confirmata, & innovata, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis; etiam illa, quæ confirmata, & innovata ſunt per Bullas anteceſſorum, voluit comprehendere: ergo ſimilia oracula adhuc confirmata, & innovata per Bullas, ſub dictis revocatoriis comprehenduntur.

Tertio eadē ſententiā probatur.

60. Tertio, quia manifeſtè ſequitor ex oppoſita ſententia, quod fruſtraneæ, & nugatoriæ prorſus redderentur revocatoriæ iſtæ univerſaliſſimæ, & graviſſimæ Gregorii X V. & Urbani V I I I. ſiquidem ſi ſub eis non comprehenduntur oracula per Bullas confirmata, vix ulla darentur oracula, ad quæ extenderentur, & in quibus revocandi effectus ſortiretur. Nam ut diximus *num.* 5. ferè omnia regularium privilegia omnium Ordinum, ſive per ſe primo directè, ſive per communicationem fuerunt confirmata, uſque ad annum 1621. die 16. Octobris; cum ergo revocatio facta à Gregorio XV. fuerit anno 1622. die 2. Iulii; inter revocationem, & conceſſionem ſolum octo menſes interceſſerint, in quibus non conſtat Gregor. XV. aliquod oraculum conceſſiſſe, qui poſt ſuam revocationem non vixit per annum integrum, cui immediatè ſucceſſit Urbanus V I I I. & ante ſuam revocatoriam nullum conſtat oraculum conceſſiſſe: ſi ergo nulla oracula, per Bullas præcedentes confirmata, revocata ſunt ab illis; vix aliquod eſt aſſignabile, quod per dictas revocatorias derogetur: ergo remanerent omnino fruſtraneæ, & frivolæ juxta doctrinam oppoſitam. Hanc ſententiam probabiliſſimam docent, Quintanadueñas *in Theolog. moral. tom. 1. tract.* 9. *ſingul.* 3. *num.* 1. Diana 10. *part. tract.* 4. & 14. *miſcellan. reſolut.* 24. quamvis 5. *part. tract.* 14. *reſolut.* 17. judicium in hac parte ſuſpendat. Bordon. *reſolut.* 31. *num.* 5. N. Petrus ab Angelis *diſp.* 8. *ſect.* 3. *à num.* 11. Donatus *tract.* 16. *q.* 3. *per totam.* Martinez à Prado *tom.* 1. *moral. cap.* 5. *q.* 6 §. 1. *per totum.* Iuoipetus Adrepano Ordiois Minorum *in defenſ. iuris Pontif. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *cap.* 1. Theophilus Alarius *canon. conſcient. lib.* 4. *verb. privilegium*, *n.* 31. Rocaful. *tom.* 2. *part.* 3. *lib.* 7. *c.* 6. *num.* 44. Portel. *tom.* 2. *reſponſ. caſu* 13. & alii.

Oracula cō firmata per Bullas, non revocantur per generalem oraculorum revocationem.

61. Sed licet hæc ſententia ſit valde probabilis, non minus probabilem arbitramur illam, quæ dicit oracula confirmata per Bullas, tranſire per hoc in privilegium bullatum; ideoque non caſſari, aut revocari per dictas revocatorias, & probatur ſic: quia hoc ipſo, quod oraculum confirmetur per Bullas Pontificias, jam non eſt purè oraculum, ſed induit naturam privilegii bullati: ſed privilegia bullata in dictis revocatoriis non comprehenduntur: ergo nec oraculum jam per diploma Pontificum confirmatum. Minor, & conſequentia conſtant: major autem probatur: Tum, quia in hoc differt oraculum purè tale à privilegio bullato, quod illud ore tenus conceditur abſque ſcriptura; hoc in ſcriptis datur, manu Pontificis ſubſcriptum, ut initio hujus Puncti dicebamus; ſed hoc ipſo quod oraculum ſit innovatum, & confirmatum in Bulla, jam in illa eſt privilegium ſcriptis traditum, & manu Papæ ſubſcriptum: ergo jam deſinit eſſe purè oraculum, & tranſit in privilegium bullatum. Tum etiam: quia eſſe privilegium bullatum, vel oraculum ſunt differentiæ accidentales ad rationem privilegii; quia ut dicebamus *num.* 50. utrumque in conceſſione, robore, & virtute conveniunt, & ſolum penes hoc, quod eſt eſſe ſcriptum, vel non diſcriminantur: ergo hoc ipſo quod oraculum tradatur ſcripturæ, quod fit cum in Bullis confirmatur, & ponitur, maximè ſi in illis tenor illius inſeratur; jam non eſt oraculum, (hoc eſt) ore tenus conceſſum; ſed bullatum, id eſt, in ſcriptis communicatum. Tum denique: quia licet privilegium non habeat rationem canonis, nec legis communis; tamen hoc ipſo, quod in corpore juris inſeratur, participat rationem juris communis, & potius canon, & lex communis, quam privilegium nudum nuncupatur: quia de ratione Canonis, & legis communis eſt, eſſe in corpore juris inſertum: ergo, quia de ratione privilegii bullati eſt, tradi à Principe in ſcriptis, hoc ipſo, quod oraculum per Bullam tradatur in ſcriptis, deſinit eſſe oraculum purum, & tranſit in privilegium bullatum. Sic Lezana *in ſumm. verb. oracula*, *num.* 7. Pellizzar. *tract.* 2. *cap.* 1. *ſect.* 5. *num.* 131. Laurentius Peyrin. *tom.* 3. *privileg. cap.* 11. *ad conſtitut. Vrban. V I I I. n.* 1. Leander à ſanctiſſimo Sacramento Trinitarius *tom.* 2. *de ſacrament. tract.* 9. *diſput.* 24. *quæſt.* 16. Leander à Murcia Capucinus *quæſt.* 20. *ſelect. in cap.* 6. *regula S. Franciſci*, *n.* 3. Samuelius Dominicanus *in praxi de ſepultur. prælud.* 3. *appendicis*, *num.* 1. & *ſequentibus*, N. Fr. Antonius à Spiritu ſancto Luſitanus *in direct. regul. tract.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 1. *num.* 35. Philippus a ſancto Antonio *tract. de privileg. vivæ vocis oracul. dub.* 1. *n.* 15. Vidal. *in arca Theolog. moral. tit.* 4. *de juriſdict. in quæſit. num.* 15. & *ſequentibus.* Hieronym. Garcia *in politic. regul. tom.* 1. *tract.* 8. *diff.* 1. *aub.* 6. *n.* 6. Thomas Hurtado *tom.* 1. *tract.* 3. *reſolut.* 9. *n.* 43. & *tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 1172. *fol.* 328. Eſcobar de Mendoza *lib.* 6. *problem.* 33. *num.* 193. & 195.

Solvitur primum contrarium argumentum.

62. Ad primum contrarium argumentum dicimus; quod licet confirmatio non mutet naturam privilegii, neque in alteram transferat, quando in confirmatione non ponitur aliqoid pertinens ad alterius naturam, ut probant exempla in confirmatione adducta, at ſi in confirmatione additur aliquid pertinens ad alterius naturam, per illam confirmationem privilegium in illam alteram naturam tranſit; ut ſi privilegium extra corpus juris exiſtens, confirmetur, illud in corpore juris inſerendo, tranſit in naturam Canonis, & legis communis, quod antea non habebat. Et promiſſio ſimplex ſi confirmetur juramento, pertinet jam ad materiam religionis, quamvis ex natura ſua talem materiam non concerneret: quia per illam confirmationem additur aliquid de materia religionis, & ſic deſinit eſſe ſimplex promiſſio, & ſit promiſſio jurata. Sic quia de natura privilegii eſt tradi in ſcriptis, hoc ipſo, quod oraculum per Bullam confirmetur, deſinit eſſe purè oraculum, & tranſit in privilegium bullatum. Quare ſolum probat argumentum, quod ſi oraculum ore tenus confirmaretur, non mutat ſuam naturam, ſed ultra illam innovaretur, & roboraretur: & ſi

forte

fortè eſſet deperditum, ad priſtinum ſtatum reduceretur, non vero quando per Bullam confirmatur: quia tunc additur ei id, quod eſt proprium privilegii bullati.

Secundum ſolvitur argumentum.

63. Ad ſecundum dicimus Pontifices ſolum velle revocare illa oracula, quomodolibet ore tenus confirmata, ſeu quomodolibet confirmata per confirmationem, illa in ratione oraculorum relinquentem; ſed cum eorum inteotio non ſit privilegia bullata revocare, ut etiam adverſarii admittunt, non fuit eorum mens illa revocare oracula, quæ erant confirmata per Bullas, quòmodo jam non erant oracula; ſed privilegia bullata.

Tertium argumentum contrarium ſolvitur.

64. Ad tertium dicimus, non ob id dicendum erit reddi dictas revocatorias inutiles, aut fruſtraneas. Tum quia fortè erunt aliqua oracula ante Gregorium X V. & Urbanum V I I I. expedita, vel ab ipſis Pontificibus conceſſa ante revocationem, quæ non erant per Bullas confirmata quæ revocata, & caſſata relinquuntur, Tum & maximè, quia per hoc ſatisfactum fuit menti, & intentioni Pontificum, quam in talibus revocationibus habuerunt: ipſi namque ob id omnia oracula revocarunt: quia cum non eſſent ſcripta, nec authentica, erat maxima confuſio in Eccleſia, & aliqui oracula fingebant, nunquam à Papa expedita, illiſque abutebantur, & nihil in tam gravi materia erat certum; ſed omnia æquivocationibus, abuſibus, & fallaciis expoſitum: & ob id Gregorius X V. excepit à ſua generali revocatione oracula, manu alicujus Cardinalis ſubſcripta: quia ob authoritatem, & fidem ſubſcribentis, ceſſabant inconvenientia, quæ ipſe in ſua revocatione intendebat evitare. Et licet Urbanus V I I I. hæc etiam revocaverit, excepit tamen oracula expedita per illos officiales, quibus ratione munerum ſuorum, antea de Summi Pontificis oraculo fides adhiberi ſolebat: quia hoc ipſo ceſſabat confuſio, & conſtabat de gratia a Pontifice conceſſa. Cum ergo per hoc, quod oraculum ſit per Bullam Pootificiam confirmatum, & manu illius ſubſcriptum omnis fides adhibenda ſit illi, hoc ipſo, quod tenor ejus in Bulla inſeratur, nec dubitari poſſit de illo, ceſſant inconvenientia, & mens revocantium ſalvatur. Et idem eſt quando tenor verborum oraculi ponitur in Bulla virtualiter, & æquivalenter, quod fit per verba; *quorum tenores, vel ex certa ſcientia*, & *de plenitudine poteſtatis.*

---

§. III.

Qualiter oracula, quæ ſortita ſunt ſuum effectum ante revocatorias non ſint per illas abrogata?

Status difficultatis propomitur.

65. PRo intelligentia difficultatis ſupponendum eſt, quod Gregorius X V. & Urbanus VIII. in ſuis revocatoriis, hæc verba habent: *In hiis videlicet, quæ non ſunt ſortita ſuum effectum, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, & abrogamus*, &c. Ex quo ſequitur, quod oracula, quæ ſortita erant ſuum effectum, relinquunt cum ſuo robore; nam exceptio firmat regulam in contrarium: ſed qoia ex vi dictæ clauſulæ ortæ fuerunt novæ difficultates circa illius intelligentiam, R. P. Fr. Dominicus de Molina ex ordine Prædicatorum, qui munus Procuratoris generalis in Curia Romana gerebat, à ſacra Congregatione Epiſcoporum, & regularium, tam nomine ſuæ religionis, quam aliarum, petivit declarari, an gratiæ, & privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa generalibus, Vicariis generalibus, Procuratoribus generalibus, Magiſtris, præſentatis, & eorum Ordinibus, quæ ſortita erant effectum ante revocationem, licet effectus haberet tractum ſucceſſivum, maneant in ſuo robore, & valida cenſeantur, uti in dicta revocatoria non comprehenſa, vel aliqua indigeant revalidatione tam in temporalibus, quam ſpiritualibus? tale accepit à ſacra Congregatione reſponſum, ut refert Caſtellinus *de elect. cap. 5. num.* 17. Peyrin. *tomo ſecundo, ad conſtitut.* 3. *Gregorii X V. numero* 1. *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis regularium præpoſita, Illuſtriſſimo de Carmona deferente, prædictas gratias, & privilegia in dicta revocatoria conſtitutione non comprehendi, nullaque revalidatione indigere, proindéque validas, & validè fore, & eſſe, eiſdemque ſecurè uti poſſe cenſuit, prout alias fuit reſponſum Romæ die* 2. *Aprilis anno* 1625. Quæ declaratio communiter à Doctoribus aſſeritur, & admittitur.

65. Sed ioter eos eſt non levis controverſia in modo intelligendi, & explicandi dictam clauſulam bullarum, ſuppoſita dicta ſacræ Congregationis declaratione. Aliqui tem iſtam, ita explicant, quod illa oracula, quæ ſortita ſunt ſuum effectum in actu primario, & pro aliis actibus, imò pro ipſo actu primario, habent tractum ſucceſſivum; dicunt manere in ſuo robore quoad omnes: & primum actum, intelligunt acceptationem gratiæ, facultatis, ſeu poteſtatis: & per ſecundarios exercitia illorum ſubſequentia: v. g. per vivæ vocis oraculum habent regulares à Pio V. ut poſſint cum viris, & mulieribus inceſtuoſis, qui peccaverint cum conſanguineis, de commiſſione Provincialis diſpenſare ad petendum debitum. Effectum primarium ſortitum fuit tale oraculum, cum fuit à regularibus admiſſum; qua admiſſione facta ante oraculorum revocationem, cum non comprehendantur in illa oracula, quæ ſortita fuerant ante revocationem effectum, etiamſi habeant tractum ſucceſſivum pro reliquis actibus, manent in ſuo robore pro illis: quia actus ſunt ſucceſſiva exercitia talis facultatis, ideo dicunt poſſe modo virtute illius oraculi diſpenſare, ſicut poterant ante oraculorum revocationem: & idem eſt de aliis ſimilibus caſibus. Sic Leander à ſanctiſſimo Sacramento *parte ſecunda, de Sacramentis, tractatu nono, de matrimon. diſputatione* 24. *quæſtione* 16. qui nullum alium pro ſe citat niſi Noſtrum Lezanam *in ſumm. quæſt. regular. capite tertio, numero ſecundo.* Sed ibi nec aliquod verbum de hac materia reperies, & ſolum agit de illa *numero* 21. Sed ut conſtat exemplis ab ipſo adductis, loquitur in ſenſu à nobis infrà explicando, ut ipſe ſeipſum explicat *in ſecunda parte, verb. oracula. num.* 6. *fine*: ubi conqueritur, quod aliqui ipſum oon intelligentes, in alio ſeoſu ipſum adducunt, cujus verba infrà adducemus. Sed cum Patre Leandro tenet Pater Donatus *tract.* 16. *quæſt.* 4. *de oraculis, n.* 2.

Qualiter aliqui explicet, quod oraculū ſit ſortitum ſuum effectum.

66. Sed nobis hæc doctrina ſic latè explicata, diſplicet: Nam ex ea ſequitur revoca-

Præcedens doctrina rejicitur.

tiones dictas eſſe omnino fruſtraneas, nullumque habere effectum. Tum: quia cum omnes gratiæ, & facultates conceſſæ religionibus per vivæ vocis oracula, ante ipſas revocationes ſunt acceptatæ, & multæ poſitæ in executione quoad aliquos actus; ſi hoc ſufficit ut verificetur, quod ſortitæ ſunt ſuum effectum pro tractu ſucceſſivo, pro futuris temporibus; & nullæ iſtarum ſub dictis revocationibus comprehenduntur; quid eſt quod revocarunt dicti Pontifices? cum nullum daretur oraculum, quando revocatoriæ editæ ſunt, quod non eſſet acceptatum, vel à religionibus, vel à religioſis, & per conſequens, quod jam non ſortitum eſſet ſuum effectum primarium? Unde ſicut ex dicta doctrina colligit P. Leander, quod regulares poſſunt hodie diſpenſare in petitione debiti virtute oraculi Pii V. quia jam erat ante revocationem acceptatum; poterat etiam inferre, quod poſſunt uti oraculis pro diſpenſationibus, & abſolutionibus, ipſis, à Pontificibus conceſſis ante dictas revocatorias; ſiquidem ante illas, jam erant omnia ab illis acceptata: imò ferè omnia, quoad aliquos actus executioni mandata; & ſic vix ullum remaneret oraculum, quod eſſet ſub illis revocationibus comprehenſum.

Quando intelligantur oracula, quæ ſortita ſunt effectum, & ſic minimè revocata.

67. Quare per oracula, quæ ſortita ſunt ſuum effectum, & ob id in dictis revocationibus non comprehenſa, etiam cum tractu ſucceſſivo pro futuris temporibus, intelliguntur illa oracula, quæ in ſuo effectu principali tantum habent unicum actum, licet ſucceſſivè tranſeuntem, vel certè unum principalem effectum cum pluribus actibus ſecundariis, cum illo neceſſario connexis, & in futurum ſuccedentibus: rem explico exemplis. Quidam religioſus per vivæ vocis oracula obtinuit à Pontifice gradum Magiſtri, ſeu præſentati: iſte talis adhuc poſt dictas revocationes gaudet gradu accepto, & præeminentiis illi annexis quandiu vivit, ſiquidem effectus principalis illius privilegii, eſt conſtituere graduatum in tali dignitate, & cum præeminentiis, exemptionibus, & honoribus illi annexis: & cum talis effectus completus ſit ante revocationem, eſt jam illud oraculum ſortitum ſuum effectum ante illam, & ſic pro executione effectuum ſubſequentium: quia nectuntur illi dignitati, habet ſuum robur illud privilegium. ¶ Aliud eſt exemplum de his, qui habent unum effectum primarium, ſucceſſivè tranſeuntem: Si quis per vivæ vocis oraculum, haberet facultatem comedendi lacticinia per totam quadrageſimam, ſi poſtquam cœpit uti privilegio, v.g. tranſacta media quadrageſima, adveniret revocatio oraculorum; non ideo intelligeretur revocatum tale oraculum, ſed poterat uti illo per totam illam quadrageſimam. Quia cum tale oraculum haberet unicum actum ſucceſſivè perficiendum per totam quadrageſimam, ſemel ſortito jam effectu ante revocationem, non maneret revocatum quoad complementum ipſius effectus, ſucceſſivè perficiendi. ¶ Sit aliud exemplum, demus quod ante revocatorias, per vivæ vocis oracula, confirmata fuerunt aliqua privilegia bullata, quæ erant per non uſum extincta; tale oraculum confirmatorium illorum privilegiorum, non intelligeretur revocatum, nec comprehenſum in dictis revocationibus: quia ſuum effectum principalem, & unicum, nimirum confirmationem, & innovationem privilegiorum, ſortitum fuit ante illas revocationes. Sic intelligunt dictam clauſulam, ſimul cum declaratione ſacræ Congregationis Peyrin. *tom. 3. privileg. ad conſtit. 3. Gregorii XV. n. 1.* Petrus ab Angelis *diſp. 8. ſect. 4. n. 4. & diſput. 2. ſect. 3. à num. 12.* Bordon. *tom. 1. p. 2. de oracul. reſol. 31. n. 8.* Caſtellinus *de elect. cap. 5. n. 37.* N. Lezana *duplici loco ſuprà citato ſpecialiter in 2. part. verb. oracula, n. 6. fine,* ubi ſic dicit: [Nota tamen, quod ſi aliquis religioſus haberet per vivæ vocis oraculum ſibi conceſſum, facultatem, v. g. diſpenſandi, vel abſolvendi quemlibet ad ſe venientem, in caſibus reſervatis, & talem facultatem nondum exercuit, revocatam cenſeri per dictas conſtitutiones; quia illa non eſt ſortita ſuum effectum, neque habet tractum ſucceſſivum per unicum ſolum actum, prout illum habent gratiæ relatæ in declaratione ſacræ Congregationis; ſed per plures independentes ab invicem. *Quod dixerim contra aliquos, qui non rectè percepiſſe videntur id, quod loco relato dixi.*]

PUNCTUM VII.

De confirmatione privilegiorum, ſub qua forma, & modo fieri ſoleat?

Cõfirmatio in forma communi, & ex certa ſcientia explicatur.

68. POSTQUAM de privilegiis, & eorum ceſſatione mentionem fecimus, venit de confirmatione illorum agendum. Circa quam, quia modica eſt controverſia, parum immorabimur. Igitur confirmatio diffiniri ſolet: *Quod ſit juris quæſiti roboratio.* Eſt enim illius natura, non dare novum eſſe, ſed antiquum roborare, vel ad ſuum priſtinum vigorem reducere. Duplex genus confirmationis communiter ab Authoribus deſignatur, ex *cap. diverſitatis, de conceſſ. præbendæ, c. 1. de tranſact. cap. veniens. eod. tit.* una *in forma communi*, ut quando proponitur confirmandum privilegium antea conceſſum, ſine alio examine, nec diſtrictiori notitia illius, ſed cum ſola cognitione confuſa privilegii, quod ſimpliciter prout jacet proponitur, ut antea conceſſum erat: & ſic ſolum confirmatur ſine aliqua forma ſpeciali, ſed ſolum communi: & *ex certa ſcientia*, quando nimirum cum perfecta notitia, & examine privilegiorum, & eorum circunſtantiarum, & aliorum, quæ ad illorum conditionem ſpectant. Quare cum in ipſa confirmatione additur verbum, quo ſignificetur ſufficienter præceſſiſſe examen, ſeu perfectam notitiam, vel tenor antiqui confirmandi ingeritur; dicitur confirmatio *ex certa ſcientia*: & quando hoc non invenitur in confirmatione, erit *in forma communi*. At non requiritur, ut confirmatio ex certa ſcientia dicatur, quod totus tenor privilegii confirmandi, inſeratur in confirmatione; ſed ſufficit vel hoc, vel quod clauſula *ex certa ſcientia* apponatur: quia hæc ſufficiens eſt ſignum ſupradictæ cognitionis: & cum per eam aſſirmet Princeps ſe confirmare ex certa ſcientia, illi credendum eſt. Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. diſp. 18. q. 1. n. 4. & 6.* Nicolaus Garcia *de benef. p. 3. c. 2. n. 23c.* Donatus *tract. 11. q. 5. n. 6.* Suar. *lib. 8. c. 18. n. 6* Petr. ab Angel. *diſp. 7. ſect. 4. n. 3.* ¶ Imò ſufficit, quod ex aliis verbis ejuſdem reſcripti, ſeu ex narratis in illo conſtet Principem cum plena facti cognitione procedere:

&

& ſic ſufficit clauſula æquipollens certæ ſcientiæ, ut eſt *de plenitudine poteſtatis*; per quam ſignificat ſe non ſolum velle operari ſecundum jus commune; ſed ſupra, vel contra illud: quod non præſumitur facere, niſi ex certa ſcientia operetur. Suarez, Donatus *locis citatis*. Pellizar. *tract.8. cap.1. ſect.2. num.26.* Antonius à Spiritu ſancto *tract.1. diſput.2. ſect.4. num.63.* Addit Suarez, cum Donato hanc ſcientiam intelligi de ſcientia facti: nam ſcientia juris communis, ſemper à Principe præſumitur, *c.1. de conſtit. in 6.*

Effectus, quos habet confirmatio in forma communi.

69. Quare cum nullum ex prædictis verbis, dictam ſcientiam Principis demonſtrantibus in confirmatione apponitur, ſemper præſumitur *in forma communi*, quæ nihil aliud eſt, quam quædam ſimplex approbatio facti præteriti: nec ampliat privilegium; nec ſupplet defectus, ſi fortè aliqui in illo inveniantur; nec validum reddit, quod invalidum ex qualibet cauſa exiſtebat; & ſic non poteſt dici illa confirmatio, conceſſio nova privilegii; ſed illius pura roboratio: quia verbum *confirmo* purè prolatum, non eſt donandi, nec faciendi aliquid de novo ſimpliciter; ſed tantum approbandi, quod factum eſt, *cap. inter. §. cæterum,* & *§. cum iterum, de fide inſtrum.* Suarez *num.7.* Tambur. *num.8.* Pellizzar. *num.16.* Hieronym. Garcia *tom.1. tract.8. diff.1. dub.7. num 1.* Baſſæus *verb. privileg. 41. num.1.* Petrus ab Angelis *num.4.* Antonius à Spiritu ſancto *num.64.* Quare ſemper in confirmatione *in forma communi*, ſubintelligitur conditio, ſi id quod confirmatur ſubſiſtit validum: & hoc etiamſi addatur *innovamus*, vel *de novo concedimus.* Quæ verba in confirmatione, *in forma communi*, non revalidant factum; ſed ſunt quaſi repetitio ejuſdem rei, poſita ad majorem expreſſionem. Suarez *cap.18. num.9.* Si tamen illa verba *innovamus* cadant ſuper privilegium, vel alium actum validum capacem confirmationis, accipit robur, & authoritatem à confirmante; ſiquidem illud approbat, & quodammodo facit ſuum, & prodeſt ad non præſcribendum contra privilegium; ſed tempus præſcriptionis debet computari (ſi erat incepta & non completa) a tempore talis innovationis, & confirmationis. Rodriguez *tomo primo, quæſtione 6. articulo primo, §. ultim.* Merola *diſputatione ſexta, dubio quarto, numero 81.* Bruno Caſſaing. *tractatu 1. capite 2. propoſit.4.*

Effectus cōfirmationis ex certa ſcientia.

70. At confirmatio ex certa ſcientia reddit privilegium de invalido, validum, & reſtituit privilegia amiſſa per non uſum, vel per contrarium uſum, & reſtaurat revocata, & quomodolibet deperdita: & ſic vim habet novæ conceſſionis talis privilegii: nam validare actum, ſeu privilegium, quod antea erat nullum, idem planè eſt, quod de novo illud concedere. Baſſæus *privileg. 4. num. 1.* Garcia *ſuprà num.2.* Tambur. *diſput.18. quæſt.1. num.7.* Antonius à Spiritu ſancto *num.65.* Suarez *lib.8. cap.14. n.1.* Rodriguez *tom.1. quæſt.8. articulo 3.* Donatus *tract.11. quæſt.7.* ¶ Sed hoc intelligitur, niſi Pontifex ponat aliquam clauſulam, per quam dicat ſe nolle confirmare privilegium alias nullum: ut ſi dicat: *quatenus ſunt in uſu*; quia tunc ſi aliquod privilegium ſit jam nullum, quia non eſt in uſu, non confirmatur per confirmationem *ex certa ſcientia.* Tambur. *tomo primo, diſp.18. q.1. & 5.* Baſſæus *privileg.4.n.1.* Quare quando talis clauſula apponitur, ea ſolum privilegia confirmat, quæ ſunt in obſervantia, ſuumque valorem retinet: non ea quæ invalidata ſunt per non uſum, vel per contrarium uſum; ſecus autem ſi ſint in uſu quamvis invalida per quamcumque aliam cauſam, quia tunc per confirmationem *ex certa ſcientia*, revalidantur, & renovantur, ac ſi de novo concederentur. Pellizzar. *tract.8. c.1. ſect.2. n.26.* Portel. *in dub. regul. verb. privileg. à n.26.* Suar. *lib.8. c.18. n.16. & 17.* Rodrig. *tom.1. q.8. art.3. & 4.* At ſi è contra ponatur clauſula: *Dummodo ſub aliis revocationibus non comprehendantur*, non revalidantur per confirmationem privilegia, quæ erant nulla, ob aliquam præcedentem revocationem; bene tamen illa, quæ per non uſum, vel contrarium uſum erant invalida: quia cum ſolum excipiat confirmator, revocata per poſitivam revocationem, & exceptio firmet regulam in contrarium; non intelligitur de illis, quæ alio quocumque modo erant amiſſa. Sic citati. ¶ Attamen confirmatio ex certa ſcientia nunquam revalidat privilegium, quod a principio fuit nullum, falſum, vel ſubreptitium: quia non eſt mens Principis concedere, niſi quod antea verè conceſſum fuerat. Illud vero, quod ab initio nullum fuit, nunquam verè conceſſum judicatur; ſed revalidat privilegia, vel à prædeceſſore revocata, vel per non uſum amiſſa. Rodriguez, Baſſæus, Pellizzar. Portel. Tamburin. *quæſt.1. num.6* Garcia *tract.8. diff.1. dub.8. n.1.* Lezan. *verb. privileg. n.23.* Antonius a Spiritu ſancto *n.65.*

Quod tenor privilegii ponatur in cōfirmatione ad valorem ejus eſſe neceſſarium aliqui dicunt.

71. Sed ad dictos effectus cauſandos, & confirmationem *ex certa ſcientia* aliqui dicunt, quod requiritur, ut tenor privilegii confirmandi inſeratur in confirmatione, vel quod conſtet præceſſiſſe in Principe cognitionem defectus, vel nullitatis privilegii confirmandi. Sic Diana *part.11. tract.2. miſcell. reſolut.7.* Paſqualig. *in qq. canonic. centur.2. quæſtione 107.* eo quod impoſſibile ſit, quod confirmatio ſit in forma ſpecifica, niſi procedat ex cognitione ſpecifica, & determinata rei confirmandæ: quia nihil volitum, quin præcognitum; ergo licet ponatur in confirmatione *ex certa ſcientia*, & *de plenitudine poteſtatis*, niſi tenor privilegii inſeratur, vel de certa ſcientia, & ſpecifica Principis conſtet, non revalidatur privilegium conceſſum. ¶ Sed hæc doctrina, & modus dicendi non placet; nam reddit incertas, & ferè inutiles omnes confirmationes communiter factas. Quis enim novit, an eas exactè Princeps examinavit? Vel unde conſtare poterit, quod intellexerit nullitates, quas privilegia confirmanda habebant? Dicere autem, quod tenor privilegii confirmandi eſt neceſſariò inſerendus, vel quod conſtet de informatione individuali Principis explicitè, eſt nimis oneroſum, & ferè impoſſibile, & contra praxim communem. Maximè, quia idem eſſet neceſſarium in confirmatione, & communicatione privilegiorum, quæ quotidie *ex certa ſcientia* communicantur, & communicata ſunt religionibus inter ſe: & nemo petit, neque quod tenor omnium privilegiorum inſeratur, neque quod Pontifex habeat notitiam individualem illorum, ut communicatio ſit firma; ſed cum ſola notitia confuſa, & in communi omnium privilegiorum, quæ exprimitur ſufficienter cum clauſula *ex certa ſcientia* manet firma, & tenet. Idem eſt in præſenti aſſerendum. Sic Suarez, quem ferè omnes alii ſequuntur *lib.8. c.18. n.12.* & *lib.7. c.29.*

Merola *diſputatione 6. capite ſecundo, num.* 114. Donatus *quæſt.4. num 9.* ubi teſtatur ſic fuiſſe deciſum à ſacra Rota anno 1614. coram Burato die 26. Ianuarii.

Aliquæ clauſulæ, quæ ſolent addi cõfirmationibus ex certa ſcientia explicantur.

72. Et ſi roges, quod addatur de novo, cum in aliquibus confirmationibus, & conceſſionibus, *ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis*, addi ſolet, *concedimus, & innovamus, &c.* Si per hoc, quod præciſè ſit ex certa ſcientia; innovatur, & reſtituitur privilegium extinctum, ac ſi de novo concederetur? ¶ Reſpondetur, quod confert ex ſe jus novum ſi opus eſt: eſt enim quaſi quædam conditio naturalis ex parte rei conceſſæ, quæ tollit omnem vetuſtatem, & reſtituit deperdita majori claritate. Inſuper ampliat renovationem ad omnem modum poſſibilem, qui ſub propria ſignificatione talis verbi cadere poteſt, & tollit omnem ambiguitatem: quia nulla poſſunt eſſe clariora ſigna voluntatis Principis, ad de novo concedendum privilegium illud, reſtituendum, & renovandum, quam illa verba: *De novo, innovamus, concedimus*: Nec amplius deſiderari poteſt, ad dictos effectus præſtandos. Suar. *c.10. n.8.* Barboſ. *c.16. de officio. & poteſtate Parochi, in fine*, Merola *cap.4. n.78. & 79. compend. Minor. verb. privileg. fratrum, §.3.* ¶ Et idem ferè dicimus de illis clauſulis, quæ addi ſolent in confirmationibus ex certa ſcientia, *ſupplentes omnes defectus juris, & facti, ſi qui forſitan intervenerint in eiſdem*, quæ videntur ſuperflua, ſi in confirmatione *ex certa ſcientia*, privilegia omninò inſtaurantur, & de novo fiunt, & ſupplentur omnes juris, & facti defectus. Sed licet hoc ita ſit, illa verba merito ponuntur. Tum propter dicta. Tum etiam, ut inquit Suar. *cap.2. n.10.* quia hæ clauſulæ non ſemper adduntur propter novos effectus; ſed ad majorem evidentiam, & ad tollenda omnia dubia, & ſcrupulos; & inſuper ad magis præcludendam viam litibus & controverſiis.

Non reſtaurantur privilegia jure communi revocata.

73. Sed modo reſtant aliquæ difficultates enodandæ. Prima eſt, an per confirmationem ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, reſtaurentur privilegia revocata per jus commune, vel per Concilium aliquod generale, abſque eo; quod de tali revocatione fiat expreſſa, & ſpecifica mentio? Negativè reſpondendum eſt, juxta dicta *ſup. n.40.* eo quod jus commune qualificatum per ſpecialem clauſulam reſiſtentem privilegiis, ſeu revocantem illa, non revocatur ſine expreſſa mentione illius: ergo idem dicendum erit de confirmatione. ¶ Et confirmatur: quia ut lege communi revocetur privilegium, ſatis non eſt, quod contra illud diſponat; ſed debet addere clauſulam revocatoriam illius, ut diximus *loco citato hoc capite*: ergo propter eandem rationem, ut per confirmationem reviviſcat privilegium, jam jure communi extinctum; non ſufficiet, ut illud confirmet ex certa ſcientia, niſi expreſsè dicat, non obſtante revocatione juris communis, aut Concilii generalis. Ita Baſſæus *privileg. 4. n 4.* Corduba *in compend. verb. abſolut. quoad ſaculares 2. ad §.16.* Merola *diſputatione ſexta, capite quinto, num.53.* Roſell. *verb. abſolutio, num.113.* Portel. *verb. privilegior. confirmat. numero 33.* & videtur tenere Dian. *parte undecima, tractatu ſecundo, miſcellan. reſolutione ſeptima* Suarez *libro octavo, de legibus, capite ſeptimo, numero 5. & cap.19. num.4.*

Cõfirmatio ex certa ſcientia, non inſtaurat privilegia contra jus tertii.

74. Secunda difficultas eſt, an confirmatio *ex certa ſcientia* confirmet actum, poſſeſſionem, aut privilegium in præjudicium tertii? ¶ Reſpondetur, quod quamvis in rigore, ſi confirmatio eſt abſoluta ad omnia ſe extendat, ſicut Papæ poteſtas extenditur: at ex æquitate, quæ dictat nemini eſſe inferendum præjudicium, *cap. ſuper eo, de officio delegati*, non confirmat privilegium cum præjudicio tertii in re gravi, & magni ponderis, *cap. ſuper litteris, de reſcriptis, cap. quamvis, eodem titulo in 6. cap. ultim. de confirmation.* Ubi nunquam præſumitur Principem velle juri tertii derogare, niſi exprimat in re magni momenti. Ubi debent impropriari verba legis, ſeu confirmationis, ne inferant tale præjudicium tertio, *leg. ſi quis à Principe 3. ff. ne quis in loco publico.* Sic Cardinal. Tuſchus *littera C. concluſ. 340. numero decimo tertio*, Menochius *de præſumptionibus, libro ſecundo, præſumption. 9.* Ludovicus Gomez *in regul. Cancell. quæſtione prima, regul. de non tollendo jus quæſitum.* ¶ Excipe primo, ſi clauſulæ *ex certa ſcientia*, addantur: *non obſtante jure, & præjudicio tertii*; quia tunc etiam in magnis, jus tertii abrogat: quia per hæc adjecta apparet, quod Princeps cum ſufficienti fundamento voluit præjudicare illi, cui erat jus quæſitum: ſic cum multis Barboſa *clauſula 25. numero ſeptimo*, Naldus *in ſumm. verb. clauſul. § ex certa ſcientia.* § Excipe ſecundo, quando Pontifex aliquam concedit gratiam, quam ſcit non poſſe verificari, nec ſuum effectum ſortiri, niſi cum præjudicio juris tertii: quia verba in Bullis, & privilegiis appoſita, debent aliquid operari; alias eſſent otioſa, & impertinenter poſita, *cap. ſi Papa in fine, de privileg. in 6.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancellar. §.7. proœmial. num.63.* Tamburin. *de jure Abbat. diſputatione 18. quæſtione ſexta, numero 63.* & ſic fuiſſe deciſum à ſacra Rota, teſtatur Riccius *in collect. 1752. in cauſa Burgenſ. 5. Decembr. anno 1601. coram Seraphino.*

Variæ confirmationes ex certa ſcientia recenſentur.

75. Hinc ſolent adduci variæ confirmationes *ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis* privilegiorum diverſarum religionum, quas omnes recenſere, eſſet longiſſimum abire. Nam confirmationes pro minoribus expeditas, ad ſatietatem refert Baſſæus *locis citatis.* Pro aliis etiam latiſſimè Tamburin. *diſputatione 18. quæſtione tertia*, Portel. *num 30.* Pro nobis, Carmelitis datur confirmatio facta à Iulio II. Clement. VIII. & Innocentio VII. quas refert Urbanus *prima parte, tractatu ſecundo, capite tertio, regul. 6.* ſpecialiter autem illa Clementis VIII. quæ eſt pro nobis Carmelitis excalceatis, ut habetur in noſtro *compendio folio 113. num. 116.* In qua omnia privilegia omnium mendicantium, nobis communicavit, & confirmavit ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis: cum ea tantum reſtrictione, ut non ſint contra Tridentinum, vel contra regulam primitivam ejuſdem Ordinis. ¶ An vero confirmatis privilegiis unius religionis, cenſeantur confirmata privilegia aliarum cum illa communicantium, gravis eſt difficultas, quam puncto ſequenti examinabimus, & ſic ſit.

PUNCTUM VIII.

An ſi per confirmationem privilegiorum unius Ordinis, alterum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis?

Quot modis procedere poſſit difficultas.

76. DUPLICI modo poteſt hæc difficultas procedere. Primo, an ſi confirmentur privilegia unius Religionis, cui primo fuerunt conceſſa, illa confirmatio extendatur ad omnes Religiones, quæ per communicationem gaudent eiſdem privilegiis? Secundo, an confirmatis privilegiis unius Religionis, eo ipſo cenſeantur confirmata aliarum privilegia, etiam ſi diverſa ſint, dummodo in privilegiis gaudeant communicatione cum illa, cui facta fuit confirmatio? Quod aliis verbis idem eſt ac inquirere, an confirmatio facta de privilegiis unius religionis, intelligatur facta de privilegiis aliarum ratione generalis communicationis. ¶ Sed dicendum eſt, bifariam poſſe unam Religionem cum alia communicare in privilegiis, vel ſi ſolum communicat cum illa in conceſſis, vel ſimul in conceſſis, & in futurum concedendis, ut in multis communicationibus invenitur.

Aliquando confirmato privilegio pro una Religione, confirmatur pro alis, aliquando non.

77. Quibus ſuppoſitis, dicendum eſt primo: quod ſi loquamur ſecundum primum modum, quo excitatur quæſtio, ſi ſecunda Religio ſolum communicat in privilegiis conceſſis anteriori Religioni, cui nunc confirmantur ſua privilegia; non gaudet confirmatione facta pro priori Religione: ſecus vero ſi communicatio ſit in conceſſis, & concedendis. Ratio primi eſt: quia confirmatio eſt novum privilegium, novaque gratia, & quaſi præexiſtentis nova conceſſio, quæ nondum erat, quando communicatio facta eſt: igitur cum talis communicatio non extendatur ad futura, quia non eſt de privilegiis concedendis; ſed tantum ad præterita, quia eſt de conceſſis; confirmatio pro priori facta Religione, non extenditur ad Religionem per communicationem privilegium habens. Et hinc probatur ſecunda pars aſſertionis: quod quando communicatio eſt de conceſſis, & concedendis, gaudet ſecunda Religio privilegio, & gratia, qua de novo privilegia confirmantur pro prima Religione; ſiquidem talis confirmatio æquivalet novæ conceſſioni privilegii: & ſic cenſetur quaſi novum privilegium, & nova gratia: ergo cum communicatio eſt non ſolum de conceſſis; ſed etiam de concedendis, extenditur ad participandam dictam confirmationem; utpote gratia, & privilegium de novo conceſſum. Ita Pellizzar. *tract.*8. *cap.*1. *ſect.*2. *num.* 28. Suarez *lib.*8. *c.*19. *num.*8. & 9. Petrus ab Angelis *diſput.*7. *ſect.*8. *num.*3. & 4. Antonius à Spiritu ſancto *tractat. diſp.*2. *ſect.*4. *num.*6. Baſſæus *privileg.* 4. *num.*3. Tambur. *tom.*1. *diſputat* 18. *quæſt.*4. Rodriguez *tom.*1. *quæſt* 8. *art.*2. Portel. *verb. privileg.* 14. Miranda *tom.*2. *quæſt.* 42. *art.* 5. *concluſ.*2. Merola *diſp.*6. *de privileg. cap.*5. *dub.*3. *num.*3. Donatus *tract.*11. *q.*9.

Quando confirmantur privilegia propria hujus Religionis, non confirmantur propria alterius.

78. Aſſerendum eſt ſecundo: quod confirmatio facta uni Religioni quoad ſua privilegia, non cenſetur facta alteri quoad ſua, ratione communicationis generalis cum illa, ſive ſint privilegia diverſa, ſive eadem; etiamſi communicatio ſe extendat ad futura concedenda. Si namque ſolum ſit de conceſſis, non eſt dubium confirmationem poſtea ſubſequutam non communicari, alias jam non eſſet de conceſſis duntaxat tempore communicationis; ſed de poſtea concedendis, quod ſupponimus falſum. Aſſertio licet non omnes eam admittant, eſt fere communis, & probatur: quia confirmatio minime ſe extendere poteſt ad non intenta, nec expreſſa à Pontifice; ſed quando Pontifex v.g. confirmat privilegia propria Minorum, non intendit; nec exprimit confirmare propria Carmelitarum; alias plura quam intenderet, confirmaret: ergo, &c. Quæ magis vim habet quando confirmatio eſt *ex certa ſcientia*: quia Princeps non habet, nec præſumitur habere ſcientiam particularem privilegiorum aliarum Religionum; ſed eorum tantum, quæ directè, & expreſsè ex tali ſcientia confirmat: ergo illa confirmatio non poteſt per communicationem tranſire ad alia privilegia ignota, & per ſe valde diſſimilia. Ita Pelliz. *ſect.*2. *n.* 27. Suar. *c.*19. *n.*12. & 13. Baſſæus *privileg.*4. *n.*3. Portel. *privilegiorum confirmatio*, *n.* 35. Donatus *tr.*11. *de confirm. privileg. quæſt.*10. *num.*1. Petrus ab Angel. *diſp.*7. *ſect.*8. *num.*9. ¶ Hanc ſententiam ſequuti ſumus, quia inter authores communiorem reperimus, licet oppoſitam probabiliſſimam judicemus, & in rigore forte veriorem, ut inquit Suarez, *num.*12. & probabilem vocat Merola *diſput.*6. *cap.*5. *dub.*3. *num.*68. Quia illa Religio communicans, v. g. Carmelitana, ſupponimus nedum communicare in privilegiis conceſſis; ſed in concedendis poſtea; ſed confirmatio eſt novum privilegium, modo conceſſum v. g. Minoribus: ergo Religio Carmelitana communicat hoc privilegium. Maximè, quia mens Pontificis in communicatione privilegiorum eſt, ut Religiones æquales maneant in privilegiis, ſicut æquales judicat in laboribus: igitur ſe extendit ad communicandum confirmationes factas pro una Religione, cæteris aliis communicantibus cum ea in privilegiis.

Quædam exceptio præcedentis doctrinæ.

79. Illud certum judicamus, quod quando Pontifex confirmat privilegia unius Religionis, dicens ſe confirmare omnia privilegia illius, ſive propria, ſive communia, id eſt quæ participat cum aliis; tunc confirmantur etiam privilegia alterius Religionis, cum qua communicat; non tamen ut ſunt unius; ſed ut per communicationem ſunt propria facta alterius: quia talis Religio ſecunda etiam habet communicationem cum prima, quoad privilegia, & futuras gratias, ut ſupponimus: ergo per talem communicationem habebit ſua privilegia confirmata. Sic Suarez *num.*14. Merola *num.* 70. Donat. *num.*4. Petrus ab Angelis *n.*14. Pellizz. *tract.*8. *cap.*1. *ſect.*5. *num.*231. Vnde infert quod cum Gregorius XV. die 16. Octobr. an. 1621. confirmaverit *ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis*, omnia privilegia, tam propria, quam participata Patribus Theatinis, & hi participent omnia privilegia tam mendicantium, quam non mendicantium, eiſque omnia de novo conceſſerit, privilegia omnium Religionum confirmata, & innovata remanſerunt. Hoc videant alii

Carmelitanæ familiæ privilegia confirmantur, quando confirmantur...

80. Nos vero ſine dubio affirmamus, quod quatuor Religiones mendicantes antiquæ habent communicationem privilegiorum omnium inter ſe, & cum aliis non mendicantibus, tam circa privilegia conceſſa, quam in futurum con-

 cedenda,

rur aliorum Ordinum privilegia.

cedenda, abſque ullo prorſus diſcrimine, ut teſtantur, & probant Mirand. *tom.2. quæſt.42. art.2. concluſ.1.* Lezana *in explicatione Maris magni Prædicatorum, §.51. à num.152. & Maris magni Carmelitarum, §.105. num.512. & 523.* Pro noſtra autem Carmelitana familia Diſcalceata, quæ una eſt ex quatuor mendicantibus antiquis (nimirum ipſiſſima antiqua, & Primitiva Religio Carmelitarum, ut teſtatur Clemens VIII. in conſtitutione: Romanus Pontifex ſub die 20. Auguſti ann. 1603. Anathematizans contradicentes, & declarando ei competere, & gaudere omnibus privilegiis, favoribus, gratiis quomodolibet, tam principaliter, quam per communicationem conceſſis Ordini Carmelitarum antiquo. Quæ omnia poſtea confirmavit, & ampliavit Paulus V. bulla, quæ incipit: *Ex iniuncto*, die 14. Septembris ann. 1605. & habetur *in noſtro compend. fol.23.*) extant diverſæ communicationes privilegiorum cum omnibus aliis ordinibus mendicantibus, & non mendicantibus; non ſolum de conceſſis; ſed de omnibus concedendis pro futuris temporibus, tam per extenſionem, quam per communicationem: ut eſt illa bulla Clementis VII. pridie idus Auguſti anni 1530. incipiens: *Ex Clem.* quæ refertur *tom. 1. Bullar. Roman.* & eſt 31. huius Pontificis, habeturque authentica in noſtro compendio, *fol.297. num.9.* & alia bulla Clementis VIII. ann. 1602. die 13. Iulii, quæ incipit: *Cum dudum*, & habetur authentica in noſtro compend. folio 184. Vnde colligitur, quod privilegia noſtræ Carmelitanæ familiæ, ſemper manent confirmata, per confirmationes factas ſpecialiter aliis Religionibus, quæ noſtra privilegia participant, ſi confirmatio extendatur ad propria, & communicata; ut extenditur conceſſa Fratribus Dominicanis à Iulio III. die 10. Iulii anno 1551.

CAPUT III.

De privilegiis regularium, circa pertinentia ad Religionem in communi.

POSTQUAM duobus præcedentibus Capitibus, egimus de privilegiis in communi, & eorum ceſſatione; reſtat, quod de aliquibus in particulari ſermonem faciamus. Sed de omnibus agere, quæ ad diverſos ſtatus ſpectant, eſſet res ardua, & longiſſima. De aliquibus jam alibi egimus; ſi quidem de privilegio fori, & Canonis pertinente ad omnes perſonas Eccleſiaſticas, egimus *tom. 2. huius Curſus, tract. 8. de Ordine cap.7. per totum.* De Officio divino celebrando tempore interdicti pro omnibus etiam Eccleſiaſticis, eodem *tom. tract. 10. de cenſuris, cap.7. à num 63.* De privilegiis Equitum militarium egimus ſupra hoc volumine *tract.15. de ſtatu Religioſo, cap.1. à num.7.* quare modo de privilegiis regularium in particulari ex profeſſo loquimur. Sed adhuc de iſtorum aliquibus privilegiis alibi actum eſt: nam de privilegiis Novitiorum diximus *hoc tom. 4. tract. 15. cap.2. à num.85.* De privilegiis in Ordine ad recitationem Officii divini, *tr.16. de Horis Canonicis, cap.3. punct.7. per totum.* De privilegiis, quibus funguntur in Ordine ad anticipandam, vel poſtponendam horam Sacrificii Miſſæ, *dicto tract.15. cap.7. à num. 92.* & de privilegiis celebrandi in particularibus oratoriis ibi *à num. 97.* ¶ Quare de privilegiis particularibus hoc, & ſequenti capite tractabimus. In iſto vero de his, quæ pertinent ad Religionem in communi; in ſequenti vero de illis, quæ ad particulares Religioſos ſpectant, tam in Ordine ad ſe, quam in ordine ad ſæculares, relictis illis, quæ jam à nobis ſunt alibi adducta, & explicata. Nam de facultate & privilegiis, quæ ſunt in Religionibus ad expellendos crimínoſos, loquuti ſumus *tract. 15. cap. 5. à num.83.* De privilegiis Religionum, ut à ſententiis Prælatorum non detur appellatio, eodem tractatu actum eſt *c.7. à num.10.* De privilegiis, ut poſſint bona mobilia, & immobilia alienare abſque ſolemnitate juris, eodem *cap. 7. à num.27.* quare hoc Caput continet ſex Puncta.

PUNCT. I. DE *privilegio exemptionis, competente regularibus, à juriſdictione Epiſcoporum*, num.1.

§. I. *Quid nomine exemptionis intelligatur in præſenti? à quibus fit? & qui gaudeant hoc exemptionis privilegio?* n 1.

§. II. *Qualiter regulares exempti ab ordinariis locorum, dependeant ab eis quoad aliqua privilegia?* num.10.

§. III. *An ordinarii poſſint per cenſuras regulares exemptos compellere, quoad ea, in quibus ex jure ſunt illis ſubiecti?* n.20.

§. IV. *An regulares exempti, teneantur legibus Diœceſanis ab Epiſcopis impoſitis?* n.25.

§. V. *Poſſintne Ordinarii locorum viſitare perſonas, Eccleſias, Monaſteria, Parochias, Confraternitates regularium exemptorum?* n.31.

§. VI. *Qualiter in cauſis criminalibus dependeant Religioſi exempti ab ordinariis?* n.43.

PUNCTUM

PUNCT. II. *De privilegio regularium exemptionis à ſolutione decimarum*, num.52.

§. I. *Quotuplex ſit decima, quo iure debeatur, ex quibus rebus, quibus, in quo loco, & à quibus ſit ſolvenda?* n.55.

§. II. *Qualiter iure communi Religioſi communiter viventes exempti ſint à ſolutione decimarum?* n.63.

§. III. *De privilegiis conceſſis Religionibus extra corpus iuris, circa exemptionem ſolutionis decimarum?* n.72.

PUNCT. III. *De privilegio immunitatis conceſſo regularium Monaſteriis, Eccleſiis, ac domibus eorum*, num.81.

§. I. *Quibus locis ſacris hoc privilegium immunitatis conveniat*, n.84.

§. II. *Quæ perſonæ hoc gaudeant immunitatis privilegio?* n.89.

§. III. *De criminoſis, qui ab hac Eccleſiæ immunitate excluduntur*, num.96.

§. IV. *Quos effectus habeat immunitas Eccleſiæ hactenus ſtabilita?* n.109.

§. V. *Quam pœnam, & culpam incurrant indebitè extrahentes delinquentem à loco ſacro*, n.114.

§. VI. *Quomodo confugientes ad Eccleſiam tradi, vel non, poſſint iudici ſæculari, puniendi*, n.119.

PUNCT. IV. *De privilegiis nova Monaſteria fundandi, conceſſis regularibus, ea mutandi, transferendi, deſerendi, vel etiam reuniendi*, n.124.

§. I. *Quid requiratur ad erectionem novi Monaſterii ex Concilio Tridentino, Clemente VIII. Gregorio XV. necnon & Urbano VIII.* n.126.

§. II. *Qualiter in erigendis novis Monaſteriis ſervanda ſit certa diſtantia, inter unum Monaſterium, & aliud?* n.137.

§. III. *Qualiter, & quo iure poſſint regulares ſua Monaſteria mutare, ſeu de uno in alium locum transferre?* n.141.

§. IV. *An, & quomodo regulares deſerere poſſint Monaſteria ædificata?* n.146.

§. V. *Qualiter regulares unire poſſint duo, aut plura Monaſteria, & unum alteri incorporare*, n.149.

PUNCT. V. *De privilegiis eligendi iudicem conſervatorem regularibus conceſſis*, n.152.

§. I. *Diverſa proponuntur privilegia pro conſervatoribus eligendis, qualiter deſignati teneantur electionem acceptare, & modus, quo eligendi ſunt explicatur?* n.153.

§. II. *Quas qualitates debeant habere, qui ſecundum prædicta privilegia, & ſanctiones Apoſtolicas inſtitui poſſunt iudices conſervatores?* n.160.

§. III. *Ad quid ſe extendat poteſtas, & iuriſdictio iudicum conſervatorum?* n.168.

PUNCT. VI. *De privilegiis regularium, ut poſſint in ſuis Eccleſiis ſepeliri, qui eligunt in eis ſepulturam*, n.178.

§. I. *Quid ſit ſepultura Eccleſiaſtica, à quibus eligi poſſit? & quando non eligitur, quo in loco fieri debeat?* n.179

§. II. *Quibus ex iure neganda eſt ſepultura Eccleſiaſtica?* n.192.

§. III. *Qualiter eligentes in Eccleſiis regularium ſepulturam, poſſint ab eis ſepeliri*, n.204.

§. IV. *De portione Canonica Epiſcopis debita, & quarta funerali ſolvenda parrochis*, n.215.

§. V. *Privilegia, quibus Carmelitæ Diſcalceati, à ſolutione quartæ funeralis eximuntur*, n.219.

§. VI. *Quæ Religiones ſint à ſolutione quartæ funeralis exemptæ? & quid teneantur ſolvere, quæ illam reddere tenentur*, n.228.

PUNCTUM I.

De privilegio exemptionis competenti regularibus à iuriſdictione Epiſcoporum.

DE duplici exemptione regularium poſſemus loqui in præſenti. Primo de exemptione à poteſtate ſæculari tam in civilibus, quam in criminalibus; ſed quia de iſta latè egimus *tom.2. huius Curſus tract.8. de Ordine, cap.7. à num.1.* tractantes de exemptione clericorum, & de immunitate Eccleſiaſtica, quæ communis eſt omnibus perſonis Eccleſiaſticis tam regularibus, quam ſæcularibus; ideo de hac nihil in præſentiarum agemus. Alia eſt exemptio à iuriſdictione, regimine, & poteſtate dominorum Epiſcoporum, de qua in præſenti erit ſermo. Quæ materia latiſſima eſt, & pluribus amfractibus implicata ob plura privilegia, bullas, & decreta, & ſacræ Congregationis declarationes, hinc inde exorta; nam cum ordinarii locorum ægrè ferrent hanc abſolutam regularium exemptionem; plurimas lites, & iurgia inter illos fuerunt diverſis temporibus dimanata, & circa bullarum, & circa privilegiorum intelligentiam. Ob quod ad Apoſtolicam ſedem (ut par erat) recurrentes, diverſa ſunt ab illa decreta expedita

Proponitur exemptio de qua modò eſt agendum.

expedita, alia ampliativa, alia reſtrictiva juriſdictionis ordinariorum in regulares; diverſæque ſunt, & multoties oppoſitæ declarationes Sacræ Congregationis inductæ; unde novæ lites paſſim dimanarunt. Quare nos in præſenti, quæ communiora, & magis ad praxim neceſſaria ſunt proponemus: præcipue Sacroſancti Concilii Tridentini veſtigiis inhærentes, & exemptionem adeo favorabilem Religionibus defendemus, & ſubjectionem debitam Dominis Epiſcopis ab ipſis præſtandam declarabimus. Ob idque claritatis gratia hoc Punctum diverſis §§. dividemus.

---

§. I.

Quid nomine exemptionis intelligatur in præſenti? à quibus ſit? & qui gaudeant hujuſmodi exemptionis privilegio?

Quid ſit exemptio de qua agitur, & an jure antiquo habeatur.

1. EXemptio, quæ nihil aliud eſt, quam eductio, ſeu liberatio alicujus, de poteſtate alterius, in præſenti accipitur pro illa eductione, qua Religioſi, qui ſub juriſdictione, regimine, & correctione Epiſcoporum degebant; à tali ſubjectione educti ſunt; & ſub regimine ſuorum Prælatorum conſtituti tam in civilibus, quam in criminalibus; & omnes uni capiti, tanquam generaliſſimo omnium Religionum, qui eſt Summus Pontifex, immediatè ſubjecti: unde deſcribi poſſet talis exemptio dicens: *Quod eſt quædam liberatio à poteſtate ordinaria inferiori Papa, ſtante immediata ſubjectione ad Romanum Pontificem.* Quæ exemptio aliqui dicunt ex jure communi antiquo competere regularibus. Alii per oppoſitum id negant propter diverſa jura hinc inde adducta, & explicata, quæ conciliari poſſent dicendo, ex jure communi exemptos fuiſſe regulares à lege Diœceſana Epiſcopi; non autem à lege juriſdictionis, ut inquit Sanchez *tom. 1. conſilior. lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 8.* Vel ut melius dicit N. Lezana *tom. 2. verb. Epiſcopus quoad regulares, n. 26. & verb. exemptio regularium, num. 4.* quem ſequitur Hieronymus Garcia *in Politic. regular. tom. 1. tract. 8. diff. 3. dub. 1. num. 1.* ſi dicatur Monachos jure communi exemptos eſſe ab ordinariorum juriſdictione, quantum ſpectat ad regularem obſervantiam; non vero quantum ad vim directivam, & coactivam, & colligitur *ex cap. nullam 18. quæſt. 2.* ubi dicitur: *Clerici ſingulorum Monaſteriorum ſint in poteſtate Epiſcoporum*; ſed etiam additur: *quod ea quæ pertinent ad divini cultus reverentiam, & utilitatem Monaſterii, ad Abbatem expectant.* Quod conſtat ex præſenti uſu Eccleſiæ: nam Monaſteria quoad juriſdictionem ſubjecta ordinariis, ſubduntur ſuis Prælatis quoad regularem obſervantiam, *c. nullus, de elect. in 6.*

Ex quibus privilegiis, & quibus illorum clauſulis, hæc exemptio colligatur?

2. Sed quidquid ſit de hoc, certiſſimum eſt omnes ferè regulares (aliquibus dumtaxat particularibus Monaſteriis exceptis) ſaltim ex privilegiis Pontificum, à juriſdictione Epiſcoporum omnino eſſe exemptos, ut ex variis privilegiis conſtat, quæ videri poterunt apud Caſatub. *in Compend. privilegiorum, verb. exemptus.* Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. diſp. 15. q. 4.* Sanch. *ſup. num. 11.* Lezana *verb. exemptio num. 4.* Barboſ. *de Officio, & poteſtate Epiſcop. allegation. 105. & de jure Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 12. num. 35.* Navarr. *in lucern. regul. verb. exemptio.* Quare omnes Prælati regulares habent in propriis Monaſteriis, & Eccleſiis juriſdictionem pleno jure, quaſi Epiſcopalem, juxta doctrinam Gloſſæ communiter receptam: *in Clement. de rebus Eccleſ. non alienand. verbo proprii*, uti aſſerunt Barboſa *dicta allegat. 105. num. 3.* ¶ Verba autem, quibus in privilegiis denotatur talis exemptio, ſunt illa, vel ſimilia, quibus uſus fuit Ioannes XXII. pro exemptione Ordinis Carmelitarum: *à cujuſcumque Diœceſani, & cujuſlibet alterius poteſtate juriſdictione: & dominio omnino eximimus.* Vel ſi dicat: *eximimus cum plena libertate.* Vel ſi dicat: *Eccleſia vel Religio gaudeat libertate Eccleſiæ*; vel, *quod Epiſcopus non audeat illic Cathedram collocare ſeu aliquod imperium exercere.* Vel illa: *Soli Romano Pontifici, vel Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjicimus, aut ſubjicere volumus.* Vel illa: *recipimus in proprios, ſeu ſpeciales ſubjectos*; non vero ſi dicatur: *Suſcipimus ſub defenſione, vel ſub protectione, ex cap. ex parte 2. de privilegiis.* Nec ſi dicat: *Suſcipimus in proprios filios*, ut perperam aſſerit Rodriguez *qq. regular. tom. 2. quæſt. 63. art. 3.* Quia nec per hoc, quod Pontifex ſub ſua protectione regulares accipiat; nec per hoc, quod ſuſcipiat ut proprios filios, denotat ſpecialem ſuper illos ſuperioritatem, nec eos à ſubjectione, quam habebant liberat. Sic docent Sylveſter *in Summ. verb. exceptio, q. 4.* Barboſ. *de officio, & poteſt. Epiſc. allegat. 123. num. 11. 20. & 26.* Tambur. *tom. 1. diſp. 15. q. 5. à num. 15.* Lezana *verb. exemptio num. 6. & 7.* Garcia *tract. 8. diff. 3. dub. 1. num. 2.* Peyrin. *tom. 1. ſuor. privileg. conſtitut. 2. Sixti IV. §. 9. num. 10.* Sanchez *conſil. tom. 2. lib. 6. cap. 9. dub. 1. n. 4.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 25. initio, & 14. in comment. littera M.*

Exemptio regularium eſt non ſolùm quoad perſonas; ſed etiam quoad loca.

3. Veruntamen exemptio poteſt eſſe duplex; alia *perſonalis*, alia *localis*. *Perſonalis* eſt, quando ipſæ perſonæ eximuntur immediatè, & per ſe, ſeu ratione ſui: & hæc perſonalis exemptio comitatur perſonam, quocumque pergat, & ubicumque ſit, fruitur tali privilegio. *Localis* eſt, quæ immediatè, & per ſe datur loco, non vero perſonis, niſi prout in illo loco exiſtentibus: ut ſi alicui Parrochiæ concedatur privilegium, ut non poſſit interdici; hoc non afficit perſonas immediatè, & ſic extra illum locum poſſunt interdicto ſubjacere: in illo vero loco, ratione loci, non poſſunt interdici, ideoque in illo loco poſſunt divina celebrare, & illis intereſſe. Regulares vero non ſolum ſunt exempti quoad perſonas; ſed etiam quoad ſua loca, Monaſteria, & Eccleſias, quod malè negavit Suarez *de cenſuris, diſput. 5. ſect. 4. num. 6.* aſſerens Monaſteria dici loca exempta quoad perſonas tantum, non vero etiam quoad ſe. Sed oppoſitum eſt verum, & communiter receptum. Tum: quia Epiſcopi nec Monaſteria, neque Eccleſias regularium viſitare poſſunt, ut videre eſt apud Tridentinum *cap. 8. ſeſſione 7.* quod infra latius probabimus: ſed ſi perſonæ tantum, non loca exempta eſſent, viſitari poſſent per Epiſcopum, quia Eccleſia, & loca nedum ratione perſonarum, ſed etiam ratione ſui viſitantur. Tum etiam: quia ex privilegiis conſtat, non ſolum Religioſos, ſed etiam Monaſteria, & Eccleſias eſſe ab Epiſcopi juriſdictione liberas, ut conſtat ex Bonifacio IX. conſtitutione Sacræ Religionis apud Confectium, & Nicolai V. conſtitut. *Et ſi cunctorum*, apud eundem Confectium, *pagin. 43.* ubi inter alia

ſic

ſic dicit : *Quod licet ipſi Fratres, ipſorumque domus, & loca per ſpeciale Sedis Apoſtolicæ privilegium ab omni iuriſdictione, & ſuperioritate quorumcunque ordinariorum ſint exempti, &c.* & Sixtus IV. apud eundem Confectium *pagin.*64.ubi ait : *Diſtinctius inhibemus ne quiſquam abſque dictæ Sedis Apoſtolicæ ſpeciali commiſſione, in perſonas, domus, & loca dicti Ordinis, utpote prorſus exempta, &c.* & infra : *aut in perſonas, domus, & loca huiuſmodi aliquam præeminentiam, vel ſuperioritatem, & iuriſdictionem quomodolibet exercere præſumant :* ſunt ergo exempti regulares non ſolum ratione perſonarum; ſed etiam ſuorum locorum, in delictis, contractibus, & rebus ita, quod nec cenſurari, aliove modo puniri poſſint ab Ordinariis, nec Epiſcopi poſſint exercere aliquam juriſdictionem, aut præeminentiam in eorum locis. Sic Bonacin. *diſput.*1. *de cenſuris, q.*1.*punct.*5.*num.*18.Paulus Eſquilante *de privileg.cleric.cap.*2.*dub.*6.*num.*68 Bordon.*reſolut.*7.*num.*4. Quod magis conſtabit ex his, quæ infra dicemus.

Non eximũtur à iuriſdictione legati à latere, bene tamen aliorũ legatorum.

4. Nomine autem Ordinarii à cuius juriſdictione eximuntur regulares, intelliguntur Epiſcopi, Archiepiſcopi, & eorum Vicarii. An vero etiam intelligantur Legati Papæ? ¶ Reſpondetur ſub diſtinctione : vel enim ſunt legati à latere, & talibus ſubjecti ſunt regulares exempti. Tum : quia *in cap. Abbatem, de elect. in* 6. *cap.* 1. *de verborum ſignif. eodem lib.* quantum ad juriſdictionem in exemptos parificatur legatus à latere Papæ. Tum etiam : quia eſto quoad aliqua privilegia Religionum Legatos etiam à latere (qualiter communiter eſt Nuntius Hiſpaniæ) à ſui juriſdictione excludat; per litteras autem ſuæ delegationis ut in plurimum derogantur. Quorum tenores attendendi ſunt in hac parte, vel de aliis Legatis, qui dicuntur *Miſſi*, aut Nuntiis Apoſtolicis : & iſti cum ſint verè Ordinarii, nomine ordinariorum veniunt in exemptionis privilegiis. Peyrin. *tom.*1. *privileg. Minim. circa conſtitut.*2. *Sixti IV.* §.7. Sanchez *ſup. dub.*1. *num.*19. Tabiena *Legatus, q.*2.*num.*3. D. Antonin. 3.*part. titul.*5. *cap.*3 §.1. Barboſ. *de iure Eccleſ. lib.*1. *cap.* 5. *num.*77. Diana *part.*1, *tract.*5. *reſol.*16. Pelliaxar. *tract.*8. *cap.*6. *ſect.*1. *num.*2. Lezana *tom.*1. *cap.*11. *num.*18. & *tom.*5. *verb. exempt. num.* 5. Rodriguez *tom.*2. *quæſt.* 63. *art.*4. ubi adducit privilegium Sixti IV. pro Carmelitis, ubi hæc dicit : *Nuntius Ordinarius, ſeu Legatus quavis authoritate, utens quacumque authoritate ſuper prædictos Fratres, ſibi vendicare non præſumat.* Quod privilegium etiam ſi legatos à latere comprehendat, ſicut aliud, quod refert Naldus *verb. exempt. num.* 5. quo clerici regulares eximuntur à quacumque juriſdictione Ordinariorum, etiam Legatorum à latere : ſed hæc intelliguntur, quantum eſt ex vi privilegiorum, ſecluſa revocatione per litteras ſuæ legationis, ut Sanchez, Rodriguez, Peyrin. Naldus, Lezana, & Pelliz. aſſerunt.

Regulares citati ab Epiſcopo, comparere non tenentur.

5. Cæterum cum ſit adeo certum, commune, & ad praxim deductum hoc exemptionis privilegium, ſi circa illud citentur regulares ab aliquibus ordinariis, non tenentur comparere, eſto tamen comparere velint (quod certè pro bono pacis, æquum eſt, ut faciant) ut allegent ſuæ exemptionis privilegium; non tamen tenentur illud coram ipſis exhibere : quia licet cum exemptio aliqua particularis non eſt notoria, teneantur qui eam allegant exhibere coram Ordinariis, intra terminum ab ipſis præſcriptum, ſuæ exemptionis privilegium, *cap. cum perſonæ, de privileg. in* 6. quando vero eſt notoria id non tenentur facere, ut colligitur *ex Clementina Paſtoralis*, § *notorium, de ſentent. & re iudic.* Cum ergo notiſſimum ſit in orbe, regulares exemptos eſſe tam in civilibus, quam in criminalibus ab ordinariorum juriſdictione; non tenentur iſti, ſuæ exemptionis privilegium, coram illis exhibere : ſed poſſunt caſu, quo ab ordinariis citentur, ſuam exemptionem defendere reſpondendo, ſe ab illorum ſubjectione exemptos eſſe, ac proinde ab eorum juriſdictione declinare, & ad conſervatorem recurrere, ut dictos inhibeat ordinarios. Tambur. *tom.*1. *diſput.*15. *quæſt.*6. Lezana *tom.* 1. *cap.*11. *num.*15. & *tom.*2. *verb. exemptio, num.*14. Henriquez *lib.*7. *cap.*55. *num.*7. *litter. F*, Sanch. *tom.*5. *conſil. lib.*6. *cap.*9. *dub.*4. Peyrin. *loco citato*, §.4. *num.*5. Garcia *dub.*1. *num.*3. Villalobos *tom.*5. *tractat.*35. *diff.*4. *num.*5. Rodrig. *tomo primo, quæſtione* 16. *artic.*15. Pellizaar. *num.*86 ¶ Quod ſi adhuc ordinarius nolit ſe inhibere, debet Conſervator ipſum ad id cogere per cenſuras donec obediat, ſe inhibendo, vel recurrendo ad Papam. Sanchez, & Pellizxar. *locis citatis*. Qui monent, cavendum eſſe regularibus, ne privilegium exemptionis Ordinario præſentent, cum id ſit conſtituere illum judicem exemptionis ipſis competentis, & vertere in dubium, an juriſdictio illius, ad ipſos pertingat?

In dubiis de privilegio exẽptionis non Epiſcopus, ſed Pontifex poteſt ſententiam proferre.

6. Sed duo ſunt notanda in præſenti. Primo : quod ſi in aliquo caſu particulari dubitetur de juriſdictione Epiſcopi circa regulares, quia non ſunt clara, & certa privilegia exemptionis; in illo caſu non pertinet ad Epiſcopum dubium declarare, aut privilegium exponere; ſed ad Sedem Apoſtolicam recurrendum. Tum : quia cum agatur de exemptione ab eius juriſdictione, in propria cauſa judex exiſteret. Tum etiam : quia hoc ex jure communi hoc illis prohibitum eſt *in cap. cum venisſent, de judiciis.* Ubi Pontifex ſibi ſoli reſervat cognitionem dubiorum de privilegiis Apoſtolicis. Tum denique : quia id habetur ex multis privilegiis, in quibus Pontifex dubia decidere circa privilegia Religionum, ſibi reſervat, & avocat : cui injuria irrogaretur, ſi alius hoc ſibi munus ſuſciperet. Sic conceſſit Clemens IV. Iulius II. & Paulus III. & alii. Baſſæus *verb. exemptio, num.* 5. Sanchez *ſupra dub.* 1. *num.*34. Tambur. *quæſtione* 6. Pelliazar. *tractatu* 8. *cap.*1. *ſect.*6. *quæſtione* 1. Henriquez *lib.*7. *de Indulgent. cap.*55. *num.*6. Lezana *verb. exemptio, num.*14. & *verb. privileg. num* 11. Bordon. *reſolut.* 7. *num.* 99. Garcia *tractatu* 8. *diff.*3. *dub.*1. *punct.* 1. *num.*1. Rodriguez *quæſtionum regularium, tom.*1. *quæſtione* 56. *artic.*12. §. *ſexta*, & *tom.*5. *quæſtione* 63. *artic.*7. §. *ſecunda*. Poteſt vero Epiſcopus per viros doctos privilegium dubium exagitare coram Superiori Religioſo contra quem procedere intendit. ¶ Secundo notandum eſt, quod privilegium exemptionis, quamvis quia cedens in præjudicium tertii, debeat ſtrictè interpretari; quia tamen conceſſum eſt in favorem totius Religionis, eſt latè interpretandum : *Quia ſumma eſt ratio, quæ pro Religione facit, l. ſunt perſonæ, ff. de relig. & ſumptib. funer.* Sanchez *dub.* 1. *numero* 40. Pellizxar. *cap.*1. *ſect.*6. *quæſt* 6. & *cap.*6. *ſect.*6. *num.*80.

num. 86. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 24. *num.* 4. & *cap.* 30. *num.* 1. Quod idem de omnibus privilegiis toti Religioni conceſſis in perpetuum diximus *cap.* 1. *huius tractatus num.* 74. & tenent Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſputatione* 1. *num.* 3. Caſtro Palau *tractatu* 3. *diſputatione* 4. *punct.* 3. *num.* 5.

Non poſſũt regulares privilegio exemptionis renuntiare.

7. Huic privilegio exemptionis Religioſi minime cedere poſſunt, *cap. cum tempore, de arbitris:* quia hoc cederet in præjudicium ſtatus Religionis, cui per ſe principaliter conceſſum eſt. Quemadmodum Eccleſiaſtici nequeunt cedere privilegio fori, aut Canonis, in favorem totius cleri introducti, *cap. ſignificaſti, de foro competenti.* Vnde regulares abſque licentia Pontificis, non poſſunt tacitè, vel expreſsè privilegio exemptionis renunciare, ut dicto *cap. cum tempore,* §. *finali*, habetur: quia exceptio ab Ordinariis, facit eos immediatè ſubjectos Sedi Apoſtolicæ; in cujus injuriam, & damnum cederet, hoc ipſo, quod ſe ſubſtraherent ab immediata ſubjectione Papæ, ſe ſubjiciendo Ordinariis, exemptionis privilegio renuntiando. Pellizaar. *tractatu* 8. *cap.* 6. *ſect.* 1. *num.* 35. & 41. Lezana *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 5. & *tom.* 4. *verb. privileg. num.* 14. Rodriguez *quæſtione* 63. *artic.* 10. Hieronymus Garcia *in Polític. regul. tomo primo, tractatu* 8. *diff.* 2. *dub.* 4. *punct.* 2. *num.* 14. Baſſæus *verb. exemption. num.* 6. Ledeſm. *tomo ſecundo, tractatu* 1. *cap.* 6. §. *la tercera diffinicion.* Peyrin. *conſtitut.* 2. *Sixti IV.* §. 7. *num.* 4. Diana 3. *part. tractatu* 2. *reſolut.* 63. *num.* 23. Unde fit nullam conſuetudinem in contrarium prævalere poſſe, nullumve uſum, etiamſi ob illum ſint ordinarii in poſſeſſione regulares judicandi: quia eatenus talis poſſeſſio, aut uſus illis favere poſſet, quatenus tacitam renunciationem includit, quam à regularibus præſtari non poſſe diximus.

Omnes regulares utriuſque ſexus, & Tertiarii gaudent exemptionis dicto privilegio.

8. Et ſi roges primo: quæ perſonæ hujuſmodi privilegio exemptionis ab Ordinario potiantur? ¶ Reſpondetur, omnes Religioſos, qui verè tales ſunt cum tribus votis ſubſtantialibus, ſive viri ſint, ſive fœminæ, & Donati, vel Converſi, qui veram profeſſionem trium votorum emiſerunt, quomodo ſunt veri Religioſi ut ſunt noſtri Donati. Vel certè, ſi non emiſerunt talem profeſſionem, ſed omnia ſua irrevocabiliter tradiderunt Monaſterio, nihil ſibi reſervando, & habitum aliquomodo mutaverunt. Lezana *cap.* 8. *num.* 8. Pellizaar. *cap* 6. *ſect.* 1. *num.* 6. ¶ Etiam Novitii dicto gaudent privilegio, ita ut non poſſit Ordinarius de delictis ab ipſis in ſæculo, & multo minus in Religione perpetratis cognoſcere: quia Novitius in favorabilibus venit appellatione Religioſi, & gaudet privilegiis Religionis, ut ſupra diximus. Garcia *tractatu* 8. *diff.* 3. *dub.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. Rodriguez *quæſtionum regularium, tom.* 2. *quæſt.* 66. *art.* 2. ¶ Similiter Tertiarii cujuſcumque Ordinis, qui ſi fuerint viri collegialiter vivant, & in Clauſtris habitent; ſi fœminæ vitam cœlibem expreſſo voto ducant ſub habitu Tertii Ordinis; cæteri vero, minimè: quia ex una parte Sixtus IV. in bulla, *Dum attenta*, quæ eſt mare magnum Ordinis, conceſſit Tertiariis Carmelitis, *Vt gaudere poſſint, & debeant tam exemptionis privilegio, quam omnibus immunitatibus, libertatibus, Indulgentiis, & aliis privilegiis quibuſcumque præfato Ordini Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, eiuſque Fratribus, ac perſonis per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & quæ in poſterum concedentur.* Quod & aliorum Ordinum Tertiariis, alii Pontifices conceſſere. Et ex alia Leo X. in Concilio Lateranenſi ſtatuit, ut illi ſolum Tertiarii uterentur iſta conceſſione, qui qualitates jam recenſitas haberent. Lezana *tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 26. Bordon. *tom.* 1 *reſolut.* 7. *num.* 14. Pellizaar. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 5. *ſubſect.* 1. *num.* 212. ¶ Etiam famuli regularium, quoad aliqua ſunt exempti à juriſdictione Ordinarii, ſi actu ſerviant, & reſideant in Monaſteriis; nimirum quoad Sacramentorum adminiſtrationem, & quoad cenſuras, cum tales nec interdici, nec excommunicari ab Epiſcopo poſſint, juxta conceſſionem bullatam Alexandri IV. quam refert Caſarub. *in Compend. verb. familiares, numero* 11. Peyrin. *in conſtitut.* 1. *Iulii II.* §. 11. Pellizzar. *cap.* 6. *ſect.* 1. *num.* 7. ¶ Apoſtatæ autem, aut fugitivi, ſive habitum deferant, ſive relinquant, non gaudent omnino tali privilegio, ſiquidem juxta decretum S. Congregationis, juſſu Vrbani VIII. editum; quo refertur *in tom.* 4. *bullar. conſtitut.* 6. *Vrbani VIII.* poſſunt, & debent ab Epiſcopo loci ubi moram trahunt comprehendi, ac Superioribus regularibus conſignari, & ſecundum regularia ſtatuta puniendi. Barboſ. *de iure Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 11. Garcia *ſupra num.* 3. Lezana *tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 17. Qui addunt, quod juxta ordinem Tridentini *ſeſſion.* 7. *cap.* 3. *de reformation.* Si longè diſtent à ſuis Conventibus poſſunt, & debent Ordinarii monere illos, ut redeant: & ſi hoc non proſit, eos in carcere, & pœnis condignis, pro Apoſtatis, & fugitivis punire. Quod extendit Concilium ad eos, qui retento habitu divagantur, ratione, aut prætextu alicujus privilegii ſui Ordinis: quod expreſsè ſtatuit Clemens VIII. in quadam bulla edita anno 1596. & eſt 3. in Ordine hujus Pontificis in bullario Cherubini, quam explicat N. Lezana *tom.* 1. *c.* 26. *n.* 26. & 27.

9. Rogabis ſecundo, an tale exemptionis privilegium competens regularium Monaſteriis ſuffragetur etiam perſonis ſæcularibus ibi exiſtentibus: ob idque delinquentes in Monaſteriis regularium, non ſubjaceant pœnis latis ab Ordinario contra taliter delinquentes? ¶ Reſpondetur affirmativè. Quare ſi excommunicatio eſſet impoſita contra ludentes ad alea, vel eſſet tali die jejunium præceptum ab Epiſcopo, ſicut non teneretur jejunio, aut incurreret excommunicationem extra Diœceſim exiſtens, ut omnes aſſerunt; ſic neque qui intra Diœceſim degeret, ſi intra Monaſterium eo die eſſet, vel intra illud luderet. Quod immerito negat Suarez *de cenſur. diſputatione* 5. *ſection.* 4. *num.* 10. Salas *de legib. diſputatione* 14. *ſection.* 6. *num.* 85. Alterius *de cenſur. diſputatione* 5. *lib.* 3. *cap.* 5. Sed reſolutio præſens conſtat ex à nobis dictis *tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſur.* & probatur. Tum: quia juriſdictio Epiſcopi non extenditur ad alienum territorium, *cap. ut animarum, de conſtitut. in* 6. Sed Monaſterium exemptum, eſt alienum territorium reſpectu Epiſcopi: ergo ſicuti ob id ſtatuta Epiſcopalia non afficiunt loca exempta, ſic nec perſonas ibi exiſtentes, licet alias eſſent ſubditæ. Tum etiam: quia licet Monaſteria exempta non ſint extra Diœceſim materialiter, ſunt formaliter; ſiquidem locus exemptus, & locus extra Diœceſim

æquipa

æquiparantur, *juxta Gloſſam in Clementin. n.11. de foro competent.* Unde, ſicut ſtatuta Diœceſana non obligant extra Diœceſim, ſic non obligant intra exemptorum monaſteria. Sic Naldus *verb. exemptio, num.* 1. Peytin. *tom.* 1. *privileg. conſtitut.* 2. *Sixti IV. num.* 9. Bordon. *reſolut.* 13. *num.* 12. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 6. *ſect.* 1. *num.* 88. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 5. Garcia *tract.* 8. *diff.* 3. *dub.* 2. *num.* 1. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 66. Theophilus Raynaudus *tract. de monitionib. part.* 1. *cap.* 1. *q.* 9. Ceſpedes *de exempt. diſputat.* 227. Avila *de cenſur. part.* 2. *cap.* 3. *dub.* 5. Fagundez *de precept. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. & 8. Bruno Caſſaing. *tract.* 2. *cap.* 3. *propoſit.* 5. Henriquez *in ſumm. lib.* 13. *cap.* 26. §. 1.

---

§. II.

Qualiter regulares exempti ab Ordinariis locorum, dependeant ab eis quoad aliqua civilia?

Erigere nova monaſteria nequeunt regulares ſine Epiſcopi licentia.

10. NOmine rerum civilium in hoc §. omne id intelligimus, quod à criminalibus rebus diſcernitur, ſive ſit in actionibus, cauſis, aut rebus. Quamvis ergo dicta exemptio regularium ſit adeo generalis; non tollit, quod in aliquibus rebus limitetur, & in illis à jure divino, vel humano Epiſcopis ſubjiciantur. De ſubjectione illorum circa adminiſtrationem Sacramentorum, dicemus *cap. ſequent.* Quantum ad ſuſceptionem ordinum diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *de ordin.* Quoad renunciationem faciendam à novitiis diximus *hoc tomo, tract.* 15. *cap.* 3. *num.* 104. In primis ergo regulares exempti ſubduntur ordinariis, quantum ad hoc, quod ſine ipſorum licentia petita, & obtenta nequeant de novo erigere monaſteria, *cap. quidam*, cum quatuor *ſequentib.* 18. *quæſt.* 2. Trident. *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 3. etſi forte religiones habent privilegia, ut abſque tali licentia id poſſent, illis in præſentiarum uti non valent propter conſtitutionem Urbani VIII. editam 28. Auguſti 1624. revocantem omnes licentias, & facultates à Romanis Pontificibus ad id conceſſas, & præcipiendo ut omnino circa hoc obſervetur decretum Tridentini, & diſpoſitio Clementis VIII. conſtitut. *Quoniam* data 23. Iulii 1603. in qua mandavit ne Epiſcopi deinceps hujuſmodi licentiam darent, niſi prævio conſenſu aliorum intereſſe habentium. Et Gregorius XV. conſtitut. *Cum alias* 17. Auguſti 1621. in qua prohibuit, ne talis licentia concederetur niſi in eo conventu noviter recipiendo, poſſent ſuſtentari ex redditibus, & eleemoſynis duodecim religioſi; quod non habere locum in hoſpitiis aſſerit Peytin. *tom.* 3. *de privilegiis, cap.* 12. *pagin.* 307. *numero* 3. & ex Ritio, & Barboſa, Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 7. *num.* 114. ſed de hoc latius in *hoc cap.* dicemus *punct.* 4. §. 1. *per totum.* ¶ Habet etiam Epiſcopus in regulares juriſdictionem, quantum ad hoc, quod non poſſint recipere Eccleſias à ſæcularibus, ſine illius expreſſa licentia. *Cap. Decimas* 16. *q.* 7. *cap. nullus de jure patronat.* Quod intelligitur de receptione Eccleſiarum à laïcis, non de receptione juris patronatus in Eccleſiis, quod recipere poſſunt à laïcis, ſine ordinarii conſenſu. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *de Simonia, cap.* 28. *n.* 16. Lezana *tom.* 2. *verbo Epiſcopus, n.* 5.

Abſque licentia ordinarii, libros imprimere non poſſunt regulares.

11. Subduntur ſecundo, regulares exempti ordinariis, quoad librorum impreſſionem quam facere non poſſunt ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis obtenta, quod ſub graviſſimis pœnis cautum eſt in Concilio Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.* 10. Quod poſtea innovavit Tridentinum *ſeſſ.* 4. *decreto de editione & uſu ſacrorum librorum*, ubi ſic dicit: *nulli que liceat imprimere, vel imprimi facere quoſlibet libros de rebus ſacris ſine nomine authoris, nec illos in futurum vendere, aut apud ſe retinere, niſi primum examinati probatique fuerint ab ordinario ſub pœna anathematis, & pecuniæ in canone Concilii noviſſimi Lateranenſis appoſita. Et ſi regulares fuerint, ultra examinationem, & approbationem hujuſmodi, licentiam quoque à ſuis ſuperioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta formam ſuarum ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant, vel evulgant niſi antea examinati eiſdem pœnis ſubjaceant, quibus impreſſores.* (His enim in Lateranenſi Concilio impoſita fuit pœna amiſſionis omnium librorum, & publicæ illorum combuſtionis, & centum ducatorum ſolutionis) *Et qui eos habuerint vel legerint, niſi prodiderint authores, pro authoribus habeantur. Ipſa vero hujuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel ſcripti impreſſi authenticè appareat.*

Aliqua circa decretum Concilii de impreſſione librorum notantur.

12. Circa quod decretum notandum eſt primo, excommunicationem in eo poſitam, cum nulli reſervata ſit, à quolibet confeſſario poſſe tolli juxta dicta *tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſur. cap.* 2. *num..* & modo tenet Peytin. *tom.* 2. *de Prælato, quæſtione* 3. *cap.* 9. *numero* 2. ¶ Secundo, quod licet excommunicatio prædicta Concilii, ſolum afficiat eos, qui libros de rebus ſacris abſque authoris nomine imprimunt, vendunt, aut retinent abſque debita approbatione; verumtamen *in regula* 10. *indicis librorum prohibitorum* authoritate Pii IV. primum editi, & poſtea à Sixto V. aucti, & à Clemente VIII. recogniti, & publicati, generaliter comprehenduntur ſub dicta prohibitione, & anathemate, ſive liber ſit de rebus ſacris, ſive de profanis, ſive cum nomine authoris, ſive abſque illo. Per nomen autem authoris in libris ponendum, ſufficit ſi nomen Collegii, Civitatis, Conventus, vel Communitatis apponatur, quia iſti authores appellari poſſunt, cum in eis author degat, fictione juris. Theſaurus *in praxi, part.* 2. *verb. libri, cap.* 5. Lezana *tom.* 2. *verb. libri, numero* 11. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 17. *quæſtione* 3. ¶ Tertio, quod dictam excommunicationem, aut alias pœnas, non incurrit regularis, qui cum licentia ordinis libros imprimit, etiam ſi id faciat abſque licentia Prælatorum; ſed pœnas in ſuis legibus taxatas: quia excommunicatio, & illæ pœnæ aſſignatæ ſunt pro his, qui abſque licentia ordinarii librum typis mandare audent. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſputatione* 23. *ſect.* 7. Bordon. *tom.* 1. *reſolut.* 38. *numero* 20. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 6. *ſect.* 1. *num.* 58. ¶ Quarto eſſe decretum Sacræ Congregationis apud Gavantum, quem refert, & ſequitur Lezana *num.* 9. ubi præcipitur nihil imprimi pertinens ad ſacros ritus, inconſulta ſacra rituum Congregatione: ex quo inferri videtur inquit Lezana, non poſſe regulares imprimere ceremonialia ſine dicta conſultatione. ¶ Quinto, circa id, quod Concilium dicit: *qui autem ſcripto, &c.* intelligi de libro conſummato, & integro, qualis eſt ille, qui imprimi ſolet, & communicatione facta, ut typis mandetur, vel ſi communicaretur per modum libri, id eſt, ea communicatione, quæ æquivalet impreſſioni; non de

communicatione privata. Sorbus *in additum. ad compend. privilegiorum mendicantium verb. imprimere* §.3. Rodriguez *tom.2. quæſt.*10. *art.*1. ¶ Denique cum in eo decreto ſolum exigatur, quod regularis obtineat licentiam, & approbationem ſui prælati, præciſo ſpeciali ſtatuto; poſſunt omnes prælati reſpectivè talem licentiam præbere, Generalis in toto ordine, Provincialis in ſua Provincia, & Prior in ſuo conventu, ſi habeat ſubditos habiles: vel ipſe ſit ad examinandum librum, quia verè Superior eſt prælatus localis. In noſtra vero familia conceſſio talis licentiæ reſervatur diffinitorio generali.

Alia aperiuntur, in quibus contra regulares habet Epiſcopus authoritatem,

13. Subiiciuntur etiam regulares exemptis Epiſcopis, quoad reſtituenda novitiis nolentibus profiteri ea omnia, quæ tempore ingreſſus ſecum in monaſterium detulerunt: ita ut poſſint ab ordinario ad id compelli, etiam per Eccleſiaſticas cenſuras. Trident. *ſeſſ.*25.*c.*16. de quo latè egimus hoc volumine *tract.*15. *de ſtatu religioſo.* ¶ Habet etiam Epiſcopus authoritatem ſupra diſpoſitionem faciendam à novitiis, ita ut ab ipſis nequeat fieri niſi intra duos menſes ante profeſſionem, & cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarii *ſeſſ.*25. *cap.*16. de quo etiam loco citato tractavimus. ¶ Etiam habet facultatem ſimul cum priori, ſeu prælato immediato religioſi cognoſcendi de nullitate profeſſionis, in his, qui contra eam volunt reclamare, ut late diximus *loco citat. cap.*5. *num.*15.

Explorare poſſunt, & debent ordinarii voluntatem monialis in religione exempta profeſſuræ.

14. Habet etiam authoritatem Epiſcopus, vel eius Vicarius, aut alius ab eo deputatus explorandi virginis ingreſſuræ, aut profeſſuræ in religione voluntatem, an ſponte, an coacte id faciant? *ſeſſ.* 25. *cap.* 7. Quod jus introductum eſt in favorem libertatis puellarum, ne à parentibus coactæ, vel à monialibus allectæ, non autem Spiritu Dei ductæ profiterentur. Sed tenetur ordinarius intra 15. dies poſtquam monitus fuerit, hoc examen perficere, ita ut illis elapſis amplius non ſe debet intromittere, ut conſtat ex declaratione Pii V. & multoties ſic deciſum eſſe referunt Campanil. *in diverſ. verb. canonic. rubric.* 12. *cap.* 16. *num.*10. Navarr. *titul.*18. *de relig. lib.*7. *num.*44. Lezana *tom.*2. *verb. Epiſcop. num.*10. Ex conſuetudine autem receptum eſt, quod non ante receptionem habitus; ſed ante profeſſionem, & ſemel dumtaxat, tale examen fiat. Miranda *in tractatu de Sacris monialib. quæſt.* 8. *art.*4. Diana *tract.*2. *de dubiis regularibus reſolut.*47. Attamen defectus huius examinis non vitiat profeſſionem, cum conſilium non annullet profeſſionem aliter factam: unde licet tale examen prætermittentes peccabunt, profeſſio tamen ſubſiſtet. Sanchez *lib.* 6. *decalog. cap.* 4. *num.* 84. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. allegation.*100. *num.*9. Bruno *tract.*2.*cap.*3. *propoſ.*2. §. *panienda.* Et hoc examen non requiritur, quod fiat exeundo; ſed intra monaſteria debet fieri ad cancellos, ſeu crates monialium. Lezana *tom.* 1. *capite* 25. *num.*12. Campanil. *capite* 16. Gavantus *verb. monialium profeſſio. numero* 14. & 15. Quæ omnia fere ſtatuit Pius V. his verbis: *Volumus etiam quod puellarum Deo dicandarum, an ſcilicet coacta, vel ſeducta fuerint examen faciendum, non niſi intra quindecim dies, poſtquam iuxta Concilium Tridentinum Epiſcopi vel eorum Vicarii requiſiti fuerint, fieri poſſit. Quibus elapſis, in hoc illis ſe intromittere non liceat, cuius occaſione nec Epiſcopi, nec eius Vicarii intra ſepta monaſteriorum ingrediantur; ſed ſtent ante cratem ferream, &c.* ¶ Etiam habent poteſtatem circa numerum monialium ſtatuendum in monaſteriis, nimirum ut curare debeat, quod in eis talis numerus, & non amplius admittatur, ut ex redditibus propriis, & conſuetis eleemoſynis commode ſuſtentari poſſint; & hoc tam in monaſteriis ſibi ſubjectis, quam in exemptis; ſed in his cum interventu Superiorum, juxta Tridentinum. *Seſſion.* 25. *cap.*3. & Pium V. citat. conſt. *Paſtoralis* & Gregorii XIII. in conſt. *Deo Sacris*, & diverſas Sacræ Congreg. declarationes, quas adducit Barboſ. *alleg.* 98. *numero* 3. Tambur. *de iure Abbatiſſarum diſp.*5 *quæſt.*1.*num.*4. Lezana *tom.*2. *verb. Epiſcopus num.*6.

Qualiter in cauſis miſerabilium perſonarum regulares coram ordinariis convenire poſſint?

15. In cauſis autem mercedum, & miſerabilium perſonarum poſſunt ordinarii contra regulares procedere, ſecundum Concil. Trident. *ſeſſ.*7. *cap.*14. ubi innovatur conſtitutio Innocentii IV. *in cap. Volentes de privileg. in* 6. in quo ſtatuitur, quod ordinarii poſſint procedere contra exemptos, ratione delicti, aut contractus extra loca exempta factorum, vel rei ſitæ extra illa, de qua infra. Et additur à Concilio, quod in civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum (quales cenſentur viduæ, pupilli, Orphani, Senes decrepiti, incarcerati, diurno morbo defatigati, puellæ pauperes, nobiles indigentes, peregrini, & ſimiles) regulares extra monaſterium degentes, coram locorum ordinariis conveniri, & ad ſolvendum debitum cogi, & compelli poſſunt. Sed extra monaſterium degere illi non intelliguntur, qui ratione prædicationis, confeſſionis, aut alterius negotii extra monaſterium exiſtunt: ſed qui permanenter per multum tempus extra monaſterium degunt. Imo, neque iſti in dicto decreto comprehenduntur, ſi ſub regulari obſervantia, hoc eſt, cum dependentia, correctione, & viſitatione ſuorum prælatorum, adhuc extra clauſtra viuunt: quia tunc non poſſunt coram Epiſcopis conveniri; ſed vel coram ſuis prælatis, vel conſervatoribus. Vnde ſolum loquitur Concilium de illis, qui ſine licentia viuunt extra monaſterium, vel certe in loco adeo diſtanti, ut nequeant viſitari, aut corrigi à ſuo ſuperiori. Cæteri vero, qui degunt ſub regulari obſervantia intra, vel extra clauſtra, de ſimilibus cauſis, nec ratione rei ſitæ, nec ratione contractus, aut delicti, nequeunt coram Ordinariis conveniri propter decretum *Pauli V. in bulla*, quæ habetur *tom.*3. *bullarii n.*31. huius Pontificis, in qua ad inſtantiam Procuratoris Generalis noſtri Ordinis approbat declarationem S.Congreg. tenoris ſequentis: *Neque conſtitutione in generali Concilio edita, quæ incipit Volentes, neque decreto Concilii Tridentini ſeſſ.*14. *cap.* 7. *comprehendi regulares, ideoque eos iuxta eorum privilegia coram ſuis ſuperioribus, vel conſervatoribus eſſe conveniendos.* Cui conſonat alia declaratio Sacræ Congregationis edita anno 1573. ubi dicitur: *dubitatum fuit an regulares poſſent civiliter coram Epiſcopo à creditoribus ſuis conveniri? & fuit reſponſum, quod poſſunt conveniri ſi non ſint ſub regulari obſervantia: at ſi ſint ſub regulari obſervantia non poſſunt conveniri coram Epiſcopo, quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum eis commune Epiſcopi propter exemptionem.* Gavant. *in manual. Epiſcop. verb. iura regular. ſub Epiſcop. num.*55. Peyrin. *tom.*1. *privileg. minor. in conſtitut.*2. *Sixti IV.* §.11. *num.*29. & 30. Navarr. *tomm.*2. *de regul. n.*63. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. regul. quæſt.*2. *art.* 8. Lezana *tom.*1. *cap.*13. *num.*10. Pellizzar. *tractat.*8. *cap.*6. *ſect.*1. *num.*46. Barboſ. *allegation.*103. *à num.*21. Hieron. Garcia *in Polit. regular. tom.*3. *tractat.* 8. *diff.* 3. *dub.* 1. *punct.*2.

punct. 2. *num.* 7. Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 25. *num.* 4. Sanchez *in ſumm. lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 27. & in Conciliis *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 23.

Ad proceſſiones ire vocati ab Epiſcopis, qui regulares teneantur.

16. Denique ſubiiciuntur regulares exemptis ordinariis quoad proceſſiones, ita, quod vocati ab Epiſcopis ad proceſſiones publicas tenentur ire, propter decretum Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. ibi: *exempti omnes tam clerici ſæculares, quam regulares, etiam monachi ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clauſula perpetuo vivunt.* ¶ Ex quo ſequitur tam monachos, quam mendicantes, ex vi hujus decreti teneri ad proceſſiones ire, niſi ſpecialibus ſibi factis privilegiis eximantur: quod aliqui perperam negarunt reſpectu monachorum, cum in Concilio expreſſe nominentur, & ſolum excipiantur, qui in perpetua clauſura vivunt, ut ſunt Carthuſiani, & heremitæ Camendulenſes. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.* 36. *art.* 1. Barboſ. *ad hoc cap. num.* 18. & 19. Bordon. *reſolut.* 7. *num.* 131. ¶ Excipiuntur autem primo regulares, cujus monaſterium ultra medium milliare à civitate diſtat, qui etiam vocati non tenentur ad proceſſiones ire, uti declaravit S. Congregatio apud Cherubinum *in compend. bullar. tom.* 2. *in bulla* 41. *Pii V.* Lezana *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 47. Portel. *verb. proceſſiones in addition. num.* 2. Garcia *dub.* 2. *punct.* 3. *num.* 19. Bordon. *num.* 127. Excipiuntur etiam illi, qui habent poſt Tridentinum privilegium non eundi ad proceſſiones; ut nos propter ſtrictiſſimam clauſuram, quam profitemur, habemus, ex conceſſione Clementis VIII. in bulla *Religioſorum* anno 1596. & in bulla, *Romanum Pontificem* anno 1603. & Pauli V. in bulla, *Decet Romanum* anno 1610. Alii ſua privilegia conſulant ſcientes, quod qui ex privilegio poſſunt non ire ad proceſſiones; etiamſi ſæpe ſæpius eant, non ob id cogi poſſunt ad eundum: quia ex hoc, quod in aliquo caſu velint ire, nullum contra eos jus acquiritur. Sanchez *in conſil. dub.* 2. *numero* 12. Lezana *loco proximè citat. num.* 47. & *tom.* 2. *verb. proceſſ. num.* 3 Portel. *numero* 6. Barboſ. *de iure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 43. *numero* 176. Denique excipiuntur, qui conſuetudinem habent non accedendi ad proceſſiones, qui non poſſunt cogi, ut accedant; ita declaratum vidiſſe à Sacra Congregatione refert Campanile, *in diverſorio iuris rubrica* 12. *cap.* 13. *num.* 18. & tenet Lezana *verb. proceſſio num.* 3. Garcia *num.* 21. *Bordon. n.* 134.

Cum quibus conditionibus ad proceſſiones teneantur ire regulares.

17. Sed ut regulares teneantur ire ad proceſſiones, debent ab ordinariis vocari perſonaliter, & non ſufficit, quod per edictum publicum, ad valvas Cathedralis affixum vocentur; ſed per clericum, aut alium nuntium ad eos miſſum, cum horæ, qua debeant convenire deſignatione: quia fortaſsè edictum affixum non viderunt, neque ad illud videndum accedere tenentur. Pellizzar. *numero* 68. Ceſpedes *de exemptione diſp.* 20. *num.* 5. Bordon. *num.* 129. Lezana *tom* 1. *quæſt.* 37. *art.* 1. ¶ Nomine autem ordinarii veniunt non ſolum Epiſcopi, ſed prælati inferiores habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem: quia poteſtas vocandi ad proceſſiones relinquitur à Tridentino illis ordinariis, qui habent jus eas indicendi. Sed hoc jus habent Abbates juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, & alii ordinarii Eccleſiarum Collegialium: ergo, &c. Ceſpedes *diſputatione* 207. *num.* 4. Lezana *proceſſ. numero* 4. Garcia *dub.* 2. *punct.* 3. *num.* 20. Sed debent eſſe proceſſiones publicæ, ut ad eas religioſi accere teneantur. Publicæ autem proceſſiones dicuntur, quæ fiunt in Litaniis majoribus, & minoribus in feſto Corporis Chriſti, non in eius Octava, vel quæ fiunt pro bono publico, ut in jubileis, vel imminente peſte, bello, fame, intempetie, vel pro gratiarum actione, conſtat ex conſtitutione, *&* *ſi mendicantium.* Pii V. & declaratione Sacræ Congreg. quam referunt authores citati. ¶ An vero poſſint per cenſuras compelli, ut eant qui ad proceſſiones tenentur ire, §. ſequenti dicemus.

Quas proceſſiones poſſunt facere religioſi ſine licentia ordinarii.

18. Circa proceſſiones privatas monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum regularium, eſt certum non poſſe eas facere religioſos, præter quam intra Eccleſiam, eiuſque monaſterii ambitum, ſine licentia Epiſcopi; eo quod extra monaſterium non habent territorium, & Sacra Congregatio non ſemel declaravit, non licere regularibus hujuſmodi proceſſiones facere extra Eccleſias, & ambitum earum. Bordon. *reſolut.* 7. *num.* 133. Lezana *tom.* 1. *cap* 12. *num.* 41. & *tom.* 2. *verb. proceſſ. num* 8. Barboſ. *de poteſtat. Epiſcop. alleg.* 78. *num.* 7. Circa quod datur alia declaratio Sacræ Congreg. Epiſcoporum, & regularium, & ita 27. *Septemb. ann.* 1604. quæ dicit: *regulares non poſſunt cum piorum proceſſionibus ingredi limites alterius parrochiæ, ſine conſenſu parrochi:* quæ intelligenda eſt niſi adſit conſuetudo in contrarium; nam conſuetudini ſtandum eſt: præcipue, cum jus commune non contradicat. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 35. *diff.* 5. *num.* 9. Hieron. Rodrig. *in comp. quæſt. regular. reſolut.* 118. *n.* 10. Bordon. *loc. citat.* Vel niſi circa hoc conventus habeat aliquod particulare privilegium. Tamburin. *tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 7. *num.* 39.

Aliquæ difficultates à Sacra Congregatione reſolutæ recenſentur.

19. Sed circa id, quod poſſunt regulares in ſuis Eccleſiis, magnæ exortæ ſunt difficultates inter illos, & parrochos: ob quod conſultata eſt Sacra Cardinalium Congregatio, quæ reſpondit die 2. Iulii anno 1620. ut conſtat ex fideli tranſumpto authentico fidem facienti, quod remiſſum eſt eminentiſſimo Cardinali de Bolonia Ludoviſio Archiepiſcopo, & Principi illius civitatis. Difficultates erant quatuordecim; ad quas ordine ſequenti, reſpondet Sacra Congregatio. ¶ Prima erat ſi poterant regulares in ſuis Eccleſiis dies feſtos, & jejunia populo annuntiare tempore offertorii in miſſa, ſicut parrochi faciunt in ſuis Eccleſiis? Et reſpondit: *non prohiberi dies feſtos & ieiunia in ſuis Eccleſiis nuntiare*, in quo fere non eſt dubium inter doctores; imo poſſe Epiſcopum cogere regulares, neceſſitate id exigente, quod in ſuis Eccleſiis, tempore miſſæ majoris, quò populus concurrit, publicent feſta, & jejunia, ut à fidelibus obſerventur; & ita Luſitaniæ vidiſſe practicatum teſtantur tres Luſitani Doctiſſimi Portel. *verb. Epiſcopus n.* 7. Barboſ. *de iure Eccleſiaſtic. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 150. Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. regul. quæſt.* 43. *art.* 7. ¶ Secunda ſi poterunt recipere oblata, vulgo, *ofrendas del pueblo* in miſſa conventuali, & pacem populo dare? Reſpondit: *poſſe, dummodo à perambulatione per Eccleſiam, ac ſimilibus eleemoſynarum extorſionibus abſtineant.* ¶ Tertia, ſi per Parrochiam extra Eccleſiam portare pallium, vel pluviale? Reſpondit *non poſſe.* ¶ Quarta, quando vocantur ad corpus defuncti, tumulandum, ſi debent ire ad Eccleſiam; ubi clerici congregantur, vel ad domum defuncti, vel certe illos debeant in itinere expectare? Reſpondit, *Debere ad Parrochialem Eccleſiam accedere, ubi clerus congregare conſuevit.* Sed contrarium eſt jam conſuetudine introductum, cui conſuetudini ſtandum eſt,

ut docer Lezana *tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 47. ¶ Quinta, ſi poſſunt celebrare primam miſſam, diebus feſtivis, antequam parrochus in ſua parrochia miſſam celebrer? Reſpondit, *prohiberi non poſſe, quo minus miſſa in Eccleſiis regularium celebretur ante miſſam parrochialis Eccleſia.* ¶ Sexta, ſi poſſunt in miſſa publicare præcepta Ordinarii, & admonitiones pro matrimoniis? Reſpondit: *non poſſe publicare matrimonia*, in quo tacite aliam partem conceſſit. ¶ Septima; ſi poſſunt prædicare in ſuis Eccleſiis tempore adventus, & quadrageſimæ, ſi in parrochiali prædicetur? Reſpondit, *poſſe: petita tamen benedictione Epiſcopi.* ¶ Octava ſi poſſunt portare pallium, & ſtolam, quando proceſſiones ſui ordinis extra ſuas Eccleſias faciunt? Reſpondit non licere regularibus huiuſmodi proceſſiones facere extra Eccleſias, & ambitum illarum. ¶ Nona, ſi poſſunt admittere in ſuis Eccleſiis mulieres, quæ prima vice poſt partum, ut prolem Deo offerant, accedunt? Reſpondit, regulares non prohiberi in eorum Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere. ¶ Decima, ſi quando religioſus aliquis extra conventum moritur, cui parrochus Sacramenta adminiſtravit, ſi poterunt cadaver inde extrahere, & ad monaſterium adducere? Reſpondit, regulares extra clauſtra decedentes, poſſe ad eorum Eccleſias defferri, etiam parrochis inconſultis. Alia non ſunt ita neceſſaria, quæ prætermittimus.

---

§. III.

An ordinarii poſſint per cenſuras regulares exemptos compellere ad ea, in quibus ex jure ſunt illis ſubditi?

Caſus tres, in quibus per cenſuras poteſt Epiſcopus procedere contra regulares.

20. INdubitatum eſt in aliquibus caſibus, poſſe Epiſcopos compellere regulares per cenſuras ad obediendum; ut in tribus caſibus in Tridentino expreſſis. Primus habetur apud Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. ubi concedit Epiſcopis, ut poſſint per cenſuras regulares compellere, ut exeuntibus à religione novitiis, reſtituant quidquid in ingreſſu attulerunt. Secundus eadem ſeſſione *c.* 5. contra moniales clauſuram non obſervantes. Tertius eſt *ſeſſ.* 12. *de obſervationibus in celebratione miſſarum*, contra celebrantes in oratoriis privatis, vix alius textus invenitur in jure cõcedens ordinariis expreſſe, ut contra regulares exempros poſſint per cenſuras procedere, licet plurimi alii caſus dentur, in quibus ſubiiciuntur illis; tam in civilibus, quam in criminalibus: ut ſunt omnes de quibus in hoc puncto egimus, & agemus, & alii, quos omittimus. Quæritur ergo modo, an in reliquis caſibus, in quibus regulares ſubiiciuntur ordinariis, poſſint contra inobedientes per cenſuras procedere, præter tres illos enumeratos.

Sententia affirmans poſſe Epiſcopum per cenſuras procedere, quoties poteſt aliquid regularibus imperare.

21. Affirmat prima ſententia, quæ probatur primo: quia delegata juriſdictione alicui, ei intelligantur conceſſa ea omnia, ſine quibus illa expleri non poteſt: ſed Epiſcopi non poſſunt compeſcere regulares inobedientes, niſi utatur cenſuris: ergo cenſetur facultas ad illas, eis conceſſas in delegatione juriſdictionis in illos. ¶ Secundo: quia juriſdictio contentioſa ſemper habet coactionem. *Cap. Paſtoralis* 18. *extra de officio deleg. & ibi gloſſa*: Sed Epiſcopus vix poteſt cogere ſine cenſuris: ergo in facultate illis conceſſa ad cogendum, conceditur facultas ad cenſurandum. ¶ Tertio: quia poſſunt Epiſcopi per cenſuras compellere regulares ire ad proceſſiones, ut multoties declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur. Sorbus *in compend. privileg. regular. verb. proceſſio.* Barboſ. *de iure Eccleſiaſtica lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 163. *&* 164. Et tamen in decreto Concilii ſupra relato, quo illis ad compellendum regulares, ut ad proceſſiones accedant facultatem concedit, non dicitur per cenſuras poſſe id facere: ergo idem dicendum eſt in aliis caſibus, in quibus eis facultas in regulares conceditur, tametſi in eis non exprimatur, ut poſſint procedere ad cenſuras. Sic tenent Salzedo apud Sanchez infra citandum. Ricius, & Gemenſis apud Dianam, *de dubiis regular. reſol.* 76. Bordon. *reſolut.* 7. *num.* 9. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt.* 63. *art.* 7. *in fine*, licet oppoſitum teneat loco à nobis adducendo, Pialetius *in ſua praxi Epiſcopal. part.* 2. *c.* 3. *num.* 52. §. *delinquentes.* Barboſa *loco citat.* Garcia *tract.* 8. *diff.* 3. *dub.* 2. *punct.* 3. *num.* 18.

Non ſemper, cum Epiſcopus poteſt regulares cogere, poteſt cenſuras in eos ferre.

22. Sed probabiliorem judicamus ſententiam negativam, quæ probatur primo: quia ut refert idem Barboſa, in remiſſion. ad Concil. Trident. pluries declaratum eſt à Sacra Congregatione non poſſe Epiſcopos per cenſuras cogere regulares ad proceſſiones ad quas tenentur accedere: & ſic de illis declarationibus, quas ipſe adducit loco pro contraria ſententia citato, cum non conſter authenticè, non multum eſt curandum. Secundo: quia ſic manifeſte colligitur ex jure communi in *cap. Nolentes de privileg. in* 6. Et licet hoc in jure non eſſet expreſſum, plura dantur privilegia regularium, in quibus eis conceditur, quod non poſſint excommunicari, ſuſpendi, aut interdici ab Epiſcopis, quibus ſtandum eſt quandiu non revocantur, per facultatem illis expreſsè conceſſam ad procedendum per cenſuras contra illos, quæ nullibi expreſſa reperitur. Dictum privilegium conceſſit Societati Paulus III. anno 1549. *in bullar. Societat. fol.* 35. Honorius III. Innocentius IV. Vrbanus IV. Ordini Ciſtercienſium, Leo X. Camandulenſibus, Sixtus IV. Fratribus Carmelitis, ut habetur in ſpeculo ordinis fol. 87. Et plura alia dantur, quæ apud citandos authores videri poterunt. ¶ Tertio: quia quando Concilia, vel Pontifices volunt facultatem concedere ordinariis, ut poſſint procedere per cenſuras contra regulares, id exprimunt, ut in tribus caſibus *numero* 20. relatis: ergo in reliquis ubi non exprimitur talis facultas, illis non conceditur, licet in illos aliquam exercere poteſtatem concedatur. Ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 11. *numero* 14. *& tom.* 2. *verb. exemptio num.* 11. *& verb. proceſ. num.* 2. Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio diſputatione* 33. *numero* 23. & *tomo* 2. *conſilior. lib.* 6. *capite* 9. *dub.* 1. *numero* 28. & *in ſum. lib.* 6. *cap.* 1. *numero* 14. Bruno *tract.* 2. *capite* 4. *propoſ.* 4. *&* 5. Cordub. *lib.* 3. *quæſt.* 43. Portel. *in addition. verb. Epiſcopus numero* 5. & *verb. proceſſ. numero* 1. Tambur. *de iure Abbatum tom.* 1. *diſputatione* 19. *quæſtione* 7. *numero* 7. Villalob. *part.* 2. *tract.* 35. *diff.* 5. *num.* 17. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 6. *ſect.* 1. *num.* 44. Verum licet per cenſuras compelli non poſſint regulares ab Epiſcopis, niſi in caſibus ſibi à jure expreſsè conceſſis: poſſunt tamen aliis pœnis ad obediendum cogi, juxta *cap.* 1. *de privilegiis in* 6. v.g. Vt eant ad proceſſiones ad quas tenentur ire, poſſunt Epiſcopi illos compellere deponendo Superiores, vel contradictores, privando prædicatione verbi Dei, vel etiam pœnis pecuniariis.

23. Sed

In caſibus à jure conceſſis,poteſt Epiſcopus regularem excommunicatum denuntiare.

23. Sed adhuc difficultas eſt, an licet Epiſcopus non poſſit in caſibus dictis excommunicare religioſos, poſſit eos publicare, denuntiare, vel declarare excommunicatos, ut evitentur caſu, quo eos aliquod delictum commiſiſſe certo ſciat, cui annexa eſt ex jure, vel ex aliqua Apoſtolica Bulla excommunicatio ipſo facto incurrenda: ut ſi ſciat regularem Clericum percuſſiſſe. Quare non loquimur, quando religioſus excommunicatus eſt ab homine; nimirum ab ipſo Epiſcopo in caſibus ſibi conceſſis; quia tunc poſſe illum publicare excommunicatum, ut alii non communicent cum eo, nulli dubium eſt: quia qui poteſt excommunicare, poteſt etiam denuntiare talem à ſe excommunicatum; eo quod judicium ab eo faciendum eſt, à quo cœptum fuit, *l.ubi cœptum, l. ſi quis poſtea, ff. de judic. cap. non poſuiſti 19. de foro compet.* Nec etiam loquimur in caſibus, in quibus Epiſcopis conceſſum eſt à jure, denuntiare cenſuratum eum, qui à jure latam incurrit cenſuram, ut in *Clementina 1. de privileg.* ubi conceditur illis denuntiare regulares excommunicatos, qui adminiſtrant Sacramenta Extremæ-Unctionis, Euchariſtiæ,& Matrimonii ſine licentia, & abſolverit à reſervatis cenſuris à Canone, aut Synodis, aut Conciliis. Loquimur ergo, quando hæc non habent ex jure ſibi expreſsè conceſſum, ut in caſu dicto de percutiente Clericum, & ſimilibus.

Non poteſt Epiſcopus regularem, à jure excõmunicatum, denuntiare, ut evitetur.

24. Sunt qui affirmant poſſe Epiſcopum in caſu dicto excommunicatum denuntiare regularem, qui à jure excommunicatus eſt; eo quod minor juriſdictio ad denuntiationem, quam ad excommunicationem requiritur. Unde quamvis non poſſit excommunicare, poteſt denuntiare, quem jam excommunicatum invenit. Ita Felinus *in cap. poteſt. num. 5. de re judicata.* Henriq. *lib.7.cap.25. num.7.* Alterius *de cenſuris, tom. 1. diſput.20. lib 3. cap.5. fine.* Baſſæus *verb. exempt. num.7.* Rodriguez *tom.2. quæſt.63. art.11.* Piaſetius *in praxi Epiſcop. noviſſim. part.2.cap.3.§ 6. num. 59.* ¶ Alii probabilius cum diſtinctione reſpondent, & dicunt non poſſe Epiſcopum, niſi quando delictum eſt publicum, & notorium, itaut non poſſit ulla tergiverſatione celari. Et quod non poſſit Epiſcopus extra caſum notorietatis denuntiare regularem excommunicatum, probant: quia denuntiatio eſt actus judicialis prærequirens citationem, ut poſſit ſe reus defendere, & cauſæ cognitionem, quæ proculdubio requirunt ſuperioritatem, ut à judice competenti fiant: quam non habet Epiſcopus, niſi expreſsè illi à Pontifice concedatur, in regulares exemptos. Quod in caſu notorietatis delicti poſſit, ex eo probant: quia tunc nec citatio, nec cauſæ cognitio requiritur; ſiquidem in notoriis non eſt neceſſaria cognitio judicialis, *cap.1. de officio delegat.* Diana *part.3. tract.2. reſolut.35.* Barboſ. *de officio Epiſcop. part.3. alleg. 105. num.73.* Ugolin. *de poteſt. Epiſcop. cap.20. §.10. num.1.* Lexana *tom.1. cap.11. n 15. & tom 3. verb. exemptio, num.9.* Garcia *num.14.* Pellizzar. *tract.8. cap.6. ſect.1. num.45.* ¶ Sed verius judicamus adhuc in caſu, quo delictum eſſet notorium, non poſſe talem denuntiationem Epiſcopum facere: quia actus denuntiationis eſt actus judicialis, qui ſolum à judice competenti, ac proinde a ſuperiori valet exerceri: ergo ſi Epiſcopus non poteſt facere citationem, aut cognitionem cauſæ, quia ſunt judiciales actus, præambuli ad denuntiationem; multo minus poterit actum citationis, qui eſt principalis, ad quem illi ordinantur; cum non ſit major ratio dicendi illum eſſe judicem competentem in actu denuntiationis, & non in aliis præambulis. Peyrinis *tom.1. conſtit.2. Sixti IV. §.10. num. 13.* Bordon. *tom.1. reſolut.7. num. 10:* Portel. *verb.Epiſcop. num.5. & 9.* Bruno *tract.2. c.5.propoſit.6.*

---

§. IV.

An regulares exempti teneantur legibus Diœceſanis, & præceptis ab Epiſcopis impoſitis?

Aliqua ſupponuntur ad difficultatis reſolutionem.

25. SUpponendum eſt in præſenti regulares exemptos, non teneri intereſſe Conciliis Provincialibus, aut Synodis Diœceſanis; at ſi Parochi ſint ad id tenentur, & cogi ad hoc poſſunt. Hoc ultimum conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.24. de reform.cap.2.* & ibi Barboſ. *num.28.* quod etiam alii communiter docent. Primum vero probatur: Tum, *ex cap. Epiſcopus 18. cap. finali 18. quæſt.2 §. canonic. cap. nimis 17. de exceſſibus Prælatorum.* Tum etiam: quia in Tridentino *loco citato* additur: *exceptis his, qui capitulis generalibus ſubduntur.* Quales certè ſunt omnes regulares exempti. Tum deinde: quia circa hoc habent regulares ſpecialia privilegia; ut eſt illud, quod conceſſit Eugenius IV. Benedictinis, quod adducit Rodriguez *in ſuo bullario, & eſt Bulla 7. §.2.* & Leo X. *Camandulenſibus Bulla 2. huius Pontificis apud Cherubinum, §.26.* Tum denique: quia circa hoc dantur plures ſacræ Congregationis declarationes: unam adducam, quam refert Barboſ. ſuper locum citatum Tridentini, edi. 26. Auguſti anno 1524. quæ ſic dicit: *Congregatio Illis cenſuit regulares, qui ſubduntur Capitulis generalibus, non poſſe cogi ab Epiſcopo ad intereſſendum Synodo, niſi in caſu expreſſo.* Atque ita ſentiunt Barboſ. *loco citato num.28.* Bordon. *reſol. 7. n.5.* Garcia *tract.8. diff.3. dub.5. num.1.* Tambur. *diſput.24. quæſt.3. num.5.* Lexana *tom. 1. cap.11. num.10.* Peyrin. *tom.1. conſtit.2. Iulii II. §.25. n.64.* & alii communiter. Quibus ſuppoſitis.

Sententia aſſerens regulares legibus diœceſanis teneri.

26. Circa quæſitum datur duplex ſententia. Prima affirmat regulares quantum ad vim directivam (& ſic in conſcientia) teneri ad obſervantiam legum, quæ in Synodo Diœceſano, vel Concilio Provinciali ſanciuntur, in his, quæ ſuæ regulari obſervantiæ non præjudicaverint; non vero quoad vim coactivam: & ſic non incurrere pœnas in eis contra non obſervantes impoſitas; probatur modo dicto legibus Diœceſanis adſtringi: quia pars debet conformari ſuo toti in his, quæ illi non præjudicant: ergo leges Synodales, quæ ad communem obſervantiam, & totius populi devotionem, & cleri ſpectant, obligabunt regulares, qui ſunt etiam partes illius Reipublicæ. Unde ſi in illis indiceretur aliquod jejunium, in aliquo die particulari, tenerentur illud obſervare regulares, quod à tota civitate obſervetur, & ſuæ regulari obſervantiæ non opponatur. Sic Vaſquez *12. tom. diſp.167. cap.4. num.32.* Sanchez *in ſumm. tom.1. lib.4. cap. 15. num. 11.* Villalob. *tom.1. tract.2. dub.31. num.4.* Becan. *in ſumm. Theolog. part.2. tract.3. cap.6. quæſt.11. num.3.* Lorca *de legibus, diſput.25. memb.4.* Rodriguez *in ſumm.*

part.2.

p.1.c.122. num.1. à ſancto Fauſto *lib.1. de ſtatu relig.q.257.*

Legibus, aut ſtatutis Diœceſanis, nec ab Epiſcopis latis, non adſtringuntur regulares.

27. Sed dicendum eſt : minimè religioſos exempti ſubjici decretis contentis in Synodis, aut Conciliis, neque quoad eorum obſervantiam, niſi quatenus religioſo aliquo funguntur officio dependenter ab Epiſcopo ; ut officio Parochi, concionatoris, confeſſoris, &c. quia tunc in his, quæ talia officia concernunt, dictis legibus ſubjacent ; & conſequenter neque particularibus ſtatutis, aut præceptis Epiſcoporum adſtringi, vel ad illas obſervandas poſſe compelli. Tres partes habet aſſertio ; & quoad ultimam ſuppoſita priori, nulla remanet difficultas, & maximè probat exemptionem regularium à juriſdictione Epiſcopi, & ſic etiam ab eo actu juriſdictionis, qui eſt legem ferre. Deinde probatur : quia regulares exempti non tenentur parere Epiſcopis niſi in caſibus à jure expreſſis, *cap.1. de privilegiis in 6.* ibi : *Salvis caſibus aliis in quibus juriſdictioni Epiſcoporum ſubeſſe, canonica præcipiant inſtituta ;* ſed in jure Canonico nullum eſt decretum præcipiens exemptos parere legibus, aut præceptis Epiſcoporum, niſi in duobus caſibus poſitis à Tridentino *ſeſſ.25.c.12. de regular.* nimirum, quoad obſervationem feſtorum, & cenſurarum quæ ab Epiſcopo imponuntur : ergo in aliis minimè tenentur : & ſic nec ad jejunia ab Epiſcopis præcepta erunt obligati : quia Concilium ſubjiciens illos ordinariis quoad duo dicta, nullam de jejuniis mentionem fecit in quo eos liberos à tali obligatione judicat, atque ita tenent. Fagundez *precept. 4. Eccleſ. lib. 1. cap.7. num.4.* Azor. *p.1.lib.7 c.30.q.2.* Pellizzar. *n.64.* Bruno, Garcia, Diana, Bordon. locis pro prima parte concluſionis citandis.

Tenentur regulares obſervare leges Synodales concernentes ſua officia.

28. Secunda vero pars aſſertionis, nimirum quod tenentur obſervare decreta concernentia, quæ ſpectant ad officia, in quibus ab Epiſcopo dependent, probatur. Quia diverſo jure cenſeri non debent, qui eodem funguntur officio, *cap. cognovimus 12. quæſt.2. cap. Cum in tua de decimis, cap. quia circa, de privilegiis.* Quia dignum eſt, ut qui ſimilem vitam degunt, ſeu ſimilem habent officium, ſimilem quoque ſentiant in legibus diſciplinam, *cap.4. de ſtatu Monachor.* Maximè ; quia religioſus ſubditur Epiſcopo quoties gerit perſonam extranei non ſpectantis ad ſuam religionem, ut inquit Barthol. *in l. interdum, §. fin. de judic.* Et poſt eum Decius *in cap. tuarum de privilegiis :* ergo, &c. Cæterum non ob id tenentur pœnis, vel cenſuris in Synodalibus, vel Conciliis contra tranſgreſſores aſſignatis : quia Ordinarius non poteſt pœnis multare regulares delinquentes, niſi tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, ut patet ex diverſis capitibus Tridentini : ubi quoties conceditur Epiſcopis, ut poſſint vi coactiva procedere contra regulares, hanc facultatem illis tribuunt non ut ordinariis ; ſed ut delegatis Sedis Apoſtolicæ : ſed Epiſcopi condendo ſuas leges in Synodis, vel Conciliis, ſeu extra, non procedunt ut delegati ; ſed ex officio ſuo, & jure ordinario, ut de ſe patet : ergo regulares, nec ratione officii ſui, delinquentes incurrunt pœnas legales Synodorum. Sic Portel. *verſu Epiſcopus, n.5.* Miranda *tom 2.q.35. art.11.* Sanchez *lib.7. diſput.33.n.22. & 23.* Rodrig. *tom.2.q.64. art.7. fine.*

Religioſi exempti abſolutè ſunt à legibus Diœceſanis liberi.

29. Prima vero pars, quod abſolutè regulares exempti non tenentur legibus, aut ſtatutis ſynodalibus, aut Conciliis Provincialibus latis, probatur. In primis rationibus, quibus tertiam partem probabimus : maximè quia leges ſynodales totam authoritatem ab Epiſcopo habent, ut diximus *tom. 3. tract.11. de legibus, c.3. n.31.* Deinde probatur ex dictis *n.25.* quia ratio quare omnes Clerici vocati ad Synodum vel Concilium teneantur ire, ea in jure aſſignatur : quia cum teneantur legibus in eis ſancitis, debent notitiam earum capere, & ad alios derivare : ergo cum religioſi non teneantur ire, ſignum eſt non ligari ſtatutis ibi propoſitis. Et deducitur *ex cap. quam ſit neceſſarium 18. q.2. & c.1. de privileg. in 6.* & ex Trident. *ſeſſ.25.c.12.* Ubi cum ſolum præcipiantur obſervari à regularibus feſta, & interdicta ſynodalia, ab aliis legibus, & interdictis Synodi ; in ſua libertate relinquuntur, quod eorum exemptio ex ſe, & ex natura ſua poſtulabat, niſi expreſsè oppoſitum in jure decernatur, quod nullibi cautum reperitur : quare niſi ratione ſcandali vitandi, non tenentur leges in Synodis, vel Conciliis latas, obſervare. Nec conformitas partium cum toto id expoſtulat, quod dicebat prima ſententia : quia pars hetherogenea non debet in omnibus cum toto conformare ; ſed ſufficit, quod in communibus pro toto corpore, conformetur. Religioſi autem ſunt partes hetherogeneæ reſpectu aliorum, cum quibus in eo communicantibus, toti Eccleſiæ obligationibus conformantur, & habent proprias leges, propria onera, & obſervantias : & ſic nil mirum eſt, quod ab obligationibus Dioceſanis eximantur. Sic Gloſſa *in cap. dilectus filius, de officio Ordinarii.* Tambur. *tom.1. diſput.14. q.4.* Granados *diſp.6. de legibus, ſect.3. n.18.* Suar. *lib.4. c.20. n.9.* Baſil. *Legionenſis, de matrim. lib.5. cap.7. num.31.* Portel. *in dub. regul. verb. lex, num.1.* Lezana *tom.4. verb. leges, numero 27.* Zanardus *in ſuo direct. Theolog. part.2. præcept.4. cap.10. fine.* Bruno *tract.2. cap.3. propoſ.5.* Diana *1. part. tract.10. reſolut.11.* Hieronymus Garcia *tract.8. diff.3. dub.5. n.4.* Lorca *in 1. 2. tom.2. diſp.25. memb. ultim.* Salas *de legibus, tract.14. ſect.4. num.43.* Llamas *in method. p. 3. cap.5. §. 28. fine.* Bordon. *tom. 1. reſolut.7. num.6.* & alii.

Qualiter feſta Diœceſana teneantur regulares obſervare?

30. Sed in duplici caſu diximus ſubjici regulares Dominis Epiſcopis, ex Trident. *ſeſſ.25. cap.12.* nimirum, quoad obſervantiam interdicti ab ipſo impoſiti, de quo egimus *tom.2. tract.10. de cenſur. cap.6. num.30.* ubi etiam diximus *ex Clement.1. de ſentent. excommunic.* debere illud obſervare, ſive validum ſit, ſive non, dummodo à Matrice obſervetur, & quoad obſervationem feſtorum Dioceſanorum ; ita quod in eis ſive intra, ſive extra clauſtra ſint, quandiu in Dioceſi exiſtunt, debent abſtinere ab operibus ſervilibus, & Miſſam audire. ¶ At non tenentur ad feſta votiva populorum, tametſi ab Epiſcopo confirmata : quia Concilium de feſtis Dioceſanis indictis ab Epiſcopis loquatur ; non vero de votivis populorum, quæ licet ab Epiſcopo confirmentur, non amittunt ſuam originalem rationem, nec deſinunt eſſe feſta votiva. Naldus *verb. feſtum, num.4.* Rodriguez *tom.1. quæſt.70. art.1.* Pellizzar. *tract.8. cap.6. ſect.1. num.61.* Navar. *in ſumm. cap.22. num.80.* Et hinc fit non teneri ad feſta particularia, etiam ab Epiſcopo impoſita pro aliqua particulari Parochia, & non pro toto territorio : quia cum præceptum Tridentini, quo regulares exempti ſubduntur Epiſcopis quoad

obſervan

obſervantiam [illegible] um ſit o totum; non eſt extendendum, ſed reſtringendum ad ſola feſta diœceſana ſimpliciter dicta, qualia ſolummodo ſunt, quæ pro tota Diœceſi imponuntur; non quæ ad particularia loca determinantur. Sic ex ſententia aliorum, quos conſuluit Pellizzar. *num.* 62. Idem de interdicto, quod non generaliter pro toto oppido; ſed pro particulari Parochia imponitur, etiamſi Eccleſia Matrix interdicatur; quod illud non tenentur obſervare regulares, tenent Rodriguez *tomo* 2. *quæſtione* 168. *articulo ſecundo*, Garcia *dubio* 5. *puncto* 4. *numero ſecundo* ¶ Denique non tenentur ad feſta ex conſuetudine vel locorum, vel Eccleſiarum introducta, niſi fuerit generalis, & conſenſu omnium præſcripſerit: quia ex vi Tridentini non tenentur, quia hoc ſolum obligat ad feſta ab Epiſcopo indicta: nec etiam ex vi conſuetudinis, quia ut diximus *tract.* 11. *de legibus*, *cap.* 6. *num.* 3. Conſuetudo non obligat niſi dumtaxat illos, qui ad eam conſenſum præbuerunt. Et datur circa hoc privilegium Eugenii IV. conceſſum Monachis S. Benedicti in Hiſpania, ut refert Rodriguez *tomo ſecundo*, *quæſtione* 61. *articulo primo.* Concedens, quod ſolum teneantur colere illa feſta, quæ ab univerſali Eccleſia obſervantur; non vero ea, quæ ſunt ex conſuetudine particularium locorum.

---

§. V.

Poſſintne Ordinarii locorum viſitare perſonas, Eccleſias, Monaſteria, Parochias, Confraternitates regularium exemptorum?

Eccleſias, aut Monaſteria regularium exemptorum nequit Epiſcopus viſitare.

31. IN primis certiſſimum eſt, non poſſe Epiſcopos viſitare perſonas, aut Monaſteria exempta, imponere aliquod onus, examinare, neque in aliquo ad regimen temporale, vel ſpirituale illorum expectans, ſe intromittere, ut deciſum eſt, *in cap. Nulli Epiſcoporum*, cum ſequentibus, 16. *quæſtione prima*, *cap. cognovimus* 10. *quæſtione* 3. Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 8. Quod ex omnibus privilegiis exemptionis, manifeſtè conſtat, & colligitur. Imò nec poteſt Eccleſias illorum viſitare, tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti inviſere, nec Capellas, aut proprias confraternitates Religionis, niſi reſcriptum particulare Papæ ad hoc oſtenderit, ut colligitur manifeſtè ex Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 20. Ad quod dantur plurimæ declarationes, quas referunt Lezana *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 7. & *tom.* 2. *cap.* 15. *à num.* 27. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 36. *artic.* 4. Peyrin. *tom.* 1. *conſtitut. Sixti IV. cap.* 2. *num.* 6. Barboſ. *lib.* 1. *de iure Eccleſiaſt. cap.* 14. *num.* 24. niſi in caſu, quo regulares haberent res indecentes, aut prohibitas in ſuis Eccleſiis permitterent: quia tunc per Concilium Provinciale poſſet illas viſitare, & etiam cenſuris contra regulares procedere, ſecundum quamdam declarationem Cardinalium, quam adducit Barboſa *circa ſeſſionem* 22. ad finem decreti de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſarum. Hieronym. Garcia *tract.* 8. *diſp.* 3. *dub.* 2. *punct.* 1. *n.* 3.

Objectio ex Tridentino diſſolvitur.

32. Sed objicies, quod Tridentinum *ſeſſione* 7. *capite* 8. ſic dicit: *Locorum Ordinarii Eccleſias quaſcumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apoſtolica, ſingulis annis viſitare teneantur.* ¶ Reſpondetur enim, Concilium loqui de Eccleſiis ſæcularibus exemptis, antea habentibus privilegia, ut ab Ordinariis non viſitarentur. Quæ, ex vi illius decreti debent ab ordinariis viſitari. Quod autem de ſæcularibus Eccleſiis modo dicto exemptis loquatur, non vero de regularibus, conſtat. Tum: quia *ſeſſione* 24. *capite quinto*, *de reformatione*, ſic dicit: *Quoad viſitationem debere obſervari regularium, & ſuorum monaſteriorum, & Eccleſiarum jura, & exemptiones.* Tum etiam: quia duo Domini ejuſdem rei inſolidum eſſe non poſſunt: eſſent autem duo Domini, ſi Epiſcopus, & Prælatus regularis poſſent eandem Eccleſiam viſitare; vel Eccleſia, quæ ſecundum juris diſpoſitionem eſt indiviſibilis, eſſet diviſa.

Alia objectio ex jure diluitur.

33. Sed urgebis, quia jus committit omnes Eccleſias Epiſcopi gubernationi *ex cap. decretum* 10. *quæſtione* 1. ibi: *Decretum eſt, ut omnes Eccleſiæ cum dotibus ſuis, & decimis, & omnibus ſuis iuribus, in Epiſcopi poteſtate perſiſtant, atque ad ordinationem ſuam ſemper pertineant.* Idem habetur *cap. Epiſcopum* 10. *quæſtione prima.* ¶ Reſpondetur, textum de Eccleſiis propriis eorum, ſeu quæ non ſunt ab eorum poteſtate erutæ, ut ſunt exemptæ: quia ſolum loquitur de Eccleſiis Diœceſis, quas viſitare poſſunt, & debent. At Eccleſiæ exemptæ, ut ſunt Eccleſiæ exemptorum, ſunt extra diœceſim: *Quia locus exemptus quoad exercendam iuriſdictionem per Epiſcopum, æquiparatur loco exiſtenti extra diœceſim*, ut loquitur Altamiranus de viſitatione, verbo, *propriam diœceſim*, *n.* 48. *fol.* 22. *col.* 2.

Qualiter poſſint Epiſcopi viſitare Eccleſias Parochiales, quibus regulares inſerviunt?

34. Imò nec poteſt Epiſcopus viſitare Eccleſias Parochiales ſæcularium ſubditas regularibus, quæ adminiſtrantur per Parochum religioſum, nec iſtum punire poteſt, etiam in defectibus ad miniſtrationem ſui officii pertinentibus; ſed in omnibus, & per omnia ſubjecti ſunt ſuis Prælatis, à quibus dictæ Eccleſiæ poſſunt, & debent viſitari. Sic Congregatio Cardinalium decrevit, explicans Concilium *ſeſſione ſeptima*, *capite octavo*, *de reformatione*, his verbis: *Congregatio Concilii cenſuit poſſe Epiſcopum viſitare quaſcumque Eccleſias ſæculares intra fines ſuæ Diœceſis, etiamſi ad regulares pertineant, & ab eis dependeant, dummodo tamen per ſæculares eoſdem ſerviantur.* Eodem modo loquitur ſacra Congregatio in alia declaratione, quam adducit Barboſa *ad caput octavum*, *ſeſſione* 21. *Trident* tenoris ſequentis: *Per vim huius decreti licet Epiſcopo viſitare omnes Eccleſias, etiam regularibus ſubjectas, dummodo illarum miniſtri ſint ſæculares*: ergo quando illarum Miniſtri non ſunt ſæculares; ſed regulares, non poterunt ab Epiſcopis viſitari, quia exceptio firmat regulam in contrarium, quod eſt inter Doctores communiſſimum. ¶ Poterunt tamen viſitare Eccleſias Parochiales, quæ ſunt extra Monaſteria, ſi Eccleſia non ſit juncta, vel annexa Monaſterio, ſed plenè ſubjecta Epiſcopo, etiamſi religioſus illi inſerviat, etiamſi præſentatus ſit à ſuo Conventu cum approbatione Epiſcopi: quem poteſt punire non ob delicta perſonalia; ſed ob defectus officii, illius rationem petere, & de his, quæ ad ſacramenta pertinent inquirere juxta *caput decimum quintum*, *in eos*, *de privilegiis*, *in* 6. *cap. Parochia* 16. *quæſtione* 1. Trident. *ſeſſ.* 7. *c.* 8.

de reformat. & ſeſſ.15. cap.11. & ſeſſ 6. cap.3. ¶ Sed notat bene Bellarm. *in annotationibus ad cap.7. ſeſſ.7. de reformat.* Quod caſu quo delinquat religioſus in rebus ad ſuum officium, vel adminiſtrationem Sacramentorum pertinentibus, illum punire debet Epiſcopus ſecundum regulas ſuæ religionis, ac ſi delictum intra clauſtra commiſſum eſſet. Notat etiam Tamburin. *tom.3. diſputatione 5. quæſtione 11. num. 50.* Barboſa *in paſtoral. allegatione 74. num.18. & 20.* Quod non ſolum regularis, de quo loquimur ſubjicitur Epiſcopo in pertinentibus ad ſacramentorum adminiſtrationem; ſed etiam in concernentibus ad illa, v. g. qua reverentia Sanctiſſimum Sacramentum cuſtoditur, qua decentia altaria ſint diſpoſita, qualiter tractentur ornamenta, &c.

Qualiter Epiſcopus poſſit viſitare Eccleſias regularium, quibus ſæculares inſerviunt.

35. Poſſunt etiam viſitare quaſcumque Eccleſias, quamvis conventibus ſint annexæ, ſi per ſæculares Parochos adminiſtrantur, & præcipere totum concernens ad adminiſtrationem Sacramentorum, vel quomodolibet pertinens ad dictas Eccleſias, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus. Trident. *ſeſſ.7. cap. 7. & 8. de reform. & ſeſſ.25. cap.11. de regular.* Cujus poteſtas extenditur ſecundum diverſas declarationes Cardinalium, quas afferunt Bellarmin. & Barboſ. *ad cap.7. ſeſſ. 7. Concilii*, ad Eccleſias Parochiales ſubditas conventui, qui eſt caput religionis, niſi cum Monaſterio ſint incorporatæ, vel in illis habuerit generalis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem: vel denique per religioſos inſerviantur. Excipiuntur autem Eccleſiæ, & Parochiæ conventibus ſubjectæ, quæ ſunt nullius Diœceſis, ut eſt Abbatia de Parrazes, & Eccleſia oppidi del Eſcurial, & plures aliæ in Hiſpania, quia iſtæ omnino exemptæ ſunt ab Ordinariorum viſitatione, & ſolum per Priores dictorum Monaſteriorum, vel ejus miniſtros viſitari poſſunt. Tum ob plura privilegia Lucii III. Gregorii Magni, quæ circa hoc refert Hieronym. Rodriguez *reſolut. 13. num. 15.* Tum ob plures declarationes ſacræ Congregationis, quas ad longum referunt Bellarmin. & Barboſ. *locis citatis*, & hic ultimus *de iure Eccleſiaſt. libro primo, cap.14. numero 24. in collect. Bullarum Apoſtolic. extra ius collect. 4. verb. Abbatia, numero 4.* & affert plures alios.

36. Poſſunt etiam Epiſcopi viſitare confraternitates ſæcularium fundatas in Monaſteriis exemptis; ſed non illarum Capellas, vel altaria. Trident. *ſeſſ 22. cap.8.* quamvis altaria, vel Capellæ per confratres ſint extructæ, niſi in his, quæ concernunt adminiſtrationem confraternitatis. Barboſ. *ad cap. 8. ſeſſ. 7. num. 4.* Naldus *verb. Epiſcopus, num.20.* niſi ex conſuetudine habuerit, ut etiam altaria, vel Capellas viſitet. Bordon. *reſolut.7. num.97.* Lezana *tom. 2. cap.15. num.27.* Sed confraternitates proprias Ordinis, etiamſi ſæculares ad illas concurrant, ut Confraternitates Roſarii, Scapularis B. Mariæ de Monte Carmeli, Corrigiæ, &c. has viſitare non poſſunt, *ut num.31.* dicebamus. ¶ Sed ſi Confraternitatum, quas diximus viſitare poſſe Epiſcopos, fuerit Religioſus Præfectus, hunc viſitare non poterit ob privilegium Gregorii XIII. quod refert Garcia *tract 8. diff 3. dub.2. punct.3. num.11.* ¶ At contra hoc jus, ordinarii nulla poteſt in contrarium prævalere conſuetudo. Clement. *Quia contingit, de religioſ. domibus.* Et declaratum eſſe à ſacra Congregat. pro Epiſcop. & negotiis præpoſita anno 1615. 17. *Julii, & anno* 1622. die 10. *Julii*, teſtatur Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib.1. c.14. n.30.* & *in paſtoral. lib.3. allegat.75. à num.2.*

Sententia affirmans poſſe Epiſcopos viſitare clauſuram monialium exemptorum.

37. Reſtat modo aliquas reſolvere difficultates. Prima eſt: an poſſint Epiſcopi viſitare clauſulam monialium exemptarum, ad illam conſervandam, vel reſtituendam? In qua difficultate datur duplex ſententia: prima affirmativa, quæ probatur primo ex Tridentino, cui conſonat conſtitutio Pii V. *Circa paſtoralis.* Et alia Gregorii XIII. *Deo ſacris.* Dicit ergo Concilium *ſeſſ. 25. cap. 5. de regular. Bonifacii Octavi conſtitutionem, quæ incipit: periculoſo* (& habetur de ſtatu Monachorum in 6.) *renovans ſancta Synodus, univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione divini iudicii, & in terminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monaſteriis, ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apoſtolicæ authoritate clauſuram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt conſervari maximè procuret, &c.* Ubi ponderant Authores hujus ſententiæ, verba illa: *in aliis vero, &c.* in quo denotat Concilium, quod talis cura de jure ordinario convenit Epiſcopis, in Monaſteriis ſibi ſubjectis: in aliis vero ſibi non ſubjectis; ſed exemptis, ut Sedis Apoſtolicæ delegatus. ¶ Secundo ob diverſas, & plures declarationes Cardin. Congregat. Concilii, quas afferunt, & ponderant Authores ſtatim citandi, qui ad Concilium declarandum maximam authoritatem habent. ¶ Tertio ob conſtitutionem Gregorii XV. *Inſcrutabilis* editam anno 1622. & eſt Bulla 18. hujus Pontificis *in 4. tom. Bullarii*: ex qua id manifeſtè colligitur, atque ita tenent. Zerola *in praxi Epiſcopal. in 2. edition. parte prima, verb. Moniales, ad 4. quæſit.* Galetus *in Margarit. caſuum conſcientiæ verb. clauſura, numero primo*, Gavantus *in manual. verb. Monial. clauſ. à n.57.* Barboſa *de officio, & poteſtate Epiſcopi, allegat.* 102. *à n.7.* Lezana *tomo ſecundo, verb. Epiſcopus, numero decimo quarto.* Unde infert poſſe Epiſcopum viſitare clauſuram monialium, etiamſi alias viſitata nunquam fuerit, toties quoties expedire judicaverit: nec ab ipſis regularibus poſſe impediri; ac ingredi earum Monaſteria, & interrogare moniales, de pertinentibus ad dictam clauſuram.

Minimè poteſt Epiſcopus, Monialium exemptarú clauſuram viſitare.

38. Sed negativè reſpondendum eſt. Primo: quia *in cap. periculoſo*, quod citat Concilium, manifeſte talis cura circa clauſuram Monialium exemptarum, quæ ſunt regularibus ſubjectæ, Prælatis illarum conceditur: quod non fuit revocatum in Concilio Tridentino; ſed potius innovatum, ut conſtat ex ejus verbis. Quare per illa verba *in aliis vero, &c.* intelliguntur alia Monaſteria exempta, tamen regularibus minimè ſubjecta; ſed ſub immediata ſubjectione Sedis Apoſtolicæ poſita, ut ex dicto *cap. periculoſo* manifeſtè conſtat, ubi dicitur: *In Monaſteriis monialium ſive Ordinario verè ſubjectis, ſive in his verò, quæ ad Romanam ſpectant Eccleſiam Sedis Apoſtolicæ authoritate, &c.* Quod etiam expreſsè dixit Pius V. in ſuo motu proprio. *Circa paſtoralis.* Quare eodem modo intelligendum eſt Tridentinum, renovans caput illud *Periculoſo*, ac intelligitur ipſum caput, quod Concilium renovat, & confirmat: quia conſtitutio renovans, aut interpretans, intelligi debet

juxta

juxta illam, quam revocat, & interpretatur, ut multis probat Sanchez *lib.7. de matrim. diſputatione 46. num. 21.* Et eodem modo interpretari poterant declarationes Cardinalium, quæ adducuntur à contrariis. ¶ Secundo probatur ex immemorabili conſuetudine, maximè in Hiſpania adhuc poſt Concilium, introducta, & obſervata, quæ eſt optima legum interpres. In qua nunquam audivimus, nec vidimus oppoſitum practicari. Unde declarationes in contrarium adductæ, intelligi poterunt ubi non viguerit conſuetudo in contrarium, per plures annos frequentata, videntibus, & non contradicentibus ordinariis. Præterquam dici poterat dictas declarationes ſuſpenſas, vel non receptas fuiſſe in Hiſpania, ſicut de motu illo Gregorii XV. ſtatim dicemus. Sic Miranda *de ſacris monialibus, quæſt.2. art.14. num.3.* Llamas *in method. curation. in appendic. quam ponit in tom.7. num.55.* Pellizzar. *tract.10. cap.51. ſect.1. num.6.* Bruno Caſſaing. *tract.2. cap.3. propoſ.4.* Navar. *comment. 4. de regul. num.60.* Sanchez *in decalog. lib 6. cap.15. num.21.* Bonacin. *appendic. de clauſur. quæſtione prima, puncto ſexto*, & alii.

Conſtitutio Greg. XV. eſt pro regnis Hiſpaniæ ſuſpenſa.

39. Ad illam conſtitutionem Gregorii XV. dicimus non fuiſſe in Hiſpania receptam, ſed pro Hiſpania ſuſpenſam fuiſſe, ut teſtatur Lezana *loco citato*, & *tom.1. part.1. cap.19. num.35.* Portel. *tom.2. part.2. caſu 13.* Garcia *tom.1. difficult.3. dub.2. punct.3. num.16.* Pro quo nota, quod in dicta conſtitutione, quatuor inter alia dicebantur. Primum, quod non poſſent regulares mittere pro confeſſario ordinario, vel extraordinario ſuarum monialium eum, qui non eſſet ab ordinario approbatus. Secundum: quod procuratores, & miniſtri conventus monialium tenerentur rationem reddere Epiſcopis redditum, & aliorum bonorum temporalium, & conſumptionis eorum, & expenſarum. Tertium, quod Epiſcopus poſſit monere ſuperiorem, ut auferat à Conventu Monialium confeſſorem, procuratorem, vel alium miniſtrum: & ſi Prælatus non faciat, poſſit Epiſcopus eos amovere. Quartum, ut poſſit aſſiſtere electionibus Abbatiſſarum, & Prioriſſarum, & in eis præſidere. Inſuper ea, quæ pro contraria ſententia referuntur in hujuſmodi motu proprio continebantur. Cujus conſtitutionis, plures Cardinalium declarationes de maudato Urbani VIII. anno 1625. prodiere. Quarum aliquas refert Riccius in deciſione Curiæ Neapolitanæ *deciſ.144. poſt num. 12. part.4.* & ex illo, Barboſa, & Lezana *locis citatis*. Sed nec talis motus proprius, nec illius declarationes in Hiſpania fuerunt receptæ; ſed ab Urbano VIII. pro Hiſpania ſuſpenſa: quia ex communi conſenſu religionum in unum congregatarum, ſupplicatum eſt Apoſtolicæ Sedi, illi inconvenientia maxima emergentia ex ipſis exponentium. Ob idque juſſu Urbani VIII. pro Regnis Hiſpaniæ fuere ſuſpenſa, ut conſtat ex brevi Nuntii Apoſtolici tunc temporis exiſtentis, & poſtea Eminentiſſimi Cardinalis Saccheti 21. Aprilis anno 1625.

Duplici modo, quo poteſt procedere difficultas explicatur.

40. Secunda difficultas eſt, an poſſint Epiſcopi viſitare teſtamenta, & illorum reddere rationem teneantur regulares, quando Monaſteria eorum hæredes relinquuntur univerſales? An vero teneantur reddere rationem Epiſcopis, quando religioſi exempti ſunt teſtamentarii, ſeu executores teſtamentorum, diximus *ſupra tract.15. cap.7. num.85.* Modo inquirimus de teſtamentis, in quibus relinquuntur hæredes: quod bifariam poteſt contingere. Primo quando teſtator relinquit hæredem Monaſterium, abſque aliquo onere; vel ſi onus aliquod relinquit, eſt intra idem Monaſterium: ut ſi tot Miſſas, tot anniverſaria perpetua in tali Monaſterio celebranda, pro onere relinquat. Poteſt quæri, an Epiſcopus poſſit hoc teſtamentum viſitare, & inquirere, an dicta onera executioni mandentur? Secundo: quando hæres relinquitur Monaſterium, cum onere extra illud exequenda, ut ſi tot legata ſæcularibus relinquat ſolvenda, vel ſi quotannis tot ducata tali, vel tali tribuantur? In utroque caſu poſſe Epiſcopum viſitare teſtamenta, videtur probari primo ex pluribus textibus, quos adducit Franciſcus Carpius de executoribus, & commiſſariis teſtamentorum. In quibus jus Canonicum, & Civile tribuunt facultatem ordinariis, ut cognoſcant de ultimis voluntatibus; & teſtamentis: & hoc abſolutè non excludendo, quando hæredes ſunt ipſi regulares. ¶ Secundo: quia in Tridentino *ſeſſ.22. cap.8. de reformat.* tribuitur facultas Epiſcopis viſitandi hoſpitalia, confraternitates, & omnia legata pia, ſine eo, quod diſtinguat ſi ſunt, vel non hæredes Monaſteria; & hoc cum clauſula: *Non obſtante quacumque immemorabili conſuetudine, ſtatuto, vel privilegio in contrarium.* Quæ rationes urgentiores ſunt, quando Monaſterium hæres relinquitur, cum onere extra exequendo. Quod ſic tertio probari poteſt: quia licet bona conventus exempti, ex impta ſint à juriſdictione, & viſitatione Epiſcopi; cæterum legata teſtamentorum, quæ ſiunt diverſis perſonis Eccleſiaſticis, aut ſæcularibus, exempta non ſunt; ſed cadunt ſub juriſdictione Epiſcopi: ergo dato, quod hic non poſſit illa teſtamenta viſitare, in quibus hæres relinquitur Monaſterium, abſque onere extra exequendo, bene tamen illa, in quibus hæres inſtituitur ſub conditione ſolvendi aliquid extra Monaſterium: aliter non poſſent creditores ſibi debita acquirere, neque eſſet quomodo cogi poſſet Monaſterium ad ſolvendum, ſi onera aſſignata ſolvere recuſaret. Hæc certè probabilem hanc ſecundam partem relinquunt; ſed neminem vidi pro illa.

41. Sed negativè reſpondendum eſt in utroque caſu. Primo propter diverſa privilegia conceſſa regularibus, quæ refert Tambur. *tom.1. diſput.15. quæſt.4.* quæ licet circa hoc expreſſæ non loquantur; veruntamen continent univerſalia, quæ omnia comprehendunt. Sed licet alia prætermittamus, duo univerſaliſſima proponemus. Primum eſt Eugenii IV. conceſſum Monachis S. Benedicti, ubi inter alia dicit: *Jura, juriſdictiones, prædia, poſſeſſiones quaſlibet, & bona quæcumque, quæ in præſenti ſunt, & in futurum erunt aggregata, & noſtra religioni perpetuo eximimus, & totaliter liberamus.* Quæ ultima verba, ut bene docet Tambur. *diſput.15. quæſt. num. final.* liberant religionem à juriſdictione Epiſcopi, in omnibus, quæ expreſsè non fuerint in oppoſitum declarata, uti non eſt caſus noſter, cum non detur jus, aut Bulla, quæ expreſsè dicat poſſe Epiſcopum teſtamenta, in quibus Monaſteria relinquuntur hæredes, viſitare, aut curare, ut onera aſſignata intra Monaſterium, exequantur. ¶ Secundum eſt Sixti V. poſt Tridentinum conceſſum Clericis

Viſitare non poſſit Epiſcopus teſtamenta in quibus relinquuntur regulares hæredes.

regularibus S. Congregationis de Somaſcha anno 1585. quod *in 2. tom. bullar.* reperitur, & eſt in Ordine bulla 4. ubi liberat: *Religionis bona tam mobilia, quam immobilia, res tam ſacras, & Religioſas, quam profanas ubique exiſtentes ab omni juriſdictione, poteſtate, dominio, ſuperioritate, ſubjectione, viſitatione, correctione quorumcunque ordinariorum, & aliorum judicum Eccleſiaſticorum. Non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus Apoſtolicis, & Conciliis generalibus, & Provincialibus editis, &c.* Et in hoc privilegio illa clauſula non reperitur: *Quatenus non contrariantur Concilio Tridentino:* per quod, eſto hæc reſolutio eſſet contra Tridentinum, quod minime eſt, cenſetur revocatum, ut latè probat, & eruditè Franciſcus Maria Samuelius *tom. 5. de elect. Canonic. tract. 1. controverſ. 11. n. 9. & 10.* ex Dominicana familia Doctiſſimus Magiſter. ¶ Secundo probatur aſſertio ex deciſione Rotæ, & ſententia lata ab ipſa circa litem, quæ de hac materia exorta fuit in Diœceſi de Hueſca inter Patres Societatis, & ordinarium, quam ponderat Hieronymus Garcia *tom. 1. Politica regular. tractat. 8. difficult. 3. dub. 4. punct. 2. num. 8.* quem ſolum vidimus hanc quæſtionem excitaſſe, & huic noſtræ aſſertioni adhæſiſſe.

Solvuntur contraria fundamenta. 42. Ad primum pro contraria ſententia dicimus, quod textus in contrarium adducti ſolum probant, quod poſſint Epiſcopi de jure communi: ſed contra hoc dantur privilegia recenſita regularium. ¶ Ad ſecundum dicimus Concilium expreſsè loqui de Hoſpitalibus, Collegiis, &c. *Laicorum*, & ſic illud dicere tantum reſpectu laicorum, ut notat Barboſa in re miſſionali ad dictum locum Concilii. ¶ Ad tertium dicimus, quod hoc ipſo, quod hæres inſtituatur Monaſterium, omnia bona defuncti tranſeunt in jus illius: unde etiam legata, quæ unum corpus cum aliis bonis faciunt, in dominium tranſeunt Monaſterii, quamvis cum onere, hoc vel illud ſolvendi: id enim trahit ſecum hæredis inſtitutio, quæ diffinitur: *quod eſt ſucceſſio in univerſum jus defuncti.* Cum ergo dicta legata ſint inter Monaſterii bona computata, & bona Monaſterii, *quæcumque ſint*, ſint exempta à juriſdictione, & viſitatione Epiſcopi, ut dicunt privilegia ſupra relata; non poterunt circa illa Ordinarii ſe intromittere, nec ſuper hoc regulares perturbare: qui ſi onera extra debita ſolvere recuſent; ad hoc dantur Prælati Superiores intra Religionem; & extra Nuntius, & Papa, à quibus compelli poſſunt, ut ſolvant.

---

§. VI.

Qualiter in cauſis criminalibus dependeant Religioſi exempti ab Ordinariis?

Epiſcopi nullũ actum juriſdictionis in regulares exemptos valent exercere. 43. Circa quod certiſſime ſtatuendum eſt, non poſſe Epiſcopos abſolute, niſi in caſibus in jure expreſſe illis conceſſis, procedere aliquomodo contra Religioſos exemptos formando contra eos proceſſum, citando, examinando eorum mores, & vitam. Tum, ob eorum exemptionem, quæ præcipuè in hoc elucere debet. Tum etiam, quia Pontifices id in ſpecie multoties regularibus conceſſere: ut Clemens IV. in bulla, quæ affertur in libro, *Monumenta Ordinum, in 1. edition. fol. 57. & in 2. fol. 141. conceſ. 145. & eſt 4. in Ordine Bullar.* Cherubin. & Sixt. IV. *in bull. quæ dicitur mare magnum, & eſt 33. in bullar.* Rodriguez, & Cherubin. ubi ſub graviſſimis pœnis, & cenſuris ipſo facto incurrendis, prohibent quod ordinarii ſe intromittant in cauſis Religioſorum, neque eos citari poſſint, contra ipſos formare proceſſum, aliumve actum juriſdictionis exercere, præter ea, quæ eis in jure conceduntur: irritum, & inane reddendo, quidquid in oppoſitum facere attentaverint. Emanuel Rodriguez *tom. 2. q. 63. art. 3.* Hieronym. Rodriguez *reſolut. 63. num. 17.* Sanchez *conſil. tom. 2. lib. 6 c. 9. dub. 2. num. 15.* Garcia *tract. 8. difficult. 3. dub. 1. punct. 1. num. 2.* Lezan *tom. 2. verb. cauſa judicialis, num. 15. & verbo Epiſcop. num. 8.* qui addit hoc procedere, etiam in caſu, quo id prætenderent facere: eo quod Prælati regulares eſſent negligentes in ſubditorum punitione. Vnde ſi Prælatus regularis ſit negligens in exemptorum correctione, non devolvitur poteſtas corrigendi ad Epiſcopum, qui in illos nullam habet juriſdictionem; ſed ad Prælatum, qui Superior eſt illo Prælato regulari, uti ex Gloſſ. *in c. gravi, de Officio Ordinarii, verſu corrigere*, & Panormit. *ibi num. 6.* docet Sanch. *num. 26.* & Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 25. num. 4.* qui *num. 5.* & Sanchez *num. 27.* bene addunt, quod ſi ordinarius tentet procedere contra exemptos in quavis cauſa habili, vel inhabili; proceſſus, & ſententia inde ſequuta ſunt ipſo jure irrita, & nullum pariant præjudicium, nullumque effectum operantur. Verum eſt, quod juxta *cap. quamto, de Officio Ordinarii, & Clement. unic. de teſtament.* poſſunt negligentiam Superiorum ſupplere, apoſtatas, & fugitivos comprehendendo, ut ad Superiores remittant, & ſi ab eis longè diſtent, monendo illos, ut redeant ad Religionem, & ſuis ſe Prælatis præſentent, & ſi noluerint parere eos incarcerando, & pœnis condignis, in jure pro apoſtatis aſſignatis, puniendo. Mirand. *in manual. tom. 1. quæſt. 51. art. 3.* Barboſ. *in Paſtoral. part. 3. alleg. 105. à num. 14. & de jure Eccleſiaſt. lib. 1. c. 11. n. 61.* Lezan. *tom. 1. c. 16. n. 17.* Garcia *n. 5.*

44. Sed objicies, quod Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi, ut habetur *in c. volentes, de privilegiis in 6.* ſtatuit quod *quacumque ratione exempti gaudeant libertate, nihilominus ratione delicti, ſive contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, licitè poſſunt coram Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem, prout jus exigit, exercere:* ergo ratione delicti, aut contractus, aut rei de qua contra ipſum agitur, poteſt Religioſus exemptus coram ordinario locorum conveniri, & hic contra illum ſuam juriſdictionem exercere. ¶ Nec valet dicere hoc decretum derogatum eſſe per plura, & diverſa privilegia conceſſa poſt illud regularibus, quibus conceditur jus, ut nec ratione contractus, nec ratione delicti, aut rei de qua agitur, poſſint ab ordinariis moleſtari. Nam licet hoc ita eſſet, tamen Concilium Tridentin. *ſeſſ. 7. cap. 14.* dictam conſtitutionem innovavit, ait enim: *In exemptorum cauſis conſtitutio Innocentii IV. quæ incipit; volentes in Generali Concilio Lugdunenſi edita, ſervetur: quam Sancta Synodus innovandam eſſe cenſuit, & innovat,* revocant quoad hoc omnia privilegia per clauſulam non obſtantibus, &c. *Objectio cõtra dicta, ex Concilio Lugdunenſi, & Trident.*

45. Reſpondetur, nec Concilium Lugdunenſe, neque Tridentinum, aliquid contra regulares, *Solvitur præcedens objectio*

gulares, ſaltem intra clauſtra degentes decernere (quid vero de illis, qui vel extra clauſtra vivunt, vel viventes intra, extra delinquere contingat dicemus poſtea.) Nam in primis idem Innocentius IV. in bulla, quæ incipit: *Cum olim duxerimus*, data Peruſii 15. Kalendas Octobris, Pontificatus ſui anno 10. interrogationi Fratrum Minorum, *An in decreto à ſua ſanctitate edito, ipſi comprehenderentur?* Reſpondit: *minime fore comprehenſos, nec tale decretum aliquod præiudicium immunitatibus eorum, & exemptionibus inferre poſſe; ſed eas in ſua vi, & robore reliquiſſe.* Quod etiam Ordini Ciſtercienſium conceſſit in bulla, quæ incipit: *Cum nuper*: & Pius V. in bulla: *Etſi mendicantium*, quæ eſt mare magnum Prædicatorum, confirmata in ſpecie ab Vrbano VIII. in bulla, quæ incipit: *In plenitudine.* Vbi inter alia inquit Pius V. *Nos vobis, ut occaſione conſtitutionis hujuſmodi* (loquitur de illa Innocentii IV. de quo modo agimus) *nullum libertatibus, & immunitatibus vobis, & Ordini veſtro privilegiis, & Indulgentiis à Sede Apoſtolica conceſſis, vel impoſterum concedendis præjudicium generetur, authoritate præſentium indulgemus, decernentes vos, ſeu perſonas veſtri Ordinis in prædictis caſibus Ordinariis ipſis minimè ſubjacere.* Inſuper Martinus V. per bullam emanatam in favorem Prædicatorum, & habetur *in Compend. priv. mend. verb. exemptio*, & Idem Martinus V. in alia bulla pro Minoritis, quæ incipit: *Inter cæteros*, ſic ait: *Ita quod nec ratione delicti commiſſi, vel initi contractus, aut rei ſita, poſita, vel exiſtentis extra loca veſtra exempta, poſſitis coram eis (non obſtante conſtitutione felic. record. Innocentii Papa IV. prædeceſſoris noſtri edita in contrarium) impeti, moleſtari, ſeu quomodolibet conveniri.* ¶ Tridentinum vero loquitur de his, qui extra clauſtra degunt, & poſt monitionem eorum factam Prælatis, negligentes ſunt in eorum punitione, ut in dicta bulla Pii V. *Etſi mendicantium*, §. 26. expreſsè dicitur. Maneat ergo hujuſmodi correctiones, & delictorum cognitionem, non expectare ad Epiſcopum; ſed ad Prælatum regularem: ut conſtat *ex cap. Grave gerimus, de Officio Ordinary.* Vbi Pontifex Epiſcopum corrigit eo, quod quaſdam ſententias, etiam in vi ſuarum litterarum, adverſus quoſdam regulares tulerat, etiamſi eorundem Abbas paratus eſſet illos corrigere. Et Paulus V. bulla conceſſa Congregationi Fulienſium, & habetur in compendio privilegiorum, verbo *exemptio*, §. 3. ſic dicit: Quod ſi Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarii, Vicarii, judices, officiales, &c. etiam ratione delicti, vel contractus, vel de re, de qua ageretur, prædictas perſonas exemptas, videlicet perſonas utriuſque ſexus illius Congregationis in aliquo perturbare præſumpſerint, ipſo facto excommunicantur; nec poſſunt abſolvi niſi à Romano Pontifice, & in articulo mortis: & quidquid attentatum fuerit, irritum, & inane declaratur.

Duplex caſus proponitur ex Tridentino regulares exempti Epiſcopis ſubiiciuntur.

46. Sed licet hæc ita ſint; in duobus caſibus datur per jus Tridentini facultas ordinariis procedendi contra regulares exemptos. Primus contra eos, qui extra clauſtra degentes delinquunt. Secundus contra eos, qui degentes intra clauſtra, extra illa cum ſcandalo populi notorio delinquunt. Primus habetur *ſeſſione 6. de reformat. cap. 3.* ubi dicitur: nemo regularis, extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegiis prætextu, tutus cenſeatur; quominus ſi deliquerit, ab ordinario loci, tanquam ſi per hoc à Sede Apoſtolica delegato, ſecundum Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat. ¶ Secundus habetur *ſeſſ. 25. c. 14.* per hæc verba: *Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiori, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſevere puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat; ſin minus à ſuo Superiori officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.* ¶ Verumtamen, quia aliqui Superiores admoniti de delictis ſubditorum extra Epiſcoporum Diœceſim ex induſtria impunitos tranſmittebant. Clemens VIII. in motu proprio anno 1596. edito incipiente: *Suſcepti muneris* eſt bulla 39. inter bullas huius Pontificis, præcipit omnibus, & ſingulis Superioribus cuiuſcumque Ordinis in virtute ſanctæ Obedientiæ, & indignationis Apoſtolicæ, ac privatione dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipſo incurrendis pœnis, ut prædictum decretum, in omnibus, & per omnia exequantur. Cæterum ſi illum impunitum ad alia ſuorum ordinum loca extra Epiſcopi Diœceſim tranſmiſerit; decernit, ut Superior inſtante Epiſcopo intra terminum ab eo præfigendum, & ſub eiſdem pœnis, nec non privationis activæ vocis, & paſſivæ ipſo facto incurrendæ; quarum diſpenſationem Sedi Apoſtolicæ reſervavit; ipſum delinquentem à loco in quem tranſmiſſus fuit revocare, & in quo deliquit conſtituere, ſeu ſiſtere teneatur. Quod ſi hoc facere prætermiſerit, ſtatuit ut ordinarius loci ad quem delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo ordinario loci ſimiliter requiſitus, vel aliàs de illius delicto informatus, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatus prædictum Concilii decretum omnino exequi, & regularem delinquentem ſevere animadvertere poſſit, & debeat. ¶ Sed hoc decretum Clementis VIII. ſolum procedit, quando Superior Religioſi delinquentis notoriè, in alium locum eum tranſmiſit, ut impunitus remaneat: ſecus vero, ſi tranſmittat illum vel in pœnam delicti, vel ut ab occaſionibus retrahat, vel ut decentius, & commodius eum punire valeat. Peyrin. *tom. 1. privileg. in conſtit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 69.* Lezana *tom. 1. cap. 16. num. 27.* Rodriguez *tom. 2. quæſt. 2. art. 6.*

47. Sed circa præfata Concilii decreta notandum eſt primo: non dici degere extra clauſtra Religioſum, qui cauſa Prædicationis, Confeſſionis, aut alterius negotii ad tempus, & non permanenter extra Monaſterium moratur: quia Concilium non dicit *exiſtens*, ſed *degens*: Degere autem denotat exiſtentiam permanentem; non brevem, & tranſeuntem. Peyrin. §. 11. *num.* 29. Lezana *num.* 10. Sed qui ad longum tempus degunt extra Monaſterium, habentque, extra illud quaſi domicilium ex aliquo particulari indulto, & non ſubjiciuntur communi correctioni, & viſitationi Prælatorum. ¶ Similiter etiam vacantes ſtudiis, vel aliis negotiis, etiamſi domicilium ob id per multum tempus extra habuerint; non ſubjiciuntur correctioni ordinariorum, ſi degunt in aliquo Conventu alterius ordinis: quia Tridentinum ſolum dicit: *extra Monaſterium degentes.* Quæ diſpoſitio cum ſit odioſa, utpote exemptioni regularium adverſa, amplianda non eſt; ſed reſtringenda ad eos, qui extra Monaſterium quodcumque degunt; excludendo eos, qui degunt

intra Monaſterium, tametſi alterius Ordinis proprium. Bordon. *reſolut.7. num.58.* Pellizzar. *tract.8.cap.6.ſect.1. num.9.* Qui vero in grangiis, vel in aliis partibus dependentibus à Monaſterio pro ſervitio Religionis exiſtunt, non ſubſunt correctioni Epiſcoporum, eo quod grangiæ ſunt quaſi partes Monaſterii, & membra ab illo dependentia: fruunturque proinde privilegiis Monaſterii, *cap. recolentes, §. Monaſterium, de ſtatu monachorum*, & ſic in grangiis, in quibus reſident, delinquunt, intra Monaſterium delinquere cenſentur. Tambur. *diſp.15. q.7.num.9.* Sanchez *conſil.tom.2.lib.8.cap.9.dub.2. num.4.* Barboſ. *ad cap.3.ſeſſ.6. Trident.num.5.* Bellarmin. *in annotation. ad idem Concil. ſeſſ.7.cap.14.* ubi declarationem Cardinalium circa hoc adducit.

Non oſtenditur juriſdictio Epiſcopi ad regulares, de licentia Superiorum, extra Monaſteria degentes.

48. Sed difficultas eſt inter authores, an juriſdictio Epiſcopi viſitandi, vel puniendi regulares, qui extra monaſterium degunt, extendatur ad illos, qui etiam per multum tempus de licentia Superiorum ſuorum, extra clauſtra vivunt? ut ſi ad erectionem novi monaſterii, duo, aut tres Fratres abſque obſervantia regulari, pro directione operis ibi exiſtunt, ſine eo, quod vivant ſub aliquo Superiori conventualiter? Plures ſunt, qui hoc aſſerunt ob diverſas declarationes ſacræ Congregationis, & deciſiones Rotæ, quas adducunt. Sic Tambur. *loco citato, num.7.* Barboſ. *in Paſtor. allegat.105. num.16.* Navar. *in lucern. regular. verbo delinquens, num.10.* Garcia *tract.8. difficult.3. dub.1. punct.5. num.4. fine.* Lezana *verb. Epiſcopus, n.24.* retractans, quod loco pro nobis adducendo, tenuerat. ¶ Sed negativè reſpondendum eſt: nam monachus, qui de licentia ſui Superioris degit extra monaſterium, intra illud cenſetur habitare, *cap.ex reſcripto, de jurejurando.* Tum etiam: quia æquum non eſt, ut qui à ſuo Superiori vocari, viſitari, & puniri poteſt, alteri extraordinario judici ſubdatur. Lezana *tom.1.cap.11. num.8.* Sylveſter *relig.3. q.19. dict.2.* Sanchez *dub.2.num.4.* Zeſpedes *de exempt.dub.241.num.3.* Pellizz. *num.9.* Peyrin. §.51. *num.12.* Bordon. *reſolut.7.num.56.* Henriquez *lib.7.de Indulgent.c.24. num.2. in comment, littera O, & cap.25. num.11.* & hinc inferunt Sanchez, & Henriquez, quod, qui de licentia Superiorum inſervit alicui Eccleſiæ, non poteſt viſitari, aut puniri ab Epiſcopo. Quare in prædicto decreto Concilii comprehenduntur, qui ſine debita licentia extra monaſterium degunt: vel certè de illis, qui etiam cum licentia, ita longiſſimè a clauſtris exiſtunt, ut nec viſitari, nec niſi poſt longiſſimum tempus à ſuis Superioribus poſſint puniri. Quomodo intelligendas eſſe declarationes in contrarium, aliqui ex noſtris dicunt.

Explicatur decretum Concilii, regulares exemptos, Epiſcopis in aliquo caſu ſubjiciens.

49. Circa ſecundum decretum Concilii notandum eſt ſecundo: quod ſi delinquens fuerit Prælatus, non poſſet Epiſcopus ex vi decreti Concilii inſtare Provincialem pro illius correctione: & ſi omittat eam, non poterit ordinarius ſe in hoc intromittere: quia facultas procedendi contra regulares delinquentes cum ſit odioſa, non debet niſi ad caſus in iure expreſſos extendi. In quo cum ſolum detur juriſdictio Epiſcopis contra Religioſos, non debet extendi ad Prælatos: quia nomine *Religioſi* in odioſis, non venit prior, ſicut nec nomine monachi Abbas, teſte Naldo, *verb. Abbas, n.1.* Diana *3.part. tract.2. reſolut.48. verſu nota tertio.* Quare ſic declaraſſe ſacram Congregationem refert Alphonſus de Leon *recollect.2. de cenſur. num.496.* & tenent Zeſpedes *dub. 240. num.1.* Pellizz. *num.12. verſu quod ſi.* ¶ Tertio notandum eſt, quod ut Epiſcopus poſſit ex vi dicti decreti procedere contra regularem delinquentem, debet delictum eſſe notorium rigoroſe notorietate facti; illud, ſcilicet, quod ita evidens eſt, quod nulla tergiverſatione cælari poſſit, *cap. cum olim, cap. final. de verborum ſignificatione:* quia Concilium dicit: *ſi notoriè deliquerit*, & cum ſimus in materia odioſa, tollens exemptionem regularium; non eſt amplianda, ſed reſtringenda ad notorium propriè dictum. Lezana *tom.1. cap.16. num.27.* Bordon. *reſolut.7. n.12.* Pellizz. *tractat.8. cap.6. ſect.1. num.12. §. Porro.* Quamvis ſit probabile non requiri, quod delictum ſit vere, & rigoroſè notorium; ſed ſufficit ita eſſe notorietate factum, ut populo ſcandalo ſit, quia ita Concilium dicit: *Ita notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit.* Zeſpedes *dub.237. num.9.* ¶ Et ob id ſi Religioſus in ſua propria Eccleſia, notoriè, cum ſcandalo delinquat, poteſt puniri ab Epiſcopo in defectum Prælati, niſi clauſa fuerit Eccleſia, & abſque ſecularibus, qui ſcandalizari poſſint: & ita non ſemel deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione teſtatur Peyrin. *tom.2. de privileg.cap.2.num.35.* & tenent Bordon. *num.12.* Pellizz. *num.9. §. quod autem,* Spetellus *deciſ.38.num.15.* Sed certe oppoſitum eſt probabilius: quia Concilium ſolum ſubjicit regularem degentem intra monaſterium, & extra illud delinquentem, Epiſcopo: ſed cum Eccleſia ſit pars monaſterii, cum illi eſt unita, intra monaſterium delinquere cenſetur, qui intra ſuam Eccleſiam excedit. Et ita tenet Barboſ. *de jure Eccleſ. lib.1. cap.11. num.63.* ubi plures declarationes Cardinalium adducit Rodriguez *in additione ad Summ tom.3.cap.38.num.3.* Portel. *verb.Relig.num.9.* Garcia *num.4.* & declarationes in oppoſitum adductæ loquuntur de Eccleſia ſubjecta Epiſcopo, non vero unita monaſterio. ¶ Quarto notandum eſt, non ſufficere, quod ſemel Epiſcopus moneat prælatum delinquentis, terminum ei præfigendo, ut ſi negligat, procedat ad punitionem Religioſi: ſed bis, & ter id facere debet: quia Concilium dicit: *Epiſcopo inſtante*, & verbum *inſtare* importat ſpeciem quandam importunitatis, teſte Baldo *in l.eos, §. Apoſtolos, num. Codex, de appellationibus*, & quia unica interpellatio non ſufficit, ut dicatur ſtare per judicem, quominus cauſam expediat, *cap.1. de ſupplend. neglig. Prælat.* & tenet Ioan. Antonius Navar. *ſumm. bullar. ſuper bull. Clementis VIII.* Zeſpedes *dub.237.* Pellizz. *n.52. §.ut vero.*

Epiſcopus non poteſt proceſſare regularem delinquentem.

50. Sed rogabis an Epiſcopus poſſit comprehendere Religioſum extra notoriè delinquentem, & in carceribus detinere donec formet proceſſum contra illum, ut ſimul cum proceſſu eum ad Superiorem remittat, ut ſecundum proceſſatum illum puniat? ¶ Reſpondetur, quod quantum attinet ad proceſſum, licet poſſit ordinarius ſtatim capere ſummariam informationem delicti, eamque mittere ad Prælatum delinquentis, ut teſtes examinet, & juridicè procedat; ipſe vero nequit proceſſum juridicum formare, juxta deciſionem Congregationis, quam refert Bellarminus *ad Caput 14. ſeſſ.25. Concilii*, & motum proprium Pii V. multoties citatum: *Etſi mendicantium.* Verum eſt teneri in tali caſu Superiorem remittere ad ordinarium acta, & proceſſum à ſe factum, vel illi dare

plenam

plenam notitiam punitionis, ut conſtet ei executum eſſe, pro quo inſtavit. Sic deciſum eſt 24. Decembri, ann. 1630. aſſerit Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 42. num. 117.* Tambur. *tom. 3. diſp. 5. q. 11. n. 64.* ſed non poſſe proceſſum formare, & ſi formaverit eſſe nullum, & irritum. Idem motus proprius Sixt. IV. Clementis VIII. & Pii V. tenent idem Barboſ. Tamburin. & Lezana *tom. 1. cap. 16. num. 26.* Bordon. *reſolut. 7. num. 13.* Bruno *tract. 2. cap. 4. prop. 2.* Garcia *dub. 1. punct. 1. num. 7.* ¶ Vnde non poſſet Prælatus regularis per proceſſum factum ab Epiſcopo ſubditum punire, ſed novum ad hoc formare teneretur: quia proceſſus factus à judice non competente, eſt nullus, & reus puniri non poteſt per proceſſum irritum, vel abſque proceſſu valido: quamvis validum eſſe talem proceſſum, quamvis illicitè factum non improbabiliter dicant Peyrin. *n. 65.* Portel. *in reſponſ. caſuum moral. part. 1. caſu 19.* Naldus *verb. Epiſcopus num. 28.* & tunc poſſet prælatus regularis, cum ſolo proceſſu facto ab ordinario punire ſubditum: quia bene poteſt unus iudex cum proceſſu facto per alium punire delinquentem: ut quando judex Eccleſiaſticus clericum degradatum tradit puniendum brachio ſæculari. Sic citati, & Bordon. *reſolut. 7. num. 14.* ubi probat, quod etiam ſi proceſſus nullus exiſtat, poteſt Prælatus per illum procedere ad punitionem, ſine eo, quod novum formare teneatur: maxime de conſenſu rei: *Quia non refert undecumque crimina claruerint, & puniatur, cap. ecce crimen 24. q. 3.*

Non poteſt Epiſcopus regularem exemptum incarcerari.

51. Poteſt etiam Epiſcopus, ſi ſit periculum fugæ, & aſſumpta informatione debita ſuper notorietate delicti, regularem delinquentem comprehendere, & detinere, ſi delictum ſit grave, & ſcandaloſum, ad effectum remittendi eum ad Superiorem, & hoc intra 25. horas, juxta *cap. cum non ab homine, de iudiciis.* Sicut de clerico, qui in hoc caſu poteſt capi à judice ſæculari, fatentur omnes, ut eum remittat intra 10. horas ad Superiorem Eccleſiaſticum, *per l. capite. ff. ad legem Iuliam, de Adulteriis.* Sed hoc quando (ut diximus) eſt periculum fugæ, & delictum eſt ex gravibus, & ſcandaloſis, ut ſimili tradit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de regularibus, cap. 6.* Ibi: *& in atrocioribus delictis depoſitionem, vel degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideo opus ſit perſonali detentione, &c.* Quod in præſenti tenent Pellizz. *num. 11.* Barboſ. *de officio, & poteſt. Epiſcop. allegat. 105. num. 64.* Diana *3. part. tract. 2. reſolut. 132.* Zeſped. *dub. 238. num. 2.* Portel. *caſu 19.* Peyrin. *tom. 1. conſtitut. 2. Sixti IV. §. 11 num. 62. & 63.* Sanch. *tom. 2. conſil. cap. 9. dub. 2. num. 31.* Lezana *tom. 1. cap. 16. num. 26 & tom. 3. verbo delinquens regularis, num. 2.* ¶ Sed talis detentio, ut diximus ſolum poteſt fieri ad effectum, ut impediatur fuga, & reus ſine mora ad regularem prælatum remittatur, non per modum pœnæ, ſupplicii, aut vexationis: & ſi in carcere vexet, incurret Epiſcopus in Canonis excommunicationem; nam in quadam declaratione Cardinalium, quam adducit Bellarmin. *ad caput 14. ſeſſ. 25. Concilii,* ſic dicitur: *Epiſcopus non poteſt regularem delinquentem incarcerare; ſed ſolum inſtare apud Superiorem pro pœna.* ¶ In delictis vero, quæ gravia non ſunt, neque ſcandaloſa, non poteſt Epiſcopus regularem delinquentem incarcerare; ſed ſufficit, quod promittat, vel fidejuſſorem det, quod ad Superiorem ibit, & illi præſentabitur, & ſi in carcerem trudat, aut violenter detineat, incurret excommunicationem Canonis; quemadmodum illam incurret excedendo in captura ſubditi clerici, ut bene Gloſſa *cap. ſi clericos verb. excedat de ſentent. excommun. in 6.* ſic citati.

PUNCTUM II.

De privilegio regularium exemptionis à ſolutione decimarum.

52. Antequam privilegium hoc explicemus, quod tot lites inter regulares, & Epiſcopos, inter Parrochos, & regulares excitavit; prius breviter aliqua circa obligationem decimas ſolvendi attingemus: ut maneat obiter quintum Eccleſiæ præceptum explicatum. Quare hoc punctum triplici §. dividemus. In primo obligationem ſolutionis decimarum à fidelibus præſtandæ proponemus. In ſecundo, quod ex jure communi privilegium competat regularibus. In tertio, de ſpecialibus extra corpus juris privilegiis repertis, agemus.

§. I.

Quotuplex ſit decima, quo jure debeatur, ex quibus rebus, quibus, in quo loco, & à quibus ſit ſolvenda?

Decima prædialis, perſonalis, & mixta explicatur.

Decima, illa pars fructuum dicitur, quæ ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ à fidelibus ſolvenda eſt. Quæ decima dicitur, quia decima pars ex fructibus, vel induſtriis ſolvenda. Communiter decima dividitur in tres partes. Nam prima dicitur *prædialis*, illa ſcilicet, quæ ex fructibus, vel proventibus prædiorum, agrorum, montium, arborum, piſcinarum, molendinorum, &c. accipitur. Alia eſt *perſonalis*, quæ accipitur ex fructibus, vel proventibus, ex induſtria perſonæ ortis, ut ex negociatione, mercatura, piſcatione, venatione, arte, ſcientia, bello, &c. Tertia eſt *mixta* ex prædiali, & perſonali, quæ ex fructibus partim ex induſtria, partim ex prædiis dimanat: ut ex fœtura animalium, & ex eorum proventibus; ut ex lana, lacte, caſeo, butyro, &c. quia tales fructus tam ex paſcuis, quam ex animalibus, interveniente hominum induſtria, in eorum ſuſtentatione, & conſervatione proficiſcuntur. Lezana *tom. 3. verb. decima, num. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 39. dub. 3. num. 12.* Palaus *tom. 2. tract. 10. diſput. unic. punct. 1. num. 2.* Tambur. *tom. 1. diſp. 15. q. 16. num. 1.* Quare nomine decimæ in præſenti eſt omnium horum bonorum licitè quæſitorum decima pars Deo data, ſive ipſius miniſtris ex divina conſtitutione debita.

Solutio decimarum partim ex jure divino, partim ex jure humano.

53. Huiuſmodi ergo decimæ ſive perſonales, ſive prædiales, aut mixtæ; partim ex jure divino, partim ex jure humano poſitivo ſunt debitæ miniſtris Eccleſiæ pro illorum ſuſtentatione, ut inquit D. Thomas *2. 2. q. 87. art. 1. in corp.* Eſt quidem ex jure divino naturali debitum, ut illis congruam ſuſtentationem impertiamur, qui in ſpiritualibus nobis conſerviunt: jus enim naturæ dictat, quod ſicut Eccleſiæ miniſtri

miniſtri populo ſpiritualia præbent: ſic populus illis pro ſuſtentatione corporali miniſtret, 1. *ad Corinth*. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus*. Eſt partim ex jure Eccleſiaſtico, nimirum deſignatio illius quottæ, quod ſit decima pars, non octava, non alia, hoc non eſt de jure divino in nova lege Chriſti: licet enim ex jure divino in veteri lege ſolvenda eſſet decima Levitis. Deuteronom. 14. Levitic. 27. Malachiæ 3. *Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea*. Cæterum cum hoc eſſet præceptum judiciale, ut inquit D.Th. 1. 2. q. 104. *art*. 3. adveniente Chriſto Domino, ſeu poſt ejus promulgationem legis, quoad obligationem ceſſavit: quamvis ad imitationem eorum, quæ tunc adeo rationabiliter præcepta erant, aliqua nunc in Eccleſia præcipiuntur. *Iudicialia vero* (inquit D.Thom. 2. 2. *queſt*.87. *art*.1. *in corp*.) *& ſi non obligent tempore gratiæ, tamen poſſunt obſervari abſque peccato, & ad eorum obſervantiam aliqui obligantur, ſi ſtatuantur authoritate illorum, quorum eſt concedere legem: hoc modo Eccleſia decimas ſolvendas præcipit. Toto titul. de decimis, & in decret. cauſa* 16. *queſt*.1. & in Trident. *ſeſſ*.25. *cap*.12. & aliis juribus. Et rationem optimam tradit D.Thom. cur talis quantitas ſit ab Eccleſia aſſignata pro ſuſtentatione miniſtrorum, ſic: *Ita etiam determinatio decimæ partis ſolvendæ, eſt authoritate Eccleſiæ tempore novæ legis inſtituta ſecundum quandam humanitatem; ut ſcilicet non minus populus novæ legis miniſtris novi teſtamenti exhiberet, quam populus veteris legis miniſtris veteris teſtamenti exhibeat*. Et ſic decimatum ſolutionem quoad deſignationem talis quantitatis ſolum eſſe ex jure poſitivo Eccleſiaſtico docent Sotus *lib*.9. *de juſtitia*, *queſtione* 4. *art*.1. Covarr. *lib*.1. *variar*. *cap*. 17. *in princip*. Suarez *de relig*. *tract*. 2. *lib*. 1. *cap*. 10. *num*. 3. Bonac. *de Quinto Eccleſ*. *præcept*. *diſputat*. *unic*. *punct*.1. *num*.3. Fagundez *de* 5. *Eccleſ*. *præcept*. *lib*.1. *cap*.1. *num*.3. Tambur. Lezana, Palaus, Leſſius *locis citatis*.

Pontifex aliquos eximere poteſt à decimarũ ſolutione.

54. Ex quo ſequitur primo Pontificem ex ſua abſoluta poteſtate poſſe, quem voluerit ab obligatione ſolvendi decimas eximere, relicta congrua pro miniſtri ſuſtentatione; quia in hoc iuri divino non derogat; quia ex illo ſolum eſt debita miniſtrorum ſuſtentatio; ſed ſolum juri Eccleſiaſtico, quod optime ex juſta cauſa abrogare poteſt, cum tota ejus vis, ab illius voluntate dependeat. Barboſa *de jure Eccleſiaſt*. *lib*.3. *cap*.26. §. 3. *num*.12. & 13. Hieronym. *in Politic*. *regul*. *tract*.8. *difficult*. 3. *dub*.3. *punct*.4. *num*.4. Trullench. *lib*.3. *in decalog*. *cap*.3. *dub*.11. *num*.5. Azor. *lib*.7. *cap*.37. *queſt*.6. §. *His poſitis*, & omnes excepta Gloſſa *in cap*. *decimas* 16. *queſt*.1. quæ ferè ab omnibus rejicitur. Vnde immeritu nonnulli parrochi parum litterati obmurmurant; quod Pontifex talem exemptionem regularibus conceſſerit: ſed deberent attendere, quod ſi decimæ ſolvi debent miniſtris Eccleſiæ pro labore quem impendunt in adminiſtratione ſpiritualium, & Religioſi etiam hoc munus exercent, rectè operati ſunt Pontifices illas remittendo Religioſis, ut ait Rebuffus *tract*. *de decim*. *queſt*.1. *num*.103. & Tambur. *tom*.1. *diſput*.15. *queſt*.18. *num*.30. Eo vel maximè, quia ut recte docent Suarius *tom*.1. *de relig*. *tract*.2. *lib*.1. *cap*.14. *num*.13. N. Lezana *tom*.3. *verb*. *decimæ*, *num*.5. per hoc privilegium non immutatur generalis ratio, & quaſi adæquatus finis, & per ſe intentus in decimis, qui eſt divinus cultus, & ſuſtentatio miniſtrorum Dei, ac pauperum; ſed immutatur particulare jus applicandi hanc partem decimarum huic Eccleſiæ, vel illi, his perſonis, vel illis. ¶ Alius autem præter Summum Pontificem nec diſpenſare in ſolutione decimarum, nec aliquem ab hac obligatione eximere, aut alteri, quam ei, cui de jure debentur applicare poteſt: quia hoc ex jure communi, & Pontificio habetur, in quo prælati inferiores diſpenſare non valent. Fagundez *cap*.4. *num*.6. *fine* Suarez *num*.8. Palaus *ſup*. *num*.2. Vnde quamvis in Concilio Tridentino *ſeſſ*.21. *cap*.5.6. & 7. concedatur Epiſcopis, ut Sedis Apoſtolicæ delegatis poſſe decimas uni debitas, alteri loco applicare, unire beneficia, vel unita diſſolvere pro numeroſitate populi, & novos clericos aſſignare, quibus decimæ dentur proportionatè ad ſuum miniſterium; hæc non eſt relaxatio juris, ſed debita decimarum adminiſtratio: & hanc non jure ordinario, ſed ut Sedis Apoſtolicæ delegati facere poſſunt Epiſcopi.

Conſuetudine, & præſcriptione, quomodo poſſunt aliqui eximi à decimis ſolvendis.

55. Sequitur ſecundo poſſe aliquem, vel aliquos conſuetudine eximi à ſolutione decimarum, dummodo Eccleſiæ miniſtris congrua ſuſtentatio relinquatur: hoc enim ex jure divino debetur, contra quod nulla poteſt prævalere conſuetudo, illud ex jure Eccleſiaſtico, quod conſuetudine abrogari poteſt, ut diximus *tom*.3. *tract*.11. *de legib*. *cap*.6. *num*.3. ad quam conſuetudinem inducendam huic legi derogantem ſufficit quadraginta annorum abſque interruptione continuatio, etiamſi mala fide, & abſque titulo probabili ſit introducta. Nam licet ad præſcriptionem dominium transferentem titulus, & bona fides requiratur; non vero ad conſuetudinem legem abrogantem: & ſic primi illius introductores peccavere, citato Covarr. *lib*.1. *variar*. *cap*.17. *num*. 8. § 10. Leſſius *lib*.1. *cap*.17. *num*.16. Palaus *tom*. 2. *tract*. 10. *diſputat*. *unic*. *punct*.4. *num*.6. ¶ Etiam præſcriptio poteſt aliquem à ſolutione decimarum eximere, dummodo cum probabili titulo, & bona fide per quadraginta annos poſſideat jus non ſolvendi, juxta à nobis dicta *tractat*. 12. *cap*.2. *num*.9. quia per præſcriptionem, legis tempore diffinito, transfertur jus, & dominium ab uno, in alium, *leg*. *nunc*. *Cod*. *de uſucapion*. Ad præſcriptionem autem abſque titulo, requiritur tempus hominum memoriam excedens, *cap*. *auditis*. *de præſcription*. *cap*. 3. *de conſuetud*. *in* 6. quia ſemper jus tali præſcriptioni reſiſtit. *cap*.1. de præſcription. & ſic ſemper præſumitur mala fides, niſi tempus tranſierit immemoriale: quomodo non eſt credendum anteceſſores iuſto aliquo titulo non poſſediſſe? Covarr. *num*. 8. & 10. Leſſius *dub*.5. *num*.26. Tambur. *de iure Abbatum*, *tomo primo*, *diſputatione* 15. *quæſt*.18. *num*.56. Suarez *cap*.13. *numero primo*, Gutierrez *Canon*. *queſt*. *libro ſecundo*, *cap*. 21. *num* 65. Palaus *part*.5. *numero primo*. ¶ Vnde fit conſuetudinem præcipuè locum habere circa decimarum circumſtantias; nimirum ut ſolvantur ex his rebus, non ex illis, hac menſura, hoc tempore, hoc loco, huic Eccleſiæ, non illi. Si enim conſuetudo legem decimarum poteſt abrogare manente congrua miniſtrorum ſuſtentatione; multo magis circa dictas circumſtantias mutandas vel alterandas poterit vim habere. D. Thom. 2. 2. *queſtione* 87. *articul*2. *ad* 3. Suarez *cap*.12. *num*.15. Palaus *num*.4. ¶ Poteſt

etiam

etiam per compoſitionem, tranſactionem, vel commutationem, obligatio ſolvendi decimas ſuſpendi, dummodo authoritate Pontificis id fiat, ſi per multum tempus facienda eſt. Non tamen poteſt talis compoſitio fieri inter laicos, & clericos de futuris decimis in perpetuum, vel ad longum tempus: quia eſſet quaſi quædam alienatio bonorum, imo Eccleſiæ. Sed ſufficit authoritas Epiſcopi, quando compoſitio fit inter unam, & aliam Eccleſiam *ex cap. Ex multiplici, de decimis, cap. veniens, de tranſactionibus*, & ibi Panormitan. Fagundez *in 5. Eccleſ. præcepto, libro tertio, capite ſecundo, numero* 18. Rebuffo *in tractatu de decimis, parte ſecunda, numero* 16. Palaus *num.* 5. at compoſitio de decimis tam debitis poteſt fieri à quolibet particulari, ſicut eas remittere poteſt liberaliter, & ut ſolutas habere. Bonacin. *diſputatione ultima, de 3. Eccleſiæ præcepto, quæſtione unica, punct.* 5. *num.* 3.

Ex omnibus, quæ licitè homo poteſt acquirere decimæ debentur.

56. Sed inquires primo ex quibus rebus perſonales decimæ debentur? ¶ Reſpondetur, quod ex omnibus, quæ homo licitè poteſt acquirere, *Ex cap. tranſmiſſa, de decimis, cap. non eſt eodem titulo*, & probat D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 82. *articulo ſecundo*. Vnde de venatione, de negotiatione, de qualibet arte, de ipſa etiam militia; nimirum decima pars prædæ, & negotiationis, & cujuſlibet alterius juſti lucri propria induſtria, ac labore acquiſiti, ex omnibus debentur decimæ: deductis tamen expenſis, juxta *cap. Paſtorales, de decimis*. Vbi Pontifex in negotiatione concedit, ut poſſint expenſæ deduci prius, quam decimæ ſolvantur ex lucro: quamvis *ex cap. non eſt eodem tit.* ex fructibus prædialibus, & mixtis non ſint deducendæ expenſæ; ſed ab omnibus integre fructibus decimæ ſolvi debent, & docet D. Thomas *loco citato, ad* 4. ut poſtea dicemus. Et ratio eſſe poteſt: quia in negotiatione operatur manus Domini: in fructibus autem operatur manus Dei: ob idque donum Dei merito appellantur. Præterquam quod non dicitur lucrum niſi ad id quod deductis expenſis manet: at omnia, quæ ex terra naſcuntur fructus terræ nuncupantur. ¶ Sed hæc ex jure communi procedunt, quod in omni fere regno, ac Provincia ſic abrogatum contraria conſuetudine, aut præſcriptione vidimus; ut nullibi ferè decimæ perſonales ſint in uſu: quare in hac parte, conſulenda eſt conſuetudo legitimè introducta, & jam ſtabilita, & ſecundum illam agendum, ut inquit Panormitan. *in cap. cum homines, de Decimis, num.* 5. *in fin.* Valent. *tomo tertio, diſputatione* 6. *quæſt.* 5. *punct.* 3. *fine.* Palaus *tomo ſecundo, tractatu* 10. *diſputatione unica, punct.* 6. *fine.* & paſſim Doctores. Unde dixit D.Thom. *quæſtione* 87. *articulo ſecundo, in corp. & ideo in nova lege tenentur homines ad decimas perſonales, ſecundum conſuetudinem patriæ, & indigentiam miniſtrorum.* Vnde Auguſtinus dicit, & habetur 16. *quæſtione* 1. *cap. decimæ: de militia, de negotio, & artificio redde decimas.*

Ex quibus rebus prædiales decimæ debeantur.

57. Inquires ſecundo: ex quibus rebus prædialibus, aut mixtis decimæ ſolvendæ ſint? Reſpondetur, quod ex omnibus fructibus, & proventibus rerum mobilium, & non mobilium, niſi aliud ex conſuetudine ſit introductum, *cap. tua nobis, cap. non eſt, cap. nuntios, de decimis*, & probat D.Thomas *quæſtione* 87. *articulo ſecundo*, quia omnium rerum Deus author, & productor, & ſic ut talis debet recognoſci, omnium decimarum oblatione. Vnde non ſolum ex tritico, ſed etiam ex palea decima debetur; quia palea inter fructus terræ computatur. Fagundez 5. *præcept. Eccleſ. cap.* 4. *numero ſecundo.* Soarez *capite* 34. *numero ſecundo*, Azor *libro ſeptimo, cap.* 35. *quæſtione* 9. & ex omnibus fructibus arborum, & oleribus, & leguminibus, *cap. ex multiplici, de decimis.* Excipiuntur minuta olera, quæ ex hortis colliguntur: *Quia nunc de hujuſmodi minutis rebus non tenentur homines decimas dare, niſi forte propter conſuetudinem patriæ*, inquit D.Thom. *loco citato, ad* 3. Soto *lib.* 9. *de juſtitia, quæſtione* 4. *articulo ſecundo, ad* 3. Ex molendinorum proventibus etiam ad ventum decimæ debentur, quia abſolutæ ſunt rei fructus, & habetur, *cap. pervenit, cap. Paſtoralis, capite ex tranſmiſſa, de decimis.* Et ex locatione domus, aut furni, aut lacus, aut prati, aut alterius cujuſvis rei, *cap commiſſum, cap. paſtoralis, eodem titul.* & à fortiori ex ipſa herba in faſciculos collocata, ut vendatur, vel ſi arbores nemorum excidantur; non vero ex herba quando ad paſcenda animalia colligitur, vel cum ea in pratis animalia paſcuntur: quia jam ex ipſis animalibus decimatur Suarez, Azor. Palaus, *locis citatis.* Ex fœtura autem animalium decima debetur, ut patet: & de fructibus, & proventibus ab eis provenientibus: ut caſeus, lac, butyrum, mel, cera ex apibus, *cap. quicumque, cap. omnes* 16. *q.* 7. *cap. nuntios, de decimis.*

Neque ex melioribus, nec deterioribus fructibus decimæ ſunt ſolvendæ; ſed ex mediocribus.

58. Ex omnibus dictis fructibus integris, antequam ex eis penſiones expenſæ, aut tributa deducantur, decimæ ſolvendæ ſunt, *cap. cum non ſit, cap. tua nobis, cap non eſt, cap. Paſtoralis, de decimis.* Vnde dixit D. Thomas 2.2. *quæſtione* 87. *articulo ſecundo, ad* 4. *debentur autem decimæ de fructibus terræ, in quantum proveniunt ex divino munere, & ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quam ſolvantur decimæ, ſed ante omnia debent decimæ ſolvi ex integris fructibus.* Leſſius *cap.* 39. *dub.* 3. *numero* 16. Fagundez *libro primo, capite* 4. *numero ſexto*, Bonacin. *ſupra quæſtione quinta, punct.* 3. *fine.* Cæterum cum decima pars debita ſit ex omnibus integris fructibus; quorum aliqui optimi ſunt, alii deteriores; nec tenentur meliores eligere, nec poſſunt deteriores dare; ſed bona fide ex mediocribus tribuere: alias qui decimas Eccleſiæ ſolveret ex fructibus notabiliter deterioribus, & contra juſtitiam, & Religionem mortaliter peccaret: obnoxiuſque reſtitutioni maneret, & pœnas impoſitas pro fraudatoribus decimarum incurreret. Sylveſter *verb. decima*, §. 5. *numero tertio*, Bonacina *num.* 16. Fagundez *numero ſeptimo*, Palaus *punct.* 8. *numero ſecundo.* ¶ Quomodocumque autem agri colantur, ſive per propriam perſonam, ſive per colonus, ex fructibus integris decima debetur, illa tamen à domino ſoluta, nec ſervus, aut colonus ex re ſibi contingente debet ſolvere: alias bis ex eadem re decima ſolveretur. Quare ſi dominus agri omnes ejus fructus pretio ſibi dato conduxit; ſemper intelligitur de omnibus excluſa decima, quia hæc debetur Eccleſiæ: & ſic in conductione intrare non poteſt, nec ratione illius poteſt conductor pretium offerre. Sotus *lib.* 9.

de iuſt. quæſtione 4. art.2. Suarez *lib.1. cap.35. num.7. & 14.* ¶ Sed notat D. Thomas *artic.2. ad 4. Quod de his, quæ de furto, & rapina tolluntur, ille, à quo offeruntur, decimas ſolvere non tenetur, antequam recuperet; niſi fortè propter culpam, & negligentiam ſuam, damnum incurrerit: quia ex hoc Eccleſia non debet damnificari. Si vero vendat triticum non decimatum, poteſt Eccleſia, decimas exigere, Eccleſiæ debitas, & ab emptore, quia habet rem Eccleſiæ debitam, & à venditore, qui quantum eſt de ſe Eccleſiam defraudavit, uno tamen ſolvente alius non tenetur.*

Reges decimas ſolvere tenentur, non pauperes extrema neceſſitate laborantes.

59. Inquires tertio, quæ perſonæ debeant decimas ſolvere. ¶ Reſpoodetur omnes fideles baptizatos, niſi aliàs ſint exempti, *cap. tranſmiſſa, de decimis, cap. à nobis, cap. tua nos. eodem titulo,* & tenet D. Thomas *quæſtione 87. articulo primo, & quarto.* Vnde etiam Principes, Imperatores, & Reges, ab hac obligatione exempti non ſunt: quia etiam Reges ſunt ſubditi Eccleſiæ Paſtoribus, ab eiſque recipiunt Sacmmenta: & quo plura à Deo receperunt, eo magis obligantur ad ea, quæ ad cultum Dei ordinantur. Quod præclarè dixit lex Regia Hiſpaniæ *1. partit. titul. 20. leg. 2.* ubi dicitur: *Tenudos ſon todos los homes del mundo de dar diezmos à Dios, è mayor mente los Chriſtianos, porque ellos tienen la Ley verdadera, è ſon mas allegados à Dios, que todas las otras gentes. Eporende no ſe pueden eſcuſar los Emperadores, nin los Reyes, nin ningun otro home poderoſo: ca quanto mas poderoſos, è mas honrados fueren, mas tenudos ſon de lo dar, conociendo que la honrra è el poder que han, todo les viene de Dios.* Sic piiſſima lex, & ibi Gregorius Lopez, Rebuff. *quæſtione 5. de decimis, num. 26. & quæſtione 8. num 27.* Moneta *de decim. cap.5. num.26.* Barboſ. *libro tertio, de iure Eccleſ. cap.26. §.3. num.2.* ¶ Pauperes autem, qui ſunt in extrema neceſſitate, excuſantur à ſolutione decimarum ob inopiam: quod ſi ad fortuoam meliorem deveniant; non ob id decimas non ſolutas tenentur reſtituere: quia nec ratione iniuſtitiæ, ac iuris, ad talem tenentur reſtitutionem, ut conſtat: nec ratione rei alienæ conſumptæ, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, & fiunt propria apprehendentis, quemadmodum de ſurripiente in extrema neceſſitate, diximus *tomo tertio, tractatu 13. de reſtitut. cap. 3. numero tertio,* & tenent Soto *libro quarto, de iuſtitia, quæſtione 7. artic. 1. ad 4* Sayr. *lib. 10. tractatu 15. num. 12. & 14.* Sylveſter *reſtitut. 5. num. 4.* Diana *parte quinta, tractatu 8. reſolut. 8. & 9.* & loquendo in caſu noſtro de decimis, Suarez *tomo primo, de relig. tractatu 2. libro primo, cap. 16. num. 17.* Palaus *punct. 11. num. 2.* Laym. *libro quarto. tract. 6. cap. 3. num. 6.* Raphaël à Torre *2. 2. quæſtione 87. art. 4. diſ. 3. num. 3.* ¶ Imo oon ſolum pauperes, qui ſunt in extrema neceſſitate, aut quaſi extrema à ſolutione decimarum excuſantur; ſed illi, qoi gravi neceſſitate laborant, eo, quod non habeant neceſſaria ad ſuam, & ſuorum congruam ſuſtentationem: quia ſolutio debiti, ex juſto titulo contracti optime differri poteſt ob gravem neceſſitatem, vel inopiam debitoris: ſicut de illo, qui ex mutuo, vel alio modo debet, & ſolvere non poteſt, niſi cum gravi incommodo, diximus *loco citato.* Sed in hoc caſu, quo ob neceſſitatem gravem decimas non ſolvunt, illas, quas tempore neceſſitatis prætermiſerunt, integre reddere, & reſtituere tenentur, cum ad meliorem fortunam deveniant, & talis ſolutionis pro tempore, quo abſque gravi incommodo poſſunt, propoſitum habere tenentur; quia in gravi tantum neceſſitate, non autem extrema, non fiunt bona communia: & ſic quæ ex alio in ea neceſſitate conſumuntur, noo conſumuntur ut propria, ſed ut aliena: & ſic ratione rei alienæ conſumptæ ad reſtitutionem obligantur. Suarez *cap. 16. num. 18. verſu, In hoc vero caſu.* Filliuc. *tractatu 27. ſecunda parte, cap. 8. quæſit. 3. n. 166.* Torre *ſupra diſputatione 3. num. 3.* Laym. *lib. 4. tractatu 6. cap. 3. num. 6.* Palaus *punct. 11. num. 2.* Trullench. *lib. 3. in decalog. cap. 3. dub. 10. num. 9.* & alii.

Clerici decimas ſolvere tenentur.

60. Ex jure communi omnes clerici, ſive Religioſi, ſive ſæculares, qui parrochi non ſunt, decimas ſolvere tenentur, *cap. 2. cap. Nuper, cap. ex parte, de decim.* Sed non ex bonis Eccleſiaſticis, ſeu quæ pertinent ad Eccleſiam; ſed ex fructibus hæreditariis, quæ ſibi titulo patrimonii, legati, donatione vel alio modo proveniunt: quia etiam clerici debent à parrocho Sacramenta recipere, quæ eſt ratio, quare ſæculares decimas ſolvere teneantur. Vnde dixit D. Thom. 2. 2. *quæſtione 87. art. 4. in corp. Vnde tales clerici in quantum clerici ſunt, id eſt in quantum habent Eccleſiaſticas poſſeſſiones, decimas ſolvere non tenentur. Ex alia vero cauſa, ſcilicet propter hoc quod poſſident proprio iure, vel ex ſucceſſione parentum, vel ex emptione, vel quocumque huiuſmodi modo ſunt ad decimas ſolvendas obligati.* Quod tenent Aragon ibi, Torre *diſputatione 6. numero 11.* Molſeſ. *tractatu 6. capite quarto, numero 38.* Covarr. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 8.* Palaus *punct. 11. num. 3.* Sotus *lib. 9. quæſtione 4. articulo quarto,* Guttier. *lib quæſt. Canonic. cap. 21. numero 52.* Leſſius *libro ſecundo, cap. 39. dub. 5. num. 23.* Fagundez *5. præcept. Eccleſ. libro ſecundo, cap. 2. numero quarto,* Trullench. *dub. 10. numero ſecundo.* ¶ Imo de ſupradictis bonis patrimonialibus, vel aliis, quæ Eccleſiæ non ſunt, decimas tenentur ſolvere, etiamſi ad titulum eorum fuerit ordinatus, etiam ſi Eccleſiæ, cui decimæ debentur inſerviat. Tum: quia tale patrimonium, titulo ſæculari adhuc poſſidetur. Tum etiam: quia Eccleſia non debet defraudari re ſibi debita ob ſuſceptionem Ordinum. Sic Barboſa *libro tertio, de iure Eccleſ. cap. 26. §. 3. num. 10.* Bonacin. *diſputatione ultim. de præcept. Eccleſ. quæſtione ultim. punct. 7.* Suarez *tomo primo, de relig. tractatu ſecundo. libro primo, cap. 17. num. 22.* Fagundez & Trullench. *loco citato.*

Qualiter parrochi decimas ſolvere debeat.

61. At parrochi minime tenentur de prædiis beneficii, quæ exempta ſunt, utpote bona Eccleſiæ, de quibus inquit D. Thom. *art. 4. ad 1. prædia vero Eccleſiæ non ſunt ad decimas ſolvendas obligata, etiam ſi ſint intra terminos alterius parrochiæ.* Ex bonis autem patrimonialibus, quæ titulo ſæculari poſſident, vel quæ ſibi relinquuntur, non ut parrochis, ſeu ut incorporentur cum bonis beneficii, ſed ut perſonis particularibus, decimas debent Eccleſiæ, in cuius juriſdictione prædia ſita ſunt, & cui antea decimas ſolvunt: quia res cum ſuo onere tranſit, & in præſenti eſt expreſſus textus *in cap. ſi quis laicus, vel clericus 16. quæſtione 1. cap. Eccleſia cum duob. ſeq. eadem cauſa, & quæſt.*

&

& hoc etiamſi ipſe parrochus ſit illius Eccleſiæ, cui decimæ debentur, ſi dantur alii clerici inter quos decimæ diuidantur: quia ut bene inquit D. Thom. *loco citat. Clerici de propriis prædiis tenentur ſolvere decimas parrochiali Eccleſiæ ſicut & alii, etiamſi ipſi ſint eiuſdem Eccleſiæ clerici: quia aliud eſt habere aliquid ut proprium, aliud ut commune.* Et ſic quando ipſi decimas illius Eccleſiæ integre non recepiunt, aliis donare debet partem, quæ illis competit. Barboſa *lib. 3. de jure Eccleſ. cap. 26. §. 2. num.* 10. Covarruv. *lib. variar. cap. 27. num.* 8. Gutierr. *quæſt. cann. lib. 1. cap. 27. n.* 54. Trullench. *lib. 3. cap. 3. dub. 10. num.* 4. Fagund *lib. 2. cap. 2. num.* 8. Suarez *cap. 17. num.* 16. Palaus *punct.* 11. *num.* 5.

Pœnæ recenſentur, quas non ſolventes decimas incurrunt.

62. Inquires denique, quæ pœnæ ſint impoſitæ non ſolventibus decimas, aut facientibus eas non ſolvi, vel eas aliquomodo uſurpantibus? ¶ Reſpondetur, quod *in cap. ſi autem 16. q.* 1. ſub pœna excommunicationis præcipitur, ut omnes, integras decimas, quibus debentur ſolvant, & in Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 12. de reform.* dicitur: *qui decimas ſubtrahunt, aut impediunt excommunicentur, neque ab illo crimine niſi plena reſtitutione requiſita abſolvantur.* Sed non ob id deneganda eſt abſolutio eis, qui ob paupertatem, ſolutionem decimarum prætermittunt, ſi in propoſito ſunt ſolvendi, cum poſſint: quia non eſt credibile Concilium velle denegari Sacramenta ei, qui in culpa non eſt reſtituendi. Navarr. *cap. 17. n. 39. ad finem.* Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 20. n.* 19. Henriq. *lib. 13. cap. 28. num.* 1. Bonac. *diſp. ultim. de 5. Eccleſ. præcept. quæſt. 9. punct.* 7. ¶ Deinde in *Clement. Cupientes de pœnis*, ipſo jure excommunicantur religioſi cuiuſcumque Ordinis, qui in concionibus, & aliis locis aliqua tractant, ex quibus moventur audientes, ut decimas debitas non ſolvant, quæ, ut incurratur eo pravo animo debent illa dicere. & coram iis, qui tenentur, ſolvere. Et ibi etiam additur excommunicatio adverſus religioſos, qui ſcienter pœnitentes non obligaverint decimas ſolvere, & poſtea cum poſſint, non emendaverint factum, audentque potius concionare non habere talem obligationem: & omnes iſtas actiones requirit textus concurrere ad incurrendam talem excommunicationem, ut notavit Toletus *in explication. huius Clement.* Palaus *punct. 11. num.* 2. ¶ Et præterea Leo V. in Concilio Lateranenſi ſtatuit, quod confeſſarii teneantur hortari, & monere, etiam ſub onere conſcientiarum ſuarum illos, quorum confeſſiones audierint, cuiuſcumque fuerint conditionis, ad ſolvendas decimas; illiſque eas ſolvere recuſantibus, abſolutionem denegare: & quod ſuper hoc requiſiti, id populo etiam publice prædicare, & perſuadere teneantur: ut habetur in ſupplemento *fol. 26. conceſſ.* 82. *& in compend. privileg. verb. decima* §. 14. De quo Rodriguez *tom. 2. quæſt. 44. art.* 3. Lezana *tom. 3. verb. decima num.* 12. Tamb. *tom. 1. diſp. 15. quæſt. 18. num.* 65. Qui advertunt, quod ex conceſſione Eugenii IV. regulares non tenentur facere conſcientiam dicto modo confitentibus, niſi quando ab ordinariis fuerint ſuper hoc requiſiti: quod ſatis rationi, ac conſuetudini conforme eſt, inquit Lezana, & ita obſervandum, etiamſi dicta conceſſio Eugenii IV. fuerit vivæ vocis oraculum.

§. II.

Qualiter jure communi, religioſi communiter viventes exempti ſint à ſolutione decimarum?

Merito regularibus exemptio à decimis conceſſa.

63. POſita jam obligatione omnium ad ſolvendas decimas, & quod ab hac obligatione potuit jure optimo Pontifex aliquos eximere, maxime illos, qui cooperatores ſunt ad inſerviendum populo, in ſpiritualibus, qualiter regulares in concionibus, & confeſſionibus, & aliis, magna cum utilitate fidelium inſudare nemo niſi cæcutiens haud videbit. Quod attendentes domini Epiſcopi regularibus bene affecti, pauci ſunt, eorum reſtringere privilegia, neque eos in re tot titulis ſibi debita, perturbare minime attentant, ſed eorum favori inclinati, contra impugnantes eos, omnem gratiam, juſtitiæ lege ſervata, ut par erat, omnemque benevolentiam oſtendunt. Videamus modo, quid ex jure communi, & antiquiſſimo eis competat: ad quod recurrendum eſt, quando privilegia particularia defuerint, & etiam quando adſint, ut magis roborata, & firmata permaneant: & poſtea de privilegiis extra corpus juris conceſſis ſermonem faciemus.

Status antiquum circa decimas ab Innocentio III. temperatus.

64. Igitur ex jure communi antiquiſſimo monachi, aut religioſi, aut clerici in communi viventes exempti erant à decimis ſolvendis, non ſolum perſonalibus, quod conſtat *ex cap. Decimas 16. quæſt.* 1. verum etiam à decimis prædialibus earum operarum, quas ipſi propriis manibus, aut expenſis colebant, ſive propriæ fuerint tales terræ, ſive conductæ dicto *cap. decimas 16. quæſtione 1. cap. ex multiplici, cap. ex parte 10. de decimis*, & tenet Gloſſa *in cap. decimas.* & ibi Turrecremata & Rebuffus *tractat. de Decim quæſtione 5. numero 7. & 19.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 5. capite 18. numero 3. & 5.* Fagundez *de 5. Eccleſ. præcept. lib. 2. cap. 3. à num.* 7. ¶ Poſtea Innocentius III. in Concil. Lateran. & habetur *in cap. Nuper de Decim.* privilegia dicta conceſſa Ciſtercienſibus, Templariis, Hoſpitalariis, & aliis, limitavit, ſtatuens eos teneri ad ſolvendas decimas de prædiis, ac terris poſt dictum Concilium ab eis poſſidendis, ſi novalia non fuerint, ſed ex eis antea decimæ ſolvebantur; ſive per colonos, ſive propriis manibus, aut ſumptibus eas excoluerint. Vnde ex vi huius capitis tenentur religioſi ex omnibus prædiis, quæ ante dictum Concilium non poſſidebant, ſed poſt illud acquiſierunt, ex quibus aliàs decimas ſolvebant, eas ſolvere Eccleſiis, quibus competunt, niſi novo privilegio, conſuetudine, compoſitione, aut præſcriptione oppoſitum poſſideant. Sic Rebuff. *loc. cit. quæſt. 5. num. 7. & 59.* & *quæſt. 14. num.* 30. & 45. Suarez *num.* 5. Fagundez *num.* 10. Gutierr. *lib. 1. quæſt. canonic. cap. 21. num.* 136. Tamburin. *tom. 1. diſput. 15. quæſt. 18. num.* 1. Palaus *tomo 1. tract. 10. diſp. unic. punct. 12. num.* 2.

Quid per mobilia intelligatur?

65. Itaque jure communi modo religioſi omnes exempti ſunt à ſolutione decimarum de prædiis novalibus ſuis, etiam de hortis, quos propriis manibus, aut ſumptibus excolunt, & de animalibus, quæ ad eorum ſuſtentationem nutriunt, *dicto cap. ex parte de decimis*, & Gloſſa ibi: *verbo, aliis verò monachis.* Rebuffus *loco citat. quæſtione 14. numero 43. & 45.* Monata *tract. de Decim. capite 4. à num.* 56.

num. 56. Tambur. *num.* 2. Sed ante probationem aſſertionis ſciendum eſt, per novale prædium illum locum intelligi, qui noviter ad culturam redactus eſt, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit, & de quo ante culturam nihil aut modicum quid decimarum percipiebatur. *Cap. Quid per novale*, & ibi Gloſſa, & Doctores omnes *de verbor. ſignific.* at quod ſemel fuit novale, ſemper manet novale quoad decimarum ſolutionem, *cap. ultim. de privil.* Duo tamen requiruntur ut de novalibus ſuis religioſi ſolvere decimas non teneantur. Primum, quod novale ſit eorum proprium. Secundum, quod propriis manibus, aut ſumptibus, ad culturam reduxerint, *dicto cap. Ex parte* ibi: *novalibus ſuis, quæ propriis manibus, aut ſumptibus excolunt.* Unde ſi alii uſurpaverint, & novalia ad eos pervenerint, ceſſat privilegium. Ut Rebuff. *loc. citat. numero* 46. *verſu. Unde ſi quis.* Hoſtien. *dict. cap. ex parte num.* 2. Et idem eſt ſi ſint aliena, & ab ipſis religioſis conducta; vel ſi ſint propria, & aliis excolenda tradant, vel ad culturam per colonos reducant. *Cap. licet de Decimis, & ibi Gloſſa.*

Neque ex hortis, nec ex animalibus decimas debent religioſi.

66. Quo ſuppoſito, probatur aſſertio: quia in dicto *capite ex parte* hæc tria concedebantur: quod non ſolverent decimas de novalibus ſuis; nec de animalibus, nec de hortis; nec eſt revocatum per caput, *Nuper. de decimis*: ergo manet in ſuo robore, ſicut ante Concilium Lateranenſe erat. Conſequentia conſtat: quia ex alio textu revocata non eſt conceſſio, in dicto *capite ex parte* facta, niſi in dicto *cap. Nuper.* Probatur minor quoad primam partem: quia in *capite Nuper*, ut dicebamus, ſolum ſtatuitur ſolvendas eſſe decimas ex prædiis acquiſitis poſt Concilium, ex quibus antequam ad regulares pervenirent, decimæ ſolvebantur: ergo non de novalibus, quæ per ipſos de novo ad culturam reducuntur, ex quibus nunquam Decimæ ſolvebantur. ¶ Eadem ratione probatur, quoad ſecundam, & tertiam partem: quia cum dictum caput *Nuper* nihil de gregibus, & animalibus, aut hortis loquatur, reliquit in ſuo robore diſpoſitionem capitis *ex parte* de decimis, ibi exemit Pontifex regulares à ſolutione decimarum, de animalibus, quæ ipſi ſuis ſumptibus nutriunt, & de fructibus hortorum ſuorum. Et ſic *in leg. Regia* 4. *titul.* 2. *part.* 1. dicitur: *que todas las religiones qualesquier que ſean no deben pagar diezmos, ni deſus huertas, ni de los ganados que crian.* Rebuffus *num.* 57. Petrus Gregor. *Syntagmat. iuris part.* 1. *lib.* 2. *capite* 24. *numero* 7. Barboſa *lib.* 3. *de iure Eccleſ. cap.* 26. §. 3. *numero* 46. Moneta *de decim. capite* 5. *numero* 17. Tamburin. *numero* 2. *&* 3.

Ex fructibus venditis hortorum, decimas nō debent religioſi.

67. Et intelligitur de hortis, quos vel ſuis laboribus, vel ſuis ſumptibus colunt, etiamſi olera, quæ ſuperſunt, ad ſuſtentationem vendantur, ut in alios uſus monaſterii pecunia inde deducta, convertatur. Tum: quia in cap. *ex parte* abſolute, & ſine ulla diſtinctione conceditur exemptio decimarum *de hortis ſuis*: quod privilegium ut videmus revocatum non eſt per caput *Nuper* de decimis, nec ullo modo limitatum. Cur ergo limitandum eſt ad fructus hortorum, qui ad ſuſtentationem religioſorum extrahuntur; non vero ad illos, qui venduntur, cum omnes prorſus ratione religioſorum deſerviant, pecunia inde extracta in uſus alios neceſſarios monaſterii converſa. Tum etiam: quia multa ſunt, præter hoc, privilegia conceſſa regularibus, in quibus eximuntur à ſolutione decimarum de hortis, prædiis, arboribus ſuis, quæ ipſi colunt propriis laboribus, aut ſumptibus: & hoc cum revocatione expreſſa illius capitis *Nuper*: uti conceſſere Paulus III. Pius IV. & Gregorius XIII. Societati, & alii Pontifices aliis religionibus; ut Sixtus IV. Carmelitanæ in mari magno illius, de quibus, & aliis agimus §. *ſequenti numero* 72. ergo licet per caput *Nuper* revocatum eſſet privilegium conceſſum in capite *ex parte*, quod certe non fuit ut conſtat; ex vi aliorum, quæ ſunt extra corpus juris, exempti ſunt à ſolutione decimarum ex fructibus hortorum ſuorum, quod ex communi ſententia diximus loco citato, aſſerente nedum ex hortis ſuis; ſed etiam ex omnibus prædiis, terris, pratis, montibus, & arboribus, laboribus, vel ſumptibus religioſorum excultis, non debere decimas: ubi authores varios tam ex Iuriſtis, quam ex Theologis lato calamo adducemus.

Privilegia circa decimas cōceſſa religioſis, ſunt non reſtringenda, ſed amplianda.

68. Sed notandum eſt primo. Quod privilegia, de quibus loquuti ſumus inſerta in corpore juris, latiſſimè interpretanda ſunt, propter dicta *hoc tract. cap.* 1. *num.* 78. De aliis vero, de quibus dicemus §. *ſequenti*, quæ ſunt extra corpus juris, etiam ſunt latè interpretanda, propter ea quæ *loco citato numero* 85. diximus: non enim dicenda ſunt odioſa; cum finis eorum principalis ſit favor religionis in communi. Et licet ſint in præjudicium tertii; ſed abſque injuria illius, & cum ſumma æquitate à Pontificibus conceſſa, cum non minus laborent religioſi in ſpiritualibus populos inſtruendo, quam parrochi; & ſic nulla fit parrochis injuria, ſi religioſi, qui ab eis ſpiritualia non recipiunt, ſed potius abundanter populo conferunt, non conferant illis temporalia. Unde licet hæc privilegia data in favorem religionis, eſſent contra jus commune, aut contra jus tertii, ampliari deberent: *quia ſumma ratio eſt, quæ pro religione facit.* Suarez *de legib. lib.* 8. *capite* 27. *numero* 7. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſputatione* 1. *numero* 13. Lezana *tom.* 3. *verb. decima, numero* 8. ¶ Eſto tamen talia privilegia reſtringenda forent (quæ non ſunt in corpore juris) quia ſunt contra jus tertii, qui habet intentionem fundatam in jure communi, & ob id interpretanda, ita ut lædant minus, quam poſſint: quod ſatis probabiliter docent multi, & à Sacra Rota non ſemel fuiſſe deciſum; veluti in illa cauſa Toletana de decimis; quam deciſionem adducit Diana *parte* 10. *in deciſion. Rotæ, deciſ.* 7. Et in alia Valentina, quam adducit Tamburin. *tom.* 1. *diſputatione* 15. *quæſtione* 18. *numero* 38. quod ut probabile tenet ipſe Suarez *tomo* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 18. & Noſter Lezana *loco citat. numero* 5. Palaus *punct.* 11. *numero* 4. Semper tamen ut ipſi dicunt, ita eſt hæc ſtrictio facienda, ut verba privilegii in ſua proprietate ſalventur, & ſemper cum conſideratione, quod religioſi, quibus conceduntur, ſunt optimi meriti de Eccleſia ſancta, & ut diximus cooperatores miniſtrorum Eccleſiæ in adminiſtratione ſpiritualium.

Privilegia ut valeant debent expreſſe abrogare cap. *Nuper.*

69. Notandum eſt ſecundo, quod privilegia concedentia exemptiones à decimis, quæ non ſunt inſerta in corpore juris, ut poſſint prodeſſe, debent eſſe cum expreſſa derogatione illius cap. *Nuper.* aliter contra illud non prævalebunt: quia eſt diſpoſitio Concilii Generalis Lateranenſis: & ſic cenſetur habere clauſulam derogatoriam ad futuras diſpoſitiones. Unde ut vim habeant

privilegia

privilegia poſt illud contra illud conceſſa, neceſſaria erit expreſſa illius derogatio, uti diximus *cap. præcedent. num.* 40. & tenent Tambur. *num.* 59. Campanil. *in diverſ. iuris canonic. Rubrica* 12. *cap.* 13. *num.* 154. Rota *deciſ.* 152. & *ſequentib. part. diverſ.* Alias Rotales deciſiones refert Barboſ. *lib.* 3. *de iure Eccleſ. cap.* 26. §. 3. *num.* 37. 38. & 41. Hieronym. Garcia *in Politic. regul. tom.* 1. *tractat.* 8. *difficul.* 3. *dub.* 3. *punct.* 4. *num.* 6. Sufficit autem pro derogatione dicti capitis *Nuper*, quod in clauſulis privilegii conceſſi, fiat mentio Conciliorum Generalium, abſque eo, quod requiratur expreſſa, & individua mentio dicti capitis *Nuper*, aut Concilii Lateranenſis. Tamburin. *num.* 40. Quod enim in derogatione Concilii Generalis fiat eius individua mentio, eſt ſingulare in Tridentino, propter ea, quæ diximus *loco citat. num.* 41. quod etiam adhuc de illo non requiri ſpecificam mentionem quamplures ſentiunt.

Privilegium communicationis, an proſit pro decimis non ſolvendis?

70. Sed rogabis forte, an quando uni religioni datur privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ unum eſt exemptio à ſolutione decimarum, ex vi illius poſſit religio communicans, eximi à ſolutione decimarum, ac ſi ipſi in ſpecie privilegium talis exemptionis conceſſum eſſet? Sunt plura privilegia §. *ſequenti* adducenda, aliqua magis ampla, alia magis reſtricta; hæc conceſſa uni religioni, illa alteri; aliqua cum expreſſa derogatione capitis *Nuper*, alia ſine tali derogatione expreſſa. Forte aliqua religio erit, cui cum tanta amplitudine non fuit conceſſum privilegium exemptionis à decimis, ac conceſſum eſt, verbi gratia, religioni Dominicanæ, Carmelitanæ, Societati, aut D. Hieronymi. Illa religio habet privilegium communicationis cum omnibus aliis, in omnibus, & ſingulis privilegiis illis conceſſis, & concedendis. Quæritur: ergo an ex vi huius privilegii communicationis, proſit religioni communicanti, aliarum privilegia exemptionis à decimis, ac ſi illi in ſpecie conceſſum eſſet? ¶ Negat prima ſententia, niſi in tali privilegio communicationis fiat expreſſa mentio huius exemptionis privilegii. Tum: quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non ſolent niſi difficulter concedi: ſed exemptio à decimis non ſolet concedi niſi magna cum difficultate, & cum cognitione cauſæ: ergo in conceſſione generali communicationis, tale privilegium exemptionis non conceditur. Tum etiam: quia privilegia exemptionis amplianda non ſunt, ſed reſtringenda, ut minus lædant quam poſſunt, eo quod ſint contra jus tertii, & ſic odioſa: ergo non debet fieri in eis extenſio de una, ad alteram religionem: & ita multoties decidiſſe Sacram Rotam teſtantur, qui hanc ſententiam ſequuntur: & ſunt Tambur. *tom.* 1. *diſputat.* 15. *quæſt.* 18. *num.* 34, Barboſa *de iure Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 26. §. 3. *num.* 41. & *in cap. Nuper de decim. num.* 4. Diana *in. part. tract.* 12. & 2. *Miſcell. reſolut.* 49. Trullench. *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 4. Felin. *in cap. ſedeſ. de reſcriptis num.* 3.

Qui communicant cum aliis in privilegiis, etiam in iſto exemptionis.

71. Sed affirmativam amplectimur ſententiam, quam tenent Raphaël à Torre 2. 2. *quæſtione* 87. *diſp.* 1. *num.* 5. Ioannes à Cruce *in Epitom. de Privileg. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 4. *per totum.* N. Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract.* 2. *diſputat.* 3. *ſect.* 6. *num.* 169. Philippus à Cruce *de Decim.* §. 2. *num.* 8. Hieronym. Garcia *tract.* 8. *difficul.* 3. *dub.* 3. *punct.* 4. *num.* 5. N. Lezana *tomo* 3. *verb. decima num.* 8. Vbi optime rem declarat, & objectio in contrarium diſſoluit his verbis: [Sed quia hic communiter afferri ſolet communicatio privilegiorum aliarum religionum, ita ut in hac materia, ſicut in aliis deſerviat communicatio privilegiorum, quam aliquæ religiones habent; obſervandum Sacram Rotam in cauſa Valentina anno 1603. decidiſſe privilegium eximens à ſolutione decimarum, non comprehendi in generali communicatione unius religionis, aliis facta: niſi expreſſe fiat mentio talis privilegii, etiamſi inter privilegia communicata adſit aliquod, quod non contineat aliud, quam exemptionem à ſolutione decimarum. Cujus deciſionis duplex aſſignatur ratio, &c. Proſequitur ſtatim. Sed quamvis multum deferendum ſit huiuſmodi S. Rotæ deciſionibus, & quia à viris ſapientiſſimis, & magna adhibita diligentia factæ ſunt; nihilominus rationes adductæ non videntur valde efficaces. Non quidem prima: quia huiuſmodi exemptionis privilegium non raro, ſed ſæpius, nec magna cum difficultate à ſede Apoſtolica concedi ſolet religionibus, ut patebit intuenti privilegia ſupra relata (& nos dicemus, infra referenda.) Nec ſecunda: nam doctrina illa intelligi debet, quando recta ratio non dictat contrarium, ut quando agitur de cauſa pia, & religioſa: maxime concernenti utilitatem totius religionis, aut monaſterii, ut in præſenti. Tunc enim privilegia quamvis contra jus commune ſint, & in præjudicium tertij, ampliari debent. Quia ut bene juriſconſultus *in l. ſunt perſonæ ff. de relig. ſumptib. funeral.* ſumma ratio eſt, quæ pro religioſis facit, Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 7. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. diſputatione* 1. *numero* 13. Quare ſub aliorum cenſura, non video rationem ſufficientem, quare in aliis materiis ſubſiſtat communicatio privilegiorum, quam religiones habent, non vero in iſta.] Hactenus ſapientiſſimus Carmelita.

---

§. III.

De Privilegiis conceſſis religionibus extra corpus juris circa exemptionem ſolutionis decimarum?

Privilegia regularium pro non ſolvendis decimis recenſentur.

72. VIrtute ſuorum privilegiorum nunc de facto exempti ſunt religioſi, non ſolum à decimis perſonalibus, ſed etiam à ſolutione prædiorum, ac terrarum ſuarum, quæ propriis manibus aut ſumptibus excolunt, ac de Proventibus, & fœtibus pecorum ſuorum, de hoc ultimo jam diximus *num.* 68. etiam ea iure communi eſſe exemptos, ſicut de fructibus hortorum ſuorum. Quoad fructus prædiales probatur: quia omnes fere religiones huiuſmodi privilegia à Pontificibus obtinuerunt, ut referunt Miranda *in manual. tom.* 2. *quæſt.* 49 *art.* 12. Tambur. *de iure Abbat. tomo* 1. *diſputatione* 15. *quæſt.* 18. *à numero* 8. Lezana *verb. decima numero* 2. Rodriguez *in collect. Bull. bull.* 5. *Martini V.* Ioannes à Cruce *ſupra lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 4. Raphaël à Torre 2. 2. *quæſt.* 87. *diſp.* 1. *num.* 5. *pagin.* 575. Barboſa *de iure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 28. §. 2. *à num.* 21. & *in cap. ex parte num.* 3. *de decim.* ubi ait, ſic deciſum fuiſſe à Rota 18. *Decemb. anno* 1615. & tenent

communiter Doctores. Et merito : quia ſic conceſſit Eugenius IV. Auguſtinianis, quod poſtea confirmavit Sixtus IV. in eorum mari magno §. 12. *num.* 29. Clemens VII. monachis S. Benedicti Valliſoletanis. & Sixtus IV. Ciſtercienſibus, & idem Sixtus IV. Prædicatoribus. Minoribus, Carmelitis, Martinus V. Carthuſianis, anno 1410. Gregorius XI. Mercenariis anno 1373. quod etiam Vrbanus VIII. anno 1634. Trinitariis excalceatis, & alii aliis conceſſere, qui poſſunt videri apud citatos. Sed pro nobis Carmelitis extat notabile privilegium Sixti IV. in mari magno Ordinis confirmante, quod Innocentius IV. Clemens IV. Innocentius VI. & Alexander IV. antea conceſſerant, & ipſe Sixtus IV. ampliavit. Quod explicat Lezana *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 32. & *tom.* 3. *verb. verb. decima num.* 4.

Nec de futuris prædiis religioſi ſolvere decimas tenentur.

73. Sed difficultas prima eſt, an ex vi dictorum, & aliorum privilegiorum, nunc de facto religioſi non ſolum ſint exempti à ſolutione decimarum prædiorum, quæ ante Concilium Lateranenſe poſſidebant; ſed etiam de prædiis, terris, arboribus in futurum poſſidendis ab eis? ¶ Reſpondetur affirmative : & hoc non ſolum de novalibus ; ſed etiam de aliis prædiis, quæ propriis laboribus, aut ſumptibus excolunt, etiamſi antea ex eis decimæ ſolverentur : hæc eſt fere communis ſententia, & probatur primo. Quia privilegia aliquid de novo concedunt, quod non erat ex jure communi conceſſum : quia ſi nihil aliud concederent, quam id, quod ex jure communi habebant religioſi, fruſtanea eſſent, & nihil operarentur : ſed ex jure communi habent religioſi non ſolvere decimas ex novalibus, ut diximus, nec ex prædiis ante Concilium Lateranenſe poſſeſſis, quia *cap. Nuper* de his non loquitur ; ſed de poſſidendis poſt illud : ergo ut privilegia religionum (quæ fere omnia ſunt revocatoria dicti *cap. Nuper*) aliquid operentur, dicendum eſt extendi ad prædia in futurum poſſidenda, de quibus antea decimæ parrochis ſolvebantur. ¶ Secundo : quia plura ex illis expreſſe loquuntur de prædiis poſſeſſis, & in poſterum poſſidendis, etiamſi ex eis antea ſolverentur decimæ, ut fecit Sixtus IV. in bulla, *dum attenta*, quæ eſt mare magnum religionis, & Ioannes XXII. bulla 4. pro Præmonſtratenſibus, & Paulus III. & Gregorius XIII. pro Societate cum derogatione capitis *Nuper*, & multoties deciſum fuiſſe à Sacra Rota teſtatur Lezana *tom.* 5. *in mari magno Prædicatorum* §. 26. *num.* 7. Et Sacram Congregationem Cardinalium ſic declaraſſe teſtatur Bellarminus ad *cap.* 12. *ſeſſ.* 25. Tridentini. Quare declarationes Sacræ Congreg. huic Doctrinæ contrariæ, quas affert Barboſa *in Collect. bullar. verb. decima*, intelligendæ ſunt de regularibus, non habentibus ſpecialia privilegia, ut explicant authores infra citandi. ¶ Tertio : quia licet in privilegiis hoc non diceretur expreſſe, ſufficit, quod latè, & ſine ulla exceptione concedant exemptionem decimarum ex prædiis ſuis, ut intelligatur tam de prædiis illius temporis, quam de futuris, ut expreſſe dicitur *in cap. Quia circa de privilegiis in* 6. Ubi interrogatus Pontifex, an privilegium monachis conceſſum de retinendis decimis, extendatur ad poſſeſſiones acquirendas? Reſpondit affirmando : quia (inquit) indiffinitè concedendo, intellexiſſe videtur non ſolum decimas illius temporis, ſed futuri. Sic Bertrandus *volum.* 6. *conſil.* 15. *à num.* 5. Palaus *tom.* 2. *tract.* 10. *diſp. unica punct.* 12. *num.* 6. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 7. Ioannes à Cruce *in Epitom. ſtatus relig. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 4. *concluſ.* 2. Filner. *tract.* 28. *cap.* 8. *quæſt.* 51. *n.* 184. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 6. *num.* 160. Lezana *tom.* 3. *verb. decima n.* 15. Diana 10. *part. tract.* 12. & 2. Miſcell. *reſolut.* 52. Leander à ſanctiſſimo Sacramento *in* 5. *Eccleſiæ præcepto tract.* 6. *diſp.* 6. *quæſt.* 48.

Quod religioſi de agris per colonos excultis, decimas ſolvere tenentur aliqui opinantur.

74. Secunda difficultas eſt, an religioſi teneantur decimas ſolvere de prædiis, terris, agris, aut poſſeſſionibus, quas aliis colendas tradunt, vel per arendatarios, aut colonos excolunt, an nimirum religioſi, vel prædiorum coloni teneantur decimas parochis tribuere? ¶ Affirmat teneri prima ſententia : quia privilegium de non ſolvendis decimis, eſt perſonale datum religioſis, non reale adhærens terris ; alias ſi poſſeſſionibus adhæreret, cum eas venderent aliis regulares, cum dicto privilegio tranſirent ad emptores, quod apud omnes eſt falſum : ergo licet, quia privilegium eſt perſonale, non tranſit ad emptorem agrorum ; ita neque ad arendatarium, aut colonum : & ſic iſti ex terris, quas excolunt, ſolvere decimas tenentur : quod multoties deciſum eſſe à S. Rota teſtantur Trullench. *lib.* 3. *Decalog. capite* 3 *dub.* 11. *num.* 3. Barboſ. *de iure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 26. §. 3. *num.* 40. qui pro ſe adducit Suarez *De relig. tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 19. *num.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 27. *quæſt.* 7. Tamburin. *tom.* 1. *diſput.* 15. *quæſt.* 18. *num.* 5. Sed certe hi autores, nec non deciſiones Rotæ loquuntur de ſolis privilegiis in corpore juris inſertis : & ſic ſtando in terminis juris communis *in cap. ex parte de decimis*, de quibus loquendo fatemur colonos non eximi ab obligatione ſolvendi decimas, ſed cum illa agros conducere, aut locare, vel in emphyteuſim recipere : quia dictum privilegium ſolum eximit agros, quos religioſi propriis manibus, aut expenſis colunt. Vnde ſi per arendatarios, aut colonos id faciant, tenentur ſolvere decimas, vel coloni, vel religioſi, de fructibus ab ipſis perceptis. *Cap. licet, cap. A nobis, cap. Tua nos de decimis.* Non vero loquuntur ſi attendamus ad alia privilegia, poſtea religioſis conceſſa, quæ non ſunt in corpore juris.

Ex agris à religioſis conductis, ſolvere decimas non tenentur.

75. Dicendum itaque eſt, non teneri religioſos de prædiis, aut terris, quas aliis colendas tradunt, decimas ſolvere, aut colonos, arrendatarios, vel illas colentes non debere parrochis ſolvere decimas, de fructibus ex talibus prædiis perceptis, ſed religioſis quandiu ſunt ſub eorum dominio, niſi eas conducendo prætium augeant, ut abſque onere ſolutionis decimarum, illas recipiant, quod eſt jam decimas virtualiter ſolvere. Probatur aſſertio : quia privilegium reale eximit à debito decimarum illorum prædiorum, quæ per alios coluntur, ut docet Gloſſa *in Clementin.* 2. *de decimis*, verſu, *excolendas*, & ibi communiter Doctores : ſed privilegia conceſſa regularibus exemptionis à decimis eſt reale afficiens ipſa prædia, & poſſeſſiones, & ſic tranſit cum tali privilegio ad colonos, & arrendatarios : ergo, &c. Probatur minor : nam vel privilegia dicunt : *eximimus talem religionem*, & illius prædia, poſſeſſiones, ut ſunt plura, quæ infra dabimus : & ſic planū eſt nedum perſonas, ſed ipſas res, & prædia privilegiata manere : vel ſolum dicunt : *eximimus religionem à ſolvendis decimis prædiorum ſuorum* ; & tunc adhuc eſſet reale privilegium ; quia ſi tunc deberent ſolvere coloni decimas, verè ipſi religioſi ſolverent, & non eſſet exempta religio : quia hoc

ipſo

ipſo coloni deſcenderent in pretio locationis, & minorem redderent penſionem religioſis, quam ſolverent, ſi decimas dare non deberent; & ſic illa decima à colonis ſoluta, eſſet virtualiter à religioſis exhibita: ergo ut verificetur religioſos exemptos eſſe a ſolutione decimarum, exempta debent eſſe prædia, quandiu ſunt ſub dominio regularium, etiamſi per alios colantur: & ſolum deſinant eſſe privilegiata talia prædia, hoc ipſo quod alienentur, & tranſeant ad aliorum dominium per venditionem, aut donationem; quia tunc exempta non ſunt à ſolutione decimarum. Unde religioſi non tenentur decimare, etiam de terris aliis ad colendum traditis; Imò ipſi poſſunt percipere decimas, quas coloni tenentur Eccleſiæ ſolvere.

Privilegia datam doctrinam cōfirmantia afferuntur.

76. Totum dictum conceſſit Bonifac. VIII. Bulla 10. Ciſtercienſibus. Ioannes XXII. Carthuſianis, cum revocatione *cap. nuper*. Sixtus IV. Carmelitis. Clem. VIII. Militiæ S. Iacobi, & Bonifacius VIII. præcepit Prælatis Eccleſiæ, ut habetur *in compend. Mendicant. titul. decima*, §. 17. ut cum cenſuris inhibeant ſuis ſubditis, ne fratribus Hoſpitalis S. Ioannis decimas exigere de illorum terris præſumant, quas ſuis ſumptibus, vel per ſuos arrendatarios, vel cultores ad tempus, & nun in perpetuum excoli faciunt. Ac denique Paulus III. anno 1553. & ſui Pontificatus anno 1. conceſſit Ordini S. Hieronymi idipſum, & Greg. XIV. & Innocentius IX. Conventui del Eſcurial, cum revocatione *cap. nuper*. Quod Clem. VIII. anno 1601. ampliavit pro toto Ordine, ut refert Hieronym. Garcia *tom. 1. tract. 8. diffi. ult. 3. dub. 2. punct. 4. num. 10.* Unde Villalob. *tom. 2. tract. 33. difficult. 4. num. 5.* ſic dicit: [y concluye el P. Miranda, que comum mente hablando, todos los Religioſos el dia de oy tinen privilegios para no pagar diezmos. Y no obſta contra eſto una declaracion de Cardenales, que trahe Marzilla; porque eſa ſe ha de intender de derecho comun. Deſuerte que ni los Religioſos, ni los que arriendan ſus campos eſtan obligados a pagar los diezmos al parrocho. Y dice Henriquez que aſi ſe juzgo el año de 83. en Salamanca: y tambien ſe juzgo en Baeza, y en Murçia. Y da la razon diçiendo: que eſte privilegio de los diezmos no es perſonal, ſino real, y aſi paſſa con la miſma coſa.] Idem, & eiſdem ferè verbis teſtantur duo alii, qui in lingua Hiſpana ſcripſere. Ioannes à Cruce *de privileg. lib. 2. cap. 9. dub. 4. concluſ. 4.* Philippus à Cruce *tract. de decim. §. 2. num. 9.* Idem tenet Gloſſa *in Clementin. Religioſi, de decimis, verb. excolendas.* Abbas *in cap. ex parte de decim. num. 5.* Fagundez *lib. 2. cap. 4. num. 1.* Rodriguez *quæſt. regul. tom. 2. quæſt. 44. art. 4.* Raphaël à Torre 2. 2. *quæſt. 87. diſput. 6. fol.* 580. Caſtro Palao *tom. 2. tract. 10. diſp. unic. punct. 12. num* 10. Antonius à Spiritu ſancto *tract. 2. diſput. 3. ſect. 6. num. 161. & 165.* Diana *part. 10. tract. 12. & 2. miſcell. reſolut. 51.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 7. ſect. 5. num. 176.* Peyrin. *tom. 1. privileg. minim. conſtit. 2. Iulii II. num. 132.* Henriquez *lib. 7. de indulgent. c. 27.* Tambur. *tom. 1. diſp. 15. q. 18. n. 31.* Garcia, Villalobos *locis citatis*.

Privilegia ſupradicta ad prædia conducta, & locata à religioſis extenduntur.

77. Tertia difficultas eſt, an hujuſmodi privilegium de non ſolvendis decimis extendatur ad prædia conducta, locata, vel in emphyteuſim accepta ab ipſis religioſis, quæ ipſi propriis manibus, aut ſumptibus colunt, licet aliena ſint, & à Monaſteriis conducta? ¶ Negat ſatis probabiliter prima ſententia: nam privilegia ſolum dicunt, quod decimas non ſolvant de ſuis agris, vel de propriis prædiis: *ſua* autem non ſunt, aut *propria* prædia conductitia, aut locata, aut emphyteutica; ſicut domus à me locata, non eſt mea, etiamſi in illa habitem: & ita declaratur ab Alexandro III. *in cap. dilecto, de decimis*, & ſumitur *ex cap. ex parte eodem tit.* ergo licet hæc prædia locata, aut conducta propriis laboribus, aut ſumptibus colant, decimas ex eis Eccleſiæ ſolvere tenentur: alias tot prædia alicujus territorii locare poſſent, quod omnino Parrochiæ decimis ſibi debitis defraudarent. Ita Rebuff. *de decimis, quæſt. 14. num. 52.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 5. cap. 19. num. 8.* Filliuccius *tract. 27. cap. 8. quæſt. 11. num. 184.* Palaus *tractatu 10. diſput. unic. punct. 12. num. 8.* Barboſa *de iure Eccleſiaſt. cap. 26. §. 3. num. 20. & in cap. Dilecti, de decim.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 8. cap. 7. ſect. 5. num.* 175. ¶ Sed probabilius dicendum eſt, quod licet ex jure communi, & privilegia in corpore juris inſerta non extendantur ad prædia conducta, vel locata, aut in emphyteuſim accepta, quod ſanè probant, & non amplius fundamenta contraria: at loquendo de aliis privilegiis, dicendum eſt ad illa extendi. Accipe privilegium Martini V. quod adducit Garcia *loco ſuprà citato num.* 12. ubi ſic dicit: *De quibuſcumque poſſeſſionibus, & prædiis, quæ in præſentiarum poſſidetis, & in futurum præſtante Deo juſtis titulis poteritis adipiſci, etiamſi ea ab aliis conducatis; dum tamen illa veſtris manibus, vel ſumptibus excolatis, ſeu pro ſuſtentatione veſtra excoli faciatis, decimas quibuſvis Eccleſiis, locis, aut perſonis ſolvere minimè teneamini.* Idem conceſſit fratribus de Guadalupe Gregor. XI. & Paulus III. anno 1555. ut habetur *in compend. D. Hieronym. titul. decimarum exemption. §. 12. & 15. & 16.* Alia privilegia ab Authoribus hujus ſententiæ accipere poteſt: qui ſunt. Fagundez *de 5. Eccleſ. præcept. lib. 2. c. 4. num. 1.* Antonius à Spiritu ſancto *ſuprà n.* 162. Garcia *num. 12.* Peyrin. *conſtitut. 2. Iulii II. §. 31. n. 135.* Leander à Sanctiſſimo Sacramento *de præcept. Eccleſ. tract. 6. diſput. 6. quæſt. 35. & 49.* Azor. *tom. 1. lib. 7. quæſt. 6. §. 3.* Ioannes à Cruce *in epitom. ſtatus relig. lib. 2. cap. 9. dub. 4. concluſ. 2.* Et quando privilegium dicit, non ſolvant ex prædiis, quæ habent ademptitia, & conductitia etiam extendi. Raphaël à Torre 2. 2. *tom. 1. quæſt. 87. diſp. 7.* Diana 10. *part. tract. 12. & in miſcel. reſol. 50.*

78. Quarta difficultas eſt, qui regulares dictis privilegiis exemptionis à decimis fruantur? ¶ Reſpondetur, quod in præſentiarum omnes exempti, etiam Moniales cujuſcumque ordinis; Tum, ob communicationem privilegiorum, quam *ſupra cap. 1. num. 92.* diximus eas habere, quam prodeſſe in hoc caſu *num.* 73. diximus. Tum etiam quia ſic conceſſit Monialibus S. Claræ Bonifacius VIII. Bulla 3. & Leo X. Bulla 23. & Clemens VIII. Paulus III. & Sixtus IV. ut refert Rodriguez *tom. 2. q. 44. art. 3. & tom. 5. quæſt. 34. art. 15.* & Pius IV. à ſolutione decimarum Moniales cujuſcumque ordinis exemit, ut inquit Sorbus *in compend. verb. decima*: & ferè omnes ordines habere ſimilia privilegia, teſtatur Lezana *tom. 5. in mari magno Auguſtin. §. 73. num. 29. & in mari magno Minimorum, num.* 107. refert quandam deciſionem Rotæ in Monialium favorem, in qua deciditur, decimas, quas coloni tenebantur ſol-

Moniales eximuntur à ſolutione decimarum.

vere

vere Parocho, teneri ſolvere Monialibus. Unde præter citatos tenent hoc ipſum Portel. *in dubiis regul. verb. decimæ, num.* 3. Cruz *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 4. *concluſ.* 5. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 164. Villalob. *tract.* 33. *difficult.* 4. *num.* 5. à Torre 2. 2. *quæſt.* 88. *in princip.* Barboſ. *lib.* 3. *de jure Eccleſiaſ. cap.* 26. §. 3. *num.* 36. & *in cap. ex parte* 1. *ſub numero quinto*, ubi plures deciſiones Rotæ circa hoc adducit.

De quibus bonis non tenentur Equites decimas ſolvere.

79. Equites verò Ordinum Militarium, quos veros religioſos diximus eſſe *tract.* 15. *c.* 1. *n.* 4. nimirum illi, qui abſolutam vovent caſtitatem, ut ſunt D. Ioannis, omnibus religioſorum privilegiis hactenus recenſitis fruuntur, ut eſt commune apud omnes. Illi vero, qui uxores ducere poſſunt, de quibus *loco citato* ex D. Thoma, & aliis probavimus non eſſe veros religioſos, privilegio hoc exemptionis à decimis perfruuntur de prædiis, ac bonis ſuarum commendatarum, quæ ſunt bona religionis, quæ ipſi donare, legare, aut alio quovis modo alienare non poſſunt. Ita eis conceſſit Martinus V. in Bulla *Militantis Eccleſiæ.* Greg. XIII. anno 1578. in Bulla *Ex Apoſtolica.* Honor. III. Sixtus IV. & Leo X. ut teſtatur Tambur. *tom.* 2. *diſput.* 24. *quæſt.* 5. *num.* 79. quæ non ſunt revocata per *cap. nuper*: cum poſt illud plura prodierint, & praxis, ac conſuetudo illud confirmet. At de bonis patrimonialibus, vel alio modo ipſis privativè competentibus, ſive ſint Equites Calatravæ, Alcantaræ, & Iacobi, ſive quicumque alii, decimas tenentur ſolvere Eccleſiæ, cui competunt. Tum, quia privilegia ſolum loquuntur de bonis religionis. Tum, quia conſuetudine ſic jam habetur, à qua minimè recedendum eſt. Et ſic Diana 10. *part.* inter deciſiones Rotæ, (quas in fine adducit) *deciſ.* 7. refert ſic deciſum fuiſſe à S. Rota in cauſa Toletana decimarum 21. Iunii 1649. ubi per ſacram Rotam judicatum fuit quendam Equitem de Calatrava teneri ſolvere decimas de patrimonialibus propter poſſeſſionem, & conſuetudinem continuam, & nunquam interruptam, quam curati habent accipiendi decimas a talibus militibus, qui non probarunt ſufficienter hujuſmodi conſuetudinem interruptam fuiſſe. Sic Britus de Locato 1. *part. cap.* 2. *n.* 23. Llamas 3. *part.* §. 25. Themudius 1. *part. deciſ.* 1. *num.* 63. & 3. *part. deciſ.* 260. quos refert, & ſequitur N. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 2. *diſputatione quarta, ſect.* 1. *num.* 175. & *num.* 180.

Modi, quibus privilegia amittuntur, recenſentur.

80. Ultima difficultas eſt, quomodo amittantur ſupradicta privilegia exemptionis à decimis? ¶ Reſpondetur primo, amitti per compoſitionem, aut conventionem, quæ conventio, & compoſitio conſulitur, & approbatur *in cap. ſuggeſtum, cap. dilecti de decimis.* ¶ Secundo per non uſum, aut uſum contrarium modo, & tempore, quo diximus *cap.* 2. *punct.* 2. deperdi, aut amitti per non uſum privilegia. Sed notandum eſt hujuſmodi privilegia non deperdi alicui Monaſterio, etiam per non uſum illorum in ipſo; ſi in aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis, cui illa conceſſa ſunt, fuerint in uſu: nam per uſum aliorum Monaſteriorum, jus illius Monaſterii præſervatum cenſetur. Sic Lezana *tom.* 3. *verb. decima, num.* 9. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 18. *n.* 37. ex variis Rotæ deciſionibus, & Panormitano. ¶ Tertio ſi talia privilegia incipiant eſſe enormiter nociva Eccleſiæ; taliter, quod pro Miniſtris Eccleſiæ congrua non maneret ſuſtentatio: quia cum iſta ex jure divino debeatur; nec Pontifex privilegium poteſt concedere in præjudicium ejus *cap. Quod perſonale, de verb. ſignif. cap. dilecti, de decimis,* & ibi Gloſſa *verb. enormiter*, & omnes. Cæterum in dicto caſu, quod privilegium cedat in enormem læſionem Eccleſiæ, non amittunt illud religioſi ipſo facto, niſi enormitas læſionis ſit clara, & evidens: ſi vero non eſt clara, ſed dubia recurrendum eſt ad Pontificem tanquam ad privilegii Authorem, ut declaret an privilegium enormiter lædat, vel non: niſi ad evitandas lites religioſi componantur cum parte læſa, quod melius erit. Barboſ. *lib.* 3. *cap.* 26. § 3. *num.* 45. Suarez *tomo primo, de relig. tractatu ſecundo, libro primo, cap.* 10. *numero ſecundo*, Filliuccius *tract.* 27. *cap.* 8. *q.* 10. *n.* 185. Palaus *ſuprà punct.* 13. *num.* 2.

PUNCTUM III.

De privilegio immunitatis conceſſo regularium Monaſteriis, Eccleſiis, ac domibus eorum.

Privilegium immunitatis, non ex jure divino, aut naturali, ſed ex jure humano.

81. HOc privilegium non ſolum expeditum eſt pro Eccleſiis, ac domibus regularium; ſed etiam pro quibuſcumque aliis locis ſacris, ac Deo dicatis, ut in eis divina peragantur: & ſic de omnibus hoc puncto loquimur. Nomine immunitatis illud privilegium intelligimus, quod habent Eccleſiæ fidelium, & domus regularium, ut ſint loca refugii, & quaſi aſyla eorum, qui commiſſo aliquo delicto, ad ipſas confugiunt, ne capiantur, incarcerentur, & puniantur. Talis immunitas ex jure divino aut naturali non habetur; ſed ex jure poſitivo Eccleſiaſtico, ac civili. Non quidem ex jure divino poſitivo: nam nullibi in ſacra Scriptura habetur: nec ex divino naturali; quia actio extrahendi ab Eccleſia facinoroſum, ut delicta puniantur ex ſe juſta eſt, cum ad juſtum finem ordinetur; & ſic ſecluſo alio jure poſitivo licita; proindéque talis immunitas delinquentibus indebita. Cæterum jus poſitivum, ut fideles majorem venerationem in loca ſacra conciperent, ſtatuit merito, minimè licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes violenter abducere: nec ob id Eccleſia ſceleratis favere intendit, ſed ut pia mater miſeris, & jam in delictis lapſis, miſericordiam impertiri. Ob idque talis immunitas jure civili conceditur *in C. toto tit. de his, qui ad ſacroſanctas Eccleſias confugiunt.* Et jure Canonico, *cap. inter alia*, cum pluribus aliis *de immunitate Eccleſiaſtica, cap. fratr. cap. minor, cap. reum. cap. ſtatuimus, & aliis* 17. *quæſt.* 4. & in Tridentino confirmata eſt *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. & à Gregorio XIV. in ſua conſtitutione incipiente: *Cum aliàs nonnullis* edita 22. Maii anno 1591. Quod eſt conforme juri divino veteris legis, in quo & ſignatæ erant civitates refugii pro delinquentibus: & ipſum Salomonicum templum tali fruebatur privilegio, prout probabiliter colligitur *ex lib. Exodi* 21. & 3. *Regum* 1.

Poteſt adverſus immunitatem prævalere conſuetudo.

82. Cum ergo talis immunitas ex jure divino non habeatur, contra illud prævalere poteſt conſuetudo, ad quam multoties Authores recurrunt, pro aliquibus caſibus particularibus, ſi talis conſuetudo legitima ſit, id eſt, toto

tempore

tempore non interrupto ad eam introducendam neceſſario continuata, & cæteras habeat qualitates requiſitas in *cap. fin. de conſuetud. ad abrogandam legem Eccleſiaſticam, aut contra Eccleſiam præſcribendam*, de quibus latè egimus *tom. 3. de juſtitia, tract. 11. de legibus, cap. 6. à num. 9.* Sed omnes conſuetudines ante Concilium Tridentinum, & conſtitutionem Gregorii XIII. adverſus immunitatem Eccleſiarum ſublatæ ſunt per Concilium *ſeſſ. 25. cap. 20.* & per dictam Gregorianam conſtitutionem: & ſic attendendum eſt, an poſt Concilium ubi receptum eſt, & dictam Gregorianam Bullam ubi talis eſt, admiſſa, & obſervata (quod ferè ubique eſſe, omnes infrà adducendi Authores aſſerunt, aut ſupponunt) introducta ſit aliqua conſuetudo pro his, vel illis uſibus particularibus. Farinacius *in appendic. de immunit. cap. 2. num. 5.* Qui benè advertit, quod cum ſit quid facti conſuetudo, non eſt in aliquo caſu præſumenda, niſi legitimè probetur; nec credendum eſt Doctoribus de conſuetudine teſtantibus, extra locum ubi degunt.

Amplianda eſt privilegii immunitatis.

83. Illud ut certum judicamus, quod hæc immunitas cum omni eſt amplitudine interpretanda, utpotè cauſa pia, & favorabilis Eccleſiæ, & privilegium per modum legis in jure communi inſertum, quod latam recipit interpretationem, maximè cum nemini in particulari præjudicet. Sic Alexand. Ambroſ. *de immunit. Eccleſ. cap. 10. n. 7. verſ. ac etiam.* Farinac. *in Appendic. c. 2. n. 21.* Pelliz. *tom. 2. tract. 8. cap. 5. ſect. 1. n. 2.* Caſtro Palaus *tom. 2. tract. 11. diſput. unic. punct. 5. n. 3.* Quæ interpretatio fieri debet non juxta jus civile, (niſi in rebus in quibus immunitatem favet, & ob id eſt ab Eccleſia receptum,) ſed Canonicum: quia concernit materiam Eccleſiaſticam, in qua jus civile nullam habet juriſdictionem, niſi ad favendam diſpoſitionem juris Canonici. ¶ Quibus ſic in communi ſtatutis, ut materiam adeò neceſſariam, & controverſam, ac ex ſe latam clariori ſtylo declaremus, punctum hoc in ſex dividemus §§. In primo agemus de locis, quibus talis immunitas competit. In ſecundo de perſonis, quæ hoc frui poſſunt privilegio. In tertio de delictis, ratione quorum talis immunitas amittatur. In quarto de effectibus, quos talis immunitas ſecum affert. In quinto de peccato, quod illius violatores committunt, & pœnis contra illos ſancitis. In ſexto de modo, & ordine ſervando in tradendis delinquentibus, qui ad Eccleſiam confugiunt, illiſque defendendis, quando ipſis ſuffragatur immunitas.

§ I.

Quibus locis ſacris, hoc privilegium immunitatis conveniat?

Eccleſia conſecrata, benedicta, & divinis deputata, gaudet immunitate.

84. IN primis omnes Eccleſiæ conſecratæ, quæ loci ſacerrimi meritò nomen accipiunt, tali gaudent immunitatis privilegio, & omnes aliæ Eccleſiæ benedictæ; quia etiam eſt locus ſacer, religioſus, & perpetuo Deo dicatus. Etiam Eccleſia non conſecrata, aut benedicta, ſi obſequiis divinis dicata ſit, & in ea divina officia celebrentur, ut expreſſe textus *in cap. Eccleſia, de immunit. Eccleſ.* Sed in Eccleſiis ſæcularibus requiritur, quod authoritate Epiſcopi ſint erectæ, & fundatæ: in regularibus autem id non eſt neceſſarium; cum in aliquibus caſibus poſſint Prælati ex privilegiis, in eis primum lapidem imponere, eaſque benedicere: & cum Deo loca ſacra ſint, nullis temerariis artibus profananda, gaudent prædicta immunitate. Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. n. 2.* Lezana *tom. 2. verb. Eccleſia, n. 5. & 9.* & *verb. immunitas, n. 2.* Bordon. *tom. 2. reſol. 1. n. 2.* Peyrin. *c. 4. num. 62.* ¶ Nec ad hoc requiritur, quod in ea Eccleſia Euchariſtia ſervetur: quia talis conditio neque *in cap. Eccleſia*, neque in aliis aſſignatur; *ſed in qua divina miniſteria celebrantur*: Sufficit ergo, quod talis locus ſit ad divina celebranda aſſignatus; tametſi in eo Euchariſtiæ præſentia non detur. Farinac. *in Appendic. de immunit. cap. 17. n. 254.* Palaus *ſuprà punct. 6. num. 2.* ¶ Nec requiritur, quod de facto divina in ea celebrentur, ſufficit ſi celebrari poſſint: quia hoc ipſo eſt locus religioſus divinis obſequiis dicatus; ideoque ſi ſanguinis, aut ſeminis effuſione polluatur, reconciliatione indiget, *cap. ſi Eccleſia, de conſecrat. Eccleſ.* Farinac. *n. 258.* Suar. *tom. 1. tract. 2. de relig. lib. 3. c. 9. n. 2.* Azor. *p. 2. lib. 9. c. 8. à n. 2.* Bonac. *diſput. 3. de 1. decalog. præcept. q. 7. §. 2. num. 2.*

Extenſiones ſupradictæ doctrinæ.

85. Extenditur hoc privilegium ad Eccleſiam non perfectè conſtructam, in qua adhuc divina celebrata non fuere, ſi tamen conſtructio continuatur: quia hoc ipſo, quod ad divina celebranda cœpta ſit erigi, eſt locus divinis obſequiis deputatus. Abbas *in cap. Eccleſ. de immun. n. 5.* Pelliz. *tract. 8. c. 5. ſect. 1. n. 4.* Farinac. *n. 261.* Lezana *verb. immunitas, n. 2.* Sylveſt. *immunitas 1. n. 2.* Burdon. *reſol. 1. n. 2.* Palaus *n. 5.* ¶ Extenditur etiam ad Eccleſiam interdictam, & pollutam, quæ nec ob interdictum, aut pollutionem immunitate privatur, nec ob id deſinit eſſe locus ſacer, nec jure habetur talis effectus pollutionis, aut interdicti, quod hoc privilegio privetur. Suarez *num. 6. & 9.* Bonacin. *§. 1. num. 3.* Layman. *num. 2.* Lezana *num. 2.* Palaus *n. 5. & 6.* ¶ Extenditur etiam ad Eccleſiam dirutam, aut deſtructam: quia ratione loci, in quo ædificata erat, non deſinit eſſe ſacra, niſi authoritate ſuperioris ſit penitus everſa abſque ſpe reædificationis: quia jam tunc deſinit eſſe locus ſacer, ſitque profanus. Lezana *num. 2.* Barboſ. *de jure Eccleſ. lib. 1. c. 3. num. 62.* Tuſchus *verb. Eccleſia, concluſione 9. numero decimo.* Sanchez *de matrimon. lib. 9. diſputatione 15. num. 37.* ¶ Et non ſolum gaudet Eccleſia hac immunitate quoad totum corpus, & ambitum internum Eccleſiæ; ſed quoad totam ejus fabricam internam, & externam, itaut complectatur Capellas, ſacriſtiam, parietes, turres, &c. quia eſt favorabile privilegium, & ampliandum. Et omnia hæc in lata Eccleſiæ ſignificatione clauduntur, *l. pateant, C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt* ibi: *Quidquid fuerit interjacens, ſive in cellulis, ſive in domibus, balneis, atque porticibus confug. interioris templi vice tueantur.* Idem habetur *cap. frater, cap. ſi quis in atrio 17. q. 4.* Tuſchus *concluſ. 9. n. 3.* & *verb. immunitas concl. 59. n. 5.* Bonac. *§. 2. num. 5.* Suarez *à numero ſexto,* Palaus *num 8.* ¶ Et ſic confugiens ad atrium, vel portas Eccleſiæ, etiamſi clauſa ſit, ſecurus erit, & in ipſa ſcala, ſeu gradibus atrii, ex declaratione ſacræ Congregationis, quam adducit Barboſa *ſupra num. 66.* Bordon. *tom. 1. reſolut. 1. num. 2.* Similiter exiſtens ſupra tecta Eccleſiæ; quia

verum eſt in Eccleſiæ ſitu exiſtere: quia Eccleſia, ſicut & quælibet alia domus ex ſolo, & tecto, ejuſque ſuperficie concava, & convexa conſtat. Unde ſicut Sancti dicuntur eſſe in cœlo, licet non circundentur ab eo, ſed ſolum ſuperficiem pedibus tangant; ſic confugiens ad Eccleſiam, in Eccleſia dicitur eſſe, etiamſi ſupra tectum, aut turrem ejus exiſtat. Farinac. *in Appendic. de immunit. cap.* 17. *n.*372. Suarez *num.*9. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 4. Bonacina *num.* 5. ¶ Etiam in atrio Eccleſiæ, clauſtro, porticu, ambitu, dormitorio: quia vel ſunt de fabrica Eccleſiæ, vel Eccleſiæ connexa, *cap. ſi quis in atrio*, *cap. frater*, *cap. ſi quis contumax* 17. *q.*4.

Qualiter intra 40 paſſus per circuitum Cathedralis, & aliarum Eccleſiarũ per 30. immunitas intelligatur?

86. Et talis immunitas etiam extenditur ad fines Eccleſiæ, *cap. ſicut antiquitas*, *cap. diffinivit* 17. *quæſt* 4. & *ex l. præſenti*, *C. de his, qui, &c.* Nomine autem confinium intelligitur pro Eccleſia Cathedrali, ſeu majori 40. paſſus per circuitum ejus; pro minoribus 30. ut in prædictis textibus habetur: qui paſſus ab oſtio Eccleſiæ, vel muro ejus enumerari debent: & quilibet paſſus conſtat ex 5. pedibus, & pes 15. digitos habet. Farinacius *cap.* 18. *à num.* 286. Suarez *lib.*3. *cap.*9. *num.*8. Sanchez *tom* 3. *conſilior. moral. lib* 6. *cap.*1. *dub.*7. *num.* 3. Lezana *verb. immunitas*, *num.* 3. Sylveſter *eodem verb.* 3. *num.* 1. Tuſchus *verb. Eccleſia concluſ.* 9. & 19. & *verb. immunitas concluſ.* 59. Navar. *in manual. cap.*25. *num.*18. Palaus *punct.*6. *num* 11. ¶ Et etiam domus Parochorum, vel Clericorum intra prædictos 40. vel 30. paſſus poſitæ gaudent prædicto immunitatis privilegio *ex cap. quiſquis* 17. *quæſt.* 4. ut teſtantur Navar. Bonacio. Sanchez, & Lezana. ¶ Sed hæc limitanda ſunt. Primo ut intelligantur de circuitu Eccleſiæ non diſcontinuato, ſed continuo. Unde ſi diſcontinuetur per domum alicujus ſæcularis, vel per viam publicam inter Eccleſiam exiſtentem; nec talis domus, aut via hoc gaudet privilegio, *cap. diffinivit* 17. *quæſt.*4. ubi: in hoc triginta paſſuum numero abſque domorum extraneorum receptaculo progrediendi aditum obtinebunt. ¶ Secundo ut intelligatur de Eccleſiis, quæ ſunt extra murorum ambitum, non de Eccleſiis, quæ intra muros in civitatibus, aut villis continentur, *cap. quiſquis* 17. *quæſt.*4. ibi: *Capellæ, quæ ſunt inter ambitum murorum, caſtellorum, non ponuntur in hac* 30. *paſſuum obſervatione.* Et tradit Gloſſa *in cap. antiquitas, verb. paſſus* 17 *quæſt.*4. Farinacius *n.*290. Bonacin. §.2. *num.*5. Pellizzar. *num.*4. ¶ Tertio ut procedat in eo, qui jam ad Eccleſiam confugit, & ex illa progreditur per 30. vel 40. paſſus; non de illo, quem Eccleſia nondum recepit, *cap. definivit* 17. *quæſt.*4. & talis progreſſus debet eſſe ad requiſitum naturæ uſum, v.g. ad exonerandum ventrem, ſi non ſit alius locus opportunus intra terminos immunitatis, ibi: *Qualiter ad requiſitum naturæ uſum debitis exeant locis, & nullo teneantur eventu neceſſitudinis, qui Dominicis ſe defendendis commiſerunt clauſtris.* ¶ Quarto, ut dicta intelligantur de jure communi antiquo, ſecus vero ſecundum conſuetudinem, quam eſſe omnino in contrarium, non poteſt negari, cum tot Authores de illa teſtentur. Suarez *tom.*1. *de religione, lib.* 3. *c.*9. *num.*8. Covar. *lib.*2. *variar. cap.* 20. *num.*5. Bonac. *n.*5. Sanchez *ubi proximè lib.*6. *cap.*1. *dub.*7. Navar. *in ſumm. capite* 25. *num.* 18. Pellizzar. *num.*4. Palaus *punct.*6. *num.*15. Farinac. *de carceribus*, *q.*28. *num.*12.

Xenodochia, oratoria, & domus Epiſcopalis quæ fungãtur hoc privilegio.

87. Extenditur deinde hoc privilegium, ad hoſpitalia authoritate Epiſcopi erecta, ſi in eis ſit Capella, ubi divina celebrantur, *cap. de Xenodochiis* 3. *cap. ad hæc* 4. *de religioſis domibus.* Etiam ad oratoria authoritate Epiſcopi conſtructa; ſecus verò ſi privata authoritate erecta fuerint: quia quæ privata authoritate eriguntur, etiam privata authoritate converti poſſunt ad uſus profanos, etiamſi de licentia Epiſcopi in eis celebretur: ergo non ſunt loca ſacra, quæ ſemel dicata, non poſſunt privata authoritate redire ad uſus profanos, *cap. ad hæc citat.* Pellizzar. *num.*5. Fagundez 2. *præcept. Eccleſ. lib.*4. *cap.*4. *num.*64. Covar. *lib.*2. *variar. cap.* 20. *n.*4. Suarez *cap* 9. *num.*10. Palaus *punct.*6. *num.*19. Farinacius *in Appendic. de immunit. c.*17. *n.*267. Qui rectè docent, tunc cenſeri oratorium authoritate Epiſcopi erectum; cum vel ibi divina celebrantur omnibus ad ea audienda indifferenter admiſſis, vel cymbalum habeat ſuper tectum, & publicè pulſetur. Quia cùm non concedatur hæc publica cymbali pulſatio privatis oratoriis, *cap. patentibus, de privileg.* præſumitur authoritate Epiſcopi erectum, qui illo utitur. ¶ Extenditur etiam ad cœmeterium Eccleſiæ *cap. final.* de immunitate Eccleſiæ. Quod non ſolum intelligitur de cœmeterio contiguo Eccleſiæ; ſed etiam de ſeparato, quod deſtinatum eſt ſepulturæ fidelium: quia hoc ipſo præſumitur benedictum eſſe, & authoritate Epiſcopi ſacratum. Farinacius *cap.* 17. *num.* 264. Lezana *verb. cœmeterium*, *num.*3. & *verb. immunitas*, *num.*2. Palaus *tom.* 2. *tract.*11. *diſput. unic. punct.*6. *num.*2. ¶ Extenditur etiam ad tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, vel ad ſacerdotem Euchariſtiam portantem: ad quem ſi reus confugiat ſecurus erit: quia licet hoc non habeatur ex jure, conſuetudine introductum eſt, quæ pietati favet, & devotioni, & reverentiam circa hoc venerabile Sacramentum excitat. Pellizzar. *tract.*8. *cap.* 5. *ſect.*1. *num.*4. Suarez *lib.*3. *cap.*8. *num.*10. Farinacius *cap.*17 *n.*275. Layman. *lib.* 4. *tract.*9. *c.* 3. *num.*4. Lezana *verb. immunitas*, *num.*2. Tuſchus *verb. Eccleſia, concluſione* 10. *num.* 33. ¶ Extenditur etiam ad domum, vel palatium Epiſcopi, *cap. conſtituimus* 17. *q.*4. & hoc etiamſi Epiſcopus abſens, vel mortuus fuerit, dummodo aliis non ſit locata domus. Farin. *c.*17. *n.*270. Palaus *punct.*6. *n.*20. & hoc etiamſi domus ejus intra 40. paſſus per circuitum Eccleſiæ Cathedralis non exiſtat: quia in dicto capite expreſsè, & ſine ulla limitatione domui Epiſcopali hoc conceditur privilegium. Lezana *n.*2. Bonac. *n.*8. Navar. *in manual. c.*25. *n.*8. Suar. *c.*9. *n.*9.

Qualiter Monaſteria quoad omnes illorum partes, hoc fungantur privilegio?

88. Denique hoc extenditur privilegium, non ſolum ad Eccleſias regularium ſecundum totum earum ambitum interiorem, & exteriorem; ſed etiam ad domus, & Monaſteria eorum ſecundum totum ambitum, quo ſeptum eſt, ut comprehendit clauſtra, ſacriſtiam, dormitoria, officinas, hortus, viridaria, &c. quia licet hæc ad effectum pollutionis, & violationis non reputentur loca ſacra, & religioſa; bene tamen ad effectum immunitatis tanquam Eccleſiæ adhærentia, & habetur *in cap. ſi quis contumax*, *cap. frater*, *cap. Minor* 17. *quæſt.*4. & *l. præcamur*, *C. de his, qui ad Eccleſ. confugiunt.* Rodriguez *tom.*2. *quæſt. regular. quæſt.*75. *art.*2. Diana *p.*6.

*tract.*1.

tract.1.reſolut.6. Pellizzar. *num.4.* Bordon. *reſolut.1. num.6.* Palaus *punct.6. num.18.* Farin. *de immunit. quæſt.28. num.268.* Unde ſi quis confugiens ad Monaſterium ſe projiciat intra muros hortus illius, etiam in atrio Monaſterii erit immunis, *cap. ſi quis, cap. definivit, cap. id conſtituimus 17. quæſt.4.* eſt autem atrium prima pars domus, in quàm collecta ex omni tecto pluvia deſcendit. Etiam porticus conſtitutus ante Eccleſiam, tali gaudet immunitate, *cap. ſi quis contumax 17. quæſt.4.* ¶ Etiam domus nova, ſeu habitatio de recenti domo contigua Eccleſiæ incœptæ pro religioſis fabricari, gaudet hac immunitate, quamvis ibi religioſus ſolus habitet pro fabrica, nec clauſura ſit adhuc deſignata. Tum: quia fabrica cœpta pro finita habetur in favorabilibus. Tum etiam: quia in hoc comparatur Eccleſiæ, quæ quoad hoc ſufficit, ut ſit cœpta fabricari, ut diximus *num. 86.* & in præſenti tenent Bordon. *tom.2. reſolut.1. num.7.* Pelliz. *num.7.*

§. II.

Quæ perſonæ hoc gaudeant immunitatis privilegio?

Excommunicatus, interdictus, & omnes hac poſſunt immunitate gaudere.

89. Dicendum eſt omnes fideles cujuſcumque conditionis exiſtant, & quantumvis gravia delicta commiſerint, ſi ad loca ſacra ſupra recenſita confugiant, gaudent immunitate Eccleſiæ, niſi in caſibus in jure exceptis, de quibus *ſequenti* §. dicemus, ut conſtat ex *cap. inter alia de immunit. Eccleſ. cap. frater, cap. minor, cap. ſi quis contumax 17. quæſt.4.* Unde interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſuſpenſus, vel etiam excommunicatus, hac gaudet immunitate: quia neque interdictum, nec excommunicatio habent effectum iſtum in jure privandi immunitate (non enim privant ingreſſu materiali Eccleſiæ, ſed formali ad aſſiſtendum divinis officiis, cum tamen immunitas loco ipſo ſacro materiali conveniat) & aliàs excommunicatus ex ſe ſit indignus hoc beneficio; tanto majorem Eccleſia oſtendet pietatem ſuam, ſi illum tueatur, & defendat: neque enim in ejus defenſione attendit ad delictum, & excommunicationem incurſam, ſed ad loci ſanctitatem, & reverentiam. Pellizzar. *tract. 8. cap.5. ſect.1. num.28.* Diana *part.6. tract.1. reſolut.26.* Lezana *verb. immunitas, num. 5.* Sylveſter *eodem verbo 3. quæſt.3.* Navar. *in manuali, cap.25. num.19.* Suarez *tom.1. lib.3. cap. 10. num. 4.* Palaus *tom.2. tract.11. diſput. unic. punct. 7. num.2.* ¶ Neque etiam hoc privatur privilegio hæreticus, ſi ob alia crimina quam hæreſis (nam quoad hæreſim excluditur ab Eccleſiæ immunitate, ut §. *ſequenti* dicemus) puniendus eſſet: quia Eccleſia ſolum hæreticum, ut talem, privat hoc privilegio, non quia homicida, non quia latro, &c. ſed quia hæreticus eſt: ad quam hæreſim per accidens ſe habent alia crimina. Bonacina *diſp.3. q.7. §.3.* Suarez *n.13.* Palaus *num 4.* Sylveſter, & Lezana *locis citatis*; licet oppoſitum ſit ſatis probabile.

Qualiter infidelibus immunitas Eccleſiæ ſuffragetur?

90. Sed ſunt aliquæ difficultates enodandæ. Prima, an immunitas Eccleſiæ proſit infidelibus, nimirum Iudæis, Sarracenis, Idolatris, &c. Affirmat prima ſententia: quia *in cap. Inter alia, cap. minor, cap. frater, cap. ſi quis incautus, cap. ſi quis contumax 17. q.4.* omnibus indiſtinctè conceditur hoc privilegium, eo, quod non perſonis, ſed loco, & ratione illius perſonis capacibus conceditur. Cum ergo infideles capaces ſint hujus indulti, aſſerendum eſt illis proficere. Gloſſa, & Innocentius in *cap. Inter alia de immunitate Eccleſiar. verbo extrahendus.* Sylveſter in *ſum. verb. immunitas 3. n.2. verſu ſecundum de pagano.* Tabiena *eod. verb. n.3.* Armilla *n.9.* Diana *p.1. tract.1. reſol.22.* ¶ Secunda ſententia abſolutè negat: Tum, quia de his, qui foris ſunt non curat Eccleſia: unde ſicut nec poteſt illos judicare; ſic nec defendere. Tum etiam: quia leges civiles ſervandæ ſunt, quoties canonicis non contradicunt: ſed nulla canonica lex diſponit de infidelibus, quod gaudeant vel non immunitate: ergo ſtandum eſt legi civili in *l. 1. C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt.* Ubi infideles, qui baptizati non ſunt excluduntur ab Eccleſia, ſi ad eam confugiant. Sic Farin. *in Appendic. de immunit. c.5. n.71. & 79.* Covar. *2. variarum c.20. n.11.* Ioannes Gutierrez *lib.3. pract. quæſt. civil. q.7. n.51.* ¶ Sed dicendum eſt infidelem ad Eccleſiam confugientem gaudere immunitate illius, ſi verè velit converti; ſecus autem ſi nolit, aut ſimul & ſe converti velle. Utraque pars utriuſque ſententiæ relatæ argumentis probatur: & inſuper, quia dignum eſt, ut Eccleſia defendat eum, qui illi ſervire cupit, & abjiciat qui renuit. Tunc autem verè, non ſimulatè converti velle cenſendum eſt, ſi ante patratum delictum, vel conceptum judicis timorem petiit baptiſmum, aut dedit ſigna converſionis: quia tunc confugiens, petenſque baptiſmum, non cenſetur ſimulatè petere, ſed ex animo, ex illaque voluntate, qua ante baptiſmum deſiderabat, non ex animo vitandi pœnam, & ſecurum in Eccleſia exiſtendi: ſecus autem ſi antea nec baptiſmum petierat, nec ſigna dederat converſionis, ut clarè videtur decidi *in dicta l.1. C. de his, &c.* Lezana *tom.2. verb. immunitas, n.5.* Pelliz. *tract.8. c.5. ſect.1. n.26.* Layman. *lib.4. tract 9. c.3. n.12.* Bonac. *quæſt.7. de immun. § 3 num.5.* Palaus *ſup. punct.7. num. 7. & 8.* & ita declaraſſe ſacram Congregationem refert Barboſ. *de iure Eccleſ. lib.1. c.3. n.44.*

91. Secunda difficultas eſt, an ſi incarceratus fracto carcere ad Eccleſiam confugiat, illi proſit ejus immunitas? ¶ Reſpondetur affirmativè: quia in dictis juribus omnibus prodeſt immunitas, præterquam in caſibus exceptis: ſed fractio carceris, exituſque ab illa non eſt delictum exceptum ut § *ſequenti* videbimus: ergo, &c. Secus autem dicendum eſt de illo, quem Miniſtri per locum ſacrum comprehenſum ducerent ad carcerem, cui loci immunitas non prodeſt; quia ipſe non confugit ad Eccleſiam, ſed per eam vinctus trahitur: Lezana *num. 19.* Pellizzar. *num. 33.* Tuſchus *verb Eccleſia, concluſione 10. num. 3. & concl. ſ.11. num.28.* Suarez *cap.11. num.18. & 19.* Bonacin. *§ 2. numero decimo.* Palaus *punct.7. numero decimo.* — An ſi incarceratus fracto carcere, ad Eccleſiã confugiat, illi proſit eius immunitas? — At ſi captus à Miniſtris juſtitiæ, ex eorum ſe eripiat manibus, & ad Eccleſiam confugiat, gaudet illius immunitate: quia jam poſitus in libertate, ad Eccleſiæ patrocinium acceſſit: & hoc etiamſi per vim ſecum miniſtros ferret; quia ſemper verum eſt illum confugere ad Eccleſiam, & ſic debet gaudere illius immunitate. Et idem dicimus de damnato ad mortem, ſi cum ducitur ad ſupplicium, è manibus miniſtrorum ſe eximeret, & ad Eccleſiam confugeret.

Gutierrez *practic. quæſt. civil. lib. 3. quæſt. 4. n. 10. & quæſt. 6. num. 4. & 5.* Pellizzar. *n. 33.* Tuſchus *verb. Eccleſ. concluſ. 10. num. 21. 22. & 30.* Palaus *punct. 7. n. 11. & 12.* Farinat. *in appendic. de immunit. c. 15. n. 196. & 197.*

Prodeſſe Clericis, & religioſis immunitatē Eccleſiæ cōparatione ad ſuos Prælatos aliqui dicunt.

92. Tertia difficultas eſt an Clerici, vel religioſi reſpectu ſuorum Prælatorum gaudeant prædicto immunitatis privilegio? Dicimus reſpectu ſuorum Prælatorum; nam reſpectu judicum ſæcularium, haud dubium eſt, cum ab eorum ſint juriſdictione exempti: & ſic duplici titulo nequeunt ab eis ab Eccleſia extrahi, & ratione immunitatis loci, & ratione immunitatis perſonæ. Unde ſi ob aliquod graviſſimum crimen perſonali immunitate exempti fortè non eſſent, ſed poſſent à judice ſæculari capi, ſi tale delictum non eſſet de exemptis in jure, quæ *§. ſequenti* recenſebimus, ratione loci eſſent immunes ſicut alii; ne ipſi deterioris conditionis ſint, ac ſæculares. Maximè, quia in eo caſu tanquam ſæculares judicantur, qui ex vi delicti Curiæ ſæculari traduntur. Sic citandi pro utraque ſententia Authores. Adhuc autem reſpectu ſuorum ſuperiorum, gaudere immunitate ſuarum, & aliarum Eccleſiarum, necnon, & aliorum monaſteriorum, præter ſua, & cæterorum locorum ſacrorum, ſi ad ea Clerici, aut regulares confugiant, etiamſi apoſtatæ ſint, aut ſi alia crimina perpetrarunt, itaut ab eis extrahi, & puniri à ſuis Prælatis non poſſint, præterquam in caſibus exceptis, tenet prima ſententia, quæ probatur. Primo: Quia jura, quæ de immunitate loquuntur, generaliter, & abſque ulla limitatione ad ſæculares loquuntur: ergo non debent Clerici, aut religioſi ab eo privilegio excludi; alias eſſent quoad hoc deterioris conditionis, quam laïci. Secundo: quia hoc privilegium non conceditur perſonis, ſed locis, ſeu perſonis propter loca: ſed locus eſt communis tam Clericis, quam laïcis, imò magis proprius Clericorum: ergo omnibus in eo exiſtentibus reſpectivè ad ſuos ſuperiores prodeſt immunitas, & maximè Eccleſiaſticis: quia Eccleſia multo magis tuere debet domeſticos ſuos, quam alios quoſcumque extraneos. Sic Farinac. *de carceribus, quæſt. 2. à num. 7. & in appendic. de immunit. cap. 2. num. 16.* Bordon. *tom. 2. reſolut. 1. num. 18.* Tuſchus *verb. Eccleſia, concl. 9. num. 17. & concluſ. 11. num. 27.* Gutierrez *ſuprà quæſt. 3. num. 1.* Barboſ. *de jure Eccleſ. lib. 2. cap. 3. n. 137: & in collect. Bullar. verb. immunitas* affert declarationem S. Congreg. Epiſcop. & regul. tenoris ſequentis: *Immunitate Eccleſiaſtica gaudere debent Clerici, qui poſt delicta patrata, ad Eccleſias confugiunt, extra caſus in Bulla Gregorii XIV. comprehenſos, cum in hoc caſu Abbatis opinio communiter ſit reprobata.* Aliam declarationem refert Diana *5. part. in collect. harum declarationum*, in qua dicitur non poſſe extrahi Clericos, præterquam in caſibus degradatione dignis.

Clerici, & religioſi ab Eccleſia extrahi poſſūt à ſuis Prælatis.

93. Cæterum licet hæc ſententia probabiliſſima ſit, & ſtando in rigore juris veriſſima, maximè ſuppoſitis dictis declarationibus ſacræ Congregationis, quæ proculdubio ſecundum rigorem juris communis loquuntur. At ſecundum tenorem Bullæ Gregorii XIV. de qua diximus, *§. ſequenti* dicemus latius, in qua hoc privilegium ad laicos limitatur: nam ibi dicitur: *Ut laicis ad Eccleſias, locaque ſacra confugientibus*, &c. (& ideo licet ſit hoc privilegium locis conceſſum, eſt comparatione ad judices ſæculares, non ad Eccleſiaſticos,) & maximè ſecundum rationabilem, & ferè communem, receptamque conſuetudinem, oppoſitum tenendum eſt. Paſſim enim videmus judices Eccleſiaſticos, & Prælatos; delinquentes Clericos, & religioſos ab Eccleſiis extrahere, & in carceribus recludere abſque ullo ſcrupulo: nec ullus eſt ex reis, qui immunitatem proclamet, aut ratione illius ſe defendere procuret: & hanc rationabilem dicimus conſuetudinem. Tum: quia alias raro poſſet ſuperior clericorum, aut regularium delicta punire, cum in Monaſteriis, & Eccleſiis regulariter aſſiſtant. Tum etiam: quia decens eſt ita fieri, quod ſicut Princeps ſæcularis poteſt exercere ſuam juriſdictionem in locis ſæcularibus ſibi ſubjectis; ita etiam, quod Prælatus Eccleſiaſticus eam poſſit exercere in locis ſibi ſubjectis, quales ſunt Eccleſiæ; ac proinde ex illis extrahere ſubditos. Nec in hoc læditur Eccleſiæ immunitas, cum non extrahatur Clericus contra voluntatem Eccleſiæ, ſed juxta illam; & tunc immunitas læditur, quando reus extrahitur contra voluntatem, & reverentiam debitam Eccleſiæ; & patet exemplo immunitatis perſonalis, qua fruitur Clericus, quæ ſolum intelligitur reſpectu judicis ſæcularis, & ſic ſolum læditur ſi ab hoc vel capiatur, vel puniatur; non vero ſi à judice Eccleſiaſtico, & ab Eccleſia ad ejus punitionem conſtituto. Idem dicimus de immunitate Eccleſiæ locali, quæ ſolum læditur, ſi à judicibus ſæcularibus contra voluntatem Eccleſiæ delinquens extrahatur; non ſi à judicibus ab Eccleſia conſtitutis, pro ſuorum domeſticorum punitione, quos extrahere poſſunt à locis ſacris, cum utantur Eccleſiaſtica poteſtate, quæ extendi poteſt ſicut ad perſonas Eccleſiaſticas, ad loca Eccleſiaſtica. Sic tenent Suarez *tom. 1. de religione, tract. 2. lib. 3. cap. 10. num. 5. & 8.* Palaus *tom. 2. tract. 11. diſput. unic. punct. 7. num. 17.* Bonacin. *diſput. 3. de 1. decalog. præcept. quæſt. 7. de immunit. reſolut. 6 num. 5.* Layman. *lib. 4. tract. 9. c. 3. num. 11.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 28. à num. 14.* Sanchez *lib. 6. conſilior. cap 1. dub. 8. n. 6.* Sylveſt. *verb. immunitas, num. 7.* Portellus *in compend. verſu Eccleſiar. immunitas, reſol. 56. num. 5.* Armilla *verb. immunitas, num. 10.* Roſella *eodem verb. num 9.* Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 18. n. 73. & tom. 1. verb. immunitas, n. 6.* Pellizzar. *tract. 8. cap 5. ſect. 1. n 29.* Rodriguez *tom. 2. quæſt. regul. q. 50. art. 4.* Genuenſis *in praxi Epiſcop. cap. 22. n. 11. pag. 74.* & alii.

94. Quarta difficultas eſt, an ſupradicta immunitas proficiat in cauſa civili? ut cum debitor à creditoribus vult comprehendi, & in carcerem trudi, an ſi talis debitor ad Eccleſiam confugiat ab ea extrahi non poſſit? ¶ Affirmativè reſpondendum eſt, quidquid alii dicant. Tum: quia hoc ipſo, quod hæc immunitas delinquentibus, & reis jure Canonico concedatur, cenſetur etiam debitoribus conceſſa; alias Eccleſia nocentibus faveret, & innocentes excluderet. Tum etiam: quia licet jus Canonicum *reos* dicat non eſſe extrahendos, & *reorum* nomine propriè delinquentes intelligantur; etiam debitores poſſunt intelligi, qui ſunt *rei* in judicio: & cum hoc ſit privilegium favorabile, ſecundum latitudinem ſuæ ſignificationis debet capi. Tum denique: quia jure civili *in l. præſenti, l. ultim. C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt*, expreſsè hæc immunitas etiam debitoribus conceditur. Quæ leges, & conſtitutiones civiles cum non præjudicent, ſed potius

In cauſa civili prodeſt immunitas Eccleſiæ confugientibus ad illam.

faveant, & augeant immunitatem Eccleſiæ, ab Eccleſia ſunt receptæ, & approbatæ, & canonicatæ, *cap. inter alia, de immunit. Eccleſ.* & in Trident. *ſeſſ.25. cap.20.* tenentque Abbas *dict. cap. inter alia, num. 22.* Suarez *lib. 3 cap.11. n.3.* Farinac. *de carcerib. quæſt. 28. num. 21. & in append. de immun. cap. 3. num. 57.* Lexana *verb. immunitas, num. 16.* Guttier. *practic. quæſt. civil. lib. 3. quæſt. 1. per totam.* Pelliazar. *num. 34.* Palaus *punct. 8. num. 1.* Bonacin. *§.4. num. 1.* & ita declaraſſe Sacram Congregationem in una Contr. 21. Iulii 1627. & in alia Benevent. 10. Maii 1619. teſtatur Lezana *loc. cit.*

Negotiatores falliti, etiam fraudulenter decoctores immunitate non privantur.

95. Quæ doctrina extenditur etiam ad negotiatores fallitos, ſeu fraudulenter decoctores, illos nimirum, qui ex rentes quæſtrariam negotiationem lautè, & opiparè vitam degunt, & poſtea cum non poſſint creditoribus ſatisfacere, ad Eccleſias confugientes, plures creditores miſerrimè fallunt. His non prodeſſe immunitatem Eccleſiarum ſtatutum eſt a Catholicis Regibus noſtris Ferdinando, & Eliſabetha, & poſtea à ſupremo Imperatoris Caroli V. Senatu, confirmatum, teſtatur Covarr. *2. variar. cap. 20. num. 14.* quia hi ſunt hoſtes reipublicæ, & quaſi publici latrones, qui ut dicemus *§. ſequenti*, excluduntur ab Eccleſiæ immunitate. Sic ipſe, & plures ab eo citati. Quod poſt Gregorianam conſtitutionem ſuſtineri non poteſt: quia in illa revocantur omnia privilegia, & indulta data principibus extrahendi delinquentes ab Eccleſia, & nominatim fraudulenter decoctores. Et ratio eſt: quia tales non privantur immunitate aut ratione debiti; alias omnes debitores eſſent ab immunitate excluſi, aut ratione delicti: quia non ſunt depopulatores agrorum, aut latrones publici, quia ſtratas vias obſident, quos ab Eccleſia excludi dicemus, *§. ſequenti.* Et licet publicis latronibus æquiparentur, in privatione tamen immunitatis æquiparari non poſſunt, quia odioſa eſt præjudicans juri communi, & Eccleſiæ debitæ reverentiæ, & ſic non eſt extendenda ad æquiparata. Pelizaar. *n. 34.* Farinacius *in Append. c. 3. num. 64.* Bonacin. *§. 4. initio.* Suarez *cap. 11. num. 3.* Palaus *punct. 8. num. 6.* Lezana *verb. immunitas, num. 16.* licet iſtos (quia fraudulenti ſunt) non eſſe multo tempore in Eccleſia toletandos nec poſſe bona in creditorum præjudicium ad eam differre, declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur Diana *5. part. in collect. iſtarum declarationum:*

---

§. III.

De crimineſis, qui ab hac Eccleſia immunitate excluduntur.

Quibus non poſſit immunitas Eccleſiæ ſuccurrere.

96. PLura crimina in jure excluduntur, ratione quorum, delinquentibus immunitas Eccleſiæ denegatur, ut videre eſt *in cap. inter alia, cap. ultim. de immunitate Eccleſiarum*, & aliis textibus. Quæ omnia Greg. XIV. in ſua conſtitutione ſæpius in hoc puncto citata congeſſit, & alia addidit. Verba bullæ ſunt iſta: *Ad unam tantum formam reducimus, & moderamur, ut laici ad Eccleſias, locaque ſacra confugientes, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, & publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quive, homicidia, mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumque cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum ſuum occiderit, aut aſſaſinii, vel hæreſis, aut læſæ Maieſtatis rei in perſonam ipſiuſmet Principis, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur.* Ubi ut vides ſeptem dumtaxat caſus excipiuntur, in quibus immunitas Eccleſiæ, delinquentibus non opitulatur, per quos ſuo ordine breviter diſcurremus.

Quis publicus latro dicatur, cui immunitas nō proficit.

90. *Publici Latrones* Ille dicitur publicus latro, qui palam, & publice furatur, aut per inſidias in via publica, aut in domibus privatorum violenter. Sed debet conſtare eſſe publicum latronem, ut immunitate privetur: nec ſufficit præſumptio, aut dubitatio: quia ſolus excluditur vere publicus latro, non qui præſumitur eſſe talis. Publici autem tales reputantur vel publicitate juris, ut ſi hoc crimen aliquando fuerit in judicio confeſſi, aut propter ipſum damnati, aut notorietate facti: ut ſi ipſi in publicis viis deprædentur, vel pro latronibus communiter habeantur. Ludovicus Correa *in repetition. cap. 3. num. 27.* Auguſtin. Barboſ. *de iure Eccleſ. cap. 3. num. 79. & 8.* Ioannes Baptiſta Lezana *tom. 2. verb. immunitas num 8.* Hinc fit alium quemcunque furem ſimplicem, etiam in Eccleſia, vel ab Eccleſia aliquid ſurripientem, non excludi ab iſto privilegio, quia ſolum publici latrones excluduntur, & excipiuntur; & exceptio firmat regulam in contrarium. Sotus *lib. 5. de iuſt. et iure quæſt. 3. art. 3 verſu porro autem.* Palaus *tom. 2. tract. 10. diſput. unic. punct. 9. num. 3.* Pelliazar. *tract. 8. cap. 5. ſect. 1. num. 10.* Lezana *num. 8.* Bonacin. *diſp. 3. de 1. decalog. præcept. q. 7. de immunit. §. 4. num 5.* Sanchez *tom. 3. conſil. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 14.* Tuſchus *verb. Eccleſia, concluſ. 10. num. 23.*

Qui vulgo dicuntur Gitanos non gaudēt immunitate Eccleſiæ.

98. *Viarum graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, ex cap. inter alia*, & Gregoriana conſtitutione, ille autem dicitur viarum graſſator, qui cum impetu graditur, ut viatores ſpoliet, vulneret, vel occidat. Sed ſolum comprehenduntur graſſatores in viis publicis, & itineribus frequentatis, quia textus de iſtis ſolum expreſsè loquitur. Qui vero per inſidias aggreditur, & non in loco, aut itinere publico, non privatur immunitate. Farinacius *in Append. de immunit. cap. 12. num. 165.* Lezana *num. 9.* Barboſa *num. 84.* Bonacina *num. 5.* Palaus *num. 6* ¶ Hinc fit illa genera hominum, qui vulgo dicuntur *Gitanos* privata eſſe Eccleſiæ immunitate, quia communiter, ut publici latrones habentur; vel ſunt graſſatores viarum, 19
qui in itineribus frequentatis, & publicis ſtratis obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur. Quis non videat tales homines hoc modo vivendi vitam ducere, & ob idque immunitas Eccleſiaſtica eis favere minimè debet.

Depopulatores ſolum nocturni ab Eccleſia ſunt abiciendi.

99. *Depopulatores agrorum*, illi videlicet, qui alienos agros diripiunt, qui ſegetes, aut fructus devaſtant, qui agros, vineas, aut oliveta deſtruunt. Sed eſt inter Doctores controverſia, an debeat intelligi de nocturnis dumtaxat depopulatoribus, an vero de quibuſvis, ſive nocturni, ſive diurni fuerint depopulatores? Aliquibus hoc ſecundum ſatis probabiliter aſſerentibus, quia in dicta Gregoriana conſtitutione abſolute *depopulatores agrorum* excipiuntur: quod de quibuſvis nocturnis, vel diurnis intelligi debet, cum abſque limitatione loquatur.

Sic Bonacin. *num.6.* Farinac. *cap.11. num.61.* Barboſa *num.87.* Lezana *num.10.* Aliis vero primum non minus probabiliter defendentibus, quia *in cap. inter alia, de immunitat. Eccleſiar.* depopulatores nocturni exprimuntur: & cum conſtitutio Gregorian. ad confirmandum jus commune ſit inducta, & ad tollenda contraria privilegia, cum depopulatores agrorum nominavit, intelligenda eſt ſecundum jus commune: aliàs ut juri communi derogaret, exprimere hoc debebat, diurnos depopulatores nominando. Sic Tuſchus *verb. Eccleſia, concl.11. n.10.* Palaus *punct.9. n.5.* Pellizz. *num.11.*

Solum homicidium, aut mutilatio in Eccleſia patrata, privant immunitate.

100. *Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur.* Habetur *in cap. final. de immun. Eccleſ.* & Gregor. XIV. conſt. Et merito: quia indignum eſt, ut Eccleſia illi faveat, qui in Eccleſia, contra reverentiam illi debitam delinquit. Et licet hæc ratio decidendi videatur communis pro omnibus aliis delictis in Eccleſia commiſſis, ob quod graves authores, non gaudere immunitate Eccleſiæ, qui in ea quælibet alia crimina perpetratur, aſſerant; quia ſemper verificatur eſſe indignum, quod Eccleſia illi faveat, qui in Eccleſia deliquit: & quia legis auxilium fruſtra invocat, qui legem contemnit, *cap. quia fruſtra, de uſuris.* Atque ita tenent Navarr. *in manual. cap.25. num.20.* Portellus *in dub. regul. verb. Eccleſiæ immunitas num.15.* Covarr. *2. variar. cap.30. num.15.* Suarez *lib.3. cap.11. num.6.* Bobadilla *in Politic. lib.2. cap.4. num.24.* ¶ Cæterum hæc ſolum probant, juſtiſſimè, quod conſtitutum eſt de homicidio, aut mutilatione, de aliis conſtitui poſſe; ſed de facto non conſtat ſic ſtatutum, & cum agamus de lege pœnali immunitati Eccleſiæ præjudicanti, non extendenda eſt ad caſus in ea non expreſſos. Pellizz. *num.37.* Farinac. *cap.16. num.208.* Bonacin. §.4. *num.12.* Palaus *punct.9. num.9.* ¶ Taliter autem homicida, aut mutilator, Eccleſiæ immunitate privatur, ut non ſolum privetur immunitate illius Eccleſiæ materialis, in qua deliquit, ſed cuiuſcumque alterius; ut ſi in una delinquat, & ad aliam confugiat, ab hac extrahi poteſt: quia immunitas à qua eſt privatus, eadem eſt in omnibus Eccleſiis: & qui unam offendit, omnibus injuriam irrogavit, cum una ſit formaliter Eccleſia in toto orbe terrarum. Lezana *num.11.* Sanchez *dub.8. num.16.* Pellizzar. *n.11.* Bonac. §.4. *num.7.* Sed qui in Eccleſia vulneraret, ſi ex tali vulnere mors non ſequeretur, aut mutilatio, non privatur immunitate: quia vulnerare non eſt occidere, aut mutilare: & ſolum contra occidentes, aut mutilantes, talis eſt pœna aſſignata. Farinac. *c.16. num.227.* Palaus *punct.9. n.10.*

Qui exiſtens in Eccleſia, alium extra Eccleſiam exiſtentem occideret, nõ gauderet immunitate.

101. Sed eſt breviter duplex decidenda difficultas. Prima an ſi exiſtens in Eccleſia, ſagitta, plumbeo globo, ſclopo, aliove inſtrumento alium feriat, & occidat, aut mutilet, qui extra Eccleſiam exiſtebat, Eccleſiæ immunitate privetur? Negat prima ſententia. Quia ille vere in Eccleſia non occidit, ſed occiſionem inchoavit. Pœna autem non imponitur ob actum inchoatum, ſed perfectum: ſicut non privatur immunitate, qui in Eccleſia evaginaret gladium, & adverſarium inſequendo extra Eccleſiam occideret, aut mutilaret. Sic Bonac. *q.3. diſp.7. de immunit. §.4. num.8.* Fagundez *2. præcept. Eccleſ. lib.4. cap.4. num.17.* & probabile dicit Pellizz. *tract.8. cap.5. ſect.1. num.13.* ¶ Sed affirmativè reſpondendum eſt: quia qui in Eccleſiam ponit cauſam, ex qua neceſſario ſequitur occiſio, in Eccleſia dicitur occidere, ſicut qui in Eccleſia graviter vulneraret, etiam ſi vulneratus extra Eccleſiam moreretur, privaretur immunitate: quia in Eccleſia cauſam neceſſariam ex qua mors ſequeretur apponeret. Quod non accidit in eo, qui evaginaret gladium in Eccleſia, & extra Eccleſiam vulneraret. Sic Lezana *verbo immunitas, num.11.* Sylveſter *eodem verb.3. q.6.* Palaus *punct.9. num.15.* Navarr. *c.25. num.21.* Suarez *lib.3. cap.11. num.6.* Azor *2. part. lib.9. cap.9. quæſt.14. verſ. tertio.* Covar. *2. variar. cap.10. num.15.* Farinac. *cap.16. num.223.* Imo ſi aliquis extra Eccleſiam exiſtens, eum qui eſt in Eccleſia occideret plumbea pila, ſagitta, aut lapide in eum miſſis; multo magis privandus eſt immunitate: quia in delictis potius finis, exitus, & executio illorum attenditur, quam initium: ergo ſi ob initium datum privatur, ut diximus; multo magis ob finem, & effectum. Sic citati. At ſi aliquem vi, dolo, aut fraude ab Eccleſia extraxiſti, & occidiſti, non privaris illius immunitate: quia neque occidiſti intra Eccleſiam, neque intra illam appoſuiſti cauſam neceſſariam occiſionis, cum libere poſtea occideris. ¶ Sed nota: quod licet Gregorius XIV. in ſua conſtitutione dixerit: *Qui homicidia, & mutilationes membrorum in Eccleſia, &c.* utendo conjunctione illa *&* quod & habetur *in cap. immunitatem, de immunitate Eccleſiæ*, alterum eſt certiſſimum ſufficere, quia talis eſt praxis Eccleſiæ: alias qui occideret, & non mutilaret, prout fieri poteſt, non privaretur immunitate, quod eſt abſurdiſſimum: & multoties dictio *&* in jure accipitur disjunctivè. Bonacina *num.10.* Lezana *n.11.*

Mandans homicidium in Eccleſia, nõ privatur immunitate.

102. Secunda difficultas eſt, an mandans, aut conſulens in eccleſia occiſionem, illius immunitate privetur? Hoc bifariam fieri poteſt. Vel quia in eccleſia exiſtens dedit tale mandatum extra exequendum, quem omnes dicunt non privari immunitate. Vel quia intra, vel extra eccleſiam exiſtens dedit mandatum de occiſione intra eccleſiam exequenda. Hoc modo affirmat privari prima ſententia: quia quod per alium facis, per te ipſum facere cenſeris, & qui mandat homicidium, æque homicida eſt, ac exequens. Navarr. *cap.24. num.21.* Ioan. Gutierrez *pract. quæſt. civil. lib.3. q.2. per totam.* Suar. *cap.11. num.7. & 26.* Farinacius *cap.16. num.229.* ¶ Sed oppoſitum eſt tenendum, quemadmodum diximus *tom.2. tract.10. de cenſuris, cap.1. num.141.* excommunicationem, aut aliam cenſuram latam contra aliquid facientem, non comprehendere conſulentem, aut mandantem, niſi exprimantur: & in noſtro caſu hoc magis urget, quia nullus privatur immunitate, niſi in caſibus in jure expreſſis, cum non ſint pœnæ extendendæ: præcipuè quæ immunitati Eccleſiæ præjudicant: ſed in jure non exprimitur mandans, aut conſulens; ſed occidens, vel mutilans. Sub quo non intelligitur mandans, niſi in lata ſignificatione, quæ non eſt admittenda in pœnalibus, & ſic iſtum facere non propriè, ſed impropriè dicitur: & juris interpretatione quæ in pœnis non habet locum, niſi ab ipſo jure facta ſit extenſio. Bonacin. §.4. *num.9.* Pellizzar. *num.16.* Lezana *n.11.* Palaus *punct.9. n.17.*

Qui proditorie occidit.

103. *Qui proditione proximum ſuum occiderit,* ut habetur in dicta Gregoriana, *& cap.1. de*

Homicidio

ac immunitate Eccleſiæ privetur.

Homicidio. Si quis per induſtriam proximum ſuum occiderit, & inſidiis, ab altari avelles eum, & moriatur. Ille dicitur ex inſidiis, & proditione occidere, qui occidit incautum nil tale præcaventem, aut præcavere debentem, quod Hiſpane dicitur; *atraicion, alevoſamente, ſinque tal reclaſe o penſaſe.* Vt ſi occidit aliquem, cum quo amicitiam, aut ſocietatem ſimulabat: vel etiam ſi occidat inimicum, cum quo reconciliatus eſt; vel certe cui promiſſionem dedit de illo non offendendo; talis eſt proditor: quia per illam promiſſionem ſublata fuit inimico omnis occaſio ſe præcavendi. Pellizzar. *n.* 18. Palaus *n.* 26. Farinac. *lib.* 2. *Conſil. cr. conſil.* 168. *num.* 75. ¶ Similiter qui veneno aliquem occidat, proditor ſe occidere cenſetur, & immunitate Eccleſiæ privatur. Suarez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 12. Lezana *tom.* 2. *verbo immunitas, num.* 12. Farinac. *in Append. de immunit. cap.* 9. *num* 142. Pellizz. *n.* 18. Palaus *punct.* 9. *num.* 26. Quare declaratum merito eſt a Sacra Congregatione apud Franciſcum Leonem *in theſaur. for. Eccleſ. part.* 1 *cap.* 13. *num.* 25. & Barboſam *in collectan. bullar. verb. immunitas*, & apud Dianam 5 *part. in collect. illarum*, matrem occidentem filium infantem non gaudere immunitate, neque eum qui committit homicidium veneno, aut mulierem, quæ malis medicamentis procurat abortum: iſti enim occidunt omnino incautos, & nihil cogitantes, aut cogitare debentes. ¶ At ſi quis inimicum dormientem, aut alio modo incautum, à tergo, vel per inſidias occideret; ſecundum aliquos immunitate privatur: quia ille dicitur occidere proditoriè, qui à tergo, vulgo *atraicion*, aut per inſidias, & induſtriam occidit. Covarr. 2. *variar. cap.* 20. *num.* Azevedo *l.* 1. *tit.* 2. *num.* 11. *in conſtitut. Hiſpan.* Bobadilla *in Politic. lib.* 2. *c.* 14. *num.* 34. & 35. Sed probabilius eſt oppoſitum. Quia non quæcumque inſidiæ privant immunitate, ſed quæ proditionem conſtituunt; quia ſolum ab ea excluduntur, *qui proditione proximum occidit*: ſed perſeverante inimicitia, inſidiæ non conſtituunt proditionem, quia ſemper inimicus habet fundamentum ſe præcavendi. Vnde ſibi imputare debet ſi incaute occidatur. Lezana *n.* 12. Pellizzar. *n.* 17. Bonacin. *num.* 14. Palaus *n.* 28. Suarez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 11. & ita declaratum eſſe a Clemente VIII. in quodam Brevi Archiepiſcopo Panormitano directo teſtatur Diana 5. *part. in collectan. declaration.*

Pœnæ pro aſſaſſinis in iure poſitis referuntur.

104. *Aut aſſaſſinii reum.* Aſſaſſini communiter accipiuntur pro his, qui pecunia, aliove pretio conducti aliquem Chriſtianum occidunt, vel occidere faciunt: & tales immunitate privantur in dicta conſtitutione Gregorii XIV. & *in cap. pro humani, de homicidio in* 6. iſtæ pœnæ pro aſſaſſinis aſſignantur: *Statuimus, ut quicumque Princeps, Prælatus, ſeu quævis alia Eccleſiaſtica ſeu ſæcularis perſona, quempiam Chriſtianorum per prædictos aſſaſſinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quamquam mors forſitan ex hoc non ſequatur, aut eos receptaverit, vel defenderit, ſeu occultaverit, excommunicationis, & depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat ſententiam ipſo facto, &c.* Quo textu non privatur immunitate aſſaſſinus, ſed aliæ perſonæ pro eo aſſignantur: ſed in Gregoriana conſtitutione expreſſe excluditur ab ea, & ita habetur ex conſuetudine recepta, & ab omnibus authoribus communiter approbata. Suar. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 9. Lezana *verb. immunitas, num.* 13. Bonacin. *diſput.* 3. *quæſt.* 7. §. 4. *num.* 18. Gutierrez *practicar. quæſt. civil. lib.* 3. *quæſt.* 7 *a n.* 5. Farinacius *in appendice, de immunit. cap.* 8. *n.* 118. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp. unic. punct.* 9. *num.* 32. ¶ Ut aliquis aſſaſſinii crimen incurrat, cui immunitatis privatio, & aliæ pœnæ ſint annexæ, non requiritur quod de facto pro occiſione hominis pretium accipiat; ſed ſufficit ſi ei promiſſum fuerit, & promiſſionem acceptaverit, ſive ſit pecunia in magna, ſive in parva quantitate, & ſive ſit pecunia, vel aliud pretio æſtimabile. Vt ſi promiſit ſicario dare aliquam uxorem, aliquod officium, aut beneficium, vel pro eo apud Principem intercedere, aliudve ſponderet, quod pretio ſoles æſtimari. Debet tamen promiſſio, aut datio pecuniæ, aut pretii eſſe pro ipſa occiſione. Si autem pro expenſis itineris ad occidendum, aut occiſorem à morte, aliiſve damnis liberandum; non eſſet crimen aſſaſſinii, cui dictæ ſunt pœnæ aſſignatæ: quia ad crimen aſſaſſinii id requiritur, ut non gratis, ſed ob pretium occiſio fiat. Pellizz. *tract.* 8. *c.* 5. *ſect.* 1. *n.* 21. Lezana *n.* 13. Palaus, Bonacin. Farinac. *loc. cit.*

Qui pretium pro occiſione accepit, & non occidit, ſed vulneravit, non privatur immunitate Eccleſiaſtica.

105. Sed qui nulla interveniente promiſſione alium occidit ſpe complacendi amico, vel obtinendi aliquod premium ab eo, vel ſuccedendi in bona defuncti; non committit crimen aſſaſſinii, & ſic nec immunitate privatur. Palaus, Lezana, Pellizzar. Farinac. Bonacina *locis citatis.* Nec qui pecuniam ad vulnerandum, non ad occidendum accepit: quia textus citati de interficientibus, non de vulnerantibus loquuntur. Atque idem dicimus, de eo, qui pecuniam accepit ad occidendum, ſed non occidit, ſed vulneravit: quia non negatur immunitas niſi propriè committentibus crimen aſſaſſinii: ſed qui accepta pecunia ad occidendum, non occidit, verè, & propriè crimen aſſaſſinii externus non committit, & ſolum de mandante dicitur *in cap.* 1. *de homicidio in* 6. puniendum eſſe eiſdem pœnis aſſaſſinorum, ſive mors ſequatur, ſive non, quod de mandatario minime exprimitur: & ſic mandatarius mortem non inferens relinquitur diſpoſitioni juris communis. Farinacius *numero* 123. *fine.* Pellizaar. *numero* 20. *verſu ſuppono quinto*, Palaus *numero* 38. Vnde qui mandat alium occidere ſub promiſſione pecuniæ, etiam morte non ſequuta, in ordine ad pœnas incurrit crimen aſſaſſinii, & immunitate privatur, quia reſpectu mandatarii exprimitur in jure pœnas aſſaſſinatus incurrere: *Quamquam mors ex hoc forſitan non ſequatur.* Lezana *numero* 13. Farinacius *cap.* 8. *num.* 118. Palaus *n.* 39. Pelliz. *n.* 20, *verſu ſuppono ſexto.* Etiam recipiens, defendens, occultans aſſaſſinum, immunitate privatur, ſi cognoſcant eos aſſaſſinos eſſe, quibus auxilium præſtant, & illis quatenus aſſaſſini auxiliantur, ex dicto textu. *Pro humani, de homicid. in* 6. Idem eſt de mediatoribus, ſeu complicibus, eo, quod ipſi etiam poſſunt dici rei aſſaſſinii. Peregrin. *tract. de immun. c.* 7. *n.* 36. Lezana *verb. immun. n.* 13.

Fautores, & auxiliatores hæreticorum, qualiter priventur immunitate.

Crimen hæreſis. Ratione cuius, immunitate privantur hæretici; cum ſit omnium graviſſimum crimen Eccleſiam Dei funditus evertens. Et idem eſt de recipientibus, occultantibus, defendentibus, aliove modo hæretico auxilium præſtantibus, ſi quatenus hæreticus eſt ei opitulentur. Secus vero, ſi quia amicus, quia conſanguineus ei auxilium præbeant; ut ob alia delicta quæſitus, liberetur. Si tamen quia hære-

ticus quæritur, qui quomodolibet ei auxilium præſtaret, immunitate privaretur: quia licet ei auxilians, vere, &c. coram Deo hæreticus non eſſet, hæreſis ſuſpicionem incurreret: at qui ſuſpectus eſt de hæreſi, ab Eccleſia extrahi poteſt, ut examini ſubjiciatur. Vnde omnes hæreſi ſuſpectos, ſive quia auxiliatores hæreticorum, ſive alio modo hæreſis ſuſpicionem incurrant, privantur immunitate. Lezana *n.* 14. Pellizz. *n.* 22. Diana *p.* 1. *tract. de immun. reſol.* 38. Farinacius *cap.* 13. *num.* 135. Bonac. *diſp.* 3. *q.* 7. §. 4. *n.* 21. Palaus *n.* 41.

Læſæ Maieſtatis crimē in perſonam Principis, privat immunitate.

106. Denique privantur immunitate ex ſupradicta bulla Gregor. XIV. *Rei læſæ Maieſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis*, & nomine Principis illum communiter intelligunt Doctores, qui ſupremam habent poteſtatem, abſque ſobjectione in temporalibus alteri. Crimen autem læſæ majeſtatis in perſonam Principis eſt illius offenſio: ſub quo nomine venit qualibet læſio, ut percuſſio, vulneratio, incarceratio, inſequutio, conjuratio, machinatio, ſeditio, conventicula proditio, &c. Sufficit ergo, quod crimen inferatur in perſonam Principis per unam ex iſtis actionibus, ut læſæ majeſtatis reus immunitate privetur. Atqui eſſet læſæ majeſtatis reus, non in perſonam Principis, ſed vel in eius ſtatum, in eius conſanguineos, miniſtros, conſiliarios, &c. non privaretur immunitate? quia ſolum crimen læſæ majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis excipitur. Diana *reſolut.* 7. & 20. Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 1. *numero* 24. Lezana *num.* 15. Pellizzar. *num.* 24. Palaus *num.* 42. Farinacius *cap.* 14. *n.* 140. Qui etiam docent debere intelligi de Principe reſpectu offendentis: ita ut ratione originis, aut domicilii ſubditus ſit illius, aliàs non committet crimen læſæ majeſtatis, ut colligitur *ex Clement. Paſtoralis*, §. *denique*, & *ſequentibus*, *de ſententia*, & *re judicata*. Sed huic doctrinæ acquieſcere nunquam potuimus: quia Gregorius XIV. reum læſæ maieſtatis in perſonam Principis abſolutè excludit. Qui autem mortem ſupremi capitis machinaretur, licet eius ſubditus non eſſet, crimen graviſſimum læſæ majeſtatis incurreret. Quis enim negabit eſſe reum læſæ maieſtatis quemdam, qui à dæmone ſeductus, vel forte ab aliquo alio incitatus (quod quando hoc ſcribimus paſſim per totam Hiſpaniam, non ſine magno Hiſpanorum dolore circumfertur) mortem noſtri Catholici Regis Caroli II. (cujus vitam ad totius ſui Regni, & Eccleſiæ tutamen, utinam per plures, & plures annos Deus Optimus Maximus, ut enixe quotidie ipſum deprecamur, conſervet) cum tredecim eſſet annorum, audaci, & temerario animo, per venenum porrectum procuravit? (Pro nefas) non eſſe criminis maieſtatis læſæ reum. Huic peſſimo homini Eccleſia opitulabitur? abſit. Projiciatur ab Eccleſia, gladio, patibulo, aut igni tradatur, qui tantum nefas in Principem innocentiſſimum, cum totius Hiſpaniæ pernicie, vel cogitare fuerit auſus.

Non datur caſus præter ſupradictos privans immunitate.

107. Ex dictis ſequitur, præter dictos caſus, nullum alium dari, ratione cuius delinquentes, & ad Eccleſiam confugientes, illius immunitate priventur: quia *in cap. inter alia*; conceditur immunitas quibuſcumque delinquentibus, quantumcumque gravia crimina perpetraverint, niſi in illis caſibus exceptis; & in bulla Gregoriana, quæ expedita fuit, ut omnia ad unam formam redigerentur, expreſſe ſolum aſſignantur caſus ſupradicti, & ſic nullus alius aſſignandus eſt, ex regula generali, quod exceptio firmat regulam in contrarium, in caſibus non exceptis. Nec ratione conſuetudinis alii dantur caſus excepti: quia omnes conſuetudines derogantes immunitati Eccleſiæ ſublatæ ſunt per Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. & per Gregorium XIV. in ſua conſtit. uti docent Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 1. *num.* 10. Pell. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 36. Diana *tom.* 1. *tract. de immunit. reſolut.* 1. Lezana *tom.* 2. *verb. immunitas*, *num.* 16. Farinacius *in append. de immunit. cap.* 2. *num.* 18. Bonacin. *diſp.* 3. *quæſt.* 7. *de immun.* §. 6. *num.* 4. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *diſputat. unic. punct.* 10. *num.* 2. ¶ Sed neque etiam ex identitate rationis, immo neque ex maioritate alii caſus excipiuntur, etiamſi caſus ſint graviores, & atrociores, quam excepti. Tum, quia non eſt facienda extenſio ob identitatem rationis, quando talis extenſio præjudicat cauſæ favorabili, uti eſt immunitas. Tum etiam: quia ſi ultra exceptos liceret alios excipere ob identitatem rationis, nihil firmum, & ſtabile eſſet circa hoc conſtitutum in jure, & paſſim judices ſæculares, ſuam juriſdictionem extenderent, Eccleſiæ violarentur, & univerſa litibus, & ſcandalis paterent. Suar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 15. & 17. Farinac. *cap. ultim. num.* 353. & *lib.* 1. *Conſil. conſil.* 26. *num.* 14. Ioannes Gutierrez *Practic. quæſt. civil. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 12. & 17. Barboſ. *de jure Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 117. Lezana *num.* 11. Palaus *num.* 3. Pellizz. *num.* 36.

Caſus omnes non excepti, in quibus immunitas delinquentibus prodeſt.

108. Hinc fit, nec violatores virginum, nec adulteros ad Eccleſiam confugientes privari illius immunitate, quia non ſunt caſus expreſsè excepti, & ſic *in cap. de raptoribus* 36. *quæſt.* 1. his conceditur immunitas. Nec ſimoniacus, nec Sodomita; quia nullibi hoc crimen, etſi horrendum, & graviſſimum excipitur. Nec ſacrilegus, blaſphemus, ſuperſtitioſus, niſi de ſuſpicione hæreſis ſint examinandi: quia *in cap. inter alia*, & bulla Gregorii, ſolum excipitur ſacrilegium ob mutilationem, vel homicidium factum in Eccleſia, & ſic alia ſacrilegia non ſunt excepta. Idem de perjuro, falſo teſte, &c. Idem de incendiariis, quia iſti non excipiuntur. Et quamvis hoc crimen ſimile ſit depopulationi agrorum, qui eſt caſus exceptus, cum tamen non ſit idem, ſed diverſum; excepto unius, non eſt exceptio alterius, quin potius firmat regulam in contrarium. Nec fabricantes, aut falſificantes monetam: quia licet ſit crimen læſæ majeſtatis, non in perſonam principis, ſed in eius ſtatum: & ſic non eſt de criminibus exceptis. Gutierr. *lib.* 3. *q.* 4. *per totam.* Palaus *punct.* 10. *per totum.* Farinac. *cap.* 99. *n.* 96. 91. & 105. Lezana, Bordon. Bonac. *locis citatis.* Diana 5. *part. tract.* 1. *reſolut.* 2. Etiam miniſtri, qui violenter extrahunt ab Eccleſia confugientes ad illam, gaudent illius immunitate: quia talis caſus non eſt de excepto in jure; quamvis alias eſſet dignum illud crimen ut exciperetur; cum non deceat immunitatem prodeſſe illi, qui noluit eam prodeſſe alteri. Farinacius *num.* 106. Palaus *num.* 10. Pellizzar. *numero* 35. qui *num.* 37. Sic merito dicit. [Quod autem ait Naldus *verb. Eccleſia num.* 5. ex Farinacio furantem pixidem in qua aſſeruatur Euchariſtia, non gaudere immunitate, cum ſacrilegus aperte delinquat in perſonam ſupremi Principis; adeoque

committat

committat delictum exceptum in bulla Gregorii; mihi minus probatur, cum ſimus in materia pœnali, quæ non debet ampliari ultra verborum proprietatem, & Greg. in excipiendo hoc delicto loquitur de offenſione corporali, illata Principi humano; non autem de injuria facta Deo, qualis eſt ea, de qua hic] hactenus ille.

---

§. IV.

Quos effectus habeat immunitas Eccleſiæ hactenus ſtabilita.

Reus ab Eccleſia per vim extractus, adhuc illius gaudet immunitate.

109. PRimus, & præcipuus huius immunitatis effectus eſt; ut reus ad Eccleſiam confugiens, in ea capi, aut ab ea invitus extrahi non poſſit, *l.* 2. *C. de his qui ad Eccleſiam confugiunt. cap. inter alia, de immun. Eccleſ.* Sed ſi ipſe libere exeat, à judice capi, & incarcerari non poterit, quia jam non invitus extrahitur, niſi fortè neceſſitate aliqua coactus exeat. Vnde ſi per vim ab aliquo extractus eſſet, non poterit à judice capi, ſed Eccleſiæ reſtitui debet, quia extractio violenta reo præjudicare non poteſt. Et quamvis judex non eſſet huius violentæ extractionis particeps; violaret nihilominus Eccleſiæ immunitatem, ſi reum ſic extractum caperet: quia continuaret illam violentam extractionem, & reum Eccleſiæ non reſtitueret, in qua adhuc moraliter eſſe cenſetur, quandiu violenter ab illa extractus retinetur. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 11. *in reſp. ad* 2. Farinacius *in appendice, de immunit. cap.* 2. *num.* 5. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp. unic. punct.* 11. *num.* 2. ¶ At ſi blanditiis, vel doloſis verbis inductus reus a loco ſacro exeat; poteſt capi à judice, & puniri, quia jam non eſt violenter extractus, & ſola violenta extractio in juribus dictis prohibetur. Lezana *tom.* 2. *verb. immunit. num.* 18. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 38. Bonacin. *diſputatione tertia, quæſt.* 7. §. 2. *verſu ſexto*, Fagundez *in* 2. *Eccleſiæ præcept. lib.* 4. *cap.* 4. Suarez *lib.* 3. *c.* 18. *n.* 2.

Fugientibus ad Eccleſiã alimenta nõ debent impedire.

110. Secundus effectus eſt, ne reus in Eccleſia exiſtens, vinculis alligetur, vel alio modo perſonaliter vexetur: quia hoc eſſet ex loco ſacro carcerem facere, & expreſsè habetur, *cap. definivit,* 17. *quæſt.* 4. ibi: *nec ipſi aliqua vis, nocibilitas, aut damnum inferatur.* Tertius, ne fugienti ad Eccleſiam impediantur alimenta, veſtitus, & reliqua vitæ neceſſaria, *l. præſenti, C. de his, &c. dicto cap. definivit*, hoc eſſet per indirectum à loco ſacro extrahere. Vnde fit teneri Eccleſiam, vel Monaſterium, illum de neceſſariis providere, ſi alias ipſe non habeat proprium, vel ſi habeat, eo uti non poſſit, *dicta l. præſenti, §. ſanè.* Tum ob illam regulam charitatis: *Si non paviſti, occidiſti.* Tum etiam: quia debet Eccleſia reum non delinquere, ut coactus inedia, ſe curiæ ſæculari tradat, aut pereat. Azor 2. *part. lib.* 9. *capite* 9. *quæſt.* 13. Lezana *num.* 23. Farinacius *cap.* 19. *num.* 299. Palaus *punct.* 11. *num.* 7. ¶ Quartus, ne bona delinquentis, quæ ſecum ad Eccleſiam tulerint, auferantur, *cap. definivit* 17. *quæſt.* 4. Si autem bona, quæ ſecum tulit, aut ſint aliorum, aut aliis obligata, poterit à judice eis ſpoliari, quia hoc non eſſet eis nocumentum inferre; ſed ne ipſe aliis nocumentum inferat impedire, ſicuti ob hoc ab eo arma prohibita tolli poſſunt. Suarez *cap.* 12. *num.* 3 Pellizzar. *num.* 38. Bonacin. §. 5. *verſu, Tertius effectus.* Farinacius *num.* 100. Lezana *num.* 18. qui ita ait. [In quo tamen video ſacram Congregationem Epiſcoporum, & regularium 14. Novembr. 1636. præcepiſſe bona poſita in loco immuni in præjudicium creditorum, deponi debere in loco non immuni, & die 9. Martii 1635. præcepiſſe Vicario generali Mediolanenſi, ne talia bona tenerentur in loco immuni in præjudicium creditorum. Item 12. Decembr. 1642. præcipiſſe, ut ex quadam Eccleſia extraherentur bona, eo tranſportata in fraudem creditoris, conſignanda tamen judici competenti.]

Qualiter in Eccleſia exiſtẽs poſſit judicialiter condemnari.

111. Quintus effectus eſt, ne reus dum in Eccleſia exiſtit damnetur ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem, ut ad exilium triremis, ſervitutem, flagellationem, &c. *capite inter alia, de immunit. cap. conſtituimus* 17. *q.* 4. Verum ex conſuetudine videtur receptum, cum reus confugit ad Eccleſiam, quod judex cum inquitat, & citare faciat, & ſi non comparéat tanquam in abſentem proferat ſententiam: quam tamen non poteſt mandare executioni, ob Eccleſiæ immunitatem. Farinacius *quæſt.* 28. *de carcerib. num.* 77. *fine.* Pellizzar. *num.* 38. Palaus *num.* 11. ¶ Sextus ut extractus extra caſus in jure exceptos, ante omnia debeat Eccleſiæ reſtitui, *cap minor* 17. *quæſt.* 4. ob regulam generalem, *quod ſpoliatus ante omnia eſt reſtituendus.* Nec ſatisfacit judex juramentum faciendo de ſecuritate rei, & quod eum corporaliter minimè puniet: quia prius debet Eccleſiæ, quæ ſpoliata fuit ſatisfacere. Suarez *lib.* 3. *cap.* 13, *num.* 6. Farinacius *in append. de immun. capite* 2. *num.* 49. ¶ Sufficit autem, quod reus cuicumque Eccleſiæ reſtituatur, ſi in illa æque ſecurus, ac in ea à qua extractus eſt, exiſtat. Nec requiritur, quod tali materiali Eccleſiæ reſtituatur: quia hoc privilegium unicum eſt pro omnibus Eccleſiis. Vnde ſicut injuria uni facta, omnibus fit; ſic ſatisfactio uni præſtita, omnibus præſtatur. Bonacin. §. 5. *circa finem.* Palaus *n.* 13. Pellizz. *n.* 38.

Nulla eſt extractio rei ab Eccleſia & actus inde ſequuti.

112. Septimus effectus eſt, quod ſi reus de facto ab Eccleſia extraheretur, talis extractio nulla eſſet, & omnes actus ex illa ſequuti, ut expreſſè habetur in bulla Gregoriana. Quia reus in Eccleſia exiſtens extra caſus exceptos, eſt extra juriſdictionem judicis ſæcularis, & ſic cum eum invitum extrahit, non actum in illum juriſdictionis exercet, ſed tyrannidem. Vnde omnia ſubſequentia ſunt nulla: nec poteſt reum citare, interrogare, torquere, aliudve in illum judiciale quidquam facere: quia hæc omnia prius juriſdictionem in reum exigunt, quam ſacrilega, & injuſta captura non acquiſivit. Suarez *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 15. Farinacius *cap.* 20. *num.* 221. Lezana *num.* 18. Pellizz. *num.* 39 Bonacin. §. 5. *num.* 2. Palaus *punct.* 11. *num.* 14. ¶ An vero teneatur judex reo reſtituere omnia damna ex tali violenta extractione ſequuta? Quidam affirmant, eo quod reus jus habeat ne in loco ſacro capiatur, & ſic peccat contra iuſtitiam commutativam, illum extrahens. Suarez, Lezana, Palaus, Bonacina, *locis citatis.* Sed immerito: quia hoc privilegium non eſt reo conceſſum, ſed loco ſacro: eſtque locale, non perſonale. Vnde reus nullum jus habet,

habet, quod lædatur: & ſic judex ſolum peccat peccato ſacrilegii contra reverentiam debitam loco ſacro, non peccato iniuſtitiæ contra jus rei: quod expreſſe docuit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 2. *ad* 3. Vbi ut probet poſſe dari ſacrilegium, quod non ſit ſimul injuſtitia, aut habeat aliam ſpeciem peccati annexam, ponit exemplum in judice extrahentem reum ab Eccleſia, his verbis: *Ad tertium dicendum, quod ſacrilegium interdum invenitur ſeparatum ab aliis peccatis, eo, quod actus non habet aliam deformitatem, niſi quia res ſacra violatur: puta ſi quis judex capiat aliquem de loco ſacro, quem in aliis locis licitè capere poſſet.*

Non debet reus ab Eccleſia armis defendi, ſed cenſuris.

113. Octavus effectus eſt, ut ſi judex velit extrahere reum ab Eccleſia extra caſus permiſſos, illi per vim reſiſti poſſit à Clericis, vel Religioſis: quia vim vi repellere licet. Sed hæc reſiſtentia à perſonis Eccleſiaſticis fieri non debet per arma, aut bellum; quia non eſt defendenda Eccleſia more caſtrorum, nec Eccleſiaſticos ſumere arma materialia licet, cum inde forſan majora ſcandala, & mala orientur; ſed armis ſpiritualibus, videlicet: excommunicatione, & aliis cenſuris, ſi ibi adſit qui eas in ſæculares fulminare valeat; & claudendo oſtia, abſcondendo reum, eumque de manibus miniſtrorum tollendo, illiſque intimando pœnas, & cenſuras contra violatores Eccleſiæ in jure ſancitas, & quælibet alia media apponendo ad tollendam vim abſque bello activo. Fagundez 2. *præcept. Eccleſiæ lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 59. Pellizzar. *numero* 18. Bonacin. §. 5. *principio.* Lezana *numero* 21. Si vero armis Eccleſiaſtici reſiſterent, & inde mors, aut mutilatio ſequeretur, irregularitatem proculdubio incurrerent.

§. V.

Quam pœnam, & culpam incurrant, indebite extrahentes delinquentes à loco ſacro?

Pœna mortis, & aliis violans Eccleſiam eſt plectendus.

114. GRaviſſimam culpam mortalem ſacrilegii committere violatorem immunitatis Eccleſiæ, nulli dubium eſt: quia divinam offendit majeſtatem, qui ejus domum violat, & profanat: & ſic reputatur hoc crimen læſæ majeſtatis divinæ: ob idque ex jure civili, pœna capitali, & ultimo ſupplicio punitur, *ex l. præſenti, C. de his*, qui ad Eccleſiam confugiunt, *Capitali, & ultimi ſupplicii animadverſione plectendus.* Verum hæc pœna non videtur uſu recepta, ut tradunt Suarez *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 6. Lezana *tom.* 2. *verb. Immunitas, num.* 21. Bonac. *diſput.* 3. *quæſt.* 7 §. 6. *num.* 5. § Per jus autem canonicum judicio Epiſcopi, pœnitentia publica puniri poſſunt, necnon pecuniaria pœna, in cultum Eccleſiæ violatæ applicanda, aliquando triginta librarum argenti examinati, aliquando nongentorum ſolidorum, quamvis in hoc poſſit Epiſcopus arbitrari, penſata delicti qualitate, & conditione delinquentis, *cap. Si quis contumax* 17. *quæſt.* 4. *verſ. cum pœnas*, quæ pœna antiquata non eſt, ut aliqui putant, ſed in ſuo robore: quia per Concilium Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. & bullam Gregor. XIV. omnes pœnæ antiquis canonibus latæ adverſus immunitatis violatores renovantur. Tuſchus *verb. Eccleſia, concluſ.* 8. *num.* 11. Farinacius *in append. de immun. cap.* 20 *num.* 319. Lezana *n.* 21. Bonac. *n.* 5.

Excommunicatione ipſo facto incurrunt violatores Eccleſiarum.

115. Præter hanc pecuniariam pœnam, publicamque pœnitentiam imponendam, ſententia excommunicationis violatores Eccleſiæ feriuntur, *cap. ſicut antiquitus, cap. frater, cap. definimus* 17. *quæſt.* 4. Sed in his textibus non ipſo facto imponitur excommunicatio, ſed cenſura ferenda eſt: & ſic ex vi illorum non ſunt ipſo facto excommunicati, ſed excommunicandi ſunt. Cæterum in bulla Gregorii, ipſo facto talis excommunicatio aſſignatur, ibi: *declarantes ipſo facto eaſdem cenſuras, & pœnas incurrere.* Et ita declaratum eſſe à Clement. VIII. & Paulo V. & Sacra Congreg. teſtantur Theſaurus *in Summ. verb. immunitas, cap.* 1. Bordon. *tom.* 2. *reſo.* 1. *num.* 15. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *diſput. unic. punct.* 11. *num.* 3. Bonac. §. 6. *num.* 5. Pellizz. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 48. Quas pœnas primò judex mandans delinquentem extrahi, aut extractum non reſtituens, incurrit. Deinde omnes miniſtri ad hoc concurrentes: & denique quælibet alia perſona, etiam particularis, quæ quomodolibet ad talem extractionem adiuvaverit. Et non ſolum has pœnas incurrit, qui de facto extraxit, ſed qui extrahere tentavit, ſi talis attentatio ad actum proximum extractionis redacta fuerit, ut ſi judex mandatum dedit, & mandatarius acceptavit, ſi Eccleſiam clauſam tentavit aperire, vel delinquentem inde extrahere, etſi non potuerit: quia vel illum non invenit, vel reſiſtentia repulſus eſt; tunc ob talem conatum dictas pœnas incurret: quia jam contra tenorem conſtitutionis Gregorii extrahere tentavit, & in hac non ſolum effectus, ſed etiam conatus punitur. Menochius *de arbitr. caſu* 350. *num.* 68 Farinacius *cap.* 20. *num.* 321. Pellizzar. *num* 55. Lezana *num.* 21. Palaus *num.* 5. Bordon. *num.* 14.

Non leve problema ſupradictam excommunicationem eſſe reſervatam.

116. Sed quis poſſit abſolvere ab hac excommunicatione? eſt inter Doctores non levis controverſia, aliquibus illam eſſe Apoſtolicæ Sedi reſervatam non ſine magno fundamento aſſerentibus: quia Paulus II. *in extravaganti, de pœnitentiis, & remiſſionibus, cap.* 3. *inter communes*, inter caſus Sedi Apoſtolicæ reſervatos ponit offenſam eccleſiaſticæ libertati factam. Sed hoc nihil probat: quia aliud eſt violatio libertatis eccleſiaſticæ, aliud violatio immunitatis. Libertas enim refertur ad perſonas, immunitas ad loca, & ideo cenſuræ latæ contra violatores libertatis eccleſiaſticæ, non comprehendunt violatores immunitatis, ut docent Covarr. 2. *variar. cap.* 20. *num.* 1. Marius Ital. *de immunit. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 6. § 1. Farinacius *in append. de immun. cap.* 1 *num.* 4. licet *cap.* 20. *num.* 315. eſſe hanc excommunicationem reſervatam, acriter defendat: quia in bulla Gregoriana violantes immunitatem incurrunt cenſuras latas, adverſus libertatis eccleſiaſticæ violatores; ſed in bulla Cœnæ eſt lata cenſura excommunicationis reſervata, adverſus violatores libertatis: ergo etiam eſt pro immunitatis violatoribus. Sed neque hoc probat intentum: quia in bulla Greg. ſolum renovantur, aut imponuntur cenſuræ adverſus violatores libertatis impoſitæ, non vero earum reſervatio: & cum reſervatio non cenſeatur niſi expreſſe facta ſit, *ex cap.* 1 *ſup r, de ſent. excomm.* per hoc quod violatores immunitatis feriantur cenſuris latis contra violatores libertatis, non ſequitur, quod ſi hæc reſervatæ ſunt, illæ erunt reſervatæ.

117. Quare

Epiſcopus, & non alius poteſt à dicta excommunicatione abſolvere.

117. Quare in hac parte, ut certum judicamus regulares confeſſarios non poſſe vi ſuorum privilegiorum ab hac cenſura abſolvere ſæculares, niſi ad hoc ab Ordinario particularem habeant facultatem: quia ab eis ſublata eſt quoad hoc omnis facultas à Clemente VIII. in decreto edito ſuper caſuum reſervatione, ubi prohibetur omnibus confeſſariis, ne virtute privilegiorum abſolvant à violatione immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis Gregorii XIV. *Etſi alias*, & tenent infra citandi. Et dixi *ſæculares*, quia ſi forte religioſi eam incurrerent, poſſunt à ſuis ordinariis confeſſoribus abſolvi, ut teſtatur, & probat Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 1. *num.* 16. Cæterum neque in dicto decreto Clementis VIII. nec in aliis juribus tollitur ab ordinariis facultas abſolvendi ab iſta cenſura, vel ab alio ab eis deputato. Non ex aliquibus juribus, quæ nulla dantur. Neque in dicto Clementis VIII. decreto, quia hoc non eſt contra ipſum, ſed contra ſimplices confeſſarios; neque in eo intendit Pontifex minuere Epiſcoporum facultatem, ſed potius augere, ut ex ejus conſtat tenore. Quare ab hac excommunicatione poſſe Epiſcopum abſolvere, vel alium de ejus licentia tenent Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 56. Bordon. *ſup.* Diana *parte* 1. *tractat.* 1. *reſolut.* 41. Palaus *ſupr. num.* 7. Covarruv. 2. *variar. cap.* 6. *numero* 1. Bonacina *diſputatione* 3. *quæſtione* 7. § 6. *num.* 8. Naldus *in ſumm. verb. caſus reſervatio numero* 1. Megala *parte* 3. *lib.* 4. *de cenſur. capite* 2. *numero* 34. Boſſius *ſect.* 1. *de jubileo caſu* 2. *numero* 11. & alii.

Non violant communitatem regulares, qui ex juſta cauſa à ſuo monaſterio reos expellunt.

118. Sed ſi rogas an regulares violent immunitatem, & ſubdantur præfatæ excommunicationi, aliiſque pœnis, ſi reos ad eorum monaſteria, aut Eccleſias confugientes expellant? ¶ Reſpondetur affirmativè. Tum: quia ſic habetur, *cap. miror.* 17. *quæſt.* 4. & ex bulla Gregorii, *in* qua omnes, & quoſcumque contra illius tenorem operantes in talibus pœnis comprehendit. Verum ſi à ſua Eccleſia vel monaſterio facinoroſum expellant, non eo fine ut perdat hoc privilegium, & ſic facilius incidat in manus juſtitiæ; ſed ex eo præciſe, quod eſt homo inquietus, injurius, & tædioſus religioſis, vel quia immodeſtè ſe gerit quietem religioſorum perturbans, damnumve illis inferens, vel quia religioſi ipſi legem aut conſtitutionem habent, non niſi per tot dies poſſe ad ſe confugientes retinere, uti eſt apud nos 1. *part. cap.* 11. *num.* 3. ibi: *delinquentibus tamen qui ad nos confugerint, ultra tres dies in domibus noſtris non liceat permanere*, ne videlicet quies, & religioſa obſervantia ob talium conſortium perturbetur; In his ergo, & ſimilibus caſibus nec religioſi immunitatem violant, nec pœnas dictas incurrunt. Tum: quia cum jus ſervandi propriam habitationem ſine perturbatione ſit naturale, præferri debet juri Eccleſiaſtico, quod habet reus confugiendo ad Eccleſiam, ne alias quod religioſis conceditur in favorem, retorqueatur in diſpendium. Tum etiam: quia pœnæ imponuntur contra *præſumptores*, quales ſunt illi, qui temerè, & doloſè reos expellunt, uti pluribus citatis docet Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſput.* 32. *num.* 38. ubi docet verbum *præſumere* importare temeritatem, malitiam, & dolum: ſed præfati neque doloſe; neque temerariè expellunt. Non doloſe: quia ille dicitur dolo agere, qui malo animo operatur, *leg. dolo ff. de dolo.* Nec doloſus dicitur utens jure ſuo. Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 5. *num.* 33. Neque etiam temerariè: quia ex rationabili cauſa moventur, & agere temerariè eſt agere ſine rationabili cauſa, *l. eum, qui temere ff. de judic.* & Gloſſ. *verſ. Porro in fin. Clementin.* 1. *de ſum. Trinit.* Igitur cum dicti religioſi non efficiant malo animo, ſed jure ſuo utantur expellendo, & fugiendo conſortium malorum hominum infeſtorum, quos homines boni ſolent fugere; non agunt contra Gregorianam, nec immunitatem violant, nec pœnas illius incurrunt. Sic Pellizzar. *num.* 51. *citat.* Paſqualig. Bordon. *num.* 22. & 25.

§. VI.

Quomodo confugientes ad Eccleſiam tradi, vel non poſſunt judici ſæculari puniendi?

Extra caſus exceptos clerici tradentes reum judici ſæculari incurrunt irregularitatem, ſi reus occidatur, aut mutiletur.

119. CErtum eſt in caſibus exceptis, de quibus loquuti ſumus §. 3. tradendos eſſe judici ſæculari delinquentes confugientes ad Eccleſiam, ſi ab eo requiſiti fuerint clerici, aut religioſi; quia cum illis immunitas non profit, nulla eſt cauſa quare retineri debeant. In caſibus autem non exceptis, non poterit prælatus, reum Curiæ ſæculari tradere ipſo repugnante, quamtumvis ſecuritatem, aut etiam juramentum præſtet de ejus impunitate; quia tunc gaudet delinquens immunitate, quæ præcipue conſiſtit in eo, ut delinquens non poſſit invitus a loco Sacro, extrahi, & judicari. Lezana *tom.* 2. *verb. immunitas, num.* 21. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 39. & 45. Bonac. *diſp.* 3. *quæſt.* 7. §. 7. *num.* 12. Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp. unic. punct.* 13. *num.* 2. Unde Eccleſiaſtici, vel regulares tradentes reum Curiæ ſæculari in caſibus non exceptis, ſi inde mors, aut mutilatio ipſius ſequatur, incurrent irregularitatem: quia conſentiunt morti, aut mutilationi illius cooperari. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt.* 50. *artic.* 2. Lezana *num.* 22. qui bene ait, prælatos non defendentes reum, ſed permittentes eum extrahi, incurrere hanc irregularitatem, quia ipſis ex juſtitia, & officio incumbit tueri immunitatem Eccleſiarum. ¶ In caſibus vero exceptis, attenta conſtitutione Gregoriana, & conſuetudine jam recepta non exigitur juramentum à judice ſæculari, de non puniendo reum, nec ipſi judices illud præſtare tenentur, licet id exigatur, *cap. reum, cap. conſtituimus* 17. *quæſt.* 4. Sed libere ipſis eſt tradendus, puniendus pro qualitate delicti, ac ſi ad Eccleſiam minime confugiſſet: quia nihil tale confugium reo prodeſſe poteſt in dictis caſibus exceptis. Farinatius *in Append. de immunit. capite ultim. numero* 343. Bonacina §. 7. *in fine. numero* 5. Lezana *num.* 25. Hæc autem traditio de mandato Epiſcopi debet fieri, vel ejus Vicario, per aliquam Eccleſiaſticam perſonam ab eo deputatam, prius cognito per Epiſcopum, vel per eum deputatum, an reus verè excepta crimina commiſerit, ut in dicta Gregorii XIV. conſtitutione expreſſe habetur.

Ex conſuetudine ad extrahendū reum ab Eccleſia in caſibus exceptis, non requiritur licentia Epiſcopi.

120. Ex quo ſequitur, quod expectato juris rigore *in cap. definivit. capite conſtituimus, capite reum* 17. *quæſt.* 4. & maxime *bulla Gregoriana*, ubi id expreſſe cavetur, non poteſt judex laïcus adhuc in caſibus exceptis extrahere delinquentem ab Eccleſia abſque licentia Epiſcopi, vel ejus officialis: ſed ex recepta conſuetudine, & praxi

commune poſſe judices ſæculares in caſibus clare exceptis, inconſulto Epiſcopo reos ab Eccleſia extrahere; quia illi non gaudeot immunitate Eccleſiæ, & ſic nec ab ea tueri aut defendi poſſunt, aſſetunt Suarez *lib.3.cap.13.n.1.* Palaus *punct.13. num.4.* Azevedo *in conſtitut. Hiſpan. lib.1. titul.2. leg. 3. num. 29.* Covarruv. *2. variar. cap.20. numero 18. verſ. 34.* Farinatius *de carcerib. quaſt.28. num.75.* Sed ſi dubium ſit, an caſus ſit exceptus, vel non; non poterit judex laïcus vi inde extrahere reum; quia immunitas conceſſa eſt omnibus delinquentibus extra caſus exceptos: ergo quoties non conſtiterit commiſiſſe caſum exceptum, illa ſpoliari non poterit. Decianus *tract.crimin. lib 6. cap.29. num.2.* Farinatius *in Appendic. de immunit. cap. ultim. num.370.*

Cognoſcere an caſus ſit exceptus pertinet ad Epiſcopum.

121. Sed ad quem judicem pertinebit cognitio, an caſus ſit exceptus, vel non? Reſpondetur hoc pertinere ad Epiſcopum ſolum, vel ad alium ab eo deputatum, ut habetur in dicta Gregoriana ibi: *niſi cognito prius per Epiſcopum, vel ab eo deputatum, an delinquentes, verè crimina excepta commiſerint*, & habetur *cap. metuentes, cap. ad Epiſcopum 17. quaſt.4.* & ex jure civili, *l. Pateant, § hoc vero C. de his, qui ad Eccleſ. confugiunt.* Quia cauſæ Eccleſiaſticæ cognitio, qualis eſt immunitas Eccleſiarum, ad Eccleſiaſticum prælatum debet pertinere: neque ob id ſequitur Epiſcopum in propria cauſa jus dicere: quia hic non agitur de cauſa illius, ſed de cauſa communi Eccleſiæ. Pellizzar. *numero* 40. Lezana *numero* 28. Bonacina *§. 7. numero 2. verſ. 3.* Farinatius *numero 366. & 367.* Azevedo *ſupra num.* 50. Gutierr. *practic. quaſt. civilium lib. 3. quaſt.1. numero 5.* ¶ Cum autem dicimus ad ſolum Epiſcopum, vel eius deputatum intelligi debet de vero Epiſcopo, non autem de inferiori: idque licet is ſit ordinarius, aut nullius diœceſis. Unde ſi contingat delinquentem ſe recipere in locum Sacrum exemptum, aut nullius diœceſis, facultas extrahendi illum, obtineri debet ab Epiſcopo viciniori; quia ita diſponit Gregorius XIV. in ſua citata conſtitutione. In ſede autem vacanti adeundum eſt ad Vicarium capitularem, utpote ſuccedentem in omni juriſdictione Epiſcopi. ¶ Quare hoc decidere ad Epiſcopum, non vero ad prælatos regulares pertinebit: & ſic ſolum ex eius authoritate, & licentia poterit ex monaſterio delinquens extrahi in caſibus exceptis, ad effectum conſignandi Curiæ ſæculari, ut expreſſe dicitur in dicta bulla, & tenent Bordon. *num.7. & 8.* Barboſa *ſupra num.156. & 157.* Lezana *num.* 28.

Examen faciendum ab Epiſcopo ut tradat reum judici ſæculari.

122. Sed licet ad hoc ut Epiſcopus, vel ab ipſo deputatus tradat reum judici ſæculari, debeat cognoſcere, an ille commiſerit aliquod ex delictis exceptis, & non teneatur ſtare proceſſui facto à Curia ſæculari, quia poteſt illum habere ſuſpectum, utpote factum in cauſa propria ipſius contendentis; poteſt tamen illi ſtare, ſi prudenter credat eſſe legitime factum, & ſe poſſe uti illo ad ſuam conſcientiam informandam. Palaus, Pellizzar. Lezana, Bordon. *locis citatis.* Regulariter autem loquendo Epiſcopus debet novas probationes facere, ſummarie tamen, & quam citius fieri poteſt expediendæ, ac extra ordinem juris; cum totum hoc ſuo judicio, & arbitrio committatur. Sed debet delictum eſſe commiſſum cognoſcere non ſolum ex præſumptionibus, aut conjecturis rem probabilem efficientibus: quia Eccleſia jus habet tuendi omnes delinquentes ad ſe confugientes, niſi in caſibus exceptis: ergo dum non conſtiterit Epiſcopo caſum eſſe exceptum, injuſtè illo jure privat Eccleſiam. Sed per præſumptiones, & probabiles conjecturas non ſufficienter conſtat, cum tales non ſufficiant ad tollendum ab alio jus quæſitum, nec vincant præſumptionem ortam ex poſſeſſione immunitatis in jure fundatam: ergo, &c. Bonacina *§.7. circa finem.* Farinatius *cap.ultim. n.8. & ſequentib.* Palaus *n. 8.* Pellizzar. *num.40.* Lezana *num.28.*

123. At Epiſcopus non debet extrahere reum ab Eccleſia, vel monaſterio regularium, ſine conſenſu illius prælati, cum ſit talis loci patronus. Immo neque ipſe Epiſcopus ſine conſenſu prælati regularis extrahere poteſt ab Eccleſiis regularium clericum ſibi ſubditum ad eos poſt delicta confugientem, dato quod clericus non gaudeat immunitate contra ſuum Epiſcopum juxta dicta §.2. & hoc non ratione immunitatis Eccleſiæ, quam ſupponimus non ſuffragari clericis contra ſuum Epiſcopum; ſed ob exemptionem, quam habent monaſteria, & loca regularium: quia Epiſcopus nullam poteſt exercere juriſdictionem in loco exempto, cum locus exemptus comparetur loco extra territorium exiſtenti, ut ſupra *num.3.* dicebamus, *& ius dicenti extra territorium paretur impunè.* Unde, ſicut Epiſcopus nequit punire ibi degentes, ſic nec poteſt eos inde extrahere. Zeſpedes *de exemptione disput. 258. num.6.* Pellizzar. *tract.8. cap.5. ſect.1. num.44.*

PUNCTUM IV.

De privilegiis nova monaſteria fundandi conceſſis regularibus, ea mutandi, transferendi, deſerendi, vel etiam renuntiandi.

154. LIcet olim de jure antiquo non poſſent religioſi mendicantes accipere nova loca, domus, ſeu monaſteria, nec accepta deſerere, aut ad alium locum tranſmutare abſque ſedis Apoſtolicæ authoritate, & licentia, *cap.1. de exceſſibus prælatorum in 6. Clementin. unica de pænis, & cap. unico de religioſis domibus in 6.* Cæterum poſt iſtas conſtitutiones nova, & diverſa prodiere privilegia dictorum Canonum concedentia prælatis, ut abſque licentia Pontificis, nova poſſent erigere monaſteria, alia magis, alia minus ampla. Illa, quæ nec licentiam ordinariorum ad hoc exigebant, ut eſt illud Sixti V. bulla incipienti *Super Specula* hanc facultatem Fulienſibus concedens, & illud Iulii II. bulla incipienti. *Exponi nobis feciſti*, pro Prædicatoribus, ut habetur *in privileg. mendicantium, verbo ædificare* §. 10 Alia ſunt quæ licet ordinarii licentiam expectandam decernebant; nullum aliarum perſonarum cuiuſcumque ordinis conſenſum expectandum indulgebant, ut eſt illud, quod Paulus V. nobis Carmelitis excalceatis, conceſſit bulla incipiente, *Ad Eccleſiæ militantis*, data Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, *die 12. Decembris anno* 1605. in qua indulgetur Superioribus, & religioſis Carmelitis diſcalceatis, ut ubique locorum in ſuo quiſque diſtrictu monaſteria erigere valeant de ſola ordinariorum licentia, nullo alio regularium requiſito conſenſu; & hoc motu proprio, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis. A quo benigno Pontifice, etiam Monachi S. Mariæ

Varia privilegia antiqua recenſentur.

Fulienſis

Fulienſis idem obtinuerunt conſtitut. 10. eiuſdem Pontificis, quæ incipit: *Ad Eccleſia anno* 1608. & ſimile ab eodem Pontifice privilegium impetrarunt Patres Congregationis S. Pauli Decollati, ut habetur in eius conſtitut. 64. quæ incipit: *Eccleſia* 8. Maii 1610.

Supradicta privilegia revocata ſunt à diverſis Pontificibus.

125. Cæterum hæc omnia privilegia, & conceſſiones erigendi nova monaſteria, vel abſque licentia ordinarii, vel abſque aliorum Ordinum conſenſu, revocata ſunt à S. Congreg. ſub Gregorio XV. die 17. Auguſti 1621. & ab Vrbano VIII. in ſua conſtitutione 25. quæ incipit: *Romanus Pontifex* die 28. Auguſti ann. 1624. ubi revocat, & annullat omnes licentias, & facultates à prædeceſſoribus ſuis conceſſas fundandi, erigendi, conſtituendi ubique locorum domus, monaſteria, conventus, collegia, & alia loca regularia, niſi ſervata Sacrorum canonum, & Concilii Tridentini forma. Præcipitque, atque interdicit Superioribus omnibus regularium in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub privationis vocis activæ, & paſſivæ, & officiorum quorumcumque, & excommunicationis ipſo facto incurrendis pœnis, ne licentiarum huiuſmodi revocatarum, ſeu quovis alio prætextu, vel cauſa, etiam quantumvis privilegiata, nova monaſteria, collegia, domus, conventus, niſi de expreſſa ordinariorum licentia, ac ſervata conſtitutione Clementis VIII. quæ incipit: *quoniam ad inſtitutam*. Romæ die 23. Iulii anno 1603. expedita, ac decretorum de mandato eiuſdem Clementis VIII. & Gregorii XV. forma, recipere, erigere ſeu fundare audeant, ſeu præſumant. De qua Barboſa *lib. 2. de iure Eccleſiaſt. cap. 12. num.* 25. Tambur. *tom. 3. de iure Abbat. diſputat. 5. quæſt. 1. num.* 5. Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 9. à num* 34. & *tom. 3. verbo monaſteria regular. num.* 2. quæ omnia ut clarius explicemus punctum hoc dividemus in diverſa paragraphis.

---

§. I.

Quid requiratur ad erectionem novi monaſterii ex Concilio Tridentino, Clementis VIII. Gregorii XV. nec non & Vrbano VIII.

Decretum Concilii Tridentini proponitur, & explicatur.

126. TRia igitur his temporibus omnino ſervanda ſunt pro erigendis novis monaſteriis, quæ decernuntur à Concilio Tridentino, Clemente VIII. Gregorio XV. quæque ab Vrbano VIII. & Sacra Congregatione ſunt revocata, ampliata, & omnino ſervari præcepta. Primum eſt, quod in erigendis novis monaſteriis, debeat primo Epiſcopi licentia præcedere, in cuius diœceſi conſtruenda ſunt, prout habetur in Tridentino *ſeſſ. 25. de regularibus cap. 3. fine.* ibi: *nec de cætero ſimilia loca erigantur, ſine Epiſcopi in cuius diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta.* Quod etiam habetur *cap. 1. cum ſequentibus 8. quæſt. 2.* & *in cap. olim. 2. de privilegiis, cap. authoritate eodem titul. in 6.* Hanc licentiam Epiſcopus electus, & confirmatus concedere poteſt, licet nondum conſecratus ſit, quia eſt actus juriſdictionis, & concedi non poteſt à Vicario Generali Epiſcopi, niſi ad hoc habeat expreſſam, & particularem facultatem: nec à Vicario Capitulari ſede vacanti, quod ex diverſis declarationibus Sacræ Congregationis, docet Novarius *in lucerna regularium, verb. monaſterium num. 2.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. ſect. 2. numero* 33. Lezana *tom. 3. verb. monaſteria regular. num. 3.* Barboſ. *in collectan. bullar. verb. monaſteria num* 1. § Sed oppoſitum pluribus citatis docet Zeſpedes, niſi obſtet Sacræ Congregationis declaratio *de immunitate diſput. 21. num. 5.* Quia Vicarius Epiſcopi vere eſt, & dici poteſt ordinarius, & Vicarius etiam capitularis. Addens hanc licentiam dari poſſe à quocumque habente juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; quippe qui juriſdictionem ordinariam habent canone, aut conſuetudine, aut privilegio, & ſic veniunt nomine ordinarii.

Decretum Clementis VIII. & Sacræ Congregationis ſub Gregorio XV.

127. Secundo obſervandum eſt ab ipſis ordinariis, in conceſſione talis licentiæ id, quod præcipit Clemens VIII. in conſtitutione, *Quoniam ad inſtituta*, nimirum: *Locorum ordinarios non poſſe licentiam ad novos conſenſus cuiuſcumque mendicantium ordinis, in civitatibus, & locis eorum ordinariæ juriſdictioni ſubjectis erigendos, impertiri, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiuſdem civitatibus, & locis exiſtentium conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa, ſervatis ſervandis, cognita, conſtiterit, in eiſdem civitatibus, & locis, novos huiuſmodi erigendos conventus, ſine aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſint.* § Tertio obſervandum eſt decretum Sacræ Congregationis ſub Gregorio XV. in quo præcipitur, ne aliqua monaſteria de novo erigantur, *niſi in eis ſaltem duodecim fratres, aut monachi, ſeu religioſi inhabitare, ac ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis ſuſtentari valeant, ac Priores ſeu Procuratores aliorum monaſteriorum, conventuum, ſeu domorum aliarum religionum, Congregationum, vel Societatum, non ſolum in prædictis, ſed etiam in aliis per quatuor millia paſſuum circumvicinis vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint, vel aliis ordinariis locorum conſtiterit religioſos monaſterii ſic erigendi abſque detrimento religioſorum in monaſteriis, ſeu domibus antea in civitatibus, ſeu locis huiuſmodi erectis, degentium, ibi in numero duodecim commode, & congrue manu teneri, & ali poſſe. Si vero novi conventus, & domus, vel Congregatio huiuſmodi inſtituendi erunt, nullique alii regulares in ibi reperiantur, ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores (quorum & conſenſum requirant, ac adhibeant) huiuſmodi duodecim religioſos in conventibus, ut præmittitur, inſtituendis commode alere, & manu tenere valeant.*

Decretum Vrb. VIII. circa eandem materiam.

128. Sed pro obſervantia prædicti decreti Gregorii XV. ſpecialiter quoad prædictum numerum duodecim fratrum Sacra Congregatio Concilii, in decretis de celebratione miſſarum editis ſub Vrbano VIII. anno 1625. hæc præcipit: *Deinceps vero monaſterium, domus, Congregatio, vel Societas religioſorum nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis huiuſmodi locis, duodecim ſaltem fratres, aut monachi, ſeu religioſi degere ex redditibus, & conſuetis eleemoſinis detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad præſcriptum decreti Felic. recordationis Gregorii XV. hac de re editi. Alioqui monaſteria, & loca huiuſmodi poſt hac recipienda, in quibus duodecim religioſi ut ſupra ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint, ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.* § Hæc autem omnia confirmantur, & innovantur ab Vrbano VIII. *in conſtitutione:*

Romanus Pontifex, quæ habetur *tom. 4. bullar.* inter conſtitutiones eiuſdem Vrbani VIII. *numero* 25. in qua revocat omnes, & quaſcumque licentias, & facultates religionibus quibuſcumque conceſſas, ad erigenda nova monaſteria abſque ſupradictis conditionibus, & addit: *Præterea ordinum etiam mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum inſtitutorum regularium ſuperioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæteriſque perſonis ad quas ſpectat in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub privationis vocis activa, ac paſſiva, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon excommunicationis ipſo facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus; nec licentiarum, ſeu facultatum, per nos, ut præfertur revocatarum, & annullatarum, ſive alio quovis prætextu, vel cauſa, etiam quantumvis privilegiata, nova monaſteria, collegia, domus, & alia loca regularia huiuſmodi, niſi ab expreſſa ordinariorum licentia, ac ſervata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, necnon conſtitutionibus Felicis recordationis Clementis VIII. qui incipit: Quoniam ad inſtitutam, ac decretorum de mandato eiuſdem Clementis, necnon Gregorii XV. Pontificum prædeceſſorum deſuper editorum forma recipere, erigere, fundare, ſeu alias quomodolibet inſtituere, ſeu incœpta finire, vel abſolvere audeant, ſeu præſumant.*

Quatuor decreta ſupra relata omnino obſervari debent.

129. Ex quo manifeſte conſtat, Tria modo obſervanda eſſe in novis conſtruendis monaſteriis. Primum Epiſcopi diœceſani, ſeu ordinarii loci expreſſa licentia, ſecundum Tridentinum. Secundo, quod ad eam concedendam, vocentur Priores, & Procuratores, aliique in eo intereſſe habentes, & audiantur, an ipſis incommoda ſint, & nociva, nova erigenda monaſteria, juxta conſtitutionem Clementis VIII. Ac denique, quod nova non conſtruantur monaſteria, niſi in eis ex redditibus, & aliis conſuetis eleemoſynis commode duodecim religioſi ſuſtentari poſſint, iuxta decretum Congregationis ſub Gregorio X V. confirmato, & approbato à Sacra Congregatione ſub Vrbano VIII. illa appoſita pœna non obſervantibus: *in ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni, talia monaſteria erecta abſque eo quod duodecim fratres, in eis valeant habitare, & de facto habitent ſubjecta eſſe intelligantur.* Quæ omnia ſunt in ſuo robore, & vigore, & tenentur ea prælati regulares obſervare ſub peccato mortali, & ſub pœnis in dicta bulla Vrbani VIII. præcontentis. Ita communiter Doctores Tamburin. *tomo 3. diſputatione 5. quæſtione 1. per totam*, Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib. 2. capite 12. à numero 6*, Rodriquez *quæſt. regular. tom. 2. quæſtione 49. articulo 9.* Lezana *tomo 1. parte 1. capite 9. numero 35.* & *tom. 3. verb. monaſteria, numero 3.* Pellizzar. *tractat. 8. capite 7. ſect. 2. à numero 90.* Peyrin. *tomo 1. Privileg. Minim. conſtit.* Pirrhi § 9. & *tomo 2. in conſtitutione 6. Gregorii X V.* Navarr. *in Manual. capite 27. num. 142.*

¶ Cæterum pœnæ impoſitæ in conſtitutione Vrbani VIII. quamvis ipſo facto incurrantur, ut conſtat ex verbis adductis; nulla illarum reſervata eſt; cum ibi de tali reſervatione nullum verbum detur: & ſic ab illis abſolvi poſſunt, qui ſimiles pœnas abſque reſervatione incurrunt; in aliquibus poſſunt relaxari Pellizzar. *numero* 89. & 105. Lezana *verb. monaſteria num.* 11. Tamburin. *numero* 15. Navarr. *numero* 144.

130. Sed quantum attinet ad tertium requiſitum, quod nova monaſteria minime erigantur, etiam mendicantium, niſi in eis ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis duodecim religioſi valeant ſubſtentari; notandum eſt, quod redditus, & eleemoſynæ conſuetæ tales eſſe debent, ut ſufficiant ad ſuſtentandos dictos duodecim religioſos commodè, & decenter; ita ut victum, & veſtitum juxta loci conſuetudinem, & perſonarum ibi commorantium qualitatem (habita etiam ratione aliorum onerum, ad quæ teneretur monaſterium) habere poſſint; taliter, quod hæc religioſi non cogantur importuna mendicitate, aliove modo indecenti ſibi comparare. Id enim voluit Gregorius X V. illis verbis: *congrue, & commodè manu teneri, & ali poſſunt.* Et illis: *commodè alere, & manu ducere valeant.* Quod idem habetur in decreto Vrbani VIII. At vero ſi ſit probabilis ſpes, ut redditus, & eleemoſynæ in brevi augeantur, admitti poterit fundatio monaſterii, non habentis ab initio redditus, & eleemoſynas ſufficientes ad alendos commode duodecim religioſos: quia ita præſumenda eſt benigna Pontificis voluntas, ut tenet Pellizzar. *numero* 95. & 96.

Novum monaſteriū fundari non poteſt quin duodecim religioſos ſuſtentare valeat.

131. Sed circa ſecundum, quod ordinarius ad dandam prædictam licentiam erigendi novum monaſterium convenire debet religioſos aliorum ordinum illius loci, ut ſuum conſenſum præbeant. Notandum eſt primo. Quod ſi Epiſcopo conſtiterit nullum detrimentum ex tali monaſterio de novo erecto, aliis evenire, non tenebitur modo dicto, aliorum Ordinum convocare Prælatos, ob illa verba decreti Sacræ Congregationis ſub Gregorio X V. & ab Vrbano VIII. approbati: *Vel aliàs ordinarius locorum conſtiterit religioſos monaſterii ſic erigendi abſque detrimento, &c.* Ceſpedes *cap. 1. diſp. 4. num. 2.* Lezana *verb. monaſteria, num. 7.* Pellizzar. *num. 90.* Immo ad conſtruendum monaſterium, quod eſt tutum de victu, veſtitu, &c. Ob redditus, quos habet, ſufficere licentiam ordinarii abſque conſenſu aliorum religioſorum, cum ceſſet finis bullæ illum requirentis docet ipſe Ceſpedes *diſput. 8. num. 1.* ex Navarro, & ex utroque Pellizzar. *numero 90. verſu, Unde infert.* Addit etiam N. Lezana *num. 7.* & Pellizzar. *verſu Immo*, ex Venero *in examin. lib. 6. cap. 10. num. 8.* Quod ſi regulares alii erectioni novi monaſterii contradicant abſque ratione, vel (quod abſit) ex mala voluntate, poterit Ordinarius non expectato illorum conſenſu concedere dictam licentiam. Imo addit Venerus hæc verba: [Epiſcopus ſolùm tenetur in ſcriptis redigere ea, quæ ab unoquoque proferuntur, & dare terminum unicuique ad probandum: ſed poſtea ipſe ſolus poterit dare, vel denegare licentiam ædificandi abſque dependentia aliorum.]

Conſenſus aliorum religioſorum requiritur ut conventus de novo fundetur.

¶ Unde infert probabiliter Peyrin. *in formular. littera Z. cap. 3. in Appendic. 5. num. 4.* Quod ſi aliqua religio fundare vellet monaſterium in aliquo loco cum obligatione non quærendi eleemoſynas (addit Lezana *num. 6.* nec faciendi aliquid, ex quo aliquod detrimentum aliis religioſis obveniret) non eſſet neceſſarium alias religiones convocare; nam ceſſat finis dictarum conſtitutionum. [Vnde video (ait Doctiſſimus Lezana *loco citato*) declaraſſe Sacram Congregationem Epiſcoporum, & regularium 31. Ianuarii 1642. poſſe fratres reformatos S. Bernardi fundare monaſterium ſine conſenſu aliorum regularium eiuſdem loci, dummodo haberet redditus ſufficientes pro ſuſtentatione duodecim religioſorum ſine quæſtuatione.]

132. Notan

132. Notandum eſt ſecundo. Quod in dictis prohibitionibus non comprehenduntur hoſpitia: quia appellatione monaſteriorum, domorum, aut habitationum, non venit hoſpitium; quia propriè ibi habitare non dicitur, ubi tanquam viatores exiſtunt. Et tunc hoc maximè evenit quando religioſi in eo exiſtentes, nec campanas pulſarent, nec eleemoſynas quæritarent, Miſſas non reciperent, aut Eccleſiam in qua publicè celebrarent, non haberent. Has limitationes ponit N. Lezana *num.* 6. quia ex talibus hoſpitiis nullum aliis detrimentum infertur. Sed abſque illis id docet. Tambur. *tom.* 3. *de iure Abbat. diſput.* 5. *quæſt.* 1. *num.* 10. Riccius *in praxi decıſ.* 652. Peyrin. *tom.* 3. *privileg. minim. in conſtitut.* 3. *alias* 13. *Urbani VIII.* Bordon. *in reſolut. reſol.* 41. *n.* 6. ¶ An vero prædictæ ſolemnitates requirantur quando in eadem civitate fit mutatio Monaſterii de uno loco in alium? dicemus §. 3. agentes de mutatione, vel tranſlatione monaſteriorum. ¶ Et an obſervandæ ſint dictæ conditiones, quando aliquod Monaſterium deſtruitur, aut deſeritur, & poſtea recuperatur, aut reædificatur, §. 4. dicemus de hac agentes materia.

Quid ſi Epiſcopus aliis non convocatis licentiam fundandi præbeat?

133. Notandum eſt tertio. Quod ut novum Monaſterium conſtruatur debet Epiſcopus convocare non ſolum religioſos in eodem loco degentes, ſed etiam illos, qui degunt extra illum per quatuor millia paſſuum, quia ſic habetur in decreto Gregorii XV. *num.* 127. relato. ¶ Si vero Epiſcopus modo dicto non convocatis dictis religioſis illius oppidi, & per quatuor millia paſſuum diſtantibus, licentiam conſtruendi novum Monaſterium concedat tenuentibus illis, & hi à tali licentia in ſui damnum conceſſa appellent (quæ appellatio ſolum ad Sedem Apoſtolicam fieri poteſt) tunc debet Epiſcopus ſuſpendere executionem, & Pontifici remittere omnia, expectareque ut ipſe in tali cauſa ſententiam pronuntiet; ut clarè habetur ex decreto ſacræ Congregationis, juſſu Gregorii XV. & ex Bulla Clementis VIII. ſuprà relata, tenentque Venetus *lib.* 6. *c.* 10. *num.* 11. Ioannes à Cruce *de privilegiis, lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 1. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 7. *ſect.* 2. *num.* 90. *verſu ſi vero, & num.* 94. ¶ Ac denique ſi Epiſcopus abſque forma in decreto Clementis VIII. & Gregorii XV. ac Urbano VIII. præſcripta licentiam concedat (præterquam in caſibus *n.* 131. exceptis) invalida eſt talis conceſſio: quia in Bulla Clementis VIII. decretum irritans continetur, quod nullitatem operatur, & omnia in oppoſitum deſtruit. Gratian. *lib.* 3. *diſceptation. forenſ. cap.* 527. Tamburin. *tomo tertio, de iure Abbat. diſput.* 5. *q.* 1. *n.* 12. à Cruce *n.* 1. Ceſpedes *diſp.* 22. *num.* 1.

134. Quarto notandum eſt, quod forma hucuſque præſcripta pro fundatione novi Monaſterii virorum cum tribus conditionibus, *num.* 129. aſſignatis, ſervanda etiam eſt in erectione Monaſterii novi monialium; quia ſic declaraſſe ſacram Congregationem Concilii 19. Decemb. 1620. docet Barboſa *lib.* 2. *de iure Eccleſ. cap.* 12. *num.* 7. Tamburin. *de iure Abbatiſſarum, diſput.* 33. *quæſt.* 1. *num.* 4. Lezana *tom.* 3. *verb. Monaſteria, num.* 5. Unde non licet Ordinariis licentiam dare ædificandi dicta Monaſteria, niſi vocatis prius, & auditis Prælatis locorum ubi erigenda ſunt, & aliis intereſſe habentibus. ¶ Imò Ordinarius in erectione alicujus novi Monaſterii Monialium, debet audire, conſenſumque petere Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum, & Prælatorum aliorum monaſteriorum monialium in eodem loco, vel per quatuor millearia degentium. Quod denotare videntur illa verba Clementis VIII. *aliiſque intereſſe habentibus.* Nam habentes in hac re intereſſe, ſunt Prioriſſæ aliarum monialium, uti docet Ceſpedes *diſput.* 353. *num.* 1. ¶ Sed nota circa erectionem monaſteriorum monialium, dari quandam declarationem ſacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quam refert Barboſa *loco citato, num.* 10. *& in collectan. bullar. verbo Monaſteria monial. num.* 10. tenoris ſequentis: *Monaſteria monialium non erigantur, niſi ordinariis locorum conſentientibus, & niſi in his duntaxat locis, quæ muro unita ſunt, & in quibus adeſt presbyterorum ſæcularium, vel regularium copia ad audiendas earum confeſſiones, niſi in facultatibus habeant moniales, ut confeſſarium aliunde aſciſcere juſtè tare valerent.* Cui conſonat Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 5. ubi Monaſteria monialium extra urbis mœnia vel oppidi conſtituta, ad nova vel antiqua Monaſteria intra urbes, vel oppida frequentia jubet reduci; & ideo conſequenter ne extra mœnia, aut extra urbes, & oppida ædificari poſſint: quamquam Gregorius Papa *in cap. luminoſo* 18. *q.* 2. in ſolitudinibus condi permitterentur modo verò ex Tridentino & ſacræ Congregationis decreto extra civitatem conſtrui prohibentur: ne malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus ſint abſque cuſtodia expoſita. Barboſa *loco citato.* Ugolin. *de poteſtate Epiſcopi. cap.* 21. *in princip. numero primo.* Venetus *in examine Epiſcop. lib.* 6. *cap.* 21. *num.* 13. Lezana *verb. Monaſteria, num.* 10.

Licentiam Pontificis ad fundationem novi Monaſterii requiri aliqui dicunt.

135. Reſtat modo gravem enodare difficultatem. An nimirum modo præter tres conditiones *num.* 129. aſſignatas requiratur etiam ad hoc ut religioſi nova Monaſteria conſtruere poſſint, Apoſtolicæ authoritas, & facultas? ¶ Multi affirmativè reſponderunt. Quia in ſupra relata conſtitutione Urbani VIII. dicitur: *Ac ſervata in omnibus, & per omnia ſacrorum Canonum forma:* Sed in ſacris Canonibus *cap.* 1. *de excessibus Prælator. in* 6. & *cap. unic. de religioſ. domibus, eodem libro;* excipitur licentia Papæ: ergo modo poſt tale decretum Urbani præter ſupradictas conditiones, licentia Summi Pontificis eſt obtinenda. Atque ita declaraſſe ſacram Congregationem refert Barboſa *in declarationibus ad cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *Concilii,* per hæc verba: *Monachi non poſſunt ædificare Monaſteria in Parochia, in qua ea non habent, ſine cognitione, & licentia Papæ.* Atque ita tenent Hieronym. Rodriguez *in compend. reſolut.* 55. *num.* 22. Campaniſe *in diverſor. iuris Canonic. rubric.* 12. *cap.* 18. *num.* 8. Barboſa *de iure Eccleſ. lib.* 2. *c.* 12. *num.* 11. Pellizzar. *tract.* 8 *c.* 7. *ſect.* 2. *n.* 92 Tamburin. *de iure Abbat. diſp.* 33. *q.* 1. *num.* 3. & *tom.* 3. *de iure Abbatum, diſp.* 5 *q* 1. *n.* 3.

Verior ſententia negativa.

136. Sed oppoſitum probabilius judicamus. Quia Pontifex Urbanus VIII. ſolum videtur loqui in ea conſtitutione de illis religioſis, qui facultates, ſeu licentias ad fundanda Monaſteria non ſervata debita forma, poſt Concilium Tridentinum, & Clement. VIII. obtinuerunt, de quibus mentionem fecimus *num.* 124. non de illis, qui ante Concilium privilegia, & indulta ad id obtinuerunt: quales ſunt Minimi ex Iulio II. & Carmelitæ ex Sixto IV. prout refert Caſarrubius *in compend. privilegiorum men-*

dicantium

dicantium verbo ædificare, num. 18. *&* 20. quibus privilegiis non derogat Concilium; ſed ſolum præcipit, quod Monaſteria non erigantur abſque Epiſcopi Dioceſani licentia. In quo relinquit, quod ad non expectandam Sedis Apoſtolicæ licentiam, in ſuo robore privilegia antiqua. Sacræ autem Congregationis declaratio, eſtò authentica ſit, de quo non conſtat; vel loquitur in aliquo caſu particulari, quod non obligat pro omnibus: *quia res inter alios acta, alus nocere non debet.* Vel certè loquitur ſpectato jure communi antiquo; non vero ſuppoſitis privilegiis ante Concilium habitis, & ab ipſu non revocatis: & ita videtur praxi, & conſuetudine receptum. Lezana *tom.* 3. *verb. Monaſteria, num.* 4. Noſter Thomas à Ieſu *ſuper regul. Carmelitar. part.* 3. *cap.* 2. *gloſſa* 2. §. *pro cujus.* Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſput.* 23. *ſect.* 5. *n.* 34. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. regul. quæſt.* 49. *artic.* 3. Sorbus *in annotat. ad compend. mendicant.* §. 10. Ceſpedes *cap.* 1. *de exempt. diſputatione* 2. *num.* 4. Bruno Caſſaing. *de privileg. tract.* 4. *capite* 6. *propoſit.* 12.

---

§. II.

Qualiter in erigendis novis Monaſteriis ſervanda ſit certa diſtantia inter unum Monaſterium, & aliud?

Privilegium cannarum explicatur.

137. QUamvis privilegia, quæ dicuntur *cannarum*, quibus certa diſtantia aſſignatur, quæ intercedere debet inter novum fundandum Monaſterium, & alia jam fundata videantur inutilia his temporibus, quandoquidem ob decreta adducta, & explicata §. *præcedenti*, nulla Monaſteria de novo conſtrui poſſunt, niſi ex conſenſu Priorum, ſeu procuratorum aliorum Conventuum ejuſdem oppidi, vel per quatuor millearia ab eo diſtinctum, quod eſt majus ſpatium, quam illud, quod per dicta privilegia conceditur. Cæterum, quia dicta privilegia utilia Epiſcopo ſunt; tum in caſibus illis de quibus locuti ſumus *num.* 131. in quibus Epiſcopus abſque aliorum religioſorum conſenſu licentiam concedere poteſt. Tum etiam in caſibus, in quibus dicta decreta abrogatione, vel diſpenſatione, vel conſuetudine, vel alio quocumque modo deſinant obligare. Sciendum eſt, nomine *cannarum* intelligi menſuram octo palmorum menſura Hiſpanica. Miranda *in manual. tom.* 1. *quæſt.* 35. *art.* 4. Barboſa *de jure Eccleſiaſt. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 75. & illud ſpatium *cannarum* menſurandum eſt à janua antiquæ Eccleſiæ, ad alteram recenter ædificatæ, licet aliunde horti eſſent contigui, ut ex declaratione Pontificis facta in quadam lite inter fratres Minores, & Prædicatores Burdigalæ teſtatur Bruno *tract.* 4. *c.* 6 *propoſ.* 13.

Diverſa cannarum privilegia recenſentur.

138. Quibus ſuppoſitis, plura circa hoc extant privilegia. Nam Clemens IV. ut refert Portellus *in dubus regularibus verbo Monaſterium, num.* 1. conceſſit Minoribus, ne reliquæ mendicantes, aut quæcumque aliæ religiones in paupertate fundatæ poſſent ædificare Monaſteria intra ſpatium 300. Cannarum à ſuis Conventibus, menſurandarum per aërem, ubi alias rectè menſurari loci diſpoſitio non permitteret. Idem conſimile privilegium conceſſit idem Clemens Ordini fratrum Prædicatorum, ut teſtatur Ioannes à Cruce *de privileg. lib.* 2. *capite* 9. *concluſ.* 3. Atque idem Clemens IV. conceſſit Carmelitis noſtris, ut conſtat ex mari magno Carmelitarum Bulla 42. ne alii Ordines mendicantes, Eccleſias, vel Monaſteria ædificare poſſent, recipere, aut habitare juxta loca prædicti Ordinis intra ſpatium 140. cannarum menſurandarum per aëra, ubi alias non permitteret loci diſpoſitio menſurari, decernens, quidquid ſecus factum fuerit, irritum, & inane. Quod privilegium confirmavit, & innovavit Sixtus IV. in eodem mari magno *num.* 23. prohibitionem illam extendens non ſolum ad mendicantes, ſed etiam ad quoſcumque alios religioſos, & Eccleſiaſticas perſonas. Caſarrub. *in compend. privileg. mendicant. verb. ædificare, num.* 16. *&* 19. Lezana *tom.* 3. *verb. Monaſteria, num.* 19. Item ex conceſſione Urbani IV. nulla ædificia conſtrui poſſunt intra unum milliare ab Abbatiis, & locis Ordinis Ciſtercienſium, ſub excommunicationis pœna (quæ non eſt latæ, ſed ferendæ ſententiæ) ut habetur *in compend. Ciſtercienſium verbo ædificare*, §. *fin. &* ex *privileg.* Sixti IV. pro Carthuſianis ſtatutum eſt, ne intra dimidiam leucam à terminis poſſeſſionis ipſorum alicui religioni liceret quodlibet ædificium conſtruere, vel poſſeſſiones acquirere. Caſarrub. *num.* 20. ¶ Sed Minimi habuerunt facultatem fundandi Monaſteria etiam non diſtantia à Monaſteriis aliorum Ordinum per 140. cannas ex Iulio II. ut teſtatur Peyrin. *tom.* 1. *privileg. Minim. in conſtitut.* 7. *Iulii II.* quod etiam Ieſuitæ obtinuerunt ex privilegiis Gregorii XIII. Portel. *in dub. regul. verb. Monaſterium, num.* 3. Barboſ. *de jure Eccleſ. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 17. Miranda *tom.* 1. *q.* 33. *art.* 4.

Modo prodeſt privilegium cannarum in civitatibus magnis.

139. Sed circa hæc notandum eſt primo. Quod licet in civitatibus non ſint in uſu prædicta privilegia cannarum, cum plura diverſorum regularium reperiantur Monaſteria valde conjuncta, & viciniſſimè ædificata, & ita deciſum fuiſſe ſæpius à Sede Apoſtolica teſtetur Sorbus *in annotationibus ad compend. privileg. mendicant. verbo ædificare*, §. 1. Peyrin. *tom.* 1. *privileg. Minimor. in conſtit.* 7. *Iulii II. num.* 1. Nihilominus ſi regulares, quibus intereſt, velint reclamare allegantes prædicta privilegia; omnino audiendi ſunt: ut multoties ſe Romæ vidiſſe practicari teſtatur Lezana *tom.* 3. *verbo Monaſterium, n.* 20.

Privilegium dictum per communicationem proficit aliis.

140. Secundo eſt notandum, in his omnibus privilegiis reperiri communicationem privilegiorum, quam communiter habent regulares. Quod etiam dicimus de privilegio illo Iulii II. pro Minimis relato, & de privilegio Gregorii III. pro Patribus Ieſuitis, licet in eo diceretur illis eſſe ſingulariter conceſſum, & aliis incommunicabile; ob idque ipſi contendant aliis religionibus minimè communicari ſecundum à nobis dicta *hoc tractatu cap.* 1. *n.* 107. & modo tenet Bruno *tract.* 4. *cap.* 6. *propoſit.* 13. *verſu Poteſt primo.* Lezana *loco citato, num.* 20. Qui addit in tali privilegio Gregorii XIII. nullam dari clauſulam incommunicabilitatis aliis. [Quod tamen mihi non conſtat, neque quo fundamento hoc dicatur (inquit Lezana) cum potius videam in Bulla *Salvatoris*, quæ eſt ejuſdem Gregorii *in* 2. *tom. Bullarum inter conſtitutiones ipſius, num.* 39. prædictum privilegium, quod à Pio IV. erat ipſis conceſſum ab eodem Gregorio confirmari ſine dicta reſtrictione, quod aliis religioſis communicari non poſſit.]

¶ Imò

¶ Imò ſecundum ea, quæ *loco citato num.* 103. diximus, ſi aliqua religio ex mendicantibus, cui prius conceſſum eſt privilegium, vellet fundare Monaſterium juxta Monaſterium alterius, cui ſolum per communicationem tale privilegium convenit, poteſt hæc defendere ſe contra illam privilegio illo cannarum alteri conceſſo: quia per communicationem fiunt privilegia ita propria communicantis independenter ab alia, ac ſi ipſi eſſent ſpecialiter primò conceſſa. Rodriguez *quæſt. regul. tom.* 1. *quæſt.* 49. *art.* 5. Confect. *in ſumm. privileg. mendicant. tit.* 18. *num.* 1. Lezana *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 57. & *tom.* 3. *verb. privileg. regular. num.* 24. ¶ Sed in praxi hoc obſervatur: ut ſecundum illam regulam juris: *Qui prior eſt tempore potior eſt jure.* Prælatio detur Monaſterio prius erecto; ita quod illud, quod de novo eſt conſtruendum, ſemper debeat per prædictas cannas ab antiquiori diſtare.

---

§. III.

Qualiter, & quo jure poſſint regulares ſua Monaſteria mutare, ſeu de uno in alium locum transferre.

Sine licẽtia Pontificis poteſt Monaſteriũ de uno ad aliũ locũ transferri.

141. **A**Sſerendum eſt, quod licet ex jure antiquo in *capite primo, de exceſſibus Prælatorum in* 6. *Clement. cupientes, de pœnis,* & *cap. unico, de religioſ. domibus in* 6. non liceret mendicantibus Monaſteria mutare ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, niſi mutatio ad eremos facienda eſſet: at ex privilegio poſſunt Prælati regulares transferre Monaſteria fundata in locis ſterilibus, & inaquoſis, vel ſaluti, aut eorum obſervantiæ minus idoneis, & proportionatis ad alia loca magis idonea, cum ſuis redditibus, fructibus, & proventionibus, & bona ſua ſecum ferre, & vendere ædificia, & ſolum, præter Eccleſias. Ita conceſſit Benedictinis Valliſoletanis Pius II. Bulla 6. apud Rodriguez in *Bullar.* Idem conceſſit Sixtus V. 7. Kalend. Decembris anno 1580. Abbati generali Congregationis S. Benedicti regnor. Portugal. prout refert Hieronymus Rodriguez *in compend. quæſt. regular. reſolut.* 55. Portel. *in dubiis regular. verbo Monaſteria, num.* 7. Idem conceſſit Sixtus IV. Minoribus in Bulla: *Regimini* apud Emanuel Rodriguez *in bullario Bulla* 14. *ejuſdem,* §. 35. Idem Sixtus IV. conceſſit idem Prædicatoribus Bulla 14. & Alexander IV. *Bulla* 7. ut Ioannes à Cruce refert *de privileg. libro ſecundo, capite* 9. *dubio primo, concluſione* 2. & Minimis Iulius II. in conſtitutione *virtute,* §. 2. apud Peyrin. *tomo primo, privileg. Minimorum, in Iulio II. numero ſecundo,* & his privilegiis uti poſſunt non ſolùm præfatæ Religiones, quibus conceſſa ſunt; ſed aliæ, quæ cum ipſis habent communicationem privilegiorum. Lezana *tomo tertio, verb. Monaſteria, num.* 38. Confectius *in ſumma privileg. titul.* 48. *c.* 3. Miranda *ſupra q.* 33. *art.* 2.

Poſſunt qui ad alium locum transferuntur, omnia ſua bona ſecum portare.

142. Sed notandum eſt primò. Quod ex vi iſtorum privilegiorum poſſunt tam religiones, quibus conceduntur, quam communicantes cum illis in privilegiis, omnia bona mobilia, etiam pretioſa ſecum ferre, calices, paramenta, & reliqua omnia, quæ in priori habebant Monaſterio, & materiam ipſam ædificiorum Conventus, ligna, lapides, &c. & cymbala, horologia, & altarium imagines, & reliqua omnia, quæ in antiquo Monaſterio erant, ad novum transferre poſſunt, abſque eo, quod Ordinarii in hoc ſe poſſint ingerere, ut patet ex ſupradictis privilegiis. Sed Eccleſias debent relinquere integras, quas nullò profanare, aut ad uſus profanos laïcorum applicare poſſunt: *Quia ſemel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum,* ex regula *ſemel iuris in* 6. & ut dicitur in *cap. ligna, de conſecrat. diſt.* 1. *Ligna Eccleſiæ dicata non debent ad aliud opus adjungi, niſi ad aliam Eccleſiam, vel igni ſunt comburenda, vel ad profectum in Monaſterio fratribus, in laïcorum vero uſum non debent admitti.* ¶ Secundo notandum eſt hujuſmodi Monaſteria, ſeu loca regularium derelicta, non eſſe in habitacula ſæcularium, vel laïcorum convertenda, nec à ſæcularibus commutanda, gubernanda, vel vendenda: uti cavetur *in cap. Nemini, cum ſequentibus* 16. *quæſt.* 7. *cap. quæ ſemel* 16. *q.* 3. Quamvis magnæ alicujus neceſſitatis, & rationabili exiſtente cauſa, de conſenſu Epiſcopi poſſet Monaſterium deſeri, vel deſtrui, & in profanos uſus commutari. Ad quod refert Naldus *in ſumm. verb. Eccleſia, n.* 23. declarationem quandam S. Congregationis, in qua habetur, quod Ordinarii arbitrio relinquitur, quando Eccleſiæ dirutæ converti poſſint in privatas domos, aut loca publica; ſed non in uſus ſordidos; & pecunia ex ipſis comparata eſt convertenda in bona ſtabilia Eccleſiæ, vel eroganda in alios pios uſus. Hieronym. Rodriguez *in compend. quæſt. regular. reſolut.* 55. *num.* 7. Barboſa *lib.* 2. *de jure Eccleſiaſt. cap.* 12. *num.* 59. Miranda *q.* 35. *art.* 1. *concluſ.* 1. ¶ Tertio notandum eſt. Quod quando Monaſterium de uno in alium locum transfertur, non amittit jura, & privilegia, quæ habebat; ſed poſt tranſlationem retinet eadem privilegia, & jura: quia Eccleſia, civitas, caſtrum, Collegium, ac alia loca, ſi ſuperioris authoritate in alium locum transferantur, adhuc ſua jura, privilegia, & exemptiones retinent, uti docet Gloſſa *in cap. privilegium, de regul. iur. in* 6. ergo idem dicendum eſt de Monaſterio. Tamburin. *tom.* 3. *de iure Abbatum, diſp.* 5. *q.* 6. *n.* 1.

143. Sed modo reſtat quandam reſolvere quæſtionem. An nimirum ſolemnitates, & conditiones *ſupra num.* 129. recenſitæ, requiſitæ pro fundatione novi Monaſterii, requirantur quando jam fundatum de uno in alium locum transfertur, ſingulariter an debeat Ordinarii licentia præcedere, & conſenſus aliorum Ordinum in eodem loco, vel per quatuor millearia degentium? ¶ Pro quo notandum eſt ex ſapientiſſimo Noſtro Lezana *verbo Monaſteria, numero* 38. hujuſmodi mutationem, ſeu tranſlationem monaſteriorum tripliciter poſſe contingere. Primo quidem, acquirendo novum Monaſterium, & non derelinquendo antiquum: & talis modus cum potius ſit acquiſitio novi Monaſterii, quam mutatio, eadem forma, & ſolemnitas pro illo requiritur, quam requiſitam diximus §. 1. pro nova erectione Monaſterii. Secundo modo, deſerendo antiquum Monaſterium, & non acquirendo novum: & hoc modo certum eſt non requiri tales conditiones ut ex ſe conſtat. Tertio modo deſerendo antiquum Monaſterium, & in eodem oppido novum ædificando, & de hoc modo loquitur quæſtio, ſupponendo quod de novo erigendum, ſit ædificandum in oppido, vel prope illud,

Triplex modus, quo tranſlatio fieri poteſt explicatur.

quomodo aliis poſſet præjudicium afferre: ſecus autem ſi ad locum deſertum transferretur. ¶ Et adhuc ſupponendo, quod tranſlatio fiat de uno loco in alium intra eandem, vel propè eandem civitatem, villam, vel oppidum, ſi enim tranſlatio fieret ex una civitate, aut oppido, ad aliam, proculdubio requiruntur ad illam omnes conditiones, & ſolemnitates petitæ in decretis Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. de quibus §. 1. loquuti ſumus: quia in illis eſt ſermo de novorum conventuum erectione, ut ex verbis ipſorum liquido conſtat. Quando autem Monaſterium transfertur, ſeu mutatur de una civitate ad aliam, propriiſſimè dicitur, ibi de novo erigi monaſterium, imò novum abſolutè ædificari. Maximè, quia in tali mutatione, ſeu tranſlatione, procedit ratio motiva, propter quam Pontifices prædicta edidere decreta, ſcilicet evitare damnum, ſeu præjudicium aliorum monaſteriorum. Videatur Riccius *in deciſ. Curia Neapolitana deciſ.* 168. Cherubin. *in compend. Bullarii, in conſtitut.* 99. *Clementis VIII. ſchol.* 1. ¶ Quare dubium ſolum procedit, quando jam fundatum in illo oppido Monaſterium deſeritur, & intra illud, vel propè illud, ad alium locum transfertur.

In tranſlatione monaſterii nec licentia Ordinarii, nec aliorum religioſorum conſenſus requiritur.

144. In quo, aliorum placitis relictis, aſſerimus nullam ex dictis conditionibus ad talem tranſlationem requiri (quamvis conſultius ſit illas adhiberi) niſi fortè ratione propinquitatis alteri Monaſterio, quod de novo transfertur, inferret præjudicium: quia tunc iſtud, privilegio cannarum uti poſſet, ad talem erectionem impediendam. Quod autem ſolemnitates prædictæ non requirantur, ut eſt licentia Epiſcopi, & aliorum religioſorum conſenſus. Probatur primo: quia in privilegiis *ſuprà numero* 128. adductis conceditur, & nobis Carmelitis Diſcalceatis à Paulo V. quod cum licentia Ordinarii, non expectato aliarum religionum conſenſu, & à Sixto V. Iulio II. quod etiam abſque licentia Ordinarii, poſſent ubique locorum Monaſteria erigere: & hoc cum revocatione decreti Clementis VIII. Bulla, quæ incipit: *Quoniam ad inſtitutam*, & *capite primo, de exceſſibus Prælatorum in* 6. quæ privilegia licet (ut nos diximus *numero* 125.) revocata, & caſſata ſint ab Urbano VIII. eſt quantum ad erectionem, vel fundationem novi Monaſterii, domus, aut Collegii. Sed quando de uno in alium locum, transfertur Monaſterium jam fundatum, intra eandem urbem; non dicitur novum Monaſterium de novo erigi: ergo pro tali caſu relicta ſunt in ſuo robore dicta privilegia, & minimè revocata. ¶ Secundo (quo præcedens probatio magis roboratur) quia in conſtitutionibus, & decretis Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. nullum eſt verbum denotans, ſub eis comprehendi mutationem, ſeu tranſlationem iſtam, de qua loquimur: quia ſolum eſt in eis ſermo de novorum conventuum erectione, ut patet ex verbis ipſorum *ſuprà* §. 1. adductis: cum tamen de illa expreſſa mentio fieri deberet: quia ſæpius circa ipſam multæ lites, & controverſiæ Romæ apud ſacram Congregationem tractantur.

Ulterius dicta aſſertio probatur.

145. Tertio eadem aſſertio probatur: quia in tranſlatione unius Monaſterii de uno loco in alium intra eandem civitatem, villam, aut oppidum, non militat ratio illa motiva: quia moti ſunt Pontifices ad talia decreta ſancienda, quæ eſt apud homines cavere, ne multiplicatis fundationibus per novas erectiones monaſteriorum, Conventibus, & Eccleſiis antiquis, aliquod præjudicium fiat. Hæc autem ratio ceſſat in noſtro caſu: quia jam ſupponitur fundatum in urbe Monaſterium, & regulares Monaſterii, quod mutatur, ſeu transfertur, habent jus ad commorandum, permanendum, & quærendas eleemoſynas, Miſſas, & alia, in dicta civitate, vel oppido. ¶ Quarto denique: quia ſic declaraſſe ſacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium die 13. Septembris anno 1641. pro Patribus Capucinis, teſtatur Noſter Lezana *tomo tertio, verbo Monaſteria, numero* 33. in qua declarat ſacra Congregatio mutationem ſitus Conventus non eſſe novam erectionem, nec ſubjacere conſtitutionibus Apoſtolicis ſuper erectione novorum locorum editis. Sic Rodriguez *tomo ſecundo, quæſt. regular. quæſtione* 49. *articulo nono*, Lezana *loco citato, & tomo primo, capite nono, numero* 35. Miranda *in Manuali, tomo primo, quæſtione* 33. *articulo ſecundo.* Diana *tertia parte, tractatu ſecundo, reſolutione* 136. Peyrin. *tomo ſecundo, privileg. Minimor. in conſtitut.* 6. *Gregorii XV.* & *tomo tertio, capite undecimo, numero decimo octavo*, Tamburin. *tomo tertio, de iure Abbat. diſputatione quinta, quæſtione prima, num.* 9, & 14. Barboſa *de jure Eccleſiaſt. libro ſecundo, capite duodecimo, numero ſexto*, alter Rodriguez *in compend. reſolutione* 55. *numero quarto*, Pellizzar. *tractatu octavo, capite ſeptimo, ſect.* 2. *num.* 91. Ceſpedes *de exempt. diſput.* 7. Navar. *titul. de ædificatione Monaſter. ſuper Bullas Urbani VIII. num.* 7. & alii.

---

§. IV.

An, & quomodo regulares deſerere poſſint Monaſteria ædificata?

146. EGimus §. *præcedenti* de mutatione monaſteriorum, & ſic de derelictione Monaſterii cum translatione illius ad alium locum: modo de omnimoda illius derelictione, abſque eo, quod ad alium locum ſaltem intra eandem urbem transferatur: & hoc etiam ex jure communi antiquo eſſe prohibitum mendicantibus fieri, abſque expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, conſtat ex *capite primo, de exceſſibus Prælatorum in* 6. *cap. unico, de religioſ. domibus eodem libro*, adjuncta *Clementina cupientes, de pœnis.* Sed extat circa hoc privilegium Sixti IV. conceſſum fratribus Minoribus, quod refert Confectius in *collectan. litterarum Apoſtolicarum Bulla* 12. & Caſarrubius *in compend. verbo ædificare, numero octavo*, his verbis: *Idem Sixtus conceſſit generali fratrum Minorum de obſervantia licentiam, & facultatem, ea loca, quæ fratribus ſuis minus commoda eſſe cognoverit, dimittendi in manibus ordinariorum locorum, & illa licitè deſerendi prout eis viſum fuerit expedire.* Etiam Urbanus VIII. conceſſit Ordini Minorum per Bullam relatam à Peyrio. *tom.* 3. *privil. c.* 12. Quod Generalis dicti Ordinis ſupprimere poſſit Conventus tenues, eorum bona transferendo, cum oneribus annexis, in Conventus majores. Aliam conceſſionem ſimilem priori Sixti IV. factam à Sixto V. Generali S. Bened. in Portugal. refert Rodrig. *quæſt. regul. tom.* 2 *q.* 49. *art.* 2.

Monaſteria dimitti poſſunt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ.

quæ

quæ privilegia aliis communicantur religionibus, cum iſtis communicationem habentibus, ut notat Confectius *in ſum. privil. tit. 18. cap. 3.* Lezana *tom. 3. verbo Monaſteria, n. 43.* ¶ Caſu autem quod Monaſterium aliquod deſeratur à regularibus, & religioſi illius transferantur ad aliud Monaſterium, bona Monaſterii derelicti acquiruntur Monaſterio, ad quod religioſi transferuntur. Si tamen contingat Monaſterium penitus deſtrui, & religioſos peſte, bello, aliave ratione omnino extingui, tunc bona Monaſterii ſubjacent liberæ diſpoſitioni Papæ. Miranda *tom. 1. q. 34. art. 3.* Rodriguez *tom. 3. q. 5. art. 4. & 6.* ¶ Videantur a nobis dicta §. *præcedenti num. 142.*

Quomodo Monaſteria relinquenda, ſint dimittenda in manibus ordinarii?

147. Sed quia in privilegiis *num. præcedenti* adductis ponitur illa clauſula: *Dimittendi in manibus ordinariorum locorum:* Notandum eſt cum Lezana *verbo Monaſteria, num. 44.* Pelliz. *tract. 8. c. 7. ſect. 2. n. 108. verſu an autem regulares?* eſſe talia Monaſteria derelinquenda in triplici differentia. Alia ſunt, quæ ab oppidis, vel urbibus conceſſa fuere regularibus: & de iſtis procedit illa clauſula, quod quando deſeruntur, in manibus Ordinariorum, dimittantur: quia ad illos jure communi pertinent jura Eccleſiarum, & locorum piorum. Alia ſunt, quæ ipſi regulares eleemoſynis acquiſitis, vel propriis redditibus conſtruxerunt, quæ non debent deſeri in manibus ordinariorum; ſed poſſunt illa regulares vendere, alienare, ac commutare, ſervata ſolemnitate pro bonis immobilibus alienandis, de qua latè egimus *hoc tomo tract. 15. de ſtatu religioſo, cap. 7. punct. 2.* Nullo enim jure habetur, quod dicti religioſi teneantur ea, quæ ſua ſunt ab ipſis juſtè acquiſita, ordinario tradere. Alia denique ſunt, quæ ſunt juris Patronatus alicujus Patroni ratione fundationis, conſtructionis, aut dotationis; & tunc diſtinguendum eſt. Vel enim tales Patroni in contractu fundationis retinuerunt ſibi dominium illorum locorum in caſu, quo religioſi illa derelinquerunt, vel non? Si primum; ad Patronos pertinent talia Monaſteria, ſeu loca derelicta. Si ſecundum; idem dicendum eſt ac de locis, ac Monaſteriis eleemoſynis acquiſitis, ac redditibus religioſorum erectis; quod ad ipſos pertinet religioſus de illis, modo quo libuerit, diſponere. Addit Lezana *dicto num. fine.* [Id tamen animadvertendum pro fratribus Minoribus, quod cum ipſa bona in communi non poſſideant, ſicut aliæ religiones poſſident; ideo hujuſmodi Monaſteria, ſeu loca regularia ab illis, vel eleemoſynis, vel è Patronis conceſſa, tranſeunt in dominium, & proprietatem Sedis Apoſtolicæ: & ita poſſe illos uti privilegio adducto, prædicta Monaſteria in manibus Ordinariorum deſerendo; ſiquidem ipſamet Sedes Apoſtolica hoc illis concedit in eodem privilegio. Rodriguez *ſuprà art. 7. §. Quantum autem.* Quod intellige tantum, quantum ad Eccleſias, & oratoria, & cœmeterium: nam quantum ad dormitorium, & officinas, ſeu loca alia Monaſterii, ea pertinent ad Patronos, ſeu fundatores, prout expreſsè habet Nicolaus III. *in cap. exiit, de verborum ſignificatione.*]

Si Monaſterium involuntariè deſeratur, ad ejus erectionem ſolemnitates dictæ non requiruntur.

147. Sed eſt modo difficultas an ſi regulares ſpontè omnino reliquiſſent aliquod Monaſterium, & poſtea illud accipere vellent, neceſſe ſit obſervare ſolemnitates, *num. 129.* aſſignatas? Diximus ſpontè: quia ſi per vim, aut metum injuſtè illatum, regulares ſua loca, vel Monaſteria deſeruerunt, ut contingit in derelictione monaſteriorum in partibus hæreticorum, ut in Anglia, Hybernia, Saxonia, &c. & contingere poſſet tempore belli, peſtis, aut alterius damni imminentis, ad illa recuperanda non requiri prædictas ſolemnitates omnibus eſt notum. Tum, quia decreta illa, & conſtitutiones, ut ex ipſis conſtat, ſolum loquuntur de nova erectione monaſteriorum, non autem de recuperatione illorum, quæ per vim, aut metum ab illis fuerunt ablata, vel ab eis deſerta. Tum etiam: quia ſemper illorum dominium retentum eſt apud religioſos; quia etſi per illam injuſtam ablationem, vel certè derelictione belli tempore privati ſunt illorum poſſeſſione, non vero dominio: ſicuti qui tempore tempeſtatis projicit bona ſua in mari, eorum dominium non amittit, nec ab aliis ipſo invito occupari poſſunt. ¶ Quod intelligitur, niſi Monaſterium, v. g. penitus everſum ſit tempore belli, ita, quod nec fundamenta illius remanſerint: quia tunc Epiſcopi quidem licentia requiritur ad ejus erectionem, ob decretum Concilii Tridentini; quia ſic ædificatio reputatur nova; non tamen vocandi ſunt alii religioſi, aut conſenſus eorum expectandus; cum damnum, aut præjudicium, quod illis fit non ſit novum, ſed jam antiquum. Si tamen penitus everſum Monaſterium non fuerit, quia videlicet ejus fundamenta remanent, cum non ſit nova ædificatio, ſed veteris reparatio; nec Ordinarii licentia requiritur. Ceſpedes *diſp. 10. & 13. n. 3.* Pelliz. *n. 91.*

Nec at Monaſterium ſpontè relictum, reſumatur, non requiruntur dictæ ſolemnitates.

148. Quæritur ergo modo, quando Monaſterium ſpontè à religioſis relinquitur, & poſtea volunt ipſimet regulares recuperare, affirmant in tali caſu requiri ſolemnitates aſſignatas in Tridentino, & conſtitutionibus Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. nimirum, licentia obtenta Ordinarii, & convocatio aliarum religionum, ac earum conſenſus; eo, quod in iſta reaſſumptione Monaſterii militet eadem ratio, ac in ejus nova erectione. Ceſpedes *diſputatione ſeptima,* Cherubin. *in compend. bullar. in Clement. VIII. conſtitut. 99.* Peyrin. *tomo ſecundo, privileg. Minimor. in conſtitut. 6. Gregorii XV. numero ſecundo,* Pellizzar. *ſuprà num. 91.* ¶ Licet oppoſitum teneat idem Pellizzar. *eadem ſectione ſecunda, num. 108. verſu, At difficultas,* cum Lezana *verbo Monaſteria, num. 46.* Rodriguez *quæſtione 49. articulo 9.* Miranda *citat. quæſtione 33. artic. 5. concluſione 1.* Et merito: quia illud non eſt novum, ſed antiquum Monaſterium: & decreta ſupradicta de novis loquuntur erectionibus Monaſteriorum, in quorum erectione prima, ſuperatum eſt illud incommodum, quod aliis ex tali recuperatione ſequi poterat, quod non eſt incommodum, aut detrimentum novum, ſed antiquum. Niſi fortè ex tali erectione novum contingat detrimentum ſupervenire aliis, præter id, quod antiquitus erat: quia tunc neceſſarium erit ſervare dictas ſolemnitates, eo, quod in tali caſu militat eadem ratio, & intentio Summorum Pontificum.

§. V.

Qualiter regulares unire poſſint duo, aut plura Monaſteria, & unum alteri incorporare?

Privilegia conceſſa regularibus, ut unũ Monaſterii alteri poſſint incorporare.

549. CUm ob tenuitatem redditũum, vel eleemoſynarum defectum, vel certè temporum inopia, non poſſunt in Monaſteriis aliquibus commodè, & religiosè regulares vitam tranſigere, diverſa Pontifices conceſſere privilegia Prælatis, ut unum alteri unire poſſint, & redditus, bona, ac proventus prioris, ad poſteriorem transferre, extat ad hoc privilegium Ioannis XXIII. conceſſum Ciſtercienſibus Abbatibus in capitulo generali Congregatis. Quod refert Rodriguez *in bullar. tom.s. Ioan. XXIII. Bull.* & Ioannis à Cruce *de privileg. regul. lib.2.* tenoris ſequentis: *Vt quecumque Monaſteria dicti Ordinis, tam Monachorum, quam etiam monialium, ut quorum facultates, fructus, & proventus non ſufficiunt ad ſuſtentationem tot regularium perſonarum in eiſdem Monaſteriis, quot in eis pro augmento divini cultus, ac Miſſis, & aliis divinis officiis celebrandis ſecundum ejuſdem ordinis ſtatuta requiruntur, aliis Monaſteriis religionis, & ordinis prædictorum pro commodiori ſuſtentatione degentium in eiſdem, & quando pro ſtatu, & quiete hujuſmodi perſonarum ea noveritis expedire, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, unum videlicet, & alteri Monachorum, & aliud alteri monialium Monaſteriis ejuſdem ordinis... Diœceſani loci, aut cujuſcumque alterius ſuper hoc licentia minimè requiſita, liberè, & licite valeatis, non obſtantibus.* &c. Simile huic eſt privilegium Pii II. conceſſum Priori Conventus Valliſoletani, quod refert Rodriguez *in Bull. in Pio II. Bulla* 10. & Peyrin. *tom.s. privileg. Minimor. in conſtitut. 2. Iulii II. num.*80. quo concedit: *Vt duo, vel tria Monaſteria, ſive domos dicti Ordinis, in quibus propter exiguitatem fructuum, redditunm, vel proventuum, tres, vel quatuor Monachi ſuſtentari nequeunt; Abbatum, & conventuum dictorum monaſteriorum, expreſſo ad id interveniente conſenſu uniendi, annectendi, & incorporandi, ac in aliquo ipſorum monaſteriorum, ſive domorum, Monachos uſque ad numerum duodecim conſtituendi, & deputandi... reciòn fructus, & proventus, ac redditus prædictorum omnium monaſteriorum, ut præmittitur uniendorum, quos pro expreſſum habere volumus pro ſuſtentatione Monachorum, in magis accommodis domibus, & Monaſteriis commorantium deputandi, plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem, non obſtantibus.* &c.

Alia ad id privilegia referentur.

550. Etiam Urbanus VIII. Bulla ſupra relata *num.* 146. facultatem conceſſit generalibus Minorum Conventualium, & Minimorum ſupprimendi, & extinguendi conventus tenues, & pauperes; & eorum bona, & onera in alios conventus transferendi. Et Innocentius VIII. conceſſit Prædicatoribus, quod Conventus non valens ſuſtentare octo religioſos, poſſit alteri incorporari per Vicarium Congregationis, ſeu Provincialem cum diffinitoribus; dummodo hoc ſine ſcandalo fiat, & in Eccleſia loci incorporati non ceſſet cultus divinus. Alia diverſa privilegia refert Tambur. *tom.3. diſp.8. per totam.* Sed in iſtis, & aliis privilegiis communicant aliæ religiones, quæ communicationis habent privilegium; cum non ſit ratio quare in aliis, & non in iſtis talis communicatio ſuffragetur. Lezana *tom.3. verbo Monaſteria, n* 41. Sed ad talem reunionem faciendam, nec Epiſcopi licentia requiritur: quia in primò expreſsè excluditur, in aliis tacitè, quando in eis, Prælatis libera, & abſoluta facultas ad hoc conceditur. Sed neque conſenſus, aut beneplacitus Patronorum, qui prædicta Monaſteria ædificarunt, aut dotarunt: quia de his nulla ſit mentio in dictis privilegiis, quamvis obligationem imponant, ut conſtituatur de redditibus Monaſterii uniendi Capellanus, qui exequatur onera à Patronis annexa fundationi, & cætera alia onera Conventus incorporati, cum redditibus, & proventibus tranſeant in Monaſterium, cui unitur. Pelliz. *tract.*8. *c.7. ſect.5. n.*109.

Bona monaſteriorum monialium, quæ deſtituũtur, fratribus ſui Ordinis applicantur.

155. Sed notandum eſt bona monaſteriorum Monialium, quæ omnino deſtituuntur, applicanda ſunt Monaſteriis Fratrum, quibus dictæ moniales erant ſubjectæ, ut conceſſit nobis Carmelitis Sixtus IV. in Bulla: *Dum attenta meditatione*, quæ eſt mare magnum Ordinis, illis verbis: *Cum aliquando contingat Monaſteria monialium dicti Ordinis monialibus deſtitui, adeo, ut de earum reformatione ſpes nulla ſuperſit, conveniensque ſit, quod illorum ſic deſtitutorum bona ad ipſos fratres deveniant, quorum erant curæ commiſſa. quam ad alios illa, quæ ſic deſtituta extant, & deſtitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus, perpetuis uſibus fratrum domus dicti Ordinis eiſdem deſtitutis Monaſteriis propinquioribus applicamus. Ita ut fratres ipſi poſſint de illis, & de eorum monaſteriorum ſtructuris, & ædificiis, pro eorum voluntate diſponere. Proviſo, quod illorum Eccleſiæ, & oratoria ad profanos uſus non redigantur, ſed in illis quandoque divina officia celebrentur.* Hæc ultima clauſula eſt conformis ſacris Canonibus, *cap. quæ ſemel* 19. q. 3. juxta ſupradicta *n.*145. Dictam Sixti IV. Bullam referunt Pellix. *ſup. n.*508. Lezana *tom.s. p.s. c.*25. *n.*48. & *tom.2. c.*19. *n.*50. Idem conceſſiſſe eundem Sixtum IV. bulla 33. Prædicatoribus teſtatur ex illis frater Ioannes à Cruce *de privil. lib.s. c.9. dub.2. concl.s.* ubi addit eundem Sixtum IV. Bulla 14. Minoribus conceſſiſſe, bona monaſteriorum monialium deſtructorum ipſis ſubjectarum, licet non ſint ſui Ordinis, applicanda eſſe Minoribus vicinioribus.

PUNCTUM V.

De privilegiis eligendi judicem conſervatorem, regularibus conceſſis.

Quid ſit Cõſervator, & ob quam rationem ſit conceſſus?

152. COnſervator, ut in præſenti accipitur: *eſt judex à Papa delegatus, ad tuendos regulares ab injuriis illis illatis, illorum bona, jura, & privilegia defendendo.* Dicitur *delegatus*: quia Conſervator ex jure communi non eſt judex ordinarius, cum juriſdictio illi conceſſa, non competat ratione officii, ſed delegationis. Quod intelligendum eſt, niſi in Bulla conſervatoria expreſsè concedatur, ut conſervator tanquam judex ordinarius procedat: quod de conſervatoribus religionum, ob earum privilegia competere, infrà dicemus. Dicitur à Papa *delegatus*, vel conſtitutus: quia ſolius Summi Pontificis eſt, hos judices conſervatores inſtituere, ſeu ad illos inſtituendos facultatem præbere: quòd nec Nuntius, nec Legatus à latere facere poteſt. Additur denique: *ad*

tuendos

tuendos, *&c.* quia hic eſt finis per ſe intentus in conſtitutione conſervatorum; ob idque *defenſores* etiam vocantur. Cum enim Religioſi in ſuis cauſis cum ſæcularibus perſonis, & aliis extraneis, nullum habeant judicem præter Summum Pontificem, ad quem immediatè recurrere magni eſt detrimenti, & incommodi tam ipſorum, quam aliorum, qui cum regularibus, quandoque lites habent, ideo Summi Pontifices, ut huiuſmodi incommodis occurrerent, pro eiſdem regularibus judices Conſervatores ſtatuere, qui eos defenderent à manifeſtis iniuriis: & ex hoc conſervatores vocantur, *cap.1. & final. de Officio iud.cis deleg. in 6.* Materiam iſtam pro praxi adeo neceſſariam aliqui nimis breviter percurrunt, alii latiſſimè pertractant; media via incedimus, in tres §§. Punctum iſtud dividentes. In primo privilegia eligendi Conſervatores proponemus, & modum, & formam talis electionis explicabimus. In ſecundo qualitates pro eligendis in Conſervatores in jure, & privilegiis requiſitas. In tertio amplitudinem poteſtatis, ac juriſdictionis illorum ponderabimus.

---

§ I.

Diverſa proponuntur privilegia, pro Conſervatoribus eligendis, qualiter deſignati teneantur electionem acceptare, & modus, quo eligendi ſunt, explicatur.

Privilegia pro eligẽdis judicibus conſervatoribus, proponuntur.

153. OMnes regulares utriuſque ſexus habent à Sede Apoſtolica facultatem nominandi, ac deſignandi judices Conſervatores, qui ipſorum publicent privilegia, ac eiſdem Religioſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant, & faciant eos gaudere privilegiorum ſuorum pacifica poſſeſſione, non permittentes per alios quoſcumque moleſtari, & adverſus moleſtatores per cenſuras procedendo; & ſi opus fuerit invocando auxilium brachii ſæcularis. Sic enim conceſſit nobis Carmelitis Sixtus IV. in celebri illa bulla. *Dum attenta*, quæ eſt mare magnum Ordinis, & idem eundem Sixtum IV. conceſſiſſe quatuor Ordinibus Mendicantibus, teſtatur Rodriguez *tom.1. qq. regular. quæſt.65. art.5.* Specialiter hoc habent Patres Dominicani à Pio V. bulla *Ad hoc nos Deus*, in compend. Prædicatorum, ut teſtatur M. Fr. Ioannes à Cruce *tract. de privileg. lib.x. cap.10. initio*, & Iulius II. in bulla *Alias venerabilem*, anno 1507. edita. Idem conceſſit Ordini Minimorum, teſte Laurent. Peytin. *tom.1. privileg. Minimor. ad conſtitut. Iulii II. num.4.* Idem eiſdem Minimis conceſſit Clemens VII. bulla *Conqueſtionem*, anno 1524. Ampliſſimam etiam circa hoc conceſſionem fecit Greg. XIII. Societati Ieſu in bulla: *Æquum reputantes*, quæ eſt inter bullas huius Pontificis *in 4. tom. bullar. num.1.* De aliis etiam privilegiis circa hoc Ordinibus conceſſis, latè agit Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.106. à num.5.* Sed hæc modo recenſuimus, quia ad illa multoties toto hoc puncto recurremus. ¶ Sed in omnibus dictis privilegiis, & aliis, quæ prætermittimus, communicant omnes Religiones, quæ privilegium habent communicationis cum aliis, uti docet Lezana *tom.1. part.1. cap.3. num.17. & part.3. cap.10. num.5.* & ſupponit Ioannes à Cruce *lib.2. cap.10. per totum*; ac ſic eſſe deciſum à Sacra Congregatione teſtatur Barboſa *in collect. bullar. verb. Conſervator.*

Conſervatores electi tenẽtur ſuã electionem acceptare.

154. Conſervatores autem electi à regularibus ex vi horum privilegiorum, niſi Religioſi fuerint, tenentur ſub peccato mortali hoc munus acceptare; ob ſpeciale mandatum Summorum Pontificum, qui id ipſis præcipiunt ſub graviſſimis pœnis. Nam Iulius II id præcipit ſub pœna excommunicationis. Pius V. idem jubet ſub excommunicationis, & ſuſpenſionis pœna, latæ ſententiæ ſoli Papæ reſervatæ. Rodriguez *qq. regul. tom.1. q.65. art.4.* Pellizzat. *tr.8. cap.8. sect.4. num.97.* Portel. *in dub. regul. verb. Conſervatores, num.3.* N. Antonius à Spiritu ſancto *tract.2. de privileg. diſp.1. ſect.4. num.268.* Peytin. *tom.1. privileg. Minimor. conſtitut.4. Iulii II. n.30.* Lezana *tom.1. part.3. cap.10 num.18* ¶ Diximus *niſi regulares fuerint.* Nam iſti ex privilegio ſpeciali ipſis conceſſo, non tenentur acceptare judicaturas, vel commiſſiones à Sede Apoſtolica injunctas. Ita conceſſit Carmelitis Sixtus IV. bulla 37. Prædicatoribus Honorius V. bulla 6. Minoribus Gregorius IX. bulla 2. & Cœleſtinis, ac Benedictinis Eugenius IV. illis in bulla 7. iſtis in bulla 9. ut teſtatur Doctiſſimus Dominicanus Ioannes à Cruce *tract.1. de privil. lib.x. cap.10. dub.1. concluſ.3.* ¶ Nobis autem Carmelitis Excalceatis prohibetur Conſervatoris judicis vice fungi, niſi ex mandato expreſſo Summi Pontificis, ſub pœna privationis ab officio, & vocis, ac loci per ſex menſes, in noſtris conſtitutionibus, ab Alexandro VII. confirmatis *3. part. c.13. n.5.*

Semel uno electo Conſervatore, non poteſt pro illa cauſa alius eligi.

155. Semel autem deſignato Conſervatore pro una cauſa, eoque acceptante, non poteſt alius pro eadem cauſa nominari: quia jam talis nominatus authoritatem habet à Sede Apoſtolica pro illa cauſa. Qua privari non poteſt, niſi gravi ratione de novo urgenti, vel ſi nominatus infirmitate, aut alia juſta cauſa impediatur à proſecutione talis cauſæ, vel ſi nolit, aut malitioſe in ea procedat. A Cruce *dub.1. concl.4.* Lezana *numero 19.* Antonius à Spiritu ſancto *num.208.* Rodriguez *tom.1. quæſt.65. art.1.* ¶ Ex privilegiis autem ſupra relatis, ſpecialiter ex privilegio Pii V. bulla 28. pro Prædicatoribus, & Gregor. XIII. bulla 18. pro Ieſuitis, quilibet Conſervatorum poteſt proſequi articulum per alium inchoatum, licet qui inchoavit, nullo ſit Canonico impedimento præpeditus.

Iudex Conſervator regularium poteſt aliis ſuas vices præbere.

156. At ipſe judex Conſervator licet ex jure communi non poſſet alteri ſubdelegare *ex cap. final. de officio deleg. in 6. ut num.152.* dicebamus, exceptis citationibus, & ſententiarum denuntiationibus, niſi aliter eis committatur. Sunt enim judices delegati, & tales ut in dicto *cap. final.* dicitur: *Vices ſuas nulli alio committere poſſunt, niſi hoc eis competierit ex beneficio litterarum.* Cæterum attentis ſupra relatis privilegiis, id manifeſte poſſunt: quia in eis conceditur facultas ad delegandum ſuam juriſdictionem, & authoritatem, ut patet ex bulla Sixti IV. pro Carmelitis, illis verbis: *per ſe, vel alium, vel alios, &c.* & Clementis VII. pro Minimis: *per vos vel alium, ſeu alios.* Quod idem habet Gregorius XIII. pro Ieſuitis; imo ibi expreſsè eos judices ordinarios appellat: & merito. Nam dantur ad univerſitatem cauſarum, ut patet ex illis verbis Sixti IV. pro Carmelitis: *In quibuſcumque cauſis per eos promovendis*, quacumque ratione. Quod idem habet Clem. VII.

pro Minimis, Pius V. pro Dominicanis,& Gregorius XIII. pro Ieſuitis : judex autem ad univerſitatem cauſarum, ordinarius eſt, ut tradit Gloſſa *cap. cum cauſam, de appellationibus*; & ſic poteſt ſubdelegatos creare, aliiſque ſuas vices committere; dummodo iſti habeant omnes conditiones, quas pro judicibos conſervatoribus neceſſarias eſſe dicemus, *§. ſequenti.* Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 8. *ſect.* 4. *num.* 81. *&* 106. Peyrin. *tom.* 1 *privilegior. conſtit.* 5. *Gregor. IV.* §. 1. *num.* 2. Tambur. *de iure Abbatum, tom.* 3. *diſp.* 17. *quæſt.* 1. *num.* 6. Bordon. *tom.* 3. *reſolut.* 95. *num.* 9. Moneta *de Conſervatorib. cap.* 7. *quæſt.* 2. *num.* 58. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 65. *art.* 10. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 106. *num.* 2. *&* 3. Lezana *tom.* 1. *part.* 3. *cap.* 10. *num* 25. *&* 26. qui bene advertit hinc ſequi non eſſe neceſſarium, quod in citatione ingerant litteras Conſervatorias; ſed ſufficiet inſtar aliorum judicum ordinariorum, quod de eis conſtet in actis Notarii Curiæ ordinarii.

Morte Pontificis non expirat facultas Conſervatoris.

157. Licet dentur plures authores aſſerentes officium Conſervatoris extingui, & expirare per obitum Papæ concedentis, quoad negotia non cœpta; eo, quod Bonifacius VIII. *in cap. final. de offic. iudicis delegati in* 6. dicat : *Officium quorumcunque Conſervatorum, quoad non cœpta negotia per obitum concedentis expirare:* quam conſtitutionem Gregorius XV. in bulla, quam multoties hoc puncto infra adducemus, innovavit, & confirmavit, quod eſt conforme juri communi, ſecundum quod facultas delegati, re integra, ſeu in cauſa non cœpta, amotione, aut morte delegantis expirat. Ita Chokier *de iuriſdict. Ordinar. in exempt. part.* 1. *quæſt.* 39. *num.* 14. Barboſ. *de officio, & poteſtat. Epiſcop. allegat.* 106. *num.* 50. ¶ Cæterum ſi attendamus ad privilegia ſupra adducta Religionum, non ceſſat munus Conſervatorum ob mortem Pontificis, quia eliguntur virtute conceſſionis factæ Religionibus, quæ eſt perpetua : & ſic talis facultas, & privilegium eſt reale, non perſonale. In illo autem *cap. final.* ſermo eſt de Conſervatoriis perſonalibus, conceſſis privatis perſonis; non de realibus conceſſis religionibus, quæ ſunt perpetuæ. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 65. *art.* 6. Miranda *in Manual. tom.* 2. *q.* 47. *art.* 6. Lezana *tom.* 1. *part.* 3. *cap.* 10. *num.* 20. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 2. *diſput.* 1. *ſect.* 4. *num.* 209.

Modus quo ſe debēt cōſervatores habere, in ſumēdis aſſeſſoribus, Notariis, & teſtibus.

Sed inquires primo : quando, & quomodo Conſervatores judices regularium in cognoſcendis cauſis ipſorum, poſſunt adhibere Aſſeſſorem, Notarium, & teſtes? Reſpondetur ex Pellizzar. *ſup. num.* 112. N. Lezana *num.* 77. quod Bonifacius VIII. *in citato cap. final. de offi. deleg. in* 6. quod confirmatur, & innovatur per conſtitutionem Gregorii XV. infra adducendam obſervare jubet id, quod ipſe aliàs præceperat de judicibus delegatis, *in cap. ſtatutum de reſcriptis in* 6. ubi ſic dicitur : *Aſſeſſorem autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, niſi eo indigeat, quod conſcientia relinquitur eiuſdem, ſibi nequaquam adiungat; alioqui de ſuo proprio teneatur providere eidem. Si autem indigeat, ipſum neutri parti ſuſpectum aſſumens, ei de competenti ſalario, provide moderando ab eo, faciat à partibus communiter providere. Notarium vero, vel notarios in cauſa ſibi commiſſa ſcribentes, qui plurimum in exigendo ſalario metas rationis excedunt (ut ad ipſius expectat officium) prudenter refrenet. Nec cum ipſis, aut cum Aſſeſſore præfato lucrum participet ullo modo. Si quid autem contra conſtitutionem præſentem receperit, ad ipſius reſtitutionem integram teneatur, nulla eorum quibus reſtitutio facienda fuerit remiſſione nullatenus profutura eidem. Proferendo quoque teſtimonio (prætextu cuius aliquis alios fraudulenter interdum à judicibus vocari procurant, ut eos laboribus, & expenſis fatigent, aut extorqueant aliquid ab eiſdem.) Nullum ullatenus convocet, niſi quando conditio, & ſtatus eas requirent. Sed nec tunc (niſi à producente) competenter vocato pro teſtimonio veniendo, & redeundo faciat miniſtrari expenſas. Quidquid autem contra præmiſſa, vel eorum aliquid contigerit attentari, ſit ipſo jure irritum, & inane.* Hactenus Pontifex Bonifacius.

Eligere Cōſervatorem pertinet ad Prælatum regularem.

158. Inquires ſecundo ad quem pertinet Conſervatorem nominare, ſeu deſignare? Aliqui dicunt hoc privative non competere Prælatis, ſed ipſis cum ſuo capitulo, ſeu communitate, cujus conſenſu debet eligi, ſeu deſignari, quia eligitur in favorem totius Monaſterii : ergo ad ejus electionem totius Conventus debet concurrere, ſecundum illam regulam : *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* Sic Bordonus *tom.* 3. *reſolut.* 95. *num.* 16. Pellizzar. *tr.* 8. *cap.* 7. *ſect.* 4. *num.* 86. ¶ Verum licet hoc ita ſit ſtando in jure communi; at ſecundum privilegia ſuperius relata, quæ ampliſſima ſunt, poſſunt omnes Prælati, etiam locales, imo ſinguli Religioſi particulares, nominare ſibi judices conſervatores, uti ex conceſſione Sixti IV. pro Carmelitis. Pii V. pro Prædicatoribus, Iulii II. pro Minimis, & Gregorii XIII. pro Ieſuitis, probant Lezana *ſupra num.* 80. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 198. Ioannes à Cruce *lib.* 2. *cap.* 10. *initio.* ¶ Electus autem in Conſervatorem tenetur oſtendere ordinario ſuam facultatem; quia ſic decrevit Greg. XV. in ſua conſtitutione illis verbis : *Eiuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum penes acta Curiæ ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur.* Lezana *num.* 85. Peyrin. *tom.* 2. *privileg. Minim. conſtit.* 5. *Gregorii XV. num.* 39.

Forma eligendi iudicē Conſervatorem.

159. Inquires tertio, quæ forma adhiberi poſſit à regularibus, ad eligendum, vel reſtituendum judicem Conſervatorem? Reſpondetur, quod ſub his, vel ſimilibus verbis, mutatis alias mutandis, talis electio, ſeu conſtitutio fieri poteſt. Quæ proponit Laurent. Peyrin. *in ſuo formulario, in litt. C, cap.* 20. [Frater, N. Ordinis, N. Generalis (vel ſi Prior fuerit, Conventus N. Prælatus) Domino N. ſalutem in Domino. Sedes Apoſtolica regularium perſonarum, quæ relicto ſæculo Dei ſeſe obſequio manciparunt, quieti, ac tranquillitati conſulere cupiens, ad ea, quæ Religioſum eorundem propoſitum impedire poſſunt, removenda ſolicitè ſemper, ac paternè intendit. Contuens igitur refrigeſcente charitate ſic complurium iniquitatem abundare, ut ſuccenſa, veluti ignis, eorum impietas, contra Eccleſias, ac regulares perſonas eo validius inflammatur, quo eas infirmiores eſſe, vel qui eaſdem tueantur rariores cernit comperiri : hujuſmod moleſtatoribus, præſumptoribus, atque iniurioſis hominibus ſeſe apponere, eorundemque temeritatem compeſcere, quam maxime cupiens, viros gravitate, authoritateque præcellentes, necnon in eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, qui eas ab apertis iniuriis & vexationibus tuerentur in protectores conſervatoreſque eligendi facultatem, gratioſè conceſſit, ac liberaliter impertivit. Quo ſane beneficio noſtræ Provinciæ (vel noſtri Monaſterii) fratres frui

per

per optantes, veſtræ dominationis pietati, virtuti, doctrinæ, ac zelo, necnon in agendis prudentiæ ſummopere fidentes, unanimi voce, ac ſuffragio pro tali negotio conſervatorem libentiſſimè elegerunt: quatenus videlicet juxta canonicas ſanctiones, ſibique ab Apoſtolica Sede conceſſa privilegia, efficacis ſuæ defenſionis præſidium, ut res poſtulaverit, eidem præſtare, ac exhibere non dedignetur. Quamobrem præſentium tenore, ac vi præfatam dominationis veſtræ electionem notam facimus, eandemque quantum officii noſtri ratio poſtulat laudamus, approbamus, & confirmamus cum omni ea authoritate, & poteſtate, qua juxta canonicas ſanctiones, & noſtri Ordinis privilegia, regularium ordinum Conſervatores frui valent, ac gaudere. In quorum fidem, &c.

---

§. II.

Quas qualitates debent habere, qui ſecundum prædicta privilegia, & ſanctiones Apoſtolicas inſtitui poſſunt iudices Conſervatores?

Qui poſſint eligi in conſervatores recenſentur.

160. QUæcumque perſona in Eccleſiaſtica dignitate conſtituta poteſt eligi in iudicem conſervatorem; uti ex omnibus privilegiis §. *præcedenti* relatis conſtat. Cum autem dignitas ſit adminiſtratio rerum cum juriſdictione, in quo differt à *perſonatu*, qui eſt præeminentia, ſeu præcedentia ſine juriſdictione: ideo omnes illi, qui talem adminiſtrationem, cum iuriſdictione habuerint, eligi poterunt in conſervatores: ut Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, Abbates, qui omnes in dictis privilegiis exprimuntur. Imo etiam Domini Cardinales, qui quamquam ſpecialiter non nominentur in illis, eum tamen habeant maximam dignitatem, inter dignitatem Eccleſiaſticam habentes, debent enumerari. Lezana *tom.1.p.3.c.10.n.12.* Moneta *de Conſervatoribus,c.5.q.3.num.3.* Peyrin. *tom.2.privileg. Minim.in conſtit.5.Gregorii XV.§.2.n.12.* ¶ Etiam Vicarii generales Epiſcoporum, & eorum officiales generales ubilibet conſtituti, poſſunt ex vi prædictorum privilegiorum judices Conſervatores eſſe, ut expreſſe habetur in illis. Etiam Archidiaconi, Archipresbyteri, Præpoſiti, Decani Eccleſiarum; ſiquidem hi omnes habent dignitatem Eccleſiaſticam. Imo Canonici cujuſcumque Eccleſiæ Cathedralis eſto Canonicatus, nec dignitas, nec perſonatus eſſet. Nam in bulla Sixti IV. pro Carmelitis, Clem. VII. pro Minimis, Pii V. pro Dominicanis, & Gregorii XIII. pro Ieſuitis expreſſe dicitur poſſe Canonicos Eccleſiarum Cathedralium in Conſervatores nominari.

Canonici Eccleſiarum Collegiatarum non poſſunt inſtitui conſervatores.

161. Sed licet Canonici Eccleſiarum Collegiatarum forſan poſſent olim propter aliqua regularium privilegia in conſervatores eligi; modo tamen id fieri non poteſt, ſed neceſſe eſt tales Canonicos Eccleſiarum Cathedralium exiſtere: quia Clemens VIII. in conſtitut. facta anno 1592. & habetur *in tom.3.bull. inter conſtitutiones huius Pontificis, n.3.* & apud Barboſ. *de offic.& poteſt.Epiſc.alleg.106.n.54.* declaravit nullas eſſe omnes, & quaſcumque in judicem conſervatorem deputationes, qui qualitates non habeterent requiſitas à Bonifacio VIII. in conſtitutione, quæ incipit *ſtatutum*, & habetur *in c.11.de reſcr.pt.in 6.* Inter quas una eſt: ſancimus igitur, ut nullis niſi dignitate prædìtis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, cauſæ authoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum eiuſdem de cætero committantur. Quod idem habet Gregorius XV. in conſtitutione. *Sanctiſſimus*, anno 1621. edita, quæ habetur *in 4.tom.bullar. inter conſtitutiones huius Pontificis, num.9.* & apud Peyrin. *tom.2. privil. Minim. inter conſtitut. hujus Pontif.num.5.* & apud Bordon. *tom.3. reſolut. 95. num.4.* Barboſa *ſup. num. 55.* ubi etiam renovat conſtitutionem dictam Bonifacii VIII. quæ incipit *Statutum*, & renovat omnia privilegia, conceſſiones, & indulta in contrarium. Et ita tenent Bordon. *ſup.n.15.* Peyrin. *§.2.n.10.* Barboſ. *alleg.106.n.12.* Moneta *de Conſervator. cap.5. q.8. à num.118.* Lezana *ſup.num.52.* ¶ Priores tamen, Archipresbyteri, vel aliæ dignitates dictarum Collegiatarum eligi poterunt in Conſervatores: quia jam ſunt perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ. ¶ Et etiam eligi poterunt in Conſervatores, perſonatus habentes, etſi dignitatem non habeant: quia licet in virtute privilegiorum §. *præcedenti* propoſitorum non poſſent, poſſunt tamen ex vi trium modo propoſitarum conſtitutionum Bonifacii VIII. Clementis VIII. & Gregorii XV. cum in eis expreſſe dicatur, *vel perſonatum obtinentes.*

Non poteſt eſſe Conſervator ſui conſervatoris.

162. Nemo autem poteſt eſſe Conſervator ſui Conſervatoris, ex jure communi; quod aliqui Prælati non attendentes, munus Conſervatorum ad invicem exercebant. Nec habere poteſt pro Conſervatore eum, qui eſt ſub eius juriſdictione, dominio, vel diſtrictu Eccleſiaſtico, vel temporali, regibus, & regnis exceptis. Quod totum deciditur *in cap.ultim.de offic. & poteſtat. iudic. delegat. in 6.* Barboſa *num.14.* Lezana *num.21.* Pellizzar. *tract.8.cap.7.ſect.4. num.91.* ¶ Controverſiæ autem ortæ inter Conſervatores, & ordinarios ſuper competentia juriſdictionis, per arbitros in forma juris electos decidendæ ſunt, & interim in cauſa non eſt procedendum: ſic enim ſtatuitur in Tridentin. *ſeſſ.14.cap.5.* & in conſtitut. dicta Gregor. XV. ſic habetur: *Si qua vero inter iudices Conſervatores huiuſmodi, & locorum Ordinarios controverſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos ſuper iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum.*

Prælati regulares poſſunt inſtitui Conſervatores.

163. Sed eſt modo prima difficultas, an Prælati regulares immediati, ut Priores, Guardiani, &c. poſſint eligi in judices Conſervatores? Reſpondetur, poſſe, tam ex jure communi, quam ex privilegiis: qui ſunt perſonæ in dignitate conſtitutæ; eſt enim dignitas eorum munus, cum habeat adminiſtrationem, cum juriſdictione, tam in foro interno, quam externo. Quibus accedit, quod in privilegio Clementis VIII. pro Minimis, prædictæ litteræ Conſervatoriæ dirigantur etiam ad Priores. Rodriguez *quæſtionum regularium, tom. 1. quæſt.65. art.3.* Peyrin. *tom.2. privileg. Minimor. in conſtitut.5. Gregorii XV. §.2.num.11.* Tambur. *tom.3.diſputat.17. quæſt.4. num.1.* Bordon. *tom.3. reſolut.90. num.15.* Lezana *tom.1.part.3. cap.10. num.14.* Pellizzar. *num.90.* Fragoſo *2.part. lib.4. cap.12. §.1.num.3.* Ioannes à Cruce *dub.1. concluſ.2.*

*cluſ.*2.Antonius à Spiritu ſancto *ſect.*4.*num.*201. Imo etiam Vicarii Conventuum non habentium Priores, poſſunt eligi, quia ſunt in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti. Ioannes à Cruce, cum Sylveſtro *verb.delegatus, num.*3. Rodriguez *art.*5. ¶ Et idem, quod de Prælatis diximus, dicimus de Diffinitoribus; licet enim eorum munus non ſit dignitas, quia non habet adminiſtrationem, eſt tamen *perſonatus*, quia habet præeminentiam, ſeu præcedentiam: *perſonatus* autem, ut diximus *num.*160.*fine*, inſtitui poſſunt conſervatores. Lezana *in Conſiliis, conſil.*40.*n.*86. & hic *c.*10.*n.*51. Ant. à Spir. S. *n.*201. Sed illi regulares, qui Superiores, Vicarii, ſeu Priores clauſtrales vocantur, quique in ſuis Monaſteriis habent ſupra ſe alium Superiorem, nequeunt conſervatores inſtitui, ut recte docet Tambur.*ſup.q.*4 *num.*7.citatis Rodrig. Miranda, Moneta, & Peyrin.

Decretum Côcilii Tridentini de eligendis judicibus ſynodalibus.

164. Secunda difficultas eſt, an præter ſupradictas conditiones requiratur, ut aliqui eligantur in conſervatores, quod prius fuerint electi in judices Synodales in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis ſecundum præſcriptum Concilii Tridentini *ſeſſ.*25.*de reformation. cap.*10. Pro quo ſupponendum eſt dictum Concilium in eo loco hæc habere: *Statuit ſancta Synodus in ſingulis Conciliis Provincialibus aut diœceſanis, aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta conſtitutionem Boniſacii VIII. quæ incipit ſtatutum, & alioquin ad id aptas deſignari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam poſt hac cauſæ Eccleſiaſticæ, ad ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ, committantur. Et, ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio capituli alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum: ita ut habeat quæque Diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac ut ſupra, qualificatas, quibus hujuſmodi cauſæ à quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam a Sede Apoſtolica committantur.* Hactenus Concilium. Et tales deſignatæ à Synodo perſonæ judices ſynodales appellantur. Quæritur ergo modo an inſtituendi in judices Conſervatores, debeant eſſe ex his, qui in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis in judices ſynodales aſſignantur, & non alii?

Secundum conſtitutiones Clemêtis VIII & Greg. XV. non poſſunt eligi in Côſervatores, niſi judices ſynodales.

165. Ad hoc dicimus omnino hoc requiri ſecundum conſtitutiones Clementis VIII. Gregorii XV. quas *num.*161. adduximus: quia in illis cum revocatione omnium in contrarium privilegiorum, decernitur prædictus Conſervatores debere eſſe ex iis, qui electi ſunt, & deſignari in judices ſynodales in Conciliis Provincialibus, ac Diœceſanis juxta decretum Concilii Tridentini: & ſi quæ litteræ aliter expediantur, illæ ac deputationes ejuſmodi omnino, & exinde ſequenda nullius ſunt roboris, vel momenti. Addit Gregorius XV. *Qui ſecus, quam juxta formam ſuperius præſcriptam, Conſervatores hujuſmodi cum effectu eligere, ſeu electis, aut deputatis uti auſi fuerint, regulares quidem voce activa, & paſſiva ſint ipſo iure privati, adeo, ut habilitationem a nemine præterquam à Romano Pontifice conſequi valeant: &, prædictorum omnium Conventus, ac Monaſteria, ac loca hujuſmodi, eorumque perſonæ, ac bona careant Conſervatore ad annum, ita ut illorum cauſæ inter cauſas coram locorum Ordinariis dumtaxat cognoſci, ac definiri debeat.* Et ut ex his perſonis dentur plures, qui in Conſervatores eligi valeant, ſic proſequitur: *Sanctitas ſua admonitos voluit omnes locorum ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, ac diœceſanis quamplures perſonas ex habentibus qualitates, in prædicta conſtitutione ejuſdem Boniſacii contentas, & alioqui ad id aptas deſignare procurent. Et, ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum, uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum.*

Aliud decretū circa hoc à Gregorio XV. editum, recenſetur.

166. Et ut certo conſtare poſſet de Conſervatoribus a regularibus electis, ad tollendas omnes fraudes, quæ in hoc poſſent accidere, addit idem Gregorius XV. *Statuit, ut regulares, ac perſonæ hujuſmodi in Italia infra duos, extra Italiam infra ſex menſes à die publicationis in urbe præſentes conſtitutiones inchoandas, debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere conſervatores, juxta formam ſuperius propoſitam, ejuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus hujuſmodi, penes acta Curiæ ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioqui eo termino elapſo quandiu conſervatores ſecundum præſentis conſtitutionis non elegerint, coram eiſdem Ordinariis conveniantur. Quod quis Conſervatores hujuſmodi ſemel legitimè deputati, niſi ex legitima cauſa à Sede Apoſtolica, ac locorum Ordinariis, prout eiſdem regularibus libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis amoveri, aut mutari nullatenus poſſit, aut valeant.* Poſtea nihilominus declaratum eſt à Sacra Congregatione prout refert Barboſa *in collect. bullar. verbo regulares* 1. Lezana *num.*58. & Antonius à Spiritu ſancto *num.*205. regulares, qui in tempore eis à Gregorio XV. præfixo Conſervatores eligere non curaverint, dicto tempore elapſo, quandocumque eis libuerit eos eligere poſſe. Ita omnes, qui poſt dictas conſtitutiones Clementis VIII. & Gregor. XV. ſcripſere, ut videre eſt apud Lezanam, Bordon. Peyrin. Barboſ. Monetam, & alios.

Ex conſuetudine in Hiſpania poſſunt inſtitui Conſervatores, qui nō ſunt judices ſynodales.

167. Cæterum cum in ſingulis regnis Hiſpaniæ nullibi ab Epiſcopis videamus ſynodales judices deputari, quin potius ad cauſas, & caſus particulares paſſim eligantur, qui habent qualitates de jure communi, nimirum quod ſint in dignitate Eccleſiaſtica, vel perſonatu conſtituti, quorum munus finita cauſa expirat, & ſi nova ſuboriatur, novus vel idem inſtituitur; non videntur dictæ conſtitutiones Clementis VIII. & Gregorii XV. in hac parte uſu receptæ in Hiſpania. Quin potius contrario uſu abrogatæ, ut videtur tenere Diana, quem refert, & ſequitur N. Antonius à Spiritu ſancto *tract.*2.*de privileg.diſp.*1.*ſect.*4.Peyrin.*ad conſtit.*5. *Gregorii XV.* §.1 *n.*1.Lezana *in Conſiliis conſil.*40. *num.*58.& *num.*110.*fine*, refert quandam bullam Innocentii X. die 14. Maii expeditam an. 1648. in qua hoc punctum videtur deciſum. Ideo modo in Hiſpania eligi poſſunt in Conſervatores, qui conditiones ſupra relatas habuerint, etiamſi non ſint ex judicibus ſynodalibus: nec neceſſum erit ad quinquennium eſſe dictos conſervatores electos; ſed eligi, & inſtitui poſſunt prout caſus, & neceſſitates occurrentes poſtulaverint; dummodo conditiones ſupradictas habuerint, & ea quæ dicemus, §.*ſeq.*obſervaverint.

§. III.

§. III.

Ad quid ſe extendat poteſtas, & juriſdictio judicum Conſervatorum.

Ampliſſima Conſervatorum juriſdictio declaratur.

168. CONſervatorum juriſdictio, & authoritas tanta eſt, ut impediri non poſſit ab Ordinariis, Nunciis, aut Legatis etiam de latere; ſed in cauſis eiſdem commiſſis majores ſunt prædictis Ordinariis, aut Legatis, ut colligitur *ex cap.2. de poteſt. jud. deleg. in 6.* Quare contra prædictos, & etiam Nuntios Apoſtolicos, tueri ſe poterunt regulares, per ſuos Conſervatores. Sanchez *tom.2. conſil. lib.2. cap.9. dub.6. num.4.* Lezana *tom.1. part.3. cap.10. num.34.* & poſſunt procedere per cenſuras Eccleſiaſticas, excommunicationem, interdictum, & ſuſpenſionem contra ſibi inobedientes. Tum ex jure communi, *cap. ſane 2. de poteſt. judicis deleg. cap. authoritate, de privileg. in 6.* Tum etiam: quia ſic habetur expreſsè in privilegiis conſervatoriis Religionum, ut patet ex bulla Sixti IV. pro Carmelitis, Clementis VII. pro Minimis, Pii V. pro Dominicanis, & Gregorii XIII. pro Jeſuitis. Azor *tom.2. lib.5. cap.35. quæſtione 10.* Barboſ. *de offic. & poteſtat. Epiſcop. allegat.106. num.36* Peyrin. *tomo ſecundo, privileg. Minimorum, conſtitut. 5. Gregorii XV. §.6. numero 45.* Bordon. *tomo tertio, reſolut.95. numero 14.* Pellizzar. *tractatu 8. capite ſeptimo, ſect.4. numero 119. & 131.* Qui advertunt, quod quando contra Epiſcopos procedendum eſt, adhibere debent diligentiam, ut cum omni modeſtia, patientia, & reverentia ſe gerant. ¶ Et notandum eſt cum Lezana *num.86.* Joannes à Cruce *libro ſecundo, cap.10. dub 4. concluſ.2.* quod ſi Conſervator nolit facere fidem ordinario de ſuis litteris, non poteſt eum nolentem exequi ſuam ſententiam, excómmunicare. Quia delegatus nullam poteſt habere ſupra Ordinarium juriſdictionem, niſi quando iſte eſt illi rebellis. Non tamen dicitur rebellis, dum petit fidem de ſua commiſſione: quia ſic petendo utitur jure ſuo *cap. in iure, de officio delegati.*

Cōtra quos poteſt conſervator procedere.

169. Quare Conſervator Religionum poteſt procedere contra Epiſcopos, Archiepiſcopos, Nuntios Apoſtolicos, & etiam contra alios Religioſos, & contra quoſcumque Eccleſiaſticos, & contra Collegia, Univerſitates, & Communitates, habentes etiam facultatem eligendi Conſervatorem, & contra qualcumque perſonas, ut in ſupradictis privilegiis habetur. Et poteſt appellatione quacumque poſtpoſita, procedere per cenſuras Eccleſiaſticas, quoties opus fuerit, & uſque ad invocationem brachii ſæcularis, ut patet ex privilegiis citatis. Nec poteſt ab Ordinario impediri, ſub privatione officii, exercitii, & juriſdictionis ipſo facto incurrenda. Et irritum eſt omne quodcumque in contrarium attentatum, ut Ciſtercienſibus conceſſit Martinus V. & habetur in iſtorum compendio *titul. bullæ Conſervatoria, §.1.* & tenet Joannes à Cruce *ſupra concluſ.2.* Cæterum ab ejus ſententia appellari poteſt, cum vel cauſa eſt dubia, vel ad infligendam pœnam procedit; non tamen cum res eſt notoria: quia in notoriis non admittitur appellatio. Farinacius *in praxi criminali, quæſt.21. à num.118. uſque ad 128.* Barboſ. *de officio, & poteſtat. Epiſcop. allegat 106. num.33.* Sed tunc ad ſolum Romanum Pontificem eſt appellandum: quia Conſervator eſt delegatus Papæ. Barboſa *num. 4.* Tuſchus *verbo Conſervatores concluſ.760. num.6.* Imo ſi conſervatores contra regulares procedant, limites ſuæ facultatis excedendo, recuſari poterunt; ex textu *in cap. ſi quis contra Clericum, de foro compet. cap. ſecundo requiris, §.3. de appellationibus.*

Conſervatores poſſunt familiares Religioſorum defendere.

170. Juriſdictio Conſervatorum, non ſolum extenditur ad defenſionem Religioſorum, ſed etiam familiarium, & ſervitorum ſuorum; ſi juxta Tridentin. *ſeſſion. 24. cap.11. In Monaſteriis actu ſerviunt, & intra eorum ſepta ac domos reſideant, ſubque eorum obedientia vivant;* poſſunt ergo ad defenſionem iſtorum procedere in manifeſtis injuriis, ac violentiis, & ſervata forma præſcripta in conſtitutione Gregorii XV. de qua ſtatim. Ita conceſſit Pius V. pro Dominicanis illis verbis: *Adverſus inferentes eis, aut eorum procuratoribus, agentibus, ſervitoribus, & familiaribus in præmiſſis eorumdem aliquo moleſtias, & injurias, & gravamina, &c.* Et idem habetur in bulla Gregorii XIII. pro Jeſuitis. Villalobos *2. part. tractatu 35. difficult. 6. num. 9.* Pellizzar. *num. 129.* Lezana *num.65.* Antonius à Spiritu ſancto *num 219.* & poſſunt etiam procedere ad defenſionem ſyndicorum, & procuratorum fratrum; non ut ſunt ſingulares perſonæ, ſed in caſibus ſpecialibus, ſpectantibus ad ſuum officium. Sic conceſſit Clemens VII. Minoribus, bulla, quæ incipit: *Dum ſi conſideramus*, apud Caſarub. *in Compend. verb. procuratores, n.15.* & Rodriguez *tom.3. qq. regul. q.59. art.4.*

Ad quas cauſas ſe extendat Conſervatorum poteſtas ex privilegiis.

171. Sed loquendo de rebus, cauſis, aut negotiis, ad quæ judicum Conſervatorum juriſdictio ſe extendit, ſciendum eſt, quod licet inſpectis, & attentis regularium privilegiis, illorumque tenore, ac verbis cognoſcere poſſent conſervatores de omnibus cauſis tam civilibus, quam criminalibus, ſeu mixtis, tam in eis, in quibus regulares erant rei, quam in eis, in quibus erant actores, & de quibuſcumque injuriis, moleſtiis, violentiis, tam manifeſtis, quam non manifeſtis, ſine judiciali indagine, vel cum illa, prout res, & cauſa poſtularet, ut dicta privilegia legenti liquido conſtabit, ſpecialiter illud Sixti IV. pro Carmelitis, illis verbis: *ne permittant eos indebitè moleſtari, aut eius gravamina, injurias, atque damna inferre, ſeu quomodolibet irrogari,* & poſtea: *In quibuſcumque cauſis per eos movendas, ac quacumque ratione, vel cauſa,* & addit: *ac etiam ſummariè, & de plano abſque ſtrepitu, & figura judicii.* Et in bulla Clementis VII. pro Minimis dicitur: *Ne permittatis eoſdem ſuper libertatibus, privilegiis, indultis, rebus, & bonis prædictis, ab eiſdem, & quibuſlibet aliis indebite moleſtari, vel eis gravamina, vel damna, ſeu injurias irrogari, aut coram quibuſcumque judicibus ordinariis, vel delegatis, etiam Apoſtolicis, quavis occaſione, vel cauſa, etiam criminali eoſdem fratres trahi, &c.* & poſtea addit: *in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii: in aliis vero prout qualitas eorum exigeret.* Quod idem habetur in bulla Pii V. pro Dominicanis, & in bulla Gregorii XIII. pro Jeſuitis, illis verbis. *De quibuſvis moleſtiis, damnis, injuriis tam præſentibus, quam futuris,* Et addit,

quod abſque judiciali indagine, & cum illa procedere poſſint, prout qualitas rerum poſtulaverit, & in quibuſcumque cauſis tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis: etiam in eis in quibus actores fuerint. Quæ omnia ad intentum ponderant Farinacius *2. part. deciſ. 656. num. 3. & 4.* Peyrin. *tom. 2. conſtit. 5. Gregorii XV. §. 6. à num. 34.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. ſect. 4. num. 120.* Sorbus *in Compend. privileg. Mendicant. verbo Conſervatores.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. num. 22.* Barboſ. *de offic. & poteſtat. Epiſc. alleg. 106. à num. 33.*

Qualiter per Gregorium XV. juriſdictio Conſervatorum limitetur.

172. Cæterum licet hæc ita ſint, ſecundum privilegia regularibus conceſſa; illa vero poſtea varie alterata, & immutata fuere a Sede Apoſtolica: ſpecialiter à Gregorio XV. in conſtitutione multoties citata, quæ incipit, *Sanctiſſimus*, anno 1621. & habetur *4. tom. bullar.* inter conſtitutiones huius Pontificis *num. 9.* ubi circa prædictorum Conſervatorum authoritatem, & juriſdictionem, hæc decernit: *Ut coram ipſis Conſervatoribus regulares, ac perſonæ ſupraſcriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant; ſed alios convenire, aut trahere non poſſint; ita ut memorati conſervatores, in cauſis, in quibus regulares, & alii actores fuerint, nullam prorſus juriſdictionem habeant. Sed in iis tantum in quibus rei extiterint. Nec extra civitates, aut Diœceſes, in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere præſumant.* ¶ Quæ limitatio Conſervatorum cum nimis dura videretur, & multum limitans Conſervatorum juriſdictionem, cum regulares coram prædictis conſervatoribus convenire, aut trahi deberent; ipſi autem non poſſent alios trahere, aut convenire, ita ut in cauſis, in quibus regulares eſſent actores, nullam prorſus juriſdictionem haberent: ſed tantum in illis, in quibus rei extitiſſent. Supplicatum fuit ab ipſis Sacræ Congreg. ut decideret hoc dubium. *An per hæc verba ſublata ſit facultas, quam habent conſervatores defendendi regulares, & alios à manifeſtis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur; dum a ſuis poſſeſſionibus dejiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur?* Cui dubitationi Sacra Congregatio anno 1624. ſic reſpondit: *Ejuſmodi verbis minimè ſublatam eſſe facultatem, quam habebant Conſervatores defendendi regulares à manifeſtis injuriis, ac violentiis.* Quæ reſolutio habetur *in 4. tom. bullar.* inter conſtitutiones Gregorii XV. poſt 9. ¶ Inde ſecundum dictam conſtitutionem Gregorii, & Congregationis Sacræ declarationem ſolum poſſunt modo cognoſcere Conſervatores regularium de illis cauſis, in quibus regulares rei fuerint, & in eis in quibus actores fuerint, quoad injurias tantum, & manifeſtas violentias, ſecundum formam, *cap. finali, de offic. & poteſt. iudic. deleg. in 6.* innovatam à Gregorio XV. Bordon. *tom. 3. reſolut. 93. à num. 6.* Lezana *tom. 1. part. 3. cap. 10. num. 62.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 7. ſect. 4. num. 120.* Moneta *de Conſervatoribus, cap. 7. quæſt. 6. num. 343.* Peyrin. *tom. 1. in conſtit. 5. Gregorii XV. §. 6. num. 50.* Antonius à Spiritu ſancto *tractat. 2. de privileg. diſp. 1. ſect. 1. num. 212.* ¶ Illa autem dicitur manifeſta injuria, quæ per facti evidentiam ita notoria eſt, ut examinatione non indigeat: vel ſi indigeat, probari tamen poſſet clare, & conjunctim ſimiliter per multos teſtes; ita ut negari non poſſet. Violentia vero dicitur, injuria cum vi, & impetu perſonis, vel rebus facta. Tuſchus *verb. manifeſtum, concluſ. 73. num. 7. & verbo violentia, concluſ. 214.* Menochius *in Prælud. de recuperanda poſſeſſion. à n. 38.*

Ad quantam loci diſtantiam, juriſdictio conſervatorum extendatur.

173. Ex quibus ſequitur reſolutio aliquarum difficultatum. Primo quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, videlicet, ad quantam loci diſtantiam ſe extendat judicium Conſervatorum authoritas? Reſpondetur, quod attentis privilegiis Gregorii XIII. pro Ieſuitis, & Clementis VII. pro Minimis, poſſunt extra civitates, & diœceſes, in quibus deputati fuerunt, contra delinquentes procedere: dummodo id non ſit ultra tres diætas. Eſt autem una diæta, iter unius diei, id eſt 20. millearia, quæ computandæ ſunt non ab urbibus, vel ædificiis; ſed à terminis diœceſis, intra quam conſervator exiſtit. Ioannes à Cruce *de privileg. lib. 2. cap. 10. dub. 3. num. 2.* Peyrin. *§. 6. num. 46.* Antonius à Spiritu ſancto *num. 217.* Lezana *num. 27.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. 65. articulo 7.* Portell. *in dub. regular. verb. Conſervator, num. 5.* Unde poſſunt Prælati regulares ex vi ſuorum privilegiorum eligere ſibi Conſervatores, non ſolum in Diœceſibus, in quibus ſunt Conventus, ſed etiam extra, dummodo reus ultra tres dietas citari non poſſit. ¶ Cæterum ex jure communi *in cap. ultimo, de offic. iudic. delegat. in 6.* quod innovatum fuit à Gregorio XIII. conſtitutione ſæpius citata, non poſſunt ſuum munus exercere, niſi intra civitates, & Diœceſes, in quibus deputati fuerunt. Moneta *cap. 7. quæſt. 2. num. 61.* Lezana *num. 64.* ¶ Quamvis ſit probabile, nihil in hac parte innovatum eſſe à Gregorio XV. ſi dicatur in ea ſolum prohibere, ne conſervatores ſuum munus exerceant extra civitates, & diœceſes, in quibus deputati ſunt, id eſt, quod non poſſint ſuum munus exercere, cum à civitatibus, & diœceſibus in quibus deputati ſunt, abfuerint. Poterunt tamen tunc alteri exiſtenti in loco, in quo ipſi deputati ſunt, ſuum officium delegare. Peyrin. Lezan. quos refert, & ſequitur N. Antonius à Spiritu ſancto *tractat. 2. diſputat. 1. ſect. 4. num. 218.* Moneta, Sorbus, Rodriguez, quos refert, & ſequitur Tamburin. *de iure Abbat. tom. 3. diſp. 17. quæſt. 1. num. 6.* ¶ Sed notat bene Ioannes à Cruce *dub. 3. concluſ. 3.* Quod quando Conſervator regularium non valet tute accedere ad loca, in quibus morantur, qui ſunt citandi, monendi, vel inhibendi; poſſunt iſta efficere per edicta publica, affigendo illa in locis publicis, de quibus ſit veriſimilis conjectura, quod ad ipſorum citatorum, monitorum, vel inhibitorum notitiam pervenire valeant: ut conceſſit Societati Ieſu Gregorius XIII. & Pius V. Ordini Prædicatorum.

Poſt conſtitutionem Gregorii XV. poſſunt Conſervatores procedere in cauſis, in quibus religioſi ſunt actores.

174. Sequitur ſecundo, quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, an Conſervatores regularium poſt conſtitutionem Gregorii XV. poſſint procedere, cum ipſi regulares ſunt actores in cauſis civilibus eorum, qui aliquam pecuniæ ſummam, vel aliquam aliam rem ipſis debeat ex locationibus, legatis, teſtamentis, &c. & debitor non vult ſolvere id, quod tenetur? ¶ Reſpondetur, quod niſi fuerit injuria, aut violentia manifeſta, non poterunt, propter illa verba Gregorii: quod *Conſervatores in quibus regulares actores fuerint nullam prorſus juriſdictionem habeant.* Cæterum hoc non tollit ipſos poſſe agere coram conſervatoribus ſuis, cum manifeſtas patiuntur injurias, ſeu violentias, quas manifeſte faciunt, qui ſolvere

vere ea, quæ certo tenentur, nolunt. Et tunc tales conſervatores, contra huiuſmodi debitores poſſunt procedere: etiamſi regulares actores fuerint; propter declarationem Sacræ Congregationis *ſupra num.* 172. adductam: ubi dicit poſſe defendere regulares *à manifeſtis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à ſuis poſſeſſionibus deiiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur.* Quod ſane accidit quando non vult debitor ſolvere quod tenetur: quia tunc ne creditor fruatur, aut utatur propriis bonis, impedimentum apponit. Sic à Cruce *dub. 5. concluſ.* 2. Lezana *num.*61. Antonius à Spiritu ſancto *num.*215. Bordon. *reſolut. alia* 95. *num.*1. Peyrin. §.6. *num.* 50. Moneta *cap.*7. *quæſt.* 6. *num.* 394. Diana 3. *part. tract.*1. *reſolut.*2.

Quid ſit? an conſervatores cognoſcere poſſint de his, quæ judicialem indaginem requirunt?

175. Sequitur tertio, quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, an judices conſervatores poſt conſtitutionem Gregorii XV. cognoſcere poſſint de his, quæ judicialem requirunt indaginem, nempe cognitionem cauſæ, eiuſque examinationem propter illius dubietatem? Supponimus, in cauſis regularium, ſive in quibus actores qui fuerint, vel rei, poſſe, & debere procedere de plano, & ſine ſtrepitu, & figura judicii: quia ubi agitur de cauſis regularium apud eorum prælatos, vel conſervatores, ſervari non debent apices juris, nec ſubtilis illius forma, quæ in aliis cauſis præſcribitur; ut habetur, *in cap. Qualiter, & quando de accuſatoribus*, & in ſingulorum ordinum conſtitutionibus hoc caveri ſolet, *ut apud nos 3. p. conſtitut. cap.*10. *num.*8. ¶ Ad quæſitum ergo negativè reſpondetur: maxime ſi regulares actores fuerint: quia Gregorius XV. decernit non poſſe conſervatores procedere in cauſis, in quibus regulares actores fuerint. Et licet ex declaratione Sacræ Congregationis procedere poſſint in manifeſtis injuriis, etiamſi in illis actores fuerint: ſed in manifeſtis judicialis indago non requiritur, maxime; quia Sacra Congregatio dum concedit regularibus, in manifeſtis poſſe coram conſervatore agere; ſubdit: deberi ſervari formam conſtitutam ab Innoceono IV. *in cap.*1. *de offic. de leg. in* 6. ubi dicitur: non poſſe conſervatores ad ea extendi, *quæ judicialem indaginem exigunt.* Lezana *num.*63. Pellizzar. 114.

Quid facere debeat conſervator, ut debite procedere valeat.

176. Cæterum in cognoſcendis injuriis, aut violentiis manifeſtis, poſſunt conſervatores illam indaginem adhibere, quæ in notoriis ſolet communiter uſurpari: quia cui committitur in notoriis facultas, debent ea committi, ſine quibus juriſdictio nequit exerceri. Sed non poſſet conſervator in ocotiis procedere, niſi de rei notorietate notitiam capiat, & ad ferendum teſtimonium teſtes cogat, ſi forte delictum ſit aliis notorium, & non ipſi: aliaque iis ſimilia præſtet, quæ aliquam important judicialem indaginem: ergo, &c. Peyrin. *tomo* 2. *conſtitut.* 5. *Gregorii XV. num.*40. Moneta *cap.*7. *quæſt.* 3. *num.*90. & 93. Pellizzar. *numero* 116. Lezana *numero* 62. ¶ Quare ut conſervator procedere valeat, neceſſarium eſt, quod ante omnia appareat injuriam, ſeu violentiam fuiſſe manifeſtam, & notoriam: quia ubicumque juriſdictio alicui competit reſpectu alicuius certæ qualitatis, ante omnia debet illi, de illa qualitate conſtare. Si tamen de illa tali notorietate dubitet, vel clare de ea non appareat, poterit ſummarie examinare an injuria, vel violentia de qua agitur, notoria ſit, & ſuper ea probationes recipere ad fundandam ſuam juriſdictionem: taliter, quod ſi eam notoriam reperiat, in ſua juriſdictione procedat: aliàs ſe incompetentem pronunciet. Barboſ. *de offi. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 106. *num.*20. Lezana *n.* 62. Pellizzar. *num.*117. Peyrin. *tom.* 3. *privileg. cap.*11. *num.* 10.

177. In fine huius puncti rogabis, quas pœnas incurrant conſervatores, limites ſuæ juriſdictionis excedentes, & qui talem exceſſum procurant, vel certe impediunt, ne ſuum munus, in his, quæ poſſunt exerceant? ¶ Reſpondetur. Conſervatores ſcienter excedentes ſuæ juriſdictionis metas incurrere ſuſpenſionem ab officio Conſervatoris per annum: ut habetur, *in cap. final. de offic. deleg. in* 6. & *iure Hiſpan. in l.* 1. *titul.* 5. *lib. novæ recopilat.* privantur temporalitatibus, & connaturalitate iſtorum regnorum. ¶ Cæterum cum in dicto *cap. finali* dicatur: *ſcienter*, ſequitur non incurri ab his, qui ex ignorantia etiam craſſa excedunt, juxta à nobis dicta *tom.* 1. *tract.* 10. *de cenſur. cap.*10. *num.*187. Sed in foro externo, ut ſcientia valeat, debet probari: quia juxta regulam, *iuris* 48. *præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.* ¶ Pars vero, quæ procuravit, quod judices conſervatores excedant, effectu procurationis ſequuto, qui eſt exceſſus de facto exercitus à Conſervatore, excommunicationis pœnam incurrit, à qua abſolvi non poteſt, *niſi ei, quem ſic fatigavit indebitè, primo ſatisfaciat integraliter de expenſis*, ut habetur dicto *cap. finali.* Sed talis excommunicatio non incurritur niſi à parte procurante: ideſt ab eo, qui in judicio eſt actor, vel reus; non à tertia perſona: quia textus ſolum de parte Procurante loquitur. Navarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 125. à Cruce *dub.*7. *concluſ.* 2. Lezana *num.* 71. Rodriguez *tom.* 1. *quæſtione* 65. *art. ultim.* ¶ Impedientes vero, vel moleſtantes Conſervatores regularium ne ſuum exerceant officium, incidunt in excommunicationem, vel ſuſpenſionem à divinis latæ ſententiæ: ex conceſſione Pii V. pro Dominicanis. Sed pœna prædicta lata ſub illa disiunctione, excommunicationis, vel ſuſpenſionis, in hoc ſenſu intelligitur: ut delinquens unam dictarum cenſurarum determinatè incurrat; quam ipſe elegerit. Bonacina *diſputat.* 2. *de cenſuris quæſt.* 1. *punct.*7. *num* 3.

Pœnæ aſſignatæ pro conſervatoribus excedentibus ſuam juriſdictionem & aliis.

PUNCTUM VI.

De Privilegiis regularium, ut poſſint in ſuis Eccleſiis ſepelire eos, qui in eis eligunt ſepulturam.

Quid in hoc puncto ſit agendum ſupponitur.

178. Diverſa ſunt privilegia regularibus conceſſa circa materiam huius puncti. Alia circa electionem liberam ſepulturæ, quæ ab extraneis ſæcularibus, laïcis, & Eccleſiaſticis, quæ in eorum Eccleſiis, capellis, clauſtris, &c. poteſt fieri. Alia circa modum, quo funus, & ſepultura debeat executioni mandari. Alia circa exemptionem ſolutionis portionis Canonicæ, & quartæ funeralis ex his, quæ relinquuntur ab illis, qui apud eos eligunt ſepulturam. Alia circa res, & quantitatem, ex quibus ſolvi debeat quarta funeralis, ab eis, qui ſolvere tenentur. Quare punctum hoc in ſex paragraphos dividemus, ut in eo diſtinctius procedamus. In primo agemus de his, quæ pertinent ad ſepulturam in communi, à quibus eligi poteſt, & in quo loco debent ſepeliri, qui eam non elegerunt. In ſecundo de his qui ex jure, Eccleſiaſtica ſepultura privantur.

vantur. In tertio de privilegiis regularium ſepeliendi in ſuis Eccleſiis, qui in illis ſepulturam elegerunt. In quarto de portione canonica, & quarta funerali erit ſermo, quæ ſint? Et à quibus ſolvi debeant? In quinto & ſexto de privilegiis exemptionis a ſolutione quartæ funeralis ab aliquibus religionibus obtentis.

---

§. I.

Quid ſit ſepultura Eccleſiaſtica? à quibus eligi poſſit? & quando non eligitur quo in loco facienda?

Qualis dicatur ſepultura Eccleſiaſtica?

179. SEpultura ergo Eccleſiaſtica, de qua agimus in præſenti: *eſt locus conceſſus in Eccleſiaſtico cæmeterio ſactus, in quo corpus catholici conquieſcit.* Seu ut dicitur in *l. 5. titul. 13. partit. 1. es lugar ſeñalado en el comenterio para ſoterar el cuerpo del home muerto.* Dicitur *in cæmeterio*, nomine cuius venit Eccleſia, capellæ, clauſtra, cæmeteria, & omnia alia loca conſecrata, aut benedicta, & ad ſepulturam fidelium ex deſignatione Ordinariorum deputata. Si quis tamen extra hæc loca ſepultus eſſet, ibi dicitur habere ſepulchrum, ſed non ſepulturam Eccleſiaſticam. Vnde ſepultura Eccleſiaſtica locus eſt religioſus: & ob id ſupra *num.* 88. diximus gaudere immunitate Eccleſiæ: ad quod non ſufficit quod in oratorio particulari quis ſepeliatur; ſed debet eſſe vel in Eccleſia, vel in cæmeterio ab Epiſcopo ad hoc deſignato, ut ibidem diximus. Sed regularibus conceſſum eſt in jure, *cap. Nimis iniqua cap. Nimis grave, de exceſſib. Prælator.* ut in ſuis oratoriis habeant cæmeteria, in quibus ſuos confratres tumulare poſſent, etiam tempore interdicti: uti docet Hoſtienſis *lib. 3. ſub titul. de ſepult. num. 2. & 3.* ¶ Decrevit autem Eccleſia Chriſtianos in Eccleſiis, vel juxta eas ſepelire, ut fideles ad Eccleſias venientes, & in eis ſepulchra aliorum aſpicientes, & proprii finis memoriam habeant, & Deum pro defunctis exorare, reminiſcantur: & major hæc cura eſſet orandi pro defunctis; licet olim non permitteretur quemquam intra Eccleſiam ſepeliri, ſed prope illam in cæmeteriis, niſi Reges, Reginas, & eorum filios, aliaſve inſignes perſonas, ut videre eſt *in l. reg. 11. titul. 13. partit. 1.* hodie tamen omnibus id conceditur, ut experientia comprobatur.

Quando committitur ſimonia. Eccleſiaſticam ſepulturam vendendo?

180. Sed ex modo dictis, quod ſepultura eſt locus religioſus, inſurgit difficultas, an ſit Simonia vendere ſepulturas, vel jus, ut tali loco aut parte Eccleſiæ nullus præter illũ, qui emit, aut eius ſucceſſores ſepeliantur? ¶ Ad quod vel loqui poſſumus de illo loco, ſeu parte terræ, quæ nec benedicta eſt, nec deputata ad ſepulturam, licet alias eſſet deputanda; & de hoc loco non eſt dubiũ poſſe abſque labe Simoniæ vendi, etiamſi forte eſſent aliqua cadavera tumulata; ſicut terra, & ſitus, in quo Eccleſia erigenda eſt, pretio potes comparari: eſt enim locus profanus. Quia licet ſecundum jus civile, locus in quo aliquis ſepultus eſt, per ſolam illationem mortui efficeretur religioſus, *l. in tantum. ff. de rerum diviſione*; jure autem canonico locus religioſus non eſt, niſi jam deputatus, & conſecratus, aut benedictus *cap. ad abolendum* de ſepulturis. Vnde cum aliis locis profanis vendi poteſt, cum nullam habeant ſpiritualitatem annexam. Sanch. *tom. 1. conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 14. num. 1.* Bonac. *de Simonia quæſt. 4. §. 6. n. 1.* Bordon. *tom. 3. reſolut. 51. n. 75.* Sotus *lib. 9. de iuſtitia q. 7. art. 1.* Lezana *tom. 3. verbo ſepultura n. 14.* ¶ At ſi talis locus benedictus, vel conſecratus, & ſic jam ad ſepulturam deſtinatus, ratione conſecrationis, aut benedictionis venderetur, aut pluris venderetur, eſſet jure divino, & naturali ſimonia, cum res ſpiritualis venalis redderetur. D. Thomas 2. 2. *q. 100. art. 4. ad. 3.* At ſi ſepultura tali modo benedicta, non ratione benedictionis, ſed ratione terræ, aut ſoli, in quo ſita eſt, venderetur; etſi non eſſet ſimonia de jure divino, aut naturali, ſicuti calicem vendere ratione materiæ, ex qua ſactus eſt; eſt tamen de jure Eccleſiaſtico; & ſic malum, quia prohibitum, *cap. Abolenda de ſepultur. cap. non ſatis. cap. audivimus de ſimonia.* Sanchez, Lezana, Bonac. Laymam, *lib. 4. tract. 10. cap. ultim. §. 4. num. 36.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de ſimonia cap. 14. n. 29.* licet alii oppoſitum non improbabiliter dicant. ¶ Sed pro tali loco ſepulturæ poſſunt ſtipendia recipi, non ut pretium illius, ſed ut eleemoſyna, ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, ſicuti promiſſis recipitur, vel ad conſervationem fabricæ, & cultus divini: quia æquum eſt, quod defuncti, qui in templo inhabitant, ad eius reparationem, & ornatum concurrant: vel quia expenſæ in ea factæ, exiguntur præſcindendo à ſpiritualitate. ¶ Etiam pro loco honoratioris ſepulturæ plus accipi poteſt: ut ſi eſſet in capella majori, in meliori loco, commodiori, & digniori: quia ſolum venditur honor, ut pendet ex hominum æſtimatione, qui per accidens rei ſpirituali coniungitur. Sanch. *n. 3.* Lezana *num. 14.* Ioannes de la Cruz *in directtor. precept. 7. quæſt. 4. dub. 9.* Diana *part. 2. tract. 15. reſolut. 57.* Villalobos *t. 2. tract. 37. difficult. 12. n. 3.* Ledeſma *in ſumm. 2. part. tract. 12. concluſ. 34.* Bordon. *tom. 3. reſolut. 51, num. 76.* ¶ Etiam poteſt recipi prætium pro perpetuo jure ſepulchri, id eſt pro ea obligatione, ut nullus præter eum, vel eius ſucceſſores in tali loco admittatur: quia tale jus quid temporale eſt, & per accidens coniunctum ſpirituali. Cruz, Sanchez, Suarez, Villalob. Bordon. & Ledeſma *hoc num. citati.*

Idem quod dictum eſt de ſepultura, eſt circa capellam ſentiendum.

181. Idem quod dictum eſt de ſepulturis, cum proportione dicendum eſt de capellis, quæ ſolent ſæcularibus dari pro uſu ſepulturæ. Semel tamen alicui tradita capella, & ab eo ſtipendio debito ſoluto, cum pacto, ut nullus alius præter eum, eiuſve ſucceſſores in tali loco ſepeliatur; nullo modo alius in tali loco ſepeliri poteſt; quia eſt pactum iuſtum, & ſic omnino obſervandum. Niſi iuſta aliqua ſupervenirer cauſa: v. g. ſi ſepeliendus ſepulturam propriam non haberet, & non eſſet in Eccleſia, vel cæmeterio locus communis; quia hoc eſt facere eleemoſynam extremè indigenti, quæ de bonis alterius, etiam invito domino fieri poteſt. Sic Panormitan. *in cap. abolenda de ſepultur. n. 5.* Lezana *num. 13.* Bordon. *num. 79.* Peyrin. *tom. 1. privileg. minimor. in conſtitut. 26. Leonis X. num. 22.* ¶ Sed quid ſi poſt obitum fundatoris capellæ, vel emptoris ſepulchri amplius hæredes, aut ſucceſſores illius non fuerint, poteritne prælatus, in eo loco alium extraneum ſepelire? ¶ Reſpondetur affirmativè. Quia extinguitur illud ius, cum iam fruſtratorium ſit, & ad nihil deſerviens, & redit libere ad Eccleſiam, & ſic illud aliis poteſt concedere. Tum etiam: quia loci Sacri, qualis eſt ſepultura, nequit ſæcularis dominium habere, *l. Quæ de tota ff. de rei vindicat.* Sed eſt quaſi uſufructuarius habens ius ad uſum pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus, ut e s inv.tis, nullus ibi poteſt ſepeliri: ſed uſufructuario extincto, uſusfructus redit ad proprietarium: ergo, &c. Sic Bordon. *num. 72.* Vuald. *de*

portion.

portion. canon. cap. 10. *num.* 6. Sylveſt. *ſepultur. quæſt.* 6. Lactorius *titul.* 1. *cap.* 9. *num.* 15. Sanchez *ſupr. num.* 4. Lezana *n.* 15. & *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 11. *num.* 13. Leytin. *num.* 49. Portel. *in reſpon. moral. part.* 1. *caſu* 20. *n.* 1. Sed inſignia, inſcriptiones, aut alia ad memoriam Patroni aut fundatoris ibi inſcripta, delenda non ſunt; quia ſunt monumenta ad perpetuam rei memoriam facta cauſa honoris, *l.* 2. §. *monumentum, ff. de relig. & ſumptib. funer.* Sic omnes citati.

Liberum eſt unicuique eligere ſepulturam.

182. Omnis homo, vel mulier cum ad pubertatem pervenerint, ſibi eligere poſſunt ſepulturam ubi voluerint, etiam ſi ſint ſub patria poteſtate; & abſque licentia parentis: ut de filiis expreſſe habetur, *cap. licet pater. de ſepultur. in* 6. de vxore, quæ poteſt ſepulturam eligere abſque conſenſu mariti, *cap. de vxore de ſepulturis.* Etiam ſervi poſſunt ſine licentia dominorum eligere ſepulturam, *iuxta l. regni* 3. *lib.* 4. *titul.* 5. *nova recopilat.* Vnde quilibet, ſive clericus, ſive laïcus, vxor, filiusfamilias, ſeruus, &c. jus habent ad eligendum ſibi ſepulturam: & in qua elegerint ſunt omnino tumulandi, ut tenet communis praxis Eccleſiæ, & concors Doctorum judicium. ¶ Poteſt pater, imo & mater, parente mortuo, pro filiis impuberibus ſepulturam eligere, ſicut poteſt pro eis teſtari (eſt enim electio ſepulturæ, quaſi quædam ſpecies teſtamenti) & ſic tenet communis conſuetudo fere ubique introducta: & ſic declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur Lezana *tom.* 5. *in Marimagno Prædicatorum* §. 28. *num.* 85. Vnde ab eadem Sacra Congregatione 22. Februarii 1641. (ut teſtatur idem Lezana *tom.* 3. *verb. ſepultura num.* 4.) ordinatum fuit, ut Epiſcopus Placentinus faceret reſtitui à quodam Curato ſuæ diœceſis Patribus Minoribus cadaver cuiuſdam puellæ, cui pater ipſius elegerat ſepulturam in eorum Eccleſia, cum omnibus eleemoſynis funeris. Sic ipſe, & Portellus *in reſponſ. moral. tom.* 2. *caſu* 63. Diana *p.* 5. *tract.* 3. *reſolut.* 108. Paſqualig. *tom.* 2. *deciſ.* 193. *num.* 3. N. Antonius à Spiritu ſancto *tractat.* 2. *de Privileg. diſp.* 3. *ſect.* 4. *num.* 124. Villalob. *tract.* 31. *difficult.* 2. *num.* 2.

Qualiter electio ſepulturæ ſit probanda?

183. Et ſi forte quæras, quomodo electio ſepulturæ probetur? Reſpondetur hoc fieri poſſe, vel oretenus, vel per ſcripturam. Si primo modo fiat, duo aut tres teſtes ſufficiunt: quia in cauſis piis tot teſtes ſufficiunt, *cap. cum teſtis, de teſtibus.* Imo ſufficiunt quicumque teſtes, ut familiares, ſervi, mulieres, & ex jure inhabiles ad teſtificandum: tales enim in cauſis piis adhibentur, & licet ſint teſtes ſingulares, probantes pro diverſo tempore. Peyrin. *tom.* 2. *cap.* 4. *num.* 52. Barboſ. *ad cap. in omni. de teſtib. num.* 55. Lezana *verb. ſepultura n.* 11. Bordon. *reſolut.* 51. *num.* 207. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 4. *num.* 144. Genuenſis *cap.* 76. *num.* 8. Paſqualig. *deciſ.* 406. Bordon. *num.* 207. Molfeſius *tom.* 2. *tract.* 13. *cap.* 8. *num.* 32. Diana 5. *parte tract.* 3. *reſolut.* 106. ¶ Quin etiam religioſus poteſt eſſe teſtis idoneus de ſepultura electa in propria Eccleſia: quia religioſorum in cauſa ſuæ Eccleſiæ ferre poſſe teſtimonium, habetur, *in cap. ſuper prudentia* 14. *quæſt.* 2. *cap. inſuper. cap. Nuntius de teſtibus.* Nec ob id in propria cauſa dicitur teſtificari: quia cauſa Eccleſiæ, non eſt cauſa ſingulorum, ſed totius corporis Eccleſiæ, *cap. Qui manumittitur* 12. *quæſt.* 2. & teſtis intereſſatus non repellitur, quando non agitur principaliter de eius intereſſe; ut probat Iaſon. *l. ſi quis nec cauſam ff. ſi certum petatur,* Rota *volum.* 4. *num.* 11. *deciſ.* 144. Bordon. *ſupr. numero* 210. Pellizzar. *num.* 144. ¶ Probatur autem electio ſepulturæ per ſcripturam, ut vel per teſtamentum, aut codicillum; quæ licet alias invalida ſint, tenet electio ſepulturæ. Vel per ſchedulam manu propria ſubſcriptam, vel ſubſcriptam per duos teſtes ex his, quos diximus. Lavorius *titul.* 2. *cap.* 11. *num.* 18. Paſqualig. *deciſ.* 405. & 406. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 117. Bordon. *num.* 207. Peyrin. Molfeſius Diana *locis citatis.* ¶ Imo ſi aliquis habens alibi ſepulturam, conſtruxit in aliqua Eccleſia capellam cum ſepultura, eo ipſo eam ſibi videtur eligere, Antonius à Spiritu ſancto Peyrin. Pellizzar.

In quo ſepulchro ſepeliendus eſt, qui non elegit ſepulturam?

184. Quando quis abſque ſepulturæ electione moritur, ſepeliendus eſt in ſepulchro ſuorum majorum, *cap.* 1. & *ibi Gloſſa de ſepultur. in* 6. *cap. Hebron, cap. Placuit* 13. *quæſt.* 2. niſi ſit alias alicubi conſuetudo legitimè introducta, quæ obſervari debet. Quod ſi majores ſint diſperſi, & in diverſis Eccleſiis ſepulti, ſi pater, & avus ſint in una, & reliqui majores in alia, in illa tumulari debet: quia ſepultura mortuorum ſe habet ſicut domicilium inter vivos: ſed domicilium acquiritur ratione Patris, & avi; ergo etiam illa: Et quia major ſemper præſumitur affectus ad immediatos parentes, quam ad aſcendentes alios. At ſi pater ſit in uno loco, & reliqui majores in alio, in iſto ſepeliri debet: quia textus dicit *in ſepulchro majorum*, non parentis ut notat Gloſſa *in cap.* 1s, *qui de ſepultur.* Si taliter majores diſperſi ſint, quod pater ſit in uno loco conſepultus, avus in alio, proavus in alio; ſepeliendus eſt in parrochia, quia majorum cenſetur non habere ſepulchrum. Sed ex conſuetudine ſepeliendum eſſe in ſepulchro patris tenent Sylveſt. *ſepultura quæſt.* 6. Gregorio Lopez, Ioannes, Andreas, quos refert & ſequitur Villalobos *tract.* 31. *difficult.* 2. *num.* 4. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſolut.* 108. ¶ Si pater, & mater ſint in uno ſepulchro, & in alio reliqui majores, licet ex vi juris ſepeliendus ſit in iſto, quia textus dicunt *maiores ab antiquo*; ex conſuetudine autem in illo eſſe ſepeliendum tenent citati. ¶ Vxor, quæ abſque electione ſepulturæ decedit, cuius maritus jam erat mortuus, ſepelienda eſt in ſepulchro ultimi mariti, etiamſi poſt viduitatem ad domum patris, vel alium locum tranſlata fuerit. *Cap. in qui,* §. *mulier. de ſepultur*: quia domicilium, & honorem ab ultimo marito participat, *l. Fœminæ, ff. de ſen.* Si prior mulier decedat, ſtandum eſt conſuetudini. Quæ ſi non detur, ſi maritus jam ſibi ſepulturam præparaverat, in illa eſt tumulanda: eo quod una caro cum eo judicetur. Et colligitur, *ex cap. Vnaquæque* 13. *q.* 2. Sed ſi præparatum ſepulchrum non habebat, illi tamen ſignificaverat, ſe velle in ſepulchro majorum ſepeliri, in eo mulier ſepelienda eſt, etſi nihil horum detur in ſepulchro proprio mulieris. Si hoc non habeat, nec ipſa eligat in parrochia, quæ illi Sacramenta miniſtrat, Molſeſius *tom.* 2. *tract.* 13. *cap.* 8. *num.* 22. Sylveſt. *ſepultura quæſt.* 6. Villalob. *difficult.* 2. *n.* 9. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſolut.* 108.

Eadem materia continuatur.

185. Filii naturales abſque electione ſepulturæ decedentes, niſi in dignitate ſint conſtituti, in ſepulchro patris ſepeliri debent: ſpurii in ſepulchro matris, niſi fœmina ſit illuſtris: adoptivi ſi vivente patre moriantur, in ſepulchro patris adoptantis; ſi poſt obitum eius in ſepulchro patris naturalis. Sylv. *q.* 8. Villalob. *n.* 6. ¶ Illi vero qui nec majorum habent ſepulchra, nec electionem ſepulturæ faciunt, in parrochia ſepeliendi ſunt, in qua recipit Sacramenta; *cap. ex parte cap. in noſtra de ſepultur.* Sed ſi duarum eſſet parrochianus, daretur locus præventionis. *Cap. duobus de reſcriptis in* 6.

Et, ſi non detectur præventio, & lis eſſet exorta, erit Epiſcopi partes componere, & ad concordiam reducere. Sed ſi quis in urbe domicilium habens, cauſa recreationis, aut negociationis in alio oppido exiſtat, & ibi moriatur; non in loco ubi decedit, ſed ubi domicilium habet, ſepeliendus eſt, ſi ad eum abſque periculo aſportari valeat. *Cap. is qui de ſepultur. in 6.* § Epiſcopi aliique Eccleſiarum Prælati, niſi eligant ſepulturam, in Cathedrali, cujus Præpoſiti ſunt, ſunt ſepeliendi. Clerici in Eccleſia ubi beneficiati, quando ipſi ſepulchra majorum non habent, ut colligitur ex teſtibus citatis. § Peregrini, qui non habent majorum ſepulcra, vel ſi habeant, nequeunt ad illam deferri; ſi ipſi eam non elegerint, ſepeliendi ſunt in parrochia, à qua ipſis miniſtrantur Sacramenta: quia in eis actualis habitatio pro domicilio ad hoc habetur. Abbas *in cap. 1. de ſepulturis.*

Non poſſunt religioſi eligere ſibi ſepulturam.

186. Religioſi autem cum velle, & nolle non habeant, eligere ſibi nequeunt ſepulturam: ſed in monaſterio, in quo moriuntur, ſepeliendi ſunt; niſi extra illud decedentes, ad illud non poſſint commode deferri. *Cap. ultim. de ſepulturis in 6.* Si tamen extra clauſtra decedant, & ad monaſterium poſſint deferri, ad illud deferendi ſunt, etiam parrochis inconſultis. Et, ſic declaraſſe Sacram Congreg. refert Lezana *tom. 1. part. 1. capite 12. num. 41.* Quod ſi moriantur remoti à monaſterio, non electa ſepultura, ſi in eo loco non ſit monaſterium ſui Ordinis, ſepeliendi ſunt in Eccleſia parrochiali, in qua deceſſerunt, inſtar ſæcularium in itinere morientium. Rodriguez *tom. 3. quæſt. 60. art. 3.* Diana *part. 5. tract. 3. reſolut. 110.* Sanch. *lib. 5. in Decalog. cap. 14. num. 4.* Qui advertunt in tali caſu teneri monaſterium, expenſas factas pro religioſi ſepultura, ſolvere, *ex leg. ſi quis ſepulchrum ff. de religioſis & ſumptib. funeral.* § Novitii cum adhuc velle, & nolle habeant, ſicut dimiſſo habitu poſſunt ad ſæculum revertere, ita ſibi eligere ſepulturam extra monaſterium valent. Sanch. *num. 14.* Bordon. *num. 162.* Villalobos *num. 13.* Sed ſi non eligant, quamvis ex rigore juris in majorum ſepulchro eſſent tumulandi. Et ſi illud non habeant in parrochia illius monaſterii, in qua ſitum eſt. Ex conſuetudine tamen, & ex privilegiis religionum, ſi non electa ſepulchra habeant, vel non electa ſepultura decedant, ſepeliendi ſunt in monaſterio, etiam ſi moriantur in domibus parentum, vel alio loco, ad quem retento habitu, & cum licentia Superioris, curationis, vel alterius rei cauſa devenerunt, Sanchez *num. 10.* Pelliazar. *num. 133.* Bordon. *num. 162. & 171.* Villalob. *num. 13.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. 39. art. 4.*

Familiares religioſorũ in monaſterio ſunt ſepeliendi.

187. Sed eſt duplex difficultas Prima, an ſervi, familiares, vel commenſales religioſorum, qui non eligunt ſepulturam debeant in parrochia, vel in monaſterio ſepeliri? Reſpondetur ſepeliendos eſſe in monaſterio, etiam repugnantibus Parrochis: ut conſtat ex diverſis privilegiis, regularibus conceſſis. Tria in medium proferam. Primum Clementis IV. pro minoribus: ut refert. Caſſartub. *in compend. verb. ſepultura num. 2.* ſic: *Clemens IV. conceſſit fratribus Minoribus, ut eos qui in ſuis immorantur obſequiis, poſſint cum deceſſerint, in cæmeteriis ſuarum Eccleſiarum ſepeliri.* Secundum eſt *Pauli IV. pro Societate*, relatum in bullario ipſius fol. 34. ubi dicit: *ut vero, qui in ipſorum præpoſiturum, & Sociorum morantur obſequiis, cuncta liberè miniſtrare poſſint Sacramenta, & ipſos cum decedunt, in eorum cæmeteriis ſepelire.* Tertium eſt. Sixti IV. in bulla, *Dum attenta*, quæ eſt mare magnum Carmelitarum, ubi ſervitoribus, & familiaribus eorum, hæc conceditur: *his vero qui veſtris immorantur obſequiis, cuncta libere miniſtrare poſſitis Eccleſiaſtica Sacramenta, & ipſos cum decedunt, in veſtris cæmeteriis ſepelire.* Sed hæc moderata ſunt à Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 11.* ut intelligantur de illis, qui tres conditiones habuerint copulativè: *quod actu inſerviant: quod intra ſepta monaſterii reſideant: ac ſub eorum obedientia vivant*, nimirum de obedientia ſervili, quam habent ſervi reſpectu Dominorum ſuorum, ut explicat Suarez *tomo 4. de religione, tract. 10. lib. 9. capite 4. num. 11.* Et quando dicta privilegia loquuntur de Sacramentis, intelliguntur de Confeſſione, Euchariſtia, & Extrema-Unctione; non autem de Baptiſmo, aut Matrimonio, ut docet Lezana *tom. 1. part. 2. cap. 13. à num. 13.* Igitur poſſe regulares, hæc habentes privilegia, & cum in illis communicantes, familiares, & ſervos modo dicto illis inſervientes in propriis Eccleſiis, parrochis inconſultis ſepelire, docent communiter Doctores, quos ſuperfluum erit recenſere. Videatur Lezana, & Suarez, *locis citatis.* Pellizz. *tract. 8. cap. 5. ſect. 4. num. 141.* Villalob. *difficult. 2. num. 15.* Bordon. *tom. 3. reſolut. 51. num. 163.* Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæſt. 67. art. 2.*

Qualiter Prælati regulares poſſint ſibi eligere ſepulturam.

188. Secunda difficultas eſt an prælati regulares poſſint ſibi eligere ſepulturam? Reſpondetur, quod licet aliqui affirment poſſe extra ordinem eligere, quia *in cap. final. de ſepultur. in 6.* ſolum excipiuntur religioſi, quo nomine non veniunt in odioſis Prælati, maxime quia ratio ibi data, quia non habent velle, & nolle, illos non comprehendit, qui in aliquibus velle, & nolle habent. Paſqualig. *deciſ. 384.* Pellizz. *n. 126.* Rodrig. *tom. 3. q. 60. art. 1.* Sed immerito: nam ſub nomine religioſorum, in dicto capite comprehenduntur: neque enim eſt odioſum negare ſepulturam illis, qui à religione eam deputatam habent, & quibus ipſi velle, & nolle habeant intra limites ſuæ juriſdictionis, ſecus vero illos excedens. Unde intra eandem religionem poſſunt reſpective ad ſua quaſi territoria eligere ſepulturam. Prior in loco, quem voluerit ſui Conventus. Provincialis in monaſterio, quem elegerit ſuæ Provinciæ Generalis intra totam religionem: quia ut diximus, velle proportionatum ſuæ juriſdictioni habent quæ ſicut extenditur in Prioribus per totum Conventum, in Provincialibus per totum Provinciam, &c. Ita voluntas eligendi ſepulturam eidem voluntati comparatur. Bordon. *num. 158. & 115.*

Pœnæ contra inducentes ad promiſſiones electionis ſepulturæ in ſuis Eccleſiis.

189. Mortaliter peccant parrochi, aut religioſi, qui in ſepultura, in qua non debet ex jure ſepeliri, aliquem ſepelire audent, ob damnum & injuriam illatam Eccleſiæ, cui debebatur illud cadaver, & tenentur reſtituere corpus, ſi petatur: & omnes proventus ex funere provenientes. Abbas *cap. cum liberum de ſepultur.* Sylveſt. *ſepultura q. 11.* Cæterum contra eos, qui alios inducunt ad iurandum, vovendum, vel promittendum, quod in ſuis Eccleſiis eligant ſepulturam, vel jam electam non mutent. Hæc ſtatuit Bonifacius VIII. *c. 1. de ſepultur. in 6. Univerſis religioſis, & ſæcularibus, clericis cujuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub interminatione maledictionis æternæ, diſtrictiſſime prohibemus, ne aliquos ad vovendum, iurandum, vel ſide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel etiam electam ulterius non immutent. Nos enim ſi ſecus actum fuerit, electionẽ talem decernimus, nullius penitus exiſtere firmitatis: ſtatuentes ut hi, qui ſic elegerint, nec apud electas Eccleſias*

ullatenus

vltaremus ſ[illegible], nec alibi, ne contra votum, juramentum, aut promiſſionem hujuſmodi à ſe factum, ſepulturam libeant, vovendo, poſſint eligere ſepulturam. Sed contradictione quorumcumque ceſſante, ſepeliantur omnino apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de jure fuiſſent, ſi aliàs ſepultura non electa, forſitan deceſſiſſent. Si verò eidem religioſi, vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſiis, vel cæmeteriis præſumpſerint ſepelire, ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum, ſi petantur, quàm etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eoſdem intra decennium integraliter faciendam, ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quæ niſi fecerint, Eccleſia ipſa, apud quas ſepulti fuerint, necnon, & cæmeteria eadem ex tunc eo ipſo ſint, & tandiu maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plena omnium prædictorum. Quæ conſtitutio confirmata fuit à Clement. *cap. cupientes, de pœnis.* Addita excommunicatione latæ ſententiæ, Papæ reſervata contra ſic inducentes.

Qui ſint illi, qui contra decreta ſuperius adducta non operantur?

190. Cæterum contra hæc decreta non operantur, nec pœnas in eis impoſitas incurrunt, qui ſimpliciter alium inducunt ad eligendam in ſua Eccleſia ſepulturam, abſque juramento, voto, vel promiſſione ob fide data de illo; quia textus loquuntur de his, qui ad jurandum, vovendum, vel promittendum inducunt. Nec qui inducerent ad eam eligendam in teſtamento, vel codicillo; quia hoc non eſt votum, aut juramentum. Neque qui inducerent etiam cum voto, & juramento ad eligendam ſepulturam in alienis Eccleſiis, non in propriis: quia Pontifex ſolum loquitur de inducentibus ad eligendas illis in propriis. Nec ſeculares laïci, aut Confratres, aliquos inducentes, etiam cum juramento, aut promiſſione, ad eligendam ſepulturam in ſuis Eccleſiis, quia jura ſolum loquuntur de Clericis, aut religioſis, ſub quo nomine non veniunt laïci, aut Confratres. Diana 5. *part. tract. 3. reſolutione* 101. Villalob. *tractatu* 31. *difficult.* 6. *num.* 18. Rodriguez *tomo tertio, quæſtione* 81. *articulo ſeptimo*, Bonacina *de cenſ. extra Bull. diſputatione ſecunda, quæſtione quarta, puncto* 4. Bordon. *tom.* 3. *reſolutione* 51. *num.* 181. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 2. *diſputatione tertia, ſect.* 4. *n.* 121. Lezana *tomo primo part.* 1. *cap.* 9. *num.* 25. & *tomo tertio, verb. ſepultura, num.* 7. ¶ Incurrunt autem dictas pœnas inducentes ſequuto voto, juramento, aut promiſſione, etiam non ſequuto effectu ſepulturæ; quia in ordine ad illas ſolum apponitur pro effectu inductivo ad votum, vel promiſſionem, non quod actu ſepeliatur, ſic citati. ¶ Cæterum ſi in eadem Eccleſia, in qua inductus fuit ad electionem ſepulturæ, erat aliàs de jure ſepeliendus, inductus non perdit jus ſepeliendi ibidem, nec inducens contra dicta jura operatur: quia ceſſat finis, propter quem edita fuit talis conſtitutio; quæ quidem emanavit in favorem illius Eccleſiæ, in qua erat de jure ſepeliendus; & ob id non debet retorqueri in ejus detrimentum. Hieronym. Rodriguez *in compend. reſolut.* 128. *num.* 6. Portel. *verbo ſepultura, num.* 4. Sylveſt. *excommunicatio* 7. *n.* 49. §. *tertiò.* Pelliz: *n.* 148. Bordon. *n.* 185.

Exhumans cadavera gravissimè peccat

191. Qui corpus jam ſepultum exhumaret, ut experitur graviſſimum peccatum committeret. & [illegible] *in l.* 3. *ff. de* [illegible] *violat.* [illegible] 14. *titul.* 7. *partit.* 1 datur actio conſanguineis, ut adverſus eum de injuria, & offenſione agant. Cæterum ad reſtitutionem eorum, quæ abſtulerit, non tenetur: cum talia pro derelicto habeantur, ſub terra conſumenda. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 31. *difficult.* 6. *num.* 1. Sed ſepulchra violantes, ſcilicet illa frangentes, deformantes, aut cadavera ſpoliantes, infamiam incurrunt, & conſequenter irregularitatem, *cap. infames, quæſt.* 1. Imò non poſſunt corpora exhumari, vel ut transferantur de uno loco in alium, vel ut à Curia ſæculari recognoſcantur, ſine licentia, & conſenſu Epiſcopi; *cap. corpora ſanctorum, de conſecrat. diſtinct.* 1. *l. nemo hominum. C. de relig. & ſumptibus funer.* Quod intelligitur de corporibus perpetuæ ſepulturæ traditis, non de illis, quæ per modum depoſiti, in aliquo loco ſunt ſepulta: ut tradunt Lezana *num.* 21. Villalob. *num.* 4. Hieronym. Rodriguez *in compend. reſolutione* 127. *num.* 25. Et intelligitur quando non adeſt neceſſitas inde corpora extrahendi, v. g. ad Eccleſiæ, vel Capellæ renovationem, vel ad alium juſtum, & pium effectum. ¶ Sed Prælati regulares ex privilegio Leonis X. poſſunt in ſuis Eccleſiis, vel Capellis exhumare corpora defunctorum, & ad alias ſepulturas in eiſdem Eccleſiis transferre, cum conſenſu eorum, quorum intereſt, etiamſi ibi eſſent perpetuo ſepulta; quod licet vivæ vocis oraculum fuerit, cum tamen conceſſum ante Gregor. XV. jam per Bullas eſt confirmatum, ut conſtat ex dictis *cap. præcedenti, num.* 61. & ſic in ſuo robore manere, tenent Rodriguez, Navarrus, quos refert, & ſequitur Lezana *tom.* 5. *in mari magno Carmelitarum, num.* 146. Diana 2. *part. tract.* 2. *reſolutione* 130. Antonius à Spiritu ſancto *ſuprà num.* 120. Villalob. *difficult.* 6. *num.* 5 Ceſpedes *de exempt. diſputatione* 249. Pelliz. *tract.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 4. Qui duo ultimi addunt, quod in iſto caſu, quo corpus exhumari deberet, ut à Curia ſæculari inſpiceretur, ad faciendam informationem de homicidio, poſſet Prælatus regularis ex vi hujus indulti Leonis X. licentiam præbere, etiam Epiſcopo irrequiſito: quia cum concedat facultatem exhumandi cadaver, ad transferendum ad alium locum, à fortiori concedit, ut poſſint regulares exhumare cadaver ad breve tempus, quale requiritur, ut inſpiciatur.

---

§. II.

Quibus ex jure neganda ſit ſepultura Eccleſiaſtica?

Annumerantur hi, qui jure privantur ſepulturæ.

192. IN Rituali Romano à Paulo V. compoſito, & ordinato *folio* 144. recenſentur omnes, qui ex jure ſunt Eccleſiaſtica ſepultura privati, ubi ſtatuitur non eſſe dandam, Paganis, Judæis, Infidelibus, Hæreticis, eorum fautoribus, Apoſtatis à fide, ſchiſmaticis, publicis excommunicatis majori excommunicatione, interdictis nominatim, & iis qui ſunt in loco interdicto, eo durante, ſeipſos occidentibus ob deſperationem, vel iracundiam, niſi ante mortem dederint ſigna pœnitentiæ; morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint pœnitentiæ ſigna. Manifeſtis, & publicis peccatoribus, qui ſine pœnitentia perierunt. His de quibus conſtat publicè, quod ſemel in anno non ſuſceperint ſacramenta Confeſſionis &

commu-

communionis in Paſchate, & abſque ullo ſigno contritionis obierunt. Infantibus mortuis abſque baptiſmo. *Ubi vero in prædictis caſibus, dubium occurrerit, Ordinarius conſulatur.* Merito ſupradictis negatur Eccleſiaſtica ſepultura; quia hæc ſolum illis concedenda, qui capaces ſunt orationum, ſuffragiorum, & præcum, quæ in Eccleſia fiunt à fidelibus; quibus incapaces ſunt, qui in peccato mortali (ut de ſupradictis præſumitur) deceſſerunt. ¶ Ad ſupradictos caſus omnes reducuntur, aliique in jure ſunt reperti; præcipuè ad illud de manifeſtis peccatoribus, uti ſunt ſacrilegi, adulteri, uſurarii, blaſphemi, religioſi proprietarii, &c. ¶ Manifeſtus autem peccator dicitur ille, cujus grave peccatum conſtat confeſſione, vel ex evidentia facti quatenus mali, quod nullo alio modo potes interpretari, niſi ſub ratione mali: & publicè debet eſſe factum coram populo vidente, & ſciente tale factum, eſſe delictum notum majori urbis parti. Nec ad hòc requiritur talibus eſſe aſſuetum peccatis, ſed ſufficit ſi ſemel deliquerit: quia per unicum actum verificatur nomen *Peccator*, & excluditur ab æterna beatitudine. Sanchez *lib.7. de matrim. diſputatione 91, num. 32,* Megala *lib. 3. de cenſur. cap. 1. num. 28.* ¶ Et in his caſibus etiam religioſi, aut Moniales quantumvis exemptæ privantur Eccleſiaſtica ſepultura: quia Paulus V. loquitur de omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque ſtatus, conditionis, & ordinis; quod potuit facere cum ſit omnium ſuperior & Legiſlator.

Quid in dubio faciendum?

193. In dubio autem an cadaver ſepeliendum ſit in Eccleſia, an extra? in Eccleſia proculdubio debet ſepeliri, ut colligitur *ex cap. non aſtimemus 13. quæſt. 3. cap. ſacris 12. de ſepulturis.* Et merito, quia jus poſſidet ut ſibi ſepultura ſacra concedatur: & in dubio melior eſt ſemper conditio poſſidentis. D. Antonin. *part. 3. titul. 10. cap 5. § 9. in fine.* Lavor. *tit. 2. cap. 12. in fine.* Bordon. *reſolut. 51. num. 196.* Sed ſive res certa ſit, ſive dubia, nemo eſt privandus Eccleſiaſtica ſepultura, & extra eam ſepeliendus, niſi prius per ſententiam Ordinarii conſtet, eſſe reum talis criminis, & dignum tali pœna, ac ſic deceſſiſſe. Quia privatio ſepulturæ eſt pœna graviſſima, cum privetur aliorum orationibus, & ſuffragiis, multiſque ſubſidiis ſpiritualibus: ſed pœna etiam privativa non incurritur, niſi poſt ſententiam judicis, ſaltem declaratoriam criminis, etiamſi incurri in jure dicatur ipſo facto, nulla expectata judicis ſententia ut diximus *tract. 11. de legibus, cap. 2. num. 59.* ergo, &c. Bordon. *ſuprà num. 125.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. ſect. 4. num. 148.* ¶ Sed ſolus Epiſcopus, vel ejus Vicarius generalis ad ferendam iſtam ſententiam, hic venit nomine Ordinarii; etiamſi cadaver deferendum eſſet ad Eccleſiam regularium: quia cum initium ſepulturæ capiatur ab elevatione cadaveris, quæ ſpectat ad Parochum; conſequens eſt, quod ſolus Epiſcopus, qui eſt ejus ſuperior, ferat in hac materia judicium. At ſi cadaver fuerit religioſi, de quo dubitatur, an ſit capax ſepulturæ, non amplius hoc pertinet ad Epiſcopum, ſed ad ſuperiorem religionis localem: quia initium, medium, & finis ſepulturæ, ad eum expectat. Et cum tale negotium expediendum ſit, non erit ſuperioris Prælati judicium expectandum. Bordon. *numero 126. & 127.*

Quales non baptizati ſepultura priventur?

194. Sed deſcendendo ad caſus particulares, à Paulo V. recenſitis, prætermiſſis Iudæis, Paganis, Hæreticis, &c. & eorum receptoribus, & auxiliatoribus, de quibus ibi expreſsè fit ſermo, *& in cap. Eccleſiæ, de conſecrat. diſt. 1. cap. ſanè 24. q. 2.* Pueri non baptizati, etiamſi ſint filii Chriſtianorum, extra Eccleſiam ſunt ſepeliendi; non in pœnam criminis perſonalis, quod non habent; ſed quia peccato originali infecti obierunt, & ſic à regno Cœlorum excluſi: proindéque orationum, & ſuffragiorum incapaces. Secus dicendum eſt de infantibus mortuis in utero matris defunctæ, & ibi exiſtentibus: quia tales, non cenſentur moraliter diſtinctæ à matre perſonæ. Secus etiam de pueris, de quibus dubitatur an ſint, vel non baptizati? quia ut dicebamus, in dubio, tradendus eſt defunctus Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Secus etiam de Cathecumenis, qui licet non ſint baptizati baptiſmo aquæ; præſumendum eſt baptizatos eſſe baptiſmo flaminis, & in voto Baptiſmum fluminis recepiſſe, niſi illi qui cum poſſint recipere Baptiſmum fluminis, neglexerunt: quia præſumitur in peccato mortali deceſſiſſe, ut colligitur ex Concilio Brachatenſi, *cap. 34. & 35.*

Excommunicatus interdictus privatur ſepultura.

195. Excommunicatus, denuntiatus, qui antequam abſolveretur defunctus eſt, non poteſt in loco ſacro ſepeliri, etiamſi dederit ſigna contritionis, & doloris: quia æquum non eſt, quod cum mortuo communicemus, quem vivum vitare tenebamur, *cap. ſacris, de ſepulturis,* & aliis textibus à nobis *tom. 2. tract. 10. de cenſuris, cap. 3. n. 73.* adductis. Ubi etiam diximus hoc intelligendum eſſe de excommunicatis vitandis, non de toleratis. Etſi in loco ſacro ſepultus fuerit vitandus excommunicatus, extumulandus eſt, & foras projiciendus, ſi ab aliis corporibus diſcerni poſſit, *dicto cap. ſacris, citat.* Et, Eccleſia ſolemni aſperſione reconcilianda eſt, & purganda, quia polluta fuit, *cap. conſuluiſti, de conſecrat. Eccleſiar. in 6.* Si dederit ſigna pœnitentiæ ante mortem, abſolvendus eſt antequam ſepeliatur, *cap. à nobis 1. de ſententia excommunicationis.* Si vero contingat ante abſolutionem ſepeliri, non eſt exhumandus, ſed abſolvendus; petita prius abſolutione ab hæredibus, juxta Gloſſam *cap. ad hæc de privileg. cap. ſi civitas, verbo ſepeliri, de ſententia excommunicationis in 6.* ¶ Interdicti perſonaliter, ſpecialiter, non poſſunt in ſepultura ſacra ſepeliri; uti in dicto decreto jubet Paulus V. & habetur in *Clementin. 1. de ſepulturis, cap. Epiſcoporum, de privilegiis in 6.* Nec tempore interdicti localis, in loco interdicto generaliter, vel ſpecialiter poſſunt cadavera ſepeliri, *cap. quod inter, de pœnitentiis, & remiſſionibus, cap. Epiſcoporum, de privilegiis in 6.* Qualiter autem Clerici, & religioſi ſepeliri poſſunt in loco ſacro tempore interdicti localis, & illi, qui Bullam cruciatam recipiunt, & alia hic expectantia latè egimus *tractatu 10. de cenſuris, citato, cap. 6. punct. 6. per totum.*

Qui in duello moritur extra Eccleſiam ſepeliendus.

196. Qui in duello moritur privatur Eccleſiaſtica ſepultura, etiamſi ſignis doloris, & contritionis obierit, ut dicta conſtitur. Pauli V. habetur, & in Tridentinn *ſeſſ. 25. cap. 19. de reformat.* & aliis textibus. Quod non ſolum intelligitur de provocante, ſed etiam de admittente, niſi in illis caſibus, in quibus diximus *tom. 2. tract. 10 de cenſuris, cap. 4 punct 3. per totum,* duellum poſſe honeſtar, & licitum reddi, quod merito ſtatutum eſt. Tum: quia ibi morientes in graviſſimo decedunt peccato. Tum

etiam:

etiam: quia ſunt excommunicari per Tridentinum, & alios textus. Sed difficultas eſt inter Doctores, an qui in duello vulnerati decidunt poſtea extra locum duelli, privandi ſint Eccleſiaſtica ſepultura, etiamſi doloris ſigna dederint: imo etiam ſi Sacramenta recipiant? Aliqui id affirmant: quia per illud *in duello* non intelligitur locus materialis conflictus, ſed quod ex duello vulneratus decidat. Sic Bordon. *reſol.*51. *n.*111. Lavor.*tit.*12.*n.*16. Peregrin. & Sanctius citati à Diana ſtatim adducendo. Sed nos cum hæc ſit pœnalis lex, & reſtringenda, locum duelli, locum ipſius conflictus intelligimus. Unde ſi quis vulneratus in duello, extra locum duelli moriatur, privandus non eſt Eccleſiaſtica ſepultura, ſi cum ſignis pœnitentiæ decedat. Sic, aliis citatis, Diana *p.*5.*tract.*16.*reſol.*52. & *p.*4 *tract.*4. *reſol.*192.*§.verum*, & *p.*5.*tract.*2.*reſol.*99. *§ notandum*, & *p.*7.*tract.*11.*reſol.*44. Imò etiam Portel. *in reſponſ.moral. p.*3. *caſu* 10. *n.*3. quem videtur ſequi Diana *p.*4.*tract.*4.*reſol.*192. ſic interpretatur illud *in duello*, ut ſignificet idem, quod in ipſo conflictu duelli: quia qui ſic moritur, decidit in claro peccato mortali; non vero ſi ſoluto conflictu, etiam in loco duelli, cum ſignis doloris, & pœnitentiæ moriatur. Qui licet excommunicatus ſit, non tamen vitandus, cum non ſit nominatim denuntiatus, de quo non privari Eccleſiaſtica ſepultura diximus *tract.*10. *cap.*3. *num.*37.

Morientes in torneamentis, uſurarius, religioſus proprietarius, privantur Eccleſiaſtica ſepultura.

197. Ad hunc caſum duelli reducitur caſus illius, qui in torneamentis moritur: qui privatur Eccleſiaſtica ſepultura, *cap. Eccleſia, de conſecratione, diſtinct.* 1. *cap. ſanè* 54. *q.*3. & intelligitur de torneamentis periculoſis, & hoc licet ibi vulnus accipiat, & poſtea peracta pœnitentia moriatur. Ut tenet Lezana *verb. ſepultura, n.*15. Sylveſt. *eodem verbo. q.*9. Villalob. *tract.*31. *diffic.*3.*n.*2. Sed nos idem in hoc caſu judicamus, ac de duello diximus. Sed quia vix eſt in uſu in eo non eſt immorandum. ¶ Etiam uſurarius manifeſtus niſi pœniteat, & teſtitust quæ per uſuras acquiſivit, vel cautionem de reſtitutione præſtet, privandus eſt Eccleſiaſtica ſepultura, *cap. quia de uſuris*, *cap. quamquam eod. tit. in* 6. Sed circa hoc vide quæ diximus *tom.*5. *tract.*14. *de contract. c.*3. *punct.*14. *per totum*. ¶ Etiam religioſi proprietarii debent privari Eccleſiaſtica ſepultura, *cap. Monachi* 2. *de ſtatu Monach.* ibi: *Qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam.* & *cap. cum ad Monaſterium, eod.tit.* ibi: *Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterritur.* Quæ quomodo intelligenda ſunt diximus *tom.*3. *tract.*13. *de reſtit.c.*6.*n.*8. Alia videri poterunt apud Dian. *p.*4.*tract.*4.*reſol.*23. Bordon. *reſol.*51.*n.*131. Portel. *verb. ſepultura, n.*11.

Peccatores publicos privatur ſepultura Eccleſiaſtica.

198. Peccatores publici, & manifeſti quòcomque genere peccati, niſi dederint ſigna pœnitentiæ, non ſunt ſepeliendi in loco ſacro, quia abſque pœnitentia in peccato mortali præſumitur deceſſiſſe, ut in dicto Pauli V. decreto habetur, & communiter à Doctoribus recipitur. Signa autem pœnitentiæ, aut contritionis (quæ quoad præſens idem judicatur) per quam peccator præſumitur deceſſiſſe contritus, eſt petitio veniæ, vocatio Confeſſarii, tunſio pectoris, genuflexio, invocatio Dei, B. Virginis, & Sanctorum, ſuſpiria ad Deum, oſculatio rei ſacræ, & ſimilia. Et in his caſibus, ac de his ſignis datur probatio per unum teſtem. Lavor. *tit.*2. *c.*12. *n.*21. Lezana *verb ſepultura, num.*55. Naldus *in ſumm. eodem verbo num.*6. Unde extra locum ſacrum ſepeliendi ſunt meretrices, concubinarii, uſurarii, & qui in fragrati delicto occiduntur, niſi quis atteſtetur eos ſigna pœnitentiæ dediſſe: & ideo in *cap. fures, de furto*, cuidam latroni negatur ſepultura, quia fuit in fragranti occiſus. Unde probat Navar. *in dicto cap.* & ex illo Villalob. *difficult.*3. *n.*10. quod ſi maritus uxorem & adulterum in fragranti delicto adulterii occidit, non ſunt iſti in ſepultura Eccleſiaſtica ſepeliendi. Sed Doctiſſimus Noſter Lezana *num.* 23. ita loquitur circa hunc caſum, [Peccatores autem, ſeu illi qui exiſtimantur in peccato mortali deceſſiſſe, dummodo non conſtet impœnitentes mortuos eſſe, quales ſunt qui moriuntur in cornibus taurorum, & adulteri depræhenſi in adulterio, & idcirco interfecti à marito, quamvis nulla ſigna contritionis dederint in loco ſacro ſepeliri debent. Ioannes Sanctius *in ſelectis diſp.*36. *n.*3. & 4.] Idem habet Mendoza *s.*2. *diſp.*76. *ſect.*1.*§.*51. aſſerens quemlibet peccatorem publicum morientem abſque ſignis doloris in ſepultura ſacra poſſe tumulari; quia potuit ſalvari per converſionem occultam; quod etiam videtur amplecti Diana 5. *part, tract.*3.*reſol.*99.

199. Privantur etiam Eccleſiaſtica ſepultura, qui ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteri, & Euchariſtiæ ſacramentum in Paſchate ſumere notoriè, & abſque probabili excuſatione intermittunt, ut habetur in dicto decreto Pauli V. & *in cap. omnis, de pœnitentiis, & remiſſionibus*. Qui tamen in anno alterum ex his Sacramentis percepit non debet Eccleſiaſtica carere ſepultura: quia præſumitur bonus fidelis; vel ſi eſſet occultus peccator, quia textus de notorio loquitur, ne ex carentia ſepulturæ manifeſtaretur. Lavorius *capite* 12. *numero* 25. Bordon. *reſolutione* 51. *num.*115. Sed notandum eſt, quod non ſtatim, ac publicè ſcitur aliquem in Paſchate non communicaſſe, denegaoda eſt ei Eccleſiaſtica ſepultura, quia fortè cum aliquo occultè confeſſus eſt, qui illum ob aliquam urgentem cauſam, quod non communicaret, imperavit. Et in dubio nullus præſumendus eſt, ſuam ſpiritualem ſalutem negligere, ut probat textus *in cap. ſancimus* 8. *quæſtione* 7. Unde docet bene Navarrus *loco citato*, & ex eo Villalob. *difficult.*3. *num.*10. quod ſemper delinquens excuſandus eſt, quantum fieri poteſt: & aliqua excuſatione rationabili inventa, liberandus eſt, & ſepulturæ ſacræ tradendus. Quod in hoc, & in aliis caſibus dictis, præcipuè in ſequenti ſemper eſt præ oculis habendum.

Qui ſemel in anno non cõfeſſus eſt, nec in Paſchate communicavit non eſt ſepeliendus in loco ſacro.

200. Qui ſeipſos ex deſperatione occiderunt, in loco ſacro ſepeliendi non ſunt, juxta ordinationem Pauli V. & habetur *in cap. ex parte* 1. *de ſepulturis, cap. placuit* 23. *quæſt.*5. Sed hoc intelligendum eſt de eo, qui ex deſperatione, vel iracundia, ex induſtria, ſe occidit, non de illo, qui ex inſania, furore rationem abſorbente, vel caſu, vel ex ignorantia, putans ſe in eo obſequium præſtare Deo. Nec de eo, qui ſe volens occidere, antequam moriatur ſigna aliqua pœnitentiæ dedit: unde ſi quis intra cubiculum clauſus, reperiatur ſuſpenſus, ſed genibus flexis, coronam vel imaginem præ manibus habens, in loco ſacro ſepeliendus eſt; quia præſumitur habuiſſe ſigna pœnitentiæ. Lavor. *tit.*2.

Occidentes ſeipſos ex deſperatione, non ſunt ſepeliendi in loco ſacro.

tit.2. cap.12. num.31. Portel. *verb. ſepultura, n.1.* Bordon. *num.110.* Imò non ex eo, quod aliquis ſuſpenſus repetiatur, aut gladio confoſſus, aut in puteum, vel in flammam demerſus, aut ex culmine præcipiratus, deſperate deceſſiſſe eſt præſumendnm: quia fortaſsè ab alio fuit occiſus, & ut tegeretur crimen illo, vel illo modo fuit projectus; vel fortè ratione privatus, & in freneſim captus id feciſſe judicandum eſt: amor enim vitæ non ſic facilitet vincitut, nec eſt credibile aliquem niſi inſanum, ob quodcumque malum vitandum, malum omnium gravius, ut eſt vitæ privatio, & æternæ ſalutis diſpendium velle à ſeipſo amplecti. Unde niſi ex evidentiſſimis ſignis, aut conjectutis conſtet, aliquem à ſe, non ab alio occiſum eſſe, & hoc ex iracundia, aut deſperatione, non ex ertore, non ex inſania, vel alia paſſione tationem penitus abſorbente, tradendus eſt ſacræ ſepulturæ: quia ſi in omnibus cauſis ctiminalibus probationes evidentiſſimas tequituntur, ut reus etiam auditus condemnetur, *l. ſciant cuncti, ff. de probationibus, cap. ſciant cuncti* 11. *quæſt. ultim.* quanro magis in iſta, in qua agitur de condemnatione rei ipſo inaudito, qui pro ſe nihil apponere poteſt. Unde niſi evidentiſſimè probetur oppoſitum, ſemper excuſandus eſt. Villalob. *tract.31. difficult.3. num.4.* Navar. *conſil.9. de ſepult. lib.3.* Rodriguez *tom.3. quæſt.71. artic.1.* Ioannes Sanctius *in ſelect. aub.36. n.14.* Pelliz. *tract.8. c.5. ſect.4. n.148.* Diana *p.5. tract.3. reſolut.100. & p.6. tract.7. reſol.47.*

Peccat mortaliter, qui privatum à ſepultura à jure, tumulat in loco ſacro.

201. Sed modo inquires, quod peccatum committant, & quas pœnas incurrant, ſepelientes defunctum in loco ſacro, in dictis caſibus prohibitis? Reſpondetur, quod Parochi, vel Religioſi aliquos ſepelientes, qui ex jure privati ſunt ſepultura, mortaliter peccant: quia in re gravi faciunt contra Eccleſiæ prohibitionem; & pœnas ſtatim recenſendas incurtunt, & tenentur reſtituere corpus, & quidquid ratione illius perceperunt, *cap. cum liberum, de ſepultur.* Sylveſter *q.9.* Angelus *verbo ſepultura, num.39* Barboſa quem refert, & ſequitur Lezana *tom.3. verb. ſepultur. num.24.* & ſi quis ex ſupradictis, in loco ſacro fuerit ſepultus, exhumandus eſt, ſi diſcerni poſſit ab aliis fidelibus, alias non, *cap. ſacris de ſepultur. cap. Eccleſia 1. & 2. diſtinct.4. de conſecrat.* Etſi cadaver ſepultum fuerit intra Eccleſiam regularem, poteſt Epiſcopus illius exhumationem præcipere, ſi illi denegetur ſepultura, quia publicè excommunicatus, uſurarius, interdictus, quia ipſis ita conceditur, abrogatis omnibus privilegiis in contrarium *in Clementin. eos, de ſepulturis.* Sed ſi ob alios caſus ſit illi ſepultura indebitè conceſſa, & ſi Prælatus exterrare corpus teneatur, & foras projicere, id Epiſcopus præcipere non poteſt ob exemptionem ab ejus juriſdictione Eccleſiæ regularis, ratione cujus ſe habet, ac ſi extra Diœceſim eſſet ſepultum cadaver. Pelliz. *ſupra n.176.* Sylveſter *verb. ſepultura, num.16.*

Duplex excõmunicatio contra ſepelientes aliquos privatos Eccleſiaſtica ſepultura.

202. Præter hæc duplex aſſignatur in jure excommunicatio contra aliquos ſepelientes in loco ſacro eos, qui indigni ſunt ſepultura Eccleſiaſtica. Prima habetur in *cap. quicumque 2. de hæreticis in 6.* ubi ſic dicitur: *Quicumque hæreticos, credentes, receptatores, defenſores, vel fautores eorum ſcienter præſumpſerint Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, uſque ad ſatisfactionem idoneam excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere. Nec abſolutionis beneficium mereantur, niſi propriis manibus publicè extumulent, & projiciant hujuſmodi corpora damnatorum.* Secunda habetur *Clementina 1. de ſepultur.* his verbis: *Eos qui propria temeritatis audacia defunctorum corpora, non ſine contemptu clavium Eccleſiæ, in cœmeteriis interdicti temporis, in caſibus non conceſſis à iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumant; decernimus ipſo facto, excommunicationis ſententiæ ſubjacere. A qua nullatenus abſolvantur, niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi, eis quibus per præmiſſa, fuerit injuria irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem.*

Qui incurrant duplicem ſupra poſitam excõmunicationem?

203. Neutra ex his duabus excommunicationibus incurritur, ſi in omnibus caſibus hoc paragrapho aſſignatis tradatur indebitè ſepulturæ Eccleſiaſticæ, qui ea privatus eſt: ſed primam tantum incurrunt, qui hæreticos, eorum fautores, receptatores, &c. ſepeliunt. Secundum, qui in loco interdicto ſepeliret, vel qui nominatim interdictum, vel publicè excommunicatum, aut uſurarium manifeſtum. ¶ Sed cum in utraque iſta excommunicatione dicatur: *Qui ſcienter præſumpſerit cum temeritate*; ſcientia, præſumptio, & temeritàs copulativè requiruntur ad eas incurrendas; & tunc temerarius ſepultor dicitur, qui ſciens defunctum declaratum fuiſſe indignum ſepultura; nihilominus illum vult ſepelire in loco ſacro, & de facto in eo ſepelivit: quamvis ignorantia, & inadvertentia excuſat, ut patet ex à nobis dictis *tom.1. tract.10. de cenſuris, c.1. n.198.* ¶ Nomine autem *Eccleſiæ* ut in prima, & cœmeterii ut in ſecunda, venit Eccleſia vel cœmeterium, vel quicumque alius locus ex deſignatione ordinarii, ad ſepulturam fidelium deſignatus, eo quod mens legiſlatoris ſit, ut ſimiles peccatores careant Eccleſiaſtica ſepultura, qualis eſt illa, quæ conſtruitur in Eccleſiis, cœmeteriis, &c. ut notat Gloſſ. *in dicta Clemen. 1. de ſepult. verb. cœmeterium.* ¶ Per *ſepelientes* in dictis textibus, qui incurrunt dictas excommunicationes, non intelliguntur funus comittantes, nec Clerici canentes, crucem portantes, campanas pulſantes, vel corpus ad ſepulturam deferentes, nec ſolum illi qui propriis manibus corpus defuncti capiunt, in ſepultura projiciunt, & terra cooperiunt, ut plures probabiliter aſſerunt. Sed etiam mandantes, & procurantes, quod defunctus in loco ſacro ſepeliatur, & ad id authoritate ve concurrentes, uti citatis Hugol. Palao, Conincho, Suarez, Trullenchio, Diana, diximus *tract. dict. de cenſuris, c.3. punct.7. à n.78.*

§. III.

Qualiter eligentes in Eccleſiis regularium ſepulturam, poſſint ab eis ſepeliri?

Privilegia conceſſa regularibus ad eligentes in ſuis Eccleſiis ſepulturas ſepeliendos.

204. Liberum eſt omnibus Chriſti fidelibus, ſive Clerici ſint, ſive laïci eligere ſibi ſepulturas in Eccleſiis regularium; & ſive eligant illas, ſive non eligant, ſi tamen in Monaſterio ſuorum majorum habeant ſepulchra, in eis poterunt regulares ipſos ſepelire, ſive cum habitu religionis, ſive abſque illo. Quod habetur, tum ex jure communi, *in cap. ubicumque 13. quæſt.2. cap. Agapitus 16. quæſt.1. Clementin.*

Clementin. Dudum de ſepulturis. Tum etiam ex privileg. Clementis IV. Martini IV. Bonifacii VIII. Sixti IV. Pii V. Clementis V. & aliorum: ut videre eſt apud Caſarrubios *in compend. privileg. Mendicant.verb. ſepulture. & ſepultura, num.8. & 13.* Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib.2. cap.10. n.21.* Lezana *tom.1. part.7. cap.1. num.51.* & talis electio ſepulturæ, nec à Parochis, neque ab Epiſcopis, neque à quocumque alio impediri poteſt. Riccius *in praxi, part.4. reſolutione 593.* Hieronym. Rodrig. *in compend. qq. regul. reſol.158.* Bordon. *tom.3. reſolutione 51. num.7.* ¶ Quæ privilegia, & jura etiam conveniunt Monialibus, ut quicumque ſive vir, ſive fœmina in earum Eccleſiis, vel cœmeteriis, ſed extra earum clauſuram, ſepeliri valeat. Tum, quia in pluribus ex dictis privilegiis expreſsè nominantur. Tum etiam: quia communicant in privilegiis cum religioſis ſui Ordinis, ut diximus *cap.1. num.91.* Tum: quia ita tenet praxis, & conſuetudo totius Eccleſiæ. Tum denique: quia ſic declaravit ſacra Congregatio ſub Gregor. XV. ut tenet Portel. *verb. ſepultura, n.14.* Bordon. *num.83.* Lezana *tom.1. part.2. cap.1. num.31.* Antonius à Spiritu ſancto *ſupra num.123.*

Parochi peccat mortaliter, qui impediunt, quod fideles apud regulares ſepeliantur.

505. Ita liberum eſt unicuique in Monaſteriis regularium eligere ſepulturam, ut, ne à tali electione fideles retrahantur, minimè poſſint Parochi plus exigere pro aſſociandis corporibus, in Eccleſiis regularium tumulandis, quam ſi ad Parochiam ducerentur. Et ita communiter Doctores aſſerunt peccare mortaliter Parochos talia exigentes, peccato ſimoniæ, & injuſtitiæ; & teneri ob id damnis regularibus provenientibus, ſatisfacere. Tum: quia talis exactio moralis violentia eſt, retrahens fideles, ne in Monaſteriis ſepeliantur. Tum etiam: quia ſic prohibitum eſt ipſis, *in cap. audivimus 41. de ſimonia, cap. non ſunt 8. cap. cum in Eccleſia, eodem titulo.* Tum denique: quia Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit: *Expoſitum* apud Rodriguez *in bullar. fol.1105.* ſub excommunicatione Papæ reſervata, præcipit Parochis Indiarum, ne ultra peterent pro aſſociandis corporibus, in Eccleſiis regularium ſepeliendis, quam pro ferendis ipſis ad Parochiam offerre ſolent. Quam conſtitutionem confirmavit Urbanus VIII. litteris datis in forma brevis 11. Maii anno 1638. & locorum Ordinariis commiſit, ut providerent, & decernerent; *Ne Parochi plus percipere poſſent in ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſiis regularium, quam in iis, quæ fiunt in propriis ſæcularium clericorum.* Unde & peccare mortaliter, & incidere in excommunicationem poſitam à Clemente VIII. omnibus ubique Parochis, contra dictas conſtitutiones plus exigentes; eo, quod licet ſit pro Indiarum Parochis, poſita eſt per modum declarationis juris Pontificii, & naturalis: ne videlicet aliquis ultra id, quod ſibi debetur, exigat: & ſic obligare ubique tenent Portellus *in additament. verb. ſepultura, num.2.* Lezana *tom.3. verb. ſepultura, num.5.* Peyrin. *tom.3. c.4. num.8.* Antonius à Spiritu ſancto *n.133.* Pelliz. *ſuprà num.171.*

Aliqua circa dicta notantur.

506. Sed nota primo: Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium declaraſſe die 1. Februarii 1640. ut teſtatur Lezana *ſuprà*, quod quando Parochi non interveniunt aſſociationi corporis defuncti, qui eligit ſepulturam in Eccleſia regularium; etſi poſſint habere emolumenta, quæ illis propter jus Parochiale conveniunt; ſed non illa, quæ dantur propter aſſociationem. ¶ Nota ſecundo: quod ſecundum decretum Urbani VIII. conſtit.21. confirmans ex certa ſcientia conſtitutionem Pauli V. ut refert Peyrin. *in additament. ad conſtitutionem Leonis X. cap.4. num.7.* hæredes defuncti non tenentur convocare ad aſſociandum corpus, tot Clericos, quot regulares, nec prius totum Capitulum, quam Religioſos, nec dare tot intortitiis Parocho, quot regularibus; ſed convocare poſſe Clericos ſibi bene viſos, & cuilibet dare ceram ſibi bene viſam, revocans quælibet inſtituta, & conſuetudines, ſeu abuſus, circa hoc in aliquibus partibus urgentes. ¶ Nota tertio: id, quod ait Pellizzar. *tract.8. cap.5. ſect.4. num.144.* Bordon. *tom.3. reſol.51. num.87.* Lavor. *titul.2. de funer. cap.14. num.44.* melius eſſe, ex multis Capitibus eligere ſepulturam in templis religioſorum, quam in aliis. Tum ob frequentiorem divinorum celebrationem, quæ in Eccleſiis regularium fiunt: ad quod facit, *cap. fraternitatem 3. de ſepulturis,* ibi: *Fraternitatem tuam non credimus ignorare mortuorum ſepulchra, & cœmeteria apud illas Eccleſias, & Monaſteria ex antiquo eſſe diſpoſita, in quibus religioſorum fratrum Conventus ſunt conſtituti, & orationes, atque Miſſarum ſolemnia, quam pro vivis, quam defunctis frequentius celebrantur:* ergo frequens divinorum celebratio, quæ principaliter fiunt in Eccleſiis regularium, arguunt eſſe utiliorem, & meliorem ſepulturam apud ipſos, ut dicit ibidem *Gloſſa*, verb. *frequentius.* Tum etiam ex majori frequentia populi concurrentis ad audienda divina officia, in eiſdem templis regularium, quæ multum prodeſt fidelibus unius & defunctis, juxta Gloſſam *cap. cum gratia 13. quæſt.2.* Omitto an decentius? an cum majori devotione, ac reverentia, funeralia fiant officia? an exactius oneribus impoſitis fiat ſatis, quia omnibus pro patulo conſtant. Ad alia veniamus.

Qualiter ſe debent gerere regulares cum Parochis, quando aliqui ſepeliendi ſunt in eorū Eccleſiis?

507. Circa modum vero, quo ſe debent gerere regulares cum Parochis circa ſepelienda corpora in ſuis Eccleſiis collocanda, ſciendum eſt Sixtum IV. in mari magno pro Carmelitis, illis conceſſiſſe, ut fratres ipſi, nullius ſuper hoc petita licentia, Parochias in quibus prædicta corpora exiſterent, cum cruce proceſſionaliter ingredi poſſent, & corpora ipſa levare, & ad eorum Eccleſias ſepelienda deferre, ubi hoc fieri conſuetum eſſet; & ubi Presbyteri de levatione requiſiti, id facere recuſarent. Idemque conceſſit pro Dominicanis Pius V. in Bulla: *Ad hoc nos Deus,* apud Confectium *pag.218.* Cæterum circa hoc obſervari debet decretum Leonis X. in Bulla, *Dum intra,* in Concilio Lateranenſi edita, ubi dicitur: *Parochus autem cum cruce ad levanda funera eorum, qui apud Eccleſias domorum, & locorum eorundem, ſuam elegerint ſepulturam, intrare non poſſint, niſi prius præmonito, & requiſito, ac recuſante Parochiano presbytero, & tunc ſine eius, ac ordinarii præjudicio* (intellige quoad quartam Canonicam, & funeralem, qui eam ſolvere tenentur.) *Niſi eiſdem fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quæ ſit in viridi obſervantia, & cum pacifica poſſeſſione, ſuffragetur.* Verum ut omnia firma eſſent, & omnes lites, & controverſiæ, & altercationes, circa hoc, omnino ceſſarent; Sacra Congregatio, die 15. Ianuarii 1614. declaravit, & ſtatuit: *Quibuſvis regularibus, quorumcumque ordinum,*

& Congregationum, tum mendicantium, quam non mendicantium, nullo modo licere, etiam ſpecialis alicujus conſuetudinis prætextu, Parochias cum cruce proceſſionaliter, aut alias ad efferenda, & levanda defunctorum funera, intrare, vel illa levare, & efferre, niſi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho; eoque ibidem præſenti, ſi tamen ipſe aliter fieri non conſentiat, & permittat; vel niſi requiſitus venire expreſsè omnino recuſet. Alias etiam declarationes circa ſtatim citandos Authores paſſim reperies. Quare hoc omnino obſervandum eſt; quod Parochus vocetur, expectetur, & eo præſenti, & non aliter corpus levetur. Sed ſi ipſe aut nolit levare corpus defuncti, qui in Eccleſia regularium ſepulturam eligit, vel alias reſiſtit, impedit, aut retardat, poſſunt regulares ſine ejus interventu, imo eo nolente, & contradicente corpora levare, & proceſſionaliter ad ſuam Eccleſiam deferre. Lezana *tom. 5. in mari magno Carmelitarum, num.* 346. & *tom. 1. part. 2. cap. 1. num.* 31. & *tom. 3. verb. ſepultura, num.* 4. Peyrin. *tom. 1. privileg. Minim. in conſtitut.* 26. *Leonis X* §. 16. *num.* 20. Barboſa *de officio Parochi, cap.* 26. *num.* 66. & *in collect. Bullar. verb. ſepultura,* & *de jure Eccleſiaſt lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 12. & 23. Bordon. *tom.* 3. *reſolut.* 51. *num* 34. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 2. *diſp* 3. *ſect.* 4. *n.* 126. Lavor. *i.t* 2. *de funer. c.* 3. *n.* 207. Portel. *tom.* 1. *caſuum, caſu* 66. *per totum.*

Cadaver ſepeliendum apud regulares, nō eſt per Parochiam deferendum.

208. Poſſunt vero regulares vel aſſociati Parocho, vel eo nolente ſine ipſo, cum crucis elevatione tendere ad locum, ubi eſt corpus defuncti, & illud proceſſionaliter deferre ad Monaſterium, quod non tenentur prius deferre ad Eccleſiam Parochialem; ſed recto tramite poſſunt illud ad ſuam Eccleſiam deducere, uti ex declaratione Cardinalium docet Peyrin. *in additament. Leonis X. cap.* 5. Lezana *in mari magno Carmelitarum, num.* 346. & *in mari magno Prædicat. num.* 8. qui etiam *tom.* 3. *verb. ſepultura, num.* 18. affert aliam declarationem ſacræ Congregationis, ex qua habetur, quod quando cadavera ſepeliuntur apud regulares, ad ipſos ſpectat declarare, an per civitatem, an per aliam viam ſint aſportanda?

Qui eligunt ſepeliri cum habitu religionis, cum eo ſunt ſepeliendi.

209. Qualiter autem poſſint fideles cum habitu religionum ſepeliri conſtat ex conceſſione facta a Sixto IV. Minoribus, quæ incipit: *Apoſtolica manſuetudinis* apud Caſarrubios *in compend. verbo habitus, num* 8. in qua indulget omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus perſonis in habitu fratrum ſepelire volentibus, quod id eis liceat, inhibens Curatis, & Eccleſiæ Rectoribus, ſub excommunicationis pœna Summo Pontifici reſervata, ne taliter ſepeliri volentibus, quovis modo impedimentum afferant; ſed permittant illos patenter ad Eccleſiam, & locum ſepulturæ in habitu hujuſmodi deferri. Idem conceſſit idem Sixtus IV. pro Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla, quæ appellatur *aurea* apud Confectium *in collectan. litterarum Apoſtolicarum, in Sixto IV. num.* 3. Et idem Carmelitis conceſſit in mari magno eorum, in quo omnes alii religiones habentes communicationis privilegium, communicant. Addit autem idem Sixtus IV. in privilegio illo pro Minoribus, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca prædictis fratribus injuria irrogaretur, tales apud fratres prædictos ſepeliri debere, etiamſi alibi ſuam elegiſſent ſepulturam, niſi fiat de aſſenſu, & licentia fratrum talis loci, in quo tales deceſſerunt. Idem in mari magno pro Carmelitis conceſſit: & in Bulla aurea pro Prædicatoribus, & Minoribus. Caſarrubios *ſuprà num.* 9. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt.* 76. *articulo* 8. Bordon. *tom.* 3. *reſolutione* 51. *num.* 58. Lezana *verbo habitus, num.* 6. Pellizzar. *tract.* 8. *capite* 5. *ſect.* 4. *num.* 171. Et propterea Sixtus IV. in relata conſtitutione ſtatuit, ut hi, quibus committitur poteſtas dandi habitum, teneantur manifeſtare decedentibus, eos cum obierint debere ſepeliri in Eccleſiis fratrum, quorum habitum petunt, ac recipiunt. Et ideo ſacra Congregatio, ut teſtatur Barboſa, & Peyrinis apud Lezana *verb. ſepultura, numero decimo ſeptimo,* cum poſtularetur à fratribus Minoribus, an in eorum Eccleſiis ſepelienda ſint cadavera eorum, qui dicto habitu induti ex hac vita migrarunt? Reſpondit id fieri debere: ſi dictus Guardianus, aut alius ſuperior habitum hujuſmodi ſuſcipientes præmonuerint eorum cadavera propter habitus conceſſionem ac receptionem penes ipſos fratres, quorum habitum geſtant, eſſe ſepelienda.

Sepeliendus cum habitu religionis eligere poteſt ubi voluerit ſepulturam.

210. Sed hæc revocata ſunt tum ex conſuetudine; quia videmus plures alibi ſepeliri quam in Eccleſia regularium, etiam cum habitu illorum. Tum etiam in Concilio Lateranenſi à Leone X. in Bulla *Dum intra mentis*, ubi dicitur: *Volentes quoque ſepeliri habitu eorundem fratrum in clauſtro non degentes, ſed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate ſepulturam ſibi eligere poſſunt.* Unde modo cum habitu ſepeliri volentes, poſſunt eligere ſepulturam in quacumque Eccleſia voluerint: neque eos neceſſarium erit præmonere, ſe in Eccleſiæ fratrum debere ſepeliri. Rodrig. & Caſarrub. *ſup.* Lezana *verbo habitus, n.* 6. Bordon. *reſol.* 35. *num.* 69. Villalob. *tract.* 31. *difficult.* 5. *n.* 2. ¶ Habitus autem, quo aliquis ſepeliendus eſt, à nemine poteſt concedi, niſi à ſuperiore illius Conventus, cujus eſt habitus, & non per quemcumque alium, quamvis authoritate aut Prælatione fulgentem, ut habetur in dicta Bulla *aurea* Sixti IV. & habetur apud relatum Confectium *ſupra in Sixt. IV. n.* 3. Caſarrob. *n.* 11. Rodrig. *art.* 9. Lezana *n.* 7. Villalob. *n.* 2. ¶ Etiamſi ægrotus dum viveret, habitum non petiit, poſſunt nihilominus ejus hæredes petere illum, quia faciunt rem gratam animæ defuncti: & idem eſt, ac ſi ipſe defunctus petiſſet: quia hæc res reputatur una, eademque perſona cum defuncto, § 1. *de auth. de hæred. leg. fin. C. de impuberibus.* ¶ Indulgentias, quas lucrantur, qui cum habitu religioſorum petunt ſepeliri; vide apud Rodrig. *ſup. art.* 10. Caſarrub. *n.* 6. 7. & 8. Bordon. *reſol.* 35. *n.* 68. Lezana *verbo habitus, n.* 8. Villalob. *difficult.* 5. *n.* 4.

Omnia officia funeralia facienda ſunt à religioſis.

211. Sed modo inquires primo à quo fieri debeat officium ſuper cadavera tumulanda in regularium Eccleſiis? ¶ Reſpondetur, omnino debere fieri ab ipſis regularibus, vel ab aliis de eorum conſenſu; non a Parocho, non à Canonicis, non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili in contrarium, ut declaravit ſacra Congregatio Salmonenſis 8. Auguſti 1629. & in pluribus aliis caſibus, ut teſtatur Barboſa *de Offic. Parochi, c.* 27. *num.* 82. Peyrin. *tom.* 1. *privil. Minim. conſtit.* 2. *Iulii II.* §. 11. *n.* 7. ¶ Imò dum cadavera in prædictis Eccleſiis ſepeliuntur, non poteſt Parochus, ſe in aliquo intromittere, nec aliquos actus ibi exercere, ut declaravit ſacra Congregatio apud Lezan. *tom.* 5,

in

in mari mag. Heremit. S. Auguſtini. Qui eodem *tom.5.in mari magno Prædicator.§.43.n.134.* teſtatur declaraſſe Sacram Congregationem, non poſſe parrochos, hæredes defunctorum cogere, eorum, qui in Eccleſiis regularium volunt ſepeliri, ut in ſuis parrochiis celebrent aliquas miſſas, vel novenalia. ¶ Et quidquid à fidelibus in Monaſteriis Religioſorum offertur, regularibus ibi ſervientibus debet competere; nec ſuper hoc ab Epiſcopo, vel aliis presbyteris poſſunt Religioſi moleſtari, ut expreſſe habetur, *c.1.de ſtatu Monach.& cap nimis iniqua,de exceſſib.Prælat.* Imo ſi Parrochi celebrent in monaſteriis Religioſorum, non poſſunt ſibi uſurpare eis ſibi oblata, ut conceſſit Ciſtercienſibus Bonifacius VIII. bulla 9. [Ex quo patet (inquit Doctiſſimus Magiſt. Ioannes à Cruce *lib.2.cap.9. dub.5.concluſ.4.*) non poſſe parrochos ſibi poſtulare candelas, aut alia oblata in Eccleſiis Religioſorum à mulieribus puerperis ſuos filios Domino præſentantibus, ut aliqui clerici perperam, & contra dicta decreta, & privilegia ſibi uſurpare contendunt.]

Quando aliquis apud moniales ſepelitur, ab eis, vel quibus ipſe cōmiſerint, facienda ſūt funeralia officia.

212. Quæ hucuſque dicta ſunt de regularibus, etiam de monialibus exemptis ſunt intelligenda. Quæ etiam exemptæ ſunt à juriſdictione parrochorum, & aliorum in materia funeralium; ita quod nullus intra earum Eccleſias quoties cadavera defunctorum in eis ſepelienda ſunt; nec canonici, nec clerus poſſunt peragere officia defunctorum, ac reliqua quæ in hujuſmodi miniſterio adhiberi ſolent; ſed vel ab ipſis ſunt facienda, vel ab eis, quibus ipſe moniales libere commiſerint. Tum propterea, quæ ſupra *num.*104. diximus. Tum etiam, quia id expreſſe declaravit Sacra Congregatio in quadam lite, Palmæ exorta inter Carmelitas Diſcalceatas S. Antonii de Padua, & Rectorem S.Spiritus, ut teſtatur Doctiſſim. Parmenſis. Franciſcus Bordonus *tom.3.reſol.51.n.213.die 19.Martii 1639.* in hæc verba: *S.C.Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ſæpius cenſuit, quoties cadavera defunctorum, ad Eccleſias Fratrum mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua, quæ in hujuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, non a canonicis, neque à Clero, ſed à Fratribus obiri, ac peragere debere.* Coſm. Cardin. de Torres, P. Fagnanus, die 19. Martii 1639. Eadem Sacra Congregatio cenſuit ſupradictum decretum habere locum etiam in Eccleſiis *Monialium Ordinis mendicantium.* Et ita tenent Bordon. *ubi ſupra.* Pellizzar. *tract.8.ſect.4.n.154.* Ant. à Spir.S. *tract.2.diſp.3. ſect.4.n.131.*

Sæcularis in Monaſterio moriens, in eo ſepeliri poteſt.

213. Inquires ſecundo, an cadaver alicujus ſæcularis negotii cauſa hoſpitans apud Religioſos, ſi ibi in febrim incidat, & moriatur ſepultura non electa, ſepeliendus ſit apud regulares, an in parochia in qua ſitum eſt monaſterium? Reſpondeetur, quod ſepeliri debet in monaſterio, in quo decidit. Tum ex jure comuni, *in cap.1.16.q.1.* ubi dicitur: *Mortuum non ſepeliat niſi monachum in Monaſterio ſecum commorantem, vel ſi fortuito quemquam advenientium Fratrum ibi mori contigerit.* Vbi ut bene ponderat Bordon. *reſol.51.num.168.* nomine *Fratrum* non veniunt monachi converſi, quia iſti ſub primo vocabulo continebantur, aliis non poſſent in ſuis monaſteriis ſepeliri, niſi ſolum monachi clerici; ſed intelliguntur fratres peregrini, ſive clerici, ſive laici, eo, quod omnes fideles ad invicem fratres ſunt, ſecundum illud Chryſoſtom. Homil.25. in epiſtol. ad Hæbreos: *Fratrem in hoc loco, omnem fidelem intellige, non monachum tantum. Quid eſt autem quod facit fraternitatem? niſi lavacrum regenerationis, quod facit vocare Deum Patrem.* Tum etiam, quia in tali caſu Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ-Vnctionis recipere debent à regularibus, cum parrochus intra clauſtrum, nullum Sacramentum conferre, aliumve actum juriſdictionis exercere valeat: ſed jus ſepulturæ pendet ab adminiſtratione Sacramentorum; & ideo in jure, & privilegiis utrumque munus adminiſtrandi ſacramenta, & concedendi ſepulturam eidem impertitur, uti ex privilegiis ſupra *num.*204. cernitur, & ex jure, *ex cap.ex parte, cap. in noſtra, de ſepult.* & docet Gloſſa *cap.ubicumque initio,13. q.2.*Sylveſt. *verb.ſepult.q.8. diſt.2.* ergo ſi prædicto, in monaſterio debent ſacramenta adminiſtrari, in eo proculdubio, ſi abſque electione ſepulturæ decedat, debet ſepeliri. Imo hoc ipſo, quod ſe in infirmitate voluit ad monaſterium deferri, virtualiter elegit, & voluit, ſi tunc moreretur in eo ſepeliri. Sic Peyrin. *tom.1. privileg. Minimor. ad conſtitut.1. Iulii II. num.94.* referens Rodriguez, Graffis, & Reginald. Samuelius *de ſepult. tract.1. controverſ.15. num.4.* Lezana *tom.3.verb ſepultura, à num.30.* Bordon. *reſol.51.n.169.*

214. Simili præcedenti eſt alia quæſtio, quam excitat dictus Franciſcus Bordon. *num.216.* an nimirum Religioſi poſſint miniſtrare ſacramenta, & ſepeliri in ſua Eccleſia famulam conductam pro fabrica monaſterii, è qua cecidit, & poſtmodum in Conventu mortuus eſt? ¶ Ad quod reſpondet, quod licet huic poſſint Religioſi Sacramenta miniſtrare, non poterunt eum in ſua Eccleſia, niſi hoc ipſe elegerit, ſepulturæ tradere; ſed hoc ad parrochum pertinere: quia iſte jus habet ſepeliendi in ſua Eccleſia ſuos ſubditos, ubicumque moriantur, ſepultura non electa, vel niſi ipſi alibi habeant majorum ſuorum ſepulturam, *cap. ex parte, cap. in noſtra.* ¶ Sed neſcio an conſequenter id aſſerat Bordonus, qui in præcedenti caſu inde probat illum, qui curationis cauſa ad monaſterium ſe recepit, ibi ſepeliri debere, quia à Religioſis debet Sacramenta recipere, ab eis debet tumulari: quia de jure canonico certiſſimum eſt, quod quis humari debet, ubi ſacramenta recipit, ſine electione ſepulturæ, ut probat Samuelius *ſup. n.55.* ex Gloſſa *cap. dudum, de ſepulturis in 6.* quia jus ſepulturæ, ut dicebamus, pendebat ab adminiſtratione Sacramentorum, ut tenet Sanchez *de Matrimonio, lib 3. diſputat.25. num.17.* Barboſ. *de officio Parroch. part.3. cap.26. num.34.* Lezana *ſup. num.74.* ¶ Sed cum dicto Bordon. convenimus in eo, quod dicit *num.67.* Quod ille, qui omnia ſua bona reliquit Religioni donatione, aut teſtamento, ſi ſepultura non electa moriatur, nec alibi habeat majorum ſepulchrum, ſepeliendus eſt ubi regularibus, quos inſtituit hæredes placuerit, quia hæres ſuccedit in omne jus defuncti, *l.Hæredem, ff.de regul. iur.* Cum ergo defunctus haberet jus eligendi ſibi ſepulturam, hoc jus tranſtulit in ſuos ſucceſſores.

Similis præcedenti caſus reſolvitur.

§. IV.

De portione Canonica Epiſcopis debita, & quarta funerali ſolvenda parrochis.

Quæ ſit portio canonica, quæ non eſt in uſu in Hiſpania?

215. CUm ſepultura connexa eſt ſolutio portionis canonicæ, quæ ſic dicitur, quia eſt à ſacris canonibus ſancita, & hæc eſt in duplici differentia: alia Epiſcopalis, & eſt illa portio, vel quantitas, quæ debetur Epiſcopis, ab omnibus Eccleſiis ſuæ Diœceſis ex legatis, & donationibus cauſa mortis eiſdem Eccleſiis, & aliis locis piis relictis, *cap. de his 40.quaſt.1.cap.conſtitutum 16. q.1. Clement. dudum, de ſepult.* Quæ Epiſcopis à ſacris canonibus aſſignatur ratione onctis, quod in adminiſtratione Epiſcopatus ſuſtinet, & in recognitionem ſuperioritatis, & ob communicationem, quæ eſt inter Epiſcopum, & Eccleſias ſibi ſubditas: præſertim ob pabulum ſpirituale, quod illis præbet. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc.alleg. 86.num.1.& 7.* Hæc aliquando erat tertia pars, aliquando quarta, & ob id quarta canonica dicebatur legatorum, & aliorum, quæ in Eccleſiis relinquebantur. Sed in hoc ſtandum eſt conſuetudini, ut decernit Innocentius III. *in cap. requiſiti,de teſtam. & ultim. volunt.* Cæterum vix in Hiſpania eſſe in uſu, & conſuetudine hanc ſolvere portionem canonicam Epiſcopis, teſtatur idem Barboſa *de iure Eccleſiaſt. lib.3. cap.19. num.10.* Hieronym. Garcia *in Politic.regul.tom.1. tract.8. difficult.3. dub.3. punct.1. num. 2.* & in Diœceſi Salmantina, in qua ſcripſit, teſtatur Villalob. *part.2. tract.31. difficult.7. num.1.* & nos idem aſſerimus, in qua etiam ſcribimus, qui poſtquam per viginti quatuor annos in ea commoravimus, nunquam audivimus aut peti, aut ſolvi talem portionem canonicam.

Portionem canonicam ſolvere, non tenentur regulares exempti.

216. Sed eſto in ſuo vigore, & obſervantia eſſet ſolutio huiuſmodi portionis canonicæ, monaſteria tamen regularium exemptorum tam virorum, quam mulierum eam ſolvere non tenerentur. Tum extravagant. *Inter cunctas, §. de quibuſcumque, de privileg.* Vbi poſtquam Pontifex dixit teneri regulares parrochis, & rectoribus Eccleſiarum quartam funeralem (de qua poſtea) ſolvere, addit: *Vltra portionem autem huiuſmodi nihil valeant parrochiales rectores, curati, & prælati exigere ſupradictis; neque illis dicti Fratres amplius impendere ſint adſtricti, neque à quoquam poſſint aliqualiter coërceri.* Tum etiam: quia textus adducti *num. præced.* quibus talem portionem Epiſcopis ſolvi decernitur, loquuntur de legatis, & aliis donationibus relictis propriis Epiſcoporum Eccleſiis ob curam illarum, & ob ſuperioritatem in illas: quæ omnia ceſſant in monaſteriis exemptis, quorum Eccleſiæ nec ſunt propriæ Epiſcoporum, neque illarum curam gerunt, neque in eis habent aliquam iuriſdictionem, vel ſuperioritatem. Tum denique: quia dantur circa hoc plura regularium privilegia. Nam ita conceſſit Iulius II. Dominicanis, & Minoribus, ut refert Rodriguez *tom.3. qq.regular.q.46 art.1.* Eugenius IV. Benedictinis, ut refert Garcia *ſup. num.5.* & Sixtus IV. Carmelitis in eorum Mari magno, ut refert Lezana *tom.1.part.2. cap.1.n.3.& tom.2. verb.Canonica portio, num.7.* & hoc cum expreſſa revocatione Clementinæ *Dudum*: & alia dantur privilegia Quare noſtram ſententiam tenent Sylveſt. *verbo canonica portio, q.3.* Rodriguez, Lezana, & Garcia *locis citatis*, Barboſ. *cap.19. cit. num.11.* Miranda *in manual.tom.2. quaſt 48.art.2.* Lavorius *titul.2. cap.17.num.81.* Bonacin. *tom.2. diſp.3. de contract.q.22.punct.3.num.2.* Tauburin. *de iure Abbat.tom.1. diſp.15.q.16. num.4.* Anton. à Spiritu ſancto *tract.2. diſp.3. ſect.4. num.120.* Ioannes à Cruce *lib.2.cap.9.dub.5. num.1.* Bruno Caſaing. *2.p. tract.8.cap.4. propoſ.1.* & alii communiter.

Portionem parrochialem, quæ dicitur quarta funeralis, omnes ſolvere tenentur.

217. Alia eſt portio canonica, quæ dicitur parrochialis, ſeu funeralis: & eſt illa portio, quæ debetur Eccleſiæ parrochiali, ſeu rectori illius de funeralibus, & legatis relictis Eccleſiæ, apud quam parrochianus elegit ſepulturam, & de omnibus, quæ obveniunt ratione funeris, ſeu in die funeris, ut patet ex pluribus textibus ſub titulo de ſepulturis, citatis, & infra adducendis. Hæc aliquando fuit tertia pars, aliquando dimidia; ſed frequentius quarta: ob idque *quarta funeralis* communiter dicitur, ut conſtat ex Clement. *Dudum, de ſepult. extravagant. comm. ſuper cathedram, de ſepultur.* Sed in hoc ſtandum eſt omnino conſuetudini legitimæ introductæ, ut probat Gloſſ. *cap.1. de ſepult.verſicul.tertiam partem.* ¶ Hæc portio eſt magis in praxi, & ſecundum jus commune eam tenentur ſolvere omnes regulares quantumvis exempti, niſi ſpeciali privilegio à ſolutione quartæ funeralis eximantur, ut conſtat ex dicta *Clement.Dudum,& extravag.ſuper cathedram*, ubi revocantur omnia privilegia, & omnes conſtitutiones, & pacta in contrarium. Sic tenent omnes Doctores, quamvis aliqui excipiant moniales, quia textus ſolum cum Religioſis viris loquantur, & cum ſit lex pœnalis, non debet extendi ad moniales, niſi exprimantur. Sic Azor *part.2.lib.9.cap.13.q.5.* Navarr. *in lucern. regular. verb.quarta,num.1.* Sed contrarium eſt omnino tenendum, uti ex Trident. & bulla Pii V. infra addocenda colligunt Barboſa *de iure Eccleſ.lib.3. cap.24. num.13.& 14.* Garcia *tract.8. difficult.4. dub.3. punct.2. num.6.* Portel. *in dubiis regul. verb. portio canonica, num.8.* Lezana *verb.quarta funeralis.* Hieronym. Rodriguez *in compend.reſol.18. num.17.*

Quæritur privilegia de non ſolvenda quarta funerali proficere poſſint.

218. Diximus *niſi ſpeciali privilegio, &c.* quia in hac parte communicationem generalem privilegiorum non ſuffragari, aliqui contendunt: quia privilegia, quæ ſunt in tertii præjudicio (ut iſtud de exemptione à ſolutione quartæ funeralis, quod cedit in detrimentum parrochorum) non communicantur: pro quo diverſas deciſiones affert Barboſa. Pro nobis alias adducit Bonacina *tom.2. diſp.3. q 22. punct.2.n.3.* Tambur. *tom.1.diſp.13.q.16.n.8.* Alias Molfeſius *part.2.Summ.tract.13.cap.9 num.28.* Lezana *verb. quarta,num.3.* Alias Quaranta *in compend. privileg. mendicant. verb. quarta Epiſcopal. num.26.* Garcia *ſupra num.8.* ¶ Verum eſt id, quod *loco citato*, docet Barboſa. Quod ut privilegium in hac parte vim habeat, debet derogare in ſpecie *Clementin. Dudum*, quia eſt Conciliaris, in Concilio Viennenſi edita, & ut diximus *cap. præced. num.41.* Concilio generali non derogatur, niſi de illo expreſſa mentio fiat. Illud vero non admittimus, quod aliqui dicunt, non ſuffragari ad hunc effectum privilegia, in quibus adeſt clauſula: *ſalva juſtitia Eccleſiarum, parrochiarum,* vel

ſimilis

ſimilis: quia hac poſita, dicunt, cenſentur Summi Pontifices non voluiſſe concedere dictam exemptionem: quia alias non eſſet ſalva juſtitia Eccleſiæ parrochialis. Cæterum oppoſitum ſentiendum eſt, cum in privilegio adeſt expreſſa exemptio à ſolutione quartæ funeralis, cum revocatione Clementin. *Dudum*: quia dicta clauſula debet intelligi de aliis, quam de expreſſis, & de rebus compatibilibus cum privilegio; non tamen ut ſonat expreſsè in privilegio. Tambur. aliis citatis *diſp.*13.*q.*18.*n.*12.

---

§. V.

Privilegia, quibus Carmelitæ Diſcalceati à ſolutione quartæ funeralis eximuntur.

Ferè omnes authores dicunt Carmelitas Diſcalceatos non teneri ſolvere quartam funeralem.

219. Licet diverſæ Religiones diverſis fungantur privilegiis de hac materia, ut dicemus §. *ſequenti*, quia tamen cum noſtris in diverſis Hiſpaniæ oppidis multoties exortas lites conſpeximus, quæ vix extinctæ ſunt; ut præ manibus habeant Religioſi noſtri privilegia eis nominatim conceſſa, quibus ab importunis exactionibus parrochorum liberentur, placuit in præſenti ea ſigillatim recenſere. Vix enim ex ſcriptoribus, quos vidimus, agentibus de hac materia, & textum Concil. Trident. infra adducendum, explicantibus, aliquem reperimus, qui ſpecifice Carmelitas Diſcalceatos nominando, eos à ſolutione quartæ funeralis non liberet. Iſti ſunt Villalob. *tom.*2. *tract.*31. *difficult.*7. *num.* 9. Ioánnes de la Cruz *lib.*2. *cap.*9. *dub.*5. *concluſ.*2. Lezana *tom.*1. *part.*1. *cap.*3. *n.*12. *& tom.*3. *verbo quarta funeralis a.*3. *& tom.*5. *in mari magn. Carmelit.*§.18. *num.*353. Antonius à Spiritu ſancto *ſect.*4. *num.*138. Urbanus *tract.*2. *part.*2. *cap.*5. *regul.*10. *fol.*168. Hieronym. Garcia *tom.*1. *tract.*8. *difficult.*3. *dub.*3. *punct.*2. *num.*10. Rodriguez *quæſtionum regularium, tom.*1. *quæſt.*39. *art.*2. Baſſæus *verbo quarta parrochialis, num.*4. Tambur. *tom.*1. *diſput.*15. *quæſt.*18. *num.* 15. Barboſa *de iure Eccleſiaſt. tom.*2. *lib.*3. *cap.*24. *num.*13. Naldus *in Summa, verbo ſepultura, num.*1. Bruno 2. *part. tract.*8. *cap.*2. *propoſ.*1. & alii omnes, qui dicunt monaſteria fundata citra quadraginta annos ante Tridentinum non teneri ſolvere quartam funeralem, quos infra dabimus.

Privilegium Nicolai V. ponitur in favorē Carmelitarum.

220. Probatur primo ex privilegio Nicolai V. pro omnibus Carmelitis conceſſo, quod in noſtro compendio habetur *fol.*49. & quod referunt Miranda *tom.*2. *quæſt.*4. *art.*6. *concluſ.*4. Rodriguez *tom.*1. *quæſtionum regularium, quæſt.*39. *art.*1. Caſarub. *verbo canonica portio, num.*5. ubi ait: *Iſta eſt melior, & copioſior conceſſio, quæ ſit in omnibus privilegiis Fratrum mendicantium in materia iſta.* Nam ibi Pontifex cum expreſſa revocatione Clement. *Dudum*, ſic ait: *Vobis, & dicto Ordini veſtro perpetuo concedimus, ut de illis, quæ vobis pro fabrica Eccleſiarum, & Conventuum veſtrorum, Eccleſiaſticis ornamentis, luminaribus, anniverſariis, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, & aliis divinis cultibus, pictantiis, indumentis, calceamentis emendis, celebrandis, & habendis in eiſdem, necnon annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliqua domus, prædiaque cum hortis, & aliis locis Ordinis ejuſdem obligata noſcuntur per Chriſti fideles eleemoſyna pietatis intuitu, ſive in funeralibus, oblationibus, ſepulturis, ultimis voluntatibus, legatis, aut alias quoquo modò bonis, nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere, aut ad id valeatis coarctari, &c.* & hanc conceſſionem ampliſſimè confirmavit Sixt. IV. in bulla *Dum attenta*, quæ eſt mare magnum Ordinis. Idemque conceſſere Carmelitis Iulius II. & Clemens VII. ut refertur in bulla Clementis VIII. quam infra dabimus: quia pro nobis Carmelitis Diſcalceatis hæc omnia confirmavit.

Aliud privilegium Clement. VIII. pro Carmelitis Diſcalceatis.

221. Secundo probatur ex tribus ampliſſimis privilegiis nobis Diſcalceatis Carmelitis conceſſis, de exemptione à quarta funerali. Primum eſt Clementis VIII. in bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* Romæ expedita apud S. Marcum, die 3. Iunii 1595. Pontificatus ſui anno 4. & habetur *in Compendio Ordinis folio* 188. *&* 189. ubi inter alia dicit: *Ipſos vero Conventus, ſeu Fratres ad hanc ipſam portionem, ſeù quartam ſolvendam minimè teneri in vim privilegiorum per plures Romanos Pontifices, præſertim felicis record. Nicolaum V. Iulium II. & Clementem VII. qui Fratres Carmelitas, & alios mendicantes ab hujuſmodi ſolutione liberos eſſe voluerunt. Quibus privilegiis ipſi fratres* (de nobis loquitur) (*quibus illa etiam quoad quartam funeralium nos ipſi confirmavimus*) *prætendere.* Et poſtea ſubjungit: *Nos igitur ex Venerabilium Fratrum noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum ſententia, Ordinem prædictum Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, eiuſque Conventus, cœnobia, & fratres univerſos, quippe qui Carmelitanæ Religionis privilegiis à diverſis Pontificibus conceſſis, etiam ex ſpeciali noſtra confirmatione, ſeu communicatione fruuntur, ad ſolutionem quartæ funeralium hujuſmodi, cum uti proponitur dicta Religio ante annos quadraginta ante confirmationem Concilii Tridentini, à prædictis Nicolao V. & Iulio II. ab ea ſolutione fuerint exempta; minime teneantur: ſique per quoſcumque iudices Ordinarios, & legatos, etiam cauſarum Apoſtolici Palatii auditores ſublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quamvis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Omnibuſque, & ſingulis parrochis, & aliis quibuſcumque perſonis, ne dictos fratres ſuper præmiſſis quoquo modo moleſtare audeant, ſeu præſumant interdicimus, & inhibemus, &c.* & concludit: *non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſvis ſtatutis, ac conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Aliud privilegii ejuſdē Clem. VIII. pro Diſcalceatis Carmelitis.

222. Secundum eſt ejuſdem Clementis VIII. in bulla incipiente: *Quod ſemel ab Apoſtolica Sede*, Romæ expedita apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 24. Martii anno 1597. & Pontificatus ſui anno 6. & habetur *in Compend. Ordinis fol.*199. & in bullario Rodriguez *bulla* 26. *eiuſdem Pontificis*, in qua in judicio contradictorio, in controverſia orta inter Rectorem domus S. Ioſeph Carmelitarum Diſcalceatorum, & Rectorem Eccleſiæ parrochialis S. Mariæ del Pino ejuſdem civitatis ſuper quartam funeralem; Summus Pontifex primo refert declarationem Cardinalium de non ſolvenda quarta funeralium à dictis Fratribus Carmelitis Diſcalceatis; & poſtea illam confirmaſſe affirmat: ac demum Fratres ipſos Carmelitas Diſcalceatos à ſolutione quartæ funeralis

funeralis eximit, & litem extinguit, prædicto Rectori S. Mariæ del Pino perpetuum ſilentium imponit, ac huius brevis executinnem Epiſcopo Batchinonenſi committit.

Aliud privilegium Pauli V. pro Diſcalceatis Carmelitis.

223. Tertium eſt Pauli V. in bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* Romæ expedita apud S. Mariam ſub annulo Piſcatoris die 20. Auguſti 1605. Pontificatus ſui anno 1. & habetur in Compendio Ordinis *folio* 333. ubi relata à Summo Pontifice declaratione S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum aſſeren e, monaſteria ædificata quadraginta annis ante Concil. Trident. & poſt ipſum quadraginta annis, & citta erecta, non teneti ſolvere quartam funeralium, ſi ſint illius Ordinis, cui à Sede Apoſtolica ante quadraginta annos indultum fuit, ut eandem quattam non teneantur ſolvete, addit Paulus V. *Volumus, mandamus. decernimus, & declaramus omnia, & ſingula hujus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo monaſteria ſeu domus in quibuſcumque mundi partibus à quadraginta annis ædificata* (uti ſunt omnia Carmelitarum Diſcalceatorum cœnobia) *illorumque Conventus, & fratres nullo modo, nullave ratione teneri ad ſolutionem dictæ quartæ funeralium; & ob non ſolutionem hujuſmodi aliquas ſententias, cenſuras, & pœnas incurrere poſſe.* Et concludit: *Non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac quibuſcumque clauſulis, & decretis in genere, ac in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis approbatis, & innovatis quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialibus, & ſpecifica, expreſſa, & individua; non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes expreſſè derogamus, &c.*

Decretum Cócilii Tridentini adducitur, & explicatur.

224. Sed quia in dictis privilegiis fit mentio Concilii Tridentini, quod ſolent pro ſe, & conttarios litigantes afferre; cum tamen noſtram aſſertionem manifeſtè confirmet, illius verba proponemus, ut ex ipſis juſtitia noſtra luce manifeſtior appareat. Dicit ergo Concilium *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *Decernit Sancta Synodus, ut quibuſcumque in locis jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur Cathedrali, aut parrochiali Eccleſiæ ſolita eſſe perſolvi ac poſtea fuerit ex quocunque privilegio, aliis monaſteriis, hoſpitalibus, ac quibuſcunque locis piis conceſſa, eadem poſt hac, integro jure, & eadem portione, quæ antea ſolebat Cathedrali, ſeu parrochiali Eccleſiæ perſolvatur non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, & aliis quibuſcumque.* Ubi quatuot virtualiter imbibit hoc decretum. Primum, quod monaſteria quæ 40. annis ante Concilium ſolita erant ſolvere quartam funeralium, teneri etiam nunc ea ſolvere, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis. Secundum, quod illa monaſteria fundata ante Concilium, quæ ſolita non erant dictam quattam ſolvere pet quadraginta annos, hodie non teneantur ad illam. Tertium, quod monaſteria fundata ante Concilium citra 40. annos non teneantur ad eam; ſiquidem Concilium loquitur ſolum de monaſteriis fundatis ante Concilium, ante quadraginta annos, non citra. Quattum, quod monaſteria fundata poſt Concilium (talia ſunt omnia monaſteria Carmelitarum Diſcalceatorum) aut in poſterum fundanda, non teneantur ſolvere dictam quartam, eo, quod nullo modo in decreto Concilii comprehendantur; ſiquidem Concilium ſolum loquitur de fundatis ante ipſum, & quæ ſolita erant eam ſolvere, quod minime accidit in monaſteriis fundatis, aut fundandis poſt Concilium. Sic communiter Doctores explicant hoc decretum. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 31. *difficult.* 7. *num.* 9. Hieronym. Garcia *tom.* 2. *Polit. regular. tractatu* 8. *difficult.* 3. *dub* 3. *punct.* 2. *num.* 9. Tambur. *tom.* 5. *diſputatione* 15. *quæſtione* 18. Pellizzar. *tractatu* 8. *cap.* 5. *ſect.* 4. *num.* 161. Antonius à Spiritu ſancto *tractatu* 2. *diſputatione* 3. *ſect.* 4. *num.* 138. Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 48. *art.* 8. & 14. Lezana *tom.* 3. *verb. quarta funeralis, num.* 5. Rodriguez *tom.* 1. *quæſtionum regularium, quæſt.* 39. *art.* 2. Naldus *in Summ. verb. ſepultura, num.* 1. Portel. *in dub. regul. verb. canonica portio, n.* 1. Ioannes à Cruce *de ſtatu relig. lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 5.

Bulla Pii V. etſi mendicantium revocata non eſt à Gregorio XIII.

225. Et quod ita ſit Concilium intelligendum præter Doctorum authoritatem communiter ſic interpretantium, præter privilegia ſupra relata Clementis VIII. & Pauli V. in quibus ita intelligi debere decernitur; conſtat ex bulla Pii V. pro omnibus mendicantibus expedita; quæ incipit: *Etſi mendicantium*, anno 1567. & habetur *tom.* 2. *bullar. inter bullas hujus Pontificis, num.* 41. ubi dicit: *quartam autem funeralem de qua Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *nequaquam ſolvere teneantur Monaſteria, quæ à quadraginta annis citra fundata exiſtunt poſtquam Concilium confirmatum eſt; quia Concilium ipſum loquitur tantum de monaſteriis ante quadraginta annos fundatis, quæ ipſam quartam ſolvere conſueverunt.* Nec talis bulla Pii V. quoad hanc partem revocata fuit per aliam Gregotii XIII. quæ incipit: *In tanta*, & habetur *tom.* 2. *bullaris inter conſtitutiones illius, num.* 9. Nam Gregorius XIII. ſolum per ſuam bullam (eſto poblicata fuerit, quod aliqui dubitant) *In tanta*, revocavit dictam bullam Pii V. *Etſi mendicantium* quatenus pluta indulta continebat contraria Concilio Tridentino, non vero illam revocavit ſecundum quod ipſum Concilium, & mentem illius declarabat; quia cum ad ſupremum Paſtorem pertineat hæc dubia, & controverſias decidere, in quantum erat declaratoria Concilii eam in ſuo robore reliquit. Sic Peyrin. *tom.* 2. *privileg. Minimor. in conſtitut.* 7. *Pii V. num.* 3. Barboſ. *de iure Eccleſ. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 14. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 107. Garcia, Ioannes à Cruce *ubi ſupra* Portel. *in reſponſ. caſuum, part.* 2. *caſu* 26. *num.* 6. & 7. Tambur. *ſup. num.* 7. Rodriguez *tom.* 1. *quæſtione* 39. *art.* 2. Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 12. & *part.* 2. *cap.* 1. *à num.* 29. & *tom.* 3. *verb. quarta funeralis, num.* 6. Rota *in una licen. quart. funeral. Luna* 15. *Ianuarii* 1618. cotam Domino Decano Coccino, quam affert ad longum Tamburin. *tom.* 3. & eſt in Ordine 84. *num.* 6. & quod plus eſt Paulus V. quadam bulla expedita anno 1607. & eſt 32. apud Cherubin. approbat declarationem Pii V. tanquam conformem menti Tridentini. Et ipſe Pius V. id ipſum confirmavit in alia bulla incipiente: *Ad hoc nos Deus*, & habetur 2. *tom. bullaris Cherubin. ſub num.* 41. in quo ſimilia verba habentur.

Sacræ Congregationis declarationes, & de-

226. Præterquam quod multoties à Sacra Congregatione Cardinalium Concilii interpretum, declaratum fuit Concilium eodem modo ac

ciſiones Rotæ.

ne illud S. Pius V. explanavit. Et ut alias prætermittamus unam adducemus, quam refert Farinacius *in 4.volumen. idecſionum*, *pagin.*115. *colum.*1, per hæc verba: *Congregatio Concilii cenſuit non comprehendi monaſteria ædificata à quadraginta annis citra, aut quæ in dies ædificantur; præſuppoſito, quod hujuſmodi monaſteria ſint ejus Religionis, cui à Sede Apoſtolica indultum ſit, ut quartam funeralem non teneantur Epiſcopo ſolvere.* Aliam declarationem ad inſtantiam, & favorem Conventus S. Dominici de Napoles Ordinis Minorum refert Quaranta *in Summ. bullar. verbo privilegium regular.* & Lezana *tom.*1.*cap.*3. *num.*13. Aliam refert Tambur. *tom.*1. *diſput.*15. *quæſtione* 16. *num.*15. & aliæ plures videri poterunt apud Rodriguez *tom... quæſtione* 8. *art.*9. *& quæſtione* 43.*art.*7.*& quæſtione* 39. *art.*2. Molfeſium 2.*part. Summ. tractatu* 13.*cap.*9.*num.*30. Quod etiam à Sacra Rota deciſum eſſe teſtatur Barboſa *de officio, & poteſt. Epiſcopi,alleg.*86. *num.*17. Tambur. *tom.*1. *diſput.*15. *quæſtione* 17. *num.*7. Et cum utraque bulla Pii V. ſupra relata: *Etſi mendicantium: & ad hoc nos Deus*, expreſsè moniales nominet, illas etiam exemptas eſſe à ſolutione quartæ funeralis, omnes communiter docent.

Plures ſententiæ in favorem Carmelitarum Diſcalceatorum de non ſolvenda quarta funerali.

227. Cum ergo habeant Diſcalceati Carmelitæ exemptionem à ſolutione quartæ funeralium, tum ex privilegiis antiquis Nicolai V. Sixti IV. Iulii II. & Clement. VII. toti Ordini Carmelitarum conceſſis, & à Clemente VIII. pro nobis ſpecialiter confirmatis, & innovatis; tum etiam ex ſpecialibus Clementis VIII. & Pauli V. nobis Diſcalceatis conceſſis; tum deinde ex Concilio Tridentino, & repetitis Pii V. conſtitutionibus; tum præterea ex declarationibus S.Congregationis Cardinal. & S.Rotæ deciſionibus; tum denique ex communi Doctorum ſententia de hac re ſcribentium: mirum eſt nonnullos parochos harum Apoſtolicarum conſtitutionum minus peritos, non ſine conſcientiæ diſcrimine (peccant enim in hoc mortaliter, ut prædicti authores loquuntur) velle adhuc illos moleſtare, & cum tumultibus, & litibus cogere ad dictæ quartæ portionis ſolutionem. Cæterum in hac parte in judicio contradictorio....ſemper victi,& condemnati evaſere. Omittimus ſententias diffinitivas multoties pro nobis promulgatas Abulæ, Segoviæ, & aliis partibus. Quinque referam, quas hic Salmanticæ obtinuimus in favorem huius Collegii, cuius, licet indigni, Rectores ſumus, & quorum tranſumpta fideliter authenticata in archivo huius domus aſſervantur. Prima habita fuit 22. Aprilis, anno 1598. contra parrochos, & beneficiatos S. Poli. Secunda die 19. Martii an. 1619. contra Rectores, & clericos S.Blaſii, & S. Thomæ. Tertia 21. Maii 1622. contra Clericos, & Beneficiatos S.Iſidori, & S.Martini. Quarta 28. Martii anno 1624. contra regale Capitulum S. Marci. Quinta 3. Novembr. an. 1628. contra totam Eccleſiam Cathedralem, & Capitulum illius: ob idque tanquam negotium, quod jam in rem judicatam tranſiit, pacifice hoc privilegio fungimur, nec ullus eſt, qui audeat contra illud jam recalcitrare.

§. VI.

Quæ Religiones ſint à ſolutione quartæ funeralis exemptæ? & quid teneantur ſolvere, quæ illam reddere tenentur?

228. DIcendum eſt omnes ſacras Religiones exemptas, vel per communicationem (quam in hac materia ſuffragari diximus *n.*218.) vel propter ſpecialia privilegia illis conceſſa, ex vi illorum (niſi alias obſtet decretum Tridentini, de quo ſtatim) exemptas eſſe a ſolutione quartæ funeralis. Diximus ex vi privilegiorum, quia in pluribus locis ex conſuetudine, & pacto, vel ex conſuetudine immemorabili, vel negligentia, aut omiſſione monaſteriorum illam ſolvere vidimus. Sed illud ad memoriam reducere duximus; quod hoc tractatu multoties indicavimus; quod licet in uno vel alio Conventu ſolvatur hæc quarta funeralis, vel ob non uſum ſui privilegii, vel per uſum, vel conſuetudinem contrariam, hoc in nullo præjudicare poteſt exemptioni aliorum illius Ordinis cœnobiorum, in quibus adhuc in ſuo vigore perſiſtit. Imo etiam in illo vim, & vigorem obtinebit, quoties illud velint regulares redire, qui ex negligentia aliave ratione (niſi ſit ob pactum expreſſum, quo tali privilegio ceſſerunt) contra illud operabantur: quia cum in reliquis Conventibus ſit in ſuo vigore, privilegium ob communicationem, quam ſemper cum illis participant, illis quando voluerint, poteſt illis ſuffragari. Miranda *tom* 2. *quæſt.*48. *art.*15. Bruno 2.*part.tract.*8.*cap.*2.*propoſ.*1 *prope finem.* Rodriguez *tom.*1. *quæſt.*8. *art.*2. *& tom.*3. *quæſt.*51. *art.*5. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.*35. *num.*20. Abbas Felinus, & Hieronym. Rodrig. apud Lezan. *tom.*5. *in mari magn. Carmelitar. num.*351.

Per hoc; quod unum monaſterium, quartam funeralem ſolvat, alia eiuſdem Ordinis privilegium non amittunt.

229. Igitur hoc indultum conceſſit Gregorius XI. Martinus V. ſimul cum Sixto IV. cum derogatione Clementinæ *Dudum*, Minoribus, & Prædicatoribus. Et ipſe Sixtus IV. apud Confectium *pagina* 66. pro Curatis cogentibus regulares ad eam ſolvendum impoſuit pœnam excommunicationis, & privationis ſuorum beneficiorum, & aliorum, cum inhabilitate ad eadem, & alia in poſterum obtinenda. Et Iulius II. & Iulius III. idem conceſſit pro Minoribus, & Eugenius IV. pro Benedictinis S.Iuſtinæ, ut refert Rodriguez *in Bullar. bulla* 12. Tambor. *tom.*1. *diſputat.*25 *quæſt.*17. *num.*6. ubi etiam aliud refert Iulii II. pro Congregatione Valliſumbroſæ, & etiam pro Minoribus Leo X. bulla, quæ incipit: *Exponi nobis*, Alexander VI. bulla, quæ incipit: *Sacra Religio*, & Paulus IV. *Ex Clementi*, cum revocatione Clementinæ *Dudum*. ¶ Quæ omnia intelliguntur, cum temperamento poſito à Tridentino *ſeſſ.*25.*cap.*13. de quo diximus, *num.*224. nimirum, quod illa monaſteria fundata ante Tridentinum, quæ per quadraginta annos ante illud ſolita erant ſolvere, non obſtantibus dictis privilegiis illam ſolvere in poſterum teneantur. Illa vero, quæ vel ante quadraginta annos non ſolvebant, vel citra quadraginta annos fundata ſunt, minimè ſolvere teneantur, uti ex declaratione

Privilegia eximentia regulares à ſolutione quartæ funeralis.

ratione Pii quinti, & S. Congregationis, & communi Doctorum placitu ibidem explicuimus.

Quid ex jure ſolvendum ſit ratione quartæ funeralis?

230. Quid autem ſolvendum ſit pro quarta funerali ab his, qui ex conſuetudine, contractu aliove modo illam ſolvere tenentur, eſt non modica inter Doctores confuſio. Dicemus quid ex jure, quid ex privilegiis habeatur; ſupponendo, quod ſemper in hac parte ſtandum eſt conſuetudini, ratione cujus in aliquibus magis, in aliis minus ſolvi conſuevit *Clement. Dudum, & extravag. comm. ſuper cathedram, de ſepult.* hæc circa ſolvenda ratione portionis funeralis diſponunt Pontifices: *Vt dictorum Ordinum Fratres de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuſcumque relictis, ad quoſcumque uſus, etiamſi canonica portio dari non conſuevit, parrochialibus Sacerdotibus, & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis largiri integre teneantur.* Et explicans Benedictus XI. *in Extravag. 1. de privilegiis*, quid nomine *funeralium* intelligatur, dicit: *Funeralia intelliguntur hoc caſu, quæ cum funere deferuntur: de Candelis vero, quas Fratres portant, portio non petatur.* Et hoc ultimum ſtatuit etiam Sixtus IV. in mari magno Prædicatorum: *N. quo in aliquo caſu* (inquit Pontifex) *de candelis, quæ ad manus fratribus dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur.* Lezana *tom. 1. part. 2. cap. 1. num. 48.* Barboſa *de jure Eccleſiaſt. lib. 3. cap. 24. num. 39.* Garcia *in Politic. regular. tom. 1. tractatu 8. difficult. 3. punct. 2. num. 2.*

Quid ex privilegiis ſolvendum ſit ratione quartæ funeralis.

231. Ex privilegiis autem hæc limitata ſunt. Nam Sixtus IV. in bulla *Dum attenta*, quæ eſt mare magnum Carmelitarum, hæc dicit: *Et ſi forte per nos aut Sedem Apoſtolicam de piè legatis, diſpoſitis, vel relictis, decima, vel alia portio, ſeu quarta alteri piè, vel non piè cauſa ex quavis cauſa hactenus conceſſa fores, vel in poſterum concedi, aut ſolvi, aut dari contigerit, fratres prædictos, ac eorum domos, ac ejus legata, & relicta, aut alias in eorum favorem diſpoſita in conceſſione, & mandatis huiuſmodi, decernimus non includi, niſi de ipſis fratribus, & præſenti decreto, & voluntate noſtra ſpecifica mentio fiat.* Et Ioanne XXII. Nicolaus V. Eugenius IV. & Clemens VIII. pro nobis Diſcalceatis Carmelitis conceſſere non teneti illam reddere portionem, de his, quæ relinquuntur à fidelibus pro ornamentis, miſſis, anniverſariis, pro cultu divino, veſtitu, ac victu Fratrum; quod communiter dicitur non teneri quidquam ſolvere ex his, quæ relinquuntur *ad uſus privilegiatos.* Quod etiam conceſſit Sixtus IV. bull. 14. pro Minoribus, & bulla 33. pro Prædicatoribus; quod non teneantur ſolvere decimam de miſſis, candelis, quæ dantur in manibus Religioſorum, aut de aliis relictis pro ornamentis, libris, & aliis. Ioannes à Cruce *lib. 2. cap. 9. dub. 5. concluſ. 3.* Miranda *tom. 2. quæſt. 48. art. 2.* Garcia *num. 3.* Sed ubi hoc clarius habetur, eſt in bulla Pii V. *Etſi mendicantium* multoties citata, ubi ſic dicitur: *& ubi ſolvi conſuevit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferre contingerit tempore, quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur; non autem de Miſſis, ſeu legatis, vel aliis, fratribus ipſis, ſeu monialibus huiuſmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis ſolvi debet: ſicque intelligi decretum Concilii Tridentini quoad quartam huiuſmodi ſolvendam debere decernimus: neque ad quartam, ſeu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, & pannorum, & aliorum, quæ dictis Eccleſiis relinqui, vel dari contigerit, etiam ſi pro victu fratrum, aut alias relinquantur, aliquid contribuere teneantur.* Similia verba habentur in alia bulla ejuſdem Pii V. *Ad hoc nos Deus*, quam ſupra retulimus, & ita in praxi deberi obſervari communiter tenent Doctores. Covar. *ad cap. ultim. de teſtam. in 6.* Garcia *num. 3.* Azor *part. 2. lib. 9. cap. 14. quæſt. 13.* Lezana *verb. quarta funeralis, num. 7.* Bordon. *tom. 3. reſol. 51. num. 22.* Sylveſter *verbo canonica portio fine.* Uterque Rodriguez Manuel. *tom. 3. qq. regul. quæſt. 43. art. 1.* Hieronym. *reſol. 18. num. 3.* Portel. *in reſponſ. mor. part. 2. caſu 12. num. 2.* Villalob. *tract. 31. diffic. 7. num. 8.* Barboſa *ſupra cap. 24. num. 36.* Crux *lib. 2. cap. 9. dub. 5. concluſ. 3.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 5. ſect. 4. num. 160.* Et alii, qui afferunt plures declarationes Cardinalium, plures in diverſis tribunalibus ſententias, plures circa hoc in favorem regularium Rotæ deciſiones, quæ videri poterunt in Diana *p. 7. in fine inter deciſ. Rotæ.*

Solum ex his quæ funus comitantur, detrahenda eſt quarta funeralis.

232. Quare juxta ſuperius dicta, ac ſecundum conceſſionem Pontificum, declarationes S. Congregationis, Rotæ deciſiones, & communem Doctorum ſententiam, quando ſolvere tenentur regulares quartam, non debet eſſe nec de legatis, miſſis, anniverſariis, &c ſed de his ſolum, quæ funus comittantur: ob idque quarta funeralis dicitur, ut de vino, tritico, pane, cereis, quæ corpus comittantur, vel circa illud in tumulo apponuntur, vel de his, quæ circa crucem, aut cadaver deferri ſolent, & de his, quæ offeruntur, dum corpus in Eccleſia tumulatur. Sed circa hoc conſuetudo, ut diximus eſt obſervanda ſi ſit rationabiliter introducta. ¶ Sed nota, quod quando defunctus, qui eligit ſepulturam apud regulares, legavit aliquid Eccleſiæ parrochiali, in qua ſepeliendus erat; cenſetur illo legato ſatisfacere velle parrochiæ, ejuſque Curatis ob ea, quæ ipſis ratione quartæ funeralis debebantur. Vnde in eo caſu non teneri quidquam ex relictis monaſterio, ratione quartæ funeralis, detrahere, etiam qui quartam ſolvere tenentur; docent Lezana *ſup. n. 10.* Bordon. *n. 36.* & alii quos refert Barboſ. *tom. 2. de jure Eccleſ. lib. 3. c. 24. n. 18.*

CAPUT IV.

De particularibus regularium privilegiis in Ordine ad ſeipſos, & ad ſæculares.

POSTQUAM egimus *cap. præcedenti*, de particularibus privilegiis ex parte materiæ, quia licet eſſent privilegia communia, erant de materiis determinatis, nunc agendum venit de particularibus privilegiis ex parte perſonæ, quia nimirum non omnibus, ſed aliquibus competunt particularibus, quæ non ob id deſinunt eſſe privilegia realia, & fiunt perſonalia, quia non loquimur de privilegiis

particu

particularibus convenientibus ratione perſonarum; ſed ratione munerum, aut officiorum, ut de illis, quæ conveniunt Prælatis, Prædicatoribus, Confeſſoribus, &c. De his ergo *in præſenti cap. agimus.* Quod continet quatuor puncta.

PUNCT. I. *De poteſtate, quam habent Prælati regulares ad abſolvendum, & diſpenſandum ex jure ordinario, & privilegiis*, n.1.

§. I. *De facultate abſolvendi à caſibus reſervatis Prælatis religionum conveniente remiſſivè.* ibidem.

§. II. *An ignorantia excuſet à reſervatione incurrenda?* n.9.

§. III. *Qualiter dubium circa reſervationem peccati, vel cenſuræ excuſet à reſervatione?* n.14.

§. IV. *De facultate Prælatorum ad diſpenſandum in irregularitatibus remiſſivè?* n.24.

§. V. *Qualiter Prælati cum ſuis ſubditis in legibus, & preceptis Eccleſiaſticis valeant diſpenſare? remiſſivè*, n.30.

PUNCT. II. *De Privilegiis regularium in ordine ad audiendas confeſſiones ſuorum religioſorum, aliorum, & ſæcularium*, n.40.

§. I. *Quod regulares, ſuis non obſtantibus privilegiis, tenentur, ab Epiſcopis approbationem habere, ut validè, & licitè poſſint audire confeſſiones ſæcularium*, n.41.

§. II. *De illis, qui poſſunt ſibi confeſſarium eligere ab Epiſcopo non approbatum*, n 49.

§. III. *Poſſitne Epiſcopus cum limitatione regulares approbare? vel, illis idoneis repertis, approbationem non impertiri?* n.60.

§. IV. *An regularis pro una diœceſi approbatus, ad audiendas in aliis ſæcularium confeſſiones, nova indigeat approbatione?* n.71.

§. V. *An regulares ſemel ab Epiſcopo approbati, poſſint iterum ad examen vocari, vel ab eo illorum licentiæ ſuſpendi, donec iterum præſententur, & approbentur?* n.79.

§. VI. *Qualiter unius ordinis religioſi poſſint cum extraneis, ſivè religioſi ſint, ſivè ſæculares, confiteri?* num. 89.

§. VII. *An poſſint regulares uti privilegio bullæ Cruciatæ ad eligendum confeſſorem extra ſuum religionem?* n.95.

§. VIII. *De Privilegiis Confeſſorum regularium, in ordine ad abſolvendum proprios religioſos, à caſibus reſervatis*, n.107.

§. IX. *De facultate, quam habent confeſſarii regulares diſpenſandi vota, & irregularitates ſuorum religioſorum*, n.113.

§. X. *A quibus caſibus, & cenſuris reſervatis poſſint regulares confeſſarii ſæculares abſolvere?* n.117.

§. XI. *Poſſintne modo regulares confeſſarii à caſibus, & cenſuris bullæ Cœnæ occultis ſæculares abſolvere?* num.124.

§. XII. *In quibus irregularitatibus, & aliis pœnis poſſint religioſi cum ſæcularibus diſpenſare?* n.132.

PUNCT. III. *De Privilegiis regularium circa receptionem, & adminiſtrationem aliorum Sacramentorum, & miſſæ celebrationem: remiſſivè*, n.140.

PUNCT. IV. *De Privilegiis, & obligationibus Concionatorum regularium*, n.141.

PUNCTUM I.

De poteſtate, quam habent Prælati regulares ad abſolvendum, ex jure ordinario, & privilegiis.

PLURA, quæ à nobis in hoc puncto agenda erant, in diverſis locis hujus curſus illa examinavimus ſecundum quod materiæ ipſæ poſtulabant: ob idque illa de novo in præſentiarum diſcutere, erit actum agere, & ne de aliis, quæ alibi non ſunt attacta ſermonem faciamus, impedire. Vel certe volumina multiplicanda forent, quod plures faciunt, iterum, atque iterum eandem rem diſcutientes. Sed ne materia, quæ hujus loci tam propria eſt, relinquatur intacta, per illa, quæ in aliis locis ſtabilita relinquimus, brevi calamo in præſenti percurremus; quid tenendum ſit in rebus ſtatuentes, & ad locum, in quo de illis actum eſt, Lectorem remittentes.

§. I.

De facultate abſolvendi à caſibus, & cenſuris Prælatis religionum conveniente remiſſivè.

1. CErtiſſimum eſt in religionibus Prælatos, & Superiores reperiri, qui illas regant, dirigant, & gubernent. Quia ſecundum illud Salomonis dictum Proverb. 11. *Vbi non eſt gubernator, populus corruet.* Et horum aliqui ſunt Prælati Superiores, ut Generales, Provinciales, &c. Alii inferiores, qui dicuntur immediati prælati, qui præſunt immediatè, & proximè in monaſteriis, ut Priores, Guardiani, Rectores, &c. & quicum

Qui veniãt nomine Prælatorũ, qui iuriſdictionem ſpiritualem & temporalem adminiſtrationem habeat?

quicumque alio nomine nuncupati. Et omnes iſti non ſolum habent in ſubditos ſuos dominativam poteſtatem, qualem habet paterfamilias in ſubditos, ſed etiam poteſtatem juriſdictionis Eccleſiaſticæ, qua poſſunt ligare, & ſolvere, & ſic præcepta, & cenſuras ponere, & ab eis, atque à peccatis, & aliis pœnis, vel obligationibus ſubditos ſuos abſolvere. Vnde tam Generales, quam Provinciales, necnon, & Priores habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, in ſibi ſubjectos, ut ſumitur *ex cap. Abbatis de Privilegiis in 6.* & docent communiter Doctores: & merito. Quia poſtquam religioſi exempti ſunt à juriſdictione Epiſcoporum, loco illorum ſuccedunt prælati, cum illa juriſdictione, quam habebant Epiſcopi erga illos. Cum ergo omnes ſupradicti ſint veri prælati juriſdictione ordinaria fungentes, quoties in præſenti de poteſtate, aut privilegiis prælatis convenientibus egerimus; intelligendum eſt de omnibus ſupradictis reſpectivè ad ſuos ſubditos, niſi aliud exprimatur. Et quod de iſtis dictum fuerit, Intelligendum eſt de eorum Vicariis: quia omnem poteſtatem, & juriſdictionem, quam habet Generalis, habet illius Vicarius, qui in eius locum ſuccedit; & idem eſt de Vicario Provincialis, & de Vicariis, ſeu præſidentibus domorum, quando in tali monaſterio non habent alium Superiorem; omnes enim iſti ſunt verè Prælati, & juriſdictione ordinaria funguntur; non vero Superiores, vel illi, qui ut coadiutores Prælatorum, & domorum eliguntur, niſi quando in domibus præſident abſentibus prioribus per diem naturalem; quia tunc tam ipſi, quam alii præſidentes monaſteriorum habent eandem poteſtatem commutandi, diſpenſandi, vel irritandi vota, abſolvendi à reſervatis, diſpenſandi ſuper irregularitatibus, legibus, &c. & cætera faciendi, quæ Prælatus ſi præſens eſſet, facere poterat: quia ſicut eis committitur gubernatio talis monaſterii, & adminiſtratio illius temporalis; ſic etiam juriſdictio ſpiritualis, quam habebat ille, in cuius locum ſuccedunt, & cuius vices gerunt. Hæc obvia, & communia apud authores reperies: & ob id ab eorum citatione abſtinuimus. Vide Lezanam *tom. 1. cap. 18. à num. 1.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 1. 2. & 13. & 22.* Rodriguez *qq. regul. quæſt. 17. art. 6. & quæſt. 20. art. 2. & 3.* Navarr. *comm. 2. de regul. à num. 63. & comm. 3. à num. 40.* Ioannes à Cruce *lib. 1. cap 6. dub. 6.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 2. diſp. 1. ſect. 1. à num. 4.* Peyrin. *tom. 2. de Prælat. quæſt. 1. cap. 4. §. 4. n. 74.* Delbene *tom. 2. cap. 15. dub. 7. à num. 34.*

Ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt Epiſcopi, poſſunt Prælati ſuos ſubditos abſolvere.

2. Cum ergo omnes prælati habeant quaſi Epiſcopalem juriſdictionem reſpectu ſubditorum, ab omnibus caſibus, & cenſuris poſſunt ſuos ſubditos abſolvere, à quibus Epiſcopi poſſunt reſpectu ſuorum inferiorum, ut late probavimus *tom. 2. tract. 10 de Cenſur. punct. 6. à num. 72.* & præter citatos docent Lezana *tom. 1. cap. 8. num. 31.* Fragoſo *tom. 2. lib. 12. diſp. 24. §. 14. num. 13.* Candidus *tom. 1. diſp. 3. art. 2. dub. 2. diſtinct. 3.* Magiſter Hinojoſa, *in direct. diſquiſit. regular. verbo abſolutio num. 1.* Magiſter Donatus *1. p. praxis tract. 13. quæſt. 17. num. 25.* Quot autem, & quales ſint caſus, & cenſuræ, à quibus poſſunt Epiſcopi ſuos ſubditos abſolvere, *loco citato* latè diximus *punct. 5. per totum.* ¶ Vnde poſſunt Prælati regulares ab omnibus caſibus, & cenſuris, quæ Papæ non ſint reſervatæ, & etiam à cenſuris ab homine latis, etiam ſpecialibus, & per ſententiam ſpecialem publice declaratum, ſubditos abſolvere, uti ex privilegiis Pauli V. Sixti IV. & Eugenii IV. docent Pellizzar. *tract. 9. cap. 3. ſect. 5. num. 202.* Lezana *num. 37.* Fragoſo *n. 31.* Candido *tom. 2. diſquiſit. 24. art. 41. dub. 10.* ¶ Poſſunt etiam abſolvere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, & cenſuris Apoſtolicæ ſedi reſervatis, exceptis his, quæ in bulla cœnæ continentur, uti ex privilegio Sixti IV. & Gregorii XIII. diximus *num. 70.* Etiam poſſunt ab illis caſibus, & cenſuris, quæ continentur in Bulla Cœnæ, hæreſi excepta, ut latè probavimus *num. 76.* Sed licet plures authores, quos *num. 75.* dedimus, etiam ab hæreſi occulta poſſe dictos Prælatos abſolvere dicant; oppoſitum tenendum eſt, ut *num. 76.* diximus. Etiam poſſunt Provinciales, Priores conventus, illorumque Vicarii in eorum abſentia abſolvere ſuos ſubditos ab excommunicatione contracta ob percuſſionem gravem, etiam publicam, vel alterius religioſi, vel etiam clerici ſæcularis, ut ibi *num. 69.* ex privilegiis Bonifacii IV. & Clementis VIII. probavimus, pluribus citatis authoribus.

A quibus caſibus Epiſcopis reſervatis, poſſint ſine dubio confeſſores regulares abſolvere ſ.

3. Et ſi petas an poſſint prælati (& idem eſt de reliquis regularium confeſſariis) ſuos ſubditos, vel ſæculares abſolvere à caſibus, vel cenſuris, quas Epiſcopi ſibi in ſpecie reſervent? Hanc difficultatem tetigimus *tract. 10. de Cenſuris, cap. 2. num. 40. & 70.* & in utroque loco partem affirmativam cum pluribus authoribus probabilem judicavimus. Sed eam libuit iterum ad examen reducere propter novas difficultates in præſentiarum occurrentes. Et non eſt difficultas reſpectu religioſorum ſubditorum; quia cum reſpectu iſtorum habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ab his caſibus, à quibus poſſunt Epiſcopi ſuos ſubditos, poſſunt & Prælati ſuos religioſos abſolvere: maxime quia reſpectu religioſorum non ſunt reſervati. Quia cum reſerventur ab Epiſcopo ſolum reſpectu inferiorum Epiſcopi obtinent reſervationem. Vnde ſi forte religioſi in caſum aliquem ab Epiſcopo ſpecificè reſervatum incidant; à quolibet Confeſſario poſſunt ab eo abſolvi, à quo poſſunt à cæteris non reſervatis, quia reſpectu religioſi verè non erat reſervatus. ¶ Etiam ſupponimus poſſe Prælatos, & reliquos confeſſores regulares abſolvere ſæculares à cenſuris latis ab Epiſcopis per ſententiam generalem, ſi reſervatæ non ſint, ut diximus *tractat. 10. de Cenſur. cap. 2. num. 51.* quia tales cenſentur eſſe à jure. Vnde ſicut ab omnibus cenſuris à jure latis ſi non ſint reſervatæ poſſunt omnes confeſſores abſolvere, qui poſſunt abſolvere à peccatis mortalibus, ut latè ibidem probavimus *num. 44.* De cenſuris vero ab Epiſcopo latis per modum ſententiæ ſpecialis, quæ non ſunt ſpecificè reſervatæ, jam diximus ibi *num. 50.* Qualiter poſſint ab eis abſolvere confeſſores ordinarii. Etiam poſſe ab omnibus caſibus reſervatis in jure Epiſcopis regulares confeſſores abſolvere ſæculares, compertum eſt, ut diximus *tractat. 6. de pœnitentia cap. 13. num. 35.* Quia in decretis infra allegandis, ſolum caſus ab Epiſcopis ſpecialiter reſervati, excipiuntur: ergo qui à jure reſervantur Epiſcopis, non manent excluſi; ſed juri communi, ſeu privilegiorum diſpoſitioni relinquuntur: ſecundum quæ poſſunt regulares ab omnibus caſibus, & cenſuris, quæ non ſunt Papæ reſervatæ, abſolvere. Sic præter authores ibi citatos Diana *3. parte tractat. 2. reſolut. 13. §. nota,* Averſa *part. 8. tractat. 7. reſolut. 71.* Donatus *in additionib. ad Praxim. tomo 4. tractat. 4. quæſtio e 30. num. 3.* Ludovicus à Cruce *in expoſitione. Bullæ Cruciata diſputatione 1. capite 3. dub. 5* Ceſpedes *de exemptionib. cap. 6. dub. 112.* Lezana *1. p. ſumm. cap. 19.*

cap. 19. num. 16. & *tom.* 3. *verbo caſus numero* 5. & omnes, qui dicunt omnes caſus, & cenſuras occultas non eſſe Papales, quia in Tridentin. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ab Epiſcopis relaxari poſſunt: ob idque poſſe regulares, & virtute Cruciatæ toties quoties abſolvi, ut tenent Sanchez, Trulleneh. Diana, Leander, Mendus, quos *tract.* 10. *de cenſur. cap.* 2. *num.* 87. adduximus. Et inſuper Magiſter Acazius de Belaſco *tom.* 1. *reſolut. moral. verbo abſolutio. reſolut.* 5. & 7. Matheus de Moya. *ſelectar. quaſt. tract.* 3. *diſputatione* 8. *quaſtione* 6. *num.* 16. & triginta authores, quos refert, & ſequitur Thomas Hurtado *tom.* 1. *reſolut. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *reſolut.* 17. §. 2. & *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 1036.

Poſſe regulares à caſibus, quos ſibi Epiſcopi in ſpecie reſervant abſolvere, aliqui dicūt.

4. Quare in præſenti ſolum eſt difficultas de caſibus, quos ſibi Epiſcopi ſpecifice reſervant. De quibus plures, & graves authores dicunt poſſe regulares confeſſarios abſolvere ſæculares, quos dedimus *tract.* 10. *de cenſuris cap.* 2. *num.* 39. & 70. Et præter illos tenent hoc ipſum Leander *tom.* 4. *tractat.* 2. *diſputatione* 17. *quaſtione* 79. Thomas Hurtado *tom.* 1. *reſolut. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *reſolut.* 16. *num.* 127. Acacius de Velaſco, *ſupr. reſolut.* 8. Mendo *in Bullam diſputat* 0 e 17. *cap.* 4. Bruno *parte* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *propoſit.* 2. Quintanadveñas *tom.* 1. *ſingular. tractat.* 3. *ſingular.* 14. Rodriguez *tom.* 1. *quaſtione* 66. *art.* 2. & probant tum ex jure communi *in Clementina Dudum, & extravagante inter cunctas*: ubi privilegium regularium ad abſolvendum à caſibus Epiſcopis reſervatis inſertum eſſe in corpore juris docet cum D. Antonino, Tabiena, & Armilla, Rodriguez *loco citato*. Tum etiam, ex aliis privilegiis, quæ nos adduximus *tom.* 1. *tract.* 6. *de Pœnitentia capite* 13. *numero* 24. § Et dicunt non eſſe contra hoc, decretum Congregationis Cardinalium ſub Vrbano V I I I. die 17. *Novemb. anno* 1628. in quo omnia revocantur privilegia regularium ab abſolvendum à caſibus, vel cenſuris, quæ ſibi Epiſcopi ſpecialiter reſervant: ob quod decretum nos *loco citato* de Pœnitentia *numero* 24. ab hac ſententia receſſimus.

Non eſſe contra dicta decretū Vrbani VIII. prædicti authores ſentiunt.

5. Tum etiam: quia plura ex privilegiis, in quibus nititur hæc ſententia inſerta ſunt in corpore juris ut diximus, niſi ſpecificè exprimantur, ut diximus *cap.* 2. *huius tractatus num.* 40. Cum ergo in revocatione dicti decreti jus commune non exprimatur, privilegium antiquum in ſuo robore manebit. § Tum etiam: quia declarationes Cardinalium etſi magnam authoritatem habeant, maximè quando à Pontifice ſunt approbatæ, & confirmatæ, ut eſt iſta, de qua loquimur, vim non habent niſi tantum opinionis probabilis, ita ut non tollat probabilitatem oppoſitæ ſententiæ. Vnde in quit Magiſter Acacius de Velaſco, Epiſcopus Oriolenſis, *loco citato numero* 40. [Siento que no tiene fuerça de ley, ni que es neceſario el ſeguirlas, ſino que podra ſeguir libremente lo contrario el que tubiere baſtante fundamento para hazerlo. Y con el podra ſeguramente apartarſe de la declaracion de los Eminentiſſimos Señores Cardenales, arriba referida.] Et de iſta ſub Vrbano V I I I. de qua modo loquimur, & poſtea de iſto decreto Congregationis de mandato Vrbani V I I I. edito, & approbato, *numero* 6. *fine*, hæc ait. [Y ſe ha de advertir, que la confirmacion Pontificia deſte, y de los demas decretos, no añade a la declaracion de los Eminentiſſimos Cardenales, mas que confirmar ſu probabilidad.] Idem habet Bruno Caſſaing. *loco citato*. Quibus conſentit Delgadillo, *tom. de Pænitent. capite* 21. *dub.* 21. dicens præfatam declarationem juſſu Vrbani V I I I. editam, & alias hoc modo à Pontifice approbatas. [Eſſe magnæ authoritatis, non tamen ſufficere ad tollendam probabilitatem ſententiæ, quam tot graviſſimi authores docent.] Sed circa hoc videantur à nobis *tomo* 3. *tractat.* 11. *de legib. capite* 3. *à num.* 28. § Tum denique: quia prædicta declaratio Sacræ Congregationis, & decretum in ea contentum non fuit ſaltem in Hiſpania promulgatum, nec regularibus ſufficienter intimatum; ita ut poſſit eorum privilegia revocare, quibus poterant ab Epiſcopis reſervatis abſolvere, uti docent Thomas Hurtado *numero* 127. Leander *quaſtione* 78. §. *tertio probo*. Velaſco *reſolut.* 8. *numero* 8. Mendo *in Cruciat. diſputatione* 23. *capite* 4. Vt autem huiuſmodi decreta obligent, requiritur ut in ſingulis Diœceſibus, & Provinciis promulgentur, tradunt Doctores, quos *tomo* 3 *tract.* 11. *de legib. capite* 1. *numero* 84. dedimus. Et tenent Medina, Sotus. Victorellus, Angelus, Molina, quos refert, & ſequitur Diana 1. *parte tract.* 10. *reſolut.* 8. Trulleneh. *in Cruciat. lib.* 1. §. 7. *dub.* 9. *numero* 20. Quintanadveñas, *tom.* 1. *ſingul. tr. tractat.* 3. *ſingul.* 15. *numero* 3. & probabile putant Layman, Becan, Leſſius, Vazquez & Granad. apud Dianam, *loco citato*. & ipſemet Diana *part.* 7. *tractat.* 10. *reſolut.* 29. affert privilegium Gregorii X I I I. in bulla: *Æquum reputamus*: qua concedit Societati, ut nullius privilegii revocatio eis præjudicet, niſi ſit illis intimata per trinas diſtinctas litteras eundem tenorem continentes, tribus diſtinctis vicibus. Videantur à nobis dicta *cap.* 2. *huius tractatus à num.* 45.

Decretum Alexandri V I I. ſtat in oppoſitum; illud declaramus.

6. Propter hæc, hanc opinionem eſſe valde probabilem, aſſeruimus, eamque ut talem ſequuti ſumus *tomo* 2. *tractat.* 10 *de Cenſuris*, *capite* 2. *numero* 40. & 81. niſi obſtaret noviſſimum decretum Alexandri V I I. *die* 24. *Septemb. anno* 1665. damnans ut ſcandaloſam hanc propoſitionem 1. *mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta eorum ad id facultate*. Et non loquitur Pontifex de caſibus à jure reſervatis Epiſcopis, ſed de reſervatis ab homine, ſeu de illis, quos Epiſcopi ſibi ſpecificè reſervant: quia ſolum ut ſcandaloſam damnat opinionem, cui innixi regulares, non obſtantibus decretis Clementis V I I I. pro Italia, & Vrbani V I I I. adhuc privilegiorum prætextu, à caſibus, quos Epiſcopi ſibi reſervant, abſolvebant. Nec etiam in dicto decreto Alexandri V I I. tollitur, quod Confeſſores electi virtute Bullæ Cruciatæ poſſint abſolvere à caſibus etiam ab Epiſcopis reſervatis, ſecundum ea, quæ diximus *loco citat. de cenſur. numero* 92. Quia in iſto decreto, in nullo vult Pontifex bullæ Cruciatæ præjudicare, in qua conceditur, quod de caſibus Pontifici reſervatis ſemel in vita, & ſemel in morte, & de aliis quomodolibet à iure, vel ab homine reſervatis, toties, quoties confeſſarius electus poſſit abſolvere: quia ſolum ad mendicantes dicta prohibitio dirigitur, qui prætextu privilegiorum id poſſe affirmabant. Nec in ea mentio aliqua privilegii bullæ Cruciatæ invenitur, prout par erat, ut indulta quotannis in ea conceſſa, revocarentur. Maximè: quia privilegia

bullæ Cruciatæ, conceduntur per modum contractus, quæ revocari nequeunt modo communi; ſed ex graviſſima cauſa concernente bonum commune, & ſatisfacta parte, prout diximus *hoc tractatu cap.* 2. *num.* 30.

Contra dictum decretum Alexandri VII. evaſiones.

7. Sed quia dictum Alexandri VII. decretum illam, & alias uſque ad 45. propoſitiones, ut ſcandaloſas prohibebat, multoties ab aliquibus dubitatum eſt, quam vim obligandi habeat ſaltim in Hiſpania. Et ratio dubitandi illorum erat, quia in Hiſpania authentice promulgatum non eſt, nec regularibus intimatum, prout neceſſarium erat, ut eorum privilegia revocaret. Unde ſicuti lex Pontificia non obligat, niſi ſit ſufficienter, & authenticè promulgata; ad quam promulgationem ſecundum probabilem multorum ſententiam requiritur, quod in ſingulis Provinciis, & diœceſibus publicetur, quos dedimus *tract.* 1. *de legib. cap.* 1. *num.* 8. ita neque iſtud decretum Sacræ Congreg. à Pontifice approbatum obligabit, niſi dicto modo publicetur: quod in pluribus diœceſibus factum eſſe audivimus; in aliis vero ignoramus; quod proinde non obligavit maximè in quantum eſt revocatorium privilegiorum regularium, quod ut diximus *hoc tract. cap.* 2. *à num.* 45. deberet privilegiatis notificari.

Refelluntur ſupradictæ evaſiones cõtra decretum Alexandri VII.

8. Sed contra hoc ſtat, quod hic diſcurſus falſo nititur fundamento: quia ut diximus *loco citato de legib. num* 86. ut leges Pontificiæ obligent, non requiritur promulgatio in ſingulis Provinciis, & diœceſibus ſed ſufficit, quod ex mandato Sanctiſſimi ad Valvas D. Petri affigantur. ¶ Deinde, licet ut revocatio privilegiorum quaſi ab homine facta petat, quod nominatim privilegiato intimetur modo, quo diximus *hoc tract. cap.* 2. *num.* 47. at revocatio generalis facta à jure per legem, vel decretum generale à Principe ſancitum, aliam non petit publicationem, aut intimationem, quam illam petit lex ut obligationem pariat, ut ibi *numero* 46. declaravimus. Unde cum dictum decretum Sacræ Congregationis ab Alexandro VII. approbatum ſit per modum legis, omnia in oppoſitum privilegia revocantis; non petit aliam publicationem, aut intimationem, quam lex ipſa Pontificia exigeret. ¶ Denique: quia licet dictum decretum Alexandri VII. ut prohibet, quod contraria opinio doceatur, aut practicetur, nequiret vim legis obtinere in ſingulis Provinciis, niſi in eis, & ſingulis earum diœceſibus promulgaretur, prout de aliis legibus Pontificiis docent plures Doctores, ut diximus. Cæterum ut eſt declaratio Pontificis in materia doctrinæ ad mores, & qualificatio, & cenſura propoſitionum, quæ ut ſcandaloſæ, temerariæ, aut erroneæ annotantur, ut locum ubique terrarum habeat, & omnes obliget; ſufficit, quod undecumque certa moraliter notitia dicti decreti Pontificis habeatur; ita, ut nulli liceat dubitare talem eſſe propoſitionem, qualem declaratur à Pontifice. Quemadmodum ſi Pontifex propoſitionem ut hæreticam annotaret, ut omnes obligaret talis declaratio, ſufficeret, quod ad illorum notitiam talis cenſura quomodolibet perveniret; etiamſi publicationem ad legem requiſitam non haberet. Idem ergo dicendum eſt, cum à Pontifice ut ſcandaloſæ, erroneæ, aut temerariæ, aliquæ propoſitiones cenſurantur: quod fecit Alexander VII. de 45. propoſitionibus, quæ in illo decreto continentur.

§. II.

An ignorantia excuſet à reſervatione incurrenda?

9. DUbiolum hoc hic obiter excitamus, ubi de caſibus, & cenſuris reſervatis loquimur: quia pro praxi valde neceſſarium duximus. Quæritur ergo, an qui ignoret aliquem caſum, aut cenſuram eſſe reſervatam, illius reſervationem incurreret; ita ut ſolum à Prælato, vel ab habente facultatem diſpenſandi in caſibus reſervatis poſſet abſolvi? Pro reſolutione primo ſupponendum eſt, ignorantiam cenſuræ reſervatæ poſſe haberi dupliciter. Primo ſi ignoretur eſſe cenſuram tali, vel tali crimine annexam. Secundo, ſi cum ſcientia cenſuræ, detur ignorantia illius reſervationis. Ignorantia primo modo etiamſi culpabilis ſit, omnino liberat à reſervatione; immo, & à cenſura ipſa incurrenda; ut ſi ſcias ingreſſum in monaſterium monialium eſſe lege Eccleſiaſtica prohibitum, ignoras vero tali culpæ annexam eſſe cenſuram, & ſi ingrediaris, & peccas contra legem, eris à cenſura immunis, uti ex communi ſententia diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſur. cap.* 1. *num.* 193. Unde fit in hoc caſu peccatum illud, cui erat annexa prædicta cenſura, non manere reſervatum; quia vel peccatum ratione cenſuræ annexæ reſervatur; & ſic tantum cenſura eſt, quæ reſervatur, non vero peccatum, ut volunt Durandus, & Caietanus apud Suarez *diſp.* 29. *ſect.* 2. *num.* 8. & tenent expreſſe Trullench. *in Praxi Sacrament. lib.* 4. *cap.* 10. *dub.* 2. Antonius à Spiritu ſancto *tom.* 1. *Direct. Confeſſ. num.* 5. *diſp.* 14. *num.* 950. Vel certe ſi tam peccatum, quam cenſura reſervata ſunt immediatè, ſemper ratione cenſuræ peccatum ipſum reſervatur, ut in caſibus Summo Pontifici reſervatis docent Suarez *loco citat.* Sanchez *in ſumm. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 5. Lugo de Pœnitent. *diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 15. Et ſecundum communem Theologorum ſententiam ita ſunt inter ſe peccatum, & cenſura connexa, ut illud ſine iſta minimè reſervetur. Unde ſublata excommunicatione ex quocumque capite cuiuſcumque caſus Pontificis reſervati, manet abſque reſervatione peccatum, ut poſſit ab illo quilibet confeſſarius abſolvere, ut de hæreſi, quod eſt crimen omnium peſſimum, & omnibus magis reſervatum diximus *loco citat. de cenſur. cap.* 4. *num.* 57. & 62. & tenent Sanchez *num.* 5. *citat. fine.* Trullench. *dub.* 2. *num.* 2. *fine.* Vidal. *titul. de cenſur. in quæſt.* 3. *num.* 113. Palaus *tom.* 4. *tract.* 23. *punct.* 15. §. 2. Moya *in ſelect. quæſt. tract.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 2. *num.* 7. N. Antonius à Spiritu ſancto *in Direct. confeſſar. tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 14. *ſect.* 4. *à num.* 932. Egidius, Granad. Layman, Hurtad. quos refert, & ſequitur Leander, *de Pœnitent. diſp.* 12. *quæſt.* 16. & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſolut.* 17. & *p.* 9. *tract.* 6. *reſolut.* 13. & *part.* 11. *tract.* 4. *reſolut.* 4. Qui addunt ſufficere ad non incurrendas cenſuras etiam Papæ reſervatas, nec reſervationem illis annexam, ignorantiam vincibilem & culpabilem dummodo non ſit craſſa, aut ſupina. Quare in præſenti dubium eſt, quando quis ſciens eſſe actum ſub cenſura prohibitum, & ſic illam incurrens ignoraret, an talis cenſura, vel caſus eſſet reſervatus?

10. Secundo

Inadvertentia, & oblivio, cum ignorantia in præſenti æquiparantur.

10. Secundo ſupponendum eſt inadvertentiam, ſeu oblivionem actualem excommunicationis, alteriuſve cenſuræ, vel reſervationis illius eodem modo, ac ignorantia, ab illarum incurſione excuſare; ſiquidem oblivio, inadvertentia, & ignorantia invincibilis ſicuti æquiparantur in ordine ad excuſandum à culpa, ita etiam in ordine ad excuſandum à pœna, vel reſervatione, quæ quaſi pœna judicatur, ut probat Sanchez *lib.4. ſum. c.22. n.18. & lib.2. c.16. n.8.* Diana *3. part. tract 5. reſol.41.* & *p.5. tract.9. reſol.17.* & *p.9. reſol.13.* & *p.12. tract.4. reſol.4.* Matthæus de Moya *ſup. n.8.* ubi addit: [quod eſt maximè obſervandum ad plurium caſuum reſolutionem. Tunc conjux inceſtuoſus cum conſanguinea uxoris in primo, & ſecundo gradu excuſatur ab incurſione pœnæ privationis petendi debitum, non ſolum ob ignorantiam, ſed etiam ob inadvertentiam, aut oblivionem actualem talis pœnæ, ut cum Portel. & aliis tradit Diana 3. part. tract. 5. reſolut. 12. & p.4. tract. 2. reſol. 36. & 85. & putat probabile Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 32. n. 50. Hinc etiam quicumque ſibi imponens pœnam ſub conditione, ſi occaſionem aliquam efficiat, vel præceptum tranſgrediatur, ſi ejus immemor delinquat, ut tradit Sanch. lib. 4. ſum. c. 12. citato.] Quare quæ in reſolutione difficultatis diximus de excuſatione à reſervatione ratione ignorantiæ; idem tenendum eſt, & eodem modo ratione oblivionis, aut inadvertentiæ actualis etiam culpabilis, dummodo affectata non ſit, aut ex malitia, & negligentia proveniens.

A reſervatione excuſare aliquando ignorantiam aliquando non, aliqui docent.

11. Prima ergo ſententia duplicem ſtatuit reſervationem; aliam pœnalem in odium peccati impoſitam, ut reſervatio Sixti V. contra malè præmotos ad ordines: aliam medicinalem, quæ ad bonam Eccleſiæ gubernationem inducitur; & primam dicit non incurri ab eam ignorante; bene autem ſecundam. Prima pars probatur ex probabili multorum ſententia aſſerente, pœnam quamcumque ab ignoranti non incurri, quos lato calamo dedimus *tom 2. tract. 10. de cenſuris, c.7. n.54.* & tenet Sanchez *ſupr. n.13.* Suarez, Henriquez, Navarro, Lopez, Vega, & Rodriguez *citatis*, & ex ipſo Sanchez, & Portel. docet Diana *tract.5. miſcell. reſol.13* excuſare ignorantiam etiam mortaliter culpabilem ab incurſione pœnæ, dummodo non ſit ex malitia affectata. Secunda autem pars probatur: quia reſervatio medicinalis non eſt pœna, ſed limitatio juriſdictionis ad abſolvendum, quod ad bonum Eccleſiæ regimen conducit: ſed per hoc, quod peccatum ignoret reſervationem, non tribuit confeſſario juriſdictionem, quam non habebat: ergo nequit à tali caſu abſolvi, & ſic ſemper reſervatus manet. Sic quoad primam partem tenet Sanchez *lib.9. de matrim. diſp.32. n.18.* Antonius à Spiritu ſancto *in direct. confeſſ. tom.1. tract 5. diſput.15. ſect.4. num.935.* Megala, Hipolytus, Poſſevinus, quos refert, & ſequitur Diana *part.11. tract.4. reſolutione 4.* Baſſæus *verb. ignorantia, num.17.* & videtur tenere Fagundez *2. præcept. Eccleſiæ, lib.8. cap.1. num.28.* & probabilem dicit Lugo *de pœnitent. diſput.2. num.11.* & tenet eam Moya *diſputat.8. quæſt.2. num 5.* & omnes Doctores pro ſecunda ſententia adducendi. Et quoad ſecundam partem omnes citati tenent, & eam communem Doctores vocant.

Fundamenta præcedentis ſententiæ impugnantur.

12. Sed certè fundamentum hujus ſententiæ quoad ſecundam partem omnino non convincit; & poteſt contra illius Authores ſic retorqueri. Quia omnis reſervatio ſive pœnalis tantum ſit, ſive etiam medicinalis, verè aufert ab inferioribus facultatem abſolvendi; hoc enim reſervatio ſecum affert, quod ab inferiori facultatem adimat, ut ad ſuperiorem pro abſolutione recurrat, & tamen dicunt, quod ignorantia talis reſervationis, eam excludit, non quidem dando confeſſario juriſdictionem, quam non habebat, ſed impediendo ablationem juriſdictionis: quia hoc ipſo, quod cum ignorantia reſervationis pœnalis peccatum ſit commiſſum, non aufertur à Confeſſario juriſdictio, quam habebat: ergo idem dici poteſt de omni reſervatione, etiam medicinali, vel certè non redditur ratio quare in uno caſu id contingat, & non in alio. Maximè: quia ſtat eſſe pœnam ſimul, & medicinam, ut in excommunicatione cernitur: Unde, ſicut excommunicatio non incurritur ab ignorante illam, licet ſimul incurrat rationem pœnæ, & medicinæ ad rectam Eccleſiæ gubernationem conducentis; ſic dici poterat de reſervatione tam pœnali, quam medicinali. ¶ Nec etiam eſt verum fundamentum, quo innititur hæc ſententia quoad primam partem. Nam ut diximus *de cenſur. cap.1. num.193.* probabilius eſt ignorantiam pœnæ ab ejus incurſione non excuſare: & hoc eſt ſpeciale in excommunicatione, vel alia cenſura ob rationem ibi dictam; & ob idque *ibi n.195. & c.7. n.54.* irregularitatem incurri diximus ab eo, qui cum ignorantia illius, delictum, cui annexa eſt, committeret: quia pœna, quæ contumaciam non expoſcit, non requiritur, quod voluntaria ſit; & ob id cognita; quin potius contra voluntatem imponitur frequenter, & in pœnis temporalibus conſtat; à quibus non excuſatur latro, aut homicida, ſi cum notitia malitiam actus operentur; tametſi pœnas pro illis in lege poſitas, ignorent.

Ab omni reſervatione excuſat quæcũque ignorantia.

13. Secunda ſententia omnem reſervationem eſſe pœnalem dicit, & ſic ab omni reſervatione ignorantiam ſaltem inculpabilem excuſare; & omnem reſervationem eſſe pœnam docent Paludan. *in 4. diſt.34 q.2. art.1.* Graffis *tom.1. lib.5. de adulter, conſil. 3. num.13.* Velochius *de caſibus reſervatis, part.2. quæſt.3. n.203. & q.17. num.66.* Diana *2. p. tract.14. reſolut.63.* & *p.6. tract.6. reſol.42.* tenet etiam Quintanadveñas *in ſingular. tract. de pœnitent. ſingul.11.* & *tom.2. tract.4. ſingul.8.* Thomas Hurtado *tom.2. reſolut. moral. tract.12. cap 1. num.1123.* Huic ſententiæ adhæremus non ob fundamentum illius, quod quælibet reſervatio eſt pœna, quæ non incurritur ab illam ignorante, quia hanc rationem numero præcedenti refutabimus; ſed quia eſt pœna medicinalis, quod etiam primæ ſententiæ Authores admittunt: ſed pœnæ medicinales ab ignorantibus illas minimè incurruntur, quod ſic probatur. Quia pœnæ medicinales quamvis ut pœnæ imponantur in punitionem præteriti delicti, ut medicinales ad præcavendum peccatum in futurum, ut ſaltem pœnæ timore perterritus, à lapſu retrahatur peccator. Ideo enim reſervantur peccata, ut homines ſcientes difficulter abſolutionem obtenturos, ab eis committendis cohibeantur: & hic in omnium ſententia eſt finis reſervationis. Et ob id graviora peccata ſunt, quæ reſervantur, ut timore adeundi ad ſuperiorem pro illorum relaxatione, difficilius committantur; ad quod notitia reſervationis omnino requiritur:

quia reſpectu illius, qui neſciret peccatum eſſe reſervatum, reſervatio nullo modo à commiſſione illius cohiberet, & finis intentus à ſuperiori in tali reſervatione omnino ceſſaret: ergo ſicuti reſpectu ignorantis ceſſat finis reſervationis, nec iſta eſt medicina, retrahens à peccato reſpectu illius; ita reſpectu illius ceſſat reſervatio.

Duplici exemplo præcedens doctrina explicatur.

14. Quod explicatur duplici exemplo. Primum: ex eo, quod in excommunicatione accidit, quæ ſimul eſt pœna, & medicina; & ratio medicinæ non tollit rationem pœnæ, nec ratio pœnæ tollit rationem medicinæ; licet una cum alia connectatur. Qua parte pœna eſt, dicitur ad puniendum factum delictum; qua parte medicina ad impediendum faciendum: & cum hoc impedimentum non apponat reſpectu illam ignorantis, ab eo non incurritur excommunicatio nec in ratione pœnæ, nec in ratione medicinæ, ut tenent communiter Doctores. Secundum in voto pœnali: ſi quis enim ſibi talem pœnam imponeret ſi in tali, vel tali crimine laberetur, talis pœna eſt medicinalis ad retrahendum à commiſſione peccati, ut ſaltem timore talis pœnæ ab illo retrahatur peccator; & tamen ſi oblitus pœnæ delictum committeret, eam non incurreret, quia talis pœna non eſſet medicinalis reſpectu illius; & quia finis intentus à vovente in impoſitione illius, penitus ceſſaret; cum non poſſet perterrere, nec à peccato retrahere pœna, eum, qui illam penitus ignorat, aut ejus omnino obliviſcitur. Similiter ergo philoſophandum eſt in reſervatione. ¶ Nec ob id ſequitur (ut ſic tacita objectio ſolvatur) non manere votum, v.g. caſtitatis reſervatum in eo, qui reſervationem ignoraret. Nam eſt diſpar ratio inter reſervationem voti, & reſervationem peccati: quia illa non imponitur ut pœna, ſed propter voti, & materiæ illius gravitatem, ob quam non erat æquum, quod res tanti ponderis paſſim relaxaretur; ſed quia eſt magni momenti, ſolum ſuperiori Principi maneret reſervata: neque ut medicina retrahens homines à vovendo, ſed magis ut plus firmentur in voto, ne de facili à promiſſione Deo facta, recedat. Unde reſervatum maneret votum, v.g. caſtitatis etiam reſpectu illius, qui dum votum emiſit, ignarus, vel immemor erat illius reſervationis: quod ſecus propter oppoſitam rationem contingit in caſibus reſervatis.

§. III.

Qualiter dubium circa reſervationem peccati, vel cenſura excuſet à reſervatione.

Qui de reſervatione dubitant, non incurrunt eam.

14. HOc etiam dubiolum ſicut & præcedens, pro plena hujus materiæ notitia excitamus. Inquiritur ergo, an dubius de peccato, vel de cenſura reſervata incurrat reſervationem, & teneatur pro ſolutione ſuperiorem adire? Bifariam poteſt dubium contingere, vel dubium facti, ut ſi certus de reſervatione, dubitet an peccatum commiſerit, cui eſt annexa reſervatio: vel dubium juris, ut ſi certus tale commiſiſſe peccatum, dubitet an reſervatum ſit illud delictum? Et in utroque caſu dicimus dubium à reſervatione liberare. Tum: quia cum reſervatio ſit odioſa, utpote poteſtatem inferioris reſtringens, reſtringenda eſt tantum ad caſus certos, & indubios, ſicuti ob eandem rationem diximus *tract. de voto*, reſervationem votorum intelligendam de votis certis, & indubitatis. Tum etiam: quia pœnitens certus de peccato mortali poſſidet libertatem ſuam cum quolibet Ordinario Confeſſario: ergo non poteſt propter dubium ſuperveniens hac certa poſſeſſione privari: quia ſemper, & in qualibet materia tenet illa regula: *melior eſt conditio poſſidentis*, ut diximus *tom.* 3. *tract.* 11. *cap.* 2. *num.* 109. Sic Sanchez *lib.* 1. *ſumm. cap.* 10. *n.* 73. Trullench. *in praxi ſacrament. c.* 10. *dub.* 9. *num.* 3. Matthæus de Moya *in ſelect. qq. tract.* 3. *diſput.* 8. *quæſt.* 5. *num.* 3. Lugo Cardin. *de pœnitent. diſputat.* 20. *n.* 16. Quintanadveñas *tom.* 1. *tract.* 3. *ſingul.* 11. & 18. *num.* 9. Diana 4. *part. tract.* 3. *reſolut.* 4. Antonius à Spiritu ſancto *ſuprà ſect.* 7. *num.* 941. Baſſæus *caſus reſervatus*, *num.* 23. & alii ab iſtis citati.

Qui cum dubio de reſervatione ab inferiori abſolutus, etiamſi poſtea de illa confitetur, non tenetur ſuperiorem adire.

15. Qui vero cum dubio ſupradicto ab inferiori eſſet abſolutus à peccato reſervato ſuperiori, etiamſi poſtea dubium ceſſaret, vel quia certo ſciret ſe commiſiſſe peccatum, de quo ante confeſſionem dubitabat, vel certus de peccato, certo jam ſciret reſervatum eſſe, de quo dubitationem habebat, non teneretur poſtea coram ſuperiori comparere, ut docet Perez *de pœnitentia*, *diſputat* 48. *ſect.* 4. *num.* 10. Dicaſtillo *diſput.* 11. *num.* 199. Pellizzar. *tract.* 6. *c.* 1. *n.* 91. Antonius à Spiritu ſancto *ſect.* 8. *num.* 46. Lugo *num.* 20. Leander *de pœnitent. diſput.* 12. *quæſt.* 12. Moya *num.* 6. Et ratio eſt: quia pœnitens dubius de caſu reſervato fuit per ſacerdotem inferiorem directè, & abſolutè abſolutus: quia reſpectu caſus dubii de reſervatione non eſt illi juriſdictio coarctata ratione reſervationis; cum reſervatio ut diximus, ſolum ad caſus, & cenſuras certas extendatur: ſed directè abſolutus, & abſolutè à peccato vel cenſura reſervatis ab habente juriſdictionem, cogendus non eſt ad ſuperiorem recurrere: ergo, &c. In quo differt ab eo, qui in caſu neceſſitatis abſolvitur ab inferiori, qui poſtea tenetur coram ſuperiori comparere modo, quo diximus de cenſuris, *tr.* 10. *cap.* 2. *de cenſur. à num.* 66. quia non fuit abſolutè à cenſura, vel peccato abſolutus, ſed ſub conditione, vel ut melius dicamus ſub onere, ut data opportunitate coram ſuperiori compareat: vel (quod verius eſt, ut *loco citato* diximus) ſi abſolutè obtinuit abſolutionem, datur Pontificis præceptum *in cap. ea noſcitur* 13. *cap. quamvis* 58. *de ſentent. excommun.* ut ſic abſolutus teneatur poſtea coram Pontifice comparere; non pro abſolutione; quia verè, & abſolutè præſtita eſt, ſed in partem pœnitentiæ ad ſpecialem ſummiſſionem, & obedientiam Eccleſiæ præſtandam. Quod non datur in caſu noſtro, in quo pœnitens nec ſub conditione, aut onere præſentandi ſe, abſolutus eſt: nec datur in jure de tali comparitione præceptum. ¶ Quare ſicut qui dubitans, an votum eſſet reſervatum, illius obtinuit diſpenſationem, non tenetur veritate poſtea detecta, ad Pontificem pro diſpenſatione recurrere, ut docet Sanchez *lib.* 4. *ſumm. cap.* 44. *num.* 10. Lugo *diſput* 20. *ſect.* 2. *n.* 22. Trullench. *in decalog. tom* 1. *lib* 2 *dub.* 33. *num.* 14. Quia diſpenſatio, quam obtinuit dum erat dubia reſervatio, non fuit conditionalis, nec ejus valor à futuro eventu dependens. Similiter, quia in noſtro caſu abſolutio data de caſu ſub dubio reſervato, non fuit conditionalis, ſed abſoluta; quia

quia non fuit à futuro eventu dependens, & ab habente juriſdictionem directè præſtita, etiam veritate detecta non tenebitur pœnitens coram ſuperiori comparere.

Difficilis objectio contra reſolutionem datam.

16. Sed eſt contra boc difficilis objectio: quia qui haberet peccatum dubium, & ut dubium illud confeſſus fuiſſet, jam abſolutè, & directè eſt ab eo abſolutus ab babente legitimam juriſdictionem, non enim abſolvitur ſub conditione pendenti in ſuturum; alias maneret abſolutio ſuſpenſa uſque ad adventum futurum; & ſic minimè peccatum ſublatum, quod eſt abſurdiſſimum. Si quando enim abſolutio impenditur ſub condirione, ut ſi quis ſolum peccatum dubium fateretur, eſt ſub conditione de præterito, quæ non ſuſpendit abſolutionem, ut diximus *tract.9. de matrim.cap.7. num.*1. & nihilominus, ſi poſtea ſciat peccatum à ſe commiſſum verè fuiſſe, iterum teneti confiteri ut certum, quod antea confeſſus fuerat ut dubium, ur tenet communis ſententia. Ergo ſimiliter, qui dubius de reſervatione peccati illud confeſſus fuerit inferiori Sacerdoti, detecta poſtea veritate, tenebitur coram ſuperiori comparere, ut ab co omnino liberetur.

Aliqui ſentiunt, cum quis ſub dubio eſt confeſſus peccatum, non teneri, recedenti dubio, illud amplius confiteri.

17. Ad hanc objectionem faciliter 'poſſet reſponderi ſecundum illorum opinionem, qui aſſerunt peccata ſub dubio confeſſa, ablato dubio, non teneri iterum illa pœnitens confiteri. Et probant primo: quia de illo peccato dubio jam ſuit directè abſolutus: ſed qui directè abſolutus eſt à peccato, non tenetur illud iterum ſubjicere clavibus: ergo, &c. ¶ Secundo: qui in confeſſione ſe accuſavit, dicens decies pejeravi plus minuſve, etiamſi certo poſtea comperiat duodecies pejetaſſe, non tenetur duo iterum perjuria confiteri, ut communis docet opinio; ſed hæc duo ſupra decem ſolum ſub dubio eſt confeſſus; ergo qui ſub dubio eſt confeſſus peccatum, ceſſante dubio, illud iterum confiteri non tenebitur. ¶ Tertio: qui dubitans, an peccatum ſit mortale, vel veniale, illud integrè confitetur, non tenetur iterum illud clavibus ſubjacere, etiamſi certo mortale fuiſſe cognoſcat, ut ferè omnes Doctores tenent: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Sic Leander *de pœnitent. diſputatione quinta, quæſtione* 27. Martinus de ſancto Ioſepb. *in monitu Confeſſor. tomo primo, libro primo, tractatu octavo, num.*9. Marcus Vidal. *in arca Theolog. moral. tomo* 1. *de pœnitent. in quæſt. à numero* 33. Noſter Antonius à Spiritu ſancto *in direct. Co feſſ tom.*1. *tract.*5. *diſputat.*5. *ſect.*3. *num.*96. Tancredo *in qq. moral. diſput.*6. *de pœnitent. quæſt.*2. *folio* 102. Delgadillo *tom. de pœnitent. cap.* 14. *dub.* 10. Ferrantinus *in diſput. practic. quæſt.*78. Caramvel *in Theolog. moral. lib.*3. *diſput.*4. *num.* 1539. & *in Theolog fundament. folio mihi* 699. Sebaſtianus Saccbus *in faſcicul. flor. lib.*1. *tract.*4. *cap.*3. *num.*35. & probabilem dicunt Thomas Tamburin. *in method. expedition. Confeſſ. lib.*2. *cap.*1. §.4. *num.*24. Verricelli *in qq. moral.tom.*1 *tract.*5. *quæſt.*6. *num.*22. Pellizzar. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*3. *ſect.*1. *num.* 56. & videtur boc aſſerere Lugo Cardinalis *diſput.*16. *ſect.*2. *num.* 92. ubi plura pro hac ſententia congerit, & probabilem illam judicaſſe R. P. Nicolaum Richardum S.Palatii Magiſtrum, docet; quamvis addit: *Se nolle in boc puncto aliquid diffinire, ſed ſecuriorem partem conſulere.*

Peccatũ at dubiũ confeſſum, ut certum confitendũ eſt, ſi de illo pœnitens certificetur.

18. Cæterum ob hæc non eſt recedendum à communi ſententia, quam *tom.*1. *tract.*6. *de pœnitent.cap.*8. *num.*47. ſequuti ſumus, quam præter ibi citaros tenent Tbomas Hurtado *tomo ſecundo, tractatu* 22. *capite primo, dub.*9. *n.*2097. Gaſpar Hurtado *diſputatione* 9. *de pœnitent. difficult.*7. §. *obſervandum.* Moya *ſuprà tractatu* 1. *diſputatione prima, quæſtione ſexta, numero undecimo*, Torres *de pœnitent. quæſtione* 9. *articulo* 2. *diſputatione* 26. *dub.* 6. Illuſtriſſim. Magiſt. Fr. Petrus à Tapia *in caten. moral. lib.*4. *quæſt.*15. *art.*9. Raphaël de Averſa *de pœnitent. quæſt.*10. *ſect.* 2. §. *quod ſi.* Quiedo 1. 2. *tractatu quinto, controverſ.*4. *part.*7. *num.*58. & alii communiter. Et probatur: quia peccatum explicandum eſt in confeſſione prout eſt in conſcientia pœnitentis: ſed peccatum, quod jam ut dubium erat confeſſum, nunc eſt in conſcientia pœnitentis ur certum: ergo ur tale iterum eſt confitendum. Nec inde eſt inferendum, quod ſi ut certum fuiſſet peccatum, ſi poſtea de illo dubitaret, iterum teneretur illud ur dubium confiteri: quia iterum confiteri ut dubium ſolum ſerviret ad ſe excuſandum: & quia negatio materiæ certæ non eſt materia confeſſionis; cum potius minuat, quam adauget gravitatem. ¶ Secundo, quia licet hic directè abſolutus eſſet, eſt conditionatè, non abſolutè; ergo adveniente notitia certa, tenebitur iterum confiteri, ut directè nunc abſolvatur à peccatis abſolutè; quemadmodum non ſufficit pœnitentem eſſe indirectè abſolutum; ſed tenetur iterum confiteri, qui indirectè eſt abſolutus, ut directè iterum abſolvatur, ut omnes docent: Ergo ſimiliter, qui directè, ſed conditionatè eſt abſolutus, iterum debet confiteri, ur directè, abſolutè abſolvatur: quia non facilis diſparitas reddi poteſt, qoare indirectè abſolutus, debeat directè abſolvi; & non debeat abſolutè abſolvi, qoi ſolum erat abſolutus conditionatè. ¶ Confirmatur: quia ad peccatum commiſſum per ſe ſequitur obligatio confeſſionis, à qua ſubortum dubium partim excuſat, ur ſolum in dubio confiteatur, & obtineatur illius conditionata abſolurio, ſicut oblivio in totum excuſat, ut indirecta abſolutio obtineatur; ergo ſicuti ceſſante oblivione rediret per ſe integra obligatio confitendi ad obtinendam abſolutionem directam; ita ceſſante dubio, redlret integra obligatio confitendi ur certum peccatum, ad obtinendam abſolutionem abſolutam.

Diſparitas inter reſervationem dubiam, & peccatum dubiũ confitendum.

19. Melius ergo ad objectionem *numero decimo ſexto*, poſitam, reſpondetur, reddendo inter reſervationem, & peccatum confitendum diſparitatem, quam ponit Thomas Sanchez *in Decalog. libro primo, capite decimo, numero* 24. Quod reſervatio peccatorum eſt odioſa, eo, quod eſt reſtrictiva juriſdictionis Confeſſoris ordinarii: & ob id extendi non debet ad caſus dubios; ſed ſolum reſtringi ad certos, & determinatos, ut de reſervatione vototum, in ejus tractatu diximus. At præceptum confeſſionis apud omnes eſt favorabile, utpotè ad ſalutem animarum ordinatum: & ſic minimè reſtringi, ſed potius debet ampliari. Quare ſicut ob hanc rationem extenditur ad peccata dubia, quæ quilibet confiteri tenetur, ut diximus *tractatu de pœnitent.* 8. *numero trigeſimo quinto*, & nunc ſuppono, licet probabile ſit contrarium; ita ad confitenda ũr certa peccata, quæ ſub dubio confeſſa erant, ut probavimus: E contra ſicut non eſt obligatio obſervandi reſervationem, qui de illa dubitat,

ut ex communi ſententia diximus *num.* 14. ita non teneretur iterum ad reſervationem redire, & coram Superiori comparere, qui in dubio de illa, fuit jam abſolutè ab inferiori abſolutus.

Solvitur primum argumentum contrarium.

20. Reſtat reſpondere ad argumenta *n.* 17. adducta. Ad primum conſtat ex dictis; quod ſicut peccatum, de quo eſt aliquis indirectè abſolutus propter oblivionem iterum debet ſubjici clavibus, ut directè de illo abſolvatur, recedente oblivione, quia ſic communiter intelligitur ab Eccleſia præceptum confeſſionis fuiſſe à Chriſto Domino impoſitum: ſic peccatum de quo conditionatè eſt quis abſolutus propter dubium, debet recedente dubio, ſubjici clavibus, ut de illo abſolutè abſolvatur; quia ſic communiter fuit à Doctoribus intellectum præceptum Chriſti Domini de confeſſione. Sicuti in eo, qui ſe accuſavit de aliquo peccato dicens: confiteor malam cogitationem, ſi fortè illam habui: quod aliqui non dubitantes, ſed ad majorem ſecuritatem, impertinenter quidem faciunt; ſi certo poſtea cognoſcat ſe illam habuiſſe, tenetur poſtea abſolutè illam cogitationem confiteri, ut abſolutè ab illa abſolvatur, ut ferè omnes dicunt; ita qui dubitans de peccato confitetur: quia ſub conditione, ſi fortè illud peccatum commiſit, confeſſus eſt, veritate detecta, iterum ad confeſſionem tenebitur, ut abſolutè abſolvatur.

Secundum argumentũ contrarium diſſolvitur.

21. Ad ſecundum reſpondetur cum doctiſſimo M. Petro à Tapia *loco ſuprà citato*, dubium poſſe eſſe vel circa peccatum in particulari quoad ſubſtantiam, quia confitens nequit determinatè judicare, an omiſerit illud, vel non: & de hoc dicimus, quod ceſſante dubio debet de illo confiteri. Vel potes eſſe circa numerum peccatorum in communi, eo quod nequeat ad certum numerum commiſſa peccata reducere: quod optimè contingere poteſt abſque dubio occurrente circa ſubſtantiam alicujus peccati in particulari. Quod accidit, quando tot peccata confitetur plus, minuſve expreſsè dicendo, vel ſubintelligendo hoc ipſum tacitè: & in hoc caſu, fatemur non teneri poſtea confiteri illud, quod ſub hoc dubio propalavit, etiam dubio ipſo recedente: quia obligatio explicandi numerum ſuam latitudinem habet; ſiquidem juxta communem Theologorum ſententiam, ſolum eſt ad explicandum numerum non mathematicè, ſed moraliter determinatum: quod fit per illa verba: *plus minuſve*; ita Confeſſarius multitudinem peccatorum veroſimiliter, & moraliter percipiat, & ſtatum ipſius pœnitentis.

Ultimo argumento ſit ſatis.

22. Ad tertium dicimus, quod ſcire an peccatum ſit mortale, an veniale non eſt ex conditionibus ſe tenentibus ex parte pœnitentis, quia ad ipſum ſolum expectat rem quoad ſubſtantiam, & numerum prout à parte rei facta eſt, manifeſtare. Iudicium vero de gravitate peccati, an ſit mortale, an veniale, hoc ad Confeſſarium pertinet, qui judex eſt, & qui ſententiam proferre debet. Unde ſicut putans ſe ſolum veniale confiteri abſque dubio circa mortalitatem, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi clarè, diſtinctè quoad ſubſtantiam, & numerum rem prout contingit, patefecit: nec tenetur poſtea veritate comperta, iterum peccatum illud clavibus ſubjicere: quia jam directè, & abſolutè ab eo abſolutus eſt à Confeſſario. Ita qui peccatum ſub dubio, an mortale, an veniale fuerit, confeſſus eſt; quia jam quantum ad ipſum attinet, fecit, rem certam ſecundum ſubſtantiam, & numerum deponens; licet dubius de gravitate, directè, & abſolutè abſolvitur ab eo, judicium rei Confeſſario remittens, ad quem expectat cognoſcere gravitatem, ſicut de illa judicare: & non tenetur, re ſine dubio comperta, iterum tale peccatum clavibus ſubjicere, ut tenet communis ſententia.

Ad quæſitum ſe extendant illa verba *plus minuſve*, explicatur.

23. Etſi fortè roges ad quantum illa verba ſe extendant, *plus minuſve*, ut poſtea non teneatur aliquis confiteri determinatè, quod implicitè in illis confeſſus eſt? Reſpondit Vivaldus *in candelabro aureo, de confeſſ. tract.* 7. *§. ſed dixi, folio* 100. eum, qui confeſſus fuit centies plus minuſve juraſſe, non teneri iterum confiteri, licet poſtea comperiat fuiſſe 200. Quod probabile putat Angelus Mar. Verrecelli *tom.* 1. *qq. moral tract.* 5. *quæſt.* 6. *num.* 23. & ipſe *tract.* 1. *quæſt* 8. dicit illa verba, *plus minuſve* addit quoad confeſſionem medietatem ſuprà ſummam expreſſam, taliter, quod ſi confeſſus eſt centum juramenta plus minuſve, iterum non confiteri teneatur, licet poſtea certo ſciat fuiſſe 150. Sed utraque hæc doctrina nimis laxa videtur: quia illa particula, ſecundum communem ſenſum, parvum exceſſum denotat: & aſſignatus, eſt certè magnus. Probabile autem eſt, quod docet Diana cum Filliucio, & Navarro 3. *part. tract* 4. *reſolut.* 94. & *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 204. Quod ſi quis ſe accuſaret decies, plus minuſve pejerare, ſi poſtea recordetur de aliis tribus vicibus, non tenetur illas confiteri: & ſi centum plus minuſve confiteretur, ſi poſtea recordaretur eſſe centum, & decem; non teneretur illa confiteri. Sed verius eſt, hoc arbitrio prudentum relinquendum, juxta ſummam peccatorum, cui illa clauſula plus minuſve ſuperadditur. Addit M. Lejada *tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *controverſ.* 10. [Si poſtea confeſſione finita recordetur illorum peccatorum, quæ confeſſus eſt, majorem eſſe numerum, non teneri iterum confiteri: quia confeſſio cum ſufficiente examine facta, moraliter loquendo comprehendit, & claudit totum peccatorum numerum: & illa particula à pœnitente adducta æquivalet omnibus aliis, & per illam confeſſarius ſatis devenit in cognitionem ſtatus pœnitentis.]

§. IV.

De facultate Prælatorum ad diſpenſandum in irregularitatibus remiſſivè.

Omnes irregularitates poſſũt Prælati tollere, quas poſſũt Epiſcopi.

24. POſſe Prælatos regulares cum ſuis ſubditis diſpenſare in omnibus irregularitatibus in quibus diſpenſare poſſunt Epiſcopi reſpectu ſuorum Diœceſanorum ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. diximus *tract.* 10. *de cenſuris, cap.* 7. *num.* 63. Imò ibidem pluribus citatis diximus poſſe confeſſarios regulares cum ſæcularibus diſpenſare in omnibus irregularitatibus, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis ex Bulla Sixti IV. & à Iulio II. confirmata. Irregularitates vero, à quibus poſſunt Epiſcopi ſubditos ſuos liberare aſſignantur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *capite ſexto, de reformatione*, ubi Epiſcopis Diœceſim habitantibus conceditur, ut cum ſuis ſubditis diſpenſare poſſint in omnibus irregularitatibus

ex delicto occulto provenientibus, & quæ ad forum contentioſum non ſunt deductæ, excepta irregularitate ex homicidio voluntario cauſata. Circa quam diſp.ſ[illegible] Concilii videnda ſunt, quæ late diximus *eodem tract. capite 2. punct 5.* An verò virtute Bullæ Cruciatæ poſſit diſpenſatio impendi in omnibus irregularitatibus, etiam ex homicidio voluntario cauſatis, vide à nobis dicta *dicto tract. cap.7. à num.64.* Ubi duplicem ſententiam retulimus: & licet negativæ parti ut probabiliori adhæſimus; affirmativam pluribus citatis Authoribus, & rationibus adductis, probabilem judicamus.

Aliæ irregularitates, quas poſſibi tollere Prælati.

25. Inſuper poſſunt Prælati omnes irregularitates ſuorum ſubditorum tollere, ſive ex delicto, ſive ex defectu proveniant, etiam irregularitatem bigamiæ, aut homicidii voluntarii, dummodo notorium non ſit, ex privilegio Martini V. *tract.10. de cenſur. cap.7. num.59.* ſtatuimus: ubi etiam diximus ex privileg. Pauli III. & Sixti IV. poſſe Prælatos prima die Lunæ Quadrageſimæ cum ſuis ſubditis diſpenſare in omnibus irregularitatibus, etiam publicis, & notoriis, etiam quæ ex bigamia, & homicidio voluntario proveniunt. Imò ex conceſſione Pii V. *num.129.* diximus *loco citato, capite 8. num.17.* poſſe Prælatos regulares toties, quoties ſuos ſubditos liberare ab omni irregularitate ex delicto, etiam ex homicidio voluntario, & publico; dummodo tale homicidium factum non fuerit poſt ingreſſum religionis, & ſemper ſint in illa permanſuri, donec vixerint, ut in eadem Bulla expreſsè declaratur. Videatur Noſter Lezana *tomo primo, parte prima, cap.18. num.44.*

Qualiter irregularitatẽ ex delicto homicidii poſſint tollere regulares?

26. Deſcendamus in particulari ad ſingulas irregularitates, ut hoc clarius innoteſcat. Et loquendo prius de illis, quæ ex delicto proveniunt, omnium graviſſima, & difficilior diſpenſatu eſt illa, quæ provenit ex homicidio voluntario; quia in tribus privilegiis adductis datur ſua limitatio. In primo in quo conceditur facultas ad diſpenſandum in irregularitate illius, etiamſi homicidium ſit ante vel poſt ingreſſum religionis commiſſum, & hoc in quolibet anni tempore, ut pluribus citatis diximus *tract.10. cap.8. num.17.* ſed additur limitatio, dummodo non fuerit *notorium delictum*. In ſecundo limitatur facultas ad primum diem Lunæ Quadrageſimæ: & in tertio ad irregularitatem ex homicidio ante ingreſſum religionis patratum. Videndum nobis eſt, quid in primo per notorium delictum intelligatur? Circa quod recolenda ſunt, quæ diximus *tract.10. cap.5. n.17.* Quod notorium eſt, quod nititur ſcientiæ majoris partis communitatis; quia nimirum coram illis fuit perpetratum: Nam ſi ad illius notitiam alio modo perveniat, dicetur famoſum, vel manifeſtum, non vero notorium. Igitur in his, & ſimilibus privilegiis accipitur pro eo, quod eſt publicum, vel per evidentiam facti, vel per ſententiam juſtam judicis, vel per confeſſionem rei in judicio, vel per publicam famam omni tergiverſatione carentem: & non ſufficit, qood teſtibus poſſit probari, niſi dictas conditiones habeat. Neque quod delictum deductum ſit ad forum contentioſum tollit eſſe occultum, ſi judex abſolvit reum per ſententiam diffinitivam: Imò etiamſi reus fuerit damnatus, & convictus, ſi judicium jam finitum eſt, & reus punitus, adhuc ejus delictum manet inter terminos occulti, ut occultum accipitur in præſenti. Sanchez *lib.2. ſumm. cap.11. num.21.* Avila, Henriquez, Reginald. quos refert Bonacina *diſputatione ſeptima, de cenſuris, quæſtione quinta, punct. 1. numero primo.* Imò etiamſi delictum fuerit publicum in uno loco, ſi in loco, in quo petitur diſpenſatio fuerit occultum, nec detur proxima ſpes, quod in illo publicetur, adhuc dicetur occultum, prout opponitur publico, & notorio. Vidal. *de caſibus reſervatis, inquiſit. 1. num. 105.* Vincentius Candidus *tom. 1. diſquiſit. 22. articulo 49. dubio 9.*

De aliis irregularitatibus, in quibus poſſunt diſpenſare Prælati.

27. Poſſunt etiam Prælati regulares abſolvere ſuos ſubditos in irregularitate orta vel ex homicidio caſuali, vel in defenſionem contra injuſtum invaſorem, cum exceſſu in moderamine inculpatæ tutelæ; & hoc toties quoties, etiamſi delictum ſit publicum, aut notorium, ut probavimus *loco citato, cap.8. num.43. & 58.* Et eodem modo poſſunt cum religioſis diſpenſare in irregularitate orta ex mutilatione voluntaria, cum ſolum ſit homicidium voluntarium exceptum, modo explicato in ſupradictis privilegiis, ut *ibidem num.28.* diximus. Etiam poſſunt diſpenſare in irregularitate orta ex infamia ſive ante ingreſſum religionis, ſive poſt illud ſit contracta, ſive ſit facti, ſive juris, quæcumque illa ſit, nulla excepta, ex privilegio Pii IV. conceſſo Clericis miniſtrantibus ibi *num. 75.* & etiam in irregularitate contracta ob violationem cenſurarum: quia videlicet excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus, vel in loco interdicto celebravit, aut actum proprium ordinis ſacri ſolemniter exercuit, poteſt Prælatus toties quoties diſpenſare, etiamſi publica ſit, ex privilegiis Sixti IV. Gregorii XI. & Pauli III. ut diximus *eodem cap.8. num.72.*

De irregularitatibus ex defectu, in quibus poſſunt diſpẽſare Prælati.

28. Etiam in irregularitatibus provenientibus ex defectu poſſunt Prælati cum ſuis ſubditis diſpenſare. Et in primis cum corpore vitiatis poſſunt, ut ſi deſit pes, vel oculus, etiam ſiniſter, qui eſt Canonis, ut diximus *tract.10. cap.9. num.75.* & ex privilegio Sixti IV. probat Bordon. *reſolut.11. num.10.* & ex aliis concedentibus facultatem diſpenſandi in omnibus excepto homicidio voluntario, & bigamia tenet Diana *4. part. tractatu 2. reſolut.73.* Lezana *tom.5. in mari magno Minorum, num. 144.* Pellizzar. *tract.9. cap.3. ſect.4. num. 133.* ¶ Ex vi profeſſionis religionis tollitur irregularitas ex defectu natalium quoad ſuſceptionem Ordinum, ut diximus *cap. illo 9. num. 55.* & etiam tolli quoad dignitates, itaut ad illas eligi poſſint, probabile eſſe diximus *num.56.* ſed poſſe Prælatos quoſcumque ſive Generales, Provinciales, vel etiam Priores cum quocumque illegitimo ad prælaturas, & quaſcumque alias dignitates irregularitatem tollere latè diximus *ibi num. 57.* & modo tenent Bordon. *reſolut.11. num.48.* Lezana *tom.1. cap.18. num.60.* Candid. *diſquiſit.24. art.61. dub.25.* Pellizzar. *num.131.* Peyrin. *tom. 1. privileg. Minimor. ad conſtitut.2. Julii II. §.29. à num.25. tract.12. de dub. regul. reſolut.102.* ¶ Poſſunt etiam Prælati cum ſuis ſubditis diſpenſare cum omnibus bigamis, bigamia vera interpretativa, & ſimilitudinaria ut probavimus *loco citato, capite 9. num. 42.* & præter ibi citatos tenet Bordonus *reſolutione undecima, numero 31.* Bauny *tomo ſecundo, tractatu undecimo, quæſtione 58. littera B.* ¶ Poſſunt etiam diſpen-

diſpenſare in omni irregularitate ſive publica fuerit, ſive ſecreta proveniente ex defectu lenitatis ratione homicidii, aut mutilationis exercitæ, vel in ordine judiciario, à judicibus, & miniſtris, vel in bello juſto, ut diximus eodem *cap.9. num.*24. propter illa privilegia, quibus ipſis conceditur facultas diſpenſandi in omni irregularitate excipiendo ſolum eam, quæ provenit ex Bigamia, & homicidio voluntario (ad has enim alia dantur diverſa privilegia, citatis locis adducta) homicidium vero, quod fit, vel à judice ſervato ordine juris, vel à milite in bello juſto, non dicitur humicidium voluntariom, quod eſt contra quintum Decalogi præceptum: qui hoc ſolum dicitur homicidium injuſtè patratum. Sic præter ibi citatos Pellizzar. *ſuprà num.*143. Lezana *tom.*5. *in mari magno Prædicator, num.*128. *& tom.*1. *part.*2. *capite* 18. *num.*43. Vidal. *in candelabro aureo* 2 *part. titul. de irregularitate*, §. *de diſpenſ. quoad fratres*, Candid. *tomo primo*, *diſquiſit.* 24. *articulo* 61. *dubio* 19.

De aliis Irregularitatibus, & pœnis, in quibus poſſunt diſpenſare Prælati.

29. Poſſe etiam regulares Prælatos diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate proveniente ob abortum fœtus animati, etiamſi publica fuerit, & in pœnis excommunicationis, privationis officii, beneficii, & dignitatum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad impoſterum obtinenda, impoſitis à Sixto V. & Gregorio XIV. tenet Bordonus *reſolutione* 13. *num.*19. Bauny *tom* 2. *tract.* 11. *quæſt.*58. *littera C.* quos refert, & ſequitur N. Antonius à Spiritu ſancto *tractatu* 2. *in direct. regul. diſput.*1. *ſect.*2. *num.*77. Sed hæc intelligenda ſunt cum limitationibus à nobis adductis *tom.*3. *tract.*13. *cap.*2. *punct.*4. §.3. *à num.*72. nimirum, quod in dicta irregularitate poſſunt Prælati diſpenſare, eo modo, quo poſſunt in irregularitate ob homicidium voluntarium: quia talis abortus fœtus animati procuratio, verè homicidium voluntarium eſt. ¶ Denique poſſunt Prælati cum ſuis ſubditis diſpenſare in omnibus pœnis, inhabilitatibus contractis ob quæcumque delicta, ut privationis ab officio, beneficio, dignitate, inhabilitatis ad illa, vocis, & loci, &c. poſtquam jam pœnæ iſtæ ſunt contractæ, niſi alias ſint reſervatæ Pontifici. Candidus *tom.*2. *quæſt.*24. *art.*61. *dub.*10. Imò etiamſi ſint Pontifici reſervatæ adhuc poſſunt ex privilegiis Sixti IV. Pii V. & Gregorii XIV. docent Suar. *tom.*4. *de religion. tract.* 8. *capite* 12. *num.* 9. Sanchez *lib.*6. *ſumm. cap.*15. *num.*78. Pellizzar. *tract.*9. *capite* 3. *ſect.*4. *num.* 147. Antonius à Spiritu ſancto *ſuprà num.*95. Lezana *capite* 28. *citato*, *num.*33. *&* 35.

§. V.

Qualiter Prælati cum ſuis ſubditis in legibus, & præceptis Eccleſiaſticis valeant diſpenſare remiſſivè?

Plura circa hoc alibi tacti, & declarata recenſentur.

30. NOn loquimur in præſenti de facultate Prælatorum ad irritanda vota ſubditorum, vel ad diſpenſandum in eis: nam de hoc latè à nobis diſſeritur hoc volumine *tract. de voto, capite tertio*, & circa irritationem *ibidem*, & circa diſpenſationem in eodem loco, & alia ibi circa iſtam materiam declarantur: ſed de facultate in legibus, aut præceptis diſpenſandi; & quæ privilegia circa officium divinum habeant regulares latè diximus *ſuprà tractatu* 16. *de horis canonicis*, *cap.*3. *punct.*7. *per totum*: ſpecialiter autem *à num.*55. diximus qualiter Prælati poſſint cum infirmis, aut multum occupatis diſpenſare in recitatione officii Canonici. Et quod poſſint circa alienationem bonorum mobilium, & immobilium, diximus *tract.*15. & plura alia, quæ ab aliquibus hic examinantur, quia alibi ſuis locis à nobis jam acta ſunt, prætermittimus.

Poſſunt Prælati in omnibus legibus diſpenſare, in quibus poſſunt Epiſcopi.

31. Sed circa præcepta, & leges Eccleſiaſticas ſtatuendum eſt poſſe Prælatus cum ſuis ſubditis in omnibus legibus, & præceptis Pontificiis diſpenſare, in quibus poſſunt Epiſcopi reſpectu ſuorum ſubditorum: habent enim juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ipſos, ut *ſuprà numero primo*, diximus. Quia ex quo exempti ſunt religioſi à juriſdictione Epiſcoporum, Prælati cum omni juriſdictione loco ipſorum ſuccedunt. Et habetur in Clement. *Ne Romani*, de electionibus, & Bulla Pii V. *Romani Pontificis*, & tenent communiter Doctores. Unde in omnibus caſibus, & legibus in quibus diximus *tomo tertio, tractatu* 11. *de legibus, capite quinto, punct.*4. *num.*15. poſſe Epiſcopum, vel inferiorem Prælatum diſpenſare in lege ſuperioris: poſſunt Prælati in legibus, aut præceptis ſuperiorum, etiam Pontificis diſpenſare. Ut ibi *num.* 36. annotavimus; & ſic poſſunt cum ſuis ſubditis, etiam novitiis, tertiariis, commenſalibus ſuper jejunia, eſum carnium, lacticinorum, &c. diſpenſare, ut tenet Paſqualig. *de jejunio. deciſ.*388. *num.*3. Fragoſ. 2. *part. lib.*11. *diſput.*24. §.7. *num.*25. Bordon. *reſolut.*18. *num.*7.

32. Suppoſito dicto principio, quod in omnibus caſibus, in quibus poteſt inferior in lege ſuperioris diſpenſare, poſſunt Prælati regulares in legibus, & præceptis Pontificis, & aliorum ſuperiorum diſpenſationem impendere, videndum eſt, qui ſint illi caſus. Primo quando lex permittit diſpenſare, non deſignans diſpenſatorem, ut *loco citato num.*37. diximus: quia quando in lege ponitur poſſe fieri diſpenſationem, non intelligitur de ſuperiori ferente legem: nam id fruſtra faceret, cum hoc ſemper talis ſuperior ex jure ordinario habeat: Et ſic cenſendum eſt tunc committere diſpenſationem inferiori. Sic præter ibi citatos, Martinez à Prado *tom.*1. *cap.*4 *quæſt.*3. *n.*24. Barboſa 2. *part. Paſtoral. allegat.*33. *num.*22. Quare cum in noſtris conſtitutionibus diſpenſator illarum aſſignetur, quod ſolum ſit diffinitorium generale 3. *part. c.*8. *num.*14. à quo rato, & maturè diſpenſatio fieri debet, & concurrentibus ex quinque ſuffragiis, quatuor; vel ſex, ex ſeptem; nullus inferior Prælatus poterit in legibus noſtris diſpenſare, & in his, quæ pertinent ad regulam, neque ipſum Capitulum generale, ut habetur 3. *p. c.*2. *n.*16. poterit diſpenſare, quod merito ſtatutum eſt. Quia cum diſpenſatio ſit vulnus legis, ſeu ut loquitur Auguſtinus relatus *in cap. ipſa pietas* 23. *q.*4. *Vulnus contra integritatem ſeveritatis*; ut leges integrè, perfectè, & cum omni ſeveritate obſerventur, debet magna cum circumſpectione illarum diſpenſatio impertiri. Tot enim vulnera poſſunt multiplicari, ut penitus moriantur, & relaxentur; uti in multis Congregationibus non ſine dolore vidimus: ubi ob facilitatem in diſpenſationibus elargiendis, vix ſanctiſſimæ leges ſubſiſtunt, vel certè

adeò

adeò infirmæ, & vulneratæ, ut nullum robur, nullamque integritatem ſerveritatis obtineant. Cum hoc tamen ſtat, ut non obſtantibus dictis decretis, poſſint Prælati noſtri inferiores ex urgenti cauſa diſpenſare in rebus frequenter occurrentibus, ut in jejuniis abſtinentia carnium, &c. dummodo non ſit ad multum tempus; nec in rebus gravioribus, quorum non eſt uſus in religione, ut eorum ab inferioribus diſpenſatio concedatur.

Non ex eo, quod lex diſpenſationẽ Superiori nõ reſervet, eam concedit inferiori.

33. An vero in omni eventu, in quo lex Superioris expreſsè non reſervet ſibi diſpenſationem, poſſit inferior in tali lege diſpenſare, aliqui id probabiliter affirmant, quos *loco cit. de legibus*, *num.*41. dedimus. Sed oppoſitum ut probabilius ibi *num.*43. ſequuti ſumus, niſi inferiori expreſsè, vel tacitè, vel interpretative talis diſpenſatio committatur: nam hoc ipſo quod eis in jure non concedatur, prohibetur, *cap.cum inferior*, *de maioritat. & obedient.Clement. Ne Romani, de election.* Si tamen caſus ſit dubius, quia nimirum dubitatur, an indigeat ſubditus diſpenſatione, vel an detur ſufficiens cauſa pro illa, poterit prælatus eam ſine ſcrupulo impendere, ut ibi *num.*45. *&* 46. diximus. Et ſic in dubio, an indigeat ſubditus diſpenſatione ad non recitandum officium divinum, ad non jejunandum in diebus præceptis, ad non abſtinendum a carnibus, aut lacticiniis? poteſt prælatus diſpenſare, & ſubditus tuta conſcientia, omni depoſito dubio agere contra præceptum: & idem eſt ſi dubium circa ſufficientiam cauſæ ad diſpenſationem ſuboriatur: quia totum hoc judicio prælati committitur; imo ſufficere pro cauſa, quod ſubditus dubitet, an indigeat, vel non diſpenſatione? ibidem *n.*46. diximus.

In quibus legibus Pótificiis poſſunt Prælati diſpenſare.

34. Poſſunt etiam diſpenſare in legibus etiam pontificiis, quæ non ſint pro tota Eccleſia, ſed pro aliqua Provincia, civitate, aut communitate: quia hoc ipſo, quod pro illis tantum ferantur, cenſentur ad modum legis municipalis, in qua Superior illius Provinciæ, civitatis, aut communitatis poteſt diſpenſare, ut *loco citato*, diximus *num.* 39. & præter ibi citatos tenent Valentia 2.2. *diſput.*7. *quæſtione* 5. *punct.*9. Serra 1.2.*quæſt.*97. *art.*4. *in fine prim.concl.* Axor *tom.*1. *lib.*5. *cap.*15. *quæſt.*7. ¶ Etiam in his legibus diſpenſare poſſunt, in quibus ex conſuetudine habent facultatem, vel quando non eſt facilis recurſus ad Superiorem, & inſtat caſus, ut ibi *num.*4. diximus. ¶ Poſſunt etiam diſpenſare in legibus non magni momenti, ut cenſentur illæ, quæ vel non obligant ad culpam, vel ſolum obligant ad venialem, ut diximus *loco citato*, *cap.*5. *num.*38. & præter ibi citatos tenent Sot. loco ſtatim adducendo *art.*3. §. *At vero*, Cajetanus 1.2. *quæſt.*97. *art.*4. ubi ait: quod leve quoad hoc judicatur, *quodcumque cæteris paribus, non præcepto propriè dicto, ſed ſimplici ſtatuto poſitum eſt*. Et licet obligent ad mortale, poſſunt diſpenſare in legibus de rebus frequenter contingentibus, ut in jejuniis, obſervantia feſtorum, recitatione officii divini, abſtinentia à carnibus, &c. ut ibi *num.*38. diximus, & præter ibi citatos tenet Martinez à Prado *loco citato*, *num.*24. Cajetan. *loco citato*, *art.*4. Sotos *lib.*1. *quæſt.*7. *art.*3. qui bene hoc limitat, ut intelligatur pro caſibus particularibus, & ad breve tempus, non ad longum, & per totam vitam.

Qualiter in regula, & legibus proprijs poſſit Prælati diſpenſare.

35. Hinc infertur poſſe Prælatos regulares diſpenſare ex juſta cauſa in regula, & conſtitutionibus ſui Ordinis, in caſibus levibus ſub mortali non obligantibus, & in his, quæ frequenter accidunt, etiam ſi moraliter obligent; quia pro rebus levibus, vel frequenter occurrentibus durum, & intolerabile eſſet ad Superiores recurrere, & per tot tempus illorum beneplacitum expectare; & quia in ſimilibus caſibus præſumitur licentia interpretativa, ſive à jure, ſive à Superioribus, uti ex conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, paſſim obſervatur, & docent Sotus, Prado, Cajetanus, *locis citatis*, Tamburin. quem refert, & ſequitur Lezana *in Conſiliis*, *conſil.*6. *num.*4. *& in Summ. tom.*1. *cap.*8. *num.*23. Pellizzar. *ſup. num.*18. ¶ Cæterum in noſtra Religione aliquarum legum etiam frequenter occurrentium, nequeunt Prælati inferiores diſpenſationem impendere, etiam ſi ad levem, imo nec ullam culpam obligent; quia ita fert Ordinis conſuetudo. Et præcipue id contingit in omnibus legibus ad clauſuram expectantibus; quæ licet frequenter occurrant, nunquam vidimus, vel audivimus, præterquam à Diffinitorio Generali in illis diſpenſare. Vnde quod è domo alius præter procuratorem, vel alter loco illius non exeat, quod eodem tempore ad prædicandum extra oppidum duo Prædicatores non abeant, quod ad eleemoſynas poſtulandas ſemper aſſociati incedant, quod per totam quadrageſimam, vel majorem illius partem unus prædicator, etiam pro munere prædicationis extra monaſterium non exiſtat, & alia huiuſmodi; etſi ad nullam culpam obligantia, etſi frequentiſſimè occurrentia, ex conſuetudine inviolabiliter obſervata habetur, quod nullus, nec R.P.N. Generalis poſſit in eis diſpenſare, etiam ad parvum tempus, vel pro caſu aliquo particulari; ſed hoc dumtaxat ad Diffinitorium Generale ſpectat. In aliis verò frequentibus, & levibus diſpenſare poterunt noſtri etiam immediati prælati, in quibus mos eſt apud nos, ut diſpenſationem impendant; etiamſi illarum diſpenſatio eis ſpecificè non committatur.

Cauſæ ſufficientes ad licitam, & validam diſpenſationẽ legum.

36. Cauſas autem ad diſpenſandum ſuper huiuſmodi obſervantiis in caſibus levibus, & frequentibus, & propriis, ſive ſint regulæ, ſive conſtitutionum rectè aſſignat N. Antonius à Spiritu ſancto *in Director. Regul. tract.*2. *diſput.*1. *ſect.*2. *num.*121. his verbis. [Prima: tempus; quando videlicet propter ſolemnitatem alicuius feſti oporteat regulæ rigorem mitigare. Secunda: utilitas maximè ſpiritualis, ut ſi contingat, quod ſi cum aliquo Religioſo rigidius juxta regulam, & conſtitutiones procedatur, timeretur deſperatio, vel aliquod magnum peccatum ipſius: tunc enim cum illo mitius eſt agendum. Tertia: qualitas perſonæ; ſic enim cum Religioſo gravi, & bene merito de Religione, diſpenſari poteſt in aliquibus punctis, v.g. de cœna in refectorio, & cum occupatur in ſtudiis, de aſſiſtentia ad Chorum. Quarta: neceſſitas ipſa; ſicut enim caret lege, ita petit quando adeſt, ut diſpenſetur in jejuniis, & abſtinentiis, & ſimilibus. Quinta: pietas, ſic enim diſpenſari poteſt cum Religioſo, ut in utilitatem propriorum parentum aliqua efficiat, quæ aliàs ſecundum regulam, & conſtitutiones fieri non deberent. Sexta: evitatio ſcandali, propter quod Prælatus prudenter alicui Religioſo pœnam parcit ipſi debitam, ne ſcilicet in civitate ſcandalum oriatur. Septima: alicuius extranei vitatio offenſæ, qui cum ſit magnæ authoritatis offenderetur,

ſi r.gor religionis in aliquibus caſibus obſervaretur. Quæ omnia cum Armilla, Roſella, Mitanda, Salazar, Peyrin. docet Lezana in Conſil.conſil.6. n.10.& ſeqq.]

Qualiter ad laborandum in diebus feſtivis diſpeſare poſſint Prælati.

37. Rogabis modo primo, an Prælati regulares ex juſta cauſa diſpenſare poſſent, ut Religioſi ſubditi in diebus feſtivis laborent? Reſpondetur affirmativè: quia ut diximus, poſſunt reſpectu ſubditorum, quod reſpectu ſuorum poſſunt Epiſcopi, de quibus poſſe diſpenſare in hoc præcepto vacationis à ſervilibus in die feſto diximus *tractatu* 51. *de legibus, cap.*5. *num.* 38. Portel. *in dubiis regular. verbo Abbas, num.*10. Antonius à Spiritu ſancto *num.*123. Pellizzar. *tractatu* 9. *cap.*3. *ſection.*4. *num.*170. Sed hic ſolum dicit poſſe diſpenſare cum Religioſis, ſed non cum famulis. Sed etiam cum famulis commenſalibus, & intra clauſtra degentibus poſſe diſpenſare prælatos immediatos, ut in die feſto laborent, docent Azot *tomo ſecundo. lib* 1. *cap.*28. *quæſt.*5. §. *Poſtremo.* Palaus *tom.*2. *tractatu* 9. *diſputat.*2. *punct.*10. *fine.* Machado *lib.*2. *part.*3. *tractatu* 16. *document.*5. *num.*1. Trullench. *lib.*3. *in decalog. cap.*1. *dub.*10. *num.*12. Leander *de precept. Eccleſ. tractatu* 1. *diſputatione* 6. *quæſtione* 70. ¶ Cum extraneis vero ſolum poterunt diſpenſare, ut in ſuis Monaſteriis laborent in die Sanctæ Crucis Septembris, S. Michaëlis, S. Innocentium, S. Sylveſtri, dummodo non veniant in Dominica, ex privilegio vivæ vocis oraculo Eugenii IV. quod adducit Rodriguez *in bullar. fol.*118. *num.*7. Vnde in aliis feſtis ex vi privilegiorum non poterunt Prælati diſpenſare, ut in Conventibus ſuis extranei laborent, etiamſi hoc gratis fiat, niſi ex urgentiſſima cauſa, & cum Epiſcopi licentia. Portel. *ſuper verbo laborare, num.*1. Antonius à Spiritu ſancto *num.*124. ¶ Diximus non poſſe ex privilegiis, cæterum ex jure communi excuſantur à peccato ſæculares, qui gratis laborant diebus feſtivis pro Eccleſiis, pro locis piis, pro monaſteriis pauperum Religioſorum ad illorum ædificationem, vel reparationem, vel in alio opere neceſſario pro eiſdem monaſteriis, modo prius audiatur miſſa, ut docet Fagundez *lib.*1. *de* 1. *Eccleſiæ precepto, cap.*14. *num.*6. & 24. Paſqualig. *deciſ.*187. *num.*7. Sylveſter *verbo Dominica, quæſtione* 5. *verſu* 3. Ioannes à Cruce 1. *part.Summ. precept* 3. *art.*1. *num.*4. & alii, quos refert, & ſequitur Leander *tr.*1. *diſp* 6.*q.*64.

Qualiter diſpenſare poſſint Prælati cum conjugatis inceſtuoſis ad debitum petendum?

38. Rogamus ſecundo: an Prælati per ſe, vel per deputatum ab eis Confeſſarium poſſint cum ſæcularibus conjugatis diſpenſare in jure petendi debitum, quod amiſerant, vel ob inceſtum commiſſum cum conſanguinea coniugis in primo, aut ſecundo gradu, vel ob votum caſtitatis ante, vel poſt contractum matrimonium emiſſum? Reſpondetur affirmativè, ut diximus *tom.* 2. *tractatu* 9. *de matrimon. cap.*14. *num.*14. Et non ſolum poſſe Provinciales, ſed etiam Prælatos immediatos vel per ſe ipſos, vel per deſignatum Confeſſarium, diximus ibi *num.*15. Imo probabilem ex multorum judicavimus ſententiam dicentium, quod abſque deputatione Provincialis, aut Prioris poſſunt regulares Confeſſarii in hoc diſpenſare, ut præter ibi citatos, tenet Diana 10. *part. tractatu* 4. *reſolut.*20. Bordon. *in Miſcellan.dec.*474. Antonius à Spiritu ſancto *num.*112. ¶ Sed nota hanc privationem debiti petendi non incurri, neque à muliere, quæ coacta rem cum conſanguineo habuit, ut *loco citato, de matrimon. cap.*15. *num.*17. diximus. Neque ab illo, qui cum ignorantia juris, aut facti ad conſanguineam uxoris acceſſit: quia videlicet ignorabat eſſe conſanguineam, vel acceſſum ad eam eſſe jure ſpeciali Eccleſiaſtico prohibitum, ut diximus ibi *num.*19. Ignorantiam ſolius pœnæ non excuſare ibidem docuimus, & *tract.*10. *de cenſuris, cap.*1. *num.*194. & *cap.*7. *num.*54. Quamvis probabile ſit, non incurrere hanc pœnam privationis petitionis debiti ab eo, qui illam ignorabat, tenent Doctores, quos ſupra hoc punct. *num.*11. & 13. dedimus, & in noſtro caſu tenent Quintanadveñas *tract.*9. *ſingular.*6. *num.*5. Pellizzar. *tom.*1. *tractat.*8. §. 2. *num.*174. Candidus *tom.*2. *diſquiſit.* 27. *art. unic. dub.*11. Anton. à Spir. ſancto *tract.*2. *diſput.*1. *ſect.*1. §. 3. *num.*106.

Qualiter veſtimenta ſacra, & vaſa poſſint benedicere Prælati?

39. Rogabis tertio: quid poſſint Prælati circa benedictionem vaſorum, & veſtium Eccleſiarum? Reſpondetur non poſſe Prælatos regulares, etiam Generales conſecrare calices, patenas, aras, & reliqua in quorum conſecratione unctio adhibetur: quia licet hoc poſſint Abbates ex privilegiis, qui ex illis utuntur inſignis Pontificiis, & alii Prælati communicent in omnibus privilegiis Benedictinis, & Ciſtercienſibus Abbatibus conceſſis; non eſt quoad hoc in aliis Religionibus recepta communicatio, ut ex praxi, & conſuetudine conſtat. Bordonus *tom.*1. *reſolut.*57. *num.*5. Pellizzar. *tractat.*8. *cap.*5. *ſect.*4. *num.*104. N. Lezana *tom.*1. *part.*1. *cap.*18. *num.*58. Fragoſo 2. *part. lib.*11. *diſput.*4. §. 3. *num.*2. ¶ Poſſunt tamen Prælati regulares etiam immediati benedictione ſolemni omnes ſuas Eccleſias, oratoria, vaſa, & ornamenta Eccleſiaſtica benedicere, quando ad hoc chriſma non adhibetur: & eaſdem Eccleſias quando pollutæ fuerint ſanguinis, aut ſeminis effuſione reconciliare, cum aqua à ſeipſis benedicta, ſi conſecratæ non ſunt, ſi autem conſecratæ fuerint, requiritur, quod aqua ſit benedicta ab Epiſcopo, ſi per ſeptem leucas à Conventu exiſtat. Ioannes à Cruce *lib.*2. *cap* 5. *dub.*5. *concluſ.*4. Portel. *in dub. regul. verbo benedicere, num* 1. & 2. Bordon. *n.*2. Fragoſ. *num.*21. Diana 6 *part. tract.*6. *reſolut.*11. ¶ Imo poſſunt benedicere omnia ornamenta, & corporalia tam ſui Conventus, quam undequaque venientium, ut ex variis privilegiis probant Pellizzat. *num.*105. 108. & 113. Lezana *tom.*3. *verb. benedicere, num.*8. Portel. *num.*3. Fragoſ. *num.*10. ¶ Poſſunt etiam ex privilegio Innocentii VIII. bulla 5. intra Conventus ſuos, non extra benedicere quaslibet imagines, & vaſa ad reſpondendum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, tam propria, quam extranea. Et ex privilegio Innocentii VIII. & Iulii III. poſſunt etiam benedicere campanas: & cum totum hoc ex jure Ordinario illis conveniat, poſſunt delegare ad omnes prædictas res benedicendas tam ſubditis, quam extraneis facultatem. Bordon. *reſolut.* 17. *num.* 2. Pellizzat. *num.*105. 113. & 114. Anton. à Spiritu ſancto *num.*135. & 136.

PUNCTUM II.

De privilegiis regularium in Ordine ad audiendas Confeſſiones ſuorum Religioſorum, alterum, & ſæcularium.

Quod eſt in hoc dubio pertractandum.

40. PUNCTUM certè aggredimur latiſſimum, & difficillimum, quia circa illud plures occurrunt, & graviſſimæ difficultates; quarum reſolutionis notitia ſummopere eſt neceſſaria pro praxi quotidiana: præcipuè in Confeſſariis, quos toto hoc curſu inſtruere nitimur: & ob id illud in diverſos, & plures §§. dividemus, quamvis plura ſint à nobis prætermittenda, quia jam *in tractatu de Pœnitentia* ſunt exarata, agentes de Miniſtro illius: alia in *tractatu de Cenſuris*, tractantes de illarum abſolutione, & de diſpenſatione irregularitatum; ad quos tractatus non ſemel in præſenti recurrendum erit nobis ob connexionem doctrinæ, ea attingentes, quæ alibi ſunt fuſius declarata. Quare in præſenti, de his, quæ ad regulares Confeſſarios pertinent, ſermò erit, & primo agemus de approbatione Epiſcopi, à regularibus accipienda, ut poſſint ſæcularium Confeſſiones audire. Deinde, quid poſſint Religioſi Confeſſarii, circa alterius Ordinis Religioſos, in Ordine ad illorum Confeſſiones audiendas, & abſolvendum eos à reſervatis, & non reſervatis. Poſtea de his, quæ poſſunt regulares Confeſſarii reſpectu Religioſorum pœnitentium ſui Ordinis. Ac denique de poteſtate, quam habent abſolvendi ſæculares, & cum eis in votis, & irregularitatibus diſpenſandi.

---

§. I.

Quod ſuis non obſtantibus privilegiis, tenentur regulares, ab Epiſcopis approbationem habere, ut validè, & licitè poſſint audire Confeſſiones ſæcularium.

Approbatio, & juriſdictio cū Sacerdotio, ad Cōfeſſiones audiendas requiruntur.

41. PRæter poteſtatem Ordinis, quam ſinguli Sacerdotes in ſua ordinatione recipiunt, ad alios ligandum, & abſolvendum, quæque omnino ſemper præcedere debet ex jure divino in quocumque Confeſſario, requiritur in eo & poteſtas juriſdictionis, quæ confertur à Superiori in ſuos ſubditos, illis judicium, & ſententiam in foro conſcientiæ de ſuis propriis ovibus committente, & legitima approbatio, qua Superior de idoneitate miniſtri judicat, & illum aptum ad tale miniſterium determinat. Hæc autem approbatio abſque juriſdictione ſtare poteſt, ut patet in eo, qui ad abſolvendum à reſervatis habet approbationem, non autem juriſdictionem; quia hæc ſoli Superiori reſervatur. Imo in eo reſervatio conſiſtit, quod ab inferiori auferatur poteſtas, & juriſdictio, ne à caſibus reſervatis poſſit abſolvere; quorum abſolutio ſoli Superiori conceditur. Res igitur ſunt diverſæ, approbatio, & juriſdictio; illa pertinet ad Ordinem juſtitiæ, & ſecundum merita debet fieri: obidque injuſtitiam irrogaret examinato, is, ad quem approbare illum ſpectat, ſi poſtquam judicatus eſt idoneus, illi approbationem denegaret. Sed juriſdictio pertinet ad Ordinem gratiæ, quia eſt facultas gratioſè conceſſa judicandi de ſuis ſubditis. Sed licet hæc duo ſeparati poſſint, ut in plurimum conjunguntur. Et cum juriſdictio, & approbatio (ut diximus) diverſa ſint; multoties à diverſis Superioribus provenit: nam licet ſæcularibus Sacerdotibus, & approbatio; & juriſdictio ab Epiſcopo concedatur, & idem eſt de regularibus reſpectu Religioſorum, nam ab eorum Prælatis, & juriſdictionem, & approbationem recipiunt. At reſpectu ſæcularium Confeſſarii Religioſorum approbatione facta ab ordinario, juriſdictionem recipiunt à Summo Pontifice, qui eis diverſis in privilegiis facultatem præbent, ut poſſint fideles undecumque ad eos accedentes confiteri, dummodo ab Ordinario loci ſint approbati, ut jam dicemus:

Nullū modo extat privilegium, regulares ſine approbatione Epiſcopi poſſint ſæcularium Confeſſiones audire.

42. Licet olim regulares plura, & diverſa privilegia haberent, etiam in corpore juris inſerta, ut abſque approbatione Epiſcoporum poſſent ſæcularium audire Confeſſiones, ut conſtat ex Extravaganti *Super cathedram*, ubi Bonifacius VIII. dedit facultatem regularibus, ut ſolummodo à ſuis prælatis præſentati Epiſcopis, ſæcularium confeſſiones poſſent audire; imo Benedictus XI. in alia extravaganti, quæ incipit: *Inter cunctas, de Privileg.* conceſſit regulares audire ſæcularium Confeſſiones, etiam ſine præſentatione, & licentia Epiſcoporum; licet hoc indultum Benedicti revocatum fuerit à Clemente V. & renovatum illud prius Bonifacii, *in Clem. Dudum, de ſepult.* Attamen poſt decretum Concilii Tridentini, ut Religioſi poſſint ſæcularium Confeſſiones audire, omnino requiritur præſentatio, & approbatio Epiſcoporum: dicit enim Concilium *ſeſſ. 23. cap. 15. Quamvis presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum, etiam regularem poſſe Confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, niſi aut parrochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili non obſtantibus, &c.* Cæterum, quia poſt hoc Tridentini decretum, aliquibus Religioſis à Pontificibus conceſſum eſt, ut audire poſſent Confeſſiones ſæcularium examine Epiſcoporum non præcedente; Urbanus VIII. in bulla edita anno 1629. quæ habetur *in 4. tom. Bullar. inter conſtitut. hujus Pontificis, num. 92.* revocavit, & annullavit omnia, & quæcumque privilegia, quibuſcumque Religionibus, & Societatibus, quoad hoc conceſſa. Quare in præſentiarum nullum extat privilegium, ut ſine approbatione Epiſcopi poſſint regulares audire Confeſſiones ſæcularium: & ſi ſecus fecerint, nihil facient, niſi graviſſimum peccatum ſacrilegii: Confeſſiones vero erunt omnino nullæ, irritæ, & inanes, in quo omnes Doctores conveniunt. ¶ Et loquimur de Confeſſionibus circa peccata, quæ ſunt materia omnino neceſſaria pro Confeſſione, ut ſunt peccata mortalia aliàs non ritè confeſſa; nam de peccatis venialibus, & de mortalibus jam confeſſis poſſe ſimplicem Sacerdotem, ideſt ab Epiſcopo non approbatum, Confeſſiones audire, omnes tenent, & nos diximus *tract. de Pœnitentia.* Et loquimur extra articulum mortis; nam in eo, imo in mortis periculo poſſe quemlibet Sacerdotem ſimplicem, quemcumque fidelem, à qui-

buſcum

buſcumque caſibus & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis pœnitentem abſolvere, *eoam tract. de cenſuris* latè diximus.

Sententia aſſerẽs poſſe Prælatos regulares non approbatos ab Epiſcopis ſæcularium Confeſſiones audire.

43. Sed modo inquires primo: an Prælati regulares poſſint audire ſæcularium Confeſſiones ſine Epiſcopi approbatione? Affirmat ſatis probabiliter prima ſententia: nam Concilium eximit ab examine, & approbatione Epiſcoporum parrochiale beneficium habentes: ſed Prælati regularium habent quodammodo beneficium parrochiale; ſunt enim parrochi ſuorum ſubditorum, & beneficium cum animarum cura habere dicitur; ſiquidem hoc in eo conſiſtit quod illud poſſidens habeat quibus ex jure ordinario ſepulturam, & Sacramenta miniſtret, & quibus doctrinam impertiatur, eoſque in ſpiritualibus inſtruat: ergo. ¶ Nec ſatis eſt dicere hoc ſolum probare, quod ſicut parrochus ſolum reſpectu ſuorum parrochianorum non indiget approbatione Ordinarii, ſic nec Prælatus reſpectu ſuorum ſubditorum, non vero reſpectu ſæcularium. ¶ Contra eſt: quod cum parrochus non babeat juriſdictionem à Pontifice, ſed ab eo, à quo accipit approbationem, in collatione beneficii parrochialis exhibitam, ſicut ſolum pro parrochianis illam accipit; ita ſolum ad eos juriſdictio extenditur. Prælatus autem regularis habet à Pontifice juriſdictionem, ſuppoſita approbatione; vel ſine ea cum parrochiale beneficium accipit, & ideo talis poteſtas juriſdictionis, non ſolum ad ſuos ſubditos, ſed etiam ad ſæculares extenditur. Sic Doctiſſimi Magiſtri Salmanticenſes Gallus, Mantius, Medina, quos refert Henriquez *lib. 6. de Pœnitent. cap 6. num. 2. in Gloſſ. littera E, & F. & lib. 7. de Indulgent. cap. 12. in gloſſ. littera K,* Barnab. Gallego *in Bulla Cruciat. cap. 9. dub. 84.* Delgadillo *de Pœnit. cap. 19. dub. 54.* Nuño *in addition. ad 3. part. quaſt. 8. art. 5. dub. 8. in ſolut. ad 9. argument.* Ludovicus de S. Ioan. *quaſt. 6. de Pœnit. art. 6. dub. 4. pagin. 467.* Ioannes Valerus *in differentia utriuſque fori, verb. nullitas, diffic. 5. n. 3.* Hieronym. Llamas *1. part. methodi c. 6. § 6. & 7. pagin. 65.* Bruno Caſaing. *de privileg. regul. part 2. tract. 5. cap. 2. propoſ. 1.* Et probabilem dicunt Antonius à Spiritu ſancto *in Director. Confeſſar. tom. 1. tract. 5. diſp. 18. ſect. 4. num. 861.* Thomas Hurtado *tract. 2 cap. 1. dub. 2. num. 1848.* Ludovicus à Cruce *in expoſit. Bullæ, diſputat. 1. cap. 2. dub. 11. num. 8.* Angelus Boſſius *tract. de Iubileo, caſu 2. § 2, num. 53.* Martinus à S. Ioſeph. *in monitis Confeſſ. tom. 1. lib. 1. tract. 24. de Pœnit. num. 19.* Ceſpedes *de exempt. c. 6. n. 141.* Diana *5. p. tract. 12. reſol. 52.*

Quid ex dicta ſententia ſequatur.

44. Ex hac ſententia infertur primo. Quod in ſententia illorum, qui dicunt poſſe ſemel approbatum abſolutè, per bullam eligi in Confeſſarium, à quocumque illam recipiente, poſſe Prælatum regularem hoc modo eligi, tametſi ab Ordinario non ſit approbatus; quia jam eſt ſimpliciter approbatus in ipſa aſſumptione ad prælaturam. ¶ Sequitur ſecundo: in ſententia eorum, qui dicunt regularem ab Epiſcopo approbatum, poſſe in quacumque Diœceſi ſæcularium Confeſſiones audire, etiamſi ab Epiſcopo illius Diœceſis approbationem non habeat, de qua infra *n. 71.* quod Prælatus in quacumque Diœceſi exiſtens, poteſt fideles illius Diœceſis Confeſſiones audire ſine alia licentia Ordinarii ob eandem rationem. ¶ Sequitur tertio: quod in ſententia illorum, qui dicunt parrochos, qui beneficium parrochiale habuerunt, ſed jam non habent, poſſunt adhuc eligi in confeſſores virtute Cruciatæ, eo quod approbatio, quæ parrocho ſimul cum beneficio parrochiali conceſſa fuit, adhuc perſeverat, & ſola juriſdictio ceſſavit. Quod docent Thom. Hurt. *tom. 2. tract. 12. c. 1. reſol. 34. dub. 3. n. 1878.* Manuel. Rodrig. *in addit. ad Bullam. § 9. n. 4.* Villal. *tom. 2. tract. 27. clauſul. 9. § 1. num. 4. & tract. 9. de pœnit. diffic. 55. n. 4* Mendo *in bull. diſp. 22. cap. 2. num. 34.* Acoſta *in explicat. bulla, q. 39.* Petrus Fay *in addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. diſt. concluſ. 4. ad 3.* & probabilem putat Ioannes de la Cruz *part. 2. de Pœnit. q. 5 dub. 8. concluſ. 4.* Ita etiam Prælati regulares, qui ſemel alicuius Conventus Superiores locales extiterunt, poſſent de cætero, etiam finito munere, ubique eligi virtute bullæ cruciatæ.

Prælati regulares nõ approbati ſine ab Epiſcopis, nequeunt ſæculariũ audire confeſſiones.

45. Sed probabiliorem ſententiam negativam judicamus, eo quod prælatura etſi æquiparetur parrochiali beneficio quoad curam animarum (nam ſicut parrochus ſuarum ovium curam gerit, eis doctrinam, & ſacramenta miniſtrat, & poſt mortem ſepulturæ tradit; ſic Prælatus reſpectu ſuorum ſubditorum eandem curam ſubit) verum tamen non eſt beneficium parrochiale: quia hoc ex communi ſenſu Doctorum eſt jus percipiendi redditus propter officium miniſtrandi ſubditis ſacramenta, quod minime in prælatis reperitur. Ideoque ſub nomine beneficii non venire prælaturas regulares docent ex communi ſententia Rodriguez *tom. 2. q. 26. art. 2.* Bonacina *q. 7. de Simonia p. 1. punct. 1. § 2. n. 4. & punct. 2. n. 24.* Cum ergo Concilium ſolum eximat ab examine Epiſcoporum eos, qui parrochiale beneficium habuerint; ſequitur prælatos ſine Epiſcopi approbatione non poſſe audire Confeſſiones ſæcularium. ¶ Quod inſtatur manifeſtè: quia etiam Prælati regulares dicuntur habere juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & ſic ſuo modo eſſe reſpectu ſuorum ſubditorum quaſi Epiſcopi; & nullus dicet poſt decretum Tridentini, & bullam Vrbani VIII. poſſe venire nomine Epiſcoporum, à quibus debeant Confeſſarii pro ſæcularibus approbationem recipere: ergo quando excipit parrochiale beneficium habentes, non veniunt nomine parrochorum Prælati, etſi alias reſpectu ſuorum ſubditorum quodammodo parrochi dicantur. Ita tenent omnes, quos diximus oppoſitam ſententiam probabilem reputare, qui huic, ut probabiliter adhærent. Et inſuper Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp. 21. n. 9.* Dicaſtillo *de pœnit. diſp. 10. dub. 9. n. 165.* Leander à SS. Sacramento *de pœnit. diſp. 11. q. 61.* Matth. de Moya *in ſelect. tract. 3. diſ. 7. q. 3.* Petrus de Ledeſm. *c. 13. de pœnit. diffic. 4. & 6. poſt primam concluſ.* Vincent. Candid. *diſq. 24. art. 64. n. 5.* Mendo *in Bull. diſp. 22. c. 2. n. 30.* Suarez *de pœnit. diſp. 28. ſect. 4. num. 21.* Quintanadveñas *de Iubileo duar. heb. omad. cap. 1.* Bordon. *tom. 2. reſol. 36. n. 55.*

Status difficultatis proponitur, & quid ſit in hac materia certum declaratur.

46. Inquires ſecundo: an regularis approbatus ab Epiſcopo pro Confeſſione ſæcularium, poſſit eas validè audire, & abſolvere, ſi à ſuis Prælatis præſentatus non ſit, ſed ab ipſis, vel à ſuis legibus prohibitus? & quidem talem Religioſum, cui prohibitum eſt à ſuis prælatis, vel legibus audire Confeſſiones ſæcularium, ſine prælatorum licentia, & approbatione, peccare illas audiendo graviter, vel leviter juxta obligationem præcepti Superioris, vel legem, omnes tenent: quia juſtè, & legitimè Prælati poſſunt hoc miniſterium, quod magnam peritiam, prudentiam, & gravitatem morum efflagitat, Religioſis prohibere, niſi habeant qualitates ſtudio-

rum

rum, ſcientiæ, & integritatis vitæ, quas Religio in miniſtris hujus Sacramenti requirit; ſi excipias caſum periculi mortis; quia tunc ex tacita licentia Prælatorum poſſunt ſolum ab Epiſcopis approbati, imo ſimplices Sacerdotes omnium confeſſiones licitè audire; & ſi hoc etiam prohiberet Prælatus, eſſet irrationabilis prohibitio, ad quam non eſſet attendendum. Quærimus ergo, an hic validè poſſit ſæcularium excipere Confeſſiones. Et dicimus *Sæcularium*; nam Religioſorum non poſſe nec validè confeſſiones audire, indubitatum eſt, ſicuti nec alii ſimplices Sacerdotes: quia Epiſcopi illos approbantes non poſſunt eis dare juriſdictionem in exemptos; quia hæc ſolum poteſt, vel à Prælatis jure ordinario illam habentes, provenire; vel à Summo Pontifice per privilegia; hæc tamen ſemper dantur cum dependentia quoad eorum uſum à Prælatis, & ab ſtatutis Religionum, ut latius ex communi ſententia infra dicemus. Et hinc conſtat, non poſſe ſic approbatum ab Epiſcopo; ſine licentia prælatorum ſæculares abſolvere validè à caſibus, à quibus alii ordinarii Confeſſarii ſæculares non poſſunt, nec virtute privilegiorum Ordinis quidquam efficere, nec votis, aut irregularitatibus, aliiſve pœnis cum eis diſpenſare: hoc enim poſſunt regulares à Religione expoſiti, & à Prælatis deſignati: hi enim ut confeſſarii Religioſi, religionis privilegiis funguntur, illi verò minimè: & ſic ad ſummum poſſent, quod alii ſæculares confeſſarii ab Epiſcopo in ſuas oves juriſdictionem obtinentes. De hoc ergo ultimo dubitatur, an poſſint validè ſæcularium audire confeſſiones, ſicuti alii confeſſarii ſæculares.

Probabilis eſt ſententia negans validas eſſe cõfeſſiones, quas Religioſus à ſuis prælatis non approbatus, audit.

47. Prima ſententia eſt negativa, & ſatis probabilis. Et probatur primo: jure antiquo *in Clement. Dudum, de ſepultur. & in extravag. Bonifacii VIII. ſuper cathedram, & Benedicti XI. Inter cunctas de privil.* ſemper fuit Superiorum licentia, & approbatio regularibus neceſſaria, pro audiendis: ſed dicta privilegia ſeu jura revocata non ſunt à Tridentino quoad hanc partem; ſiquidem iſtud petens pro audiendis confeſſionibus ſæcularium approbationem Epiſcopi, non tollit id, quod ex jure antiquo requirebatur; nimirum approbatio Prælati. Secundo: quia Epiſcopus ſine licentia Prælati, Religioſi exponendi, non poteſt eum approbare; ſiquidem examen, & approbatio eſt actus juriſdictionis, quam Epiſcopus exercere non poteſt in Religioſum exemptum, niſi fiat ei ſubditus per præſentationem ſui Prælati. Hanc tenet N. Reverendiſſ. Theodorus Stratius *Inſtruct. pro Carmelitis, cap.6. num.2. & ſequent.* Henriquez, Fagundez quos refert, & ſequitur Palaus *tract.23. diſput. unic. punct.17. §.1. n.7.* Bordon. *tom.2. reſol.36. n.42.* Boſſius *de Iubileo, ſect.3. caſu 2. n.186.* Portellus *verb. Confeſſor quoad regulares n.9.* Sylveſter *verb. Confeſſor 3. n.2 §.2.*

Probabile eſt, eſſe validas confeſſiones, quas religioſus approbatus ab Epiſcopo, ſed non expoſitus à ſuis Prælatis, audit.

48. Hæc licet probabilis ſit, imo ſecurior ſententia, quam omnes regulares in praxi ſequi deberent; probabilis nihilominus, imo communis eſt affirmativa ſententia. Quia in regulari ab Ordinario approbato, datur quidquid requiritur ut validè ſæcularium poſſit Confeſſiones audire: habet enim & poteſtatem Ordinis, & approbationem Epiſcopi petitam à Concilio, & juriſdictionem ab eo acceptam: & hanc poſſe Epiſcopum erga ſuos ſubditos, regularibus concedere independenter à ſuis Prælatis, compertum eſt: quia habet illam jure ordinario; ac proinde cui voluerit, ſi idoneum eum judicaverit poteſt eam delegare: ergo validè poſſunt Confeſſiones audire, non quidem ut regulares, & juriſdictione accepta à Pontifice per privilegia; ſed ut delegati Epiſcopi, ut alii Confeſſores ſæculares. Eo vel maximè: quia Tridentinum aſſignando quod pro Confeſſoribus ſæcularibus, vel irregularibus requireretur ad audiendas confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, ſolum aſſignavit præter poteſtatem Ordinis, Epiſcopi approbationem, nihil de licentia, aut facultate Prælati requirendo: ergo dicta ſufficient, ut regularis validè poſſit audire confeſſiones ſæcularium. Per quod ad argumenta contraria conſtat. Nam hoc ipſo, quod Concilium ſubjecerit regulares exemptos Epiſcopis quoad approbationem, non petita Prælati licentia, poſſunt Epiſcopi in illos juriſdictionem in actu examinis repertam exercere, non præſuppoſita præſentatione Prælati. Candidus *tom.2. diſquiſit.24. art.56. dub.11.* Graffis *1. p. lib.1. c.13. n.88.* Delbene *tom.2. c.14 dub.18. n.1.* Zerola *c.16 de Pœnit. q.7.* Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tr.2. diſp.3. ſect.1. n.20.* Pellizzar. *tom.2. tract.8. cap.3. ſect.1. n.27.* Lezana *tom.1. c.19 num.12. & tom.3. verb. Confeſſor. n.2.* Homobonus *p.2. reſponſ.102. §. dixi.* Peyrin. *tom.2. de ſubdit. q.1. de obedient. c.22. concl.2* Mirand. *tom.1. quæſt.45 art.12.* Layman. *lib.5. tractat.6. cap.10. num.19.* Rodrig. *tom.1. quæſt.60. art.3.*

---

§. II.

De illis, qui poſſunt ſibi Confeſſarium eligere ab Epiſcopo non approbatum.

Religioſi de licẽtia ſuorum prælatorum, Sacerdoti ſimplici poſſũt confiteri.

49. QUicumque ſæcularis, qui vel à Pontifice ob ſpecialem indultum, & privilegium, vel à ſuo proprio Prælato facultatem accipit eligendi ſibi idoneum Confeſſarium, debet omnino talis eſſe ex approbatis ab Epiſcopo; etiam ſi hoc in bulla, aut privilegio non exprimatur; ſemper enim ſubintelligitur: quia in generali conceſſione non veniunt, quæ Superior non concederet, ſi rogaretur ſpecialiter: nunquam autem Summus Pontifex hanc facultatem præbet, niſi eligendi jam approbatum; & ſi ad non approbatum peteretur, eam proculdubio negaret. Maximè: quia exſtat in oppoſitum decretum Concilii, cui nunquam derogatur, niſi cum expreſſa mentione illius. § At regularis, ſi vel à Pontifice, vel à ſuo Prælato, qui poteſt dare in ſubditos juriſdictionem, licentiam eligendi confeſſarium, quem voluerit, tacitam, vel expreſſam accipiat; poteſt etiam ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Epiſcopo, eligere: quia hoc ex jure antiquo Religioſi habebant, ut de licentia ſuorum prælatorum poſſent cuilibet confiteri; uti ex communi ſententia docent Suarez *diſputat.28. ſect.4. num.5.* Lugo *diſputat.21. num.2.* Diana *tertia parte, tractat.2. reſolut.3. & 3c. & part. 8. tractat.1. reſolut.86.* Thomas Hurtad. *reſolut. moral. tom.2. tractat.12. cap.1. §.1. dub.5. num 2071.* Leander *tom.1. tract.5. diſput.11. quæſt.45.* Antonius à Spiritu ſancto *in Director. Confeſſar. tract.5. diſputat.12. ſect.19. num.839.* Dicaſtillo *diſputat.10. num.417.* & nos fuſius dicemus, circa quos nihil Concilium innovavit, quia ſolum loquitur de Confeſſoribus ſæcularium, ut patet ex eius verbis.

Poteſt quilibet Præ'a ius ſimpliĉ Sacerdotem ſibi in confeſſarium eligere.

50. Hinc fit poſſe modo omnes Prælatos regulares, Generales, Provinciales, Priores, ſeu immediatos Conventuom Prælatos, Vicarios, & quoſcumque Conventuum præſidentes eligere ſibi confeſſorem, quem voluerint, etiam ſimplicem Sacerdotem, ſive illius Ordinis, ſive extraneum, tam ſæcularem, quam regularem: quia hoc illis conceditur *in cap. ultim. de Pœnitentiis, & remiſſionibus*, ubi dicitur: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, etiam præter ſui Superioris licentiam, providum, & diſcretum ſibi poſſe eligere confeſſorem.* Quod indultum minimè revocatum fuit à Tridentino: quia in eo ſolum eſt ſermo de Confeſſore ſæcularium. Et licet in eo textu, *providum, & directum Confeſſorem* electum debere eſſe dicatur; ſed non requiritur, nec petitur, quod talis per examen, aut judicium Epiſcopi judicetur; ſed quod alias ſit talis ſecundum judicium illius eligentis. Sic ex communi ſententia Sylveſter *verbo Confeſſor.* 1. *q.* 8. Suarez *diſ.* 27. *ſect.* 8 *num.* 10. Moya *tract.* 3. *diſp.* 7. *quæſt.* 2. *num.* 5. Lugo *diſp.* 59. *num.* 4. Diana 3. *p. tract.* 2. *reſolut.* 1. *&* 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 1. N. Antonius à Spiritu ſancto *in Director. regul.* 1. *parte, tract.* 2. *diſp.* 1. *num.* 16. *& in Director. Confeſſ tom.* 1. *tract* 5. *diſp.* 12. *ſect.* 5. *n.* 832. Bordon. *tom.* 2. *reſ.* 34. *n.* 18. Rodriguez *qq. regular. tom.* 5. *q.* 13. *art.* 10. *& q.* 17. *art.* 4.

Poſſe parrochos ſimplicem Sacerdotem ſibi in confeſſariū eligere, aliqui dicūt.

51. Et ſi occaſione huius inquiras, an etiam Parrochi poſſint ſibi eligere confeſſorem ſimplicem Sacerdotem ab Epiſcopo non approbatum, regularem, vel ſæcularem, virtute ſupradicti privilegii? Aliqui affirmant propter illud verbum: *Necnon minoribus Prælatis*, ſub quo nomine parrochi dicunt intelligi, qui ſuorum ſubditorum ſunt Prælati minores comparatione ad Epiſcopos, ſicut Prior comparatione ad Provincialem eſt minor Prælatus; & cum privilegium ſit favorabile, ample eſt interpretandum: quod revocatum non eſt per Tridentinum; quia eſt in corpore juris inſertum, cui non derogatur per ſubſequentem diſpoſitionem contrariam, niſi fiat de illo expreſſa mentio, quæ in præſenti non invenitur. Sic N. Antonius à Spiritu ſancto *loco citat. ex Director. Confeſſ. num.* 835. Sylveſter *ſup.* Paſqualig. *deciſ.* 105. *n.* 5. Margarita *Confeſſ. fol.* 156. quam refert, & ſequitur Vega 1. *part. Summ. cap.* 75. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4 *art.* 2. §. *ſimiliter, & art.* 3. §. *Poſtremum.* Vincentius Baronius *p.* 2. *contra Amadeum diſp.* 1. *ſect.* 3. *fol.* 245. & probabilem dicit Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 28. *ſect.* 2. *n.* 7 Baſſæus *verbo Confeſſarius* 2. *n.* 15. Chryſtophorus à S. Ioſeph *verbo Confeſſor.* 4. *part. Sacrament. Pœnit. de miniſtr. dub.* 4. *num.* 17.

Sunt qui aſſerunt poſſe parrochum ſimplicem Sacerdotem exponere ad audiendas ſuarū ovium cōfeſſiones.

52. Et hanc amplecti tenentur omnes, qui dicunt, poſſe parrochum poſt Tridentinum, Sacerdotem ſimplicem non approbatum ab ordinario exponere ad audiendas ſuorum Confeſſiones: quia poteſt parrochus, eum pro ſe eligere Confeſſorem, quem pro ſubditis exponit, ut Prælatus poteſt licentiis uti, quas ſubditis concedit; & concedere confeſſario, ut eum abſolvat, vel cum eo diſpenſet in his, in quibus ipſe cum aliis diſpenſare valet. Vt cum D. Thoma *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 5. *q.* 4. *ad* 5. docent communiter Doctores. Quod autem parrochus poſſit ſimplicem Sacerdotem exponere ad audiendas ſuorum Confeſſiones, tenent Soto *loco citato, art.* 3. §. *Poſtremum.* Thomas Hurtad. *tom.* 2. *reſol. moral. tract.* 12. *cap.* 5. *num.* 2024. Mag. Gallo Mag. Ioannes de Orellana, & alii Doctiſſimi Magiſtri, quos refert, & ſequitur Petrus de Ledeſma *in Summ. tom.* 1. *de Sacram. Pœnit. cap.* 52. *concluſ.* 5. §. *la ſegunda ſentencia.* Ludovicus de S. Ioan. *quæſt.* 6. *de pœnit. art.* 2. *difficult.* 12. & ut probabilem amplectitur M. Ioannes à Cruce *in direct. part.* 2. *de Sacrament. pœnit. quæſt.* 5. *dub.* 6. *concl.* 2. & probant *ex cap. Placuit, cap. omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* ubi Pontifex facultatem concedit parrochis, exponendi pro ſubditorum Confeſſionibus, quemlibet Sacerdotem prudentis judicio idoneum, abſque alia approbatione. Quæ privilegia per Tridentinum revocata non ſunt, cum de illis non faciat mentionem, prout neceſſarium erat ut derogaret privilegio in iure communi inſerto.

Poſt Tridentinum nec parrochus poteſt ſibi in confeſſorem ſimplicem Sacerdotē eligere, nec pro ſuis ſubditis exponere.

53. Sed dicendum eſt non poſſe parrochum, poſt Tridentinum, ſibi Confeſſorem ſimplicem Sacerdotem eligere, nec pro ſuis ſubditis ſimplicem Sacerdotem exponere. Prima pars probatur. Tum: quia parrochi nunquam ſimpliciter, & abſolutè in jure dicuntur Prælati; quin potius in eo apertè fit diſtinctio inter eos, & Prælatos, ut patet *ex Clementin. Dudum de ſepulturis.* Tum etiam: quia eſto lato nomine Prælatorum parrochi venire poſſent; non ob id parrochi privilegio illo conceſſo *in cap. ultim. de pœnit. & remiſſ.* perfrui valerent: quia illud non quibuſvis Prælatis inferioribus confertur, *ſed minoribus Prælatis exemptis*, ut ſunt Prælati Religionum: curati autem non ſunt exempti ab Epiſcoporum juriſdictione. Tum denique: quia ſic deciſum eſt ab Alexandro VII. die 24. Septemb. anno 1665. ubi inter alias propoſitiones, quas Pontifex damnavit ut ſcandaloſas, & ſub pœna excommunicationis prohibuit; una eſt: *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.* Quare noſtram concluſionem tenent quoad hanc primam partem, Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 28. *ſect.* 2. *num.* 7. Moya *diſp.* 7. *q.* 2. §. 2. Granado *tract.* 10. *de pœnit. diſp.* 15. *n.* 4. Molfeſius *tract.* 7. *c.* 15. *n.* 38. Ægidios *diſp.* 8. *n.* 61. Gaſpar Hurt. *de pœnit. diſp.* 10. *diffic.* 13. Quoad ſecundam vero partem aſſertio probatur. Tum: quia hoc ipſo, quod Pontifex damnavit illam propoſitionem, videtur condemnare eam, ex qua illa manifeſtè ſequitur, ut *num. præced.* dicebamus. Tum etiam: quia eſto illa jura non eſſent revocata per Tridentinum, quod falſum eſt, ut infra dicemus; id neceſſarium non erat, ad novum jus ſtatuendum: quo Tridentinum ſancivit nullum ſæcularem, niſi cum approbato ab Epiſcopo, poſſe confiteri; quia parrochis ablatum non eſt privilegium, & facultas, quam habebant ex illis juribus delegandi pro ſuis ſubditis juriſdictionem Sacerdoti idoneo; ſed Concilium declaravit, quis in poſterum, pro ſæcularibus, confeſſor idoneus, ſeu ut in dictis textibus habetur, *providus, & diſcretus* iudicandus ſit; nimirum, *qui ab Epiſcopis fuerit approbatus.* Qua declaratione ſemel poſita, nequit parrochus alteri juriſdictionem delegare. Sic Suarez *diſput.* 28. *ſect.* 4. *num.* 11. Fagundez *de* 2. *præcept. Eccleſ. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 43. Ioannes Santius *in ſelect. diſput.* 48. *num.* 55. Matthæus de Moya *num.* 23. Campenſis *in Curſ Theolog. tom.* 2. *tractatu* 24. *diſputat* 1. *ſect.* 7. *num* 64. Martinus à S. Ioſeph *in monitis Confeſſ. tom.* 1. *lib.* 1 *tract.* 24. *n.* 5. Diana 3 *p. tract.* 4. *reſol.* 146. *& p.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 75.

54. Cum

Poteſt parrochus pro ſe, & ſuis ſubditis, alteri parrocho juriſdictionem conferre.

54. Cum hoc tamen ſtat poſſe parrochum pro ſe, & pro ſuis ſubditis alteri parrocho juriſdictionem conferre, & cum illo libere confiteri: Immo pro ſe, & pro ſuis ovibus quemcumque ſacerdotem eligere ab Epiſcopo approbatum; etiamſi juriſdictionem non habeat in illa diœceſi; immo nec alibi: quia ad delegationem juriſdictionis acceptandam, quam delegare poteſt parrochus, utpote de jure ordinario illam habens; ſolum requiritur in ſacerdote ex Tridentino vel approbatio Epiſcopi, qua judicetur idoneus, ſeu providus, & diſcretus, vel quod beneficium habeat parrochiale. Ita pro validitate alterius parrochi expoſitione tenent Henriquez *lib. 6. cap. 8. num. 2.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 10. numero 4.* Suarez *diſp. 28. ſect. 4. num. 28* Boſſius *de jubileo ſect. 5. caſu 2. §. 4. num. 126.* Thomas Hurtado, *tom. 2. tract. 12. cap. 1. num. 1026.* & pro cuiuſvis approbati expoſitione ſive ab Epiſcopo diœceſano, ſive ab alio quopiam Epiſcopo, Moya *tract. 5. diſputatione 7. quæſtione 2. num. 26.* Navarr. Tiullench. Henriquez, Ioannes de la Cruz, quos refert, & ſequitur Leander, *tractat. 5. diſp. 11. quæſt. 59.*

Regulares de licentia ſui Prælati poſſunt cõfiteri cuilibet ſimplici Sacerdoti.

55. Iam diximus ſupra poſſe religioſos ſive intra conventum, ſive extra illum cuilibet ſacerdoti ſimplici confiteri de licentia ſui prælati, qui poteſt circa hoc licentiam præbere, qui apud nos eſt ſolus Provincialis, vel ex eius commiſſione prælatus immediatus; virtute cuius, iſte cum extra domum mittit religioſos, tacitè illis hanc licentiam impertitur, ex interpretativa facultate, & licentia: non autem requiritur, quod confeſſor ab ipſis electus, ſive ſæcularis fuerit, ſive regularis, ſit ab Epiſcopo approbatus: quia ante Tridentinum poterant ex privilegiis religioſi, de licentia ſuorum prælatorum, cuilibet ſacerdoti ſimplici confiteri: ſed circa religioſos nihil innovavit Tridentinum, quod ſolum loquitur de ſæcularibus: ergo, &c. Sic communiter Doctores, quos *num. 49.* dedimus, & præter eos tenent Palaus *tract. 13. de Pœnit. diſp. anic. punct. 17. §. 2.* Baſſæus *confeſſ. 2. num. 5.* Dicaſtillo *diſp. 10. dub. 9. num. 137.* Delbene *tom. 2. cap. 14. diſp. 18. ſect. 11. num. 3.* Bruno *tract. 5. cap. 6. prop. 1.* ¶ Diximus de licentia Prælati: quia abſque illa, nulli ſive extra domum, ſive intra domum poſſunt confiteri: quia ſine illa, nullam habet confeſſor in pœnitentem juriſdictionem, etiamſi ſit ab Epiſcopo approbatus. Qui ſicut non habet juriſdictionem in religioſos exemptos, non poteſt eam ulli concedere: nec ex vi privilegiorum poſſunt religioſi confeſſorem à ſuo prælato non approbatum eligere. Quia Pontifices privilegia concedentes, nolunt ſtatuta religionum invertere, nec diſciplinam monaſticam minuere; ſed potius favere. Et ideo ſemper illa conceduntur quoad uſum, dependenter à Prælatis; ne privilegium in favorem religionis conceſſum, in eius converteretur diſpendium. Quare ſi alicui ſimplici ſacerdoti, vel etiam approbato ab Ordinario, contra ſtatuta, vel mandatum Superioris religioſus confiteretur; nulla eſſet talis confeſſio. Sylveſter. *Confeſſor 3. num. 6.* Ioannes à Cruce *in Epitom. lib 2. cap. 2. dub. 3.* Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 26. & 27. & tom. 3. verbo Confeſſor num. 11. & 20.* Corolian. *p. 1. de caſib. reſervat. ſeſſ. 3. artic. 19.* Palaus *num. 8.* Pellizzar. *num. 9.* Bordon. *reſolut. 36. num. 35.* Bruno *propoſit. 1. citata.*

Quid circa prædicta ex jure noſtro habeatur?

56. At ſi alicubi conſuetudo vigeat, videntibus, & conſentientibus prælatis, ut religioſus intra vel extra domum cum quolibet ſacerdote confiteatur, poterit cum ſacerdoti ſimplici ſæculari, vel regulari, ſuæ, vel alterius religionis, confiteri: quia hoc ipſo cenſentur Prælati licentiam præbere. Apud nos autem nulla talis reperitur reſpectu Sacerdotis ſimplicis noſtræ religionis, cum in noſtris conſtitutionibus 2. *part. capite 6. numero 5.* dicatur: *Inhærentes tam iuri communi noſtriſque ſtatutis, atque antiqua conſuetudini, quam Pontificum privilegiis, declaramus Sacerdotes ſimplices noſtræ religionis (illos videlicet, qui Provincialis, vel Generalis licentiam, & approbationem non habent) nullam habere juriſdictionem, ad audiendas confeſſiones fratrum, etiam Sacerdotum. Et ſi forte ratione conſuetudinis eſſet quoad hoc aliqua tacita licentia, illam præſenti decreto annullamus: decernentes, ut à nullo Prælato præter P. Generalem, vel Provincialem unquam licentia concedatur: aliàs ſit nullius roboris, & momenti. Quod intelligi volumus ſive intra, ſive extra conventum exiſtant: proindeque nullus religioſus, etiam Sacerdos alicubi eis confiteri poſſit.* Circa quam conſtitutionem infra nonnihil dicemus. Et non eſſe contra illam, quod extra domum Sacerdoti ſimplici ſæculari, vel regulari alterius religionis, declarabimus.

Novitii, famuli, commenſales religioſorũ poſſunt cum non approbato ab Epiſcopo confiteri.

57. An vero novitii, vel qui mox ingreſſuri ſunt religionem, necnon famuli commenſales conventus poſſint ex vi ſupradictorum privilegiorum confiteri Sacerdoti (ab Epiſcopo non approbato? Reſpondetur affirmativè. Quia omnes dicti in favorabilibus veniunt nomine religioſorum: & de famulis conſtat ex Tridentin. *ſeſſ. 24. cap. 11.* ubi exemit eos à juriſdictione Epiſcoporum, qui gaudent religioſorum immunitate. Maximè quoad Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ-Vnctionis, ut conſtat ex eodem Tridentin. *ſeſſ. 25. cap. 11.* circa quæ in favorabilibus ſemper intelliguntur nomine religioſorum. Et ita declaraſſe Sacram Congregationem die 14. Auguſti. anno 1665. teſtatur Peyrin. *tom. 2. privileg. conſtitut. 1. Iulii II. num. 12.* Quare licet pro ſæcularium audiendis confeſſionibus, requirat Tridentinum approbationem Epiſcopi in Sacerdote; non pro his, de quibus loquimur, qui privilegiis funguntur regularium. Bordon. *tom 2. reſolut. 34. num. 41.* Lezana *tom. 2. cap. 16. num. 6.* Antonius à Spiritu ſancto *in director. confeſſ. tractat. 5. diſput. 13. ſect. 2. num. 858. & in director. regular. tract. 2. diſp. 3. ſect. 1. num. 5.* Megala *1. part. lib. 1. cap. 8. num. 20.* Peyrin. *loco citat.* Barboſa *de jure Eccleſ. lib. 1. cap. 43. num. 204.* Baſſæus *num. 5.* Ceſpedes *de exempt. cap. 6. diſputatione 125. à n. 4.* Fernandez *in examin. Theolog. moral. part. 3. cap. 9. §. 6. num. 1.* ¶ Ex quo fit poſſe confeſſarium regularem, etiam ab Epiſcopo non approbatum illos abſolvere à caſibus Epiſcopis in ſpecie reſervatis, ſicuti poteſt religioſos; quia funguntur religioſorum privilegiis. Ceſpedes, Peyrin. Antonius à Spiritu ſancto *locis citatis.* ¶ Cæterum cum ipſi non ſint abſolute religioſi, & alias nemo teneatur uti privilegio, *cap. Ad Apoſtolicam de regularibus, cap. ſi terra de privilegiis*; poterunt ſi voluerint, etiam non expectata licentia Prælati, cuilibet extraneo ab Epiſcopo approbato, ſicut alii ſæculares confiteri. Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſput. 2. num. 7.* Bordon. *tom. 2. reſolut. 34. num. 41.*

Equites ſivè religioſi, ſivè non, poſſunt non approbato confiteri.

58. Sed modo eſt duplex difficultas. Prima, an Equites S. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, S. Stephani, de Avis, Monteſæ, & alii, poſſint confiteri Sacerdoti non approbato ab Ordinario, ſed à ſuis Superioribus expoſito, vel ſecundum

ſua ſtatuta ? Aliqui affirmant. Tum : quia tales Equites veri ſunt religioſi. Tum etiam, quia eſto non ſint tales, iu favorabilibus veniunt nomine religioſorum, & gaudent illorum privilegiis, ut diximus *ſupra tract.* 15. *cap.* 1. *num.* 70. Sic Ioannes Sanctius, Hieronym. Garcia, & Diana, quos ibi *num.* 71. dedimus. Quibus adde Bordon. *reſolut.* 36. *num.* 70. Delbene *tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 18. *ſect.* 11. *num.* 4. Thomas Hurtad. *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. §. 2. *dub.* 5. *num.* 2072. Sed nos oppoſitum cum Lezana ſequuti ſumus: quia licet ex rigore, & vi privilegiorum id poſſent; tamen in oppoſitum adeſt conſuetudo, & communis ſententia, ut fatetur ipſe Diana 2. *p. tract.* 2. *reſolut.* 30. & 8. *p. tract.* 7. *reſol.* 96. Baſſæus *num.* 5. P. Amicus *tom.* 8. *diſp.* 15. *ſect.* 3. *num.* 97. Antonius à Spiritu ſancto *ſup. num.* 857.

Pro confeſſoribus monialium, approbatio Epiſcopi non requiritur.

59. Major eſt ſecunda difficultas. An approbatio Epiſcopi requiratur, pro audiendis monialium confeſſionibus, quæ ſunt regularibus ſubjectæ ? propter conſtitutionem Gregorii XV. quæ incipit: *Inſcrutabili*, edita 15. Februarii 1622. ubi dicit: *Confeſſores quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad confeſſiones monialium, etiam regularibus ſubjectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis conceditur, obtineant.* Accedit Sacræ Congregationis declaratio, quæ in fine dictæ bullæ habetur. & ad longum refertur à Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 36. *à num.* 73. ¶ Sed dicendum eſt poſſe confeſſarios monialium exemptarum, ſive ſæculares ſint, ſive regulares, illarum confeſſiones audire, dummodo approbati ſint ab illarum ordinario, licet non ab Epiſcopo. Et ratio eſt: quia ſecundum privilegia antiqua id poterant omnes regulares utriuſque ſexus, confiteri videlicet cuicumque Sacerdoti à ſuo ordinario prælato approbato: ſed Concilium Tridentinum circa hoc nihil innovavit, quia ſolum petit approbationem Epiſcoporum pro confeſſionibus ſæcularium, etiam Sacerdotum, audiendis: ergo, &c. Et conſtitutio illa Gregorii XV. cum declaratione Cardinalium, vel non eſt adhuc exequutiuni mandata, ut volunt aliqui, vel fuit ſaltem pro Hiſpania ſuſpenſa, ut latè diximus *hoc tract. cap.* 3. *num.* 39. Atque ita docent: Perez *diſput.* 51. *ſect.* 1. *num.* 1. Thomas Hurtad. *tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 2003. Lezana *tom.* 5. *in Mari magn. Carmelit. num.* 371. Velaſcus *verb. Confeſſor monial. num.* 1. Antonius à Spiritu ſancto *in Director. regular. tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *num.* 241. *& in Director. Confeſſ. tractat.* 5. *diſp.* 13. *ſect.* 2. *num.* 856. Qui etiam cum prædictis authoribus aſſerit, non requiri approbationem Epiſcopi in confeſſario, pro confeſſionibus monialium Epiſcopo ſubiectarum; ſed ſolum Prælati Confeſſarii licentia, & approbatio: quia ex iure, & privilegiis antiquis ſolum hoc requirebatur in confeſſario regulari, pro audiendis confeſſionibus omnium fidelium utriuſque ſexus: ſed Concilium ſolum addit, requiri approbationem Epiſcopi pro ſæcularibus ipſi ſubiectis, non pro religioſis: ergo pro illis relinquit iura, & privilegia antiqua in ſuo robore. Quod probabile iudicamus, loqoendo de monialibus alterius, vel eiuſdem ordinis, cum confeſſario, Epiſcopis ſubiectis; non de monialibus alterius ordinis ſubiectis regularibus; niſi ab earum prælatis obtineatur licentia: propter ea, quæ hoc puncto §. 6. dicemus, loquentes de confitentibus alterius Ordinis religioſos.

---

§. III.

Poſſitne Epiſcopus cum limitatione regulares approbare? vel illis idoneis repertis, approbationem non impertiri?

60. DUplicem graviſſimam difficultatem tangit hic titulus. Quam libuit ex profeſſo examinare. Et à ſecunda incipiendo, quæritur, an regulares apti & idonei, præſentati Epiſcopo, ſi ab eo, ex odio, aut mala voluntate, aut ex alio pravo affectu, non fuerint admiſſi, nec approbati ad confeſſiones, poſſint ipſi ſæcularium confeſſiones audire, ac ſi eſſent de facto approbati? Et ſupponimus, in hoc graviter peccare Epiſcopum contra iuſtitiam, ſi abſque iuſta cauſa ad confeſſiones pertinente, idoneum regularem à ſuo prælato præſentatum reprobaret, aut approbationem non impertiretur. Nam approbatio, ut diximus, pertinet ad ordinem iuſtitiæ, ad quam ius habet expoſitus, ut ſi reperiatur idoneus, ei approbatio conferatur: contra quod agit Epiſcopus denegans illi approbationem, ob inordinatum ad religionem affectum. Unde & ipſi religioni, & prælatis eius iniuriam irrogat. Colligitur autem Epiſcopum ex malevolentia, non ex iure denegare approbationem, ſi contra regulares ſoleat iacere convitia, ſi religionis inſtitutum vituperet, ſi publicè, aut ſecretè de religioſis detrahat, ſi nimius eſt in examine, qui circa alios eſt forte remiſſus, ſi cum tali ſcientia, aut peritia repertum alium Sacerdotem ſæcularem, vel regularem alterius ordinis approbaverit, vel aliis ſimilibus ſignis, raro in Dominis Epiſcopis, qui perfectionis ſtatum profitentur, repertis: ſed quia homines ſunt poſſunt obliquiis affectibus retorqueri. Quæritur ergo, an ſi in his, & ſimilibus caſibus denegent Epiſcopi iniuſtè, regularibus approbationem, ipſi audire poſſint confeſſiones ſæcularium?

Graviter peccat Epiſcopus, qui ex pravo affectu, regulares idoneos, non approbat.

61. Prima ſententia eſt negativa. Et probatur primo: quia ſub conditione poſitum, nihil operatur ante illius adventum. *Cap. ſi pro ſe* 13. *de reſcriptis in* 6. ita quod conditio debeat in forma ſpecifica poni, & non ſufficiat, quod per æquipollens ponatur, *l. qui heredi, l. Mævius ff. de conditionib. & demonſtrat.* Sed Sacerdotes, etiam regulares non poſſunt ſæculares confiteri, niſi ſub hac conditione, quod prius ab Epiſcopo ſint iudicati idonei, & ab eo approbationem accipiant, ut conſtat ex decreto Concilii Tridentini, *ſupra hoc puncto* §. 1. relato: ergo, &c. Secundo: quia quando aliquid requiritur, ut de ſubſtantia, & eſſentia alicuius actus, in iuſtitia negantis, ſeu iuſtitia petentis, non poſſunt illud ſupplere, ut patet in eo, quod contingit in Sacramento Baptiſmi, aut Pœnitentiæ, quæ minime valide reciperet, qui etiam ritè diſpoſitus ad ea accederet, ſi miniſter ex odio, aut alio pravo affectu, aut formam eſſentialem, aut intentionem debitam non apponeret: quia hæc ſunt de eſſentia illius Sacramenti, quæ per iniuſtitiam negantis, vel iuſtitiam petentis ſuppleri non poſſunt: ſed ut regularis validè audiat ſæcularium confeſſiones, petit tamquam eſſentiale Concilium, quod ab Epiſcopo ſit approbatus: ergo iniuſtitia negantis, aut iuſtitia petentis, hoc eſſentiale ſuppleri non poteſt, proindeque validè non poterit, ad audiendas confeſſiones accedere. Atque ita docent Ioannes Sanctius, *in ſelect. diſp.* 48. *num.* 16. Bordon. *tom.* 1. *reſolut.* 36. *num.* 4. Lugo *de Pœnit. diſp.* 21.

Negans ſententia poſſe regulares iniuſte non approbatos, confeſſiones ſæcularium audire.

*diſp.*21. *num.*52. Diana 4.*p. tract.*4.*reſol.* 200. & *p.*8. *tract.*1. *reſolut.*85. Dicaſtillo *de Pœnit. diſp.*10. *dub.*9. *num.* 168. Suarez *diſp.* 8. *de Pœnit. ſect.*5. *num.*18. Coninch. *diſput.* 8. *de Sacrament. dub.*7. *n.*28. Filiutius *p.*1.*tract.*7.*cap.*9.*n.*157. Barboſ. *de officio, & poteſtat. allegat.*25. *num.*8.& 27. & alii.

Si Epiſcopus regulares idoneos non approbet, an ipſi nihilominus poſſint ſæcularium confeſſiones audire?

62. Secunda ſententia eſt affirmativa. Quæ probatur primo: quia conditio iniuſte impedita per tertium cuius intereſt, legitime habetur pro impleta, *l. ſi Titius ff. de conditionibus, & demonſtrat.* Et juxta *regulam 66. iuris cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet.* Et juxta *cap. licet de regularib. licentia legitime petita, habetur pro obtenta, licet fuerit negata*: Ergo huiuſmodi religioſus præſentatus, & ſine iuſta cauſa ab Epiſcopo rejectus, habetur pro approbato ab illo. Per quod patet ad omnia in oppoſitum adducta. Approbatio enim Epiſcopi realis, vel à jure præſumpta, eſt quæ requiritur, ut eſſentiale ad confeſſiones ſæcularium in regularibus, quæ certe de facto ab eis apponitur, quando ritè præſentantur, & iniuſtè reiiciuntur. ¶ Nec valet dicere: id etiam verificari poſſe in ſæcularibus Sacerdotibus; quod Epiſcopo præſentati, & ab eo iniuſtè repulſi, poſſent audire confeſſiones ſæcularium. Sed eſt diſpar ratio: quia regulares à Pontifice habent juriſdictionem, à quo ſolum petitur in eis approbatio Epiſcopi debita, ut diximus: maximè ſecundum jura, & privilegia infra alleganda. Quibus non funguntur clerici, qui ab Epiſcopo & juriſdictionem, & approbationem debent recipere: quibus, proinde, licet iniuſte denegetur approbatio, iniuſte non denegatur juriſdictio; quia hæc non pertinet ad ordinem iuſtitiæ, ſed ad ordinem gratiæ.

Ex diverſis privilegiis in iure inſertis id ipſum probatur.

63. Secundo probatur dicta ſententia, *ex Clementin. Dudum. de ſepultur.* ubi dicitur, quod ſi Epiſcopus ex odio, aut mala voluntate noluerit regulares idoneos approbare, poſſunt ipſo jure confeſſiones ſæcularium audire, perinde, ac ſi eſſent approbati. Et Bonifacius VIII. *in Extravaganti ſuper Cathedram de ſepulturis §. Quod ſi forte jam dicti prælati.* Concedit religioſis, ut poſſint de facto audire confeſſiones fidelium, quando legitimè præſentati coram Epiſcopo, ipſe non vult eos approbare, & admittere abſque iuſta cauſa. Et idem conceſſit Leo X. in Concilio Lateranenſi Minoribus, in quadam conſtitutione, quam referunt Quaranta *verbo privilegia regular.* & Paulus Piaſentius *in ſua praxi Epiſ.op.part.*2. *cap.*3. *n.*40. Quod Ioannes XXII. in Extravag. *Frequentes de iudiciis*, conceſſit Auguſtinianis, & Carmelitis, extendens ad eos conceſſionem factam *in Clementin. Dudum de ſepulturis.*

Solutio contrariorum ponitur, & illius refutatio ab aliquibus adhibita reprobatur.

64. Sed dicunt adverſarii, hæc omnia privilegia revocata fuiſſe per Tridentinum, in quo petitur in regularibus approbatio Epiſcopi, pro ſæcularium confeſſionibus, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis incontrarium. ¶ Ad hoc ferè omnes authores infra pro iſta ſententia adducendis reſpondent, ſupradicta privilegia revocata non eſſe per Tridentinum: quia non tam privilegia, quam jura ſunt, & leges in corpore juris inſertæ. Privilegia autem inſerta in corpore juris, per ſubſequentem diſpoſitionem non revocantur, niſi de illis expreſſa mentio fiat, ut diximus ſupra *cap.* 2. *num.*40. Quod tamen in Tridentino non datur; ſed clauſula generalis: *non obſtantibus, &c.* Quæ non ſufficit ad derogandum privilegiis, in corpore juris inſertis. Maximè ſi conceſſa ſint à Concilio Generali, ut eſt illud Leonis X. ¶ Sed hæc ſolutio non placet: quia alias modo poſſent regulares, quod ante Tridentinum poterant, ſine præſentatione coram Epiſcopo, ſine examine illius, aut illius iuſta approbatione, ſæcularium confeſſiones audire, quod nemo audebit dicere. Quod ſequitur manifeſtè ex Doctrina horum Doctorum. Nam ex Clementin. *Dudum.* & Extravaganti: *Super cathedram*, & alia extravaganti. *Inter cunctas*, poterant regulares à ſuis prælatis præſentati, & approbati, abſque approbatione Epiſcoporum, ſæcularium confeſſiones audire, ut *num.*41. diximus. Si ergo hæc privilegia, quia inſerta in corpore juris non revocantur à Tridentino per illam clauſulam: *non obſtantibus, &c.* cum alibi aut alia clauſula, faciente illorum expreſſam mentionem revocata non ſint, adhuc modo in ſuo robore perſiſtent. ¶ Sed non ita res ſe habet; quia licet non cenſeatur aut Concilio Generali, aut juri communi per generalem clauſulam, niſi de illis fiat expreſſa mentio, derogari, ut diximus *loco citato*: hoc intelligitur quando Pontifex, vel Concilium extra jus commune, per novam privilegii conceſſionem, bullam, aut diſpoſitionem particularem, vel etiam legem extra corpus juris communis latam, aliquid contrarium juri communi indulget, aut diſponit. Secus autem quando Pontifex, aut Concilium, legem generalem condit: quia per hoc legem anteriorem communem contrariam cenſetur tollere, etiam illius non facta expreſſa mentione, ut ſupra *cap.* 2. *num.*44. diximus, & *tract.*15. *de leg. cap.*4. *num.* 13. quia Princeps cenſetur juris communis notitiam habere, *cap.*1. *de Conſtitutionib. in* 6. Et quia Concilium Concilio derogare poteſt, & jus commune novum, juri veteri communi, ſine obſtantiis; eo quod prius jus non ligat manus ſubſequentis; nec vetus Concilium eſt majoris virtutis, quam novum; nec minori diligentia, maturitate, & diſcuſſione conceditur unum, quam alterum, tam in conſtruendo, quam in deſtruendo.

65. Verum ex alia parte, non videntur jura, & privilegia *num.*63. relata, abrogata per Concilium Tridentinum, quantum ad id, pro quo illa adduximus. Tum: quia jus illud antiquum loquitur de caſu particulari, nimirum quando religioſus legitimè præſentatur, idoneus reperitur, & abſque juſta cauſa repellitur: jus autem novum Tridentini loquitur in generali, & conſequenter hoc illi non derogat: ſed verificatur ex illa regula juris in 6. *generi per ſpeciem derogatur.* Quam Gloſſa, & communiter Doctores *in cap. Quamvis de Præbendis in 6. & c.1. de conſtitutionibus eodem lib. intelligunt*, etiamſi ſpecies antecedat. Tum etiam: quia quantum fieri poteſt, debet iſta abrogatio legum vitari, *cap. cum delectus de conſuetudine*, eo quod correctio legum eſt odioſa: ob idque non extendenda, ſed limitanda, & reſtringenda, quæ à jure exorbitant, ut diximus *tract.*11. *de legib. cap.*4. *n.*13. & ideo ſi leges veroſimili ratione, aut bona coniectura poſſunt conciliari, non eſt admittenda correctio iuris, ut *ibidem num.*14. diximus: quia conciliari poſſunt dicendo, jus antiquum loqui in caſu particulari, & jus novum in generali, cum exceptione tacita illius caſus particularis, niſi illius faciat expreſſam mentionem. Hoc in præſenti contingit, quia Tridentinum loquitur in generali: *nullus confeſſiones ſæcularium audiat, non approbatus ab Epiſcopo.* Quod conciliari poteſt cum iuribus antiquis, excipiendo caſum particularem, de quo illa loquuntur, quia huius conciliationis iurium, & interpretationis datur optima ratio. Quia Concilium per illud decretum intendit, quod regulares ſubmittantur Epiſcopo, à quo alias exempti erant, quoad audiendas confeſſiones ſæcularium, & illis quoad examen ſubiiciantur, ut Epiſcopus noſcat, quibus oves ſuas

Prædicta privilegia non eſſe per Tridentinum revocata, oſtenditur.

committit, & ne eligantur indigni miniſtri, aut non idonei ad tantum Sacramentum. Quod totum in noſtro caſu ſalvatur, in quo regularis ſubiicitur examini, & alias judicatur idoneus, licet ab Epiſcopo ex pravo affectu non approbetur: ergo non eſt credibile voluiſſe Concilium, revocare illa jura, de hoc caſu particulari loquentia, Epiſcopi fovendo paſſionem, & erga regulares malevolentiam. Unde hanc reſolutionem tenent Illuſtriſſimus Dominus Magiſter Araũxo *in Deciſſionib. moralib. tractat. 1. quaſt. 8. ſect. 2. num. 10.* Vidal. *titul. iuriſdict. inquiſit. 6. num. 63.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 3. num. 26.* Thomas Hurtad. *part. 2. tract. 12. cap. 1. num. 188. & num. 1896.* Portellus *verbo confeſſor. quoad regulares num. 3.* Antonius à Spiritu ſancto *in director. regular. tract. 2. diſp. 3. ſect. 1. n. 6. & in director. confeſſ. tract. 5. diſp. 13. ſect. 7. n. 870.* Palaus *de Pœnit. diſp. unic. punct. 18. §. 3. num. 9.* Navarr. *in manual. cap. 27. num. 264.* Henriquez *lib. 6. cap. 6. num. 4.* Ioannes à Cruce *lib. 2. cap. 6. dub. 1.* Leander *de Pœnit. diſp. 51. quaſt. 83.* Manuel Rodriguez *qq. regular. tom. 1. quaſt. 51. art. 2. cum ſuo compend. reſolut. 32. n. 3.* Layman *lib. 5. tractat. 6. cap. 11. num. 4.* Miranda *quaſt 45. art. 6.*

Hæc ſunt utriuſque ſententiæ fundamenta, quarum ſecundam, quæ nobis olim ſatis placuit libenter modo amplecteremur, niſi in oppoſitum eius, adeoque in favorem primæ, urgeret decretum ſanctiſſimi D. N. Papæ Alexand. VII. ſub data Romæ die 24. Septemb. anno Dom. 1665. Etenim inter propoſitinnes illas 45. per huiuſmodi decretum, ut ſcandaloſas, temerarias, & erroneas à Pontif. damnatas, annumeratur una, quæ eſt 13. his verbis. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſte reprobato.* Quæ ſane propoſitio (ut ex terminis ipſis liquido apparet) in nihilo differt ab opinione affirmativa, quam Authores ſecundæ ſententiæ tuentur. Cum igitur prædictum Alexand. VII. decretum, quoad vim obligandi, maneat in ſuo robore ut conſtat ex hia, quæ ſupra in *hoc tract. part. 1. num. 7. & 8.* omnino videndis, diximus) non poſſumus non modo à ſecunda ſententia recedere, & primam, cui huiuſmodi decretum omnino favet, amplecti.

Poſſe Epiſcopum limitatè regulares approbare, aliqui dicũt.

66. Veniamus ad ſecundam difficultatem: an nimirum poſſit Epiſcopus, regulares limitate approbare, ad limitata loca, perſonas, tempus, &c. Abſolute affirmat prima ſententia: & ſic poſſe approbare ad ſolos viros, non ad fœminas, uſque dum 40. annos attingant; poſſe pro talibus locis, approbare non pro aliis; & quoad audiendas confeſſiones in ſuis Eccleſiis, non alibi; ut maneant ad annum approbati, & ulterius examinentur: quia tametſi quoad ſcientiam regularem reperiat idoneum, poteſt illum minus aptum iudicare ad confeſſiones fœminarum uſque ad 40. annos, vel propter minorem gravitatem, vel propter iuvenilem aſpectum, vel propter aliquam ſuſpicionem de illo conceptam. Nam his omnibus inſpectis, poteſt Epiſcopus eum idoneum, vel non iudicare: & idem eſt ſi illum approbet pro hoc loco; pro his, aut illis perſonis, & non aliis, ob ſpeciales rationes, quæ illi occurrere poſſunt. Sic Diana *3. parte tract. 2. reſolut. 25. & 6. p. tract. 7. reſolut. 61.* Suarez *diſp. 28. ſect. 7. num. 19.* Lugo *diſp. 27. ſect. 3. num. 57.* Dicaſtillo *diſp. 10. dub. 9. num. 286.* Mendo *diſp. 22. cap. 3. num. 54. & 55.* Fagundez *2. precept. Eccleſ. lib. 7. cap. 2. num. 1.* Et dicunt eſſe communem, atque ita eſt, ſed oppoſita non minus eſt communis, ut videbimus,

Ex iuſta cauſa ad cõfeſſiones pertinente, poteſt Epiſcopus limitate regularem approbare.

67. Secunda vero ſententia (cui ſubſcribimus) dicit poſſe Epiſcopum ex iuſta cauſa ad confeſſiones pertinente, cum limitatione ad tempus, perſonas, aut loca, regularem expoſitum approbare: ut ſi illum minus peritum ad audiendas verbi gratia, confeſſiones mercatorum reperiat: & ideo pro locis ubi non ſunt, aut non concurrunt approbet; vel ad certa duntaxat loca, excludendo alia, in quibus caſus difficiliores frequenter occurrunt; vel ſi de eius vitæ integritate dubitaret, non ex levibus indiciis; & tunc pro viris, non pro fœminis approbaret, vel ſi eum minus in litteris expertum agnoſceret, & ut enixius ſtudio vacaret, ſolum ad annum approbare vellet, & poſt annum iterum ad examen revocare. In his, & ſimilibus caſibus, in quibus iuſta cauſa interveniret, & hæc pertinens ad confeſſiones, proculdubio poſſet, & deberet Epiſcopus regularem cum limitatione ad tempus, perſonas, & loca approbare; & ſic limitatè approbatus, nec validè, nec licitè poſſet confeſſiones audire, ultra limites ſuæ approbationis. Quod omnes uno ore concedunt tam ſupra citati, quam infra Doctores citandi.

Abſque iuſta cauſa ad confeſſiones pertinente, nequit Epiſcopus limitate regulares approbare.

68. At vero ſi iuſta non detur cauſa, ad confeſſiones modo dicto expectans, non poteſt Epiſcopus, regularem cum limitatione ad loca, tempus, & perſonas approbare. Et ſi ſecus fecerit, nihil faciat: & poterit regularis ultra limites approbationis validè, & licitè confeſſiones audire. Ut ſi regularem quoad ſcientiam, & peritiam repertum idoneum, quia iuvenis eſt, non ad fœminas, ſed ad viros duntaxat, uſque ad 40. annos approbaret: maximè ſi talis limitatio pro omnibus, vel pluribus, aut frequenter abſque alia cauſa daretur, quæ certè in præſenti eſt inſufficiens, cum innumeros Sacerdotes ſæculares videamus ad beneficia parrochialia aſſumi, cum primum attingant 25. annos, & illis conceditur abſque limitatione ad viros abſoluta approbatio. Sed numquid minus confidendum eſt de integritate vitæ Sacerdotis ſæcularis, quam regularis, ut illis poſt 24. annos facultas confitendi fœminas concedatur, & iſtis uſque ad 40. denegetur? Fatemur in religionibus aliquibus dari ſanctiſſimas leges, ut Sacerdotes non niſi provectæ ætatis poſſint audire confeſſiones fœminarum, ut apud nos *2. part. conſtitut. cap. 6. num. 3.* ubi pro confeſſionibus mulierum audiendis 33. annum attingere requiritur, ut cum majori gravitate, & morum integritate hoc miniſterium exerceatur. Cæterum aliud eſt, quod religiones ſtatuunt pro omnibus, quæque in ſuis ſubditis id, quod perfectius eſt, & ſecurius quærunt. Aliud quod aliqui ordinarii faciunt; qui cum ſæculares Sacerdotes poſt 24. annos ad omnes perſonas approbent; ſolum pro regularibus dictam limitationem apponunt; quod proculdubio abſque iuſta cauſa ad confeſſiones pertinente fit; maximè, ſi regulariter, & cum pluribus id exerceatur. Et idem dicimus de limitatione ad ſuas Eccleſias, ut non poſſint ſibi confeſſiones audire. Idem de limitatione pro anno, pro his, aut illis locis, data regularibus; qui aliàs quoad ſcientiam, & peritiam huius Sacramenti, reperiuntur idonei.

Examen religioſorum quoad mores, & vitã pertinet ad prælatos, non ad Epiſcopum.

69. Pro quo nota cum Dicaſtillo, *diſput. 10. num. 289. & 270.* Delbene *tom. 2. cap. 14. ſect. 55. num. 31.* Antonio à Spiritu ſancto *in direct. confeſſ. tract. 5. diſp. 13. ſect. 9. n. 877.* quod examen & approbatio Epiſcopi non eſt deſumenda à moribus, & vita religioſorum, ſed à litteratura, & ſcientia. Tum: quia examen, & approbatio quoad illa,

pertinet

pertinet ad Prælatos, quibus incumbit de vita, & moribus religioſos judicare: & Epiſcopi tuta conſcientia poſſunt in ordine ad approbationem quoad vitam, & mores regularium, approbationi Prælatorum acquieſcere: neque ad ipſos pertinet ætatem cum miniſterio penſare, cum omnes Parochos poſt 24. annos ad illud ſine limitatione aſſumant. Et non eſt minus fidendum religioſo tot exercitiis religionis, clauſuræ, & correctioni quotidianæ Prælatorum expoſito, quam ſæculari ſacerdoti in ſua domo commodè, & liberè degenti. Tum etiam: quia *in Concilio Lateranenſi Leo X. in Bulla edita* 19. *Decemb. anno* 1516. concedit religioſis mendicantibus privilegium, ut per eoſdem Epiſcopos poſſint ſufficienti litteratura, & aliqua ſaltem hujus Sacramenti peritia dumtaxat examinari. Unde quando in Tridentino dicitur: *Ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur, &c* intelligitur de examine quoad ſufficientem dumtaxat litteraturam, & hujus Sacramenti peritiam, ut jura inter ſe conſonent, & unum non dicatur alteri contrarium, cum utrumque conciliari poteſt. Verum eſt, quod ſi Epiſcopo ſatis conſtaret religioſum aliquem non eſſe in moribus, & vita ſufficientem, vel de ejus vitæ integritate dubium aliquod prudens haberet, poſſet approbationem negare, vel cum limitatione illi concedere, vel ſuſpendere conceſſionem, donec dubium illud ceſſaret: quia id ex natura rei eſt annexum muneri Epiſcopali, ut arceat bonus Paſtor omne à ſuis ovibus nocumentum. Dum autem hoc dubium, aut ſuſpicio prudens non datur, poteſt Epiſcopus quantum ad vitam, & mores religioſi, Prælatorum teſtimonio acquieſcere.

Reſolutio noſtra, ratione, & authoritate probatur.

70. Probatur ergo aſſertio *num.* 68. propoſita. Quia juriſdictio in ordine ad audiendas confeſſiones ſæcularium, non communicatur religioſis ab Epiſcopo, ſed à Summo Pontifice, concedente religioſis privilegia, ut omnium fidelium utriuſque ſexus ad ſe venientium confeſſiones poſſint audire, quamvis petat judicium Epiſcopi de idoneitate ſacerdotis, & ejus approbationem quantum ad ſcientiam, & peritiam hujus Sacramenti: ergo hac poſita, non eſt in arbitrio Epiſcopi juriſdictionem limitare ad tales, aut tales perſonas, aut talia loca, tempora, &c. Quod totum declaravit ſacra Congregatio Cardinalium, prout refert Barboſa *ad c.*15. *ſeſſ.*23. *Concil.n.*33. Confect. *tit.*53. *cap.*4. *&* 3. Rodrig. *q.*59. *art.*8. Miranda *q.*45. *art.*10. Bordon. *reſol.*36.*n.*23. his verbis: *Regulares, qui ad audiendas confeſſiones idonei, ab Ordinariis locorum, eorumve examinatoribus reperti, & approbati fuerint; generaliter quoque, & indiſtinctè, abſque ulla limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis perſonarum admittantur in diœceſi propria: de cæteris vero, qui non adeò idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquatur, ipſis cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis videbitur expedire, probare, & admittere.* Et eſt quod nos hactenus diximus, & tenent nobiſcum Barboſa, Bordon. Delbene, Miranda, Antonius à Spiritu ſancto *locis citatis.* Lezana *tom.*1. *cap.*19. *num.*8. Villalobos *tom.*1. *tract.*9. *diff. ult.* §3. *num.*2. Portel. *in dub. regular. verbo, Confeſſor. num.* 3. Peyrin. *de ſubdit. quæſtione prima, cap.*21. §.2. Paſqualig. *tomo ſecundo, deciſ.* 500. Baſſæus *verb. Confeſſor* 3. *num.* 12. Palaus *tractatu* 23. *diſput. unic. punct.*12 §. 2. *numero decimo,* Leander *de pœnit. diſputatione* 12. *quæſt.*68. Henriq. *lib.*6. *de pœnit. cap.*6. *num.*8.

---

§. IV.

An regularis pro una diœceſi approbatus, ad audiendas in aliis ſæcularium confeſſiones, nova indigeat approbatione?

Semel regularis in una Diœceſi approbatus, virtute Bullæ Cruciatæ poteſt ubique in confeſſorem eligi.

71. VT circa hanc graviſſimam difficultatem diſtinctius procedamus; aliqua apud nos certa ſupponere duximus; ut ſic hæc obiter dicta remaneant, quæ etiam pro praxi neceſſaria ſunt, ut poſtea ad quæſtionis reſolutionem accedamus. Supponimus ergo primo, regularem in una diœceſi abſolutè approbatum, virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi concedentis ut poſſint eligere confeſſarium approbatum, quem voluerint, poſſe in quacumque Diœceſi eligi, etſi in ea ab Epiſcopo approbatus non fuerit: quia ex una parte ut confeſſarius eligatur, ſolum quod ſit ab Epiſcopo approbatus, exigitur; quod in tali caſu invenitur: ex alia non dantur jura, aut Pontificum decreta declarantia, debere eſſe ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi audit confeſſiones approbatum, ut dantur in caſu noſtræ quæſtionis de regularibus confeſſiones audientibus, præciſo Bullæ Cruciatæ, & Iubilæi privilegio, abſque approbatione Epiſcopi in cujus Diœceſi illas audiunt. Et merito in caſu Iubilæi, & Bullæ, de qua modo loquimur, non dantur: alias aut minimum, aut nihil concederet privilegium, ſi Confeſſarius eligendus deberet eſſe in qualibet Diœceſi approbatus. Atque ita docent in caſu Bullæ, & Iubilæi, tam pro regularibus, quam pro aliis ſacerdotibus in uno Epiſcopatu approbatis, Candidus *diſquiſit.*24. *art.*64. Delbene *tom.*1. *c.*14. *dub.*18. *ſect.*13. *num.*1. Antonius à Spiritu ſancto *in director. Confeſſ. tract.*5. *diſputatione* 13. *num.*903. Trullench. *in Bullam. lib.*1. §.7. *cap. dub.*5. *num.*7. Suarez *de pœnit. diſputatione* 28 *ſect.*7. *num.*6. Naldus *verb. indulgent. num.*9. Sanchez *de matrim. lib.*8. *diſputatione* 34. *num.*18. Pellizzar. *tract.*8. *cap.*3. *ſect.*2. *num.*19. Antonius Gomez *in Bullam ad clauſul.*10. *num.*8. Arauxo *in deciſ. moral. tract.*1. *quæſtione* 8. *num.*11. Bauny *in Theolog. moral. libro primo, tractatu* 4. *quæſt.*4. Acoſta *in explicat. Bullæ, n.*19. & alii communiter.

Regulares ſemel approbati, quando itinerantur, in quacumque Diœceſi poſſunt confeſſiones audire.

72. Supponimus ſecundo, regulares iter agentes poſſe audire confeſſiones non ſolum ſubditorum illius Diœceſis, in qua approbati ſunt, ſed aliorum quorumcumque ad eos accedentium ex privilegio Gregorii XIII. & Eugenii IV. pro Minoribus; quod confirmavit Paulus V. *Bulla* 19. quibus conceditur, ut ſemel ab Ordinario approbati, in itinere, ſeu extra domos exiſtentes poſſent quorumcumque fidelium, in quocumque loco reperiantur, audire confeſſiones, non repugnantibus Parochis, etſi in eodem loco Epiſcopus illius Diœceſis non exiſtat, aut non ſit facilis ad eum acceſſus. Ioannes à Cruce *lib.*5. *cap.*6. *dub.*5. *concluſ.*2. Alphonſus de Leon. *de officio confeſſor. tom.*2. *recollect.* 10. *num.* 56. Lugo *de pœnitent. diſput.*21. *num.*29. Pellizzar. *ſupra n.*35. *&* 41. Layman. *lib.*5. *tract.*6. *cap.*11. *num.*8. Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. diſput.* 18. *ſect.*7. Palaus *tom.*4. *tract.*13.

tract. 23. *diſput. unic. punct.* 14. *num.* 13. Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 7. Antonius à Spiritu ſancto *in directlor. regular. tract.* 2. *diſputat.one* 3. *num.* 12. Et hinc probant aliqui non poſſe regulares cum ſola approbatione unius Epiſcopi, in quacumque Diœceſi domicilium habentes, confeſſiones ſæcularium audire. Quia allata privilegia hoc illis concedentia quando itinerantur, & cum dictis limitationibus, ſupponunt eos extra caſum itineris non poſſe, & ſine dictis limitationibus id facere. Sed hoc nihil probat: quia ob dubietatem opinionum, cum res non eſſet certa, ad majorem ſecuritatem conſcientiæ potuerunt hæc illis Pontifices concedere: & quia in omni caſu, & eventu *abundans cautela non nocet*, *l. teſtamentum*, *C. de teſtament.* deſerviet ergo hoc indultum pro religioſis itinerantibus, vel cauſa petendæ eleemoſynæ, aut alterius negotii per aliam Diœceſim tranſeuntibus, ut poſſint in illa omnium fidelium audire confeſſiones, abſque ullo timore, & ſcrupulo conſcientiæ.

Semel approbatus in uno Epiſcopatu, ad eum postliminio rediens, non indiget nova approbatione.

73. Supponimus tertio. Quod ſi religioſus approbatus in hac Diœceſi, v. g. Salmantina, ad aliam transferat murando domicilium, & poſt multos annos ad dictam Diœceſim redeat, etiamſi alius Epiſcopus in ea exiſtat, ab eo, qui eum approbavit, abſque nova approbatione poterit in illa confeſſiones audire. Et ita conceſſit Eugenius IV. Minoribus, §. 3. & Clemens VIII. §. 16. in compendio privilegiorum verbo *abſolutio* quoad ſæculares, 1. ut teſtantur à Cruce, & Rodriguez ſtatim referendi, ut ſemel in una Diœceſi præſentati ad eam poſtliminio redientes, liberi ſint ab iterata præſentatione. Et ratio eſt: quia mutatione domicilii non perdit approbationem; ſiquidem ad conſervationem illius mutatio loci ſe habet impertinenter, quæ ſecundum totum ſuum exiſtere pendet à judicio concedentis, quod adhuc perſeverare cenſetur, non minus, ac ſi nunquam domicilium mutaſſet. Sic Rodriguez *quæſt.* 59. *art.* 5. §. *nec hu.* Cruz *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 4. *concluſ.* 2. Bordon. *tom.* 2. *reſolutione* 36. *num.* 37. Bonacin. *quæſt.* 7. *de pœnit. punct.* 4. §. 1. *num.* 16. *verſ. qui etiam.* Barboſa *ad hoc cap. Trident. n.* 44. Boſſius *ſect.* 3. *caſu* 2. *num.* 46. Pelliz. *num.* 35. *&* 40. Fagundez *num.* 10. Lezana *cap.* 19. *n.* 7. ¶ Et hinc fit Parochum reſignato beneficio Parochiali ingredientem religionem poſſe eligi in confeſſarium virtute Iubilæi, aut Bullæ Cruciatæ: & idem eſt de alio quocumque Sacerdote ab Epiſcopo approbato, & religionem ingredienti, in illaque profitenti: nam licet in his juriſdictio ceſſet, permanet approbatio, quæ cum ſtatu religionis non eſt incompoſſibilis; & de novo per Bullam, aut Iubilæum recipiunt à Pontifice juriſdictionem. Et ſic nihil deficit, ut poſſint confeſſiones ſæcularium audire. Bordon. *num.* 87. Boſſius *ſect.* 3. *de Iubilæo, num.* 13. Ceſpedes *de exempt. diſput.* 119. *num.* 3. Pellizzar. *num.* 41. Villalob. *tract.* 9. *difficult.* 55. *n.* 5. & alii, quos refert, & ſequitur Diana *p.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 47.

Cõfeſſarius in una Diœceſi approbatus, illius Diœceſanos, etiam extra Diœceſim poteſt confiteri

74. Supponimus denique, regularem ſemel approbatum in una Diœceſi poſſe ſubditos illius Diœceſis, in quacumque alia Diœceſi exiſtat, confiteri: quia ad hoc ſolum requiritur approbatio Epiſcopi, qui ſit proprius vel pœnitentis, vel confeſſarii; & non requiritur approbatio illius Epiſcopi, in cujus Dioceſi exiſtat, ad audiendas confeſſiones ovium illius Diœceſis, à cujus Paſtore fuit approbatus. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 123. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſput.* 34. *num.* 2. Lezana *num.* 5. Pelliz. *num.* 34. Bordon. *reſolut.* 6. *num.* 4. Tambur. *de jure Abbatum, tom.* 2. *diſput.* 6. *quæſt.* 14. *num.* 4. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 60. *art.* 1. Imò etiam poteſt fideles cujuſcumque Diœceſis, ad eum accedentes confiteri, ſi in Diœceſi exiſtat, in qua ab Epiſcopo eſt approbatus, ut confeſſarius Salmanticæ exiſtens, & ab Epiſcopo Salmantino approbatus, poteſt fidelium Diœceſis Valliſoletanæ, Abulenſis, Palentinæ, aut Segovienſis confeſſiones audire. Tum propter dicta: quia juriſdictionem à Pontifice habet reſpectu omnium fidelium; dummodo ſit ab Epiſcopo ſui domicilii approbatus. Tum etiam: quia vel illi ſunt in hac Diœceſi ad illam transferendo domicilium? & ſic fiunt ſubditi Epiſcopi Salmantini, poteruntque confiteri cum ſacerdotibus ab eo approbatis; vel ſunt advenæ, & tranſeunter in hac Diœceſi exiſtentes? & ita poterunt abſolvi à confeſſariis illius Diœceſis, ſicuti alii tranſeuntes, & advenæ. Sic ferè omnes citati.

Eligitur ut ſecurior ſẽtentia negãs poſſe approbatum in una Diœceſi, in omnibus confeſſiones audire.

75. Quibus ſuppoſitis, veniamus ad principalem quæſtionem, an nimirum regularis ab uno Epiſcopo approbatus poſſit ſæcularium, in omnibus diœceſibus confeſſiones audire, ſine nova illius Diœceſis Epiſcopi approbatione? Eligimus ſententiam negativam: quia ſecuriorem, communiorem, & Pontificum decretis conformiorem. Et probatur primo, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *c.* 15. ubi pro audiendis confeſſionibus ſæcularium, petit in regularibus, quod ab Epiſcopis ſint approbati. Quo ſanè voluit Concilium, ut quiſque Epiſcopus ſeorſim approbaret confeſſarios, ut ſic ipſi conſtaret, quinam eſſent, qui in ſua Diœceſi, aut reſpectu ſuarum ovium curam ſuſciperent: & ob id dixit *ab Epiſcopis* non ab Epiſcopo debere approbari; ne unius approbationi Epiſcopi, omnes alii ſtare tenerentur. ¶ Secundo: quia Urbanus VIII. in conſtitutione incipiente: *cum ſicut accepimus* edita anno 1628. die 17. Septemb. omnia revocavit privilegia audiendi ſæcularium confeſſiones abſque approbatione, vel examine Ordinariorum. ¶ Tertio: ex declaratione quadam ſacræ Congregationis, quæ communiter ab Authoribus adducitur. Ipſa namque ſacra Congregatio, conſulenti de hoc cuidam Valentino Archiepiſcopo, reſpondit: *Approbatum ab alio, quam à Valentino Epiſcopo in Diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab Ordinario.* Hæc ſunt præcipua fundamenta, quibus hæc ſententia innititur. Aliud deſumptum ex Bulla noviſſima Innocentii X. in cauſa Angelopolitana: modo non ponimus, quia de illo poſtea agemus. Sic communiter Doctores Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 25. *num.* 59. Granad. *tract.* 19. *in* 3. *part. diſput.* 5. *num.* 12. Layman. *tom.* 2. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 8. Lugo *de pœnitent. diſputat.* 21. *num.* 29. Mendo *in Bullam, diſput.* 22. *cap.* 3. *num.* 50. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 28. *ſect.* 7. *dub.* 3. Thomas Hurtado *part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 2007. Villalob. *prima parte, tract.* 9. *difficult.* 54. Noſter Lezana *tom.* 1 *cap.* 19 *num.* 3. Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 6. *n.* 2. *& reſolut.* 36. *num.* 51. Martinus à ſancto Ioſeph *in inſtit. Confeſſ. tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 24. *num.* 8. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſolut.* 123. & 6. *p. tract.* 7. *reſolut.* 56. & 10. *part. tract.* 14. & 4. *miſcellan. reſolut.* 23.

76. Sed

Probabile eſt.approbatum ſemel in una diœceſi in omnibus poſſe cõfeſſiones audire.

76. Sed his non obſtantibus, probabilem judicamus ſententiam negantem requiri in regularibus approbationem omnium Epiſcoporum, in quorum diœceſibus volunt ſæcularium confeſſiones audire; ſed poſſe ſemel in una diœceſi approbatos, in omnibus liberè ſæculares confiteri. Nec ad hujus probabilitatem opinionis volumus uti illo fundamento, quo aliqui nituntur; quod nimirum poſſunt regulares modo uti privilegiis à Tridentino revocatis, in foro conſcientiæ, ut *cap.1. hujus tract. n.131.* diximus: ſed quidquid ſit de boc, hoc onico diſcurſu probabilitas hujus ſententiæ probatur. Nam Clemens VII. conceſſit Minoribus, & Sixtus V. Præsbyteris Congregationis Oratorii, Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* Ut ſemel præſentati alicui Epiſcopo pro confeſſionibus audiendis, poſt unam præſentationem nun teneantur amplius præſentari, etiamſi ad aliam tranſmiſerint diœceſim. Sed hæc, & alia privilegia non ſunt revocata, nec per Tridentinum, nec per Urbanum VIII. aut alium Pontificem: ergo modo illis uti poſſunt regulares. Probatur minor: quia Tridentinum, & Urbanus VIII. ſolum petunt Confeſſarium eſſe ab Epiſcopo approbatum, quod verificatur, ſive approbatus ſit ab Epiſcopo pœnitentis, ſive loci, ſive confeſſarii, ſive à quocumque alio. Quod autem dicat Tridentinum, quod debeat ab Epiſcopis approbari non intelligitur copulativè; alias non poſſet Confeſſarius, niſi ab omnibus Epiſcopis approbatus confeſſiones audire: intelligitur ergo diſtributivè. Quia cum plures, & diverſi ſint confeſſarii, in diverſis locis exiſtentes, à pluribus debebant Epiſcopis approbari; ſed in ſingulis ſufficit, quod ab uno approbentur, ut verba Concilii verificentur. Quemadmodum licet dicatur, non poſſe medicos curare, aut Iuriſtas Advocatorum munus exercere, niſi ſint ab Univerſitatibos laureati, vel approbati; ſufficit, ut ſinguli ſuum munus obeant, quod ab una Univerſitate lauream, vel approbationem recipiant; nec requiritur approbatio Univerſitatis cujuſcumque civitatis, ut poſſint ſuo muneri incumbere; ſic proportionabiliter in Confeſſariis. Declaratio autem ſacræ Congregationis adducta, vel non eſt authentica, & ideò apud Authores, qui illas ſtudioſè congerunt, non reperiuntur: vel de illa dicendum erit, quod de alia ſimili ſtatim dicemus. Hanc tenent ut probabilem Henriquez *lib.7. de Indulg. cap.13. §.4.* citans plures Magiſtros Salmanticæ, *& lib.3. de pœnit. cap.6. §.7. in Gloſſ. littera A.* Bruno *tract.5. cap.3. propoſit.1.* Leander à Murcia *in regul. S. Franciſci, cap.7. quæſt.8. concluſ.3. num.8.* Ludovicus Zelofius *lib.5. de Hierarch. cap.25.* Stephanus Bauny *in Theolog. moral. part.1. tract.4. quæſt.4. Prapoſitus 3. part. quæſtione 8. de Sacrament. Pœnitent. dub.4. num.21.* Medina *lib.2. quæſtione 19. art.6. circa finem.* Palacios *in 4. diſtinct. 17. diſput.7.* Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract.2. diſput.3. ſect.1. n.13. & in direct. Confeſſ. tract.5. diſput.13. ſect.13. num.896.* Amicus *de pœnitent. diſput.15. ſect.3. num.123.* Baſſæus *verbo Confeſſor 3. num.19.* Trullench. *in praxi Sacrament. diſput.8. dub.7. num.57.* Ægidius *de Sacrament. diſput.8. dub.7. num.57.* Ledeſma, & Sanchez apud Leandr. à Sanctiſſimo Sacramento *tom.1. tract.5. q.6.* & alii.

Difficilis objectio contra dicta.

77. Sed contra modo dicta eſt difficilis objectio, cui ſuccumbens Diana *loco ex 10. parte,* adducto, jam nullo modo poſſe ſuſtineri probabilitatem hujus ſententiæ dicit. Hæc deſumitur ex brevi quoddam Innocentii X. in cauſa, quæ verſabatur inter Patres Societatis Ieſu, & Epiſcopum Angelopolitanum Dominum D. Ioannem de Palafox, & Mendoza, qui magna cum opinione ſanctitatis, & doctrinæ, cum jam ab Indis ad hæc regna eſſet tranſlatus, in Epiſcopatu Oxomenſi diem feliciſſimum clauſit. Breve igitur illud Innocentii X. quod incipit: *Cum ſicut accepimus*, expeditum 16. Aprilis anno 1648. dicit: *Prædictos religioſos nequaquam poſſe in civitate, & diœceſi Angelopolitana perſonarum ſæcularium confeſſiones audire, ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani.* Cæterum in his verbis (alia circa hoc punctum non habet breve illud Innocentii X. ut videre eſt apud Lezanam *in Conſiliis, conſil.40. num. 110.* ubi illud adducit de verbo ad verbum) nihil de novo declaratur, quam in verbis Tridentini, & Bullæ Urbani VIII. erat expreſſum, quod Epiſcopi diœceſani requiratur approbatio: ſed cujus diœceſani eſt quæſtio, an ſufficiat unius diœceſani, an debeat diverſorum diœceſanorum, diverſis diœceſibus approbatio adhiberi? De hoc nihil Pontifex, nec ſunt ejus verba fideliter à Diana relata. Quæ ſi fortè attentus videret, non diceret ob hanc Bullam, non poſſe jam hanc ſententiam ut probabilem ſuſtineri. Verum eſt, quod in declarationibus Cardinalium, verba à Diana adducta continentur; nam ibi ad nooam quæſtionem ſuper tale breve Innocentii X. reſpondet ſacra Congregatio: *Regulares, etiam Societatis Ieſu in una diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas nequaquam poſſe in alia diœceſi hujuſmodi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi diœceſani.* Quæ declaratio approbata fuit à Pontifice, & de ejus mandato promulgata. Sed aliud eſt, quod à Sanctiſſimo immediatè per Bullam illius procedat; aliud, quod à ſacra Congregatione de illius mandato; ut ſupra hoc volumine *tract.15. de ſtatu relig.* diximus.

Solvitur præcedens objectio, & probabilitas dictæ ſententiæ roboratur.

78. Verum ad hæc poſſet aliquis reſpondere id, quod ſuprà hoc *capite numero quinto*, circa aliam declarationem S. Congregationis, etiam de mandato Pontificis editam, diximos non tollere contrariæ opinionis probabilitatem. Licet ſit magni ponderis, & authoritatis, videantur quæ ibidem ex Magiſtro Acatio de Velaſco, & Magiſtro Delgadillo attulimus. Sed modo reſpondemus, quod circa ſimilem declarationem Cardinaliom, quam *num.75.* adduximus, reſpondet *Illuſtriſſimus Dominus D. Fr. Franciſcus Araujo in deciſionibus moralibus, tractatu primo, quæſtione octava, numero decimo ſeptimo*, dicens: [Sed neque vim babere declarationes relatas Eminentiſſimorum Cardinalium, inde colligitur, quod neque habent vim præcepti, aut juris obligantis, quia variæ ſunt, & ad invicem ſibi adverſantes; neque extendendas fore oltra eum caſum, ad cujus deciſionem ſancitæ fuerant, advertit Ioannes Sanchez in ſelect. diſputatione 44. notabili 1.] Id ipſum circa iſtod breve Innocentii X. & declarationes Dominorum Cardinaliom, quod ſcilicet, ſolum pro illa cauſa, pro qua expeditæ ſunt, & pro illo Epiſcopatu ad ſummum obligare: quia deciſum pro ono, aliis nocere non poteſt, docent Noſter Antonius à Spiritu ſancto Epiſcopus Ayatenſis, *in director. regular. tractatu ſecundo, diſputatione tertia. ſect.1. num.13.* &

*& in direꝺor. Confeſſ. tractatu quinto, diſputatione tertia, ſect.6. num.*869. N. Lezana *in Conſiliis, conſil.* 40. *num.* 113. ubi ex titulo ipſius brevis id probat, qui talis eſt. *Breve Sanctiſſimi Domini Innocentii in cauſa Angelopolitanæ juriſdictionis in Indiis occidentalibus novæ Hiſpaniæ.* Deinde ex verbis procœmii: *Cum ſicut accepimus, aliquæ fuerunt ortæ differentiæ inter Venerabilem Fratrem Ioannem Epiſcopum*, &c. *& dilectos filios Clericos Societatis Ieſu*, &c. adjunctis illis: *Pro ſopiendis differentiis hujuſmodi.* Quæ videntur innuere Bullam Pontificis, declarationes Cardinalium, & approbationem à Sanctiſſimo factam, ſolum procedere pro Epiſcopo, & Epiſcopatu Angelopolitano, pro quo, & pro ſedandis controverſiis inter ipſum, & PP. Societatis editæ ſunt. Quæ proinde non tollit hujus ſententiæ probabilitatem, tot graviſſimis Authoribus firmatam.

---

§. V.

An regulares ſemel abſolutè ab Epiſcopo approbati poſſint iterum ad examen vocari, vel ab eo illorum licentia ſuſpendi, donec iterum præſententur, vel approbentur?

Idem Epiſcopus, qui regularem approbavit, non poteſt iterum ad examen vocare.

79. IN præſenti loqui poſſumus, vel de eodem Epiſcopo, à quo approbatus fuit regularis, vel de ejus ſucceſſore. Et loquimur quando fuit abſolutè approbatus: ſi enim ex juſta cauſa, ut diximus *num.* 67. approbatus eſſet cum limitatione ad tempus, loca, vel perſonas; planum eſt poſſe illum, iterum vocare ad examen, vel iterum approbare, ut ultra terminos primæ approbationis exiret. Loquendo ergo de eodem Epiſcopo dicimus eum non poſſe ſemel regulares abſolutè approbatos, nec validè, nec licitè iterum ad examen vocare, & approbare. Unde ſi approbationem ſemel abſolutè factam, abſque juſta cauſa, eaque ad confeſſiones pertinente, revocaret; talis revocatio nulla eſſet. Dicta tamen juſta cauſa interveniente, & ab eo cognita, & approbata, poſſe unum vel alterum regularem à munere confitendi ſuſpendere; & iterum ſi opus fuerit examinare; non tamen omnes regulares communiter ſuſpendere, aut ad examen, & approbationem novam vocare; nec omnium Confeſſariorum unius Conventus revocare licentias, vel ſuſpendere, donec iterum examinentur, & approbentur. Aſſertio quoad omnes partes eſt inter Doctores communis, quam tenent Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 9. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 37. *num.* 15. *& reſolut.* 36. *num.* 15. Gavantus *in manuali Epiſcop. verbo Confeſſarius, num.* 23. *&* 24. Alphonſus de Leon *in fine* 5. *part. de Iubilæo, pagina* 114. Peyrin. *tom.* 1. *privileg. Minim. conſtit.* 2. *Sixti IV.* § 11. *num.* 41. Baſſæus *Confeſſarius* 3. *num.* 18. Antonius à Spiritu ſancto *in direꝺor. Confeſſ. tract.* 5. *diſput.* 13. *ſect.* 11. *&* 55. *& in direꝺor. regul. tract.* 2. *diſput* 3. *ſect.* 11. *num.* 9. Delbene *tomo ſecundo, capite* 14. *dub.* 18. *ſect.* 11. *num.* 31. Palaus *tractatu* 13. *diſput. unic. punct.* 18. §. 4. *num.* 6. Pellizzar. *tractatu octavo, capite tertio, ſect*... *num.* 42. Lugo *diſputatione* 25. *ſect.* 3. *n.* 63. *&* 64. Villalobos *tomo ſecundo, tractatu vigeſimo nono, difficult.* 53. *numero quinto.* Diana *ſexta parte, tractatu ſeptimo, reſolutione* 62. & alii.

Aſſertio propoſita, ratione probatur.

80. Prima pars aſſertionis præter quam quod habetur expreſsè in Clementina *Dudum de ſepulturis*, & *Extravaganti ſuper Cathedram eodem titulo*, & extravaganti Pii V. *Romani Pontificis providentiæ*, & ex declaratione ſacræ Congregationis Cardinalium, quam adducunt Bordon. Lezan. Baſſæus *locis citatis*, probatur hac ratione: quia nec ex Concilio Tridentino, neque ex aliquo decreto Pontificio habetur, ut regularis ſemel idoneus ab Epiſcopo approbatus, abſque juſta cauſa iterum ab eodem, in eadem Diœceſi approbetur. Quin potius ex Tridentino ſequitur oppoſitum, quod ſolum concedit Epiſcopis, ut judicent, an ſint regulares idonei ad confeſſiones ſæcularium audiendas: ergo poſtquam jam illos per approbationem idoneos judicarunt, nihil aliud juriſdictionis per ſe loquendo habent circa illos Ordinarii. ¶ Ratio ſecundæ partis, quod intercedente juſta cauſa, ad confeſſiones pertinente, poteſt approbationem abſolutè datam Epiſcopus revocare, vel ſuſpendere, ea eſt; quia ſi Epiſcopus hoc efficere non poſſet, non ſatis ſuis ovibus conſuleret; cum non poſſet ab eis arcere confeſſarium ineptum ſemel approbatum: ut ſi Epiſcopo conſtaret aliquem regularem carere doctrina ſufficienti, quam fortaſsè habebat, quando illum approbavit; vel aliquem errorem committere in confeſſionibus, aut in illis minus modeſtè, cautè, & prudenter ſe gerere. Hac igitur, & ſimili cauſa cognita, & probata ab Epiſcopo, poteſt unum, vel alterum regularem à munere confitendi ſuſpendere, & iterum ſi opus fuerit examinare.

Omnes regulares unius Monaſterii nequit Epiſcopus iterum ad examen vocare.

81. Non tamen poteſt omnes regulares in communi per edictum univerſale ad examen vocare, vel certè omnes confeſſarios unius Conventus indiſcriminatim ſuſpendere (quod eſt tertia pars aſſertionis) quia talem juſtam cauſam in omnibus reperiri iniquum eſt judicare: quia licet unus, aut alter minus idoneus reperiatur; non ob id cæteri inſufficientes ſunt judicandi: nec licitum eſt propter demerita unius, omnes alios idoneos & aptos moleſtare. In religionibus ſunt viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi, & alii minus periti, & morigerati; in eodem Monaſterio ſunt probi, & litterati miniſtri, alii fortè imperfecti, & indocti. Invigilet ergo Epiſcopus & regularem, quem idoneum repererit ad examen revocet, vel à munere confitendi ſuſpendat: quia ad hoc jus, & poteſtatem habet. Cæteros autem idoneos ſine cauſa moleſtare iniquum videtur, & exorbitans, & conſequenter nullum, & inane. Audiamus decretum ſacræ Congregationis editum 10. Novembr. 1615. relatum à Gavanto, Laurentio de Peyrin, Alphonſo de Leone, & Lezana *locis citatis.* [Illuſtriſſimi ejuſdem ſacræ Congregationis Patres, re mature penſata ad omnem ſcandali materiam ſubmovendam, & quo magis ſpirituali piarum mentium conſolationi conſulatur ſtatuunt, & decernunt Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, ad quos Confeſſarios approbandi jus expectat, Confeſſarios regulares, aliàs ab ipſis liberè approbatos ab audiendis confeſſionibus poſthac minimè licere, niſi ex nova cauſa, eaque ad confeſſiones ipſas pertinente, aut ob non ſervatum interdictum ab ipſis Ordinariis poſitum. Statuerunt inſuper eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos, locorumque Ordinarios confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus

regulari

regularibus confeſſariis eadem ſacra Congregatione conſulta, nullo pacto adimere poſſe. Quod quidem decretum, ut idem Illuſtriſſimi Patres opportunum, & neceſſarium duxerunt, ita inviolabiliter jubent obſervari.] Conſonat aliud decretum ejuſdem S. Congregationis 14. Iunii anno 1647. expeditum.

Status difficultatis proponitur.

82. Sed major difficultas eſt, an approbati regulares ab uno Epiſcopo, poſſint à ſucceſſore in eadem Diœceſi iterum examinari, approbari, vel reprobari, ex eo præcisè, quod vultus ſui gregis agnoſcat, & ſciat quos miniſtros pro ſuis ovibus habeat, non exiſtente alia juſta cauſa cognita, & probata, eaque ad confeſſiones pertinente? Si enim hæc interveniat, proculdubio poterit, ut ſuperius diximus. Quod contingit reſpectu unius, vel alterius; ſed de omnibus in generali loquimur. An Epiſcopus de novo ad ſuam Diœceſim accedens, poſſit per edictum generale omnes regulares ad examen iterum vocare, quouſque ab eo de novo approbentur, à munere confitendi ſuſpendere? Quod his temporibus paſſim ab Epiſcopis fieri cernimus, non ſine magno ſcandalo, & perturbatione tam ſæcularium, quam regularium. In quo eſt certum id, quod ex communi ſententia docet Diana 3. *part. tract. 2. reſolut. 27. fine.* Quod ſi ſucceſſor Epiſcopi revocet per edictum generale omnes licentias, non intelligatur loqui cum regularibus, niſi de illis faciat expreſſam mentionem.

Capitulum in ſede vacanti nullo modo poteſt Confeſſarios regulares iterum ad examen vocare.

83. Imò etiam ut certum judicamus, quod licet ſucceſſor Epiſcopi poſſet generaliter omnium regularium ſuſpendere licentias, eoſque ad examen, & approbationem iterum vocare; id non poſſet Capitulum in ſede vacante. Tum propter conceſſionem Clementis IV. quam refert Diana *loco citato.* Tum etiam, quia Capitulum non ſuccedit loco Epiſcopi ſucceſſorii, ſed loco Prioris Epiſcopi mortui, amoti, vel aſſumpti; quem non poſſe id facere diximus. Tum denique: quia ſic conceſſit Clemens V. apud Confectium *pag.* 18. pro Dominicanis illis verbis: *Concedimus ut in hujuſmodi caſu* (mortis nimirum Epiſcopi) *poſſitis uti tandiu prædicta licentia* (audiendi nempe confeſſiones ſæcularium) *donec viduatis Eccleſiis proviſum fuerit de Paſtore.* Sic Boſſius *ſect. 3. de Iubilæo, caſu 2. num 47.* Miranda *tom. 1. quæſtione 45. articulo 7. propè finem concluſ.* Fagundez *precept. 2. lib. 7. c. 2. num. 28.* Bordon. *tom. 2. reſolutione 36. num. 24.* Diana 3. *part. tract. 2. reſolut. 27. §. notandum, & 8. part. tract. 7. reſolut. 49.* Antonius à Spiritu ſancto *in direct. Confeſſ. tom. 1. tract. 5. diſputatione 13. ſect. 12. num. 893.* Delbene *tomo ſecundo, cap. 14. dub. 18. ſect. 11. num. 26.* Pellizzar. *tract. 8. cap. 3. num. 44.* Rodriguez, Sylvius, & alii, quos refert Tancredo *tract. 1. diſputat. 2. quæſtione 13.*

Poſſe ſucceſſorem Epiſcopum iterum confeſſarios examinare, aliqui dicunt.

84. Igitur circa quæſitum, prima ſententia eſt affirmativa. Et probatur primo ex Extravaganti Pii V. Romani Pontificis providentia anno 1571. ubi ſic dicit: *Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in civitate, & diœceſi ſua, prævio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari: à ſucceſſore autem Epiſcopo pro majori ſuæ conſcientiæ quiete examinari de novo poterunt.* ¶ Secundo: quia id habetur expreſsè ex declaratione S. Congregationis Cardinalium, quam adducit Lezana *tom. 1. capite 19. num. 7.* quæ ſic dicit: *Congregatio Concilii cenſuit regulares ad audiendas confeſſiones ſæcularium in civitate, & diœceſi ab Epiſcopo prævio examine approbatos iterum ab eodem examinandos non eſſe: Ceterum poſſe iterum à ſucceſſore examinari, juxta conſtitutionem S. memoriæ Pii V. data idibus Auguſti, Pontificatus ſui anno 6.* ¶ Tertio: quia ſucceſſor non tenetur ſtare approbationi ſui anteceſſoris; ſed ut ſciat quibus miniſtris ſuas oves credere poſſit, & pro quiete, & ſatisfactione ſuæ conſcientiæ, poteſt illos iterum ad examen vocare, & approbare idoneos, & reprobare ineptos; ac proinde licentias ſuſpendere, quouſque de novo examini ſubjiciantur. Sic Vivaldus *in candelabr. 1. part. titul. de Confeſſ. n. 28.* Lezana *loco citato.* Miranda *tom. 1. quæſtione 45. art. 7.* Bordonus *reſolutione 37. num. 20.* Riccius *tom. 4. reſolut. 70. num. 5.* Boſſius *ſect. 3. caſu 2. num. 43.* Pellizzar. *ſupra num. 43.* Ioannes Sanctius *in ſelect. diſput. 48. per totam.* Zanardus *in direct. Theolog. part. 2. de Sacrament. Pœnitent. cap. 24. §. 4.* Fagundez *precept. 2. lib. 7. capite 2. num. 30.* Ioannes à Cruce *libro ſecundo, capite 6. dub. 4.* Diana 3. *part. tractatu ſecundo, reſolut. 27.* & alii.

Dictum ſingulare Epiſcopi Segovienſis.

85. Cæterum oppoſitam ſententiam defendens Illuſtriſſimus Arauxo Epiſcopus Segovienſis in deciſionibus moralibus *tractatu primo, quæſtione octava, numero duodecimo,* poſtquam retulit contrariam ſententiam hæc dicit [ſed rigidum nimis hanc, & aliorum Prælatorum fuiſſe ſententiam, nuper hujuſmodi licentias regularibus alias approbatis ſuſpendentem, & in his regnis non ſine ingenti ſcandalo populi, & religionum turbationem exequutioni mandatam, ipſe rei eventus probavit. Bulla autem ipſa Pii V. cui innitebantur, nullum eorum ſuaſioni potuit fundamentum præbere: nam hæc, & aliæ, quas edidit dictus Pontifex in favorem ſtatus Ordinum mendicantium, fuerunt per ejus ſucceſſorem Gregorium XIII. moderatæ, & ad juris communis, & terminos Concilii Tridentini redactæ, prout conſtat ex ipſa Bulla Gregorii à Navarro tranſcripta in manuali Latino ad calcem capitis ultimi, quæ incipit: *In tanta negotiorum mole.*] Et poſtquam verba Bullæ Gregorii XIII. adduxit, proſequitur. [Præter hanc reductionem dictæ conſtitutionis Pii V. ad terminos juris communis Concilii Tridentini, cujus præfati Prælati ignari non debebant eſſe; fuit etiam pro parte Catholici Hiſpaniarum Regis Philippi II. per ejus Ambaſiatorem ſupplicatum coram eodem Summo Pontifice à dicta conſtitutione, aut eam melius informatus vellet pro his ſaltem regnis revocare. Quæ ſupplicatio neque debuiſſet eoſdem Prælatos latere. Et alias cum eſſet ſuper conſtitutione contraveniente Concilio Tridentino in Hiſpania generaliter recepto, & cujus obſervantia cunctis Principibus Chriſtianis in ejuſdem confirmationis Bulla ſummopere commendabatur, operabatur effectum ſuſpenſibus, prout latius docuimus in quæſtionum ſelect. de appellationibus.] Hactenus Antiſtes ſapientiſſimus.

86. Quare dicendum eſt regulares ſemel ab Epiſcopo approbatos non poſſe ſine nova cauſa ad confeſſiones pertinente, à ſucceſſore Epiſcopi, qui eos examinavit, & approbavit iterum examinari, & approbari. Ita præter Epiſcopum Arauxo, tenet alius Epiſcopus Angolenſis Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tractatu ſecundo, diſputatione 3. ſect. 1. num 9. & in direct. Confeſſ. tract. 5. diſp. 13.* Dicaſtillo *diſp. 10. de pœnit. num. 318.*

num. 318. Zelozius de Huraſch. *lib.* 5. *c.* 25. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 9. *difficult.* 53. *num.* 5. Delbene *tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 18. *ſect.* 11. *num.* 24. & huic parti magis videtur adhærere Diana 6. *part. tract.* 7. *reſolut.* 62. qui circa hanc difficultatem ſuſpendens judicium, ut de more habet, in fine concludit: [Vellem Dominos Epiſcopos conſervare regularibus privilegia, & conſiderare, quod pro illorum tuitione non deſunt Authores magni nominis, & ſimul agnoſcere merita regularium, & quantum eis debetur pro ſervitiis factis, & quæ in dies faciunt Eccleſiæ univerſali, & eorum particularibus Diœceſibus.] Tenet etiam Vivaldus 1. *part. de abſolut. folio mihi* 122. ubi etiam adducit declarationem quandam Cardinalium, factam anno 1587. quam ſe vidiſſe teſtatur, dicentem regularem ſemel approbatum non teneri iterum examinari, & approbari. Navarrus *cap.* 27. *num.* 226. Vega *cap.* 62. *caſu* 8. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 6. Lopez 2. *part. inſtruct. confeſſ. cap.* 8. *de Bulla, fol. mihi* 805. Rodriguez *in explicat. Bullæ*, §. 9. Vaſquez 3. *part. quæſt.* 93. *art.* 3. *dub.* 5. *num.* 3. & 4. Alphonſus de Carranza, quem refert, & ſequitur Leander à ſanctiſſimo Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 11. *quæſt.* 91.

Sententia propoſita probatur. 87. Probatur hæc ſententia: nam in Clementina *Dudum*, & *Extravaganti* 2. *de ſepulturis*, & aliis juribus, & privilegiis, conceditur regularibus, ut ſemel abſolutè ab Epiſcopo approbati, non teneantur iterum ſecundo ſe examini ſubjicere; quæ quoad hanc partem revocata non ſunt per Tridentinum: quia in eo ſolum petitur, qood confeſſarius ſit ab Epiſcopo approbatus: quod autem regulares ſemel ab Epiſcopo approbati, abſque nova cauſa ſupervenienti, pertinente ad confeſſiones, approbentur, & examinentur à ſucceſſore, nec in Tridentino, nec in alio jure invenitur: ergo non eſt cur talis facultas Ordinariis concedatur contra jus commune, & contra privilegia religionum. Nec obſtat Bulla Pii V. propter ea, quæ *num.* 84. diximus, eſt tamen revocata non eſſet, nec pro Hiſpania ſuſpenſa; in ea ſolum novis Epiſcopis conceditur, quod poſſit iterum regulares examinare pro majori ſuæ conſcientiæ quiete. Quod tunc accidit (ut bene inquit Villalobos) quando Epiſcopi, qui de novo adveniunt, informati ſunt aliquem, vel aliquos regulares non eſſe in litteratura ſufficientes, vel errores committere, vel alios defectus in hoc Sacramento. Et hoc ipſum intendit declaratio S. Congregationis Cardinalium: & tunc fatemur poſſe illos particulares ad examen vocare, & approbare, vel reprobare prout ei viſum fuerit. Sed omnium licentias ſuſpendere, omnes per edicta publica ad approbationem vocare, ad quietem ſuæ conſcientiæ minimè conducit; ſed potius ad illius turbationem, & populorum ſcandalum. Et certè, melius ſuæ conſcientiæ ſecuritati conſulerent, hoc curæ Prælatorum regularium remittendo, qui ſemper invigilant, ut ad hoc Sacramentum miniſtros idoneos apponant, eoſque circa litteraturam, & mores multoties examinant.

Cõfirmatur ex paritate cum Parochis. 88. Confirmatur primo: quia Concilium pro ſæcularibus confeſſariis ſolum petit, quod Parochiale habeant beneficium, per cujus collationem approbantur: quæ approbatio ſemper durat, quandiu Parochiale durat beneficium, ita quod eo permanente, nec à novo Epiſcopo poſſint Parochi ad examen vocari, uti ex communi ſententia docet Lugo *diſputat.* 21. *ſect.* 3. *num.* 63. Dicaſtillo *diſputatione decima*, *dub.* 10. *num.* 292. Mendo *in Bullam*, *diſputatione* 22. *cap.* 3. *num.* 56. Bordon. *reſolut.* 36. *quæſtione* 35. & *reſolutione* 37. *num.* 20. Ioannes à Cruce *libro ſecundo*, *cap.* 6. *dub.* 4. *concluſione* 4. Nec ob id, ob quietem ſuæ conſcientiæ debent eos Epiſcopi novi iterum examinare; cùm tamen accidere poſſit, ut qui idonei aliquando fuerint, modo ſint inſufficientes: ergo idem potiori ratione dicendum eſt de regularibus, quorum approbatio ſemel ritè accepta ſemper durat; neque eſt de illis minus ſufficientia præſumenda, quam de Parochis ſæcularibus. ¶ Confirmatur ſecundo: quia omnes ferè Authores tenent non poſſe eundem Epiſcopum ſemel approbatos regulares, iterum ad examen vocare, uti ex communi diximus *num.* 79. & ex Bulla Pii V. & declaratione Cardinalium *num.* 83. adductis amplius patet. Et hoc, quia in Clementina *Dudum*, & *Extravagantibus citatis*, & aliis privilegiis eis conceditur, poſſe ſæcularium confeſſiones audire, ſi à ſuis Prælatis præſententur, & approbentur: & ſolum per Tridentinum fuerunt moderata, ut requiratur approbatio Epiſcopi Diœceſani, à qua dicunt ſolum in fieri, non in conſervari dependere; neque ab eo quoad uſum poſſe limitari, ſi ſemel fuit abſolutè conceſſa: quia juriſdictio provenit regularibus à Papa, & ſolum requiritur una approbatio Epiſcopi non iterata, niſi ipſi conſtiterit de inſufficientia, & pro conſcientiæ quiete voluerit unum vel alterum ad examen vocare: idem ergo dicendum erit in Epiſcopo de novo advenienti, cum in utroque currat eadem ratio.

---

§. VI.

Qualiter unius Ordinis religioſi poſſint cum extraneis ſive religioſi ſint, ſive ſæculares confiteri?

89. HUcuſque egimus de approbatione Epiſcopi requiſita in regularibus: ad alia in hujus puncti limine promiſſa deveniamus. Et primo de confeſſariis comparatis, cum religioſis alterius Ordinis loquimur; poſtmodum de ipſis in ordine ad ſuos religioſos; poſtea de illis comparatione ad ſæculares. Igitur de religioſis in ordine ad confitendum cum confeſſariis extraneis, poſſumus loqui, vel jure, & privilegiis communibus inſpectis; vel ex vi privilegii Bullæ Cruciatæ: de hoc dicemus §. *ſequenti*; de primo loquimur in iſto. Et quærimus, an regularis unius Ordinis poſſit religioſos alterius Ordinis ad eos accedentes confiteri? Ad quod dicimus, quod ſi religioſus habuerit ſui Ordinis copiam confeſſarii, nec intra, nec extra ſuos Conventus poteſt cum religioſis alterius Ordinis, & minus cum ſæcularibus ſacerdotibus confiteri, niſi de licentia expreſſa, vel tacita ſuorum Prælatorum, nimirum Prælatorum pœnitentiis: quod patet *ex cap. omnis* 12. *de pœnitentiis.* Tum etiam: quia quælibet religio habet ſpecialia privilegia, ut ſui non confiteantur cum extraneis nec intra, nec extra Conventum, ſi habeant ſui Ordinis confeſſarium, ut conſtat ex privilegio. Innoc. VIII. *Bulla* 3. & Clement. VIII. *Bulla* 4. quas refert M. Ioannes à Cruce *lib.* 1. *c.* 6. *dub.* 12. Religioſi unius Ordinis, abſque ſuorũ Prælatorum licentia, nequeunt extraneis confiteri.

&

& Gregorii XIII. *& Extravag. Benedicti XI. Cum inter cunctas, de privil.* & Sixti IV. *in mari magno*, illis verbis: *Inhibemus inſuper univerſis Fratribus Ordinis veſtri ne aliqui eorum aliis, quam Prælatis ſuis peccata ſua confiteri præſumant, niſi neceſſitatis urgente articulo, vel niſi forſan Magiſter, vel Prior proprius alicui fratri, dederit fratri alteri ejuſdem Ordinis licentiam confitendi.* Quæ privilegia revocata non ſunt per generalia illa privilegia Leon.X. Nicol. III. Sixt.IV. Greg.XIII. in quibus conceditur regularibus Confeſſariis approbatis ab Epiſcopo, ut poſſint Chriſti fideles, undequaque ad eos venientes, ab omnibus peccatis, & caſibus, & cenſuris, etiam Apoſtolicæ Sedi reſervatis abſolvere, exceptis his, quæ in bulla Cœnæ Domini continentur. Quia hæc non loquuntur, nec extenduntur ad Religioſos, tametſi aliàs veniant nomine fidelium, propter Ordinis laudabilem conſuetudinem contrariam, quæ eſt optima legum interpres; & privilegium generale non derogat ſpecialibus anterioribus; maximè ſi hæc jure communi, & conſuetudine approbata, & firmata fuerint. Palaus *tom.4. tract.23. diſp.unic. punct.14. num.11.* Ioannes à Cruce *de voto obedient. lib.5. cap.6. dub.11. concluſ.4.* Suarez *tom.4. de religion. tract.10. lib.9. cap.2. num.9.* Pellizzar. *tom.2. tr.8. cap.3. ſect.2. num.90.* Fragoſ. *2. part. lib.11. diſp.14. §.14. num.1.* Lezana *tom.1. cap.19. num.29.* Bord. *tom.1. reſolut.2. num.24.* Portell. *in dub. regul. confeſſ. n.13.* Ant. à Spir. S. *in Direct. Confeſſ. tr.5. diſp.16. ſect.2. n.1311.* & alii communiter, niſi in aliqua Religione, lege, aut conſuetudine non detur prohibitio: quia tunc ex vi dictorum privilegiorum, poterunt aliorum Ordinum fratres confiteri independenter à ſuis Prælatis.

Ab illa generali regula excipiuntur Prælati.

90. Excipiuntur à generali illa regula omnes Prælati, quos *num.50.* ex communi ſententia diximus habere facultatem conceſſam *in cap. finali, de pœnitentiis*, eligendi Sacerdotem ſimplicem eiuſdem, vel diverſæ Religionis in confeſſorem, non ſolum extra, ſed intra Conventum, qui eos abſolvat ab omnibus caſibus, & cenſuris, etiam reſervatis in Religione, à quibus ipſi ſuos ſubditos abſolvere poſſunt; ſive habeant, ſive non habeant copiam ſui Ordinis Confeſſoris, ſi alias non habeant ſtatutum contrarium, ut docent Bordon. *tom.1. reſol.34. n.18.* Miranda, Villalob. Graſſis, Diana, quos refert, & ſequitur Dicaſtillo *tract.8. diſput.10. dub.16. num.87.* N. Anton. à Spiritu ſancto *num.22.* quæ reſolutio (inquit) procedit etiam in noſtris Prælatis, non obſtante conſtitutione noſtra dicente; quod nullus Religioſus, etiam Sacerdos, ſacerdotibus ſimplicibus noſtri Ordinis confiteri præſumat; de qua fuſius poſtea loquemur: & alia, quæ dicit, quod fratres habita Confeſſoris Ordinis copia, non confiteantur extraneis. Quod veriſſimum judicamus, non propter rationem, quam hic author adducit, quia nimirum conſtitutiones noſtræ non ſunt à Pontifice confirmatæ; ſunt etenim ab Alexandro VII. ut conſtat ex ejus Brevi initio conſtitutionum adducto. Sed quia licet in favorabilibus nomine monachi veniant Abbates, non tamen in odioſis: maximè ſi jus commune illis pro contrario aſſiſtat, ut in præſenti contingit Portel. *in dub. regul. verb. Abbas, n.5.* Diana *3. part. tract.2. reſol.1. per totam.*

Tempore magni Iubilei poſſunt regulares cum Religioſis alterius Ordinis confiteri.

91. Sed inquires primo, an tempore magnorum Iubileorum, quæ ſolent toti Eccleſiæ Pontifices concedere, maximè quando ad Pontificatum aſſumuntur, poſſint fratres, aut moniales unius Ordinis juxta tenorem Bullæ Iubilei tam intra, quam extra Conventum, etiamſi ſui Ordinis Confeſſoris copiam habeant, & hoc abſque ulla licentia Prælatorum? Reſpondetur affirmativè. Et hoc non obſtantibus ſuorum Ordinum conſtitutionibus, & privilegiis in contrarium: & conſtat ex plurium tenore privilegiorum, quæ ad verbum afferunt Lugo, Quintanadveñas, Mando infra citandi. Et quia Iubileum vocatur gratia univerſalis, quæ conceditur omnibus indifferenter, & ſic ſine ſubjectione lucrantis illud ad ſuum immediatum ſuperiorem. In Iubileis namque univerſalibus, quæ Iubileum, & gaudium ſpirituale ſignificant, Summus Pontifex ut Paſtor univerſalis Theſauro Eccleſiæ æqua lance, pro omnibus indifferenter porrigit, ut omnes per illud; à conſcientiæ nexibus liberi, in Domino lætentur. Sic Navar. *conſil.3. de ſtatu Monach. n.5.* & Soto *lib.8. de iuſtit. quæſt.5. art.1.* Rodriguez *tom.1. quæſt.22. art.6.* Bordon. *tom.1. reſolut.34. num.4. & 45.* Palaus *punct.15. §.2. n.11.* Lugo *diſp.20. ſect.9. num.186.* Quintanadveñas *de Iubileo, c.19.* Anton. à Spir. ſancto *num.1319.* Boſſius *de Iubileo, ſect.3. caſu 4. num.17.* Fragoſo *2. part. lib.2. diſp.6. §.5. num.43.* Mendo *in Bull. diſp.24. cap.14. num.155.* Peyrin. *in addition. ad conſtit. Leonis X. cap.4. num.3.* Diana *9 part. tract.8. reſol.55.* Leand. *tom.1. tract.5. diſp.14. q.85. & 86.*

Religioſi itinerantes cuicumque ſimplici Sacerdoti ſæculari, vel regulari poſſunt confiteri.

92. Inquires ſecundo: an Religioſi itinerantes, vel extra domum exiſtentes, non habentes ſui Ordinis Confeſſarium idoneum, poſſint confiteri cuicumque ſimplici Sacerdoti ſæculari; vel regulari alterius Ordinis? Reſpondetur affirmativè, dummodo ſtatutum in contrarium non habeant; quod apud nos minimè reperitur, & hoc ex tacita prælatorum licentia, in ipſa facultate ad exeundum imbibita, & ex praxi, ac conſuetudine Religionum, videntibus, & non contradicentibus Prælatis, quorum intereſt. Et ex privilegiis Sixti IV. & Innocentii VII. quorum verba adducit Bordon. *reſolut. 34. n.2. & 3.* Ioannes à Cruce *lib.1. cap.6. dub.11. concl.1.* Ponam verba Innocentii VII. *Nos igitur ſupplicationibus inclinati, fratribus huiuſmodi quos itinerare, & per eorum Superiores mitti contigerit, ut ſi aliquem presbyterorum idoneum ex profeſſoribus dicti Ordinis, habere non poſſint, quemcumque alium presbyterum idoneum, & diſcretum Religioſum vel ſæcularem eligere valeant, qui confeſſiones eorum audire, & eorum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere, & pœnitentiam ſalutarem iniungere, licitè poſſit.* Vbi notandum eſt, idoneum Sacerdotem pro confeſſionibus Religioſorum audiendis reputari quemlibet Sacerdotem ſimplicem, id eſt, non approbatum ab Epiſcopo, vel Prælatis, dummodo non ſit ſuſpenſus, aut excommunicatus: talis enim cenſebatur confeſſor idoneus pro ſæcularibus ante Tridentinum, ut docent D. Antonin. *3. part. titul.1. cap.7.* Sylveſter *verb. Confeſ.1. §.3.* Soto *in 4 diſp.18 quæſt.4. art.2. ſed in ſeſſ.23. cap.15.* ſtatuitur, quod pro ſæcularibus etiam Sacerdotibus, ille ſolus idoneus reputetur, qui eſt parrochus, aut ab ordinario approbatus, ut ſupra *num.53.* diximus. Sed pro Religioſis nihil Concilium innovavit, & ideo reſolutionem noſtram tenent Rodriguez *in qq. regular. tom.1. quæſt.62. art.5.* Ioannes à Cruce *ſupra concluſ.3.* Vrbanus *fol.191. reg.31.* Bordon. *tom.2. reſolut.1. num.24. & reſol.34. num.2.* Portel. *verb. Confeſſor.*

erga fratres, n. 14. Ant. à Spir. S. *in direct. regular. tract.* 2. *diſp.* 2. *ſect.* 1. *n.* 12.

Status difficultatis proponitur.

93. Inquires tertio: an poſſint Religioſi noſtri, vel alii, quibus leges propriæ id prohibent confiteri ſacerdoti ſimplici ſuæ Religionis non approbato à Prælatis, quando extra domum exiſtunt, & non habent copiam confeſſarii ſui Ordinis ex approbatis à Provinciali? In aliquibus Religionibus non poſſunt Religioſi confiteri, etiam dum itinerantur extero Sacerdoti, ſi habeant ſacerdotem etiam ſimplicem ejuſdem Ordinis, ut probat Bordon. *reſol.* 34. *num.* 1. *&* 4. Apud nos econtra: etiamſi Religioſi noſtri proprium Sacerdotem ſimplicem ſecum habeant, illi confiteri non poſſunt tam intra, quam extra monaſterium: & ſi alterius Ordinis vel ſæcularem Sacerdotem ſimplicem habeant, cum illo valent confiteri. Hoc ſecundum conſtat ex adductis privilegiis, *num. præced.* Contra quod nihil eſt in noſtris legibus ſtatutum. Primum patet ex noſtris conſtitutionibus 1. *part. cap.* 6. *num.* 5. verbis ſupra *num.* 56. relatis. Quæritur ergo modo, an nonobſtante tali lege, poſſint religioſi noſtri itinerantes, vel extra domum exiſtentes confiteri Sacerdoti ſimplici noſtri Ordinis, ſive habeant, ſive non alterius extranei Sacerdotis copiam? & loquimur de confeſſione mortalium; nam de venialium confeſſione, vel mortalium alias ritè confeſſorum omnes aſſerunt, & licitè, & validè poſſe, ſicuti omnes Sacerdotes ſimplices poſſunt illorum confeſſiones audire, & lex abſolutè prohibens confiteri cum hoc vel illo confeſſario, ſemper intelligitur de materia neceſſaria pro confeſſione, non de materia, quæ liberè confitetur, & liberè poteſt omitti.

Religioſi noſtri, etiam extra domũ, non poſſunt confiteri cũ ſimplici Sacerdote Ordinis; poſſũt tamen cum ſæcularibus, vel regularibus alterius Ordinis.

94. Dicimus ergo ad quæſitum, nullo modo poſſe Religioſos noſtros, vel alios, qui ſimilem ſtatutum habuerint confiteri Sacerdoti ſimplici ſuæ Religionis. Et ſi id attentaverit, confeſſio erit nulla. Tum: quia dantur circa hoc plura privilegia religionibus conceſſa, ne fratres virtute alicuius privilegii poſſent confeſſorem eligere contra regulam, & ſtatuta ſui Ordinis, vel ſine licentia ſuorum prælatorum. Quæ licentia prorſus negata eſt, quando leges, & ſtatuta oppoſitum decernunt. Quod patet ex Bulla Bonifacii VIII. quam refert Rodriguez *q.* 9. *art.* 8. & Pii V. Bulla 13. pro Dominicanis, & Gregorii XIII. pro Ieſuitis, & Sixti IV. pro Carmelitis, quam refert Lezana *in mari magno Carmelitar. circa* §. 27. *num.* 496. & Clemens VIII. nobis Carmelitis Diſcalceatis conceſſa, prout habetur *in noſtro Compend. fol.* 180. *num* 13. in quibus ſtatuit lex noſtra dicens: *Inhærentes tam iuri communi, noſtriſque ſtatutis, atque antiquæ conſuetudini, quam Pontificum privilegiis declaramus, &c.* Tum etiam: quia omnes aſſerunt, non poſſe regulares contra voluntatem expreſſam Prælatorum, confiteri Sacerdotibus non approbatis ab eis: quia hoc ipſo carent illi Sacerdotes juriſdictione in Religioſos omnino neceſſaria ad illos confitendos: ſed ſi Religioſi noſtri Sacerdoti ſimplici noſtri Ordinis tam intra, quam extra Monaſterium confiteri attentaverint, confitentur Sacerdoti non approbato à Prælatis; nec de illorum aliqua licentia, quam ipſi immediati Prælati concedere non poſſunt, nec ex præſumpta Superiorum licentia, cum oppoſitum conſtet ex legibus, in quibus voluntas expreſſa Prælatorum contraria reperitur: ergo, &c. Sic Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 62. *art.* 4. Bordon. *reſol.* 4. *num.* 2. *&* *reſol.* 34. *num.* 35. Antonius à Spiritu ſancto *loco citato, ex Director. Confeſſor. num.* 14. Portel. *num.* 12. Trullench. *in Praxi Sacrament. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 83. Candid. *tom. diſquiſit.* 43. *art.* 39. *dub.* 3. *& tom.* 2. *diſquiſit.* 24. *art.* 57. *dub.* 7. Villal. *tom.* 2. *tract.* 9. *difficult.* 54. *in fine.* Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 26. Delbene *tom.* 2. *cap.* 14. *dum.* 18. *ſect.* 8. *num.* 3. Poſſunt tamen Religioſi alterius Ordinis extra Conventum exiſtentes, quique in oppoſitum leges, aut ſtatuta non habent, confiteri cum Sacerdotibus ſimplicibus noſtræ Religionis, & iſti Confeſſiones illorum audire, quia ex vi ſupradictorum privilegiorum poſſunt Religioſi extra domum Sacerdotem ſimplicem in confeſſorem eligere, & alias ex parte Religioſorum noſtrorum nulla datur lex id prohibens, quia conſtitutio noſtra ſolum prohibet Religioſos noſtros non approbatos Religioſorum ſui Ordinis confeſſiones audire; non vero Religioſorum alterius Ordinis, ut conſtat ex verbis illius. Ergo, &c. Sic N. Ant. à Spir. S. *loco ex Director. regul. adducto num.* 23. & alii, quos refert, & ſequitur Bordon. *reſol.* 36. *n.* 42. *& reſol.* 34. *n.* 3. *&* 27.

---

§. VII.

An poſſint regulares uti privilegio Bullæ Cruciatæ ad eligendum Confeſſorem extra ſuam Religionem.

Quid circa hoc Bulla Cruciata concedat.

95. Hic loqui poſſumus vel de electione Confeſſarii extranei, qui abſolvat eos à caſibus reſervatis vel Pontifici, vel ſuis Prælatis; vel qui ſolum abſolvat à peccatis mortalibus non reſervatis. Quia diſpar eſt ratio in uno, & in alio caſu: & ideo dantur authores, qui primum negant, & concedunt ſecundũ. Per privilegium ergo Bullæ Cruciatæ, omnibus illam recipientibus datur facultas eligendi confeſſarium ab Ordinario approbatum, qui abſolvat eos ab omnibus peccatis, & cenſuris non reſervatis toties, quoties, ac reſervatis Pontifici etiam in Bulla Cœnæ (excepta hæreſi) ſemel in vita, & ſemel in morte. Quæritur ergo modo, an regulares, ſive Religioſi ſint, ſive moniales, abſque licentia ſuorum prælatorum poſſint eligere virtute huius indulti Bullæ Cruciatæ confeſſarium exterum ſæcularem, vel Religioſum ab Ordinario approbatum, à quo ab omnibus peccatis liberè abſolvi poterit.

Poſſe per Bullam regulares eligere Confeſſarium extraneum, qui eos abſolvat ab omnibus reſervatis aliqui dicunt.

96. Prima ergo ſententia erga primam difficultatem abſolutè, & univerſaliter aſſerit virtute Bullæ Cruciatæ poſſe omnes regulares utriuſque ſexus, eligere confeſſorem exterum regularem, vel ſæcularem, à ſuo Ordinario approbatum, qui abſolvat eos tam à non reſervatis, quàm à reſervatis, ſive à Pontifice, ſive à ſuo Ordine. Probatur hæc ſententia hoc diſcurſu. Nam ex verbis Bullæ conceditur etiam Religioſis, ut uti poſſint illius indulto in Ordine ad eligendum Confeſſorem, quem voluerint, qui eos abſolvat ab omnibus peccatis, & cenſuris cuicumque reſervatis, etiam Sedi Apoſtolicæ, modo dicto *præcedenti numero*, & latè à nobis *tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſuris cap.* 2. explicato: ſed non dantur alia diplomata pontificia ſimile indultum revocantia: ergo poſſunt regulares uti illo, non minus ac ſæculares Bullam recipientes

pientes, in Ordine ad eligendum ſibi confeſſarium, à quo abſolvantur ab omnibus peccatis, & cenſuris tam reſervatis, quam non reſervatis. Conſequentia, ſuppoſita majori, & minori, eſt manifeſta. Major autem probatur primo ex illis verbis generalibus Bullæ: *Omnibus fidelibus utriuſque ſexus, cuiuſcumque conditionis, & qualitatis, &c.* Quibus verbis manifeſtè comprehenduntur Religioſi, & moniales: nam conceſſio generaliter eſt intelligenda, *cap.ſolitæ, §.finali, de maioritate, & obedientia.* Et ideo in ipſa bulla, facta expreſſa mentione ſæcularium, & regularium, concedit omnibus facultatem edendi ova, & lacticinia; & à facultate iſta pro diebus Quadrageſimæ excipit Religioſos: ſed in facultate eligendi confeſſorem generaliter loquendo de regularibus, & ſæcularibus, nulla apponitur exceptio: ergo in illa Religioſi comprehenduntur.

Validiſſima ratione hæc ſententia probatur.

97. Secundo: quia hoc expreſsè habetur in Bulla Pii IV. ut inquit Manuel Rodriguez *in expoſitione Cruciatæ, §. 9. num. 24. concluſ.5.* & eam ſe vidiſſe teſtatur Salas *quæſt. ultim. in Bull.* & ex ipſo verba conceſſionis affert Caſtrus Palaus *tract. 25. punct.8. §.2. num.5.* quæ ſunt iſta: *Concede ſu Santidad que todas las demas perſonas, aunque ſean Religioſos, y de las Ordenes mendicantes, ſinque tengan licencia de ſus Superiores gozen del dicho Iubileo pleniſſimo, y puedan elegir Confeſſor, clerigo, o Religioſo, elqual oyga ſu confeſſion leſpueda abſolver de todos ſus pecados, quanto quier graves, y enormes, &c.* & infra: *y quiere ſu Santidad, que cada vez, que tomaren eſta bulla gozen de nuebo de todas las otras, que hubieren tomado; ſpecialmente de eſa gracia de elegir Confeſſor, y ſer abſueltos plenariamente, aunque ſean (como dicho es) Religioſos, o Religioſas, aunque ſean mendicantes, ſin licencia de ſus Superiores.* Et ſic attento tenore Bullæ Cruciatæ, & præſcindendo ab aliis diplomatibus pontificiis poſſe Religioſos eligere modo dicto Confeſſarium, quem voluerint, ferè omnes Doctores, etiam ex his, quos pro oppoſita ſententia infra citabimus, docent. Quod non caret rationabili cauſa: quia ſicut aliquibus hæc ampliſſima facultas eligendi confeſſorem anſam peccandi præberet; aliis difficultas recurrendi ad Superiorem pro commiſſis occaſio eſſet, ne ſtatim à peccatis reſurgerent, ſed in gravioribus relabantur, & continuo peiores fiant. Vnde monet D.Thomas *in 4.diſt.17. quæſt.3.art.3.quæſt.4. Peccaret Sacerdos, ſi non eſſet facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri, quia multi ſunt adeo infirmi, quod potius ſine confeſſione morerentur, quam tali Sacerdoti confiteri vellent. Vnde illi qui ſunt minus ſoliciti, ut conſcientias ſubditorum per Confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & conſequenter ſibi ipſis.* Ob idque in noſtra Sacra Religione, ut fratrum conſcientiæ liberius mundarentur, nullus datur caſus reſervatus præter caſus Papales, qui ſunt de jure communi in omnibus religionibus Prælatis, aut Pontifici reſervati *1.part. cap.4.n.3.*

Nõ obſtare contra dicta Bullam Clement. VIII. & Vrb. VIII. oſtenditur.

98. Deinde illa minor huius diſcurſus, quod non dantur aliquæ Pontificiæ diſpoſitiones contra dictum indultum Cruciatæ, illud revocantes, probatur in his, quæ communiter circumferuntur, ſpecialiter Clementis VIII. & Vrbani VIII. quas infra dabimus, in quibus non ſuffragari Bullam Cruciatam pro Religioſis, aut monialibus habetur. Hæc autem contradicta non obſtare probatur. Tum quia tales conſtitutiones revocantur per ſubſequentem bullam, quæ quotannis publicatur, in qua revocantur omnia contraria: quod maximè procedit mortuo illo Pontifice, qui tales edidit conſtitutiones; qui cum non potuerit ligare manus ſucceſſorum, eo ipſo, quod iſti de novo concedant cruciatam, intelligitur conceſſa, ut ſonat, abſque aliqua limitatione. ¶ Tum etiam: quia circa conſtitutionem Vrbani VIII. confirmativam alterius Clementis VIII. ſupplicatum fuit in Hiſpania à Commiſſario Generali, ut inquit Leander *tom.1. tract.5. de Pœnit. diſput.12. q.58. ad 8.* ubi affirmat, ſic ſibi reſpondiſſe M. Arauxo: quod & ipſe Arauxo *in deciſion. mor. tract.1. quæſt.8. num.28.* teſtatur dicens: *De mandato, & Ordine Regis noſtri Philippi IV. ſupplicatum eſſe per Commiſſarium Generalem.* Et juxta doctrinam M.Serra *1.2. quæſt.95. art.3. §. nunc ergo*; dum ab aliqua lege pontificia ſupplicatur, interim eius obligatio ſuſpenditur, & non peccat, qui illam non ſervat. Et legiſlator audita ſupplicatione, etiam ſi nihil reſpondeat, ſed taceat, cenſetur conſentire, & legis obligationem tacitè auferre. ¶ Tum denique arguit Baſilius Pontius *lib.8. de matrimon. cap.19. §.2. num.13. & 14* & ex profeſſo *in manuſcriptis de Pœnit. quæſt. ult.* Quia privilegium Bullæ non eſt gratioſum, ſed per modum contractus oneroſi, *do*, ut *des*. Nam recipiens dat eleemoſynam, ob quam Pontifex largitur indulgentiam, ut omnes dicunt: ſed privilegium per modum contractus revocari non poteſt à Pontifice, niſi ob graviſſimam cauſam boni communis, & facta ſatisfactione partis, ut ex communi ſententia diximus *hoc tractatu cap.2. num* 30. cum ergo in præſenti nulla detur ſatisfactio Religionis pro eleemoſyna ab eis elargita in receptione Bullæ; privilegia illius non debent intelligi verè à Pontificibus revocari; ſed Bullas, quas ad petitionem diverſarum Religionum dedere, magis eſſe ad terrorem Religioſorum, quam ad veram Cruciatæ revocationem. Quod ex eo probat Baſilius, quia poterant Pontifices ſine tanta Bullarum multitudine, uno verbo in bulla Cruciatæ addito totam ambiguitatem auferre, excipiendo Religioſos ab indulto eligendi confeſſorem, ſicut fecere in alio, pro lacticiniis. Cum ergo hoc verbum noluerint apponere in bulla, quæ quotannis concedunt ſcientes circa hoc tot inter Religioſos eſſe controverſias, dicendum erit ipſos nunquam voluiſſe Bullæ privilegium coarctare, ſed ad terrorem ſubditorum petitioni Prælatorum annuere.

Diverſi Authores huius ſententiæ fideliter referuntur.

99. Authores pro hac ſententia ſunt plures, & graviſſimi. Eam tenent M.Arauxo, M. Pontius locis proximè citatis. Idemque tenuiſſe M.Antolinez, M.Curiel Cornejo, & alios doctiſſimos Vniverſitatis huius Salmantinæ docet Villalobos *tract.27. clauſ.9. n.13.* quam ipſe probabilem reputat, eamque tenet Ludovic. Lopez *in inſtruct. conſcientiæ, tom.2. c.8. pag.822. §. Propterea hic*, Euſebius Herrera *de ſtat. relig. c.9. per totum*, Valerius *de differentiis utriuſque fori, differentia 1. concl.5. & verbo nullitas, differ.5. n.2. fine.* Seraphin. Freytas *in opuſcul. de hoc caſu, anno* 1630 Petrus de Leon. *de offic. & poteſt. Confeſſ. p.2. reſolut.114 n.54.* Benedictus Remigius *in pract. tract.5. c.5. n.9* Henriquez *lib.7. c.22. n.4. in Gloſ. litt. X.* pluribus citatis Magiſtris, & viris doctis huius Univerſitatis. M. Bañez, Ioannes Vincentius, Luna, quos refert Ioannes à Cruce *in epitome lib.1. cap.6. dub.12. concluſ.3.* & ipſe probabilem dicit Perez de Lara *lib. de trib. gratiis fol.17.*

Ioannes

Ioannes Sanctius *diſp.44.n.10. & 13.* Iuniperus à Drepano *de caſib.reſervat.p.3.diſp.7.quæſt.5.c.3. & ſequentib.* Acatius de Velaſco *tom.1.reſponſ.mor. verb.Bulla, reſolut.128.n.15.* Mag. Fr. Antonius Baco Auguſtinianus *in Summ. diſp 36.cap.11.* ¶ Et probabilem dicunt Rodriguez *in explicat. Bullæ, §.9.num.25.* & latius *in qq. regular. tom.1. quæſt.21. art.10. concluſ.6.* Vincentius Candidus *tom.2 diſquiſit.24. art.62. dub.4. concluſ.8.* Villal. Ioannes à Cruce *locis citatis.* Mour. *part.3.cap.9. §.8.num.8.* Trullench. *in Bullam, lib.1. §.7. per totum in prima editione, & in 2.num.27.* M. Barnabas Gallego in *Bull.cap.12 clauſul.12.quæſt.58. ad 2. & quæſt.61. fine.* Corduba *de Indulgentiis. q.49.* M.Fr.Ioannes Martinez à Prado *in Theolog. mor. tom.1. quæſt.5. §.5. per totum.* Et pro reſervatis Pontifici Quintanadveñas *tract. 3. ſingul. 26.n.3. & 4.* & pro aliis Religioſis Societatis Ieſu Caſtro Palaus *tom.4. tract.25. diſput.unic. §.2.* & pro omnibus Ludovicus à Cruce *in expoſit. bull. diſp.1.c.1.dub.12.num.2.* Thomas Hurtado *tom.2. tract.9. c.5.num.74.* Chryſtophorus à S.Ioſeph *tom.1.recept.opin.1 p.ſol.130. à n.7.* Ludovicus à Conceptione *tom.2.exam. tract.1.§.2. verb. Bulla, illation.1.n.5.*

Eſſe valde probabilem dictam ſententiam defendimus.

100. Unde miramur hanc opinionem Patres Societatis Ieſu tam acri cenſura inurere, ut illam paſſim improbabilem dicant: quamvis ut teſtatur Trullench. *lib.1 in bull.§.7.c.1.n.11. Nihilominus ab ipſis practicari hanc ſententiam audivi à viro probo, ac fide digno: ex quo poſſumus de illis, ac de aliis idem judicium facere:* nimirum tenere ut probabilem iſtam ſententiam. Sed cauſa hujus, quam aſſignat Doctiſſimus M. Martinez à Prado *tom.1.c.6. q.5. § 2. n.7.* eſt, quia ut refert Eminent. Cardinalis de Lugo *infra citandus, n.154.* ſexta Congregatio Generalis decreto 5. prohibuit, ne ullus ipſorum auderet, vel docere, vel in praxi contrariam ſententiam tenere: quod & præceperunt RR. Generales Societatis, ut latè Mendus *in Bul.diſp.24.toto c.15.* Eſcobar de Mendoza *lib.7.problem.32.n.559.* Sed quidquid ſit de hoc eam improbabilem dicunt Suarez, Lugo, Palaus, Mendo, Eſcobar, Moya, Fragoſo *infra citandi.* Tum propter tot, & tam repetitas Pontificum ordinationes. Tum: quia ex oppoſito timeri poſſet magna diſciplinæ Religioſæ relaxatio. Sed hoc retorqueri poteſt contra ipſos, quorum plures dicunt licere per Bullam Cruciatam regulares mortalia non reſervata cuilibet Confeſſario confiteri; & major ex hoc timeri poſſet relaxatio, quam ſi hoc ipſum dicatur de reſervatis: nam reſervata rariſſimè committuntur, & mortalia frequenter. ¶ Quare hanc ſententiam eſſe probabilem negare non poſſumus. Tum propter graviſſima illius fundamenta. Tum etiam: propter tot doctiſſimos viros illam ſequentes, & alios, qui cum probabilem arbitrantur, quorum plures poſt conſtitutionem Clementis VIII. ſcripſere; alii poſt conſtitutionem Vrbani VIII. cæteri ante illas: verum poſt alias aliorum Pontificum, quæ in re, & ſecundum ſubſtantiam, idem ac dictæ conſtitutiones Clementis, & Vrbani continent. Et ideo poſt omnes conſtitutiones Pontificum infra adducendas, Commiſſarius Cruciatæ in Regno Luſitaniæ, ut teſtantur Prado, & Trull. *loc.cit.* die 7. Martii 1630. publico edicto declaravit omnes Religioſos ſine Prælati licentia poſſe Bullam accipere, & eius facultate uti, ad eligendum Confeſſarium, & obtinendam abſolutionem à reſervatis; ipſiſque Prælatis regularibus ſub graviſſimis cenſuris, ac pœnis prohibuit, ne ſubditis talem uſum prohiberent, non obſtantibus ſuorum Ordinum conſtitutionibus. Quod certè facere non poſſet, niſi cognoſceret magnam huius ſententiæ probabilitatem.

Probabilior, & ſecurior eſt ſententia negativa.

101. Sed his non obſtantibus, tenenda eſt ſententia negativa, quæ aſſerit Bullam Cruciatæ non ſuffragari Religioſis quoad illam clauſulam eligendi ſibi confeſſarium, qui poſſit eos abſolvere à reſervatis, abſque Prælatorum licentia, & facultate. Hanc ſententiam eligimus propter tot conſtitutiones Apoſtolicas conceſſionem Cruciatæ declarantes non proficere regularibus quoad articulum eligendi Confeſſarium, qui eos abſolvat à reſervatis. Has edidere Sixt.IV.an.1473. pro Minoribus, Alex.VI.pro Ciſtercienſibus, Iulius II.an.1509 & Pius V.an. 1571.pro Prædicatoribus, Greg.XIII. an.1575. pro Ieſuitis. Clemens VIII. anno 1599. pro nobis Diſcalceatis Carmelitis, & generaliter pro omnibus quorumcunque Ordinum mendicantium, & non mendicantium. Verba illius ſunt: *Conceſſionem S.Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi confeſſorem, & abſolvendi à reſervatis, cum fratribus, & ſororibus monialibus Ordinis prædicti* (ſcilicet Carmelitarum Diſcalceatorum) *ac aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, & cuiuſvis inſtituti mendicantium, & non mendicantium, tam Provincia Hiſpania, quam extra eam ubilibet, locum minimè habere, neque cenſeri: ſed noſtræ intentionis exiſtere, quod iidem fratres, & moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint, Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuò declaramus.* ¶ Et noviſſimè Vrbanus VIII. confirmans Bullam Clementis VIII. ſui anteceſſoris 19. Iunii anno 1630. in Bulla, quæ incipit: Innovatio conſtitutionis felic. recordation. Clement. Papæ VIII. hæc habet: *Conceſſionem S. Cruciatæ quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſolvendi à prædictis caſibus reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum fratribus, & monialibus Fratrum Prædicatorum, & aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, Societatiſque, & inſtituti prædictorum mendicantium, & non mendicantium, tam Provincia Hiſpaniæ, quam extra eam ubilibet conſtitutorum locum minimè habuiſſe, nec habere, nec illis ullo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe, &c.* & infra: *Sed noſtræ intentionis fuiſſe, & eſſe, quod iidem fratres, & moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Confeſſionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſervata ſubiecti ſint, tenore præſentium perpetuò declaramus.* Atque ita tenent omnes Doctores, quos *num. 99.* pro contraria dedimus. Qui licet illam probabilem dicant, hanc ut probabiliorem amplectuntur. Inſuper Martinus de Ledeſma *2.part.4.quæſt.29.art.2.concl.2.* Vivald. *de abſolut. num.25.* Miranda *tom.2. quæſtione 34. articul.15.* Portell. *tomo ſecundo, reſponſ. moral. caſu 3. 4. & 5. & in dubiis regul. verbo Cruciata, numero primo,* Eſcobar de Mendoza *libro ſeptimo, problem. problem. 32. numero 359.* Lezana *tomo primo, cap.19. numero 29.* Antonius à Spiritu ſancto *in Director. regular. tractatu ſecundo. diſputatione 2. ſection.1. numero nono, & in Director. Confeſſ. tractatu 5. diſputatione 5. ſect.4.num.1331.* Suarez *tomo quarto, de relig. tractatu 9. lib.2. cap.16.* Garcia *de Beneficiis 2.part.cap.5.num.64.*

Mendus

Mendus *in Bull. diſp.*24. *cap.*12. & 13. Fragoſo *tom.*2.*p.*2.*lib.*2.*diſp.*7.*n.*16. & 25. Palaus *tract.*25. *diſp.unic. punct.*8. §.2.*n.*2. Lugo *de pœnit.diſp.*20. *ſect.*9.*n.*153. Moya *tract.*3. *diſp.*8.*q.*8.*n.*24. Petrus de Ledeſma *de Sacram. Pœnit. c.*13. *concl.*1. *dub.*15. Reginald. *in praxi*, *tom.*1. *lib.*8. *cap.*3. *n.*37. Bordon. *tom.*2. *reſol.*34. *num.*42. Diana 1. *part. tract.*11. *reſolut.*14. & 3. *part. tract.*4. *reſolut.*43. & alii.

Solvuntur fundamenta contraria.

102. Unde ad contrarium fundamentum reſpondetur, admittendo majorem, & negando minorem: ut conſtat ex Bullis *num. præcedenti* adductis. Et ad probationem primam in contrarium reſpondetur minimè revocari per Bullam Cruciatam, quotannis conceſſam, tot conſtitutiones Apoſtolicæ. Tum: quia in eis dicitur *non eſſe, nec fuiſſe unquam mentis noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ*, &c. Et quæ nomine Sedis Apoſtolicæ expediuntur, non expirant morte concedentis. Tum etiam: quia rationem talis conceſſionis reddit Gregorius XIII. hujuſmodi: *Cum ratio doceat, & experimento compertum ſit, religionibus valde perniciosum exiſtere, ut eorum religioſis licitum ſit confeſſarium ſibi eligere*, & non eſt credibile velle de novo Pontifices concedere, quod anteceſſores valdè perniciosum religionibus arbitrabantur. Et ſic dicendum erit nunquam eſſe, nec fuiſſe ſuam intentionem, religioſos aut moniales in illa clauſula velle comprehendere. ¶ Ad ſecundam dicimus: de tali ſupplicatione non conſtare; & Bulla Urbani VIII. jam publicata, & recepta, non deberet eſſe quaſi in ſuſpenſo ob ſecretam ſupplicationem non publicatam: & eſtò ſuper hanc Bullam ſupplicatum fuiſſet, aliæ dabantur diverſorum Pontificum Bullæ, quæ non erant per ſupplicationem ſuſpenſæ. ¶ Ad tertium dicimus: quod cum religioſi non ignorent, propter tot Pontificum decreta, illis prædictam clauſolam non ſuffragari, cum hac limitatione recipiunt Bullam propter alia indulta in ea contenta; & ſic nullus infringitur contractus: præter quam quod propter probabilitatem contrariæ ſententiæ, cui poſſunt ſe conformare, poſſunt dictam Bullam abſolutè recipere, ut etiam hoc indulto fruantur.

Suffragari Bullam Cruciatam religioſis ad eligendum confeſſariũ, qui eos à nõ reſervatis abſolvat, aliqui dicunt.

103. Veniamus ad aliam difficultatem, an nimirum religioſi, & moniales poſſint ſibi eligere confeſſorem virtute Bullæ Cruciatæ, quem voluerint, etiam externum (approbatum tamen ab Ordinario) etiam ſine licentia ſuorum Prælatorum, qui eos abſolvat à peccatis mortalibus non reſervatis? Affirmat ſatis probabiliter prima ſententia, adhuc ſuppoſita conſtitutione Clementis VIII. & Urbani VIII. Et probat primò ex ipſa Bulla Urbani VIII. in qua declarat non prodeſſe regularibus Bullam, *Quantum ad articulum eligendi confeſſarium, & abſolvendi a prædictis caſibus reſervatis.* Et poſtea *noſtra intentionis fuiſſe, & eſſe, quod quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confeſſionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſervata ſubjecti ſint.* Cum ergo ſolum excipiat facultatem eligendi ſibi confeſſarium quoad reſervata; videtur quoad non reſervata concedere illam: ſicuti quia Bulla excipit ſolum quoad lacticinia in Quadrageſima regulares; quoad alias illas gratias in omnium ſententia non manent excluſi: quia ſemper eſt verum, quod exceptio firmat regulam in contrarium. ¶ Secundo: quia ex procemio legis mens legiſlatoris colligitur, ut eſt vulgare principium apud omnes: quia ex legis, aut ſtatuti procemio, animus legiſlatoris, & totius decreti intentio, extenſio, aut limitatio colligitur: ſed ex Bulla Clementis VIII. quam innovat Urbanus VIII. fit ſimul mentio, *De electione confeſſarii, & abſolutione a reſervatis*, ubi dictio &, vim obtinet copulativæ: & in procemio conſtitutionis Urbani VIII. ſolum eſt ſermo de electione Confeſſarii in ordine ad reſervata; nam in eo dicit: *Non ſine animi ſui moleſtia cognoviſſe aliquos virtute Bullæ prætendiſſe eligere ſibi Confeſſarium, qui eos a reſervatis abſolveret.* Solum ergo pro reſervatis dantur prædictæ conſtitutiones Pontificiæ, limitantes privilegium Bullæ eligendi confeſſarium quoad regulares. Ita ſentiunt omnes Doctores, quos *num.* 98. dedimus, & expreſsè Mendo *c.*18. *per totum.* Cruz *libro primo, cap.*6. *dub.*12. Leander *tomo primo, tractatu* 15. *diſputatione* 12. *quæſtione* 62. Trullench. *in Bull. libro primo*, §.7. *capite primo*, *dub.*9. *numero* 25. Quintanadveñas *ſingul.*18. Rodriguez *in ſum. tomo tertio, capite ſeptimo, numero ſecundo, fine.* Thomas Hurtado *tractatu* 9. *capite ſexto*, quod ſuo judicio, dicit: eſt res manifeſta; Barnabas Gallego valde probabilem, & ſecuram in praxi vocat, *capite duodecimo, dubio* 172. Idemque aſſerit Diana *part.*1. *tract.*11. *reſolutione* 14. & *part.*9. *tract.*6. *reſolut.*10. & *part.*11. *tractatu* 6. *reſolut.*38.

Probabilior eſt ſententia negativa.

104. Sed negativam ſententiam probabiliorem judicamus. Quæ probatur primo: ex declaratione S. Congregationis tempore Gregorii XIII. ad petitionem Archiepiſcopi Valentini D. Ioannes de Ribera, quam referunt Suarez, Portel. Prado, Lezana, locis citandis, ubi dicitur: *Congregatio Concilii cenſuit quatenus gratia ex Bulla Cruciata pertinet ad moniales non poſſe vigore facultatis in eadem Bulla conceſſa, alios confeſſarios præter eos, qui ad audiendas confeſſiones ipſarum monialium ab Ordinario approbati fuerint, eligere.* Et loquitur de monialibus ſubjectis Ordinario: ſed idem eſt de aliis monialibus, & de aliis religioſis, quia ſi illis privilegium Bullæ non ſuffragatur, non eſt cur iſtis opituletur. ¶ Secundo, quia Clemens VIII. & Urbanus VIII. in ſuis conſtitutionibus expreſsè dicunt: *ſuæ mentis fuiſſe, quod fratres, & moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confeſſionis adminiſtrationem ſuorum Prælatorum diſpoſitioni ſubjecti ſint.* ¶ Tertio: ex ratione, quam duo dicti Pontifices in ſupradictis Bullis adducunt: *Sanè cum ratio doceat, & experientia compertum ſit, religionibus perniciosum exiſtere, ut earum religioſis licitum ſit, confeſſarium ſibi eligere.* Et ſic totam illam facultatem ex ſe perniciosam eligendi confeſſarium voluerunt auferre. Hæc autem pernicies in eo primo conſiſtit, quod facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi, ut ex D. Ambroſio dicitur *in cap. eſt juſta* 23. *quæſtione quarta*, & ob id Eccleſia in gravioribus criminibus conſuevit plura reſervare, ut difficultas obtinendæ abſolutionis ab illis retrahat, & evertat. Secundo: quia non modica eſſet monaſteriorum perturbatio, ſi religioſi poſſent Clericis confiteri, & moniales inquietarentur, & prætextu confeſſionum regulares, & ſæculares paſſim ad ſe vocarent, quod Prælati non poſſent impedire; quia id, quod à Superiori, nempe Papa conceditur, nec debent, nec poſſunt impedire inferiores Prælati.

Solvitur præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ.

105. Denique probatur hæc ſententia ex præcipui contrarii fundamenti ſolutione, quæ ex verbis Eminentiſſimi Cardinalis de Lugo placuit adhibere; qui *num.* 199. ita inquit: Reſpondeo alium diverſum eſſe ſenſum illorum verborum: *quoad ſibi reſervata.* Non enim referuntur ad Prælatos, ſed ad ſedem Apoſtolicam, cui immediatè apponuntur: ita ut ſenſus ſit religioſos ſubjici debere diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, atque etiam Sedis Apoſtolicæ quoad reſervata eidem Sedi Apoſtolicæ. Voluit autem Pontifex addere illa verba, *quoad ſibi reſervata,* non ut limitaret decretum Clementis; ſed ne daretur cauſa errandi: addidit etiam illa verba: *& Sedi Apoſtolicæ*, quæ non erant in decreto Clementis; ne fortaſsè dum dicebatur abſolutè, religioſos pendere omnino à ſuis Prælatis, ut ſicut ſine illorum licentia à nullo peccato mortali poſſunt abſolvi; ita de eorum licentia poſſent ab omnibus peccatis abſolvi. Quod cum jure communi falſum ſit, propter peccata aliqua Summo Pontifici reſervata, à quibus ſine ſpeciali licentia Pontificis non poſſunt à Prælatis abſolvi; ideo addita ſunt ad tollendam hanc errandi occaſionem, illa verba: *& Sedi Apoſtolicæ quoad reſervata.* Quoad reliqua enim dependent à ſola Prælatorum diſpoſitione, &c.] Ideo hanc ſententiam tenet ipſe, *diſput.* 20. *ſect.* 9. *numero* 125. Lezana *cap* 19. *num.* 59. Prado *cap.* 6. *quæſt.* 6. §. 2. *num.* 5. Suarez *ſupra, cap.* 16. *à n.* 3. Beja 3. *p. reſponſ. moral. caſu* 16. Portell. *tom.* 2. *reſponſ. moral. caſu* 5. *num.* 13. *&* 17. Bardi 1. *p. tract.* 2. *cap.* 5. *ſect.* 2. §. 4. Moya *tract.* 3. *diſput.* 8. *num.* 10. Antonius a Spiritu ſancto *utroque loco ſupr. citato.* Bordon. *reſolut.* 34. *num.* 42. Barboſ. *ad cap.* 7. *Concil. ſeſſ.* 13. *n.* 25. & alii.

Ex licentia Prælatorum poſſunt religioſi, Bulla cruciata uti ad eligendū ſibi confeſſarium.

106. Sed nota: quod ſi adſit licentia expreſſa, tacita, vel præſumpta Prælati utendi Bulla quoad electionem Confeſſarii, etiam pro reſervatis, poterit regularis confeſſarium extraneum eligere, qui cum abſolvat ſecundum amplitudinem conceſſionis: quia Pontifex non aufert à Prælatis regularibus poteſtatem, ut ſuis ſubditis licentiam concedant utendi Bulla, etiam, ut abſolvantur à reſervatis. Sic enim verificatur, quod intenditur ab Urbano VIII. quod ſubſint diſpoſitioni Prælatorum, & quod Clemens VIII. præcepit Prælatis, *ut in uſu hujus poteſtatis ſe cum ſuis ſubditis benignos, & faciles exhibeant.* Sufficit ergo tacita eorum licentia, ut ſi vel ipſi libere, & abſolutè Bullam concedant, vel videntes ea uti ſubditos taceant: quia qui tacet potens impedire, & non prohibet, ſane conſentire videtur. Thomas Hurtad. *tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 60. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 4. Rodriguez *in Bull.* §. 9. *num.* 55. *concluſ.* 3. Hurtado de Mendoza *de Fide, tom.* 1. *diſp.* 84. *ſect.* 6. §. 104. Leander *tract.* 5. *diſp.* 129. Candid. *tom* 2. *diſquiſit.* 54. *art.* 62. *dub.* 4. *concluſ.* 8 *fine.* Bardi 1. *p. tract.* 5. *cap.* 5. *ſect.* 2. §. 5. & dicit eſſe probabile Ludovicus à Cruce *diſput.* 1. *cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 1. & ſatis probabile, & pium Trullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 9. *numero* 28. ¶ Hinc fit, in mea religione, in qua adeo benignè Prælati circa libertatem conſcientiæ ſubditorum ſe gerunt, ut nullis nexibus præpediti citius à caſu ſi fortè contingat, reſurgant, nullum peccatum reſervarunt; & alias Bulla quotannis ab ipſis, ſubditis conceditur, ſine ulla reſtrictione, aut limitatione: nec umquam audivimus illos velle quoad articulum iſtum eam coarctare, nec ſi ſcirent illa ſubditos uti (quod rariſſimè continget, quandoquidem copiam maximam confeſſariorum pro religioſis deputatorum in ſingulis conventibus habent) illos ob hanc rationem punirent (quod nos cum eſſemus in officio Provincialis numquam fecimus) ſed potius illos remittere, ut Bulla libere utantur, poſſe religioſos virtute illius cuilibet Sacerdoti approbato ſæculari, vel religioſi confiteri arbitramur, qui eos à non reſervatis, & à reſervatis Sedi Apoſtolicæ, ſicut & alios ſæculares abſolvere poſſunt, abſolvant. Et hæc videtur mens Prælatorum tam ample, & libere Bullam concedentium.

---

§. VIII.

De Privilegiis confeſſorum regularium in ordine ad abſolvendum proprios religioſos à caſibus reſervatis.

107. DIximus jam ſupra religioſos non approbatos à ſuis Prælatis pro confeſſionibus fratrum audiendis (ab illis nempe Prælatis, ad quos ſecundum vel ſtatuta, vel conſuetudinem religionis expectat confeſſarios exponere, & approbare, qui apud nos ſolum eſt P. N. Generalis, & Provincialis) etiamſi approbati ſint ab Epiſcopo, non poſſe nec licitè, nec validè aliorum fratrum confeſſiones audire. Aliquando autem in privilegiis pro abſolutione à talibus, vel talibus caſibus, requiritur confeſſarium deputatum eſſe à Provinciali, v.g. Cæterum non aliud intelligitur per hanc deputationem tam ad confeſſiones ordinarias, quam extraordinarias, quam quod confeſſarius ſit à Prælato expoſitus pro religioſis confitendis; niſi alia detur in religione conſuetudo, prohibitio, aut conſtitutio, quæ apud nos nulla datur. Et ſic ex vi privilegiorum deputationem requirentium, poſſunt religioſi noſtri ordinarii, vel extraordinarii pro fratribus aut ſororibus à Provinciali deſignati, abſolvere illos, vel illas ab omnibus caſibus in hujuſmodi privilegiis conceſſis. Nam privilegia iſta aliquid operari debent: ſed ſi ultra deputationem generalem pro religioſis, pro illis caſibus ſpecifica requireretur deputatio, nihil operarentur; ſiquidem confeſſarii tunc non ex privilegiis ipſis conceſſis, ſed ex deputatione, ſeu commiſſione Prælati id efficerent: ergo, &c. Palaus *tom.* 4. *tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 15. §. 4. *n.* 10. Rodriguez *qq. regul. tom.* 1. *q.* 62. *art.* 11. Cruz *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. §. *De dictis.* Antonius à Spiritu ſancto *in Director. regul. tract.* 1. *diſp.* 2. *n.* 49. & *in Direct. Confeſſ. tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 16. *ſect.* 7 *num.* 1355. Urbanus ab Aſcenſione *fol.* 298. ¶ Unde in hac parte maxime attendendum eſt ad regulas, conſtitutiones, ordinationes, conſuetudines ſingularum religionum. An nimirum, uſus privilegiorum, quem infra adducemus, ipſis impediatur, vel limitetur? Prælati namque ſubditis uſum privilegiorum valent impedire: nam licet ſint conceſſiones Pontificiæ, quæ non videbantur infringi poſſe ab inferioribus, cum ſint primo, & per ſe religioni conceſſa, ea reſtringere quoad uſum poſſunt Prælati, prout ipſis expediens videbitur: quod Bullatis privilegiis multoties ipſis conceſſum eſt. Ita conceſſit Julius II. *bulla* 16. & Pius V. *bulla* 13. *Prædicatoribus.* Leo X. *bulla* 54. *pro Minoribus,* Sixtus IV. *in Mar. magn. Carmelitis,* Clem. VIII.

Confeſſarium eſſe deputatum à Prælatis nil aliud eſt, quam ab eis eſſe approbatū, & expoſitum.

& Vrbanus V I I I. privilegiis ſupra, *num.* 105. relatis. Vnuſquiſque ad ſtatuta, & ordinationes ſuorum Prælatorum attendat; quia modum in ſuo ordine præſcriptum omnino ſervare debet, & ſecundum illum, & non aliter poteſt privilegiis uti. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 26. *&* 27. & *cap.* 19. *numero* 12. 29. *&* 41. Suarez *tom.* 4. *tract.* 10. *de relig. lib.* 9. *cap.* 2. Pellizzar. *tom.* 2. *tract* 8. *cap.* 2. *num.* 85. Ioannes à Cruce *ſup. dub.* 13. *concluſ.* 1.

Qui poſſunt à reſervatis Pontifici abſolvere, poſſunt etiam à reſervatis Prælatis.

108. Cæterum hoc ipſo, quod religioſi virtute privilegiorum poſſint abſolvere à reſervatis Papæ, multo magis poſſunt à reſervatis à ſuis Prælatis, niſi alias de hoc daretur prohibitio Prælatorum in contrarium, quæ ferè ſemper datur, ubi reſervati inveniuntur; ſiquidem ad minus in ipſa reſervatione, & aliis prudentibus ſtatutis, hæc facultas ab inferiori adimitur, & ſuperiori reſervatur. In mea autem religione nullus à Prælatis caſus reſervatus datur, nullaque ex legibus prohibitio, aut conſuetudo, quæ reſtringat facultatem confeſſariorum, ut omnibus in jure, aut privilegiis conceſſis facultatibus utantur. *Deus nobis hæc otia fecit.* Ideo omnibus privilegiis infra adducendis uti liberè poſſunt, & etiam Confeſſarii aliorum Ordinum, in quibus hoc nec ex legibus, Prælatorum ordinationibus, aut conſuetudine non limitatur. Et cum hac limitatione ſemper intelligenda ſunt omnia, quæ infra dicemus. ¶ Et ne multiplicatione terminorum materia hæc fuſius, quam par eſt, extendatur. Supponendum eſt ab omnibus caſibus, cenſuris, & pœnis, à quibus dicemus poſſe confeſſarios religioſos, alios ſui Ordinis religioſos abſolvere, poſſe etiam Novitios, & mox ingreſſuros religionem, Donatos, & famulos, commenſales; qui omnes nomine religioſorum quoad favorabilia veniunt, & religionis privilegiis omnibus, quoad hoc fungi valent.

Ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt Epiſcopi, poſſunt regulares confeſſarii ſuos religioſos abſolvere.

109. In primis poſſunt confeſſarii regulares ab omnibus caſibus à jure, vel ab homine Epiſcopis reſervatis ſuos religioſos abſolvere: & ſic ab omnibus illis, quos jure ordinario poſſunt Epiſcopi, ſive à jure ſint ipſis commiſſi, ſive ab eis in ſpecie reſervati: & hoc toties, quoties, ex privilegio Bullæ Sixti I V. quod refert Peyrin. *tom.* 1. *privileg. ad conſtitut.* 2. *Sixti IV.* §. 4. Qualiter de reſervatis ab Epiſcopis hoc intelligendum ſit diximus ſupra. Ex quo fit, quod, cum omnes caſus Bullæ Cœnæ, ſi ſint occulti, excepta hæreſi, ſint Epiſcopales, à jure Concilii Tridentini ipſis conceſſi, ab his omnibus virtute hujus privilegii toties quoties abſolvere valent, ut in ſimili diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſuris, cap.* 1. *num.* 8. ¶ Poſſunt etiam toties, quoties ab omnibus caſibus, cenſuris, & pœnis, etiam publicis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, ſuos religioſos abſolvere, exceptis his, quæ in Bulla Cœnæ continentur, ex privilegio Pauli I I I. pro Ieſuitis, quod refert Lezana *tom.* 3. *verb. Confeſſor. num.* 11. & ex alio Sixti I V. pro monialibus S. Claræ, quod affert Rodriguez *in Bullar. fol.* 239. *numero* 44. quibus confeſſarii noſtri perfruuntur ob bullam Clementis V I I I. nobis conceſſam, quæ habetur *in Compendio ordinis*, *folio* 184. *numero* 2. Quæ omnia privilegia, indulta, facultates cæteris Ordinibus, congregationibus, &c. conceſſa; nobis ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatis impendit: & etiam omnes, qui communicationis habent privilegium, hoc uti valent; niſi ut diximus ſpeciale habeant ſtatutum in contrarium; quod apud nos minime datur, Lezana *ſupra.* Quintanadveñas *tract* 3. *ſingul.* 19. *numero* 3. Portel. *in dubiis regul. verbo confeſſor.* *erga fratres*, *numero* 7. Martinus à ſancto Ioſeph *fol.* 588. *num.* 8. Antonius à Spiritu ſancto *utroq. loc. citat. in Director. regul. num.* 31. *in Director. Confeſſ. n.* 1347.

Aliæ conceſſiones Pontificum pro confeſſariis religioſorum.

110. Deinde deputati à Generali, vel Provinciali pro confeſſionibus religioſorum, poſſunt toties, quoties illos abſolvere, ab omnibus caſibus Pontifici reſervatis, etiam publicis, exceptis hæreticis relapſis, ſchiſmaticis, Apoſtolicarum litterarum falſariis, & ad infideles prohibita deferentibus. Ita conceſſit Sixtus IV. *in Mari magn. Carmelitar.* §. 26. confirmans aliam bullam Eugen. IV. quam poſtea ipſe Sixtus IV. extendit ad moniales. Videatur Lezana *tomo* 5. *ad Mare magn. Carmelitar.* §. 62. *n.* 369. Vnde ex vi hujus indulti, poſſunt ab aliis caſibus Bullæ Cœnæ abſolvere, his exceptis: quia exceptio firmat regulam in contrarium; quod aliqui immerito negant: quia dicunt quotannis in Bulla Cœnæ revocantur omnia privilegia in contrarium, non advertentes revocationem Bullæ Cœnæ ſolum tollere privilegia regularium quoad abſolutionem ſæcularium, non religioſorum, de quibus modo loquimur, ut bene advertit Peyrin. *in additam. ad conſtitut.* 4. *Sixti IV. numero* 16. citans Peregrinum, Naldum, & Molfeſium. Vnde refert N. Antonius à Spiritu ſancto *in Director. regul. diſp.* 2. *ſect.* 1. *numero* 47. poſſe ex vi hujus indulti abſolvere ab hæreſi, ſi non ſit in eam relapſus; quia Pontifex ſolum excipit in hæreſim relapſum.

Aliæ circa idem conceſſiones Pontificiæ referuntur.

111. Poſſunt inſuper religioſi ſemel in vita eligere confeſſorem ex approbatis à Prælatis; qui eos ab omnibus caſibus, nullo excepto, plenariè abſolvat. Ita Sixtus I V. in Bulla Minoribus conceſſa, quam refert Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *numero* 17. & Gregorius IX. *bulla* 57. Leo X. alia bulla religioſis de Veles conceſſa, prout refert Ioannes à Cruce *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 13. Idem conceſſit Eugenius I V. *bulla* 1. apud Rodriguez *in Bullar.* & Innocentius V I I I. alia bulla, quam adducit Lezana *tom* 5. *in Mari magn. Servitarum*, *folio* 996. *ad* §. 53. quibus conceditur eligere poſſe Confeſſorem, qui eos ſemel in vita abſolvat ab omnibus caſibus, & cenſuris, etiam ab illis, propter quæ ſedes Apoſtolica conſulenda eſſet, nullo excepto. Et cum neque excipiant caſum aliquem Bullæ Cœnæ, nec relapſum in hæreſim, qui erat unus ex quatuor, propter quos ſedes Apoſtolica conſulenda eſſet; ſequitur neque hunc excludere. Pellizzar. *tom.* 2. *cap.* 2. *ſect.* 5. *numero* 84. Bruno Caſſaing. *tract.* 5. *cap.* 4. *propoſ.* 2. Cruz *loco citato.* Bauni *de Pœnit. tract.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 1. *littera E.* Antonius à Spiritu ſancto *in Direct. confeſſar. numero* 1349. ¶ Deinde quater in vita eligere poſſunt ex confeſſariis approbatis à ſuis Prælatis, qui eos pleniſſime abſolvat, ut conceſſit Paulus I I I. *bulla* 6. adducta à Magiſt. Ioanne à Cruce *ſup.* & Leo X. vivæ vocis oraculo conceſſit monialibus S. Claræ, ut quater in anno eligerent confeſſorem ejuſdem Ordinis, qui eadem plenitudine eas abſolvat, ac facere poſſet Summus Pontifex, ſi ibi adeſſet: quod licet fuerit oraculum, fuit ante Gregorium X V. & Vrbanum V I I I. & ſic per novas bullas confirmatum, juxta dicta *hoc tractatu*, *cap.* 2. *n.* 65. Sic Cruz, Bruno *locis citat.* Antonius à Spiritu ſancto *in Director. regul. num.* 35. *&* 36. & *in Director. Confeſſ. num.* 1350. Portel. *num.* 15. Rodrig. *tom.* 1. *quæſt.* 61. *art.* 12. ¶ Poſſunt etiam religioſi in omnibus feſtivitatibus Domini Sabahot, & B. V. & fundatoris, qui apud nos eſt S. P. N. Elias, & omnium Sanctorum eligere Confeſſarium, qui

eos pleniſſimè abſolvat. Ita conceſſit Leo X. bulla 46. Monialibus S. Claræ, & pro die S. Catharinæ, quo loco apud nos eſt S. M. N. Thereſiæ. Idem conceſſit idem Leo X. *Bulla* 20. apud Rodriquez *in Bullar. fol.* 306. *&* Pellizzar. *tractat.* 8. *cap.* 2. *num.* 48. Ancillis Beatæ Mariæ Virginis, addens præter dicta, feſtum S. Petri, & Pauli, & per totam Hebdomadam Sanctam. ¶

Conceſſio ampliſſima pro periculo mortis.

112. Denique pro periculo mortis conceſſit Innocentius VIII. ut poſſent religioſi eligere confeſſorem approbatum à ſuis Prælatis, qui eos ab omnibus cenſuris, & caſibus nullo excepto, abſolveret cum omnimoda authoritate, ac ſi ibi Summus Pontifex præſens adeſſet. Cæterum quia hoc fuit oraculum, accipe aliud bullarum privilegium eiuſdem Innocentii VIII. eiuſdem tenoris, quod refert Rodriguex *tom.* 1. *quaſt.* 62. *art.* 6. & aliud ſimiliter bullarum Sixti IV. *bulla* 45. quod refert Pellizzar. *ſect.* 1. *num.* 84. qua concedit, ut in articulo mortis eligerent ſibi quemcumque confeſſorem tam regularem, quam ſæcularem, qui ab omnibus caſibus eos abſolveret, nullo excepto, & concederet illis S. Iubileum, ſeu omnes, & ſingulas indulgentias, quæ per omnes Romanos Pontifices prædeceſſores Sixti IV. conceſſæ fuerunt Chriſti fidelibus perſonaliter euntibus Romam anno Iubilei, & viſitantibus Eccleſias ad hoc determinatas. ¶ Cæterum licet hæc indulgentia pro vero mortis articulo reſervetur, abſolutio tamen ab omnibus reſervatis ſtatim effectum ſortitur. Et ſic abſolutus à reſervatis à Pontifice, vel à religione, non tenetur poſtea recurrere ad Prælatum: in quo differt ille, qui in caſu dicto, virtute alicuius privilegii abſolvitur, ab eo, qui ſolum cum Sacerdote ſimplici ratione neceſſitatis à reſervatis abſolvitur: quod hic poſtea coram Superiori comparere teneretur, & cum hoc onere abſolutionem debet accipere; ille minime; alias nihil operaretur privilegium, ut diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 2. & in præſenti tenent Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 28. Antonius à Spiritu ſancto *in director. regul. num.* 31. Fragoſo 2. *p. lib.* 11. *diſput.* 24. *§.* 15. *num.* 7. Palaus *ſupra punct.* 15. *§.* 4. *num.* 7. ¶ Sed licet in dictis privilegiis aliquando periculum, aliquando articulus mortis ponatur, pro eodem accipitur in præſenti. Unde probabile periculum mortis ſufficere ad illis utendum: quia licet voces *articulus, & periculum mortis* in rigore ſignificationis diverſæ ſint, ex uſu tamen Eccleſiaſtico, in præſenti materia pro eodem uſurpatur. Vt conſtat *ex cap. Si quis ſuadente* 17. *quaſt.* 4. *Cap. eos qui de ſententia excommunication. in* 6. docet Gloſſ. *in cap. Paſtoralis de officio ordinandor.* Granados *de Pœnit. tractat.* 10. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 10. Suarez *diſputatione* 26. *ſect.* 4. *num.* 43. Averſa *quaſtione* 16. *de miniſtr. Sacrament. Pœnit.* Diana 3. *part. tract.* 4. *reſolut.* 71. *&* 5. *part. tract.* 7. *reſolut.* 59. Sanchez *lib.* 22. *in Decalog. capite* 13. *numero* 1. Leander *tract.* 5. *de Pœnit. diſput.* 11. *quaſt.* 17. & alii apud ipſos.

---

§. IX.

De facultate, quam habent confeſſarii regulares diſpenſandi vota, & irregularitates ſuorum religioſorum.

Quæ vota poſſunt regulares cõfeſſarii relaxare.

113. Hucuſque de caſibus, & cenſuris reſervatis, pro quibus petitur abſolutio loquuti ſumus: modo de votis, & irregularitatibus, ac aliis pœnis, pro quibus requiritur diſpenſatio loquimur. Pro quo ſupponendum eſt primo. Quod licet *relaxare* ſit verbum commune ad commutationem, & diſpenſationem; propriè tamen pro diſpenſatione accipitur: quia per eam in totum, & abſolutè vinculum tollitur, quod per *relaxare* ſignificatur. Non ſic in commutatione, in qua unum vinculum loco alterius ſubrogatur; unde in privilegiis ſemper accipitur *relaxare* pro *diſpenſare*, ut docent Lezana *tom.* 3. *verbo iuramentum num.* 24. Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 14. *numero* 16. Vrbanus ab Aſcenſione *tract.* 2. *part.* 2. *cap.* 4. *regul.* 1. *fol.* 314. ¶ Supponendum eſt ſecundo, regulares confeſſarios ea omnium aliorum vota, ac iuramenta relaxare poſſe reſpectu aliorum fratrum (idem eſt de monialibus) in quibus poſſunt cum ſæcularibus diſpenſare, ex privilegio Eugenii IV. quod refert Quintanadveñas *tract.* 3. *ſingular.* 19. *num.* 9. Et merito: quia non ſunt deterioris rationis religioſi quam ſæculares: unde ſicut ab omnibus caſibus, & cenſuris, à quibus poſſunt regulares confeſſarii ſæculares abſolvere; poſſunt etiam ſuos fratres, ut docent Doctores communiter; ita in omnibus votis diſpenſare poſſunt cum iſtis, in quibus poſſunt cum illis. In quibus autem votis poſſint cum ſæcularibus diſpenſare, vel illa commutare? latè diximus hoc tomo *tract.* 17. *de voto cap.* 3. Unde circa hoc non erit amplius immorandum.

Poſſunt regulares confeſſarii diſpenſare in omni irregularitate, in qua poſſunt Epiſcopi.

114. Loquendo vero de irregularitatibus, aſſerendum eſt, poſſe confeſſarios religioſos (niſi in religione detur ſtatutum, lex aut conſuetudo in contrarium, quæ apud nos non datur) cum illis diſpenſare toties, quoties in omnibus irregularitatibus, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis diſpenſare. Ita conceſſit Sixtus IV. *Bulla* 2. quam refert Peyrin. *tom.* 1. *privilegior.* §. 8. *ad conſtitutionem Phyrhi num.* 37. in qua concedit ut poſſint diſpenſare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Quod conceſſit Concilium Tridentinum reſpectu Epiſcoporum, ut diximus *tractat.* 10. *de cenſuris cap.* 7. *num.* 62. ubi etiam *cap.* 8. *num.* 6. quale homicidium voluntarium dicitur abſolutè, & ſimpliciter declaravimus. Dicta *hoc numer.* tenent Peyrin. *loco citat.* Vega, Henriquez, Rodriguex, quos refert, & ſequitur Portel. *in reſponſ. moral. tom.* 1. *caſu* 3. *numero* 1. Bauny. *tom.* 3. *tract.* 11. *quaſt.* 58. *littera* F. Quintanadveñas *tract.* 3. *ſingul.* 19. *num.* 9. Antonius à Spiritu ſancto *in director. regul. tract.* 1. *diſput.* 2. *ſect.* 2. *num.* 120. ¶ Et ex conceſſione Eugenii IV. Benedictinis bulla 1. & eiuſdem Eugenii IV. minoribus, ut refert Rodriguex *in Bullar. fol.* 171. *num.* 9. poſſunt regulares à Prælatis deputati cum fratribus diſpenſare in omnibus irregularitatibus, & inhabilitatibus, quovis modo contractis, ſive ex delicto, ſive ex defectu, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, excepta irregularitate bigamiæ, & homicidii voluntarii, & voluntariæ membrorum mutilationis. Ioannes à Cruce *lib.* 1. *dub.* 12. Rodriguez *quaſt.* 62. *art.* 13. Candidus *tom.* 2. *diſquiſit.* 24. *art.* 61. *dub.* 6. Quod etiam conceſſit Sixtus IV. vivæ vocis oraculo.

Aliæ circa diſpenſationem irregularitatum ampliſſimæ conceſſiones.

115. Immo, quilibet confeſſor mendicantium à ſuo Prælato pro confeſſionibus fratrum deputatus, ſemel in vita poteſt cum eis diſpenſare in foro conſcientiæ ſuper omnem irregularitatem, quacumque occaſione contractam, ex univerſaliſſima conceſſione facta ab Eugenio IV. fratribus S. Hieronymi in Hiſpania, quam refert

Rodriguez

Rodriguez *tom 1. quæſt.61. art.3.* Quæ conceſſio cum nullam excipiat ad omnes ſe extenditur, etiam ad illam, quæ provenit ex bigamia, aut homicidio voluntario. Nam licet hæc non veniant in generali conceſſione, ſed ſemper excluſæ cenſeantur, utpote ſtrictioris reſervationis: hoc verum eſt, quando privilegium abſolutè ſolum concedit facultatem diſpenſandi in omni irregularitate; tunc enim verificatur in generali conceſſione non venire ea, quæ ſi ſpecifice peterentur, non eſſet Superior veroſimiliter conceſſinis. Secus vero quando in privilegio illa clauſula apponitur: *quavis occaſione, aut cauſa contracta.* Quæ verba adeo generalia ampliant diſpoſitionem ad omnia. Rodriguez *loco citat.* Martinus à ſancto Ioſeph *fol.35. num.* 4. Antonius à Spiritu ſancto *num.*93. ¶ Immo idem Eugenius IV. ut teſtatur Portel. *in dub. regul. verbo confeſſor erga fratres, num.* 19. Conceſſit eiſdem fratribus S. Hieronymi in Hiſpania, ut toties quoties poſſent confeſſarii religioſorum cum eis diſpenſare in omni irregularitate tam ex delicto, quam ex defectu, excepta bigamia, & homicidio voluntario. Et idem Portel. *num.*19. refert aliam conceſſionem Pii IV. qua conceditur regularibus, ut eligere poſſint confeſſorem à ſuis Prælatis deputatum, qui eos abſolvere poſſit à quavis irregularitate, ut poſſint officia ordinis recipere, & retinere. Sed an hæc duæ ultimæ conceſſiones fuerint oracula? plures dubitant: ſed eſto fuerint, quia fuerunt ante Gregorium XV. & Vrbanum VIII. tranſierunt in bullata privilegia, & ideo ſuum obtinent vigorem, ut *capite* 2. *numero* 61. diximus.

In omnibus pœnis Eccleſiaſticis poſſunt regulares cõfeſſarii diſpenſare.

116. Denique poſſunt regulares Confeſſores pro fratribus deputati, cum ſuis fratribus in foro conſcientiæ diſpenſare in omnibus pœnis ex quibuſlibet delictis contractis, qualea ſunt inhabilitatis ad officia, privationis dignitatum, vocis, & loci, &c. Et quidem ſi ſint à iure, vel ab homine reſervatis Epiſcopis ex conceſſione Sixti IV. qua poſſunt in omnibus pœnis diſpenſare, in quibus poſſunt Epiſcopi iure ordinario: & ſic in omnibus provenientibus ex delicto occulto: quia hoc conceditur Epiſcopis à Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. de reformatione, & ex alia Bulla Sixti IV. relata à Lezana *tom.*5. *in Mari mag. Carmelitarum* §.61. in qua concedit facultatem omnibus regularibus ad abſolvendum fratres, ab omnibus pœnis ob quævis delicta, niſi talia ſint, pro quibus ſedes Apoſtolica eſſet conſulenda: non tamen dicitur conſulenda ſedes Apoſtolica ob quævis delicta, ſed ob illa quatuor ſpecialia, de quibus ſupra diximus; nimirum ob relapſum in hæreſim, ob ſchiſma, falſificationem litterarum Apoſtolicarum, delationem prohibitorum ad infideles. Sic citatis Sotbo, Cruce, Fauſto, Portel. Peyrin. Lezana, *tom.*5. *in Mari mag. Heremitar. D. Auguſt.* §.47. & 44. *num.*34. Bruno *tractat.* 5. *cap.*4. *propoſit.*1. & 3. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 127. Videantur à nobis infra §. 11. dicenda, ſiquidem in omnibus pœnis, & irregularitatibus, in quibus dicemus ibi poſſe cum ſæcularibus diſpenſare, potiori iure poſſunt cum religioſis, qui non debent eſſe deterioris rationis.

§. X.

A quibus caſibus, & cenſuris reſervatis poſſint regulares confeſſarii ſæculares abſolvere?

Aliqua ſcitu digna, & alibi tractata referuntur.

117. POſtquam egimus de regularibus confeſſariis comparatione ad alios religioſos tam proprios, quam extraneos; reſtat modo agere de illis comparatione ad ſæculares. Sed quia plura, quæ hic fuſius dicenda forent, in aliis locis hujus curſus ſunt à nobis declarata, breviter modo per iſta tranſiemus, ad locum, ubi ex profeſsò acta ſunt; Lectorem remittentes, ne multoties eadem repetamus. Igitur qualiter poſſint, vel non, in præſentiarum regulares confeſſarii à caſibus ſpecialiter reſervatis ab Epiſcopis ſæculares abſolvere, latè egimus *hoc cap. n.*3. ubi videri poterunt. Qualiter in votis diſpenſari poſſint, vel ea commutare, etiam late egimus hoc volumine. *Tractatu de Voto cap.*3. ¶ Pro aliis itaque caſibus, & cenſuris ſciendum eſt primò. Quod ut diximus *tom.*1. *tract* 10. *de Cenſur. cap.*2. *n.*38. qui habet facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, quibus ſunt annexæ cenſuræ, etiam habet facultatem abſolvendi ab illis: quia excommunicatus v. g. prius debet ab excommunicatione liberari, quam à peccato abſolvatur: ideoque ſi ab illa confeſſarius non poſſet abſolvere, nec ab iſto poſſet; & ſic ad utrumque accipit facultatem, qui ad unum illam habet. ¶ Secundo ſciendum eſt quod *ut ibidem n.*39. diximus, per facultatem abſolvendi conceſſam in Iubilæo, Bulla Cruciatæ, aut alio privilegio, à caſibus, aut cenſuris reſervatis Summo Pontifici, etiam poſſunt abſolvere confeſſarii regulares & alii, qui illis funguntur indultis nominatim denuntiatos, ſive à jure, vel ab homine talem excommunicationem habeant: quia nihil eſt in tali cognitione, quod abſolutionem harum cenſurarum excludat, ſi in privilegio facultas concedatur ad omnia. Neque inde inferas (quod aliqui graviſſimi Doctores faciunt, quos *ibi n.*40. dedimus) quod qui habet à ſummo Pontifice facultatem per Iubileum, Bullam, aut privilegium abſolvendi ab omnibus caſibus, & cenſuris ſibi reſervatis, poſſit etiam abſolvere à caſibus, vel cenſuris ab Epiſcopo ſibi reſervatis, propter prohibitionem Alexandri VII. quam ibi retulimus; quæ quomodo intelligenda ſit in hac parte, ſuprà hoc capite *n.*7. diximus.

Alia alibi dicta recenſentur.

118. Tertio ſciendum eſt, quod ut *ſupra n.*40. diximus, quando caſus eſt reſervatus, & illi eſt annexa cenſura ob quamcumque rationem cenſura non incurratur, vel poſt incurſionem tollatur caſus manet abſque reſervatione. Unde ſi quis extra confeſſionem accipiat abſolutionem cenſuræ, quod fieri poſſe omnes ferè dicunt, poteſt à quocumque confeſſario ab illo peccato reſervato abſolvi, ut de caſu hæreſis diximus *tom.*2. *tract.* 10. *cap.*4. *n.*61. De caſibus dubiæ reſervationis plura diximus *in præſenti Cap. n.*9. ¶ Sciendum eſt quarto quod ab illis caſibus, & cenſuris, à jure, vel ab homine latis, & quæ nulli reſervantur, poteſt quilibet confeſſarius abſolvere, ut dicto *Tract. de cenſur. cap.*1. *n.*44. probavimus. Imo *ibidem. n.*41. diximus, quod quando in privilegio conceditur abſoluta facultas abſolvendi à Cenſuris, etiam de reſervatis ſummo Pontifici intel-

ligitur (exceptis cenſuris in Bulla Cœnæ contentis, quæ ſunt ſtrictioris reſervationis) aliàs nihil concederet, ut ibidem probavimus.

Alia aliis locis explicata, tanguntur.

119. Qualiter autem in periculo mortis, & in caſu vrgentis neceſſitatis poſſit quilibet confeſſarius, etiam à reſervatis Summo Pontifici, quicumque illi ſint, abſolvere; diximus *ibi. numero* 45. *&* 46. & qualiter præſentari poſtmodum debeant, data opportunitate, qui ob periculum imminens, à reſervatis Superiori ab inferiori abſolvuntur, tranſacto illo periculo, ibi, *& num.* 66. latè tractavimus. Et in *num.* 64. poſuimus impedimenta, ratione quorum legitime poteſt recurſus ad ſedem Apoſtolicam impediri. Et *num.* 68. omnes moniales, immo omnes mulieres habere perpetuum impedimentum, ut non poſſint ad ſedem Apoſtolicam recurrere pro abſolutione à reſervatis Pontifici, probavimus. Quibus ſi iungas id, quod dicunt Peyrinis *ad conſtitut.* 1. *Iulii II.* §. 36. *num.* 67. Delbene *tom.* 2. *cap.* 19. *dub.* 69. *num.* 16. Paſqualig. Leander à Murcia, Coucers, quos refert Diana 9. *part. tractat.* 6. *reſolut.* 51. *& tract.* 9. *reſolut.* 61. Quod quando impedimentum recurrendi ad Superiorem eſt perpetuum, jam caſus ille, qui cum ſit jure ordinario pertinet ad Epiſcopum; cum jam tales caſus non ſint Papales in his, qui tali impedimento perpetuo afficiuntur, poterunt eos ab illis abſolvere quicumque confeſſarii, qui poſſunt ab omnibus abſolvere, quæ poſſunt Epiſcopi, ſeu ab omnibus Pontifici non reſervatis,

Regulares poſſunt ſæculares ab omnibus caſibus extra Bullam Cœnæ contentis, abſolvere.

120. Quibus ſic breviter attactis, quæ alibi fuſius jam diximus. In primis modo dicimus: quod regulares confeſſarii à Prælatis expoſiti, & ab Epiſcopo approbati (huiuſmodi ſunt dumtaxat, qui nomine confeſſarii regularis veniunt reſpectu ſæcularium) poſſunt extra Italiam omnes ſæculares ab omnibus caſibus, cenſuris abſolvere, quæ ſunt reſervatæ Pontifici, exceptis illis, qui in Bulla Cœnæ continentur. Ita conceſſit Sixtus IV fratribus Ordinis Prædicatorum in Regnis Caſtellæ, & Legionis, prout refert Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 62. *artic.* 3. *&* Leo X. Minoribus apud *Confectium bulla* 9. *fol.* 144. ibi: *à quibuſcumque caſibus etiam Apoſtolica ſedi reſervatis, exceptis contentis in Bulla Cœna Domini, abſolvere poſſint.* Idem conceſſit Clemens VII. bulla 2. apud Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 6. *num.* 36. Ac denique Paulus III. id ipſum conceſſit Patribus Societatis Bulla 7. quam refert Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 16. ubi concedit facultatem abſolvendi ſæculares: *ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque gravioribus, & enormibus, etiam ſedi Apoſtolica reſervatis, & à quibuſcumque ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, & cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, exceptis contentis in Bulla, qua in die Cœna Domini ſolita eſt legi.* Quæ omnia non eſſe revocata per decretum Clementis VIII. ſeu Congregationis de mandato illius edito anno 1601. & aliud eiuſdem Sacræ Congregationis, ſub eodem Clemente VIII. & de mandato illius anno 1602. in quibus alii caſus poſtea recenſendi præter contentos in Bulla Cœnæ continentur. Quia illa decreta, ut ex eorum verbis conſtat, ſolum loquuntur intra Italiam, & extra vrbem. Unde extra Italiam poſſe dictis privilegiis cum omni ſua amplitudine uti, conſtat ex noviſſima declaratione Sacræ Congregationis die 17. Novemb. 1628. ab Vrbano VIII. approbata ubi dicitur: *ab aliis verò caſibus* (ſcilicet præter caſus Bullæ Cœnæ) *& cenſuris ſedi Apoſtolica reſervatis, ſiquidem regulares habeant a ſede Apoſtolica abſolvendi facultatem, illam extra Italiam minime ſublatam fuiſſe eiſdem Sacra Congregationis decretis hac de re editis iuſſu ſanctæ Memoria Clementis VIII.*

Aliqua, quæ ex doctrina tradita ſequuntur.

121. Ex quo ſequitur primo, in Hiſpania, Gallia, Germania, & aliis Provinciis extra Italiam poſſe Confeſſarios regulares abſolvere ab illis caſibus exceptis in conſtitutione ſub Clemente VIII. qui in Bulla Cœnæ non continentur. Nimirum à cenſuris ob violationem immunitatis Eccleſiaſticæ, juxta conſtitutionem Gregorii XIV. *Cum aliàs* ab excommunicatione incurſa ob violationem clauſuræ monialium ad malum finem; & ab ea, quam incurrunt provocantes, & pugnantes in duello in terminis Concilii Tridentini; Simoniæ realis ſcienter contracta excommunicatione, atque etiam confidentiæ beneficialis; ac denique ab ea, quæ contrahitur ab injicientibus manus violentas in clericos, ſive læſio fuerit levis, ſive enormis; & à quibuſcumque aliis caſibus Papalibus extra Bullam Cœnæ contentis: quia in dictis privilegiis, iſti ſolummodo excipiuntur; & exceptio firmat regulam in contrarium. Miranda *quæſtione* 46. *articulo* 5. Lezana *tom.* 3. *verbo Clericus num.* 18. *& verbo confeſſor. numero* 6. Bordon. *tomo* 2. *reſolut.* 61. *numero* 1. *& reſolut.* 6. *numero* 8. Delbene *tom.* 2. *de iuriſdict. Eccleſ. capite* 19. *dub.* 69. *num.* 52. Palaus *tom.* 4. *tract.* 23. *diſputatione unic. punct.* 14. Vrbanus *ſupr. fol.* 220. *reg.* 8. Antonius à Spiritu ſancto *in director. regular. tractat.* 2. *diſputatione* 3. *ſect.* 1. *numero* 33. *& in director. confeſſ. tractat.* 3. *diſputatione* 16. *ſect.* 3. *numero* 1359. ¶ Sequitur ſecundo; poſſe abſolvere à cenſura, & pœnis incurſis ob procurationem abortus fœtus animati; quia iſte caſus Papalis non eſt, ſed Epiſcopalis, ob moderationem Gregorii XIV. qui abſtulit reſervationem, quam Gregorius XIII. illi impoſuerat, ut diximus *tomo* 2. *tractat.* 13. *capite* 2. *num.* 67. Sic Diana 5. *p. tract.* 9. *reſol* 40. Pellizzar. *tractat.* 8. *capite* 5. *ſect.* 2. *numero* 97. Peyrinis *ad conſtitut.* 2. *Iulii II.* §. 32. *numero* 65. ¶ Sequitur tertio: poſſe abſolvere tranſgreſſores conſtitutionis Pii V. quæ incipit: *Decori, & honeſtati*, contra Moniales egredientes de clauſura, niſi in caſibus permiſſis, aut illis licentiam concedentes, audeat comitantes, vel recipientes; quia non eſt caſus intra Bullam Cœnæ contentus, Lezana *verbo confeſſarius num.* 6. *& verbo clauſura num.* 20. Sanchez *in ſumm. lib.* 6. *capite* 15. *num.* 76.

Alia, quæ ex propoſita aſſertione inferuntur, recenſentur.

122. Sequitur quarto: poſſe abſolvere à criminibus, & cenſuris, quæ ſunt S. Tribunali Inquiſitionis reſervata, & extra Bullam Cœnæ contenta: ut ſunt ſortilegium, maleficium, ſuperſtitio, magia, adoratio Dæmonum, ſolicitatio in confeſſione, lectio librorum hæreticorum, Sodomia, beſtialitas, blaſphemia hæreticalis, & omnia alia delicta, quæ in edictis S. Inquiſitionis continentur, & quorum punitio pertinet privativè ad hoc Sanctum Tribunal, quoties hæc crimina non ex errore contra fidem proficiſcuntur; ſed ex avaritia, concupiſcentia, ira, aliave paſſione, ut pluribus citatis diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *de Cenſur. cap.* 2. *num.* 91. ¶ Sequitur quinto. Quod ab omnibus caſibus, qui ſunt jure ordinario Epiſcopis reſervati & extra Bullam Cœnæ continentur, poſſont

regulares

regulares abſolvere: quia Paulus III. illis concedit facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus, & cenſuris, etiam Pontifici reſervatis. Ubi ly *etiam* adauget & amplificat conceſſionem; quaſi dicat: ab omnibus cuilibet Prælato, etiam Pontifici reſervatis. Præterquam quod, qui poteſt id, quod majus eſt, & difficilius; multo magis id, quod minus, & facilius. Ita communiter omnes. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 24. Diana *de dub. regul. reſolut.* 23. Martinus à ſancto Joſeph *in Compend. verbo confeſſor. num.* 4. ¶ Sequitur ſexto, poſſe non ſolum abſolvere excommunicatos per ſententiam generalem à jure, vel ab homine (ſi excipias ſpecialiter ab Epiſcopis ipſi reſervatos, propter dicta *num.* 3.) ſed nominatim, & ſpecialiter excommunicatos, ſeu aliis ſententiis ligatos; dummodo hoc fiat prius ſatisfacta parte, exceptis Bullæ Cœnæ caſibus. Portel. *in dubiis regularib. verbo Confeſſor. regularis, num.* 28. Rodriguez *tom.* 1. *q.* 6. *art.* 6. Cruz *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 1. *concluſ.* 1. Avila 2. *p. de Cenſur. cap.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 5. Suarez *tom.* 4. *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 11. Pellizzar. *num.* 38. Thom. Tambur. *in Methodo, cap.* 6. §. 4. *lib.* 3. *num.* 11. Au vero valeat abſolutio, partis ſatisfactione non præmiſſa, & alia huc pertinentia, vide quæ diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 2 *punct.* 1. *à n.* 23.

Alia ex eodem principio illata proponuntur.

123. Denique ſequitur, ab omnibus caſibus, & cenſuris hucuſque dictis poſſe toties quoties abſolvere, etiamſi caſus publici ſint; imò ſi ſint deducti ad forum contentioſum: quia dicta privilegia abſolutè concedunt à prædictis caſibus poſſe abſolvere ſine ulla limitatione; & ſic limitanda à nobis non ſunt, cum ſint animabus favorabilia: maximè quia ſedes Apoſtolica quando vult excipere caſus deductos ad forum contentioſum, id exprimit, ut fecit Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformatione.* Sed in dictis privilegiis non excipiuntur: in illis ergo continentur. Quando vero delictum ad forum contentioſum deductum judicetur, latè diximus loco citato *cap.* 2. *à num.* 60. Quæ modo diximus tenent Sanchez *lib.* 6. *cap.* 17. *num* 43. Delbene *tom.* 2. *cap.* 19. *dub.* 82. *num.* 1. Pellizz. *num.* 90. *&* 91. Vega *in Summ. cap.* 62. *caſu* 1. Delrio *diſquiſit. Magicar. lib.* 6. *cap.* 1. *ſect.* 13. Palaus *tract.* 15. *punct.* 18. *num.* 11. Bruno *tract.* 5. *dub.* 2. *propoſ.* 3. Avila *dub.* 11. Thomas Tambur. §. 4. *n.* 12. Trullench. *lib.* 1. *in Cruciat.* §. 7. *cap.* 2. *dub.* 10. *num.* 1. Unde abſolutio à dictis cenſuris, ſive ab homine, ſive à jure latis, prodeſt etiam pro foro externo; ſed ut pro illo valeat debet pœnitens in ſcriptis afferre illius teſtimonium à ſuo confeſſore, & debet acceptari à Prælato; interim in foro externo ſe gerere debet ut excommunicatus, ne tribunal externum perturbetur; & ſemper debet ſupponi ſatisfactio partis. Trullench. Palaus, Avila, Tambur. *locis cit.*

---

§. XI.

Poſſintne modo regulares confeſſarii à caſibus & cenſuris Bullæ Cœnæ occultis, ſæculares abſolvere?

Caſus in Bulla Cœnæ Domini contenti recenſentur.

124. GRavior modo reſtat difficultas de ipſis caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ Domini contentis. Sed ante reſolutionem primo ſupponendum eſt, qui caſus dicantur in Bulla Cœnæ Domini contenti? Illos adduximus, & explicavimus *tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſuris, cap.* 4. *punct.* 4. ſed quia eorum notitia ſummopere neceſſaria eſt, nunc libuit breviter eos recenſere. Igitur in primo canone illius Bullæ excommunicantur omnes hæretici, ſchiſmatici, & negantes obedientiam ſedi Apoſtolicæ, eorum fautores, receptatores, defenſores, illorum libros legentes, imprimentes, retinentes, vendentes, ementes, defendentes, de quibus latè egimus eodem loco *dub.* 2. *&* 3. ¶ In aliis canonibus excommunicantur primo: Qui à mandatis, & ſententiis Papæ ad futurum Concilium generale appellaverint, cujuſcumque ſint conditionis, gradus, vel ſtatus. ¶ Secundò: Pyratæ, Curſarii, & Latrones maritimi, qui per mare Summi Pontificis, animo deprædandi fideles catholicos, currunt. ¶ Tertio: deprædantes bona naufragantium. ¶ Quarto: qui nova pedagia, ſeu gabellas in terris ſuis imponunt in caſibus ſibi a jure non permiſſis, & qui impoſita augent, vel petunt. ¶ Quinto: Falſarii litterarum Apoſtolicarum. ¶ Sexto: qui equos, & arma, & eorum materiam ad Sarracenos, Turcas, Mauros, Judæos, Paganos, & hæreticos deferunt, vel illis auxilium præſtant in damnum, & perniciem Catholicorum. ¶ Septimo: impedientes, ſeu invadentes eos, qui vectigalia, ſeu alia ad uſum Romanæ Curiæ adducunt. ¶ Octavo: omnes, qui ad ſedem Apoſtolicam convenientes, vel ab ea recedentes lædunt. ¶ Nono: Cardinales, Epiſcopos, Legatos, & Nuntios vulnerantes, percutientes, incarcerantes, vel hoſtiliter inſequentes. ¶ Decimo: omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos, ad urbem cauſa devotionis accedentes. ¶ Undecimo: occidentes, percutientes, vulnerantes, & auxilium, vel conſilium ad id præbentes, eos, qui ad Romanam Curiam recurrunt ſuper cauſis, & negotiis eorum. ¶ Duodecimo: qui prætextu frivolæ appellationis recurrunt ad Curias ſæculares, ad quas appellant à gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum, & Magiſtratus prohibentes dictas litteras executioni mandari. ¶ Decimotertio: qui cauſas ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas, à judicibus Eccleſiaſticis ad ſe propria authoritate avocare intendunt. ¶ Decimoquarto: impedientes Prælatos Eccleſiaſticos, ne ſua juriſdictione contra quoſcumque utantur. ¶ Decimoquinto: libertatem Eccleſiaſticam directe, vel indirecte lædentes. ¶ Decimoſexto: qui juriſdictiones, vel fructus, redditus, ſeu proventus Eccleſiaſticos uſurpant, vel ſequeſtrant ſine legitima facultate. ¶ Decimoſeptimo: imponentes decimas, gabellas, vel alia onera directè, vel indirectè perſonis Eccleſiaſticis, & ipſorum bonis, & ea exigentes. ¶ Decimooctavo: judices ſæculares, qui ſe in cauſis criminalibus interponunt contra perſonas Eccleſiaſticas proceſſando, capiendo, aut proferendo ſententias contra illas. ¶ Decimonono: qui terras, loca, & jura ſub ditione ſedis Apoſtolicæ contenta in toto, vel in parte invadere, deſtruere, occupare, vel detinere præſumpſerint.

125. Secundo ſupponendum eſt, non poſſe regulares ab his caſibus ſæculares abſolvere, ſi publici ſint. Et publici dicuntur, non qui probari poſſunt in foro externo, ſed qui in majori parte viciniæ, Collegii, aut Monaſterii ſunt noti; modo in his adſint ſaltem decem perſonæ: nam omnia privilegia, quæ ſolent adduci in contrarium, quotannis per Bullam Cœnæ revocantur.

A caſibus Bullæ Cœnæ publicis nequeunt regulares confeſſarii abſolvere.

Quæ

Quæ revocatio cum nihil operetur in ordine ad abſolutionem regularium, ſecundum aliquorum ſententiam, pro caſibus occultis; ad minus tenebit pro publicis. Ita ex communi Palaus *p. 14. num.* 14. Portell. *verb. Bulla Cœnæ num.* 3. Diana 6. *part. tract.* 6. *num.* 54. Peyrinis *tom.* 3. *privilegiorum cap.* 3. *num.* 35. Bruno *tract.* 5. *cap.* 2. *propoſit.* 3. Pellizzar. *tract.* 8. *cap.* 3. *ſect.* 2. *num.* 68. ❡ Tertio ſupponimus, ab hæreſi occulta non poſſe confeſſarios regulares, ſæculares abſolvere. Quid autem intelligatur per hæreſim, & alia huic pertinentia late diximus *tractat.* 10. *capite* 4. *dub.* 3. *per totum.* Ratio eſt: nam in privilegiis referendis, vel excipitur expreſsè hæreſis, vel certe intelligitur excepta, niſi pro illa expreſsè facultas concedatur: quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veroſimiliter conceſſurus, ſi ei ſpecialiter peterentur. *Cap. In generali. regul.* 82. *de regul. iuris in* 6. Immo, quamvis ad omnes caſus Bullæ Cœnæ conceditur facultas, ſi non exprimatur hæreſis, intelligitur excepta, quia eſt ſtrictiſſimæ reſervationis, ut *loco citato* ex communi ſententia diximus. *cap.* 2. *num.* 41.

Ab hæreſi non poſſunt regulares confeſſarii abſolvere.

126. Per quod manet ſolutum illorum fundamentum, qui dicunt poſſe regulares ab hæreſi abſolvere: quia hæreſis abſolutio jure ordinario ad Epiſcopos ſpectat: ſed regulares poſſunt in hac parte quidquid Epiſcopi: ergo, &c. Sic Couſers quem refert Diana 6. *part. tractat.* 6. *reſolut.* 54. Boſſius quem refert Diana 5. *part. tract.* 12. *reſolut.* 35. Vrbanus ab Aſcenſione *tractat.* 2. *diſput.* 1. *reg.* 8. Vidal. *de caſibus reſervatis. Inquiſit.* 1. *num.* 99. Baſſæus *verbo hæreſis num.* 18. Ubi dicit hanc opinionem viſam, & toleratam eſſe ut probabilem in Conſiſtorio Sacræ Congregationis die 18. Iulii anno 1629. Sed illud fundamentum ſolutum manet ex dictis: quia non ſufficit generalis conceſſio abſolvendi ab omnibus caſibus Epiſcopi reſervatis, ut ibi intelligatur hæreſis, niſi exprimatur, ſicut exprimitur in conceſſione ipſa, quæ fit Epiſcopis à Concilio Tridentino.

A caſibus in primo canone Bullæ Cœnæ contentis, qui hæreſes non ſunt, poſſunt abſolvere.

127. Sed licet ab hæreſi non poſſint regulares abſolvere, eſtò poſſent ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ, tamen poſſunt ſuppoſita hac ſententia ab omnibus aliis criminibus primi canonis illius Bullæ, ut ſunt apoſtaſia à fide, quæ committunt fautores, & receptatores hæreticorum, eiſque credentes, legentes, defendentes, imprimentes, retinentes libros hæreticorum hæreſim continentes, vel de religione tractantes, Schiſmatici, & pertinaciter ſe ſubſtrahentes ab obedientia ſedis Apoſtolicæ. Quia hæc omnia, ſi abſque intellectus errore committantur, hæreſes non ſunt, ut diximus *tract.* 10. *cap.* 2. *num.* 9. Et ideo per Bullam Cruciatam poſſe ab omnibus illis abſolvi, etiamſi publici ſint, docent tredecim Authores, quos ibi citavimus: & poſſe ab omnibus illis, virtute ſuorum privilegiorum regulares abſolvere, docent Portell. Frutas, Coninchus, quos refert Diana 1. *part. tractat.* 6. *reſolut.* 8. Trullench. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 4. Vidal. *tutul. de caſib. reſervat. inquiſit.* 1. *num.* 150. Antonius à Spiritu ſancto *in director. regular. tractat.* 2. *diſput.* 3. *ſect.* 1. *num.* 48. *& in director. confeſſ. tract.* 5. *diſp.* 16. *ſect.* 8 *num.* 1366.

Ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ occultis poſſunt confeſſores regulares ſæculares abſolvere.

128. Quibus ſuppoſitis. Dicendum eſt, poſſe regulares confeſſarios abſolvere ſæculares ab omnibus caſibus, & cenſuris, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, hæreſi excepta, ſi occulti ſint, ideſt non publici, aut notorii; & probatur ſic. Quia omnes caſus Bullæ Cœnæ jure ordinario competunt Epiſcopis ſi occulti ſint; & ſic jam non ſunt caſus Papales: ſed regulares poſſunt per ſua privilegia abſolvere ab omnibus caſibus toties quoties, qui non ſunt Papales, ſeu propter quos debeat conſuli ſedes Apoſtolica, ut jam diximus: ergo à caſibus Bullæ Cœnæ occultis poſſunt toties quoties abſolvere. Ob hanc enim rationem diximus *tractat.* 10. *de cenſur. capite* 2. *numero* 87. virtute Bullæ Cruciatæ poſſe ab illis toties quoties abſolvi: quia caſus Pontifici reſervati, ſi ſint occulti, jam non ſunt reſervati Pontifici, cum talis reſervatio ablata ſit per Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. & reddita Epiſcopis facultas ordinaria, quæ illi antea competebat. Ideoque hanc ſententiam docere tenentur omnes authores, qui dicunt poſſe toties quoties abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ occultis, qui poſſunt à reſervatis in jure Epiſcopis. Et iſti ſunt inter alios Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 2. Diana 3. *p. tractat.* 2. *reſolut.* 13. *& in addition. reſolut.* 17. *&* 8. *part. tractat.* 7. *reſolut.* 71. Baſſæus *verbo hæreſis numero* 18. Thomas Hurtado *tom.* 1. *reſolut. moral. tractat.* 5. *capite* 4. *reſolut.* 16. *numero* 127. Marcus Vidal. *de caſib. reſervat. inquiſit.* 1. *à numero* 121. Mendo *in Bull. diſput.* 23. *capite* 5. *numero* 61. Leandet *tom.* 4. *tractat.* 17. *quæſt.* 84. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 6. *numero* 5. Magiſter Acatius de Velaſco *tom.* 2. *reſolut. Moral. verbo abſolut. reſolut.* 5. *num.* 11. Quare in noſtro caſu poſſe regulares ex vi ſuorum privilegiorum abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ occultis, neque talia privilegia revocari per bullam dictam Cœnæ, quia revocatio, quæ in illa fit privilegiorum, ſolum intelligitur de dictis caſibus, quando ſunt publici, non vero quando occulti, tenent, Vrbanus ab Aſcenſione *diſp.* 1. *tract.* 2. *cap.* 1. *regul.* 8. Sanch. *num.* 27. Trullench. *dub.* 3. *&* 6. Palaus *de cenſur. tract.* 3. *punct.* 24. §. 23. *n.* 19. Antonius à Spiritu ſancto *in director. confeſſ. tract.* 5. *diſp.* 16 *ſect.* 8. *num.* 1363. Peyrin. *tom.* 1. *privilegiorum conſtitut.* 4. Sixti IV. Bauny. *tom.* 1. *tract.* 4. *de Pœnit. q.* 32. *& tom.* 2. *de cenſur. diſp.* 3. *tract.* 2. *q.* 16. Diana *p.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 13. *verſu Nota. & part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 239. Leander *q.* 85. Baſſæus *loc. cit.* Hinojoſa *in direct. deciſion. regul. verb. confirmatio gratiæ.* Leand. à Murcia *c.* 25. *in* 7. *regul.* D. Franciſci Candid. *tom.* 1. *diſquiſit.* 22. *art.* 49. & alii quos dedimus *tract.* 10. *de cenſur. cap.* 2. *n.* 57. *&* 75. probantes per Bullam Cœnæ non revocari neque facultatem conceſſam Epiſcopis abſolvendi ab illis caſibus occultis ſuos diœceſanos, neque facultatem conceſſam per ſua privilegia Prælatis abſolvendi à dictis caſibus ſuos ſubditos.

Aliqua in oppoſitum quæ poſſunt adduci explicantur.

129. Nec contra hoc vim habet decretum S. Congregationis iuſſu Clementis VIII. editum anno 1601. quo ſub graviſſimis pœnis prohibet omnibus tam ſæcularibus, quam regularibus, ne prætextu quorumlibet privilegiorum poſſint abſolvere ab vllo ex caſibus clarè, vel dubie in Bulla Cœnæ Domini contentis. Nam hoc decretum ut *vidimus n.* 118. ſolum loquitur cum regularibus per univerſam Italiam extra Vrbem degentibus. ❡ Neque obſtat aliud decretum S. Congregationis iuſſu Vrbani VIII. die 17. Novemb. anno 1628. editum; quo decernitur non poſſe regulares abſolvere ſæculares à caſibus per Bullam Cœnæ reſervatis, cum revocatione

omnium

omnium privilegiorum: quia hoc decretum nihil contra noſtram aſſertionem continere diximus *tract. 10. de cenſuris, cap. 2. num. 79. & 81.* ¶ Nec denique obſtat aliud decretum ab Alexandro VII. expeditum *die 24. Septembris anno* 1665. de quo nos mentionem fecimus *dicto tract. 10. de cenſuris, cap... num. 58.* quo videtur hæc ſententia reprobata. Nam inter alias propoſitiones, quas ibi Pontifex ut ſcandaloſas condemnat, una eſt iſta: *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt: anno 1629. die 18. Iulii in Conſiſtorio S. Congregat. Eminentiſſim. Cardinal. viſa, & tolerata eſt*, nonnulla diximus *ſupra hoc capite num. 7.* circa ſtrictiſſimam obligationem; quam dictum decretum Alexandri ubique habet. Et ideo propoſitiones 44. ab eo in tali decreto condemnatas, nullo modo ſuſtinere poſſe diximus, & modo dicimus.

Exponitur decretum Alexandri VII.

130. Sed in tali decreto nullo modo prohiberi ſententiam iſtam, quam nunc amplectimur, graviſſimi Magiſtri hujus Salmantinæ Academiæ, inter quos tres Primariæ Cathedræ Moderatores, quos circa hoc conſuluimus, unanimiter ſenſerunt nec prohibitionem, & cenſuram Alexandri cathegoricam illam propoſitionem efficere: *Facultas Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, per Bullam Cœnæ non revocatur*, ſed illud prædicatum, *in Conſiſtorio ſacræ Congregationis viſa, & tolerata eſt.* Non defuerunt enim aliqui Doctores, quos *ſupra n. 124.* dedimus, qui dicebant regulares, & Epiſcopos ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ occultis, etiam ab hæreſi, poſſe abſolvere; & talem opinionem in judicio contradictorio viſam eſſe in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium. Et poſt longam diſcuſſionem, ab ea toleratam eſſe ut probabilem: quod rejicit, & condemnat ut falſum, & ſcandaloſum Alexander VII. non vero ipſam propoſitionem, ſupra quam illa falſa impoſitio cadebat. Quemadmodum ſi Pontifex hanc propoſitionem cenſuraret: *Scientia media à D. Thoma, & D. Auguſtino viſa, & ſequuta eſt.* Non ob id aliquis diceret, ex vi hujus prohibitionis, ſcientiam mediam manere cenſuræ obnoxiam, ſed illud prædicatum tantum, quod dicatur viſam, & ſequutam à D. Auguſtino, & D. Thoma. Eodem modo dicimus in præſenti. Et quidem mirum eſt, Alexandrum VII. duplici decreto quadraginta & quatuor prohibuiſſe propoſitiones, omnes manifeſtè, clare, abſque ulla ambiguitate, aut reflexione, & ſolam iſtam, quam majori cum expreſſione debebat apponere; ſiquidem per illam graviſſimum decretum Tridentini videbatur revocare pro Dominis Epiſcopis adeò favorabile, & pro tota Hiſpania, & omnibus regnis, in quibus receptum eſt Tridentinum cum omnibus ſuis oneribus, & privilegiis adeò gratioſum; & condemnare ſententiam uſque ad illud tempus ut probabiliſſimam ſequutam a tot tantiſque ſcriptoribus doctiſſimis; cum illa reflexione, & quaſi ambage proponeret. Quod manifeſtè judicat ſuam mentem non fuiſſe propoſitionem illam, & ſententiam condemnare, ſed ne diceretur cum illa amplitudine a S. Congregatione approbatam eſſe, de medio tollere. Et ſi alia fuit intentio Pontificis, illius diſpoſitioni omnino obtemperantes, quæ hucuſque diximus, libenter retractamus.

131. An vero poſſint regulares ab omnibus Bullæ Cœnæ caſibus, etiam publicis abſolvere, quando datur aliquod impedimentum adeundi Summum Pontificem pro abſolutione; ut ægritudinis, paupertatis, fragilitatis ſexus; ut ſi fuerit mulier, ſenex, vir delicatus, qui labores itineris ſuſtinere non poſſit, claudus, cæcus, pauper, ſervus, & aliàs urgeat neceſſitas? Aliqui ſatis probabiliter affirmant. Quia in tali caſu poteſt Epiſcopus ab his caſibus abſolvere jure Ordinario, ut diximus *tractatu decimo, de cenſuris, capite ſecundo, num 65.* ergo etiam regulares, qui ut diximus, ab his, quæ jure Ordinario competunt Epiſcopis, abſolvere valent. Sed hoc fundamentum rejecimus *tractatu de voto, capite tertio, num...* impugnantes eos, qui dicebant vota caſtitatis, & religionis poſſe à regularibus diſpenſari in caſu neceſſitatis; quia id poterant Epiſcopi propter rationem ibi dictam. Verum ex alia parte id probari poteſt *ex cap. Nuper à nobis 19. de ſententia excommunicationis.* ubi dicitur: *Verum ſi difficile ſit ex aliqua juſta cauſa, quod ad ipſum excommunicatorem abſolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut (præſtita juxta formam Eccleſiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit) à ſuo abſolvatur Epiſcopo, vel proprio ſacerdote.* Ubi per ly *proprio ſacerdote*, quemlibet confeſſarium intelligi diximus in ſimili caſu *tractatu decimo, de cenſuris, capite ſecundo. num. 44.* Et ſic in præſenti tenent Peyrinis *ad conſtitut. 1. Iulii II. §. 36. numero 67.* Delbene *tomo ſecundo, capite decimo nono, dubio 9. numero decimo ſexto*, Bruno *tractatu quinto, capite tertio, quæſtione quinta*, Paſqualig. Leander, Murcia, quos refert Diana *part. 9. tractatu nono, reſolutione 61.* Antonius a Spiritu ſancto *in director. Confeſſ. tractatu quinto, diſputatione 16. ſect. 8. num. 1367.* ¶ An vero teneantur, tranſacto impedimento, abſolutus comparere coram ſuperiori, & an debeat per Epiſtolam, vel Nuntium, ſi non poſſit perſonaliter accedere? & alia huc ſpectantia? vide quæ diximus *dicto tractatu decimo, cap. 2. a num. 65.*

Quid dicendum ſit in caſu urgentis neceſſitatis?

§. XII.

In quibus irregularitatibus, & aliis pœnis poſſint religioſi cum ſæcularibus diſpenſare?

Omnes ſpecies in irregularitate, quæ ſunt in jure recenſentur.

132. PRo reſolutione hujus graviſſimæ difficultatis duo nobis ſupponenda ſunt. Primum: quid, & quotuplex ſit irregularitas? Diffinitur ergo irregularitas, quod eſt impedimentum Canonicum primo, & per ſe impediens Ordinum ſuſceptionem, & ſecundario, & quaſi per accidens illius exercitium. Quam diffinitionem late explicuimus *tractatu decimo, de cenſuris, capite ſeptimo, à numero primo.* Et an ſit, vel non vera cenſura? *eodem tractatu, capite primo, punct. 17. per totum* reſolvimus. Et dividitur irregularitas in eam, quæ contrahitur ex delicto, & in eam, quæ ex defectu non culpabili contrahitur; & utriuſque dantur octo ſpecies. Et illius, quæ ex peccato incurritur, ſpecies iſtæ aſſignantur. Prima: ex homicidio voluntario. Secunda: ex injuſta, & voluntaria mutilatione. Tertia: ex homicidio, aut mutilatione caſuali. Quarta: ex repetitione, ſeu

Iteratione Baptiſmi. Quinta: ex violatione cenſuratum, pet exercitium Ordinis ſacri. Sexta: ex indigna receptione, vel adminiſtratione Ordinum. Septima: ex delicto, cui annexa eſt infamia. Octava: ex delicto enormi notorio, dignoque depoſitione, aut degradatione. De quibus *dicto tract. de cenſuris, toto cap.* 8. egimus. ¶ Species autem illarum irregularitatum, quæ ex defectu non culpabili contrahuntur, hæc ſunt. Prima: quæ provenit ex defectu Sacramenti, & dicitur bigamia, & incurritur ob unicum matrimonium contractum cum corrupta, vel ob diverſa matrimonia cum diverſis virginibus celebrata. Secunda: ex defectu lenitatis, quam habent judices, & alii miniſtri ad ſententiam ſanguinis, & ejus executionem concurrentes, & milites in bello, etiam juſto occidentes, vel mutilantes. Tertia: ex aliquo defectu corporis, qui deformitatem præſeferat. Quarta: ex defectu animæ nimirum, aut defectu ſcientiæ, aut defectu rationis. Quinta: ex defectu libertatis, qualem ſervi, ſeu mancipia habent. Sexta: ex defectu natalium, qualem habent omnes illegitimi, ſive expurii ſint, ſive naturales. Septima: ex defectu ætatis, quia nimirum ætatem debitam pro Ordinibus non habet. Octava: ex defectu divitiarum, ſeu ratione paupertatis, quia non habet ad cujus titulum ordinetur. De his duabus ultimis latè egimus *tom. 2. tract.* 8. *de ordin. c.* 5. *à n.* 29. *& c.* 6. *à num.* 61. de omnibus alii *tract.* 10. *de cenſuris, cap.* 9. *per totum.*

Qualiter Epiſcopi diſpenſare poſſint in irregularitatibus ex defectu?

133. Et quia præcipua difficultas in præſenti eſt, an regulares confeſſarii poſſint cum ſæcularibus diſpenſare in omnibus irregularitatibus in quibus poſſunt Epiſcopi? Supponendum eſt ſecundo, in quibus irregularitatibus poſſint Epiſcopi cum ſuis ſubditis diſpenſare. Pro quo recurrendum nobis eſt ad locum citatum de cenſuris, in quo ex profeſſo de hoc egimus, ibidem dicta breviter recopilantes. Igitur loquendo de his, quæ ex defectu inculpabili proveniunt, aliqui quos lato calamo dedimus *cap* 9. *num.* 23. aſſerunt Epiſcopum in irregularitate ex defectu lenitatis proveniente, poſſe diſpenſare. Sed oppoſitum eſſe tenendum diximus. Irregularitas ex defectu Sacramenti, ſeu bigamia, *in bigamiam veram, interpretativam, & ſimilitudinariam dividitur.* Vera eſt, quando aliquis duas nuptias verè contraxit, & conſummavit. Interpretativa, quando ſemel corruptam, vel viduam duxit uxorem, vel licet cum virgine duxerit, hanc poſt adulterium ab ea patratum cognovit; vel quando duo matrimonia inivit, unum de jure, id eſt validum, aliud de facto, id eſt invalidum, vel utrumque de facto, id eſt non validum celebrarunt. Similitudinaria, quando religioſus profeſſus, vel alius Clericus ſæcularis tentat contrahere matrimonium, & de facto contrahat, licet invalidum. Poſſunt ergo Epiſcopi abſolutè in ſimilitudinaria bigamia diſpenſare, ut ibidem *n.* 41. probavimus. In aliis vero duabus, quæ abſoluto nomine bigamiæ intelliguntur diſpenſare non poſſunt, niſi ad Minores ordines recipiendum, & beneficia ſimplicia, ut ibidem diximus *n.* 40. Cum illegitimis vero, ſi publicus ſit eorum defectus, diſpenſare non poteſt Epiſcopus, niſi ad recipiendos ordines Minores, & beneficia ſimplicia, ut ibi *n.* 51. eſt dictum. Sed ſi defectus ſit occultus, aliqui probabiliter dicunt, poſſe cum eis diſpenſare ad ſacros Ordines recipiendos, & beneficia curata, & dignitates, quos dedimus *n.* 52. Sed oppoſitum ibi *n.* 53. eſſe probabilius diximus. Si vero illegitimus fieret Sacerdos, an poſſet Epiſcopus diſpenſare, ut in tali ordine miniſtret? Aliqui dicunt poſſe, etiamſi mala fide ordinem ſuſceperit. Alii dumtaxat id concedunt, quando bona fide talem Ordinem receperit. Sed utrumque nos *n.* 54. negavimus. In aliis irregularitatibus ex defectu, nequit Epiſcopus diſpenſare.

In omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, poteſt Epiſcopus diſpenſare.

134. Circa irregularitates vero ex delicto, Sacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reformat.* Epiſcopis diœceſim habentibus indulſit, ut cum ſuis ſubditis diſpenſare poſſent in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & quæ ad forum contentioſum non ſunt deductæ, excepta irregularitate ex homicidio voluntario cauſata. Cum ergo in hoc privilegio ſolum homicidium voluntarium excipiatur, poterit in irregularitate proveniente ex mutilatione voluntaria diſpenſare, ut *loc. cit. c.* 8. *n.* 28. diximus. Etiam in illa, quæ provenit ex homicidio caſuali, etiam culpabili, ſed quod non pervenit ad homicidium voluntarium, ibi *n.* 43. Etiam ob homicidium culpabile ob defenſionem ab injuſto invaſore cauſatum, ſed non cum moderamine inculpatæ tutelæ, ibi *n.* 58. & in omnibus aliis ſolo excepto homicidio voluntario, in quo nunquam poteſt Epiſcopus diſpenſare, nec ad Ordines minores, nec ad beneficia ſimplicia, ut ibi *n.* 16. ſtatuimus. Sed non dicitur homicida voluntarius prout requiritur ad incurrendum hanc irregularitatem ſtrictiſſimæ reſervationis, qui ſubitò, inopinatè in rixa repentina hominem occidit, ut ibi *n.* 6. nec aliquis leviter vulnera volens, graviter præter intentionem vulneravit, ibi *n.* 3. Sed homicida voluntarius ille dicitur, qui ex induſtria, ex propoſito, per inſidias, ex deliberato conſilio, animo, & ſpontanea voluntate occidendi, hominem necavit, ut latè ibi *num.* 6. probavimus.

Poſſitne aliquando Epiſcopus cum homicidio voluntario diſpenſare?

135. An vero Epiſcopus in homicidio voluntario occulto poſſit diſpenſare? Duobus modis aliqui diſtinguunt homicidium voluntarium occultum: vel taliter, quod à nemine poſſit in notitiam hominum deduci, niſi ab ipſo ſolo occiſore, vel taliter, quod poſſit per alium, vel alios ad notitiam hominum venire. In eo, quod hoc ſecundo modo occultum dicitur, nulli dubium eſt haud poſſe Epiſcopum diſpenſare: quia Concilium ab irregularitatibus occultis excipit homicidium voluntarium. Primo modo aliqui dicunt, vel non contrahi irregularitatem, uti plures, quos dedimus *tractatu decimo, capite ſeptimo, numero quinto*, aſſerunt ex delictis penitus occultis non contrahi irregularitatem. Quam ſententiam, loquendo de homicidio non contrahi in illo caſu, tenet Miranda *de miniſtr. general. juriſdict. q.* 8. *art.* 10. & valdè probabilem dicit Bruno *tract.* 5. *cap.* 4. *propoſ.* 1. *circa finem.* Caſtro, Covar. quos refert, & ut probabile ſequitur Rodriguez *tomo primo, quæſtione* 24. *artic.* 11. & etiam probabile reputat Pellizzar. apud Dianam 10. *part. tract.* 13. *reſolutione* 38. vel poſſe Epiſcopum in ea diſpenſare, quia dicunt Concilium non loqui de delictis omnino occultis, ſed tantum de illis, quæ ad judicium, & notitiam hominum deduci poſſunt, & poſſunt probari. Sic Miranda, Rodrig. & Bruno *locis citatis*, citans Covar. Abbatem, Caſtrenſem, Angelum, Bannez 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *dub.* 4.

dub. 4. Tejeda *tom.* 2. *lib.* 3. *tract.* 3. *&* 18. ¶ Sed oppoſitum eſt omnino tenendum. Tum: quia pro actibus externis, ſed penitus occultis incurri cenſuras diximus *tract.* 10. *cap.* 1. *num.* 141. Tum etiam: quia delictum licet per accidens ſit occultum, quia non habet unde probetur, per ſe tamen manifeſtum eſt, & ſenſibile, & ſic per illud incurri irregularitatem probavimus ibi *cap.* 7. *num.* 22. Tum denique: quia communis ſententia eſt in oppoſitum, ut teſtatur Diana 6. *part. tract.* 6. *reſolut.* 51. Antonius à Spiritu ſancto *in direct. regul. tract.* 2. *diſputat.* 3. *sect.* 2. *num.* 70.

Alia ad idẽ referuntur, & approbãtur.

136. Sed poſſe Epiſcopum cum hujuſmodi homicida utroque modo occulto diſpenſare, ut in ordinibus ſacris jam ſuſceptis miniſtret, juſta interveniente cauſa, etiamſi non detur caſus urgentis neceſſitatis, nec difficilis recurſus ad Pontificem; docet Henriquez *de excommunicat. lib.* 14. *cap.* 19. *num.* 1. Antonius à Spiritu ſancto *num.* 71. & probabile reputat Leſſius *lib.* 3. *cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 35. & in caſu urgentis neceſſitatis, & non facilis recurſus ad Papam, Diana 9. *part. tract.* 7. *reſolut.* 22. *& tract.* 8. *reſolutione* 52. cum Avila, & Cornejo. Imò in caſu dictu urgentis neceſſitatis poſſe diſpenſare cum homicida occulto voluntario, ut ad Ordines ſacros promoveatur, ut ſi vir gravis paratus jam quoad omnia ad ſacrum Ordinem ſuſcipiendum, pridie illius, quo ordines conferebantur perpetravit homicidium, & ſi non ordinatur, ut Author homicidii cum diſcrimine vitæ haberetur, quod evadit periculum Ordines ſuſcipiendo, docet Fragoſ. *tom.* 2. *lib.* 8. *diſput.* 18. § 9. *num.* 20. & cum eo N. Antonius a Spiritu ſancto *diſput* 3. *num.* 73. qui etiam probabile reputat cum Pellizzar. quem refert Diana 10. *part. reſolut.* 38. *tract.* 13. poſſe Epiſcopum diſpenſare abſolutè cum mandante, & conſulente homicidium voluntarium: quia propriè non dicitur homicida voluntarius, niſi ille, qui occidit. Sed oppoſitum habetur *ex cap. ſi quis viduam, diſtinct.* 50. *cap. ult. de homicid. in* 6. *cap. ſicut dignum, de homicidio.* Videantur quæ diximus *tract.* 10. *de cenſuris, c.* 8. *num* 7.

Poſſunt regulares diſpenſare in omnibus irregularitatibus, in quibus poſſunt Epiſcopi.

137. Quibus ſuppoſitis, aſſerendum eſt, poſſe regulares confeſſarios cum ſæcularibus diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto provenientibus, in quibus hucuſque diximus poſſe Epiſcopos cum ſuis ſubditis diſpenſare. Sic tenent Leander a Murcia *in capite* 7. *regular. cap.* 98. *num.* 62. citans Sanchez, Trullench. & Dian. Urbanus ab Aſcenſione *tractatu ſecundo, diſtinct.* 1. *capite primo, regul.* 13. Bauny *tomo ſecundo, tractatu undecimo, quæſtione* 58. *dict.* 4. Belaſius *verb. irregularitas, numero duodecimo*, Portell. *prima parte, reſponſ. moral. caſu* 3. Lezana *tomo quarto, verbo Confeſſor. numero decimo*, Pellizzar. *tractatu octavo, capite* 3. *sect.* 2. *num.* 9. Vega *in ſumm. verbo abſolut. caſu* 44. Rodriguez *in Bullam*, §. 9. *numero decimo tertio*, Bruno *tractatu quinto, capite quarto, propoſit.* 1. Antonius à Spiritu ſancto *tractatu ſecundo, diſputatione tertia, sect.*... *num.* 65. Sorbus *verbo abſolutio, quoad fratres, & ſæculares, in reſolution. concluſione ſecunda*, Martinus à ſancto Ioſeph. *in compend. facultatis, Confeſſor. verbo diſpenſare, numero tertio, & quarto*, & alii, quos citavimus, & ſequuti ſumus *tomo ſecundo, tractatu decimo, de cenſuris, capite ſeptimo, numero* 63. ¶ Hanc aſſertionem probant plures ex his Authoribus hoc diſcurſu. Quia irregularitas, quæ provenit ex delicto, vel eſt cenſura, ut plures ſatis probabiliter dicunt, quos dedimus *tractatu decimo, de cenſuris, capite primo, numero undecimo*, vel ſolum pœna Eccleſiaſtica, ut nobis ibidem probavimus; ſive unum, ſive aliud dicatur, poſſunt regulares illas omnes relaxare, quas poſſunt Epiſcopi, ob ſua privilegia illis concedentia quod ab omnibus cenſuris, & pœnis poſſent abſolvere, ob quas non eſſet Sedes Apoſtolica conſulenda, ut ſuprà vidimus, & ex conceſſione Eugenii IV. pro Benedictinis, & Pauli III. pro Ieſuitis, conſtat: ſed ob has, quæ Epiſcopus jure Ordinario poteſt relaxare, non eſt Sedes Apoſtolica conſulenda: ergo in illis poſſunt diſpenſare regulares. Hac ratione probant graviſſimi Doctores poſſe confeſſarium per Bullam Cruciatam electum abſolvere pœnitentes, ab omnibus irregularitatibus, ex delicto provenientibus: quia Bulla ad omnes cenſuras, & pœnas concedit facultatem; & irregularitas, vel eſt cenſura, vel pœna, quos abundanter dedimus *loco citato, de cenſuris, capite ſeptimo, num.* 65. ¶ Sed nos oppoſitum ibi ſequuti ſumus: quia irregularitas non eſt cenſura; & eſto ſit pœna Eccleſiaſtica, quando provenit ex delicto; attamen ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ, in generalibus conceſſionibus abſolvendi ab omnibus pœnis, non conceditur facultas relaxandi irregularitatem, niſi de ea fiat expreſſa mentio, ut teſtantur Avila, Henriquez, Antonius Gomez, quos ibi citavimus. Sed ſtylus Curiæ Romanæ circa tales conceſſiones, & Bullarum intelligentiam facit jus, ut conſtat *ex cap. ex literis, de conſtitutionibus, cap. quam gravis, de crimine falſ.* ergo, &c.

Præcedens aſſertio manifeſto privilegio probatur.

138. Aliter ergo probanda eſt aſſertio ex privilegio Bullato Sixti IV. Bulla 9. pro Minimis conceſſa, quam adducit Lezana, Henriquez, Portell. *locis citatis*. Quam poſtea confirmaſſe Iulium II. conſtitutione ſua, quæ incipit, *Dum ad ſacrum Ordinem Minimorum*, teſtatur Peyrin. *ad conſtitut.* 1. *Iulii II.* §. 25. ubi confeſſariis illorum concedit facultatem *ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & ſuper quacumque irregularitate ordinaria, tam a jure, quam ab homine reſervatis, toties, quoties opus fuerit abſolvendi, & diſpenſandi, ac vota quæcumque permutandi, ſicut poteſt Diœceſanus.* ¶ Nec obſtat, quod aliqui objiciunt, quod illa facultate Minimi non utuntur: ſed hoc Deus ſcit. Verumtamen ſive utantur, ſive non, per non uſum non amittunt privilegium, maximè gratioſum, & non oneroſum, ut eſt iſtud, ut *ſuprà capite ſecundo, numero* 13. probavimus. Et poſito, quod Minimi illo jam non poſſent uti, ratione non uſus; alii tamen regulares in eorum privilegiis participantes, illo uti poſſunt: quia non participant in privilegiis eorum quoad non uſum; nam non uſus, privilegium non eſt: ſed participant in illo jure utendi. ¶ Nec ſimiliter obſtat, quod alii dicunt hoc privilegium tantum valere pro Prælatis, qui tantum illa facultate uti poſſunt: quoniam cum abſolutum exiſtat, non debet ad Prælatos reſtringi; nec debet diſtinctio fieri, ubi ius non diſtinguit. ¶ Nec denique obſtat, quod dicit Portell. & alii ſuprà relati, quod licet confeſſariis ſit hoc privilegium conceſſum, verum eo uti non conſulerent

fulti illa ratione, quod nuſquam accidit regularem uſum fuiſſe illa facultate. Cæterum hæc cautela non minus eſt ſcrupuloſa: non enim uſus hujus privilegii eſt publicus, ſed admodum ſecretus, utpotè in Sacramento Pœnitentiæ. De quo proinde an fuerit, vel non, ſolus Deus poteſt judicare. Facultatem vidimus, & tot graviſſimos Doctores illam admittentes, alicubi revocatam nemo adſtruit: cur illa uti non poſſent regulares, ſicuti in ſententia probabili poſſunt omnes confeſſarii à talibus abſolvere virtute Bullæ Cruciatæ? nec invenimus in hoc minora inconvenientia, quam in uſu hujus indulti: ſed ſi ſecreto, & cum magna cautela in utroque caſu fiat.

139. Deniquè poſſunt regulares cum ſæcularibus diſpenſare in omnibus pœnis Eccleſiaſticis, dummodo ſint occultæ, & extra Bullam Cœnæ contentæ, ut ſunt inhabilitates ad officia, beneficia, privationes dignitatis, vocis, loci, &c. ut conſtat ex privilegio Eugenii IV. pro Benedictinis, & Pauli III. pro Patribus Societatis, in quibus conceditur facultas abſolvendi à quibuſcumque peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & ſententiis, cenſuris, & aliis pœnis, ex eis reſultantibus Eccleſiaſticis extra Bullam Cœnæ. Fragoſo *libro ſecundo, cap. 2. diſ. 24. §. 7.* Cruz *lib. 2. cap. 6. dub. 6. concluſione ſecunda*, Lezana *in mari magno Heremit. S. Auguſt. §. 47. num. 124.* Urbanus *tractatu 2. diſt. 2. c. 6. regul. 15. pag. 390.* Bruno *tract. 5. c. 4. propoſit. 1.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 2. diſp. 3. ſect. 2. n. 76.*

PUNCTUM III.

De privilegiis regularium circa receptionem, & adminiſtrationem aliorum Sacramentorum, & Miſſæ celebrationem remiſſivè.

Acta alibi recenſentur.

140. Hic proprius locus erat agendi circa ea, quæ in titulo hujus puncti continentur, poſtquam à nobis actum eſt de illorum privilegiis circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Sed quia de his actum eſt à nobis in diverſis locis in præſentiarum, ea prætermittimus. Nam de ſingulis Sacramentis agentes, & de eorum miniſtris, egimus qualiter ea adminiſtrare poſſent regulares, & in quibus caſibus, & aliis locis per totum iſtum curſum diſperſis. De Miſſæ celebratione, quo loco, tempore, &c. poſſint ex privilegiis regulares illam facere? *ſupra tract. 15. capite ſeptimo, punct. 4. per totum* egimus: ubi ſpecialiter *n. 98.* qualiter in domibus ſæcularium poſſent altaria erigere, & ibi Miſſas celebrare, & qualiter hoc non ſit contra decretum Concilii Tridentini *ſeſſ. 22.* decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ. Et de prohibitione facta regularibus, quoad multiplex ſtipendium non recipiendum pro eadem Miſſa, latè egimus *dicto capite punct. 5. per totum.* Quare hæc modo prætermittimus.

PUNCTUM IV.

De privilegiis, & obligationibus Concionatorum regularium.

Non requiritur ſacer ordo in prædicatoribus ad concionandum.

141. PRædicandi facultas regularibus non ab Epiſcopis Diœceſanis, ſed à Pontifice proficiſcitur. Et licet poſt Tridentinum licentia obtenta Ordinarii requiratur pro concionibus habendis in Eccleſiis non ſuis, & in propriis Eccleſiis petita benedictio Ordinarii; non eſt tanquam à dante juriſdictionem, aut facultatem, ſed ut conditio requiſita, ut poteſtas à Pontifice accepta, debitè executioni mandetur. Hanc ergo Sede Apoſtolica impertitus diverſis privilegiis regularibus communicatis, ut eſt illud Clementis IV. pro Minoribus, Sixti IV. pro Carmelitis, & Pauli III. pro PP. Societatis; in quo conceditur, ut in quibuſvis locis, Eccleſiis, aut plateis communibus, & viis publicis, & ubicumque locorum, verbum Dei Clero, & populo prædicare poſſint. Ad quod non requiritur, quod ſint in Ordinibus ſacris conſtituti: ſufficit ſi Clerici ſint, prima tonſura initiati, ut conſtat ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Vigore privilegii*, pro Societate Ieſu expedita, illis verbis: *Præſentium authoritate declaramus, ac etiam decernimus veſtrùm unicuique, etiam ad ſacros Ordines non promoto, prædicationis munus exercere potuiſſe, & poſſe.* Quod potius facit juris communis interpretatio, quam privilegium, quo Clericis ſola tonſura initiatis licet prædicare, ut declaravit ſacra Congregatio his verbis: *Munus prædicationis committi poteſt etiam Clerico, qui non ſit in ſacris Ordinibus conſtitutus; non enim alicujus Ordinis ſacri videtur actus eſſe, ne officium divinum interdicto, aut ſuſpenſione a divinis prohibito.* Portel. *verbo prædicare, num. 16.* Diana *tract. 4. de Sacrament. reſolutione 137.* Pellizzar. *tomo ſecundo, tractatu 8. capite 4. ſect. 1. num. 28.* Antonius à Spiritu ſancto *tract. 2. diſputatione 3. ſect. 5. num. 150.* Bruno Caſſaing. *tract. 6. cap. 2. propoſit. 2.*

Ad quid Prædicatores ex Concilio Tridentino, & Lateranenſi teneantur.

141. Quamvis tam ex jure communi in *Extravagant. inter cunctas, de privileg.* & *Clement. Dudum, de ſepultur.* quam ex aliis privilegiis poſſent regulares in ſuis Eccleſiis, & plateis prædicare, nulla facta mentione præſentationis eorum coram Epiſcopo petitionis benedictionis, aut ad Epiſcopum recurſus; modo vero poſt Concilium Tridentinum obſervandum eſt, quod ipſum decernit *ſeſſ. 5. cap. 2.* his verbis: *Regulares vero cujuſcumque Ordinis niſi à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſunt: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis vero quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum ſuperiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſunt.* Quod decretum concordat cum alio Concilii Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ. 11.* ibi: *Ut regularis nullo præcedente examine ad munus a ſuis Prælatis electus, quocumque poſtea prædicaturus acceſſerit de eodem examine, & idoneitate ſua per litteras authenticas, ſeu alias ſui*

examina

examinatoris, & approbatoris Epiſcopus, & aliis locorum ordinarius fidem legitimam faciat.

Peccent mortaliter regulares, qui abſque approbatione Prælatorum prædicant.

143. Ex quibus decretis primo conſtat n[illegible] Religioſos ſive in propriis, ſive in al[illegible]s Eccleſiis populo prædicare, etiamſi alias ab Epiſcopo licentiam obtineret, niſi prius fuerint a ſuis Superioribus de doctrina, & moribus examinati, & approbati, ab eiſque licentiam habuerint; & peccare mortaliter, qui abſque dicta approbatione, & licentia Superiorum (illorum videlicet ad quos ſecundum ſtatuta Ordinis pertinet talem licentiam concedere, qui apud nos eſt P. N. Generalis, & Provincialis) auſus fuerit munus prædicationis in propriis, vel alienis Eccleſiis exercere: quia in re graviſſima contra hoc præceptum Eccleſiæ tam ſanctum operatur, & ob damna, & ſcandala, quæ ex ſimili audacia ex natura rei oriri poſſunt. Et ita tenent Navarrus *in Manual. capite* 25. *numero* 121. Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *capite* 20. *numero* 1. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 7. *num* 27. Portell. *numero* 1. Peyr. *tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 16. Antonius a Spiritu ſancto *numero* 141. Imo incurrere excommunicationem reſervatam Pontifici docent Cerol. *in praxi, verb. mendicantes, numero* 2. *part.* 1. Reginald. *lib.* 18. *numero* 119. Lezana *loco cit. ex Leone X in Concil. Lateran.* Sed certè ibi imponitur talis excommunicatio pro alio caſu diverſo, quamvis *ex cap. excommunicamus, de heretic.* excommunicatione puniantur prædicatores in noſtro caſu: ſed cum non ſit latæ ſententiæ, ſed ferendæ poterunt excommunicari, ſed excommunicati ipſo facto non remanent. Portell. Bordon. *locis citat.* ¶ Peccant etiam mortaliter Prælati, qui ſubditos non idoneos, aut ab eis examinatos de vita, moribus, & ſcientia prædicare permittunt, ob decreta Tridentini, & Lateranenſis, & ob alia inconvenientia, & incommoda ſcandaloſa, quæ inde ſequi timentur. Peyrin. *de ſubdito, quaſt.* 1. *de obedient. capite* 22. Lezana *numero* 1. Anton. à Spiritu ſancto *numero* 141.

Debēt prædicatores Epiſcopis præſentati, & ab eis benedictionē, vel licentiā petere.

144. Sequitur ſecundo, non poſſe Religioſos prædicare, niſi præter examen, approbationem, & licentiam ſuorum Superiorum cum tali licentia, & examine coram Epiſcopo ſe præſentaverint, & ab eo benedictionem petierint ad prædicationem in ſuis Eccleſiis, & in alienis licentiam impetraverint, ut conſtat ex dicto Concilii decreto. Vſus tamen obtinuit, inquit Bordon. *reſolut.* 7. *numero* 15. apud regulares prædicandi in propriis Eccleſiis abſque aliqua Epiſcopi benedictione, quam ſolum petunt pro Adventu, & Quadrageſima, & non pro aliis feſtivitatibus intra annum. Quod probat Pellizzarius *ſupra numero* 16. dicens in hoc ſtandum eſſe conſuetudini. ¶ Sed non approbamus, quod dicit Ceſpedes *de exemptione, cap.* 10. *diſputatione* 105. *numero ſecundo*, Tamburin. *tom.* 2. *diſputatione* 11. *quaſtione ſecunda, numero quinto*, quod regulares, ut prædicent in Eccleſiis aliorum Ordinum, ſolum indigent petita benedictione Epiſcoporum ut in propriis: quia non minus ſunt exemptæ illæ à juriſdictione Epiſcoporum, quam ſuæ; quæ eſt ratio, quare in ſuis non requiratur licentia, ſicut pro prædicatione in parrochiis. Hæc autem non videntur verbis Tridentini conformia: nam ſemel dicit: *In Eccleſiis autem, quæ ſuorum Ordinum non ſunt*: & iterum: *Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſunt.* Quæ cum dicta ſententia non cohærent. ¶ Illud tamen verum judicamus, quod docet N. Lezana *cap.* 20. *numero* 5. Miranda *tom.* 1. *quaſtione* 50. *artic.* 4. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 147. Pellizzar. *numero* 32. quod ad prædicandum in plateis, & in viis publicis nec præſentatio coram Epiſcopo, nec licentia illius requiritur. Et ratio eſt: quia hoc ex privilegiis ſuis facere poſſunt ſine dependentia Epiſcoporum, ut conceſſit Sixtus IV. Carmelitis, Bonifac. IX. Prædicatoribus, Paulus III. Ieſuitis. Sed hæc privilegia abrogata non ſunt a Concilio Tridentino: quia ex illo ſolum habetur, non poſſe ſine benedictione, aut licentia Epiſcoporum prædicare in ſuis, aut alienis Eccleſiis.

In propriis Eccleſiis poſſunt regulares concionare petita, licet non obtenta benedictione Epiſcopi.

145. Imo ad prædicandum in propriis Eccleſiis, ſufficit ſola petitio benedictionis ab Epiſcopo, etiamſi eis denegetur, hoc eſt petita, & non obtenta (per benedictionem intelligo licentiam, ſicut in Religionibus benedictionem pro aliquo a Prælato recipere, eſt licentiam ad id obtinere: aliud eſt de benedictione, quæ inter Miſſarum ſolemnia ad prædicandum ab Epiſcopo, vel eo abſente, à Sacerdote celebrante recipitur; quæ non eſt licentiæ conceſſio, ſed quædam divini auxilii deprecatio, ut verbum Dei fructuosè diſſeminetur) quia Concilium ponit diſcrimen inter prædicandum in propriis Eccleſiis, & alienis; quod ad illud ſufficit petitio benedictionis; ad iſtud, quod licentia ab Epiſcopo obtineatur: Ergo hoc ipſo, quod regularis Epiſcopo præſentetur, & benedictionem petat, ſive juſtè, ſive injuſtè deneget, adimplet, quod à Concilio exigitur; & ſic poterit in ſuis Eccleſiis concionari: maximè quia quando in jure requiritur non ſolum quod benedictio, aut licentia petatur, ſed quod obtineatur; id exprimitur *cap. omnis utriuſque ſexus, de pœnitentiis, & remiſſionib. cap. ſuper cathedram, extravag. de ſepultur.* Sic Lezana *numero tertio*, Pellizzar. *numero ſecundo & 5.* Bordon. *reſolut.* 7. *numero* 21. Henriquez *libro ſexto, de Pœnitent. capite* 13. *numero* 4. Bruno *tractatu* 6. *cap.* 3. *propoſ* 1. Peyrin. *de ſubdito tom.* 1. *quaſtione prima, cap.* 22. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 143. Quod conſtat ex declaratione S. Congregationis Cardinalium anno 1597. quam refert Henriquez, & alii tenoris ſequentis: *Sacra Congregatio cenſuit, quod regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare volentes, non teneantur ab Epiſcopo licentiam obtinere; ſed tantum à ſuis Superioribus examinati, Epiſcopo perſonaliter ſe præſentare, ab eoque petere benedictionem, tametſi eam minime obtinuerint.* ¶ Quod ego intelligo etiamſi benedictio, aut licentia ex juſta cauſa, & non ex paſſione, aut malevolentia negata ſit: quia ſi ex odio, aut alio pravo affectu Epiſcopus licentiam denegaret, etiam in Eccleſiis non ſui

Ordinis poſſet regularis, qui illi ſe humilitet præſentavit, & ab eo benedictionem, & licentiam petivit, prædicare; tametſi Concilium petat ab Epiſcopo licentiam obtinere debere: quia petita licentia, & iniuſtè negata, in jure habetur pro obtenta, ut inquit Tamburinus *tomo ſecundo, diſputat.* 15. *quæſt.* 2. Lezana *numero tertio*, Pellizzar. *numero ſecundo*, Quemadmodum ſupra *num.* 61. diximus de Confeſſoribus, quibus Epiſcopus ex malevolentia approbationem denegaret, quod poſſent nihilominus ſæcularium Confeſſiones audire: quia approbatio petita, & injuſtè negata, habetur pro conceſſa.

Etiam prædicante Epiſcopo, poſſūt regulares concionari.

146. Etiam prædicante Epiſcopo poſſunt regulares ſuo munere prædicationis uti; dummodo nec contradicat illa hora prædicare, nec ſit conſuetudine oppoſitum receptum, aut aliunde Epiſcopo conſtet talem concionem diſplicere: quia licet *in Clement. Dudum, & Extravaganti. Inter cunctas*, illis concedatur facultas conciunandi, *Hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari*, in aliis privilegiis id non ſpecialiter excipitur: ſingulariter in illo Pauli III. pro Ieſuitis, in quo pro omni loco, & tempore, nulla exceptione facta, facultas concionandi conceditur. Suarez *tomo quarto, libro nono, capite primo, num.* 30. Pellizzar. *tractatu* 8. *capite quarto, ſection.* 1. *numero* 35. Lezana *cap.* 20. *numero ſexto*. Antonius à Spiritu ſancto *numero* 149. Poſſunt etiam in Diœceſibus ubi licentiam Epiſcopi habent, in Eccleſiis parrochialibus, etiam contradicentibus parrochis, ſuum munus exercere. Tum: quia jam habet ab Epiſcopo facultatem, qui Superior parrochis eſt. Tum etiam: quia ita conceſſit Alexander IV. Minoribus, & Prædicatoribus Bullato privilegiato, quod poſtea confirmavit Sixtus IV. pro Carmelitis, ut videre eſt apud Caſarub. *verbo Prædicatores, numero* 4. 12. & 14. in quo quamvis dicatur: *Abſque tamen parrochialium præjudicio*; intelligitur in decimis funeralibus, &c. non in hoc puncto, in quo nullum præjudicium infertur. Maximè: quia ipſi jus non habent impediendi prædicationem in ſuis Eccleſiis, de licentia ſui Epiſcopi ſumptam. ¶ Nec obſtat, quod *in Clementin. Dudum, & Extravagant. ſuper Cathedram, de ſepultur. & Extravagant. Inter cunctas, de privilegiis*, dicitur, quod in Eccleſiis alienis non poteſt regularis prædicare ſine beneplacito, aut licentia Rectoris, aut Superiorum illarum Eccleſiarum. Reſpondetur: quod qui ab Epiſcopo habent facultatem, jam habent beneplacitum Superiorum illarum Eccleſiarum. Quamvis aliqui dicant, hæc jura revocata eſſe per Alexandrum IV. cuius verba refert Caſarub. ſupra, & ſunt iſta: Alexander IV. *conceſſit, quod Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minorum poſſent prædicare populis de licentia Romani Pontificis, aut Legatorum ejus, vel Diœceſani, ſeu Ordinarii abſque aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Eccleſiarum, ac Sacerdotum parrochialium aſſenſu.* Expediens tamen non erit iis privilegiis uti, repugnantibus parrochiis, ne jurgia, & ſcandala oriantur, & fructus ex verbi Dei prædicatione exoptatus areſcat. Pellizzar. *ſupra num.* 33. Miranda *in manual.* 1. *parte, quæſt.* 50. *articul.* 4.

Status difficultatis proponitur.

147. Major autem, aut gravior eſt difficultas, an repugnante, & contradicente Epiſcopo, poſſit regularis in propriis, vel alienis Eccleſiis prædicare? Quæ difficultas (ut reor) præcipuè currit, poſteaquam benedictionem, vel licentiam Epiſcopi accepit, & ipſe retractatus prædicationi regularis reſiſtit. Nam ſi ab initio cum primo regularis Epiſcopo præſentatur, ipſe contradicit, certum eſt non poſſe, in alienis Eccleſiis prædicare; cum Concilium petat, quod ab eo non ſolum licentiam petat, ſed quod illam obtineat; niſi fortè illam injuſtè, & ex malo affectu neget: quia jam ut diximus, habetur pro obtenta. In hoc ergo caſu procedit quæſtio: an nimirum, ſi quando regularis præſentatur Epiſcopo, & ut prædicet in ſua Eccleſia, petit benedictionem, non ſolum negat eam, ſed contradicit ne Religioſus in ſua Eccleſia prædicet, vel poſtquam ab Epiſcopo recepit licentiam ad prædicandum in Eccleſiis non ſuis, Epiſcopus ob particulares rationes contradicat, ne prædicet in eis, poſſit nihilominus prædicare? Semper tamen erit melius a prædicatione abſtinere, ne illi reſiſtente Prælato maxima inconvenientia conſurgant. Sed aliud eſt, quod melius, & convenientius erit, ad præcavenda incommoda, & ſcandala; aliud quod ex jure habetur. Hoc inquirimus.

Etiam repugnante Epiſcopo poſſunt regulares prædicare.

148. Ad quod reſpondemus affirmativè. Et probatur ſic: quia ex jure communi *Clementin. Dudum, de ſepultur. & Extravag. ſuper cathedram, eodem titul. & extravaganti Inter cunctas*, regularibus conceditur facultas ubique ſive in propriis, ſive in alienis Eccleſiis prædicandi independenter ab Epiſcopis, & ſolum in duobus caſibus ponitur ab illis dependere taliter, quod ſi contradicant, non poſſint prædicare. Primo: quando Epiſcopus prædicare vult. Secundo: quando vult coram ſe facere ſolemniter prædicare: ergo in aliis caſibus præter iſtos, poterit ex his juribus, adhuc contradicente Epiſcopo prædicare. Quæ jura per Tridentinum minime revocantur: quia ab illo ſolum petitio benedictionis pro prædicatione in Eccleſiis propriis exigitur. Et ut diximus, etiam ſi negetur, poterit regularis prædicare; & multo magis, ſi poſt benedictionem datam reſiſtat, & quod in alienis licentiam recipiat: qua ſemel data, quod Tridentinum præcipit, impletur. Nec ponit, quod ſi poſtea Epiſcopus neget, aut contradicat, regularis non poſſit prædicare: ſed his poſitis relinquit illum juri communi, ſecundum quod ſolum in duobus caſibus dictis, contradicente Epiſcopo, nequit prædicare; non in aliis; quin potius exceptio firmat regulam in contrarium. Ita Peyrin. *tomo tertio, privil. capite ſecundo, numero nono*, Pellizzar. *ſupra numero quarto*, Barboſ. *de officio, & poteſt. Epiſc. parte tertia, allegation.* 73. *numero* 16. & *ad caput ſecundum Concilio ſeſſ.* 5. *numero* 18. & 19. ubi refert ita deciſum fuiſſe a S. Congregat. 30. Iunii ann. 1629. Bordon. *tom.* 2. *reſolut.* 7. *numero* 15. Villaloh. *tomo ſecundo, tractatu* 25. *difficult.* 5. *numero quarto*, Miranda *tomo primo*,

q.50. art.3 concl.1. Diana *3. part. tract. 2. reſol.58.* Vega *in Summ. tomo ſecundo, cap.86. caſu* 40. Rodriguez *tom.3. quæſt.32. artic.5.* Reginald. *lib.18. num.113.*

Objectio difficilis proponitur, & illius ſolutio.

149. Sed contra hoc eſt difficilis objectio: quod Tridentinum *ſeſſ.24. cap.4.* dicit: *Nullus autem ſecularis, ſive regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum contradicente Epiſcopo prædicare præſumat.* & Gregorius XV. in conſtitutione, quæ incipit: *Inſcrutabili*, dicit: *ac demum habeat Epiſcopus tanquam dictæ Sedis delegatus authoritatem coërcendi, ac puniendi quoſcumque exemptos, tam ſeculares, quam regulares, qui in alienis Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint.* ¶ Reſpondetur, quantum attinet ad conſtitutionem iſtam Gregorii XV. ſuſpenſa eſt pro Regnis Hiſpaniæ, ut docet Lezana *tomo primo, parte prima, capite 19. numero 35, & cap. 20. numero tertio.* Sed etiam ubi viget, contra aſſertionem dictam vim non habet: quia tam conſtitutio Gregoriana, quam decretum Tridentini, loquuntur in eodem ſenſu, ac in eiſdem caſibus conformiter ad jus commune. Unde quia in illo decretum erat, quod quando Epiſcopus prædicat, vel coram ſe vult facere ſolemniter prædicare, ipſo contradicente, regulares non audeant nec in propriis, nec in alienis Eccleſiis prædicare. Hoc ipſum præcipit Concilium, ut S. Congregatio apud Barboſ. explicuit. Nec enim per illa verba intendit Concilium revocare jus commune, cum nulla in eo decreto detur clauſula revocatoria illius; ſed ſe illi vult conformare, & innovare per ſuum decretum quod jus commune antiquum, & fortè antiquatum decreverat. Totum enim illud caput exhortatorium eſt ad Epiſcopos, ut vel ipſi populo verbum Dei frequenter propinent, vel ſi non potuerint, faciant alios coram ſe prædicare. Et ſtatim addit verba propoſita, in quibus conformiter ad jus antiquum præcipit, ne regulares audeant contradicente Epiſcopo prædicare; utique in caſibus, in quibus ex jure illo contradicente prædicare non poſſent, ut ſic jura juribus conſonent, & concordentur, ut dicitur *in cap. Eccleſia veſtra 2. de electionibus.*

Aliquæ difficultates obiter deciſæ attinguntur.

150. Aliquæ modo poterant excitari quæſtiones. An, nimirum poſſet Epiſcopus ſemel præſentatos, aut ab eo licentiam adeptos poſſit cogere, ut iterum præſentententur, vel licentias datas ſuſpendere? An præſentatus, aut licentiatus pro una Diœceſi poſſint in quacumque Diœceſi prædicare? Verum quia circa hoc Prædicatores, & Confeſſores parificantur ab omnibus, quod ſupra diximus circa Confeſſores, idem ſentiendum eſt de Prædicatoribus. Sed quidquid ſit de illa opinione, an ſit probabilis, vel non, quod Confeſſor, aut Prædicator ſemel ab uno Epiſcopo approbatus ubique ſuum munus exercere poteſt? Independenter ab hac opinione, illam quæſtionem reſolvam, quæ ſolet apud nos multoties excitari, quæque Priores parum in his materiis peritos magnum negotium faceſſivit. An nimirum Prædicator, qui ab Epiſcopo Salmantino v. g. licentiam obtinuit, ſi ab oppidanis alicujus loci Diœceſis v. g. Abulenſis, Segovienſis, Zamorenſis, aut Valliſoletanæ, quæ ſunt illi confines, pro aliqua vel aliquibus concionibus vocetur, poſſit in illo loco extra Diœceſim Salmantinam prædicare, non obtenta prius licentia ab Epiſcopo loci, in quo prædicaturus eſt?

Caſus frequenter occurrens reſolvitur.

151. Reſpondetur affirmativè. Et hoc ex triplici capite. Primum: quia licet in alienis Eccleſiis abſque Epiſcopi licentia nullus prædicare poſſit, etiam à parrocho invitatus, ut declaravit Clemens VIII. apud Barboſ. *capite quarto, Concilii ſeſſione vigeſimaquarta, numero ſeptimo*; poteſt tamen parrochus dare licentiam viro docto, aut Religioſo, ut bis, vel ter concionetur in ſua Eccleſia ſine Epiſcopi approbatione, ut docent Diana *tertia parte, tract.2. reſol.111. & quarta parte, tractatu quarto, reſolutione vigeſimaprima,* Bordon. *tomo ſecundo, reſolutione ſeptima, numero vigeſimoquarto,* Rodriguez *tomo tertio, quæſtione trigeſimaſecunda, articulo primo,* Barboſa *numero nono,* Navarr. *in Manual. capite vigeſimoquinto, numero 141.* Henriquez *libro ſeptimo, de Indulgent. capite decimoſexto,* Antonius à Spiritu ſancto *in Director. regul. tractatu ſecundo, diſputatione tertia, ſectione quinta, numero 145.* ¶ Secundum: quia licet regulares ſemel approbati ab uno Epiſcopo non poſſent ubique prædicare, quando in alia Diœceſi collocat domicilium; at quando ſunt tranſeuntes, vel in itinere, poſſunt in quocumque loco prædicare (ſicuti de Confeſſoribus diximus ſupra) non contradicente proprio parrocho, & non exiſtente in eodem loco Epiſcopo, ex conceſſione Gregorii XIII. facta Societati Ieſu: qua per communicationem frui poſſunt alii Religioſi. Villalobos *tomo ſecundo, tractatu trigeſimoquinto, difficultate quinta, numero ſecundo,* Ioannes de la Cruz *de ſtatu Religioſ. libro primo, capite ſexto, dubio ſecundo, concluſione tertia,* Miranda *articulo quarto, concluſione prima,* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. parte ſecunda, allegat. 76. numero vigeſimoſexto, & vigeſimoſeptimo,* Antonius à Spiritu ſancto *numero 156.* Diana *tertia parte, tractatu ſecundo, reſolutione 111.* Religioſi autem extra locum ſui domicilii ſemper ſunt tranſeuntes, & quaſi in itinere. Et ſic ex hoc capite in dictis locis quandiu ad illam Diœceſim domicilium non mutaverint, prædicare poterunt. ¶ Tertium: quia juxta multorum ſententiam, Epiſcopus à quo debet vel Confeſſarius approbari, vel prædicator licentiam accipere, eſt Epiſcopus ipſius Religioſi, ſeu illius Diœceſis, in qua ipſe habet domicilium: & ſic quandiu domicilium non mutaverit, quocumque pergat, ſecum affert ſufficientem licentiam, & approbationem, ut ubilibet, ubi tanquam advena, & hoſpes exiſtit, poſſit confiteri, & prædicare. Ita plures, quos refert, & ſequitur Dicaſtillo *de Pœnitent. diſputatione decima, numero 245.* Tancredo *tractatu primo, diſputatione ſecunda, quæſtione quinquageſima ſecunda,* Candidus *diſquiſit. 24. articulo 6. dub. 8.* Thomas Hurtado *tomo ſecundo, tractatu duodecimo, capite primo,*

dub:

dub. 62. numero 2047. Antonius à Spiritu ſancto *in Director. Confeſſ. tomo primo, tractatu quinto, diſputatione decima tertia, ſectione ſexta, numero* 867. Baſſæus *verbo Confeſſarius* 3. *numero nono*, & alii, quos refert, & ut probabile ſequitur Diana *prima parte, tractatu undecimo, reſolutione ſeptima, & parte quinta, tractatu duodecimo, reſolutione* 53. *& parte tertia, tractatu quarto, reſol.* 110.

Nequeunt Epiſcopi regulares côcionatores examinare; ſed hoc pertinet ad eorû Prælatos.

152. Sed modo inquires primo: an poſſint Epiſcopi regulares examinare, qui illius licentiam ad prædicandum in alienis à ſuis Eccleſiis expoſtulant, & iſti examini Epiſcoporum ſe ſubjicere teneantur? Aliqui affirmant. Tum: quia ſic declaratum fuiſſe à Sacra Congregatione Cardinalium 22. Ianuarii, anno 1628. teſtatur Barboſ. *ad caput ſecundum, ſeſſionis quinta, numero vigeſimo,* Diana *quarta parte, tractatu quarto, reſolutione vigeſimaſecunda*, in qua dicitur: *Poſſe Epiſcopos examinare regulares prædicaturos in Eccleſiis ſuorum Ordinum.* Tum etiam: quia pro prædicatione in Eccleſiis non ſuis requiritur licentia Ordinarii non ſolum petita, ſed obtenta: ſed hanc nequit Epiſcopus prudenter dare, niſi examinet miniſtrum, ut ei conſtet de ejus ſufficientia: ergo, &c. Tum denique, quia ita habet plurimorum praxis Epiſcoporum, qui volunt regulares examinar. prædicaturos in alienis Eccleſiis, licet ſint a ſuis Prælatis approbati.

153. Sed dicendum eſt non poſſe Epiſcopos, regulares examinare, nec approbare ad prædicandum, etiam in Eccleſiis non ſuis; ſed hoc ad eorum Prælatos expectare, & ad Epiſcopos videre, an verè approbationem idoneitatis à Prælatis habeant? & hac exhibita, ſine alio examine eis licentiam præbere. Et probatur primo, ex conſtitutione Leonis X. relata in Bullario *tomo primo*, in Concilio Lateranenſi edita, quæ incipit: *Supremæ Majeſtatis præſidio*, ubi ſic dicitur: *Sacro approbante Concilio, ſtatuimus, & ordinamus ne nullus tam Clericus ſecularis, quam unuſcuiuſque etiam mendicantium Ordinis regularis, aut quivis alius, ad quem facultas prædicandi tam de jure, quam de conſuetudine, aut privilegio, aut alias pertinet ad huiuſmodi officium exercendum, admittatur, niſi primo per ſuperiorem ſuum reſpectivè diligenter examinatus*, ubi illa verba: *per Superiorem reſpectivè* inſinuant, quod Religioſi à ſuis Prælatis, ſæculares ab ordinariis examinari debent: & conſequenter illi non ab Epiſcopo ſunt examinandi. Quod magis explicuit ſequentibus verbis: *Quocunque prædicaturus acceſſeris de huiuſmodi examine, & idoneitate ſua per litteras authenticas, ſeu alias ſui examinatoris, approbatoriſque, Epiſcopus, & aliis locorum Ordinarius fidem legitimè faciat.* Non ergo Epiſcopus eſt legitimus examinator, ſed ſui Superioris examini ſtare debet, ſi examinandus eſt de ſuo examine, & idoneitate per litteras authenticas fidem faciat. ¶ Secundo: quia Concilium Tridentinum *capite ſecundo, ſeſſione quinta, de reformation.* verbis ſupra relatis hoc diſponit: quod regularis prædicare intendens a Superiori ſuo de vita, moribus, & ſcientia examinatus, & approbatus, obtenta ab eo licentia, cum ea perſonaliter ſe coram Epiſcopo præſentare debeat, & ab eo benedictionem petere ſi in Eccleſia ſui Ordinis. Quod ſi in aliena, quæ ſui Ordinis non ſit, ultra licentiam ſui Superioris, etiam Epiſcopi licentiam habere teneatur: ergo vult, quod examen non ab Epiſcopo fiat; ſed à Superiori regulari. ¶ Quod inſtari poteſt: nam quando Concilium vult hanc poteſtatem ſupra regulares concedere, id exprimit, ut fecit *ſeſſione vigeſimatertia, capite decimoquinto*, agens de Confeſſuribus ſæcularibus, ubi dicit: nullus etiam regularis ad id idoneus reputetur, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut licentiam ab Epiſcopis obtineat per examen, &c. hic enim examen, & licentiam ad Epiſcopos pertinere declarat, in noſtro caſu examen ad Prælatos pertinere, ad Epiſcopos autem licentiam concedere: nun ergo tenentur ſe ſubjicere prædicatores examini Epiſcoporum. Sic Diana *tertia parte, tractatu ſecundo, reſolut.* 151. *& quarta parte, tractatu quarto, reſolutione vigeſimaſecunda.* Bruno *tractatu ſexto, capite ſecundo, propoſit.* 3. Antonius a Spiritu ſancto *tractatu ſecundo, diſputatione tertia, ſectione quarta, numero* 151. Hieronym Rodriguez *in Compend. quæſtionum Regularium, reſolut.* 112. *numero primo*, Pellizzar. *tractatu octavo, capite quarto, ſectione prima, numero vigeſimoſecundo*, Bordon. *tomo ſecundo, reſolutione ſeptima, numero decimoſexto*, Barboſ. *de poteſtat. Epiſcop. parte tertia, allegat.* 76. *numero vigeſimotertio.* Miranda *tomo primo, quæſtione* 50. *articulo ſecundo*, Peyrin. *tomo tertio, privileg. capite ſecundo, numero decimo*, Campanil. *Rubric.* 1x. Ceſped. *de exempt. diſputatione* 194. *num.* 3.

154. Nec in oppoſitum objecta obſtant: nam ad ſecundum dicimus, quod hoc ipſo quod Epiſcopis de examine, & licentia Superiorum fides ſit facienda; jam ipſi conſtare poteſt de ſufficientia miniſtri, & prudentiſſimè licentiam conferet, ſtando Prælatorum approbationi, ad quos examen de jure, & privilegiis pertinet. Et ſi oppoſitum ex praxi habeatur (quod tertia probatio dicit) hoc ideo eſt, quia ad dicta jura aliqui Epiſcopi nun attendentes, falcem nituntur mittere in meſſem alienam, & plus quam ipſis à Conciliis permittitur, ſibi regulares ſubjicere, & humiliari contendunt. Quibus ipſi obtemperantes rectè faciunt, ſe humiliando, & Dominorum Epiſcoporum morem gerendo, ad evitanda majora incommoda: Nec ob id perdunt ſua jura, aut privilegia. Declaratio autem Cardinalium, quæ in prima objectione adducitur, vel non eſt authentica, ut inquit Peyrin. vel eſto authentica ſit, loquitur ſecundum id, quod de facto practicatur, non ſecundum id, quod de jure habetur, ut explicat Bordonus. Sed melius cum Pellizzario dicimus, quod ſimplex declaratio Sacræ Congregationis non debet præferri conſtitutioni graviſſimæ Leonis X. in Concilio Lateranenſi, & Concil. Tridentin. maximè cum nun contineat eorum expreſſam revocationem, quod ad derogandum conſtitutionibus Conciliorum generalium neceſſarium erat. Hujuſmodi autem declarationes (inquit Pellizzar.) faciunt ſolum

Objecta in oppoſitum diluuntur.

opinionem

opinionem probabilem; ita, ut non tollant probabilitatem oppoſitæ ſententiæ, ut docet Granad. 2.2. *controverſ.*11. *tract.* 15. *diſput.*14. *ſect.*2. *num.*5.

Octo caſus proponuntur, in quibus prædicatores ab Epiſcopis ſuſpendi poſſunt.

155. Inquires ſecundo. An Prædicatores regulares ſuſpendi a prædicatione, & puniri poſſint ab Ordinariis? Reſpondetur, ſex caſus in jure aſſignari, in quibus poteſt Epiſcopus ſuſpendere prædicatores regulares, eoſque punire. Tres habentur in Concilio Lateranenſ. 5. ſub Leone X. in quibus à prædicatione eſſe ipſo facto ſuſpenſos dicitur, his verbis: *Vt eorum exemplo, alii attentare ſimilia minimè audeant, eis prædicationis officium interdictum eſſe perpetuo decernimus.* Primum eſt. *Si prædicet miracula falſa, aut incerta.* Secundus. *Si prædicet prophetias, quæ in ſacra Scriptura fundamentum non habent, aut à ſede Apoſtolica non ſunt approbata; aut ſaltem ab ordinario, ad hoc trium, aut quatuor virorum eruditorum examine adhibito, ſi tempus ad dictam ſedem accedere non permiſerit.* Tertius. *Si prædicando, de Epiſcopis, vel de ſuis Prælatis detrahat.* Qui etiam caſus habentur *in Clement.* ..*religioſi.* §. *Quibus etiam, de privilegiat. & exceſſib. privilegiat.* Et hunc ultimum caſum Gloſſa ſuper hunc locum ſic explicat: *Intelligo autem hanc litteram cum nominatim detrahunt, vel per circumloquutionem, quæ vim habet proprii nominis; alias in genere bene licet prædicatori tangere vitia Prælatorum: unde Dominus dixit ſuper Cathedram, &c.* Alii tres caſus ex Tridentino habentur *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. in quibus regularis ab Epiſcopo tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato ſuſpendi, & puniri poteſt. Primus: ſi prædicet propoſitiones erroneas. Secundus: ſi prædicet propoſitiones ſcandaloſas. Tertius: ſi prædicet propoſitiones hæreticas: ibi enim dicitur: *Si vero (quod abſit) prædicator errores, aut ſcandala diſſeminaverit in populum, etiamſi in monaſterio ſui, vel alterius ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quod ſi hæreſes prædicaverit, contra eum ſecundum juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat.*

Extra prædictos caſus nequit Epiſcopus regulares prædicatores ſuſpendere.

156. Ex quo ſequitur primo, extra prædictos non poſſe Epiſcopum regularem prædicatorem ſuſpendere, aut contra illum procedere: quia religioſi ab eorum juriſdictione, & correctione exempti ſunt: & ſic contra illos procedere, niſi in caſibus à jure eis conceſſis minime poſſunt, ut diximus *ſupra cap. præcedenti.* Et tunc maximè verificatur axioma illud à Gloſſa *in cap. Paſtoralis, de appellationib.* adductum: quod non invenitur in jure expreſſum, intelligitur eſſe prohibitum. Maximè: quia Epiſcopi jure ordinario non poſſunt contra regulares procedere, cum ſint ab eorum juriſdictione exempti; ſed tantum ut ſedis Apoſtolicæ delegati. Juriſdictio autem delegata ita reſtringi debet, ut non ſe extendat ad ea, quæ in commiſſione non exprimitur, ut probat Riccius *deciſ.* 124. *numero* 5. *part.* 1. Ergo Epiſcopi in aliis caſibus præter prædictos à jure conceſſos, non poterit regulares perturbare: ſed ſi exceſſerint, ad eorum Prælatos diſciplina, & correctio pertinebit: ob idque in dicto capite a Concilio monentur Epiſcopi, his verbis: *Caveat autem Epiſcopus ne quis Prædicator vel ex falſis informationibus, vel alias calumnioſè vexetur, juſtamvè de eis conquerendi occaſionem habeat.* Quaſi Concilium diceret; in tribus dictis caſibus poteſt Epiſcopus, regularem à prædicatione ſuſpendere, in aliis poteſt regularis juſtè de illo conqueri, ſi vexetur.

Non poteſt Epiſcopus regularem abſque ejus licentia prædicantē punire.

157. Sequitur ſecundo: quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, an regularis prædicans in propria Eccleſia, abſque Epiſcopi petita benedictione, vel in aliena abſque illius licentia obtenta, vel eo contradicente, ſermonem ad populum habens, in caſibus, in quibus diximus eo contradicente non poſſe munus prædicationis exercere, poſſit ab Epiſcopo ſuſpendi, aut alio modo puniri? Et quidem ſtante illa conſtitutione Gregorii XV. quam ſupra diximus fuiſſe pro Hiſpania ſuſpenſam, & ubi illa viget, nullum in hac parte dubium relinquitur: quia in ea dicitur, quod Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatus habeat authoritatem coërcendi, ac puniendi quoſcumque exemptos tam ſæculares, quam regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, vel ſuorum ordinum, non petita illius benedictione, aut Epiſcopo contradicente, *prædicare præſumpſerint.* Cæterum hac præciſa conſtitutione, quæ pro Regnis Hiſpaniæ non viget, hoc decrevit S. Congregatio anno 1602. cujus verba adducit Flavus Cherubin. *in Compend. Bullar. tom.* 2. *ſup. Bullam* 41. *Pii V.* & ſunt iſta: *Qui abſque licentia Epiſcopi prædicaverint in Eccleſiis, quæ ſuorum ordinum non ſunt, tametſi decreto Concilii contra fecerint, non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo, ſed tantum à ſuis Superioribus regularibus.* Quod certe eſt valde conforme juri communi. Non enim ex eo, quod detur poteſtas Epiſcopis aliquid prohibendi regularibus, datur in caſu inobedientiæ illos facultas puniendi, uti *ſupra cap. præced.* dicebamus. Et ideo *in cap. licet, de officio Vicarii.* Innocentius IV. ſic loquitur: *Quoad in generali jurisdictione delegata, conceſſa ad mandata facienda, & cauſas ventilandas, non intelligitur conceſſa juriſdictio corrigendi, & puniendi exceſſum, niſi ſpecialiter hæc committatur:* ergo in caſibus, de quibus nunc loquimur, licet detur facultas Epiſcopis ſupra regulares, quia illis non conceditur expreſsè juriſdictio illos puniendi, ſi non debitè paruerint; non poterit Epiſcopus illos punire, aut ſuſpendere; ſed hoc ad eorum Prælatos regulares pertinebit. Sic Magiſt. Ioannes à Cruce *lib.*1. *cap.*7. *dub.*2. *concluſ.*1. Bruno *tract.*6. *cap.*4. *propoſ.*1. Lezana *tom.*2. *p.*1. *cap.*10. *num.*3. Antonius à Spiritu ſancto *in Director. regul. tract.*2. *diſp.*3. *ſect.*4. *num.*144.

Exhortationes Concilii Trident. & Lateranenſ. ad prædicatores.

158. Circa id vero ad quod prædicatores tenentur, monet Concilium Tridentin. *ſeſſ.*5. *cap.*2. *Plebes pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant.* Rurſus Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ.*11. prohibet prædicatoribus ne de cætero in ſermonibus ſuis publicis alia quæque futura conſtanter prædicent, nec illa ex Spiritu ſancto aut divina revelatione ſe habuiſſe, affirmare audeant, & alienas, inanes divinationes aſſerendo,

rendo, aut aliquomodo quocumque tractandi aſſumant: ſed ex divino vocis præcepto Evangelium omni creaturæ, cum vitiorum deteſtatione, & virtutum commendatione enucleent, atque declarent: *Evangelicam veritatem, & ſacram Scripturam juxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Eccleſia approbavit, aut in poſterum recipiet.*

159. Debent etiam concionatores regulares in concionibus ad populum uti Evangeliis, & Epiſtolis, quæ leguntur à Clero ſæculari ejus Eccleſiæ ubi degunt, uti decrevit ſacra Congregatio Concil. apud Quarantam *in ſumm. Bullar. verb. privileg. regular.* ¶ Illiſque prohibitum eſt à S. Congregatione, ut refert Gavantus *verbo Concio ſacra, num.* 42. ne inter concionandum pauperes aliquos determinatos commendet ſine licentia Epiſcopi. ¶ Nec poſſunt indulgentias non publicatas, vel approbatas per Ordinarios locorum prædicare, ut habetur in Concilio Tridentin. *ſeſſ.* 21. *cap.* 9. Imo publicantes falſas indulgentias, ſeu indiſcretas, peccant omnino mortaliter contra præceptum illis impoſitum *Cap. Religioſi Clementin. de privileg.* Lezana *tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 10. *num.* 17.

In quibus caſibus peccent prædicatores indebitè ſuũ munus exercentes.

160. Prætereà prædicantes miracula falſa peccant mortaliter, propter præceptum ſub excommunicatione Papæ reſervata impoſitum à Leone X. in Concilio Lateranenſ. *ſeſſ.* 11. quamvis quoad excommunicationem non ſit in uſu, & quia committunt mendacium pernitioſum: quia qui talia prædicant quantum in ſe eſt, tollunt veritatem miraculorum fidei, & ſunt cauſa, quod veris miraculis fides non adhibeatur. Bonacin. *circa* 8. *precept. Decalog. diſp.* 10: *quæſt.* 1. *p.* 2. *num.* 7. Antonius à Spiritu ſancto *tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 4. *num.* 153. Secus autem dicendum eſt de illis, qui in concionibus falſum circa citationes proferunt, ut in numero, capitulo, nomine authorum, aut loco unius alterum citando: quia tunc ſolum venialem culpam committunt, & mendacium: quod cum non ſit circa doctrinam, ſed circa accidentia, non eſt cum proximi præjudicio. Cajetan. 2. 2. *q.* 110. *art.* 4. Azor 3. *p. lib.* 13. *cap.* 1. *dub.* 6. ¶ Qui vero in concionando fabulas, facetias, aut aliquid ridiculum miſcent, regulariter peccant venialiter: quia abutuntur munere ſuo, miſcendo ſacra profanis. Caietan. *q.* 164 *art.* 2. Lezana *cap.* 20. *n.* 16. ¶ Et licet Caietanus *q.* 64. *art.* 6. & alii dicant, peccare mortaliter prædicatores in ſtatu peccati mortalis concionantes; verius tamen eſt, quod docet Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 6. Medina *Cap. de Pœnit. tract.* 1. *quæſt.* 5. Lezana *num.* 15. tantum eſſe veniale: per accidens tamen poſſe eſſe mortale; vel ratione ſcandali ſi concionatoris peccatum publicum ſit, vel quia inde fit, ut verbum Dei fiat contemptibile, & nullius æſtimationis. ¶ Et hæc de toto hoc prolixo nimis tractatu dicta ſufficiant, ad laudem omnipotentis Dei, & B. ſemper Virginis Mariæ de Monte-Carmeli.

TRACTA

TRACTATUS XIX.

DE SIMONIA,

Quæ eſt vitium Religioni oppoſitum.

PROOEMIVM.

POSTQUAM de rebus præcipuis ad religionem pertinentibus, in toto hoc volumine egimus; venit modo tractare de vitiis, & actibus illi oppoſitis. Plura ſunt, & diverſa vitia, ac proinde actus, quæ religioni opponuntur; quæque ab Authoribus paſſim explanantur; ſed de omnibus illis in hoc volumine agere, impoſſibile videtur; ob idque unum tantum explicandum eligimus, quod magis ad praxim neceſſarium judicavimus. Nimirum de *Simonia*, quæ, ut inquit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. eſt vitium religioni omnino contrarium: quia res divinas, & ſacras indebitè tractat, illas venales faciens, & vilibus rebus temporalibus æquiparans. Quæ à Simone Mago nomenclaturam accepit. Nam licèt alios plures ante illum in ſacra pagina, hac labe inquinatos legimus; ille primus fuit, qui in lege nova Chriſti, ut dicitur in *Actibus Apoſtolorum*, *cap.* 8. dona Spiritus ſancti, imo ipſum Spiritum ſanctum pecunia comparare contendit; ut poſtea illa vendere, quæſtumque inde accipere poſſet. Et licèt actus hic pravus Simoniæ, potiùs videatur actus contra fidem, quam contra religionem; & ob id multoties in jure hæreſis dicatur. *Cap. eos qui pecunias*, 1. *q.* 1. *cap. Altare*, 1. *quæſt.* 3. imo in dicto *Cap. eos qui*: dicitur: *Tolerabilior eſt Macedonii, & eorum, qui circa ipſum ſunt impia hereſis, quam Simoniacorum: illi enim Spiritum ſanctum creaturam, & ſervum Dei Patris delirando impiè conſtituebant; iſti vero Spiritum ſanctum efficiunt ſervum ſuum; & ſicut omnis Dominus quod habet, ſi vult vendit ſive ſervum, ſive quidquam eorum, quæ ut Dominus poſſidet; ſic iſti Spiritum ſanctum venditioni ſubjicientes, ſervum ſibi conſtituunt, illius ſe Dominos proclamantes. Cæterum non ob id Simonia hereſis judicanda eſt, niſi procedat ex errore intellectus, quo aliquis licitum putat eſſe, Spiritum ſanctum, & dona illius vendere quam hereſim habuit Simon Magus: quia ut colligitur ex Actor* 8. *Spiritum ſanctum, & bona illius venalia eſſe putabat. Et ſic dixit illi Petrus: pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Verumtamen alii, qui ex avaritia, vel ambitione hoc peſtiferum vitium committunt, præciſo intellectus errore, contra fidem minimè peccant, ſed contra religionem Dicuntur hæretici in jure, vel quia ſimiles ſunt Simoni Mago, qui ex multis capitibus hæreticus fuit, ut probat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. *ad* 1. vel quia, ut inquit ipſe S. Doctor ibi: *Sicut religio conſiſtit in quadam fidei*

proteſtatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde, ita etiam ista oppoſita religioni habent quandam proteſtationem infidelitatis, licet quandoque non ſit infidelitas in mente. Secundum hoc ergo Simonia hæreſis dicitur ſecundum exteriorem proteſtationem: quia in hoc, quod aliquis vendit donum Spiritus ſancti, quodammodo proteſtatur ſe eſſe Dominum ſpiritualis doni: quod eſt hæreticum.

¶ De Simonia ergo ut contraria religioni communiter agunt Theologi *in 4. diſt. 25.* & Commentatores D. Thomæ *2. 2. quæſt. 10.* & Canoniſtæ *in decret. cauſa 1. per 6. primas qq.* & in *Decretalibus*, & *Clementinis*, *ſub titulo de Simonia.* Et Authores graviſſimi, quos toto hoc tractatu adducemus, illum in quatuor partes dividentes. In primo agemus de natura, & eſſentia Simoniæ, de ejus multiplicitate, ac de illis rebus, qui rationem prtetii ſortiuntur, ad rem ſpiritualem comparandam. In ſecundo de materia propria Simoniæ, ſeu de rebus ſpiritualibus, quorum emptio, venditio, commutatio, &c. pro temporalibus, Simoniam conſtituunt. In tertio de actionibus, pactis, conventionibus, quæ ſunt illicitæ, & ſimoniacæ. In quarto denique de pœnis contra Simoniacos in jure aſſignatas, & de his, qui illas incurrunt, atque de illis, qui poſſunt in eis diſpenſare.

CAPUT I.

De eſſentia, & multiplicitate Simoniæ, ac de illis rebus, quæ in illa rationem prætii ſortiuntur.

Caput iſtud continet quatuor puncta.

Punct. I. *De natura, & eſſentia Simoniæ, ejuſque gravitate, ac de his, qui illam contrahere poſſunt*, n. 1.

Punct. II. *De multiplici diviſione Simoniæ, ubi, an ſit ex jure divino, vel Eeleſiaſtico, prohibita?* n. 11.

Punct. III. *De pretio, quod pro re ſpirituali oblatum, conſtituit Simoniam*, n. 19.

§. I. *Quid intelligatur per munus à manu, munus ab obſequio, munus à lingua?* n. 23.

§. II. *Aliqua difficultates circa munus à manu, quod eſt pretium ſimoniæ, explicantur*, n. 34.

§. III. *Aliæ difficultates circa munus ab obſequio deciduntur*, n. 40.

§. IV. *Reliqua difficultates circa munus à lingua explanantur*, n. 49.

Punct. IV. *De contracta emptionis, & venditionis requiſito ad Simoniam*, n. 55.

PUNCTUM I.

De natura Simoniæ ejuſque gravitate, ac de his, qui illam contrahere poſſunt.

1. NATURA, & eſſentia Simoniæ nullo aptiori modo poteſt declarari, quam ejus diffinitionem proponendo. Et licet variæ à diverſis authoribus aſſignentur; illam eligimus, quæ ex D. Thoma 2. 2. *quæſt. 100. art. 1.* colligitur; quamque expreſsè tradit N. Lezana *tom. 4. verbo Simonia, num. 1.* N. Joannes Beets *de decem precept. Decalog. circa 7. precept. expoſit. 2. cap. 6.* quæ ſic ſe habet: *Simonia eſt ſacrilegium, conſiſtens in ſtudioſa voluntate emendi, atque vendendi rem ſacram, ſeu ſpiritualem, vel ſpirituali annexam pro temporali, ut pretio. Sacrilegium* ponitur loco generis, in quo convenit perjurio, fractione voti, violatione Eccleſiæ, &c. & per illud virtus, cui contrariatur, innuitur; nimirum religio: omnis enim indigna tractatio rerum ſacrarum, ad ſacrilegium reducitur, quo Deo, qui author eſt ſpecialis earum irreverentia irrogatur. In quo diſcedemus ab eis, qui irreligioſitatem in ſimonia agnoſcentes, illam à ſacrilegio diſtingunt; & di crimina inter illam, & iſtud nituntur aſſignare, quæ plane non ſatisfaciunt. Nec vidimus quare furtum rei ſacræ, vel in loco ſacro propter irreligioſitatem, quam imbibit, quia indignè circa rem ſacram ſe gerit, ſit ſacrilegium; & irreligioſitas in ſimonia, qua res ſpirituales, & ſacræ vili æſtimantur, tractantur, & deſpiciuntur, atque profanis coæquantur, ſacrilegium non conſtituat? Diffinitio Simoniæ proponitur, & ſacrilegium eam eſſe aſſeritur.

2. Additur: *conſiſtens in ſtudioſa voluntate.* Per hæc, deliberata, & libera voluntas declaratur, qua ſcienter, ac liberè res ſpirituales vult ſubjicere prætio temporali; ut ſic excludatur, qui ex ignorantia, vel inadvertentia, unum pro alio commutare nititur, ut inquit D. Thomas, *art. 1. ad 3.* vel certè ut inquit Victoria, Quid per ſtudioſam voluntatem intelligatur?

ctoria, *in relectione de Simonia num. 3.* Raphael à Torre. 2.2. q.100. *art.1. in paraphraſ. illi⁹ art.* Quia prima Simonia in Eccleſia Chriſti commiſſa, à qua hoc crimen nomen accepit, ſola ſtudioſa voluntate, & conatu commiſſa eſſe dicitur: & ſimul ſubjectum proprium deſignatur hujus vitii, quod eſt voluntas. Nam ſicut intellectus eſt proprium ſubjectum eorum vitiorum, quæ directè ſunt contra fidem, ſic voluntas eſt ſubjectum vitiorum, quæ religioni opponuntur; ſicut ipſa religio in voluntate ſubjicitur, utpotè pars potentialis juſtitiæ, ut inquit D. Thomas 2. 2. q.58. *art.2.* Ponitur autem in diffinitione Simoniæ ſingulariter, quod ex *ſtudioſa*, ideſt, deliberata voluntate procedat: quia tota hujus vitii malitia, in illa voluntate conſiſtit, qua ut prætium intendit dare rem temporalem pro ſpirituali, quo unam cum alia coæquare, & proportionare dicitur, vel qua vult, & intendit pro re ſpirituali commodum temporale, ac lucrum conqoerere, & ad hoc principaliter dirigit ſuum effectum. Qui enim res temporales, pro ſpiritualibus concederet, non ut prætium illarum, nec animo alterum obligandi, ſed gratis ex amicitia, aut ex obligatione dumtaxat antidorali, qua ex gratitudine alium allicere, & flectere ad tribuendam rem ſpiritualem niteretur, non committeret Simoniam, ut dicemus. Tota ergo malicia hujus vitii in illa prava, & inordinata voluntate, & intentione conſiſtit: & ob id ſingulariter in ejus diffinitione, hæc *ſtudioſa voluntas exprimitur:* ſicut ob id inter Simoniæ quaſi ſpecies, *mentalis* Simonia exprimitur, qua mente quis intendit ſpirituale pro temporale, vel è contra adipiſci; quod in aliis vitiis, rarò tale membrum enumeratur.

Quid per emptionem, & venditionem, in diffinitione ſimoniæ intelligatur?

3. Additur in diffinitione: *emendi, atque vendendi.* Quibus verbis, ut quit D. Thomas, q.100. *art.1. ad 3.* omnis contractus non gratuitus intelligitur, ſed onerosus; ut emptio, venditio, locatio, permutatio, tranſactio, ſeu alius quicumque. Quare, qui rem terrenam daret ſub onere, & obligatione ſpiritualem recipiendi, aut è contra dicitur latè emere, aut vendere rem ſpiritualem. Per quod a ratione Simoniæ, contractus gratuiti, & liberales excluduntur. Qui licet circa res ſpirituales omnino vitandi ſint, quia ſpeciem Simoniæ præſeferunt, vel certe illi favent, & diſſimulatè contegunt; vere tamen Simoniaci non ſunt; ut ſi gratis aliquid donetur ad conciliandam voluntatem collatoris beneficii, vel patroni, aut ex gratitudine, antidorali obligationi ſatisfaciat, in collatione, aut præſentatione beneficii, reſpectu illius, à quo munera vel obſequia recepit, præciſo quocumque pacto, aut conditione oneroſa, ideſt, rigoroſam, & ex juſtitia obligationem inducente. Et idem eſt de clerico inſerviente Epiſcopo abſque debito ſtipendio: quod ſi faciat ut loco ſtipendii, quod ex juſtitia debebat accipere, recipiat ab eo beneficium; jam tacitè, ac virtualiter contractus oneroſus intervenit, ac proinde Simoniacus, ut dicemus. Si tamen hoc faciat, vel ut Epiſcopus certificatus de ejus meritis, expeditione, aut capacitate moveatur, ad promovendum eum in beneficio vacaturo, vel ut talibus obſequiis ejus amicitiam, & familiaritatem conſequutus, facilius, & citius illi præbendam conferat; immunis à Simonia reperitur, cum ibi nec formaliter, nec virtualiter pactum oneroſum interveniat; ac proinde nec *emptio*, aut *venditio*; ſed ſolum gratuita donatio, & acceptio pariens antidoralem id eſt ex gratitudine obligationem: quod licet ſapiat, vere tamen non eſt Simonia.

Res ſpirituales, quæ ſunt materia ſimoniæ explicantur.

4. Pergit diffinitio, *rem ſacram, ſeu ſpiritualem, vel ſpirituali annexam.* Per quæ verba non omnis res incorporea intelligitur: ſed nomine rei ſacræ, aut ſpiritualis, quæ eſt objectum, ſeu materia circa quam Simoniæ, ea omnia intelliguntur, quæ a Deo ut authore ſupernaturali, ideſt, ut eſt hominum, & Angelorum Salvator, & Glorificator proficiſcuntur. Quæ ſunt in quadruplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ ſecundum ſuam ſubſtantiam ſunt ſpiritualia, ut virtutes ſupernaturales fidei, ſpei, charitatis, & aliarum infuſarum virtutum, fructus, & dona Spiritus ſancti, gratiæ gratis datæ, ut operatio miraculorum, interpretatio ſermonum, directio ſpirituum, gratia ſanctitatis, &c. Alia ſunt ſupernaturalia, ſeu ſpiritualia cauſaliter activè: quia licet in ſe, & ſecundum ſubſtantiam corporalia ſint; ſunt tamen cauſæ rerum ſpiritualium, ut ſunt omnia ſacramenta, quæ ſunt cauſativa gratiæ, & aliorum donorum, quæ ad illam conſequuntur: ad quæ reducuntur ſacramentalia, ut aqua benedicta, cathechiſmus, exorciſmus, chriſmatis confectio, &c. Alia ſunt ſpiritualia effectualiter, ideſt cauſaliter paſſivè, quia per ſe ſunt ex ſpiritualibus cauſata, ut porè ex poteſtate ſpirituali procedentia, vel operationes ad eam ordinatæ, ut diſpenſare in voto, matrimonio, abſolvere à cenſuris, vel pœnis, & alii quicumque actus juriſdictionis ſpiritualis, orationes fundere, cantare in choro, mortuos ſepelire, &c. Aliæ ſunt res ſpirituales ex annexione; & dicuntur ſpiritualibus annexæ, & ſunt in duplici differentia: vel quia antecedenter connectuntur cum ſpiritualibus, quæ ſemper eſſentialiter ſupponunt, ut ſunt beneficia omnia Eccleſiaſtica. quæ ordinem clericalem ſupponunt, & obligationem ad officium divinum; proindeque in titulo ſpirituali fundantur. Alia, quæ rem ſpiritualem comitantur, vel certè conſequuntur, cum illa connectantur; quia ad illam ordinantur, vel tanquam ad finem, vel effectum, ut ſunt veſtes ſacræ, vaſa ſacra, candelæ benedictæ, reliquiæ Sanctorum, templa, jus patronatus, quod ordinatur ab beneficia præſentanda, &c. Hæc omnia nomine *res ſpiritualis, vel ſpirituali annexa*, in hac diffinitione intelliguntur. De quibus latè toto capite ſequenti agemus, in quo de materia propria ſimoniæ tractabimus.

Aliæ particulæ diffinitionis explicantur.

5. Additur in diffinitione: *pro temporali*, quod eſt prætium oblatum in contractu pro re ſpirituali, quo ſimoniacus conſtituitur: nam in hoc tota ejus malitia conſiſtit, quod res ſpiritualis pro temporali commutatur, vel e contra; quod maxima injuria, & irreverentia rebus divinis; ac proinde Deo ut authori ſpeciali illarum irrogatur; nam hoc ipſo res ſpiritualis deprimitur, vilipenditur, cum rebus vilibus temporalibus æquiparatur, emitur, conducitur, aut locatur. In quo obiter innuitur, ſimoniam regulariter non committi, cum res ſpiritualis commutatur cum alia, ut ſi reliquiam unam pro altera commutes, vel unum calicem conſecratum pro alio calice conſecrato; ſed cum res ſpiritualis, cum re temporali, pretio æſtimabili coæquatur; ut ſi pro pecunia, vel

qi ocumque alio, prætio æſtimabili, ut equo, agro, veſte, &c. rem conferas ſpiritualem.

Quid nomine prætii intelligatur in diffinitione ſimoniæ?

6. Denique ponitur in diffinitione: *ut prætio*, quia in eo tota malitia ſimoniæ conſiſtit: non quod ſpirituale pro temporali utcumque detur, niſi detur pro illa ut prætio: quia hoc ipſo res ſpiritualis cum temporali comparatur, & coæquatur; ideoque vilipenditur, & ſic indigniſſimè; ac proinde irreligiosè tractatur: unde quamvis aliquis det, vel accipiat rem temporalem pro ſpirituali, niſi adſit ut prætium, minimè ſimonia conſtituitur. Poteſt enim res corporalis pro ſpirituali, pluribus aliis titulis dari, & non ut prætium illius; & tunc non erit ſimonia, licet fortè aliquando cum aliis vitiis involvatur, ut quando res temporalis datur ad ſuſtentationem miniſtri, qui nobis res ſpirituales impertitur; qualiter decimæ, & alii redditus parrochis conferuntur, ut doceant, & ſacramenta miniſtrent; ſed non ut prætium rerum ſpiritualium, ſed pro ſuſtentatione miniſtrorum, vel per modum ſtipendii, quomodo offertur talis pecunia, ut pro dante ſacrificium offeratur; vel pro redemptione vexationis; ut cum habenti jus ad beneficium, non vult Epiſcopus conferre illud, niſi talis ſumma ſolvatur. Quæ exactio ex parte Epiſcopi erit ſimoniaca, non ex parte beneficiarii, qui ad redimendam ſuam vexationem, illam coactus confert. Vel denique poteſt temporale dari ob gratitudinem, ob benevolentiam, & conciliandam collatoris, vel patroni præſentatoris voluntatem; quod ſive fiat ante beneficii collationem, ſive ſimul cum illa, ſive poſt illam, non facit dationem, vel acceptionem ſimoniacam: quia in nullo ex his caſibus datur temporale ut prætium rei ſpiritualis, ſed aliis titulis jam dictis, in quo nulla irreverentia rei ſacræ, & ſpiritualis reperitur. Tunc autem datur ut prætium, quando res ſpiritualis ex animo dantis, vel accipientis confertur primo, & principaliter ob temporale commodum conſequendum, cum animo obligandi ex juſtitia, ac proinde accedente pacto, vel conventione formali, vel ſaltem virtuali, ut *punct.4. hujus capitis* explicabimus.

Quam grave eſt peccatum ſimoniæ.

7. Circa gravitatem ſimoniæ omnes conveniunt ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, quia res ſacras, & ſpirituales percipiendo, eaſque terreno prætio coæquando, graviſſima injuria Deo, ut authori ſpeciali illarum irrogatur. Et adeò grave crimen eſt, & cenſetur, ut in *cap. ultim. 1. quæſt. 1.* dicatur: *Omnia crimina ad comparationem ſimonicæ hæreſis quaſi pro nihilo reputari.* Et multa hujuſcemodi reperiuntur in ſacris Canonibus, quæ per exaggerationem intelligenda ſunt. Nam citra dubium, majora peccata ſunt, quæ virtutibus Theologicis opponuntur, quam ſimonia, quæ religioni adverſatur. Exaggeratur autem hujus criminis malitia: tum, quia perniciosiſſimum Eccleſiæ propter ambitionem, & avaritiam unde naſcitur. Tum etiam: quia frequentiſſimum eſſe ſolet, ſicut radices unde procedit. Ob idque graviſſimis pœnis ab Eccleſia punitur: de quibus lato calamo *in cap. 4. hujus tractatus* agemus.

Non datur in ſimonia parvitas materiæ.

8. Dubitant autem Doctores, an detur parvitas materiæ in ſimonia? aliquibus id aſſerentibus. Tum quia *in cap. Iudices 1. quæſt. 1.* ratione modici prætii dati excuſatur quis à ſimonia. Sed certe in hoc capite ideo excuſatur, quia præſumitur liberaliter datum, non ex pacto, & ut prætium; & ideo ut bene inquit Sanchez *tom. 1. Concil. lib. 2. cap. 3. dub. 90. num. 1.* in foro externo non judicatur ſimonia, quando datur aliquid parvum pro beneficio, aut alia re ſpirituali: quia ex parvitate rei datæ præſumitur gratis dari. *Cap. & ſi quæſtiones de ſimonia.* & nos *punct. 4.* dicemus. Tum etiam: quia in aliquibus peccatis contra religionem datur parvitas materiæ, ut in fractione voti, juramenti promiſſorii, &c. Sed hoc nihil probat: quia in his directè, & per ſe res divina, & ſacra non violatur, ſicut in contractu ſimoniaco, & in conculcatione rei ſacræ quantumvis minimæ, in blaſphemia, in infidelitate, in juramento aſſertorio: & ob id in iſtis levitas materiæ non admittitur. ¶ Quare dicendum eſt ob parvitatem materiæ non excuſari ſimoniam à peccato mortali: Nam vel parvitas materiæ ſe tenet ex parte prætii; & tunc quò minor eſt quantitas prætii data pro re ſpirituali; eo magis videtur vilipendi, cum eo parvo prætio æſtimatur; vel ex pacto rei ſpiritualis; quia modica, & exigua; & nec tunc levitas materiæ eſt admittenda: quia quantumvis res ſpiritualis parva ſit, gravis eſt injuria eam venalem facere, prætioque vili comparare, & coæquare. Sanchez *lib. 1. Decalog. cap. 4. n. 1.* & *tom. 1. Concil. lib. 2. cap. 3. dub. 90. num. 1.* Gregor. Lopez *leg. 3. verſu la 2. titul. 17. part. 1.* Navarr. *lib. 5. Conſil. de ſimon. conſil. 52.* Suarez *lib. 4. cap. 3. n. 5.* Palaus *tract. 17. diſp. 3. num. 7.* Raphaël a Torre *2. 2. q. 100. art. 5. in paraphraſ. illius fol. mihi 748. colum. 1.*

Summus Pontifex qualiter ſimoniã poteſt committere?

9. Circa perſonas vero, quæ hoc contrahere crimen ſimoniæ poſſunt, dicendum eſt. Quod ſi ſimonia ſit de jure divino, aut naturali, omnes homines illam poſſunt committere tam religioſi, quam ſæculares, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales, imo etiam Summus Pontifex; ut ſi ordinationem, conſecrationem, diſpenſationem, jus ſpirituale ad beneficium venderet: quia ipſe juri divino, ſicuti alii tenetur; in quo diſpenſare non valet. Qua ratione dixit D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 1. ad 7.* & *in 4. diſt. 25. q. 3. art. 3. ad 2.* *Quod Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut quilibet alius homo:* quod intelligitur de ſimonia prohibita, quia mala; id eſt, jure divino, aut naturali prohibita. In his vero, quæ ſolum ſunt mala, quia prohibita, & ſic ſolum ſunt ſimoniaca ex jure poſitivo, ut ſi commutet beneficia, aut admittat reſignationem; in his namque ipſe illam incurrere non valet: nam jura, quæ prohibent tales reſignationes, aut commutationes fieri, loquuntur abſque conſenſu Papæ: quare in hoc quod ipſe conſentiat, nihil contra tales leges operatur. In aliis vero, quæ ſolo jure poſitivo Eccleſiaſtico ſunt ſimoniaca, ut venditio officiorum Eccleſiæ, œconomi, procuratoris, advocati, &c. de quibus *punct. ſequenti*; cum Princeps teneatur obſervare leges latas ſecundum vim directivam, id eſt, quoad obligationem conſcientiæ, licet non quoad vim coactivam, id eſt ſecundum pœnas in eis taxatas, ut diximus *tractatu undecimo, de legib. cap. 3. p. 8.* niſi ſecum in eis diſpenſet; ſi Pontifex ſecum non diſpenſet in dictis legibus, Simoniam in dictis caſibus committeret. Nam leges iuſtas, quarum materia communis tam Principi, quam ſubditis, tenetur Princeps obſervare, inquit D. Thomas *1. 2. quæſt. 95. art. 5.* Ideoque in illo genere Simoniæ peccaret graviter, vel leviter, ſecundum quod dicto loco *de legib. num...* diximus graviter, vel leviter Principem ſuis legibus adſtringi. Cæterum in prædictis legibus, ſecum

libere

lib. ... diſpenſare poteſt, immo etiam ſine iuſta cauſa v... : unde hoc ipſo, quod efficiat, quod alias licite ſecundum leges Pontificias facere non poſſet, ſecum diſpenſare cenſetur: quia in facto, Principis non debet præſumi delictum: & hoc ipſo, quod ſecum in dictis legibus diſpenſet, ceſſat Simonia, quæ ſolum ex vi illarum erat inducta, Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de Simonia, cap. 52. num. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 5.* Diana *10. p. tract. 16. reſolut. 15.* Arauxo *in deciſ. moral. diſput. 14. part. 2. art. 2. num. 20* Sanchez *conſil. tom. 1. lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 2.* Bonac. *de ſimonia diſp. 1. quaſt. 5. num. 5.*

Qualiter contrahens cum Pontifice, ſimoniam committat?

10. Hinc ſequitur reſolutio illius quæſtionis, an ſi quis ſimoniace beneficium aut aliam rem ſpiritualem à Papa reciperet, incurreret pœnas, contra ſimoniacos in jure taxatas? Reſpondetur, quod ſi quæ ſint pœnæ ex jure ipſo naturali, & divino, contra ſimoniacos (de quo *punct. 4.* dicemus) has proculdubio contraheret, qui cum Pontifice pactum ſimoniacum iniret, ut de obligatione relinquendi acceptum beneficium videtur docere D. Thom. *quaſtione 100. artic. 6. in corp.* illis verbis: *quod nullus poteſt licitè retinere, id, quod, contra voluntatem Domini acquiſivit: puta ſi aliquis diſpenſator de rebus Domini ſui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem Domini ſui; ille qui acciperet, licite retinere non poſſet. Dominus autem, cuius Eccleſiarum prælati ſunt diſpenſatores, & miniſtri, ordinavit, ut ſpiritualia gratis darentur. Matthæi 10. gratis accepiſtis, gratis date. Et ideo qui muneris interventu ſpiritualia quæcumque aſſequitur, ea licitè retinere non poteſt.* Verumtamen alias pœnas ex jure Eccleſiaſtico impoſitas contrahens cum Papa ſimoniacè, non incurreret. Quemadmodum ſi Epiſcopus contra ludentes clericos excommunicationem imponeret; qui cum Epiſcopo luderet, talem excommunicationem non incurreret, ut diximus *tract. de cenſur.* quia tunc cum illo in ſua lege diſpenſare cenſetur; Sic Pontifex ſcienter cum alio ſimoniacè contrahens, cenſetur in pœnis jure Pontificio impoſitis contra ſimoniacos, diſpenſare. Et quia una ex pœnis eſt inhabilitas ad beneficia in poſterum obtinenda, hanc inhabilitatem non incurreret. Unde ex hoc capite poſſet retinere beneficium, vel à Pontifice, vel ab eius miniſtris, de illius expreſſo mandato ſimoniacè receptum: quia cenſetur Pontifex illud de novo, ei gratis concedere, quod primò illicitè ab eo recepit; ad quod inhabilis redditus non fuit, cum cenſeatur ſuper dicta inhabilitate diſpenſatus. Quemadmodum Princeps ſciens Titium inhabilem eſſe ad aliquam dignitatem, eo ipſo, quod ei talem dignitatem confert, implicite videtur, eum capacem reddere, & cum eo diſpenſare, ut docent Bartholus *in l. Barbarius numero 15. ff. de offi. io Prator.* Felinus *in cap. praterea numero 9. de teſtib. cogend.* Quia ſcientia Principis purgat tale crimen quantum ad eas pœnas, quæ ſunt de jure poſitivo. Unde in tali caſu poſſe retinere beneficium ſimoniacè acceptum, docent Diana *10. parte tractat. 16. & 6. miſcellan. reſolut. 15.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 5. num. 32.* Malderus *tract. 9. cap. 3. dub. 4.* Covarruv. *ad regul. peccatum part. 2. §. 8. num. 9.* Navarr. *de reſtitut. lib. 3. cap. 2. num. 434.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 64.* Bonac. *ſupra num. 8.* Azor. *3. part. lib. 12. cap. 25. quaſt. 2.*

PUNCTUM II.

De multiplici diviſione ſimoniæ, ubi an ſit ex jure divino, vel Eccleſiaſtico prohibita?

Simonia alia ex jure divino, alia ex jure Eccleſiaſtico.

11. QUAMVIS ab aliquibus variæ, & multæ aſſignentur ſimoniæ diviſiones, nos duplicem tantum communiorem, & utiliorem ſuſcipimus declarandam. Prima, qua dividitur ſimonia in eam, quæ jure divino, ſeu naturali prohibita eſt, & quæ ſolet dici prohibita quia mala, ut quæ committitur in emptione, venditione rerum ſacrarum, vel quæ ſunt ſacris annexa, de quibus diximus *num. 4.* Omnia enim illa pretio temporali comparare, ſimoniacum eſt jure divino; quia vere ſpiritualitatem in ſe continent, vel quia ſunt talia ſecundum ſuam ſubſtantiam; vel quia cauſaliter, vel effectualiter, vel per annexionem ſpiritualia ſunt: quibus proinde injuria irrogatur, ſi vilipendantur. Quod certè fit illas temporali lucro comparando, vel commenſurando: & in hac ſimonia ex jure divino, nec Summus Pontifex poteſt diſpenſare, nec contra illam aliqua conſuetudo prævalere, ut inquit D. Thom. *art. 2. ad 4.* ¶ Alia eſt ſolum ex jure Eccleſiaſtico, quæ mala dicitur, quia prohibita; ut eſt permutatio, vel reſignatio beneficiorum. Licet enim beneficia ipſa, ſeu jus ſpirituale percipiendi fructus beneficii, vendere, vel onerare, ſit ſimonia ex jure ipſo divino, ut dicemus *cap. 2.* tamen unum cum alio permutare, ex jure divino ſimoniacum non eſt: ſicuti unam rem ſpiritualem cum alia permutare, non eſt ſimonia, ut *cap. 3.* dicemus. Sed in materia beneficiorum, juſtiſſimè Eccleſia talem permutationem prohibuit ut ſimoniacam, niſi fiat de licentia ſedis Apoſtolicæ, *cap. Quaſitum, cap. olim. de rerum permut. cap. cum pridem. Cap. clerici de pactis*, ut *dicto cap. 3.* latius explicabimus. Quare quia dictis locis, de beneficiis quantum ad hoc eſt nobis ex profeſſo agendum; modo illud prætermittimus. Eſt etiam ſimonia jure Eccleſiaſtico emptio, vel venditio aliquorum officiorum temporalium Eccleſiæ, ut Æconomi, Sacriſtæ Procuratoris, &c. quæ ab Eccleſia prohibentur *in cap. Salvator. 1. quaſt. 3.*

Nullam eſſe ſimoniam ex jure Eccleſiaſtico; aliqui dicũt.

12. Sed eſt modo gravis inter Doctores difficultas, qua ratione poſſit dari vera ſimonia ex ſolo jure humano prohibita? Et non loquimur modo de pœnis contra ſimoniacos impoſitis; an illas contrahat, qui ſimoniam ſolum ex jure poſitivo talem commiſit? Quia de hoc *cap. 4.* erit ſermo ex profeſſo. Sed an verè ſit ſimonia, & rationem formalem ſimoniæ ſortiatur, illa quæ ſolo jure humano prohibita dicitur? Negat prima ſententia peccatum ſimoniæ committere, qui rem emit, vel vendit, quæ ſolo ex jure poſitivo, prohibetur pretio, temporali comparari; ut ſunt officia, de quibus diximus *num. preceden.* quæ ſtatim amplius declarabimus. Et probatur primo: quia res, quæ jure Eccleſiaſtico vendi prohibetur, vel eſt ſacra, ſive per eſſentiam; ſive cauſaliter, ſive per benedictionem, aut conſecrationem, ſive per annexionem? Vel non eſt Sacra, ſed ſolum intra limites rei temporalis continetur? Si primum dicas, erit ſimonia prohibita, quia mala, & ſic ex jure naturali divino, quod dictat, rem Sacram, ex ſuppoſitione quod Sacra ſit, quodcumque

cumque ſanctitas, & ſpiritualitas illi proveniat) reverenter, ac debitè tractandam eſſe; ac proinde non eſſe emptioni, aut venditioni ſubiiciendam, quo deiiciatur, vilipendatur, & deæſtimetur. Si non eſt Sacra, etiam ſi res illa vendi prohibeatur, venditio illa non eſt ſimoniaca, quia jure Eccleſiaſtico prohibetur: prohibitio namque non mutat rerum naturas. Unde ſicut non facit, ut res non Sacra, ſit Sacra, ita non facit, quod venditio ſit ſimonia, quæ ſimoniaca non erat, cum non verſetur circa materiam ſuam. Unde cum in tali venditione tota ratio malitiæ ſit tranſgreſſio illius præcepti, ſolum habebit inobedientiæ malitiam, non ſimoniæ, & irreligioſitatis. ¶ Secundo: quia ſicuti Eccleſia prohibet vendere officia Oeconomi, Sacriſtæ, &c. ita etiam prohibet vendere bona temporalia Eccleſiarum; ſcilicet domos, agros, villas, &c. Sed ex hac prohibitione non fit illa venditio ſimoniaca, ut omnes tenent: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Atque ita tenent Victoria *in relectione de ſimonia num.* 13. Rodriguez *tom.* 2. *ſumm. cap.* 96. *numero* 2. *&* 3.

Simonia ex iure Eccleſiaſtico explicatur.

13. Sed communis ſententia eſt in contrarium, quæ dividit ſimoniam in eam, quæ ex iure naturali, & divino, & in eam quæ ſolum eſt talis ex iure poſitivo, & Eccleſiaſtico; ut illa, quæ invenitur in commutatione beneficiorum, quæ ut diximus, non eſt ex iure divino, ſed ſolum ex iure Eccleſiaſtico; de qua nihil modo; ut etiam eſt illa, quæ in venditione aliquorum officiorum temporalium Eccleſiæ reperitur, quæ ſolum ſimonia eſt ex iure Eccleſiaſtico. Unde in *cap. ſi quis Epiſcopus* 1. *quæſt.* 1. *Cap. Salvator.* 1. *quæſt.* 3. dicitur eſſe ſimoniam, vendere officia *Oeconomi, vice domini, Advocati, Sacriſtæ, Caſtaldi.* Quæ venditio non erat contra ius divinum; ſunt enim officia merè temporalia, ordinata ſolum ad temporalem adminiſtrationem, in quibus nulla ſanctitas per benedictionem, aut conſecrationem reperitur, ut in calice, & aqua benedicta. *Oeconomus* eſt qui res Eccleſiæ, & canonicorum gubernat, ſub quo etiam *Sacriſta*, & Theſaurarius comprehenditur, quamvis rerum diverſarum curam gerat. *Vice domınus*, eſt œconomus rerum Epiſcopi. *Advocatus*, qui cauſis Eccleſiæ tractandis præeſt, ſeu ab Eccleſia conſtitutus eſt ad cauſas eius defendendas. Quod intelligitur quando ex officio ſpeciali, poteſtate ab Eccleſia recepta, conſtituitur. Nam Advocatus, qui abſque mandato, aut deſignatione ad patrocinandum aſſumitur; non pertinet propriè ad officium Eccleſiaſticum, de quibus hic ſermo eſt. Nomine *Caſtaldi* idem ferè ſignificatur; nam intelligitur *Maior domus, cap. volumus* 89. *diſtinct.* & *ibi* Gloſſa. Quæ officia nullam ſpiritualitatem, & ſanctitatem habent; ſed ſunt merè temporalia. Cuius ſignum eſt, quod Epiſcopus vel Prælatus, in collatione horum officiorum, non utitur poteſtate ſpiritualis iuriſdictionis, ſed poteſtate politica, qua fulget ut Princeps ſæcularis, ad quem officia ſæcularia pertinet diſpenſare.

Qualiter leges Eccleſiaſticæ ex motivo religionis faciant actum oppoſitum ſimoniacū.

14. Hæc igitur omnia tametſi temporalia, legibus Eccleſiaſticis prohibentur vendi; ita, ut talis venditio ſit ſimonia. Etenim Eccleſia poteſt ſuis legibus materiam aliquam conſtituere intra aliquam virtutem, ad quam alias non pertinebat, illam prohibendo, aut præcipiendo ex motivo, & affinitate ad illam virtutem: & tunc tranſgreſſio talis nedum eſt contra obedientiam; ſed contra illam virtutem, ex cuius motivo illam materiam prohibet, aut præcipit. Ut quando præcipit ieiunium ex motivo temperantiæ, quamvis gemina comeſtio moderata illo die non ſit contra temperantiam; ſuppoſito tamen præcepto ex illo motivo, tranſgreſſio illius nedum eſt contra obedientiam, ſed contra temperantiam. Et ſic non ſatisfaciet in confeſſione tranſgreſſor dicendo, ſemel fregi præceptum Eccleſiæ, ſed in qua materia illud fregit, explicare debet, ut ſic ſpecies peccati declaretur. Idem dicimus in percuſſione clerici, quæ prohibita eſt ab Eccleſia ob reverentiam ordinis. Idem de effuſione ſanguinis, aut ſeminis prohibita ab Eccleſia ob reverentiam loci Sacri. Atque idem de extractione delinquentis ab Eccleſia, quæ ex eodem motivo prohibetur. Horum præceptorum trangreſſio, ſuppoſita tali prohibitione, eſt ſacrilegium; quamvis alias materia ad religionem non pertineret: non quia tale præceptum naturam materiæ mutet, ſed quia illam ex tali motivo prohibens intra virtutem religionis conſtituit. Pariformiter Eccleſia prohibens officiorum horum venditionem, quæ ſolum continet adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, ob maiorem reverentiam rerum ſpiritualium, & ut omnia ſimoniæ ſpecies vitetur, hæc omnia conſtituit in materia religionis; facitque proinde venditionem ſimoniacam. Sic Suarez *lib.* 4. *cap.* 28 *n.* 11. Bonacina *de ſimonia diſp.* 1. *quæſt.* 5. *num* 7. Palaus *tom.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 3. *punct.* 2. *num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 4. *num.* 26. Arauxo *in deciſionib. moralib. diſp.* 1. *part.* 2. *art.* 4. *num.* 47. Raphaël de la Torre 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. *diſp.* 3. *verſu. In oppoſitum*, Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 5. *verſu ſecundo.* Sanchez *tom.* 1. *conſil. lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 2. Lezana *tom.* 3. *verb. ſimonia* *n.* 16. Filiutius *tract.* 45. *cap.* 12. *quæſt.* 8. *num.* 15. ¶ Unde fit eſſe ſimoniacos religioſos, qui emunt aut vendunt officia Sacriſtæ, Procuratoris, & alia, quæ rerum monaſterii, ac proinde Eccleſiaſticarum curam, vel adminiſtrationem habent: quia hæc verè ſunt officia Eccleſiaſtica, & *cap. Salvator.* 1. *quæſt.* 3. generaliter loquitur. Sic Lezana, Bonac. Filiutius, Suarez *locis citatis.*

15. Per quæ patet ſolutio argumentorum primæ ſententiæ. Ad primum dicimus res iſtas non eſſe Sacras intrinſecè, & abſolutè: eſſe tamen quodammodo tales, ut ſtant ſub præcepto ex motivo religionis, ſicut in exemplis poſitis *numero præcedenti* cernitur. Nam hoc ipſo, quod earum venditio ex motivo religionis prohibeatur ob maiorem reverentiam rerum Sacrarum, & ut omnis ſuſpicio, & ſpecies ſimoniæ ab ordine Eccleſiaſtico amputetur, intra materiam religionis conſtituuntur, ut ſubſtant illi præcepto ex motivo illius, non quia præceptum naturas mutet, ſed quia illas per reſpectum ad religionem facit venerabiles, & invendibiles. ¶ Ad ſecundum, reſpondetur, quod alia bona Eccleſiaſtica prohibentur vendi, diſtrahi, vel alienari non propter reverentiam debitam ſanctitati Eccleſiarum, & ſic ex motivo religionis; ſed propter temporalem Eccleſiarum commoditatem, ne bona illarum dilapidentur, aut minorentur. Cuius ſignum manifeſtum eſt, quod non ſolum emptio, aut venditio illorum abſque debita ſolemnitate prohibetur; ac proinde, quod per contractum oneroſum diſtrahantur, ſed etiam per contractum gratuitum; & ſic etiam quod gratis, & ex amicitia donentur, eſt prohibitum: quia finis præcepti eſt illorum conſervatio, & indemnitas, cui non minus obſtat liberalis donatio, quam venditio. Unde cum non prohibeantur vendi ex motivo religionis earum venditio non erit ſimonia. Officia vero Eccleſiaſtica

Fundamenta contraria ſolvuntur.

prohibentur

prohibentur vendi ob reverentiam debitam ſanctitati Eccleſiæ, non ob Eccleſiæ temporalem commoditatem; & ſic totum gratuita, & liberalis donatio non prohibetur. quin potius in jure commendatur, & ſic ne vendantur, præcipitur; ſed ut gratis, & liberaliter impertiantur; quia ex hoc magna reverentia Eccleſiis reſultat, ut omnis ſimoniæ ſpecies abigatur.

Mentalis, conventionalis, & realis ſimonia explicatur.

16. Deinde dividitur ſimonia in *mentalem, conventionalem, & realem.* Mentalis eſt in duplici differentia: nam vel accipitur pro nudo propoſito, ſeu deſiderio committendi ſimoniam, ut ſi quis haberet propoſitum dandi, vel accipiendi aliquid temporale ut pretium pro beneficio, aut alia re ſpirituali, & poſtea pœnitentia ductus, pravam illam intentionem quam opere non compleat, nec de hac re nullam conventionem faciat, nec illam pravam voluntatem ulla ratione cum externo actu conjungat: talis eſt mentaliter ſimoniacus; ſicuti qui in furtum, aut fornicationem ſolum voluntate conſentit, fur dici poteſt, aut fornicator mentalis. Sed quare in materia ſimoniæ, mentalis ſingulariter nominetur, quod frequenter in aliis vitiis non accidit, *numero ſecundo,* jam diximus. Vel accipitur pro illa actione externa; quæ fit mente ſimoniaca, quin ex ſe, aut ex adjunctis circunſtantiis intrinſece ſimoniam explicet; ut ſi quis munus a manu, ab obſequio, vel a lingua præſtet, vel aliquid accipiat ex prava intentione dandi ut pretium rei ſpiritualis, ſeu animo, medio illo conſequendi rem ſpiritualem, quamvis externè, nec explicitè, nec implicitè ſignificet ſe ut pretium illa præſtare, ſed vel in gratitudinem, amicitiam, antidotalem correſpondentiam, &c. hic ſimoniacus eſt mentalis, & coram Deo. Sicut eſt hæreticus mentalis, qui ex errore in mente concepto, quod fornicatio, v. g. eſſet licita, ad illam moveretur, licet externè hoc non ſignificaret, ſed ſe ex paſſione, & concupiſcentia moveret, uti diximus *tomo ſecundo, tractatu decimo, de cenſuris, cap... num...* & de hac ſimonia loquitur textus *in cap. tua nos, §. licet de ſimonia.* Ubi cum datur beneficium, vel reſignatur ea intentione, & affectu dicto, deciditur ſimoniam eſſe, & apud judicem divinum, qui eſt ſcrutator cordium, debere puniri. ¶ *Conventionalis* ſupponit mentalem, & ex illa prava intentione oritur, additque pactum, vel conventionem externam, expreſſam, vel tacitam dandi, vel recipiendi temporale ut pretium pro ſpirituali, ſed ex neutra parte executioni mandatum, vel ſaltem non ex utraque. Ut ſi Epiſcopus conveniat cum alio de conferendo beneficio pretio promiſſo, & poſtea pœnitentia ductus, aut impotentia recedant à contractu, erit tantum conventionalis ſimonia, ut diſtinguitur a reali. ¶ *Realis,* mentalem, & conventionalem ſupponit, nimirum pravum animum ſimoniacum, & pactionem externam expreſſam, vel tacitam, & addit traditionem realem, vel ex parte utriuſque, nimirum traditionem pretii ex parte ementis, & rei ſpiritualis ex parte vendentis, vel ſaltem detur realis traditio rei ſpiritualis, credita pecunia, vel pretio, quod pro ipſa datur.

Simoniam realem non fieri niſi & pretium, & res ſpiritualis tradatur, &c.

17. Atque hinc oritur gravis difficultas, an ut ſimonia tranſeat a conventionali, & fiat verè, & propriè realis conſummata, requiratur utriuſque traditio, nimirum rei, & pretii? An vero ſufficiat traditio ipſius rei ſpiritualis, licet pretium credatur, aut differatur, & poſtea fortè non detur? Et hic loquimur in ordine ad pœnas pro ſimoniacis incurrendas; quia fortè ſtare poteſt, quod per traditionem ſolam rei ſpiritualis, realis ſimonia conſtituatur, & non incurrantur pœnæ contra ſimoniacos reales aſſignatæ: quia leges ad illarum incurſionem, non tantum ſimoniam eſſe realem exigunt, ſed quod ſit perfectè conſummata, perfecta, & completa per traditionem realem utriuſque partis: de quo *capite quarto,* agemus. Nunc ſolum quærimus, an ſit vera, & realis ſimonia prout diſtinguitur à conventionali, per ſolam rei ſpiritualis traditionem, credita, non exhibita, pecunia, aut pretio pro ea oblatis? Prima igitur ſententia dicit, ad ſimoniam realem requiri, quod ex utraque parte compleatur contractus; itaut ex una parte donetur ſpirituale, & ex alia pretium, vel ſaltem pars illius: Quia de ratione ſimoniæ eſt quidam contractus, & conventio. Unde ſicut in aliis contractibus emptionis, aut venditionis reperitur venditio, & emptio, & numerata pecunia, & credita, ſic in conventione ſimoniaca: ergo ſicut traditio rei venalis in aliis contractibus non conſtituit venditionem conſummatam, & perfectam, uſque dum pretium etiam tradatur; ita traditio rei ſpiritualis, pro nullo temporali pretio, non conſtituet conſummatam, & completam ſimoniam, uſque dum pretium realiter tradatur. Sic Ledeſma *in ſumm. ſecunda parte, tractatu duodecimo, ad finem.* Moya *tractatu ſexto, miſcellan. diſputatione quarta, quæſtione ſexta, §. 3. num. 9.* Diana *part. 11. tractatu ſexto, reſolut. 30.* Lopez *tomo primo, conſtruct. moral. capite 305. & 307.* Valentia *2. 2. diſputatione ſexta, quæſtione decima ſexta, punct. 5.* Navar. *in manuali, capite 23. num. 103.* Lezana *tomo quarto, verbo ſimonia, numero tertio,* Layman. *libro quarto, tractatu tertio, capite octavo, §. 6. num. 67.* Palaus *tomo tertio, tractatu 17. diſputatione 3. punct. 2. numero tertio, & punct. 22. num. 6. & punct. 27. num. 5.*

Aliqui dicunt.

Fit realis ſimonia, ſi res ſpiritualis tradatur, credita pecunia.

18. Sed dicendum eſt, quod contractus ſimoniacus licet non perficiatur per ſolam traditionem rei temporalis, ſed adhuc maneat intra limites conventionalis, uſque dum res ſpiritualis tradatur, at vero ſi traditio rei ſpiritualis detur, promiſſa, aut credita pecunia ut pretio, verè completa eſt ſimonia realis. Ratio primi deſumitur ex proportione quam habet ad aliam conventionem. Etenim in emptione, & venditione quantumvis pretium, ſeu pecunia numeretur, ſeu tradatur, quouſque res vendita tranſeat in dominium, & poſſeſſionem emptoris, non intelligitur venditio illa conſummata: Ergo ſimiliter quando res ſpiritualis manet ſub poteſtate venditoris, nondum intelligitur illa venditio completa; & per conſequens nec ſimonia realis, prout diſtinguitur à conventionali. ¶ Ratio ſecundi eſt: nam alii contractus non complentur per pecuniam numeratam, ſed per traditionem rei venalis, etiamſi pretium nondum traditum ſit, *l. 2. ff. de contrahenda empt. & §. 1. inſtitut. de emption. & vendition.* & merito. Nam finis emptionis non eſt pretium, ſed res ipſa venalis, & ſic emptio tunc intelligitur conſummari, & ultimo in ſua ratione compleri, quando emptor in dominium rei venditæ eſt plene conſtitutus, tametſi pecunia numerata non ſit, ſed credita. Ergo in noſtro caſu ſi res ſpiritualis ſit tradita ſub promiſſione pretii fu-

turi, jam intelligitur conſummata ſimonia, & in religionem facta tractatio. Sic Soto *lib.9. de juſtitia, quæſtione 8. art.1.* Cajetan. *opuſcul. de ſimonia, quæſtione 2.* Petrus Navar. *lib.2. capite 2. num.418.* Arauxo *in deciſion. moral. diſputat.14. part.2. art.2. num.7.* Toletus *lib.5. c.93.* Torre *art.6. diſputat. 1. §. Verum tamen, fol.781. col.1.* Nicolaus Garcia *tom.2. de beneficiis, part 8.c.16. num.28.* licet oppoſitam probabilem dicat, pro qua adducit 28. Authores. Diana *part.10. tract.16. & 6. miſcell. reſolut.15.* ubi hanc probabiliorem dicit, licet oppoſitam teneat, ut probabilem. Quam poſtea *p.11.* loco pro contraria ſententia citato ſequutus eſt.

Simoniam fictam non eſſe formaliter ſimoniam oſtenditur.

19. Sed rogabis, an præter tres enumeratas ſimonias, detur alia, quæ dicitur ſimonia ficta? Quod eſt quærere, an qui ficta ſimonia depaſceretur, eſſet verus ſimoniacus? Ut ſi promitteret pretium pro beneficio, abſque intentione dandi, aut ſe obligandi; ac proinde abſque voluntate verè pactandi. In quo omnes conveniunt, illum graviſſimè peccare. Tum: quia opus externum ſimoniacum efficeret. Tum etiam: quia mendacium pernicioſum & ſibi ſe infamando, & alteri, illum decipiendo, proferret. Tom deniquè: quia ad ſimoniam alterius proximè, & efficienter concurreret. Conveniunt etiam, quod licet pro foro externo talis habeatur ſimoniacus; & ſic pro illo pœnas luere debet pro ſimoniacis impoſitas, quia externum forum non judicat de mente; ſed de eo, quod exterius apparet: at in foro conſcientiæ, & coram Deo dictas non incurrit pœnas: maximè in ſententia communi, aſſerente talem non eſſe formaliter ſimoniacum. Et ideo beneficium ſic obtentum retinere valet, ſi à legitimo collatore illud receperit. Quia verè ibi nec ſimonia virtualis, nec conventionalis, nec realis reperitur. Non mentalis: quia ibi non datur voluntas ſtudioſa, ſeu deliberata, dandi, aut pactandi rem temporalem pro ſpirituali. Non conventionalis, aut realis: quia iſtæ mentalem ſupponunt, & ex voluntate ſtudioſa vendendi, vel emendi, procedunt. Ergo quando talis ex parte emptoris non datur, ſed voluntas decipiendi, aut fallendi, non datur ex parte illius vera emptio; & conſequenter nec ex parte vendentis vera vendirio, quia hæc correlativa ſunt, & una ſine altera non reperitur. Cum ergo ad tale pactum emptionis, & venditionis, conſenſus utriuſque requiratur verus, non fictus; & animus contrahendi, non decipiendi; quamvis ex parte venditoris detur verus, ſi tamen ex parte emptoris non datur contractus, remanet nullus, & apparens; & ſic nullos pariens effectus. Sic Leſſius *lib.2. cap.35. dub.1. num.11.* Reginald. *lib 23. cap.11. num.110.* Cajetanus *tomo ſecundo, opuſcul. opuſcul.9. quæſt.2.* Soto *lib.9. de juſtitia, quæſt.8 artic.1. §. dubium.* Raphaël de la Torre *2.2. quæſt.100. art.6. diſput.1. fol.779.* Bonacina *de ſimonia, diſput.1. quæſt.1. num.5.* Layman. *lib 4. tract.10. cap.8. num.67.* Arauxo *in deciſ. moral. part.2. diſputatione 14. art.2. num.6.* Villalobos *tom.2. tractatu 37. difficult.1. num.14.* Machad. *tomo primo, lib.3. part.3. tractatu tertio, documento 5. numero ſecundo*, Eſcobar *in Theolog. moral. tract.6. examin.2. cap.2. num.14.* Palaus *diſputatione 3. punct.6. numero ſecundo*, Aragon. *quæſtione 100. articulo ſexto, concluſione tertia, pagina 1131.* Suarez *libro quarto, cap.42. numero quarto*, Moy[illegible] *tractatu ſexto, miſcellan. diſputatione quarta, quæſtione ſexta, numero primo*, Ledeſma *ſecunda parte, ſumm. tractatu duodecimo, de ſimonia, concluſione 41. §. Para declaracion, fol.717.* Valentia *diſputatione ſexta, quæſtione decima ſexta, punct.5. verſu, Ex quo intelligi poteſt, folio 1669.* & alii. Et hoc licet juramento, aut inſtrumento aliquo fictus promiſſor ſe velle obligare, oſtendat: quia omnia ficta, & non ex animo facta, ſunt nulla, nihilque etiam pro foro externo proficient; cum inſtrumenta ſimoniaca nullo modo, etiam in foro externo obligent.

Sententia Navarri, & illius fundamentum.

20. Sed objicies cum Navarro *in manuali capite vigeſimo tertio, numero 103. & in Commentariis ad cap. mandato, de ſimonia, numero decimo*, qui putat fictam ſimoniam, in rigore eſſe ſimoniam formalem, & ad conventionalem reducendam. Qood quando quis propter fictam, aut ſimulatam promiſſionem rei temporalis obtinet aliquod beneficium ſpirituale, jure commutat rem temporalem pro ſpirituali: ergo verè eſt ſimoniacus. Probatur antecedens. Tum: quia actio fictè promittendi eſt quid temporale, oneroſum nimis, & pretio æſtimabile: ſed ita promittens, pro hac promiſſione, intendit ſpirituale accipere: ergo verè commutat temporale, pro ſpirituali. Tum etiam: quia in prædicto caſu largitio rei ſpiritualis, non eſt omnino gratuita, ſed ſub onere promittendi, quod eſt pretio æſtimabile, etiamſi fictè fiat: & ideo poſſet quis pecuniam exigere, etiam ſecundum juſtitiam pro obligatione exteriori, in favorem alterius facta; & etiamſi ſimulata, & ficta. Tum denique: quia adulator, qui per ficta, & ſimulata ſigna oneris obtinet beneficium, apud omnes veram ſimoniam committit: ergo idem erit in noſtro caſu.

Solvitur fundamentum Navarri.

21. Sed reſpondetur negando antecedens: quia ut diximus, ubi deficit vera intentio commutandi; vera commutatio, emptio, aut venditio non reperitur. Et ad omnes probationes dicimus, quod ſi fictor ille promiſſor, fictam promiſſionem, ut pretium pro re ſpirituali daret, & alius, ut iſte ſe ad fictè promittendum, obligaret rem ſpiritualem concederet; cum in tali caſu ficta promiſſio ſe haberet ut pretium, quia, ut oſtenduut probationes contrariæ, verè eſt pretio æſtimabilis; talis conventio proculdubio eſſet ſimoniaca; ſicuti ſimonia eſt, quod Epiſcopus beneficium det adulatori, ut eum apud Principem verè, vel fictè laudet, & commendet: quia talis commendatio ut pretium accipitur, & eſt munus a lingua, de quo *puncto ſequenti* dicemus. Cæterum, quando adulatio ipſa ſive vera, ſive ficta, non vertitur in pretium; propter eam adipiſci beneficium, non eſt ſimoniacum: ut ſi adulator ipſum Epiſcopum laudaret, ut ab eo gratis beneficium reciperet; quod amplius infrà explicabimus: Quia tunc accipitur laudatio, non ut pretium, ſed ut medium ad conſequendum beneficium. Pariformiter, qui fictè promitteret rem temporalem, non offert promiſſionem ut pretium rei ſpiritualis, nec qui illi dat vel promittit rem ſpiritualem, dat eam pro promiſſione doloſa; quia hanc minimè vult, aut intendit; ſed pro ipſa re, quæ promittitur. Unde cum promiſſio rei vera non ſit, quæ erat pretium, verè pretium in præſenti non datur, ſed ſimulatum, & fictum; & ſic nec vera, & formalis ſimonia conſtituitur.

PUNCTUM

PUNCTUM III.

De pretio, quod pro re ſpirituali oblatum, conſtituit ſimoniam.

Munera tria, quæ conſtituunt pretium in ſimonia.

22. ASSIGNANS D. Thomas 2. 2. q.100. *art.5.* ea, quæ habent rationem pretii in ſimonia, per quod intelligit quaſcumque res, quæ pecunia menſurari poſſunt, in tres claſſes illa diviſit: nimirum, *munus à manu, munus ab obſequio, munus à lingua.* Quod communiter traditur à Doctoribus, & habetur *in cap. Salvator* 1. *quæſtione tertia.* Ubi Urbanus II. ſic dicit: *Quiſquis res Eccleſiaſticas non ad quod inſtituta ſunt, ſed ad propria lucra munere linguæ, vel obſequii, vel pecunia largitur, vel adipiſcitur, ſimoniacus eſt.* Idem habetur *in cap. ordinationes, cap. de ordinationibus, cap. ſunt nonnulli* 1 14. 1. *quæſtione prima*, ubi ex D. Gregorio *homil.4. in Evangel.* ſic dicitur: *Aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa.* Munus à manu pecunia eſt. Munus à lingua favor. Qui ergo ſacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non ſolum nullam pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit. Sed ut rem hanc clarius, & uberius explicemus, in quatuor §§. hoc dividemus punctum. In primo explicabimus, quid per hæc munera intelligendum ſit. In tribus reliquis diverſas difficultates circa ſingula ſeparatim decidemus.

§. I.

Quid per munus à manu, ab obſequio, à lingua intelligitur? & an iſta ſemper ac dantur, conſtituant ſimoniam?

Quid nomine muneris intelligatur?

23. QUamvis nomine *muneris*, donum liberale, ac gratuitum communiter ſignificetur; ſed in præſenti non ita accipitur; cum *munus* ad ſimoniam aſſignatur: quia per dicta munera, pretium oblatum, ſimoniacè ſignificatur: & ſic non *munus* prout donum denotat gratioſum, ſed prout debitum juſtitiæ commutativæ conſtituit, ac proinde denotat illud gravamen, vel onus temporale, quod ut pretium pro re ſpirituali aſſignatur. Quemadmodum in jure civili, *ff. de muneribus, & oneribus* munerum nomine, ſervitia, obſequia, tributa, quæ tanquam ex juſtitia debita præſtari, & exigi ſolent, ſignificantur; ut bene notavit Paulus Layman. *libro quarto, tract.*10. *cap.ultim.* §.5. *num.*25.

Munus à manu ſoli, quod eſt pretio æſtimabile complectitur.

24. Per *munus* igitur *à manu*; pecunia eſt, quæ principalem obtinet locum, ſive numerata, ſive promiſſa. Quæ, ſi detur, aut promittatur collatori beneficiorum, electori, vel patrono, pro præſentatione, electione, vel collationi, vel cuilibet alteri pro traditione rei alicujus ſpiritualis, proculdubio ſimonia committitur; & hoc ſive in parva, ſive in magna quantitate. Quia licet pecunia ſit parva, irreverentia eſt magna; eo, quod res ſpiritualis, venalis efficitur, *cap. ex tua, cap. placuit* 1. *quæſtione prima.* Sub munere à manu omnes res temporales pretio æſtimabiles inquit D.Th. 2. 2. q.100. *art.* 5. *corpor.* comprehenduntur. Quod etiam habetur in *cap. Etſi quæſtiones, cap. tua nos, cap. in tantum, de ſimonia.* Et ſic in *cap. totum* 6. 1. q.1. ex D. Auguſt. dicitur: *Totum quidquid homines poſſident in terra; omnia, quorum Domini ſunt, pecunia vocatur: ſervus, & vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum eſt, pecunia dicitur.* Et ratio eſt: quia eadem irreverentia fit rei ſpirituali, ſive detur pro pecunia æſtimabili, ſive detur pro ipſa pecunia. Etiam *ad munus à manu* reducitur, ſi quis pro re ſpirituali debitum remittat, aut ſe remiſſurum ſpondeat: quia qui remittit debitum, moraliter dat rem, vel pecuniam debitam, & cui remittitur accipit. Et idem eſt, ſi remittat debitum, prius quam debeatur, vel promittat remittere pro eo tempore, quo debetur, *cap. penultim. de ſimonia.* Palaus *tractatu* 14. *diſputat.*3. *punct.*3. *num.*7. Bonacin. *de ſimonia, diſput.*1. *quæſtione* 1. *num.*3. Navar. *in manuali, cap.*27. *num.*158. Layman. §. 3. *num.*25. ¶ Si Epiſcopus alicui daret beneficium cum obligatione, ut ſibi alias debitum ſolveret, ſimoniam committeret: quia res ſpirituales gratis dandæ ſunt, abſque ordine, & reſpectu ad temporalia. Sic D. Thom. *in* 4. *diſt.* 25. *art.*3. *ad* 2. Ledeſma *in ſumm. ſecunda parte, tract.*12. *concluſione* 10. Villalob. *tractatu trigeſimo ſeptimo, difficult.* 26. *numero tertio.* Suarez *capite* 37. *numero decimo octavo.* Quod ego intelligo, quando tale motivum in pactum deducit, cum intentione præſentis vexationis ſtatim amovendæ; dummodo ſcandalum, & omnis irreverentia caveatur. Sed ex dicendis, hoc amplius innoteſcet.

Munus ab obſequio explicatur.

25. *Munus ab obſequio* dicitur, quodcumque hominis opus, quod ad uſus, & commoditates ejus ordinantur, ſive ſit obſequium, ſive cauſam illius promovere, illi aſſiſtere, illum comitare, docere, inſtruere, defendere, &c. Quodcumque igitur obſequium præſtitum Eccleſiæ, collatori, electori, patrono, vel amicis eorum, ſi pro ſpirituali offeratur, ſimonia eſt: quia cum hujuſmodi operationes jubeant rationem mercium (conducuntur enim pecunia, ac locantur,) eſſe pretio ſtimabilia haud dubium eſt. Unde ſi elector, aut Patronus, debita juſtitiæ contracta ratione obſequii à ſuo ſervo præſtiti, beneficii electione, collatione, aut præſentatione, intendat ſolvere, ſimoniacus eſt. Quod etiam eſt Epiſcopus, qui habens vicarium viſitatorem, vel alium familiarem, quibus tenetur ſingulis annis ſalarium tribuere, ſi loco illius conferat beneficium, quo ſe à prædicto debito liberetur. Idem eſt ſi conferat beneficium Titio ea conditione, ut doceat ipſum, vel familiares, aut diœceſanos Grammaticam, Philoſophiam, vel aliam ſcientiam, vel aliud præſtet obſequium beneficio minimè connexum, ut tot Miſſas dicere, tot orationes fundere, hæc, vel illa negotia promovere. Suarez *lib* 4. *cap.*39. *à num.*5. *& num.*12. Rodriguez *in ſumm. verbo ſimonia, cap.*39. *num.*9. Palaus *punct.*3. *n.*8. de quo §.3. amplius loquemur. ¶ Denique per munus à lingua intelliguntur preces, ſupplicationes, adulationes, laudes, interceſſiones: quia hæc omnia ſunt pretio æſtimabilia. Ut ſi Epiſcopus det beneficium alicui, ut ipſum apud miniſtros laudet, preces, ac ſupplicationes fundat; & aliis caſibus, de quibus ſtatim dicemus.

Dare rem ſpiritualem propter munus à manu, ab obſequio, à lingua ſemper eſſe ſimoniam, aliqui dicunt.

26. Sed modo eſt gravis difficultas, an ſemper ac detur aliquod beneficium, vel aliud quodcumqne ſpirituale, pro munere à manu, à lingua, vel obſequio, vel è contra quoties munus ab obſequio, à lingua, vel a manu datur pro beneficio obtinendo, vel alia re ſpirituali, ſimonia committatur? Affirmat abſolutè prima ſententia, & probatur primo, ex D. Thoma, qui 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 5. *ad* 3. abſolutè aſſerit, quod dare beneficium principaliter propter preces, eſt ſimoniacum. Et addit: *Qui principaliter preces pro indigno porrectas exaudit, actum facit ſimoniacum.* Preces autem ſunt munus à lingua; & ſic in *cap. ordinationes* 1. *quæſt.* 1. dicitur: *Ordinationes factas precibus, falſas eſſe. ſicut factas pecunia, vel ſimoniacas.* ¶ Secundo: quia in *cap. placuit, cap. non ſatis* 1. *quæſt.* 1. *cap. cum in Eccleſia, cap. de ſimonia.* Simoniacum dicitur eſſe, dare beneficium, aliamve rem ſpiritualem pro quocumque ex his tribus muneribus, à manu, ab obſequio, à lingua: & cum ibi abſque diſtinctione textus loquatur, abſolutè, & pro ſemper debent intelligi. ¶ Tertio: quia dare beneficium propter rem pretio æſtimabilem, eſt ſimonia: quia jam non datur gratis, & res ſpiritualis pro pretio temporali comparatur, quo vilipenditur. Sed hæc tria dicta munera à manu, à lingua, ab obſequio ſunt pretio æſtimabilia: ergo pro illis, & ſingulis eorum rem ſpiritualem dare, ſemper erit ſimoniacum. Ita Adrianus *quodlibet* 9. *art.* 2. *dub.* 1. Durandus *in* 4. *diſtinct.* 25. *quæſtione prima*, Sylveſter *verb. ſimonia, quæſtione* 16. *verſ. tertium.* Azor. 3. *part. lib.* 12. *cap.* 18. *quæſt.* 3.

Niſi dicta munera in pretium reſolvantur, non conſtituunt ſimoniam.

27. Sed dicendum eſt, quod ſi hæc tria munera, & quodlibet ex illis, ex pacto, vel intentione dantis, vel recipientis, rationem pretii ſortiantur, ſeu ut induunt rationem pretii, conferantur; tunc eſt ſimonia pro illis beneficium, aut rem ſpiritualem dare, vel accipere. Mentalis quidem, & coram Deo, ſi ſolum ex intentione dicta dentur vel recipiantur, nullo interveniente pacto, quo exterius intentio illa prava manifeſtetur: conventionalis, ſi pactum, aut conventio aliqua exterior intercedat unum dandi pro alio: & realis, ſi traditio utrinque ſequatur, vel ſaltem ex parte rem ſpiritualem dantis, juxta dicta *num.* 18. At ſi dicta munera pretii rationem non induant, conſequenterque non ut pretium conferantur, minimè ſimoniam conſtituunt; tametſi alterius peccati poſſent eſſe cauſa, vel occaſio. Hæc eſt ferè communis ſententia, quam tenent Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 5. & *in ſumm. verbo ſimonia.* Victoria *in relection. de ſimonia, à num.* 36. Malderus *tract.* 9. *cap.* 3. *dub.* 5. Arauxo *in ſelect. quæſt. diſputat.* 14. *part.* 2. *art.* 5. *num.* 6. Raphaël à Torre 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *diſput.* 2. 3. & 4. Bonacin. *de ſimonia, diſputatione* 1. *quæſt.* 2. *num.* 10. & 13. & 17. Sanchez *conſil. tom.* 1. *cap.* 3. *dub.* 28. *num.* 3. & 7. Layman. *tract.* 10. *cap. ultim.* §. 3. *num.* 26. Villalobos *tract.* 37. *difficult.* 26. *n.* 3. Palaus *tract.* 14. *diſput.* 3. *punct.* 3. *num.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 20. *num.* 155. Suarez *lib.* 4. *cap.* 4. *à num.* 2. Rodriguez *in ſumm. tom.* 2. *verb. ſimonia, cap.* 56. *num.* 7. Toletus *lib.* 5. *cap.* 84. *num.* 5. Valent. 2. 2. *diſputatione* 6. *quæſtione* 16. *punct.* 3. *verſu Quarto ſequitur, fol.* 1648. & alii. Sed in explicatione aſſertionis, & partium ejus eſt tota difficultas.

Quãdo pre.

28. Pro quo ſciendum eſt, hæc tria munera poſſe aliquando in pretium converti, & aliquando habere rationem gratuiti doni, & non pretii, nec ut tale aſſumi, aut applicari. Quod conſtat manifeſtè *ex cap. tua nos, de ſimonia*, ubi loquens Pontifex de quodam Clerico, qui ſua bona donabat Eccleſiæ Cathedrali, ut ad Canoniam admitteretur, dicit eſſe ſimoniacos, tam illum, qui petit accipi, quam Canonicos admittentes, ſi ille velit dare ſua bona ut *pretium* Canonicatus; ſecus autem ſi gratis, & non ex hac prava intentione illa donet: ergo dicta munera, & rationem pretii, & rationem gratuiti doni ſortiri valent. Et ratio eſt manifeſta: nam per munus à manu, pecunia intelligitur, vel res, quæ illa æſtimatur, per munus ab obſequio, actiones in utilitatem alterius exhibitæ; per munus à lingua, preces, laudes, favores, &c. ſed hæc tria & poſſunt habere rationem pretii, & gratuiti doni. Poſſunt quidem rationem pretii habere, quia ſunt ad utilitatem temporalem, & pretio æſtimabilem, & alias poſſunt concedi intuitu mercedis, & ex avaritia, & non gratis; qualiter rationem pretii ſortiuntur. Et etiam poſſunt hæc munera ex amicitia, & gratitudine exhiberi, ut poſtea exemplis manifeſtabimus, & tunc non habebunt rationem pretii, ſed gratuiti doni, quod eſt materia amicitiæ, & gratitudinis, non vero ſimoniæ.

dicta munera habeant rationem pretii, & quãdo non.

Pro dictis muneribus rem ſpirituale dare, ſi ut pretium accipiantur, ſimonia eſt.

29. Ex quo patet prima pars aſſertionis, quod pro his muneribus rem ſpiritalem dare tanquam pretio eſt ſimonia. Quia cum ſint pretio æſtimabilia, quando per modum pretii dantur, non gratis, ſed intuitu mercedis conferuntur, & res ſpiritualis cum illis commenſurari intenditur, in quo irreligioſitas, & tota malitia ſimoniæ fundatur. Quod explicari poteſt per ſingula ex his muneribus diſcurrendo, & explicando quo pacto in eis ratio pretii intercedat. Et in munere a manu, quod in pecunia, vel re pretio æſtimabili conſiſtit, conſtat cum in eis propriè ratio pretii reperiatur, cum ſint pretio æſtimabilia, utiliaque proinde recipienti. Unde quoties donum aliquod datur intuitu principali accipiendi pro illo beneficium, aut è contra, eſt ſimonia: quia tunc vel formaliter vel virtualiter datur contractus oneroſus, qui vel eſt emptio explicita, vel implicita, vel emptioni æquivalens; & hujus pravæ intentionis ſignum eſt, quando non intervenit aliquis ex titulis, ſtipendii, ſuſtentationis miniſtri, redemptionis vexationis, aut laboris extraordinarii, remunerationis, honeſtæ amicitiæ, vel conſanguinitatis, ob quos poſſet licitè accipi illud temporale pro aliqua actione ſpirituali: quia tunc non præſumitur gratis donari, ſed ut pretium rei ſpiritualis. Diximus hoc ſignum eſſe; quia non ſemper contingit, ſed accidere poteſt, ut gratis omnino detur, vel ad ſatisfaciendum obligationi antidorali; quod non ſufficit ad ſimoniam, ut dicemus puncto ſequenti.

Quando munus ab obſequio habet rationem pretii.

30. Deinde munus ab obſequio habet rationem pretii, & conſequenter conſtituit ſimoniam in triplici caſu. Primus, quando beneficium, vel alia res ſpiritualis alicui confertur, ut illi obſequia recompenſentur, quæ ante beneficii collationem exhibent: ut ſi Epiſcopus conferat famulo beneficium, qui ei per aliquot annos abſque ſalario, vel certè eo diminuto ſervivit, ut per hoc obſequiis à famulo exhibitis ſatisfaciat. Secundus, ſi in recompenſatione

futurorum

futurorum obſequiorum beneficium conferatur: Ut ſi famulus vult Epiſcopo abſque ſalario, & abſque pacto inſervire, ut illi vacaturum conferat beneficium; quia hoc, loco ſalarii vult accipere; & ſic obſequia per modum pretii ſuſcipit ad beneficium obtinendum. Tertius eſt, quando intervenit pactum; ut ſi Epiſcopus Vicario, aut famulo dicat: ſervi mihi, qui beneficio vacaturo tua obſequia recompenſabo. ¶ In omnibus his caſibus eſt ſimonia collatio beneficii, ut tenent ſupra citati Authores, eo, quod in omnibus illis beneficium in mercedem, & ſalarium obſequii, vel obſequium reſolvitur in pretium, quo virtualiter emitur beneficium. Sed ſolum in tertio caſu, beneficium recipiens incurrit pœnas pro ſimoniacis in jure aſſignatis; & tenetur ad reſtitutionem beneficii cum fructibus. In aliis autem tales pœnæ non incurruntur, quia ſolum datur ſimonia mentalis, quando pactum oon intervenit. Simonia autem abſque peccato aliquo commiſſa, non incurrit pœnas juris, nec ingerit obligationem reſtituendi, ot *cap.* 4. dicemus, & habetur *in cap. mandatum, de ſimonia.* [Ex hac doctrina ſcies (inquit optimè Raphaël à Torre *art.* 5. *diſ.* 3. *fol.* 752. *col.* 1. *initio*) quid dicendum ſit in caſu frequenti, quo ſolent Epiſcopi propter obſequia eis præſtita ſuos famulos beneficio donare: & Principes ſæculares ad beneficia Eccleſiaſtica (quorum præſentatio ad eos pertinet) præſentare; & tunc bene poteſt fieri collatio beneficii ſine ſimonia: quia utrumque fieri poteſt gratis. Nec obſtat habere aliquem reſpectum gratitudinis; ſicut nec obſtare in munere a manu diximus. Alio modo contingit ſervire Principi, aut Prælato in officio, in quo velut famuli inſerviunt, & neceſſe eſt intercedere aliquod pactum ſaltem implicitum. Nam tales famuli ex officio inſerviunt, & ex ipſo ſervitio voluntariè accepto naſcitur intrinſecè obligatio juſtitiæ ad reddendam mercedem famulantibus. Et in hoc, & ſimilibus caſibus, qui volunt ab his famulis ſerviri, ſola, vel ferè ſola ſpe ſpiritualis beneficii, vel remunerationis ſimoniaci abſque dubio ſunt: quia videntur temporale obſequium, & debitum perſolvere per aliquid ſpiritnale. Neceſſe eſt ergo, ut hi Prælati tribuant ſuis famulis juſtum ſtipendium; tunc enim collationes donorum ſpiritualium gratuitæ cenſebuntur, & non alias.] Hactenus ille.

Quando munus à lingua in pretium reſolvitur?

31. Denique munus à lingua reſolvitur in pretium in ſequentibus caſibus. Primò, ſi Epiſcupus promittat alicui beneficium, ot pro illo apud Principem preces fundat, vel coram Rege illum laudet, vel ſi vir eſt nobilis, publicet, ac coram multis dicat ſe eſſe Epiſcopi conſanguineum, vel Epiſcopum eſſe de ſtirpe, ac progenie, quo honorabilior coram populo reddatur. Secundo, ſi pro precibus in futurum præſens confertur beneficium: ut ſi Epiſcopus ea conditione alicui de facto conferat, ut poſtea eum apod Regem laudet, vel pro eo apud Principem intercedat. Tertio, quando conventio eſt de precibus fundeodis ab alio apud ipſum Epiſcopum, qui confert beneficium: ut ſi Epiſcopus dicat, nolo dare tibi hoc beneficium, niſi roget pro te talis perſona, & ipſa à me hoc expoſtulet, ut hinc Epiſcopus ſumat occaſionem illam perſonam obligandi, aut amicitiam cum illa ineundi. Quarto quando quis conducit aliquam perſonam, ut pro ipſo apud Epiſcopum collatorem beneficii preces fundat. In omnibus, & ſimilibus caſibus ſimonia committitur, ut docent Bonacina *num.* 13. Leſſius *num.* 118. Layman. *num.* 26. Torre *loco citato*, *§. dico ſecundo.* Arauxo *num.* 11. Palaus *num.* 9. Soto *lib.* 9. *de juſtitia*, *quaſt.* 7. *art.* *§. quod ſi.* Suarez *lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 13. Et ratio eſt: quia beneficium in prædictis caſibus ex promiſſione vel pacto vertitur in rationem mercedis, laudem, vel precem; quæ etiam ſortiuntur rationem muoeris à lingua æſtimabilis pretio.

Quando prædicta munera ratione pretii non habent, ſed doni gratuiti?

32. Probatur modo ſecunda pars aſſertionis; nimirum, quod cum hæc dona rationem gratuiti beneficii non excedunt, propter illa conferre alicui beneficium, oon eſt ſimonia. Quod explicabitur diſcurrendo per ea, & videndo quando intra rationem gratitudinis, vel gratuiti continentur, & in pretium minimè reſolvuntur. Munus enim à manu non datur ut pretium, ſed gratis quando ex benevolentia, amicitia, aut gratitudine, & ſine ulla intentione obligandi ex juſtitia collatorem, confertur; vel ad conciliandam ejus voluntatem, ſine ullo pacto, cooventione, aut conditione: Et tunc non conſtituit collationem beneficii ſimoniacam, ſive detur ante, ſive poſt ipſam collationem beneficii: ut habetur *cap. ſicut Epiſcopus*, *cap. quam pio* 1 *quaſt.* 2. *cap placuit* 1. *quaſt.* 1. Imò etiamſi in ipſo actu ſimul cum beneficio ſpirituali, temporale donum offeratur gratis, & ex amicitia, aut gratitudine, recipi poſſe abſque labe ſimoniæ dicitur in *cap. placuit* 1. 1. *quaſt.* 1. *cap. dilectus* 2. *cap. sua nos eadem cau.* & *q* Quod amplius puncto ſequenti explicabimus. Etiam reducitur ad donationem gratuitam, quando munus à manu ex aliquo juſto titulo debetur, ut pro ſuſtentatione, pro ſtipendio, pro extraordinario labore, pro redemptione vexationis: quia licet tunc ex juſtitia tale munus debeatur, non tollit, quod abſolutè gratis ipſa res ſpiritualis conferatur. ¶ Munus etiam ab obſequio etiam habet rationem gratuitæ donationis, quando non exhibetur cum intentione obligandi rigoroſè, ſed ex benevolentia principaliter, licet minus principaliter conſequutio beoeficii intendatur. Ut ſi aliquis dignus beneficio, Epiſcopo inſerviat hac intentione, ut illi conſtare poſſit de ipſius dignitate, & ſufficientia, ut ea cognita aſſequatur ab eo beneficium. Vel ſi quis ea intentione Epiſcopo inſerviat, ut ejus benevolentia, & gratia conſequuta, ei de facile ob talem benevolentiam conferat beneficium. Cui ſi poſtea Epiſcopus conferat beoeficium, quia illum diligit, & in ſuam amicitiam acceptaverit, nulla eſt ſimonia. Et idem eſt ſi Prælato, aut Principi inſerviat extraordinario labore, & ſolicitudine, ut ejus ſcilicet voluntatem concilіet, qua ex gratitudine, & benevulentia conferat beneficium: quia in nullo ex his caſibus beneficium vertitur in ſalatium obſequii, nec obſequium ut pretium offertur beneficii; nec datur in recompenſationem illius, ſed omnino gratis. ¶ Similiter in munere à lingua, quando preces pro obtineodo beneficio fiunt ſine pacto, & promiſſione, non habent rationem pretii; & ſic non conſtituunt ſimoniacam illius collationem. Quod ex praxi multorum timoratorum conſtat, qui inducunt aliquos, qui apud Prælatos, & collatores beneficiorum pro eis preces fundant. Et eadem eſt ratio de laudibus, humano favore, & ſimilibus: unde ſicut

propter hæc beneficium conferre, non impedit illius gratuitam donationem; ſunt enim præces, & intereeſſiones motiva quædam amicabilia; ſic non facit collationem ſimoniacam. ¶ Ex his facile poſſunt ſolvi omnia pro contraria ſententia adducta argumenta.

Qualiter hæc munera dare gratis, poſſit eſſe aliud peccatum à ſimonia?

33. Illud autem, quod tetigimus in fine aſſertionis, quod in caſibus, in quibus hæc munera non habent rationem pretii, non habent malitiam ſimoniæ; & quod poteſt alias vitiari, vel vitioſa fieri collatio, aut petitio beneficii propter illa, tenent Authores ibi relati, & conſtat: Nam ſi preces pro indigno interponantur, pertinet ad injuſtitiam; imò, & quodammodo ad ſimnniam: non ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum præſumptionem: quomodo intelligitur D. Thomas, cum *in art. 5. in ſolut.* dixit: *Qui principaliter preces pro indigno porrectas exaudit, actum facit ſimoniacum*: nimirum ſecundum præſumptionem: quia collator beneficii indiguo, cum non moveatur ex dignitate, præſumitur ex precibus moveri ſpectatis per modum pretii. Similiter, *ſi aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus: & ſic preces ſunt pro indigno*, inquit D. Thomas *loco citato, ad 3. & in ſolut. ad 2.* dicit: *Quod ſi aliquis aliquid ſpirituale alicui conferat gratis propter conſanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, eſt quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen ſimoniaca.* Ecce qualiter aliis vitiis implicari poteſt collatio rei ſpiritualis, licet à labe ſimoniæ ſit immunis: Deinde, ubi munera, obſequia, & favores, etſi gratis conceſſa, intercedunt, eſt magnum periculum ſimoniæ, vel certæ non probæ electionis; ob idque in ſacra Scriptura hæc munerum acceptatio paſſim reprehenditur. *Exodi 23. Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum. Eccleſiaſt. 20. Xenia, & dona excæcant oculos judicum, & quaſi frænum in ore avertunt correptiones eorum.* Ob idque ex aliis capitibus eſſe prohibitam ut periculoſam, & vitioſam talium munerum collationem, pluribus textibus conſtat: Quæ adduximus *tom. 3. tract. 13. c. 1.*

---

§. II.

Aliquæ difficultates circa munus à manu, quod eſt pretium ſimoniæ, explicantur.

Statue difficultatis proponitur.

34. POſtquam dicta munera, à manu, à lingua, & ab obſequio explicata ſunt, reſtant plores difficultates enodandæ pro praxi multum neceſſariæ. Quas ut clarius procedamus diverſis §§. proponemus. Inquires ergo modo circa *munus à manu*, primo. An inter munera à manu ſit computandum mutuum? ita quod mutoare pecuniam pro obtinendo beneficio, aliave ſpirituali re, vel è contra dare beneficium ſub conditione pecuniæ mutuandæ, ſit ſimonia? Et idem eſt de dilatione debiti ſolvendi, vel de anticipata debiti ſolutione: ut ſi beneficium conferatur, ut alter dilationem ſolutionis debiti concedat, vel ante tempus præfixum debitum ſolvat: quia utraque eſt virtualis pecuniæ mutuatio. Qui enim debiti ſolutionem differt, virtualiter mutuare de novo cenſetur: & qui anticipatè debitum ſolvit. Quæritur ergo, an ſi ſub hac conditione, & pacto, ut alius mutuum uno, ex dictis tribus modis concedat, beneficium conferatur, talis collatio ſit ſimoniaca? Et dicimus ſub conditione, aut pacto: nam ſi liberaliter mutuum donetur, vel ob captandam benevolentiam, vel ingratitudinem beneficii accepti, ſive hoc ſit ante, ſive poſt, ſive in ipſa beneficii collatione, ſimonia non erit, ut conſtat ex dictis, & ex dicendis amplius conſtabit. Et non loquimur de obligatione, qua beneficium accipiens obligaretur ad mutuandum quoties beneficium dans, poſtulaſſet: quia propter talem obligationem rem ſpiritualem conferre, nulli dubium eſt ſimoniam eſſe; cum talis obligatio ſit pretio æſtimabilis: ob idque eſſe uſuram, mutuare cum pacto, ut alius ſe obliget ad remutuandum, diximus *tom. 3. tract. 14. de contract. cap. 3. n. 64.* ſed loquimur de mutuo præſentaneo, ſeu, quod hic, & nunc offerretur pro beneficio.

Propter mutuum beneficium dare, non eſſe ſimoniam aliqui dicunt.

35. Et videtur propter mutuum, beneficium dare, vel propter beneficium, aliudve ſpirituale mutuum exigere, non eſſe ſimoniam. Tum: quia ſecundum D. Thom. *q. 100. art. 5.* & communem omnium conſenſum, ad ſimoniam requiritur pretium, aut aliquid pretio æſtimabile: ſed mutuatio non eſt aliquid pretio æſtimabile; ob idque propter mutuum pretium, ſeu lucrum petere, eſt uſura: ergo propter mutuum conferre beneficium, non erit dare ſpirituale pro aliquo pretio æſtimabili, & ſic non erit ſimonia. Tum etiam: quia mutuare ſub ea conditione, & pacto ut alius remutuet, ut mutuare pecuniam, ut alius mihi triticum remutuet, non eſt uſura, ut ex Diana, Leſſio, Maldern, Villalobos diximus *loco citato, n. 62.* & docet D. Thomas 1. 2. *q. 78. art. 2. ad 4.* Quia nihil ibi pretio æſtimabile ultra ſortem petitur. Ergo ſimiliter in præſenti, id non erit ſufficiens pretium ad ſimoniam. Sic Sanchez *tom. 1. Conſiliorum, lib. 2. c. 3. dub. 28. n. 4.* Aragon. 2. 2. *q. 100. art. 6. concl. 1.* ubi aſſerit, quod in rebus ſpiritualibus non eſt ſimonia id, quod in temporalibus non eſt uſura. Paſqualig. *in qq. canonic. centur. 4. quæſtione 378. numero ſexto*, quem refert, & ſequitur Diana *part. 11. tract. 6. miſcell. reſolutione 31.* quatenus aſſerunt eſſe ferè eandem rationem de ſimonia, ac uſura; & omnes alii, qui unam cum alia in omnibus comparant cum diſtinctione, quod una ſit in temporalibus, alia in ſpiritualibus.

Ob mutuum beneficium dare, vel mutuũ dare propter beneficium eſt ſimonia.

36. Sed certè cum ſimonia circa res ſpirituales verſetur, quæ ſunt omni reverentia, ac veneratione tractandæ; plures commutationes, & conventiones, quæ ſunt immunes à vitio uſuræ etiam in temporalibus, non ſunt à ſimoniæ labe liberæ in ſpiritualibus. Quia in mutuo largiendo, non eſt neceſſaria tanta puritas, & gratia, quanta in ſpiritualibus diſpenſandis, propter dignitatem eorum, quæ non admittit commutationem pro rebus temporalibus; quæ dignitas non reperitur in rebus mutuatis. In iſtis enim ad uſuram ſolum attenditur, ne pretium, aut lucrum pro mutuo ſupra ſortem petatur; ob injuſtitiam, quæ fit mutuatario, illi ſupra debitum aliquid exigendo: quod non contingit, quando id, quod exigitur non eſt pretio æſtimabile, ut in noſtro caſu. In illis vero ſolum ob reverentiam rerum ſpiritualium aliquod temporale peti, vel accipi, ut ſimoniacum condemnatur: quod quia communiter pretio æſtimari ſolet, dicitur ſimoniam eſſe rem

ſpiritualem

ſpiritualem pro temporali pretio æſtimabili commutare. Cæterum, quia eadem irreverentia, imo major invenitur, cum res ſpiritualis pro temporali, nullo æſtimabili pretio confertur; quia in hoc magis deprimitur, & vili penditur res ſpiritualis; ideo illam pro mutuo, quod eſt quid temporale commodum, & utilitatem ſecum ferens, ſed nullo pretio æſtimabile, conferre, vel rem ſpiritualem pro illo dare, ſi hoc ex pacto, conventione, aut conditione procedat, ſimoniacum cenſendum eſt. Et ita communis ſententia tenet. Quam docent Torre 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 5. *diſp.* 1. *fol. mihi* 748. *colum.* 2. Paulus Layman. *tract.* 10. *cap. ultim.* §. 3. *num.* 25. Bonacin. *de ſimon. diſp.* 1. *quæſt.* 1. §. 1. *num.* 7. Hugolin. *tabul.* 1. *cap.* 9. §. 5. *num.* 2. Filiucius *tract.* 45. *cap.* 9. *quæſit.* 7. *num.* 12. Leſſius *lib.* 2. *cap* 20. *dub.* 9. *num.* 64. Palaus *tom.* 3. *tract.* 14. *diſputat.* 3. *punct.* 4. *num.* 3. Navarr. *cap.* 23. *num.* 101. *fine*, & *conſil.* 14. *num.* 6. *de ſimonia.* Rodriguez *tom.* 2. *Summ. verſu ſimonia, cap.* 59. *num.* 3. *in* 2. *concluſ.* & alii.

Ratione conſanguinitatis, vel affinitatis dare beneficium, non eſt ſimonia.

37. Inquires ſecundo, an ſimonia ſit dare beneficium titulo conſanguinitatis, vel affinitatis? Reſpondetur negativè. Tum: quia conſanguinitas vel affinitas nec eſt munus à manu, nec ab obſequio, nec a lingua: quia conſanguinitas, vel affinitas donari non poſſunt, quæ ſunt tria membra, in quæ adæquate ſecundum omnes, pretium ſimoniacum partitur. Deinde quia ſimonia eſt, dare ſpirituale pro re æſtimabili, quæ poteſt ab uno in alium transferri; & ſic habet rationem pretii, & ſub pacto poteſt deduci: ſed conſanguinitas, vel affinitas, nec eſt pretio æſtimabilis, neque ab uno in alium poteſt transferri, nec poteſt alicui de novo provenire, nec in pactum ob hanc rationem deduci: ergo. Aliud eſt ſi vir nobilis ſe fingeret conſanguineum Epiſcopi infimæ conditionis, & ob id Epiſcopus ei beneficium conferret: tunc proculdubio eſſet ſimonia; quia jam talis conſanguinitas quoad alios Epiſcopo de novo adveniret, eique accreſceret novus honor, novaque proinde utilitas; & ſic poſſet talis commendatio in pactum deduci: quod pertinet ad munus à lingua, ut diximus. Cæterum ob veram conſanguinitatem, vel affinitatem beneficium conferre, etſi poſſet eſſe vel contra juſtitiam, vel contra debitum ordinem ſervandum, non contra Religionem, & ſimoniacum.

Quot modis ſe habeat Epiſcopus in dandis conſanguineis beneficia.

38. Etenim tripliciter ſe poteſt Epiſcopus habere in conferendo beneficio conſanguineo. Primo præferendo illum dignioribus; & ſic peccat contra juſtitiam diſtributivam. Unde *in cap. nemo, de ſimonia, cap. ſi quis neque* 1. *q.* 1. reprehenditur uſus quorumdam Epiſcoporum, qui prætermiſſis dignioribus contra juſtitiam præferunt conſanguineos in collatione beneficiorum. Secundo: ſi nulli digniori illum præfert, & hos habet reſpectus principaliter non ad conſanguinitatem, ſed ad bonum Eccleſiæ, & ſic rectè agit. Tertio, ſi reſpectum habeat principaliter ad conſanguinitatem, ſuppoſita dignitate ſubjecti; & ſic peccat inordinatè providendo de ſpiritualibus, non propter finem ſpiritualem: non tamen erit peccatum mortale, ſed veniale: quia debita intentio non ſalvatur in collatione rei ſpiritualis: ſicut qui eleemoſynam ob vanitatem tribueret. Nunquam tamen eſt ſimonia: eſſet tamen ſimonia, ſi alicui conferret beneficium eo pacto ut de redditibus conſanguineos Epiſcopi aleret, ut ex ſe conſtat. Quod totum dixit D. Thomas 2. 2. *quæſtione* 100. *artic.* 5. *ad* 2. his verbis: *Quod ſi aliquis aliquid ſpirituale alicui conferat gratis propter conſanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, eſt quidem illicita carnalis collatio, non tamen ſimoniaca, quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur ſimonia. Si tamen aliquis det beneficium Eccleſiaſticum alicui hoc pacto, vel intentione, ut exinde ſuis conſanguineis provideat, eſt manifeſta ſimonia.* Quare non eſſe ſimoniam ob conſanguinitatem, vel affinitatem præciſe beneficium conferre, docent præter D. Thomam, omnes ejus diſcipuli. Cajetanus *ſuper citat. articul.* Torre *ibi diſputatione prima*, Arauxo *diſputatione* 14. *parte ſecunda, articulo quarto, numero tertio*, Adrianus *quodlib.* 9. *ad* 3. Covarr. *libro primo, variar. capite quinto, numero quarto.* Suarez *libro quarto, capite* 36. *numero ſexto.* Palaus *tractatu* 14. *diſput.* 3. *punct.* 3. *num.* 8. *fine.*

39. Inquires tertio, an inter munera à manu penſio ſolvenda comprehetur, ita quod ſit ſimonia, ſi Epiſcopus, aut alius elector conferens alicui beneficium, conveniat cum eo, vel cum alio tertio de admittenda penſione ſibi, vel alteri, alias non collaturus? Vel ſi in Romana Curia prætendens aliquod adipiſci beneficium, cum aliquo curiali conveniret, ut ſibi auxilium ferret ad beneficium aliquod obtinendum, ſub conditione ſolvendi illi penſionem. Vel ſi cum aulico paciſceretur, ut ſibi de vacantibus beneficiis ſtatim oſtium præbeat, promittens ſe penſioni conſenſurum imponendæ in favorem ejus. Et ex reſolutione in primo caſu relato ſequitur aliorum duorum reſolutio, ut inquit Flamin. *de reſign. libro* 14. *quæſt.* 4. *a num.* 5. Palaus *punct.* 3. *num.* 4. Navar. *de ver. conſil. de ſimon. conſil* 47. & 57. & ſic loquimur de caſu, quo Epiſcopus conveniret cum eo, cui beneficium conferret, ut ſibi, vel alteri penſionem ſolveret. Pro quo ſupponendum eſt, ex jure poſſe Epiſcopum ad tempus pro cauſa juſta, & neceſſaria beneficiis Eccleſiaſticis penſionem aliquam imponere, *ex cap. ſi propter, de reſcript. in* 6. *ex Clementin.* 2. *de reb. Eccleſ. non alienand.* & ibi Gloſſa, *verb defenſor.* Quamvis ſatis probabile ſit per non uſum hanc facultatem amiſiſſe, & pertinere ad Pontificem; ita, quod nulla penſio ab Epiſcopo impoſita ſine conſenſu Pontificis vires obtineat. Sed quidquid ſit de hoc, dicimus in caſu propoſito committi ſimoniam: quia non licet Epiſcopis beneficia conferre, & in ipſa collatione gravamen imponere, quod alias beneficium ipſum ex ſe non haberet, ut infra dicemus; quia cum huiuſmodi gravamen ſit æſtimabile, & temporale commodum alicui adducens; cum pactione illius beneficium conferre, proculdubio eſt ſimonia. Suarez *lib.* 4. *cap.* 38. *num.* 10. Valentia 2. 2. *diſputat.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 3. *fine.* Sotus *lib.* 9. *quæſt.* 7. *artic.* 2. Toletus *lib.* 5. *cap.* 62. *fine.* Ledeſma 2. *part. Summ. tract.* 12. *concluſ.* 20. & 21. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. §. 1. *num.* 5. Azor 3. *part. lib.* 12. *cap.* 11.

§. III.

Aliæ difficultates circa munera ab obſequio deciduntur.

Dona gratis dare ad hoc ut aliquis actū virtutis exerceat in propriam utilitatem, ſimonia non eſt.

40. CIrca munera ab obſeqoio rogabis primo, an ſimonia ſit alicui promittere, donare, aut legare rem temporalem, ac pretio æſtimabilem ſub conditione, aut modo, ut ab eo obſequium ſpirituale præſtetur, non per modum retributionis, ſeu commutationis, in commodum rem ſpiritualem cedentis? Reſpondetur negativè. Et ſequentibus explicatur. Si Parentes filiis munera promittant ſub conditiune ut Sacramenta frequentent; ſi Chriſtianus infideli aliquid docet, aut promittat ſub conditione ut ſacrum Baptiſmum recipiat; ſi vir pius mulieri hæreticæ promitteret futuras cum ea nuptias, ſi ad Catholicam fidem reducatur; ſi puellæ dotem, & omues redditus conſanguineus promittat, ſi Religionem ingrediatur, & in ea profeſſa fuerit; in omnibus his, & ſimilibus caſibus pro actionibus (quæ veniunt nomine obſequii) ſpiritualibus, & ſacris, res temporalis promittitur per modum inductionis ad bonum ſpirituale, in utilitatem ipſius, qui eſt tale ſpirituale exequuturus: quo nihil frequentius uſitatum tam in teſtamentis, in quibus legatum, aut dotatio multoties relinquitur ſub conditione, aut modo, quod virgo Religionem ingrediatur, & non aliter. Tum etiam extra illa, cum adoleſcentibus, ſumptis ſtudiorum offeruntur, vel miniſtrantur, ut ſtatum Eccleſiaſticum amplectantur; alioquin ſumptus reſtituere debent. In his igitur caſibus non committi ſimoniam, probatur. Quia ubi non eſt contractus oneroſus, & reciprocus, ſed liberalis donatio, non committitur ſimonia, etiam ſi in donatione, vel promiſſione adiiciatur conditio, vel modus; ut tunc rem accipere, aut retinere poſſit promiſſarius, aut donatarius, ſi opus bonum ſpirituale ab ipſo perfectum fuerit, ad illum inducendum, & alliciendum, ut illud opus bonum ſpirituale exequatur; quin illi obligatio ſimpliciter aliqua imponatur; ſed ſolum ſub conditione illa vel modo res temporalis conferatur. Quod ſi eam accipere, vel retinere velit, aliquid ab ipſo in ejus utilitatem fiat: in quo non imponitur obligatio; ſed optio datur, ut ſi velit, illud donum retinere, hoc vel illud bonum efficiat: & manet liberalis pactio, & donatio; ſed ſub tali conditione, aut modo, ut ſibi ipſi conſulat, & ſalutaria complectatur. Ita Gloſſa *in cap. debet 23. quaſt. 4.* Adrianus *quodlib. 9. art. 3. in reſponſ. ad 3. principal.* Sanchez *lib. 1. de matrimon. diſputat. 39. concluſ. 3. & tomo primo, conſil. lib. 3. cap. 2. dub. 17.* Suarez *de ſimon. cap. 16. num. 12. 14. & 17.* Maldetus *1. 2. tractatu nono, capite tertio, dub. 7.* Lezana *verbo ſimonia, numero nono,* Layman. *tractatu decimo, cap. ultim. de ſimonia, §. 2. numero undecimo*, Villalobos *tractatu 37. difficultat. 15. numero tertio*, Leſſius *libro 2. cap. 35. dub. 12. num. 66.* Palaus *diſputat. 3. punct. 9. num. 7.*

Duplex limitatio doctrinæ præcedentis.

41. Sed prædicti authores duplicem merito limitationem doctrinæ modo traditæ adjiciunt. Prima eſt: ut non imponatur viciſſim promiſſariu ulla obligatio ſimpliciter; ſed ſemper ipſe liber maneat ad faciendum, ſi voluerit, opus ſpirituale: aliter enim efficeretur contractus oneroſus, ac proinde ſimoniacus. Ut ſi dicat do tibi, ut in te ſuſcipias obligationem faciendi iſtud. Vel do tibi centum ea lege, ac obligatione, ut Religionem ingrediaris: quo pacto dixit D. Thomas *quaſt. 189 art. 9. in corpor.* ſimoniacum eſſe alterum ad Religionem trahere muneribus, *ſi pactum intercedat.* Pactum utique, quo ille maneat ſimpliciter obligatus; ſed abſque tali obligatione illi impoſita, muneribus ad hoc inducere non eſt ſimoniacum, ut optime tradit ipſe S. Doctor *quaſtione 100. art. 3. ad 4.* his verbis: *Sicut etiam licitum eſt aliquem econverſo provocare ad devotionem Monaſterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monaſterii ingreſſum; licet non ſit licitum ex pacto aliquid dare, vel accipere pro ingreſſu Monaſterii.* ¶ Secunda limitatio eſt. Quod conditio vel modus abjectus non ſit de dando, vel faciendo aliquid in utilitatem dantis, vel promittentis, vel alterius perſonæ, cujus ille quaſi vicem ſubeat. Nam tunc conditio re ipſa tranſiret in commutationem: quæ cum ſit rei temporalis pro ſpirituali, proculdubio erit ſimoniaca. Ut ſi dicat, do tibi nummos, ut mihi vel amico meo dederis ſacras reliquias: Imo in hoc omnis contractus ſimoniacus conſiſtit, quod temporale detur ſub conditione recipiendi ſpirituale, vel è contra. Atque hinc fit, quod ſi virgini dotem, aliamve temporalem rem promittas, ſub conditione ut Religionem ingrediatur, ut tu, vel filius, vel conſanguineus in majoratu, vel alia hæreditate illius ſuccedat; vel ut expedita familia à tali fœmina maneat, vel ob aliud commodum, aut utilitatem tui, vel tuorum, committis ſimoniam: quia jam rem ſpiritualem ab illa petis, pro temporali quam promittis, in utilitatem tuam exercendam: Suarez, Palaus, Layman. *locis citatis.* A qua liber eris, ſi ob bonum, & utilitatem ipſius Virginis, & ut eam ad id, quod ſibi conveniens eſt, ad Religionem inducas, muneribus oblatis inclinans, liberam eam, & abſque ulla obligatione relinquens.

Onus imponere beneficio, quod de ſe ineſt, non eſt ſimonia.

42. Rogabis ſecundo, an ſimonia ſit, alicui conferre beneficium, vel aliud ſpirituale, cum pacto, ut beneficiarius præſtet aliquod onus, vel obſequium, vel ad aliquid aliud obligetur, quod non erat annexum beneficio, nec ex vi collationis illius conſequutum. Graviſſima quæſtio eſt, & pro pluribus caſibus reſolvendis ſummopere neceſſaria; in qua proinde aliquantulum immorabimur. Pro quo ſupponendum eſt ex communi Doctorum ſententia, quod ſi beneficio ponatur conditio, vel onus, quod de jure ineſt, & eo modo, quo ineſt, nulla ſimonia committetur. Ut ſi Epiſcopus habenti beneficium curatum, conferat aliud curatum ea conditione, ut reſignet primum, non erit ſimonia: quia illa conditio de jure ineſt; cum nemo poſſit duo beneficia curata obtinere. Aliud eſſet, ſi beneficia eſſent compatibilia, & conferret beneficium ſecundum ſub eo onere ut remittat aliud: quia cum tal[illegible] conditio de jure non ſit, eſt onus de novo impoſitum: quod quæritur, an ſit ſimoniacum? Et idem eſt ſi quis ſuam Capellaniam, aut beneficium conferat alteri ea conditione, ut cum aliud obtinuerit, illud ſibi reddat. Quia ex[illegible]

jure

jure inſit conditio, quod illud renuntiet, ſi eſt incompatibile cum alio, de jure tamen non eſt, ut illud renuntiet, & in alterius favorem, qui illum ſibi dedit. ¶ Similiter quando eſt jam beneficio annexum ab ejus inſtitutione onus docendi, legendi, cantandi, &c. tale conferre beneficium cum pacto, aut conditione hæc officia debitè exequendi, non eſt ſimonia: quia jam illud onus beneficio erat annexum, & cum illo debet tranſire: & ſic conditio, quali ineſt de jure, de qua paciſci, non eſt verum pactum, ſed explicatio, aut intimatio illius, ad quod beneficium recipiens tenetur.

Sententia aliquorum circa quæſitum proponitur.

43. Supponendum eſt ſecundo, quod poteſt annecti præbendæ vacanti onus aliquod honeſtum, & moderatum, cedens in utilitatem Eccleſiæ, ut onus docendi, cantandi, negotia Eccleſiæ promovendi: ut ſic beneficium ad quemcumque pervenerit, tranſeat cum ſuo onere: quia tunc nullum initur pactum inter dantem, & accipientem beneficium; ſed ipſi beneficio annectitur onus, ut cum illo tranſeat de uno in alium. Quod docet D. Thomas *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 1. ad 5.* & eſt commune. Hoc autem poteſt facere Epiſcopus cum Capitulo, *Vt patet ex cap. ſignificatum. de præbend.* Et ibi Gloſſa & Cardinal. *num. 1. & 2.* Navarro *cap. Quando, num. 54.* Sanchez *Conſil. lib. 2. cap. 3. dub 21. num. 2.* ubi addit *n. 3.* quod ſi beneficium ſit juris patronatus, requiritur conſenſus patroni. ¶ Quæritur ergo modo, an ipſi recipienti beneficium poſſit apponi onus novum, illique beneficium conferre ſub conditione, aut pacto hoc, vel illud efficiendi, ſi ſit opus ſpirituale, ut docendi, canendi, beneficium, quod habebat reſignandi, quod neque de jure inerat, nec annexum jam erat beneficio. ¶ Plures, quos refert Sanchez *loco n. 4. cit.* dicunt id ſine labe ſimoniæ fieri poſſe, ſi obſequium, quod imponitur, ſeu onus, ſub quo datur eſt ſpirituale (ſi enim eſſet temporale, nulli dubium eſt eſſe ſimoniam) quia dicunt hic ſolum intervenire commutationem rei ſpiritualis pro ſpirituali; & ſic dicunt omne pactum circa ſpiritualia eſſe ſimoniam, quando pactum eſt ad aliquod temporale dandum, vel faciendum, non ad aliquid ſpirituale: & ſic explicant *Cap. illud ſignificatum, de Præbend. cap. Quam pio 1. q. 2. cap. finale de pact.* Vbi à beneficiis removetur omne pactum, dicunt intelligi de pacto rei turpis, vel temporalis. Et ſic quod poteſt dari alicui beneficium cum pacto docendi, quia docere eſt aliquid ſpirituale.

Non poteſt onus aliquod ſive ſpirituale, ſive temporale imponi beneficio ſine ſimonia.

44. Sed dicendum eſt, quod licet in aliis rebus ſpiritualibus poſſit dari commutatio, aut permutatio unius cum alia, vel res ſpiritualis dari cum onere recipiendi obſequium, vel rem ſpiritualem ſine ſimonia. Vt ſi ego pro te hac hebdomada applicem tot miſſas, cum onere ut tu pro me tot applices hebdomada ſequenti; ſi ego pro te hæc vel illa pia opera faciam, ut tu pro me alia ſimilia præbeas, de quo *cap. 3.* amplius dicemus. At in beneficiis omnis pactio facta cum ipſo, qui beneficium accipit, omnis conditio, vel modus abſque licentia Pontificis appoſitus, licet ſit de re ſpirituali, eſt jure Eccleſiaſtico ſimoniacus. Vnde ſolus Pontifex in collatione beneficiorum poteſt apponere onera, conditiones, obſequia, &c. ſive temporalia ſint, ſive ſpiritualia, abſque ſimonia. Vnde ſimonia eſt facere collationes, renunciationes, vel recipere factas beneficiorum, cum quibuſcumque conditionibus, modis, vel pactis. Vnde omne pactum, omnis modus, & conditio, quæ jure non ineſt adjecta collationi, beneficii renunciationi, vel reſignationi, facit eas ſimoniacas. Et omne onus, vel obſequium, vel conditio adjecta collationi beneficii, quando iſta non erant beneficio annexa, ut onus docendi, canendi, prædicandi, &c. beneficii collationem ſimoniacam conſtituit; ſive hæc obſequia temporalia ſint, ſive ſpiritualia. Et ratio eſt: quia hoc Eccleſia prohibet in reverentiam rei ſpiritualis: quia in his omnibus beneficium ſpirituale concedetur, vel relinquetur, cum onere, ut fiat aliquid quaſi pro pretio rei ſpiritualis, vel cauſa principali, & immediata eam habendi. Vnde hoc omnino prohibetur. *Cap. Quam pio 1. q. 2.* ubi omnis pactio, omnis conventio in collatione, vel reſignatione beneficiorum, ut ſimonia vetatur. *Et cap. final. de pact.* dicitur: *in ſpiritualibus obtinendis omnis pactio, omniſque conventio ceſſare debet.* ubi Gloſſa: *Quia hujuſmodi pactiones ſimoniam inducunt.* Et *cap. Quæſitum de rerum permut.* Commutationes præbendarum de jure fieri non poſſunt, præſertim cum pactione præmiſſa; quia circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus labem continent ſemper ſimoniæ. Sic Navarr. *cap. 23. num. 100. verſicul. 2.* & *lib. 5. Conſil. titul. 3. de ſimon. conſil. 4.* & *conſil. 20. num. 1.* Sylveſter *verb. ſimonia, quæſt. 16. diſtinct. 4.* Victoria *relect. de ſimonia. 1. p. num. 6.* Soto *lib. 9. quæſt. 5. art. 5.* Sanchez *tom. 1. Conſil. cap. 3. dub. 25. num. 6.* Bonacin. *de ſimon. diſp. 1. quæſt. 1. §. 1. num. 11. & 12.* Suarez *lib. 4. cap. 39. n. 13. & 10.* & *cap. 31. n. 14.* Garcia *tom. 2. de Benefic. part. 8. cap. 2. numero 17. & 24.* Palaus *tom. 3. tract. 14. diſput. 3. punct. 3. §. 3. num. 5.* & Gloſſa *in cap. Dilecto, de præbend. verſ. ſignificavit:* ubi dicit: *Simoniacus eſt, qui non reſignat beneficium purè, & ſine aliqua conditione.* Et Gloſſa *in cap. Dudum de præbend. in 6. verſu liberè.* Vbi dicit: *in beneficiis non habet locum conditio aliqua vel pactum.*

Aliquæ illationes ex doctrina traditur.

45. Hinc infertur primo, ſimoniam eſſe, cum quis renuntiat beneficium ſuum in favorem alicujus, ut ille vel alius renuntiet illud in favorem alterius. Similiter eſt ſimonia, ſi in aliqua electione ad beneficium unus ſuffragetur pro Petro, ut Petrus, vel alius ſuffragetur pro illo in alio beneficio. Vel ſi renuntiat beneficium ſuum ſimpliciter cum pacto, ut alius ſibi impetret aliud ab Epiſcopo, vel alio Collatore; vel ſi Epiſcopus conferat beneficium ea conditione, ut alius beneficium, quod habebat non incompatibile reſignet, vel illud ipſum, quod accipit, poſtea reſignet. Vel ſi promittatur beneficium pro voce electionis, vel pro electione non impedienda. Et etiam ſequitur eſſe ſimoniacum, quando plures Clerici habentes præſentare ad duo beneficia conveniunt, ut pro nullo alio ſuffragium ferant, niſi pro ſe ipſis, donec omnes obtinuerint ea beneficia. Navarr. *lib. 5. Conſil. titul. 3. de ſimon. conſil. 21.* Sylveſter *ſimon. 13. diſtinct. 4.* Sanchez *capite tertio, dub. 26. numero 18.* Qui etiam docent, quod ſi duo ſe opponant beneficio, & aliter velit opponere defectum verum, ut irregularitatem occultam, ſi pecunia, aut alio pretio promiſſo conveniant, vel penſione aliqua oblata, ut non apponat, erit ſimonia.

Aliæ illationes proponuntur.

46. Infertur ſecundo reſolutio duorum caſuum, quos proponit Navarrus, Sanchez, Rodriguez. Primus eſt. Titius petivit a Patrono, ut illum ad dignitatem vacantem, vel vacaturam præſentaret; & quò facilius hoc obtineret, obtulit ſe relicturum beneficium ſimplex in

manibus Epiſcopi, ut illud cui vellet, concederet. Secundus eſt. Duo conveniuot inter ſe, ut alter reſignet beneficium in favorem alterius, modo conſeotiat tantæ penſioni de licentia Papæ: ſed fit inter illos conventio, ut exprimat majorem valorem beneficii, ut ſic Pontifex tantæ penſiooi conſentiat. Ad quos cum prædictis authoribus reſpondemus: in primo non committi ſimoniam, bene autem in ſecundo. Ratio eſt: quia in primo caſu Titius non obtulit ſe relicturum beneficium, ut pretium, nec ut cauſam principalem, ſed impulſivam: quia ſolum intendit alterius movere voluntatem illo obſequio, ut patronus ex gratitudine, aut benevolentia illum ad dignitatem præſentet. Sicut qui diligenter Epiſcopo ſervit ſperans ab eo beneficium. In ſecundo autem caſu ſimoniam committi probatur: quia conventio inter illos facta de admittenda, & ſolvenda penſione pro beneficii reſignatione invalide poſita eſt, & ſine legitima Papæ licentia; cum ea licentia ſit ſubreptitia; ac perinde ac ſi non eſſet habita.

Aliæ illationes amplius declarantur.

47. Infertur tertio, quod ſi aliquis permutans beneficium, vel renuntians in favorem alterius cum reſervatione penſionis de licentia Papæ, conveniat cum ipſo, ut ſolvat bullas penſionis, vel bullas utriuſque beneficii, vel quod ex fructibus beneficii alterius ſolvantur, datur ſimonia. Quia conditio, pactum, & onus apponitur, quod natura ſua non ineſt, cum unuſquiſque teneatur ſolvere bullas vel beneficii ſui, vel penſionis quam recepit. Navarr. *lib.5. Conſil. titul.3. de ſimon. conſil.5.* Sanchez *tom.1. Conſil. lib.2. cap.3. dub.25. numero* 11. ¶ Committunt etiam ſimoniam electores, qui pactum inter ſe ineunt, ut electiones viciſſim faciant in gratiam, & obſequium ipſorummet electorum; ita ut hac vice eligatur unus in gratiam unius electoris; altera vice alter in gratiam alterius. Et ſic de cæteris. Bonacina *num.* 15. *verſu. diximus peculiares.* Sanchez *numero* 17. Sylveſter *dict.*4. Erit etiam Patronus, aut Epiſcopus ſimoniacus, ſi ille præſentaret, hic conferret beneficium cum onere celebrandi pro ſe tot miſſas, vel recitandi litanias, vel officium aliquod, ad quod alias non obligabat. Suarez *cap.* 39. *numero* 13. Bonacin. *loco citato.* Quod intellige, ſi ad hoc ex pacto illum obligaret; ſecus autem ſi gratioſè ea ſubſidia ſpiritualia ab eo peteret. ¶ Similiter, ſi aliquis reſignaret beneficium ea conditione ut in matrimonium duceret conſobrinum ejus, in cujus favorem reſignavit, eſſet ſimoniacus: quia reſignatio, aut collatio beneficii debent eſſe ab omni peccato alienæ. Palaua *numero* 7. Toletus *cap.* 90. *numero* 3.

Cæteræ illationes, quæ ex dictis ſequuntur.

48. Denique infertur, quòd ſi alicui conferretur beneficium curatum cum onere, ut reſignaret libere, quod habebat, committeretur ſimonia: quia petitur conditio aliqua in collatione beneficii, quæ de jure non eſt, & de ſe eſt oneroſa. Hinc fit, quod ſi ordinarius in collatione beneficii cujuſcumque exigeret à collatario juramentum, quod non reſignabit illud in favorem alicujus, vel non reſignabit cum penſione, ſimoniacus eſſet, & juramentum illud eſſet nullum, nullamque induceret obligationem; ac proinde illo non obſtante poſſet collatarius, cui vellet, reſignare beneficium, etiam cum penſione: quia juramentum de reſignando beneficio libere, & ſine penſione, caſu, quo debeat reſignari, de jure non ineſt beneficio accipiendo; & ſic eſt ſimoniacum ac proinde nullum. Navarr. *ſupr.* Vgolin. *tabul.1. de ſimonia, cap.8. §.3. numero* 2. Palaus *ſupr. num.6. qui numero* 7. cum Garcia *ſup. cap.5. numero* 46. idem contingere docet in caſu, quo Epiſcopus intendens conferre parrochialem alicui oppoſitori habenti aliam parrocbialem, peteret ab eo, ut prius dimitteret parrochialem, quam habet; ſi dimittens ea conditione reſignet, ut ſibi Epiſcopus aliam parrochialem concedat, aut ad illam nominet: quod tunc datur ſimonia, cum pro collatione, ſeu nominatione beneficii, aliquid faciat, ad quod de jure non tenetur. Et idem eſt ſi reſignatio fieret ſalvo jure, hoc eſt, ſi non aſſequeretur ſecundum, reverteretur ad primum. Quod ſecus dicendum eſſet ſi libere, & abſquo ulla conditione tacita, vel expreſſa reſignatio fieret.

§. IV.

Reliqua difficultates circa munus à lingua explanantur.

Aliquid dare, ut alius pro me intercedat ad obtinendum beneficium non eſſe ſimoniam, ait qui dicunt.

49. Denique circa *munus à lingua*, per quod intelliguntur favores, preces, interceſſiones, inquires primo. An ſi quis pecuniam daret, non quidem collatori beneficii, vel ordinis, ſed mediatori, interceſſori, miniſtro, famulo, alterive perſonæ, ut preces, vel interceſſionem interponerent cum Epiſcopo, ut ab eo ordinationem, vel beneficium recipiat, ibi ſimonia committatur? Sunt qui partem negativam tuentur: quia ſimonia eſt quando pro temporali dono res ſpiritualis emitur, aut commutatur: ſed in præſenti non datur commutatio temporalis rei pro ſpirituali, ſed temporali; nam pecunia datur non pro beneficio, aut ordinatione, ſed pro favore, pro precibus, pro interceſſione mediatoris, hæc omnia merè temporalia ſunt, & pretio æſtimabilia; & ſic ſi propter illa daretur beneficium, aut alia res ſpiritualis committeretur ſimonia, ut diximus §. 5. Cum ergo mere temporalia ſint, nullam cum ſpirituali connexionem habentia; ſiquidem adhuc illis interpoſitis, non cogitur Epiſcopus beneficium, aut ordinationem dare, ſed gratis, & libere confert; pro illis pecuniam dare, eſt dare temporale pro purè temporali; & ſic non erit ſimonia. Sic quidam doctus Neothericus, quem refert Sanchez *Conſil. tom.1. lib.2. cap.3. dub.26. num.1.* à qua ſententia non aberrare dicit Sotum *lib.9. de Iuſtitia, q.7. art.3. in fine corp.* Gregor. Lopez *l.7. verſu tertio.* Sed nos quadruplici ſequenti concluſione difficultatem enodabimus.

Munus offerre pro labore interceſſoris, non eſt ſimonia.

50. Dicendum eſt ergo primum, quod ſi pecunia detur his familiaribus, vel aliis pro labore ſuſcepto ineundo, & redeundo ad negotiandam collationem beneficii, non pro ipſis precibus, aut interceſſionibus, vel detur in recompenſationem alicujus damni ſi patiantur, vel lucri ſi amittant, ſimonia verè non committitur: quia hæc omnia accidentalia omnino ſunt collationi, neque ad illam aliquomòdo influunt. Diximus verè ſimoniam non committi; nam ſub illo tegmine palliari multoties nemo ambigit; quandoquidem ſub titulo, quod dantur pecuniæ pro labore, vel in recompenſationem lucri amiſſi

amiſſi aut damni paſſi, dantur revera pro mediatione, interceſſione, aut labore. Cujus ſignum eſt, quod multoties pecunia excedit æſtimationem laboris, vel damni ſecundum ſe ſpectati; & ſolum ratione beneficii obtinendi creſcit diligentiarum æſtimatio: & quia illud pignus eſt, eo diligentiæ pluris æſtimantur: quo manifeſte innuitur non pro labore, non pro recompenſatione damni dati, ſed pro obtentione beneficii, quod eſt manifeſtè ſimoniacum. Unde à talibus pactis, & donationibus omnino eſt abſtinendum. Si tamen vere ſolum datur pecunia pro dicto labore, aut compenſatione, quæ dari debet ſi ſit proportionata cum illa, ſive beneficium obtineatur, ſive non obtineatur, non erit ſimonia. Sic Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 8. num. 46.* Navarr. *lib. 3. conſil. conſil. 54. de prabend. in ſumm. cap. 23. num. 26. verſ. ad quintum*, Suarius *lib. 4. capite 53. numero 143.* Palaus *tomo 1. tractat. 14. diſput. 3. punct. 11. numero 5.* Sanchez *lib. 2. cap. 3. dub. 26. numero 3.* Et idem dicunt ſi familiaris pecuniam recipiat, ut tibi januam apperiat, aditumque facilem tribuat, ut poſſis à Prælato petere, & obtinere beneficium: quia hoc nullam cum re illa ſpirituali habet annexionem, ſed valde ad illam remotè concurrunt. Immo ſi mediatori; aut famulo talia pecunia detur gratis, non ea pacto, conventione, &c. Sed ad habendum illum benevolum, ut ſic obſtacula removeantur, & facilius obtineatur beneficium, ſimonia non committitur; modo non detur pro obtentione tanquam pro cauſa principali. Sic Palaus, Sanchez, qui addit *num. 5.* [At dicendum eſt parum referre, quod ſit cauſa principalis conferendi, ut obtineat mihi beneficium; modo non detur in pretium, nec interſit pactum tacitum, vel expreſſum rogandi pro obtentione beneficii.] Sed de hoc ex profeſſo *punct. ſequenti* agemus.

Non eſt ſimonia munera dare famulo, ut merita prætendentibus beneficium apud collatorem exponat.

51. Dicendum eſt ſecundo, quod ſi munera mediatori dentur, non ut preces, & interceſſionem interponat apud collatorem, ſed præciſe ut ſua merita proponat, & notificet Prælato, ut inde moveatur ad ordinationem, aut beneficium ei conferendum, non erit ſimonia: Tametſi hoc periculoſum ſit, omninoque cavendum. Quia ſæpe mediator excedit officium informantis, & ſumit officium deprecantis, exhortantis, & inducentis, plus quam merita perſonæ ſimpliciter repræſentata poſſent inclinare. Verumtamen ſi mediator curam præciſe informandi Prælatum de meritis talis perſonæ aſſumat, poteſt pro tali munere pretium accipere. Tum: quia in hac parte ſolum gerit officium advocati, repræſentando merita illius perſonæ: pro officio autem ſeu exercitio advocati pretium ferre, apud omnes non eſt ſimoniacum. Tum etiam: quia in tali largitione munerum finis proximus eſt acquiſitio bonæ opinionis apud collatorem beneficii; non autem ipſum beneficium. Ut autem ſit ſimonia, neceſſe eſt ut finis immediatus dationis pecuniæ ſit acquiſitio alicuius ſpiritualis, mediante tali pecunia; non autem ſufficit, quod ſit quid conſequens ex alio immediato, nullam connexionem cum illo, ut docet bene Suarez *lib. 4. capite 56. numero 7.* Navarr. *in Manual. capite 23. numero 101.* Garcia *de benef. part. 11. capite 3. numero 170.* Cum ergo in præſenti caſu quod per largitionem pecuniæ immediate intenditur, non ſit beneficium ipſum, ſed expoſitio meritorum ad bonam opinionem acquirendam: qua media, ut conſequens reſpicitur acquiſitio ipſius beneficii, ibi nulla ſimonia datur. Sic Suarez *tom. 1. lib. 4. cap. 53. num. 17.* Bonacina *diſput. 1. de ſimon. quaſt. 1. §. 1. n. 16.* Palaus *ſupra punct. 11. num. 5.* Diana *part. 11. tract. 6. reſolut. 31. concl. 4.* Filiutius *tractat. 45. cap. 12. quaſit. 7. num. 12.* Azor. *part. 3. lib. 12. cap. 5. quaſt. 4.* Sanchez *ſupr. dub. 26. num. 5.*

Ex jure Eccleſiaſtico ſaltem ſimonia eſt pro precibus munus offerre.

52. Dicendum eſt tertio, ſaltem ex jure Eccleſiaſtico eſſe ſimoniam, pecuniam dare vel familiari Epiſcopi, vel cubiculario mediatori, ut preces fundat, vel pro aliquo roget, intercedat apud Epiſcopum, ut eis ordinationes, beneficium, diſpenſationem, vel aliam rem ſpiritualem concedat; dummodo pactum, conventio, aut conditio aliqua appoſita intercedat, & gratia non dentur ad illius conciliandam amicitiam, ut ex amicitia, & benevolentia motus, aliud interceſſionem dictam apponat: quod ſemper ſupponimus, & puncto ſequenti ea profeſſo tractabimus. Probatur hoc ſaltem eſſe ex jure poſitivo ſimoniacum: quia *in extravagant. 2. de ſimon.* dicitur: *ſimoniam committi cum pecunia datur pro collatione, electione, præſentatione, favore, interceſſione, ſeu mediatione.* Et *in cap. præſentium 1. quaſtione 5.* Urbanus II. damnat ut ſimoniacum eum, qui dedit cuidam pecuniam, ut ſua interceſſione ab Epiſcopo ordines obtineret. Et *in cap. ſtatuimus 2. 1. queſt. 1.* Nicolaus Papa ennumerat tres ſpecies ordinatorum ſimoniacè: & una eſt, quando licet ordinanti nihil detur, datur tamen mediatoribus. Et ratio eſt; quia ut loquit D. Thomas 2. 2. *quaſtione 100. art. 2. ad 5.* ſimonia eſt *per pecuniam parare ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam:* Quia ſic non dicitur gratis comparare, ſed pretio: hoc autem directè, & per ſe efficit, qui per munera, interceſſiones, preces, & favores ſolicitat: ergo, &c. Sic Sanchez *conſil. lib. 2. capite 3. dub. 26. numero 2.* Sylveſt. *verb. ſimonia queſtione 8. dict. 3.* Navarr. *lib. 5. conſil. titul. 3. de ſimon. conſil. 43. & 52.* Rodriguez *tomo 2. ſumm. cap. 61. fine.* Palaus *diſputatione 3. punct. 11. numero 4.* Suarez *lib. 4. capite 53. numero 14.* Leſſius *lib. 2. capite 35. dub. 8. numero 46.* Bonacina *diſp. 1. queſt. 1. §. 1. num. 14.* Filiucius *tractat. 15. cap. 9. queſt. 25. num. 12.*

Etiam ex jure divino eſt ſimonia munera pro precibus dare.

53. Dicendum eſt quarto pecuniam, vel alia munera dare interceſſori, mediatori, &c. Ut medio favore, precibus, & ſupplicationibus ab Epiſcopo collationem beneficii, ordines, alteriuſve rei ſpiritualis obtineat, eſſe ſimoniam; nedum de jure poſitivo, ſed de jure naturali, & divino: proindeque ſic contrahentes omnes incurrere pœnas contra ſimoniacos impoſitas. Hanc concluſionem ſtatuimus contra Sanchez *ſupra numero 9.* Navarr. *conſil. 58. verſu 4.* qui propter rationem initio huius §. poſitam dicunt ſimoniam non eſſe de jure divino dare pecunias mediatori pro interceſſione ab beneficium, ſed ſolum ex jure Eccleſiaſtico. Unde *num. 10.* infert Sanchez probabile eſſe, non incurrere ſic ſimoniacè delinquentes pœnas pro ſimoniacis impoſitas; & ſic nec eſſe excommunicatos, nec teneri ſic obtinens beneficium, illud relinquere, nec mediator pretium reſtituere: quia eſt probabile per ſimoniam de jure humano non incurri pœnas huiuſmodi. De quo *cap. 4.* ex profeſſo agemus. Sed noſtram ſententiam tenet Sotus *lib. 9. de juſtitia queſt. 7. art. 3. in corp.* Bonac. *ſup. num. 14.* Filliucius *cap. 12. queſt. 7. num. 12.* Suarius *num. 9.* Et ratio eſt:

quia ut diximus ex D. Thoma loco *num. præced.* relato, ſimonia eſt ex ipſa rerum natura, parare ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam: quia ſic non dicitur gratis comparari, ſed pretio; eo quod per pecuniam ſibi viam ad beneficium parare, moraliter loquendo, ac virtualiter cenſetur pecuniam pro ipſo beneficio tradere; perinde enim eſt pecuniam tradere procuratori, ac tradere ipſi collatori: quia cuicumque tradatur, beneficium prævia pecunia obtinetur, & conſequenter moraliter ipſum beneficium emitur. ¶ Quod confirmatur: quia qui tradit pecuniam mediatori, non tradit eam pro interceſſione, ut eſt actus naturalis, ſed ut dicit ordinem, & connexionem moralem cum beneficio, quod intenditur, tanquam cauſa cum effectu: rogans enim, & inducens ad conceſſionem cauſa eſt moralis conceſſionis: ergo emit illam interceſſionem ut cauſa moralis eſt collationis; & ſic formaliter emit id, quod eſt connexum cum ſpirituali cauſaliter; & virtualiter emit effectum illi annexum, & ab illa dimanantem, quod eſt collatio beneficii. ¶ Et per hæc patet ad argumentum, quod ſupra propoſuimus, quod ſolum probat eſſe interceſſionem rem temporalem purè, ſe præciſe ſecundum ſe ſumatur, non prout dicit ordinem, & moralem cauſalitatem ad collationem beneficii.

Propter pecuniam in eleemoſynâ oblatam preces offerre, non eſt ſimonia.

54. Inquires ſecundo, an ſimonia ſit, ſi aliquis promittat alieni magnam ſummam pecuniarum, quam expendet in pia aliqua opera, vel certe pro eleemoſyna alicuius monaſterii erogabit, ſi pro eo intercedat, preces fundat, aut alio modo ab Epiſcopo beneficium impetret, quod intendit? Et eſt diverſa hæc quæſtio à præcedenti: in illa namque loquuti ſumus de pecuniis datis mediatori ut pretium, ut intercedat. Nunc vero ſolum de promiſſione illa facta, quod in eleemoſynam alteri, vel etiam illi gratis diſtribuantur. Reſpondetur ergo negativè: quia ibi non datur pecunia ut pretium, ſed gratia, & in eleemoſynam, quæ titulus eſt excuſans largitionem munerum à ſimonia: ſicut multoties hæc vel illa eleemoſyna promittitur, ut orationes, vel preces, aliave ſpiritualia opera pro dante illam, offerantur. Simonia itaque in eo quod datur temporale ut pretium rei ſpiritualis conſiſtit. Quando autem datur aliis titulis honeſtis, ut in ſtipendium laboris, in ſuſtentationem miniſtri, in gratiarum actionem, ſimonia non committitur: unus autem titulus excuſans ab ea eſt eleemoſyna, ut omnes dicunt: ergo ſicuti quando offertur pecunia, ut gratis, & ex benevolentia conferenda, non committitur ſimonia; ſic non committitur nec in eleemoſynam eroganda. Sic Ioannes de Soria *in Epitom. ſumm. part.2. titul. 1. ſect. 4. diſputatione* 5. Rocafull. *in prax. Theolog. moral. tom. 2. lib. 7. de ſeptim. præcept. Decalog. ſect. 4. cap. 2. num.* 1087. Quod refert, & ſequitur Diana *part. 11. tract. 6. miſcellan. reſolut. 31. quæſit.* 1.

PUNCTUM IV.

De contractu emptionis, & venditionis requiſito ad ſimoniam.

Vbi non intercedit emptio, aut venditio, vel alius contractus oneroſus, ſimonia non datur.

55. QUod principaliter ad ſimoniam requiritur, ut in explicatione illius diffinitionis diximus, eſt contractus emptionis, & venditionis, per quod quilibet alius contractus non gratuitus, ſed oneroſus intelligitur, ut ex D. Thoma diximus, quod ut magis explicetur, hanc unicam concluſionem ſtatuimus. Dicendum igitur eſt neceſſario requiri ad contractum emptionis, & venditionis, quod traditio pecuniæ, vel alterius rei temporalis procedat ex voluntate dandi illam ut pretium, ſeu commenſurandi illam cum re ſpirituali, tantique æſtimandi; quod fit per contractum oneroſum: hac tamen ſecluſa prava voluntate, etiamſi temporale detur animo conſequendi ſpirituale, non ut pretium oneroſum, ſed gratis, vel ex gratitudine, aut benevolentia, etiam cum aliqua antidoralis obligationis impoſitione, nulla ſimonia committitur; ſive munus ante collationem rei ſpiritualis conferatur, ſive poſt ipſam, ſive ſimul cum ipſa. Aſſertio ex jure canonico manifeſte colligitur: nam in *Cap. Quam pio 2. quæſt. 2. cap. ſicut Epiſcopus, eadem cauſa, & quæſt.* aſſeritur nullam committi ſimoniam, quando aliquod temporale donum gratis, & ex amicitia datur ante beneficii collationem. Et à fortiori non erit ſimonia, ſi tale donum offeratur gratis, & ex benevolentia poſſe recipi, dicitur *in cap. Placuit. 2. cap. dilectus, 2. cap. tuam nos 1. quæſt. 1.* Quia quod datur gratis, nequit rationem pretii habere, ſive detur ante collationem rei ſpiritualis, ſive poſt illam, ſive ſimul cum illa. Ut ille, qui donis, & muneribus animum alterius flectere procurat, ut ſibi beneficium conferat, nullo appoſito pacto, aut conventione: quia gratis, & abſque alia obligationis legalis impoſitione donat. Et familiares, qui Epiſcopo inſerviunt propter beneficium, quod ab eo conſequuturi, alias non ſerviturі, eo quod medio illo obſequio, gratis, & abſque pacto exhibito animum ſui Domini conciliare prætendunt, ut ipſe ex benevolentia illis de beneficio vacando provideat. Et idem eſt de illo, qui ſe antidorali obligatione adſtrictum cognoſcit ob receptum beneficium, & ut illi ſatis faciat, munera, & dona ex gratitudine collatori, vel reſignatori, aut patrono mittit. Ita communiter Doctores Raphaël à Torre 2.2. *quæſt.* 100. *art. 5. diſp. 2. fol.* 750. *colum.* 1. Arauxo *in deciſionib. moral. p. 2. diſp. 14. art.* 5. Sotus *lib. 9. de iuſtitia quæſt. 7. art.* 2. Rodriguez *tom. 2. ſumm. c. 49. num. 2. & cap. 6. num. 5. & cap. 56. num.* 8. Palaus *tom. 3. tract. 14. diſp. 3. punct. 4. per totum.* Valentia 2.2. *diſp. 6. quæſt. 16. punct. 3. fol.* 1654. Suarez *lib. 2. cap. 46. à num.* 4. Covarruv. *lib. 1. variar. cap. 20. num.* 4. Vgolin. *tabul. 1. de ſimonia c. 51. §. 1.* Filiucius *tract. 45. cap. 10. quæſit.* 5. Bonacina *de ſimonia diſp. 1. quæſt. 1. num. 11. & quæſtione 6. punct. 2. num.* 1. Sanchez *conſil. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 28. num.* 3. Layman *tract. 10. cap. ultim. §. 2. num.* 8. & *§. 3. numero* 26. Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 20. num.* 115. Diana *part. 11. tract. 6. reſol.* 31. Quintanadveñas *tractat. 6. ſingul. 15. num.* 7. Paſqualig. *in qq. canonic. centur. 4. quæſtione* 378. *num.* 6.

Qualiter beneficium dare ob munus oblatum ex gratitudine, aut benevolentia non eſt ſimonia.

56. Ex quo manifeſte ſequitur, quod ſi aliquis reſignet beneficium in manibus Prælati, vel in favorem alterius, ſed cum eo animo, ſpe, & intentione, ut alter ex gratitudine, & antidorali obligatione, muneribus, donis, & obſequiis correſpondeat, aliàs ſine tali ſpe non reſignaturus, ſed neque intendens illum alia obligatione præter antidoralem obligare, nec pacto alio oneroſo, aut conventione interveniente, quo alium rigoroſe obligare intendat, non erit ſimonia. Et idem eſt econverſo, ſi aliquis, qui à te gratis accepit beneficium, vel aliud ſpirituale, & ſe antidorali obligatione

obligatione adſtrictum cernit, ut ſibi ſatisfaciat, muneribus, obſequiis, aliiſque hujuſmodi obligationem illam compenſare intenderet, non eſſet ſimoniacus: quia nullus ex iſtis munera ut pretium rei offerunt, nec cum illis coæquare rem ſpiritualem intendunt, in quo omnis irreligioſitas hujus contractus, & conſequenter voluntas illa ſtudioſa, & deliberata emendi atque vendendi conſiſtit; ſed vel quædam gratitudo, & urbanitas in eo, quia modo dicto muneribus gratioſis acceptum beneficium compenſat; vel quædam voluntas in eo, qui modo explicato, ante acceptionem beneficii donat: quia vult alterius voluntatem flectere, ut ex gratitudine correſpondeat, & id quod vult adipiſci, conſequatur. Et idem eſt de eo, qui beneficium in manu Prælati, vel in favorem alterius reſignat ea ſpe, & intentione, ut aliud pinguius ab Epiſcopo ſibi conferatur, aliter non reſignaturus; ſi Superiorem non alia, præter antidoralem, obligatione adſtrictum reddere intendat. Idem eſt in ſimilibus caſibus Valentia §. 3. *verſu. ſunt tamen.* Soto, *art.* 1. Rodrig. *ea cap.* 18. *num.* 8. *fine.* Palaus *punct.* 4. *num.* 2. Suarez, Vgolinus, Sanchez, Diana, Leſſius, Layman, *locis citatis.* Qui etiam addunt, id verum eſſe, etiamſi dictam ſpem verbis vel ſcripto exprimat Superiori: quia quod obſtare licet, etiam verbis exprimere licet, & etiam licitum eſt petere ab alio, quod ex naturali obligatione tenetur.

Sufficit virtualis intentio dandi munera ut pretium, ad ſimoniam.

57. Sed hic omnino notandum eſt cum Araujo, Torre, *ſupra,* Sanchez *dub.* 28. *num.* 9. Bonacina *quæſt.* 1. §. 2. *num.* 2. in hujuſmodi munerum datione, pro largitione ſpiritualium, maxime ſi ſit collatio beneficiorum, valde conſiderandam eſſe intentionem dantium, & accipientium: nam etiamſi non adſit intentio formalis dandi, vel accipiendi temporale munus ut pretium pro re ſpirituali; poteſt tamen adeſſe virtualis intentio, quæ ſufficiet ad ſimoniam. Et conſtat *ex cap. tua nos de ſimonia.* Ubi loquens Pontifex de illo, qui bona ſua Eccleſiæ donabat, rogans, quod ad canoniam admitteretur; & de Canonicis illum admittentibus ait: *ſi tamen is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, ſpiritualia valeat adipiſci; & clerici, qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri; ſine dubio tam iſta, quam ille apud diſtrictum judicem culpabiles judicantur.* Vbi ſermo eſt citra dubium de vera ſimonia per virtualem intentionem permutandi unam rem pro alia. ¶ Vnde quoties nec ratio ſtipendii locum habet, nec redemptio vexationis licita, nec aliæ extrinſecæ rationes accidentarii laboris, honeſtæ amicitiæ, propinquitatis, aut conſanguinitatis, aut quid ſimile; & nihilominus temporalia dantur ſolo intuitu obtinendi ſpirituale, vel è contra, illa intentio ſufficit, ut illud temporale intelligatur, vel præſumatur dari per modum pretii rei ſpiritualis, niſi de oppoſito conſtet; & ſic ſimonia vera coram Deo committatur. Vnde dixit D. Thomas 2.2 *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 3. eum qui tenetur miſſam pro populo offerre, & ab illo novum ſtipendium exigit, ut pro illo dicat, aliàs non oblaturus, virtualiter velle miſſam vendere: quia cum non habeat jus petendi novum illud ſtipendium, convincitur illud virtualiter exigere in pretium, ſeu in commutationem rei ſpiritualis.

Vnde colligatur in foro externo munera non gratis, ſed per modum pretii dari.

58. Colligitur autem in foro externo, elargitionem fieri non gratis, ſed ex formali, vel virtuali intentione dandi munera temporalia ut pretium; ex tribus, quæ conſideranda dicuntur in *cap. & ſi quæſtiones de ſimonia,* nimirum perſonæ dantis, & accipientis, quantitatis, & qualitatis muneris, & temporis, ſeu occaſionis, quo datur. Perſona igitur dantis, & accipientis conſideranda eſt verbi gratia an ſit dives, vel pauper qui dat, & cui datur; eo quod quantitas donationis ex habitudine ad perſonam pendet: ſæpe enim quod parum eſt reſpectu divitis, eſt multum reſpectu pauperis. Et eadem ratione nobilitas perſonæ conſideranda eſt: quia ipſa nobilitas ex ſe eſt judicium gratuitæ donationis. Ad hanc circunſtantiam ſpectat vinculum perſonarum inter ſe: nam ſi alias inter eos intercedat magna amicitia, vel conſanguinitas, facilius præſumitur liberalis donatio inter eos facta. Denique conſideranda eſt virtus, & integritas perſonæ: nam ſi eſt timoratæ conſcientiæ, aut bonis moribus prædita, maxime ſi liberalis, aut divitiarum contemptrix, multum auget in bonam partem præſumptionem; ſicut econtrario, ex oppoſitis qualitatibus perſonæ deſumitur contraria præſumptio. ¶ Alia circunſtantia eſt quantitas, & qualitas muneris: nam ſi ſit nimis magna, non præſumitur datio ex liberalitate procedere: quia nemo præſumitur velle ſua bona prodigere. Si vero ſit munus exiguum, & vile, quaſi nihil reputatur: quia non eſt veroſimile dari pro re tam excellenti ut pretium. Similiter, ſi res donata ſit numerata pecunia, malam ſecum affert ſimoniæ ſpeciem. Si vero res ſit ex eſculentis, aut poculentis, facilius gratioſe donata præſumitur. *Cap. ſtatutum* §. *inſuper, de reſcriptis in* 6. ¶ Tertia eſt circunſtantia temporis, & occaſionis largitionis: ut ſi Prælatus Eccleſiaſticus hic, & nunc indigebat, & aliter ſibi providere non poterat, cenſetur talis largitio ſubventio neceſſitatis, non acceptio ſpiritualis actionis, aut beneficii. Similiter ſi munera dentur poſt receptionem rei ſpiritualis, tunc facilius præſumitur ex liberalitate aut gratitudine donari: at ſi in continente dentur, majorem continent ſpeciem recompenſationis: & ſimiliter ſi præcedunt, videntur inducere quandam neceſſitatem, & ſic minuitur præſumptio liberalitatis, ut indicatur *in cap. Quam pio in fine. Cap. ſicut Epiſcopus* 1. *q.* 2.

Aliqui dicunt non eſſe ſimoniam gratis aliquid concedere propter beneficium ut finem principalem.

59. Sed modo inquires primo, an ſi ſpirituale gratis conferens, nimirum beneficium, principaliter intendat munera, obſequia, aut commoda temporalia conſequi; aut econtra talia munera, & obſequia gratis exhibens, principaliter conſequi ſpiritualia intendat, ibi ſimonia committatur? Negat prima ſententia, ſi hoc abſque pacto, aut conventione fiat: nam datio rei ſpiritualis propter temporale principaliter; aut econtra quando hoc aſſumitur ut pretium; & quando intervenit conventio, aut pactum eſt ſimonia. Quibus ſecluſis ſicuti nec emptio, aut venditio datur, aut alius contractus oneroſus, ſic nec ſimonia reperitur: immo nec inordinatio aliqua, quæ ſit peccatum mortale: Nam licet rem ſpiritualem exercere propter lucrum temporale principaliter, puta miſſam dicere propter ſtipendium, ad Chorum ire propter diſtributiones, ſit quædam inordinatio, non tamen mortalis, ſed venialis: ſicut qui eleemoſynam, jejunium, aut aliam pœnitentiam propter vanam gloriam exerceret, minime peccaret mortaliter. Sic Cajetanus *in ſumm. verbo ſimonia circa* 3. *cap.* Soto *lib.* 9. *de juſtitia q.* 6. *art.* 2. *ante reſponſ. ad argument.* Sanchez *in Decalog. lib.* 2. *c.* 43. *n.* 2. & *t.* 1. *conſil. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 12. *n.* 1. & *dub.* 26. *n.* 6. & *dub.* 28. *num.* 7. Victoria *relect. de ſimonia à n.* 33. Valentia *ſup. punct.* 3. *verſu ſed paſſunt* Layman *tract.* 10. *c. ultim.* §. 2. *n.* 12. Palaus *punct.* 4. *n.* 6. Leſſius *dub.* 20. *n.* 118. Baſſæus *verb. ſimonia* 1. *num.* 18.

Si munera alias debita non ſint, ob illa intendere principaliter beneficium, eſt ſimonia.

60. Sed dicendum eſt, quod ſi munera, quæ conferuntur, alias debita ſint ex aliquo titulo honeſto, nimirum vel juſti ſtipendii, ſuſtentationis miniſtri, &c. Simonia non erit, ob illa principaliter rem ſpiritualem præſtare, immo nec peccatum mortale, ut bene probat præcedens ſententia, ſed quædam inordinatio, quod res indebitè dirigantur, quod non excedit limites peccati venialis: ut qui diceret miſſam principaliter ob ſtipendium, ſicut qui eleemoſynam daret principaliter ob vanam gloriam. At cum prædicti tituli juſti non reperiuntur, principaliter munus, vel à manu, vel ab obſequio dare ob conſequutionem beneficii; vel econtra beneficium conferre principaliter propter hæc munera, vera eſt ſimonia: quia in iſto caſu, ut ſupponimus, non intendit primo, & principaliter qui munera confert, movere, aut conciliare voluntatem collatoris, ut ex benevolentia, & gratis conferat beneficium; quod intenditur ſecundario, & ex conſequenti; ſed primo, & principaliter intendit conſequutionem beneficii: ergo virtualiter vult dona ut pretium conferre beneficii: quia cum non intercedat aliud principaliter intentum, quo mediante ſpirituale aſſequatur, immediate vult commenſurare ipſum donum cum beneficio, quod prætendit; & ſic illud dare in pretium iſtius. Sic D. Thom. *art.* 5. *ad* 3. *& art* 3. *ad* 3. Arauxo *art.* 5. *n.* 12. Aragon. *quæſt.* 100. *art.* 6. *concluſ.* 1. Torre *art.* 5. *diſput.* 2. Villalob. *difficul.* 26. *num.* 3. *& difficul.* 9. *num.* 10. Navarr. *cap.* 12. *num.* 101. Covarr. *lib.* 1. *variar. cap. ultim. num.* 3. Philiarchus *tom.* 1. *de officio ſacerdot. part.* 2. *lib.* 3. *cap* 9.

Doctrinæ præcedentis limitatio.

61. Quæ intelligenda ſunt de intentione primaria tam operis, quam operantis, id eſt, tam in executione, quam in intentione: quia nimirum & primo movetur à lucro temporali ut fine, & vult exequi immediate collationem beneficii propter illud: quia ſic cum non detur aliud cum quo immediatè donum commenſuretur niſi cum re ſpirituali, virtualiter intenditur ut pretium illius. Si quis autem principaliter in collatione beneficii intenderet, munera conſequi intentione operantis, quia ipſe principaliter movetur ex illo ad collationem beneficii, verum intentione operis, ſeu in executione, principaliter intendit alterius amicitiam, & benevolentiam; qua media ex gratitudine ab eo donum gratis recipiat, cum jam detur proximè, & in executione cum quo illud donum commenſuretur, quod non eſt ſpirituale, non arguitur dari ut pretium, & ſic nec ſimonia conſtituitur: Quomodo explicandus eſt D. Thomas *locis à nobis citatis*, *& quodlibet* 8. *quæſtione* 6. ubi dicit: clericum ſimoniacum eſſe, ſi propter diſtributiones tamquam finem operis principalem in Eccleſiam veniat: loquitur enim de fine operis, non de fine extrinſeco ipſius operantis. Et hoc modo cum prima ſententia convenimus.

Omnes conventiones circa res ſpirituales omnino vitandæ ſunt.

62. Inquires ſecundo, utrum ſimonia committatur deducendo in pactum antidoralem obligationem: ut ſi beneficium, vel aliquid ſpirituale tradatur cum pacto, ut antidoralem obligationem adimpleat; ut ſi dicas hanc rem ſpiritualem, vel beneficium tibi liberaliter, & gratis dono; dummodo mihi liberaliter, & ex gratitudine hæc obſequia, vel hæc munera redones; vel ſi econtra conventio fiat, ut ſi dicat dono tibi gratis, & ex liberalitate hoc munus, dummodo tu mihi gratis, & ex liberalitate beneficium conferas? In quo præ oculos habendum eſt ſemper id, quod in hoc tractatu multoties diximus, cavendum eſſe omnino ab hujuſmodi pactionibus ob turpiſſimam avaritiam, quam ſecum afferunt. Et quia licet ſimoniacæ non eſſent, de quo modo diſputamus, abundè frequenter accidit in ſimilibus pactis, plura peccata committi: præſertim in beneficiis, ubi ab Eccleſia omnis conventio, omne pactum, omnino prohibetur, & ob periculum ſcandali: quia alii, præcipuè illiterati, ſuſpicantur in his pactionibus ſemper rem temporalem ut pretium aſſumi; ideoque pactum, & conventionem iniri, quam jura, & leges vetant: & quia in eis maxime reperitur ſimoniæ committendi periculum; cum deordinata paſſio adipiſcendi quod deſiderat, raro intra limites liciti contineatur, ut non temere vincula juſtitiæ, & religionis diſrumpat, quibus ſubditus eſſe debebat, atque eorum nexibus alligatus. Ob idque ſub prædictis verſutiis, quibus obtegitur, ferè ſemper in praxi ſimonia palliatur.

Sententia aſſerens nõ eſſe ſimoniã gratitudinẽ, & correſpondentiam in pactum adducere.

63. Igitur ad quæſitum. Prima ſententia dicit, non eſſe iniqua, nec ſimoniaca pacta, aut conventiones, quibus utrimque dans, & recipiens ſolum dicunt, & exprimunt ſe velle ex gratitudine, benevolentia, ac proinde antidorali obligatione obligari. Ut ſi beneficium recipere optans dicat: *gratis tibi dono hanc pecuniam, ſeu aliam rem pretio ſtimabilem tali conditione, modo, aut pacto, ut mihi viciſſim ex gratitudine præſtare debeas beneficium; vel aliam rem ſpiritualem.* Vel ſi econtra dicat: *confero tibi gratis hanc rem, vel hoc beneficium ſpirituale, ea tamen conditione, ut obliges te ex gratitudine mihi præſtaturum donum aliquod temporale.* Et probatur primo hæc ſententia: quia cui licet intendere finem, licet etiam apponere media, quibus ad talem finem aſſequendum pervenitur: ſed ut *numero præcedente* diximus, tribuenti gratis beneficium, vel aliam rem ſpiritualem licet intendere, quod alius ex gratitudine, & antidorali obligatione correſpondeat per aliquod donum temporale; vel econtra, tribuenti donum temporale licitum eſt, velle, & intendere, quod alius gratis, & ex benevolentia conferat rem ſpiritualem: ergo licitum erit, hæc in pactum, & in conventionem adducere, quod eſt medium ad talem finem aſſequendum proportionatum. ¶ Secundo: quia non committitur ſimonia dum pactum initur, in quo ſolum exprimitur, quod de jure ineſt, ut *num.* 42. dicebamus. Qua ratione *in cap. ex inſinuatione de ſimon.* dicitur conditionem obtinendi ultimum locum in Choro non eſſe ſimoniam: quia erat de re, quæ de ſe, & ex natura rei, vel ex jure inerat; & ſic convenire cum accipiente novum beneficium curatum, ut reſignet aliud incompatibile, quod habebat, non eſt ſimonia: quia ſolum imponitur ei onus, quod de jure ineſt: ſed antidoralis obligatio de ſe, & ex natura rei ineſt collationi doni, ſeu obſequii: ergo in pactum deduci poteſt; non igitur committitur ſimonia tradendo rem ſpiritualem, vel temporalem cum pacto, ut alter ſit gratus, ſeu ut maneat obligatus obligatione antidorali, ſeu antidoralem obligationem gratitudinis adimpleat. Hanc ſpeculativè dicit probabilem Diana *part.* 2. *tractat.* 16. *reſolut.* 37. & *part.* 3. *tractat.* 2. *reſolut.* 64. §. *ſed ex his pluribus citatis quamvis praxis eam non approbet*, quam tenet Vidal *in arca Theolog. moral. titul. de ſimon. inquiſit.* 2. *numero* 45. Ioannes de Soria *in Epitom. ſumm. parte* 2. *titul.* 1. *ſect.* 4. *fol.* 457. Quos refert, & modo dicto ſequitur Diana *parte* 11. *tract.* 6. *reſolut.* 31. *quæſit.* 2. & videtur tenere Sanchez *tomo* 2. *conſil. lib.* 2. *capite* 3. *dub.* 28. *numero* 11.

64. Secunda

Sententia dicens quodcumque pactum circa beneficia eſſe ſimoniacum.

64. Secunda ſententia huic extreme oppoſita eſt affirmativa, aſſerens ſimiles conventiones, & pacta eſſe omnino ſimoniaca. Et probatur primo: quia uſura eſt obligationem antidoralem in pactum deducere, ut ſi quis ea conditione, & pacto mutuum donet, ut alius ex gratitudine debeat, ſibi talem ſupra ſortem quantitatem condonare: ergo ſimiliter eſt ſimonia rem ſpiritualem dare eo pacto, & conventione, ut alius ex gratitudine teneatur hoc, vel illud munus concedere; vel è contra: quia par eſt utriuſque ratio. Secundo: quia ſimonia eſt ob rem datam imponere accipienti novum onus viciſſim dandi, in quo eſſentialis ratio pactionis oneroſæ conſiſtit: *do, ut des, facio, ut facias*: ſed ex prædicto pacto imponitur novum onus accipienti v. g. dum cum illo convenitur, quod redonet; nam licet ex naturali obligatione gratitudinis teneatur accipiens ad certam antidoralem obligationem faciendam; at ſi modis dictis in pactum hoc ipſum adducat, novum onus ſeu obligatio pretii æſtimabilis imponitur: nam ſecluſa tali pactione, donatarius non poterat cogi ad tale antidorum præſtandum, etſi rem ſibi donatam retinere vellet; ſeu ut aliis verbis id explicetur, qui donum recipit non cenſetur injuriam facere, aut fidem violare, ſi antidoralem donationem intermittat. Suppoſito vero pacto, cenſetur injuſtus, vel ad minus infidelis, ſi tali obligationi non correſpondeat: nam pactum, & conventio in quacumque materia, obligationem ex juſtitia, vel ad minus ex fidelitate imponit: ergo ſi donans alteri rem ſpiritualem, cum eo pactum faciat, quod ea conditione recipiat eam, ut ipſe ex gratitudine, munus conferat ſpirituale, ultra obligationem antidoralem, quæ de jure ineſt, imponit ei novum onus, & obligationem ex pacto provenientem, quæ de jure non inerat. Per quod ſolutum manet ſecundum argumentum contrarium, imo & primum: nam conventio, & pactum non eſt medium proportionatum ad recipiendum ex gratitudine beneficium, cum novam inducat obligationem juſtitiæ, aut fidelitatis. Ita ex communi ſententia docet Felinus *in cap. ad audientiam, n. 2. de reſcriptis*. Covarr. 1. *variar. cap. 20. n. 4.* Suarez *lib. 4. cap. 45. n. 9.* Paulus Layman. *tr. 10. cap. ultim. § 2. n. 9.* Bonac. *de ſimonia, diſp. 1. q. 6. punct. 1. n. 7.* Filiutius *tr. 25. cap. 10. n. 22.*

Diverſi modi, quibus gratitudo, & antidoralis correſpondentia poteſt peti ſine labe ſimoniæ.

65. Sed pro reſolutione hujus graviſſimæ quæſtionis præmittendum eſt: aliud eſſe, quod dans beneficium cum recipiente, vel è contra, verbis ſimplicibus, ſeu tractatibus antecedenter conveniant, ſeu inter ſe, vel cum tertio conferant, vel ſibi invicem offerant, quod alius gratus, & urbanus erit, quod noſtro idiomate dicitur: *que cumplira con las leyes de hombre honrado, y agradecido*; ſine eo, quod determinet, in quo genere rerum, nec unus alteri velit aliam præter iſtam obligationem imponere, nec iſte intendat alio genere obligationis adſtrictum manere, niſi illa antidorali, quæ ſolum ex amicitia, & gratitudine, aut urbanitate obligatum relinquit. Ut ſi unus conferat alteri beneficium cum generali proteſtatione, quod alter obligatus ſit ex gratitudine ad remunerandum, vel qui adipiſci ab alio beneficium deſiderat, offerat ſe gratum futurum eſſe, ſe obligationem hominis honrati non tranſgreſſurum, ſed debite correſponſurum prout licet & decet, ſine eo, quod aliquis eorum novam, præter dictam, velit obligationem imponere. ¶ Aliud autem eſſe, quod velit in pactum talem obligationem deducere, determinando materiam, nimirum ſe pro ſpirituali daturum temporale, vel è contra; & ex vi pacti alium obligare ad id, ad quod ſolum ex antidorali obligatione tenebatur: hic enim vere non vult nec gratis, & liberaliter dare, nec liberaliter redonari, licet verbis dicat ſe liberaliter dare, & liberaliter donum exigere; cum ineat contractum oneroſum, & ſic re ipſa non donet, ſed vendat. Sicut ſi ego tibi dicerem, dono tibi liberaliter hunc equum, ſi tu mihi liberaliter dones veſtem, alias ego non donabo; manifeſtum eſt me verbis ſolum donare; re tamen ipſa vendere, ſeu permutare. ¶ Quod autem duplici dicto modo poſſit utrinque dona offerri, conſtat hoc exemplo. Petrus gratis mihi donat centum aureos, & petit ex gratitudine, ut ego pro illo aliquot miſſas dicam, vel aliqua ſuffragia offeram. Vel ego ab eo illud donum recipiens, gratum me offeram futurum, eo quod in gratiarum actionem tot miſſas offeram, tot applicem pia opera, certe ſi inter nos nulla alia pactio intercedat, etſi ego ingratus ero, ſi miſſas, vel ſuffragia prætermittam; non tamen injuſtus, aut infidelis. At ſi ex pacto conventum eſſet, quod ille tot mihi nummos daret ex eleemoſyna, & ego inito pacto promitterem me gratum futurum, tot miſſas, aut ſuffragia offerendo, ſi hæc prætermittam, nedum ingratus, ſed injuſtus, vel infidelis ero: quia jam gratitudo ex pacto promiſſa, præter obligationem antidoralem, quam ex natura ſua adducebat, inducit ratione pacti novum onus, novamque obligationem, quam ex ſe non habebat. Quibus ſuppoſitis, tribus concluſionibus rem totam declarabimus.

Qui gratis aliquid ſpirituale alteri confert, ab eo gratitudinem petere poteſt.

66. Dicendum eſt ergo primo, quod primo modo dantem, & accipientem convenire, ſimonia non eſt: unde nullam committeret ſimoniam, ſi tradens alteri aliquid temporale intendens, ut ſibi ab alio, titulo gratitudinis aliquid ſpirituale conferatur, ab eo petit gratitudinem, ſeu gratum animum, ſeu recognitionem ſuæ obligationis naturalis. Similiter, ſi alicui Eccleſiaſticum beneficium conferas cum generali proteſtatione, quod is obligatus tibi eſſe debeat ad remunerandum; vel ſi ab alio beneficium ſpirituale petas, offerente gratum futurum, & antidorali obligationi correſponſurum; modo in neutro adſit intentio novam, & quaſi poſitivam obligationem imponendi, præter illam, quæ ex natura rerum conſequitur. Quod, & non amplius probant primæ ſententiæ argumenta: in præſenti namque non imponitur, petitur, aut offertur novum onus, nova obligatio, quæ ex natura ſua rebus non inſit; nec intervenit pactum, aut conventio rigoroſa, ſed quædam proteſtatio, vel quædam intimatio, vel oblatio ejus, quod ex natura rerum conſequitur. Unde ſicut in mutuo non eſſet uſura petitio, vel oblatio gratitudinis verbis ſimplicibus explicata, & non pacto inito, aut conventione propoſita; ſic nec ſimili modo erit ſimonia. Et ſic cernimus frequenter tradentes pauperibus eleemoſynam, ab ipſis petere, ut orando pro illis, ſigna gratitudinis præbeant: & religioſi viri benefactoribus ſæpius pollicentur ſe gratos fore in ſuis orationibus, & ſacrificiis. Hanc, præter Doctores primæ ſententiæ, tenent omnes, quos pro ſecunda adduximus, & neminem oppoſitum vidimus dicentem.

67. Secundo

Antidorale obligationē & correſpondentiam in pactum deducere, eſt ſimonia.

67. Dicendum eſt ſecundo ſimoniam eſſe ſecundo modo antidoralem obligationem petere, vel offerre; nimirum addito pacto, & conventione, qua ad gratitudinem præſtandam nova obligatione, quæ ex pacto ex natura rei oritur, partes obligantur: ob idque omne pactum, omnemque conventionem circa res ſpirituales removendam eſſe, ſacri Canones clamant, *n.* 44. adducti, & manifeſtè probant argumenta ſecundæ ſententiæ, quod ulterius probatur. Quia hujuſmodi pacta, conventiones, etſi verbis dicantur donationes, & remunerationes, reipſa ſimoniacæ permutationes exiſtunt. N. v. g. ſi Petrus a me petat, ut illi librum gratis donem, & ego dicam velle hoc facere, ſed eo pacto, & conditione, ut mihi ipſe donet enſem, aliter ſciat me illi non daturum librum, quis diceret hanc non eſſe permutationem, & non liberalem donationem? Quia tunc datio non eſt gratuita, ſed oneroſa, & reciproca: *do, ut des; facio, ut facias.* Et ſic licet appareat donatio, vere eſt permutatio. Similiter eſt in noſtro caſu; cum ego tecum convenio dicens: dono tibi beneficium, cum ea tamen conditione ut te obliges ex gratitudine mihi donum aliquod temporale præſtiturum, vere intervenit permutatio unius cum alio: & licet verbis liberalis donatio dicatur; re tamen ipſa eſt contractus oneroſus, & ſic omnino ſimoniacus. Et certe ſi hoc ita non eſſet, nulla erit ſimonia, nullaque uſura juri naturali repugnans, quam non poſſet quiſquam tali contrahendi formula declinare. Semper enim dicere poſſet gratis, ac liberaliter conferam tibi hanc rem ſpiritualem, ſed ea conditione, ut viciſſim mihi obligatus ſis ex gratitudine ad dandam mihi pecuniam. Similiter ſi dicat gratis, ac liberaliter tibi mutuabo 20. ſed hac lege, ut præter ſortem, quam vi mutui mihi debes, titulo gratitudinis mihi ſex ultra dinumeres. Quid hoc eſſet, niſi patentiſſimam januam in Eccleſia aperire omnibus uſuris, ac ſimoniis divino jure prohibitis?

Quando aliquid ex titulo ſuſtentationis, ſtipendii. &c. ex juſtitia debetur, circa illud paciſci non eſt ſimonia.

68. Dicendum eſt tertio, quod quando ex titulo aliquo juſtitiæ exhibitio rei ſpiritualis debetur pro munere aliquo temporali, aut è contra, non erit ſimonia, de hoc paciſci, etiam pacto, & conventione obligatoria ex juſtitia: v. g. quando res temporalis datur ut ſtipendium ad ſuſtentationem miniſtri, poteſt obligatio, & pactum intercedere, quod teneatur miniſter ſacramenta conferre, aliaſve functiones ſpirituales efficere, ſine eo, quod ibi detur emptio, venditio, aut alius contractus ſimoniacus. Qua ratione licet cum clerico convenire de ſtipendio dando promiſſis offerendis, aut ſacramentis miniſtrandis. Similiter fructus beneficii, decimæ, & oblationes ea conditione, & pacto donantur, ut clericus ſacra miniſteria fidelibus exhibeat: & hac ratione ſine labe ſimoniæ relinquuntur annui redditus pro anniverſariis, & pro fundatione Capellaniarum, cum obligatione, & pacto tot ſacrificia annuatim celebranda, &c. Et ratio eſt: Tum quia, quod naturali jure, & ex juſtitia debetur, illud in pactum adducere licitum eſt. Tum etiam: quia non datur pecunia pro re ſpirituali ex voluntate, qua velit tanti æſtimare pecuniam, quanti rem illam ſpiritualem, ſeu quo velit unam cum alia coæquate, & commenſurare, ſed in ſuſtentationem miniſtri, ſub eo onere, quod ex jure, & ex natura rei ineſt, ut miniſter conferat ſpiritualia, ad quod tenetur. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *numero* 49. Soto *lib.* 9. *quæſtione* 6. *articulo* 1. Layman. *ſup.* §. 2. *numero* 15. Palaus *tom.* 3. *tract.* 17. *diſputatione* 3. *punct.* 4. *numero* 4. Caietan. 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo* 3. Valentia *punct.* 3. *verſu ad ſecundam rationem.* Suarez *lib.* 2. *cap.* 46. *numero* 4. Villalob. *tract.* 37. *difficult.* 9. *numero* 9. Aragon. *q.* 100. *art.* 2.

CAPUT II.

De materia circa quam ſimonia committitur, ſeu de rebus ſpiritualibus, quæ venditæ ſimoniam faciunt.

EGIMUS jam præcedenti capite de materia temporali, quæ habet rationem pretii in ſimonia. Nunc de materia propria illius, circa quam verſatur, agemus: qualis eſt res ſpiritualis tradenda, commutanda, aut vendenda, quam ſupra diximus eſſe in multiplici differentia. Modo de illis omnibus diviſim hoc capite ex profeſſo tractare opere pretium duximus: quia in hoc totum hujus tractatus pondus principaliter nititur. Caput hoc continet undecim puncta.

Punct. I. *An res pure ſpiritualis, ut eſt gratia ſanctificans, & alia per eſſentiam ſpirituales, ſint materia ſimoniæ?* n. 1.

Punct. II. *An venditio, aut emptio Sacramentorum, vel ſacramentalium ſit ſimonia ſemper, ita ut in nullo eventu poſſit ab illa ſeparari?* n. 6.

Punct. III. *An pro labore reperto in adminiſtratione Sacramentorum, & aliarum functionum ſpiritualium aliquid recipere ut pretium, ſit ſimonia?* n. 18.

Punct. IV. *An pro actibus virtutum, & pro omiſſione, vel illarum carentia, vel privatione aliquid temporale ut pretium accipere, ſit ſimonia?* n. 25.

Punct. V. *An ſit ſimonia emere, vel vendere actus juriſdictionis ad poteſtatem Eccleſiaſticam pertinentes?* n. 30.

Punct. VI. *An pro uſu ſcientiarum pretium accipere, ſit ſimonia?* n. 38.

Punct. VII. *An ſimonia ſit, aliquid temporale quocumque modo in pactum deducere pro ingreſſu Religionis?* n. 46.

Punct.

Punct. VIII. *An ſit ſimonia, & quo jure, vendere beneficia Eccleſiaſtica?* n.56.

Punct. IX. *An habitus, & Commenda Ordinum militarium abſque ſimonia vendi poſſint?* numero 64.

Punct. X. *An præſtimonia, vel penſiones vendi, vel redimi poſſint ſine ſimonia?* n.67.

Punct. XI. *An juſpatronatus vendi, aut alienari poſſit abſque ſimonia?* num.75.

PUNCTUM I.

An res purè ſpiritualis, ut eſt gratia ſanctificans, & aliæ per eſſentiam ſpirituales ſint materia ſimoniæ?

Res ſpirituales per eſſentiā, non eſſe materiā ſimoniæ aliqui dicunt.

1. Non deſunt plures authores, qui abſolutè negant gratiam ſanctificantem, gratiam gratis datam, virtutes infuſas, characterem Sacramentalem, Ordinis, aut juriſdictionis poteſtatem, actus ſupernaturales, ut ſpirituales ſunt per eſſentiam, ac alia hujuſmodi vendi poſſe: ac proinde dicunt non eſſe materiam ſimoniæ, quæ circa venditionem verſatur. Ratio illorum eſt: quia rerum ſpiritualium per eſſentiam, ut ſunt enumeratæ, nequit qui eas poſſidet earum dominium in alium transferre, aut a ſe illas abdicare, ut eas alter poſſideat: ergo non poſſunt emptioni, aut venditioni ſubjacere: nam per venditionem transfertur dominium rei venditæ in emptorem, ſicut dominium pretii ab emptore in venditorem transfertur: ergo nequeunt eſſe materia ſimoniæ; quæ eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi rem ſpiritualem pro pretio temporali. Voluntas enim nequit in res impoſſibiles ferri, niſi fortè ex conſcientia erronea alicujus inſani, qui vellet hæc impoſſibilia amplecti.

Alii, res ſpirituales per eſſentiā, eſſe materiam ſimoniæ abſolutæ adſtruunt.

2. Alii vero ex adverſo dicunt dictas res ſpirituales per eſſentiam poſſe de facto vendi, eſſeque materiam propriam ſimoniæ, & pro ſe adducunt D. Thomam 2. 2. *quæſtione* 100. *artic.* 2. ubi dicit gratiam Sacramentorum non poſſe vendi ſine ſimonia, in quo ſupponit, poſſe ſimoniacè vendi. Gratia autem Sacramentorum, id eſt, per Sacramenta collata eſt ſpiritualis per eſſentiam, utpote ipſa gratia ſanctificans ſecundum ſubſtantiam, vel ipſius intentio, & augmentum. Similiter etiam Iudam commiſiſſe ſimoniam graviſſimam in venditione Chriſti Domini, quis negabit? Chriſtus autem, cum ſit perſona divina, omnium ſpiritualium per eſſentiam ſpiritualiſſimus eſt: igitur in venditione horum ſpiritualium ſimonia committitur: & commiſiſſe Iudam ſimoniam in venditione Chriſti triginta argenteis docet Tharaſius Papa, *in cap. eos qui* 1. *quæſtione* 1. ubi loquens de ſimonia dicit: *Ut verius dicam Iudæ comparantur*, & Nazianzenus relatus *in cap. Qui ſtudet* 1. *quæſt.* 1. inter ſimoniacos ponit Iudam. Idemque præſtat Cyrillus Hieroſolym. *Catecheſi* 16. Ac denique idem D. Thom. *q.* 100. *citat. articulo primo, ad* 4. dicit Simonem Magum voluiſſe poteſtatem ſpiritualem gratiam ſpiritualem conferendi emere, ut poſtea venderet, & Giezi diſcipulum Eliſei de facto vendidiſſe miraculum, accipiendo pecuniam à leproſo mundato. *Unde venditores ſpiritualium* (inquit) *poſſunt dici non ſolum ſimoniaci, ſed etiam Gieziti.* Ex quibus omnibus conſtat res purè ſpirituales eſſe venditioni, aut emptioni ſimoniacæ obnoxias, & ſic eſſe materiam ſimoniæ.

Qualiter res ſpirituales per eſſen. ſint vendibiles, & materia ſimoniæ.

3. Sed verius dicendum eſt, quod gratia, & alia dona ſpiritualia per eſſentiam nequeunt eſſe abſolutè, & ſimpliciter materia ſimoniæ; nec emi, aut vendi poſſunt abſolutè ſic in abſtracto acceptæ: poſſunt tamen emi, aut vendi in concreto ſumptæ, vel ſi per aliud, ſeu ad venditionem alterius vendantur. Sic Panormitan. *in cap. conſulerem, numero* 3. Angelus *verbo ſimonia* 1. *numero primo*; Soto *libro nono, de Iuſtit. quæſtione* 6. *articulo primo*, Raphaël à Torre 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo primo, diſputatione quarta, fol* 652. *colum.* 2. Araux. *in qq. moralib. diſputatione* 14. *parte ſecunda, art.* 2. *num.* 17. Et prima pars aſſertionis præterquam habetur expreſsè *in cap. Salvator* 1. *quæſtione* 3. ubi dicitur: *Nec Apoſtolus emptionem Spiritus Sancti, quam bene fieri non poſſe noverat, ſed ambitionem, & avaritiam, &c. in Simone exhorruit.* Probatur illa ratione, qua utitur prima ſententia: quia nimirum emptio, venditio, aut commutatio debet eſſe de rebus, quarum dominium ex uno in alterum transferri poſſit; quod non habet nec gratia, nec aliæ res per eſſentiam ſpirituales per ſe, & in abſtracto ſumptæ. ¶ Diximus has res ſpirituales abſolutè, & ſimpliciter non eſſe emptioni, aut venditioni ſuppoſitas; & ſic dari non poſſe circa illas, ſic in abſtracto ſumptas, veram, & completam ſimoniam. Nam quædam ſimonia imperfecta, inefficax, & conditionata poteſt reperiri circa res ſpirituales per eſſentiam: ut ſi quis talem haberet affectum conditionatum, vel ſimplici complacentiæ: *Vellem tibi ſi poſſem meam gratiam vendere.* Quem affectum ad ſimoniæ vitium pertinere, omnes dicunt: ſed quia verſatur circa objectum ſimpliciter impoſſibile, non eſt efficax, & abſolutus, neque ad actum externum reducibilis, ſed tantum inefficax, & conditionatus, ſeu per modum ſimplicis complacentiæ.

Res dictæ ſpirituales in concreto ſumptæ, & per aliud ſunt venditioni obnoxiæ, & materia ſimoniæ.

4. Secunda vero pars aſſertionis, quod tales res ſpirituales in concreto, & per aliud vendi poſſint, probatur. Quia hæc dona vendi in concreto, ſeu ad venditionem alterius, nihil aliud eſt, quam vendi ad venditionem ſubjecti, in quo hæc dona reperiuntur, vel ad venditionem cauſæ illarum, vel quatenus ipſæ cauſæ ſunt alterius, quomodo illa vendi poſſe nemo ambigit: ut ſi quis Sacerdotem ratione conſecrationis, aut characteris venderet, ſi mancipium quia virtuoſum, quia perfectum, & Dei amicum, quia Chriſtianum venderet; aut carius venderet. Hoc modo ſacram Euchariſtiam vendere procul dubio ſimonia eſt: quia in concreto ſpecies venduntur, ut ſacratiſſimam rem in ſe continent. Quod etiam contingeret, ſi quis pluris venderet rem temporalem ſpirituali annexam propter ſpiritualitatem, quam habet: ut ſi carius vendat Calicem conſecratum, quia conſecratum, & ra-

tione conſecrationis. Vel ſi quis vendat cauſam, vel actionem, media qua producitur gratia: ut ſi Sacerdos vendat ablutionem baptiſmalem, vel abſolutionem Sacramentalem, cenſetur ipſam gratiam baptiſmalem, & ſacramentalem vendere ad venditionem ſuæ cauſæ. Sic etiam ſimonia eſt imaginem miraculoſam pluris vendere, quam ratione materiæ meretur: quia venditur ut cauſa eſt rei ſpiritualis, & conſequenter iſta ad venditionem ſuæ cauſæ venditur. Ac denique ſi quis Chriſtianum captivum pluris venderet, quia Chriſtianus eſt, aut Deo gratus ratione fidei, aut gratiæ, quam habet; quam alias venderetur, cenſetur vendere in concreto ipſam fidem, aut gratiam. Per quæ omnia in contrarium adducta ſoluta manent.

Iudas vendendo Salvatorem nō commiſit ſimoniam.

5. Ad illud autem Iudæ licet illum ſacrilegum, & irreverentiſſimum ſupra modum fuiſſe omnes dicant; ſimoniam tamen commiſiſſe ferè omnes negant. Ut Cajetan. *quæſtione* 100. *articulo primo*, Armixo *ſupr. num.* 13. Torre *in ſolut. argument.* Ledeſma *tractatu* 12. *fol.* 1300. Filliucius *tomo tertio, tractatu* 25. *quæſtione decima quarta, numero* 45 *ſimo ſecundo*, Bonacin. *de ſimon. diſputatione prima, quæſtione quarta, numero tertio*, Suarez *tomo primo, de relig. lib. de ſimon. capite nono, numero ſecundo*, & alii. Et ratio eſt: quia non vendidit illum cogitans de vendenda divinitate ejus, aut gratia unionis; hæc intentio Iudæ non in perſonam divinam ferebatur; quia in nullius mentem, niſi penitus inſani, talis cogitatio cadere potuit, ut Deum quis ſibi emeret, aut alteri venderet: ideoque non eo titulo pretium ſumpſit, ſed duntaxat ratione humanitatis, quæ in Chriſto erat quaſi res corporalis annexa ſpirituali; eo ſane modo, quo venderetur calix conſecratus ratione materiæ, non habita ratione de conſecratione. Comparatur à Theraſio peccatum ſimoniacorum peccato venditionis Iudæ, ſicut cum peccato blaſphemantium Chriſtum; illud comparat, quod tamen diverſæ fuit longe rationis; ſed ad exaggerandam illius malitiæ gravitatem fuit talis appoſita comparatio.

PUNCTUM II.

An venditio, aut emptio Sacramentorum, vel Sacramentalium ſit ſimonia ſemper, ita ut in nullo caſu poſſit ab illa ſeparare?

Quæ ſint Sacramēta, & Sacramētalia?

6. ALIA ſunt Sacramenta, ut ſeptem Eccleſiæ, Baptiſmus, Confirmatio, &c. quæ accipi poſſunt & pro ipſa poteſtate conferendi, vel conficiendi illa; ut pro charactere, poteſtate abſolvendi, &c. Et pro uſu talis poteſtatis; ut pro ablutione, unctione ſacramentali, abſolutione, &c. Alia ſunt ſacramentalia, & ſunt illa, quæ ex inſtitutione, benedictione, aut conſecratione Eccleſiæ ſunt ſpiritualia, à poteſtate ſpirituali procedentia, & ad finem ſpiritualem ordinata, ut exorciſmus, catechiſmus, conſecrationes, benedictiones, &c. Quæ poſſunt conſiderari tranſeunter, ut pro ipſis actionibus conſecrandi, benedicendi, &c. & permanenter, ut calix conſecratus, aqua benedicta, Eccleſia benedicta, aut conſecrata, Eccleſiaſtica ſepultura, &c. Ad hæc reducuntur reliquiæ Sanctorum, & illarum oſtentationes, demonſtrationes, &c. Quibus ſuppoſitis.

Pro adminiſtratione Sacramentorū aliquid accipere, ſimonia eſt.

7. Aſſerendum eſt primo ſimoniam tam ex jure divino, quam Eccleſiaſtico committere qui dat, vel aliquid accipit temporale ut pretium pro adminiſtratione Sacramentorum. Et ita decernitur *in cap. cum in Eccleſia, de ſimonia, cap. nemo præsbyterorum, eodem titul. cap. Baptizandis, cap. nullus Epiſcopus cum ſequentibus, de Sacrament. pœnis.* Et idem eſt ſi pretium pro materia proxima horum Sacramentorum detur, ut pro ablutione, impoſitione manuum, conſecratione; non tamen ſi detur pro materia remota, ut pro aqua, pane, vino, oleo, &c. quia hæc ſunt merè temporalia. Ratio aſſertionis eſt: quia Sacramenta, vel poteſtas ad illa, & exercitium eorum ſunt res ſpirituales intrinſece, & in ſe, ſeu continent ſpiritualitatem ſupernaturalem ſub illis ſignis exterioribus contentam, ordinanturque ad finem ſupernaturalem ex inſtitutione Chriſti Domini, & ſunt cauſæ effectus ſupernaturalis, ut gratiæ, donorum, &c. ergo pro illis rem temporalem, ut pretium dare, eſt ſimonia ex jure divino, quæ nullo modo poteſt honeſtari. Sic Sotus *libro* 9 *quæſtione ſexta, articulo primo*, Pal. *tomo tertio, diſputatione tertia, de ſimon. punct.* 7. *numero primo, punct.* 11. *numero ſecundo*, Cajetan. 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo tertio*, Sanchez *conſil. tomo primo, libro ſecundo, capite tertio, dub.* 7. *numero ſecundo*, Villalob. *tractatu* 37. *difficultas.* 9. *numero primo*, Leſſius *libro ſecundo, capite* 35. *dub.* 8. *numero* 45. Lezana *tomo ſecundo, verbo ſimonia, numero ſexto*, Layman. *tractatu decimo, capite octavo*, §. 4. *num.* 33. Suarez *libro* 4. *cap.* 9. *à num.* 7. An vero pro labore illorum aliquid per modum pretii poſſit recipi? dicemus puncto ſequenti.

Quatuor objectiones contra præfatam aſſertionem

8. Sed contra hanc noſtram ſententiam communem objicies primo. Quod matrimonium eſt unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, ſed circa illud videmus abſque ſimonia varias pactiones, contractuſque fieri, nolleque contrahentes illud celebrare, niſi magna pecuniæ ſumma ſubrogata in dotem; imo ſi aliquis eorum nobilior ſit, velle per ſuperadditam donationem inæqualitatem compenſare, juxta *cap. de illis, de conditionibus appoſitis.* ¶ Secundo: quia Sacramentum pœnitentiæ eſt unum ex ſeptem, quodque præcipuè in abſolutione conſiſtit: ſed multoties abſolventes, præcipuè à cenſuris, nolunt niſi impoſito onere pecuniarum abſolvere, & ſic ab excommunicatione abſolventes pecunias exigunt, quibus non ſolutis, nolunt abſolutionem impendere, & hoc abſque labe ſimoniæ. ¶ Tertio: quia Sacramentum maximum eſt Euchariſtia, quæ in Miſſis quotidianis conficitur, & conſecratur: ſed pro miſſis celebrandis pecunia paſſim à Sacerdotibus petitur, & accipitur, & ſuper hoc fiunt conventiones, & pacta, & nemo condemnat illa ut ſimoniaca. ¶ Quarto denique: quia ſi Sacramenta emere, aut vendere eſſet ex jure naturæ, & intrinſece malum, nunquam liceret, nec in ullo eventu honeſtari poſſet; ſed hoc eſt falſum; nam in caſu magnæ neceſſitatis licitum eſt pro Sacramentis

pretium

pretium dare; ut ſi Euchariſtia eſſet apud Barbaros, liceret eam pecunia redimere. Si Sacerdos avarus nollet me abſolvere, aut parvulum in extremis laborantem baptizare, niſi accepta pecunia, licitum eſſet mihi in illo caſu pro illis Sacramentis pecuniam dare.

Obiectiones propoſitæ ſolvuntur.

9. Ad primam ex his obiectionibus dicimus matrimonium ſimul eſſe contractum, & Sacramentum: pro illo ut Sacramentum aliquid temporale dare, vel exigere, ſemper eſt ſimonia mala intrinſece; & ſic in nullo caſu honeſtabilis. Sed pro illo ut contractus eſt, & ad onera illius ſublevanda, & ut utrinque æqualitas ſervetur dotem exigere; & majorem ſi nobilis cum ignobili contrahat ad compenſandam illam inæqualitatem, minimè eſt ſimonia; quia non datur ſpirituale pro temporali, ſed purè temporale pro temporali. Quod aliis verbis dixit D. Thomas 2. 2. *quæſtione 100. articulo ſecundo, ad 6. Quod matrimonium non ſolum eſt Eccleſiæ Sacramentum, ſed etiam naturæ officium; & ideo dare pecuniam pro Matrimonio in quantum eſt naturæ officium licitum eſt. Inquantum vero eſt Eccleſiæ Sacramentum eſt illicitum. Et ideo ſecundum jura prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur.* ¶ Ad ſecundam reſpondetur, quod ſi pro abſolutione vel à peccatis, vel ab excommunicatione pretium exigatur, ſimonia manifeſte committitur. Si quando vero ab abſolvente pecunia exigitur, id non eſt ut abſolutionis pretium, ſed in pœnam delicti commiſſi, ſicut poteſt in abſolutione à peccatis id imponi in pœnitentiam: & eſt ſolutio D. Thomæ ibi *in ſolut. ad 3.* dicendum, quod pecunia non exigitur ab eo, qui abſolvitur quaſi pretium abſolutionis; hoc enim eſſet ſimoniacum, ſed quaſi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus.

10. Ad tertium ſimiliter ibidem reſpondet D. Thom. *ad 2.* his verbis: *Quod Sacerdos non accipit pecuniam quaſi pretium conſecrationis Euchariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ; hoc enim eſſet ſimoniacum, ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis ut dictum eſt.* Et ſicut ibi ponit D. Thomas titulum ſuſtentationis ad honeſtandam receptionem pecuniæ pro ſacrificiis; ſic tam hæc, quam aliæ receptiones, aut dationes rerum ſpiritualium pro temporalibus honeſtari poſſunt aliis diverſis, & rationabilibus titulis, quos breviter enumerat Sanchez *libro ſecundo, capite tertio, dub. 11. numero nono*, his verbis. [Quod cum multis titulis poſſit temporale dari, dum ſpirituale recipitur, ſcilicet per modum ſuſtentationis, vel liberalis doni ad gratiam referendam, vel ineundam, vel per modum eleemoſynæ, vel per modum reverentiæ, & honeſtatis, id eſt ob reverentiam ſacramenti, vel pro ſolutione obligationis legis, vel conſuetudinis, nullus horum conſtituit ſimoniam; ſed tantum quando datur temporale pro ſpirituali ut pretium. Quod ſi miniſtrans ſpiritualia accipiat temporale non detorquendo intentionem, id eſt non cum intentione emendi, vel vendendi, ſed dicendo, accipio hoc, ſicut ſolent communiter clerici probi accipere, non eſt ſimonia.] Eadem ferè habet Navarrus *in Manual. capite vigeſimotertio, num. 103. verſ. Quarto quod non, & verſu decimo.* ¶ Excipiendum tamen eſt Sacramentum Ordinis; etſi enim ſtando in jure naturali, & divino poſſit pro illius collatione aliquid accipi ſaltem per modum ſtipendii ad ſuſtentationem, vel per modum eleemoſynæ; id tamen eſt vetitum ex jure Eccleſiaſtico, *cap. nullus Abbas, cap. ſicut Epiſcopus, 1. quæſtione ſecunda, cap. in ordinando, de ſimonia.* Quæ jura renovans Tridentinum, *ſeſſion. 21. capite primo, de reformat.* hæc dicit: *Nihil pro collatione quorumcumque Ordinum etiam clericalis tonſuræ; nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo; nec alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alii collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant. Notarii vero in his tantum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi pro ſingulis litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere poſſint, dummodo nullum eis ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo, nec Epiſcopus ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex iiſdem Ordinum collationibus directè, vel indirectè provenire poſſit, &c. Contrarias taxas, ſtatuta; & conſuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abuſus, & corruptelæ ſimoniæ pravitati faventes nuncupari poſſunt penitus caſſando, & interdicendo.*

Pro ordinibus miniſtrandis, nec titulo ſuſtentationis poteſt miniſtratos aliquid recipere.

11. Ex quibus habemus neque Epiſcopos, nec illorum miniſtros quocumque titulo, aut prætextu, etiam ſi gratis offeratur, etiam titulo ſuſtentationis, quidquam abſque ſimonia non poſſe recipere pro Ordinibus conferendis. Notarios vero ſi ſalarium habeant aſſignatum, quod ut in pluribus habent, nihil poſſe recipere, aut pro dimiſſoriis, aut ſigillo concedendis, etiam ſi gratis offeratur. Si tamen non habeant ſalarium, cum non debeant operas ſuas gratis præſtare, aliquid recipere poſſunt per modum ſtipendii ad ſuſtentationem, ubi id ex conſuetudine habetur, dummodo decimam huius aurei partem non excedant. Et omnes iſtos ſimoniam committere ex jure poſitivo, tametſi corporale ſit, quod præſtant, quia ex motivo Religionis, & ad tollendam omnem ſuſpicionem, & ſpeciem ſimoniæ, eis prohibetur, docent Soto *libro nono, quæſtione ſexta, articulo primo*, Leſſius *libro ſecundo, cap. 35. dub. 10.* Suarez *libro quarto, capite tertio, numero octavo*, Sanchez *libro ſecundo, capite tertio, dub. 20. numero primo*, Filliucius *capite duodecimo, quæſtione quinta, numero nono*, Bonacin. *diſputatione prima, quæſtione quarta*, § 3. Nec excuſantur qui ſalarium habent aliquid recipiendo ratione taxæ, vel etiam immemorabilis conſuetudinis; quia omnem conſuetudinem, aut talem taxam ante Concilium introductas removet, & condemnat Concilium, & etiam quæ poſt illud introduci poſſent: eo quod appellat eas abuſus, & corruptelas pravitati ſimoniacæ faventes. Leſſius *numero 62.* Palaus *punct. 5. numero ſecundo, §. ſecundo adverte.* Poſt ſuſceptum tamen Ordinem, & traditas litteras teſtimoniales, ſi ſponte ſciens non plus debere, nec exactos à Notario offerat ordinatus plus, quam debet notario, non peccat Notarius accipiendo: quia id non prohibetur in Tridentino, & expreſsè conceditur *cap. ſicut Epiſcopus 1. quæſtione 2.* & tenet ibi Torrecrem. Rodriguez *tom. 2. Summ. cap. 58. num. 10.* Sanch. *ſup. dub. 20. num. 5.*

In caſu majoris neceſſitatis poteſt

12. Objectio quarta tangit illam difficultatem, an in caſu extremæ, vel urgentis neceſſitatis poſſit pretium offerri pro Sacramentorum

aliquid dare pro recipiẽdis Sacramẽtis ad redimendam vexationẽ.

adminiſtratione? Ad quod reſpondemus, quod pro ipſis Sacramentis, illorumve adminiſtratione aliquid dare, aut recipere ut pretium eſt intrinſece malum, & ſimoniacum, in nullo caſu, etiam urgentiſſimæ neceſſitatis honeſtabile. Unde dixit D. Thomas *art. 2. ad 1. Si autem eſſet adultus qui baptiſmum deſideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet ſine pretio baptizare, deberet, ſi poſſet per alium baptizari. Quod ſi non poſſet ad alium habere recurſum, nullo modo deberet pretium pro baptiſmo dare, ſed potius abſque baptiſmo decedere. Suppleret enim ei ex baptiſmo flaminis, quod ei ex Sacramento deeſſet.* Quem omnes in hac parte ſequuntur. ¶ Poſſet tamen in tali neceſſitate conſtitutus, vel ille, cui pravè à miniſtro denegaretur Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ, niſi tradita pecunia, eam, vel aliud munus miniſtro tradere abſque ſimoniæ crimine (licet iniquus ille miniſter ab ea immunis non eſſet) non ut pretium Sacramenti; ſed ad redimendam ſuam vexationem, ad tollendum illud impedimentum avaritiæ; miniſtri inique nolentes illud adminiſtrare gratis, & ad flectendam ejus voluntatem; quia tunc non datur ut pretium, nec emitur Sacramentum, ſed intenditur tollere pravam voluntatem miniſtri, quod eſt quid temporale. Sicut enim licitum eſt in tali caſu miniſtrum illum iniquum juſtis minis terrere, quod eum apud Superiores denuntiabit, ita muneribus voluntatem pravam tollere, ut ab injuſta vexatione deſiſtat. Quod eſt conforme doctrinæ D. Thomæ *eodem art. 2. ad 5.* ubi docet: *Quod poſtquam jus alicui acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta impedimenta removere.* Quod eſt dicere (ut *capite ſequenti, punct.* 1. latius explicabimus) quod ſi habens jus jam quæſitum ad aliquod ſpirituale, ab alio vexetur injuſtè, vel impediatur, licet pecuniis talem vexationem redimere ad tollendum illud impedimentum. Cum ergo omnes fideles ex conceſſione Chriſti Domini jus habeant ad omnia Sacramenta, ſi injuſte circa hoc impediantur, vel vexentur, poſſunt ob redemptionem vexationis pecunias dare, & ſic ad recipienda Sacramenta hæc impedimenta tollere. Sic Lezana *verbo Simonia, numero ſexto,* Ledeſma *libro ſecundo, capite trigeſimoquinto. dub.* 7. Villalobos *tractatu* 37. *difficult.* 10. *numero ſecundo,* Arauxo *diſputatione decimaquarta, parte ſecunda, articulo quarto, numero ſeptimo* Sanch. *lib.* 2. *capite primo, dub.* 8. *numero ſecundo,* Palaus *punct.* 11. *numero* 3. Suarez *libro octavo, capite duodecimo, numero* 19. Leſſius *libro ſecundo, cap.* 35. *dub.* 7. *numero* 39. Valentia *tomo tertio, diſputatione ſexta, quæſtione decimaſexta, punct.* 3. *difficult.* 3. Laym. *tract.* 10. *cap. ultim.* §. 2. *num.* 10.

Quid ex dictis inferatur.

13. Ex quo rectè infert Sanchez ſupra *dub.* 9. *numero primo,* licitum eſſe pretium dare Superiori, qui injuſtè me excommunicavit, ſuſpendit, vel interdixit, ut ab his cenſuris abſolvat, non ut pretium abſolutionis, ſed ad redimendam injuſtam vexationem: quia jus habeo quæſitum ad participationem Sacramentorum, & communionem cum fidelibus, quo per injuſtitiam privor, dum his cenſuris injuſtè vexor: unde licet Superior ob hoc recipiendo pecuniam peccet peccato ſimoniæ, ego tamen utor jure meo. Si tamen excommunicatio juſta ſit, licet Superior injuſtè differat abſolutionem, non licet dare pretium ut me abſolvat: quia tunc excommunicatus non habet jus quæſitum, ſeu jus in re, cum juſtè privatus ſit Sacramentorum participatione, & communione fidelium, ſed ſolum habet jus ad rem; quod non ſufficit ad honeſtandam redemptionem vexationis in ſpiritualibus; ut fuſius de hoc ex profeſſo agentes, dicemus *cap.* 3. *hujus tract. punct.* 1.

14. Aſſerendum eſt ſecundo, quod pro Sacramentalibus pretium recipere, ſive pro ipſis ſit, ſive pro exercitio, aut receptione illorum eſt ſimonia juris divini, & humani, ſicut de Sacramentis diximus; quia etiam ſunt res intrinſecè ſpirituales à poteſtate ſpirituali procedentes, & ad finem ſupernaturalem ordinatæ; & licet ſpiritualitatem ex benedictione, aut conſecratione Eccleſiæ habeant, illa tamen ſuppoſita, in illis eſt intrinſecè; ac proinde ex jure divino eſt intrinſece malum, & ſimoniacum eas vendere, vel cum temporali pretio commutare. Quemadmodum licet Sacerdos ab Eccleſia Sacerdos fiat, hac ſuppoſitione facta, ex jure divino illi debetur reverentia; ſic Eccleſia, aqua benedicta, vel calix conſecratus ex jure poſitivo ſpiritualitatem recipiunt: hac tamen ſuppoſitione facta, eis debetur reverentia, ita quod ſicut illas profanare ſit ſacrilegium, ea vendere pretio temporali ſit ex jure divino ſimoniacum. Sylveſter *Simonia, quæſtione* 8. *dict.* 6. Torres *articulo ſecundo, diſputatione ſecunda,* Sanchez *dub.* 15. *numero ſecundo,* Bonacin. *quæſtione quarta,* §. 2. & 4. Lezana *verb. ſimonia. numero ſeptimo,* Palaus *punct.* 8. *numero primo.* ¶ Idem dicendum eſt de aliis functionibus Ordinum, ut cantare ſolemniter Evangelium, ſervire Miſſæ, exercere munus acholyti, exorciſtæ, &c. Quia etiam ſunt actiones ſpirituales à poteſtate ſpirituali procedentes, & ad finem ſpiritualem ordinatæ. Idem propter eandem rationem dicendum eſt de divinis officiis, ut pro celebratione Miſſarum, Horarum Canonicarum, pro exequiis Defunctorum, pro Proceſſionibus publicis. Idem de Orationibus tam publicis, quam privatis; quia etiam quatenus impetratoriæ, ſatisfactoriæ, meritoriæ de congruo ſunt res ſpirituales, & ad finem ſpiritualem ordinatæ. Sic D. Thom. *quæſtione* 100. *articulo* 3. & ibi Torre *diſputatione ſecunda, in ſolut. ad* 1. Filliucius *tractatu* 45. *capite quarto, quæſtione tertia, numero nono,* Lezana *numero ſeptimo,* Sylveſter *dict.* 3. Layman. *libro quarto, tractatu decimo, capite ultimo.* §. 4. *numero* 38. Reginald. *lib.* 23. *num.* 207. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 4. §. 4. & 5.

Qualiter pro dictis functionibus aliquid poſſit recipi temporale.

15. Sed hoc non tollit, quod aliquid pro his muneribus petatur; v. g. pro cantatione Miſſæ, pro Officio funebri, pro Proceſſione, Crucis geſtatione, &c. non per modum pretii, ſed ratione laudabilis conſuetudinis per modum eleemoſynæ, vel ad ſuſtentationem neceſſariam miniſtrorum. Pauperibus autem dantur etiam eleemoſynæ ob privatas orationes ex gratuita benevolentia ad provocandum eorum animos, ut gratis, & ex charitate orent. Unde dixit D. Thomas *quæſtione* 100. *articulo tertio, ad* 2. *Quod illi, qui dant eleemoſynas pauperibus ut orationum ab ipſis ſuffragia impetrent non eo tenore dant quaſi intendentes orationes emere, ſed per gratuitam beneficientiam, pauperum animos provocant ad hoc, quod pro eis gratis,*

gratis, & ex charitate orent. Notat autem bene Suarez *cap.* 15. *numero* 9. Layman. *numero* 38. quod cum pauperibus pecunia datur ea lege, ut certis horis, aut diebus ad dantis intentionem orare teneantur, interpretandum eſt ad modum ſtipendii pro ſuſtentatione illorum, qualiter dari ſolet ſacerdoti ſtipendium, ut certo tempore, vel pro certa cauſa ſacrificet.

Res ſpiritualibus annexæ conſequenter ratione materiæ licitè vendi poſſunt.

16. Aſſerendum eſt tertio, quod hæc omnia, quæ ante conſecrationem, vel benedictionem valorem intrinſecum habent, ut calix conſecratus, imago benedicta, reliquia argento, aut auro compoſita, Eccleſia conſecrata, &c. poſſunt ratione valoris intrinſeci, quem habent ex ſe, vendi abſque ſimonia, dummodo pluris non vendatur ratione conſecrationis, aut benedictionis. Et ratio eſt: quia in his rebus, non quod ſpirituale, ſed quod temporale eſt, venditur, quod quidem intrinſecum habet valorem, & hunc per conſecrationem, aut benedictionem non amittunt: ergo ſicut ante illam poterant emi, aut vendi, ita poſt ipſam poterunt abſque ſimonia commutari, aut vendi; ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. ibi: *Et ideo ipſa temporalia vendere licet, ſed ordo eorum ad ſpirituale ſub venditione cadere non debet.* Idem habet *in* 4. *diſt.*25. *quæſt.*3. *art.*3 Arauxo *ſuprà art.*4. *num.*19. Vgolin. *tabul.*1.*cap.*44.§.2. *n.*10. Valentia 2. 2. *diſput.*6. *quæſt.*16. *punct.*2. *verſ. prioris generis.* D. Antonin. *prima parte, titul.*1. *cap.*5. §.23. Villalobos *tract.*37. *difficult.*11. *n.*4. Sanchez *conſil. lib.*2. *cap.*3. *dub.*15. *n.*3. Navar. *cap.* 23. *num.*108. Suarez *lib.*4. *cap.*14. *num.*6. Palaus *punct.*8. *num.*2. ¶ Sed notandum eſt vaſa ſacra, ornamenta, imagines, &c. ſi ad uſus ſacros, & præcipuè Eccleſiaſticis perſonis vendenda ſint, integra vendi poſſe ſecundum valorem, quem habent ratione materiæ, & artis. At cum venduntur ad uſus profanos, vel hominibus profanis, debent prius confringi, ut amittant conſecrationem, aut benedictionem. Sic D.Thom. *art.*4. *ad* 1. Soto *de juſtit. lib.*9. *q* 7.*art.*1. *ad* 2. Sanch. *ſup. n.*9. Navar. Palaus, & Valent. *loc. cit.*

Objectio cõtra aſſertionem, & ſolutio illius.

17. Sed objicies contra iſtam concluſionem, quod *in cap. ſi quis objecerit* 1. *quæſt.*3. ubi in his, quæ ſunt annexa ſpiritualibus, tam ſpirituale, quam corporale vendi prohibetur, ſubditur ratio: *Quia quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, nihil invenditum relinquit:* ſed conſecratio non provenit, ſeu proficit abſque materia corporali: ergo non poterit materia vendi, quin vendatur conſecratio, quod proculdubio eſt ſimonia. Confirmatur, & inſtatur in beneficiis, in quibus; quia proventus temporales annectuntur ſpiritualibus, qui venderet temporale, etiam ſpirituale vendere cenſetur; alias non eſſet ſimoniacus, qui beneficia venderet, ratione temporalium, quod habet; quod nullus dixit: ergo ſimiliter in præſenti. ¶ Reſpondetur res corporales, quæ habent aliquid ſpirituale, eſſe in duplici differentia, ut notat bene Cajetan. 2. 2. *quæſtione* 100. *art.*3. Aliæ in quibus id, quod ſpirituale eſt, eſt principale, & corporale acceſſorium, quod nihilo æſtimatur, niſi per ordinem ad ſpirituale; ut prædicatio Evangelii, adminiſtratio Sacramentorum: in his verificatur textus, quod unum ſine altero nihil provenit, id eſt, nihil valet: & ſic qui unum venderet, & aliud vendere cenſetur. Aliæ ſunt, in quibus id, quod temporale eſt, eſt prius, & principale, ſpirituale autem conſequenter ſe habet, & eſt quaſi minus principale, ut calix, ornamenta, imagines. In his datur valor æſtimabilis antecedenter ad ſpiritualia, & independenter ab illis; & ſic temporale provenit, ſeu proficit independenter ab ſpirituali, & ſic vendi poteſt ſecundum temporale, quin vendatur ſecundum ſpirituale. Primi generis ſunt beneficia (quod fuſius *infrà hoc cap.* agentes de illis dicemus) id enim, quod in eis corporale eſt, annectitur ſpirituali antecedenter, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 100. *art.*4. Nam in eis antecedit titulus ſpiritualis, & jus ad fructus ratione illius: unde niſi per ordinem ad talem titulum, & ratione illius, nihil proficit beneficium: quia beneficium ut tale eſt jus ad fructus ratione tituli ſpiritualis; datur enim beneficium propter officium, non è contra. Et ideo niſi ſeparentur à beneficio, nihil proficiunt ſine titulo beneficii: & ſic qui venderet jus ad fructus, neceſſario titulum venderet, ſine quo non datur tale jus, nec eſt dabile. Aliud eſt de ipſis fructibus, qui ſunt aliquid purè temporale; & ſic vendi, & locari poſſunt, & hoc modo fructus commutantur, & conducuntur, quod non eſt vendere beneficium: quia iſtud non conſiſtit in fructibus, ſed in jure percipiendi illos titulo clericali.

PUNCTUM III.

An pro labore reperto in adminiſtratione Sacramentorum, & aliarum functionum ſpiritualium aliquid recipere ut pretium ſit ſimonia?

Status difficultatis proponitur.

18. DIximus jam, pro adminiſtratione Sacramentorum, & aliarum functionum ſpiritualium pecuniam ut pretium recipere, ſimoniacum eſſe. Sed quia in talibus functionibus, labor aliquis corporalis reperitur, reſtat inveſtigare, an pro tali labore aliquid poſſit peti ut pretium ſine labe ſimoniæ, ut pro labore in celebratione Miſſæ, in adminiſtratione pœnitentiæ, in prædicatione Evangelii, in oratione, in benedictionibus, conſecrationibus, in viſitationibus, &c. Pro reſolutione hujus difficultatis paſſim occurrentis notandum eſt, in his, & ſimilibus actionibus duplicem laborem poſſe conſiderari: alium intrinſecum, ut eſt ille, ſine quo validè, licitè, ac decenter nequeunt ſimiles functiones exerceri: alium extrinſecum, cum quo minimè convertuntur, & ſine quo validè, ac licitè, ac decenter poſſunt executioni mandari; ut ſi per tot leucas debeat ſacerdos ire ad baptizandum; ſi Miſſa cum tali, aut tali ſolemnitate eſt canenda, quod tali hora, tali loco Miſſa dicatur; quod ſermo exquiſitus, & multum elaboratus prædicetur; vel quod aliquis per quadrageſimam, aut alio tempore ad prædicandum, vel confitendum obligetur. Nam talis obligatio extrinſeca eſt miniſterio, eſtque pretio æſtimabilis. Ad hunc etiam laborem reducitur, ſi tempore, quo miniſterium ſpirituale ſum tibi impenſurus, ab aliis operationibus impedior, quæ mihi utiles forent. Quibus ſuppoſitis.

Pro labore intrinſeco

19. Ad quæſitum reſpondetur duplici aſſertione. Prima ſit. Quod pro labore intrin-

In adminiſtrandis ſpiritualibus miniſteriis, non poteſt recipi pretium; bene tamen pro extrinſeco.

ſeco operationum ſpiritualium nihil poteſt abſque ſimonia recipi per modum pretii. At pro extrinſeco labore aliquid temporale ut pretium recipere, nulla eſt ſimonia, nec Eccleſiaſtico, nec jure divino. Ratio primi eſt: quia talis labor eſt pars neceſſaria rei ſpiritualis, & adeo cum illa conjunctus, ut nullo modo poſſint ſeparari: etſi enim talis labor temporalis ſit, ita tamen intrinſecè connectitur cum ſpirituali functione, ut unum moraliter cenſeantur: & ſic moraliter cenſetur vendere rem ſpiritualem, qui pro labore intrinſeco illius pretium accipit: ut ſi daretur aliquis lapis pretioſus, cui annexa eſſet aliqua proprietas, proculdubio, qui pro lapide pretium reciperet, etiam proprietatem illius venderet; ita rem ſpiritualem venderet, qui laborem intrinſecum cum illa pretio permutaret. Neque enim talis labor aliquid valet, vel æſtimatur, vel proficit, niſi per ordinem ad ſpirituale: unde hîc vim habet quod Paſqualig. Papa dixit *cap. ſi quis objecerit* 1. *q.* 1. *quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum in venditum derelinquit.* Quare miniſtri Eccleſiæ pro hujuſmodi labore non debent aliquid recipere, ne eum in pretium computare, ſequentes quod Auguſtinus dixit ſuper epiſt. 1. ad Hebr. 5. *Accipiant a populo neceſſitatem ſuſtentationis, mercedem vero laboris ſperent à Deo.* ¶ Ratio ſecundæ partis aſſertionis eſt, quod talis labor extrinſecus eſt omnino temporalis, & per accidens cum ſpirituali connexum, ſine quo actio ſpiritualis poteſt eſſe, & independenter ab illa eſt pretio æſtimabilis. Unde in caſibus *numero præcedenti* recenſitis, poteſt pro labore extrinſeco pretium peti, & accipi: & ſic cantor aliquid recipere poteſt pro labore, & artificio cantandi voce, aut inſtrumentis; quia per accidens comitantur officia divina, quæ ſine illis poſſunt celebrari, & non amittunt ſuam æſtimationem per hoc, quod cum ſpiritualibus connectantur. Utramque aſſertionis partem tenent Cajetan. *q.* 100. *art.* 3. Soto *lib.* 9. *quæſt.* 6. *art.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 8. *num.* 53. Lezana *tom.* 2. *verb. ſimonia*, *n.* 6. Sanchez *conſil. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 10. Villalobos *tract.* 37. *difficult.* 9. *num.* 1. & 2. Arauxo *diſp.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *num* 27. Toletus *in ſumm. lib.* 5. *quæſt.* 84. *cap.* 88. Palaus *diſput.* 3. *punct.* 7. *num.* 2. Layman. *tract.* 10. *cap.* 8. §. 4. *num.* 33. Ioannes à Cruce *in director. præcept.* 7. *capite* 4. *dubio* 5.

Pro adminiſtratione Sacramentorum aliquid peti poteſt ut ſtipendium ſuſtentationis.

20 Secunda aſſertio ad quæſitum reſpondens eſt, poſſe miniſtrum pro adminiſtratione rerum ſpiritualium, & pro labore ſive intrinſeco, ſive extrinſeco aliquid temporale ex juſtitia petere ut ſtipendium ſuſtentationis. Quo titulo pro Miſſis, pro concione, pro Eccleſiarum conſecratione, pro viſitatione juxta conſuetudinem in Eccleſia receptam, & Canonum diſpoſitionem aliquid temporale recipitur. Et hoc eodem titulo Epiſcopatibus, Parochiis, Canonicatibus, Cœnobiis, aliiſque miniſtris Eccleſiaſticis annexi ſunt magni proventus, non ut pretium ſacrarum functionum, ſed tanquam ſtipendia neceſſaria pro ſuſtentandis miniſtris ſecundum ipſorum dignitatem, & conditionem. Et quo major labor in his miniſteriis ſuſcipitur, eo majus ſtipendium debetur; & ſic majus aſſignatur pro miſſa ſolemni, quam pro privata; & majus pro illo, qui tota die confeſſionibus incumbit, quam qui pro una hora illis occupatur, & quo perſona dignior, & excellentius miniſterium, eo ſtipendium aſcendere oportet: quia ſuſtentatio accipienda eſt ſecundum qualitatem, & dignitatem perſonæ, ac miniſterio illius. Hoc denique titulo in funeralibus Clericis canentibus, confraternitatibus corpus defuncti deferentibus ſtipendium juſtum aſſignatur. Ratio omnium eſt: nam ſicut operario merces debetur, ſic eis qui in ſpiritualibus populo inſerviunt debetur ex juſtitia ſtipendium ſuſtentationis. Matth. 10. Lucæ 10. Marci 8. *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Quod latè probat Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. exemplo militis, agricolæ, & paſtoris. Quod non tollit gratis ſpiritualia miniſtrari; ſiquidem non exigunt quidquam tanquam miniſterii pretium: quia hoc utpotè omni pretio excellentius, gratis præſtant, ſed ſuſtentationem à populo exigunt ſibi neceſſarium, ut ipſi populo tale miniſterium gratis exhibere queant. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. & *quodlib.* 6. *art.* 11. & *quodlibet* 10. *art.* 6. Torre *quæſt.* 100. *art.* 2. *diſput.* 9. Arauxo *diſputatione* 14. *part.* 2. *artic* 2. *num.* 32. Villalobos *tract.* 37. *difficult.* 9. *num.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 8. *num.* 37. Sanchez *conſil. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 1. Nomine ſuſtentationis intelliguntur etiam neceſſaria ad ſtatum decentem miniſtri, & ad ſubveniendum parentibus, fratribus, & aliis, quibus jure naturæ debet ſubvenire, cum non debeat mendicare, ut illis ſubveniat.

Debent ex juſtitia fideles ſpiritualia adminiſtrantes ſuſtentare.

21. Quod vero tale ſtipendium pro ſuſtentatione miniſtri ex juſtitia debeatur, probatur: quia qui in miniſteriis ſpiritualibus populo inſerviunt, & ad hoc ſunt deſtinati, privant ſe facultate vacandi miniſteriis mecanicis, & aliis negotiationibus temporalibus, quibus poſſent lucrum ſufficiens ad decentem ſuſtentationem capere, & hoc in commodum populi: ergo populus ratione hujus privationis in ejus obſequium, commodumque aſſumptæ tenetur ex juſtitia eos ſuſtentare, dum illis ſpiritualia adminiſtrant: ſicut, qui utiliter negotia alicujus gerit, debetur illi ſuſtentatio congrua, quam ipſe aliis miniſteriis comparaſſet, niſi per negotia illius impeditus fuiſſet. Et hoc patet exemplo mercenarii, quo utitur Chriſtus Dominus, cui ex juſtitia debetur merces; & exemplis militis, agricolæ, & paſtoris, quibus utitur D. Paulus; quibus etiam ex juſtitia ſtipendium ſuſtentationis debetur. Sic Authores citati. ¶ Et hic fit, quod etiamſi miniſter alias ditiſſimus ſit, & aliunde habeat unde ſuſtentetur, poteſt pro dictis miniſteriis ſtipendium debitum petere ad ſui ſuſtentationem, ſpectata præciſè rerum natura, & officio, quod præſtat. Et ſic D. Paulus *loco citato*, dixit: *Nemo militat ſuis ſtipendiis.* Si autem miniſter, alias dives, ſuſtentationem non reciperet ab his, quorum miniſteriis ſpiritualibus incumbit, ſuis ſtipendiis militaret. Deinde hoc probatur ratione, qua locis citatis utitur D. Thomas: quia quod debetur ex juſtitia, independenter à quacumque conditione debetur; nam medium juſtitiæ conſiſtit in æqualitate rei ad rem, non habito reſpectu ad perſonas, inter quas fit contractus: ſed ſtipendium ſuſtentationis debetur miniſtris Eccleſiaſticis ex juſtitia; ſunt enim milites ſpirituales, quibus ſtipendium militiæ ſpiritualis debetur, non minus, quam militibus militiæ corporalis: ergo non habito reſpectu ad ſuſtantiam perſonæ, de-

betur

betur miniſtris ſtipendium, ſive pauperes ſint, ſive divites. Quod tenet D. Thomas *loc. cit. præcipuè quodlibet* 6. *art.* 10. Ledeſma *tom.* 2. *ſumm. tract.* 12. *concluſ.* 4. Aragon. 2. 2. q. 100. *artic.* 2. & ibi Raphaël à Torre *diſputatione* 9. Sotus *lib.* 9. *de juſtitia, quæſtione ſexta, articulo primo.* Arauxo *ſuprà numero tertio.* Villalobos *num.* 7. Leſſius *num.* 47. Sanchez *numero quarto.* Suarez *tomo tertio, in* 3. *part. diſputatione* 16. *ſect.* 3. Palaus *de ſimonia, diſputatione tertia, punct.* 9. *numero* 1.

Ex pacto poteſt pro adminiſtrandis ſpiritualibus peti ſtipendium, ſuſtentationis quando debetur.

22. Imò circa hoc paciſci licitè poſſe miniſtros, diximus *cap. præcedenti.* Quia unuſquiſque paciſci poteſt ſibi dari, quod ipſi jure naturæ debetur. Nec obſtat, quod *in cap. finali, de pactis, cap. quæſitum de rerum permutation. cap. tua nos, de ſimonia, cap. quam pio* 1. *quæſt.* 2. prohibetur omne pactum in ſpiritualibus; quia ut inquiunt Sotus, & Leſſius *loco citato*, his juribus antiquis per contrariam conſuetudinem in quibuſdam rebus, & functionibus ſpiritualibus (ut ſunt ſuperius recenſitæ, & ſimiles) eſt derogatum: quia paſſim hanc vidimus conſuetudinem in Eccleſia vigere, Prælatis videntibus, & conſentientibus: & cum hoc ſolum eſſet ſimoniacum ex jure humano; potuit per conſuetudinem tolli, ut latè *tomo tertio, tractatu undecimo, de legibus*, diximus: atque modo ita tenent Torre *diſputatione prima*, Malderus 2. 2. *tractatu* 9. *capite tertio. dubio ſexto.* §. *Quidam autem.* Ledeſma *concluſione* 15. Sanchez *dubio undecimo, numero octavo*, Villalob. Leſſius, Soto, Palaus *locis citatis.* ¶ Cæterum in hac parte cavendum eſt omnino ſcandalum: unde licet ſit licitum inire pactum ſtipendii pro Miſſa, ac de quantitate contendere; vix citra ſcandalum fieri poteſt. Et ſimiliter quamvis pro audienda confeſſione liceat eleemoſynam gratis datam accipere; at de illa paciſci ſicut pro Miſſa generaret ſcandalum, quia hoc non eſt in uſu, nec ex conſuetudine habetur. Verum id non tollit, quod poſſint Clerici cogere laïcos coram judice, ut ſolvant ſtipendium ſuſtentationis, quod ipſis, pro ſupra relatis functionibus debetur: imò, & id, quod ex conſuetudine debetur illis, quando conſuetudo non habuit initium violentum, ut per exactiones, ſed ex populi devotione fuit introducta. Et quamvis ſacerdos regulariter non rectè faciat, ſi velit dictum ſtipendium exigere ante functionum ſpiritualium collationem; aliquando tamen in hoc rectè faciet, ſi id faciat, ut ſervet ſe indemnem, ut ſcilicet lites hac via evitet, quæ ad recuperandum poſtea ſtipendium ſuum frequenter accidere ſolent. Et ideo multi Prælati prudentiſſimè nolunt, Miſſas pro intentione ſæcularium dicere, nec ad hoc ſe obligare, niſi recepto prius ſtipendio: nam poſtea illud recuperare, non niſi pluribus litibus, & mora longinqua, ut in plurimum accidit.

Qui amplius, quam ſibi debetur pro ſuſtentatione petit, eſt injuſtus, non ſimoniacus.

23. Illud tamen adnotare omnino duximus, quod ſi quis hoc titulo ſuſtentationis exigat amplius, quam eſt jam taxatum pro ſtipendio juſto, vel quam laudabili conſuetudine habetur, committit injuſtitiam, cum obligatione ad reſtitutionem; ſimoniam vero non committit: quia non petit, aut accipit illud ut pretium rei ſpiritualis, ſed ut ſtipendium ſuſtentationis, licet excedens, delinquat; ſicut qui fraudulenter pro calice, ratione materiæ valente 100. peteret 200. hic injuſtus eſſet, & non ſimoniacus, qui non vendit calicem ratione conſecrationis, ſed materiæ, licet in pretio excedat; itaut, qui ſuprà taxam, vel conſuetudinem, aliquid aliud titulo ſuſtentationis exigit pro ſupradictis miniſteriis, injuſtus eſt, quia ultra id, quod ſibi debetur, amplius recepit, niſi omnino gratis ipſi fuerit donatum, non tamen ſimoniacus coram Deo, quamvis in foro externo habeatur ut ſimoniacus. Quia cum illud ſtipendium neceſſariam ſuſtentationem, vel communem taxationem ſuperet, videtur tale ſtipendium peti, non ut ſtipendium ſuſtentationis, ſed ut pretium rei ſpiritualis. Et eſt, quod optimè dixit D. Thomas *articulo tertio, ad* 3. de illo, qui ex officio tenetur talia miniſteria exhibere, & ad hoc jam habet ſtipendium aſſignatum: *Quod ille, cui committitur ſpiritualis poteſtas, ex officio obligatur ad uſum poteſtatis ſibi commiſſæ in ſpiritualium diſpenſatione: & etiam pro ſuſtentatione ſtatuta ſtipendia habet ex redditibus Eccleſiæ. Et ideo ſi aliquid acciperet pro uſu ſpiritualis poteſtatis, non intelligeretur locare operas ſuas, quas ex debito ſuſcepti officii debet impendere; ſed intelligeretur vendere ipſum ſpiritualis gratiæ uſum.* Quod verè iſte, & coram Deo ſimoniacus non ſit, licet talis in foro externo præſumatur, tenent Soto *libro nono, quæſtione ſexto, articulo primo*, Leſſius *ſuprà numero* 51. Palaus *numero ſecundo*, Toletus *libro quinto, capite* 89. *numero ſexto*, Sanchez *dubio* 11. *num.* 6. Suarez *libro quarto, cap.* 46. *num.* 46.

Quid inſtatur neceſſario ex dictis?

24. Ex verbis D. Thomæ modo adductis colliges injuſtitiam committere Clericos, qui ex officio tenentur ſacramenta populis miniſtrare, corpus defuncti ſepelire, funeralia celebrare, & alia hujuſmodi miniſteria exhibere; & alias pro talibus miniſteriis ex redditibus beneficii habet ſtipendium aſſignatum ad neceſſariam ſuſtentationem, ſi pro talibus miniſteriis exhibendis novum ſtipendium exigeret. Sicuti injuſtitiam committeret monaſterium, quod ex contractu ad tot anniverſaria, Miſſas, vel officia celebranda quotannis, juſto jam pro ſuſtentatione aſſignato ſtipendio, ſi aliud de novo, titulo ſuſtentationis exigeret. Quia in utroque caſu, jam eſt juſtum taxatum ſtipendium, & aſſignatum; & amplius petere, eſt ultra id, quod ſibi debebatur exigere: niſi fortè id ſit jam conſuetudine introductum, quod ultra ſtipendium aſſignatum ex redditibus beneficii, aliud detur, quando hujuſmodi miniſteria exequutioni mandantur: quia cenſetur ex conſuetudine hoc ut pars ſuſtentationis aſſignatum; ut cernitur in oblationibus, quæ fiunt in Eccleſiis, proceſſionibus, reſponſoriis, funeralibus, Baptiſmis, Matrimoniis; & dicitur noſtro idiomate: *el pie de altar*: hoc enim ut pars ſtipendii pro ſuſtentatione miniſtrorum ultra redditus beneficii, quod dicitur: *La grueſa*; eſt aſſignatum; ſicuti diſtributiones quotidianæ pro aſſiſtentibus in Choro, in Cathedralibus aſſignaotur.

PUNCTUM IV.

An pro actibus virtutum, vel omiſſione, vel illorum carentia, vel privatione, aliquid temporale ut pretium accipere, ſit ſimonia?

Pro actibus, virtutis non ordinatis ad finē ſupernaturalem, aliquid recipere, non eſt ſimonia.

25. PRæmittendum eſt inter actus virtutum, alios eſſe actus poteſtatis ordinis, ut Evangelium canere, aut epiſtolam, abſolvere, &c. Alios juriſdictionis, ut ſententiam profetre, diſpenſare, excommunicate, &c. De primis jam diximus *puncto* 2. De ſecundis dicemus *puncto ſequenti.* Alii ſunt actus aliarum virtutum, ut orare, jejunare, eleemoſynam dare pro alio: qui poſſunt ordinari, vel ad finem merè temporalem, nullo ſpirituali interveniente, ut eleemoſynam dare, ut alius corporaliter adjuvetur; & ſic ſimonia non erit pro actibus virtutum, quæ ad ſolam corporalem alterius ſublevationem ordinantur, quidquam recipere; ut ſunt omnia opera miſericordiæ corporalia, quæ licet poſſint ad finem ſupernaturalem ordinari, adhuc dum ordinantur, in eis attendi poteſt id, quod præciſè corporale eſt, & eſt pretio æſtimabile: quam æſtimationem non amittunt per hoc, quod ad finem ſupernaturalem ordinentur. Quod præcipuè occurrit, ſi præciſè ad commoditates corporales, ut poſſunt, ordinentur: quia ut ſic nihil ſpiritualitatis ſupernaturalis in ſe habent. Ita Bonacina *de ſimon. diſp.* 1. *q.*4. §. 5. *num.*5. Torre *q.*100. *art.*3. *diſp.*2. *concluſ.*1. ¶ Diximus nullo ſpirituali interveniente: nam ſi ego offeram, quod ſatisfactorium, aut impetratorium eſt aut meritorium; de congruo eſt in jejunio, eleemoſyna aliove opere miſericordiæ, ut hoc medio Deus conferat amico ſalutem, aliudve commodum etiam temporale, cum hoc modo ſupernaturalitatem includat, & ex dono gratuito Dei procedant: ſimonia erit pro eis pecuniam dare, vel accipere; & ſic eſt talis, pretium pro orationibus privatis, vel publicis offerre, pro jejunio, eleemoſyna, &c. D. Thomas 2.2. *q.*100. *art.*3. *ad* 2. ibi Torre *concluſ.*3. & 4. Bonacin. *num.*6. Et idem dicendum eſt de aliis officiorum divinorum functionibus, ut officium recitare, laudes Dei canere, proceſſiones pro mortuis, aut ſuffragia offerre, &c. Nam ſunt miniſteria Eccleſiaſtica, à poteſtate Eccleſiaſtica procedentia, & nomine Eccleſiæ fiunt ad exhibendum Deo cultum, & aliquid ab eo impetrandum; & habetur *in cap. Eccleſia, cap. non ſatis, cap. ad Apoſtolicam, de ſimonia.* Et tenet D. Thomas *locis citatis.* Sanchez *dub.*13. Palaus *diſputatione* 3. *punct.*9. *num.*1. Bonacin. *num.*3. Suarez *lib.*4. *cap.*15. *num.*5. Layman. *lib.*4. *tract.*10. *cap. ultim. num.*38. ¶ Illi vero, qui dant pecuniam pauperibus religioſis, ut pro ipſis orent, vel aliquid dictis applicent, non intendunt emere illos actus virtutum; *ſed per gratuitam beneficientiam pauperum animos provocare ad hoc, quod pro eis gratis, & ex charitate orent.* Ut inquit D. Thom. *loc. cit. ad* 2. in quo omnes illum ſequuntur. Videantur, quæ circa hoc, *duobus punctis præcedentibus* diximus.

Diverſæ negationes actuum virtutis recenſentur.

26. Circa omiſſionem, vel omiſſiones actuum virtutum, (ſive dicantur negationes, carentiæ, aut privationes) ſupponendum eſt, illarum, alias eſſe, quæ regulantur ab aliqua poteſtate ſpirituali, ad quam pertinent actus oppoſiti, & ad finem illius diriguntur, ut non abſolvere indiſpoſitum, quod pertinet ad poteſtatem Ordinis, vel juriſdictionis, ad quam pertinet ligare, & abſolvere, non dare indigno communionem, non reprehendere in Prælato, non audire confeſſiones, & ſimilia; quæ, quando ad finem poteſtatis Eccleſiaſticæ ordinantur, ab illa diriguntur, ſicut & actus poſitivi oppoſiti: poſſunt tamen tales omiſſiones non ad finem poteſtatis ordinari, ſed ad alium, ut ſi ob ſomnium, quietem, &c. nolis abſolvere, aut communionem dare. Aliæ vero ſunt omiſſiones, quæ à tali poteſtate minimè regulantur, ſed à ſola facultate liberi arbitrii illius, qui pro ſuo libito vult omittere ſpiritualem actum, ut non orare, non dare eleemoſynam, non dicere Miſſam, non ingredi religionem, non ſuſcipere ordines, &c. ¶ Notandum eſt ſecundo negationem actus ad juriſdictionem pertinentis interdum eſſe alicujus actus ex juſtitia, & officio debiti, ut cum Parochus denegat ſubdito confeſſionis audientiam, tempore, quo tenetur ex officio audire, in qua negatione infert injuriam ſubdito. Aliquando vero eſt negatio actus exercendi poteſtatem, ſed non debitus ex iuſtitia, ut ſi religioſus nolit ſæcularis audire confeſſionem. ¶ Denique præmittendum eſt diſcrimen inter Ordinis poteſtatem, & iuriſdictionis. Quod poteſtas Ordinis eſt determinata ad ſuum actum poſitivum, taliter ut nullum, aut quaſi influxum habeat erga illius negationem, v. g. caracter ſacramentalis principium eſt poſitivum ad conſecrandum Chriſti corpus; ſed circa non conſecrandum nullum alium influxum ſacerdos quam quilibet alius. Poteſtas vero iuriſdictionis principium eſt poſitivum, & actus, & negationis; ut poteſtas abſolvendi à peccatis eſt poteſtas abſolvendi, & retinendi, id eſt, non abſolvendi: & hinc naſcitur diſcrimen inter ipſas omiſſiones, ſeu negationes actuum ſpiritualium; quod illæ, quæ pertinent ad iuriſdictionis poteſtatem, ſunt quidam uſus poteſtatis ſpiritualis; quæ vero pertinent ad Ordinis poteſtatem, non ſunt uſus illius, ſed merè carentiæ, quæ ſi debiti fuerint actus, erunt privationes; & negationes ſi fuerint actus indebiti.

Regula generalis pro iſta materia ſtabilitur.

27. His ſuppoſitis. Hanc regulam generalem ſtatuimus; unde nonnullas illationes inferemus: quod quando omiſſiones regulantur à poteſtate aliqua ſpirituali, ſuntque illius uſus; & exercitium, pro illis pretium exigere, ſimonia eſt; ut pro non abſolvendo indigno, pro non diſpenſando ſine cauſa, &c. At in reliquis, quæ ad poteſtatem aliquam ſpiritualem non reducuntur, pro eis pretium accipere, non eſt ſimoniacum. Prima pars probatur *ex cap. nemo presbyter. de ſimonia*, ubi prohibetur, ne pœnitentia detur, vel negetur pretio. Et ſubditur: *Verumque enim ſimoniacum eſt.* Et eſt ratio: quia uſus poteſtatis ſpiritualis, maximè iuriſdictionis, eſt quid ſpirituale ad finem ſpiritualem ordinatum: ſed negatio actus ſpiritualis eſt uſus poteſtatis ſpiritualis, quando ab illa ad ſuum finem ordinatur; ſequitur enim ex imperio illius, in quo talis regulatio conſiſtit: ergo pro tali negatione pretium accipere,

erit

erit pro re ſpirituali accipere, & ſic ſimoniacum. Et hinc ſecunda pars regulæ noſtræ probatur: Quia quando negatio non eſt uſus poteſtatis ſpiritualis, nec ab illa regulatur, eſt uſus tantum liberi arbitrii, ab eoque regulatur; & ſic in tali negatione nihil ſpirituale, aut ſupernaturale reperitur, ſed potiùs eſt negatio ſupernaturalitatis, ſeu non eſſe illius actus; ut non orare, non dare eleemoſynam, non ingredi religionem, non audire confeſſionem, & etiam actus juriſdictionis non exercere, non ob finem illius poteſtatis, ſed ob quietem, ob ſomnum; ut non abſolvere alium a cenſura, ut non fatigetur, ut quieſcat. Sic Soto *lib. 9. de Juſtit. quæſtione 6. art. 20. ad 3.* Arauxo *diſputatione 14. part. 2. articulo 4. numero 10.* Raphaël à Torre *articulo 4. diſputatione 8. aſſertion. 1. & 2. fol. 694.* Villalob. *tract. 37. difficult. 6. numero 2.* Ledeſma *in ſumm. part. 1. tractatu 12. concluſ. 12.* Suarez *lib. 4. cap. 22. à numero 5.* Bonacin. *de ſimonia, diſputatione 1. quæſtione 4. §. 9. numero 2.* Layman. *lib. 4. tractatu 10 cap. ultim. numero 43.* Sanchez *lib 2. cap. 3. dub. 22.* Palaus *punct. 12 à num. 16.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 11. numero 64.* Ugolinus *tabul. 5. cap. 40. §. 3.*

Ex dicta regula aliqua inferuntur.

28. Ex dicta regula infertur negationem actus ſpiritualis pertinentis ad ordinis poteſtatem non eſſe materiam ſimoniæ, etiamſi pro pretio exhibeatur; ut ſi Sacerdoti detur pecunia ne celebret, aut Diacono ne Evangelium ſolemniter cantet, & utrique ne exequias mortuorum celebrent. Et idem à fortiori dicimus de negatione actus ad nullam poteſtatem pertinentis; ut ſi quis acciperet pecuniam, ne oret, ne religionem ingrediatur, ne jejunet, ne eleemoſynas faciat: quia ibi non venditur aliquid ſpirituale, ſed naturalis uſus libertatis. Quod verum aſſerimus, etiamſi alias actus omiſſus ſit in præcepto juſtitiæ, vel alterius virtutis, & ibi ob id ſit omiſſio peccatum: quia ſemper illa omiſſio eſt pure uſus, vel abuſus propriæ voluntatis, & non alicujus poteſtatis, aut gratiæ ſpiritualis; & quando actus eſt debitus ſolum additur omiſſioni ratio peccati, quod non facit talem omiſſionem eſſe quid ſpirituale, quod ad ſimoniam erat neceſſarium. Unde ſi alicui habenti votum religionis detur pecunia, ne religionem ingrediatur, licet ſit peccatum, non ſimoniæ, propter rationem modo datam. Et ſi Parrochus accipiat pecuniam pro non dicenda miſſa, quam ex juſtitia in ſua parrochia tenebatur dicere, etſi peccet contra juſtitiam, ſimoniam non facit. Raphaël à Torre, Ledeſma, Villalobos, Bonacina, Suarez, Palaus, Leſſius, *locis citatis.* ¶ Si Prælatus corripiatur pecunia, ut ſubditum corrigat, vel à correctione deſiſtat, per negationem correctionis debitæ committet ſimoniam, quia eſt actus regulatus à poteſtate ſpirituali, & ad finem illius ordinatus, ad quem, & corrigere, & non corrigere expectat. Sic Divus Thomas 2. 2. *quæſtione 100. articulo tertio, ad 3.* Gloſſa, & Panormitan. *in cap. nemo de ſimonia.* Similiter committit ſimoniam Sacerdos, qui confeſſione pœnitentis audita, negat abſolutionem propter pecuniam acceptam ſive negatio ſit alias juſta, ſive injuſta; ut expreſsè habetur *dicto cap. nemo presbyter, de ſimonia.* Et idem eſt de negatione abſolutionis à cenſuris ab habente juriſdictionem in contentioſo foro, quia hanc regulari per poteſtatem juriſdictionis, eſt certum: utraque enim non minus regulatur a poteſtate juriſdictionis, quam actus poſitivus abſolvendi, dicente Domino Matthæi 18. & Joanne 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt:* retinere autem peccata nihil aliud eſt, quam negare abſolutionem pœnitentibus. Leſſius *dub. 11. numero 64.* Suarez *cap. 22. numero 9.* Palaus *punct. 12. num. 17.* Torre *art. 4. diſputat. 8. concluſ. 2.*

Alia ex ſupradicta regula inferuntur.

29. Si vero Sacerdos aliquis, cui ex juſtitia non incumbit confeſſiones audire ob acceptam pecuniam neget earum audientiam, turpe quidem lucrum exercet, ſed non erit ſimoniacus: quia illa omiſſio nihil ſpirituale habet, nec poteſtate juriſdictionis regulatur; ſed eſt pura omiſſio, non minus, ac ſi à quocumque alio non habente poteſtatem fieret. Arauxo, Sanchez, Bonacina, Villalobos, Torre, Palaus, & Ledeſma, *locis citatis.* ¶ Similiter, ſi quis det pretium electori hac tantum electione, ut non eligat Petrum non curans, quod eligat alium, ſimoniacus reputatur: quia emit negationem electionis, quam exercere tenebatur per uſum ſpiritualis poteſtatis judicans de eligendi idoneitate. ¶ Denique ſi Parrochus tempore quo teneretur conſcientias ſuorum expiare, deneget ſubdito pœnitenti confeſſionem, illius audientiam, quia eum reputat publicum peccatorem, indignum audiri ante ejectionem concubinæ è domo ſua, talis negatio poteſt eſſe materia ſimoniæ, ſi ob turpe lucrum exhibeatur: quia regulatur, & quaſi elicitur a poteſtate juriſdictionis, ad quam non ſolum ſpectat retinere peccata in confeſſione audita, verum etiam peccatores à confeſſione repellere, quando is, qui illorum curam gerit: quia in hoc caſu non regulatur per poteſtatem juriſdictionis, ſed potius per ſuam inertiam, aut venandi, vel ludendi cupiditatem: idem dicimus de Prælato non corrigente; & in ſimilibus caſibus. Sic Villalobos, Ledeſma, Torre, Arauxo *locis citatis.*

PUNCTUM V.

An ſit ſimonia emere, aut vendere actus juriſdictionis ad poteſtatem Eccleſiaſticam pertinentes?

Pro actibus ordinis, aut juriſdictionis quidquam accipere ſimonia eſt.

30. PRÆMITTENDUM eſt aliam eſſe poteſtatem juriſdictionis in foro interno conſcientiæ, ut poteſtas abſolvendi à peccatis confeſſis, talem imponendi pœnitentiam, &c. Alia eſt fori externi, & hæc eſt in duplici differentia: vel enim poteſt eſſe actus juriſdictionis gratioſæ, ut diſpenſare in votis, in legibus, irregularitatibus, &c. & poteſt eſſe actus juriſdictionis contentioſæ, ut abſolvere à cenſuris poſt cognitionem cauſæ, diſpenſare in impedimentis, viſitare, judicare, condemnare, &c. & pro omnibus his pretium temporale accipere, abſque dubio eſt ſimonia, ut docet Divus Thomas *ſecunda ſecundæ, quæſtione 100. articulo tertio, ad tertium*, quia tales actus ſpirituales ſunt, & ex parte cauſæ, quia à poteſtate ſpiritali Eccleſiaſtica proveniunt:

& ex parte finis, quia ad finem ſpiritualem animarum ordinantur: & multoties, ex parte effectus, ut abſolutio ſacramentalis liberans à peccatis, & conferens gratiam, diſpenſatio in irregularitatibus, qua redduntur habiles ad ordines, & alias functiones Eccleſiaſticas. Sic Sanchez *tom.1. Conſil. lib. 3. cap. 2. dub. 17. numero* 2. Villalob. *tract.37. difficult.19. numero* 2. Raphaël à Torre 2.2. q.100. *art.3. diſput. initio.* Layman. *tract.10. cap. ultim.* §.4. *numero* 40. Palaus *tom.5. tract.14. diſput.3. punct.12. numero* 1. Suarez *lib.4. cap.19. num.*2. Leſſius *lib.2. cap.35. dub.9. n.*56.

Quæ inferuntur ex aſſertione.

31. Hinc fit ſimoniam eſſe, propter pecuniam audire confeſſionem, abſolvere pœnitentem; imo, & denegare abſolutionem, ut diximus *puncto præcedenti.* Similiter munus accipere pro pœnitentia leviori imponenda, vel pro augenda, pro licentia, aut commiſſione audiendi confeſſiones, per hoc, quod in confeſſorem eligatur. v. g. Regis, aut Procerum, pro abſolutione à cenſuris, pro indulgentiarum conceſſione; pro diſpenſatione in foro interno in votis, juramentis, & ſimilibus, pro aſſiſtentia parrochi in contrahendo matrimonio: quia iſte eſt actus neceſſarius, & ſpiritualis; & ſic inter actus Eccleſiaſticos, & miniſteria Eccleſiaſtica computatur, eſto non ſit actus juriſdictionis; pro electionibus, collationibus, confirmationibus beneficiorum, pro diſpenſationibus votorum, & relaxationibus juramentorum etiam in foro externo; pro abſolutionibus à cenſuris, pro diſpenſationibus in legibus Eccleſiaſticis, in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii, &c. pro viſitationibus, correctionibus, &c. pro quocumque actu Eccleſiaſtici judicii, quicumque ſit, uſque ad ſententiæ prolationem incluſivè. Pro omnibus his, ſimonia eſt recipere pecuniam per modum pretii; at per modum ſtipendii, pro ſuſtentatione, vel ſi gratioſè donetur, vel ad captandam voluntatem, vel ad redimendam vexationem, in aliquibus eſt talis ex jure Eccleſiaſtico, in aliis non ut ſuis locis adnotavimus.

Aliæ doctrinæ præcedentis illationis.

32. Similiter ſimonia eſt propter pecuniam poteſtatem juriſdictionis erga hos, & ſimiles actus committere; ut ſi pro delegatione facultatis ad audiendas confeſſiones, ad prædicandum, ad abſolvendum à reſervatis, vel à cenſuris, ad judicandum, & diſpenſandum, &c. erit ſimoniacus Epiſcopus, qui munera accipit, ut eligat Vicarium, Viſitatorem, & Capitula in ſede vacanti, ſi recipiant aliquid, ut eligant Proviſores, Viſitatores, &c. Similiter ſimonia eſt jus vendere ad eligendum ad Eccleſiaſtica beneficia, aut dignitates, ad confirmandum electiones, &c. uti expreſsè habetur, *Cap.*1. 2. *&* 3. *ne Prælati vices ſuas.* & ibi Gloſſa *cap. ad noſtram, de ſimonia, cap. licet de pœnis,* & aliis juribus. Non quia talis venditionis prohibitio vetita ſit ſolum jure poſitivo, ſed jura prohibent, quod erat ex jure naturali malum, propter rationem in concluſione datam. Navarr. *cap.23. numero* 110. Layman. §.4. *num.*40. Sylveſter *ſimonia, quæſtione* 14. Raphael à Torre *art.3. diſputatione 3. fol.*670. *colum.*2. Sanchez *dub.17. numero* 7. ¶ At quando Parrochus alteri ſuas vices committit, licet ei paciſci, ut ſtipendium ſuſtentationis, quod pro his, aut illis functionibus debebatur, ſibi reſervetur: quia tunc non pro commiſſione, ſed pro ſuſtentatione aliàs debita, temporale requirit, ut rectè inquit Sanchez *dub.7. & dub.17. num.*8. ¶ Notat autem Lezana *ſimonia, num,* 12. cum Suarez *cap.54. ad finem.* Peyrinis *tom.1. de ſubdit. quæſt.1. cap.31.* §. 9. utter religioſos eſſe ſimoniacum, dare aliquid, vel accipere pro licentia confeſſionis audiendi, prædicandi, ordines recipiendi, à caſibus reſervatis abſolvendi, &c. quia ſunt ſpiritualia, ſancta, & ad animarum ſalutem ordinata.

Objectio notatu digna proponitur.

33. Sed contra dicta objicies, quod juxta ſtylum Curiæ Romanæ vendi ſolet Clericatum Cameræ, auditoratum Cameræ, quæ ſunt munia à Pontifice deſignata, ut vice illius exerceant juriſdictionem Eccleſiaſticam: non ergo talis delegatio poteſtatis, eſt materia ſimoniæ. Similiter ex eodem ſtylo Curiæ Romanæ habetur, quod Pontifex, vel ejus legati pro diſpenſationibus in votis, in legibus Eccleſiaſticis, in impedimentis matrimonii pecunia exigatur, ſine eo quod per hoc ſe ſimoniam committere arbitrentur: non ergo talis receptio pecuniæ pro his juriſdictionibus erit ſimonia, maximè de jure divino, in qua non poteſt Pontifex diſpenſare. Nec huic ſatisfaceret objectioni, qui diceret talem pecuniam recipi non ut pretium diſpenſationum, ſed ut ſtipendium ad ſuſtentationem Pontificis, & miniſtrorum ejus. ¶ Sed hoc non evacuat difficultatem. Tum: quia diſpenſantes habent alias copioſos redditus; unde & ſe, & ſuos miniſtros, ac familiares valeant ſuſtentare. Tum etiam: quia quo difficilior eſt diſpenſatio, eo major pecuniæ ſumma petitur, ut pro gradibus conſanguinitati proximioribus, imo æquali cauſa exiſtente in duobus petentibus diſpenſationem, major pecuniæ quantitas exigitur ab uno, quam ab alio, ut ſi unus ſit dives, alius pauper; unus nobilis, alter ignobilis, a divite, & nobili uberior pecuniæ cumulus exigitur, quam à pauperi vel ignobili, etiam ſtante eodem impedimento, & eadem cauſa petendi diſpenſationem. Signum ergo eſt non dari pro diſpenſantium, aut officialium ſuſtentatione; quia hæc ſemper eſt eadem; ſed ut pretium pro ipſa diſpenſatione faciliori, vel difficiliori, &c.

Solvitur objectio præcedens.

34. Reſpondetur in primis ad id, quod de officiis Cameræ dicitur, duo eſſe conſideranda in talibus officiis; & juriſdictionem ſpiritualem, & temporale emolumentum, quod ſecum afferunt. Utrumque vendere eſt ſimoniacum: ſed primum ex jure naturali, & divino, in quo non poteſt Pontifex diſpenſare, & ſic nec talia officia ſecundum illam rationem vendere. Secundum ſolo jure poſitivo, ſicut vendere officium Oeconomi, Sacriſtæ, &c. Cum ergo Pontifex poſſit in omni jure poſitivo diſpenſare, poteſt officia illa ſecundum temporale emolumentum vendere abſque labe ſimoniæ. Nec hinc infeas; ergo ſimili modo poterit beneficia vendere ſecundum temporale emolumentum, quod ſecum afferunt: nam circa hoc late dicemus *punct.* 8. probantes ex jure divino eſſe ſimoniacum beneficia vendere etiam ſecundum emolumentum temporale. ¶ Ad id quod de diſpenſationibus dicitur, aſſerimus, quod licet pro ipſis ut pretium non poſſit Pontifex pecuniam accipere, quia eſt de jure divino malum; tamen ex triplici titulo praxis, & ſtylus Curiæ honeſtari. Et quamquam in Tridentino *ſeſſ.24. cap.6.* & 25. *cap.18. de reform.*

præcipiatur diſpenſationes omnes gratis omnino fieri; vel eſt lex Eccleſiaſtica, quæ Pontifici non obligat, ut probat Navarr. *cap. ſi quando de reſcriptis except.* a t. *in conſtitut. oppoſitorum num.* t. vel ſecum prout poteſt in ea lege diſpenſat; vel quod verius eſt ſemper verificatur gratis huiuſcemodi diſpenſationes impertiri, tametſi pro illis pecunia recipiatur: quia non recipitur ut pretium pro ipſis, ſed aliis tribus titulis jam explicandis.

Quibus titulis poſſit Summus Pontifex pro diſpenſationibus pecuniã petere.

35. Igitur ex tribus capitibus liberatur à labe ſimoniæ ſtylus Curiæ Romanæ. Ex cuius more pecunia exigitur, quando diſpenſationes impenduntur; & major ſumma, quo difficilior fuerit diſpenſatio; & adhuc uberior à divitibus, quam à pauperibus, etiam exiſtente eodem impedimento, & cauſa. Primum eſt ad ſuſtentationem ſtatus Pontificii, & conſequenter in ſuſtentationem onerum Pontificatus, quæ tanta ſunt, ut vix tot redditus, & ſummæ ſufficiant. Quæ ut eius portari valeant, merito diſpenſatis exigitur illa pecunia pro diſpenſationibus expediendis, potius quam in aliis gratiis: quia diſpenſationes ſunt odioſæ, & ſic oportet illas reddere difficiliores petentibus; ne facilitas obtinendi majorem occaſionem tribuat eas importune poſtulandi, ob idque, quo difficilior eſt diſpenſatio, ut rarius fiat, habet majus pondus pecuniæ annexum: & hac ratione plus à divite, quam à paupere poſtulatur. Sicut & tributa regia pro ſuſtentatione ſtatus regalis ſtabilita, ſecundum æquitatem, majora exiguntur, vel certe debent exigi à divitibus, quam à pauperibus. ¶ Secundus titulus eſt, quo talis receptio honeſtatur, eſt per modum pœnæ, quam apponit Pontifex diſpenſato, eo, quod à lege eximitur, ne alii de facili tales diſpenſationes procurent; & hoc maximè quando eſt impedimentum ob crimen, vel ſecum illud trahit, vel eſt irregularitas ob homicidium, quam poteſt Summus Pontifex, & Paſtor, & piis operibus, & ſibi, & ſuæ curiæ applicare. ¶ Tertius titulus eſt per modum compoſitionis, aut commutationis. Sicuti enim licitum eſt votum commutare in aliquam eleemoſynam; ita petenti diſpenſationem in lege, in irregularitate, vel impedimentis matrimonii fas eſt vinculum illud commutare in aliquam pecuniarum eleemoſynam, quam Summus Pontifex ſuis ſumptibus, & ſuorum miniſtrorum applicat ſuſtentationi. Et hinc eſt majorem ſummam exigi ob difficiliorem diſpenſationem, quia majus eſt vinculum, quod commutatur.

Ex duobus titulis præcedentibus poſſet etiam Epiſcopus pro diſpenſationibus pecunias petere, ſibi minime applicandas.

36. Sed urgebis, quod ſi ita eſt, quod ex his tribus titulis poteſt Pontifex pro diſpenſationibus ſummam aliquam pecuniæ exigere, omni labe ſimoniæ ſemota: ergo etiam poterunt Epiſcopi ex his capitibus à ſimonia liberari, ſi pro diſpenſationibus, quas ipſi impertiri valent, aliquam pecuniam reciperent? ¶ Reſpondetur negando abſolute conſequentiam. Nam licet ex duplici ultimo titulo, nimirum per modum pœnæ, & compenſationis poſſet Epiſcopus aliquid recipere in piis operibus diſtribuendum, non vero priori, qui eſt titulus ſuſtentationis; poteſt quidem Epiſcopus petenti diſpenſationem ſicut alias pœnas aſſignare, ita ſummam pecuniæ per modum pœnæ in eleemoſynam exigere, ut colligitur ex D. Thom. *quæſt.* 100 *art.* 2. *ad* 3. Et ſicut in aliud onus poteſt commutare unum vinculum, ut cernitur, quando vota commutat. Sic etiam in elargitione eleemoſynæ, ne facilis ſit repetitio diſpenſationis. Caveant autem, (ut recte inquit Raphaël à Torre *dicto art.* 2. *diſt.* 3. *fine*) ne ſibi applicent mediate, vel immediate tales eleemoſynas: Deus enim non irridetur. Caveant itidem, ne ſibi committant eam pecuniarum diſpenſationem propter populi in hac parte facilem ſuſpicionem, quod ſibi arrogent. Tutius erit per manus miniſtrorum fidelium erogare. Et propter eandem rationem vituperamus morem quorundam confeſſariorum, qui in pœnitentium eleemoſynas, aut miſſarum ſacrificia imponunt, & ipſi earum pecuniarum fiunt diſpenſatores.

Titulo ſuſtentationis non poteſt Epiſcopus pro diſpenſationibus pecunias petere.

37. Quod vero Epiſcopus non poſſit ob diſpenſationes, aliaſve functiones ſpirituales *hoc puncto* recenſitas quidquam accipere, nedum, ut pretium, verum nec titulo ſuſtentationis, qua ratione ſibi illud arrogare poſſet, probatur. Tum quia Epiſcopi ſufficientes, & copioſos redditus aliàs habent ad onera ſuſtentanda; ex quibus redditibus tenentur alere ſuos officiales, & quoſcumque alios miniſtros neceſſarios ad munia ſpiritualia ſubeunda; & ſic, ſi ex illis detrahant, & à populo pro his functionibus ſtipendium ſuſtentationis efflagitent, injuſtitiam committunt juxta dicta ſupra. Imo ſimoniam ex jure poſitivo; quia ita illis prohibitum eſt. *Cap. Iacobus de ſimonia, cap. ex multis* 1. *quæſt.* 3. & aliis juribus. Quibus quocumque titulo quidquam exigere niſi procurationes pro viſitatione Eccleſiarum (de quo *cap. præcedent.* diximus) prohibetur; illiſque præcipitur omnia ſpiritualia purè, & ſine pacto, aut onere ullo debere conferre: Epiſcopi autem jure communi tenentur, in quo diſpenſari non poſſunt. Et in Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *&* *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de reform.* hæc eadem illis prohibentur, & præcipitur, ut gratis omnino ab ipſis conferantur: per quod non ſolum prohibet per modum pretii aliquid recipere, quia non ſolum intendebat Concilium rem tam antiquam, & deteſtabilem vitare, ſicut eſt dare pecunias ut pretium pro diſpenſationibus; ſed voluit abolere conſuetudinem ſeu abuſum, & corruptelam exigendi aliquid pro ſuſtentatione, ne hoc prætextu ſimoniæ tegerentur, injuſtæque diſpenſationes multiplicarentur. Sic D. Thom. *art.* 3. *ad* 3. Sotus *lib.* 9. *art.* 1. *in reſponſ. ad* 1. Ludovicus Lopez 1. *p. inſtruct. nov. cap.* 301. *fol.* 912. *pag.* 2. Villalob. *tract.* 37. *difficult.* 19. *numero* 8. Leſſius *lib.* 2. *capite* 35. *dub.* 9. *numero* 57. Sanchez *ſup. dub.* 17. *numero* 4 Layman § 4. *numero* 40. Vgolin. *tabul.* 1. *cap.* 51. *num.* 15. Suarez *cap.* 20. *num.* 24. *&* 25. Torre *diſputat.* 3. *fol.* 672. *colum.* 2. Tabiena *verb. ſimonia num.* 49.

PUNCTUM VI.

An pro uſu ſcientiarum pretium accipere ſimonia ſit?

Scientiæ de quibus loquitur punctum, examinantur.

38. IN præſenti puncto loquemur de uſu ſcientiarum, non de ipſis ſcientiis; has enim non eſſe ſimoniæ materiam conſtat eo, quod vendi non poſſunt; ſiquidem nequeunt in alterum transfundi niſi medio uſu eas docendo, de quo modo quærimus. Sed præmittendum eſt, alias eſſe ſcientias purè naturales, ut philoſophia, aſtrologia, medicina, &c. alias, quæ ex principiis prodeunt, quorum unum eſt ſupernaturale, &

circa objectum ſupernaturale verſantur; ut Sacra Theologia, quæ uno principio fidei, & alio naturali circa Deum, & myſteria ſupernaturalia ſe exercet: & hæc poteſt conſiderari in duplici differentia. Alia quæ eſt per cognitionem divinitus infuſam, ſeu per donum Spiritus ſancti, nimirum per donum ſcientiæ, vel ſapientiæ, myſteriorum fidei, & Sacræ ſcripturæ, qualis erat in Apoſtolis, & fuit in pluribus ſanctis. Alia, quæ per induſtriam rationis naturalis ex principiis fidei jugi labore comparatur; & hæc habet quatuor functiones. Prima ex principiis fidei concluſiones deducere, ſive neceſſario, & ſcientificè, ſive probabiliter. Secunda interpretari Sacras ſcripturas ex Doctrina Patrum ad inſtruendos alios in earum intelligentiam. Tertia docere Doctrinam Chriſtianam, ſeu prædicare Doctrinam Evangelicam; ad quam reducitur Cathechiſmum docere, ſeu in rudimentes fidei homines inſtruere. Quarta dare in caſibus conſcientiæ reſponſa, & ſimilia, quæ pertinent ad Theologiam moralem: nam licet hoc ad Iuriſperitos pertineat, præcipue ad Canoniſtas, frequenter vero ad Theologos expectat. Quod adhuc bifariam poteſt Theologia præſtare. Primo reſolvendo, quid in hoc, vel illo caſu ſit agendum? quod peccatum ſit? quæ obligatio? quod ſolum ordinatur ad cognoſcendam veritatem, vel ad defendendam litem, & jus ſuum protegendum, vel relinquendum. Secundo, ut quis in conſcientia ſecurus procedat, & in anima pacetur, & omnia ſcrupula, angores dimittat, ut ſic in obſequiis divinis alacrius, & expeditius ſe exerceat. Quibus ſuppoſitis.

Vſum ſcientiarum naturalium vendere non eſt ſimonia.

39. Aſſerendum eſt primo, vendere uſum cujuſcumque ſcientiæ naturalis, ſeu Doctrinam, vel notitiam cujuſcomque veritatis naturali induſtria comparabilis non eſſe ſimoniam; & hoc non ſolum ratione laboris in ea comparanda adhibiti, quod perſpicuum eſt, cum ſit aliquid mere temporale pretio æſtimabile; ſed ratione ipſius intrinſeci exercitii; ſiquidem licet ſcientia ſit res ſpiritualis, eſt mere ars naturalis, per ſe ad finem ſupernaturalem minime ordinata. Et ideo quo quis eſt doctior eo majus ſtipendium poteſt exigere, & tamen minus laborat; quod ſignum eſt ipſammet ſcientiam eſſe pretio æſtimabilem. Quod tamen non liceret, ſi vendere doctrinam ipſam, eſſet ſimoniacum. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 71 *art* 4. *ad* 2. & *quæſt.* 100. *art.* 2. *ad* 3. Soto *lib.* 9. *de juſt. quæſt.* 5. *art.* 1. Victoria *relect. de ſimonia relect.* 5. *num.* 1. Lezma *tom* 2. *verb. ſimonia num.* 10 Villalob. *tract.* 37. *difficul.* 8. *num.* 1. Bonacina *diſputat.* 1. *quæſt* 4. §. 10. *num.* 1. Layman *tract.* 10. *cap. ultim.* §. 4 *num.* 30. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 1. *num.* 7. & *dub.* 23. *num.* 74. Filiucius *tractat.* 44. *cap.* 2. *num.* 4. Et ſic Conſilium, vel intrinſecum laborem vendere, & carius, quo doctior, & in ſubliniori materia conſulitur, non eſt ſimoniacum. Qua ratione Advocatis licet pro conſiliis, & reſolutionibus aliquid accipere, & eo magis, quo doctiores, & quo res altioris materiæ, quia ſunt magis in ipſis æſtimabilia. Et ſic in taxando hujuſmodi pretio habenda eſt ratio qualitatis perſonæ: nam conſilium peritioris, vel artem publicè profitentis, præſtantius exiſtimatur, etiam ſi minori labore, majorique facilitate, & celeritate præſtetur, quam Conſilium alterius minus in arte periti, vel eam artem publice non profitentis, ut recte docet Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 13. Leſſius *dub.* 23. *num.* 75. Filiucius *ſupr. num.* 6.

40. Sed obiicies: quod ideo res ſacras pecunia vendere eſt ſimonia, quia non ſunt pretio æſtimabiles: ſed neque ſcientia eſt pretio æſtimabilis ob eius ſublimitatem valoris, dicitur enim Proverb. 3. *præſtantior eſt cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari.* Ob idque monet *cap.* 23. *noli vendere ſapientiam, doctrinam, & intellectum:* ergo ſcientia eſt invendibilis, eiuſque venditio ſimoniaca. § Reſpondetur ſcientiam ſecundum ſe (ut diximus) nullo pretio æſtimari poſſe, & ſic nec emi, aut vendi; at in ordine ad uſus humanos, & ut facit homines nobiliores, aptoſque ad excelſa miniſteria, & ad commoditates humanas conducunt, æſtimari pretio poteſt; & ſecundum hoc vendi; non ipſa ſecundum ſe, quæ venditioni nequit ſubjacere, ſed etiamſi poſſet vendi, tanti æſtimanda eſt, ut non debeat opibus, aut aliis pretioſis rebus comparari. Unde ſicut homo ſecundum ſe præſtantior eſt toto mundo, ratione tamen utilitatis temporalis ex illo provenientis pretio vendi poteſt, ut in mancipiis contingit: ſic ſcientia, & ipſa veritas quamvis nullam cum bonis temporalibus habeat commenſurationem, quia tamen utilis, & delectabilis eſt, ut ſic poteſt comparari pretio.

Obiectio proponitur, & ſolvitur.

41. Aſſerendum eſt ſecundo, quod ſi Theologia Sacra accipiatur pro cognitione divinitus infuſa myſteriorum fidei, & ſcripturarum, diciturque interpretatio ſermonum, probabilius cenſemus illius venditionem eſſe ſimoniam. Tum quia adulterantes verbum Dei ſacrilegi ſunt, ut inquit D. Paulus: ergo etiam ſimoniaci, qui verbum Dei divinitus acceptum vendunt; quia ſicut ſacrilegium eſt violare rem ſacram, ita eam vendere eſt ſimoniacum. Tum etiam, quia talis eſt gratia gratis data, quæ viribus naturæ haberi nequit: per eam enim qui digni facti ſunt illam recipere clarius, & certius Sacram ſcripturam, & myſteria fidei penetrabunt, quam quocumque ſtudio, induſtria, labore aſſequi poteſt: quæ nondum in habitu conſiſtebat, ſed etiam in quadam actuali, ac ſingulari aſſiſtentia Spiritus ſancti, pro loco, & tempore illuminantis. Sic Sanchez *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 1. Leſſius *dub.* 13. *num.* 77. § Quamvis ſit valde probabile hanc non eſſe materiam ſimoniæ, ut docent Suarez *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 14. Reginal. *lib.* 23. *num.* 152. Azorius 3. *p. de ſimonia lib.* 12. *cap.* 18. *quæſt.* 6. *verſ. quid ſi quiſpiam*: nam conſequutio illorum donorum abſque labore, & miraculoſe non mutat rei naturam, nec tollit quod exercitium illorum donorum non ſit pretio æſtimabile, vel ſit materia ſimoniæ, ſicut qui miraculoſe obtinet ſanitatem, manum, brachium, vel pedem, quibus antea carebat, non committit ſimoniam recipiendo ſtipendium pro exercitio manuum, &c. quæ miraculoſe recepit.

Prouſu Sacræ Theologiæ infuſæ aliquid recipere ſimoniacum eſt.

42. Atque idem dicimus de Theologia acquiſita quoad munus docendi Doctrinam Chriſtianam, & veritatem Evangelicam: & ſic ſimonia erit aliquid recipere pro munere prædicandi, ſeu pro exhortationibus, & concionibus ſpiritualibus, vel pro illorum intrinſeco labore. Unde Chriſtus Dominus Mathæi 10. poſtquam dixit: *euntes autem prædicate, & dicentes quia appropinquavit regnum cælorum*, ſubjunxit: *gratis accepiſtis, gratis date.* Et Gloſſa ſuper illud 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præſunt presbyteri* (dicit) *neceſſitatis eſt accipere unde vivitur, charitatis eſt præbere; non tamen venale eſt Evangelium, ut pro his prædicetur. Si enim ſic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio.* Et ratio eſt: quia tales actus non æſtimantur, niſi

Doctrinam Chriſtianam, & prædicationem vendere, eſt ſimonia.

quatenus

quatenus diſponunt, vel juvant movendo, & exhortando ad ſalutem: nec ſolum fiunt ad capiendas fidei veritates in intellectu; ſed præcipuè fiunt ad excitandos affectus animæ, illoſque in divino cultu, & Chriſtiana converſatione componendos, ad excitandam fidem, Charitatem, & pœnitentiam, ad percipiendam in conſcientia conſolationem, & pacem Spiritus ſancti, nec apud Chriſtianos rectè ſentientes aliam habent æſtimationem. Ideoque res Sacræ, & ſupernaturales cenſentur, quæ ab homine procedunt, & ut eſt organum, ſeu inſtrumentum Spiritus ſancti. Sic D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100 *art.* 3. *ad* 2. Lezana *ſup. num.* 10. Layman *num.* 32. Sanchez *dub.* 7. *num.* 6. Suarez *lib.* 4. *cap.* 8 *à num.* 19. Filiucius *tract.* 45. *quæſt.* 8. *num.* 32. Bonacina *num.* 8. Villalob. *num.* 21 Ledeſm. *in ſumm.* 2. *p. tract.* 12. *difficult.* 2. *poſt* 3. *concl.* Et eſt communis. Idem dicendum eſt de labore prævio, qui in ſtudendo, vel ſcribendo ponitur; ut ſe Prædicator ad illos actus diſponat, vel etiam de labore comitante, ut moleſtia, defatigatione, &c. Sed hoc loquendo de labore intrinſeco ab illa functione inſeparabili: ſecus vero de extrinſeco labore, qui per accidens illi conjungitur, juxta dicta *punct.* 3.

Doctrinam Theologiæ acquiſitæ vendere nō eſt ſimonia.

43. Aſſerendum eſt tertio quod pretium pro Theologiæ doctrina recipere ſecundum quod inſtruit intellectum ut ex principiis fidei concluſiones circa myſteria neceſſario, vel probabiliter deducat, vel ex Sacris Doctoribus ſciat ſcripturas interpretari, prout fit in Cathedris, & in ſcholis, non eſt ſimonia. Ratio eſt: quia licet talis ſcientia hoc modo conſiderata, ſuo modo ſupernaturalitatem includat, quia nimirum ex principiis ſupernaturalibus diſcurrit; verè tamen, & ſecundum ſubſtantiam naturalis eſt, induſtria, & ingenio humano comparata. In eius æſtimatione non attenditur, an moveat, vel non ad affectus ſupernaturales, vel ad alios pios motus ad juſtificationem diſponentes? Sed ſolum ad labores, & ſumptus, quibus Doctor ad illam ſcientiam pervenit; ad labores ſimiliter, quibus illam tradit; ad utilitates, honores, & commoda, quæ ex illa proficiſcuntur. § Et confirmatur hoc: quia ad hoc munus docendi per accidens eſt Theologiæ procedere ex principiis lumine fidei revelatis, & creditis: eodem namque modo poſſet hæreticus docere ex principiis fide humana creditis, & qui de illis voluntariè dubitaret. Aſſertionem noſtram tenent Sotus *lib.* 9. *quæſt.* 5. *art.* 1. *&* *quæſt.* 6. *art.* 2. Cajetan. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. §. *ad ſecundum.* Toletus *lib.* 5. *cap.* 88. *num.* 3. *&* 4. Victor. *relect.* 1. *de ſimon. num.* 6. Palaus *diſputat. punct.* 11. *num.* 2. Suarez *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 7. Villalob. *tractat.* 37. *difficult.* 8. *numero* 2. Bonacina *ſup. num.* 5. Sanchez *dub.* 6. *numero* 3. Leſſius *lib.* 2. *capite* 35. *dub.* 13. *numero* 80. Lezana *num.* 10. Layman §. 4. *num.* 30.

Pro licentia, & gradu doctoratus ad docendam Theologiā aliquid accipere, non eſt ſimonia.

44. Et idem dicendum eſt de licentia ad docendum Sacram Theologiam, vel de conceſſione gradus magiſterii, doctoratus licentiatus, aut bachalaureatus, quod pro his pecuniam dare, vel recipere, non eſt ſimonia. Differt autem magiſterium à ſimplici licentia docendi; quod illud dicit & titulum honorificum, & jus, ut tali titulo appelletur, collatum in teſtimonium ſcientiæ, & jus docendi publicè: licentia vero iſtud ultimum dumtaxat importat. Ratio vero, cur hæc non ſit materia ſimoniæ eſt, quia huiuſmodi gradus nihil ſpirituale in ſe continent, ſed ſunt quædam publicæ approbationes ad docendum, & conſulendum conjunctæ cum aliquibus privilegiis, facultatibus, commoditatibus, vel honoribus omnino temporalibus. Et hoc verum cenſemus, etiamſi inſtitutio, vel collatio horum graduum, vel licentiarum à poteſtate Eccleſiaſtica proficiſcatur; & in religionibus à poteſtate juriſdictionis, quæ eſt in Prælatis provenit licentia ad docendum, per inſtitutionem lectorum artium, & Theologiæ. Quia in poteſtate Eccleſiaſtica reperitur, & uſus juriſdictionis politicæ, & uſus juriſdictionis ſpiritualis; utrumque enim continet eminenter: unde ſicut per uſum juriſdictionis politicæ poteſt inſtituere magiſtratus, aliave officia merè temporalia diſtribuere, pro quibus accipere pretium non erit ſimonia, ita per uſum illius inſtituere poteſt doctores, & magiſtros, eiſque facultatem ad publice docendum concedere, quin hoc ſit materia ſimoniæ: quia hoc non provenit à poteſtate Eccleſiaſtica ut ſpiritualis eſt, ſed ut eſt politica eminenter. Nec contra hoc facit, quod in *cap.* 1. 2. & 3. & aliis. *toto titulo de Magiſtris in decretalibus* præcipitur, ne Doctores habentes juſtum ſtipendium ab Eccleſia exactione faciant ab aliis volentibus in eadem Eccleſia ſcholas regere. Quia hæc jura ſolum loquuntur cum prælatis, vel aliis, quibus aſſignatum eſt jam ſtipendium pro doctrina, etſi tacite, vel expreſsè pacti ſunt ſe gratis illam tradituros, vel alios ad id munus admiſſuros, ne propter hoc aliud ſtipendium petere, vel accipere præſumant. Quod ut ſupra diximus, eſt injuſtum. Ac denique id comprobatur ex uſu, & ſtylo fere omnium Univerſitatum, in quibus mox eſt pro hujuſmodi gradibus à petentibus certam ſummam petere, quod à tot viris doctis exercitum, condemnare, nefas eſt. Unde licet in dictis juribus hoc ut ſimoniacum prohibitum eſſet, quod non negamus eſſe probabile, poteſt adverſus illa, legitima conſuetudo introducta prævalere, dummodo non ſit iniqua, etiam ex jure poſitivo; quod ex jure naturali nullam deformitatem habebat. Sic Bonacina *num.* 10. Filiucius *numero* 12. Layman *num.* 32. Leſſius *num.* 85. Palaus *num.* 3. Villalob. *num.* 3.

Aliæ functiones Theologiæ, quæ non ſunt materia ſimoniæ.

45. Unde denique dicimus de munere docendi Cathechiſmum, ſeu inſtruendi in fide, uti ludi magiſtri in ſcholis pueros laudabiliter inſtruunt, quod non eſt materia ſimoniæ regulariter: quia ut in plurimum non tradunt rudimenta fidei per modum exhortationis ad movendum, ſed per modum doctrinæ, ut res fidei memoria retineantur, & exerceatur intellectus; quia talis actus eſt merè naturalis. Suarez, Bonacina, Layman, Lezana, Palaus *locis citatis*. Dixi regulariter: quia ſi Doctrina Chriſtiana tradatur, vel explicetur concionando, vel perſuadendo, erit materia ſimoniæ: ut ſi infidelis inſtruatur de Doctrina Chriſtiana oſtendendo illius credibilitatem, ut credat, & convertatur: quia talis eſt actus concionis, & exhortationis ſpiritualis. Et idem dicendum eſt, ſi actus docendæ Doctrinæ Chriſtianæ exerceatur ritu ſolemni ut ſit in baptiſmo adulti: quia hic eſt actus ordinis, ſeu functio illius ex inſtitutione Eccleſiæ, & inter Sacramentalia numeratur Suarez *capite* 18. *numero* 24. Bonacina §. 10. *numero* 9. Leſſius *dub.* 13. *numero* 77. § Similiter, pro reſponſo, ſeu Concilio morali, mercedem accipere, per ſe non eſt ſimonia: quia ſolum eſt doctoralis quædam inſtructio, quæ licet à Theologis frequentius petatur, à juriſtis fieri poteſt. Unde licet ad pacem, & tranquilitatem conſcientiæ talis conſultatio conducit,

 id eſt

ideſt per accidens ; & conſequenter per ſe tamen ſolum eſt inſtructio quædam naturalis, & conſilium vere naturaliter præſtitum. Qua ratione Canoniſtæ pretium recipere ſolent pro huiuſmodi reſponſis, & ſimilibus conſiliis, & non debent eſſe Theologi in hac parte deterioris conditionis. Sic Bonacina, Palaus, Suarez, & Layman, *locis citatis.* ¶ Aliud eſſet ſe conſilium daretur per modum exhortationis ad movendum animum petentis, vel non petentis, uti Conſilia multoties dentur ad movendum ad pœnitentiam, ad perfectionem Chriſtianam capeſcendam, vel gravitatem rei diſſipando, vel incommoda aliunde ſequutiva demonſtrando : hoc autem reduceretur ad concionem, exhortationem, vel inſtructionem ſpiritualem quæ citra dubium ſunt materia ſimoniæ.

PUNCTUM VII.

An ſit ſimonia aliquid temporale quocumque modo in pactum deducere pro ingreſſu in religionem?

Aliquid pro ingreſſu in religionem accipere ut pretium, eſt ſimonia.

46. IN hac difficultate ut certa ab incertis ſeparemus, ut certiſſimum ſtatuendum eſt non poſſe abſque ſimonia quidquam temporale exigi per modum pretii pro ingreſſu, profeſſione, aut ſtatu religionis accipiendo ; & hoc tam ex jure Eccleſiaſtico, ut conſtat ex innumeris canonibus ſacris, præcipuè *in extravagant. communi.* 1. *de ſimonia*, ubi excommunicatione Papæ reſervata ligantur omnes recipientes, vel dantes aliquid pro ingreſſu in religionem, quam ex jure naturali, & divino : quia ſtatus religioſus tam in ingreſſu, quam in profeſſione eſt res ſpiritualis. Tum ex parte ipſius ſuſceptionis habitus, & profeſſionis : quia Dei obſequiis, & laudibus, ac perpetuæ obſervantiæ religioſæ homo mancipatur. Tum ex parte finis, qui eſt amor Dei, ſpiritualis animæ profectus, & æternæ ſalutis conſequutio. Hanc aſſertionem omnes tenent cum D. Thoma *quæſtione* 100. *articulo* 3. *ad* 4. Cuius verba, quia ad plura in hoc puncto tangenda ſunt neceſſaria, placuit in medium producere. *Ad* 4. *dicendum* (verba ſunt S. Doctoris) *quod pro ingreſſu monaſterii non licet aliquid exigere, vel accipere quaſi pretium. Licet tamen ſi monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum monaſterii exhibere ; ſed accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiant monaſterii opes. Similiter etiam licitum eſt, ſi propter devotionem, quam aliquis ad monaſterium oſtendit largas eleemoſynas faciendo, facilius in monaſterio recipiatur, ſicut etiam licitum eſt, aliquem econverſo provocare ad devotionem monaſterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monaſterii ingreſſum, licet non ſit licitum, ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingreſſu monaſterii, ut habetur* 1. *quæſtione* 2. *capite quam pio.* Quibus verbis, ſanctiſſimus Doctor omnia, quæ apud authores circa hanc materiam circumferuntur, breviſſimè recompilavit.

Aliquid gratis obl-

47. Habemus igitur primo, pro ingreſſu monaſterii aliquid recipere, & idem eſt potiori jure de profeſſione, eſſe ſimoniam jure ipſo naturali, & poſitivo prohibitum. Unde ex iuribus antiquis, ſi aliquis pro pecunia ignoranter habitum reciperet, debet habitum dimittere, & poſtquam ſimoniæ labem purgaverit, poterit habitum reaſſumere, vel in eodem monaſterio, ſi id fieri poteſt ſine ſcandalo, vel ſi non poteſt in alio eiuſdem Ordinis conventu. *Capite non ſatis capite cum in Eccleſia, de regularibus.* Quæ omnia intelliguntur, quando pro habitus ſumptione aliquid ex pacto tacito, vel expreſſo recipitur. Si enim aliquis volens ingredi liberaliter, & gratioſe per modum eleemoſynæ daret monaſterio ; nec dans, nec accipiens erit coram Deo, ſimoniacus. Erit tamen ſimonia ſi timens non recipi, offerat ſe omnia ſua monaſterio relinquere, & hoc animo recipiatur, vel minus terreatur non admittendum ad profeſſionem, niſi bona ſua, vel partem illorum relinquat monaſterio : quia hoc tacite eſt vendere religioſum ſtatum, ut recte inquit Sylveſter *verbo ſimonia quæſtione* 13. *dict.* 5. D. Antonin. 2. *parte titul.* 1. *capite* 5. §. 19. Sanchez *Conſil. tomo* 1. *lib.* 2. *capite* 3. *dub.* 23. *numero* 9. Secus autem ſi ſolum vult qui ingreſſurus eſt ſimpliciter exprimere ſuam Intentionem, ſcilicet tranſeundi ad religionem cum bonis ſuis. Qui etiam recte docent, quod ſi aliquis inſerviat religioſis propter promiſſionem ſibi factam, quod ipſum recipient, erit ſimonia, quando ſervitium illud aſſumeretur ut pretium ingreſſus : quia jam munus ab obſequio propter rem ſpiritualem daretur, quod eſt ſimoniacum. Secus autem eſſet, ſi vel ob pretium victus vellet monaſterio inſervire, & ſic religioſorum animos, & affectus conciliare, ut illi ex benevolentia habitum induerent, vel certe volenti ingredi injungeretur, quod per aliquot menſes monaſterio inſerviret, ut eius cognita indole, monaſterium experiatur, an expediat illum recipere.

iu mab ingreſſuro religionem recipere, nō eſt ſimonia.

Caſus recenſentur, in quibus ſimonia nō committitur ob ingreſſum religionis.

48. Habemus ſecundo ex verbis D. Thomæ, quod ſi quis largus eleemoſynas monaſterio imperititurus eſſet, facilius, promptius, & alacrius in monaſterio ob id recipiatur, nulla erit ſimonia : quia non admittitur in remunerationem obſequiorum, ſed ex gratitudine ad benefactorem, & ex benevolentia per tales eleemoſynas ab ipſo comparata. Similiter enim non eſt ſimonia, beneficiis, aut largitionibus animum ſæcularis inflectere, ut ex affectu, & devotione ad religioſos habitum velit aſſumere, ut ibi inquit D. Thomas : immo ſimoniam non committi, ſi monaſterium gratis in ſe recipiat omnes ſolvendi debita ingreſſuri religionem ; vel ſe obliget ad alendos parentes illius, inquit Bonacina *diſputatione* 1. *quæſtione* 4. §. 8. *numero* 3. ut hac ratione illum ad religionem alliciat, vel removeat impedimenta ingreſſus, relicta ingrediendi libertate, & arbitrio. Similiter non committitur ſimonia, dum religioſi promittant ſe aliquem recepturos poſt annum, vel biennium, ſi ſtudio litterarum incumbat, ſi hanc vel illam artem addiſcat, ut ſic aptus fiat ad ſerviendum religioni : quia illud onus, illaque obligatio non imponitur pro ingreſſu, ſed ut conditio debita offertur, qua poſita in religionem ingrediatur, illi optionem, & electionem liberam relinquendo. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 125. Azor. *lib.* 3. *de ſimonia cap.* 16. *quæſt.* 4. Sylveſter *ſimonia* 5. *quæſt.* 15.

49. Habemus

Dotes, & propinæ in receptione monialium receptæ qua ratione à ſimonia excuſentur.

49. Habemus denique ex verbis D. Thomæ, quod ſi monaſterium ſit tenue, vel pauper, & inſufficiens ad alendos religioſos, poteſt ab ingreſſuris petere, & cum illis paciſci de tali, vel tali ſumma danda, non ut pretium ingreſſus, ſed ut ſtipendium ad ſuſtentationem religioſi; dummodo amplius non ab eo exigatur, quam pro ſuſtentatione illius pro tota vita requiritur. Id enim neque ex jure humano prohibetur, neque ex jure divino: quia hic non datur temporale pro ſpirituali: non enim venditur ingreſſus, aut profeſſio, ſed pro ſuſtentatione religioſi, quod eſt quid temporale, ſtipendium requiritur; & ſic datur temporale pro temporali: & cum alias monaſterium illud, novum onus ſuſtentandi religioſum recipiat, nulli injuſtitiam facit, ſi pro tali ſuſtentatione pretium exigat. Non item ex jure humano canonico; quia nulli dantur textus in contrarium; omnes enim, qui ex oppoſito adduci poſſent, cum non magis de divitibus, quam de pauperibus monaſteriis loquantur, infra agendo de illis à nobis decidentur. Hinc honeſtatur receptio dotum in monaſteriis monialium, & pactiones, imo, & ſcripturæ, quæ fiunt ante receptionem, de illis, quia ad ſuſtentationem monialis, ut ſtipendium exiguntur. Hinc etiam honeſtantur quædam diſtributiones pecuniæ, quæ vulgo vocantur *propinas* quæ monialibus dantur in aliquibus monaſteriis, & ab ipſis exiguntur, quando novitiæ ingredi volunt: quia ſe habet ut pars dotis; hæc enim non conſiſtit in indiviſibili, ſed pars illius tota diſtribuitur monaſterio, & pars ad ſublevandas neceſſitates monialium, inter illas per modum propinæ diſtribuitur. Hinc etiam honeſtatur, quod monaſteria nobilium monialium pinguiorem dotem, & majorem ſummam pro ingreſſæ ſuſtentatione exigant; quia quo ſunt monaſteria celebriora, majores ſumptus habent, & ſic major ſumma, ut dos, pro ingreſſura aſſignatur.

Quando detrimentum patitur monaſterium ex receptione monialis poteſt hoc per augmentum dotis compenſare.

50. Cæterum ſi præter dotem ſuſtentationis amplius reciperent, aut peterent moniales, vel quia ingreſſura eſt minus nobilis, vel deformis, vel alia infamia notata, vix excuſari poſſe a ſimonia inquit Sanchez *lib. 2. capite 3. dub. 22. numero 7.* quod verum judicamus, niſi forte inde monaſterio aliquod detrimentum eveniat vel in honore, vel in rebus aliis temporalibus: quia hoc compenſari per incrementum dotis licite poteſt, ſicut in matrimonio *ſupr.* diximus compenſari æqualitatem nobilitatis, vel alterius rei inter conjuges per aſſignatæ dotis auctuarium. Hinc liberatur a ſimonia, quod apud noſtras moniales frequenter contingit; nimirum, quod ut recipiatur vigeſima prima, quæ apud nos dicitur *la veintiuna* major dos exigitur; ut duæ ſorores, vel tres recipiantur in eodem monaſterio, adhuc major ſumma requiritur, niſi aliis ſuperexcellentibus qualitatibus ſint ornatæ; ut viduas admittant, exigitur etiam ut dos augeatur: etenim in priori caſu intenditur reddere ingreſſum difficilem: quia cum ex ſanctiſſima Virgine M. N. S. Thereſa habent moniales noſtræ, ut ſolum ſint viginti in quolibet monaſterio, ut non ſit facilis ingreſſus 21. quod detrimentum non leve evenire ſuis monaſteriis ſanctiſſima Virgo cogitabat, qualdam qualitates ſuperexcedentes pro ingredientibus in eo loco requiſivit. Inter quas, una eſt, quod ſit major dos, niſi aliis conditionibus ſuppleatur. In aliis duobus caſibus eadem ratione major dos exigitur, ut difficilior ſit talis ingreſſus. Et quia experientia compertum eſt non leve detrimentum noſtrarum monialium cœnobiis evenire ex plurium ſanguine adeo conjunctarum receptione; & etiam viduanæ, quæ ſuis commoditatibus aſſuetæ, aliis ſunt magis oneroſæ; & ſic in compenſationem hujus oneris, & detrimenti, poteſt petitio majoris dotis honeſtari.

Nec pro ſuſtentatione in anno noviciatus aliquid recipere, eſt ſimonia, nec ſi religioſus futurus gravoſus monaſterio.

51. Igitur tota difficultas devolvitur ad prædivites conventus, an nimirum iſti ſive virorum, ſive monialium poſſint ab ingreſſuris aliquid petere vel per modum dotis, vel per modum ſtipendii pro ſuſtentatione abſque ſimoniæ peccato? In quo duo certa ſupponimus. Primum, quod pro alimentis, victu, & veſtitu, pro anno novitiatus aliquid exigere, eſt liberum à ſimonia, etiamſi ditiſſimum ſit monaſterium, ut diximus *hoc tomo tractatu 15. de ſtatu religioſo.* ac hoc nec jure divino, nec poſitivo eſt vetitum, quandoque Concilium Tridentinum *ſeſſione 25. capite 16. de reformation.* permittit ut religio poſſit ſuſcipere pro anno novitiatus de bonis novitii neceſſaria ad victum, & veſtitum, & alias expenſas ejus. Quod etiam pro monaſteriis divitibus, & pauperibus eſt univerſaliter permiſſum; alias gravarentur valde cœnobia, ſi omnes novitii advenientes, & libere a religione exeuntes, reciperentur alendi neceſſario ex bonis ipſius monaſterii. Cæterum laudabile valde eſſet, ſi ad hoc non attenderetur in religionibus, ut apud nos in omnibus monaſteriis practicatur, in quibus ſolum attenditur ad indolem, virtutem, ingenium, & honeſtatem recipiendorum, ſive pro expenſis habitus, & ſuſtentationis aliquid adducant, ſive nihil deferant. ¶ Secundo ſupponimus, quod ſi recipiendus ad habitum, vel profeſſionem ſit homo talis conditionis, quod vel ob ætatem nimiam, vel ob ægritudines habituales, vel ob debilitatem, vel certe ob intellectus tarditatem, vel ob alias rationes prudenter timeatur, gravoſum futurum eſſe religioni, cui inſervire debebat, fortaſſe indiget, quod ab aliis ſerviatur, in quo maximum onus accreſcat monaſterio, nulla erit ſimonia, ad hunc admittendum, pretium aliquod requirere, non ut pretium receptionis, ſed ut compenſentur onera religionis, & ipſe minus gravis appareat. Quod maximè contingit in fœminarum cœnobus, quæ ob fragilitatem, & debilitatem ſexus, ſunt magis diverſis accidentibus obnoxiæ, continuiſque infirmitatibus gravatæ. Quod ut monaſteria ſuſtineant, etiam ſi ditiſſima ſint, poſſunt aliquid in compenſationem exigere abſque ulla ſimonia. Hæc certiſſima ſunt apud omnes: & his caſibus ſecluſis, quæritur.

Aliquid recipere pro ſuſtentatione recepiori in divitibus monaſteriis, aliqui dicſe eſſe ſimoniam.

52. An in divitibus monaſteriis aliquid recipere pro ingreſſu religioſorum, vel monialium titulo ſuſtentationis, ſit ſimoniacum? Duplex datur ſententia, ad quam aliæ, quæ circumferuntur referri poſſunt, utraque ſatis probabilis. Prima affirmat opulentum monaſterium non poſſe abſque vitio ſimoniæ, aliquid temporale exigere, vel accipere ex pacto, etiam pro ſuſtentatione. Hæc videtur eſſe D. Thomæ, dum *articulo 3. ad 4.* verbis initio hujus puncti relatis, & *in 4. diſtinct. 25. quæſt. 7. art. 2.*

quæſtiun

quæſtiuncul. 2. *ad* 7. dum aſſerit poſſe accipi ſubſidium ſuſtentationis pro ingreſſu religionis, cum hac limitatione, *ſi monaſterium ſit tenue, ſi ad hoc monaſterii opes non ſufficiant.* Cum ergo exceptio firmet regulam in contrarium, videtur ſentire D. Thomam, quod ſi monaſterium ſit dives, accipiendo pecuniam pro ingreſſu, ſimoniam committat. ¶ Secundo probatur: quia monaſteriorum bona ab Eccleſia inſtituta, ſunt ordinata, & conceſſa, ut ex eis alantur, qui in religioſo ſtatu vult Domino inſervire. Vnde, qui legitime petunt in tali ſtatu admitti, jus habent quaſi ad rem, & bona illius conventus, in quo ingredi deſiderat; quod quidem jus ſpirituale eſt, quamvis annexum temporali: ergo pro tali jure aliquid ab ingredientibus temporale exigere, erit ſimoniacum, quemadmodum Epiſcopus petens pecuniam ab illo, qui habet jus, ut in numero beneficiatorum recipiatur, ſimoniacus eſt, ut habetur *in cap. Tua nos, de ſimonia.* ¶ Tertio: quia *in cap. Quoniam de ſimonia.* Pontifex repræhendit quaſdam moniales, quæ paupertatis prætextu accipiebant pretium pro ingreſſu recipiendarum ad illatum ſuſtentationem. Vbi aperte ſignificatur titulo vero paupertatis poſſe aliquid recipi, non verò titulo illo ficto, & ſuppoſito, qualis fingitur in monaſterio diviti. Et *in Extrav. prima de ſimonia.* Stricte ſub excommunicatione prohibetur pro ingreſſu ad religionem, ad quemcumque effectum, ad quemcumque finem detur excipiendo dumtaxat ea, quæ per ſonæ purè ſpontè, & plena libertate, omnique pactione ceſſante, dare, vel offerre voluerint: ergo, &c. Sic Suarez *lib.* 4. *de ſimonia, cap.* 16. *per totum.* & 17. *n.* 10. Maldetus 2. 2. *q.* 100. *cap.* 3. *dub.* 7. Vgolinus *de ſimonia, tabul.* 1. *cap.* 4. §. 1. *n.* 16. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub* 12. *n.* 68. Caietan. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3 *circa reſponſ. ad ultim.* Roſella *verb. ſimonia, numero* 1. Layman *tractatu* 10. *cap. ultim.* §. 4. *numero* 39.

Simonia nõ eſt etiamſi monaſteriũ ſit opulentũ aliquid ut ſtipendium ſuſtentationis recipere ab eo, qui habitum recipit.

53. Secunda vero (cui ſubſcribimus) ſententia dicit, quod ſi monaſterium, etiam ditiſſimum, à recipientibus exigat ex pacto pecuniam pro ſuſtentatione, nec ex jure divino, nec ex poſitivo ſimoniam committet. Probatur quod hoc non ſit ſimoniacum ex jure divino: quia talis exactio, & receptio pecuniæ titulo ſuſtentationis eſt ejuſdem rationis in divite, ac in paupere monaſterio; in utroque enim non apponitur ut pretium receptionis ad ſtatum, quod eſt aliquid ſpirituale, ſed ut ſtipendium ad ſuſtentationem perſonæ, quod eſt aliquid temporale; & ſic in utroque non temporali pro ſpirituali, ſed temporali pro temporali commutatur: ergo ſicuti ob hanc rationem diximus *numero* 49. ex D. Thoma, & communi ſententia non eſſe ſimoniacum illo titulo in conventu pauperi aliquid recipere; idem dicendum eſt de divite. Et conſtat ex inſtantia Sacerdotis divitis, & aliorum Eccleſiaſticorum, qui promiſſis, & aliis ſpiritualibus functionibus, aliquid ex pacto recipere poſſunt ob ſuſtentationem, & ut ſtipendium illius uti *hoc cap.* probavimus. ¶ Deinde id non eſt ex jure poſitivo vetitum, etiam conſtat. Tum ex his, quæ diximus *numero* 51. & ex Concilio Tridentin. *ſeſſione* 25. *cap.* 16. *de reformat.* ubi pro victu, veſtito, aliiſque expenſis tempore novitiatus faciendis, permittit omnibus monaſteriis, opulenta non excludendo, ut aliquid ab ingreſſuris recipere valeant. Sed eadem ratio eſt pro aliis temporibus, quia utrobique datur temporale pro temporali, & pro onere à monaſterio ſuſcepto ſuſtentandi religioſum exigitur aliquod ſubſidium, quod minime eſt ſimoniacum. Tum etiam: quia nullus datur textus expreſsè prohibens, aliquid hoc titulo ſuſtentationis poſſe recipi in monaſteriis divitibus; & omnes, qui ſolent adduci, indiſcriminatim loquuntur de omnibus monaſteriis tam divitibus, quam non divitibus; & pro omnibus dicitur, ne recipiant aliquid temporale pro ingreſſu, quocumque tituli, quocumque prætextu; & nihilominus quatenus continent prohibitionem reſpectu monaſteriorum egentium habent congruentem interpretationem, ut etiam adverſarii admittunt: ergo ſimiliter poterunt ſane interpretari, quatenus cum divitibus loquuntur. Quod ſolvendo contraria argumenta faciemus. Ita tenent Arauxo *in diſput. moral. diſp.* 4. *part.* 2. *art.* 4. *num.* 14. Torre 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *diſputat.* 14. *concl.* 1. & 2. Vincentius Candidus *tom.* 2. *diſquiſit.* 4. *art.* 10. *dub.* 31. & 32. Sylveſt. *verb. ſimon.* §. 15. Soto *lib.* 9. *quæſt.* 6. *art.* 2. Navarr. *in Manual. cap.* 27. *numero* 106. Lezana *tom.* 2. *verb. ſimonia, num.* 5. Palaus *diſputat.* 5. *punct.* 9. *numero* 4. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *verſu. ſed quidquid dicendum, pag.* 1117. Bonacin. *diſput.* 1. *quæſt.* 4. §. 8. *numero* 2. Toletus *lib.* 5. *cap.* 89. *num.* 9. Villalob. *tract.* 37. *difficult.* 13. *numero* 5. Sanchez *Conſil. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 23. *n.* 1. & alii.

Quædam limitatio præcedentis doctrinæ.

54. Sed adnotandum eſt, quod ſi monaſterium ſit opulentum, nullam habens indigentiam quidquam ex pacto exigat ob ſuſtentationem recipiendorum, licet nullam injuſtitiam alicui faciat, nullamque verè, & coram Deo ſimoniam committat; magnam tamen avaritiam oſtendit, nec ab avaritiæ labe liberari poterit, quamvis hoc, vel illo titulo ſuum effectum diſſimulare contendat; & ſimoniæ præſumptionem non ſine ſcandalo pro foro externo incurrit, niſi ex conſuetudine jam ex longo tempore introducta, liberetur. Atque ita tenent Arauxo, Sylveſter, Torre, Villalob. & alii. Quod probatur: quia indecens eſt ſtatum religioſum ad divitias congregandas anhelare, qui parvo victu, & veſtitu deberet eſſe contentum 1. ad Timotheum 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Vnde ſi monaſterium abundans petat alimenta pro recipiendis, vitio cupiditatis, & avaritiæ certiſſimè laborabit. Et cum alias talibus alimentis nullo modo indigeat, non erit modica præſumptio, quod non pro ſuſtentatione, ſed quod pro ipſomet ingreſſu, & receptione ad habitum, ſubſidium temporale accipiatur. Et hoc ſenſu intelligendus eſt D. Thomas damnans hujuſmodi ſuſtentationum receptionem in monaſteriis opulentis, non ut vere ſimoniacum, ſed ut avaritiæ, & præſumptæ ſimoniæ vitio infectum, quamvis ab hac præſumptione, & nota purgentur ex conſuetudine ubique recepta: quia jam introductum eſt, & explicatum, quod ſolum pro temporali ſuſtentatione hujuſmodi ſubſidium recipiatur.

Argumenta contrariæ ſententiæ ſolvuntur.

55. Ex his patet ſolutio ad primum primæ ſententiæ argumentum ex authoritate D. Thomæ petitum. Ad ſecundum dicimus, falſum in ea ſupponi bona monaſteriorum eſſe bona Eccleſiaſtica applicata ab Eccleſia, ad ſuſtentationem omnium, qui ingredi prætenduot, ſicut

bona

bona beneficialia ad ſuſtentationem Miniſtrorum ab Eccleſia ſunt applicata; non ita res ſe habet: bona namque monaſteriorum ſunt merè temporalia, ab ipſis religioſis ut in plurimum, propria induſtria, & labore acquiſita; vel certè à fidelibus gratioſè illis donata, ut qui in monaſterio degunt, commodè vivere, & Deo abſque diſtractione inſervire valeant. Ad quæ nullum jus habet, qui ingredi religionem exoptat: aliàs ſi illi differretur ingreſſus, injuſtitia pro tempore dilationis irrogaretur, quod nemo dixit. Nam licet ex charitate, aut miſericordia debeant religioſi legitimè habitum petentem admittere; minimè tamen ex juſtitia: unde illi nulla injuſtitia irrogatur, & minus ſimonia committitur, ſi ut ſuſtentetur à Monaſterio, aliquid ab eo exigatur. ¶ Ad tertium ex diverſis juribus ſumptum, reſpondetur: quod dato, in illis, & aliis, quæ afferri poſſent, aliquid peti etiam titulo ſuſtentationis prohibeatur, talis tamen prohibitio ablata eſt per contrariam conſuetudinem introductam, & admiſſam, videntibus, & conſentientibus Prælatis ex juſtis cauſis, quæ illam in monaſteriis, præcipuè monialium, rationabilem eſſe convincunt.

PUNCTUM VIII.

An ſit ſimonia, & quo iure, vendere beneficia Eccleſiaſtica?

Quid ſit beneficium, & quomodo illud vendere ſit ex iure poſitivo ſimoniacum.

56. PRo hac graviſſima difficultate prænotandum eſt, quod beneficium eſt, *titulus, ſeu ius Eccleſiaſticum ad ſpiritualia munera exercenda ordinatum, cum iure recipiendi eo titulo aliqua temporalia emolumenta*, ſive dicatur Epiſcopatus, Abbatia, Prioratus, Canonicatus, dignitas Eccleſiæ, vel Parochiæ. Itaque in beneficiis Eccleſiaſticis duo jura includuntur, nimirum jus miniſtrandi ſpiritualia, & ius percipiendi temporalia emolumenta propter ſpiritualia miniſtrata. Quorum primum, dicitur *officium*, quia oneroſum quid eſt. Secundum dicitur *præbenda*, vel *beneficium*, quod propter officium datur, *cap. ultim. de reſcript. in 6.* Sed compoſitum ex utroque jure, dicitur jam communiter *beneficium*. ¶ Præmittendum eſt ſecundo, ut apud omnes certiſſimum, eſſe de jure poſitivo vendere Eccleſiaſtica b n ficia prohibitum ut ſimoniacum, etiamſi ſecundum jus ad temporalia emolumenta præcisè vendantur, ſeu quantum ad officium, ſeu ius, & titulum, quem includunt, ex iure divino eſſe ſimoniacum. Hoc ſecundum patet: quia ius illud, & titulus quid ſpirituale ſunt; ac proinde omnino ex iure naturali invendibile; & propterea nec Summus Pontifex in hoc poteſt diſpenſare, quod beneficium ſecundum officium, ſeu ſecundum titulum, & ius ſpirituale ad miniſteria Eccleſiaſtica exercenda, vendatur. Primum patet ex innumeris textibus iuris Canonici prohibentis omnes oneroſos contractus in Eccleſiaſticis beneficiis, præcipientiſque, ut purè, & ſimpliciter concedantur, *cap. ultim. de pactis, cap. ſuper eo de tranſactionibus, cap. querelam, cap. tua nos, & aliis de ſimonia.* ¶ Cæterum licet Prælatiæ religionum propriè beneficia non ſint quoad utilitatem temporalem, ſeu quoad ius percipiendi fructus, ſeu redditus, ſunt tamen beneficia quoad ius ſpirituale miniſtrandi ſpiritualia; & ſic quoad iuriſdictionem ſpiritualem, & curam animarum, quam important. Unde non ſolum ex iure poſitivo, ſed etiam ex iure naturali tales prælatias pretio comparare eſt ſimoniacum, ubi ex communi ſententia docent Lezana *tomo primo, parte prima, capite decimo quinto, numero vigeſimo ſecundo, & tomo ſecundo, verbo ſimonia, numero decimo tertio,* Suarez *libro quarto, capite quinquageſimo quar.o, numero tertio, ad finem.* Sanchez *libro ſecundo, capite tertio, dubio* 104. *numero quinto, & undecimo,* Layman. *tractatu decimo, cap. ultim.* §. 7. *num.* 72. Peyrin. *tomo primo, de ſubditis, quæſtione prima, capite trigeſimo primo.* §. 9. Bonacin. *quæſtione quinta, numero ſeptimo.* Filliucius *capite duodecimo, quæſtione octava,* & eſt commune. Unde, quod hoc, & aliis locis hujus tractatus diximus de beneficiis, proportionabiliter debent applicari prælatiis regularibus.

57. Tota ergo difficultas, huius dubii in eo conſiſtit, an non ſolum ex iure poſitivo ſit ſimoniacum beneficia vendere ſecundum ius ad temporalia quod includunt, ſed etiam ex iure divino; & naturali. Si enim hoc ſecundum dicatur, nec conſuetudine poteſt introduci: quia conſuetudo adverſus ius naturale prævalere non poteſt, nec ex diſpenſatione Pontificis, qui non poteſt in iure naturali, & divino diſpenſare. Et inde conſtat, quam neceſſaria, & ſcitu digna ſit reſolutio hujus difficultatis. Prima igitur ſententia dicit eſſe dumtaxat ex iure humano ſimoniacum, vendere beneficia Eccleſiaſtica, dummodo venditio non fiat intuitu ſpiritualis iuris, quod in ipſis eſt, ſed intuitu emolumenti temporalis in illis reperti. Conſiderat enim hæc ſententia illa duo iura, quæ initio huius puncti propoſuimus, & ius ad adminiſtrandas ſpirituales functiones Ordinis, vel iuriſdictionis; & ius ad redditus temporales capiendos; & dicit, quod ſecundum prius ius ſunt invendibilia beneficia iure divino; & ſimiliter ſunt ſecundum poſterius munus, ſi conſideretur ut coniunctum cum priori, & per reſpectum ad illud. Cæterum dicit, quod intentione vendentis, vel ementis ſeparari poſſunt, & unum ius vendi, non habitu reſpectu ad aliud, ſicuti in calice conſecrato, in quo id, quod ſpirituale eſt, vendi non poteſt, nec quoad temporale, ſi ut coniunctum conſecrationi conſideretur. Cæterum ex intentione vendentis, unum ab alio diſcernitur; & unum vendi poteſt, non habitu reſpectu ad ſpirituale. Sic in beneficiis philoſophatur hæc ſententia. Sic ferè omnes iuriſtæ, quos referunt Felinus, & Decius *cap. ex parte prima, de offic. delegat.* & eſſe commune Canoniſtarum dicit eos ſequens Nicolaus Garcia *de benefic.* 11. *part. capite ſecundo, numero ſecundo,* Iulius Clarus *libro quinto, de ſimonia, numero quinto.* Panormitan. *in cap. ſtirpanda, in repetition.* §. *qui vero.* Navar. *in manuali, capite vigeſimo tertio, numero* 108. §. 9. quos ſequuntur Leſſius *libro ſecundo, capite* 35. *dub.* 2. *num.* 19. Ugolinus *de ſimon. tit.* 1. *cap.* 3. § 5. Et probabilem dicit Bonacin. *diſput.* 1. *q.* 4. §. 11. *num.* 10.

Non eſſe ſimoniam ex iure divino beneficia vendere, aliqui dicunt.

58. Probatur ergo primo hæc ſententia: quia in beneficio dantur duo jura recenſita, jus ad

Præcedens ſententia

iterum, atque iterum probatur.

ad exercenda munia ſpiritualia, & jus ad capeſſenda emolumenta temporalia; & licet primum ſit ſpirituale, ſecundum citra dubium eſt temporale, ac proinde ex ſe vendibile. Et quamquam talia jura in ſe inſeparabilia ſint quoad tranſlationem unius ſine alio; at quoad venditionem, intentione ſeparari poſſunt; itaut intentio vendentis feratur in jus temporale, non in ſpirituale; & ſic licet utrumque conferat, unum gratis, aliud ex pretio tradit, in quo nulla ex jure divino ſimonia apparet, ut cernitur in calice conſecrato, qui vendi poteſt ſine ſimonia ſecundum materiam, non ſecundum conſecrationem: quamvis utrumque neceſſario conferri debeat; ſed unum gratis, aliud ex pretio, ſolum ſeparatione facta per intentionem vendentis. ¶ Secundo, quia beneficiarius poteſt vendere ius, quod habet ad emolumenta temporalia ſui beneficii, ſeparando illud per intentionem à beneficii titulo, & jure ſpirituale ad officia ſpiritualia: quia poteſt locare fructus beneficii ad certos annos, & niſi ius Canonicum obſtaret, hoc facere poſſet ad totam ſuam vitam: locatio autem quoddam genus venditionis eſt: ergo, &c. ¶ Tertio ex uſu crebro Romanorum Pontificum, quem condemnare eſſet temerarium: videmus enim ſæpè ſæpius beneficia authoritate Pontificis, cum onere alicujus penſionis ab uno in alterum transferri, quod olim ab Epiſcopis etiam fieri poterat, ut colligitur *ex cap. conſtitutus, de religioſorum dom bus*, licet hoc ex novis juribus ſit dumtaxat Pòntifici reſervatum, ut infrà dicemus. Hoc autem eſt quædam virtualis venditio beneficii: quia datur cum pacto oneroſo, ut aliàs penſionem ſolvat; maximè quia poſtea poteſt illa penſio pretio redimi, ut dicemus: ergo etiam ab initio potuiſſet eo compenſari, & ſic illo pretio beneficium emi.

Simonia eſt ex jure divino beneficia Eccleſiaſtica quocumque modo vendere.

59. Sed his non obſtantibus aſſerendum eſt, eſſe ſimoniam ex jure divino, beneficia quæcumque illa ſint, vendere, etiam intuitu ſolius temporalis emolumenti; proindeque ſuper hoc cadere non poſſe diſpenſationem, etiam a Summo Pontifice. Hæc ſententia proculdubio eſt D. Thomæ *in 4. diſtinct. 25. quæſtione 3. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 3. & 2. 2. quæſt. 100. art. 4. in corpor.* ubi ponit S. Doctor diſcrimen inter ea, quæ ſunt ſpiritualibus annexa conſequenter; quia nimirum illorum emnlumentum temporale, conſequenter ſe habet ad ſpirituale, & ex illo oritur, ab illoque omnino dependet tanquam acceſſorium à ſuo principali. Et talia ſunt beneficia, in quibus jus ad percipiendos fructus conſequenter ſe habet ad titulum ſpiritualem, ab eoque omnino dependet, & ex eo diminat. Ideo enim quis habet jus ad fructus, quia ius habet ad adminiſtranda ſacramenta; & inter ea, quæ ſunt annexa ſpiritualibus antecedenter, ut calix conſecratus, &c. in quibus principale primum, & antecedens, eſt temporale, & ſpirituale ſe habet conſequenter tanquam acceſſorium illius; & loquendo de prioribus dicit: *Hujuſmodi nullo modo poſſunt eſſe ſine ſpiritualibus; & propter hoc ea nullo modo vendere licet: quia eis venditis intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubjici.* De ſecundis vero dicit: *Aliquomodo vendi poſſunt, non autem ut ſunt ſpiritualibus annexa, itaque de illis, quæ ſunt antecedenter ad ſpiritualia, ut calix conſecratus*, &c. dicit non poſſe vendi, aut ſecundum ſpiritualitatem, aut ſecundum quod ſunt annexa ſpiritualibus, ſed aliquo modo, id eſt, ſecundum temporale, quod habent antecedenter ad ſpirituale; ſed de illis, quæ nullo modo vendi poſſunt, id eſt, nec ſecundum ſpirituale, nec ſecundum temporale, ut annexum ſpirituali, nec ſecundum temporale, quod habent; eo, quod non ſe habeat antecedenter ad ſpirituale, ſed potius conſequenter ad illud. ¶ De iure Cánonico idipſum probatur, ex regula illa poſita *cap. ſi quis objecerit 1. quæſtione tertia. Qui horum alterum non vendit, ſine quo alterum non provenit, nihil invenditum relinquit.* Ubi probat Pontifex non poſſe vendi præbendam, non quidem propter Eccleſiæ prohibitionem, ſed propter inſeparabilitatem; & ſic in principio dixerat: *Si quis objecerit non conſecrationes emi, ſed res, quæ ex conſecratione proveniunt, penitus deſipere probatur.* Similiter Urbanus Papa *in cap. ſalvator. eadem diſtinct.* res Eccleſiaſticas ſecundum proventus temporales vendi non poſſe, probat ex verbis Chriſti Domini: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Et inquit: *Quæ dona Dei ſunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur.* Et in *cap. ex diligenti de ſimonia*, dicitur, de contractibus factis circa beneficia: *Cum hæc divinis, & humanis legibus contrahere noſcantur*: non ergo ex ſolo iure humano, ſed ex divino eſt ſimonia contractus venditionis in beneficiis etiam ſecundum ius ad temporalia. ¶

Ratione aſſertio præcedens probatur, & Authores pro illa adducuntur.

60. Ratio autem aſſertionis eſt: quia jus beneficiale ad emolumenta temporalia tametſi temporale ſit, ita tamen connexum eſt eſſentialiter cum jure ad officia Eccleſiaſtica, ut nullo modo ſeparari poſſint; ſiquidem illud ab iſto provenit, & ad illud ordinatur, taliter, quod non conſideretur, ut jus beneficiale eſt ad fructus, niſi conſiderato jure ad officia; ſiquidem jus illud temporale eſſentialiter eſt propter officium ſpirituale; itaut ſi ab hoc reſpectu, etiam per intentionem ſeparetur, non poteſt conſiderari, ut ius eſt beneficiale, ſed iam non erit ius beneficiale, ſed ius ad illos fructus, quod fuerat beneficiale: ergo beneficium manens in ratione beneficii, invendibile eſt iure divino, etiam ſecundum ius ad temporale. Patet conſequentia: quia etiam ſecundum oppoſitam ſententiam ius illud ad temporale, ut connexum cum re ſpirituali, & ſecundum ordinem, & reſpectum ad illud vendere, iure divino eſt ſimoniacum: ſed in beneficio, ut diximus, impræſcindibile eſt ius beneficiale ad fructus, non conſiderato iure, aut reſpectu ad miniſteria: ergo ſi unum invendibile eſt iure divino, erit etiam alterum. Ita Cajetanus *tomo ſecundo, opuſcular. tract. 9. quæſtione prima*, Sotus *de iuſtitia, lib. 9. quæſtione ſeptima, articulo primo*, Arauxo *diſputatione 14. parte ſecunda, articulo quarto, numero 25.* Ledeſm. *tomo ſecundo, ſumm. tractatu duodecimo, concluſione 10.* Victor. *relect. de ſimon. articulo primo, à num. 44.* Torre 2. 2. *quæſt. 100. articulo quarto, diſputatione ſecunda, fol. 716. col. 1.* Valent. *tomo tertio, diſputatione ſexta, quæſtione decima ſexta, punct. 2. corollar. 11.* Rodriguez *tomo ſecundo, ſumm. capite 56. concluſione 3. & 5.* Villalob. *tractatu vigeſimo ſeptimo, difficult. 28. numero primo.* Sanchez *libro ſecundo, cap. 3. dubio 24. numero primo*, Palaus *diſputatione 3. punct. 13. num. 3.* Azor. *3. part. lib. 1*

*lib.*12. *cap.*11. *quæſt.*3. Layman. *lib.*4. *tract.*10. *cap.*8. *num.*44. Covat. *regula peccatum*, *part.*2. §.8. *numero octavo*, Bonacin. *diſput.*1. *quæſt.*4.§.11. *num.*8. & 10.

Quædã adnotantur pro ſolutione argumẽtorum contrariæ ſententiæ.

61. Sed pro ſolutione argumentorum notandum eſt ex doctrina horum auctorum aliud eſſe fructus beneficii, quæ quidem ſunt bona merè temporalia; aliud eſt jus ad fructus beneficii ratione tituli: quomodo *beneficium* propriè eſt quod datur propter officium, ſeu cum ordine, & reſpectu ad miniſteria ſpiritualia. Et niſi tale jus conſideretur ut enixum titulo beneficiali, & cum tali ordine, & reſpectu ad officium, non erit beneficium, ſed jus quoddam temporale, quod alias poteſt reperiri à beneficio ſejunctum, ut dicemus. Quando ergo beneficiarius locat, aut conducit fructus ſuos, non locat jus beneficiale, quod habet, ſed ſolum illa emolumenta temporalia, ut quædam ſunt bona poſſeſſa, aut quaſi poſſeſſa à beneficiatio, ſicuti alia bona per negotiationem, aut hæreditario jure acquiſita: & ſic minime locat beneficium, ſed effectus, aut quaſi effectus, id eſt fructus illius, non vero jus ad illos, quod in ſe ſemper retinet; & licet conductor videatur ratione locationis, habere per tot annos jus ad tales fructus, hoc verè non habet, quia hoc reſidet in beneficiatio, quod ſine ipſo beneficio transferri non poteſt, ſed dicitur habere tale jus, quia nomine, & vice alterius habet facultatem colligendi fructus ob penſionem in locatione ſolutam.

Ius ad fructus in beneficio impræſcindibile eſt à jure ſpirituali.

62. Hoc igitur ius ad fructus, quod dicitur beneficium impræſcindibile, eſt, ut diximus, ab officio; ideoque manente beneficio in ratione beneficii, utrumque eſſentialiter habet conjunctum, & officium, & beneficium: hoc enim copulativè ſumptum intelligimus nomine beneficii Eccleſiaſtici; & ſi unum ab alio ſepares, non erit beneficium, ſed illius natura diſſolvitur hoc ipſo, quod unum ſine alio conſideretur: nam ſicut quia homo eſſentialiter conſtat ex anima, & corpore, ſi animam ſolum conſideras, non conſideras hominem; nec ſi ſolum corpus attendas, ſed utrumque copulativè debes accipere, ut verum hominem intelligas. Quare ſicut ſi conſideretur ſolum jus ad officium Eccleſiaſticum, puta ad curam animarum, abſque iure ad fructus, illud ius, non eſt ius beneficii, nec conſtituit beneficium; ut in Prælatis regularibus cernitur, in quibus, quia ſolum datur ius ad miniſteria ſpiritualia, abſque iure ad fructus, vere beneficia non ſunt: ita è converſo, ſi ſolum ius ad fructus accipiatur, non habito reſpectu ad officium, non eſt ius beneficiale, non eſt beneficium; erit aliud, quod aliquando fuit beneficium, jam non eſt tale. Et hoc modo dicimus, quod ius illud, ut pertinet ad beneficium, eſt invendibile, niſi authoritate ſuperioris à beneficio ipſo ſecernatur, & ſeparetur: & tunc erit ſolum ius temporale ad illos fructus, nullum ordinem, aut reſpectum habens ad officium Eccleſiaſticum, & ſic iam non pertinens, nec conſtituens beneficium.

Quibus modis poſſit Summus Pontifex ſeparare ius ad fructus à iure ſpirituali.

63. Et hoc modo poteſt Summus Pontifex ius percipiendi beneficiales fructus diſſociare, & ſeparare à iure miniſtrandi ſpiritualia; & tunc illud ius vendere non erit ſimonia: quia iam tale ius fit merè temporale, nullum habens ad ſpirituale reſpectum, ac ex conſequenti propriè non dicitur Eccleſiaſticum beneficium. Quæ ſeparatio, & diſſociatio tribus modis poteſt fieri, authoritate Summi Pontificis interveniente. Primo, ſi redditus Eccleſiaſticos deſignet aliquibus laïcis, pro miniſterio temporali exercendo, ſicut de facto egit in quarundam terrarum decimis, quas applicuit Regibus, & proceribus pro defenſione fidelium ab infidelibus, vel quid ſimile. Secundo modo extinguendo ſpirituale officium, vel obligationem ad illud, & tunc poteſt vendere ius ad redditus, qui beneficiales fuere, ſed iam non ſunt; & ſic remanet tale ius vendibile, ſicuti quælibet alia iura temporalia. Tertio, imponendo penſionem vendibilem ſuper aliquod beneficium Eccleſiaſticum; quia nimirum ſeparat partem fructus illius, & tribuit beneficiario unam partem, & ſibi, vel alteri aliam reſervat, quæ iam ſeparata à beneficio eſt merè temporalis. His tribus modis ſalvatur, quod in Romana Curia exercetur. Cæterum hoc dumtaxat Summus Pontifex poteſt efficere: quia cum ipſe ſit ſupremus diſpenſator omnium bonorum Eccleſiaſticorum, poterit ex juſta cauſa proventus beneficiorum dividere, & à beneficiis; & beneficia cum diminutione conferre, prout expediens bono communi judicaverit. Unde ab eo ſolum poteſt fieri id, non ab aliis inferioribus Prælatis, ob ſummam poteſtatem; quam habet diſpenſativam. Sicut enim annexio, & deputatio præbendarum ad officia Eccleſiaſtica fit authoritate Summi Præſidentis Eccleſiæ, ſic, & ſeparatio ab eo ſolum fieri poteſt, & hoc maximè ſtando in iure poſitivo id prohibente, toto titulo, ne beneficia cum diminutione conferantur. Et *in cap. prohibemus*, *de cenſibus*, *cap. vacante*, *de præbend. cap. ...tum.* 1. *quæſt.*3. Quæ omnia ferè docent Arauxo *num.* 26. Bonacina *num.*8. Palaus *num.*3. Sanchez *num.*2. Villalob. *num.* 3. Layman. *num.* 45. Torre, Cajetano, Soto *locis citatis*.

PUNCTUM IX.

An habitus, & commendæ Ordinum militarium abſque ſimonia vendi, aut emi poſſint?

64. LOqui poſſumus in præſenti, vel de habitibus horum Ordinum militarium, qui dantur religioſis, qui vulgò vocantur *freiles*, qui ſunt officio divino, & Choro dicati, & ad miniſteria Eccleſiaſtica aſſumpti, qui cum verè, & propriè ſint religioſi muneribus ſacris addicti; Idem dicendum eſt, ac de aliis religionibus, & ſic quod ſuprà diximus de ſuſceptione habitus religioſi, applicandum eſt in præſenti. Loquimur ergo in præſenti de habitibus equitum, qui ad militiam in defenſionem Chriſtianæ Reipublicæ deputantur, ſive religioſi ſint, ut equites D. Ioannis, ſive non, ut de aliis diximus *tractatu* 15. *de ſtatu religioſo*. Similiter commendæ aliæ ſunt ſpirituales, aliæ ſæculares, & militares. Spirituales commendæ illæ dicuntur, quando aliqua Eccleſia, vel Parochia alicui commendatur, ut in ea Sacramenta adminiſtret; & alio nomine dicitur *Vicaria*; & de hac, ſive perpetua ſit, ſive temporalis, omnes dicunt eſſe materiam ſimoniæ: Sunt enim tales commendæ quaſi beneficia, & dantur titulo ſpirituali, & per eas

Habitus militares eorum qui *freiles* dicuntur, vendere, ſimonia eſt.

juriſdictio ſpiritualis commendatur. Et ita habetur expreſsè *cap. non ſatis, cap. ad noſtram, de ſimonia.* Loquimur ergo in præſenti ſolum de habitibus, ex commendis equitum militarium.

Habitus, & commendas vēdere, non eſt ſimonia.

65. Et dicendum eſt venditionem, aut emptionem commendarum, vel habituum militarium non eſſe peccatum ſimoniæ, eſſe vero peccatum mortale contra juſtitiam, niſi authoritate Pontificis fiat; ex rationabili cauſa, applicando pretium ad majus bonum commune. Probatur aſſertio quoad primam partem: quia in his habitibus, & commendis, quod principaliter ſpectatur eſt honor, & temporale emolumentum, quod licet detur religioſis, aut Eccleſiaſticis perſonis, in quibus pluribus funguntur privilegiis Eccleſiaſticis, & aliquam habent annexam ſpiritualitatem, nimirum vota, & obligatinnes ad regulam, & orationes, &c. tamen hoc quaſi acceſſorium conſideratur, & ſic inter ſpiritualibus annexa conſequenter debent enumerari, de quibus diximus ex D. Thoma eſſe vendibilia ſecundum temporalitatem, quam habent. Et hoc maximè in commodis, & militarihus habitibus verificatur, qui non dantur titulo ſpirituali, & Eccleſiaſtico, ſed titulo omnino ſæculari, nimirum ratione militiæ, quæ licet ordinctur ad Eccleſiæ defenſionem, hic eſt finis remotus: finis vero eorum proximus eſt ſtrenuè, & viriliter militare, & ſupremum labores, & ſudoris in militia percepti hujuſmodi commendæ, & habitus aſſignantur. Ut autem aliqnid ſit ſimonia, non eſt attendendus finis remotus, alias omnia, quæ in Chriſtiana Republica fiunt, aut dantur, ſimoniæ materiam eſſe diceremus, quandoquidem ferè omnia ad finem remotum cultus Dei, & æternæ vitæ ordinantur; ſed inſpiciendus eſt finis proximus, qui in dictis ſolum eſt temporalis, & ſæcularis. Sic Noſter Lezana *tomo ſecundo, capite quinto, numero* 26. Aragon. 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo quarto,* Torre *ibi diſputatione tertia, folio* 710. Ledeſm. *ſecunda parte, tractatu duodecimo, circa* 20. *concluſione.* Arauxo *diſputatione* 14. *parte ſecunda, articulo quarto, num.* 30. Ojeda *libro primo, de beneficiis, prima parte, capite* 14. Suarez *libro quarto, cap.* 27. *num.* 7. & 9. Rodriguez *tomo ſecundo, capite* 49. *numero duodecimo.* Vega *ſecunda parte, ſumm. capite* 101. *caſu* 52. Palaus *diſputatione tertia, punct.* 13. *numero decimo tertio,* Victor. *in relect. de ſimonia, num.* 45. Villalob. *tractatu* 27. *difficult.* 14. *num.* 3. Diana 6. *part. tractatu* 8. *reſolutione* 17.

Habitus, aut commendas vendere, grave eſt peccatum.

66. Probatur aſſertio quoad ſecundam partem, qnod nimirum ſit peccatum mortale habitus, & commendas militarium vendere. Tum: quia nſt contra finem, & intentum fundatorum, qui voluernot ut hujuſmodi commendæ gratis darentur in remunerationem prælantium ad defendendam Eccleſiam, & Rempublicam Chriſtianam. Tum etiam: quia hoc eſt contra bonum Reipublicæ, & contra bonum commune illius religionis militatis: quia ſi venduntur talis habitus, & commendæ, eas divites conſequentur, qui nunquam cum inimicis congreſſi ſunt, & fortes, & ſtrenui pauperes, nunquam eas adipiſcentur. ¶ Denique id eſt contra juſtitiam, ſaltem diſtributivam. Probatur: quia magiſter Ordinum, vel Rex, cui eſt commiſſa à Pontifice harum rerum diſtributio, non eſt illarum Dominua, ſed diſpenſator, & non ſupremus, ſed ſub Pontifice manens, qui illis facultatem, præbet non ad illas vendendas, ſed diſtribuendas ſecundum regulas juſtitiæ diſtributivæ, & tanquam præmia militum temporalia: ergo non poſſunt eas pretio alienare, alias fruſtraretur finis inſtitutionis talium commendarum, & habituum, & læderetur juſtitia diſtributiva, dum profeſſores militiæ præmiis ſibi debitis privantur. Ita Palaus, Torre, Ledeſma, Suarez, Victoria, Villalobos, Arauxo, Ojeda *locis proximè citatis.* ¶ Advertunt tamen, & bene, Suarez, Arauxo, Torre, & Palaus poſſe donari à Rege, vel Magiſtro hujnſmodi commendas cum onere, aut obligatione exhibendi aliquod temporale miniſterium, v. g. ire in Africam, vel Indias, & illic ſervire, in aliqua Provincia præeſſe, &c. quia hoc videtur onus illis annexum; vel ſolvere aliqoam penſionem in ſubſidium militiæ, vel alicujus militis particularis; dummodo id fiat, habita ratione juſtæ diſtributinnis, & finis ipſarum commendarum. Addunt tamen Suarez, & Palaus poſſe Pontificem, cauſa intercedente concedere Regi facultatem illas commendas, aut habitus vendendi, præcipuè ſi pretium in majorem utilitatem militiæ convertatnr.

PUNCTUM X.

An præſtimonia, vel penſiones vendi, vel redimi poſſunt ſine ſimonia?

Penſiones non poſſunt imponere Epiſcopi, ſed ſolus Pontifex.

67. CIrca materiam hnius puncti, primo ſupponendum eſt penſionem *eſſe jus percipiendi partem fructuum alicuius beneficii Pontificis authoritate conſignatam.* Etenim, quamvis attento iure divino fortè poſſent Epiſcopi in ſuis diœceſibus penſiones has conſignare, & beneficia manibus reſignata, reſervata aliqua penſione pro reſignante, aliis conferre; attento tamen iure poſitivo, reſervata eſt hæc facultas ſoli Summo Pontifici, ut conſtat ex uſu communi, & pluribus textibus aſſerentibus beneficia abſque diminutione, aut onere eſſe ab eis conferendas; quos adducemus *cap. ſequenti,* cum de reſignatione beneficiorum agamus; ubi etiam quod authoritate Pontificis id fieri poteſt, dicemus, & conſtat *ex cap. ad quæſtiones de rerum permutat.* Quod ſi aliquando beneficiarii fructuum ſuorum beneficiorum partem aliquam, pro aliquibus temporibus, vel annis, conſanguineis, vel aliis conſignent, non ob id dicuotur imponere beneficio penſionem, ſed contractum donativum facere, qui morte donantis expirat: Quod non in penſionibus authoritate Pontificis aſſignatis accidit: iſtæ namque, quandiu vivit penſionatius, durant; etiamſi plures, & plures in illo beneficio intrantes moriantur; & ad quemcumque beneficium illud devolvitur, ſemper tranſit cum ſua penſione, qnæ eſt onus ipſi beneficio annexa, & ſic cum illo tranſit de uno in alium.

Multipliciter datur penſio, quæ modis detur? explicatur.

68. Supponendum eſt ſecundo, quod ut diximus *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 3. & *tom.* 3 *tract.* 12. *cap.* 2. *num.* 146. penſio poteſt accipi multipliciter. Alia eſt penſio erecta in titulum beneficii, ut præſtimonia, ſeu beneficia ſimplicia, de quibus (qnia commune eſt apud Authores eſſe verè, & propriè beneficia,) non eſt dubium

in

in præſenti; ſed quod dictum eſt de beneficiis, illis debet applicari. Hac igitur relicta: Penſio, quæ proprie, & verè eſt talis dividitur *in laicalem, clericalem, & mixtam. Laicalis* eſt, quæ non petit in ſubjecto Ordinem, nec ordinatur ad miniſterium aliquod ſpirituale, ut quæ filiis Magnatum, ut vacent litteris, ſolent conſignari à Pontifice, vel Principibus ad defenſionem Eccleſiæ, vel aliis ſæcularibus pro officiis temporalibus canendi, docendi, negotiandi, &c. Et hæc indiſcriminatim clericis, & laicis ſolet conferri: ſed eſt per accidens eſſe clericos, qui illa funguntur, & ſic non datur illis ut tales. Alia eſt *clericalis*, quæ ex parte finis eſt Eccleſiaſtica; quia nimirum ex parte ſubjecti petit Ordinem, & ad functiones ſpirituales confertur, ut quæ dantur coadjutori Epiſcoporum, canonicorum, parrochorum, viſitatori, concionatori, &c. ¶ Mixta dicitur, quæ licet ex parte ſubjecti petat Ordinem, ſaltem ut conditio, datur tamen titulo omnino temporali, & ad functionem, & finem omnino temporalem, quæ non datur quidem in beneficii titulum, ſed *pro beneficio*, ut notavit *Abbas in cap conquerentes, de cleric.non reſident.* Dicitur autem pro beneficio dari, quia loco ipſius ſubſtituitur, tranſacto in alium beneficio, cujus loco ſibi penſio illa aſſignatur: & hæc eſt quadruplex. Prima quæ datur clerico pauperi ut alatur. Secunda, quæ parrocho ſeni, & impotenti beneficio inſervire, ob præterita ſervitia, loco illius conſignatur. Tertia, quæ reſignanti beneficium, quod pacifice poſſidet, relinquitur. Quarta, quæ ex orta lite circa beneficia, ut extinguatur, alteri litigantium aſſignatur ob bonum pacis. Si quæ autem inveniantur penſiones præter iſtas affirmat Aragon 2.2. *quæſt.*100. *art.*4. *verſu pro explicatione*, *pag.*1121. eſſe injuſtas, utpote impoſitas ſine legitima, & ſufficienti cauſa.

Cauſæ ſufficientes pro impoſitione penſionis, ſine quibus non valent.

69. Pro quo ſupponendum eſt tertio, non poſſe etiam Summum Pontificem pro ſuo arbitrio abſque legitima cauſa penſiones conſignare; quia imponere penſiones ſuper beneficia eſt actus facultatis diſpenſatoriæ, non dominativæ: ſed diſpenſatio tantum pro voluntate diſpenſatoris, nulla iuſta cauſa interveniente, diſſipatio eſt non diſpenſatio, & ſic nullum robur obtinebit: non ergo valida eſt talis penſio, niſi ex juſta cauſa fuerit conceſſa. Cauſæ autem generales ſunt, Eccleſiæ utilitas, & Chriſti Domini major cultus, ad quas cæteræ reducuntur, ſcilicet paupertas clerici penſionarii, bonum pacis inter litigantes ſuper beneficii obtentionem, reſignatio beneficii in alterius favorem, vel certe permutationes beneficiorum ſi unum ſit pinguius altero, ut inæqualitas compenſetur, & ſimiles. Nec ſtatim damnandæ ſunt penſiones authoritate Pontificis filiis procerum conſignatæ, propter eorum opulentiam: quia ex parte Regum id poſtulantium juſtificatur, qui defendentes gladio temporali Eccleſiam, ut ſervitia magnatum, aliorumque vaſſallorum remunerent, ad Pontificem merito recurrunt, ut ſuper pinguibus Epiſcopatibus, aut beneficiis, penſiones pro ea remuneratione facienda, imponant. Et idem potiori jure dicendum eſt de penſionibus in favorem miniſtrorum Pontificis impoſitis, & aliorum Principibus Eccleſiæ famulantium, ut Cardinalibus, Epiſcopis, &c. qui non habent alias unde talia obſequia valeant remunerare, & æquum eſt, ut ad ſummum diſpenſatorem recurrentes, ab ipſo hæc ſubſidia recipiant: quod totum in Eccleſiæ utilitatem, Chriſtique Domini honorem cedere judicatur.

Simonia eſt vendere penſiones clericales non laicales.

70. His ergo ſuppoſitis, aſſerendum eſt penſiones clericales vendere ex jure divino eſſe ſimoniacum, ſed vendere penſiones non clericales nec ex jure divino, nec humano. Ratio primi eſt: quia penſiones illæ, quæ ſolo titulo clericali conſignantur, cum tam ex parte principii, quam ex parte finis ſpiritualibus ſint annexæ, induunt rationem beneficii clericalis, ſeu ad inſtar illius computantur, quia dantur titulo ſpirituali, & ad officium ſpirituale: unde illis philoſophandum eſt, ac de beneficiis, de quibus jam probavimus ob annexionem antecedenter ad ſpirituale eſſe materiam ſimoniæ ex jure divino. ¶ Et hoc præcipuè currit ubi recepta, & obſervata eſt bulla Pii V. quæ incipit, *Ex proximo*, & eſt 138. in Ordine bullarum, edita anno 1571. in qua annectit tales penſiones titulo ſpirituali, obligans penſionarios ad Officium parvum Beatæ Virginis, alias fructus non faciant ſuos. ¶ Ratio vero ſecundi, quoad penſiones mere laicales, vendibiles ſunt, nullo jure divino, aut humano ſtante in contrarium, ea eſt, quod tales penſiones nihil ſpirituale continent, nec illi annectuntur. Non ex parte ſubjecti; quia in illo ordinem non requirunt; & ſic dantur indiſcriminatim tam clericis, quam laicis, & eſt per accidens ſi clericus ſit, cui dantur. Nec ex parte finis: quia dantur ob miniſterium purè temporale. Quod autem fructus talis penſionis ſint ex fructibus alicujus beneficii extracti, non ob id ſpirituali connectuntur, ſed potius ſunt portiones authoritate Pontificis ex beneficiis jam detractæ, & ſeparatæ, modo puncto præcedenti aſſignato. Bonac. *diſp.*1.*quæſt.*4 §.11.*num* 3. Layman. *tract.*10.*cap. ultim.*§.5.*num.*46. Sotus *lib.*9 *quæſt.*7. *art.*2.*circa finem.* Cajetan.*opuſcul.*17.*reſponſ.*10. Torre *art.*4. *diſp.*5.*concluſ.*1.*&* 2. Villalob. *tract.*37. *diffic.*29. *num.*2. Leſſius *lib.*2.*cap.*35. *dub.*22. *à num.*123. Et idem dicunt ii authores de penſione illa, quæ aſſignatur pro ſuſtentatione clerici pauperis, quod non eſt materia ſimoniæ, quia non datur ob officium clericale, ſed per modum alimenti ad ſuſtentationem; & eſt per accidens, quod in ſubiecto ordinem ſupponat, non tamen per ſe ex vi ordinis petitum: & dato, quod hoc petatur tantum, eſt conditio, vel diſpoſitio ex parte ſubjecti ad eam recipiendam.

Ex iure divino, ac canonico antiquo penſiones mixtas vendere, ſimonia non eſt.

71. Reliquæ autem tres ſpecies penſionis, quas diximus dari pro beneficio, non tamen in titulum beneficii, ut quæ datur reſignanti beneficium, & parrocho ſeni, & cauſa componendæ litis, eas vendere probabilius eſt, non eſſe ſimoniam, ſtando jure divino, ac naturali; imo in jure canonico, niſi obſtet bulla Pii V. & Stylus Curiæ, de quibus poſtea dicemus. Ratio eſt: quia hujuſmodi penſiones nihil ſpirituale continent, nec dantur propter aliquod ſupernaturale miniſterium: & licet ſint Ordini clericali annexæ, & ideo ſi penſionarius relinquat ſtatum clericalem, eo ipſo penſio vacaret, & beneficio rurſus adjungeretur; ſed ordo clericalis ſolum eſt conditio, ſine qua vult Eccleſia ſubjectum eſſe inhabile ad eam penſionem obtinendam. Quod non ſufficit ad annexionem ad rem ſpiritualem; ſed neceſſarium erat dari propter titulum ſpiritualem: quod in dictis penſionibus non reperitur, ut eas conſideranti patebit. Ita Cajetan. *tom.*1. *opuſc. tract. ult.* *reſponſ.*

reſponſ. 10. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 43. *num* 10. Diana *part.* 2. *tract.* 4. *reſolut.* 153. Toletus *lib.* 5. *cap.* 92. Leſſius *ſup. num.* 124. & 125. Suarez *lib.* 4. *cap.* 26. *circa finem.* Arauxo *loc. cit. num.* 37. Soto, Victoria, Torre, *locis num. præcedent. citatis.* Licet ii quatuor ultimi excipiant illum caſum de parrocho ſeni, cui penſio conſignatur. Sed probabilem dicunt noſtram ſententiam. Et merito: quia illa penſio non datur, ut ſtipendium functionum ſpiritualium, quas dum peterat, præſtitit, quando beneficio potiebatur; nec ut illis annexa; ſed datur immediate perſonæ benemeritæ, ut eleemoſyna ad ſuſtentationem, ex bonis talis beneficii authoritate Papæ detracta. Quæ eleemoſyna poſtquam facta eſt, & ſeparata à beneficio, eſt quid temporale, licet motivum ad illam erogandam fuerit ſpirituale.

Penſio, quæ vẽdi poteſt, etiam redimi valet.

72. Dicendum eſt ſecundo: quod quando penſio vendibilis eſt, etiam eſt redimibilis ſine vitio ſimoniæ, & abſque Pontificis licentia: at ſi ſint invendibiles ratione alicuius ſpiritualis functionis annexæ, ut penſiones clericales, quas diximus eſſe invendibiles, redimi non poſſunt abſque Pontificis authoritate, & ſi redimuntur ſimonia committitur, nedum ex iure humano, ſed divino. Prima pars aſſertionis probatur. Tum quia in illis nihil eſt ſpirituale: ergo ſicuti in earum venditione ob id non committitur ſimonia, ſic nec in earum redemptione. Tum etiam: quia quando redimitur penſio, non commutatur ſpirituale pro temporali, ſed extinguitur aliquod temporale: ergo in tali redemptione nulla ſimonia committitur ¶ Redimere penſiones, quod noſtro idiomate dicitur *caſarlas*, tunc aliquis dicitur, quando qui habet beneficium ex eius fructibus beneficii alter recipit certam annuam penſionem, dat penſionario certam ſummam, ut ſe exoneret ab obligatione quotannis ſolvendi partem illi conſignatam: ſolent autem penſiones redimi quinque annatis, ideſt ſecundum æſtimationem, quam per quinquennium fructus penſionis habebant. Differt autem hæc redemptio inter alia à venditione: nam quando venditur penſio, vendens transfert in alterum jus, quod habebat ad illam penſionem. Quando autem redimitur ius illud continuo extinguuntur, & portio aſſignata pro penſione, iterum beneficio adiungitur, & ſic beneficium in eodem ſtatu manet, in quo ante conſignatam penſionem extiterat.

Clericales penſiones redimere, ex iure divino eſt malum.

73. Secunda vero pars aſſertionis probatur: quia tales penſiones purè clericales ſunt annexæ ſpiritualibus functionibus, & ius ad redditus datur propter onus ſpiritualis oneris, in quo valde aſſimilantur beneficiis: ergo niſi Pontificia authoritate à talibus functionibus ſeparentur, non poſſunt extingui dato pretio; quia datetur pro extinctione rei ſpiritualis, quod eſt contra reverentiam illi debitam. Authoritate Pontificis id fieri poteſt, qui poteſt ſicut partem fructus à beneficiis disiungere, ita ipſam penſionem ab onere ſpirituali liberare: qua ſeparatione facta, penſio manet in ſtatu purè temporalis: unde ſicuti in eo ſtatu vendi, ſic redimi poterit. Palaus *num.* 10. Bonacin. *diſp.* 3. *quæſt.* 4. §. 13. *num.* 4. Toletus *lib.* 5. *cap.* 92. *num.* 1. *dict.* 3. Suarez *lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 24. & 26. Caietan. Victoria, Soto, Torre, Arauxo, Palaus, Villalob. *loc. citat.* ¶ Addunt tamen Palaus *punct.* 13. *num.* 8. Suarez *illo cap.* 26. *n.* 20. Leſſius *cap.* 35. *dub.* 22. *num.* 122. Quod ſi is, cui eſt aſſignata penſio retento munere ad officium ſpirituale, vellet paciſci de tota penſione pro tota vita ſibi correſpondente, ut ſimul quod correſpondet annuis redditibus recipiat, id benefacere poteſt: quia hoc non eſt vendere penſionem, aut illam redimere, ſed elocare fructus percipiendos. Quod verum cenſemus ſtando in illa probabili opinione, quod poteſt beneficiarius fructus ſui beneficii pro tota vita locare, & vendere; quam tenet Panormit. *in cap. querelam, ne Prælatus vices ſuas*, cum Hoſtienſ. & Freder. quam etiam tenet Sylveſter *verb. ſimonia*, §. 14. Toletus *lib.* 5. *cap.* 91. *num.* 6. Nec obſtat, quod *in Extravag. ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alienand.* prohibentur beneficiarii ultra triennium locari fructus ſub pœna excommunicationis, quia nullibi ferè eſt recepta ut teſtatur Cajetanus *in Summ. verbo excommunicatio.* Navarr. *cap.* 27. *num.* 146. & Tolet. *ſup.*

Quid dicẽdũ ſit iuxta motũ Pii V. circa hanc materiam.

74. Hæc diximus de penſionibus ſtando in jure naturali, ac in jure poſitivo antiquo. Ad ſecundum motum illum Pii V. de quo ſupra meminimus aliter philoſophandum eſt, ubi talis bulla fuerit recepta, ubi obligat omnes penſionarios habentes penſiones ut clerici ſint (uti ſunt omnes ſupra enumerati, præter penſionarios merè ſæculares) quacumque de cauſa penſiones illis conſignentur, ad recitandum officium parvum B. Mariæ, ut *in hoc tomo in tract. de Horis Canonicis* diximus. Vnde iam omnes iſtæ penſiones ſunt annexæ ſpirituali muneri proportionabiliter admodum, quo beneficii ſpiritualia muneri annectuntur: unde vendi omnino non poſſunt, & conſequenter nec redimi, niſi authoritate Pontificis; ut omnes qui poſt talem Bullam ſcripſere teſtantur. Affirmat autem Leſſius *num.* 129. nullibi videri receptam talem bullam. Verum oppoſitum melius docet Raphaël à Torre *quæſt.* 100. *art.* 4. *diſp.* 5. *fin.* his verbis. [Fateor, in Hiſpania obedientiſſima mandatis Pontificum, eius obligatio viget, nec eſt per contrariam conſuetudinem abrogata: quia de tali conſuetudine non conſtat; quin potius ab omnibus viris piis ſervatur, nec eſt tacitus conſenſus Papæ eam diſſuetudinem tolerans. Quare apud Hiſpanos, omnes penſiones clericales quacumque de cauſa conſignentur, exiſtimo eſſe invendibiles, & irredimibiles ex iure divino, niſi ex Bulla Pontificis conſtaret, non dari cum annexione ad aliquam functionem ſpiritualem.] Verum quidquid ſit de hoc, ex conſuetudine, & Stylo Curiæ huiuſmodi penſiones eſſe invendibiles, & irredimibiles, & oppoſitum facientes ut ſimoniacos puniri, docent Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 3. *in fin.* Palaus *ſup. punct.* 13. *n.* 8.

PUNCTUM XI.

An jus Patronatus vendi, & alienari poſſit abſque ſimonia?

De quo iure patronatus ſit in præſẽti ſermo?

75. PLURA hoc capite examinari ſolent, an ſint materia ſimoniæ, præcipuè circa ſepulturam Eccleſiaſticam, an illam vendere ſit ſimoniacum, modo prætermittimus. Nam quid circa ſepulturam tenendum ſit *tract. de Privileg. cap.* 3. *punct.* 6. *à num.* 180. diximus. Cætera alia quia minus neceſſaria relinquimus: omnia quippe examinare eſſet valde operoſum, & ab ſtylo, quem in hoc curſu ſequimur alienum. Quare modo ſolum nobis reſtat de iure Patronatus peragere. Et non agimus de illo iure Patronatus iure civili introducto, de quo multa legiſtæ; ſed de jure patronatus canonico, ab Eccleſia introducto ad remunerandum eos, qui aliquam Eccleſiam ſuis ſumptibus fundaverunt, vel dotarunt, vel alio modo

adiuva

adjuvarunt ad eam conſtruendam : ex vi cuius juris conveniunt Patronis favores aliqui ab Eccleſia conceſſi, de quibus habentur integri tituli, & rubricæ in jure canonico. ¶ Hoc autem jus patronatus conſiderari poteſt ut *honorificum*, *utile*, & *onerosum*. *Honorificum* propter honores exhibendos Patronis. *Onerosum*, quia ad Patronum expectat defendere Eccleſiam, ne bona ejus lapidentur. *Utile*, quia ſi Patronus pauper fiat, & Eccleſia abundet, debet Patrono ſuo potius quam aliis ſubvenire. Et ſecundum has conſiderationes jus patronatus non eſſe materiam ſimoniæ, omnes dicunt; quia mere temporales ſunt, & per ſe nullam connexionem habent cum ſpiritualibus. Et idem dicendum eſt de quibuſdam iuribus, quæ patronatus appellantur, ut ad ſubveniendum fœminis nubilibus, ad redimendos captivos, &c. Quæ licet ad opera pia ordinentur, nec ex principio, nec ex actu ſpiritualia dicantur, vendibilia ſunt citra ſimoniæ vitium. Loquimur ergo in præſenti de illo dumtaxat jure patronatus, quod Eccleſia Patronis conceſſit præſentandi ad aliqua beneficia : an tale jus ſit vendibile?

Quibus modis ius patronatus de uno in aliū trāsfertur.

76. Supponendum eſt ſecundo jus patronatus, de quo nunc loquimur tribus modis poſſe ab uno in alterum transferri, *jure hæreditario*, *donatione*, & *cum re vendita*. *Iure hæreditario* transfertur non ſolum ad hæredes neceſſarios, ſed etiam ad voluntarios, quamvis non ſint conſanguinei : jus enim abſolute loqoitur; & ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Palaus *diſp*. 3. *punct*. 14. *n*. 4. Raphaël à Torre 2.2. *quaſt* 100 *art*. 4. *diſp*. 6. Per donationem liberalem transferri poteſt, *cap. cum*. *de iure patronat*. & hoc propria authoritate, etiam nulla Epiſcopi authoritate præcedente. Et quidem ſi translatio fiat in locum Religioſum, habetur expreſsè *cap. unico*, *de jure patronat. in* 6. ſed etiam ſi aliis donandum eſſet, validam eſſe talem donationem abſque licentia Epiſcopi factam, docet Suarez *lib*. 4. *cap*. 28. *num* 7. Sylveſter *ſimon*. 5. *dict*. 3. Palaus, & Torre *loc. cit*. Tertius modus transferendi jus patronatus eſt *cum re vendita*, cui affixum eſt illud jus, ut docet D. Thomas 2.2. *quaſt*. 100. *art* 4. *ad* 4. ſive transferatur per venditionem rei, cui affigitur, ſive per donationem; eo quod acceſſorium ſeqoitur ſemper principale, cui adhæret : in hoc caſu jus patronatus ſe habet ut acceſſorium ad rem, vel locum, cui adhæret. Unde illa re vendita, aut donata, ad venditionem illius, in alium jus patronatus transfertur. Extra hos tres modos, nullo alio transferri poteſt jus patronatus : quia hæc poteſtas transferendi jus patronatus non convenit ex natura rei, quia in his rebus non eſt alia natura, niſi quam ius canonicum eis præſcribit : & idem jus præcipit, ut privata authoritate non transferatur, niſi tribus ſupradictis modis ab Eccleſia præſcriptis. Sic *Abbas in cap. quanto, de conſuetud*. Suar. *c*. 28. *n*. 15. Palaus *n*. 8. Torre *loc. cit*.

Ius patronatus vendere ſimonia eſt ex iure poſitivo.

77. Atque hinc fit, & tertio ſupponimus eſſe ſimoniam ſaltem de iure poſitivo, hoc ius patronatus, de quo nunc loquimur, vendere pretio temporali; in quo omnes conveniunt, & conſtat *ex cap. de iure extra. de iure patronatus*, *cap. præterea, eod. tit*. ubi expreſsè id prohibetur, & aliis juribus, & hoc ob ſpeciem ſimoniæ, non tamen ob motivum Religionis. Unde ſimoniam eſſe ex jure ſaltem Eccleſiaſtico, venditionem juris patronatus ſecundum quod nunc loquimur de illo, nimirum quoad ius præſentandi ad beneficia, docent ut certiſſimum Arauxo *in quaſt. moral. diſputatione decimaquarta*, *part*. 2. *articulo quarto*, *num*. 40. Laym. *tractatu decimo*, *cap. ultim*. § 5. *numero* 6. Palaus *diſputatione tertia*, *punct*. 14. *numero primo*, Villalob. *tractatu* 37. *difficult*. 18. *numero quarto*, Bonac. *diſputatione* 1. *quaſt*. 4. §. 11. *num*. 4. ¶ Hinc fit eſſe ſimoniam, quando ius patronatus tranſit ad alium ratione rei venditæ, cui annectitur, ſi ratione illius juris res illa pluris vendatur. Sicut ſi calix conſecratus venderetur carius ratione conſecrationis. Quare in nullo humano contractu, vel ſolutione, aut compenſatione rei temporalis haberi poteſt ratio ad augendum pretium iuris patronatus; nam eo ipſo venderetur. Unde non licet habenti jus patronatus, illud in ſolutionem debiti temporalis dare : nec poteſt unus hæres alteri ius patronatus cedere in compenſationem maioris portionis, quam accepit : nec poteſt dare in feudum, vel alio oneroſo contractu diſtrahere. Similiter ſimonia committitur, ſi patronus aliquem ad beneficium præſentaret (quando aliquod dubium, vel litigium eſt motum circa illud ius patroni ad præſentandum) ſub conditione, ut ſuis expenſis litiget, & probet jus præſentandi pertinere ad illum patronum; quia tunc præſentatio venditur pro illis expenſis. Sic Ugolin. *tabul* 2. *cap*. 41. §. 2. *num*. 5. Bonac. *ſupra n*. 4. Suarez *lib*. 4. *c*. 28. *n*. 14. Filliuc. *tract*. 45. *cap*. 6. *q*. 8. *n*. 13. Villalob. *ſup. n*. 4. ¶ Aliud eſſet ſi talis conditio tantum apponeretur, ut niſi præſentatus intra tempus a iure ſtatutum ſuam præſentationem proſequatur, præſentans, ſuo iure uti poſſet ad præſentandum alium; quia tunc nullum onus, aut obligatio imponitur præſentato præter illam, quæ de jure ineſt. Nec obligatur ad probandum jus præſentantis, nec ad litigandum pro illo; ſed pro ſe, & pro jure ſuo, ſi voluerit illud obtinere beneficium.

78. Quare tota difficultas in præſentiarum vertitur, an tale jus patronatus vendere, ſit ſimoniacum jure divino? quod eſt quærere, an illud ius ex ſe ſpirituale ſit? an dumtaxat temporale? quod ſolum ex ſuppoſitione prohibitionis Eccleſiæ, ex fine Religionis ſit invendibile? Affirmat prima ſententia tale ius eſſe ſpirituale, & ſic ex iure divino ſimoniacum illud vendere. Et probatur. Quia ius patronatus procedit à poteſtate Eccleſiaſticæ juriſdictionis; eſt enim ab ea inſtitutum, & finis illius eſt ſpiritualis : nam eſt obtinere beneficium Eccleſiaſticum, & poteſtatem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, actus etiam illi iuri correſpondens eſt ſpiritualis, nimirum præſentatio ad beneficium ſpirituale, per quam fit præſentatus proximè capax ad inſtitutionem beneficii; unde ſi perſona ſit alias idonea, & digna, neceſſario inſtituenda eſt, iuxta *c. ſignificaſti*, *c. ſuggeſtum*, *cum ſimil. de iure patron*. Unde Inſtitutio, ſine prævia præſentatione facta, eſt nulla, iuxta *cap. nullus eod. tit*. ergo tale ius eſt quid ſpirituale undequaque; & ſic non ſolum iure Eccleſiaſtico, ſed iure divino invendibile. Sic Antonius Buitro, & Andreas Barba, *cap quanto*, *de iudiciis*. Gloſſa *cap. præterea* 1. *de tranſact*. Palaus *tract* 3. *diſp*. 14. *num* 3. Leſſius *cap*. 35. *dub*. 25. Suarez *tom*. 1. *de relig. lib*. 4. *cap*. 28. *num* 7. Laym. *tractatu decimo*, *capite ultimo*, §. 1. *numero* 60. Villalob. *tractatu* 37. *diffic*. 18. *numero ſecundo*,

Ius patronatus invendibile eſſe iure divino aliqui dicūt

Bonac,

Bonac. *diſp.* 1. *q.* 4. §. 11. *num.* 3. Hæc ſententia probabiliſſima eſt.

Ius patronatus vendere, ſimoniacum non eſt ex iure divino.

79. Sed non minus probabilis eſt ſententia negativa, quod tale jus patronatus vendere eſt ſimoniacum ex jure divino. Hanc tenent diſcipuli D. Thomæ Arauxo *diſputatione* 4. *parte ſecunda, articulo quarto, numero* 41. Torre 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo quarto, diſputatione* 6. *aſſert.* 3. *fol.* 728. *colum.* 2. Soto *libro nono, quæſtione ſeptima, articulo primo*, Sylveſter *verbo ſimonia, quæſtione ſecunda*, tenent etiam illam Abbas, Decius *cap. quanto, de iudiciis.* Navarr. *capite* 23. *numero* 98. & 99. Sanchez *conſil. tomo primo, libro ſecundo, capite tertio, dub.* 48. *numero decimo.* Et probatur primo ex D. Thoma 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo quarto, ad* 3. ubi ius patronatus collocat inter annexa ſpiritualibus antecedenter, quæ eſſe vendibilia ſecundum ſe expectata affirmat. Econtra vero beneficia Eccleſiaſtica non poſſe vendi, dicit, quia ſunt annexa conſequenter. Probatur hoc ipſum ratione: quia huiuſmodi ius patronatus eſt ſecundum ſe quid temporale, eo quod eſt laicis, & clericis commune, & tranſit ad hæredes iure ſanguinis, quo pactu ſpiritualia tranſire non poſſunt; & quia dumtaxat eſt quidam humanus favor conceſſus Patrono propter beneficia, & obſequia Eccleſiæ collata: ergo ſecundum ſe erit vendibile; & ſic ſolo iure Eccleſiaſtico, ob motivum Religionis id prohibente erit ſimoniaca venditio talis iuris.

Ius patronatus non eſt aliquid ſpirituale invendibile.

80. Deinde hoc ipſum probatur deſtruendo fundamentum alterius ſententiæ: nam ſi tale ius eſſet ſecundum ſe ſpirituale, maximè, quia ab Eccleſiæ poteſtate inſtitutum eſt, nam ordinatur ad finem ſpiritualem, qui eſt obtentio beneficii præſentati à patrono, & quia exercet actum præſentationis, qui ex ſe videtur eſſe ſpiritualis, cum det ius præſentato ad beneficium, quod ſi alteri conferatur, erit collatio nulla: ſed ſecundum hæc tria eſt quid temporale, & vendibile: ergo, &c. Probatur minor quoad ſingulas partes. Nam in primis juris patronatus inſtitutio non provenit ab Eccleſia, ut exercet ſpiritualis juriſdictionis poteſtatem, ſed quatenus eminenter continet poteſtatem politicam; utraque enim poteſtas eſt in Eccleſia; & ſicut ad primam pertinent officia Eccleſiaſtica ſpiritualia; ſic ad ſecundam officia temporalia diſtribuere, & temporalibus favoribus, fideles qui illi inſervierunt, fideliſſimè proſequi; inter quos unus eſt jus præſentandi ad Eccleſiaſtica officia, aut beneficia; & dicitur ius patronatus. Deinde quamvis ad finem ſpiritualem ordinetur, nimirum ad obtentionem beneficii Eccleſiaſtici, non ob id, ſi alias conditiones non habeat, erit ius ſpirituale, ut conſtat in aliis iuribus inſtitutis ad aliqua pia opera diſtribuenda, ut ad redimendos captivos, ad dotandas virgines, ad eligendos capellanos in quibuſdam capellaniis non collativis. Quæ iura apud omnes licet ordinentur ad finem ſive obiectum ſpirituale non ob id ſunt ſpiritualia aut invendibilia. Ultimo ipſe actus præſentandi, ſeu præſentatio ipſa mere naturalis eſt ſecluſo jure poſitivo, eo quod nullum ius, nullamque confert capacitatem ad beneficium, ſed tantum patronus ex conceſſione Eccleſiæ præparat, & applicat materiam ad beneficium, apponitque conditionem beneficii collationi ab Epiſcopo faciendæ. Quemadmodum poſſet Eccleſia decernere, ut electio Oeconomi, aut Sacriſtæ, aut alterius officialis nulla eſſet, niſi præcedente alicuius patroni præſentatione: & tunc Patronus ſolum apponeret conditionem, & materiam aptam ex inſtitutione Eccleſiæ, ut illa electio valida eſſet; quin propter hoc talis præſentatio eſſet ſecundum ſe ſpiritualis, aut aliquod jus niſi remotum præſentato tribueret, & hoc magis conſtat, ſi duo, vel tres deberent præſentari, ut ex illis electio fieret..

Vendi poteſt ius ad præſentandas Virgines in monaſterio ingreſſuras.

81. Hinc inferimus (quod apud nullum alium attactum videmus) quod jus illud, quod habent aliqui Patroni monialium ad præſentandum in Conventu duas, vel tres moniales, quod vulgo dicitur; *dos otres plaças de preſentacion*, ut abſque dote recipiantur, vendibile eſſe tam inſpecto iure Eccleſiaſtico, quam divino. Licet perperam facerent patroni, ſi tale jus ob lucrum vile temporale venditioni ſubjicerent. Proficiet autem reſolutio noſtra pro aliquibus caſibus, ut ſi domus, villa, aut fundus venderetur, quibus illud ius patronatus annexum foret, etiam ſi pluris ob tale ius annexum venderetur, non committeretur ſimonia, ſi Patronus ære alieno, & debitis onuſtus vellet ſuo juri cedere in favorem creditoris, ut ſibi illa debita remitteret, & ſimilibus. Quod autem hoc ius vendere non ſit ſimoniacum ex jure Eccleſiaſtico, probatur. Quia iura, quæ ſupra adduximus, loquuntur ſolum (quando ius patronatus invendibile dicunt) de iure patroni ad præſentandum ad beneficia, non vero de præſentatione ad habitum Religioſum; & non debent de uno in aliud extendi; maximè, quia currit diſpar ratio in utroque caſu, ut dicemus, ſicuti de iure ad præſentandos Capellanos in capellaniis non collativis, omnes dicunt non comprehendi in illis prohibitionibus. ¶ Quod hoc non ſit ex iure divino ſimoniacum conſtat ex modo dictis de iure præſentandi ad beneficia: ſed eſto hoc ius præſentandi ad beneficia eſſet iure divino invendibile, ut dicebat prima ſententia, quia ordinatur ad aliquid ſpirituale nempe collationem beneficii. Hoc tamen ius, de quo loquimur non eſt primo, & per ſe, ac principaliter inſtitutum reſpectu ſpiritualitatis, quæ eſt in habitus ſuſceptione, ſed ad ſupplendum illud temporale, quod propter ingreſſum poteſt peti titulo ſuſtentationis: & ſic ſe habet dos virginis ingreſſuræ, ut ſine alia dote in illo Monaſterio recipiatur: quia patronus ad alendas moniales illas, quas præſentat, ſufficientes redditus dedit; & ſic per præſentationem ſolum aſſignat, quæ debeat eſſe illa, quæ ex illis redditibus alenda eſt, ut hæc ſine dote recipiatur, removendo per hoc impedimentum, quod pauperes habere poſſent, ut habitum Religionis ſuſciperent; & relinquendo arbitrio aliarum monialium, an qualitates habeat idoneas pro illo ſtatu?

CAPUT

CAPUT III.

De actionibus, pactis, aut conventionibus, quæ ſimoniæ vitium conficiunt.

DIXIMUS duobus capitibus præcedentibus de ſimonia ſecundum materiam, quæ illam conſtituunt, nimirum tam ex parte pretii temporalis, quam ex parte rei ſpiritualis ſimili pretio compatatæ, quæ ſunt quaſi partes, ex quibus contractus ſimoniacus coaleſcit. Venit modo agere de illis actionibus, quæ circa has materias exercitæ talem contractum conſtituunt. Plura diximus capitibus præcedentibus ob connexionem doctrinæ; nunc de aliquibus particularibus actionibus, pactis, aut conventionibus dumtaxat agemus, in quibus eſt aliqua difficultas, cuius reſolutionis notitia pro quotidiana praxi eſt multum neceſſaria. Caput hoc quinque puncta continet.

PUNCT. I. *Utrum vexationis redemptio circa res ſpirituales, data pecunia facta, præcipuè circa beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, libera ſit à ſimoniæ labe?* n. 1.

§. I. *Vtrum poſt acquiſitum ius in re ſpirituali vexationem circa illud tollere ſit ſimonia?* n 1.

§. II. *Vtrum redimere vexationem ante ius acquiſitum in re ſpirituali ſit ſimonia?* n. 9.

PUNCT. II. *Vtrum unum ſpirituale pro alio permutare ſit ſimonia? ubi ſpecialiter de beneficiorum permutationibus agitur.* n 18.

§. I. *Quomodo res ſpirituales, exceceptis beneficiis, pro aliis ſpiritualibus licitè permutari poſſunt?* n. 18.

§. II. *Qualiter, abſque ſimonia, beneficia valeant permutari.* n. 21.

§. III. *An authoritate Epiſcopi poſſit beneficium Eccleſiaſticum penſione permutari?* n. 29.

PUNCT. III. *An tranſactio, ſeu pactio onéroſa ad componendam litem, in beneficiis habeat rationem ſimoniæ?* n. 38.

PUNCT. IV. *Qualiter renuntiationes beneficiorum abſque ſimonia fieri poſſint?* n. 49.

PUNCT. V. *An reſignatio beneficiorum confidentialis ſit ſimonia? & quibus pœnis ſubiaceat?* n. 61.

PUNCTUM I.

Vtrum vexationis redemptio circa res ſpirituales, data pecunia, facta præcipuè circa beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, libera ſit à ſimoniæ labe?

PLURES circa hoc punctum apparent difficultates, quas ſimul diſſerere erit faſtidioſum: ideo illud ut facilius percurratur in duos paragraphos ſecavimus.

§. I.

Vtrum poſt acquiſitum jus in re ſpirituali, vexationem circa illud tollere, ſit ſimonia?

Duæ regulæ D. Thomæ circa materiam huius puncti ponuntur.

1. TOtam huius puncti materiam graviſſimè, & breviſſimè complexus eſt D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 100. *art. ad* 5. Ubi duas tradit regulas ab omnibus Theologis, & Iuriſtis receptis. Verba S. Doctoris ſunt quæ ſequuntur. *Ad quintum dicendum, quod antequam alicui acquiratur jus in Epiſcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per electionem, vel proviſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula pecunia redimere: ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam, ad rem ſpiritualem obtinendam. Sed poſtquam jus alicui acquiſitum eſt, licet per pecuniam iniuſta impedimenta removere.* Ubi duas regulas generales ſtatuit. Prima, quod poſt jam acquiſitum jus licitum eſt, redimere vexationem iniuſtam pecunia. Secunda, quod antè jus acquiſitum vexationem redimere, ſeu obſtantia impedimenta pecunia removere, eſt ſimoniacum. De prima agemus hoc §. *de ſecunda in ſequenti.*

Quid ſit ius acquiſitũ, & ius acquirendum.

2. Sed ad intelligentiam huius duplicis regulæ D. Thomæ præmittendum eſt, quid ſit habere *jus acquiſitum*, quid vero *acquirendum? Ius ergo acquiſitum* eſt debitum ex juſtitia commutativa, & alio nomine dicitur *jus in re*; nimirum, quando jam de facto res habetur, & eſt approbata habenti ius licet interdum non poſſideatur. Ut qui electus eſt ad beneficium, & habet jam collationem illius à legitimo Superiori, licet poſſeſſionem non habeat, & multo magis ſi jam habeat poſſeſſionem; hic habet *jus in re*; ideſt, jus iam acquiſitum circa illud beneficium. Ius vero *acquirendum*, eſt aliquale jus, debitum quidem, ſed ſecundum rationem juſtitiæ diſtributivæ, aut alterius virtutis; & hoc dicitur *jus ad rem*, id eſt, ius innatum, quod propriè, & rigoroſè non eſt jus, ſed quædam dignitas, & idoneitas perſonæ. Et licet hæc interdum ſufficiat ad habendum jus quoddam ad rem pertinens ad juſtitiam diſtributivam, illud non eſt proprium jus: quia per illud non dicitur res eſſe illius, qui tale jus habet, ſed eſt quædam proportio perſonæ cum tali re, ad quam proportionem ſervandam obligat iuſtitia diſtributiva.

Et

Et hoc ius ad rem poteſt eſſe vel remotum, ut eſt illud, quod oppoſitor dignus, aut magis dignus habet ad beneficium. Vel proximum, quod habet electus, aut præſentatus, nondum tamen confirmatus, aut inſtitutus.

Vexationem pecunia redimere circa ius quæſitũ non eſt ſimonia.

3. Prima igitur regula D. Thomæ, quam pro concluſione ſtatuimus eſt, quod poſt ius firmiter acquiſitum in beneficio (ac idem eſt de qualibet alia re ſpirituali) ſimonia non eſt, redimere pecunia vexationem, quæ ab aliquo pro illo jure tollendo iniuſtè infertur; ut ſi poſſeſſor beneficii iniuſtè vexetur circa illud, hanc vexationem pecunia removere poteſt. Quod habetur *in cap. dilectus* 1. *de ſimonia, cap. quæſitum* 1. *quæſt.* 3. Et ratio eſt: quia ſic redimit vexationem ſuam non pro aliqua re ſpirituali, dat pecuniam, ſed pro evitanda iniuria, aut violentia, quam iniuſtè patitur, nec per tale donum ſibi acquirit aliquid ſpirituale, quod iam habet, ſed iniuſta impedimenta, & damna divertit. Imo nec talis aliquod peccatum committit; quia alterius injuſtæ acceptioni cooperatur, ſed rem bonam facit utendo jure ſuo, ut alius ab injuſta illa vexatione deſiſtat, & ſuum ius jam quæſitum conſervet indemne; quamvis alius contra juſtitiam agat tale donum ob hoc recipiens; ſicuti iniuſtè talem vexationem operatur; & ſic teneatur ad reſtitutionem accepti, ſicut uſurarius pecunias recipiens peccat contra juſtitiam: alius vero dans, quia aliter mutuum accipere non valet, redimit ſuam vexationem, & ſic nec ad uſuram alterius concurrit, nec ipſe injuſte operatur, & ſic in utroque caſu propter iniuriam recipientis, datur ipſi danti repetitio, juxta *leg.* 3. *ff. de conduct. ob turp. cauſam*, & docet Gloſſa communiter recepta *in cap. dilectus* 1. *de ſimonia*. Hanc igitur regulam D. Thomæ, quam poſtea exemplis illuſtrabimus, omnes uno ore amplectuntur. Aragon 2. 2. *q.* 100. *articulo* 4. *dict.* 3. *pag.* 1111. Torre *ibi diſputat.* 9. Layman. *tractatu* 10. *capite ultimo*, §. 2. *num.* 22. Cajetan. *opuſcul.* 1. *de ſimonia, quæſt.* 3. Sanchez *conſil. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3, *dub.* 30. *num.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 18. *num.* 100. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 6. *punct.* 5. *num.* 1. Suarez *lib.* 4. *cap.* 50. Palaus *tom.* 3. *diſputat.* 3. *de ſimonia, punct.* 20. *num.* 1. *&* 3. Ledeſma 2. *part. tractatu* 12. *concluſ.* 26. *&* 27. Arauxo *in qq. moral. diſputat.* 14. *part.* 2. *art.* 1. *num.* 17. Sufficit autem, quod jus communiter judicetur certum, & firmum à doctis viris, ita quod prudentes judicent habentem beneficium injuſtè vexari, ut licitè modo dicto poſſit pecunia data ſuam vexationem redimere.

Vt vexationis redẽptio non ſit ſimonia, debet eſſe vexatio iniuſta, & ius quæſitum certum.

4. Sed hæc regula primo intelligitur, quod redemptio vexationis licita eſt, quando jam eſt jus quæſitum. Si jus ſit plenum, certum, & indubitatum ſaltem apud peritos in eo iure cognoſcendo, & quod vexatio ſit iniuſta: ſi enim ius dubium ſit, & circa illud quis vexetur, non licet vexationem pretio redimere; nec etiam quando jus eſt certum, ſed juſtè ab alio vexatur. Sit primi exemplum: habes beneficium, circa quod à competitore lis intentatur, lis inquam iuſta, quia dubium eſt de valore electionis, præſentationis, aut inſtitutionis; non licet tibi redimere vexationem pecunia alteri data, ut deſiſtat: quia tunc per rem temporalem viam parares, ut jus ſpirituale dubium, firmum ſit, & ſic aliquid ſpirituale emeres: quia per pecuniam comparare cupis conſervationem beneficii, ſeu firmitatem nutantis juris, & ſic ſimoniam committeres. Imo etiam ſi dubium ſit, quod lis futura, quam times ſit iuſta, non licet tibi per pecuniam illam impedire: quia ſi dubium eſt probabile, hoc ipſo lis eſt juſta; ſi ſolum ſit dubium circa illam, iam tuum jus ſpirituale dubium eſt, & ſic illud pecunia firmare non licet. Ut ergo tibi liceat vexationis redemptio pecunia, jus acquiſitum debet eſſe firmum, certum, & indubitatum. Debet etiam vexatio eſſe iniuſta: ſi enim juſta ſit, non licet tibi illam pecunia redimere, ut de lite juſta dicebamus; ut ſi Prælatus vellet te privare beneficio ob crimen commiſſum, non licet hanc vexationem pecunia redimere, nec teſtem illa removere, ne juſte contra te teſtimonium dicat, nec alium, qui vellet apponere illegitimitatem, ætatem, aliamve inidoneitatem potes à tali vexatione pecuniis avertere: quia tunc jus acquiſitum non eſt omnino firmum, ſed irritabile, & transferibile; & ſic qui talem redimit vexationem, poſt ius, aliquod ſpirituale emit, nimirum firmitatem in iure illo nutante, quod eſt ſimoniacum. Layman. *n.* 29. Panormitan. *in cap. cum pridem, de pactis, num.* 9. Felinus *cap. dilectus* 1. *de ſimonia, num.* 3. Sanchez *num.* 4. Torre *in ſolut. ad* 1. *fol.* 736. *col.* 1. Leſſius *num.* 107. Bonac. *n.* 3. *&* 5. Reginald. *lib.* 23. *dub.* 3. *num.* 524.

Quid ex limitatione præcedentis regulæ inferatur.

5. Hinc fit non licere duobus litigantibus circa aliquod beneficium, ſi nimirum lis moveretur juſte circa electionem, præſentationem, inſtitutionem, aut aliud quodvis jus beneficii, alteri parti offerre pecuniam, pretium, vel penſionem, ut deſiſtat: quia compararet per pecuniam jus firmum in beneficium, & quod infirmum erat, firmaret, & roboraret, Villalobos *difficult.* 30. *num.* 1. Navarr. *conſil.* 43. *num.* 2. *de ſimonia lib.* 5. Palaus *punct.* 30. *numero ſecundo*, Sanchez *dub.* 33. *numero primo*. Qui optime dicit ſimoniacum eſſe, renunciantem iuſtæ liti ſuper beneficio, pecunia vel penſione accepta; etiam ſi hæc detur, vel accipiatur nomine expenſionum: ut ſi pactum inter illos fiat, quod alteri parti ſolvantur expenſæ factæ in lite illa, & cedat juri ſuo; quia eſt renunciare ſpirituale pro temporali. Et ſimiliter ſi renuntiet litteris Apoſtolicis ſuper proviſione beneficii pro pecunia eſt ſimoniacus. An vero poſſit arbiter hoc componere dando alteri penſionem, dicemus *punct.* 4. cum de tranſactionibus agamus; ubi etiam agemus, an poſſit unus renuntiare alteri beneficium tenue, ut deſiſtat à lite circa pinguius beneficium, vel penſionem aſſignare authoritate Superioris interveniente? Modo obiter dicimus poſſe licitè inter ſe convenire litigantes, ſub beneplacito tamen Papæ, & ſemper dependenter ab illo, ut alteri detur beneficium, alteri penſio; modo tamen nihil concludatur, antequam accedat conſenſus Papæ. Et in hoc caſu, quo alteri ex litigantibus penſio à Potifice aſſignatur, non eſt ad redimendam vexationem, quia tunc nulla eſt vexatio injuſta, ſed propter bonum pacis ad componendam litem. An vero id authoritate Epiſcopi fieri poſſit *loc. cit.* dicemus. Ubi etiam dicemus licitè poſſe partes convenire, ut alter renuntiet jus ſuum in alium, & quod detur ei aliud beneficium, etiamſi hoc ex pacto fiat, dependenter autem à prælati voluntate: quia eſt permutatio ſpiritualis pro ſpirituali, quæ in beneficiis authoritate Epiſcopi poteſt fieri, ut *punct.* 2. §. 2. dicemus. Nunquam vero ob auferendam vexationem juſtam id poteſt fieri.

6. Intelligitur

Vt vexationis redẽptio licita ſit, nõ debet removeri per dationem alicuius ſpiritualis.

6. Intelligitur ſecundo dicta regula D. Thom. quando vexatio iniuſta circa ius firmiter, & certo quæſitum aufertur per dationem rei temporalis: quia quod tunc per illam emitur, ſeu redimitur, eſt temporale, nimirum ablatio illius iniuſtæ vexationis; & ideo illam tollere per dationem alicuius ſpiritualis non licet: quia jam daretur aliquid ſpirituale pro temporali immediatè, & per ſe; quod manifeſtè eſt ſimonia. Vnde qui haberet jus acquiſitum in beneficio pingui, ne ab eo deturbaretur, & vexationem pateretur, offerret vexanti, ut à vexatione ceſſaret, beneficium minus pingue, vel faceret eum Vicarium ſuum, vel procuraret illi aliud beneficium, vel quidquam aliud ſpirituale; proculdubio ſimoniacus eſſet: quia re ſpirituali emerat aliquod temporale, nimirum ceſſationem à vexando: ideoque ne ſimonia committatur, neceſſe eſt, ut cum datur in tali redemptione pecunia, non per hoc acquiratur aliquid ſpirituale, quod non erat jam quæſitum; nec ex vi redemptionis vexationis cedat alicui rei ſpirituali; ſed redemptio debet fieri data pecunia, vel aliquo alio temporali, ut communiter Gloſſa, & Doctores *in cap. dilectus*, ducent, & Sanchez *dub. 30. numero quarto*, Suarez *capite 50. numero* 14. Bonacin. *punct. 5. numero ſecundo*, Torre *quæſt. 100. art. 4. diſput. 9. in ſolut. ad 5.*

Redemptionem vexationis circa poſſeſſionẽ, aliqui eſſe ſimoniam dicunt, alii negant.

7. Sed rogabis modo an ſi vexatio fiat circa poſſeſſionem beneficii, nimirum quia titulum habens à legitimo collatore impeditur injuſtè, poſſitne hanc redimere vexationem data pecunia, ut impedientem à vexatione avertat? Negat prima ſententia id fieri poſſe abſque ſimonia. Quia poſſeſſio beneficiorum eſt aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum; eò quod per poſſeſſionem obtineat quis exercitium ſpiritualium, & ratione ſpiritualis tituli datur: ſed ad obtinendum directè ſpirituale non licet abſque ſimonia vexationem redimere, ut dicemus *§. ſequenti*, ergo, &c. Sic Sotus *libro nono, quæſtione ſexta, articulo primo*, licet dubitanter. Sed abſque dubitatione tenet Gloſſa *in cap. decimas* 2. 17. *quæſtione* 7. Abbas *cap. ad aures, de ſimonia, numero ſexto*, Innocentius *ibi, & in cap. dilectus* 1. *in fine*, ubi etiam Felinus *numero* 3. Garcia *prima parte, de beneficiis, capite ſecundo, num* 33. Vgolinus *tab. 2. cap. 9. §. 8. numero quinto*, Bonacin. *ſupr. punct. 3. numero* 8. ¶ Secunda vero ſententia id negat eſſe ſimoniam. Quæ videtur eſſe D. Thomæ verbis ſupra relatis *in ſolut. ad* 5. ubi abſolutè ait: iure acquiſito per collationem ſimoniam non eſſe, impedimenta removere, nimirum acquirendæ poſſeſſionis. Et *in art. 4. ad* 3. ait licuiſſe Abrahamo redimere ſuam vexationem in acquirenda poſſeſſione ſpeluncæ duplicis pro ſepultura, cuius proprietas erat ſibi à Deo donata. Et ratio eſt: quia poſſeſſio non eſt aliquid ſpirituale, ſed declaratio quædam forenſis, qua publicum fit hunc hominem habere beneficium, quia jam ſupponit titulum conceſſum in collatione, & ius ad percipiendos fructus ratione illius. Quare quando poſſeſſio datur, nihil ſpirituale datur, ſed declaratio publica hunc hominem habere ius, & titulum ſpirituale ad beneficium illud. Sic Suarez *lib. 4. cap. 50. n.* 31. Ledeſma 2. *part. Summ. tract.* 12. *concl.* 26. & 27. Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub.* 18. *num.* 110. Villalobos *tract. 37. diffic. 30. num.* 5. Filliucius *tract. 45. c. 11. quæſt. 4. num.* 10. Torre *quæſt.* 100. *art. 4. diſput. 9. fol. 742. col.* 1. Reginald. *lib. 24. c. 11. dub 3. n.* 13. Sanch. *tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 30. num.* 11. Palaus *punct. 20. num.* 3.

Duæ præcedentes ſententiæ conciliantur.

8. Sed utraque ſententia conciliari poteſt. Pro quo nota vexationem poſſe eſſe tantum *de facto*, non *de jure*, ut quando titulus beneficii plane acquiſitus eſt firmiter, & indubitanter; tunc enim ſi vexetur quis circa poſſeſſionem, vexatio ſolum eſt circa factum poſſeſſionis, non circa jus, quod jam plane, & certo ſupponitur. Et tunc eſt vera ſecunda ſententia: quia quando titulus ſpiritualis plene acquiſitus ſupponitur, jam poſſeſſionem conſequi non prætenditur tanquam annexa rei ſpirituali, ſed per ſe quid temporale eſt, & immediatè, & per ſe debitum. Si vero vexatio ſit *de iure*, ſeu circa jus, quia nimirum ius ipſum in dubium verteretur, & ob id non daretur poſſeſſio, tunc ſimonia eſſet, illam pretio redimere ut dicit prima ſententia: quia jam non per ſe ſolam redimeretur poſſeſſio; ſed ut annexa iuri, & ſic per ſe ipſum ius redimeretur, quod erat infirmum ut firmum fieret, & ſtabile, juxta ea, quæ diximus *n.* 4. Explicatur hoc exemplo: ſi habenti, & poſſidenti beneficium negarentur fructus per ſolam poſſeſſionem facti, non eſſet ſimonia illos redimere: quia licet ſint annexi ſpirituali titulo, tunc non redimuntur ut annexi, ſed ſecundum ſe: at ſi negarentur fructus revocando in dubium probabile ius beneficii, ſeu proprietatis eius, tunc fructus redimere, eſſet redimere jus ad illos, quod eſt ſimoniacum: ſimiliter in præſenti, Ledeſm. Palaus, Torre, Suarez, & alii.

§. II.

Vtrum redimere vexationem ante ius acquiſitum in re ſpirituali ſit ſimonia.

Redimere vexationem circa ius acquirendum ſimonia eſt.

9. SEcunda regula D. Thomæ verbis initio huius puncti adductis aſſignata eſt, quod ante ius acquiſitum in re ſpirituali non licet redimere vexationem, quæ impedit ius acquirendum; ſed eſt ſimonia, pecunia, vel alio dono temporali talem redemptionem facere. Quæ regula deſumitur *ex cap. Matthæus, de ſimonia*, ubi ſimoniacus iudicatur, qui à maiori parte capituli electus aliquibus contradicentibus, & confirmationem impedientibus, pecuniam obtulit, ne illam impedirent: quia tunc vexatio circa confirmationem, quam non habebat, non erat redimibilis pecunia; quia circa confirmationem non habebat ius acquiſitum, ſeu ius in re, ſed ad rem, ſeu ius innatum propter merita legitimæ electionis. Et idem videtur probari ex *cap. ſicut tuas, de ſimonia, cap. hoc eod. tit.* Et probatur hæc regula primo ex ratione D. Thomæ: quia qui ſic intentat redimere per pecuniam vexationem, parat ſibi viam ad obtinendam rem ſpiritualem, quam nondum habet: ergo ſimoniam committit. ¶ Probatur ſecundo, quo magis dicta ratio D. Thomæ explicatur. Nam in ſimilibus caſibus redimere vexationem nihil eſt aliud quam emere beneficium, quia in ea redemptione virtualiter, & intrinſecè includitur emptio rei ſpiritualis, v. g. ſi Epiſcopus me præſentatum non vult inſtituere, vel me dignum non vult eligere frivolas excuſationes interponendo, ſi illi dem pecuniam

pro hac redimenda vexatione, virtualiter illam do ploemendo beneficio: licet enim pretium datum redemptionem ſonet, tamen pro acquiſitione beneficii datur: quia cum me veaet in non dando beneficium, ſi do pretium, nt non me vexet, neceſſario do, ut beneficium conferat; nec enim aliter à veaatione ceſſabit, niſi beneficium conferendo. Et eſt diſparitas in vexatione iuris acquiſiti, ac acquirendi: quia quando veaatio fit in iure non acquiſito per redemptionem, non ſolum tollitur impedimentum, verum, & acquiritur res ſpiritualis. Secus vero quando ius iam acquiſitum eſt: quia iam ſpirituale habetur, ac proinde per redemptionem non acquiritur, ſed tantum vexatio redimitur, ideſt, tollitur impedimentum. Ita Caietan. *opuſcul. de ſimonia, quaſt* 3. Aragon 2. 2. *quaſt.* 100. *art.* 2. *ad* 5. Torre *ibi art.* 4. *diſp.* 9. Sylveſter *ſimo* 1. 2 Arauao *ſup. concluſ.* 1. Laym. *num.* 22. Sanchea *dub* 30. *num.* 3. Villalob. *diffic.* 30. *num.* 1.

Poteſt vexatio provenire à potente obeſſe, ſed nõ prodeſſe, & etiã ab eo, qui obeſſe, & prodeſſe poteſt.

10. Sed pro intelligentia huius regulæ notandum eſt vexationem circa ius acquirendum, v. g. circa beneficium conſequendum poſſe vel provenire ab eo, qui obeſſe poteſt, ſed non prodeſſe, ſeu impedire poteſt, ſed non iuvare; ut ſi aliquis particularis me de aliquo falſo crimine calumnietur, aut de irregularitate, aut inhabilitate ad beneficium obtinendum; vel ſi aliquem electorum, vel Epiſcopum, vel patronum donis corrumpat, ut alteri coopp oſitori beneficium conferant; hic datur vexatio injuſta poſitiva ab eo, qui obeſſe, ſeu impedire, ſed non prodeſſe, ſeu iuvare per ſe, & immediate poteſt. Aliquando vero provenit vexatio ab eo, qui obeſſe, & prodeſſe poteſt, quia poteſt impedire, & per ſe iuvare; quia nimirum eſt elector, præſentator inſtitutor, confirmator, vel aliquomodo ad eum pertinet beneficii proviſio. Et hic adhuc bifariam poteſt conſiderari in iniuſta illa vexatione apponenda, ne alius acquirat beneficium, ad quod ſe vult opponere: vel privatã perſona, nimirum detinendo oppoſitorem, illum infamando, alios electores corrumpendo: & de hoc idem iudicium ferendum eſt, ac de illis, qui poſſunt obeſſe, & non prodeſſe: quia ut ſic non ſe habet ut elector, & inſtitutor, &c. ſed ut privata perſona ſicut alii. Vel ſe ſe habet in tali veaatione ut elector, quia nimirum iniuſtè iſtum veaat, qui dignior eſt, nolendo illi ſuffragari; vel ea odio, aut avaritia nolens illum præſentare, eligere, inſtituere; confinnare, niſi pecuniam dederit. Quibus ſuppoſitis.

Regula D. Thom qualiter intelligenda eſt iuxta præcedentem doctrinam.

11. Regula ſecunda D. Thomæ, quod non licet redimere veaationem circa ius acquirendnm intelligitur, quando veaatio apponitur à potentibus obeſſe, & prodeſſe; nimirum ab illis, qui aliquo modo, ad collationem beneficii immediate concurrere poſſunt, eligendo, confirmando, vel illud ſpirituale alio quocumque modo per ſe immediatè conferendo, ut ſi ſciam electorem pacatum eſſe eligere indignum, me digno prætermiſſo, ſi ſim præſentatus ad beneficium, & Prælatus per claram iniuſtitiam me non vult inſtituere, non poſſum abſque ſimonia talem veaationem redimere. Non vero currit regula, quando veaatio ab aliis particularibus fit, qui poſſunt obeſſe, & non prodeſſe, ſi per talem redemptionem vexationis ſolum iutendo removere illud impedimentum iniurioſum, licet inde per accidens ſequatur conſequutio beneficii. Prima pars aſſerti conſtat ea textibus, & rationibus *num.* 9. allatis, quæ ad minus hoc probant. Sed noſtra reſolutio intelligitur, quando veaatio illa provenir à potente prodeſſe, quatenus tale, nimirum ab electore, inſtitutore, &c. quatenus tale, ſeu quatenus habent illam poteſtatem, & per eam vexant, ut elector in non eligendo, collator in non conferendo, &c. Nam ſi eadem perſona electoris veaet detinendo, infamando, alioſve electores à me amovendo, aut aliis modis, quibus quælibet privata perſona id poteſt efficere, ſic ſimonia non erit coram Deo ab eo veaationem redimere, ut ceſſet ab illa, ſecundum quod poteſt, & debet non obeſſe: quia eadem eſt ratio de illa vexatione, ac ſi fieret à perſona diſtincta, quæ non poſſet prodeſſe: nam quod in eadem perſona concurrant, materiale eſt, & per accidens. Ita Sanchez *cap.* 3. *dub.* 30. *numero quinto*, Leſſius *dub.* 18. *num.* 106. & 107. Torre *articulo quarto, diſputatione* 9. *fol.* 739. *colum.* 2. Bonacina *punct.* 5. *numero quarto*, Villalobos *tractat.* 37. *difficult.* 3. *numero tertio*, Vgolin. *tabul.* 1. *capite nono*, §. 8. *numero tertio*, Filliucius *tractatu* 45. *capite undecimo*, *quæſtione* 3. Suarez *libro quarto, capite* 50. *num.* 23. Soto *lib.* 9. *quaſt.* 6. *articulo* 1. *ad* 5. & *quaſt.* 7. *art.* 1. Palaus *punct.* 20. *num.* 4.

12. An vero hæc ſimonia tantum ſit iuris poſitivi ob textus ſupra allegatos, & ob ſtylum, & conſuetudinem curiæ; an vero id ſit ex jure divino malum? aliqui ex ſolo iure poſitivo eſſe affirmant: quia, qui per munera vult tollere vexationem ab electore, aut confirmatore incuſſam, ſolum rem temporalem emit, nimirum impedire illam pravam voluntatem electoris, quia vult, me digniori prætermiſſo, alium eligere, eius demoliri duritiam, iniuſtitiam removere, ſine eo, quod aliquid ſpirituale de novo acquirat, quod de ſe non habebat habere, ſed quod voluntas electoris debite ordinetur, & diſponatur, ablatis impedimentis iniuſtè poſitis, ut poſtea ſuffragium juata merita conferat ſibi, ſi dignus alias iudicetur. Si enim ſimonia non eſſet ſaltem ex jure naturæ muneribus, & precibus voluntatem electoris allicere, & conciliare ut ea benevolentia, & gratitudine mihi conferat beneficium, neque etiam erit muneribus illum pravum affectum amovere: ea quo ſi ſequatur reelectio, per accidens, non per ſe ſequitur. Ita Navarr. *cap.* 23. *numero* 102. Adrianus *quodlibet.* 9. Palaus *diſputat.* 3. *punct.* 20. *num.* 4. Layman. §. 2. *num.* 22. Bonacin. *num.* 4. *verſu hanc tertiam.* Valentia *tomo tertio, diſputatione ſexta, quæſtione* 16. *punct.* 3. *pagin.* 1656. ¶ Sed oppoſitum docet D. Thomas *loco citato*, ubi non reducit hanc ſimoniam ad ius poſitivum, ſed ad iua ipſum naturale: *Quia tunc* (inquit) *per pecuniam paratur via ad beneficium conſequendum*, directè proaimè, & per ſe, & non tantum remotè, ac removeas prohibens, eo quod removere tunc impedimentum, nihil aliudeſt, quam ſpirituale conferre; quia vexatio conſiſtebat in non conferendo inſtitutionem, ſeu debitam electionem, & ſic non poteſt removeri, niſi inſtitutionem, aut electionem conferendo. Quare, licet verbis redemptio dicatur, re ipſa emptio eſt collationis, ut ſupra *n.* 9. aſſeruimus. Suar. *lib.* 4. *c.* 50. *n.* 28. Soto, Torre, Arauxo *loc. cit.*

Redimere vexationem factam ab electoribus circa ius acquirendum, aliqui non eſſe ſimoniã ex iure divino autumant; ſed verius eſt oppoſitum.

13. Secunda

Redimere vexationem à non potente prodeſſe, circa ius acquirendum non eſt ſimonia.

13. Secunda vero pars illius aſſerti, quod nimirum quando vexatio ſit ab his, qui nullo modo ad beneficii proviſionem concurrunt, illam pecunia redimere, minimè ſit ſimonia probatur. Quia tunc non datur pecunia pro re ſpirituali; ſiquidem vexator illam conferre non valet, ſed pro redimenta præciſè vexatione tollendo impedimenda, quæ vexator apponit; quæ ablatio non habet neceſſariam connexionem cum acquiſitione rei ſpiritualis, ſed ad ſummum ad illam concurrit removendo prohibens, ut ſi me detineat injuſtè, ſi me injuſtè infamet, ſi electores contra me, & in favorem alterius corrumpat, poſſum muneribus illam injuſtitiam amovere: quia per hoc nihil de novo acquiro, quod non haberem: habeo enim jus, ut nemo me per injuriam impediat. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 100. *articulo ſecundo, ad* 5. Torre *ibi diſputatione* 9. Sanchez *capite* 3. *dubio* 30. *numero quinto*, Valentia *punct.* 3. *quæſtione* 3. *concluſione* 1. Layman. *tract. cap. ultim.* §. 2. *num.* 12. Ugolin. *tabul.* 1. *de ſimonia, cap.* 9. § 8. *numero tertio*, Bonacin. *punct.* 9. *numero ſexto*, Filliucius *capite undecimo, quæſtione tertia, fine.* Palaus *num.* 4. & 6. Leſſius *dubio* 18. *num.* 109. Villalob. *difficult.* 30. *numero tertio*, Soto *lib.* 9. *quæſtione* 6. *articulo primo, ad* 5. & *quæſtione* 7. *articulo primo, corpor.* Licet neget circa illum caſum de eo, qui muneribus, & precibus electores corrumpit, an liceat illi dare pecuniam ut ceſſet? Sed de aliis omnibus loquuntur. Et meritò, nam etiam in illo caſu, quod proximè emitur, temporale eſt, nimirum ut ille ſubornator ceſſet à corruptione electorum. Unde oritur mihi damnum, & non habet per ſe connexionem cum ſpirituali, nec illo continetur. Secus autem eſſet dicendum, ſi redimens vexationem vellet non ſolum impedimentum hoc amovere, ſed etiam ut ille ſubornator fiat interceſſor in ſui favorem, & inclinet electores in favorem dantis pecuniam; tunc enim non eſt ſola redemptio vexationis, ſed emptio electionis, quæ apud omnes eſt ſimonia: & ſic fortè intelligendus eſt Sotus, & alii qui illum ſequuntur.

Inferuntur aliqua, quæ ex præcedentibus aſſertis ſequuntur.

14. Ex dictis ſequitur ſimoniam eſſe, dare alteri pecuniam, vel penſionem, ne ſe opponat contra me; quia illa paro aditum ad beneficium: vel dare illi pecuniam, aut penſionem, ut deſiſtat ab oppoſitione, vel ne exceptionem apponat, quam jure apponere poſſet; vel facere hunc pactum, non te opponas contra me ad hoc beneficium, & neque ego contra te me opponam ad aliud; quia hæc obligatio non ſe opponendi ad beneficium eſt pretio æſtimabilis. Sanchez *dubio* 30. *numero decimo tertio*, Villalob. *numero ſeptimo*, Leſſius *dubio decimo octavo*, Palaus *numero ſecundo*, Barboſa *tertia parte, de poteſtate Epiſcopi. allegatione* 6. *num.* 59. ¶ Similiter eſſet ſimonia per ſubornationem reſiſtere ſubornationi; ut ſi coppoſitor muneribus pervertat aliquos electores ad ſui electionem; non licet mihi eodem tenore alios, vel illoſmet electores pervertere, & in mei favorem pertrahere: quia hoc eſſet manifeſtè viam parare directè ad electionem, & ſic non eſſet vexationem avertere, ſed emere electionem. Bonacina *diſputatione prima, quæſtione ſeptima, punct.* 5. *numero decimo quinto*. Suarez *capite* 50. *num.* 26, Palaus *punct.* 20. *numero ſexto*. Quamvis hic ultimus addat [exiſtimarem autem in rigore loquendo licere tibi electoribus jam ſubornatis pecuniam dare non ea intentione, ut tibi ſpecialiter faveant; in hoc enim caſu non paras viam ad beneficium, magis quam eſſet parata ante ſubornationem injurioſam, & in odium tui factam. Video tamen hoc maximo ſubjici periculo incidendi in ſimoniam, & in foro externo ita præſumitur.]

Non eſt ſimonia electoribus dare pecuniam, ut ab indigni electione deſiſtant.

15. Ex dictis infertur reſolutio illius graviſſimæ quæſtionis, an licitum ſit, & extra ſimoniam, cum plures electores concurrunt, vel ad Summum Pontificem eligendum, vel Epiſcopum, Præbendatum, &c. & inclinati ſunt eligere, aut indignum, aut minus dignum, dare illis pecuniam, ut dignum, vel digniorem eligant? Aliqui Authores hanc quæſtionem ſolum expectant in electione Pontificis, alii in reliquis electionibus. Et merito: quia ut videbimus, ratio dicendi eadem currit in omnibus. Igitur variis relictis opinionibus, dicimus primo, licitum eſſe dare electoribus pecuniam, ut deſiſtant ab indigni electione, imò etiam ab electione digni, ſi ſint alii digniores. Ratio eſt: quia Eccleſia habet jus acquiſitum, ut non eligatur ad beneficium aliquis indignus, imò vero neque dignus in præſentia dignioris, & ſic patitur vexationem circa ius ſuum acquiſitum, quando intendunt electores eligere indignum, vel dignum ſtanti digniori: ſed ut diximus in prima regula licitum eſt, redimere pecunia vexationem injuſtam circa jus jam acquiſitum: ergo, &c. Maximè, quia oblatio pecuniæ hoc animo facta ut non eligatur indignus, aut minus dignus, nihil aliud eſt, quam electores avocare à peccato illo graviſſimo, quod parati ſunt committere, quodque muneribus removere, minimè eſt illicitum. Ita Cajetan. *tomo ſecundo, opuſculorum, tract.* 9. *de ſimonia, quæſtione tertia*. Sotus *lib.* 9. *quæſtione* 6. *articulo primo, propè finem*, Suarez *capite quinto, num.* 36. Layman. §. 2. *numero* 23. Navar. *cap.* 23. *num.* 108. Torre *articulo quarto, diſputatione* 9. *in dub. circa ultim. argum.* Bonac. *punct.* 5. *num.* 11. & 12. Leſſius *cap.* 35. *dub* 19. *num.* 112. Palaus *punct.* 20. *numero octavo*, Valentia *ſuprà punct.* 3. *verſu Quarto ſequitur.* ¶ Sed advertendum eſt omnino, nullo modo licere prævenire pecunia, vel muneribus electores eo colore ne eligant indignum, quando non conſtat eos eſſe paratos, vel ſaltem inclinatos ad talem electionem: quia cenſeretur tunc dari pecuniam non ad redimendam vexationem, quæ verè non apparet, ſed propter electionem ipſam, quod eſt ſimoniacum.

Licitum eſt pecuniam dare, ut dignus, vel dignior eligatur, & quando? & quomodo?

16. Dicimus ſecundo, quod etiam eſt licitum dare pecuniam non ſolùm ut non eligatur indignus, vel minus dignus, ſed poſitivè ut eligatur dignus, vel dignior in communi, non determinando aliquam perſonam. Et ratio eſt: quia licitum eſt, dare pecuniam, ne eligatur indignus; at ſuppoſito, quod electio facienda eſt, inde neceſſario ſequitur eligendum eſſe dignum ſaltem in communi, cum inter dignum, & indignum non detur medium; præter quam quod ius habet acquiſitum Eccleſia, ut dignus ad beneficium eligatur; & ſic licet pretio redimere vexationem circa hoc ius, ſi de facto detur, aut prudenter timeatur. ¶ Sed dices: hoc eſſe dare pecuniam pro munere ſpirituali, nimirum pro electione digni, quod etiam in communi eſt ſimonia, ut dare pretium pro Miſſa, aut pro aliquo Sacramento, aut beneficio in communi? ¶ Hoc non

obſtat: quia in noſtro caſu non datur pecunia pro exercitio ſpiritualis functionis, ſed ſolum propter hoc, quod voluntas electorum retrahatur ab objectis indignis, vel minus dignis; & cum hanc excluſionem redimere liceat, etiam licita erit illa ſpecificatio, ut eligatur dignus, dumtaxat quatenus ex illa exeluſione ſequitur: nam in hoc caſu ſecundum rem idem eſt non eligere indignum, & eligere dignum, licet diverſa videantur verba ſonare. Ita Cajetan. *quæſtione tertia, citata.* Torre *concluſione ſecunda,* Suarez, Palaus, Layman. Leſſius *locis citatis.* Qui etiam extendunt hanc doctrinam ad caſum, in quo aliquis electorum vexaret Eccleſiam iniquè, impediendo, vel Summi Pontificis electionem, vel alterius Prælati; vel ſi omnes electores iniquè eam differrent magno cum Eccleſiæ detrimento, propter orationes factas.

Qualiter pecuniã dare ut eligatur dignus in particulari, non ſit ſimonia?

17. Tota ergo difficultas eſt, an licitum ſit dare pecuniam, ut eligatur dignus, aut dignior in particulari? Quod bifariam poteſt accidere: vel quia determinatur perſona, v. g. in concurſu aliorum Petrus eſt ſolus dignior, vel alii indigni, & ipſe ſolus dignus, & ſic offeratur pecunia, ut hic Petrus, qui ſolus dignus, vel dignior eſt eligatur: vel quia in concurſu plurium, vel tres, vel duo, vel ſolus Petrus eſt dignior, & offertur pecunia, ut dignior eligatur in communi; unde ſequitur eligendum eſſe Petrum, qui ſolus dignus, aut dignior in illo concurſu reperitur. ¶ Dicimus ergo ſimoniam eſſe in priori caſu, quamvis Eccleſia extrema neceſſitate laboret: quia jam eſſet directè dare pro electione digni in particulari; & cum hic ante electionem ius ad beneficium acquiſitum non habeat, ſimonia eſſet per pecuniam parare viam ad illud obtinendum, juxta dicta §. *præcedenti.* In ſecundo vero caſu, quando electores decreverant ex certo numero hominum eligere, quorum unus tantum eſt dignus, licitum eſt dare pecuniam, vel ut non eligatur indignus, vel ut dignus eligatur, ſi dignus tantum formaliter accipiatur ſub ratione digni, & intendatur non materialiter ſub ratione Petri, & Pauli: quia tunc pecuniæ largitio terminatur ad dignum quaſi ſpecificative, id eſt, ad id, quod electores tenentur agere ſecundum rectam rationem; & eſt materiale, & per accidens, quod contingat in una tantum perſona objectum illius petitionis verificari. Aliud eſt enim offerre pecuniam pro ſolo Petro, qui ſolus dignus cenſetur: aliud pro eligendo digno, cum tamen ſolus Petrus dignus ſit. In ſecundo enim caſu ſiſtit petitio in qualitate perſonæ eligendæ, & in eo, quod neceſſarium eſt ad evitandam injuſtitiam. In primo autem petitio tendit ad applicationem illius qualitatis ad talem perſonam, & conſequenter per pecuniam petitur ab alio, ut hanc perſonam eligat: quod non ſolum eſt removere malum, & movere ad obſervandas leges juſtitiæ, ſed etiam directè per pecuniam inducere ad electionem, quod ſimoniacum eſt. Ita Turrecremata *in cap. nullus Epiſcopus 1. quæſtione decima,* Baſilius Pontius *libro quinto, de matrimon. capite decimo quarto, §.6. numero quadrageſimo tertio,* Soto *libro quinto, quæſtione ſexta, articulo primo.* Leſſius *dubio decimo nono, numero 115. & 113.* Palaus *punct. 20. numero nono,* Cajetan. *ſuprà quæſtione tertia,* Torre *concluſione quarta,* Layman. *§. 5. num. 23.*

Ordinariè autem non eſt licitum ad talem electionem modo dicto cooperari. Maximè: quia tunc electores, modo dicto eligendo, ſimoniam committunt, quia non habent cauſam legitimam, quæ talem receptionem honeſtet; & ſic collatio, vel electio beneficii erit nulla, utpotè ſimoniacè facta, excepta electione Pontificis, quæ licet injuſtè fiat, ſimoniacè ſit, factum tamen tenet. Quia ita eſt ab Eccleſia determinatum ad occaſiones ſchiſmatum amputandas.

PUNCTUM II.

Utrum unum ſpirituale pro alio permutare ſit ſimonia? ubi ſpecialiter de beneficiorum permutationibus agitur.

Ut in hoc puncto cum majori claritate, & diſtinctione procedamus, illud in diverſis paragraphis dividemus.

§. I.

Quomodo res ſpirituales, exceptis beneficiis, pro aliis ſpiritualibus licitè permutari poſſint?

Rem ſpiritualem pro alia ſpirituali permutare, non eſt ſimonia.

18. Certum eſt in aliis rebus ſpiritualibus, quæ beneficia non ſunt, permutare unam pro alia propria authoritate, & cum pacto non eſſe ſimoniam, nec iure divino, aut humano; etiamſi cum omni proprietate una res ſpiritualis pro alia detur: & ſic licet paciſci, ut tu hodie pro me ſacrifices, & ego mane pro te ſacrificabo; tot pro te Roſaria, tot officia recitabo, & tu pro me totidem perſolves; hanc reliquiam tibi dabo, dummodo tu mihi aliam concedas, &c. Quod hoc non ſit ex jure divino ſimoniacum, patet: quia per talem pactionem non ſit injuria rei ſpirituali, & pro ſibi ſimili, vel æquivalenti permutatur: tota enim irreverentia ſimoniæ in eo conſiſtit, quod res ſpiritualis pro pecunia (quo nomine quidquid pretio æſtimabile eſt, comprehenditur) permutatur. Actor. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditione, quoniam exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri.* Quæ irreverentia ceſſat, dum res ſpiritualis permutatur cum alia ſpirituali: & ideo tales pactiones quotidie fieri inter pios, & doctos videmus, abſque ullo ſimoniæ ſcrupulo. ¶ Quod nec ſit ullo jure prohibitum, conſtat: quia nullibi talis prohibitio in iure invenitur. In generalibus autem prohibitionibus, quæ habentur, *cap. quam pio 1. quæſtione ſecunda, cap. ſuper eo, cap. quam pridem, cap. ultim. de pactis,* ubi omnis pactio, & conventio à ſpiritualibus removetur removenda jubetur, loquuntur de inhoneſtis pactionibus, non tamen de honeſtis, ut dicto *cap. quam pio,* explicat Gloſſa *verbo pactio.* Per inhoneſtas autem pactiones illas intelligit, quæ fiunt inter rem ſpiritualem, & temporalem: per honeſtas vero, quæ inter ſpiritualia verſantur. Alia vero iura, quæ ſpecialius loquuntur damnando quæcumque pacta in ſpiritualibus loquuntur in particulari de beneficiis,

aut

aut iuribus, quæ illâ concernunt, non vero de aliis ſpiritualibus, de quibus commutandis, nunquam fuit in iure prohibitio: quin potius *in cap. ad quæſtiones, de rerum permutatione*, approbatur commutatio unius Eccleſiæ pro alia. Quod vero ibi authoritas Prælati poſtuletur, ideo eſt, vel quia Eccleſia Parochialis non poteſt conventui uniri de novo, ſine Epiſcopi authoritate; vel quia fiebat ſimul permutatio beneficiorum illarum Eccleſiarum, quæ ſine Prælati licentia, ut dicemus, fieri non valet. Quare poſſe in aliis rebus ſpiritualibus, extra beneficialia, propria authoritate fieri permutationem ſine ulla ſimonia, docent D. Thomas *in Matthæum* 10. *& in* 4. *diſtinct.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 8. Durandus *ibi quæſt.* 5. *num.* 9. Soto *lib.* 9. *quæſt.* 5. *art.* 2. Covar. *lib.* 1. *variar. cap.* 5. *num.* 4. Torre 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *diſputatione* 6. *&* 7. Arauxo *diſputatione* 14. *part.* 2. *articulo* 5. *num.* 41. Bonnein. *diſputatione* 1. *quæſt.* 4. §. 12. *num.* 2. Suarez *tom.* 1. *de relig. tractatu* 3. *lib.* 4. *cap.* 31. *numero quinto*, Lezana *tomo ſecundo, verb. ſimonia, numero quarto*. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſolut.* 150. Palaus *diſputatione tertia, punct.* 15. *numero primo*, Leſſius *libro ſecundo, cap.* 35. *dub.* 4. *num.* 31. *& dub.* 5. *num.* 12. Villalob. *tract.* 37. *difficult.* 5. *n.* 1.

Objectio proponitur, & enervatur.

19. Sed objicies cum Richardo *in* 4. *diſtinct.* 25. *articulo tertio, quæſtione prima, ad* 1. Paludanus *ibidem, quæſtione ſecunda, numero decimo quinto*, Adrian. *quodlibet* 9. *circa finem*. Quod Chriſtus Dominus Matth. 10. dixit: *gratis accepiſtis* (nimirum res ſpirituales) *gratis date*. Ubi omnis commutatio, & contractus non gratuitus, ſed onerofus prohibetur: at ſi una res ſpiritualis pro alia commutetur, non gratis datur; eſt enim contra rationem gratiæ commutatio, quæcumque illa ſit, quia eſt contractus onerofus, *do ut des; facio ut facias*: ergo, &c. ¶ Reſpondetur, quod Chriſtus Dominus excludere vult permutationem rei temporalis pro ſpirituali, & omnem contractum onerofum, in quo res pretio æſtimabilis interveniat: & ſic ly *gratis date*, intelligitur non pro pecunia, non pro alia re temporali; & ſic ſubjungit: *Nolite poſſidere aurum, & argentum*, tacitè declarans gratuitam donationem excludere pretium argenti, & auri: & ita expoſuit D. Hieronymus, & Chryſoſtomus *homil.* 3. *in Matthæum*. Et ita ſolum contractus onerofi, in quibus clauditur aliquod pretium temporale, à commutatione rerum ſpiritualium excluduntur.

Explicatur proportio, quæ debet eſſe inter res ſpirituales, ut una pro alio permutetur non ſit ſimonia.

20. Sed notandum eſt in hujuſmodi commutationibus, debitam proportionem eſſe ſervandam; taliter, quod ſi ſint merè ſpirituales, quæ commutantur, in earum commutatione non adeſt ulla ſuſpicio ſimoniæ ex parte materiæ: quia licet una res alia dignior ſit, ſemper ſunt intra eundem ordinem: ut ſi duo ſacerdotes conveniant, ego tibi Euchariſtiam dabo, tu mihi dabis Sacramentum Pœnitentiæ. In aliis vero, quæ ex ſpirituali, & temporali coaleſcunt, poteſt eſſe aliquid periculi, ne compenſetur exceſſus valoris temporalis unius per alterius ſpiritualem: ut ſi quis Roſarium benedictum pretioſæ materiæ tribuat pro Roſario communis materiæ, quia habet majores indulgentias; ſi imaginem materiæ communis miraculoſam, cum alia auri, vel argenti commutet; vel reliquiam alicujus Sancti confeſſoris pretioſiſſimè ornatam cum alia maximi Sancti commutet nullo ornamento compoſita, tunc committitur ſimonia; quia cenſetur ſpirituale pro temporali commutari. Similiter oportet ſervare in hoc proportionem: nam ſacrum pro ſacro, ſi in utroque eſt temporale annexum antecedenter, rectè commutantur, ut calix pro calice, aut caſulla: & tunc ſi in materiæ æſtimatione reperiatur aliqua inæqualitas, poteſt fieri compenſatio pecunia; eo quod materia harum rerum eſt vendibilis pretio temporali? Si vero inæqualitas eſt in ſpirituali, gratis dandus eſt exceſſus, aut alia re ſpirituali, non temporali compenſandus. An vero ſi commutarentur ſpiritualia, quæ habent temporalia annexa conſequenter, ut ſunt beneficia, licet in temporalibus eſſet inæqualitas, non poſſet temporali pretio compenſari, quia neceſſario emeretur ſpirituale, ut *cap. præced.* explicuimus. Unde ſi commutet beneficium pingue cum tenui, non poteſt pecunia illam inæqualitatem compenſare. Et hinc eſt, quod ſpirituale, cui annexum eſt antecedenter temporale, non poſſet commutari pro ſpirituali, cui annexa ſunt temporalia conſequenter, ut calix pro beneficio. Oportet ergo ſervare proportionem, ut ſpiritualia purè talia cum purè ſpiritualibus commutentur, ſi habeant temporale aliquod annexum in utroque ſit ejuſdem Ordinis, nimirum, vel antecedenter in utroque, vel in utroque conſequenter, & non miſceatur compenſatio temporalis pro ſpirituali, vel è contra.

---

§. II.

Qualiter beneficia inter ſe abſque ſimonia valeant permutari?

Beneficia permutare abſque authoritate ſuperioris; eſt ſimonia.

21. Aſſerendum eſt ſecundo, quod in beneficiis Eccleſiaſticis, & in his, quæ ad ea expectant, quæcumque commutatio abſque authoritate ſuperioris facta, quamvis de jure naturali, & divino non ſit ſimonia; eſt tamen ſimonia jure Eccleſiaſtico. Quod non ſit jure divino conſtat: Tum quia authoritate ſuperioris poteſt fieri. Tum etiam ex dictis §. *præced.* ut omnes ibi citati docent. Quod ea ſola prohibitione Eccleſiæ poſſet aliquid eſſe ſimoniacum, quod de jure divino non erat, quando ex motivo religionis, & ad removendum periculum, aut ſpeciem ſimoniæ prohibetur, latè probavimus *c.* 1. Quod dicta commutatio ſit ab Eccleſia ut ſimoniaca prohibita, patet *ex cap. quæſitum, cap. cum olim, de rerum permutatione, cap. majoris, de præbend. cap. ultim. de pactis, cap. præterea* 2. *de tranſactionibus, cap. tua nos, de ſimonia, & ſimilibus*. Quæ prohibitiones factæ ſunt ad evitandam ſimoniæ ſpeciem: quia quamvis titulus beneficiorum ſit quid ſpirituale, proventus ſunt aliquid temporale: unde cum ex fragilitate humana facilis ſit lapſus, ut in commutationibus eorum potior conſideratio habeatur ad temporalia, quam ad ſpiritualia, quod non caret ſpecie mali, merito tales commutationes prohibitæ ſunt ad evitandam ſimoniæ ſpeciem. Unde eſſe ſimoniam jure Eccleſiaſtico commutare propria authoritate beneficia, vel ea, quæ ad beneficia quomodolibet pertinent, & beneficialia dicuntur, tenent Paludan. Major. Richardus, Argentina *in* 4. *diſtinct.* 25. Soto *lib.* 9. *quæſtione quinta, art.* 2. Torre 2. 2. *q.* 100. *art.* 5.

diſp. 7.

diſp.7. concluſ. 1. Villalob. *tract.* 37. *diffi.ult.*3. *num.*2. *& diffi.ult.*2. *num.*2. Arauxo *diſput.*14. *part.*2. *art.*5. *num.* 46. Bonacin. *diſputatione* 1. *quæſtione* 4. §.12. *numero tertio*, Lezana *tom.*1. *part.*1. *cap.* 15. *num.* 32. *& tomo ſecundo*, *verb. ſimonia*, *num.* 14. Sanchez *conſil. libro ſecundo*, *cap.*3.*dub.*24.*num.*6. *& dub.*37. *n.*1. Suarez *lib.*4. *c.*31.*n.*8. Valentia *diſp.*69. *q.*26. *punct.*3. Palaus *diſp.*3. *punct.*15.*n.*3. Layman. *tract.*10.*cap.ultim.* §.5. *num.*50.

Quę dicuntur beneficialia, quorū permutatio facta propria authoritate eſt ſimonia.

22. Sed videamus quæ dicuntur beneficialia, ſeu ad beneficia quomodolibet ſpectantia, quorum permutatio facta abſque ſuperioris facultate ſit jure Eccleſiaſtico ſimoniaca. Ad quod dicimus omnia ſpiritualia intelligi, quæ habent temporalia annexa conſequenter, etiamſi propriè, & in rigore beneficia non ſint, vel quia non ſunt perpetua, vel propter quid ſimile, v. g. ſi commutetur beneficium pro Vicaria etiam amobili ad nutum, aut cum Capellania non collativa: idemque dicimus de omnibus actionibus pertinentibus ad proviſiones beneficiorum, quæ poteſtate, vel jure aliquo ſpirituali procedant, ut ſi duo electores conveniant, me elige, & eligam te, vel eligē hunc, & ego poſtea alium, vel ſi elector cum confirmatore ſimili modo conveniant; vel ſi electio, aut confirmatio pro confirmatione alicujus beneficii, vel promiſſione illius fiat: ſi patronus præſentationem offerat, ſi alius renuntiet ſibi beneficium. Et idem eſt dicendum, quando permutantes inter ſe ſimilia jura ad beneficia; ut ſi unus cedat ſuæ præſentationi, ut alius ſibi conferat aliam præſentationem, vel expectationem quam habet, vel quid ſimile. Et idem eſt de commutatione unius beneficii cum jure quaſi inchoato ad aliud, ut ſi quis det uni beneficium, ut cedat præſentationi, quam habet ad aliud. Hæc & ſimiles commutationes in præcitatis iuribus prohibentur, ſpecialiter in illis, in quibus prohibentur omnia pacta in his, quæ ſunt ſpiritualibus annexa, *cap. quæſitum de rerum permut. cap. tua nos, de ſimonia, cap. cum pridem, cap. ultimo de pactis.* Unde dictæ commutationes non minus prohibentur, quam commutationes beneficiorum: quia ſunt actiones beneficiis annexæ, cum ad ea ordinentur, & ab eis æſtimationem accipiant, & illis permutatis virtute permutari beneficia cenſentur. Sic Panormit. *cap. cum olim de rerum permutatione, cap. ad audientiam* 2. *de reſcript. num.*11. Sylveſter *verbo permutatio* 2. *quæſtione* 7. *&* 13. *concl.*9. Torre *ſuprà diſputatione* 7. Arauxo *n.*47. Bonacin. *num.*4. Layman. *num.*51. Pal. *punct.*15. *numero tertio*, Suar. *cap.*32. *num.*14. Filliucius *tractatu* 45. *capite* 7. *num.*12. *&* 13. Reginald. *lib.*23. *num.*263.

Auctoritate ſuperioris beneficia permutare non eſt ſimonia.

23. Diximus non poſſe fieri propria auctoritate dictas commutationes; poſſe tamen auctoritate ſuperioris, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.*1. *ad* 1. ubi cum dictas commutationes beneficiorum non poſſe fieri privatim docuiſſet, ſubdit: *Poteſt tamen Prælatus permutationes hujuſmodi facere.* Quod habetur in *cap. univerſorum, de rerum permutatione, cap. inter cætera de prabendis, cap. unic. de rerum permutatione, in* 6. *cap. quærenti, cap. ad quæſtiones, cap. cum olim, extra eodem titulo.* Quippe in illorum permutatione duo reperiuntur; beneficiorum permutatio, & perſonarum ab uno in alterum tranſlatio. Prior actio reſpicit res, quarum una cum altera commutatur, & fit per quendam contractum, in quo unuſquiſque contrahentium, quantum in ſe eſt, confert aliquid alteri propria voluntate, & conſenſu, tranſlatio autem non res, ſed perſonas immediate reſpicit; eſt enim tranſlatio mutatio unius perſonæ ab uno beneficio in aliud facta auctoritate ſuperioris, ut conſtat ex *toto titulo de tranſlat. Prælat. & cap. ſcias fruter* 7. *quæſtione prima.* Quare poſſe, & debere fieri talem permutationem auctoritate ſuperioris, omnes tam Theologi quam Iuriſtæ teſtantur.

Auctoritate Epiſcopi, & ejus qui habet iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem licitè fit beneficiorum permutatio.

24. Sed inter illos non modicum diſſidium eſt, cujus ſuperioris auctoritate talis permutatio debeat fieri? Sed nos breviter reſpondemus; illius Prælati auctoritatem requiri, cujus eſt beneficia illa conferre: & ideo in Extravagant. Benedict. II. quæ incipit *Dudum*: diffinitum eſt, non poſſe Epiſcopum id facere in beneficiis ad Pontificem pertinentibus. Regulariter autem ſufficit auctoritas Epiſcopi ad tales commutationes faciendas pro ſua diœceſi, *cap. quæſitum, cap. conquærenti, de rerum permutatione, cap. unic. eodem titulo in* 6. Et nomine Epiſcopi intelligūtur Abbates exercentes eandem juriſdictionem Epiſcopalem: quia ſicut iſti poſſunt dare ſimilia beneficia, ſic ad eorum tranſmutationem auctoritatem conferre, ut notavit Gloſſa *in Clement. unic. de rerum permutatione*, & tenet Sylveſter *commutat.* 2. *q.* 2. Arauxo *ſuprà num.*48. Soto *lib.*1. *quæſt.*5. *art.*2. *& q.*7. *art.*2. Palaus *punct.*15.*num.*2. Atque idem poſſe facere Capitulum in ſede vacanti; quia tunc juriſdictione quaſi Epiſcopali fungitur: docet eadem Gloſſa verſu *Concedatur.* Suarez *cap.*32. *num.*11. Bonacin. §.12. *num.*7. Arauxo *num.*48. Torre *art.*5. *diſputatione* 8. Si autem beneficia in diverſis diœceſibus utriuſque requiritur Epiſcopi conſenſus ad faciendam illorum permutationem, uti docet Sanchez *libro* 2. *cap.*3. *dub.*38. *num.* 10. Sylveſter *permutatio* 2. *q.*13. *diſtinct.* 7. Greg. Lopez *l.*2. *tit* 6. *partit.*5. *verſu Ado fueren.* Requiritur autem conſenſus patronorum, quia iura non excludunt eorum conſenſum, nec eſt præſumendum eorum iuribus voluiſſe derogare, niſi exprimant. Bonacin. §. 12. *num.*7. Tabiena *beneficium*, 3. *q.*4. Sanch. *dub.*38. *num.*3. ¶ Illud certum eſt, quod ſi quis habeat præſcriptam conſuetudinem dandi prædictis commutationibus auctoritatem, id facere poteſt; quia talis conſuetudo ei confert juriſdictionem; & in *dicto cap.* conquærenti nomine Epiſcopi intelligitur omnis, qui undecumque habet juriſdictionem ad faciendas has commutationes. Palaus *punct.*15.*n.*6. Leſſ. *dub.*36.*n.*198.

Motus Pii V. qui videbatur nobis contrarius, explicatur.

25. Nec contra dicta obſtat motus Pii V. editus anno 1567. ſexto idus Auguſti anno 2. ſui Pontificatus, & incipit *Officium*, quem refert Mandoſ. *de reſign. gratia verbo reſignationes*, §. *Conceditur etiam*: ubi commutationes beneficiorum non poſſe, niſi auctoritate Papæ fieri decernit; & aliter factas irritat, & annullat. Non, inquam, obſtat: nam in tali motu proprio non hoc vetuit Summus Pontifex in perpetuum: *Sed donec* (ut ipſe ait) *per nos illarum admittendarum modus præſcriptus fuerit.* Et poſtea anno ſequenti 1568. Kalendis Aprilis edidit alium motum proprium, qui incipit: *Quanta Eccleſiæ.* Ubi revocat in hoc motum priorem, & dicit poſſe Ordinarios admittere renuntiationes cauſa permutationis, quæ Canonicis ſanctionibus permittuntur: unde hoc ad jus commune remittit, ſecundum quod ut vidimus, poſſunt Ordinarii ad tales permutationes

aſſenſum

aſſenſum præbere. Sed circa dictum motum proprium Pii V. plura dicit Sanchez *tom.1. Conſil. lib.2. cap.3. dub.38. à num.18.* Et nos infra nonnulla circa illum attingemus.

Quando auctoritate Epiſcopi fit permutatio beneficii, debet eſſe pacifice poſſeſſi.

26. Illud omniuo notandum duximus, quod ſolum jura permittunt permutationem beneficiorum auctoritate Epiſcopi factam, quando quis beneficium habet pleno jure; cum jure in re firmiter quæſito. Unde permutatio ſimoniaca eſſet, ſi aliquis qui ſolum haberet jus ad rem per electionem, præſentationem, aut alia via, permutaret cum alio, qui ſimile jus haberet, vel haberet jam jus in re, & beneficium pleno jure quæſitum: jura namque tantum permittunt permutari beneficia ſua, id eſt, in quibus habet jus in re, ut conſtat ex *cap. unic. de rerum permutat. in 6.* & docet Sylveſter *verbo commutatio 2. quæſt. 3. dict. 9.* Ludovicus Lopez *1. part. inſtr. cap.299. fol.904.* D. Antonin. *3. part. tit.15. capite 3. §.1. quæſt.10.* Navarr. *cap.3. numero 100. verſu 3.* Villalob. *tract.37. difficult.3. numero 3.* Sanchez *lib. 2. cap.3. dub.37. numero 6.* Palaus *punct.11. numero 8.* Garcia *2. part. de benef. cap.4. numero 15.* ¶ Atque hinc fit duos habentes expectativas à Papa non poſſe adinvicem auctoritate Epiſcopi commutare: tum quia tantum habent jus ad rem: tum etiam quia gratia illa eſt perſonalis non excedens perſonam, cui conceditur. *Cap. ſi cui de præbend. in 6.* ¶ Similiter ſi duo litigent ſuper beneficio, non licet commutare id jus, pro alio beneficio ſolius Epiſcopi auctoritate, niſi uterque habeat jus jam quæſitum in beneficio permutando, Rebuffus *in prax. tit. de obſervant. num.34.* Sanchez *dub.35. num.3.* Sylveſter *permutatio 2. quæſt. 8.* ¶ Similiter is, qui intra certum tempus tenetur dimittere beneficium non poteſt illud permutare, quia id beneficium non eſt omnino ſuum: tum etiam quia ſi permutaret, non cenſeretur illud dimittere, ut ſi Papa diſpenſet cum aliquo ad duo curata beneficia obtinenda, modò intra annum dimittat alterum Rebuffus *ſupr. tit. de diſpenſ. ratione ætatis, n.8.* Sanchez *dub.37. n.12.*

Licitum eſt volentibus permutare beneficia de hoc inter ſe tractare, & paciſci.

27. Sed modo rogabis primo; an quando duo beneficiati volunt commutare beneficia, liceat illis prius inter ſe hoc negotium tractare, & de permutatione facienda hoc, & illo modo paciſci, & convenire in ordine ad ſcientiam, & conſenſum prælati? Reſpondetur affirmative (quidquid alii dicant) ut colligitur *ex dict. cap. unic. de rerum permutat. in 6.* & merito: quia prohibere hunc modum tractandi, aut conveniendi, eſſet abſolute permutationem prohibere; cum non poſſent ad illa alia via pervenire. Imo licitum erit partes convenire, & conſentire, ut ſe obligent ad ſtandum conventioni à ſe factæ ſub conditione, ſi prælatus conſenſerit. Tum quia hoc genus obligationis moraliter cenſetur neceſſarium, ne contingat fruſtra poſtulare ſuperioris conſenſum, ſi illo præſtito poſſent partes retrocedere pro ſuo arbitrio: tum etiam quia id nullibi prohibitum eſt; quia non eſt pactio abſoluta, ſed conditionata: nec eſt abſoluta permutatio, ſed conditionalis, quæ ſuſpenditur, uſque dum ſuperior conſentiat. Et ita in praxi videtur ſervari, ut poſtquam prælatus conſentit, non ſit liberum permutantibus, vel reſignantibus retrocedere, ut tradidit Innocentius *in cap. inter cæteras, de præbend.* Rebuff. *de pacific. poſſeſſion. num. 145.* Sanchez *dub.39. numero 2. & 5.* Gregorius Lopez *leg. 2. tit.6. p.5. verſu No valdra.* Raphaël à Torre *2. 1. q.100. art. 3. diſtinct. 8. fine.* Bonacin. *§.12. numero 5.* Valent. *2. 2. diſtinct.6. quæſt. 16. punct. 3. verſu Quæ ta.* Leſſius *lib.2. cap.35. dub.15 numero 92.* Palaus *diſputatione 3. punct.15. numero 2.* Laym. *tract.10. cap. ult. §. 5. numero 30.* Suarez *lib.4. cap. 52. numero 7.* Villalob. *tract.37. difficult.3. numera 2.* ¶ Imo licèt abſolute paciſcantur non exprimendo, ſed mente retinendo conditionem illam; *ſi ſuperiori placuerit*; non erunt coram Deo ſimoniaci; licèt in foro externo tales præſumerentur. Eſſet tamen ſimonia ſi ſaltem pro parte exequerentur, antequam accedat beneplacitum ſuperioris. Ut docet Navarr. *cap. 23. num.108. fine.*

Etiamſi abſque culpa permutantis, permutatio non teneat, nequit permutans propria auctoritate ad ſuũ beneficium redire.

28. Rogabis ſecundo: an quando permutatio ſine culpa permutantis non tenuit, vel quia alter non habebat jus in beneficio, vel ante permutationem mortuus eſt, poſſit alter propria auctoritate redire ad ſuum beneficium; quod cauſa permutationis reſignaverat: Reſpondetur, quod licet probabile ſit poſſe, uti docet Sylveſter *verbo permutatio 2. quæſtione 13. dict. 5.* D. Antonin. *3. part. tit.15. cap.3. §.1. quæſt.6.* & alii, quos refert Ludovicus Gomez *regula 31. Cancellariæ, quæſt. fin. numero 3.* quia dicunt permutationem non inducere veram beneficii vacationem. Probabilius eſt non poſſe, eo quod renuncians ex cauſa permutationis perdit titulum, & poſſeſſionem, & per talem reſignationem vacavit beneficium. Quare ſi permutatio non habeat effectum, non poſſet propria auctoritate redire ad ſuum beneficium ſine nova collatione ſuperioris: aliàs eſſet intruſus, utpote quia beneficium ſine canonica inſtitutione recepit. Sic citatus Gomez ubi dicit de hoc eſſe multas deciſiones Rotæ. Rebuffus *de pacifica poſſeſſ. numero 145.* Panormitan. *in cap. cum univerſor. de rerum permutat.* Vbi hæc dicit. [Reſignans ex cauſa permutationis faciendæ cum tertio in manibus ſuperioris, qui tertius noluit poſtea reſignare, vel morte præventus eſt reſtituendus ad ſuum beneficium; at non redibit ſine nova proviſione, quia beneficium vere vacavit ex hac reſignatione.]

---

§. III.

An auctoritate Epiſcopi poſſit beneficium Eccleſiaſticum penſione permutari?

Beneficium cum penſione temporali permutare ſimonia eſt ex jure divino.

29. IN hac difficultate ut certum apud omnes ſupponitur ſimoniacam eſſe talem permutationem partium pactione inſtitutam non interveniente legitima ſuperioris licentia; uti de beneficiis ipſis diximus *§. præcedenti.* Et ſuppoſita illa diviſione penſionis in temporalem, & ſpiritualem, de qua *§. præced.* meminimus; aſſerendum eſt, quod ſi penſio ſit mere temporalis, nequit neque auctoritate Pontificis ſine ſimonia contra jus divinum pro beneficio permutari; ſi vero ſit ſpiritualis poterit quidem permutatio fieri auctoritate Papæ, non Epiſcopi, niſi fuerit in titulum beneficii erecta. Hoc dicimus, quia plures penſiones, ut præſtimonia, aliaque beneficia ſimplicia, vel quocumque alio titulo nuncupentur, ſunt in titulum beneficii erectæ; & cum talia ſint vere beneficia, ſicuti auctoritate Epiſcopi poteſt unum beneficium pro alio permutari; ſic poteſt pro ſimilibus petitionibus permutatio fieri; quod

omnes tam juriſtæ, quam Theologi confitentur. Probatur autem prima pars aſſertionis: quia in tali caſu datur beneficium, quod eſt ſpirituale pro re temporali, quod adverſatur juri divino, in quo nequit Pontifex diſpenſare. Imola *in Clementin. unic. §. eadem. de ſupplend. negligent. prælat.* & ibi Zarabellus *quæſt.* 8. Victoria *relectione de ſimonia, num.* 46. Villalob. *tractatu* 37. *diffic.* 4. *num.* 5. Bonacin. §. 15. *num.* 9. Torre *diſp.* 9. *concl.* 3. *fol.* 763. Araujo *diſput.* 14. *part.* 2. *art.* 5. *num.* 49. Suarez *lib.* 4. *cap.* 32. *à numero* 2.

Qualiter poſſit Summus Pontifex beneficium cum penſione temporali permutare?

30. Cæterum licèt Summus Pontifex non poſſit per viam commutationis id facere; poteſt aliis viis. Nimirum ſi tanquam ſupremus diſpenſator utatur tranſlatione perſonarum à beneficio in penſionem, & à penſione in beneficium: nam poteſt Pontifex in ſe ſuſcipere renuntiationem & proviſionem illarum rerum, & poſtea illas diſtribuere, prout ſibi videbitur expedire: quia in hoc nulla emptio, aut venditio inter partes intervenit; imo neque permutatio inter partes; quia revera non conferunt unam rem pro alia, ſed duntaxat ſe conſtituunt in manu Pontificis declarando deſiderium ſuum: unde renunciatio non fit illis verbis, quæ perperam multoties apponuntur, *non aliter, nec alio modo*, ſed ſimpliciter totum negotium in manibus ejus conſtituendo. Unde Pontifex, ut ſupremus diſpenſator conferre poteſt uni beneficium cum onere dandi alteri ſuſtentationem, vel aliquid loco ejus, quod poteſt eſſe vel commenda, vel beneficium, vel penſio quam habebat. Sic præcitati Authores.

Beneficium cum penſione ſpirituali permutare ſolum fieri poteſt auctoritate Pontificis.

31. Secunda vero pars aſſertionis, quod nimirum quando penſio pure ſpiritualis eſt, poteſt non auctoritate Epiſcopi, ſed Pontificis cum beneficio permutari; probatur: quia ad illum prælatum pertinet his commutationibus aſſenſum præbere, cujus eſt id, quod commutatur, concedere. Sed Epiſcopi (niſi in caſu extraordinario neceſſitatis) non poſſunt ſuper beneficiis penſionem aſſignare: ergo nec ad commutationem illorum auctoritatem concedere. Quod à fortiori probat in permutatione penſionis pro penſione, quæ nequit fieri, niſi auctoritate Papæ; quia cum penſionum deſignatio ad Epiſcopum non pertineat, nec illarum permutatio ad illum ſpectat; ſed ad Summum Pontificem, qui poteſt illas conferre, & licentiam ad eas transferendas tribuere. Maxime, quia licet penſio, de qua loquimur, ſit ſpiritualis, non eſt tamen beneficium: at in jure ſolum conceditur Epiſcopis, quod poſſint permutationes beneficiorum facere, tractatus, & conventiones permutare, volentium approbare, quod extendi non poteſt ad permutationem beneficiorum cum penſione. ¶ Nec ſat eſt dicere, quod jura in favorabilibus, quales ſunt beneficiorum permutationes amplæ ſunt interpretanda, taliter quod nomine beneficiorum penſiones comprehendantur, quæ quodammodo beneficia cenſentur. ¶ Nam dicimus, quod dato pertinere ad favorabilia beneficiorum permutationes, quod plures negant, debent jura intra propriam, & veram ſignificationem interpretari; cum tamen penſiones neque in ampla, nec in ſtricta ſignificatione nomine beneficiorum ſint comprehenſæ. Ita Garcia *de beneficiis* 2. *part. cap.* 4. *n.* 18. Layman. §. 5. *n.* 55. Araux. *n.* 49. Bonacin. *diſp.* 1. *quæſt.* 4. § 12. *num.* 8. Torre q. 100. *art.* 5. *diſp.* 9. *concl.* 5. Villalob. *difficult.* 7. *numero* 4. Suarez *capite* 33. *num.* 4. Palaus *diſputatione* 3. *punct.* 16. *numero* 4.

Si beneficium in dignitate, aut juriſdictione excedat aliud, ſimonia eſt exceſſum pecunia compenſare.

32. Sed magna difficultas eſt in hac parte; an quando beneficia ſunt inæqualia, liceat abſque ſimoniæ vitio inæqualitatem compenſare data pecunia, vel aliquo temporali pecunia æſtimabili, vel aliqua annua, ac temporali penſione ex pinguiori beneficio detracta? Et quidem quando exceſſus eſt in re ſpirituali; puta quia unum beneficium habet talem juriſdictionem, talem functionem ſpiritualem, quod non habet aliud, vel ſunt inæqualia in dignitate; quia nimirum alterum eſt decanatus, alterum canonicatus, &c. certiſſimum eſt non licere talem compenſationem, ſed eſſe ſimoniam de jure divino: quia tunc ſaltem ex parte venderetur ſpirituale pro temporali, quod eſt contra jus divinum, & ſic neque Summus Pontifex id poteſt efficere, ut omnes concedunt. Sed non ob id ſimonia erit commutare beneficium dignius, & magis tenue pro pinguiori, & minus digno, ſi adſit recta intentio, non habendo reſpectum ad pretium temporale pro re ſpirituali, ſed ad nudam permutationem ſpiritualis pro ſpirituali, temporalis pro temporali, quidquid ſit de inæqualitate, quæ intercedit. Secus tamen ſi exceſſus dignitatis cum exceſſu fructuum commutetur; quia jam eſſet temporale pro ſpirituali permutare. Tota ergo difficultas in eo conſiſtit; an quando beneficia ſunt inæqualia in fructibus temporalibus, licet data pecunia illam inæqualitatem compenſare, nullo modo intendendo dare pretium pro ſpirituali titulo ſive dignior ſit, ſive non? In quo conveniunt Doctores id privata auctoritate fieri non poſſe ſine vitio ſimoniæ; & ideo quæritur, an ſuperioris auctoritate id fieri liceat.

Quando beneficia inæqualia ſunt in fructibus aliqui aſſerunt poſſe inæqualitatem pecunia compenſare.

33. Affirmat prima ſententia dicens neque ex jure divino, neque ex poſitivo hoc eſſe ſimoniam interveniente auctoritate convenientis prælati, quem putat eſſe Epiſcopum. Et probat primo *ex cap. ad quæſtiones de rerum permutat.* Ubi dicit Pontifex poſſe Eccleſiam pro Eccleſia permutari, & poſſeſſiones unius Eccleſiæ pro poſſeſſionibus alterius addita pecunia pro ſupplenda inæqualitate poſſeſſionum; dummodo contractus non miſceantur. Secundo: quia licet in beneficiis, ſit conjunctum ſpirituale temporali, tamen intentione diſtingui poſſunt, & cum proportione, ſpirituale pro ſpirituali, & temporale pro temporali permutari; licèt uno actu, & contractu utrumque ſimul fiat; & in hoc fundatur tota juſtificatio permutationis in beneficiis: ergo ſimiliter poteſt per intentionem fieri, ut pecunia detur pro illo exceſſu temporali, non pro ſpirituali, in quo nulla ſimonia apparet. Sic Caietan. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. Sylveſter *verbo permutatio* 2. *quæſt.* 3. Angelus *eodem verbo*, *n* 6. Armilla *verbo Beneficium*, *num.* 79. Azor 2. *part. lib.* 7. *cap.* 59. *q.* 5. Leſſius *dub.* 17. *n.* 101.

Omnino ſimoniacũ eſt inæqualitatem fructuũ beneficiorũ, quæ permutantur pecunia compenſare.

34. Sed dicendum eſt eſſe ſimoniacum ex jure divino, & humano tales permutationes facere. Quod ſit ex jure humano conſtat ex generali regula *in cap. cum pridem. cap. ult. de pactis, cap. quam pio* 1. *q.* 5. *cap. cum olim, cap. univerſorum de rerum permut.* in quibus omnes pactiones de temporalibus, pro ſpiritualibus, vel ſpiritualibus annexis prohibentur. Quod vero hoc ſit ex jure divino ſimoniacum probatur: quia exceſſus ille fructuum datur propter pecuniam, per illam emitur, & venditur, quia cum commutatio, quæ ibi intercedit, ſit ſpiritualis pro ſpirituali, & fructus integri beneficii

ficii tenuis, cum æquali parte pinguioris, ſupereſt, ut pecunia detur pro reliquo exceſſu fructuum comparando, ſeu emendo. Sed hoc ipſo emitur & venditur temporale pro ſpirituali; quia ille exceſſus fructuum beneficii pinguioris non emitur, niſi ut eſt quid beneficiale, ſeu ut annexus eſt ſpirituali titulo beneficii, & comparandus per ſpirituales functiones, quia hanc habet eſſentialiter connexionem, nec poteſt à permutationibus ſeparari, uti diximus *cap. praced.* Et ſic neceſſe erit, ut illa parte vendita titulus ſpiritualis vendatur. § Deinde hoc ipſum probatur ex graviſſimis inconvenientibus ex oppoſita ſententia ſequutis: quia ex ea ſequitur licitum eſſe dare alteri beneficium non cauſa permutationis, ſed ſimplicis renuntiationis, dando illi titulum ſpiritualem, & ab eo recompenſationem fructuum recipiendo innumerata pecunia. Sequeretur, quod ſi unum beneficium nullos haberet fructus, & aliud haberet, poſſent commutari dando æquivalentem pecuniam pro omnibus fructibus alterius beneficii, & ſic hac via omnis ſimonia in venditione beneficiorum ceſſaret. Quare noſtram ſententiam tenet Navarr. *cap.* 23. *num.* 100. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 42. *n.* 6. Greg. Lopez *lib* 6 *tit.* 2. *part.* 5. Covarruv. *lib.* 1. *variar. cap.* 5. *num.* 8. & 9. Torre *quaſt.* 100. *art. dub* 10. *fol.* 764. Araux *diſp.* 14. *part.* 2. *art.* 5. *n.* 50. Filliutius *tract.* 43. *cap.* 7. *quaſt.* 31. Bonac. §. 12. *num.* 10. Villal. *tract.* 37. *diff.* 5. *num.* 2. Vazq. *de beneficiis cap.* 2. *num.* 178. Aragon. 2. 2. *quaſt.* 100. *art.* 4. *verſu eſt advertendum*, Suar. *cap.* 34 *num.* 9. Unde ſecundum hanc ſententiam nec auctoritate Pontificis hoc poteſt fieri per modum permutationis propriæ, quia ipſe in jure divino non poteſt diſpenſare.

Qualiter Summus Pontifex poſſit prædictã commutationem facere?

35. Cæterum licet Summus Pontifex non poſſit facere, quod in permutandis beneficiis, quorum unum excedit alterum, in fructibus exceſſus pecunia compenſetur, aut per modum propriæ permutationis, aut diſpenſando in jure divino ad quod eius auctoritas non ſe extendit: tamen ipſe ſolus, & non alius adinvenire poteſt modum de plenitudine ſuæ poteſtatis, quo fieri poteſt abſque labe ſimoniæ etiam in caſu quo beneficium nullos habens redditus, permutaretur cum alio habente illos, recompenſatione illorum facta per pecuniam; quia tamen hoc periculoſum eſt, & malam ſpeciem habet, non conſueverunt Pontifices, niſi in caſu raro id permittere ob incovenientia ſupra poſita; & quia ſi talis modus frequenter executioni mandaretur, actum eſt de beneficiorum venditione palliata. Cajetanus *ſupra ad primam obiectionem*, Torre *concl.* 2. Villal. *diff.* 5. *num.* 4. Araux. *num.* 50. Bonac. §. 12. *num.* 11. Suar. *lib.* 4. *cap.* 32. *num.* 12. Palaus *punct.* 16. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 17. *num.* 104. § Modus autem, quo id à Pontifice fieri poteſt, non ab omnibus eodem modo declaratur; iſte autem eſt aptior, & communior; quia nimirum poteſt ſeparare à beneficio pinguiori partem fructuum, & applicando illam in compenſationem alterius, qui tenue beneficium recipit, & concedendo, ut fructus ſic ſeparati, & temporalizati pecunia compenſentur. Videantur quæ circa hoc *cap. praced.* diximus. Hoc autem auctoritate Epiſcopi fieri non poteſt, qui nec diſpenſare valet in jure poſitivo, nec fructus à titulo ſpirituali ſeparare.

Argumenta contraria ſolvuntur.

36. Ex his patet ad contraria fundamenta, & ad textum pro ſe adductum: dicimus in eo ſermonem non eſſe de permutationibus beneficiorum, ſed Eccleſiarum, quarum bona non ſpiritualizantur, per hoc, quod Eccleſiis applicantur; & ſic ſunt mere temporalia, quæ proinde commutata una Eccleſia cum alia poſſunt vendi, & temporalibus permutari: & ſic non mirum quod exceſſus bonorum unius per compenſationem pecuniæ ab alia factam ſuppleatur: bona autem beneficialia hoc ipſo, quod titulo ſpirituali annectuntur, ſpiritualia ſunt, ſeu ſpiritualibus annexa antecedenter, & ſic ab eis inſeparabilia, quandiu cum titulo beneficii, & ratione illius dantur. Unde ad rationem huius ſententiæ negatur partem illam fructuum, in qua excedit beneficium illud pinguius eſſe temporalem, niſi à Pontifice fiat temporalis per ſeparationis modum explicatum; & ſic abſque ſimonia nequit pecunia compenſari.

Quinque conditiones recenſentur, quæ ad licitam beneficiorum permutationẽ requiruntur.

37. Ex dictis enim hoc puncto ſequitur quinque conditiones eſſe requiſitas, ut permutationes beneficiorum licite, & ſine ſimonia fiant. Prima, ut commutatio fiat auctoritate Superioris prælati, ad quem id jure ſpectat; nimirum auctoritate Epiſcopi in commutandis beneficiis; & Pontificis in commutandis penſionibus. Secunda, quod beneficium commutandum ſit pleno jure quæſitum cum jure ad rem. Tertia, ut nulla pactio inter partes privatim fiat, niſi in ordine ad conſenſum Pontificis, vel prælati, ad quem ſpectat. Quarta, ut ſine auctoritate Pontificis nulla penſio, nullum onus imponatur; aut exactio fiat, aut compenſatio exceſſus fructuum pro aliquo pretio æſtimabili; & ex defectu huius conditionis, ſi partes inter ſe conveniant, ut unus ſolvat omnes expenſas, vel expediat ſuis ſumptibus bullas ad utrumque permutantium pertinentes, aut ſimilia, ſimoniam committunt; niſi hæc Pontifici declarentur & ipſe annuat: ſiquidem petitur à reſignatario onus, quod de jure non ineſt: de jure namque quilibet proprias bullas tenetur ſolvere, & expenſas facere. Garcia 2. *p. de beneficiis cap.* 3. §. 2. *num.* 147. Bonacina §. 12. *num.* 9. Layman § 5. *num.* 53. Palaus *punct.* 26. *num.* 5. Torre *art.* 5. *diſputatione* 10. *fine*, Suarez *cap.* 34. *num.* 19. *fine*, Azor. 2. *part. lib.* 7. *cap.* 27. *quaſt.* 7. Navarr. *lib.* 5. *tit. de ſimonia, conſil.* 50. & 51. § Quinta denique, quod fiat ex juſta cauſa utili, vel neceſſaria Eccleſiæ. *Cap. quaſitum de rerum permutat.* Sed eſſe ſufficientem perſonarum convenientiam, ut ſi aër unius loci eſt ſalubrior illi; vel habet inimicitias in illo loco, &c. Docet Panormitanus *ead. cap. num.* 6. Immo ſat eſſe quamcumque cauſam, quæ non ſit pecunia, nec pecunia commenſurabilis, docet Sylveſter *permutatio* 2. *quaſt.* 12. Sanch. *dub.* 38. *num.* 14.

PUNCTUM III.

An tranſactio, ſeu pactio onerosa ad componendam litem in beneficiis habeat rationem ſimoniæ?

Tranſactio quædam permutatio eſt aliquomodo.

38. EODEM modo loquitur D. Thom. de permutatione, ac de tranſactione; quia tranſactio quædam ſpecies tranſmutationis eſt, & ad eam reducitur; ait enim S. Doctor 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 5. Unde nec permutatio præbendarum, nec Eccleſiaſticorum beneficiorum fieri poteſt auctoritate partium abſque periculo ſimoniæ, ſicut nec tranſactio, ut jura determinant. Poteſt tamen Prælatus ex officio ſuo permutationes huiuſmodi facere pro cauſa utili, vel neceſſaria; quare ex dictis circa permutationes rerum ſpiritualium

non eſt certum habere, quia tunc licet ad evitandam ſimoniam non ſit neceſſaria licentia prælati; bene tamen ut det juriſdictionem ei, qui non habet; ut ſi duo parochi contendant, ad quem pertineat jura certi oppidi, non poſſunt transfigere ſine auctoritate Epiſcopi, ut unus retineat alteri alio pro ceſſione dato, vel quod parochiani dividantur. Bonac. §. 15. *num.* 5. Torre *diſp.* 12. *concl.* 2.

Tranſactio in beneficiis propria auctoritate facta eſt ſimonia.

43. In materia autem beneficiorum, tranſactio propria auctoritate facta, ſimoniaca eſt ex jure poſitivo, etiamſi in ea ſpirituale pro ſpirituali tranſigatur, poteſt tamen fieri licite ex auctoritate prælati; nimirum Epiſcopi. Quæ omnia ex dictis pro commutationibus conſtant: nam jus Canonicum intuitu religionis ob periculum ſimoniæ hujuſmodi tranſactiones privata auctoritate fieri vetuit: *cap. conſtitutus de religioſ. domib. cap. ſuper eo de tranſactionib.* Et quod hoc auctoritate Epiſcopi fieri poſſit conſtat ex *cap. ſtatuimus de tranſactionib.* Et quia nullum jus reperitur prohibens tranſactiones has auctoritate Epiſcopi factas. Et merito quia talis tranſactio ut in plurimum æquivalet permutationi, quæ fieri poteſt auctoritate Epiſcopi ex juſta cauſa, ſed cauſa tranſactionis, nimirum bonum pacis, quod ſummopere promovetur per ceſſationem à litibus, ſatis honeſta eſt, & reipublicæ neceſſaria. Araux. *diſp.* 14. *p.* 2. *art.* 5. *num.* 51. Laym. *tract.* 10. *cap.* 8. §. 5. *n.* 58. Suar. *lib.* 4. *cap.* 51. *num.* 16. Fillutius *tract.* 45. *cap.* 11. *quæſt.* 12. *num.* 27. Palaus *punct.* 19. *num.* 3. Torre *quæſt.* 100. *art.* 5. *diſput.* 12. *concl.* 3. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 4. §. 15. *num.* 8. Quod ex ſequentibus quæſtionibus amplius conſtabit.

Poteſt tranſactio fieri ab Epiſcopo per impoſitionem onerum temporalium.

44. Inquires ergo primo: an poſſit Epiſcopus litem componere taliter inter partes tranſigendo, quod altera, quæ cedit beneficio aut rei ſuper quam litigatur, onus aliquod, vel penſionem temporalem ab alio recipiat? Et videtur id non poſſe, quia jam eſſet commutatio rei temporalis pro ſpirituali, quod de jure divino eſt ſimoniacum; & ſic nec auctoritate prælati fieri poterit: nihilominus id fieri poſſe, & honeſtari pluribus titulis; quando fit prælati, vel alterius arbitri auctoritate, quin ob id temporale pro ſpirituali commutetur, ſed temporale pro temporali, docent Suar. *cap.* 51. *num.* 22. Laym. *num.* 59. Bonac. §. 14. *n.* 11. Torre *ſupra verſa ſi roges pag.* 773. Palaus *num.* 3. Garcia *de beneficiis* 1. *p. cap.* 5. *à num.* 195. ¶ Quibus autem modis id fieri, & honeſtari poſſit? Dicimus primo id fieri poſſe ex arbitrio, & providentia Superioris propter bonum pacis: bonum autem pacis includit etiam temporale commodum, & utilitatem, quam conſtat eſſe pretio æſtimabilem: ſicut enim lites magno ſunt diſpendio; ita pax ingentis eſt utilitatis; hac de cauſa hujuſmodi tranſactio permittitur, & toleratur *in cap. niſi eſſent de præbend.* quia habita fuerat ratio boni pacis, & utilitatis, & ideo ibi dicitur: *pro bono pacis, & utilitatis hoc ordinaſſe fatentur.* Secundo æquitatis ratione, innixæ neceſſitati alimentorum, quam patitur is, qui juri ſuo ad beneficium cedit; par enim videtur, ut is, qui jus ſaltem dubium aliquod beneficium habet, recipiat alimenta, quibus eget. Tertio ratione laboris, & expenſarum, quas fecit in proſecutione litis, & quas facere neceſſarium erat, ſi ipſe in lite proſequeretur. Quæ omnia ſunt pretio æſtimabilia, & ob hæc poteſt Epiſcopus tranſactionem facere: uni applicando beneficium, alteri aliquod onus, ſeu penſionem temporalem.

Quid ſit penſionem imponere beneficio, vel illi imponere beneficiario?

45. Inquires ſecundo; an poſſit Epiſcopus pro bono pacis promovendo litigantes ſupra aliquod beneficium ſic componere, ut unus habeat beneficium, de quo lis eſt, & alter ex ipſo ſolvat penſionem impoſitam ipſi beneficio alteri parti pro vita illius applicanda? Licet enim ſupra dixerimus ſolum Pontificem poſſe ſuper beneficiis penſiones perpetuas imponere, ne ut aiunt jura beneficia cum diminutione conferantur; id intelligitur, quando vel ex jure, vel ex conſuetudine oppoſitum non habetur: in tranſactionibus autem ad bonum pacis, & jura, & uſus ex communi Doctorum ſententia id introduxerunt; ſed de modo, quo id fieri poteſt, dubitatur. Pro quo ſciendum eſt aliud eſſe imponere penſionem ipſi *beneficiario*; aliud ſuper ipſum *beneficium*; onus impoſitum ipſi beneficiario afficit illum, quamdiu beneficium retinet, ſed illius perſonam non excedit: conſequenterque onus præfatæ penſionis mortuo beneficiario, vel amoto à beneficio extinguitur; & non tranſit ad ſucceſſorem, quia eſt onus perſonale impoſitum perſonæ, quandiu beneficium retinet. Onus vero penſionis impoſitum *beneficio* afficit ipſum beneficium; conſequenterque tranſit ad ſucceſſorem in beneficio, quandiu penſionarius habet jus exigendi penſionem; eſt enim onus reale, quod rem ipſam comitatur: & ſic de uno in alium, qui tale beneficium recepit, tranſit. Unde quandiu vivit penſionarius, ad quemcumque beneficium pervenIat, cum illo onere tranſit.

Poſſe Epiſcopū tranſigere penſionem beneficio imponēdo aliqui dicunt; ſed verius eſt oppoſitum.

46. Plures ergo Doctores ſatis probabiliter dicunt poſſe imponi ab Epiſcopo penſionem ipſi beneficio, quæ duret, nedum pro vita beneficiarii, ſed penſionarii modo dicto. Et probant ex *cap. de cætero de tranſaction.* per argumentum à contrario: ibi enim dicitur penſionem impoſitam per tranſactionem ſine Epiſcopi auctoritate non excedere vitam eius, qui penſionem ſolvit: ergo intercedente Epiſcopi auctoritate poteſt excedere vitam beneficiarii. Ita Araux. *ſupra art.* 5. *num.* 51. Palaus *diſp.* 3. *punct.* 19. *num.* 5. Torre *diſput.* 12. *concl.* 3. Mendoſus *in regul.* 33. *quæſt.* 14. *num.* 11. Suar. *cap.* 51. *num.* 18. ¶ Cæterum argumentum à contrario ſenſu non valere ſaltem in his, quæ aliis juribus adverſantur, vel curiæ ſtylo contraria ſunt; conſtat ex *cap. cum virum de regul. Cap. à nobis* 2. *de ſententia excommunicationis*: talis eſt caſus de quo loquimur; ut habetur expreſſe *in cap. niſi eſſent de præbend. cap. de cætero de tranſactionib.* Ubi habetur cenſum impoſitum à Superiore ad componendam litem non debere excedere vitam eius, qui eum ſolvit: & ratio aſſignatur, ne videlicet aliqua ſectio, ſeu diviſio circa proventus beneficii facta videatur: & ita habetur ex ſtylo curiæ non admittentis talem penſionem ſupra beneficium, ut teſtantur Auctores citandi; & ita deciſum fuiſſe videtur in Rota Romana in una Calagurritan. beneficii de Ondaleg. 28. Martii 1583. coram Lancell. & in alia Calagurritan. beneficii de Arſcol 18. Junii 1583. coram Dipſio ut teſtatur, & ita docet Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 4. §. 15. *num.* 9. Garcia *de beneficiis* 1. *p. cap.* 4. *num.* 334. Azor. 2. *p. lib.* 8. *cap.* 6. *q.* 18 Reginal. *lib.* 23. *n.* 259.

Etiamſi partes inter ſe conveniant, poteſt tranſactio dicta auctoritate Epiſcopi fieri.

47. Inquires tertio: an talis tranſactio cum impoſitione penſionis ab Epiſcopo poſſit fieri, ſi partes inter ſe ante illius compoſitionem convenerint, quod onus beneficium retineat, & alteri ex eius fructibus penſionem ſolvat, remittendo ſuam concordiam ad conſenſum & approbationem Prælati? Aliqui id abſolute negant; nimirum poſſe Epiſcopum talem concordiam approbare, nec modo dicto illos componere, ſi antea ipſi convenerint, niſi litigantes ante illam concordiam ſe remittant providentiæ prælati, ut eos componat, nulla inter eos præcedente conventione; ſed hoc ex judicio, &

providentia prælati ob bonum pacis debere provenire, cui ipſi libere, & abſque ulla pactione ſe commiſerunt. Ita Reginald. *lib.* 12. *cap.* 18. *quæſt* 2. *num.* 158. Laym. *tract.* 10. *cap. ult.* §. 5. *n.* 58. ¶ Alii vero aſſerunt penſionem ſpiritualem imponi poſſe auctoritate prælati, dum partes inter ſe conventionem fecerunt de tali penſione per ordinem ad cenſenſum ipſius prælati; ſi videlicet prælatus approbaverit conventionem, & confirmaverit tranſactionem. Secus vero cum de penſione mere temporali agitur, quam putant imponi non poſſe ad inſtantiam, & requiſitionem partium. Ita Palaus *punct.* 19. *num.* 6. Suar. *lib.* 4. *cap.* 51. *n.* 21. & 26. ¶ Sed dicendum eſt poſſe penſionem tam ſpiritualem, quam temporalem ab Epiſcopo imponi ex prævia petitione, & requiſitione partium, modo partes antea non abſolute inter ſe convenerint de huiuſmodi penſione; ſed dependenter ab Epiſcopi conſenſu, ut in ſimili diximus *punct. præced. n.* 27. Et ratio eſt: quia licitum eſt à prælato petere, quod ab eo fieri poteſt: ſed Epiſcopus poteſt pro bono pacis huiuſmodi penſionem beneficiario imponere: ergo id etiam ab eo peti poteſt; & ne fruſtra petitio fiat, poterunt inter ſe partes de eo tractare, & convenire cum dependentia autem dicta à conſenſu prælati. Ita Bonacina *ſupra* §. 10. *num.* 10. *verſ. tertia ſententia.* Raphaël à Torre *diſp.* 12. *concl.* 3. *verſ. ſed haſitabit.*

Poſſunt litigantes judicem arbitrii eligere ad tranſactionem faciendam.

48. Inquires denique: an ſicut auctoritate Epiſcopi poteſt fieri tranſactio, & compoſitio inter partes modo dicto, poſſint litigantes judicem arbitrum de communi conſenſu eligere, etiam ſi ille arbiter non ſit prælatus, nec judex cauſæ, ſed alius tertius; & illius judicio ſtare? Reſpondetur ob bonum pacis, & litium terminationem, quod magni ſemper ab Eccleſia æſtimatur, id fieri poſſe; dummodo arbiter, vel arbitri ſint clerici, quia cum agatur de cauſa Eccleſiaſtica æquum eſt ab Eccleſiaſticis componi. Et iſte eſſe poteſt & ipſe judex cauſæ, qui à partibus eligitur non ut judex, ſed ut arbiter, ut ſecundum ſuum prudens judicium beneficium abſolute remittat ei, quem probabilius jus habere judicaverit, libere, & abſque ullo onere impoſito; vel imponendo onus temporale; puta penſionem aliquam temporalem (non vero ſpiritualem, aut perpetuam; quia hoc pertinet ad prælatos) vel aliquam ſummam ſolvendam ei, qui cedit ob bonum pacis, ob expenſas factas, vel ad illius ſuſtentationem. Conſtat dicta fieri poſſe uti *ex cap. niſi eſſent de præbend. cap. de cætero de tranſactionib. cap. non ſine multa de arbitris*, & aliis juribus. Ita colliguot Doctores, quæ cum ſint dumtaxat de jure poſitivo non aliter quam illis probandum erit. Et tenet Abbas *dicto cap. non ſine multa num.* 10. Laym. §. 5. *num.* 58. Palaus *diſp.* 3. *punct.* 19. *num.* 7. Torre *art.* 5. *diſp.* 52. *fine*, Bonac. §. 15. *n.* 12. *fine.* Suar. *lib.* 4. *cap.* 51. *num.* 45. Filliucius *tract.* 5. *cap.* 11. *quæſt.* 15. *num.* 32.

PUNCTUM IV.

Qualiter renuntiationes beneficiorum abſque ſimonia fieri poſſint?

Omnis renuntiatio in manibus prælati fieri debet, aliter non valet.

49. HACTENUS egimus de renuntiatione cauſa commutationis in beneficiis, quæ pleno, & firmo jure habentur, & de reſignatione ſeu permutatione illorum per tranſactionem, quando ſub lite, & dubio poſſidentur; nunc loquimur de renuntiatione ſimplici. Et prius videamus quid, & quotuplex ſit renuntiatio beneficiorum, de qua dumtaxat eſt ſermo in præſenti. Dicimus ergo renuntiationem eſſe *abdicationem* voluntariam, qua quis dimittit beneficium ſuum in manibus prælati. Hoc ultimum ponitur, quia renuntiatio, ſeu ceſſio voluntaria beneficii, niſi fiat in manibus illius prælati, qui illud conferre poteſt, quique illam acceptet, non eſt valida, ut habetur *in cap. admonet. cap. in dubiis de renuntiatione, cap. niſi cum pridem. cap. final. eodem titulo.* Unde beneficium nondum vacat etiam quoad renuntiationem; ſed verum illius titulum, & ius poſſidet uſque, dum à Superiore renuntiatio admittatur, ut probat Covarruv. 1. *variar. cap.* 5. *n.* 6. Gracia *de beneficiis p.* 12. *cap.* 3. § 3. *n.* 123. quod procedit de beneficiis jam pacifice acquiſitis. Nam ſi beneficium ſit litigioſum, non requiritur auctoritas Superioris, ut valide renuntietur, ſed quilibet iuri ſuo, quod ſub lite habet libere renuntiare poteſt, ut habetur *cap.* 2. *de in integrum reſtitut.* & docet Abbas *cap. cum in dubiis de renuntiation. n.* 4. Zechius *de beneficiis & penſionib. cap.* 53. *n.* 1. *limitat.* 6. Similiter poterit quis propria auctoritate renuntiare beneficio, ad quod ſolum habet ius ad rem; & ſic poteſt electioni, præſentationi, nominationi de ſe factæ renuntiare *cap. ad audientiam* 2. *de reſcriptis, cap. ſané de renuntiation.*

Modi quatuor, quibus renunciatio fieri poteſt, recenſentur.

50. Quatuor autem modis renuntiatio, de qua nunc loquimur, fieri poteſt in manibus prælati. Primo *pure & abſolute*, id eſt, ſine onere penſionis, & ſine deſignatione perſonæ, cui beneficium conferatur. Et hoc modo nulli dubium eſt poſſe fieri in manus Epiſcopi abſque ulla ſimonia (niſi beneficium renuntiandum fuerit Epiſcopatus, quod ſolum fieri poteſt in manibus Papæ *cap. niſi de renuntiatione*, etiamſi nondum ſit conſecratus, ſed tantum electus, & confirmatus, *cap. inter de tranſlation. prælat.*) quia neque de ſe eſt malum, nec ullo iure prohibitum, & ſic praxi laudabili habetur. Unde de tali renuntiatione non amplius loquemur: nam licet Pius V. *conſtitutione ſua* 4. de qua dicemus poſtea omnes tales renuntiationes ad ſe avocaverit, poſtea abſtulit ſuſpenſionem cum certis limitationibus, de quibus dicemus. Secundo poteſt fieri renuntiatio *pure ſed non abſolute*; quia licet fiat abſque onere penſionis, ſit tamen ſub conditione rigoroſa ceſſionem ſuſpendente, ut detur tali, aut tali perſonæ, quod ſimilibus verbis ſolet fieri: *Renuntio in favorem Petri & non alio modo, neque aliter*: & de hac eſt præcipua in præſenti diſputatio. Tertio modo *nec abſolute, nec pure*, ſed ſub conditione, ut detur tali perſonæ, & cum tali penſione ſibi, vel alteri reſervata. Quarto ſi fiat *abſolute, ſed non pure*; id eſt non cum deſignatione perſonæ; bene tamen cum adiectione oneris, vel penſionis.

Renunciatio in favorem tertii facta ſolum auctoritate Pontificis poteſt fieri.

51. Quibus ſic ſuppoſitis, aſſerendum eſt renuntiationes ſecundo modo factas, id eſt abſque onere penſionis, ſed cum deſignatione perſonæ, modo *num. præced.* explicato, non eſſe ſimoniacas ex iure divino; ideoque ex ſe non eſſe malas; de more tamen Eccleſiaſtico prohibitum eſſe fieri in manibus Epiſcoporum, aut aliorum inferiorum Pontifice. In manibus autem Pontificis valide, & licite fieri poſſe. Tres partes habet aſſertio. Et quidem ſuppoſitis duobus prioribus, certa apud omnes eſt tertia: quia Pontifex in omni iure humano diſpenſare poteſt. Sed eſt advertendum, quod quamvis poſſit Pontifex reſignationem dictam refutare, & illam non admittere; tamen ſi illam acceptet, non poteſt iuſte dare beneficium, niſi illi in cuius favorem facta eſt reſignatio: tum

quia

quia reſignatio non eſt facta abſolute, niſi ſub illa conditione; & ſic ſuſpenditur, & beneficium non vacat, donec couditio impleatur; nimirum quod prius deſignato beneficium detur; & conſequenter, ſi illi non daret, & reſignationem admitteret, privaret renuntiantem, injuſte ſuo beneficio, ſine juſta cauſa, quæ ex tali actu reſultaret; cum ſic renuntians in manibus Pontificis, non pecect; ſiquidem Pontifex poteſt, & ſolet eam renunciationem acceptare. Ergo non poteſt juſte Papa privare invitum, & innocentem beneficio ſuo: cum debeat agere, ut fidelis diſpenſator; non ut dominus, & ſic omnino tenetur illi beneficium conferre in cujus favorem renuntiatur. Rebuffus *tit. de reſignat. condit. n.* 16. Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 36. *num.* 4. Azor *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 21. *quæſt.* 2. Suar. *lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 13. Torre 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 5. *diſput.* 11. *fol.* 769. Villalob. *tract.* 37. *difficult.* 32. *numero* 2.

Aſſertio præcedens quoad duas partes probatur.

52. Prima vero pars aſſertionis, quod nimirum tales reſignationes conditionatæ factæ in favorem tertii non ſint de jure divino prohibitæ, ſi aliis honeſtis circunſtantiis veſtiantur, nimirum quod fiant in favorem dignæ perſonæ propter honeſtum finem, &c. probatur: quia in tali renunciatione non datur ſpirituale pro temporali; imo pro nulla re datur; ſed gratis offertur non cuilibet, ſed certæ perſonæ, in cujus favorem reſignatur, quod non eſt contra illud Chriſti Domini; *gratis accepiſtis, gratis date.* Nec enim dixit gratis date omnibus, nec prohibuit dari huic, potius quam illi; ſed ſolum juſſit, ut cui daretur, gratis daretur. ¶ Secunda vero pars, nimirum eſſe de jure poſitivo, & humano prohibitas tales renunciationes præterquam in manibus Pontificis, probatur: tum pluribus juribus adductis communiter à Canoniſtis, quæ prætermittimus; quia ſi præſſius urgeantur; non ita dare loquuntur. Tum & maxime ex conſuetudine, & ſtylo curiæ damnantis has renunciationes, ut vetitas jure poſitivo. Tum denique quia ſecundum commune jus non poteſt beneficium aliquod alicui conferri de novo, niſi prius vacet: ſed in noſtro caſu non vacat beneficium, donec alteri deſignato conferatur; quia non prius impletur conditio: ergo fieri non poteſt niſi Papæ auctoritate; & eſt commune tam Theologis, quam Juriſtis. Covarruv. *lib.* 1. *variar. cap.* 5. *à numero* 3. Soto *q.* 7. *art.* 2. *init.* Sylveſter *permutatio.* 6. & *verbo ſimonia. quæſt.* 13. *diſt.* 6. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 14. *num.* 87. Azor *ſupra.* Felinus *cap. ad audientiam* 2. *de reſcriptis, num.* 3. Ludovicus Lopez 1. *part. inſtruction. cap.* 303. *fol.* 938. Rodriguez *tom.* 2. *cap.* 56. *num.* 8. & *cap.* 60. *n.* 1. Raphaël à Torre 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *diſp.* 11. Angelus *verbo ſimonia* 3. *num.* 39. Palaus *diſp.* 3. *punct.* 27. *numero* 3. Villalob. *tract.* 9. *diff.* 21. *num.* 12. & *tract.* 37. *diff.* 32. *num.* 1.

Qualiter reſignatio facta in manu Epiſcopi in favorem tertii, ſit Simonia?

53. An vero dicta reſignatio conditionata in manibus ordinarii facta contineat ſimoniam? Aliqui affirmative reſpondent: quia omnis pactio in ſpiritualibus prohibita jure poſitivo eſt prohibita ex motivo religionis ob ſimoniam vitandam: ſed ut diximus, talis reſignatio cum determinatione perſonæ in manibus Epiſcopi eſt prohibita jure poſitivo: ergo ſimoniaca. Sic Sylveſter *beneficium* 3. *q.* 5. Flaminius *de reſignatione, lib.* 5. *q.* 6. & *lib.* 14. *quæſt.* 6. *num.* 12. Rodriguez *tom.* 2. *cap.* 56. *num.* 8. Covarruv. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. & 6. Palaus *punct.* 17. *numero* 4. quamvis *in* 5. dicat oppoſitam probabilitate non carere. Alii vero non eſſe ibi ſimoniam aſſerunt; quia non intervenit ibi pactum, & ſic non arctatur ordinarius ad acceptandam dictam renunciationem, neque aliquid datur prætio æſtimabile, pro quo renunciatio fiat. Sic Vaſquez *de benefic. cap.* 2. §. 4. *dub.* 7. Valent. 2. 2. *diſput.* 6. *quæſtione* 16. *punct.* 3. *verſu ſecunda circumſtantia.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 86. ¶ Sed nos utramque iſtam ſententiam ſic poſſe conciliari dicimus. Quod ſi præcedat pactum cum Epiſcopo v. g. quod ipſe acceptabit reſignationem, & conferet beneficium perſonæ à reſignante deſignatæ, vera eſt prima ſententia propter regulam generalem jurium ſæpe repetitam prohibentium ob motivum religionis pacta illicita in hac materia beneficiorum. At vero ſi tale pactum non præcedat; ſed reſignans intendet talis renunciationis modum, eſt vera ſecunda ſententia; quia cum Epiſcopus poſſit illam renunciationem abjicere, vel acceptare, nullus ibi reperitur contractus oneroſus, ſine quo ſimonia non coaleſcit; nec ex parte renunciantis imponitur onus Epiſcopo, ſed dumtaxat limitat ſuum conſenſum, quam limitationem liberum eſt Epiſcopo recipere. Sic Sanchez *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 35. *num.* 1. & *dub.* 36. *num.* 16. Bonacin. *diſputat.* 1. *quæſt.* 4. §. 14. *num.* 6. Suto *lib.* 9. *quæſt.* 7. *artic.* 2. Torre *diſp.* 11. *fol.* 768. *verſ. Sed rogabit quiſpiam.* Villalob. *tract.* 37. *diff.* 32. *n.* 3.

Quod peccatum ſit reſignatio facta in favorem tertii?

54. Erit tamen illud peccatum ex parte reſignantis genus quoddam injuſtitiæ in materia religionis; quatenus ac ſi eſſet verus dominus beneficiorum, vult uſurpare poteſtatem ſibi per jura prohibitam; & etiam quoddam ſacrilegium; quatenus irreverenter tractat res ſacras, volens eas diſtribuere contra jura. Et ob id poterit Epiſcopus ob talem reſignationem intentam, & ob crimen in eo commiſſum, eum tali beneficio privare, & alteri conferre, ut tradit Innocentius *in cap. quod in dubiis, num.* 1. *per eum textum.* Petrus Gregor. *cap.* 31. *de beneficiis, numero* 11. Garcia *part.* 11. *cap.* 3. § 2. *num.* 230. Sed hoc intelligendum eſt, ſi cognoſcatur, & probetur illum ex malitia, & non ignoranter feciſſe, ut docet Flaminius *lib.* 1. *de reſignat. q.* 3. *num.* 65. Suarez *lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 14. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 14. *n.* 86.

Reſignatio in favorem tertii facta ſine conditione rigoroſa in manibus Epiſcopi licita eſt.

55. Sed modo rogabis primo: an ſi reſignatio in favorem tertii fiat in manu Epiſcopi, non ſub conditione rigoroſa ſuſpendente renunciationem, & non aliter conſecutura effectum, niſi illa impleta conditione; ſed ſub conditione non proprie tali ſuſpendente renuntiationem; ſed ſolum declarante prælato modum concupitum à reſignante, & ſervandum in proviſione beneficii, poſt abſolute factam renuntiationem, ab illo ſupplicando, quod alicui certæ perſonæ detur beneficicum, quod abſolute in manibus ejus ponitur; & cum ea intentione etiam verbis manifeſtata reſignando: hoc licite fiat, & ab Epiſcopo acceptari poſſit; ita ut poſtea libere poſſit illi perſonæ deſignatæ conferre beneficium, ſi alias ſit digna? Reſpondetur hoc licite fieri poſſe (quidquid alii ſentiant) dummodo pactum non faciat, nec rigoroſa conditio interveniat, etiam ſi reſignans animum habeat, ut tali perſonæ detur beneficium, & in ipſa renuntiatione miſceat aliqua verba, quæ hunc animum oſtendant, dummodo non ſint talia, quæ conditionem rigoroſam declarent; ut ſunt illa uſitata, *non aliter, nec alio modo.* Et ratio

eſt;

eſt : quia talis modus renuntiandi nullum includit pactum, ſed habetur, ac ſi eſſet ſimplex renuntiatio, de qua nulla exſtat prohibitio, quæ ſolum datur, quando intervenit pactio, aut conditio ſuſpendens renuntiationem, quæ in præſenti non datur; ſed tantum vult inducere Epiſcopum, ut tali perſonæ bene meritæ conferat: nulla autem apparet deformitas in eo, quod renuntians pure, & abſolute, prælatum roget, ut det beneficium tali perſonæ à ſe deſignatæ. Navarr. *cap. ſi quando de reſcriptis exception.4.* Petrus Greg. *de beneficiis cap.58. n.7.* Nicolaus Garcia *11.part.cap.3. n.161.* Raphael à Torre 2.2. *q.100. art.5. diſp.11.* Azor. *lib.7. cap.21. quæſt.3.* & *cap.27. quæſt.6.* Palaus *diſp.3. punct.17. num.10.* Gutierrez *Canonic. quæſt. lib.2. q.53. n.75.* Sanch. *Conſilior. tom.1. lib.2. cap.3. dub.16. n.13.* Cæterum Epiſcopus non tenebitur dare illi, quem renuntians deſignavit; ſed poterit dare alteri, & in rigore collatio valebit; quia renuntians abſolutam fecit renuntiationem; & non potuit obligare Epiſcopum ad dandum tali, nec datur jus, ex quo obligetur.

Motus Pii V. qui poterat doctrinæ traditæ obſtaſe, explicatur.

56. Sed objicies, quod Pius V. in motu proprio 58. incipiente. *Quanta Eccleſia Dei,* quem referunt, admittunt, & late explicant Flaminius *de reſig. lib.5. q.6.* Palaus, Sanchez. Torre, Garcia *locis citatis* duo dicit. Primum, Caveant autem Epiſcopi & alii prædicti; itemque omnes electores, præſentatores, & patroni tam Eccleſiaſtici, quam laici quicumque ſint, ne verbo quidem, aut nutu futuri in hujuſmodi beneficiis, & officiis ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut alius eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur: aut de his aſſumendis promiſſio inter eos, aut intentio qualiſcumque intercedat. Secundum. Poſtquam dixit reſignationem libere factam abſque deſignatione perſonæ admitti poſſe ab ordinario, & ex ejus conſenſu eſſe validam, & firmam; addit: Poteritque beneficium ſic vacans providere, cui voluerit, modo tamen non conferat ſuis, aut reſignantis conſanguineis affinibus, aut familiaribus : : : : : : Et quidquid in contra, vel præter attentatum fuerit id totum ex tunc vires & effectus decernimus non habere, &c. ¶ Reſpondetur in primis cum Sanch. *dub.33. n.19.* & Garcia *cap.3. n.170.* hanc conſtitutionem Pii V. non eſſe receptam in Hiſpania, nec in ea ſervari; ſed eſſe ab ea ſupplicatum ſaltem quoad illud de non conferendis beneficiis ſic vacantibus, affinibus, conſanguineis, aut familiaribus Epiſcopi, vel reſignantis. Et addit Garcia ſe audiviſſe ita fuiſſe ſcriptum Epiſcopis per conſilium Regis. Sed quidquid ſit de hoc in primis verbis, quæ contra reſolutionem noſtram militant; dicimus in eis ſolum prohiberi reſignationem, deſignationem, & intentionem, verbis explicatam, quæ deducuntur in pactum, aut conventionem expreſſam, vel tacitam cum Epiſcopo, non vero illam, quæ ſolum ſit ſimplex explicatio voluntatis, & abſque ulla obligatione, aut conventione. Ita explicant illum motum fere omnes Auctores, quos adduximus, qui poſt dictam bullam ſcripſere.

Poſſe Epiſcopum reſignationem conditionate factã admittere, & abjicere cõditionem, an. qui dicunt ſed verius eſt oppoſitum.

57. Inquires ſecundo: an ſi aliquis ſcienter vel ignoranter reſignationem faciat in manu Epiſcopi cum conditione rigoroſa, ut illi detur, quem deſignat, *& non aliter, aut alio modo,* poſſit Epiſcopus ſeparare reſignationem à conditione, & illam admittere, hac rejecta, & ſic beneficium dare, cui voluerit? In hac graviſſima difficultate Raphael à Torre *art.5. diſp. 11. fol.779. verſu ſed dubitas.* Poſtquam duplicem ſententiam aliam affirmativam, aliam negativam retulit; concludit: *Inter has duas ſententias nolo ut arbiter ſedere, utramque reputo probabilem, & Auctorum gravitate, & pondere rationum alicui electionem liberam relinquo.* ¶ Prima ergo ſententia eſt affirmativa, quam tenent Covarr. *locis citatis.* Aragon 2. 2. *quæſt.100. art.4. fol.1112. pag.2. concl.2.* Villalob. *tract.9. diff.22. num.12. & tract.37. diff.32. num. 1.* Sanch. *lib.2. cap.3. dub.36. num. 15. & 16.* Soto *lib. 9. de juſtitia, quæſt.7. art.2. concl.2.* Quod probant: quia talis conditio appoſita, ut turpis rejicienda eſt, & habetur pro non adjecta, & ſic remanet reſignatio ſimplex, abſoluta, & pura, quam poteſt admittere ordinarius; & ſic illa admiſſa, rejectaque conditione deſignationis perſonæ, vocat beneficium; illudque conferre poterit, cui voluerit, & proviſio valebit. ¶ Sed probabiliorem ſententiam negativam judicamus; eo quod actus factus cum aliqua qualitate, adjectione, aut modo non poteſt acceptari quoad unam partem, & non quoad aliam; ſed totus admitti, vel rejici debet; quia ſi dividatur, omnino mutatur, ut late probat Rebuffus *in practic. tit. de reſign. condition. n.7.* At in præſenti non fit renuntiatio abſolute, ſed per adjectionem conditionis per modum unius, ut conſtat: ergo non poterit ordinarius reſignationem admittere, & conditionem rejicere; & falſum eſt illam conditionem haberi pro non adjecta; quia hoc nullo jure probatur; imo quia eſt adjecta, reprobatur per jus, talis renuntiatio. Sic Rebuffus *loco citato*, Suar. *cap.35. n.11.* Leſſius *lib.2. cap.35. n.86.* Garcia. *cap.3. §.2. num.155.* Palaus *diſp.3. punct.17. n.6.*

Quid dicendum ſit de renuntiationibus reciprocis, & triangularibus?

58. Ex dictis ſequitur primo quid dicendum ſit de renuntiationibus reciprocis, quæ ſub colore, & prætextu commutationum ſolent in manibus ordinariorum fieri, v. g. ego in favorem tui amici renuntiabo, & tu renuntiabis in favorem mei; ſunt enim citra dubium ſimoniacæ propter pactum interveniens; licet enim ibi quædam permutatio adeſſe videatur, eſt tamen mixta cum reſignatione in favorem tertii, quæ Epiſcopis eſt omnino prohibita. Araux. *diſp.4. part.2. art.5. num.32.* Bonacin. *§.14. n.4.* Reginald. *lib.23. num.550.* Villal. *diff.35. num.3.* Torre *art.5. diſp.11.* Suar. *lib.4. cap.35. n.18.* Garcia *11.p. cap.4. n.51.* Palaus *diſp.3. punct.17. n.11.* Leſſius *lib.2. cap.35. n.87.* ¶ Et idem dicimus de renuntiatione, quæ dicitur *triangularis* v. g. renuntio meum beneficium Petro, ut Petrus renunciet ſuum Paulo, & Paulus renuntiet ſuum mihi; quia ibi intervenit pactum cum renuntiatione, quod eſt ſimoniacum ſic modo dicti Auctores. Qui advertunt, quod licet dictæ renuntiationes non poſſint fieri coram ordinario, poſſunt tamen duplici permutatione fieri, ut ſi ego commutem meum beneficium cum beneficio Petri, & habito beneficio Petri commutem cum Paulo; ſic enim Paulus habebit beneficium Petri, & Petrus meum, & ego Pauli, quod omnibus eſt commodum.

Poſſe reſignationẽ abſolutam fieri cum deſignatione perſonis in manibus Epiſcopi, alaqui

59. Sequitur ſecundo quid dicendum ſit in tertio modo renuntiationis *ſupra n.50.* propoſito; quando nimirum nec pure, nec abſolute fit renuntiatio, ſed impoſito onere, & cum deſignatione perſonæ? Dicimus ergo hanc fieri non poſſe in manibus Epiſcopi; quia ſi renuntiatio

puta,

dicunt ; ſed verius eſt oppoſitum.

puras, ſed non abſoluta non poteſt fieri in manibus ordinarii, multo minus illa, quæ nec pura, nec abſoluta eſt, quia quod ultra deſignationem perſonæ imponatut onus non tollit malitiam deſignationis, aut apponit bonitatem. Ita omnes Doctores. § Sed diviſi ſunt circa quartum modum reſignationis, quando nimirum abſoluta eſt, ſed cum deſignatione penſionis ſpiritualis, & perpetuæ, an talis reſignatio, & penſionis impoſitio valeat ab Epiſcopo firmari, & approbari; datur duplex ſententia & utramque probabilem dicit Palaus *diſputatione tertia, punct. 17. numero decimotertio,* Prima affirmativa; quia eſt valde probabile ex juſta cauſa poſſe penſionem beneficiis ab ordinario impoui, ut tenet Gigas *de penſionibus, quæſtione ſexta,* teferens Oldraud. Felin. Anton. de Butto, Innocentium, Imolam, Ancharan. Decium, Zerola *in praxi Epiſc. 2.p. verſ. penſio, numero primo,* cum Paulo Roman. *tractatu de Penſionibus capite 15. numero decimo, & capite 1. §.vodecimo, numero quinto,* Maldetus 1.2. q.100. *articulo quinto, dub. 10. §. N. biloimmu.* Hieronym. Goozalez *ſuper regul. 8. Cancellar.* Gloſſa 5. §. 5. Leſſius *libro ſecundo, cap. 34. dub. 38. num. 205. verſ. Tertio,* Rebuffus *in pract. de reſervat. num. 29.* Navarr. *conſil. 43. de ſimon. numero quarto,* ergo in noſtro caſu poterit ordinarius reſignationem abſolutam admittere, & poſtea penſionem aſſignare. Sed quia nos ſempet in eo perſtitimus, non poſſe Epiſcopum penſionem aſſignare, niſi ex cauſa graviſſima neceſſitatis, ut quando Parrochus infirmus, &c. ex textibus multoties citatis, quod beneficium integrum, & abſqoe diminotione ab eis conferatut præcipientibus, ex ſtylo, & conſuetudine curiæ. Idem in præſenti aſſerimus, quod licet ex jure antiquo non eſſet ita clare firmatum, ex conſtitutione tamen Pii V. quæ incipit *intolerabilis* adempta eſt omnis poteſtas penſiones creandi Epiſcopis, & omnibus Prælatis inferioribus, & ſolum Pontifici reſervata. Bonacin. *diſputatione prima, quæſtione quarta, §. 14. num. 2.* Arauxo *diſputatione decimaquarta, parte ſecunda, articulo quinto, numero 34.* Torre *articulo quinto, diſputatione 11. fine.* Azor *prima parte, libro 7. capite vigeſimoprimo,* Leſſius *cap. 35. dub. 15. n. 91.* neſcio an ſibi contrarius. Illud apud omnes eſt certiſſimum poſſe huiuſmodi renunciationes in manibus Pontificis fieri, & ab eo prædictam penſionem licitè aſſignari, & hoc etiam ſi inter partes pactum præcedat, ſed cum Ordine ad conſenſum Summi Paſtoris, & in petitione poſtea omnia integre, & fideliter narrentur.

Duplex caſus proponitur in quo ſimonia cõmittitur.

60. Denique ſequitut committi ſimoniam in hoc duplici caſu. Primus, Petrus in manu Pontificis reſignat beneficium cum reſervatione penſionis ſibi ſolvendæ, vel alterius oneris; & quia timet reſignatarium futurum tardum in ſolvendo ab eo petit vel fidejuſſorem ſæcularem, vel aliquam hypothecam, vel ut anticipate ſolvat. Quia totum hoc pertinet ad pacta ſimoniaca jure poſitivo prohibita, & obligat alium ad id, quod de jure non ineſt, eique onus pretio æſtimabile imponit. Secundus, Petrus habet beneficium litigioſum, & multas expenſas fecit pto eo obtinendo, poſtquam pacificam poſſeſſionem habet, vult illud renuntiare cum hoc onere, ut ſolvantur ſibi expenſæ factæ; erit ſimoniacus: quia petit, quod de jure non ineſt reſignationi, & ſic jam non faceret reſignationem putam; ſed pro temporali permutando, quod ut jam diximus, eſt ſimoniacum: Alias pluribus aditus ſimoniis aperiretur; quia vix nullus eſt, qui expenſas in aſſecutione beneficiorum non faciat. Torre *diſputatione 11. fine.* Palaus *num. 14. & 15.* Leſſ. *cap. 35. num. 93. & 94.* Suar. *num. 23.* Bonacin. *§ 14. num. 3.*

PUNCTUM V.

An reſignatio beneficiorum confidentialis ſit ſimoniaca, & quibus pœnis ſubjaceat.

Quid ſit cõfidentialis reſignatio.

61. EST confidentialis reſignatio beneficii ceſſio illius quædam in manibus legitimi prælati facta, cum ſpe, quod ille, in cujus gratiam reſignatur, ſibi, vel alteri ad beneplacitum ſuum idem beneficium reſignabit, vel aliud, vel certam partem fructuum beneficii, vel penſionem, vel aliquid aliud aſſignabit. Et idem eſt de patrono præſentante clericum ad beneficium cum ſpe, & confidentia, quod ille ſibi, vel ſuis, vel idem beneficium data opportunitate reſignabit, vel ex fructibus, vel ex alia parte aliquid largietur. Solent enim Epiſcopi, aut Patroni alicujus Eccleſiæ præſentare, eligere, aut conferre beneficium Eccleſiaſticum alicui cum ea confidentia, quod ille adſervabit tale beneficium conſanguineis collatoris ſuo tempore concedendum, aut fructus beneficii, vel partem concedat famulis, vel etiam ſibi. Contingit etiam quandoque quod ſenex valetudinarius, vel diverſis occupatus negotiis, reſignet beneficium quod poſſidet, in alterius favorem, certo confidens quod ille poſtea renuntiabit tempore ſtatuto vel in favorem renuntiantis, vel in favorem alterius tertii juxta beneplacitum eius, aut etiam ſperans, quod ex beneficii redditibus partem ſibi, aut aliis juxta eius voluntatem reſervabit; & hæc confidentialis reſignatio dicitur, de qua agimus in præſenti.

Duobus modis poteſt fieri reſignatio in confidentia.

62. Sed præmittendum eſt duobus modis poſſe collationem, aut reſignationem beneficii in confidentia fieri. Primo ſi per talem confidentiam ex pacto tacito, vel explicito novum aliquod debitum legale velit ſuperaddere; ita ut reſignatarius, vel reſignanti, vel aliis teneatur ex debito rigoroſo, beneficium renuntiare, aut partem fructuum perſolvere. Secundo modo quando reſignans abſque aliquo pacto, vel obligatione civili, ſed cum ſola ſpe, & confidentia gratitudinis reſignat beneficium in favorem illius, de quo ſperat, quod ex ſola gratitudine, & ex ſua voluntate, vel ſibi, vel cui voluerit, opportuno tempore reſignabit, aut quod ex tali gratitudine, vel ſibi, vel ſuis ex fructibus beneficii ſubveniet, non intendendo novam aliquam obligationem imponere, ſed eam quæ ad beneficium collatum ſequitur naturaliter, & quæ ſolum eſt antidoralis ad urbanam, & gratam correſpondentiam inducens.

Confidentialis reſignatio cum

63. Dicendum eſt ergo reſignationem confidentialem primo modo factam, eſſe ſimoniacam tam jure divino, quam antiquo, & novo

pacto eſt divino, & humano iure ſimoniaca.

Eccleſiaſtico. Secundo aotem modolicet periculoſa ſit, & ut in plurimum ſimoniaca, per ſe tamen loquendo, & ſtando in rigore jutis ſimoniaca non eſt ex jute divino, nec ex jure canonico ſaltem antiquo. Conclofio habet tres partes: & prima probatut; nam illa civilis obligatio eſt pretio æſtimabilis, ac prninde pro ea renuntiare beneficium eſt dare ſpitituale pro temporali: quod eſt ſimoniacum, & omnibus illis iutibus prohibitũ, in qoibus generaliter prohibentut omnes conventiooes & pacta, circa beneficia, quod apud omnes eſt inconcuſſum. Præcipue tales confidentias ex jure novo ut ſimoniacas eſſe prohibitas cooſtat. Nam Pios IV. in quadam conſtitutione, quæ habetur *in 7. decretalium cap. 9. de beneficiorum collationib.* & Pius V. in alia, quæ incipit *Intolerabilis*, & habetur ibidem *cap.* 10. ſub anno Domini 1569. omnes hujuſmodi confidentiales collationes, & reſignationes irritavere decernentes eſſe ſimoniacas, & pœnis ſimoniæ ab ipſis ibidem latas ſubjacere. ¶ Perſonæ autem circa quas dictæ conſtitutiones verſantur, ſunt reſignantes beneficia, illa ſic acceptantes; deinde collatores, electores, præſentatores illorum beneficiotum ſic vacantium. Actiones autem, quæ in his conſtitutionibus prohibentur, & reſignationes, aut collationes ex confidentia dicuntur, ſunt reſignationes cum acceſſu, regreſſu, vel ingreſſu ad beneficium; & quæcumque receptiones beneficii, vel reſignationes illius cum ſpe recipiendi fructus, vel partem, vel aliam penſionem.

Quid ſit acceſſus, regreſſus, & ingreſſus in beneficiis.

64. Sed ut ſciatur qoid intelligatut per *acceſſum, regreſſum, vel ingreſſum*, quæ his conſtitutionibus damnantur, & damnata erant à Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 19. & *ſeſſ.* 25. *cap.* 7. dicimus eſſe quaſdam expectativas, ſeu confidentias, qoibus ſignificatut reſignantem non omnino, & abſolote beneficiom dimittere, ſed velle ſibi retinere aliquod jus, ut aliquando poſſit repetere, & accipiens teneatut reddere. *Acceſſus* enim dicitut, ſi Petro impedito ob ætatem, vel alia de caoſa prælatus conferat jus, ut quando capax fuerit, beneficium ingrediatur, quod Franciſco interim in confidentia, quod tunc dimittet illud, confertur. Regreſſus vocatut; ſi Pettus beneficium, quod poſſidet, cedat alteri, ſervato jure regrediendi ad illud; ſi forte ille penſionem non ſolverit, vel religionem ingtediatut, aut Epiſcopos fiat, aut certe moriatut. Ingreſſus vero dicitur; ſi ante acceptam poſſeſſionem beneficii jam mihi collati, alteri illud reſignem ſervato mihi jure ingrediendi poſſeſſionem illius, ſi ille moriatur, religionem intret, aut fiat Epiſcopus, &c. iſtæ ergo ſunt omnes actiones conditionales, quæ ut ſimoniacæ in dictis conſtitutionibus prohibentut, circa quas poſtea proponemus aliquas difficultates.

65. Secunda vero pars concluſionis, quod talis reſignatio confidentialis abſque pacto, ſed ſub ſpe, quod alias ex gratitudine correſpondet, ſit periculoſa, & ut in plurimom ſimoniaca conſtat: quia quamvis reſignans ea ſola gratitudine poſſit commodum ſperare aliquod temporale ab eo, in cujus favorem beneficium reſignavit, creditu tamen difficile eſt, quod is, cui beneficiom confertut, cum alias eſſet pecuniæ avidiſſimus, ſubito ita liberalis fiat, ut ex gratitudine quotannis reddat ei, qui ſibi contulit beneficium omnes beneficii fructus, vel ſaltem maximam eorum partem præcipuè cum aliis, neque minimum ſoleat elargiri. Præcipue: quia cum auri fames ſoleat mentis oculos excœcare, facile quiſque decipitur exiſtimans ſe gratis beneficium reſignare, & commodum ſolum temporale ex ſolo debito gratitudinis ſperare exhibendum; cum tamen certo certus ſit, illam civilem obligationem intendere. ¶ Tertia vero pars, quod per ſe, & ſaltem ex juris antiqui rigore non ſit talis reſignatio confidentiales ſimonia, probatur. Quia talis collatio, aut reſignatio voluntaria, nullo interveniente pacto explicito, vel implicito eſt omnino voluntaria, & ſic nullo modo ſimoniaca: eo vel maximè, quia qui ſic confert beneficium, poteſt ante beneficii collationem ex amicitia ab alio ſperare munus aliquod, vel obſequium: ſed per collationem, aut reſignationem beneficii non efficitut deterioris conditionis: ergo licebit illi ſperare, quod alius ex gratitudine, aut ſibi relinquat beneficium, aut quod ex fructibus ejus, ſibi, vel conſanguineis ſubveniet. Sic Navarr. *cap.* 23. *num.* 109. Azor 2. *p. lib.* 7. *cap.* 27. *q.* 10. *&* 15. Arauxo *diſp.* 14. *p.* 2. *art.* 5. *n.* 37. Torre 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *diſp.* 4. *concl.* 2.

Aliqui dicũt confidentiã ex gratitudine, & ſine pacto eſſe ſimoniacam jure poſitivo.

66. Tota ergo difficultas eſt, an in ſopradictis conſtitutionibos Pii IV. & Pii V. non ſolum reprobetur ut ſimoniaca collatio, aut reſignatio confidentialis, qoæ cum pacto, & conventione ſæpius repetita fuit; ſed etiam illa, quæ ſolum ex gratitudine, vel amicitia procedit? Doplex ſatis probabilis datut circa hoc ſententia. Prima affirmat coofidentiam, etiam cum ſola ſpe, vel abſque pacto accipiendi vel idem beneficium, vel fructus ejus eſſe ſimoniacam, dictis reprobatam conſtitutionibus: ſi illa intentio exterios manifeſtetut eſſe realem; ſi veto ſolum mente retineatut eſſe mentalem ſimoniam. Et probatut primo: quia Pius V. dicit, confidentiam factam ex intentione ſola reſignantis ſufficere ad eam ut ſimoniacam judicandam. Et deinde explicans quibus præſumptionibus, & conjecturis confidentiarum abuſus probandus ſit, inter alias ponit iſtam: *ſi quid de fructibus tales beneficii de facto, etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit.* Secundo, quia præfati Pontifices intenderunt omnem occaſionem tollere palliandi ſimoniam in beneficialibus confidentiis: ſed hoc non conſequerentut niſi etiam confidentiam de qua loquimur, prohiberent; quia omnis confidentia, etiamſi fiat ſub ſpe ſola gratitudinis eſt valde periculoſa habens ſpeciem mali eo, qood ſub illa facile palliaotut pacta, & implicita obligatio, ut dicebamus, *numero præcedenti*: ergo, &c. Ita Flaminius *de confident. q.* 26. *num.* 39. *&* 40. Bonacin. *punct.* 16. §. 1. *num.* 4. Suarez *tom.* 5. *de cenſuris, diſput.* 22. *ſect.* 6. *n.* 15. *&* 16. Palaus *diſput.* 3. *punct.* 19. *num.* 4. Garcia 55. *p. de beneficiis, cap.* 3. *num.* 184. Corduba *in ſumm. q.* 32. *fine.*

Confidentia ex gratitudine ſine pacto non eſt jure poſitivo reprobata.

67. Secunda vero (quam amplectimur) ſententia dicit in dictis cooſtitutionibus ſolom prohiberi confidentiam, quæ alias erat illicita, & ſimoniaca, vel contra jus divinum, quando indocebatut nova civilis obligatio ad aliquid temporale, vel contra jus commone propter pactum implicitum idem beneficium reſignandi ſibi, aut alteri; ac proinde oon prohiberi iſtam confidentiam, de qua modo loqoimur. Quod probatut:

ptobatur : quia Pius V. in ſua conſtitutione illas damnavit confidentias, quas Pius IV. damnaverat in ſua, & non alias, quia illius conſtitutio ſolum eſt iſtius renovatio, & roboratio : ſed Pius IV. ſolum damnat eas, quæ ex jure antiquo, & divino erant illicitæ, ut conſtat ex illis verbis, quibus exorditur : *Sanè licet dudum, cum certam ſimoniacæ pravitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, &c.* Et ex eo, quod dictæ conſtitutiones Pii IV. & Pii V. expeditæ ſunt ad renovandam, & confirmandam conſtitutionem Tridentini *ſeſſ.* 24. *capite* 19. & *ſeſſ.* 25. *capite* 7. ubi acceſſus, & regreſſus in beneficiis, & ſimiliter expectativæ damnantur, quæ alias ſimoniacam pravitatem habent : ergo, &c. ¶ Et confirmatur hoc : quia Pius V. in ſua conſtitutione numerans quatuor caſus, in quibus pravitas confidentiæ reperitur ; in ſecundo expreſsè requirit pactum tacitum, vel expreſſum factum coram Epiſcopo : & eadem eſt ratio de aliis : ergo quando in confidentiis pactum implicitum, vel explícitum non intervenit, nulla ſimonia datur. Ita Gutierrez *canonic. quaſt. libro ſecundo, quæſtione* 13. *à numero* 57. Navarrus *cap.*23. *numero* 109. Ludovicus Lopex *ſecunda parte, inſtruct. capite* 9. *de fructibus in confident.* Sanchez *conſil. tomo primo, libro ſecundo, capite tertio, dubio* 34. *numero ſecundo,* Leſſius *libro ſecundo, capite* 35. *numero* 95 *&* 96. Azor. *ſecunda parte, libro ſeptimo, capite* 27. *quæſtione* 10. *&* 11. Torre 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo ſexto, diſputatione* 4. *fol.*790. *col.*2. Saa. *verb. ſimonia, numero quinto,* Arauxo *diſputatione* 14. *parte ſecunda, articulo quinto, numero* 38. Villalob. *tractatu* 37. *difficult.* 31. *numero tertio,* Suarez *tomo primo, de relig. tract.*3. *lib.*4. *de ſimonia, cap.*44.*num.*12.

Fundamẽta contraria ſolvuntur. 68. Ad contraria argumenta reſpondetur, cum ſupradictis auctoribus, quod in dictis conſtitutionibus, non ſtatuitur, quod ſola intentio illa ſit ſufficiens ad ſimoniam confidentialem interiorem ; ſed quod ſi probetur in foro exteriori, confidentia ſimoniaca præſumatur. Nec enim affirmant, quod per hoc, quod gratis aliquid confeſatur reſignanti committitur crimen ſimoniæ ; ſed quod præſumitur ; & quod quantumvis aliquis gratis dare contingat, nulla ei fides adhibeatur. Unde ſatis impediſſe hos Pontifices quamcumque palliandæ ſimoniæ occaſionem, credendum eſt ; dum aſſignarunt quaſdam præſumptiones ſufficientes in foro exteriori ad probandum vitium confidentiæ, & ad inducendas juris pœnas ; quas præſumptiones latere cenſet Navar. *loc.cit.*

Aliqua ex dictis inferuntur. 69. Ex dictis ſequitur non eſſe ſimoniacum, nec illicitum beneficium in favorem alicujus renuntiare, vel Prælatum illud dare alicui, vel patronum ad illud præſentare, ea intentione, & ſpe, quod illud beneficium aliquando cedet in favorem alterius à ſe nominandi, vel ipſius conferentis, vel reſignantis ; vel quod recipiens dabit partem fructuum ipſi conferenti, reſignanti, vel ejus amico, affini, &c. præciſo omni pacto tacito, vel expreſſo. Nec ob id tali modo obtinens in confidentiam, tenetur ex obligatione rigoroſa aliquid alteri dare, ſed ſolum ex gratitudine, & antidorali correſpondentia. Si tamen intentio conferentis, vel reſignantis beneficium eſſet corrupta, quia nimirum ex obligatione civili alterum obligare intenderet ; ſi hæc intentio ſolum manſit in mente, & non intervenit pactum tacitum, vel expreſſum externum, de hoc, erit ſimonia confidentalis, mentalis tamen ; & ſic nullis ſimoniæ pœnis ſubjecta. ¶ Sequitur etiam ex dictis, qualiter intelligatur textus Tridentini *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.*15. *fine,* ubi ſtatuitur reſignationes reciprocas beneficiorum in favorem filiorum Clericorum non valere, v. g. Petrus Clericus reſignat beneficium ſuum in favorem filii alterius Clerici, ut hic Clericus poſtea reſignet proprium beneficium, quod antea habebat in favorem filii dicti Petri. Id enim intelligitur, quando eſt pactum tacitum, vel expreſſum ; ſecus vero quando nullum intervenit pactum, ſed ſola confidentia ex gratitudine, ut probat Navar. *lib.*1. *Conſil. titulo de renuntiatione, conſil.* 5. Rodrig. *tom.*2. *ſumm. c.*56. *num.*9.

70. Sed inquires primo, an in dictis Bullis Pii IV. & Pii V. prohibeatur illa reſignatio confidentialis, quæ in penſionibus ſulet evenire, vel etiam beneficii, quod reſignatur ea conditione, ut reſignatarius aliud beneficium, vel alios fructus, vel alias res ſpirituales refundat in reſignantem ? Reſpondetur, quod licet in utroque caſu detur ſimonia conventionalis, juxta regulas ſuprà ſtabilitas, & ſic ſubjecta ſit pœnis generalibus ſimoniacorum : non tamen datur ea conventionalis ſimonia, quæ in prædictis decretis prohibetur, nec ſubjacet pœnis in eis ſancitis. Quia non omnis confidentia in prædictis Bullis prohibetur, ſed quæ in collatione, aut reſignatione beneficiorum Eccleſiaſticorum committitur cum confidentia tacita, vel expreſſa, quod beneficium collatum, vel reſignatum, conferenti, aut reſignanti, vel alteri ſecundum eorum placitum reddendum ſit, ea etiam, quæ ſub confidentia accipiendi fructus beneficii reſignati, aut partem eorum committitur, ut ex verbis dictorum decretorum manifeſtè conſtat : ſed penſiones, beneficia non ſunt, nec inter beneficia Eccleſiaſtica computantur : ergo confidentia in eis commiſſa, non eſt prædictis Bullis reprobata. Similiter cum confidentia eſt de altero beneficio recipiendo, vel de fructibus alterius beneficii recipiendis, non erit confidentia, de qua prædicti Pontifices loquuntur : quia cum illæ ſint leges pœnales coarctari debent ad eos caſus, de quibus expreſsè fit mentio. Cum ergo in præfatis conſtitutionibus ſolum fiat mentio de reſignatione, collatione, vel ceſſione alicujus beneficii ſub confidentia recuperandi illudmet beneficium, aut accipiendi fructus, vel partem fructuum ejuſdemmet beneficii ; ſequitur, quod ſi Petrus, v.g. conferat Ioanni beneficium ſuum ſpectans Ioannem alteri tertio beneficium aliud, quod pendet, collaturum ; vel confidentia ſit de aliis rebus temporalibus, vel etiam ſpiritualibus conferendis, nulla ratione ad illud beneficium reſignatum ſpectantibus ; quamvis alias in his, & ſimilibus caſibus, quædam ſimonia confidentialis reperiatur : non tamen illa, de qua prædicti Pontifices loquuntur. Sic Ugolinus *tabul.*1. *de ſimonia, cap.*22. Navar. *conſil.*76. *tit.* Simonia cõfidentialis in penſionibus non reprobatur in Bullis Pii IV. & Pii V.

de ſimonia. Leſſius *libro ſecundo, cap.* 35. *dub.* 16. *num* 97. Torre 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo* 6. *diſp. ſecunda tertia, in ſolut. argument.* Arauxo *diſputatione* 14. *parte ſecunda, articulo quinto, numero* 39. Palaus *diſputatione tertia, punct.* 18. *numero primo*, Suarez *libro quarto, capite* 43. *numero* 4.

In prædictis bullis non reprobari confidentiã in permutationibus cõmiſſam aliqui dicunt; ſed verius eſt oppoſitum.

71. Inquires ſecundo, an in prædictis decretis Pii IV. & Pii V. comprehendatur ſimilis confidentia in permutationibus beneficiorum commiſſa? v. g. Petrus in favorem Joannis renunciavit beneficium ſuum, & Joannes aliud in favorem Petri, ea confidentia, pacto, aut conventione, ut prædicti in favorem nepotum poſtea eadem beneficia renunciarent, vel fructus, aut partem eorum ſibi unuſquiſque, vel aliis conferendam confideret? Negat prima ſententia, quam tenet P. Suarez *capite* 43. *citato, numero* 11. & citat Navarrum *conſilio* 77. ſequitur Caſtro Palaus *diſputatione tertia, punct.* 18. *numero ſecundo.* Et ratio illorum eſt: quia eſt lex pœnalis, & ideo limitanda ad eos caſus, de quibus in ea fit expreſſa mentio: at in prædictis bullis nulla de permutationibus ſub confidentia mentio fit; nam Pius IV. ſolum loquitur de collatoribus, aut renunciantibus, Pius V. de accipientibus ex reſignatione, aut ceſſione; nomine autem reſignationis, aut ceſſionis non venit permutatio intelligenda, maxime in pœnalibus, & odioſis: ergo &c. ¶ Sed affirmativè reſpondendum eſt cum Illuſtriſſimo Arauxo *ſupr. articulo* 5. *numero* 41. Raphaël à Torre *articulo ſexto, diſputatione* 4. *fol.* 792. *verſu in oppoſitum.* Et ratio eſt: quod in decretis dictis prohibetur omne genus contractus confidentialis circa beneficia; & ſic etiam quando confidentia eſt in contractu commutationis; dicit enim Pius V. *Ac etiam decrevit omnes, & quaſcumque permutationes, præſentationes, collationes, commendas, & alias diſpoſitiones nullius momenti fore.* Deinde, quia eadem inconvenientia, ob quæ confidentia ab illis Pontificibus damnatur in reſignationibus, ſcilicet, quod beneficia Eccleſiaſtica jure hæreditario in aliquibus domibus perpetuantur, quod ex redditibus Eccleſiæ ſæculares, & multoties criminoſi aluntur, &c. militant in confidentia permutationum, ut conſideranti patebit. Ergo debet eodem modo prohibita cenſeri in ſupradictis decretis.

Pœnæ pro ſimonia cõfidentiali aſſignatæ recenſentur.

72. Inquires tertio, quas pœnas incurrant, qui ſimoniam confidentialem in prædictis bullis reprobatam, committunt? Reſpondetur, quod præter communes pœnas omnibus ſimoniacis aſſignatas, pro hac conventionali ſpeciales aſſignantur à Pio IV. & Pio V. in ſupradictis bullis. Et prima eſt, ut Cardinales, Epiſcopi, & alii Prælati, qui committunt hanc ſimoniam confidentialem, ſint interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi ingrediuntur, irregulares. Secunda, quod inferiores talem ſimoniam committentes ſunt ipſo facto excommunicati excommunicatione ſoli Pontifici reſervata. Tertia, quod collatio, & reſignatio beneficii taliter facta, eſt nulla; & ſic beneficium tenetur reſignare, qui illud ſic ſimoniace accepit, & omnes fructus tenetur reſtituere; & hoc licet non ſit omnino completa ſimonia; quia nondum implevit, quod promiſit; ſed ſtatim, ac recepit beneficium in confidentiam, & incurrit dictam excommunicationem; & beneficium cum fructibus, ex tunc tenetur dimittere, & tale beneficium eſt ſedis Apoſtolicæ collationi reſervatum, & fructus ſic per beneficialem confidentiam recepti, Cameræ Apoſtolicæ conſignantur. Denique poſt prædictas conſtitutiones, qui acceperint aliqua beneficia in confidentiam, privantur beneficiis omnibus antea juſtè obtentis; & hoc ipſo jure, & fiunt inhabiles ad illa vel alia in poſterum obtinenda. Henriquez *libro decimotertio, de excommunic. capite* 37. *numero* 51. *in comm. litter. B.* Sanchez *libro ſecundo, capite tertio, dub.* 34. *numero decimotertio*, Arauxo *ſupr. numero* 42. Suarez *capite* 44. *numero decimotertio*, Raphaël à Torre *articulo ſexto, diſputatione quarta, propè finem.* Bonacin. *diſputatione prima, quæſtione ſexta*, §. 1. Leſſius *capite trigeſimoquinto, dub.* 26. Layman. *tractatu* 10. *cap. ultim.* §. 8. Palaus *punct.* 25. *n.* 8.

Aliqua notantur circa dictas pœnas.

73. Sed circa has pœnas primo notandum eſt; quod licet tres priores, quæ ſunt vel cenſuræ, vel quædam inhabilitates, ante judicis ſententiam incurruntur: ultima vero, quæ eſt privatio beneficiorum ritè obtentorum, &c. non niſi poſt ſententiam judicis, ſaltem criminis declaratoriam incurritur, juxta ea, quæ late diximus *tomo tertio, tractatu undecimo, de legib.* quod pœnæ privantes rebus jam quæſitis, nullo modo ante judicis ſententiam, ſaltem criminis declaratoriam, incurruntur; etiamſi ipſo facto, ipſo jure incurri decernatur; & in præſenti tenent Suarez, Henriquez, Sanchez, Torre, Layman, *locis citatis.* ¶ Notandum eſt ſecundo cum Navarr. *libro quinto, Conſil. titulo tertio, de ſimon. conſil.* 48. & *in novis conſil.* 33. *numero ſecundo*, quod ut incurrantur pœnæ ſimoniæ ſive confidentialis, ſive cujuſcumque alterius, non requiritur, quod collatio, renunciatio, &c. valeat: quia ſemper, quando res ſpiritualis venditur, non valet conditio, & tamen pœnæ incurruntur tali venditioni aſſignatæ. Sufficit ergo, quod collatio, renunciatio, aut alius actus ſimoniace factus valeret, niſi ſimonia obſtaret. Si vero actus alias non valuiſſet, etiamſi nulla ſimonia intercederet, propter illum non incurrerentur prædictæ pœnæ. Ut ſi quis renunciaret beneficium ſine auctoritate ſuperioris, qui poteſt renunciationem admittere in confidentiam, non incurreret pœnas; eo, quod talis renunciatio nulla eſt, etiamſi ſimonia non intereſſet.

CAPUT IV.

De Pœnis contra ſimoniacos in jure aſſignatis.

ADEO graviſſimum fuit ſemper in Eccleſia, & deteſtabile ſimoniæ crimen, quod illud multis modis ab ea repellere, & omnino extirpare, omnes illius ſupremi Principes

conati

conati ſunt: ob idque pœnas diverſas, & graves contra illud perpetrantes aſſignarunt, ut vel illarum ſaltem timore, fideles ab hoc peccato retraherentur. Et ob id poſtquam de ipſo crimine, & modis, quibus incurritur jam egimus, reſtat, ut de pœnis pro eo aſſignatis ſermonem inſtituamus. Quod petit in diverſo capite peragi, eo quod plurimas continet difficultates, pro quotidiana praxi neceſſarias. Hoc igitur caput continet quatuor puncta.

PUNCT. I. *Quæ ſint pœnæ in iure aſſignatæ contra ſimoniacos? & à quibus tales pœnæ incurrantur*, n.1.

PUNCT. II. *Quas pœnas incurrant dantes, vel recipientes aliquid pro ingreſſu Religionis, Ordinum ſuſceptione, ac beneficiorum collatione?* n.12.

PUNCT. III. *An acquiſita per ſimoniam debeant reſtitui? & cui reſtitutio facienda ſit?* n.22.

PUNCT. IV. *Quis poſſit in ſupradictis pœnis diſpenſare?* n.33.

PUNCTUM I.

Quæ ſint pœnæ in jure appoſitæ contra ſimoniacos, & à quibus tales pœnæ incurrantur?

Nullæ dātur pœnæ incurrendæ ipſo facto pro ſimoniacis, niſi in ſimonia cō miſſa in ordine, beneficio, & Religionis ingreſſu.

1. PLURAS circa quæſitum occurrunt difficultates, quas poſtquam certa ſtatuamus, ſuo Ordine decidemus. In primis ergo ut certiſſimum ſtatuendum eſt, nullas pœnas in iure latas, ipſo facto incurrendas reperiri pro ſimoniacis, præterquam ob ſimoniam commiſſam in ingreſſu Religionis, in receptione Ordinum, & in beneficiis, quæ vero pro iſtis dentur pœnæ puncto ſequenti remittimus. Ratio eſt: quia neque in decreto, neque in decretalibus, aut alibi datur ulla pœna ipſo jure impoſita, niſi in tribus prædictis caſibus, ut late probant, & tenent Navarr. *capite vigeſimotertio, numero* 111. Ugolin. *tabul.* 1. *capite duodecimo, & tabul.* 4. *capite tertio*, Leſſius *libro ſecundo, capite trigeſimoquinto, dub.* 23. Suarez *libro quarto, cap.* 55. *numero quinto.* Palaus *diſputatione* 3. *punct.* 21. *numero ſecundo.* Cajetan. *in Summ. verbo excommunicatio, capite* 72. Sanchez *tomo primo, Conſil. libro ſecundo, capite tertio, dub.* 106. *numero tertio.* Arauxo *in quæſt. moral. diſputatione* 14. *parte ſecunda, articulo ſexto, numero ſecundo, &* 18. Villalobos *tractatu trigeſimoſeptimo difficultat.* 34. *numero primo*, Ludovicus *prima parte, inſtruct. capite* 307. *fol.* 971. *pagin.* 2. ¶ Quare licet peccet mortaliter committens ſimoniam in accipiendis, vel conferendis aliis Sacramentis, præter Ordinem, in conſecrationibus, diſpenſationibus, benedictionibus, iuriſdictionibus concedendis, aliiſve ſpiritualibus pro temporalibus commutandis, vel in venditione, emptione, redemptione, aut commutatione penſionis, capellaniæ, non collativæ, vel Vicariæ temporalis, nullam tamen ipſo facto pœnam incurrit: quia non committitur in beneficio, Ordine, aut ingreſſu Religionis, pro quibus dumtaxat pœnæ ipſo facto incurrendæ in iure ſunt aſſignatæ.

Sunt pœnæ inferendæ, licet nō latæ in aliis ſimoniis.

Sed licet in iure non ſint aſſignatæ pœnæ ipſo facto incurrendæ ob crimen ſimoniæ præterquam in illis tribus caſibus, poſſunt tamen, & debent judices tam quando via accuſationis, quam inquiſitionis ex officio procedunt pœnas debitas pro qualitate delicti infligere, de quo certa regula præſcribi minime poteſt, ut advertit Salcedo *in ſua practic. criminal. capite* 91. *pagin.* 269. Villalobos *ſupra numero ſecundo.* Palaus *numero primo.* Cæterum ex iure ipſo plures aſſignantur illis pœnæ imponendæ, ut pœna infamiæ reclusionis, depoſitionis ab officio, & beneficio quod ab altari repellatur, ab Eccleſia eliminetur, & aliæ ſimiles, quæ aſſignantur *cap. ſicut. cap. de hoc, de ſimon. cap. cum ſuper, de confeſſis, cap. erga ſimoniacos* 1. *quæſtione* 1. *capite ſanè* 15. *quæſtione tertia.* Et ſi publicum fuerit delictum, pœna publica eſſe debet; ſi ſecretum, & occultum, & ſi de illo judici conſtet, debet iniungere pœnitentiam ſecretam juxta *cap. ex tua.*

Ob ſimoniã mentalem vel conventionalē præciſe in nulla pœna incurſus.

3. Supponendum eſt ſecundo ob ſimoniam purè mentalem in quacumque materia nullam eſſe pœnam, nec aliquam obligationem dimittendi beneficium, aut pretium receptum, *ſed per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori*, ut *in cap. mandato, de ſimonia*, dicitur: quia ſicuti Eccleſia de purè internis nequit judicare, ita neque illa punire, ut omnes docent cum D. Thoma 2.2. *quæſt.* 100. *articulo* 6. *ad* 6. ¶ Similiter eſt certum ob ſimoniam conventionalem ex neutra parte completam nullam pœnam iuris incurri, ut ſi quis promiſit nummos ut ſibi daretur beneficium, & ante dationem pecuniæ, aut beneficii pœnituit, & non fecit ex vi dictæ promiſſionis; nec manet excommunicatus, ſuſpenſus, aut alia pœna irretitus. Imo etiam ſi de facto pretium dedit, ſi tamen beneficium ratione illius non recepit, nullam ipſo facto pœnam incurrit: quia omnia iura de hac materia loquentia poſtulant realem ipſius rei, quæ emitur, traditionem: ut conſtat *ex cap. Presbyter,* 1. *quæſtione* 1. *Extravagant.* 1. *&* 2. *de ſimonia cap. quos conſtiterit, cap. quiſquis, cap. Salvator, cum aliis, de ſimonia*, in quibus ad minus requiritur, ut pœnæ in eis impoſitæ incurrantur: quod ipſa res ſpiritualis, ſive ordo, ſive religio beneficium re ipſa tradatur. Unde & ſi pretium de facto detur, ſi re ipſa non tradatur, conventione ſuppoſita, nulla pœna incurritur. Cajetan. *opuſcul. de ſimonia, quæſtione ſecunda.* Arauxo *articulo ſexto, numero nono.* Suarez *capite* 56. *numero decimoſexto,* Sanchez *capite tertio, dub.* 106. *numero quarto,* Palaus *punct.* 12. *numero ſecundo*, Soto *lib.* 9. *de iuſtitia, quæſt.* 7. *articulo* 1. & eſt communis.

Non dantur

4. Quibus ſuppoſitis prima difficultas

Pœnæ pro ſimonia mentali, etiamſi exeat in opus externum non manifeſtativum illius.

eſt, circa mentalem ſimoniam, utrum ſi mentalis ſimoniæ per opus externum conſumatur, in quo tamen ille pravus affectus non exprimitur, incurrat pœnas io iure taxatas. v. g. dat aliquis Petro beneficium ſuum, & exterius ſolum ſignificando, quod gratis, & ex amicitia confert, & animo pravo interius concepto, ut propter illud emolumentum accipiat temporale, inſerviat Epiſcopo ex intentione, ut propter obſequia ab eo recipiat beneficia, ſed hanc pravam intentionem exterius nec verbis, aut pacto implicito, aut explicito ſignificans, ſed ſolum mente pravæ interius concepta, ſed opere jam illo exterius conſummata? Reſpondetur negativè. Et probatur primo *ex cap. finali, de ſimonia*, ubi dicitur: *Et ad reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente, utrumque taliter acquiruntur (in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori) eos pro ſimonia huiuſmodi non teneri*. Conſonatque cum hoc textu Lex Regia *libro quinto, titul. 17. part. 1.* ibi: *Pero ſi alguno dieſe don, o preſente quier que fueſe, grande, o pequeño con intencion de ganar por el coſa eſpiritual, o ſi el que la recibieſe, la dieſe por razon de aquel ſervicio, qualquier de los que lo fazen deſta manera cae en pecado de ſimonia de voluntad, porque no fue hecho en ella pleito ninguno. E por ende que recibieſe beneficio, u orden en tila manera u otra coſa eſpiritual puede la retener, e non ha porque la renunciar, ſolamente que faga penetencia del hierro que hizo porque la gano aſi.* Non igitur talis ad reſtitutionem rei, aut pretii, aut ad aliam pœnam tenetur, per hoc, quod ex intentione ſimoniaca ad opus externum, ſine pacto tamen implicito, vel explicito proceſſit.

Aſſertio præcedens rationе probatur, & auctores pro illa adducuntur.

5. Et hoc ipſum probatur ratione: quia quando opus externum ita per accidens conjungitur pravæ intentioni, ut non ſufficienter illam prodat, & manifeſtet, eo, quod appareat indifferens ad alias intentiones, non eſt punibile in foro externo ab Eccleſia, eo quod Eccleſiæ conſtare de illius malitia non poteſt; quemadmodum diximus *tomo ſecundo, tractatu decimo, de cenſur.* non incurri pœnas hæreticorum, qui ex hæreſi in mente concepta prorumpit in opus externum ex ſe non manifeſtativum erroris in mente habiti, ſed indifferens ut ex ſe, vel ex paſſione, aut alio principio oriatur. Similiter ergo in præſenti. Unde qui hoc modo beneficium accipit, quia nimirum *munus à manu*, vel *obſequio* dedit, animo interno propter illud recipiendi beneficium, ſed externè ſolum ſignificans ex alia intentione procedere, non tenetur beneficium dimittere. Et ſic dixit D. Thomas 2. 2. q. 100. *articulo ſexto, ad 6. quod ad Deum ſola voluntas facit ſimoniacum, ſed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non punitur ut ſimoniacus, ut abrenunciare teneatur, ſed debet de mala intentione pœnitere.* Ita Cajetan. *ibi verſu ad obiectionem.* Sylveſt. *verbo ſimonia*, §. 20. Navarr. *capite vigeſimotertio, numero decimotertio*, Villal. *tractatu 37. difficult. 36. numero quarto*, Sanch. *libro ſecundo, capite tertio, dub. 105. numero 4.* Arauxo *articulo ſexto, numero ſexto*, Torre *quæſtione 100. art. 6. diſp. 8.* Suar. *cap. 55. num. 10.* Palaus *punct. 22. num. 1.*

Difficultas proponitur, & aliqua pro ea ſupponuntur.

6. Secunda difficultas eſt circa ſimoniam conventionalem, an nimirum, ut propter illam incurrantur pœnæ ſimoniacorum, requiratur, quod completa ſit tam ex parte dantis, quam ex parte recipientis. V. g. convenit Petrus cum Ioanne beneficiario, dabis mihi beneficium, & dabo tibi mille aureos, dedit Ioannes beneficium Petro ex illa conventione, ſed Petrus quia vel non potuit, vel noluit, non dedit Ioanni aureos, quos promiſit. Quæritur an iſti pœnas contra ſimoniacos incurrant? In quo ſupponitur primo partem pretii ſufficere, quod de facto detur, ut ſit ſimonia realis & completa, ad pœnas omnes illius incurrendas; imo etiam, quod pars rei ſpiritualis, quæ venditur tradatur: ut ſi vendo duo beneficia 100. aureis, ſat eſt, ſi tradatur unum beneficium, & decem aurei; quia non refert ad ſimoniam, quod vendatur unum, vel duo beneficia magno, vel parvo pretio. Sanchez *libro tertio, dub. 106. numero tertio.* Palaus *diſp. 3. punct. 21. numero 3.* Suarez *libro quarto, capite 56. numero 17.* ¶ Supponitur ſecundo, quod in confidentiali ſimonia, omnis conventionalis ſimonia licet conſummata tantum ex altera parte ſit, nimirum data, & exhibita re ſpirituali, de qua fit conventio, ſufficit ad pœnas illius incurrendas, ut diximus *cap. præcedent. numero 72.* quia circa illam eſt ſpecialis diſpoſitio iuris. & tenent Navarr. *libro ſecundo, capite ſecundo, numero 109.* Sanchez *ſup. n. 5.* Arauxo *diſp. 14. p. 2. art. 6. numero 11.* Torre 2. 2. *quæſtione 100. articulo 6. diſputatione 8.* ¶ In aliis igitur ſimoniis eſt præſens difficultas; circa quam duplex datur ſententia, utraque probabilis, & in praxi tuta, ut docent Suarez, Pal. Torre, Arauxo *loc. cit.*

Non incurri pœnas ob ſimoniam conventionalem niſi ex parte dantis, & accipientis ſit completa, aliqui dicunt.

7. Prima dicit, non incurri pœnas iuris, niſi de facto, & pretium recipiatur, & ordo, beneficium, aut Religio detur. Et probatur primo: quia ſecundum communem ſententiam, pœnæ pro ſimoniacis non incurruntur ob ſimoniam mentalem, aut conventionalem dumtaxat, ſed ob realem: ſed ſimonia realis non eſt prout differt à conventionali, niſi ultra pactum, & conventionem detur realis traditio ex utraque parte: ergo niſi pretium ex parte ementis, & res ſpiritualis ex parte vendentis detur, non incurruntur dictæ pœnæ. Secundo: quia eſto per ſolam traditionem rei, & non pretii detur ſimonia realis, ut nos diximus *cap. 1.* tamen uſque ad pretii traditionem non eſt realis ſimonia perfectè conſummata ex utraque parte: ſed jura pœnas imponunt tantum ob ſimoniam perfectè conſummatam ex utraque parte, & ideo æque loquuntur de datione rei, ac de receptione pretii, & ſecundum omnium ſententiam, licet ex parte dantis pretium conſumetur, ſi ex parte beneficium conferentis conſumata non ſit, pœnæ non incurruntur: ergo nec ſimiliter incurruntur, dum conſumatur ex parte vendentis, & dantis beneficium, niſi ex parte ementis pretium de facto detur. Tertio: quia ita docent haberi ex ſtylo Curiæ, in qua ita res obſervatur. Navar. *in repet. c. fin. de ſim. n. 8. & in Sum. c. 23. à n. 103.* Zerol. *in prax. Epiſc. 1. p. verb. ſimon. § 9.* Villalob. *tr. 37. diffic. 37. n. 3.* Covarr. *in regul. peccatum x. part. §. 9. num. 7.* Sanchez *dub. 106. n. 4.* Gutierrez *canonic. quaſt. lib. 1. cap. 9.*

numero decimo. Leſſius *capite trigeſimo quinto, dubio vigeſimo ſeptimo*, Flaminius Pariſ. *de reſignat. libro ſeptimo, quæſtione ſecunda, à numero decimo ſexto, & de confidentia, quæſtione prima, numero* 142. & 158. Rodriguez *ſecunda parte, ſumm. capite* 55. & 56. *numero ſexto*, Malderus *dub.* 18. *quæſtione ſexta*, Valentia *diſputatione ſexta, quæſtione decima ſexta, punct.*6. §. *præterea, pagina* 1675. Arauxo *diſputatione decima quarta, parte ſecunda, articulo ſexto, numero decimo*. Unde ſi quis accepit beneficium promiſſa pecunia, ſi de facto pecuniam non ſolvat, non tenetur beneficium reſignare, nec fructus ejus dimittere.

Quid ex ſupradicta ſententia neceſſario ſequatur.

8. Ex hac ſententia ſequitur, quod conſequens beneficium ſub promiſſione pecuniæ, & illam poſt multum temporis ſolvens, non incidit in pœnas ſimoniacorum, niſi à tempore, quo pecunias ſolvit: unde ſi collationem beneficii accepit, illo medio tempore valida erit, & non tenebitur dimittere tale beneficium, nec fructus beneficii ſimoniacè accepti perceptos illo medio tempore reſtituere, ſaltem in foro conſcientiæ. Quamvis in foro exteriori poſt condemnationem, teneatur fructus illo medio tempore perceptos reſtituere; Nec tenebitur beneficium acquiſitum illo intermediu tempore dimittere, qui non ſolvit pretium; nec excommunicatus, uſque dum ſolvat, erit. Quia nulla pœna, vel cenſura contrahitur, quæ retrahatur ad tempus pactionis: ſed tunc incurritur, quando pactum plenè ex utraque parte conſumatur. Et hoc ſequi ex dicta ſententia fatentur ex dictis anctoribus Navar. *capite vigeſimo tertio, numero* 104. Arauxo *numero undecimo*, Leſſius *capite* 56. *numero trigeſimo ſeptimo, & trigeſimo octavo, & capite* 58. *numero* 53. Villabos *numero ſeptimo*. & ex noſtris ferè omnes infrà citandi. Qui ob hoc vitandum, quod illis videtur inconveniens, ab iſta ſententia recedunt.

Sufficit rem tradi promiſſa pecunia, ut pœnæ contra ſimoniacos incurrantur.

9. Sed dicendum nobis eſt, ſufficere, quod res tradatur ſub promiſſione pecuniæ, ut ex tunc omnes pœnæ, tam cenſuræ, quam aliæ incurrantur, ut inhabilitas ad alia beneficia, obligatiove renuntiandi beneficium ſimoniacè acceptum, & omnes illius fructus perceptos reſtituendi. Et probatur: quia ut diximus *capite primo. numero decimo octavo*, ut ſit ſimonia realis ſufficit, quod ſequatur poſt pactum traditio rei etiamſi pecunia credatur, & licet non ſit perfecte completa ex utraque parte ſimonia, tamen jura id non requirunt ad incurrendas pœnas; ſed quod ex pacto res tradatur cum promiſſione pecuniæ. Quod patet *ex cap. ea quæ* 1. *quæſtione tertia*, ubi dicitur: *Quidquid ergo, vel in ſacris ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, vel data, vel promiſſa pecunia, acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus. Et in Extravagant.*2. *de ſimonia* diſponens Pontifex, quod ordinati ſimoniacè, ſint ab Ordinibus ſuſpenſi, dicit: *Qui ſub promiſſione pecuniæ ordines receperit*. Idem habetur *capite ſecundo, de Confeſſis, & cap. ultim. de ſimonia*, ibi: *promiſſionem, vel juramentum ab eo recipiens*. Et *cap. nobis, eodem titulo* electionem ſub promiſſione pecuniæ factam, dicitur eſſe penitus reprobandam: ſufficit ergo promiſſio pecuniæ cum traditione rei ad pœnas ſimoniacorum incurrendas, etiamſi de facto talis pecunia non detur. Sic Soto *lib.*9. *quæſtione octava, art. verſu Denique*. Petrus Navar. *libro ſecundo, capite ſecundo, numero* 428. Raphaël à Torre 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo ſexto, diſputatione octava*, Ugolin. *tabul.*3. *capite tertio*, Felinus *cap. inſinuatum de ſimonia*, Cajetan. 2.2. *quæſtione* 100. *articulo ſecundo, & tomo ſecundo, opuſcul. tractatu* 9. *de ſimonia, quæſtione ſecunda*, Palaus *diſputatione tertia, punct.*12. *numero quinto*, Toletus *libro quinto, cap.*92. *numero tertio*, Garcia *de benefic.* 8. *part. capite primo, à numero vigeſimo octavo, & à numero trigeſimo ſecundo*, ubi probat ex variis deciſionibus Rotæ hanc ſententiam ex ſtylo Curiæ eſſe receptam.

Pœnas incurri ob ſimoniam ſolo jure poſitivo prohibitam alii qui dicunt.

10. Tertia difficultas eſt circa ſimoniam realem, an qui ſimoniam realem ex utraque parte completam, & conſummatam committit, quæ non eſt talis ex jure divino, ſed tantum eſt ſimonia ex jure Eccleſiaſtico, incurrat pœnas in jure contra ſimoniacos aſſignatas? Ut ſi quis venderet officia œconomi, ſacriſtæ, &c. ſi permutaret unum beneficium pro alio propria authoritate, ſi beneficium in favorem tertii reſignaret, vel cum reſervatione penſionis, & aliis caſibus, quibus per totum hunc tractatum multoties diximus, ex ſolo jure poſitivo ſimoniam committi, talis incurrat excommunicationem, teneatur beneficium reſignare, fructus illius, & pretium ſimoniacè acceptum reſtituere? Affirmat prima ſententia: & probatur: quia in Extravag. 2. de ſimonia pœnæ ſtatuuntur contra ſimoniacos: ſed qui ſimoniaci ſunt ex jure tantum poſitivo, verè ſunt ſimoniaci ut multoties diximus, & ſic in jure tales abſolutè dicuntur, ut ex variis textibus conſtat: ergo, &c. Maximè quia in dicta extravaganti dicitur incurrere pœnas, *quomodolibet dando, vel accipiendo*. Sic Navar. *cap. ſi quando, de reſcriptis, except.*4. *in fin. & lib.*5.*conſil. in antiq.conſil.*11. *in noviſſ conſil.*41. Panormit. *cap. ex parte, el* 1. *de offic. delegat*. Felinus *cap. ad audientiam, el* 2. *de reſcript*. Soto *lib.*9. *de juſtitia, quæſtione* 7. *art.* 2. *concluſione* 2. Ludovic. Lopez 1. *part. inſtruct. c.*299. *concluſione* 5. *fol.*904. Villalob. *tract.*37. *difficult.*39. *num.*1. Et hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

Solum ob ſimoniam jure divino prohibitam pœnæ ſimoniacorũ incurruntur.

11. Sed non minus eſt probabilis ſententia negativa dicens non incurri in dictis caſibus pœnas, nec eſſe excommunicatos, nec privatos beneficiis ſic acceptis ipſo jure, nec teneri fructus reſtituere. Probatur primo ex prooemio illius extravagantis 2. de ſimonia, ubi dicitur: *Cum ſcelus ſimoniacæ pravitatis tam divinorum, quam ſacrorum canonum authoritas abhorreat*. Ubi manifeſtè indicat ſe loqui de ſimonia divino ſimul, ac canonico jure prohibita: nam præfatio legis dat intellectum toti legi, & ex ipſa regulatur, & cauſam finalem accipit; ut multis illuſtrat, & probat Molina *lib.*1. *de primogen. capite quinto, num.*8. Guttier. *lib.*3.*practic. quæſt.*17.*num.*89. Navar. *cap. ſi quando, de reſcript. ex capite octavo, à numero primo*. Quare, quando in dicta extravaganti dicitur: *Quomodolibet dando*, &c. ſolum prohibetur modus, non objectum: non enim dixit, *quodcumque dando*, ſed quomodolibet; ſive enim detur ſpirituale pro temporali, per munus à manu, ab obſequio, &c. incurruntur pœnæ, quando ſimonia jure divino

vino reprobata committitur. ¶ Secundo probatur dicta ſententia : quia verba abſolutè prolata, maximè in dubio, debent accipi in potiori ſignificato : unde diximus *tomo ſecundo, tract. 10. de cenſuris, capite primo*, quod in jure excommunicatio abſolutè prolata accipitur pro majori, quæ eſt potior in illo ſignificato, ut habetur *cap. penult. de ſentent. excommunic.* Et hoc maximè in materia pœnali, & odioſa, qualis eſt iſta de qua loquimur, nomine ſimoniæ illa tantum debet intelligi, quæ propriiſſimè eſt talis : ſed potius ſignificatum in ſimonia, eſt ſimonia jure divino prohibita, quæ tantum propriè, & ſtrictiſſimè ſimonia eſt, ut conſtat ex ejus diffinitione, *quæ eſt emptio, & venditio rei ſpiritualis*. Ergo iura pœnas imponentia de iſta ſolum debent accipi, & intelligi. Sic Giragus *de regimin. regul. part. 1. dub. 8. numero ſexto*, Petrus Navar. *libro ſecundo, de reſtitut. cap. 2. à n. 436.* Eſcobar de Mendox. *in Theolog. moral. examin. 2. c. 6. num. 25.* Aragon. 2. 2. *quæſtione* 100. *art. 6. ſub fine*. Rodriguez *tomo ſecundo, ſumm. cap. 64. numero ſexto, & cap. 56. numero ſexto*, Sanchez *tomo primo, conſil. libro ſecundo, c. 3. dub. 108. per totum*. Tancred. *de relig. tract. 2. libro quarto, diſputatione 37. quæſtione tertia, numero octavo*, Diana 4. *part. tract. 4. miſcellan. reſolut. 155. & part. 11. tract. 6. miſcellan. reſolut. 30.* Rocaful. *in praxi Theolog. moral. tomo ſecundo, libro tertio, de 7. precept. decalog. cap. ultim. ſect. ultim. num. 1105.* Ioannes de Soria *epitome ſumm. parte ſecunda, tractatu 1. ſect. 4. diſputatione 5.* ¶ Excipitur ſimonia confidentialis, & quæ ab officialibus Epiſcopi in ordinibus committitur : nam hæc licet ſit ſimonia jure humano, incurruntur pœnæ Tridentini *ſeſſ. 21. cap. 1. de reformat.* Et illa etiam ſubdita eſt pœnis in Bullis Pii IV. & Pii V. aſſignatis, de quibus *cap. præcedenti punct. 5.* loquuti ſumus, licet aliquando ſit tantum jure humano prohibita, ob ſpecialem, & expreſſam diſpoſitionem juris in his duobus caſibus.

PUNCTUM II.

Quas pœnas incurrant dantes, vel recipientes aliquid pro ingreſſu religionis, Ordinum ſuſceptione, ac beneficiorum collatione?

Quas pœnas incurſant, ſimoniâ pro ingreſſu religionis committentes?

12. DIximus initio dubii præcedentis ſolum aſſignari in jure pœnas ipſo facto incurrendas pro ſimonia commiſſa in ingreſſu religionis, in ordinibus, & in beneficiis, quas modo oportet in particulari declarare. Igitur dantes, vel recipientes aliquid pro ingreſſu religionis, ipſo facto ſingulares perſonæ excommunicantur excommunicatione Papæ reſervatæ *Extravagant. de ſimonia, capite primo*, ubi advertunt Navar. *in manuali, capite vigeſimo ſeptimo, numero* 106. Sanchez *ſuprà dub. 104. numero quinquageſimo*, Bonacin. *quæſtione ſeptima, §. 4. numero ſecundo*, Lezana *tomo ſecundo, verb. ſimonia, numero vigeſimo quarto*, ex textu colligi, hujuſmodi excommunicationem ſolum imponi contra præſumentes id facere : unde, qui ignoranter, etiam culpabiliter id feciſſent, talem excommunicationem non incurrerent. Nec dicta excommunicatio incurritur in caſibus, in quibus diximus *capite ſecundo*, poſſe aliquid recipi ab ingredientibus religionem abſque labe ſimoniæ. Et licet pro receptione ad habitum pecuniam per modum pretii recipere ſit ſimonia; probabile eſt valde non incurri hanc excommunicationem in ipſo ingreſſu, ſed in profeſſione : itaut licet receptio ad habitum fuerit ſimoniaca, ſi poſtea factum retractetur, & pecunia, vel non accipiatur, vel reddatur, & poſtea ad profeſſionem gratis admittatur, talis excommunicatio non incurritur : quia receptio ad religioſum ſtatum, & traditio rei ſpiritualis, quæ ibi invenitur, uſque ad profeſſionem non conſumatur. Lezana *numero vigeſimo quarto*, Suarez *libro quarto, capite quinquageſimo ſeptimo, numero 56.* Palaus *diſputatione tertia, puncto 23. numero tertio*, Bonacina *numero undecimo*. At è contra, licet quis ad habitum gratis admittatur, ſi poſtea in profeſſione committatur ſimonia, hoc ſufficit pro hac cenſura incurrenda, quia ibi actus plenè conſumatur. Notat autem Leſſius *libro tertio, capite trigeſimo quinto, n. 131.* ex Navar. & Sylveſtro, Lezana *numero 24.* Palaus *num. 3.* hujuſmodi extravagantem ſaltem quoad hanc excommunicationem non eſſe uſu receptam.

13. Imponitur etiam in eadem extravaganti pœna ſuſpenſionis contra conventum, ſeu capitulum, aliquid pro dicto ingreſſu dans, vel recipiens. Quod intelligitur ſolum quoad actus capitulares pertinentes ad juriſdictionem, vel adminiſtrationem Eccleſiaſticam. Leſſius *numero octavo*, Lezana *verb. Capitulum, numero 10.* Palaus *punct. 23. numero primo*. ¶ Similiter ſi aliquis ad profeſſionem fuerit ſimoniacè receptus, licet ejus profeſſio valida fuerit, tam recipiens, quam receptus de monaſterio expellendus eſt ſine ſpe reſtitutionis, & in locum arctioris regulæ ad perpetuam pœnitentiam detrudendus, *cap. quoniam, cap. de regularibus, de ſimonia*. Quæ pœna ſolum poſt ſententiam judicis, ſaltem criminis declaratoriam, incurritur. Layman. *§. 7. num. 70.* Leſſius *capite trigeſimo quinto, dub. 23. fine*, Suarez *capite quinquageſimo ſeptimo, numero octavo*. Tales autem ſimoniaci ſunt infames prout colligitur ex dicta *Extravagant. §. cæterum*. Quando talis ſimonia eſt notoria, aut juridicè declarata, & conſequenter ſunt irregulares irregularitate ex infamia orta. Lezana *tomo ſecundo, verbo ſimonia, num. 27. & verbo infamia, n. 3.*

Aliæ pœnæ contra ſimoniam in religione commiſſam

14. Circa pœnas vero impoſitas dantibus, & recipientibus ordines dicimus, quod qui ſimoniacè aliquem ordinat, aut ad conferendum ordinem mediator, ſeu præſeutator exiſtit, eo ipſo eſt excommunicatus excommunicatione Papæ reſervata, quacumque fulgeat dignitate Pontificia, aut Cardinalitia. *Extravag. 2. cum deteſtabile, de ſimonia*. Sed cum pœnæ reſtringi debeant, & prima tonſura verus ordo non ſit, ad illius ſimoniacam collationem hæc excommunicatio non extenditur. Leſſius *libro ſecundo, capite trigeſimoquinto*, Palaus *punct. vigeſimoquarto, numero primo*. ¶ Deinde ſimoniacus ordinator ipſo jure à collatione quorumcumque ordinum, & primæ

Pœnæ impoſitæ contra dantes, & recipientes ordines ſimoniacè.

primæ tonſuræ, & executione omnium pontificalium ſuſpenditur per Sixtum V. in bulla contra male præmotos, quæ incipit: *Sanctum, & ſalutare.* Quam Bullam Clem. VIII. anno 1591. quamvis quoad alia revocaverit, non tamen ut pœnas ſimoniacorum continet. Henriquea *libro decimotertio, de excommunicatione, capite trigeſimoſeptimo, numero quarto,* Sanchez *dub.* 104. *numero trigeſimooctavo.* ¶ Denique ſimoniacus collator ordinum eſt interdictus ab Eccleſiæ ingreſſu, ut habetur in dicto motu Sixti V. ubi etiam ſuſpenſione punitur à regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & perceptione omnium fructuum ſuorum beneficiorum, ſi interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenſionem dictam à pontificali munere violaverit.

Pœnæ contra eos, qui ſimoniacè ordinantur.

15. Ordinati vero ſimoniacè ſunt ipſo facto excommunicati excommunicatione reſervata Pontifici. *Dicta Extravagant. deteſtabile.* Ubi etiam ipſo facto ſuſpenduntur ab executione ſuorum ordinum: per quæ verba non ſolum intelliguntur ordines, quos ſimoniacè accepit, ſed omnes alios, quos habet. Leſſius *dub. vigeſimoquinto, numero* 135. Rodriguez *tomo ſecundo, ſumm. capite quinquageſimoſexto, numero ſexto.* Palaus *diſputatione tertia, punct. vigeſimoquarto, numero tertio.* Licet ſit probabile ſolum intelligi de ſuſpenſione ab uſu illius ordinis, quem ſimoniacè recepit. Si tamen hanc ſuſpenſionem violaverit, irregularis fiet, ſicut omnis, qui cenſuram violat Eccleſiaſticam, per uſum ordinis ſit irregularis. ¶ Additur in Bulla Sixti V. *Clericos male per ſimoniam præmotos ab executione, miniſterio, & exercitio ordinum ſuſceptorum, & ab omni facultate, & ſpe aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuo ſuſpenſos declaramus.* Cæterum talem ſuſpenſionem ab ordinibus minime incurri, ſi ſimonia commiſſa fuit, ignorante ipſo ordinato: quia neque eſt in jure cautum, nec juſtum videbatur, ut privaretur uſu ordinum valide, & licitè ab eo ſuſceptorum abſque ſua culpa ob crimen aliorum ſimoniam committentium, docent Sanchez *dub.* 104. *numero trigeſimoquinto.* Villalob. *difficultate trigeſimaquarta, numero ſexto.* Leſſius *dubio vigeſimoquarto, numero* 136. Lezana *verbo ſimonia, numero* 28. Layman *numero* 71. ¶ Sed oppoſitum tenendum eſt cum D. Thoma *quæſt.* 100. *articulo ſexto, ad* 3. *Quia quod aliquis privetur* (inquit) *eo, quod accepit, non ſolum eſt pœna peccati, ſed etiam quandoque eſt effectus acquiſitionis injuſtæ, puta cum aliquis emit rem aliquam, ab eo qui dare non poteſt:* &c. *& ideo, ſi eo neſciente, nec volente per alios, alicujus promotio ſimoniacè procuratur, caret equidem ordinis executione, &c.* Sic Felinus *cap. per tuas de ſimonia, numero tertio,* Aragon *ibi articulo* 6. *fol.* 1131. Raphaël à Torre *ibi diſputatione ſeptima,* Soto *libro nono, quæſtione octava, articulo primo, ad tertium.* Arauxo *articulo ſexto, numero tertio.* ¶ Addit Sixtus V. in illa Bulla abſolutionem harum cenſurarum, & inhabilitatum Pontifici reſervari, revocando quoad hoc facultates religioſis conceſſas, & etiam conceſſas Epiſcopis in Tridentin. *ſeſſione vigeſimaquarta, capite ſexto, de reformat.* Sed hanc bullam in hac parte non eſſe uſu receptam, docet Leſſius *dubio vigeſimoquarto, numero* 134. *fine.* Palaus *punct. vigeſimoquarto, numero quarto.* ¶ Denique ſimoniacos in ordine, & beneficiis incurrere pœnam infamiæ, & depoſitionis habetur *cap. ultim.* 1. *quæſtione tertia, & cap. qui ſimoniacos* 1. *quæſtione prima.* Quæ pœna non ipſo facto incurritur, ſed poſt judicis ſententiam, ut ex eiſdem textibus colligunt Arauxo *numero quinto.* Raphaël à Torre *diſputat. nona,* Sanchez *dub.* 104. *numero decimooctavo,* & eſt D. Thomæ *quæſtione* 100. *articulo ſexto, in corp.*

Circa pœnas pro ſimonia in beneficii commiſſa aliqua notantur.

16. Circa pœnas vero impoſitas dantibus, & recipientibus ſimoniacè beneficia; notandum eſt, quod jura, quæ illas imponunt pro receptionibus, collationibus, nominationibus ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia, loquuntur de beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis propriè talibus, quia pœnæ reſtringi debent, non ampliari; unde ſub illis non comprehenduntur penſiones, Vicariæ ad nutum amobiles, capellaniæ non collativæ; quia beneficia proprie non ſunt. Nec officium inquiſitoris legati, aut ſimilium, quæ non ſunt proprie officia Eccleſiaſtica, de quibus modo ſermo eſt: quia ſolum nomine officii Eccleſiaſtici illud intelligitur, propter quod datur beneficium; quia beneficia ſunt propter officia; licet enim prædicta emi, aut vendi abſque peccato ſimoniæ non poſſint; non tamen impoſitas pœnas modo recenſendas incurret, qui hoc faceret. Et licet obtinens ſimoniacè Abbatiam, Prioratum, Generalatum, Provincialatum de facto illas incurrat, quamvis hæc non ſint proprie beneficia Eccleſiaſtica; hoc tamen ideo eſt, quia quodam modo beneficia ſunt quoad officia Eccleſiaſtica, quia eaſdem exercent ſpirituales functiones, quæ officiorum Eccleſiaſticorum ſunt propria. Unde officia ſunt propriè Eccleſiaſtica, & quodammodo beneficia. Et ſic *in extravagant.* 2. de ſimonia expreſsè nominantur, ut pro eis ſimoniace acceptis, pœnæ ibi impoſitæ incurrantur. Leſſius *capite trigeſimoquinto, dub. vigeſimoquinto, num.* 137. Navarr. *capite vigeſimotertio, numero* 111. Soarez *capite quinquageſimooctavo, numero quadrageſimoquinto,* Palaus *punct. vigeſimoquinto, numero primo,* Villalob. *tractatu trigeſimoſeptimo, difficult. trigeſimaquarta, numero ſeptimo.* Sanchez *libro ſecundo, capite tertio, dub.* 104. *numero* 5. Lopez 1. *p. inſtruct. cap.* 305. *fol.* 953. *pagin.* 2.

Pœnæ proponuntur contra ſimoniacos in beneficiis.

17. Igitur conferenti, vel procuranti alteri officium, aut beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè, ſive per electionem, poſtulationem, nominationem, confirmationem, ſive publice, ſive ſecreto datur excommunicatio ipſo facto incurrenda Pontifici reſervata, & idem eſt de recipiente mediatoribus parentibus, amicis, & omnibus illis, qui adjuvant, & procurant, ut beneficium ſimoniacè detur, *Extravagant. cum deteſtabile, de ſimonia, & in Bulla Sixti V. contra malè præmotos.* ¶ Deinde irritantur, & annullantur omnes proviſiones, & collationes taliter factæ, ut nullum jus per eas acquiratur. Unde recipiens ſimoniacè beneficium, fructus ſuos non facit, ſed eos tenetur reſtituere ante omnem judicis ſententiam, *cap. ex inſinuatione, & extravag.* 2. *de ſimonia.* Et beneficium ſic receptum tenetur ſtatim dimittere, & ante omnem ſententiam protinus reſignare: quia collatio, aut inſti-

tutio fuit omnino nulla. Quod reprobat D. Thomas 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo ſexto, corpor. & ad* 3. quem univerſi Doctores ſequuntur. ¶ Et has pœnas incurrit, qui ſimoniacè recipit beneficium, etiamſi ſimonia non ab ipſo, ſed ab alio tertio commiſſa ſit, ipſo tamen ſciente, & non contradicente, *cap. nobis fuit* 27. *cap ſicut tuæ* 33. *de ſimonia.* Ubi additur, quod ſi ſciens contradicat, valida eſt collatio beneficii in eum facta.

Quas pœnas incurrat, qui ignoranter ſimoniacè accepit beneficium.

18. Si tamen eo ignorante, & non contradicente, quia nullam habuit ſuſpicionem ſimoniæ, ab alio tertio committatur, quamvis non excommunicationem incurrat, quia tamen inhabilis redditus eſt ad illam collationem, illa nulla reddita eſt: & ſic cum primo ſcierit, tenetur illud beneficium renuntiare, *cap. nobis fuit, de ſimonia, capite ultim. de electionib.* & tenet D. Thomas *articulo ſexto, ad* 3. Aragon. *ibi fol.* 1131. Navarr. *capite vigeſimoquinto, numero* 113. Rodriguez *tomo ſecundo, capite* 63. *numero tertio*, Henriquez *libro decimotertio, de excommunicat. capite trigeſimoſeptimo, numero quinto.* Sanchez *dub.* 116. *numero primo*, & tenetur fructus, quos recepit, ſi extent reſtituere; non eos, quos bona fide conſumpſit, & ſic dicit D. Thomas *articulo ſexto, ad* 3. *Si vero, eo neſciente, nec volente per alios alicuius promotio ſimoniacè procuratur, tenetur reſignare beneficium, quod eſt conſequutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos, quia bona fide poſſedit. Niſi forte inimicus eius fraudulenter pecuniam daret pro alicuius promotione, vel niſi ipſe expreſſè contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renunciandum, niſi fortè poſtmodum pacto conſenſerit, ſolvendo quod fuit promiſſum.* ¶ Sed huic, qui ſic ignoranter ſimoniacè recepit beneficium, ſi per triennium poſſederit bona fide beneficium, favet ei regula de triennali poſſeſſione, nec poteſt illi lis aliqua moveri: quia bona fide, & colorato titulo poſſedit. At ille, qui ſcienter tale beneficium ſimoniacè accepit, regula de trienniali poſſeſſione non prodeſt, ſed adhuc tribus tranſactis annis poteſt moveri lis contra eum, & privari beneficio. Ugolin. *tabul.* 4. *capite ſexto*, §. 9. Suarez *libro quarto, capite* 57. *numero nono, dub.* 23. *numero* 140. Palaus *punct.* 23. *numero tertio*, Gomez *de triennal. quæſtione duodecimo.* Villalob. *tract.* 37. *numero nono.*

Simonia commiſſa in beneficiis ante ſententiam judicis, non privat beneficiis antea rite obtentis.

19. Sed inquires primo, an ſimonia in beneficiis non ſolum ipſo facto privet illo, quod ſimoniace obtentum eſt, ſed etiam aliis omnibus antea rite obtentis? Reſpondetur, ante ſententiam judicis condemnatoriam, nec beneficiis antea ritè obtentis, nec fructibus illorum ipſo jure privari; poſſe tamen per ſententiam judicis ſecundum gravitatem delicti, & beneficiis antea obtentis, & fructibus privari, ut in eo, in quo quis peccat condignam pœnam accipiat. Ipſo tamen facto, & ante ſententiam judicis nedum declaratoriam criminis, ſed condemnatoriam, non privari, probatur. Quia pœna, præcipue adeo gravis, qualis eſt privatio beneficiorum obtentorum, non eſt imponenda, niſi in jure expreſſa reperiatur; nulla autem lex, nullumve jus datur hanc pœnam expreſsè ipſo facto deſignans, nam quæ ſolent afferri vel loquuntur de illo beneficio, quod ſimoniacè obtinuit, vel poſt ſententiam judicis condemnatoriam. Layman. *libro quarto, tractatu decimo, capite octavo, numero* 75. Rebuff. *in practic. titul. de ſimon. in reſignat. numero decimotertio*, Bonacin. *diſputatione prima, quæſtione ſeptima, punct.* 2. *difficultate ſecunda, num...* Filliucius *tractatu* 45. *capite decimotertio, quæſtione nona, numero vigeſimoquarto*, Sanchez *libro ſecundo, capite tertio, dub.* 14. *numero decimoſexto.* Palaus *diſputatione tertia, punct.* 25. *numero quarto*, Rodriguez *tomo ſecundo, capite* 56. *numero ſexto*, Suarez *libro quarto cap.* 58. *à numero ſexto* ¶ Excipe primo ſimoniam confidentialem in qua propter motum Pii V. privatur ſimoniacus omnibus beneficiis antea obtentis ut *cap. præcedenti, n.* 74. dicebamus. Excipe ſecundo ſimoniam commiſſam ab examinatoribus beneficiorum in ſynodo conſtitutis, ſeu electis, qui ſi aliquid occaſione examinis recipiant, privantur ipſo facto beneficiis antea ritè obtentis, & tenentur illa dimittere, etiam ante judicis ſententiam, ut expreſsè habetur in Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reformat.*

Simoniacũ in beneficiis ad alia obtinenda eſſe inhabilem aliqui dicũt.

20. Inquires ſecundo, an qui ſimoniam committit in beneficiis, maneat inhabilis ipſo facto, & ante ſententiam judicis, ad alia beneficia obtinenda? Supponitur non ſolum privari pro illa vice illo beneficio quod ſimoniace obtinuit, ſed inhabilem ad illud in perpetuum manere, ita ut abſque diſpenſatione non poſſit unquam illud recipere, *cap. ſi alicuius, de electione.* & communiter authores. Quæritur ergo modo, an etiam ad alia inhabilis ipſo facto maneat, ita ut abſque diſpenſatione nulla unquam poſſit recipere? Affirmat prima ſententia, quæ probatur primo: quia ita expreſsè habetur in motu Pii V. edito anno 1566. Kalendis Aprilis, & incipit: *cum primum*, ubi ſic dicitur: *qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniacè acquiſierit, illis ſit ipſo iure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcumque alias obtinendas: qui beneficium, aut officium Eccleſiaſticum ſimoniace adeptus fuerit, perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda.* ¶ Quia, cum in ſacra pœnitentiaria conceditur abſolutio a ſimonia occulta in beneficio commiſſa, datur etiam diſpenſatio ad alia beneficia in futurum obtinenda, ut teſtatur Bonacin. *diſputatione* 1. *quæſtione ſeptima, punct.* 2. *difficultat.* 2. *numero tertio*, ſed diſpenſatio ſupponit jam contractam inhabilitatem: ergo per talem ſimoniam inhabilis ipſo facto redditur, & ad alia beneficia obtinenda. Sic Bonacina *loco citato*, Layman. *libro quarto, tractatu decimo, capite octavo, numero* 74. Filliucius *tractatu* 45. *capite decimotertio, quæſtione nona, numero vigeſimoſexto*, Ugolin. *tabul.* 4. *capite ſexto, numero ſexto*, Metin. *libro primo, Summ. capite decimoquarto*, §. 20. *fol.* 127. Lopez *prima parte, inſtruct. capite* 307. *fol.* 971. Rodriguez *tomo ſecundo, Sum. capite* 56. *numero ſexto*, Henriquez *libro decimotertio, de excommunicat. cap.* 37. *num.* 3. *fin. & cap.* 56. *num.* 1.

Non fit inhabilis ad alia beneficia ipſo facto ſimoniacus.

21. Secunda vero ſententia, cui ſubſcribimus, dicit non incurri dictam inhabilitatem ante judicis ſententiam: quia nec *in Extravagant.* 2. *Pauli II. de ſimonia*, nec in alio jure antiquo talis inhabilitas reperitur (excipe

confiden

confidentialem ſimoniam, propter ea, quæ *cap. præcedent. numero ſeptuageſimo quarto*, diximus.) Motus autem ille Pii V. vel non eſt uſu receptus, quoad hanc inhabilitatem, ut tenent omnes, quos infrà dabimus, vel non obligat in foro conſcientiæ ante judicis ſententiam, ut plures dicunt, quia loquitur de convictis, id eſt, per ſententiam condemnatis. Et illa verba *eo ipſo*, referuntur ad privationem juris, & adeptionem beneficii ſimoniacè obtenti; non vero ad inhabilitatem ad alia; cum non ſit eadem ratio referendi; ſiquidem ex jure antiquo illa adeptio erat nulla, cum tamen inhabilitas de qua loquimur, non eſſet jure antiquo ſtabilita: & ſi in Pœnitentiaria illius abſolutio datur, erit ad majorem ſecuritatem, ob probabilitatem alterius ſententiæ. Sic Sanchez *libro ſecundo, capite tertio, dub.* 104. *numero decimo quarto*, Navar. *libro quinto, conſil. titul. de ſimonia, in noviſſ. conſil.* 92. *in antiquis, conſil.* 34. Petrus Navar. *de reſtitut. libro ſecundo, capite ſecundo, à numero* 435. Aragon. 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo ſexto, dub. penultim.* Suarez *capite* 58. *ad finem.* Et ut probabilem tenet Palaus *diſputatione tertia, punct.* 25. *numero ſeptimo*, Leſſius *capite trigeſimo quinto, dubio vigeſimo ſexto*, ubi etiam ad inhabilitatem ob ſimoniam confidentialem judicis ſeutentiam requirit. Quod & nos diximus *n.*75.

PUNCTUM III.

An acquiſita per ſimoniam debeant reſtitui, & cui reſtitutio facienda ſit?

Qui ſimoniacè beneficium recepit, illud ſtatim tenetur dimittere.

22 SUpponimus, ut certum apud omnes, quod in ſimonia commiſſa in beneficiis tenetur qui ſimoniacè beneficium recepit, illud protinus dimittere ante nollam judicis ſententiam: quia talis collatio irrita, & nulla fuit, *cap. ex inſinuatione, & extravagant. cum deteſtabile, de ſimonia*: unde quandiu tale beneficium retinuit, fructus ſuos non facit, ſed illos integrè tenetur reſtituere. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo ſexto, ad* 3. Torre *ibi diſputatione ſexta*, Soto *libro* 9. *quæſtione octava, articulo primo*, Arauxo *articulo ſexto, numero decimo ſexto*, Navar. *capite vigeſimo tertio, numero* 111. Petrus Navar. *libro ſecundo, de reſtitut. capite ſecundo, n.*431. Lopez *prima parte, inſtruct. capite* 307. *fol.*972. *pagina* 1. Palaus *diſputatione tertia, punct.* 26. *numero primo*, Layman. §. 9. *num.*85. Sanchez *dub.*112. *numero ſecundo, & dub.*115. *numero primo*, Villalob. *difficult.* 40. *numero quarto*: & omnes. ¶ An vero ex jure divino nulla ſit talis collatio, itaut ex illo teneatur & beneficium dimittere, & fructus reſtituere? Verius eſt non teneri: quia emens beneficium non facit injuſtitiam, ſed patitur; debebat enim gratis accipere, quod dato pretio accipit, & tantum peccat contra religionem, cujus tranſgreſſio non obligat ad reſtituendum. Nec etiam beneficium conferens peccat contra juſtitiam, aut ex iure divino invalidam facit collationem: quia diſpenſator dupliciter poteſt res Domini contra eius voluntatem diſpenſare. Primo, quando Dominus præcipit ut nullatenus diſpenſet, & tunc rem diſpenſatam accipiens tenetur reſtituere, quia datio eſt nulla, & acceptio contra Domini voluntatem. Secundo, quando eſt tantum invitus Dominus quoad modum, qui ſcilicet Dominus præcepit diſpenſare gratis, & diſpenſat ob pretium; & tunc pretio accipiens, validè accipit, nec tenetur iure naturæ rem ſic acceptam reſtituere. Arauxo *art.*6. *num.*6. Villalob. *diffi. ult.*36. *numero* 4. Sanchez *dub.* 111. *num.* 2. Soto *quæſtione* 8. *art.*2. *ad* 2. Sylveſter *ſimonia, quæſtione* 20. *dict.*1. Gutierrez *canonic. quæſt. cap.* 9. *num.*16. Ludovic. Lopez *prima parte, inſtruct. c.*306. *fol.*963. Navar. *cap.* 23. *num.*9. Victoria *relect. de ſimonia*, 2. *part. num.*5. Aragon. *q.*10. *art.*6. *fol.*1132. *concluſ.*2. Layman. *tract.*10. *cap. ult.* §. 9. *num.*82.

Qui alias res ſpirituales præter beneficia accipit, illas reſtituere nō tenetur.

23. Alias vero res ſpirituales, præter beneficia, quas ſimoniacè recepit, non tenetur reſtituere, nec ex jure divino, nec Eccleſiaſtico: non quidem jure divino, quia ut validè unuſquiſque rei ſuæ tranſlationem Dominis faciat, ſufficit intentio, & poteſtas in conferente, & in recipiente capacitas. Dari tamen in conferente poteſtatem illius rei transferendi dominium, & in recipiente capacitatem, conſtat: quia ſi talem rem gratis donaret proculdubio in alium ejuſdem dominium transferret: quod autem dato pretio, vel ſine illo fiat, faciet actum licitum, vel illicitum, non autem irritum, & inane; ut conſtat in ſacramentis ſimoniacè acceptis, quæ validè conferuntur, in conſecratione, in benedictione Eccleſiæ, in profeſſione religioſa, quæ valida eſt; etiam ſimoniacè facta, *cap. veniens de ſimonia*, & docet D. Thomas *articulo ſexto, ad* 5. Nec etiam ex jure poſitivo teneri ad talem reſtitutionem, conſtat: quia nullum datur id expreſsè jubens: quæ enim referri ſolent, communiter intelliguntur in cauſis beneficialibus. Unde ſi quis per ſimoniam compararet reliquias Sanctorum, grana benedicta, iuſpatronatus, licentiam eligendi confeſſorem, non tenetur res ſic prave acceptas dimittere: quia dando pretium pro illis, non peccavit contra iuſtitiam, ſed contra religionem, indebitè tractando res ſpirituales. Leſſius *libro ſecundo, capite trigeſimo quinto, dub.*28. *numero* 198. *& dub.*29. *&* 30. Sotus *libro nono, quæſtione octava, articulo primo, ad* 6. *verſic. porro vero.* Henriquez *libro ſeptimo, de indulgent. capite trigeſimo quinto, numero quarto, in comm. littera* G. Bonacin. *diſputatione prima, quæſtione ſeptima, punct.* 3. *numero tertio, & difficult.* 2. *numero primo*, Angles *in floribus* 3. *part. dub.* 108. *concluſione* 3. *fol.* 193. Sanchez *lib.*2. *cap.*3. *dub.*113. *num.*2. Suarez *lib.*4. *c.*59. *à num.*28. Palaus *diſputatione tertia, punct.*26. *num.*1. Layman, *libro quarto, tract.*10. *cap.*8. §. 9.

Objectio contra dicta proponitur, & enervatur.

24. Sed objicies, omnes contractus ſimoniacos irritos eſſe, *ex cap. ultimo de pactis*: ſed accepta per contractum irritum retineri non poſſunt, cum non adſit titulus, ob quem retineri valeant; & ideo *in cap. final. de pactis, cap. Matthæus; cap. conſuluiſti, de ſimonia, cap. præterea de tranſactionibus*, omnis pactio, & tranſactio in ſpiritualibus nullius eſſe momenti cenſetur, & ſic inſufficiens ad rei transferendum dominium. ¶ Reſpondetur dupli-

citer iniri poſſe. Primo de futuro, obligando ſe ad tradendum ſpirituale pro temporali. Secundo de præſenti, exequendo obligationem inique contractam, ſeu judicatam, & tribuendo temporale pro ſpirituali ut pretium. In prædictis ergo textibus ſolum irritatur, ſeu irrita declaratur omnis pactio, ſeu contractus de futuro: quia nullus obligari poteſt ad turpem actum: non vero irritatur ipſamet contractus exequutio, ſeu traditio rei, vel pretii, quæ ſuum effectum habere poteſt etiam ſi illicite fiat, & non adſit obligatio exequendi, ut patet in meretrice, quæ pactum iniit de copula, certo pretio; quod pactum nullam inducit obligationem ante ſequutam copulam: quia nullus obligatur ad rem turpem agendam: illa vero ſequuta valida eſt traditio pecuniæ, ita ut meretrix illam reddere non teneatur: ſic non tenetur quis rem ſpiritualem dare ob pactum de illa tradenda ob pretium, quia nulla fuit talis conventio: re tamen jam ipſo facto tradita, & pretio ſoluto, illamque emit, retinere poteſt, non ex vi contractus præcedentis, ſed ratione rei materialis in recompenſationem inique traditæ.

Tenetur pretium ſimoniace acceptũ danti reſtituere, qui rem vẽditam non dedit.

25. Sed rogabis modo, an qui pretium recipit pro ſpirituali re, illa tradita, teneatur illud reſtituere? Dicimus *re iam tradita*, quia niſi rem ſpiritualem, quam vendit tradat, pretium acceptum teneri reſtituere, omnes docent: quia non eſt titulus, quare pretium illud retinere valeat. Debet igitur illud reſtituere illi, qui pravè, & ſimoniacè illud tradidit: nam is adhuc retinet ius ad illud, cum non donaverit, nec habuerit ius transferendi illud in accipientem abſolute, ſed ſub conditione, quod rem ſpiritualem donaverit, & ex pacto illo oneroſo: ergo non adimpleta conditione, pretium eſt reſtituendum tradenti. Victoria 2. *parte relect. de ſimonia numero* 6. Bañez 2.2. *quæſtione trigeſimaſecunda, articulo ſeptimo, concluſione decimaquarta*, Sotus *libro nono, quæſtione octava, articulo quinto*, Cajetanus *in ſumm. verb. ſimonia* Navarrus *in Manual. capite* 38. *numero* 104. Suarez *capite* 59. *numero* 2. Bonacina *quæſtione* 7. *punct.* 3. *difficultat.* 1. *numero* 2. Layman *lib.* 4. *tractat.* 10. *capite* 8. *numero* 70. Filiucius *tractat.* 45. *capite* 13. *quæſit.* 10. *numero* 27. § Nec contra hoc eſt, quod in *l. ſi ob turpem ff. de conditionibus*, ob turpem cauſam dicitur, lucrum turpiter acceptum non eſſe reſtituendum tradenti: nam intelligitur quoties iudex in pœnam delicti imponit onus reſtituendi pretium pauperibus, aut alteri; ſecus vero ante talem ſententiam iudicis, ut intelligunt legem illam, & alios auctores pro nobis citati.

Ex jure divino ſimoniace pretium accipiens, non tenetur illud reſtituere.

26. Quæſtio ergo modo procedit, quando re tradita eſt pretium receptum, an illud ſimoniacè recipiens teneatur reſtituere, ſicuti tenetur lucrum reſtituere, qui per uſuras illud comparavit? Tanta eſt in hac parte inter Doctores varietas, ut eſſet longiſſime abire, omnium eorum placita referre. Ideoque diverſis eorum placitis relictis, hac concluſione difficultatem reſolvemus. Dicimus ergo, quod in ſola reali ſimonia commiſſa in receptione ordinis, beneficii, & religionis tenentur ſimoniaci ad reſtituendum pretium ante ſententiam judicis ex jure poſitivo Eccleſiaſtico: in aliarum rerum ſpiritualium ſimonia, pretium comparatum reſtituere non tenentur. Et in nulla ſimonia ex jure divino; & ſolum in illis tribus caſibus, ut diximus, ex jure Eccleſiaſtico. Tres partes habet aſſertio, & ab hac ultima incipiendo; probatur ex jure divino in nulla ſimonia cuiuſcumque materiæ adeſſe obligationem reſtituendi pretium per illam comparatum. Quia jus divinum non obligat ad reſtitutionem, niſi quando recipitur, aut traditur aliquid contra juſtitiam; ſimoniaca autem acceptio non eſt contra iuſtitiam, ſed contra religionem; nam ſimonia ut *capite* 1. diximus, eſt peccatum irreligioſitatis, non iniuſtitiæ; niſi forte aliàs committatur iniuſtitia ſimul; quia nimirum venditur res ſpiritualis eis, quibus ex iuſtitia eam adminiſtrare tenebatur, quia qui ex iuſtitia tenebatur dare gratis, & ob pretium dat, iniuſtitiam committit, & ſic pretium reſtituere tenetur: ut parrochus, qui ut Sacramenta miniſtret, pretium recipit; qui à redimente ſuam vexationem aliquid accipit; qui ut dignum eligat, pecunias ſuſcipit, &c.

Diverſitas aſſignatur inter uſurã, & ſimoniã, ut in illa lucrũ debeat reſtitui, non in iſta.

27. Et confirmatur hoc: quia qui dat ſimoniacè pretium, voluntariè dat, & verè transfert Dominium: ſed ei, qui voluntariè dat, & vere transfert dominium, reſtitutio non debetur: ergo venditor rei ſpiritualis ex iure naturæ reſtituere non tenetur pretium, quod accepit, & huius vere Dominus conſtituitur. Nec eadem eſt ratio de pecunia extorta à mutuario per uſuram: nam ille, qui ſolvit uſuras, non libere omnino ſolvit, ſed involuntarie pro redimenda vexatione: qui actus eſt voluntarius, mixtus involuntario; & ideo non transfert dominium, & conſequenter uſurarius tenetur ex iure naturæ reſtituere pecuniam per uſuram acceptam: non ita ſimoniacus. Deinde qui uſuras accepit non recipit à dante illas rem pretio æquivalentem, ſed nihil omnino valentem: nam mutuum, præter ſortem, nihil amplius dat, aut valet, ut probavimus *tomo* 3. *tractat.* 14. Qui vero ſimoniacè rem ſpiritualem vendit, rem alteri dat pretioſiſſimam, quæ non ideo vendibilis eſt, quia nihil valet, ſed potius quia plus valet, quam omne pretium temporale, & ſic in nullo ipſe damnificatus eſt, ſed potius melioratus. Et ſic contra ullum nulla iniuſtitia committitur, ſed contra Deum magna irreligioſitas, eique ingens iniuria irrogatur. Ex quo patet, quare uſurarius pretium pro uſuris receptum ex iure naturæ teneatur reſtituere, non ſimoniacus. Quod tenent Leſſius *libro ſecundo capite trigeſimoquinto, dubio vigeſimooctavo, numero* 158. Palaus *diſputatione tertia, punct. vigeſimoſexto, numero primo*, Bonacina *diſputatione prima, quæſtione ſeptima, punct. tertio, difficult. prima, numero tertio*, Layman *libro quarto, tractat. decimo, capite octavo, §. nono*, Victoria *ſecunda parte relect. de ſimonia numero ſexto*, Filiucius *tractat. quadrageſimoquinto, capite* 15. *quæſtione decima, numero vigeſimoſeptimo*, Sanchez *dubio* 111. *numero quinto*, Arauxo *articulo ſexto, numero ſexto*, Navarrus *in manual. capite vigeſimotertio, numero* 103. Caietanus 2.2. *quæſtione* 100. *articulo ſexto, dubio primo*. Malderus *ibi dubio decimonono*, Vgolinus *tabul. quarta, capite ſecundo, §. primo*, Villalob. *tractat. trigeſimoſeptimo, difficult. trigeſimaſexta, numero quarto*, Lopez *prima parte inſtruct. capite* 306. *fol.* 965. *fine*, Bañez 2.2. *quæſtione trigeſimaſecunda, articulo* 7. *pagin.* 1174.

28. Ex

Pretium receptum ſimoniacè ob alias res ſpirituales, præter quã in ordine, religione, & beneficiis, non tenetur ſimoniacus reſtituere.

28 Ex quo patet ſecunda pars aſſertionis, quod in ſimonia commiſſa in aliis rebus ſpiritualibus, præterquam in illis tribus, omnium ordinis, & religionis, & beneficiorum, ex nullo iure datur obligatio reſtituendi pretium ſimoniace receptum, conſtat. Quia non ex jure divino, ut modo dicebamus, nec ex iure Eccleſiaſtico; tum quia nullum datur id expreſſe iubens. Tum etiam, quia ut dicebamus *numero primo*, nulla datur pœna aſſignata in iure poſitivo ipſo facto ante ſententiam iudicis incurrenda pro ſimoniacis in aliis materiis, præterquam in materia ordinis, religionis, & beneficiorum, & ſic ex iure poſitivo non dabitur ut pœna, reſtitutio pretii accepti, in aliis materiis, ipſo facto incurrenda, niſi forte iudex in pœnam criminis iubeat reſtituere pretium acceptum pauperibus, aut aliis operibus piis: in quo rectiſſimè procedet. Et tunc ſimoniacus citra dubium illud reſtituere tenebitur. Deinque quia ſimonia eiuſdem rationis eſt in vendente, & in emente: ſed in emente, ut diximus *numero vigeſimotertio*, extra caſus beneficiorum, non datur obligatio reſtituendi rem ſpiritualem acceptam ex nullo jure: ergo nec in vendente dabitur obligatio reſtituendi pretium, Ita omnes auctores *numero præcedenti* relati.

Pretium receptum in ſimonia cõmiſſa in ordine, religione, & beneficio, reſtituendum eſt.

29. Quod autem in illis tribus caſibus ſimoniæ debeat reſtitui pretium receptum omnibus eſt inconcuſſum: & quidem in ſimonia commiſſa in beneficiis debere ante omnium ſententiam pretium reſtitui conſtat expreſsè, *ex cap. de hoc de ſimonia.* Ubi Alexander III. ſcribens ad Toletanum Archiepiſcopum ait: *Regem, & Principes eius debes inducere, ut ſi qua receperint à præfato Epiſcopo, ut eius electioni præſtarent aſſenſum Eccleſiæ Oxomenſi, ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint.* Deinde quantum ad pretium reſtituendum pro ordine, pro beneficio, pro ingreſſu religionis habetur expreſsè *in dicto capite de hoc autem & capite veniens eodem titulo & capite ſi quis dator. 1. quæſtione 43.* Et quia huiuſmodi ſimonia in his tribus caſibus eſt quæ ſubditur omnibus pœnis iuris, ut dictum eſt, quarum una eſt obligatio tam ad reſtitutionem pretii, quam ad reſignationem beneficii. Et quamvis in ſimonia ordinis non privetur re ſpirituali recepta ſecundum ſubſtantiam, quia id fieri non poteſt; privatur tamen exercitio ordinum, ut habetur, *capite per tuas 3. capite ſi quis ordinaverit de ſimonia.* Et ſimiliter licet monachus ſimoniacè recipiens habitum in uno monaſterio, maneat verè monachus, non tamen manet illi monaſterio incorporatus, ſed in aliud arctius eſt includendus. *Capite quoniam, capite dilectus 2. de ſimonia* Ex quibus conſtat, quod pretium ſimoniace acceptum, in tribus dictis caſibus, eſt omnino reſtituendum ex iure poſitivo: & res ſpiritualis ſimoniacè collata, ſecundum totam in beneficiis, vel ſecundum partem in ordine, & ingreſſu religionis eſt reſignanda, & dimittenda. Quod eſt certiſſimum & indubitatum apud omnes authores, quos proinde in particulari referre, ſupervacaneum erit.

Pretium receptum ſimoniacè debere reſtitui ei, qui dedit, aliqui dicunt.

30. Sed eſt difficultas, cui ſit facienda reſtitutio talis pretii ſimoniacè accepti? Suppoſito, quod res ſpiritualis ſit tradita: nam ante illius traditionem deberi reſtitui, ei, qui dedit, jam ſupra diximus *numero vigeſimoquinto*, quamvis in eo caſu dans non poſſit repetere pecuniam, neque ad hoc debet in iudicio audiri. Quia ut inquit D. Thomas 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo ſexto, ad 1. nec poteſt repetere pecuniam, quam turpiter dedit, licet alius iniuſtè detineat.* Quod etiam docet Covarruvias *ad regul. peccatum parte ſecunda, §. ſecundo, numero octavo.* Loquimur ergo, quando, res tradita eſt, & acceptum pretium. Prima igitur ſententia dicit adhuc in eo caſu pretium reſtitui debere ei, qui dedit ante iudicis ſententiam, quamvis poſt ſententiam ei, cui iudex adduxerit. Quia dans pretium non abdicavit à ſe dominium, cum non alia ratione intenderit abdicare, niſi quatenus illud transferret in venditorem: ſed non tranſtulit illud in venditorem, quia ex iure poſitivo incapax eſt talis pretii dominium recipiendi: ergo apud ipſum remanſit dominium: illi ergo eſt reſtituendum. Sic Sotus *libro nono, quæſtione octava, articulo primo, corpor.* Rodriquez *tomo ſecundo, ſum. capite 66. numero quarto*, Aragon. 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo ſexto, fol.* 1135. *verſ. ad ſecundum argumentum*, Sanchez *dubium* 114. *numero* 11. Baõez *quæſtione trigeſimaſeptima, articulo ſeptimo, dubio ſecundo, fol.* 1174. Villalob. *difficult.* 40. *numero ſecundo*, Leſſius *dubio trigeſimoprimo, numero* 171. Martinus de Ledeſma, *in ſumm. ſecunda parte tractat.* 12. *poſt* 43. *concluſion. difficul. ſecunda, verſu digo lo quarto*, Valentia *diſputatione ſexta, quæſtione decimoſexta, punct. ſexto, verſu ſed quæres aliquis.*

Pretium receptum ſimoniace reſtituendum eſt Eccleſiæ, vel pauperibus.

31. Dicendum nihilominus eſt, debere reſtitui pretium Eccleſiæ, in qua eſt beneficium, vel cui iniuria irrogata eſt per beneficii, aut ordinis ſimoniacam collationem. Sic D. Thomas 2. 2. *quæſtione* 100. *articulo ſexto, ad* 3. *&* 5. & habetur expreſsè *capite de hoc capite audivimus de ſimonia*: quia ratio ob quam jus poſitivum conſtituit hoc pretium debere reſtitui, eſt ob irreverentiam factam Eccleſiæ in venditione rerum ſuarum. Unde ſicut Eccleſia eſt in hoc iniuria, & irreverentia affecta, equum eſt, quod illi fiat reſtitutio illius pretii, quo fuit irreverenter abiecta. Quare ſicut ipſo Eccleſio recipientem reddit incapacem recipiendi tale pretium, ſic à dante omne ius abſtulit ad illud, tale pretium uſibus Eccleſiæ applicando. Sic præter D. Thomam Sylveſter *ſimonia numero* 20. *dict. ſecundo*, Layman *§. nono, numero* 84. Arouxo *diſputatione decimoquarta, parte ſecunda, articulo ſexto, numero decimonono*, Suarez *capite* 60. *numero octavo*, Torre *articulo ſexto, diſputatione ſexta*, D. Antonin. *ſecunda parte, titul. primo, capite quinto, §. ſeptimo*, Cajetanus *in ſumm. verb. reſtitutio. capite quarto*, Immo ex conſuetudine fieri poſſe talem reſtitutionem pauperibus, docet ibi D. Thomas & 2. 2. *quæſtione trigeſimaſecunda articulo ſeptimo, ad* 2. *& quæſtione* 62. *articulo quinto, ad* 2. ubi aſſerit pretium ſimoniacum non eſſe reſtituendum danti, ſed in eleemoſynas erogandum. Quod & tenent Victoria *relect. de ſimonia ſecunda parte, numero ſexto*, Covarruvias *ad regulas peccatum parte ſecunda, §. tertio, numero ſexto*, Aragon. *quæſtione trigeſimaſecunda, articulo ſeptimo, fol.* 766. Palaus *punct. vigeſimoſexto, numero quinto*, Turrecremata *capite non ſanè decimoquarto, quæſtione quinta, numero ſecundo.*

cundo. Et probabile dicunt Layman, & Sanchez, *locu citatis.* Cum ergo iſtæ tres ſententiæ probabiles ſint, poterit ſimoniacus pretium acceptum vel danti, vel Eccleſiæ, in qua ſitum eſt beneficium, vel pauperibus erogare prove voluerit; & ſi ipſe pauper ſit, ſequendo opinionem probabilem, quod poteſt erogare pauperibus, poterit ſibi retinere, ut inquit Sanchez *loco citato.* ❡ Pretium autem pro ingreſſu religionis reſtituendum eſt ipſi danti, ut ſecum afferat ad monaſterium, ad quod eſt transportandus, quod illum alere debet, ut qui ſentit onus ſentiat etiam emolumentum. *Capite de hoc autem capite veniens de ſimonia.* Dum autem in eodem monaſterio manet, poſſe Abbatem, & monachos retinere pecuniam, nec tenere reſtitutionem facere, docet Palaus *Punct. vigeſimoſexto. numero ſexto,* Suarez *capite 60. numero 31.* Sanch. *dub. 114. numero decimoquinto,* Layman §. 9. *num.* 8 a.

Fructus male percepti io beneficio ſimoniacè collato reſtituendi ſunt Eccleſiæ, vel pauperibus.

32. Sed rogabis fortè, cui ſint reſtituendi fructus acquiſiti ex beneficio per ſimoniam accepto.? Reſpondetur ex dictis debere reſtitui Eccleſiæ, in qua ſitum eſt beneficium, ut diximus de pretio ſimoniacè accepto: quia utrobique eadem ratio videtur militare, cum in utroque caſu Eccleſiæ inferatur iniuria per ſimoniam in ſuo beneficio commiſſam. Ita D. Thomas *quæſtione* 100. *articulo ſexto, ad* 4. Sylveſter *renuntiatio quæſtione tertia, dict.* 2. & *beneficium* 3. *quæſtione* 20. Sanchez *libro ſecundo, capite* 3. *dubio* 109. *numero* 5. Ponit tamen D. Thomas hanc limitationem: *ita tamen quod quantum fieri poteſt, ipſi, qui peccaverunt, inde commodum non conſequantur: ſi vero Prelatus, & totum collegium ſunt in culpa; tunc debet iam auctoritate Superioris, vel pauperibus, vel alteri Eccleſiæ erogari.* Probabile tamen eſt poſſe abſolutè hos fructus inter pauperes diſtribuere, modo, *numero præcedenti,* dicto: quia ubi non eſt Dominus certus alicuius rei iniuſtè acquiſitæ, ea debetur pauperibus; ſed in præſenti nullus legitimus Dominus apparet talis beneficii, cum illud poſſidens iniuſtè retineat, & non ſit alius proprietarius: ergo, &c. Quemadmodum non recitantes horas debent reſtituere fructus vel Eccleſiæ, vel pauperibus, iuxta motum proprium Pii V. & parrochi non reſidentes tenentur etiam vel Eccleſiæ, vel pauperibus fructus reſtituere, iuxta Tridentinum *ſeſſ. vigeſimaquinta, capite de reformat.* ❡ Probabile etiam eſt, poſſe ſucceſſori in beneficio hos fructus reſtituere, vel ſe cum Papa pro ſimilibus fructibus componere. Ratio primi eſt: quia fructus beneficii vacantis reſervantur futuro ſucceſſori. *Capite cum vos de officio ordinar. fin. Clement. ſtatutum de electione.* Ratio ſecundi eſt: quia cum non ſit perſona certa, cui debeantur, ſed poſſint in certis pauperibus diſtribui, poteſt Pontifex compoſitionem facere, ſicut de facto facit in aliis bonis, quorum Dominus ignoratur. Sylveſter *beneficium* 5. *initio.* Navarr. *libro quinto, conſil. titul. de ſimonia in antiquis conſil.* 62. *fine* & 46. *numero ſecundo, in noviſ. conſil. ſeptimo, numero quarto,* & 72. & 73. Sanchez *ſupr. capite* 109. *num.* 5.

PUNCTUM IV.

Quis poſſit in ſupra dictis pœnis diſpenſare?

Status quæſtionis, & difficultas proponitur.

33. LOQUIMUR in præſenti de diſpenſatione in pœnis non in peccato: in iſto namque, quod non committatur, ſi ſimonia ſit iure divino reprobata, nullus diſpenſare poteſt. Si vero ex iure poſitivo, ſolus Pontifex diſpenſare valet, ut non committatur ſimonia, & ſic nullum peccatum perpetretur. Nec loquimur de pœnis ferendis poſt datam ſententiam, ad quem pertineat illas minuere, vel tollere; ſed de pœnis ipſo iure latis: quas cum diximus in tribus dumtaxat caſibus, ipſo facto incurri; nimirum in ſimonia ordinis, beneficii, & religionis; videamus quis poſſit illas jam incurſas relaxare. Et loquimur modo ex iure communi. Quid vero in hac parte poſſint religioſi ex ſuis privilegiis, diximus Tract. X V I I I. de Privileg. Sed quod in præſenti de Epiſcopis diximus ex iure communi, ſervata proportione, applicari poſſunt religioſis, qui ex ſuis privilegiis id poſſunt diſpenſare, quod ex iure communi valent Epiſcopi iuxta *ibidem dicta n.* 41.

Quas pœnas incurſas ob ſimoniã in ordine relaxare poteſt?

34. Dicimus ergo eum, qui ſimoniace ordinatus eſt, & quoad uſum illius ordinis eſt ſuſpenſus, ab hac ſuſpenſione, à ſolo Pontifice poſſe abſolvi: quia illi reſervatur. *Cap. penultim. de ſimonia.* Et ibi Gloſſa & omnes; & niſi hujus abſolutionem ſuſpenſionis obtineat, non poterit ad alios ordines promoveri. ❡ De ſuſpenſione autem aliorum ordinum, quos jam legitimè receperat, probabile eſt, poſſe Epiſcopum diſpenſare, docet Suarez *lib.* 4. *de ſimonia capite* 61. *numero* 4. Oppoſitum eſſe probabilius docet Palaus. Sed nos, cum diſtinctione reſpondemus. Aut enim ſcienter ordinatur ſimoniacè; & ſic ſolus Papa in ſuſpenſione ab ordinibus, quos habet, poteſt diſpenſare *capite penultim. de ſimonia.* Si vero ignoranter ſimoniace ordinatus eſt, ſive publicum ſit delictum, ſive occultum; poteſt diſpenſare Epiſcopus *ex capite tua, capite præſent. de ſimon.* Sylveſter *ſuſpenſio quæſtione* 7. *dict.* 3. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 120. *numero* 11. Idem dicendum eſt de ſuſpenſione incurſa ab ordinantibus ſimoniacè, vel mediatoribus, & de illa, quam incurrit conventus, vel capitulum propter ſimoniacam receptionem religioſi, quod omnes modo dicto ſunt Pontifici reſervatæ. ❡ Ab excommunicatione vero incurſa ob ſimoniam in ordine, beneficio, aut religione, ſolus Pontifex poteſt abſolvere, quia illi eſt reſervata. Poteſt tamen ab excommunicatione abſolvere ſemel in vita, & ſemel in morte, ſicut ab aliis cenſuris reſervatis, quilibet confeſſor electus per bullam cruciatam, Sanchez *n.* 4. & 6. Immo, ab omnibus his cenſuris ſi publicæ non ſint, nec ad forum contentioſum deductæ, poteſt Epiſcopus abſolvere iuxta Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Nec contra hoc obſtat bulla Pii V. revocans hanc, & alias facultates religioſorum: quia quoad hanc partem non eſt recepta. Leſſius *dub.* 24. *num.* 134. Saa *verb. ſimonia num.* 31. Suarez *cap.* 61. *num.* 11. Palaus *punct. ultim. num.* 2.

35. Tota

Quid ex jure habeatur circa inhabilitatẽ incurſam ob ſimoniã in beneficiis.

35. Tota ergo difficultas eſt circa inhabilitatem ad habendum illud beneficium ſimoniacè acceptum, an hæc poſſit tolli ab Epiſcopo, ita ut ipſe diſpenſare poſſit, quod illudmet beneficium aliquando obtinere valeat? Sed pro reſolutione proponenda ſunt verba Pontificis *in capite penultim. de electionibus*, tanquam fundamenta eorum, quæ dicenda ſunt. Dicit ergo Summus Pontifex: *Si alicuius electionem propter ſimoniam, eo ignorante, ac ratum non habente, commiſſam, contigerit reprobari, cum eo ſuper prælatione, ad quam electus fuerat, illa vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quamvis circa eum, qui ignoranter ſuſcepit ſimplex beneficium per ſimoniam poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio toleretur.* Ex quibus verbis habemus primo, beneficium per ſimoniam ignoranter acceptum; ſi ſimplex fuerit, & cognita ſimonia beneficiatus ſponte renuntiet, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut illudmet habeat *illa vice*, ideſt illa vacatione: quia ſic in dicto *cap. habetur.* Et tenet Gloſſa *cap. a nobis, de ſimonia, verſic. reprobanda.* Sylveſter *verb. ſimonia 8. dict. 5.* Palaus *punct. ultim. numero tertio*, Sanchez *dub. 120. numero vigeſimoſecundo.* Navarr. *libro quinto, conſil. titul. 3. de ſimonia, in novis conſil. 91. numero 72. conſil. 61. numero quinto, & ſexto.* Nomine autem beneficii ſimplicis, etiam canonicatus cathedralium veniunt, & alia, quæ non habent curam animarum, nec ſunt dignitates, ut docent Sanchez, & Navarr. *citati.* Et cum textus loquatur de beneficio habito ignoranter, non intelligitur, quando ipſemet beneficiatus committit ſimoniam, ignorans eſſe talem; ſed quando alii commiſerunt ipſo ignorante, & bona fide recipiente, ut omnes illum textum intelligunt.

Explicatur magis textus ſuppoſitus.

36. Si tamen ille ſponte non renuntiet illud beneficium, ſic ignoranter per ſimoniam acceptum, ſed expectet ſententiam judicis illum beneficio privantis, illa vice, non poteſt Epiſcopus diſpenſare ut illudmet beneficium retineat: quia textus ſolum concedit poſſe, quando liberè renuntiat: & ſic à contrario ſenſu, non poterit quando coactè renuntiationem facit. D. Thomas 2. 2. *quæſtione 100. articulo ſexto, ad 7.* Sotus *libro nono, quæſtione octava, articulo ſecundo.* Panormit. *cap. de ſimoniacè, de ſimonia*, & ibi Felinus *numero quinto.* Quod intelligitur, quando jam certus de ſimonia expectat ſententiam: ſecus vero ſi non eſt certus de ſimonia commiſſa; quia tunc non eſt in culpa, & ſic non eſt privandus illa indulgentia; ſed adhuc cum ſententiam expectat, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut in alia vacatione illudmet obtineat beneficium: quia textus ſolum negat, non poſſe pro illa vice, qui liberè non renuntiat. Unde à contrario ſenſu concedit pro alia vacatione poſſe, ut omnes interpretantur.

Ulterius ſupradictus textus explicatur.

37. Habemus ſecundo, quod quando beneficium acceptum ſimoniacè ignoranter eſt curatum, dignitas, aut prælatura, etiam ſi cognita ſimonia ſponte renuntiet, non poterit diſpenſare Epiſcopus pro illa vice, ut illud obtineat: quia ponit textus differentiam inter beneficium ſimplex, & prælaturam: & de illo dicit, quod ſi ſimplex fuerit, & ſponte renuntiet, poterit pro illa vice, ideſt pro illa vacatione Epiſcopus diſpenſare; & ſic per adverſativam hoc negat, quando ſimplex non fuerit, ſed curatum, dignitas, aut prælatura. At ſi liberè renuntiet, etiam ſi curatum beneficium fuerit, in alia vacatione poterit diſpenſare Epiſcopus, ut illud habeat: quia ſolum negat textus facultatem pro ea vice. Et merito: nam videtur purgari vitium per intermediam perſonam. Panormitan. *cap. de ſimoniacè, citat. numero ſeptimo*, & ibi Felin. *numero quarto*, Innocentius *ibi numero ſecundo*, Palaus *punct. ultim. numero 3.* Sanchez *dub. 120. à num. 31.*

Adhuc propoſitus textus aliis illationibus declaratur.

38. Habemus tertio, quod ſi quis ſcienter recipiat ſimoniacè beneficium ſive ſimplex, ſive curatum, etiamſi ſponte renuntiet, non poteſt Epiſcopus diſpenſare pro illa vice, nec pro alia, ut idemmet beneficium retineat; ſed ſemper ad illud remanet inhabilis D. Thomas *articulo ſexto, ad 7.* Soto *libro nono, quæſtione octava, articulo ſecundo, concluſ. ultim.* Palaus *numero tertio*, Sanchez *num. 45.* Quia dictus textus tantum permittit Epiſcopo diſpenſationem, quando & ignoranter accepit, & ſponte renuntiat. At poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut in alia Eccleſia, vel in illa alia beneficia obtineat (etiam ſi ſit vera illa ſententia, quam *num. 2.* propoſuimus, quod ſimonia in beneficiis, ad omnia alia beneficia in poſterum obtinenda inhabilitat, quam inhabilitatem certo contrahit, qui confidentialem ſimoniam committit, juxta dicta *cap. præcedent. punct. 5. fine.*) Nam etſi excommunicatio reſervetur Papæ, & inhabilitas ad illud beneficium, non vero inhabilitas ad alia beneficia ſi forte datur, ut bene docet Sanch. Sylveſter, Panormitan. Innocentius, & Felinus *loc. cit.* ¶ At ſi ſententiam expectat, qui ſcienter ſimoniace quodcumque recepit beneficium, nullo modo poteſt Epiſcopus diſpenſare ad illud, vel ad aliud beneficium obtinendum: quia damnatus de crimine ſimoniæ eſt infamis infamia iuris, & ideo irregularis; & non poteſt Epiſcopus diſpenſare cum irregulari ea infamia juris, niſi in caſibus in jure expreſſis, ut notatur *in cap. in 10, de ſententia, & re iudicata.* Angelus *ſimonia 6. num. 3.* Sylveſter *ſuſpenſio, quæſt. 7. dict. 4.* Suar. *dub. 120. num. 43.*

Poteſt Epiſcopus cum quo cõmiſſa eſt ſimonia, in eius pœnis diſpenſare.

39. Sed modo rogabis primo, an in caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus cum ſimoniaco diſpenſare in ordine, aut beneficio, poſſit id facere Epiſcopus ille, cum quo eſt talis ſimonia commiſſa? Reſpondetur, quod licet aliqui hoc probabiliter negent, eo quod ob ſuam turpitudinem indignus ſit, ut ipſe diſpenſet; ſed diſpenſabit ſucceſſor, vel Superior, ut inquit Panormitan. *cap. de ſimoniacè, de ſimonia, numero 7. fine.* Gloſſa *cap. præſentium. 1. quæſtione 5. verſu fratrum*; verius eſt poſſe; quia *cap. penultim. de ſimonia*, & alia iura concedentia Epiſcopo facultatem diſpenſandi, loquuntur indiſtinctè. Et quia licet in aliquibus caſibus, ſpeciale ſit, quod Superior nequeat retractare aliqua mala, ſe conſentiente, facta; regulariter id poteſt, *ex cap. ſi quis presbyter. de reb. Eccleſ. non alienand.* Sic Navarr. *titul. 3. de ſimonia, in novis conſil. 97. num. 12. in antiquis conſil. 61. num. 12.* Sanchez *lib. 2. cap. 3. dub. 120. num. 15.*

40. Rogabis

> Pontifex ſcienter ſimoniacè beneficium conferens, cum illo in inhabilitate cenſetur diſpenſare.

40. Rogabis ſecundo, an ſi Pontifex beneficium inhabili concederet, ſciendo ipſum eſſe inhabilem ob ſimoniam, cum illo diſpenſare videatur, & ſic poſſit illud ſine alia diſpenſatione obtinere? Reſpondetur affirmativè. Tum, quia non eſt præſumendum velle Pontificem efficere actum fruſtaneum, & vanam collationem: ſed niſi diſpenſet, in illo caſu, actum inanem, & invalidam collationem efficeret: ergo hoc ipſo intelligitur diſpenſare. Tum etiam, quia quotieſcumque impedimentum eſt juris humani, & ſuperior ſcienter impeditum admittit ad actum, præſumitur animus diſpenſandi, & inducitur vera diſpenſatio: ut ſi Pontifex ſcienter admitteret irregularem ad Ordines, vel impedimento dirimente impeditos matrimonio jungeret; vel ſi Rex, ex lege ſua inhabilem, conſtituat Magiſtratum, cum illis diſpenſare cenſentur, ut ex variis Doctoribus, & textibus probat Sanchez *libro octavo, de matrimon. diſputatione quarta, numero ſecundo*, ſimiliter ergo in noſtro caſu. Nec obſtat, quod Pontifex communicans cum excommunicato non cenſetur illum abſolvere, niſi exprimat. Nam licet ita ſit, quia ſtat communicare, & non abſolvere; tamen hoc ipſo, quod communicet, ſuſpendit effectum excommunicationis ad illum caſum, ne ſcilicet ille peccet communicando cum Pontifice. Eodem modo dicimus Pontificem conferentem beneficium inhabili, non abſolute tollere inhabilitatem, ſed tantum ad illum caſum, & reſpectu illius beneficii. Palaus *diſputatione tertia, punct. ultim. numero nono*, Suarez *libro quarto, capite ultimo, numero decimoquarto*, Sotus *libro nono, quæſtione quinta, articulo ſecundo*, Torre *2. 2. quæſtione 100. articulo ſexto, diſputatione nona, fine*. ¶ Addunt vero Sotus, & Torre, quod ſi Pontifex divendat alicui beneficium, intelligitur cum eo diſpenſare; & ideo manet omnino liber à pœnis, & poteſt tale beneficium retinere.

41. Et hæc pro iſto volumine dicta ſufficiant, quæ omnia utinam cedant in laudem Dei, Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, zelatoris Eliæ, Seraphicæ Thereſiæ, S. Ioannis à Cruce, quibus noſtrum opus, & laborem conſecramus. Et ſi quid in eo, aut ſacris Conciliis, Canonibus, bullis Pontificum contrarium, aut Eccleſiæ Sanctæ Romanæ doctrinæ aliquo modo adverſum diximus, ex nunc illud libenter retractamus.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
Quæ in hoc Tomo continentur.

Primus numerus paginam, Secundus verò numerum marginalem deſignat.

A

ABBAS.

AN Abbates aliquando poſſint eſſe conſervatores? *pag.* 495. *n.* 160. Vide *verb. Religio.*

Abbatiſſa.

An Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ poſſint vota ſuarum monialium irritare? *p.* 350. *n.* 41

Abſolvere.

De facultate abſolvendi à caſibus, & cenſuris, Prælatis religioſorum convenienti, *p.* 515. *n.* 1. *cum ſequentibus.*

An poſſint Prælati (& idem eſt de reliquis regularium confeſſariis) ſuos ſubditos, vel ſæcolares abſolvere à caſibus, vel cenſuris, quas Epiſcopi ſibi in ſpecie reſervant? *ibidem, num.* 3. *cum ſequentibus.* Vide *verbo Confeſſarius.*

Abuſus.

An per abuſum privilegium amittatur? *p.* 428. *numero* 16

Et utrùm amittatur ipſo facto? *ibid. & ſeq. n.* 17

Acceptatio.

An in privilegio neceſſaria ſit promulgatio, acceptatio, & notitia illius? *p.* 401. *à num.* 63. *uſque ad* 69. *inclusive.*

Non ceſſat privilegium ante mortem concedentis non acceptatum, ſed poteſt poſt mortem illius acceptari à privilegiato, antequàm revocetur à ſucceſſore, *ibid. n.* 147

Qualis acceptatio Principis requiratur, ut privilegium per renunciationem ceſſet? *p.* 426. *numero* 7

Quis renunciationem acceptare poſſit? *ibidem, numero* 8

Conſervatores electi an teneantur ſuam electionem acceptare? *p.* 495. *n.* 154

Actio, Actor.

In cauſis civilibus non poteſt religioſus, neque ut actor, neque ut reus, in judicio comparere, *p.* 175. *n.* 73

Actio injuriarum an competat religioſo? an monaſterio? *ibid. n.* 74

Caſus recenſentur, in quibus à jure habet religioſus, ut poſſit eſſe actor, & ſic ſine licentia Prælati, *p.* 176. *n.* 75

Actus.

An Prælati poſſint ad actus internos obligare? *p.* 144. *num.* 50

Advocatus.

An religioſus advocatus eſſe poſſit? *pag.* 173. *numero* 63

Quid dicendum de minoribus? *ibid.*

An prohibitio facta religioſis exercendi munus judicis, advocati, & procuratoris in judicio, ita ſit ſtricta, ut nec in unica cauſa permittatur illis hæc munera exercere? *ibidem, numero* 64. & 65

An officia judicis, advocati, aut procuratoris, pro quorum licito uſu diximus requiri licentiam prælati, nulla, & irrita ſint, ſi abſque tali licentia fiant? *ibid. n.* 66

Adulter, Adultera.

An adultera interrogata à marito, an adulterium commiſerit, negare poſſit ſub juramento, intelligendo in mente aliam diem, ab ea, in qua commiſit adulterium, vel *ut tibi revelem*? *p.* 332. *n.* 144

An adulteri gaudeant immunitate? *pag.* 480. *numero* 108

Si maritus, uxorem, & adulterum in flagranti delicto adulterii occidit, an ſint iſti in ſepoltura Eccleſiaſtica ſepeliendi? *p.* 505. *n.* 198

Alienatio.

Jura, quibus prohibita eſt alienatio bonorum monaſterii, *p.* 164. *n.* 23

Qui rem alienatam abſque ſolemnitate accepit, an teneatur eam reſtituere? *ibid. n.* 24

Quorum locorum bona prohibita ſint alienari? *ibid. num.* 25

Quomodo ſit recepta Paulina *Ambitioſa* quoad alienationem? *ibid. n.* 26

An ſint privilegia religionum ad alienanda bona monaſterii? *p.* 165. *n.* 27

An extent dicta privilegia in ſuo vigore? *ibid. numero* 28

Caſu, quo urgeat Paulina *Ambitioſa*, quomodo poſſit res alienari ſine conſenſu Papæ, *ibid. numero* 29

Quæ ſint bona Eccleſiæ, quorum alienatio eſt prohibita, *ibid. n.* 30. *cum ſequentibus.*

Qui contracti ſint prohibiti, quibus bona Eccleſiæ, vel monaſteriorum non poſſunt alienari? *p.*167. *n.*36. *cum aliis ſubſequentibus.*

Aſſignantur quatuor cauſæ, ob quas res Eccleſiæ alienari queunt, *p.*169. *& ſequentib. numero* 47. & 48

Quot conditiones pro ſolemnitate ſubſtantiali aſſignentur ad validam, & licitam alienationem rerum Eccleſiæ, vel monaſterii? *p.*170. *n.*49. *uſque ad* 55. *incluſivè.*

An ſi alienatio fiat abſque legitima cauſa ex enumeratis, *p.*169. *n* 47

Et cum conditionibus, & ſolemnitatibus modo recenſitis valida perſiſtat? *p.*171. *n.*54

Quid dicendum in dubio, an alienatio ex legitima cauſa facta ſit? *ibidem.*

An ſi exiſtat juſta cauſa ex enumeratis, valida ſit & licita alienatio ſine conditionibus, & ſolemnitate à jure requiſitis, *ibidem, numero* 55. & 56

An requirantur dictæ conditiones, & ſolemnitates ad alienandum legatum relictum cum clauſula, ut quoties Eccleſia, vel monaſterium voluerit illud alienare, & in proprios uſus convertere, poſſit? *ibid. n.*57

An legatum relictum ſub conditione, ut nunquam alienetur, poſſit ſervatis dictis conditionibus, alienari? *p.*172. *n.*58

Amphibologia.

Multiplex modus amphibologiæ, *pag.*323. *numero* 105. & 106

Juramentum amphibologicum abſque cauſa, an ſit aliquando licitum? *ibid. n.*107

An ſit peccatum lethale juramentum cum amphibologia ſine cauſa emiſſum? *ibid. n.*108

Quæ ſit juſta cauſa, ut licita ſit amphibologia? *p.*324. *n.*109

An juramentum amphibologicum per ſolam reſtrictionem mentalem ſit aliquando licitum? *ibid. à n.*110. *uſque ad* 142. *incluſivè.*

An quando non tenetur pœnitens confiteri conſuetudinem, ſi à confeſſario de illa interrogetur, teneatur illam aperire, vel poſſit negare utendo amphibologicis verbis, vel alia via abſque mendacio? *p.*337. *n.*164. *cum duplici ſequenti.*

Anachoreta.

An Anachoretæ ſint veri religioſi? *pag.*4. *à num.* 12

Appellatio.

Apud religioſos nomen appellationis odioſum eſt, *p.*158. *n.*2

Quid ſit appellatio, & quotuplex? *ibidem, numero* 3

Appellatio, quæ eſt per modum ſimplicis ſupplicationis, an ſit prohibita religioſis? *ibidem, num.* 4

Quid ſit appellatio propriè dicta, & effectus illius? *p.*159. *n.*5

Quomodo, & quo tempore facienda ſit appellatio? *ibid. num.*6

An appellatio poſſit fieri à diffinita ſententia, & interloquutoria? *ibid n.*7

An peccet mortaliter reus appellationem interponens? *p.*160. *n.*8

An peccet mortaliter judex, & quando, non admittens appellationem? *ibid. n.*8

Quo jure prohibita ſit religioſis appellatio? & in quibus caſibus permiſſa? *ibid. num.*9. *cum aliis ſequentibus.*

Ad tribunalia ſæcularia, an religioſi appellare poſſint? *p.*161. *num.*14

Ad Epiſcopum, an poſſit religioſus appellare? *pag.*162. *num.*15

Quo ordine debeat fieri appellatio in caſu permiſſo religioſis? *ibid. n.*18. & 19

Quando in caſu deſignatæ appellationis poteſt fugere religioſus? *ibid. & ſeq. n.*20

Apoſtata.

An qui non ſervato ordine juris, de uſu ad aliam ſe transferat religionem, ſive æqualem, laxiorem, vel ſtrictiorem, ſit verus Apoſtata, & ut talis ſit puniendus? *p.* 102. *numero* 81

In quo differat apoſtata à fugitivo? *p.* 212. *numero* 122

Quando in foro externo fugitivus ſit apoſtata judicandus? *ibid. & ſeq. n.*123. & 124

An ſi religioſus recedat abſque licentia à monaſterio, animo accedendi ad ſuperiores, vel ut aliquid obtineat, vel ut conquæratur de inferioribus prælatis, ſit verè apoſtata, vel fugitivus? *p.*213. *n.*125. & 126

An ſi quis fugiat, ut per multum tempus vagetur, animo tamen redeundi, ſit verè apoſtata, & pœnis illius plectendus? *ibid. numero* 127. & 128

Quid poſſint, & facere teneantur prælati circa apoſtatas, & fugitivos? *p.*214. *à n.*132. *uſque ad* 135. *incluſivè.*

An teneatur religio ſolvere quæ conſumpſerunt apoſtatæ, vel fugitivi? *p.*215. *n.*136

Bona per apoſtatas extra religionem acquiſita, an pertineant ad religionem? *ibid. n.*137

Cui competant bona apoſtatæ, & fugitivi, ſi extra religionem moriantur? *ibid. n.*138

Quæ pœnæ aſſignentur contra apoſtatas? *p.*216. *à n.*139. *uſque ad* 144. *incluſivè.*

Quam culpam committat, & quibus pœnis ſubjiciatur cooperator apoſtatæ? *p.*217. *numero* 145. & 146

Approbatio.

An approbatio requiratur ad confeſſiones audiendas? *p.*517. *n.*41

Approbatio, & juriſdictio ſunt res diverſæ, *ibidem.*

Nullum modò extat privilegium, ut regulares ſine approbatione Epiſcopi poſſint ſæcularium confeſſiones audire, *ibid. n.*42

Approbatio an requiratur ad confeſſionem peccatorum venialium? vel mortalium etiamſi pœnitens ſit in articulo mortis, vel periculo? *ibidem.*

An prælati regulares poſſint audire ſæcularium confeſſiones ſine Epiſcopi approbatione? *p.*529. *n.*47. *cum duplici ſequenti.*

An

An regularis apptobatus ab Epiſcopo pro confeſſione ſæcularium, poſſit eas validè audire, & abſolvere, ſi à ſuis prælatis præſentatus non ſit; ſed ab ipſis, vel à ſuis legibus prohibitus? *ibid. n.46. cum ſequentibus.*

De illis, qui poſſunt ſibi confeſſarium eligere ab Epiſcopo non approbatum, *p.528. n.49. cum ſequentibus.*

An regulares apti, & idonei, præſentati Epiſcopo, ſi ab eo ex odio, aut mala voluntate, aut ex alio pravo affectu non fuerint admiſſi, nec approbati ad confeſſiones, poſſint ipſi ſæcularium confeſſiones audire, ac ſi eſſent de facto approbati? *p.532. num.60. cum aliis ſequentibus.*

An poſſit Epiſcopus regulares confeſſarios limitatè approbare, ad limitata loca, perſonas, tempus, &c. *p.534. n.66. cum ſeqq.*

An regularis pro una diœceſi approbatus, ad audiendas in aliis ſæcularium confeſſiones, nova indigeat approbatione? *p.535. num.71. cum ſequentibus.*

An regulares ſemel abſolute ab Epiſcopo approbati, poſſint iterum ad examen vocari, vel ab eo, illorum licentiæ ſuſpendi, donec iterum præſententur, vel approbentur? *p.538. n.79. cum ſequentibus.*

Peccant mortaliter regulares, qui abſque approbatione prælatorum prædicant, *p.557. n.143*

Arbiter, Arbitrator.

An religioſus aliquando poſſit eſſe judex arbiter, aut arbitrator? *p.172. n.62*

Quid dicendum de Franciſcanis? *ibidem.*

Controverſiæ ortæ inter Conſervatores, & Ordinarios ſuper competentia juriſdictionis, per arbitros in forma juris electos, decidendæ ſunt, & interim in cauſa non eſt procedendum, *p.495. n.162*

Archidiaconus.

Archidiaconi poſſintne aliquando eſſe conſervatores? *p.495. n.160*

Archiepiſcopus.

An Archiepiſcopi poſſint interpretari privilegia religionum, *p.403. n.72. & 73*

Archiepiſcopus an poſſit aliquando eſſe conſervator? *p.495. n.160.* Vide *verbo Religio.*

Archipresbyter.

An Archipreſbyteri aliquando poſſint eſſe conſervatores? *p.495. n.160*

Aſſeſinus.

Pœnæ pro aſſeſinis aſſignantur, *p.479. n.104.* & 105

Aſſeſſor.

An religioſus poſſit conſtitui judex aſſeſſor? *pag.172. numero 62*

Aſſertorium.

Vide *Juramentum.*

Attentio.

Quæ intentio, & attentio requiratur ad ſatisfaciendum obligationi recitandi? *p.230. & ſeq. à num.24. uſque ad 32 incluſivè.*

B

BEATÆ.

AN beatæ communicent in aliquibus privilegiis religioſorum? *p.409. n.94*

Beneficiatus. Beneficium.

An poſſit religioſus obligari à Prælatis ad acceptandum beneficium extra Ordinem? *p.150. numero 78*

Poteſt religioſus obligari ex vi voti obedientiæ ad acceptandum beneficium regulare ſui ordinis, *ibid. & ſeq. n.79*

Poteſt Summus Pontifex obligare religioſum, ut acceptet beneficium ſæculare, vel regulare alterius Ordinis, *p.150. n.78*

An fructus, vel proventus ex beneficio pertinentes ad beneficiarium, poſſint ab ipſo locari ultra triennium, vel pro tota ſua vita? *p.169. n.45.* & 46

An ille, qui accipit beneficium, aut ordinem ſacrum, teneatur antea parare breviarium, & modum recitandi ſcire? *p.209. n.8*

Beneficiati tenentur officium divinum recitare, ſi libere beneficium recipiant, *pag.213. numero 26*

Quæ beneficia onus recitationis ſecum afferant? *ibid. num.27*

An dentur aliqua beneficia, quæ obligationem recitandi ſecum non afferant? *p.214. n.30*

Habens plura beneficia, an teneatur plura officia recitare? *ibid. n.31*

An qui titulo beneficii, & titulo ordinis ſacri, tenetur ad recitationem, committat duplex peccatum detegendum in confeſſione, illam omittens, *ibid. & ſeq. n.31.* & 32

An habens animum reſtituendi fructus beneficii, peccet mortaliter omittendo divinum officium? *p.215. à num.33. uſque ad 35. incluſivè.*

An, ut beneficiatus obligetur ad recitationem, requiratur, quod ſit in pacifica poſſeſſione beneficii? *ibid. & ſequentib. à num.36. uſque ad 39. incluſivè.*

An qui nullos fructus ex beneficio percipit, teneatur ad recitationem? *p.216. & ſeq. à n.40. uſque ad 45. incluſivè.*

An ſi beneficium ſit exiguum, teneatur illud poſſidens recitare? *pag.218. à num.46. uſque ad 49. incluſivè.*

Beneficiarii officium divinum omittentes, an teneantur reſtituere? Et qualiter, quibuſque prædicta reſtitutio ſit facienda? *pag. 219. à n.50. uſque ad 68. incluſivè.*

Diſpenſatus ad plura beneficia, ſimiliter eſt diſpenſatus in reſidentia utriuſque: Diſpenſatus in minoritate, ut beneficium parrochiale habeat, eſt in obligatione diſpenſatus aſſumendi intra annum ſacerdotium. Parrochus diſpenſatus ne intra annum ordinetur etiam diſpenſatus cenſetur, ne ejus beneficium vacare poſſit, *p.405. & ſeq. n.81*

Nonnulla privilegia ad beneficia expectantia, qualiter ſint interpretanda? *pag.406. num.84.* Vide *verbo Novitius, verbo Simonia, verbo Religioſus.*

Blaſphemus.

An blaſphemus gaudeat immunitate? *pag.* 480. *n.* 108

Breviarium.

Breviarium Romanum qui amplecti debeant, *p.*204.*num.*26

An ſit modo peccatum mortale recitare juxta aliud Breviarium, quam Pii V. ubi eſt receptum; & idem eſt de una religione ſi recitaret juxta Breviarium alterius? *ibidem*, *& ſequent. num.*27. & 28

Epiſcopi religioſi poſſunt juxta breviarium ſuæ diœceſis officium divinum perſolvere. Idem dicendum eſt de ſociis recitantibus cum eis, *pag.*205.*num.* 29

Quid dicendum de recitante cum alio, qui habet privilegium recitandi, vel in breviario habente officium brevius, vel ante tempus recitandi? *ibidem.*

Religioſi, qui tenentur juxta Breviarium Romanum recitare, vel ratione itineris, vel alia juſta cauſa poſſunt recitare cum alio, vel etiam per ſe ſolos, juxta aliud Breviarium, & ſuæ obligationi ſatisfacere, *ibidem.*

An poſſint regulares exempti utentes Breviario Romano, recitare de feſtivitatibus Sanctorum, de quibus in diœceſi, in qua exiſtunt, recitantur? *ibidem, n.*30.

An Capellanus Monialium licitè poſſit ſe in recitatione accommodare cum illis, recitans de feſtivitatibus, & Sanctis, de quibus ob ſpeciale inſtitutum recitant? *ibid. n.*31

An Epiſcopus inſtituere poſſit, ut totus clerus ſuæ diœceſis feſtivitatem alicujus Sancti celebret cum juxta rubricas Breviarii Romani, de alio Sancto, vel de feria recitandum erat, *p.*206. *n.*32.*cum aliis ſeqq.*

An ille, qui accipit beneficium, aut ordinem ſacrum, teneatur antea parare breviarium, & modum recitandi ſcire? *p.*209. *n.*8

Bulla.

Quæ vota poſſint commutari virtute Bullæ, aut Jubilei, *p.* 379. *n.* 150. *cum duplici ſequenti.*

An virtute Bullæ, aut Jubilei, poſſit fieri in minus commutatio? *p.*380. *n.*153

An virtute Bullæ, aut Iubilei poſſint commutari vota religionis, aut caſtitatis in aliquo caſu urgentis neceſſitatis? *ibid. n.*154

An virtute Bullæ, aut Jubilei poſſint commutari juramenta Deo facta de ſervanda caſtitate, aut de religione? *ibid.*

An votum, vel juramentum de eroganda eleemoſyna alicui pauperi determinato, vel alicui Eccleſiæ, poſſit poſt ejus acceptationem, virtute Bullæ aut Iubilei commutari? *ibid. & ſeq. n.*155. & 156

An qui Bullam ſuſcepit, vel Jubileum lucratus eſt, & tempore illorum vota non commutavit, illo tranſacto, poſſit votorum commutationem virtute illorum obtinere? *pag.* 381. *numero* 157

An peccet confeſſarius, qui requiſitus à pœnitente virtute Bullæ, aut Jubilei, ut ſibi vota commutet, id facere non vult? *ibidem, numero* 159

An commutatio voti facienda virtute Bullæ ſolum fieri poſſit in pecuniam, in ſubſidium temporale belli? *ibid. num.*160. *cum tribus ſequentibus.*

Privilegia, & facultates Bullæ cruciatæ an ſint latè explicandæ, *p.*405.*n.*80

Privilegium Bullæ cruciatæ an extendatur extra Hiſpaniam? *p.*418. *n.*127

Facultas per Bullam, vel Iubileum conceſſa, morte concedentis an ceſſet? *p.*425. *n.*146

Si reſcriptum gratiæ conceſſum ſit pro aliquo tempore limitato, v. g. pro ſpatio unius anni (ut ſunt privilegia Bullæ cruciatæ) valet per totum annum, etiamſi intra illud moriatur concedens, *ibid. n.*148

Privilegia per Bullam cruciatam conceſſa, an revocentur per Bullam Cœnæ, aut Iubileum, quod nunc 25. anno conceditur? *p.*432.*num.*30

An privilegia regularium revocentur, vel ſuſpendantur per Bullam cruciatam, ubi iſta publicatur, *ibid. n.*31

Dicendum eſt per Bullam Cœnæ revocari modo omnia privilegia regularium, quæ ſunt contraria Bullæ Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis publicatur, *ibidem.*

Semel regularis in una diœceſi approbatus, virtute Bullæ cruciatæ poteſt ubique in confeſſorem eligi, *p.*535.*n.*71

An poſſint regulares uti privilegio Bullæ cruciatæ ad eligendum confeſſorem extra ſuam religionem? *p.*542.*n* 95. *cum ſequentibus.*

An religioſi, & moniales poſſint ſibi eligere confeſſorem virtute Bullæ cruciatæ quem voluerint, etiam externum (approbatum tamen ab Ordinario) etiam ſine licentia ſuorum Prælatorum, qui eos abſolvat à peccatis mortalibus non reſervatis, *p.* 545. *num.*103. *cum ſequentibus.*

Poſſintne modo regulares confeſſarii à caſibus, & cenſuris Bullæ Cœnæ occultis ſæculares abſolvere? *p.*551. *n.*124. *cum ſequentibus.*

C

CANONICUS.

CAnonici Eccleſiæ Cathedralis an queant eſſe conſervatores aliquando? *pag.* 495. *numero* 160

Canonici Eccleſiarum Collegiatarum, an poſſint inſtitui conſervatores, *ibid. n.*161

Capellanus.

An Capellanus Monialium licite poſſit ſe in recitatione accommodare cum illis, recitans de feſtivitatibus, & Sanctis, de quibus ob ſpeciale inſtitutum recitant? *p.*205. *n.*31

Capitulum.

Non ſolum requiritur ad profeſſionem conſenſus prælati, ſed etiam capituli, *p.*66. *n.*11

Non requiritur conſenſus totius Capituli, ſed majoris partis, & quomodo major pars ſit computanda? *ibid. n.*12

An generale Capitulum poſſit concedere ſtatutum generale, ne quis recipiatur cum tali defectu, & vitio, v. g. ſi ſit infectus ſanguine, morbo gallico laborans, vel grave tale crimen commiſſus, cum clauſula ſimpliciter irritante profeſſionem? *p.*67. *n.*17

Si

Si conventuale capitulum reciperet novitium cum conditione expreſſa, quod non habeat aliquem defectum, proteſtando illi, ſe nolle conſentire in profeſſionem cum tali defectu, erit nulla talis profeſſio, ſi defectus ille detur, *pag.68. numero* 18
An capitolis intereſſe teneantur præbendati? *pagin.248. num.*29
An poſſint capitula celebrari tempore divinorum officiorum? *ibid. num.*30
An ob aſſiſtentiam in capitulo excuſentur præbendati ab aſſiſtentia in Choro, & diſtributionum amiſſione? *ibid. n.*29. & 30
Vide *verbo Novitiatus.*

Carcer.

An poſſit religioſus à carcere fugere? *pag.*114. *à num.*129. *uſque ad* 131. *incluſivè.*
An in carcerem conjectus, vel in exilium pulſus, vel certe timens ne incarceretur, vel exulari cogatur, & ob id à Choro abeſſe coactus eſt, poſſit diſtributionem lucrari? *p.*246. *n.*20.
An qui juravit redire ad carcerem, in qua detinebatur, teneatur redire, quando ex reditu timet pœnam graviſſimam, etiam mortis, qua damnatus eſt? *p.*315. *à num.*72. *uſque ad* 75. *incluſivè.*
An ſi incarceratus, fracto carcere, ad Eccleſiam confugiat, illi proſit ejus immunitas? *p.*475. *num.*91

Cardinalis.

Vtrum Cardinalis habeat poteſtatem dandi profeſſionem regularibus exemptis? *pag.*66. *numero* 10
Cardinales, an aliquando poſſint eſſe conſervatores? *pag.* 495. *numero* 160

Carmelitæ.

Privilegia, quibus Carmelitæ excalceati à ſolutione quartæ funeralis eximuntur, *p.*511. *n.*219. *cum ſequentibus.*
Plures ſententiæ in favorem Carmelitarum Diſcalceatorum de non ſolvenda quarta funerali, *pag.*513. *numero* 227

Carnes.

An noſtri religioſi lethaliter peccent, ſi carnes comedant abſque licentia in ſcriptis? *pag.*400. *num.*62

Caſtitas.

Ad quid obliget votum caſtitatis, *p.*136. *n.*18
Duplex votum ſolemne caſtitatis datur in Eccleſia. In quo conveniant? & in quo differant? *p.*137. *n.*19. & 20
Votum ſolemne caſtitatis, quod fit in profeſſione dirimit matrimonium ſubſequens, & antecedens non conſummatum. Et quid dicendum de voto ſimplici? *ibid. num.*21
Religioſus violando caſtitatem peccat peccato ſacrilegii, *ibid. num.*22
An ſi quis eſſet in ſacris ordinibus, & ſimul ſolemniter profeſſus, præter malitiam, contra caſtitatem committat duplicem aliam in confeſſione aperiendam, ob violationem illius duplicis voti ſolemnis? *p.*138. *n.*23
Qui habens votum caſtitatis fornicatur cum fœmina habente illud, hoc exprimere debet in confeſſione. Et quid dicendum de tactibus, *ibidem, num.* 24
An peccatum contra caſtitatem in religioſo, ut fornicatio, & ſodomia, ſit ex illis peccatis, quæ ſunt contra bonum commune? *ibidem, numero* 25. & 26
Duplex votum ſimplex caſtitatis explicatur, *p.*139. *numero* 27
Votum ſimplex caſtitatis licet non irritet matrimonium poſt illud contractum, illud illicitum reddit, *ibid. n.*28
An irritet ſponſalia? *ibid.*
An peccet mortaliter conjugatus habens votum caſtitatis, ſi debitum reddat non habenti jus petendi? *ibid. num.*29
Quid facere debeat, qui poſt votum caſtitatis matrimonium contraxit? *ibid. n.*30
Ad quid teneatur, qui votum virginitatis emiſit? *p.*140. *n.*31
An ſi quis magnis tentationibus carnis agitatur, votum emittat caſtitatis cum periculo maximo incontinentiæ, & experientia lapſus, vel certe poſt votum tales ſtimuli, & pericula inſurgant, eritne tale votum caſtitatis validum? *ibidem, à n.*32. *uſque ad* 35. *incluſivè.*
Votum caſtitatis an ſit reſervatus Pontifici? *pagin.*141. *num.*36
Quibus caſibus votum caſtitatis pontifici non reſervetur? *ibid. n.*37
Votum caſtitatis emiſſum à conjugato, an ſit reſervatum Pontifici? *ibid. n.*38
In quibus caſibus poſſit Epiſcopus, vel alius inferior Papa, in voto caſtitatis diſpenſare? *ibidem, numero* 39

Cautio.

Cautio juratoria in quibus caſibus exigi debeat? *pag.*275. *numero* 171

Cæcus.

An cæcus, aut ſurdus à reſidentia excuſetur, & non aſſiſtens choro poſſit diſtributiones lucrari? *pag.* 245. *numero* 18

Cenſura.

Vide *verbo Abſolutio. verbo Reſervatio.*

Chirurgus.

Vide *verbo Religioſus.*

Chorus.

Vide *verbo Hora Canonica.*

Clauſura.

An regulares aliquam clauſuram teneantur obſervare? *p.*120. *n.*158
Quando ſit peccatum mortale abſque licentia exire à clauſura? *ibid. n.*159
An peccet contra clauſuram religioſus, qui ſine licentia egreditur ad longum iter agendum prætextu adeundi Prælatum ſuperiorem in ſui propriam defenſionem? *p.*121. *n.*160
Qualis Prælati licentia requiratur ad exitum ex monaſterio? *ibid. n.*161
Abſque cauſa dans licentiam religioſis ad exeundum è monaſterio, an peccet? *ibidem, numero* 162

Quis licentiam exeundi à monaſterio poſſit dare religioſo, *p.122. n.163*

An ut religioſus licite exire poſſit à Monaſterio ſufficiat generalis licentia, an vero requiratur ſpecialis? *ibid. num.166*

Quid faciendum pro clauſuræ recta obſervantia? *p.123. num.167*

In quibus caſibus religioſus abſque licenta exiens incurrat excommunicationem? *ibid. à n.168. uſque ad 171. incluſivè.*

Quo jure prohibitum ſit fœminas monaſteria virorum ingredi? & ſub qua pœna? *pag.124. à n.174. uſque ad 176. incluſivè.*

Quæ fœminæ ſub tali prohibitione contineantur? *p.125. à n.177. uſque ad 180. incluſivè.*

Quid nomine clauſuræ intelligatur? ex jure communi, quam ingredi mulieribus prohibetur? *p.126. à n.181. uſque ad 183. incluſivè.*

Quis clauſuram indicere, & variare poſſit? *p.127. numero 184*

An poſſint ingredi mulieres monaſterium virorum, cum ſciunt neminem in eo eſſe, eo quod negotii, vel recreationis cauſa, omnes exiſſe norunt? *ibid. n.185*

Quibus ex cauſis licitum ſit mulieribus ingredi domus religioſorum? *ibidem, à num.186. uſque ad 189. incluſivè.*

Quas pœnas incurrant mulieres clauſuram religioſorum, extra caſus permiſſos intrantes, & illas introducentes, vel admittentes? *pag.129. à numero 191. uſque ad 193. incluſivè.*

Quid à dictis pœnis poſſit abſolvere? *pagin.130. numero 194*

In noſtra religione, an ratione pietatis fœminæ poſſint ingredi monaſteria? *ibid. n.195*

Sub excommunicatione & præcepto noſtris religioſis prohibitum eſt, quod fœminas intra clauſuram admittant? *ibid. n.196*

Quibus caſibus etiam apud nos poſſint fœminæ ingredi monaſteria? *ibid. n.197*

Quid determinatum ſit apud nos de ingreſſu fœminarum in Eremiticis monaſteriis? *p.131. à n.198. uſque ad 202. incluſivè.*

An poſſint Epiſcopi viſitare clauſuram monialium exemptarum ad illam conſervandam, vel reſtituendam? *p.470. n.73. cum duplici ſequenti.*

Clauſula.

Diverſæ clauſulæ explanantur, quæ ſolent in privilegiis Pontificum reperiri, vel in eorum confirmationibus, & revocationibus? *p.395. n.38. cum pluribus ſequentibus.*

Clericus.

An clerici reſpectu ſuorum Prælatorum gaudeant immunitatis privilegio? *p.476. n.92*

Coadjutor.

Coadjutores an teneantur recitare officium divinum? *p.214. num. 29*

Commenda.

Vide *verbo Militares.*

Comminatorium.

Vide *Iuramentum.*

Communicatio.

In quo conſiſtit communicatio privilegiorum? *p.407. num.87*

Qualiter omnes religiones mendicantes, & non mendicantes ſibimetipſis in privilegiis communicent? *ibid. n.88. cum pluribus ſeqq.*

An Tertiariæ, & Beatæ, & aliæ perſonæ communicent in aliquibus privilegiis religioſorum? *p.409. num.94*

An ſi privilegia alicui religioni conceſſa, alterius religionis ſtatutis, legibus, aut modo vivendi adverſentur participentur per communicationem ab iſta religione, ita ut eis uti poſſint religioſi contra id, quod in ſuis legibus ſtatuitur? *p.411. num.100*

An religiones communicantes cum aliis etiam in odioſis, & pœnalibus communicent? *ibidem, numero 101*

An religio communicans in privilegiis, poſſit per privilegium alteri conceſſum ſeſe defendere, illudque retorquere contra primam privilegiatam? *ibid. n.102. & 103*

An mendicantes, & qui cum eis in privilegiis participant, uti poſſint privilegiis Societatis Jesu abſque licentia ſui Generalis, vel Provincialis? *p.412. n.104. & 105*

An privilegia, quæ habent clauſulam incommunicabilitatis, adhuc ab aliis religionibus valeant communicari, *p.413. n.106. & 107*

An privilegia conceſſa uni Provinciæ, uni Conventui, vel Eccleſiæ particulari, vel etiam ſingularibus perſonis cenſeantur conceſſa cæteris Provinciis, Conventibus, & Eccleſiis, necnon ſingularibus perſonis, ex vi generalis communicationis? *ibid. n.108. cum aliis ſeqq.*

An privilegium conceſſum per Bullam uni religioni, & alteri communicatum ſolùm per oraculum revocatum ſit per dictas revocatorias reſpecto illius religionis, cui fuit ſolum per oraculum conceſſum? *p.438. n.55*

An per confirmationem privilegiorum unius Ordinis, aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegijs? *pagin.445. n.76. cum ſeqq.*

An quando uni religioni datur privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ unum eſt exemptio à ſolutione decimarum, ex vi illius poſſit religio communicans eximi à ſolutione decimarum, ac ſi ipſi in ſpecie privilegium talis exemptionis conceſſum eſſet? *p.469. numero 70. & 71*

Communio.

Qui ſemel in anno non confeſſus eſt; nec in Paſchate communicavit, an ſit ſepeliendus in loco ſacro, *p.505. n.199*

Commutatio.

An ſi alicui committatur facultas commutandi, aut diſpenſandi in votis, hoc ipſo cenſeatur conceſſa facultas commutandi, aut diſpenſandi juramenta ſoli Deo præſtita, vel vota juramento firmata, ita ut à vinculo voti, & juramenti liber remaneat? *p.340. n.2. & 3*

An Prælati poſſint irritare vota novitiorum, vel commutare, vel diſpenſare? *pag. 351. numero 42. & 43*

An qui habet poteſtatem diſpenſandi in votis, etiam

etiam habeat facultatem illa commutandi? *p.361. n.80.* & 81

Poſſintne Confeſſarii regulares commutare aliqua vota? *p.364. n.93*

An ſi quis à Sommo Pontifice, vel ab alio de ejus commiſſione accipiat commutationem voti reſervati, quia in aliud votum, aut materiam commutatum eſt, hoc ſecundum reſervatum ſit, ita ut nequeat ab alio, quam à Pontifice relaxari? *p.168. num.*109

An ſi quis per Bullam, privilegium vel jobileum, facultatem accipiat abſolutam diſpenſandi, aut commutandi omnia vota, talis facultas etiam extendatur ad reſervata? *p.370. n.116*

Quid ſit commutatio? & in quo differat ab irritatione, & diſpenſatione? *p.373. n.126*

Vota commutare eſt actus juriſdictionis, cujus poteſtas reſidet in omnibus, qui poſſunt diſpenſare, *p.174. n.127*

An vota authoritate propria voventis poſſint commutari? & in quid? *ibidem, à num.128. uſque ad 136. incluſivè.*

Commutatio quam materiam ſubrogare debeat? *p.376. à n.137. uſque ad 143. incluſivè.*

De cauſa requiſita ad licitam, & validam voti commutationem, *pag.178. à n.144. uſque ad 149. incluſivè.*

Quæ vota poſſint commutari virtute Bullæ, aut Iubilei? *p.179. n.150. cum duplici ſequenti.*

An virtute Bullæ, aut Iubilei, poſſit fieri in minus commutatio? *p.380. n.153*

An virtute Bullæ, aut Iubilei, poſſint commutari vota religionis, aut caſtitatis in aliquo caſu urgentis neceſſitatis? *ibid. n.154*

An virtute Bullæ, aut Iubilei poſſint commutari juramenta Deo facta de ſervanda caſtitate, aut de religione, *ibidem.*

An votum, vel juramentum de eroganda eleemoſyna alicui pauperi determinato, vel alicui Eccleſiæ, poſſit, poſt ejus acceptationem virtute Bullæ, aut Iubilei commutari? *ibidem, numero 155.* & 156

An qui bullam ſuſcepit, vel Iubileum lucratus eſt, & tempore illorum vota non commutavit, illo tranſacto, poſſit votorum commutationem virtute illorum obtinere, *p.381. n.157*

An vota commutata virtute Iubilei, eo poſtea non lucrato reviviſcant? *ibid. n.158*

An peccet confeſſarius, qui requiſitus à pœnitente virtute Bullæ aut Iubilei, ut ſibi vota commutet, id facere non vult? *ibid. n.159*

An commutatio voti facienda virtute Bullæ, ſolum fieri poſſit in pecuniam in ſubſidium temporale belli? *ibid. n.160. cum tribus ſeqq.*

Poſt factam commutationem, an teneatur vovens ad materiam ſubrogatam? *p.381. n.164*

An ſemel facta commutatione à legitima poteſtate, & accepta à vovente, liberum ſit illi, propria auctoritate ad priorem voti materiam redire? *p.383. n.167. cum quatuor ſeqq.*

Conditio.

Vide *verbo Votum.*

Confeſſarius, Confeſſio.

An peccet Confeſſarius, qui requiſitus à pœnitente virtute bullæ, aut jubilei, ut ſibi vota commutet, id facere non vult? *p.381. n.159*

Quando teneatur confeſſarius uti privilegio abſolvendi à cenſuris, vel reſervatis? *p.389. n.15*

Facultas conceſſa confeſſario ad abſolvendum à reſervatis, an latè ſit explicanda? *p.405. n.80*

Licentia ad confeſſiones audiendas morte concedentis an ſpiret, *p.455. n.144*

Qui ſemel in anno non confeſſus eſt, nec in Paſchate communicavit, an ſit ſepeliendus in loco ſacro? *p.505. n.199*

An poſſint Prælati (& idem eſt de reliquis regularium confeſſariis) ſuos ſubditos, vel ſæculares abſolvere à caſibus, vel cenſuris, quas Epiſcopi ſibi in ſpecie reſervant? *p.448. numero 3. cum ſequentibus.*

Approbatio & juriſdictio cum Sacerdotio ad confeſſiones audiendas requiritur, *p.527. n.41*

Nullum modo extat privilegium, ut regulares ſine approbatione Epiſcopi poſſint ſæcularium confeſſiones audire, *ibid. n.42*

An ſimplex Sacerdos poſſit audire confeſſiones in articulo, vel periculo mortis? & etiam extra periculum mortis, ſi confeſſio ſit de peccatis venialibus? *ibid.*

An Prælati regulares poſſint audire ſæcularium confeſſiones ſine Epiſcopi approbatione? *pagin.528. n.43. cum duplici ſequenti.*

An regularis approbatus ab Epiſcopo pro confeſſione ſæcularium, poſſit eas valide audire, & abſolvere ſi à ſuis Prælatis præſentatus non ſit, ſed ab ipſis, vel à ſuis legibus prohibitus? *ibidem, n.46. cum ſeqq.*

De illis, qui poſſunt ſibi confeſſarium eligere ab Epiſcopo non approbatum, *p.529. numero 49. cum ſequentibus.*

An regulares apti, & idonei præſentati Epiſcopo, ſi ab eo, ex odio, aut mala voluntate, aut ex alio pravo affectu, non fuerint admiſſi, nec approbati ad confeſſiones, poſſint ipſi ſæcularium confeſſiones audire, ac ſi eſſent de facto approbati? *p.532. n.60. cum aliis ſeqq.*

An poſſit Epiſcopus regulares confeſſarios limitate approbare, ad limitata loca, perſonas, tempus, &c. *p.534. n.66. cum ſeqq.*

An regularis pro una diœceſi approbatus, ad audiendas in aliis ſæcularium confeſſiones, nova indigeat approbatione? *pag. 535. numero 71, cum ſequentibus.*

An regulares ſemel abſolute ab Epiſcopo approbati poſſint iterum ad examen vocari, vel ab eo illorum licentiæ ſuſpendi? donec iterum præſententur, vel approbentur? *p.538. num.79. cum ſequentibus.*

Qualiter religioſi unius ordinis poſſint cum extraneis, ſive religioſi ſint, ſive ſæculares confiteri? *p.540. n.89. cum ſeqq.*

An poſſint regulares uti privilegio Bullæ Cruciatæ ad eligendum confeſſorem extra ſuam religionem? *p.542. n.95. cum ſeqq.*

De Privilegiis confeſſorum regularium in ordine ad abſolvendum proprios religioſos à caſibus reſervatis, *p.546. n.107. cum ſeqq.*

De facultate, quam habent confeſſarii regulares diſpenſandi vota, & irregularitates ſuorum religioſorum, *p.548. n.113. cum ſeqq.*

A quibus caſibus, & cenſuris reſervatis poſſint regulares confeſſarii ſæculares abſolvere? *pagin.549. n.117. cum ſeqq.*

Poſſintne modo regulares confeſſarii, à caſibus, & cenſuris Bullæ Cœnæ occultis, ſæculares abſolvere? *p.551. n.124. cum ſeqq.*

Confirmatio.

Diverſæ clauſulæ explanantur, quæ ſolent in privilegiis

vilegiis Pontificum requiti, vel in eorum confirmationibus, & revocationibus, *p.395. n.38. cum pluribus ſeqq.*

De confirmatione privilegiorum ſub qua forma, & modo fieri ſoleat? *p.442. n.68. cum ſequentibus.*

An per confirmationem ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, reſtaurentur privilegia revocata per jus commune, vel per Concilium aliquod generale, abſque eo, quod de tali revocatione fiat expreſſa, & ſpecifica mentio? *p.444. n.73*

An confirmatio ex *certa ſcientia* confirmet actum, poſſeſſionem, aut privilegium in præjudicium tertii? *ibid. n.74*

An per confirmationem privilegiorum unius ordinis aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis? *p.445. n.76. cum ſequentibus.*

Conjugatus, Conjux.

An conjux, qui poſt contractum matrimonium, & non conſumatum religionem ingreditur, debeat integrum annum peragere ante profeſſionem? *p.41. n.28*

Conjux in ſæculo manens, non poterit ad alias nuptias toto illo anno tranſire, *ibid.*

Quomodo conjugati poſſint, vel non in religionem admitti? *p.44. n.45*

An peccet conjugatus habens votum caſtitatis, ſi debitum reddat non habenti jus petendi? *p.159. num.29*

Votum caſtitatis emiſſum à conjugato, an ſit reſervatum Pontifici? *p.141. n.38*

Quæ juramenta uxoris poſſit irritare vir? *p.341. num.5*

Conſervator.

An poſſint Prælati regulares eligi in judices conſervatores aliarum religionum? *pag.172. numero 62.* Vide *verbo Index.*

Conſtitutio.

An conſtitutiones ſemel à Pontifice approbatæ poſſint revocari à religione ſaltem in Capitulo generali congregata? *p.79. à num.67. uſque ad 69. incluſivè.*

Conſuetudo.

Quam officioſa ſit conſuetudo jurandi, *p.333. numero 148*

Quid ſit conſuetudo? *ibid. n.149*

Quot modis conſuetudo pejerandi contingat? *ibid. n.150*

Quando eſt peccatum lethale ponere, vel conſervare pravam conſuetudinem? *pag.334 numero 152*

Conſuetudo paſſim jurandi, ſed verum, non eſt peccatum mortale, *ibid. n.153*

Quando conſuetudo jurandi, ſed cum advertentia, ut verum juretur, conjungitur cum conſuetudine mentiendi abſque juramento, quid dicendum? *ibid. n.154*

In ſtatu eſt peccati mortalis, qui habet conſuetudinem pejerandi, & non tollit; *ibid. n.155*

An juramenta provenientia ex prava conſuetudine jurandi, abſque plena tamen advertentia, emiſſa, & indeliberate, ſint peccata lethalia? *ibidem, à numero 156. uſque ad 161. incluſivè.*

Utrum ille, qui ex conſuetudine jurat, vel aliud peccatum ex conſuetudine facit, circumſtantiam conſuetudinis teneatur confiteri, ita ut non ſolum dicere debeat, ſe perjurium, pollutionem, aliudve peccatum commiſiſſe, ſed illud ex conſuetudine procedere? *pag. 336. numero 162. & 163*

An quando non tenetur pœnitens confiteri conſuetudinem, ſi à confeſſario de illa interrogetur, teneatur illam aperire, vel poſſit negare utendo amphibologicis verbis, vel alia via abſque mendacio? *p.337. num.164. cum duplici ſequenti.*

An habenti conſuetudinem pejerandi, vel blaſphemandi, nihil apponenti curæ ad emendam, cum admonitus ſæpe fuerit in aliis confeſſionibus, poſſit, & debeat confeſſor denegare beneficium abſolutionis, ſi accedat cum dolore de præteritis, & in poſterum emendam firmiter proponat? *p.338. num.167. cum tribus ſequentibus.*

Quæ pœnitentia injungenda ſit perjurio conſuetudinario? *ibid. n.171*

Juramentum emendationis petendum an ſit ab eo, qui pravam habet conſuetudinem? *ibid. numero 172*

An poſſit acquiri privilegium per conſuetudinem? *p.393. n.30*

Revocatis privilegiis, an cenſeantur revocata per conſuetudinem acquiſita? *ibid. n.31*

Conſuetudine, & præſcriptione, quomodo poſſunt aliqui eximi à decimis ſolvendis? *p.464. num.55*

Poteſtne adverſus immunitatem prævalere conſuetudo? *p.472. num.82*

Conſulens.

An mandans, aut conſulens in Eccleſia occiſionem, illius immunitate privetur? *pag. 478. num. 102*

Contemptus.

Quando ex contemptu ſubditus obedientiam frangere dicatur? *p.145. n.34*

Creditor.

An creditor exigens virtute inſtrumenti publici coram judice debitum, poſſit jurejurando aſſerere quantitatem in eo contemptam ſibi eſſe debitam, etſi pars, vel tota, jam ſit ſoluta, ſi tantumdem, alias alius debet, & non habet inſtrumentum, quo recuperare valeant? *pag.332. numero 143*

Crimen, Criminoſus.

Qui criminoſi à religione arceantur? *pag. 50. numero 68*

Criminoſus, qui cælando defectum profeſſus eſt, an poſſit à religione expelli? *ibidem, numero 69*

An Prælati mittere poſſint ad triremes ſubditos criminoſos? *p.122. n.164. & 165*

Qui criminoſi ab Eccleſiæ immunitate excludantur? *p.477. n.96. cum ſequentibus.*

Crimen *Leſæ-Maieſtatis*, an privet immunitate? *pag.480. num.106*

Quando non appoſitio conditionis privilegium ſuſpendat?

ſuſpendat? vel deſtruat? *pag.*424. *num.*2.
Vide *verbo Votum.*

Curator.

Quæ filiorum vota valeant parentes, tutores, & curatores irritare? *pag.*351. *a numero* 44. *uſque ad* 54. *incluſivè.*

D

DEBITUM.

AN Prælati diſpenſari poſſint cum conjugatis ad debitum petendum? *pag.*526. *numero* 38

Privatio debiti petendi, quando oon incurratur? *ibidem.*

Decanus.

Decanus, an aliquando poſſit eligi in conſervatorem? *p.*495. *num.*160

Decima.

Quotuplex ſit decima? *p.*463. *n.*52

Solutio decimarum, quo jure ſit debita, *ibid. numero* 53

Pontifex an aliquos eximere valeat à ſolutione decimarum? *p.*464. *n.*54

Conſuetudine, & præſcriptione, quomodo poſſunt aliqui eximi a decimis ſolvendis? *ibid. numero* 55

Ex quibus rebus perſonales decimæ debentur? *p.*465. *n.*56

Ex quibus rebus prædialibus, aut mixtis decimæ ſolvendæ ſint? *ibid. n.*57. & 58

Quæ perſonæ debeant decimas ſolvere? *p.*466. *n.*59. *cum duplici ſequenti.*

Quæ pœnæ ſint impoſitæ non ſolventibus decimas, aut facientibos eas non ſolvi, vel eas aliquomodo uſurpantibus? *pag.*467. *numero* 62

Qualiter jure communi, religioſi communiter viventes exempti ſint à ſolutione decimarum? *ibid. n.*63. *cum ſequentibus.*

An, quando uni religioni datur privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ unum eſt exemptio à ſolutione decimarum, ex vi illius poſſit religio communicans eximi à ſolutione decimarum, ac ſi ipſi in ſpecie privilegium talis exemptionis conceſſum eſſet? *p.*469. *n.*70. & 71

Privilegia regularium pro non ſolvendis decimis recenſentur, *ibid. n.*72

An ex vi dictorum, & aliorum privilegiorum, nunc de facto religioſi non ſolum ſint exempti a ſolutione decimarum prædiorum, quæ ante Concilium Lateranenſe poſſidebant, ſed etiam de prædiis, terris, arboribus in futurum poſſidendis ab eis? *p.*470. *n.*73

An religioſi teneantur decimas ſolvere de prædiis, terris, agris, aut poſſeſſionibus, quas aliis colendas tradunt, vel per arrendatarios, aut colonos excolunt, an nimirum religioſi, vel prædiorum coloni teneantur decimas parochis tribuere? *ibidem, numero* 74. *cum duplici ſequenti.*

An hujuſmodi privilegium de non ſolvendis decimis extendatur ad prædia conducta, locata, vel emphiteuſim accepta ab ipſis religioſis, quæ ipſi propriis manibus, aut ſumptibus colunt, licet aliena ſint, & à monaſterio conducta? *p.*471. *n.*77

Qui regulares dictis privilegiis exemptionis à decimis fruantur? *ibid. n.*78. & 79

Quando amittantur ſupradicta privilegia exemptionis a decimis? *p.*472. *n.*80

Depopulator.

Depopulatores agrorum, an gaudeant immunitatis privilegio? *p.*477. *n.*99

Depoſitum.

An religioſi poſſint depoſitum accipere ſine licentia Prælati? *p.*177. *num.*80

Quis teneatur de depoſito, ſi pereat? *ibidem, & numero* 81. & 82

Deſperatio.

Occidentes ſe ipſos ex deſperatione, an ſint ſepeliendi in loco ſacro, *p.*505. *n.*200

Diffinitores, Diffinitorium.

Utrum diffinitorium noſtrum Generale poſſit facere decretum, ut nullus admittatur ad profeſſionem cum aliquibus defectibus? *p.* 68. *numero* 18

An Diffinitores poſſint aliquando eſſe Conſervatores? *p.*495. *num.*163

Diſpenſatio.

Qui poſſint diſpenſare ſuper obligationem recitandi officium divinum? *p.*255. *n.*41

An ſi alicui committatur facultas commutandi aut diſpenſandi in votis, hoc ipſo cenſeatur conceſſa facultas commutandi, aut diſpenſandi juramenta ſoli Deo præſtita, vel vota juramento firmata, ita, ut à vinculo voti, & juramenti liber maneat? *p.*340. *n.*2. & 3

An Prælati poſſint irritare vota novitiorum, vel commutare, vel diſpenſare? *pag.*351. *numero* 42 & 43

Eſt in Eccleſia poteſtas vota diſpenſandi. Et quid ſit diſpenſatio? *p.*560. *n.*77. & 78

An Prælatus, qui poteſt cum ſuis ſubditis in votis illorum diſpenſare, poſſit etiam ſecum diſpenſare in votis ab ipſo emiſſis, vel ſaltem alteri ſuas vices delegare, ut ſecum in dictis votis diſpenſet? *ibid. n.*79

An qui habent poteſtatem diſpenſandi in votis, etiam habeant facultatem illa commutandi? *p.*361. *n* 80. & 81

An vota emiſſa in utilitatem tertii ſint diſpenſabilia? *ibid. n.*82

In quibus, jure ordinario reſideat poteſtas diſpenſandi in votis? Et an illa poteſtas poſſit delegari? *ibid. a n.*83. *uſque ad* 87. *incluſivè.*

An in his votis reſervatis, poſſit Epiſcopus, vel alius Prælatus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens diſpenſare in aliquo eventu? *p.*366. *n.*101

An, ſi quis per bullam, privilegium, vel jubileum, facultatem accipiat abſolutam diſpenſandi, aut commutandi omnia vota, talis facultas etiam extendatur ad reſervata? *p.*570. *num.*116

An poſſint prælati regulares diſpenſare vota religioſorum, ſive ſint profeſſi, ſive novitii? *p.*363. *à n.*88. *uſque ad* 92. *incluſivè.*

De cauſa requiſita, ut voti cujuſcumque diſpenſatio, valide, & licitè impendatur, *p.374. à n.117. uſque ad 125. incluſivè.*

Privilegium, aut diſpenſatio, quantumvis odioſa, extendi debet ad ea, quæ ſunt illi neceſſario connexa, & ſinequibus non poteſt habere effectum, *p.405.n.81*

Speciales caſus ex hac doctrina inferuntur, *ibid.*

Diſpenſationes commiſſæ ordinariis an ſpirent morte Pontificis? *p.423.n.147*

An privilegium, vel diſpenſatio ad aliquid agendum, vel non agendum, ceſſet unico actu? *p.425.num.4*

Non poteſt Summus Pontifex revocare diſpenſationes, quas dedit, contrahendi matrimonium in gradibus prohibitis, niſi ex urgenti cauſa, & reddendo diſpenſato, quod dedit, *p.432. num.30*

De facultate Prælatorum ad diſpenſandum in irregularitatibus, *p.522. n.24. cum ſeqq.*

Qualiter Prælati cum ſuis ſubditis in legibus, & præceptis Eccleſiaſticis valeant diſpenſare? *p.524.n.30. cum ſeqq.*

An Prælati diſpenſari poſſint cum conjugatis ad debitum petendum? *p.536.n.38*

De facultate, quam habent confeſſarii regulares diſpenſandi vota, & irregularitates ſuorum religioſorum? *pag.548. numero 113. cum ſequent ibus.*

In quibus irregularitatibus, & aliis pœnis poſſint religioſi cum ſæcularibus diſpenſare? *p.553.n.131. cum ſeqq.*

An Epiſcopus diſpenſari poſſit in aliquibus irregularitatibus? *pag.554. numero 133. cum aliis ſequentibus.*

Quis poſſit diſpenſare in pœnis, quæ dantur contra ſimoniacos? *p.638.n.33. cum ſequentibus.* Vide *verbo Pontifex. Verbo Caſtitas.*

Diſtributio.

Diſtributiones amiſſæ ab abſentibus, quibus accreſcant, *p 243.n.10*

Abſentes ex legitima cauſa, quas diſtributiones lucrentur? *ibid. n.11*

An præſentes, quibus diſtributiones abſentium competunt, poſſint eas donare, remittere? &c. *ibid. n.12.* & 13

Quæ cauſæ excuſent præbendatum à choro, non obſtante abſentia, ut lucrari poſſit diſtributiones; ubi de infirmis, de cæcis, & ſurdis, de incarceratis, & in exilium pulſis, de excommunicatis, de abſentibus in utilitatem Eccleſiæ, de Pœnitentiariis, de Canonico Magiſtrali, & Lectorali, de docentibus, & ſtudentibus in Academiis, *p.244. à n.14. uſque ad 40. incluſivè.*

An poſſit Summus Pontifex concedere alicui præbendato diſpenſationem, aut privilegium, ut non aſſiſtens divinis, nedum fructus, ſed etiam diſtributiones lucretur? *p.251.n.41*

An Epiſcopus, vel aliquis alius gaudeat ſimili poteſtate? *ibid.*

Privilegium à Pontifice conceſſum percipiendi fructus, & diſtributiones in abſentia, qualiter ſit interpretandum? *ibid. n.40*

An Præbendati tribus menſibus à jure ſibi conceſſis, non reſidentes, lucrentur non ſolum fructus beneficii, ſed etiam diſtributiones quotidianas? *p.252. n.47*

An ex ſtatuto, vel conſuetudine Eccleſiæ excuſari poſſint, qui amplius, quam per tres menſes non aſſiſtunt horis canonicis, ut fructus, & diſtributiones præſentibus debitas, poſſint lucrari? *ibid. à n.48. uſque ad 58. incluſivè.* Vide *verbo Præbendatus.*

Dolus.

Vide *verbo Votum.*

Dominium.

Vide *verbo Militares.*

Dominus.

Vide *verbo Servus.*

Donati.

Donati noſtræ ſacræ Religionis, qui tria vota ſubſtantialia ſolemniter emittunt, ſolemniterque profitentur, ſunt veri religioſi, *pag.10. numero 34*

Per eorum vota matrimonium ratum antecedens diſſolvitur, & etiam ſubſequens conſummatum, *ibid.*

Donati, qui apud nos tria vota ſimplicia emittunt, ſunt veri religioſi; & ſi fugiant à Religione, pœnis Apoſtatarum puniuntur, *ibidem, numero 35*

Donatio.

Regularis unius conventus poſſunt aliis ejuſdem conventus religioſis res etiam pretioſas de licentia Prælati donare. Et quid de donatione unius conventus reſpectivè ad alium ejuſdem Ordinis? *p.168.num.41*

Dubium.

In dubio an profeſſio ſit valida, an valida cenſenda ſit? *p.69.n.23*

Quando dubitans poteſt, & tenetur obedire prælato? *p.146.n.58*

An teneatur ſubditus præceptis ſuperiorum obedire, ſi dubitet an teneatur, necne, illis obedire? *ibid. n.59*

Poteſt religioſus obligari ex vi voti obedientiæ ad ſubeundum munus Prælati intra ſuum ordinem (& ob eandem rationem ad acceptandum beneficium regulare illius) etiamſi dubitet de ſua ſufficientia, *p.150.n.79*

In caſu dubio juſtitiæ, etiam in cauſis graviſſimis, nequit religioſus appellare, *pag.161. numero 13*

In dubio an alienatio ex legitima cauſa facta ſit, quid dicendum? *p.171.n.54*

Qui dubitat, an recitaverit officium divinum, quid facere debet? *p.226. & ſeq. n.12*

In dubio an ſit infirmitas ſufficiens ad excuſandum à recitatione officii divini, quid faciendum? *p.233.n.36*

An, ſi omnibus inſpectis, dubium ſit, an votum emiſſum, ſit pro determinato tempore ad finiendam obligationem, an ad exequutionem ſolicitandam, teneatur vovens, illo tranſacto tempore, votum implere? *p.286.n.132*

Vota, & juramenta dubia an obligent? *p.289. n.143.* & 144

Dubitans, an implevit, ad iterum implendum, an teneatur, *ibid. n.145*

Qui dubitat, an magis, vel minus promiſerit, ſatisfaciatne, quod minus eſt, exequendo? *p.290. num.146*

Qui certus de voto dubitat, qua intentione illud emiſit, an animo ſe obligandi, an cum plena deliberatione, &c. teneaturne voto? *ibidem, numero 147*

Qui dubitat, an materia ſit honeſta, an poſſibilis, &c. teneaturne voto? *ibid.*

Qui certus de voto dubitat, an emiſerit illud metu coactus, teneatus ad votum. Et idem eſt, ſi ſciat votum emiſiſſe ex metu, dubitat vero, an fuerit metus cadens in viſum conſtantem? *ibid.*

An in dubio utrum privilegium ſit reale, vel perſonale, judicandum ſit eſſe reale, vel perſonale? *p.390. n.20. & 21*

Privilegia regularium dubia à quo debeant interpretari? *p.403. n.73*

Privilegia regularium dubia, an in eorum favorem ſint interpretanda? *p.404. n.74*

An Epiſcopus dubitans de validitate privilegii regularium, an ſit in uſu, an ſubrepsitium, an vitioſum, an amiſſum, aut aliter intelligendum, poſſit regulares impedire, ne interim tali privilegio utantur? *p.416. n.121*

In dubio, an, quis renunciaverit privilegium, vel non, quid dicendum? *p.426. n.8*

In dubio, non præſumitur privilegia regularium eſſe revocata, niſi de revocatione conſtet, *p.433. n.36*

In dubio de privilegio exemptionis regularium, non Epiſcopus, ſed Pontifex poteſt ſententiam proferre, *p.449. n.6*

Si dubium ſit, an caſus ſit exceptus, vel non, poſſitne judex laicus vi extrahere reum à loco ſacro? *p.483. n.120*

In dubio, an cadaver ſepeliendum ſit in Eccleſia, an extra? quid faciendum? *p.504. n.193*

Qualites dubium circa reſervationem peccati, vel cenſuræ, excuſet à reſervatione? *p.521. n.14. cum ſeqq.*

Peccatum, ut dubium confeſſum, recedente dubio, an ſit poſtea iterum confeſſioni mandandum? *p.521. n.16. cum ſequentibus.*

Duellum.

Qui in duello moriuntur, an intra Eccleſiam ſint ſepeliendi? *pag.504. num.196*

E

ECCLESIA.

AN Eccleſia gaudeat immunitate? & ad quæ loca extendatur prædicta immunitas? *pagin.473. n.84. cum aliis ſeqq.*

An, ſi incarceratus, fracto carcere, ad Eccleſiam confugiat, illi proſit ejus immunitas? *p.475. numero 91*

An proſit clericis, & religioſis immunitas Eccleſiæ comparatione ad ſuos Prælatos? *pag.476. numero 92. & 93*

Qui criminoſi ab Eccleſiæ immunitate excludantur? *p.477. n.96. cum ſeqq.*

Quos effectus habeat immunitas Eccleſiæ? *p.481. n.109. cum quatuor ſeqq.*

Quam pœnam, & culpam incurrant indebitè extrahentes delinquentes à loco ſacro? *pag.482. n.114. cum ſequentibus.*

Quomodo confugientes ad Eccleſiam tradi, vel non, poſſunt judici ſæculari puniendi? *p.485. num.119. cum aliis ſequentibus.*

Vide *verbo Alienatio.*

Electio.

Vide *verbo Simonia.*

Epiſcopatus, Epiſcopus.

Epiſcopus, an habeat poteſtatem dandi profeſſionem regularibus exemptis? *p.66. n.10*

An regulares ad Epiſcopatum aſſumpti, maneant abſoluti à tribus votis ſubſtantialibus, paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis? *p.88. & ſeqq. n.30. uſque ad 32. incluſivè.*

An regularis factus Epiſcopus teneatur ad alias obſervantias ex regulæ, vel conſtitutionum præſcripto debitas? *pag.90. à numero 33. uſque ad 37. incluſivè.*

De quibus Epiſcopis dictæ exemptiones intelligantur? *p.91. n.38. & 39*

Ad quem pertineant bona regularium Epiſcoporum? *p.92. & ſeqq. n.43*

An expulſus à religione ſit Epiſcopo præſentandus? *p.106. n.97*

Cui Epiſcopo ſubjectus debeat expulſus religioſus? *ibid. n.98*

In quibus caſibus poſſit Epiſcopus, vel alius inferior Papa, in voto caſtitatis diſpenſare? *p.141. numero 39*

An ſubditus poſſit cogi præcepto Prælati ad admittendum Epiſcopatum, vel aliud officium, aut dignitatem, intra, vel extra religionem? *p.150. n.76. cum aliis ſubſequentibus.*

An, poſſit ſubditus admittere Epiſcopatum ſine licentia Prælati? *ibid. n.76*

Poteſt Summus Pontifex obligare religioſum, ut acceptet Epiſcopatum, *ibid n.78*

Ad Epiſcopum, an poſſit religioſus appellare? *pagin.162 n.15*

Epiſcopi religioſi poſſunt juxta Breviarium ſuæ diœceſis officium divinum perſolvere, *p. 205. numero 29*

An Epiſcopus inſtituere poſſit, ut totus clerus ſuæ diœceſis feſtivitatem alicujus Sancti celebret, cum, juxta rubricas Breviarii Romani de alio Sancto, vel de feria recitandum erat? *p. 206. n.32. cum aliis ſequentibus.*

An Epiſcopus poſſit obligare clericos minorum ordinum ad aliquam recitationem? *p.208. n.5*

An poſſit cum clericis Epiſcopus diſpenſare, ne recitent officium divinum, qui ſunt ordinibus ſacris initiati? *ibid. n.7*

An Epiſcopus poſſit in votis diſpenſare? *p. 358. n.66. & 67*

An in his votis reſervatis poſſit Epiſcopus diſpenſare in aliquo eventu? *p.366. n.101*

An poſſint Epiſcopi interpretari privilegia religionum? *p.403. n.72. & 73*

An Epiſcopus dubitans de validitate privilegii regularium; an ſit in uſu, an ſubreptitium, an vitioſum, an amiſſum, aut aliter intelligendum, poſſit regulares impedire, ne interim tali privilegio utantur? *p.416. n.125*

Facultas teſtandi conceſſa Epiſcopis à Papa, an ſpiret morte Pontificis? *p.423. n.147*

Regulares citati ab Epiſcopo, an comparere teneantur? *p.449. n.5*

In dubio de privilegio exemptionis regularium, non Epiſcopus, ſed Pontifex poteſt ſententiam proferre, *ibid. n.6*

Quæ perſonæ hujuſmodi privilegio exemptionis ab Ordinario potiantur, *p.450.n.8*
An tale exemptionis privilegio competens regularium monaſteriis, ſuffragetur etiam perſonis ſæcularibus ibi exiſtentibus; ob idque delinquenter in monaſteriis regularium, non ſubjiceant pœnis latis ab Ordinario contra taliter delinquentes? *ibid. n.9*
Erigere nova monaſteria, an poſſint regulares abſque Epiſcopi licentia? *p.451. n.10*
Abſque licentia Ordinarii libros imprimere an poſſint regulares? *ibid. n.11. & 12*
Subjiciuntur regulares exempti quoad reſtituenda novitiis nolentibus profiteri, ea omnia, quæ tempore ingreſſus, ſecum in monaſterium detulerunt, *p.452. n.13*
Habet etiam Epiſcopus auctoritatem ſupra diſpoſitionem faciendam à novitiis, ita ut ab ipſis nequeat fieri niſi intra duos menſes ante profeſſionem, & cum licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii, *ibid.*
Habet authoritatem Epiſcopus, vel ejus Vicarios, aut alius ab eo deputatus explorandi virginis ingreſſuræ, aut profeſſuræ in religione, voluntatem, an ſponte, an coactè, id faciat? *ibidem, numero 14*
Habet poteſtatem Epiſcopus circa numerum monialium ſtatuendum in monaſteriis, & qualiter? *ibidem.*
Qualiter in cauſis miſerabilium perſonarum regulares coram Ordinario conveniri poſſint? *ibid. numero 15*
Ad proceſſiones ire, vocati ab Epiſcopis, qui regulares teneantur? *p.453. n.16. & 17*
Quas proceſſiones poſſunt facere religioſi ſine licentia Ordinarii? *ibid. n.18*
An Ordinarii poſſint per cenſuras regulares exemptos compellere ad ea, in quibus ex jure ſunt illis ſubditi? *p.454. cum duplici ſequenti.*
In caſibus à jure conceſſis poteſt Epiſcopus regularem excommunicatum denuntiare, *pag.455. numero 23*
In alio caſu quid ſit dicendum? *ibid. n.24*
An regulares exempti teneantur legibus diœceſanis, & præceptis ab Epiſcopis impoſitis? *ibid. n.25. cum ſequentibus.*
An poſſint Epiſcopi viſitare clauſuram monialium exemptarum ad illam conſervandam, vel reſtituendam? *p.458. n.37. cum duplici ſequenti.*
An poſſint Epiſcopi viſitare teſtamenta, & illorum reddere rationem teneantur regulares, quando monaſteria eorum hæredes relinquuntur univerſales? *p.459. n.40. cum ſequentibus.*
Qualiter in cauſis criminalibus dependeant religioſi exempti ab Ordinariis? *p.460. num.43. cum ſequentibus.*
Poſſitne Epiſcopus abſolvere ab excommunicatione, quæ incurritur ob violationem Eccleſiæ? *p.483. num.117*
Quid Epiſcopus poſſit circa eductionem rei à loco ſacro? *ibid. n.119. cum ſeqq.*
In erigendis monaſteriis, an debeat licentia Epiſcopi præcedere? *p.485. n.126*
Hanc licentiam quis Epiſcopus poſſit præbere? *ibidem.*
An exigatur licentia ad transferendum monaſterium ab uno loco in alium? *p.489. n.143. cum ſequentibus.*
Epiſcopus an aliquando poſſit eſſe Conſervator? *p.495. n.160*
Controverſiæ ortæ inter Conſervatores, & Ordinarios, ſuper competentia juriſdictionis, per arbitros in forma juris electos decidendæ ſunt, & interim in cauſa non eſt procedendum, *ibidem, numero 161*
An Epiſcopus diſpenſare poſſit in aliquibus irregularitatibus? *pag 554. numero 133. cum aliis ſequentibus.*
Vide *verbo Religio. Verbo Miſſa. Verbo Immunitas.*

Error.

Vide *verbo Profeſſio. Verbo Votum.*

Excommunicatio, Excommunicatus.

In Tridentino excommunicatio fulminatur contra cogentes fœminas ad religionis ingreſſum, *pagin.35. num.2*
Vtrum ſimoniacè ad habitum religionis admittens ſit excommunicatus? *ibid. n.3*
An percutientes novitium incurrant excommunicationem canonis; *ſi quis ſuadente Diabolo?* *p.54. num 87*
An ſit valida profeſſio à Prælato excommunicato acceptata? *p.68. n.20*
Illicita, ne, ſit profeſſio facta ab excommunicato, vel ab excommunicato admiſſa? *p.69. n.21*
In quibus caſibus religioſus abſque licentia exiens incurrat excommunicationem? *p. 553. n.168. cum aliis ſeqq.*
An ſub excommunicatione prohibitus ſit ingreſſus fœminarum in monaſteria virorum? *ibid. numero 176*
Mulieres clauſuram virorum ingredientes an ſubjiciantur excommunicationi? *p.125. n.191*
An ſub excommunicatione prohibitum ſit noſtris religioſis, quod fœminas intra clauſuram admittant? *p.130. n.196*
An ſub excommunicatione teneantur religioſi non appellare ad tribunalia ſæcularia, nec ad Epiſcopum? *p.161. n.14. & 15*
Si judex laicus cogeret regulares ad teſtificandum coram ipſo in cauſis, ſive civilibus, ſive criminalibus, an incidat in excommunicationem? *p.175. n.71*
An Clericus excommunicatus, qui ob eam cauſam non intereſt, lucretur diſtributiones? *p.246. numero 21. & 22*
In caſibus à jure conceſſis poteſt Epiſcopus regularem excommunicatum denuntiare, *pag.455. numero 23*
In alio caſu quid ſit dicendum? *ibid. n.24*
Excommunicatus gaudeatne privilegio immunitatis? *p.475. n.89*
An excommunicationem incurrant violatores Eccleſiarum? *p.485. n.115*
An prædicta excommunicatio ſit reſervata? *ibid. numero 116*
Quis poſſit ab hac excommunicatione abſolvere? *p.483. n.117*
Excommunicatus interdictus an privetur ſepultura? *p.504. n.195*
An detur aliqua excommunicatio contra ſepelientes aliquos privatos Eccleſiaſtica ſepultura? *pagin.506. n.202. & 203*
Vide *verbo Apoſtata. V. Habitus. V. Alienatio.*

Exemptio, Exemptus.

Exemptio regularium exponitur? *pag.448. numero 1. & 2*

Exemptio regularium an ſit non ſolum quoad perſonas, ſed etiam quoad loca? *ibid. n.3*

An regulares ſint exempti à legatis? *pag. 449. numero* 4

Regulares citati ab Epiſcopo, an comparere teneantur? *ibid. n.5*

In dubio de privilegio exemptionis regularium, non Epiſcopus ſed Pontifex poteſt ſententiam proferre, *ibid. n.6*

An poſſint regulares cum privilegio exemptionis renunciare? *p.450. n.7*

Quæ perſonæ hujuſmodi privilegio exemptionis ab Ordinario potiantur? *ibid. n.8*

An tale exemptionis privilegium competens regularium monaſteriis, ſuffragetur etiam perſonis ſæcularibus ibi exiſtentibus? Ob idque delinquentes in monaſteriis regularium non ſubjaceant pœnis latis ab Ordinario contra taliter delinquentes? *ibid. n.9*

Qualiter regulares exempti ab ordinariis locorum, dependeant ab eis quoad aliqua civilia? *p.451. n.10. cum aliis ſequentibus.*

An Ordinarii poſſint per cenſuras regolares exemptos compellere ad ea, in quibus ex jure ſunt illis ſubditi? *pag.454. numero 20. cum duplici ſequenti.*

An regulares exempti teneantur legibus diœceſanis, & præceptis ab Epiſcopis impoſitis? *p.455. n.25. cum ſequentibus.*

Poſſintne Ordinarii locorum viſitare perſonas, Eccleſias, Monaſteria, Parrochias, Confraternitates regularium exemptorum? *p.457. num. 31. cum ſequentibus.*

An poſſint Epiſcopi viſitare clauſuram Monialium exemptarum ad illam conſervandam vel reſtituendam? *p.458. n.37. cum duplici ſequenti.*

Qualiter in cauſis criminalibus dependeant religioſi exempti ab Ordinariis? *p.460. num.43. cum ſequentibus.*

An quando uni religioni datur privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ eſt unum exemptio à ſolutione decimarum, ex vi illius poſſit religio communicans eximi à ſolutione decimarum; ac ſi ipſi in ſpecie privilegium talis exemptionis conceſſum eſſet? *pagin.469. n.70.* & 71

An ex vi dictorum, & aliorum privilegiorum, nunc de facto religioſi non ſolum ſint exempti à ſolutione decimarum prædiorum, quæ ante Concilium Lateranenſe poſſidebant, ſed etiam de prædiis, terris, arboribus, in futurum poſſidendis ab eis? *p.470. n.73*

Qui regulares dictis privilegiis exemptionis à decimis fruantur? *p.471. n.78.* & 79

Quando amittantur ſupradicta privilegia exemptionis à decimis, *p.472. n.80*

Exilium.

An in carcerem conjectus, vel in exilium pulſus; vel certe timens, ne incarceretur, vel exulari cogatur, & ob id à Choro abeſſe coactus eſt, poſſit diſtributiones lucrari? *p.246. n.20*

Expellere, Expulſus.

Vide *verbo Religioſus, verbo Epiſcopus.*

F

FIDEIVSSOR.

An, & quomodo religioſus poſſit fidejuſſor eſſe pro aliis? *p.176. n.79*

Filius.

Per profeſſionem religioſam, an filiusfamilias patria poteſtate liberetur? *p.76. n.49*

Filius, qui profitetur ante parentis mortem, an aboleat præteritam ingratitudinem, ob quam exhæredari poterat? *ibid.*

Vota parentum an teneantur filii obſervare? *pagin.283. numero* 118

Parentes an poſſint filios in legitima gravare per vota? *p.285. n.126.* & 127

Parentes, & tutores poſſunt irritare omnia juramenta filiorum, & pupillorum, quibus firmant rerum ſuarum contractum. Non vero poſſunt parentes filiorum puberum juramenta, quibus contractum ſuarum rerum firmant, irritare, *p.341. num.5*

Quæ filiorum vota valeant Parentes, Tutores, & Curatores irritare? *pag.351. à numero* 44. *uſque ad 54. incluſivè.*

Fœmina.

Vide *verbo Clauſura.*

Franciſcanus.

Vide *verbo Index, verbo Advocatus, verbo Procurator.*

G

GENERALIS.

An poſſit Pater Noſter Generalis per ſe ipſum facere decretum pro ſuo tempore irritans profeſſionem in aliquibus caſibus? *p.68. numero* 18

An ſi Prælatus immediatus, una cum conventu nolit admittere novitium ad profeſſionem, poſſit Generalis eum admittere de conſenſu illius domus, in qua reſidet, ſupponendo eſſe diverſam ab ea, in qua peregit novitiatum? *ibid. num.* 19

H

HABITVS.

An ſit præceptum ſub excommunicatione habitum religioſum non admittendi? *pagin.118. n.147*

Equites militares an incurrant excommunicationem habitum dimittentes? *ibid. n.148*

Quibus caſibus habitus dimiſſio non ſit prohibita ſub excommunicatione? *ibid. à n.149. uſque ad 151. incluſivè.*

An ſi quis retecto habitu induat ſæcularem, ita ut nullo modo exterius appareat habitus religioſus, ut ſic incognitus incedat, in excommunicationem *Capitis ut periculoſa* incidat? *p.119. n.152. 153.* & 154

An ſi quis habitum ſuæ religionis temerè dimittat, & alterius induat, peccet mortaliter? & incurrat hanc excommunicationem? *ibid. n.55*

An ſi quis intra clauſtra propriæ religionis, poſt patratum delictum, occultat, vel dimittit habitum, ne à proprio Prælato capiatur, & puniatur, contra hoc præceptum delinquat, ejuſque incurrat cenſuram? *p.120. n.157*
Quiſnam poſſit præſtare licentiam religioſo, ut extra conventum ſine habitu incedat? *p. 121. numero* 162
Qui eligunt ſepeliri cum habitu religionis, cum eo ſunt ſepeliendi, *p.508. n.209*
Sepeliendus cum habitu religionis eligere poteſt, ubi voluerit, ſepulturam, *ibid. n.*210

Hæreditas, Hæres.

Si novitius ſine teſtamento, & renunciatione decedat, quiſnam ſit illius hæres? *p.57. n.98*
An, & quomodo hæres teneatur ad vota perſonalis, & realia defunctorum? *p.283. & ſeqq. à num.121. uſque ad 125. incluſivè.*

Hæreſis.

Vide *verbo Confeſſarius.*

Hæreticus.

Hæreticus gaudeatne immunitatis privilegio? *pagin.475. n.89*
Fautores, & auxiliatores hæreticorum, an priventur immunitate? *p.479. n.105*

Hermaphroditus.

An hermaphroditus ſit habilis ad profeſſionem? *pag.45. numero* 48

Homicida.

An, qui homicidium fecit in Eccleſia, gaudeat immunitatis privilegio? *p.478. n.100*
An ſi exiſtens in Eccleſia, ſagitta, plumbeo globo, ſcopulo, aliove inſtrumento alium feriat, & occidat, aut mutilet eum, qui extra Eccleſiam exiſtebat, Eccleſiæ immunitate privetur? *ibidem, numero* 101
Mandans homicidium in Eccleſia, priveturne immunitate? *ibid. n.*102
Homicida proditor an privetur immunitate? *ibidem, & ſeqq. num.*103

Hora Canonica.

An ſit præceptum in Eccleſia recitandi publicè officium canonicum? *p.198. n.2*
Ad quos extendatur hujuſmodi præceptum? *ibidem, num.3*
An Prælatus ſub mortali debeat procurare, ut quotidie officium divinum recitetur? *pag.199. numero* 4
Ex jure communi nullus religioſus in particulari ſub culpa gravi tenetur horas in choro dicere, *ibid. num.5*
An per ſolos novitios impleatur obligatio recitandi in choro horas canonicas? *ibid. n.6*
Quot religioſi debeant choro aſſiſtere, ut prædicta obligatio adimpleatur? *ibid.*
Ordo, & tempus ab Eccleſia aſſignatum ſervandum eſt pro recitatione publica, *ibid. n.7*
Standum eſt conſuetudini religionis ad tempus recitationis, *ibid.*
In Eccleſia, vel choro debet officium canonicum recitari. Et oppoſitum facere, an ſit peccatum? *p.200. n.8*
Utrum invertere ordinem in publica recitatione ab Eccleſia, vel conſuetudine præſcriptum, ſit peccatum mortale? *ibid. à num.9. uſque ad 11. incluſivè.*
An regulares, vel alii Eccleſiaſtici tarde ad horam accedentes, poſt horam jam inchoatam ſatisfaciant obligationi recitandi privatim officium divinum, ſi partem horæ omiſſæ poſtea non ſuppleant? *p.211. n.12*
An prælati regulares poſſint ex juſta aliqua cauſa permittere, ut divinum officium in choro permutetur; nimirum, quod chorus recitet de Sancto aliquo, qui non eſt in Breviario, vel de Sancto, quando de feria? *ibid. n.13*
Per unum diem horas in choro prætermittere, an ſit peccatum lethale? *ibid. n.14*
Daturne parvitas materiæ in omiſſione recitationis publicæ? & quæ ſit? *ibid. & ſeq. à n.15. uſque ad 17. incluſivè.*
Si quid in choro omittatur, vel tranſmutetur, an poſtea repetendum ſit? *p.202. n.18*
An recitantes in choro deſtinati in ipſius chori ſervitium, nimirum in pulſandis organis, vel campanis, libris transferendis, vel aliquibus aliis peragendis choro neceſſariis, ſatisfaciant obligationi recitandi officium divinum, ſi propterea aliquam partem officii omittant, illam non cantando, nec audiendo? *ibid. n.19*
An recitantes in choro teneantur ſubmiſſa voce dicere verſus, qui organis vel aliis inſtrumentis pulſantur? *p.203. n.20*
An omittere officium defunctorum, officium parvum B. Mariæ in choro diebus præſcriptis in Romano Breviario ſit mortale? Et quid dicendum in noſtra religione? Et quid reſpectu particularium extra, vel intra chorum recitantium? *ibid. n.21*
Officium defunctorum die 2. Novembris debet omnino recitari, *ibid. n.22*
An qui die 2. Novembris tam officium defunctorum, quam diei omittit, duplex committat peccatum? *ibid.*
Litaniæ S. Marci, & illæ, quæ recitantur ante Aſcenſionem, an obligent communitatem, & particulares? *ibid. n.23*
An non attendens, vel non audiens partem alterius chori, ſuæ obligationi ſatisfaciat? *ibidem, numero* 24
An recitantes in choro, ut ſuæ obligationi privatæ ſatisfaciant, debeant ita clara voce ſuam partem dicere, ut poſſit audiri ab alio choro? *pagin.204. num.25*
Quam Breviarii formam teneantur ſequi, qui debent horas canonicas, tam in communi, quam in particulari recitare? *ibidem, num. 26. cum aliis ſequentibus.*
Quot ſint horæ officii canonici? *p.27. n.1*
An clerici ſacris ordinibus initiati teneantur quotidie horas canonicas recitare? *pagin.208. numero 3*
Quid dicendum de excommunicatis, ſuſpenſis, &c. & de damnatis ad triremes? *ibid. n.4*
Ordinibus minoribus tantum initiati, an aliquid recitare teneantur? *ibid. n.5*
An quando Epiſcopus modo ordinario, ordinandis præcipit aliquos Pſalmos, & Litanias recitare, detur obligatio gravis ad prædictam recitationem? *ibidem.*

An

An qui ordinantur in ſacris, vel qui beneficium accipiunt vel profitentur, teneantur recitare totum officium illius diei, quo ordinibus initiantur, beneficium accipiunt, vel emittunt profeſſionem? *ibid. n.6*

An poſſit cum clericis Epiſcopus diſpenſare, ne recitent officium divinum, qui ſunt ordinibus ſacris initiati? *ibid. n.7*

An ille, qui accipit beneficium, aut ordinem ſacrum, teneatur antea parare Breviarium, & modum recitandi ſcire? *p.209. n.8*

An religioſi profeſſi, non conſtituti in ſacris, & moniales teneantur ſub præcepto lethali ad recitandum officium canonicum? *ibidem n.9. cum aliis ſequentibus.*

Qui religioſi ad recitandum non teneantur? *ibidem.*

Beneficiati tenentur officium divinum recitare, ſi liberè beneficium recipiant? *p.213. n.26*

Quæ beneficia onus recitationis ſecum afferant? *ibid. n.27*

An Penſionarii ad recitationem officii divini adſtringantur? *p.214. n.28*

Coadjutores an teneantur recitare officium divinum? *ibid. n.29*

An dentur aliqua beneficia, quæ obligationem recitandi ſecum non afferant? *n.30*

Habens plura beneficia, an teneatur plura officia recitare? *ibid. n.31*

An qui titulo beneficii, & titulo ordinis ſacri tenetur ad recitationem, committat duplex peccatum detegendum in confeſſione, illam omittens? *ibid. & ſeq. n.31. & 32*

An habens animum reſtituendi fructus beneficii, peccet mortaliter, omittendo divinum officium? *p.215. a num. 33. uſque ad 35. incluſivè.*

An ut beneficiatus obligetur ad recitationem, requiratur; quod ſit in pacifica poſſeſſione beneficii? *pag. 216. à num.40. uſque ad 45. incluſivè.*

An ſi beneficium ſit exiguum, teneatur illud poſſidens recitare? *p.218. à n.46 uſque ad 49. incluſivè.*

Beneficiarii officium divinum omittentes, an teneantur reſtituere? & qualiter, quibuſque prædicta reſtitutio facienda? *p.219. à n.50. uſque ad 68. incluſivè.*

An ſufficiat mentalis recitatio officii divini ad adimplendum præceptum? *p.224. n.1*

Quæ pronunciatio requiratur ad officium divinum recitandum? *ibid. n.2*

An officium divinum interrumpere abſque cauſa ſit peccatum? Et quæ cauſa ſit ſufficiens ad excuſandam interruptionem? *ibidem, numero 3. & 4*

An recitans privatim debeat ita proferre verba, ut ſe ipſum audire poſſit? *p.225. n.5*

Quid teneatur dicere, qui privatim recitat cum ſocio? *ibid. n.6*

An recitans cum ſocio ſuæ obligationi ſatisfaciat, ſi ita feſtinanter recitet, ut antequam ſocius verba ſui verſiculi proferat, proferat alios quæ ſibi competunt? *ibid. n.7*

An poſſit quis ſimul miſſam audire, & officium recitare? *ibid.*

Ordinem invertere in officio divino, an ſit peccatum? *p 226. à n.8 uſque ad 10. incluſivè.*

Privata recitatio an in omni loco fieri poſſit? *ibid. n.11*

Qui uno die notabilem officii prætermittit quantitatem, peccat mortaliter, *ibidem, numero 12*

Qui dubitat, an recitaverit, quid facere debet? *pag. 227*

Quid ſi habeat probabilitatem quod recitaverit? *ibid.*

Qua hora incipiat, & finiatur obligatio recitationis? *ibid. a n.13. uſque ad 17. incluſivè.*

An ſit peccatum lethale officium longius, privata authoritate, in aliud brevius permutare, & unum pro alio dicere, ut die feriali de aliquo Sancto, vel die Dominica de ſanctiſſimo Sacramento, aut de Beatiſſima Virgine? *p.218. à n.18. uſque ad 21. incluſivè.*

Quot peccata committit, qui totum officium diei prætermittit? *p.229. n.22*

Cujus quantitatis omiſſio in recitatione officii divini ſufficiens ſit ad mortale? *pag.230. numero 23*

Quæ intentio, & attentio requiratur ad ſatisfaciendum obligationi recitandi? *ibid. à n.24. uſque ad 32. incluſivè.*

Qui legitimè impeditus non recitat officium divinum, an teneatur ad aliquid aliud? *p.232. numero 33*

An infirmitas excuſet ab obligatione recitandi? Et qualis debeat eſſe infirmitas, quæ ab obligatione recitandi excuſet? *p.233. à n.34. uſque ad n.35. incluſivè.*

In dubio an ſit infirmitas ſufficiens ad excuſandum à recitatione officii divini, quid faciendum? *ibid. n.36*

Quæ occupatio excuſet à recitatione officii divini? *p.234. n.37. & 38*

Cæcus, & ſurdus an excuſetur à recitatione officii divini? *ibid. n.39*

Qui non habet Breviarium, an à recitatione divini officii excuſetur? Et quid facere debeat? *ibid. n.40*

Qui poſſint diſpenſare, ſuper obligationem recitandi? *p.235. n.41*

Utrum qui per ſe ſolum recitare non poteſt, vel quia cæcus, vel quia inculpabiliter non habet Breviarium, vel quia infirmus, vel quavis alia ex cauſa, teneatur ſocium adhibere, ſi commode illum habere poteſt? *ibid. à n.42. uſque ad 44. incluſivè.*

An qui non poteſt totum officium recitare, teneatur ad partem illius? *p. 256. à n.45. uſque ad 48. incluſivè.*

An teneatur præponere, aut poſtponere tempus horarum, qui ſcit poſtea habiturum impedimentum ad illarum recitationem? *ibid. numero 49. & 50*

An regulares adimpleant obligationem divini officii mentaliter recitando ex vi alicujus privilegii? *pag. 237. à numero 51. uſque ad 54. incluſivè.*

An regulares poſſint diſpenſari à Prælatis circa recitationem officii divini, quando habent aliquas occupationes? *pag. 238. à n.55. uſque ad 57 incluſivè.*

Privilegium Eugenii IV. & Martini V. circa recitationem regularium, *p.239. n.58*

Aliud Privilegium Leonis X. de officio antepónendo, vel poſtponendo, erga regulares, *ibid. n.59*

Aliud privilegium regularium erga recitantes cum male pronuntiantibus, &c. *ibid. n.60*

Duo privilegia pro monialibus circa recitationem officii divini, *ibid. n.61. & 62*

Aliud privilegium Leonis X. ad ſupplendos defectus commiſſos in recitatione officii divini, p.240. n.63. & 64

Vide *verbo Diſtributio, verbo Præbendatus.*

Hoſpes.

An hoſpes regularis teneatur ſtatuta particularia Provinciarum, vel Conventuum, per quæ tranſeunt, obſervare? p.78. n.65

I

IDOLATRA.

An immunitas Eccleſiæ proſit idolatris? p 475. num.90

Ignorantia.

An ignorantia excuſet à reſervatione incurrenda? p 518. n.9. cum ſeqq.

Quando ignorantia non tollat jus ad petendum debitum? pag 526. num.38

Immunitas.

Quid ſit privilegium immunitatis? & ex quo jure ſit? p.4 2. n.85

Poteſtne adverſus immunitatem prævalere conſuetudo? ibid. n.82

Ampliandumne ſit privilegium immunitatis? p.473. n.83

Quibus locis ſacris privilegium immunitatis conveniat? ibid. n.84. cum ſequentibus.

Quæ perſonæ gaudeant immunitatis privilegio? p.475. n 89. cum ſequentibus.

Qui criminoſi ab Eccleſiæ immunitate priventur, vel excludantur? p.477. num. 96. cum ſequentibus.

Quos effectus habeat immunitas Eccleſiæ? pagin.481. n.109. cum quatuor ſequentibus.

Quam pœnam, & culpam incurrant, indebite extrahentes delinquentes à loco ſacro? p.482. n.114. cum ſequentibus.

Quomodo confugientes ad Eccleſiam tradi, vel non, poſſint judici ſæculari puniendi? p.483. n.119. cum ſequentibus.

Impreſſio.

Abſque licentia Ordinarii libros imprimere, an poſſint regulares? p 451. n.11. & 12

Incendiarius.

An incendiarius gaudeat immunitate? pag.480 num.108

Incorrigibilis.

An religio poſſit à ſe abjicere incorrigibiles? pagin.54. & ſequent. numero 83. cum tribus ſequentibus.

An moniales ejici poſſint, quamvis ſint incorrigibiles? ibid. n.85

Ob incorrigibilitatem an poſſit religioſus expelli? ibid. n.88

Quis dicendus ſit incorrigibilis? ibidem.

Indulgentia.

V. de *verbo Privilegium.*

Infantia.

Quando infantia incipiat, & finiatur? p.351. num. 44

Infirmus.

Infirmus abſens à choro, an lucretur diſtributiones? pag. 244. à numero 15. uſque ad 18. incluſivè.

Informatio.

An, & quomodo faciendæ ſint informationes novitiorum? pag.49. à num.65. uſque ad 71. incluſivè.

An ſit valida profeſſio, ſi omittantur informationes? p.50. n.67

An requiratur fieri informationes ante receptionem, vel potius ante profeſſionem? ibidem, numero 70

Quando Prælatus omittens informationes novitiorum non incurrat pœnas à Sixto V. aſſignatas? ibid. num.71

Intentio.

Quæ intentio, & attentio requiratur ad ſatisfaciendum obligationi recitandi? pag. 250. à num.24. uſque ad 32. incluſivè.

Interdictus, Interdictum.

Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ; an gaudeat privilegio immunitatis? p.475. n.89

Interdictus, an debeat in ſepultura ſacra ſepeliri? p.504. n.195

Tempore interdicti, an cadavera in loco interdicto ſepeliri valeant? ibid.

Interpretatio.

Quomodo privilegia ſint interpretanda? p.403. n.70. cum ſequentibus.

Quis poſſit privilegia interpretari? ibidem, numero 72

Privilegia regularium dubia, à quo debeant interpretari, ibid. n.73

Privilegia regularium dubia, an in eorum favorem ſint interpretanda? p.404. n.74

Prælati religionum, an poſſint interpretari, reſtringere, aut tollere eorum privilegia? ibid. n.75. & 76

Irregularitas.

Extra caſus exceptos clerici tradentes reum judici incurrunt irregularitatem, ſi reus occidatur, aut mutiletur, p.484. n.119

De facultate Prælatorum ad diſpenſandum in irregularitatibus, pag.522. numero 24. cum ſequentibus.

De facultate, quam habent confeſſarii regulares diſpenſandi vota, & irregularitates ſuorum religioſorum, pag.548. num.123. cum ſequentibus.

In quibus irregularitatibus, & aliis pœnis poſſint religioſi cum ſæcularibus diſpenſare? p.553. n.131. cum ſequentibus.

An Epiſcopus diſpenſare poſſit in aliquibus irregularitatibus? p.554. num.133. cum aliis ſequentibus.

Irritatio.

Qui vota irritare poteſt, an etiam juramenta? p.546. n.14

Quid

Quid nomine irritationis intelligatur? Et explicatur directa, & indirecta irritatio. An hæc propria irritatio ſolum ex jure poſitivo proveniat? An potius ex ipſo jure naturali? *ibid. n. 26. cum duplici ſequenti.*
An requiratur cauſa pro irritatione licite facienda? *p. 347. n. 29. cum duplici ſequenti.*
In quibus ſit poteſtas irritativa, & reſpectu quorum? *p. 348. n. 32.* & *33*
An requiratur, quod ſuperior in ſpecie cognoſcat votum irritandum, ut valide, & licite illud irritate poſſit? *ibid. n. 34*
An prælati omnia religioſorum vota poſſint irritare? *pag. 349. à numero 36. uſque ad 58. incluſivè.*
An prælati ſecundarii conventuum, quos ſuperiores, vicarios, & apud Benedictinos *Priores*, & in Societate Miniſtros vocant, poſſint religioſorum vota irritare? *p. 350. n. 40*
An Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ poſſint vota ſuarum monialinm irritare? *ibid. n. 41*
An prælati poſſint irritare vota novitiorum? *p. 351. n. 42*
Quæ filiorum vota valeant parentes, tutores, & curatores irritare? *ibid. à n. 44. uſque ad 54. incluſivè.*
De votis uxorum, quæ poſſunt à viris, & de virorum votis, quæ poſſunt ab uxoribus irritari, *pag. 355. à numero 55. uſque ad 59. incluſivè.*
Quæ vota ſervorum poſſunt Domini irritare? *p. 357. à n. 60. uſque ad 63. incluſivè.*
An facultas ſuperiorum irritandi vota inferiorum extendatur ad vota eorum licentia emiſſa? *ibid. à n. 64. uſque ad 69. incluſivè.*
An vota ſemel irritata, poſtea reviviſcant? *pagin. 358. n. 70.* & *71*
An vota emiſſa à ſubdito, tempore, quo ſubditus erat, poſſint irritari à ſuperiori, tranſacto ſubjectionis tempore? *p. 359. n. 72.* & *73*
An vota emiſſa tempore ſubjectionis, implenda tamen tempore, quo eſt ſubjectio diſſoluta, poſſint irritari à ſuperiori, tempore, quo ſubjectio durat? *ibid. n. 74*
An ſuperior irritare poſſit vota inferioris, tempore, quo ſubditus eſt, ſed emiſſa tempore, quo ſubditus non erat? *ibid. n. 75*
Vide *verbo Juramentum.*

Judex.

Quid requiratur, ut religioſus judicis munus exercere valeat? *p. 172. n. 60.* & *61*
An Franciſcani officium judicis ſuſcipere poſſint? *ibid. n. 61*
An religioſus aliquando poſſit eſſe judex, aut arbitrator? *ibid. n. 62*
Quid dicendum de Franciſcanis? *ibid.*
An religioſus poſſit conſtitui judex aſſeſſor? *ibidem.*
An poſſint Prælati regulares eligi in judices Conſervatores aliarum religionum? *ibid.*
An prohibitio facta religioſis exercendi munus Judicis, Advocati, & Procuratoris in judicio, ita ſit ſtricta, ut nec in unica cauſa permittatur illis hæc munera exercere? *p. 173. n. 64.* & *65*
An officia Judicis, Advocati, aut Procuratoris, pro quorum licito uſu diximus requiri licentiam Prælati, nulla, & irrita ſint, ſi abſque tali licentia fiant? *ibid. n. 66*
Quid ſit judex conſervator? *p. 492. n. 152*
Privilegia pro eligendis judicibus conſervatoribus proponuntur, *p. 493. n. 153*
Conſervatores electi an teneantur ſuam electionem acceptare? *ibid. n. 154*
Semel uno electo conſervatore, an poſſit pro illa cauſa alius eligi? *ibid. n. 155*
Morte Pontificis an expiret facultas conſervatoris? *p. 494. n. 157*
Quando, & quomodo Conſervatores judices regularium in cognoſcendis cauſis ipſorum, poſſunt adhibere aſſeſſorem, notarium, & teſtes? *ibid.*
Ad quem pertinet conſervatorem nominare, ſeu deſignare? *ibid. n. 158*
Quæ forma adhiberi poſſit à regularibus, ad eligendum, vel inſtituendum judicem conſervatorem? *ibid. n. 159*
Quas qualitates debent habere, qui ſecundum prædicta privilegia, & ſanctiones Apoſtolicas inſtitui poſſunt judices conſervatores? *p. 495. n. 160. cum ſequentibus.*
Controverſiæ ortæ inter conſervatores, & ordinarios ſuper competentia juriſdictionis, per arbitros in forma juris electos decidendæ ſunt, & interim in cauſa non eſt procedendum, *ibid. n. 162*
Ad quid ſe extendat poteſtas, & juriſdictio judicum Conſervatorum? *pag. 497. n. 168. cum ſequentibus.*
Pœnæ aſſignatæ pro conſervatoribus excedentibus ſuam juriſdictionem, *p. 499. n. 177*
Vide *verbo Appellatio.*

Judæus.

An immunitas Eccleſiæ proſit Judæis? *p. 475. num. 90*

Jubilæum.

Quæ vota poſſint commutari virtute Bullæ, aut Jubilæi? *pag. 379. numero 150. cum duplici ſequenti.*
An virtute Bullæ, aut Jubilæi poſſit fieri in minus commutatio? *p. 380. n. 153*
An virtute Bullæ, aut Iubilæi poſſint commutare vota religionis, aut caſtitatis in aliquo caſu urgentis neceſſitatis? *ibid. n. 154*
An virtute Bullæ, aut Iubilæi poſſint commutare juramenta Deo facta de ſervanda caſtitate, aut de religione? *ibid.*
An votum, vel juramentum de eroganda eleemoſyna alicui pauperi determinato, vel alicui Eccleſiæ, poſſit poſt ejus acceptationem virtute Bullæ, aut Jubilæi commutari? *ibid. n. 155.* & *156*
An, qui Bullam ſuſcepit, vel Jubilæum lucratus eſt, & tempore illorum vota non commutavit, illo tranſacto, poſſit votorum commutationem virtute illorum obtinere? *p. 581. numero 157*
An vota commutata virtute Jubilæi, eo poſtea non lucrato, reviviſcant? *ibid. n. 158*
An peccet confeſſarius, qui requiſitus à pœnitente virtute Bullæ, aut Jubilæi, ut ſibi vota commutet, id facere non vult? *ibidem, numero 159*
Facultas per Bullam, vel Jubilæum conceſſa, morte concedentis an ceſſet? *p. 423. n. 146*
An per Iubilæum anni ſancti revocentur privilegia communia religionum? *p. 432. n. 31*

Semel regularis in una diœceſi approbatus, virtute Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi, an poſſit ubique in confeſſorem eligi? *p.*535. *n.*71

Tempore magni Jubilæi poſſunt regulares cum religioſis alterius ordinis confiteri, *p.*541. *num.*91

Juramentum.

Juramenti nomen explicatur, *p.*300. *n.*1

Diverſis nominibus juramentum explicatur, *p* 301. *n.*2

Diffinitio juramenti, *ibid. n.*3

Juramentum eſt actus religionis, ſeu latriæ, *ibid. n.*4

An neceſſarium ſit juramentum verbis exprimi? *ibid. n.*6

Qui per creaturas jurat, an per Deum tacitè juret? *p.*302. *n.*12. *cum duplici ſequenti.*

Quotuplex ſit juramentum? *p.* 303. *n.*15. *cum duplici ſequenti.*

An juramenta ſint ejuſdem ſpeciei? *p.*304. *n.*18. *cum duplici ſequenti.*

De diverſis verbis, & formulis, quibus juramenta fieri ſolent, *ibid. à n.*21. *uſque ad* 28. *incluſivè.*

Sitne juramentum licitum? *p.*306. *à n.*29. *uſque ad* 31. *incluſivè.*

Juramentum non eſt bonum per ſe, & ſic nec conſolendum, nec frequentandum, *p.* 307. *numero* 33

Tres comites juramenti explicantur, *ibidem, n.*34. *cum duplici ſequenti.*

Defectus judicii in juramento an faciat illud mortale? *p.*308. *n.*37

Non datur parvitas materiæ in juramento aſſertorio circa veritatem, *ibid. n.*38

Defectus veritatis in juramento non excuſatur à gravi peccato, niſi ob inadvertentiam, *ibid. n.*39

Cauſa joci non excuſat juramentum falſum à perjurio, *ibid. n.*40

Rem dubiam jurare ut certam, vel certam ut dubiam, perjurium eſt, *ibid. n.*41

Qualis certitudo requiratur ad juramentum aſſertorium? *p.*309. *n.*42

Inquirenda eſt veritas juramenti cum majori cura, juxta gravitatem materiæ, *ibidem, numero* 43

Qui rem à viro fide digno audivit, an, ut certum jurare poſſit? *ibid. n.*44

An ſit peccatum lethale defectus juſtitiæ in juramento aſſertorio? *ibid. num.*45. *cum duplici ſequenti.*

Defectus veritatis de præſenti in juramento promiſſorio, mortale eſt peccatum, *pagin.* 310. *numero* 48

Debet, qui ſub juramento promittit habere firmum animum adimpletionis? *ibid. n.*49

An defectus ſecundæ veritatis in juramento promiſſorio ſit ſemper lethale, etiamſi res promiſſa ſit materia levis? *ibid. à n.*50. *uſque ad* 54. *incluſivè.*

An juret falſum, peccet proinde lethaliter, qui vel juramento aſſertorio per hyperbolem jurat rem, ſine eo, quod verum dicat, prout verba ſonant, & in promiſſorio, qui rem promittit hyperbolicè, abſque animo adimplendi, ſecundum quod verba ſonant? *p.*311. *numero* 55

An ſi quis ſecum juret, aut in abſentia hominis, cui ſit promiſſio, nemine illam acceptante nomine ipſius, talem eleemoſynam v. g. ſe daturum, poſſet illam revocare, & abſque violatione juramenti promiſſum non implere? *p.*312. *n.*56

Qui abſque juſtitia jurat, & promittit, qualiter peccet? *ibid. n.*57

Qui jurat ſe facturum contra conſilia, an peccet? *ibid. n.*58

An peccet mortaliter ille, qui adimplet juramentum, aut votum, rei venialis, vel contra conſilia, eo quod juraverit, aut voverit tale commiſſurum? *ibid. n.*59

Qualiter in juramento comminatorio veritas, & juſtitia requiratur? *ibid. à n.*60. *uſque ad* 63. *incluſivè.*

Iuramentum Deo factum debet eſſe de re bona, honeſta, poſſibili, imo meliori, *pag.*313. *numero* 65

Gravius eſt peccatum perjurii homicidio, ſed eſt levius peccato contra votum, *ibidem, numero* 66

Quando juramentum homini factum obliget? *p.*314. *à n.*67. *uſque ad* 69. *incluſivè.*

An ſi duo concubinarii promittant ſibi invicem fidelitatem, vel ſolum alter alteri, ſcilicet, quod promittens nullam aliam perſonam carnaliter, & illicite cognoſcat, hoc juramentum obliget, & ſit validum, taliter, quod ſi promittens poſt illud ad aliam perſonam carnaliter extra matrimonium accedat, teneatur in confeſſione explicare & peccatum fornicationis, & fractionis juramenti? *ibid. & ſeq. numero* 70

An promiſſio prodiga jurejurando firmata obliget etiam quoad exceſſum, ſecundum quem prodiga cenſetur? *p.*315. *n.*71

An qui juravit redire ad carcerem, in qua detinebatur, teneatur redire, quando ex reditu timet pœnam graviſſimam, etiam mortis, qua damnatus eſt? *ibid. à num.* 72. *uſque ad* 75. *incluſivè.*

Qualiter obliget juramentum ſervandi ſtatuta Reipublicæ, Collegii, Univerſitatis, Confraternitatis, &c. *p.*316. *à n.*77. *uſque ad* 81. *incluſivè.*

An poſſit Univerſitas, Collegium, &c. ſtatutum ſuum juratum revocare? *p.*317. *n.*82

Iuramentum ſcribarum de ſervanda taxa, an obliget? *ibid. n.*83. *cum duplici ſequenti.*

An juramentum Decurionum, vel Senatorum urbium obliget? *p.*318. *n.*86. & 87

An juramentum ſervandi ſecretum eorum, quæ in congregationibus, conventibus tractantur, ſemper obliget mortaliter? *p.*319. *n.*88

De juramento à Medicis emiſſo monendi infirmos, ut confiteantur, qualiter obliget? *ibid. n.*89. *cum aliis ſeqq.*

Ad quid obliget juramentum, vel votum non ludendi? *p.*320. *n.*93. *cum ſeqq.*

Unde colligenda ſit gravitas, aut levitas materiæ in ludo, ut tranſgreſſio voti, aut juramenti de illo, gravis, & levis cenſeatur? *p.*321. *n.*98

An qui juramentum fecit non ludendi, poſſit alteri nummos dare, vel mutuare, ut nomine ſuo ludat, ipſum videre, vel eum in ludo adjuvare? *ibid. n.*99

An poſſit ludere nomine alterius? *ibid.*

An vota, vel juramenta non ludendi cum perſona determinata, vel in tali domo, vel tali genere ludi, valida ſint, & obligatoria manente

mente juranti, aut voventi libertate ludendi cum aliis perſonis, vel in aliis locis, vel aliis ludi ſpeciebus? *ibid. n.* 106

Qualiter obliget juramentum contra prius juramentum? *ibid. n.* 101. *cum aliis ſequentibus.*

Quot modis doloſum ſit juramentum? *pag.* 322. *num.* 104

Iuramentum amphibologicum abſque cauſa ſit licitum aliquando, necne? *p.* 323. *n.* 107

An ſit peccatum lethale juramentum cum amphibologia ſine cauſa emiſſum? *ibid. n.* 108

Quæ ſit cauſa juſta, ut licitum ſit juramentum amphibologicum? *p.* 324. *n.* 109

An juramentum amphibologicum per ſolam reſtrictionem mentalem ſit aliquando licitum? *ibid. a n.* 110. *uſque ad* 142. *incluſive.*

An creditor exigens virtute inſtrumenti publici coram judice debitum, poſſit jurejurando aſſerere quantitatem in eo contentam ſibi eſſe debitam, & ſi pars, vel tota, jam ſit ſoluta, ſi tantumdem alias alius debet, & non habet inſtrumentum, quo recuperare valeat? *p.* 332. *num.* 143

An adultera interrogata à marito, an adulterium commiſerit, negare poſſit ſub juramento, intelligendo in mente aliam diem, ab ea, in qua commiſit adulterium, vel *ut tibi revelem*? *ibid. n.* 144

An ille, cui mutuo pecunia petitur, quam vere habet, ſed non tenetur mutuare, poſſit juramento firmare, ſe pecunias minime habere, intelligendo, *ut mutuo dem*? *ibid. n.* 145

An mercatores, qui non poſſunt juſtum pretium ab emptoribus obtinere, poſſint cum æquivocatione jurare, tanti, vel tanti ſibi mercedem ſtare, ſubintelligendo illam cum alia merce? *ibidem.*

An reus juridice interrogatus à judice (& idem eſt de teſte) peccet mortaliter utendo amphibologiis in confeſſione, aliter reſpondendo verbis, ac intelligit, qui juridice interrogat? Et idem eſt de contractibus oneroſis, in quibus jure, aut conventione partium exigitur juramentum, an peccet mortaliter, qui ex contrahentibus amphibologia utendo, jurat aliter, ac alius intelligit, & exigit ipſe contractus? *ibid. n.* 146

Quam officioſa ſit conſuetudo jurandi *pag.* 333. *num.* 148

Quot modis conſuetudo pejerandi contingat? *ibid. n.* 150

Conſuetudo paſſim jurandi, ſed verum, non eſt peccatum lethale, *p.* 334. *n.* 153

Quando conſuetudo jurandi, ſed cum advertentia ut verum juretur, conjungitur cum conſuetudine mentiendi abſque juramento, quid dicendum, *ibid. n.* 154

In ſtatu eſt peccati mortalis, qui habet conſuetudinem pejerandi, & non tollit. *ibid. n.* 155

An juramenta provenientia ex prava conſuetudine jurandi, abſque plena tamen advertentia emiſſa, & indeliberate, ſint peccata lethalia? *ibid. à n.* 156. *uſque ad* 61. *incluſivè.*

Vtrum ille, qui ex conſuetudine jurat, vel aliud peccatum ex conſuetudine facit, circunſtantiam conſuetudinis teneatur confiteri, ita ut non ſolum dicere debeat ſe perjurium, pollutionem, aliudve peccatum commiſiſſe, ſed ex conſuetudine procedere? *p.* 336. *num.* 162. & 163

An habenti conſuetudinem pejerandi, vel blaſphemandi, nihil apponenti curæ ad emendam, cum admonitus fuerit ſæpè in aliis confeſſionibus, poſſit, & debeat confeſſor denegare beneficium abſolutionis, ſi accedat cum dolore de præteritis, & in poſterum emendam firmiter proponat? *p.* 338. *n.* 167. *cum tribus ſequentibus.*

Quæ pœnitentia injungenda ſit perjuro conſuetudinario? *ibid. n.* 171

Iuramentum emendationis petendum an ſit ab eo, qui pravam habet conſuetudinem? *pag.* 339. *num* 172

Qui poteſt relaxare vota, etiam juramenta facta ſoli Deo? *p.* 340. *n.* 1

An ſi alicui committatur facultas commutandi, aut diſpenſandi in votis, hoc ipſo cenſeatur conceſſa facultas commutandi, aut diſpenſandi juramenta ſoli Deo præſtita, vel vota juramento firmata, ita ut à vinculo voti, & juramenti liber maneat? *ibid. n.* 2. & 3

Qui dominativam habet poteſtatem poteſt juramenta homini præſtita irritare. *ibidem, & ſeq. num.* 4

Parentes, & tutores poſſunt irritare omnia juramenta filiorum, & pupillorum, quibus firmant rerum ſuarum contractum. Non vero poſſunt parentes filiorum puberum juramenta, quibus ſuarum rerum contractum firmant, irritare. *p.* 341. *n.* 5

Omnia pacta religioſorum, & omnis promiſſio etiam juramento firmata, poſſunt à ſuis prælatis irritari, *ibid.*

Quæ juramenta uxoris poſſit vir irritare? *ibid.*

Quæ vota ſervi dominus irritare valeat? *ibid.*

An quando omnes ſupradicti contrahunt cum ſuperioris licentia poſſint juramenta ab eis præſtita, ab ipſis dominis irritari. *ibid.*

Quæ juramenta Eccleſia relaxare valeat? *ibidem, à n.* 6. *uſque ad* 9

An juramentum in favorem hominis factum ceſſet remiſſione partis, cui præſtitum eſt juramentum? *p.* 342. *n.* 10. & 11

An ſi duo ſibi invicem jurent ſe recitaturos duo Pſalteria, vel roſaria, vel tot miſſas dicturos, alter pro altero poſſint ſibi invicem obligationem remittere? *p.* 343. *n.* 12. & 13

An quando juramentum principaliter in Dei honorem fit, ſed tota res promiſſa cedit in favorem partis, poſſit pars illa id juramentum remittere? *ibid. n.* 14

Qualiter ceſſatione finis, & rerum mutatione, ceſſet obligatio voti, aut juramenti? *pag.* 344. *a n.* 15. *uſque ad* 23. *incluſivè.*

Qui vota irritare poteſt, an etiam juramenta? *p.* 346. *n.* 24

An juramenta Deo præſtita religionis, caſtitatis, & triplicis peregrinationis, ſint etiam reſervata Summo Pontifici, ſicuti vota de illis? *p.* 368. *n.* 108

An virtute Bullæ, aut Jubilæi poſſint commutari juramenta Deo facta de ſervanda caſtitate, aut de religione? *p.* 380. *n.* 154

An votum vel juramentum de eroganda eleemoſina alicui pauperi determinato, vel alicui Eccleſiæ poſſit, poſt ejus acceptationem, virtute Bullæ, aut Jubilæi commutari? *ibidem, n.* 155. & 156

Vide *verb. Votum.*

Iuriſdictio.

Iuriſdictio an requiratur ad confeſſiones audiendas, *p.*527.*n.*41
Approbatio, & juriſdictio ſunt res diverſæ. *ibid.* Vide *verb. Simonia.*

Ius.

Vide *verb. Religioſus. verb. Simonia.*

L

LATRO.

QVis publicus latro dicatur, cui immunitas Eccleſiæ non proficit? *p.*477.*n.*97.& 98

Laici.

Laici noſtri ordinis ſolemniter profitentes ſunt veri religioſi; & per eorum vota matrimonium ratum antecedens diſſolvitur, & etiam ſubſequens conſummatum, *p.*10. *n.*34
Quomodo ex jure communi à gradu laicorum, ad gradum Choriſtarum, & è contra detur tranſitus? *p.*101. *n.*76
Quid circa hoc ex decreto Clementis VIII. habeatur? *ibid. n.*77
An poſſit dari ex jure communi tranſitus ab ſtatu laici ſtrictioris religionis ad ſtatum Choriſtarum laxioris? *ibid.*

Lectoralis.

An Canonicus Magiſtralis, & Lectoralis dum in propria Eccleſia concionatur, vel legit, habeatur ut præſens ad lucrandas diſtributiones? *pag.*249. *num.*33

Legatum.

An poſſit Prælatus valide repudiare legatum rei immobilis ſibi relictum, vel mobilis prætioſæ abſque juris ſolemnitate? *p.*167. *num.*38. *cum aliis ſequentibus.*
An requirantur dictæ conditiones, & ſolemnitates ad alienandum legatum relictum cum clauſula, ut quoties Eccleſia, vel monaſterium voluerit illud alienare, & in proprios uſus convertere, poſſit? *p.*171. *n.*57
An legatum relictum ſub conditione, ut nonquam alienetur, poſſit, ſervatis dictis conditionibus alienari? *p.*172. *n.*58

Legatus à latere.

Vtrum legatus à latere habeat poteſtatem admittendi ad profeſſionem regulares exemptos? *p.*66. *n.*10
Legatus à latere an habeat poteſtatem irritandi vota religioſorum? *p.*350. *n.*39

Litania.

Litaniæ S. Marci, & illæ, quæ recitantur ante Aſcenſionem an obligent Communitatem, & particulares? *p.*203. *n.*23

Locatio.

An res Eccleſiæ, vel monaſterii immobiles ad longum tempus locari poſſint? *p.*168. *& ſeq. n.*43. & 44
An fructus, vel proventus ex beneficio pertinentes ad beneficiarium, poſſint ab ipſo locari ultra triennium, vel pro tota ſua vita? *p.*169. *n.*45. & 46

Ludus.

Quam quantitatem poſſit religioſus ludo exponere? *p.*136. *n.*16
Ad quod obliget votum, vel juramentum non ludendi? *p.*320. *n.*93. *cum ſequentibus.*
Vnde colligenda ſit gravitas, aut levitas materiæ in ludo, ut tranſgreſſio voti, aut juramenti de illo, gravis, & levis cenſeatur? *p.*321. *n.*98
An, qui juramentum fecit non ludendi, poſſit alteri nummos dare, vel mutuare, ut nomine ſuo ludat, ipſum videre, vel eum in ludo adjuvare? *ibid. n.*99
An poſſit ludere nomine alterius? *ibid.*
An juramenta, vel vota non ludendi cum perſona determinata, vel in tali domo, vel tali genere ludi, valida ſint, & obligatoria, manente juranti, aut voventi libertate ludendi cum aliis perſonis, vel in aliis locis, vel aliis ludi ſpeciebus? *ibid. n.*100

M

MAGISTRALIS.

AN Canonicus Magiſtralis, & Lectoralis, dum in propria Eccleſia concionatur, vel legit, habeatur ut præſens ad lucrandas diſtributiones? *p.*249. *n.*33

Mandans.

Mandans homicidium in Eccleſia, priveturne immunitate? *p.*478. *n.*102

Materia.

An prælati poſſint materiam gravem ſub levi culpa præcipere, vel levem ſub peccato mortali? *p.*143. *& ſeq. n.*49
An detur parvitas materiæ in Simonia? *pag.*566. *num.*8. Vide *verb. Votum. verb. Iuramentum.*

Matrimonium.

Dirimitur matrimonium antea contractum, ſi conſumatum non ſit, per profeſſionem? *p.*76. *num.*50
Votum ſimplex caſtitatis licet non irritet matrimonium poſt illud contractum, illud illicitum reddit, *p.*139. *n.*28
Qui facere debeat, qui poſt votum caſtitatis matrimonium contraxit? *ibid. n.*30

Medicus.

Iuris civilis ſtudium, & exercitium Chirurgiæ, & Medicinæ, an ſint religioſis prohibita? *p.*124. *n.*172
De juramento à medicis emiſſo monendi infirmos, ut confiteantur, qualiter obliget? *p.*319. *n.*89. *cum aliis ſequentibus.*

Ad quid jure naturali, & divino medici teneantur? *ibid. n.92*

Mercator.

An mercatores, qui non poſſunt juſtum prætium ab emptoribus obtinere, poſſint cum æqoivocatione jurare, tanti, vel tanti ſibi mercedem ſtare, ſubintelligendo cum alia merce? *p.332. num.145*

Metus.

Vide *verb. Profeſſio. verb. Votum.*

Militares.

Clerici profeſſi ordinom militarium ſunt veri religioſi? *p.13. n.47*

Vtrum lethaliter delinquant prædicti clerici ludendo expendendo? &c. *ibid. n.48*

Milites D. Ioannis ſunt veri religioſi, *ibidem, num.49*

Poſſintne milites D. Ioannis teſtari? *ibid.*

An, qui votum emiſit ingrediendi religiouem ſatisfaciat huic obligatiooi, aſſumpto habitu ordioum militarium? *ibid. n.50*

An moniales ordinum militarium, veræ religioſæ ſint? & ad clauſuram teneantur? *p.14. n.51*

Poſſintne prædictæ moniales ordioum militarium obligari ad clauſuram? *ibid. à n.52*

Ordines militares ſiotne veræ religiones? *pag.15. num.55*

An aliqui ordinum militarium milites babeant rerum ſuarum dominium, & quid circa ſua booa facere valeant? *p.16. à n.59*

Ad quid taneantur prædicti milites ratione trium votorum? *p.17. à n.63*

An Commendæ iſtorum militarium obligent ad officium divinum recitandum? *ibid. n.66*

An prædicti milites, ſive ſint veri religioſi, ſive non compreheodantur ſub jure Pontificio, vel mandato, aut ordioatione aliqua pro religioſis, quoad onera, & rigores? ubi ſpeciales caſus examinantur, *ibid. à n.67. uſque ad 70. excluſivè.*

Quibus privilegiis gaudeant dicti milites ſive ſint religioſi veri, & ſubſtantialiter, ſive non? *p.18. à n.70. uſque ad 72. excluſive.*

Equites militares an incurrant excommunicationem babitum dimittentes? *p.118. n.148*

Equites ordinum militarium ao teneantur decimaa ſolvere? *p.472. n.79*

An Equites S. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, S. Stephani, de Avis, Monteſæ, & alii poſſint confiteri ſacerdoti non approbato ab ordinario, ſed à ſuis ſuperioribus expoſito, vel ſecundum ſua ſtatuta, *p.531. n.58*

Minoritas.

Quando minoritas incipiat, & finiatur? *pag.351. num.44*

Miſſa.

An miſſa debeat quotidie in conventibus celebrari? Et ſub qua obligatione? *p.178. n.87*

Quando religioſi miſſam dicere tenentur, & pro quo applicare, *p.179. n.88*

Si religioſus contra voluntatem Prælati applicet, an teneat illius applicatio? *ibid. n.89*

An ſacerdos regularis, vel quilibet alius debeat applicare actualiter, vel virtualiter valorem miſſæ pro eis pro quibus tenetur celebrare? *ibid. n.90. & 91*

Quo tempore poſſit miſſa celebrari tam à regularibus, quam ab aliis ſacerdotibus? *pag.180. à n.92. uſque ad 95. incluſivè.*

Quo loco poſſit miſſa celebrari? *p.181. à num.96. uſque ad 99. incluſivè.*

Quid ſacra Congregatio Cardinalium ſub Vrbano VIII. decrevit circa ſtipendum Miſſarum? *p.182. à n.101. uſque ad 105. incluſive.*

An ſacerdos pauper illud ſtipendium poſſit pro una miſſa recipere, quod ſufficiat pro decenti unius diei ſuſtentatione? *p.184. à n.106. uſque ad 112. incluſivè.*

Poſſitoe ſacerdos fructum ſpecialiſſimum ſibi correſpondentem alteri applicare, & pro eo novum ſtipendium recipere? *pag.186. à n.113. uſque ad 116. incluſivè.*

An liceat ſacerdotibus miſſas anticipatas pro his offerre, qui eas poſtea poſtulabunt, vel eleemoſynas dabunt? *p.187. à n.117. uſque ad 122. incluſivè.*

An ſacerdos pro miſſa diebus feſtivis celebrata poſſit duplicatum ſtipendium recipere? *p.188. à n.123. uſque ad 125. incluſivè.*

An Sacerdos, qui miſſam pro defuncto applicaret, & ſimul pro impetratione alicujus beneficii à perente illam deſiderati, poſſit duplex ſtipendium recipere? *p.189. n.126. cum aliis ſequentibus.*

An idem ſacrificium, quod pro uno offertur, à quo ſtipendium datur, poſſit pro alio, & alio applicari ex charitate, miſericordia, libertate obedentia, aut ex alia obligatione, quæ non ſit ex juſtitia? *p.190. n.129. cum aliis ſequentibus.*

An ſacerdos, vel monaſterium, quod pro dicendis miſſis ſtipendium ſumpſit, poſſit aliis ſacerdotibus dicendas dare, retenta ſibi parte ſtipendii? *ibid n.131. uſque ad 130*

De reductione Miſſarum, quæ poteſt fieri ab Epiſcopis, & Generalibus virtute Concilii Tridentini? *p.193. n.140. cum pluribus ſequentibus.*

Poſſitne auctoritate privata ſacerdotis fieri reductio miſſarum? *p.195. à n.150. uſque ad 154. incluſivè.*

Monaſterium.

Vide *verb. Epiſcopus. verb. Privilegium. verb. Pontifex.*

Monialis.

An moniales ejici poſſint, quamvis ſint incorrigibiles? *p.103. n.85*

An monialis peccet, & excommunicationem incurrat habitum dimittendo? *p.118. n.147*

Merito Tridentinum monialibus perpetuam indixit Clauſuram, ut convenientiſſimam, vel certe neceſſariam, ad debitam boneſtatem, quam profeſſæ ſunt, obſervandam? *p.150. n.74*

An religioſi profeſſi non conſtituti in ſacris, & Mooiales teneantur ſub peccato lethali ad recitaodum officiom canonicum? *p.209. n.9. cum aliis ſequentibus.*

Duo privilegia pro monialibus circa recitationem officii divini? *p.239. n.61. & 62*

Moniales an communicent in privilegiis religioſorum? *p.408. n.91. cum duplici ſequenti.*

Explorare poſſunt, & debent ordinarii voluntatem

monialium in religione exempta profeſſuræ, *p.452. n.14*

Habet poteſtatem Epiſcopus circa numerum monialium ſtatuendum in monaſteriis, & qualiter? *ibid.*

An poſſint Epiſcopi viſitare clauſuram monialium exemptarum ad illam conſervandam, vel reſtituendam? *p.458. n.37. cum duplici ſequenti.*

Moniales, an eximantur à ſolutione decimarum? *p.471. n.78*

Quando aliquis apud moniales ſepelitur, à quo facienda ſint funeralia officia? *p.509. n.212*

Pro confeſſoribus monialium approbatio Epiſcopi an requiratur? *p.532. n.59.* Vide *verb. Militares.*

Moneta.

Fabricantes, vel falſificantes monetam, an gaudeant immunitate? *p.480. n.108*

Mutilator.

Mutilatio in Eccleſia patrata privetne immunitatis privilegio? *p.478. n.100*

An, ſi exiſtens in Eccleſia, ſagitta, plumbeo globo, ſcopulo, aliove inſtrumento alium feriat, & occidat, aut mutilet, qui extra Eccleſiam exiſtebat, Eccleſiæ immunitate privetur? *ibid. n.101*

Mutuator.

An ille, cui mutuo pecunia petitur, quam re vera habet, ſed non tenetur mutuare, poſſit juramento firmare, ſe pecunias minime habere, intelligendo, *ut mutuo dem*, *p. 332. num. 145*

N

NECESSITAS.

QUæ neceſſitas ſit extrema? quæ gravis? quæ communis? *p.45. n.49*

An filius teneatur parentibus in neceſſitate exiſtentibus ſuccurrere? Et è contra? *p.46. à n.51. uſque ad 53. incluſivè.*

Quid dicendum de fratribus adinvicem? *p.47. num.54*

Notarius.

An religioſus in aliquo eventu exercere valeat officium notarii? *p.174. n.68*

Novitia, Novitiatus, Novitius,

Ad quid novitiatus fuerit inſtitutus? *pag. 34. numero 1*

Prima conditio ad licite novitiatum peragendum, eſt, quod libere, & ſponte, abſque vi, fraude, aut metu, novitius ingrediatur, *p.35. n.2*

Secunda conditio, ut quis licite ad novitiatum admittatur, eſt, ut talis receptio (idem eſt de profeſſione) immunis ſit à labe ſimoniæ, *ibid. n.3*

Tertia conditio, quæ nedum ad licitum, ſed validum novitiatum requiritur, eſt ætas legitima, *ibid. n.5*

Poſſintne pueri poſt uſum rationis ante pubertatem in religione admitti? *p.36. n.6*

An ſit de eſſentia novitiatus, ut in peculiari habitus religionis ſuſceptæ, novitia ut habeatur? *ibid. n.7. & 8*

Quid ſentiendum circa hoc de Societate Ieſu? *ibid. n.7*

An ſi quis ficto animo non profitendi ingrediatur, & novitiatum incipiat, in eoque perſiſtat, v. g. uſque ad decimum menſem, & poſtea animum mutet, computandum ſit illud tempus præteritum, vel ſupplendum, vel certe iterum ſit recipiendus novitius, ut incipiat novitiatum? *ibid. n.9*

An requiratur suppleri novitiatum ab eo, qui fuit invalide receptus? *p.37. n.10*

Quonam loco debeat peragi novitiatus? *ibidem, a num.11. uſque ad 13. incluſivè.*

Utrum annus novitiatus de momento ad momentum ſit computandus? *p.38. n.15*

An annus novitiatus debeat eſſe continuus, & non interruptus? *ibid. num.16*

Quomodo novitius deſerendo religionem, vel ab ea dimiſſus, interrumpat novitiatum? *ibidem, a n.17. uſque ad 27. excluſivè.*

Poſſitne novitius, & religio anno novitiatus renuntiare? *p.40. n.27*

An conjux, qui poſt contractum matrimonium, & non conſumatum, religionem ingreditur, debeat integrum annum peragere ante profeſſionem? *p.41. n.28*

An ſi quis per legitimam licentiam cum omnibus aliis requiſitis ad aliam tranſeat religionem, debeat in ea annum novitiatus peragere? *ibidem, n.29. & 30*

Utrum ſi quis mortis articulo, ante completum annum novitiatus profiteretur, & poſtea ab infirmitate convaleſceret, deberet ſupplere id, quod de anno novitiatus ſupererat? *ibid. n.31. & 32*

Quiſnam habeat legitimam poteſtatem recipiendi novitios? *p.42. n.33*

An ſufficiat, ſi major pars conventus conſentiat receptioni novitii? *ibid. n.34*

An novitius ſemel capitulariter excluſus, poſſit iterum à capitulo admitti, aut excludi jam admiſſus? *ibid. n.35*

An peccet mortaliter, prælatus (& idem eſt de aliis ſuffragantibus) ſi abſque juſta cauſa deneget ſuffragium, vel non admittat novitium, qui alias nullum habet impedimentum? *ibid. n.36. & 37. & 38*

An peccet mortaliter novitius, abſque cauſa ulla religionem acceptam deſerendo? *p.51. n.71. & 73*

An vero peccet venialiter? *ibid.*

An novitius ex juſta cauſa, vel abſque illa egrediens, teneatur ſolvere expenſas, quas in novitiatu fecit, ſi non æquivaleant miniſteriis illius? *n.74. & 75*

Quid dicendum circa hoc de novitia? *pag.52. num.75*

Verum ſi novitius aliquid donet monaſterio pro ejus victu & veſtitu tempore novitiatus, teneatur monaſterium eam partem dumtaxat reddere ei, quam non conſumpſit, pro rata temporis, quo in monaſterio fuit? *ibid. n.76*

Expenditur circa hoc decretum Concilii Tridentini, *ibid. n.77. & 78*

An novitii teneantur ad regulares obſervantias? *ibid. n.79*

An, & quomodo novitii ſubjaceant juriſdictioni prælatorum Religionis? An poſſit novitius à Prælatis religionis puniri, ſi delinquat? *p.53. n.82*

An novitius exiens à religione poſſit à ſæculari judice puniri, ob delicta in religione patrata? *ibid. n.*83

A quo debeat puniri? *ibid.*

An poſſit novitius pœna carceris perpetuæ à prælatis puniri, ſi id mereatur? *ibidem, numero* 84

An novitius gaudeat omnibus privilegiis religioſorum? *p.*54.*n.*85

An novitii ſint exempti à poteſtate Epiſcopi, & a poteſtate ſæculari? *ibid. n.*87

Utrum gaudeant privilegio canonis? *ibid.*

Utrum gaudeant exemptione à ſolutione gabellarum, vel tributorum? *ibid.*

An in omnibus irr.gularitatibus, & votis poſſint diſpenſari, & ab omnibus cenſuris abſolvi novitii, à quibus alii religioſi? *ibidem, num.*88

An ſi novitii, virtute privilegiorum, in aliqua irregularitate diſpenſentur, vel in aliquo voto, vel abſolvantur ab aliquibus cenſuris, vel caſibus reſervatis, ſi exeant reviviſcat illa obligatio, ita ut maneat ſub votis, cenſuris, ac irregularitatibus, ſicut antea erant? *p.*55. *n.*89

Cui confiteri debeant novitii, & quibus quoad hoc exemptionibus gaudeant? *ibid. n.*90

An novitius poſſit uti bulla cruciata ad lacticinia comedenda? *ibid. n.*91

An poſſit novitius eligere ſepulturam? *ibid.*

An novitius per ingreſſum religionis liberetur à debitis antea contractis. An novitius debeat obſervare in conditione teſtamenti omnes conditiones, & ſolemnitates jure civili, vel canonico ad illud requiſitas? *p.*56. *n.*94. *&* 95

An novitius in conditione ſui teſtamenti debeat obſervare ſolemnitatem, quam Concilium Tridentinum pro renuntiationibus illorum aſſignat? *ibid. n.*96

An teſtamentum ante ingreſſum à novitio factum annulletur, & rumpatur per ingreſſum, ſi nihil in eo monaſterio relinquit; maxime ſi cum illud fecit, nihil de ingreſſu cogitavit? *ibid. n.*97

Quis ſuccedat novitio decedente ab inteſtato, nulla facta renunciatione, vel teſtamento? *p.*57 *n.*98

An poſſit novitius in ſuo teſtamento, vel renunciatione factis in ſubſidium aliquarum perſonarum, reſervari ſibi electionem illarum perſonarum, quibus ſuus hæres, vel renuntiatarius debeat quotannis ſolvere certam ſummam? *ibid. n.*99

Quænam ſolemnitas aſſignetur à Tridentino pro renunciationibus a novitiis faciendis? *ibid. n.*100

An ſub decreto Concilii contineantur renunciationes faciendæ ab his, qui nondum ſunt religionem ingreſſi, ſunt tamen in proximo, ut ingrediantur, & intuitu talis ingreſſus fiont, ita ut ſint nullæ, ſi fiant abſque dicta ſolemnitate? *ibid. n.*101. & 102

An renunciatio à novitio facta abſque dicta ſolemnitate valida ſit, ſi non abſolutè, ſed ſub hac conditione fiat; *ſi profeſſus fuero*? *p.*58. *n.*103

Quomodo requiratur licentia ordinarii pro renuntiationibus novitiorum faciendis, & quis poſſit hanc licentiam tribuere? *ibidem, num.*104

Quo tempore debeat fieri prædicta renunciatio juxta formam Concilii Tridentini? *ibidem, n.*105. & 106

A quo tempore renunciatio facta juxta Tridentinum incipiat habere vim? *p.*59 *n.*107

An ut ſit firma, & valida dicta renunciatio, requiratur, quod profeſſio ſequuta ſit valida? *ibid. n.*108

Non tenetur novitius in favorem piæ cauſæ bona renuntiare, ſed id facere, laudabile eſt, *ibid. n.*109

Renunciatio ſemel facta juxta Tridentinom revocari non poteſt, niſi aliquibus caſibus, *p.*60. *n.*110

Qui contractus ſub decreto Concilii contineatur? Qui proinde ſine ſolemnitate petita ab ipſo fieri valide non poſſint? *ibid. n.*111

Aliquam gratioſam eleemoſinam poſſitne novitius facere, non ſervata forma Tridentini? *ibid. n.*112

An poſſit mutuum dare novitius, niſi juxta formam Tridentini, etiam præſtita cautione? *p.*61. *n* 113

An bonis Patris nondum obtentis renuntiare poſſit novitius in favorem perſonæ? *ibidem, num.*114.

An in renuntiationibus, vel donationibus ſuis debeat ſervare novitius leges civiles? *ibidem, num.*116

An beneficia à religioſo obtenta vacent per profeſſionem, & quomodo in poſterum alia poſſit obtinere? *p.*62. *à n.*117. *uſque ad* 121. *incluſivè.*

An renuntiatio beneficiorum à novitiis facienda debeat eſſe in bimeſtri ante profeſſionem, & de licentia Epiſcopi? *p* 63. *n* 112

An novitii, vel qui mox ingreſſi ſunt religionem, necnon famuli commenſales conventus poſſint ex vi ſupradictorum privilegiorum confiteri ſacerdoti ab Epiſcopo non approbato? *p.*531. *n.*57

O

OBEDIENTIA.

QUid, & quotuplex ſit obedientia? *p.*142. *num.* 40

Conditiones pro perfecta obedientia recenſentur, *ibid. n.*41

Quatuor gradus obedientiæ numerantur? *ibid. num.*42

An obedientia omnibus virtutibus moralibus præſtantior ſit? *ibid. n.*43.

Quid, & quotuplex ſit obedientia religioſa? *ibid. & ſeq. n.*44

Traditio, quæ fit in profeſſione an diverſa ſit à voto obedientiæ? *p.*143. *n.*45

Ex quibus capitibus teneantur religioſi obedire prælatis? voluntatem prælati facere non tenetur ſubditus, niſi mandato exprimatur, *ibid. n.*46

Quando præcepta prælati obligent ſub mortali? *ibid. & ſeq. n.*49

An prælati poſſint ad actus internos obligare? *p.*144. *n.*50

Obligetne præceptum in falſa præſumptione fundatum? *ibid. n.*51

Quibus Prælatis teneantur obedire religioſi? *ibid. n.*52

Datur duplex obedientiæ objectum. *ibid. n.*53

Quando

Quando ex contemptu ſubditus obedientiam frangere dicatur? *ibid. n.54*

Res omnes mandabiles ſunt objectum obedientiæ remotum, *ibid. n.55*

An in omnibus religionibus ſit eadem obedientia quoad ſubſtantiam? *ibid. n.56*

Prælatis illicita præcipientibus non poteſt obedire religioſus, *ibid. n.57*

Quando dubitans poteſt, & tenetur obedire prælato? *p.146. n.58*

An teneatur ſubditus præceptis ſuperiorum obedire, ſi dubitet, an teneatur, necne illis ob temperare? *ibid. n.59*

An ſubditus teneatur obedire Prælato, ſi habeat opinionem probabilem, quod Prælatus rem illam ſibi imperare non poteſt? *ibid. à n.60. uſque ad 70. incluſivè.*

An ſubditus teneatur obedire prælato, aliquid ſupra regulam, infra regulam, contra regulam, vel præter regulam præcipienti? *p.149. n.71. cum pluribus ſequentibus.*

An quando regula ſolum obligat ad pœnam, vel ſub veniali, poſſint Prælati obligare ad obſervantiam illius ſub mortali? *p.152. n.84. cum ſequentibus.*

An quando prælatus imponit præceptum in materia levi, vel quæ tantum obligat ad pœnam, debeat in ipſo præcepto exprimere cauſam, cur illam rem præcipiat ſub mortali, ad hoc, ut ſubditi illi teneantur obedire? *p.153. n.89. & 90.*

An ſubditus teneatur obedire prælato aliquid arduum, vel periculoſum vitæ, aut ſaluti præcipienti? *ibid. n.91. cum aliis ſequentibus.*

Quot peccata committat religioſus contra præceptum prælati operando? *p.155. à n.99. uſque ad 106. incluſivè.*

Officium.

An omittere officium defunctorum, & officium parvum B. Mariæ in choro diebus præſcriptis in Romano Breviario ſit mortale? Et quid dicendum in noſtra religione? Et quid reſpectu particularium extra, vel intra chorum recitantium? *p.203. n.21*

Officium defunctorum die 2. Novembris debet omnino recitari, *ibid. n.22*

An qui die 2. Novembris tam officium defunctorum, quam diei omittit, duplex committat peccatum? *ibid.* Vide *verb. Hora Canonica.*

Opinio.

An ſtet opinionem eſſe ſpeculativè probabilem & non practicè? *p.140. n.34*

An ſubditus teneatur obedire Prælato, ſi habeat opinionem probabilem, quod Prælatus rem illam ſibi imperare non poteſt? *p.146. n.60. uſque ad 70. incluſivè.*

Oracula.

Vivæ vocis oracula per revocationem generalem privilegiorum, an intelligantur revocata? *p.435. n.40*

In quo differat oraculum à privilegio bullato? *p.437. n.50*

Revocationes oraculorum à Gregorio XV. & Urbano VIII. proponuntur, *ibid. n.51*

Oracula, quæ ſunt merè declarationes, vel indulgentias concedunt, an ſint revocatæ? *p.438. n.52*

Oracula pro omnibus conceſſa an revocentur? *ibid. n.53. & 54*

An privilegium conceſſum per Bullam uni religioni, & alteri communicatum ſolum per oraculum, revocatum ſit per dictas revocatorias, reſpectu illius religionis, cui fuit ſolum per oraculum conceſſum? *ibid. n.55*

An privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & poſtea confirmata per Bullas, tranſierint in privilegia bullata, taliter quod per revocationes dictas oraculorum non ſint revocata? *p.439. n.56. cum aliis ſequentibus.*

Qualiter oracula, quæ ſortita ſunt ſuum effectum ante revocatorias, non ſint per illas abrogata? *p.441. n.65. cum aliis ſequentibus.*

Ordinarius.

Vide *verbo Epiſcopus.*

P

PARROCHUS.

Vide *verb. Sepultura. verb. Approbatio.*

Pater.

Vide *verb. filius.*

Patriarcha.

An Patriarchæ aliquando poſſint eſſe conſervatores? *p.495. n.160*

Patronus.

An jus patronatus vendi, & alienari poſſit abſque Simonia? *p.606. n.75. cum ſequentibus.*

Paupertas.

Diverſa paupertas in communi in ordinibus ſervatur, *p.132. n.1*

Quomodo religiones ſint capaces dominii in communi? *p.133. n.2.*

De paupertate Minorum, Societatis, & Noſtræ Religionis, *ibid. n.3*

Quomodo ſunt incapaces religioſi habendi dominium in particulari? *ibid. n.4*

Bonorum ſpiritualium dominium an habere poſſit religioſus? *ibid. n.5*

Cui acquirat religioſus quæcumque acquirit? *ibid. n.6*

Obligeturne religio ob delictum religioſi, vel ejus contractum, *p.134. n.7*

An furti reus ſit religioſus, qui aliquid ex communi penu ſine licentia diſtrahit? *ibid. num. 8*

An mortaliter peccet religioſus aliquid recipiens, vel retinens ſine licentia? *ibidem, num.9*

Utrum peccet lethaliter religioſus aliquid ſine licentia donans in magna quantitate? *ibid. num.10*

Res pretio ſtimabiles an poſſit religioſus ſine licentia commodare, mutuare, vendere? *p.135. num.11*

Quæ materiæ quantitas requiratur, ut illius indebita diſtributio in religioſo ſit peccatum lethale? *ibid. n.12*

Quæ licencia ſuperioris exigitur, ut non violetur votum paupertatis? *ibid. n.*13. & 14
Quæ poſſit expendere prælatus, & dare licentiam expendendi? *p.*136. *n.*15
Quam quantitatem poſſit religioſus ludo exponere? *ibid. n.*16
Quam obligationem habeat religioſus indebite donans, & ab eo recipiens? *ibid. n.*17

Peccator.

Peccator publicus, an privetur ſepultura Eccleſiaſtica? *p.*505. *n.*198

Pœnitentia, Pœnitens.

Quæ pœnitentia injungenda ſit perjuro conſuetudinario? *p.*338. *n.*171
Aſſignatur certa pœnitentia, de qua inquiritur, an eam pœnitens acceptare teneatur? *ibid.*
An confeſſarius poſſit, aut debeat à pœnitente exigere juramentum de emendatione in poſterum facienda, quando habet conſuetudinem jurandi? *p.*139. *n.*172

Pœnitentiarius.

An pœnitentiarius ob ejus miniſterium abſens à choro lucretur fructus, & diſtributiones? *pag.*248. *num.*31

Penſio.

Vide *verbo Simonia.*

Penſionarius.

An penſionatii ad recitationem officii divini adſtringantur? *p.*214. *n.*28

Perjurus.

Perjurus an gaudeat immunitate? *pagin.* 480. *num.*108

Permutatio.

An bona immobilia, vel mobilia prætioſa unius Eccleſiæ, vel monaſterii poſſint permutari cum rebus alterius Eccleſiæ, vel monaſterii? *p.*168 *n.*41. & 42
Vide *verbo Simonia.*

Peſtis.

Poſſitne Prælatus obligare religioſum, ut aſſiſtat peſte laborantibus intra ordinem? *pagin.*154. *n.*93
Quid dicendum, quando peſte laborantes ſunt extra ordinem? *ibid. n.*94
Quæ differentia ſit quoad hoc inter mendicantes, & non mendicantes? *ibid. n.*95

Pontifex.

Pontifex nequit errare in approbando religionem, in qua ſit vera profeſſio cum tribus votis eſſentialibus, *p.*4. *n.*8
Nec etiam errare valet in canonizatione Sanctorum, *ibidem.*
Poſſitne Pontifex diſpenſare in votis ſolemnibus religioſorum? *p* 11. *à n.*40
Pontifex habet poteſtatem dandi profeſſionem religioſis, *p.*66. *n.*10
An Summus Pontifex poſſit præſtare licentiam, ut religioſus tranſeat ad religionem laxiorem? *p.*99. *n.*69. & 70
Votum caſtitatis an ſit reſervatum Pontifici? *p.*141. *n.*36
Quibus caſibus votum caſtitatis Pontifici non reſervetur? *ibid. n.*37
Votum caſtitatis emiſſum à conjugato, an ſit reſervatum Pontifici? *ibid. n.*38
An Summus Pontifex poſſit aliquid, quod ſimpliciter ſit ſupra regulam præcipere religioſis? *p.*149. *n.*73
Poteſt Summus Pontifex obligare religioſum, ut acceptet, tum Epiſcopatum, aut aliam dignitatem extra ordinem, tum etiam benficium ſæculare, vel regulare alterius ordinis, *pagin.*150. *n.*78
An poſſit Summus Pontifex concedere alicui præbendato diſpenſationem, aut privilegium, ut non aſſiſtens divinis, nedum fructus, ſed etiam diſtributiones lucretur? *p.*251. *n.*41
Pontifex an aliquos eximere valeat à ſolutione decimarum? *p.*464. *n.*54
An requiratur licentia Pontificis, ut religioſi nova monaſteria conſtruere poſſint? *p.*487. *n.*135. & 136
Sine licentia Pontificis, an poſſit monaſterium de uno ad alium locum transferri? *p.*489. *numero* 141
Monaſteria an poſſint dimitti abſque licentia ſedis Apoſtolicæ? *p.*490. *n.*146
Morte Pontificis an expiret facultas conſervatoris? *p.*494. *n.*157

Præbendatus.

An peccet lethaliter præbendatus Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ pluribus diebus à choro abſens ſine legitima cauſa? *p.*241. *à n.*1. *uſque ad* 3. *incluſivè.*
An præbendati choro intereſſentes teneantur cum aliis canere, vel recitare, ut vel non peccent, vel diſtributiones lucrentur; an vero ſola aſſiſtentia, & præſentia utrique obligationi ſatisfaciant? *ibid. n.*4. & 5
Quomodo aſſiſtere, aut recitare tenentur in choro Canonici, ut ſuo muneri ſatisfaciant, & diſtributiones lucrari queant? *pag.* 242. *n.*6. & 7
Sub qua pœna teneantur præbendati choro aſſiſtere? *ibid. n.*8. & 9
Quæ cauſæ excuſent præbendatum à choro, ut, non obſtante abſentia, lucrari poſſit diſtributiones? *p.*244. *n.*14. *cum pluribus aliis ſequentibus.*
An Capitulis intereſſe teneantur præbendati? *p.*248. *n.*29. Vide *verbo Diſtributio.*

Præceptum.

An obliget præceptum in falſa præſumptione fundatum? *p.*144. *n.*51
Quam raro, & cautè imponenda ſint præcepta? Et quæ differentia ſit inter communitatem, & particularem perſonam, ut eis præcepta imponantur? *p.*152. *n.*88
An quando Prælatus imponit præceptum in materia levi, vel quæ tantum obligat ad pœnam, debeat in ipſo præcepto exprimere cauſam, cur illam rem præcipiat ſub mortali ad hoc, ut ſubditi illi teneantur obedire? *p.*153. *n.*89. & 90
Præcepta nimis ardua, & difficilia an obligent? *ibid. n.*91.

An teneatur ſubditus obedire cum periculo vitæ Prælato præcipienti ? *ibid. n.92*

Quot peccata committat religioſus contra præceptum Prælati operando ? *p.155. à n.99. uſque ad* 106. *incluſivè.*

Prædicare.

An religioſus poſſit à Prælato cogi , ut eat ad prædicandum inter infideles ? *p.155. n.98*

Prædicatores.

An requiratur ſacer ordo in prædicatore regulari ? *p.556. n.141*

Ad quid Prædicator regularis teneatur ? *ibidem, numero* 141

Peccant mortaliter regulares , qui abſque approbatione Prælatorum prædicant ? *pag.557. numero* 143

Prædicator regularis , quid poſſit , vel non independenter ab Epiſcopo ? *ibid. n. 144. cum aliis ſequentibus.*

An Prædicator regularis , qui ab Epiſcopo Salmantino v. g. licentiam obtinuit, ſi ab oppidanis alicujus diœceſis v. g. Abulenſis, Segovienſis , Zamorenſis , aut Valliſoletanæ, quæ ſunt illi confines, pro aliqua, vel pro aliquibus concionibus vocetur , poſſit in illo loco extra diœceſim Salmantinam prædicare, non obtenta prius licentia ab Epiſcopo loci, in quo prædicaturus eſt ? *pag. 559. num.150.* & 151

Nequeunt Epiſcopi regulares concionatores examinare , *pag.560. numero 152. cum ſequentibus.*

An prædicatores regulares ſuſpendi à prædicatione, & puniri poſſint ab ordinariis ? *p 561. numero* 155

In quibus caſibus peccent prædicatores indebite ſuum munus exercentes ? *p 562. n.160*

Prælatus.

An Prælatus teneatur recipere illum , qui emiſit votum ingrediendi religionem ? *p.26. n.12*

Si injuſte totum capitulum denegaret novitio ſuffragium, & hoc Prælato conſtaret , poſſet ipſe ſolus , abſque conſenſu Capituli eum recipere , *p.42. n.34*

An peccet mortaliter Prælatus , ſi abſque juſta cauſa deneget ſuffragium , vel non admittat novitium , qui aliàs nullum habet impedimentum ? *ibid. à n.36. uſque ad 38. incluſivè.*

An ſi monaſterium , vel religio paupertate laboret , ita , ut commode non poſſit novum religioſum ſuſtentare , poſſit licitè Prælatus eum ad ordinem admittere ? *p.43. n.39*

Prælatus ſine juſta cauſa novitium expellens, an peccet lethaliter ? *p.50. n.72*

Quæ præcepta poſſit Prælatus novitiis imponere ? *p.53. n.81*

An poſſit novitius à Prælatis religionis puniri, ſi delinquat ? *ibid. n.82*

Nequit religioſus eſſe Prælatus , niſi ſit in illa religione expræſsè profeſſus , *p.64. n.5*

Prælatus regularis habeatne poteſtatem dandi profeſſionem ? *p.66. n.10*

Quis Prælatus de jure communi poteſt admittere ad profeſſionem religioſam ? Et quis de jure noſtro ſpeciali ? *ibid. n.13*

An ſi in noſtra Congregatione Prælatus immediatus de conſenſu ſui conventus novitium ad profeſſionem admitteret , non præcedente licentia Provincialis , talis profeſſio ſit valida ? *p.67. n.14.* & 15. & 16

An ſi Prælatus eſſet excommunicatus , interdictus, ſuſpenſus, vel irregularis , poſſet novitium valide ad profeſſionem admittere ? *p.68. numero* 20

An peccet Prælatus in tali eventu ? *pagin.69. numero* 21

An peccent lethaliter Prælati, qui frequenter, & paſſim, violari permittunt regulam, vel conſtitutiones obligantes ad ſolum veniale ? vel ad nullum peccatum ? *p.78. à num. 63. uſque ad 66. incluſivè.*

An Prælatus regularis ſub mortali teneatur dare ſubdito licentiam tranſeundi ad ſtrictiorem religionem , ſi nulla ſubſit juſta cauſa denegandi illam ? *p.98. n.68*

An ex juſta cauſa poſſit Prælatus regularis licentiam concedere tranſeundi ad laxiorem religionem ? *pag.99. à num.72. uſque ad 74. incluſivè.*

Quid poſſint , & facere teneantur Prælati circa apoſtatas , & fugitivos ? *pag. 114. à n.132. uſque ad 135. incluſivè.*

An Prælati mittere poſſint ad triremes ſubditos criminoſos ? *p.112. n.164.* & 165

An peccet Prælatus proceſſionem , aliudve officium intra clauſuram ordinans ſolo eo fine, ut mulieres clauſtra ingrediantur ? *pag. 128. num.* 190

Quæ poſſit expendere Prælatus , & dare licentiam expendendi ? *p.136. n.15*

Poteſt religioſus obligari ex vi voti obedientiæ ad ſubeundum munus Prælati intra ſuum ordinem , *p.150. & ſeq. n.79*

An poſſint Prælati regulares eligi in judices conſervatores aliarum religionum ? *pag.172. numero* 62

Omnia pacta religioſorum, & omnis promiſſio, etiam juramento firmata, poſſunt à ſuis Prælatis irritari , *p.341. n.5*

An Prælati omnia religioſorum vota poſſint irritare ? *pag.349. à numero 36. uſque ad 38. incluſivè.*

Qui Prælati ſint illi , qui habent facultatem irritandi vota inferiorum directè , ratione poteſtatis denominativæ ? *p.350. n.39*

An Prælati ſecundarii conventuum, quos ſuperiores, vicarios , & apud Benedictinos, Priores, & in Societate, miniſtros vocant, poſſint religioſorum vota irritare ? *ibid. n.40*

An Prælati poſſint irritare vota novitiorum, vel commutare , vel diſpenſare ? *pag. 351. numero 42.* & 43

An facultas ſuperiorum irritandi vota inferiorum , extendatur ad vota ex eorum licentia emiſſa ? *pag. 357. à numero 64. uſque ad 69. incluſivè.*

An vota emiſſa à ſubdito , tempore quo ſubditus erat, poſſint irritari à ſuperiori , tranſacto ſubjectionis tempore ? *p.359. n.72.* & 73

An vota emiſſa tempore ſubjectionis, implenda tamen tempore , quo eſt ſubjectio diſſoluta, poſſint irritari à ſuperiori, tempore, quo ſubjectio durat ? *ibid. n.74*

An ſuperior irritare poſſit vota inferioris, tempore , quo ſubditus eſt , ſed emiſſa tempore, quo ſubditus non erat ? *ibid. n.75*

An Prælatus, qui poteſt cum ſuis ſubditis, in votis illorum diſpenſare, poſſit etiam ſecum diſpenſare in votis ab ipſo emiſſis, vel ſaltem alteri ſuas vices delegare, ut ſecum in dictis votis diſpenſet? *p.360. n.79*

An poſſint Prælati regulares diſpenſare vota religioſorum ſive ſint profeſſi, ſive novitii? *p.363. a n.88. uſque ad 92. incluſivè.*

Prælati religionum an poſſint interpretari, reſtringere, aut tollere earum privilegia? *p. 404. numero* 75. & 76

An Prælati regulares immediati, ut Priores, Guardiani, &c. poſſint eligi in judices Conſervatores? *p.495. n.163*

De facultate abſolvendi à caſibus, & cenſuris Prælatis religionum conveniente, *p.515. n.1. cum ſequentibus.*

De facultate ad diſpenſandum in irregularitatibus, *p.522. n.24. cum ſequentibus.*

Qualiter Prælati cum ſuis ſubditis in legibus, & præceptis Eccleſiaſticis valeant diſpenſare? *pagin.524. n.30. cum ſequentibus.*

An Prælati diſpenſare valeant cum conjugatis ad debitum petendum? *p.526. n.38*

Quid poſſint Prælati circa benedictionem vaſorum, & veſtium Eccleſiarum? *ibid. n.39*

An Prælati regulares poſſint audire ſæcularium confeſſiones ſine Epiſcopi approbatione? *p.528. n.43. cum duplici ſequenti.*

An poſſit quilibet Prælatus ſimplicem ſacerdotem ſibi in confeſſarium eligere? *pag. 530. num.50*

Peccant mortaliter prælati, qui ſubditos non idoneos, aut ab eis examinatos de vita, moribus, & ſcientia, prædicare permittunt, *pag.557. num.* 143. Vide *verb. Obedientia. Verb. Regula. Verb. Peſtis. Verb. Hora Canonica.*

Præſcriptio.

Quod tempus ex jure requiratur ad præſcribendum contra privilegium, *p.427. n.12*

Quæ privilegia per præſcriptionem amittantur? *ibid. n.13. cum aliis ſequentibus.*

Raro privilegia regularium poſſunt per præſcriptionem amitti, *p.430. n.22.*

Quod tempus ſit requiſitum ad præſcribendum contra privilegia regularium? *ibid. n.23. & 24*

An contra privilegia regularium poſſit dari præſcriptio? *ibid. & ſeq. n.25*

Conſuetudine, & præſcriptione quomodo poſſunt aliqui eximi à decimis ſolvendis? *p.464. num.55*

Præſtimonia.

Vide *verb. Simonia.*

Præſumptio.

An obliget præceptum in falſa præſumptione fundatum, *p.144. n.51*

Primates.

Primates an aliquando poſſint eſſe Conſervatores? *p.495. n.160*

Privilegium.

Privilegium à Pontifice conceſſum percipiendi fructus, & diſtributiones in abſentia, qualiter ſit interpretandum? *p.251. n.40*

Diffinitio privilegii? *p.386. n.1*

In quo differat privilegium à diſpenſatione? *ibid. num.* 2

Quæ ſit materia, & forma privilegii? *ibidem, num.3*

A quo & quibus privilegium concedi valet? *ibid & ſeq. n.3.* & 4

An ad licitam, & validam privilegii conceſſionem aliqua cauſa requiratur? *p.387. n.6.* & 7

An ſit de ratione privilegii, quod eſt contra jus, ſeu quod ab obſervatione legis eximit, ut in ejus conceſſione per formalia verba derogetur juri communi? *p.388. num.8. cum duplici ſequenti.*

Privilegiatus teneatur ne uti privilegio ſibi à jure, vel à Principe conceſſo? *ibid. n.11. cum quatuor ſequentibus.*

Privilegium perſonale, & reale explicatur, *p.390. n.17.* & 18

An privilegia regularium ſint realia? *ibid. n.18*

Quando cognoſcendum ſit, quod privilegium eſt conceſſum perſonæ, vel rei illi adhærenti? *ibid. n.19*

An in dubio utrum privilegium ſit reale, vel perſonale, judicandum ſit eſſe reale, vel perſonale? *ibid. n.20.* & 21

Explicatur privilegium remuneratorium, & gratioſum, *p.391. n.22*

An privilegia regularium ſint remuneratoria? *ibid. n.23*

Privilegium affirmativum, & negativum explicatur, *ibid. n.24*

Privilegium commune, & ſingulare explicatur, *p.392. n.25*

Privilegium odioſum, & favorabile explicatur, *ibid. n.26*

An omnia privilegia regularibus conceſſa in communi ſint favorabilia? *ibid. n.27.* & 28

Privilegium ſcriptum, & non ſcriptum explicatur, *ibid. & ſeq. n.29. cum duplici ſequenti.*

Explicatur privilegium pro foro conſcientiæ, & externo, *p.394. n.32*

An quando privilegium conceditur pro foro pœnitentiali, uti eo poſſit privilegiatus extra ſacramentum Pœnitentiæ? *ibid. n.33*

Privilegium abſolutum, & conditionatum explicatur, *ibid. n.34.* & 35

Privilegium locale, & perſonale exponitur, *p.395. num.36*

Privilegium perpetuum, & temporale declaratur, *ibid. n.37*

Exponitur privilegium: *ad inſtar. ibid. n.39.*

Privilegium: *ex motu proprio* declaratur. Et in quo diſtinguatur à privilegio: *ad inſtantiam partis, p.396. n.40.* & 41

Explicatur privilegium: *Ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, ibid. n.42.* & 43

Exponitur privilegium, in quo habetur clauſula; *appellatione remota, p.397. n.44*

Et privilegium in quo habetur clauſula: *non obſtantibus. &c. ibid. n.45*

Et privilegium in quo habetur clauſula: *ex confidentia hujus indulti, ibid. n.46*

Et privilegium, in quo hæc clauſula legitur: *ut non cenſeatur revocata niſi de eiſdem de verbo ad verbum mentio fiat, p.398. n.47*

Et privilegium cum illa clauſula: *quatenus ſunt in uſu, ibid. n.48*

Et privilegium cum illa clauſula: *quatenus ſacris Canonibus, & decretis Concilii Tridentini non adverſantur, ibid. n.49.* & 50

Et privilegium cumilla clauſula : *ſupplentes omnes, & ſingulos defectus*, *ibid. n.5 1*

Et privilegium cum illa clauſula : *prorſus eximimus, ac totaliter liberamus*, *p.399. n.52*

Et privilegium cum illa clauſula : *ſine Parrochiæ prajudicio*, *ibid. n.53.*

Et privilegium cum illa clauſula : *decernentes irritum &c. ibid. n.54*

Et privilegium cum illa clauſula : *ex tunc , prout ex nunc*, *ibid. n.55*

Et privilegium cum illa clauſula : *dummodo peccata non ſint in contemptum clavium*, *ibid. n.56*

Scriptura pro privilegii valore an requiratur ? *ibid. n.57. cum ſequentibus.*

In foro externo , qualiter probetur privilegium ? *p.400. n.59*

An privilegio neceſſaria ſit promulgatio, acceptatio & notitia illius ? *p.401. à n.63. uſque ad 69. incluſivè.*

Quomodo privilegia ſint interpretenda ? *pag.403. num.70. cum ſequentibus.*

Quis poſſit privilegia interpretari ? *ibid. n.72.*

Privilegia regularium dubia , à quo debeant interpretari ? *ibid. n.73*

Privilegia regularium dubia , an in favorem ſint interpretanda ? *p.404. n.74*

Prælati religionum an poſſint interpretari , reſtringere, aut tollere earum privilegia ? *ibidem, n.75.* & 76

In quo conſiſtat communicatio privilegiorum ? *p.407. n.87*

Qualiter omnes religiones mendicantes , & non mendicantes ſibimetipſis in privilegiis communicent ? *ibid. n.88. cum pluribus ſequentibus.*

An tertiariæ , & Beatæ communicent in aliquibus privilegiis religioſorum ; ubi de aliis etiam perſonis ? *p.409. n.94*

An , ſi privilegia alicui religioni conceſſa , alterius religionis ſtatutis , legibus , aut modo vivendi adverſentur participentur per communicationem ab iſta religione, ita ut eis uti poſſint religioſi contra id , quod in ſuis legibus ſtatuitur ? *p.411. n.100*

An religiones communicantes cum aliis , etiam in odioſis , & pœnalibus communicent , ut, ſi aliquæ pœnæ , cenſuræ , vel alia onera ſint eis impoſita ? *ibid. n.101*

An religio communicans in privilegiis , poſſit per privilegium alteri conceſſum , contra eam ſe defendere , illudque retorquere contra primam privilegiatam ? *ibid. n.102.* & 103

An mendicantes , & qui cum eis in privilegiis participant , uti poſſint privilegiis Societatis Ieſu, abſque licentia ſui Generalis , vel Provincialis ? *p.412. n.104.* & 105

An privilegia , quæ habent clauſulam incommunicabilitatis , adhuc ab aliis religionibus valeant communicari ? *p.413. n.106.* & 107

An privilegia conceſſa uni Provinciæ , uni Conventui , vel Eccleſiæ particulari , vel etiam ſingularibus perſonis , cenſeantur conceſſa cæteris Provinciis , Conventibus , & Eccleſiis, necnon ſingularibus perſonis , ex vi generalis communicationis ? *ibid. n.108. cum aliis ſequentibus.*

Ad utendum privilegio pro foro conſcientiæ , quid requiratur ? *p.416. n.120*

An Epiſcopus dubitans de validitate privilegii regularium , an ſit in uſu , an ſubreptitium , an vitioſum , an amiſſum , aut aliter intelligendum , poſſit regulares impedire , ne interim tali privilegio utantur ? *ibid. n.121*

An regulares poſſint uti ſuis privilegiis , etſi contra ea habuerint uſum contrarium ? *ibidem , num. 122*

An regularis , vel quilibet alius privilegiatus poſſit omni loco uti privilegiis ſibi conceſſis ? *pagin.418. n.126. cum duplici ſequenti.*

An ſufficiat te habere privilegium à ſuperiori Principe conceſſum , ut contra leges municipales agere poſſis , vel requiratur illud habere à Principe illius loci , qui legem tulit ? *ibidem, num.129*

An regulares uti poſſint privilegiis per Tridentinum revocatis ? *p.419. n.130. cum ſequentibus.*

An duret privilegium poſt mortem concedentis, & privilegiati ? *p.421. n.139. cum pluribus ſequentibus.*

Per temporis lapſum , an privilegium ceſſet ? *p.424. n.1*

Quando non appoſitio conditionis privilegium ſuſpendat , vel deſtruat ? *ibid. n.2*

An ceſſante cauſa finali motivà privilegii ceſſet ipſum privilegium ? *p.425. n.3*

An privilegium , vel diſpenſatio ad aliquid agendum , vel non agendum ceſſet unico actu ? *ibid. n.4*

Qualiter per renunciationem ceſſet privilegium, & qui poſſint illi renuntiare ? *ibid. n.5. cum aliis ſequentibus.*

Qualiter per non uſum, vel per contrarium uſum, vel per abuſum ſuſpendatur privilegium ? *p.426. n.9. cum pluribus ſequentibus.*

Raro privilegia regularium poſſunt per præſcriptionem amitti , *p.430. n.22*

Quod tempus ſit requiſitum ad præſcribendum contra privilegia regularium ? *ibid. n.23.* & 24

An contra privilegia regularium poſſit dari præſcriptio ? *ibid. n.25*

Qualiter per revocationem privilegia ceſſare poſſint , & quis ea revocare valeat ? *ibid. & ſeq. n.26. cum ſequentibus.*

An privilegia regularium revocentur , vel ſuſpendantur per Bullam cruciatam , ubi iſta publicatur ? *p.432. n.31*

An per Iubilæum anni ſancti revocentur privilegia communia religionum ? *ibid.*

Dicendum eſt per Bullam Cœnæ revocari modo omnia privilegia regularium quæ ſunt contraria Bullæ Cœnæ Domini , quæ ſingulis annis publicatur , *ibid.*

In dubio non præſumitur privilegia regularium eſſe revocata , niſi de revocatione conſtet ? *pagin.433. n.36*

Qualiter revocanda ſunt privilegia , ut debitum effectum ſortiatur revocatio ? *ibid. n.38. cum aliis ſequentibus.*

Vivæ vocis oracula per revocationem generalem privilegiorum , an intelligantur revocata ? *pagin.435. num.40*

Quæ publicatio revocationis requiratur , ut privilegium revocatum judicetur ? *p.436. n.45. cum aliis ſequentibus.*

In quo differat oraculum à privilegio bullato ? *p.437. n.50*

Revocationes oraculorum factæ à Gregorio XV. & Vrbano VIII. proponuntur , *ibid. n.53*

An privilegium conceſſum per Bullam uni religioni , & alteri communicatum ſolum per oraculum , revocatum ſit per dictas revocatorias reſpectu illius religionis , cui fuit ſolum per oraculum conceſſum ? *p.438. n.55*

An privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & poſtea confirmata per Bullas, tranſierint in privilegia Bullata, taliter, quod per revocatorias dictas oraculorum, non ſint revocata? *p.439. n.56. cum ſequentibus.*

De confirmatione privilegiorum ſub qua forma, & modo fieri ſoleat? *p.442. n.68. cum ſequentibus.*

An per confirmationem ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis reſtaurentur privilegia revocata per jus commune, vel per Concilium aliquod Generale, abſque eo quod de tali revocatione fiat expreſſa, & ſpecifica mentio? *p.444. n.73*

An confirmatio *ex certa ſcientia*, confirmet actum, poſſeſſionem, aut privilegium in præjudicium tertii? *ibid. n.74*

An per confirmationem privilegiorum unius ordinis, aliorum privilegia confirmata maneant, qui cum illo communicant in privilegiis? *p.445. n.76. cum ſequentibus.*

An poſſint regulares privilegio exemptionis renuntiare? *p.450. n.7*

Quæ perſonæ hujuſmodi privilegio exemptionis ab ordinario potiantur? *ibid. n.8*

An tale exemptionis privilegium competens regularium monaſteriis, ſuffragetur etiam perſonis ſæcularibus ibi exiſtentibus, ob idque delinquentes in monaſteriis regularium non ſubjaceant pœnis laris ab ordinariis contra taliter delinquentes? *ibid. n.9*

An, quando uni religioni datur privilegium communicationis in privilegiis alterius, inter quæ unum eſt exemptio à ſolutione decimarum, ex vi illius poſſit religio communicans eximi à ſolutione decimarum, prædiorum, quæ ante Concilium Lateranenſe poſſidebant, ſed etiam de prædiis, terris, arboribus in futurum poſſidendis ab eis? *p.470. n.73*

An hujuſmodi privilegium de non ſolvendis decimis, extendatur ad prædia conducta, locata, vel in Emphiteuſim accepta ab ipſis religioſis, quæ ipſi propriis manibus, aut ſumptibus colunt, licet aliena ſint, & à monaſterio conducta? *p.471. n.77*

Qui regulares privilegiis exemptionis à decimis fruantur? *ibid. n.78. & 79*

Quando amittantur ſupradicta privilegia exemptionis à decimis? *p.472. n.80*

Quid ſit privilegium immunitatis? & ex quo jure ſit? *ibid. n.81*

Ampliandum ne ſit privilegium immunitatis? *pagin.473. n.83*

Quibus locis ſacris privilegium immunitatis conveniat; *ibid. n.84. cum ſequentibus.*

Quæ perſonæ gaudeant immunitatis privilegio? *p.475. n.89. cum ſequentibus.*

De privilegiis nova monaſteria fundandi conceſſis regularibus, ea mutandi, transferendi, deſerendi, vel etiam renuntiandi? *p.484. n.124. cum ſequentibus.*

De privilegiis eligendi judicem conſervatorem, regularibus conceſſis, *p.492. n.155. cum ſequentibus.*

Privilegia conceſſa regularibus ad eligentes in ſuis Eccleſiis ſepolturas ſepeliendos *p.506. n.204*

Qualiter privilegia de non ſolvenda quarta funerali proficere poſſint? *p.510. n.218*

Privilegia, quibus Carmelitæ Diſcalceati à ſolutione queſtæ funeralis eximuntur *p.511. n.219. cum ſequentibus.*

Nullum modo extat privilegium, ut regulares, ſine approbatione Epiſcopi poſſint ſæcularium confeſſiones audire, *p.527. n.42*

De privilegiis confeſſorum regularium in ordine ad abſolvendum proprios religioſos à caſibus reſervatis, *p.546. n.107. cum ſequentibus.*

De privilegiis, & obligationibus concionatorum regularium, *p.556. num.141. cum ſequentibus.* Vide *verb. Novitius. verb. Oraculum.*

Procurator.

An religioſus procurator eſſe poſſit? *pagin.175. num.63*

Quid dicendum de minoribus? *ibid.*

An prohibitio facta religioſis exercendi munus Iudicis, Advocati, & Procuratoris in judicio, ita ſit ſtricta, ut nec in unica cauſa permittatur illis hæc munera exercere? *ibidem, numero 64. & 65*

An officia Iudicis, Advocati, & Procuratoris, pro quorum licito uſu diximus requiri licentiam Prælati, nulla, & irrita ſint, ſi abſque tali licentia fiant? *ibid. n.66*

Poteſt in caſibus aliquibus religioſus aſſignare Procuratorem. Et quomodo expenſæ ſint illi à Monaſterio ſolvendæ? *p.176. n.76*

Vota facta per procuratorem an obligent? *p.183. num.119*

Proditor.

Homicida proditor an privetur immunitate? *p.478. & ſeq. n.103*

Profeſſio, Profeſſi.

Ad quid teneantur, qui in religione non approbata profitentur? *p.4. n.9*

An in uno ordine profeſſi, in alium intrare valeant? *p.45. n.46*

Vtrum fœmina invalide profiteatur in monaſterio virorum, & vir in monaſterio fœminarum? *ibid. n.48*

Si filius (idem cum proportione de parente) religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, profeſſio valida eſt, quamvis illicita, etiam ſi parentes, nedum gravi, ſed etiam extrema laborent neceſſitate, *p.46. n.50*

An ſi novitius cum quibuſdam impedimentis admittatur, vel quia ipſe cælavit illa, vel quia Prælatus contra ſui ordinis leges voluit admittere, ſit valida profeſſio cum illis facta? *p.48. n.62. & 63*

An poſſit religio profeſſum ejicere, qui impedimentum aliquod ex dictis doloſe cælavit? *p.49. num.64*

Quid nomine Profeſſionis intelligatur? *pag.63. num.1*

Duplex profeſſionis religioſæ acceptio, *pag.64. num.2*

An quacumque forma explicetur profeſſio ſemper ſit valida? *ibid. n.3*

Profeſſio ſemper debet abſoluta eſſe, & non conditionata. Sed quid ſi fiat ſub conditione? *ibid. n.4*

Ille, qui ſolum tacite profeſſus eſt, poteſt compelli, ut expreſſè profiteatur, *ibid. n.5*

Profeſſio tacita non obligat hominem illi religioni, in qua profitetur, ſed religioni in genere, ita ut libere poſſit tranſire ad aliam, etiam laxiorem, *ibid.*

An profeſſio expreſſa poſſit fieri per procuratorem? & qualiter? *ibid.*

Quando detur tacita profeſſio? *p.65. à n.6. uſque ad 9. incluſivè.*

Facienda eſt profeſſio in manibus ſuperioris, *p.66. num.* 10

Qui habeant poteſtatem ad dandam profeſſionem? *ibid. à n.10. uſque ad* 21. *incluſivè.*

An apud nos valida ſit profeſſio ante decimum ſeptimum, vel decimum octavum annum facta, etiam ſi in conſtitutionibus caveatur, ut ante talem ætatem non fiat? *p.67. n.16*

Ex quibus capitibus poſſit irrita reddi profeſſio? *p.69. n.22*

In dubio an profeſſio ſit valida, an valida cenſenda ſit? *ibid. n.23*

Profeſſio ex metu gravi facta, an ſit nulla? *p.70. num.26*

Si metus incutiatur Prælato admittendi ad profeſſionem, an vitietur profeſſio? *ibid.*

Error circa ſubſtantiam, tam ex parte profitentis, quam admittentis, an vitiet profeſſionem? *ibidem, n.27*

Error circa accidentalia, an irritet profeſſionem? *ibid. n.28*

Ficta, & doloſa profeſſio, an ſit nulla in foro interno? *ibid. n.29*

Lethaliter delinquit, qui abſque urgantiſſima cauſa doloſè profitetur. Et profeſſio abſque animo facta eſt nulla, *p.71. n.30*

Vera eſt profeſſio ejus, qui negativè non habet intentionem, ſed neque contrariam habet; ſecus vero ſi iſtam habeat, *ibid. n.31*

An ſit valida profeſſio ejus, qui non habet animum adimplendi promiſſum? *ibid. n.32*

An profeſſio nulla, ſaltem ut votum ſimplex obliget? *ibid. à n.33. uſque ad 36. incluſivè.*

Quomodo profeſſio nulla poſſit ratificari? *pag.72. à n.37. uſque ad 45. incluſivè.*

An per profeſſionem, pleniſſima omnium peccatorum condonatio acquiratur? *p.75. n.46*

Tollit profeſſio irregularitatem natalium, quoad ordines, non quoad prælaturas, *ibidem, numero* 48

Per profeſſionem an reddatur aptus ad teſtificandum, qui alias ineptus erat? *p.76. n.49*

Per profeſſionem an filiusfamilias patria poteſtate liberetur? *ibidem.*

Filius qui profitetur ante parentis mortem, an aboleat præteritam ingratitudinem, ob quam exhæredari poterat? *ibid.*

Dirimitur matrimonium antea contractum, ſi conſummatum non ſit per profeſſionem, *p.76. numero* 50

An vota omnia ipſo facto, abſque alia intentione per profeſſionem commutentur? *ibid.*

Quid dicendum de juramentis? *ibid. n.51*

Profeſſio an ſit indiſſolubilis? *p. 80. à n.1. uſque ad 4. incluſivè.*

Tam viris, quam fœminis licet reclamare, ſi nullitas profeſſionis adſit, & ſerventur conditiones requiſitæ ad reclamationem? *p.81. n.6*

Decretum Concilii, & conditiones pro reclamatione ab eo requiſitæ, *ibid. n.7*

Qui verè coram Deo eſt profeſſus, an poſſit reclamare? *ibid. n.8*

Dubius de profeſſione, an poſſit reclamare? *ibid.*

Quid dicendum de habente probabilitatem nullitatis profeſſionis? *p.82. n.8*

Qui ficte profeſſus eſt, an poſſit reclamare? *pagin.83. n.9.* & 10

Cujus expenſis debeat religioſus reclamare? *p.83. numero* 11

Quæ bona debeat reſtituere religio ei, qui per reclamationem probavit nullitatem? *ibid.*

An religio poſſit ejicere religioſum, de cujus nullitate profeſſionis conſtat? *ibid. n.12.* & 13

Quando poſſit audiri in reclamatione, qui habitum religioſum dimiſit? *p.84. n.14*

Coram quo ſuperiori debeant cauſæ nullitatis profeſſionis probari? *ibid. n.15*

Qui poteſt coram Eccleſia probare nullitatem profeſſionis, an licite queat fugere? *ibid. à n.16. uſque ad 19. incluſivè.*

Quo tempore poſſit religioſus reclamare ad probandam nullitatem profeſſionis? *p.68. à n.20. uſque ad 28. incluſivè.*

Promiſſorium.

Vide *verbo Iuramentum.*

Promulgatio. Publicatio.

An in privilegio neceſſaria ſit promulgatio, acceptatio, & notitia illius? *p.401. à n.63. uſque ad 69. incluſivè.*

Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur? *p.436. n.45. cum aliis ſequentibus.*

Propoſitum.

Fractio propoſiti, an ſit peccatum? *p.260. n.17.* & 18

Proprietarius.

Religioſus proprietarius, an privetur Eccleſiaſtica ſepultura? *p.504. n.193*

Protector.

Vtrum religionis protector habeat poteſtatem admittendi ad profeſſionem regulares exemptos? *p.66. n.10*

An Cardinales protectores habeant facultatem irritandi vota religioſorum? *p.350. n.39*

Provincia.

An poſſit obligari ſubditus, ut transferatur ad aliam provinciam? *p.154. n.97*

Provincialis.

Vtrum P. N. Provincialis poſſit per ſe ipſum facere decretum pro ſuo tempore irritans profeſſionem in aliquibus caſibus? *p.68. n.18*

An ſi Prælatus immediatus, unà cum conventu nolit admittere novitium ad profeſſionem, poſſit Provincialis eum admittere de conſenſu illius domus, in qua reſidet, ſupponendo eſſe diverſam ab ea, in qua peregit novitiatum? *ibidem, numero* 19

Puber, Pubertas.

Quando pubertas incipiat, & finiatur? *p. 351. numero* 44

Pupillus.

Vide *verbo Tutor.*

Q

QVARTA FVNERALIS.

QUartam funeralem, qui ſolvere teneantur? *p.510. n.217*
Qualiter privilegia de non ſolvenda quarta funerali proficere poſſint? *ibid. n.218*
Privilegia, quibus Carmelitæ Diſcalceati à ſolutione quartæ funeralis eximuntur, *p. 211. numero* 219. *cum ſequentibus.*
Plures ſententiæ in favorem Carmelitarum Diſcalceatorum de non ſolvenda quarta funerali, *p.513. n.217*
Quæ religiones ſint à ſolutione quartæ funeralis exemptæ? Et quid teneantur ſolvere? quæ illam reddere tenentur? *ibidem, numero* 228. *cum ſequentibus.*

R

RECVSATIO.

AN religioſis in aliquo caſu ſit permiſſa recuſatio ſuorum Prælatorum, vel alicujus ex illis? *p.163. n.21*

Redemptio.

Vide *verbo Simonia.*

Reductio.

Vide *verbo Miſſa.*

Reformatio.

An religioſus teneatur obedire Prælatis reformantibus regulam collapſam, eamque ut reformatam obſervare, ſi profeſſi ſunt, quando erat deformata? *pag.151. à n.80. uſque ad* 83. *incluſivè.*

Regula.

Regula quid ſit? *p.77. n.54*
In quo differat regula à conſtitutionibus? *ibid. numero* 55
An aliquam obligationem indocat regula? *ibid. à n.56. uſque ad* 59. *incluſivè.*
An omnes religioſi teneantur regolam, & conſtitutiones obſervare? *p.78. n.60*
Quæ implicite, & explicite in regula conſtitutionibuſque continentur, poſſunt præcipi à Prælato, *p.149. n.71*
An Prælatus contra regulam poſſit imperare? *ibid. n.72*
An poſſit Prælatus ſupra regulam mandare? *ibid. n.73*
Quibus caſibus aliquid præter regulam poſſit à Prælatis injungi? *ibid. n.74*
An poſſit Prælatus tempore neceſſitatis imponere ſubditis aliquas auſteritates ſpeciales, quæ non ſunt in regula expreſsè? *pag.150. numero* 75
Quando alicui religioſo particulari eas imponere Prælatus valeat? *ibid.*
An religioſus teneatur obedire Prælatis reformantibus regulam collapſam, eamque ut reformatam obſervare, ſi profeſſi ſunt, quando erat deformata? *p.151. à num.80. uſque ad* 83. *incluſivè.*
Vide *verbo Diſpenſatio.*

Regulares.

Aliquæ difficultates à Sacra Congregatione reſolutæ circa regulares, *p.453. n.19*
Vide *verbo Privilegium, verbo Exemptio, verbo Epiſcopus, verbo Impreſſio, verbo Immunitas, verbo Sepultura.*

Relaxatio.

Qui poteſt relaxare vota, etiam juramenta facta ſoli Deo; *p.340. n.1*

Religio.

Religio biſariam conſideratur, *in Proœmio, p.1*
Poſſitne Eccleſia veram religionem inſtituere cum ſolis votis ſimplicibus? *p.9. n.30*
Varietas religionum ad ornatum, & utilitatem Eccleſiæ non parum conducit, *p.19. n.72*
Omnes religiones in ſubſtantialibus conveniunt, *ibid. n.73*
Unde venanda ſit diverſitas religionum? *ibid. à n.74. uſque ad* 89. *incluſivè.*
Quinam ſint inhabiles ad aſſumendum habitum religionis licitè, & validè? *p.44. à num.42. uſque ad* 48. *incluſivè.*
An, & quomodo ob neceſſitatem parentum debeant filii retrahi à religione? *pag.45. à numero* 49
Utrum ſcelerati poſſint admitti ad religionem? *p.47. n.55*
Quid dicendum de Epiſcopis, & Archiepiſcopis? *p.48. n.57*
Quid aſſerendum de aliis Eccleſiaſticis? *ibidem, numero* 58
Quid dicendum de illegitimis? *ibid. n.59*
Quid affirmandum de Judæis, Sarracenis, Hæreticis? &c. *ibid. n.60*
Quid circa hoc ſpeciale habeatur in noſtra familia? *ibid. n.61*
Tranſitus ab una religione ad aliam communiter non eſt laudabilis, *p.93. n.45*
An ob aliquas cauſas aliquando ſit licitus talis tranſitus? *ibidem, à numero* 46. *uſque ad* 49. *incluſivè.*
Quæ religiones habeant ex privilegiis, quod ab ipſis ad alias non detur tranſitus? *pag.94. n.50. &* 51
Qui tranſit ad aliam religionem cum debita licentia, & ibi non profitetur, an debeat admitti à priori? *p.95. n.52*
Utrum liceat novitiatum, vel profeſſionem alicujus religionis ſuſcipere, animo firmo vel dubio tranſeundi ad aliam religionem, cum ſtudiorum curſum perfecerit, vel ad preſbyteratus ordinem promotus fuerit? *ibidem, numero* 54
Cujus ſint bona acquiſita per religioſum, qui de una in alteram religionem transfertur? *ibid. n.55*
Quæ conditiones ſervandæ ſint in tranſitu ad ſtrictiorem religionem, ut licitus, & validus ſit? *ibid. à n.56. uſque ad* 67. *incluſivè.*
Tranſitus ad religionem laxiorem abſque debita licentia eſt nullus, *ibid. n.69*
Cauſæ ob quas poteſt dari licentia tranſeundi ad religionem laxiorem, *p.99. n.71*
Qui jam legitimam licentiam obtinuit tranſeundi ad laxiorem religionem determinatam, poſſitne ad aliam ſtrictiorem tranſire, ſive ſit ſtrictior illa, à qua recedit, ſive ſit ſtrictior illa,

ad quam tranſeundi habet poteſtatem? *pagin.* 100. *n.* 75

Pœnæ ſtabilitæ contra tranſeuntes à mendicantibus ad non mendicantes, *p.* 101. *à num.* 78. *uſque ad* 80. *incluſivè.*

Ob quas cauſas poteſt religioſus valide profeſſus à religione expelli? *p.* 103. *à n.* 87. *uſque ad* 91. *incluſivè.*

Vide *verbo Votum*, *verbo Quarta funeralis.*

Religioſus.

Teneaturne religioſus ſub mortali ad perfectionem tendere? *p.* 3. *n.* 16

Speciales caſus aſſignantur, in quibus religioſus peccat mortaliter contra obligationem, quam habet tendendi ad perfectionem, *pagin.* 6. *à numero* 20

An cæteri paribus, gravius peccent religioſi in eodem genere peccati, quam ſæculares? *p.* 78. *numero* 62

Religioſus Beneficiarius factus an liberetur ab obſervantiis? *p.* 92. *n.* 40

An religioſus beneficiarius teneatur ſocium ſuæ religionis habere? *ibid. n.* 41

Ad quem pertineant bona regularium, qui beneficia habent? *ibid. n.* 42

Ob quas cauſas poſſit religioſus valide profeſſus à religione expelli? *pag.* 103. *à n.* 87. *uſque ad* 91. *incluſivè.*

An religioſi expulſi votis ſubſtantialibus maneant ligati? *p.* 105. *n.* 92

Expulſus, ſi ad religionem redeat, non indiget novo anno novitiatus, nec nova profeſſione, *ibid. n.* 93

An iterum receptus eundem gradum antiquitatis, quoad ſedem, locum ſuffragia, debeat retinere, quem habebat ex profeſſione? *ibid.*

Licet expulſus ad vota ſubſtantialia religionis teneatur, non tamen tenetur ad alia vota profeſſioni annexa, quæ in aliquibus religionibus emittuntur, *ibid. n.* 94

Similiter à reliquis obſervantiis, & auſteritatibus religionis, jejuniis, abſtinentiis, orationibus, etiamſi ſub peccato mortali à regula præcipiantur, liberi ſunt, quandiu extra gremium religionis permanent, *ibid.*

Religioſus expulſus (niſi ſit in ſacris conſtitutus) non tenetur horas canonicas recitare? *p.* 106. *n.* 95

An teneatur habitum religionis deſerre? *ibid.*

An teneatur religio alimenta præbere religioſo expulſo? *ibid.*

Ad quid teneantur religioſi damnati ad triremes? *ibid. n.* 96

Quomodo vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ teneatur religioſus expulſus obſervare? *ibid. à n.* 97. *uſque ad* 99. *incluſivè.*

Cui competant bona religioſi expulſi, poſt mortem? *p.* 107. *n.* 100

An religioſus expulſus per legitimam ſententiam, teneatur in ſæculo manens (ex vi ſuæ profeſſionis) ſe corrigere, & ita vivere, ut dignus efficiatur, quod iterum admittatur? Et ſi religio eum velit ad ſuum gremium reducere, teneantur ex vi voti obedientiæ, & ex obligatione profeſſionis iterum ad religionem redire? *ibid. n.* 101. & 102

An religioſi expulſi poſſint in ſæculo manentes munus prædicandi exercere, & confeſſiones audire? *ibid. n.* 103

An religioſus expulſus ſit infamis, & irregularis? *ibid.*

An religioſus expulſus ab uno ordine poſſit ad alium abſque licentia tranſire? *ibid. n.* 104. & 103

An teneatur religio expulſos religioſos quærere, eos alere, & ſi humiliter jam correpti petant, eos recipere? *p.* 111. *n.* 118

An religioſus expulſus recipere poſſit beneficia? *p.* 112. *n.* 120

Juris civilis ſtudium, & exercitium Chirurgiæ, & Medicinæ an ſint religioſis probibita? *p.* 124. *n.* 172

An aliquam pœnam in his caſibus incurrant? *ibidem.*

Omnia pacta religioſorum, & omnis promiſſio etiam juramento firmata, poſſunt à ſuis prælatis irritari, *p.* 341. *n.* 3

An religioſi reſpectu ſuorum prælatorum gaudeant immunitatis privilegio? *p.* 476. *numero* 92. & 93

Religioſi de licentia ſuorum Prælatorum, Sacerdoti ſimplici, an poſſint confiteri? *p.* 326. *numero* 49

Vide verbo *Clauſura.* verbo *Apoſtata.* verbo *Habitus.* verbo *Triremes.* verbo *Carcer.* verbo *Religio.* verbo *Dominium.* verbo *Curator.* verbo *Tutor.* verbo *Appellatio.* verbo *Judex.* verbo *Advocatus.* verbo *Procurator.* verbo *Tabellio.* verbo *Actor.* verbo *Teſtis.* verbo *Reus.* verbo *Fidejuſſor.* verbo *Depoſitarius.* verbo *Teſtamentarius.* verbo *Commiſſarius.* verbo *Miſſa.* verbo *Hora Canonica.* verbo *Exemptio.* verbo *Epiſcopus.* verbo *Confeſſarius.* verbo *Approbatio.*

Reliquia.

De Sanctis, quorum adeſt in Eccleſia reliquia; an, & quando recitari poſſit? *pag.* 206. *numero* 35. & 36

Renunciatio.

Qualiter per renunciationem ceſſet privilegium? Et qui poſſint privilegiis renuntiare? *p.* 425. *num.* 5. & 6

Qualis acceptatio Principis requiratur, ut privilegium per renunciationem ceſſet? *p.* 426. *numero* 7

Quis renunciationem acceptare poſſit? *ibidem, numero* 8

In dubio, an quis renunciaverit, vel non, quid dicendum? *ibid.*

Ob renunciationem tacitam, ſine animo renunciandi non amittitur privilegium; *pag.* 429. *numero* 18

Privilegio uti poteſt per ſententiam condemnatus ad amiſſionem illius, qui animum renuntiandi non habet, *ibid. n.* 19

Vide *verbo Novitius.*

Reſcriptum.

Quid ſit reſcriptum gratiæ, & juſtitiæ? *p.* 421. *numero* 139

Si reſcriptum ſit juſtitiæ, ſeu juriſdictio delegata, an expiret finita juriſdictione in delegante? *p.* 422. *n.* 142

Reſcriptum gratiæ, an ſpiret morte concedentis? *ibid. n.* 143

Si

Si à Pontifice, vel ejus legato detur reſcriptum, & mandatum, ut Petrus provideatur in aliquo beneficio, tunc jam vacante, talis gratia adhuc re integra, non ſpirat, etiamſi concedens ante proviſionem moriatur, *p.423. numero* 148

Si reſcriptum gratiæ conceſſum ſit pro aliquo tempore limitato v. g. pro ſpatio unius anni (ut ſunt privilegia Bullæ Cruciatæ) valet per totum annum, etiamſi intra illud moriatur concedens, *ibid.*

An reſcriptum gratiæ ſpiret morte privilegiati, vel reſcriptum juſtitiæ morte delegati; aut ejus finito officio, *ibid. n.*150

Reſervatio.

Quæ vota ſint reſervata Summo Pontifici? *p.*366. *n.*99. & 100

An in his votis reſervatis poſſit Epiſcopus, vel alius Prælatus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens, diſpenſare in aliquo caſu? *ibidem, n.*101

Quæ conditiones requirantur, ut vota reſervata Pontifici, vere cenſeantur reſervata? Ubi quam plures caſus examinantur, & deciduntur, *p.*167 *à n.*101. *uſque ad* 107. *incluſivè.*

An juramenta Deo præſtita religionis, caſtitatis; & triplicis peregrinationis, ſint etiam reſervata Summo Pontifici, ſicut vota de illis? *p.*368. *n.*108

An ſi quis à Summo Pontifice, vel alio, de ejus commiſſione accipiat commutationem voti reſervati; quia in aliud votum, aut materiam commutatum eſt, hoc ſecundum reſervatum ſit, ita ut nequeat ab alio, quam à Papa relaxari? *ibid. n.*109

An votum caſtitatis, vel religionis, &c. conditionale, ſit reſervatum? *p.*369. *à n.*110. *uſque ad* 115. *incluſivè.*

An ſi quis per Bullam, privilegium, vel Jubilæum, facultatem accipiat abſolutam diſpenſandi, aut commutandi omnia vota, talis facultas etiam extendatur ad reſervata? *p.* 370. *num.* 116

Facultas conceſſa confeſſario ad abſolvendum à reſervatis, an late ſit explicanda? *p.*405. *numero* 80

An ignorantia excuſet à reſervatione? *p.*389. *& ſeqq. n.*14. *cum ſequentibus.*

De privilegiis Confeſſorum regularium in ordine ad abſolvendum proprios religioſos à caſibus reſervatis, *p.*413. *n.*107

An poſſint Prælati (& idem eſt de reliquis regularium confeſſariis) ſuos ſubditos, vel ſæculares abſolvere à caſibus, vel cenſuris, quas Epiſcopi ſibi in ſpecie reſervant? *p.*516. *n.*3. *cum ſequentibus.*

A quibus caſibus; & cenſuris reſervatis poſſent regulares Confeſſarii ſæculares abſolvere? *p.*549. *n.*117. *cum ſequentibus.*

Revocatio.

Diverſæ clauſulæ explanantur, quæ ſolent in privilegiis Pontificum reperiri, vel in eorum confirmationibus, & revocationibus? *p.*395. *n.*38. *cum pluribus ſequentibus.*

Qualiter per revocationem privilegia ceſſare queant, & quis ea revocare valeat? *p.*431. *n.*26. *cum ſequentibus.*

An privilegia regularium revocentur, vel ſuſpendantur per Bullam Cruciatam, ubi iſta publicatur? *p.*432. *n.*31

An per Jubilæum anni ſancti revocentur privilegia communia religionum? *ibidem.*

Dicendum eſt per Bullam Cœnæ revocari modo omnia privilegia regularium, quæ ſunt contraria Bullæ Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis publicatur, *ibidem.*

In dubio non præſumitur privilegia regularium eſſe revocata, niſi de revocatione conſtet, *p.*433. *n.*36

Qualiter revocanda ſunt privilegia, ut debitum effectum ſortiatur revocatio? *p.*434. *n.*38. *cum aliis ſequentibus.*

Vivæ vocis oracula per revocationem generalem privilegiorum, an intelligantur revocata? *p.*435. *n.*40

Quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum judicetur? *p.*436. *n.*45. *cum aliis ſequentibus.*

Revocationes oraculorum factæ à Greg. XV. & Urbano VIII. proponuntur, *p.*437. *numero* 51

An privilegium conceſſum per Bullam uni religioni, & alteri communicatum ſolum per oraculum, revocatum ſit per dictas revocatorias, reſpectu illius religionis, cui fuit ſolum per oraculum conceſſum? *p.*438. *n.*55

An privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, & poſtea confirmatas per Bullas, tranſierint in privilegia bullata, taliter, quod per revocationes dictas oraculorum, non ſint revocata? *p.*439. *n.*56. *cum aliis ſequentibus.*

Qualiter oracula, quæ ſortita ſunt ſuum effectum ante revocatorias, non ſint per illas abrogata? *p.*441. *n.*65. *cum aliis ſequentibus.*

An per confirmationem ex certa ſcientia; & de plenitudine poteſtatis, reſtaurentur privilegia revocata per jus commune, vel per Concilium aliquod generale; abſque eo, quod de tali revocatione fiat expreſſa, & ſpecifica mentio? *p.*444. *n.*73

Vide *verbo Privilegium*, *verbo Confeſſarius*;

Reſtitutio.

An, & quid reſtituere debeat, qui aliquem vi, aut fraude avertit à religione? *p.*43. *n.*38

An acquiſita per ſimoniam debeant reſtitui? & cui reſtitutio facienda? *p.*635. *n.*22. *cum ſequentibus.*

Reus.

In cauſis civilibus non poteſt religioſos, neque ut actor, neque ut reus in judicio comparere? *p.*175. *n.*73

An reus juridicè derogatus à judice (& idem eſt de teſti) peccet mortaliter utendo amphibologiis in confeſſione, aliter reſpondendo verbis, ac intelligit, qui juridice interrogat? *p.*332. *n.*146

An reus (idem de teſte) legitime à judice interrogatus, ita ut mortaliter teneatur abſque ambiguitate rerum dicere, ſi negavit veritatem, aut amphibologicis verbis ſubtexuit, abſolvi non poſſit à Confeſſario, niſi iterum ſponte redeat ad judicium, ad detegendum ſincere veritatem, etiamſi iterum non rogetur? *p.*133. *n.*147

S

SACRAMENTUM.

Vide *verbo Simonia.*

Sacramentalia.

Vide *verbo Simonia.*

Sacrilegus.

Sacrilegus, an gaudeat immunitate? *pag.* 480. *numero* 108

Sarracenus.

An immunitas Eccleſiæ proſit Sarracenis? *pagin.*480. *num.*90

Scientia.

Vide *verbo Simonia.*

Scriba.

Juramentum ſcribarum de ſervanda taxa an obliget? *p.*317. *n.*83

Stipendium lege taxatum pro ſcribis, an ſit ſufficiens? *p.*318. *n.*84. & 85

Sepultura.

Quid ſit ſepultura Eccleſiaſtica? *p.*500. *n.*179

Quando committitur ſimonia Eccleſiaſticam ſepulturam vendendo? *ibid. n.*180

An in ſepultura propria alicujus, poſſit alter ſepeliri? *ibid. n.*181

Qui poſſint eligere ſepulturam? *p.*501. *n.*182

Qualiter electio ſepulturæ ſit probanda? *ibid. numero* 183

In quo ſepulchro ſepeliendus eſt, qui non elegit ſepulturam? *ibid. n.*184. *cum ſequentibus.*

Pœnæ contra inducentes ad promiſſionem electionis ſepulturæ in ſuis Eccleſiis, *pag.* 502. *n.*189. & 190

An extrahentes aliquod corpus à ſepultura pœnam aliquam incurrant? *p.*503. *n.*191

Quibus ex jure neganda ſit ſepultura Eccleſiaſtica? *ibid. n.*192

Quod peccatum committant, & quas pœnas incurrant ſepelientes defunctum in loco ſacro in dictis caſibus prohibitis? *pag.*506. *n.*201. *cum ſequentibus.*

Privilegia conceſſa regularibus ad eligentes in ſuis Eccleſiis ſepulturas, ſepeliendos, *ibid. numero* 204

Parrochi, qui impediunt, quod fideles apud regulares ſepeliantur, an peccent? Et quam pœnam incurrant? *p.*507. *n.*205

Qualiter ſe gerere debeant regulares cum Parrochis, quando aliqui ſepeliendi ſunt in eorum Eccleſiis? *ibid. n.*207

Qui eligunt ſepeliri cum habitu religionis, cum eo ſunt ſepeliendi? *p.*508. *n.*209

Sepeliendus cum habitu religionis, eligere poteſt ubi voluerit ſepulturam, *ibid. n.*210

A quo fieri debeat officium ſuper cadavera tumulanda in regularium Eccleſiis? *ibid. numero* 211. & 212

Sæcularis in monaſterio moriens ubi ſit ſepeliendus? *p.*509. *n.*213

Servus.

An ſervi recipi valeant in religione abſque Domini conſenſu? *p.*44. *n.*43

An ſit profeſſio valida contra voluntatem Domini? *ibid. n.*44

Quæ vota ſervi, Dominus irritare valeat? *p.*341. *n.*5. & à *n.*60. *uſque ad* 63. *incluſivè.*

Simonia.

Quibus caſibus aliquid recipere, vel profeſſione non ſit ſimonia? *p.*35. *n.*4

Quando committitur ſimonia Eccleſiaſticam ſepulturam vendendo? *p.*500. *n.*180

Quid ſit ſimonia? *p.*564. *n.*1

Quæ perſonæ poſſint contrahere crimen ſimoniæ? *p.*566. & *ſeqq. n.*9. & 10

Multiplex diviſio ſimoniæ, & an ſit ex jure divino, vel Eccleſiaſtico prohibita? *pag.*567. *n.*11. *cum aliis ſequentibus.*

De pretio, quod pro re ſpirituali oblatum conſtituit ſimoniam, *p.*571. *n.*22. *cum ſequentibus.*

An inter munera à manu ſit computandum mutuum? ita ut mutuans pecuniam pro obtinendo beneficio, aliave ſpirituali re, vel è contra dare beneficium ſub conditione pecuniæ mutuandæ ſit ſimonia? &c. *p.*574. *num.*34. *cum ſequentibus.*

An ſimonia ſit dare beneficium titulo conſanguinitatis, vel affinitatis? *p.*575. *n.*37. & 38

An inter munera à manu penſio ſolvenda computetur? ita quod ſit ſimonia, ſi Epiſcopus, aut alius elector conferens alicui beneficium conveniat cum eo, vel cum alio tertio de admittenda penſione ſibi, vel alteri alias non collaturus? &c. *ibid. n.*39

An ſimonia ſit alicui promittere, donare, aut legare rem temporalem, ac pretio æſtimabilem ſub conditione, aut modo, ut ab eo obſequium ſpirituale præſtetur, non per modum retributionis, ſeu commutationis in commodum rem ſpiritualem cedentis? *p.*576. *numero* 40. & 41

An ſimonia ſit alicui conferre beneficium, vel aliud ſpirituale cum pacto, ut beneficiarius præter aliquod onus, vel obſequium; vel ad aliquid aliud obligetur, quod non erat annexum beneficio, nec ex vi collationis illius conſequutum? *ibid. n.*42. *cum ſequentibus.*

An ſi quis pecuniam daret, non quidem Collatori beneficii, vel ordinis; ſed mediatori, interceſſori, miniſtro, famulo, alterive perſonæ, ut preces, vel interceſſionem interponerent cum Epiſcopo, ut ab eo ordinationem, vel beneficium reciperat, ibi ſimonia committatur? *p.*578. *n.*49. *cum ſequentibus.*

An ſimonia ſit, ſi aliquis promittat alicui magnam ſummam pecuniarum, quam expendet in pia aliqua opera, vel certe pro eleemoſyna alicujus monaſterii erogavit, ſi pro eo intercedat, preces fundat, aut alio modo ab Epiſcopo impetret, quod intendit? *p.*580. *n.*55. *cum ſequentibus.*

An res purè ſpiritualis, ut eſt gratia ſanctificans, & aliæ per eſſentiam ſpirituales ſint materia ſimoniæ? *p.*585. *n.*1. *cum ſequentibus.*

An venditio, aut emptio Sacramentorum, vel ſacramentalium ſit ſimonia? *p.*586. *n.*6. *cum ſequentibus.*

An pro labore reperto in adminiſtratione Sacramentorum, & aliarum functionum ſpiritualium aliquid recipere, ut pretium, ſit ſimonia? *p.*589. *n.*18. *cum ſequentibus.*

Utrum pro actibus virtutum vel omiſſione, vel

illorum

illorum carentia, vel privatione, aliquid temporale, ut pretium accipere ſit ſimonia? *p.592. n.15. cum ſequentibus.*

An ſit ſimonia emere, aut vendere, actus juriſdictionis ad poteſtatem Eccleſiaſticam pertinentes? *p.593. n.30. cum ſequentibus.*

Utrum pro uſu ſcientiarum pretium accipere, ſimonia ſit? *p.595. n.38. cum ſequentibus.*

Sitne ſimonia aliquid temporale quomodocumque in pactum deducere pro ingreſſu in religionem? *p.598. n.46. cum ſequentibus.*

Sitne ſimonia, & quo jure, vendere beneficia Eccleſiaſtica? *p.601. n.56. cum ſequentibus.*

An habitus, & commendæ ordinum militarium abſque ſimonia vendi, aut emi poſſint? *p.603. n.64. cum ſequentibus.*

Utrum præſtimonia, vel penſiones vendi, vel redimi poſſint ſine ſimonia? *p.604. n.67. cum ſequentibus.*

An jus patronatus, vendi, & alienari poſſit abſque ſimoniæ labe? *p.606. num.75. cum ſequentibus.*

Utrum poſt acquiſitum jus in re ſpirituali, vexationem circa illud tollere ſit ſimonia? *pagin.609 n.1. cum ſequentibus.*

Utrum redimere vexationem ante jus acquiſitum in re ſpirituali ſit ſimonia? *p.611. n.9. cum ſequentibus.*

Qualiter beneficia inter ſe abſque ſimonia valeant permutari? *p.615. n.21. cum ſeqq.*

An tranſactio, ſeu pactio oneroſa ad componendam litem in beneficiis habeat rationem ſimoniæ? *p.619. n.38. cum ſequentibus.*

Qualiter renuntiationes beneficiorum abſque ſimonia fieri poſſint? *p.622. n.49. cum ſeqq.*

An reſignatio beneficiorum confidentialis ſit ſimonia, & quibus pœnis ſubjaceant? *pagin.625. n.61. cum ſequentibus.*

Quænam ſint pœnæ in jure appoſitæ contra ſimoniacos, & a quibus tales pœnæ incurrantur? *p.629. n.1. cum aliis ſequentibus.*

An acquiſita per ſimoniam debeant reſtitui? Et cui reſtitutio facienda ſit? *p.635. n.22. cum ſequentibus.*

Quis poſſit in ſupradictis pœnis diſpenſare? *p.638. n.33. cum ſequentibus.*

Simoniacus.

Simoniacus an gaudeat immunitate? *pagina 488. numero 108*

Societas Jeſu.

In Societate Jeſu efficiuntur veri religioſi, qui poſt biennium probationis emittunt vota ſimplicia, *p.9. n.31*

Per vota ſimplicia Coadjutorum formatorum Societatis Jeſu, non diſſolvitur antecedens matrimonium ratum, *ibid.*

Religio Societatis Jeſu inter mendicantes eſt computanda? *p.10. n.76*

An ſit de eſſentia novitiatus Societatis Jeſu, ut in peculiari habitu Religionis ſuſceptæ, novitiatus habeatur? *p.36. n.7*

In Societate Jeſu ſolus Generalis per ſe, vel per alium, poteſt admittere novitium, *pag.42. numero 33* a

Habetur privilegium Societatis Jeſu, ut poſſit profeſſis concedere tranſitum ad quamlibet religionem, *p.100. n.75*

An hoc privilegium aliis religionibus communicetur? *ibid.*

Privilegiis conceſſis Societati, an ipſa uti poſſit abſque licentia ſui Generalis? *p.412. n.104*

Sodomita.

Sodomita an gaudeat immunitate? *p.480 n.108*

Sponſa.

Si ſponſa duodenis tranſeat ad religionem, expectandum eſt per quadriennium ab ipſo ſponſo in ſæculo manente, antequam poſſit matrimonium de novo contrahere, *p.41. n.28*

Sponſalia.

Votum ſimplex caſtitatis, an irritet ſponſalia? *pag.139. num.28*

Status.

Status ſtricte ſumptus, quid ſit? *in Proœmio, pag. 1*

Status religioſus à religione dicitur, *ibid.*

Quid ſit ſtatus religioſus? Et quid ſit ad illum eſſentialiter petitum? *p.2. à n.1*

Sitne de eſſentia ſtatus religioſi ſolemnitas votorum ſubſtantialium? *p.9. à n.30*

Superſtitioſus.

Superſtitioſus, an gaudeat immunitate? *p.480, num.108*

Surdus.

An cæcus, aut ſurdus, à reſidentia excuſetur, & non aſſiſtens choro poſſit diſtributiones lucrari? *p.245. n.18*

Suſpenſus.

Suſpenſus, gaudeatne privilegio immunitatis? *pag.475. num.89*

T

TABELLIO.

AN religioſus officium tabellionis exercere poſſit? *p.174. n.67. & 68*

Tertiaria.

An tertiariæ communicent in aliquibus religioſorum? *p.409. n.94*

Teſtamentum.

An religioſus cum licentia Prælati poſſit eſſe teſtamentarius? *p.177. n.83*

Quis prælatus poſſit licentiam præbere, ut religioſus fiat teſtamentarius? *ibid. & ſeq. n 84*

An teneantur religioſi rationem reddere Epiſcopis de executione teſtamentorum ab ipſis ſuſcepta? *p.178. n.85*

Executio teſtamenti à regularibus facta ſine licentia an ſit valida? *ibid.*

An religioſus abſque licentia Prælati poſſit licite eligi à teſtatore, ut commiſſarius ad condendum teſtamentum, eligendos executores, nominandaſque perſonas, quibus legata diſtribuenda ſunt, aliaque exequenda munera propria Commiſſarii? *ibid. n.86*

Facultas teſtandi conceſſa Epiſcopis à Papa, an ſpiret morte Pontificis? *p.413. n.147*

An poſſint Epiſcopi viſitare teſtamenta, & illorum reddere rationem teneantur regulares,

quando monaſteria eorum hæredes relinquuntur univerſales? *p.459. n.40. cum ſequentibus.*
Vide *verbo Novitius.*

Teſtis.

An religioſus teſtis eſſe poſſit? *p.174. à num.69. uſque ad 72. incluſive.*
Quando, & à quo poſſit religioſus cogi ad teſtificandum? *p.175. n.71*
Si judex laicus cõgeret regulares ad teſtificandum coram ipſo in cauſis, ſive civilibus, ſive criminalibus incideret in excommunicationem 15. Bullæ Cœnæ latam contra trahentes perſonam Eccleſiaſticam ad ſuum tribunal, *ibid.*
Teſtis falſus, an gaudeat immunitate? *pagin.480. num.108.* Vide *verbo Reus.*

Tranſactio.

Vide *verbo Simonia.*

Tranſitus.

Vide *verbo Religio.*

Triremes.

An prælati mittere poſſint ad triremes ſubditos criminoſos? *p.122. n.164.* & 165
A triremibus ad religionem iterum redeuntes non poſſunt ad altare, ſine diſpenſatione admitti, *ibidem.*
An ſint infames? *ibid.*
An ſint irregulares? *ibid.*
Poſſitne Prælatus regularis diſpenſare in hac irregularitate? *ibid.*
An damnati ad triremes teneantur officium divinum recitare? *p.208. n.4*
Vide *verbo Religioſus.*

Tutela, Tutor.

V

VEXATIO.

Vide *verbo Simonia.*

Vicarius.

An religioſi (exceptis Franciſcanis) poſſint eſſe Vicarii Epiſcoporum? *p.175. n.62*
In erigendis monaſteriis, an Vicarius Epiſcopi, vel Vicarius Capitularis licentiam præſtare valeat? *p.485. n.126*
Vicarii Generales Epiſcoporum, an aliquando poſſint eſſe Conſervatores? *p.495. n.160*
Vicarius conventuum non habentium Priores an poſſint eligi aliquando in Conſervatores? *ibid. numero 163*
Quid dicendum de Vicariis habentibus in ſuis monaſteriis ſupra ſe alium ſuperiorem? *ibid.*
Vide *verbo Epiſcopus.*

Violator.

Violatores virginum, an gaudeant immunitate? *p.480. n.108.* Vide *verbo Immunitas.*

Virginitas, Virgo.

Violatores virginum, an gaudeant immunitate? *p.480. n.108*
Vide *verbo Caſtitas.*

Viſitatio.

Vide *verbo Epiſcopus.*

Votum.

Voti ſolemnitas eſt ab Eccleſia introducta, *p.10. numero 36*
In quo conſiſtit ſolemnitas votorum? *ibid. n.37*
Votum ſimplex, & ſolemne ſunt ejuſdem ſpeciei, *p.11. n.38*
Votum ſolemne in profeſſione emiſſum non diſſolvit ex natura rei antecedens matrimonium ratum, nec dirimit ſubſequens ex natura ipſius, ſed ſolum ex jure Eccleſiaſtico, *ibid. n.39*
Votum ingrediendi religionem eſt quid bonum, & laudabile, *p.23. n.1*
Ad quid teneatur, qui votum religionis emiſit? *ibid. n.2.* & 3
An vovens ingrediendi religionem ſtrictiorem ſatisfaciat ſuæ obligationi laxiorem ingrediendo? *p.24. n.4.* & 5
Ad quid teneatur, qui religionem in genere vovit, vel aliquam in particulari? *ibid. à num.6. uſque ad 8. incluſivè.*
Ad quid teneatur, qui determinatum monaſterium ingredi promiſit? *p.25. n.9*
An, ſi quis abſolute, & ſimpliciter, legitime repellatur, & poſtea invitetur, teneatur illam ingredi, ac ſi non eſſet repulſus? *ibid. n.10.* & 11
An, qui vovit ingredi religionem, teneatur ut laicus intrare, ſi non admittatur ut clericus? *p.26. n.13*
An teneatur *votum habens religionis litteras, vel* artem addiſcere, ut admittatur? *ibid. n.14*
Ad quid teneatur, qui votum religionis, ante matrimonium, quod poſtea contraxit, emiſit, vel poſt matrimonium conſummatum tale votum fecit? *ibid. à n.15. uſque ad 17. incluſivè.*
Vtrum habens votum religionis ſatisfaciat ſuæ obligationi Epiſcopatum admittendo? *p.27. n.18*
Ad quid teneatur, qui emiſit votum perſeverandi in religione? *ibid. n.19*
Ad quid teneatur, qui ſolum habet votum ingrediendi? *ibid. n.20*
Ad quid teneatur, qui votum religionis in genere emiſit? *p.28. n.21*
Ad quid obligetur, qui poſt votum religionis, ficto animo intravit? *ibid. n.22*
Qui poſt votum religionis habitum ſuſcepit, poſſitne abſque cauſa liberè voto exire? *ibidem, n.23.* & 24
An ſi habens votum profitendi à religione expellatur maneat liber ab obligatione voti? *ibidem, n.25.* & 26
An qui votum habet perſeverandi in religione, non amplius obligetur, qui ſolum habet votum ingrediendi? *p.29. n.27.* & 28
Quo tempore urgeat obligatio voti emiſſi ingrediendi religionem? *p.30. à n.29. uſque ad 35. incluſivè.*
Quibus modis ceſſare poſſit voti religionis obligatio? *p.31. à n.36. uſque ad 45. incluſivè.*
An vota omnia ipſo facto abſque alia intentione per profeſſionem commutentur? *p.76. n.50*
Diverſæ acceptiones voti recenſentur, *p.257. n.5*
Diffinitio voti proponitur, *ibid. n.6*
Votum an emitti poſſit abſque verbis aut ſignis? *p.258. n.7*
An votum conſiſtat in actu intellectus? *ibid. n.8*
Quæ deliberatio ſufficiat, & requiratur ad votum? *ibid. à p.9. uſque ad 15. incluſivè.*

Qui

Qui animo non ſe obligandi vovet, utrum maneat obligatus, vel voto ligatus? *p.262. à n.24. uſque ad 26. incluſivè.*

Quale erit peccatum ab que debito animo votum emittere? *ibid. n.27*

Qualiter votum ſoli Deo fieri debet? Vbi de votis factis Sanctis, aut Prælatis, *p.263 n.28.* & 29

Vtrum queat eſſe materia voti res alia præcepta? Vbi, quomodo intelligatur illa particula, *de meliori bono*, explicatur, *ibid. à num.30. uſque ad 36. incluſivè.*

Votum contra conſilia an ſit validum, vel licitum? *p.265. n.37*

An votum, vel juramentum factum Deo de contrahendo matrimonio ſit validum? *p.266. à n.38. uſque ad 45*

An votum non vovendi ſit validum? *p.267. à numero 46*

Votum factum contra prius votum, an ſit validum? *p.268. n.47*

An votum non petendi diſpenſationem, commutationem, aut irritationem ſit validum? *ibid. à n.48. uſque ad 52. incluſivè.*

Quid dicendum de aliis particularibus votis? *pagin.269. n.53.* & 54

Suntne valida vota de rebus inutilibus, & indifferentibus? *ibid. à n.55. uſque ad 58. incluſivè.*

An ſit validum votum de re prava? *p.270. n.59. cum aliis ſequentibus.*

Quomodo ſit explicandum votum Iepte de occiſione filiæ? *p.270. n.61*

Qualiter votum de macerationibus corporis obliget? *p.271. n.62*

Quomodo valeat votum non peccandi, niſi cum tali fœmina? *ibid. n.63*

Votum jejunandi diebus Dominicis an ſit validum? *ibid. n.64*

Si quis voveret in vigilia alicujus Sancti jejunare, & tale Feſtum feria ſecunda veniret, qua die ſit jejunandum? *ibid.*

Qui votum haberet jejunandi omnibus vigiliis B. Virginis, ſi incideret feſtum Annunciationis feria tertia, aut quarta Paſchæ, aut etiam feria ſecunda, quid tunc voto illo ligatus facere poſſit? *ibid.*

An votum emiſſum de re bona, ſed ob finem pravum, ſit validum, & obligatorium? *ibid. à n.65. uſque ad 69. incluſivè.*

An ſit validum votum propter res temporales à Deo obtinendas? *p.272. n.70*

Quale peccatum ſit, Deo, quod malum eſt, per votum promittere? *p.273. n.71.* & 72

Sitne apta materia voti res impoſſibilis phyſicè, aut moraliter? Vbi de voto nunquam peccandi agitur, *ibid. à n.73. uſque ad 85. incluſivè.*

Multiplicitas votorum, illorumque differentiæ, *p.276. à n.86. uſque ad 92. incluſivè.*

Votum ex natura ſua an obliget ſub lethali? *p.278. n.93.* & 94

Melius eſt opus factum cum voto, quam ſine illo, *ibid. n.95*

An expediens ſit votum facere? *ibid.*

Quæ differentia ſit quoad hoc inter votum, & juramentum? *ibid. à n.96. uſque ad 99. incluſivè.*

Ad quod præceptum Decalogi pertineat tranſgreſſio voti? *p.279. n.100*

An omnes fractiones votorum ſint ejuſdem ſpeciei? *ibid. à n.101. uſque ad 104. incluſivè.*

Vnde gravitas, vel levitas materiæ ſumenda ſit in voto? *p.280. n.105*

Si materia levis ſit, non poteſt vovens ſe graviter obligare, *ibid. n.106*

An ſuppoſita gravitate ex parte materiæ, poſſit obligatio voti limitari ad ſolum veniale ex intentione voventis, ita ut ſit validum votum, quo vovens promittit rem gravem animo ſe ſolum obligandi ſub peccato veniali? *ibidem, à n.106. uſque ad 111. incluſivè.*

An quando adæquata materia, ſeu totalis voti, eſt prava, & levis, ejus tranſgreſſio ſit mortalis? *p.282. à n.112. uſque ad 115. incluſivè*

Poſſitne obligatio voti, aut juramenti tranſire ad alios? Vbi ſpecialis caſus examinatur, *p.283. à n.116. uſque ad 127. incluſivè.*

Quo tempore urgeat obligatio voti? *pag.285. à n.128. uſque ad 132. incluſivè*

Quot modis voti determinatio contingat? *p.286. numero 133*

Qualiter indeterminatum votum ſit inter præſtandum? *ibid. n.134*

Qualiter votum ſacrum audiendi, ſit interpretandum? *p.287. n.135*

An qui promiſit ſingulis diebus ſacrum audire, teneatur die feſto audire duas miſſas? *ibid.*

Qualiter obliget votum recitandi roſarium? *ibid. n.136. cum duplici ſequenti.*

Votum determinatum, quoad quantitatem, & qualitatem, qualiter interpretandum? *p.288. n.140*

Votum indeterminatum in individuo qualiter determinandum? *ibid. n.141.* & 142

Vota, & juramenta dubia an obligent? *pag.289. n.143.* & 144

Dubitans, an impleverit votum, ad iterum implendum an teneatur? *ibid. n.145*

Qui dubitat an magis, vel minus promiſerit, ſatisfaciatne, quod minus eſt exequendo? *p.290. numero 146*

Qui certus de voto dubitat, qua intentione illud emiſit, an animo ſe obligandi, an cum plena deliberatione? &c. teneaturne voto? *ibid. n.147*

Qui dubitat an materia ſit honeſta, an poſſibilis, &c. teneaturne voto? *ibid.*

Qui certus de voto, dubitat, an emiſerit illud metu coactus, teneatur ad votum. Et idem eſt ſi ſciat votum emiſiſſe ex metu, dubitat vero an fuerit metus cadens in virum conſtantem, *ibid.*

Quomodo vota, & juramenta debeant interpretari? Vbi ſpeciales caſus examinantur, *ibid. à n.148. uſque ad 154. incluſivè.*

Error circa ſubſtantiam voti an illud annullet? *p.292. n.155*

Error circa circunſtantias, an vitiet votum? *ibid. n.156.* & 157

Error circa finem an votum validum relinquat? *ibid. n.158.* & 159

Quot modis ex metu votum poſſit emitti? *p.293. num. 160*

Votum ex metu emiſſum an ſit validum? *ibid. à n.161. uſque ad 164. incluſivè.*

Quot modis votum conditionatum ſit? *p.294. n.165.* & 166

An obliget votum conditionatum, etiamſi non purificetur conditio? *ibid. numero 167, cum duplici ſequenti.*

An vovens teneatur ex vi voti expectare conditionem ſub qua votum emiſit, & non ſe reddere incapacem votum implendi ante eventum illius? *p.295. n.170*

An peccet contra votum qui conditionem, ſub qua votum promiſit, impedit, ne eveniat, *ibid. n.171*

An maneat ſub voto, qui conditionem impedivit? *ibid. n.172.* & 173

Quot modis votum pœnale detur? *p.296. n.174*

An qui invincibiliter ignoraret pœnam à ſe pro-

miſſam. ſi in peccatum laberetur, vel certe illius oblitus, illud peccatum committ.t, cui ex voto erat talis pœna annexa, maneat ad dictam pœnam obligatus? *ibid. n* 175

An ſi quis voto duplici promittat, & evitare ludum. v.g. & ſi lodat talem pœnam ſubire, & ob incat primi diſpenſationem, ſit liber à ſecundo? *ibid. n.* 176

An qui vovit v.g. vitare lodum ſub pœna tal's, vel talis pœnitentiæ, toties teneatur ad pœnam, quoties in ludum ſe exercuerit? *p.* 197. *num* 177

Qui poſſint vota emittere, & illis ſe obligare? *ibid. n.* 178

An Eccleſia poſſit aliquos inhabiles reddere ad vovendum, eorumque vota irritare? *ibid. n.* 179. *cum duplici ſequenti.*

Vota religioſorum ſine licentia Prælati an ſit valida? Et quid dicendum de votis filiorum impuberum, ſervorum, & uxorum? *p.* 198. *à n.* 182. *uſque ad* 186. *incluſivè.*

Qui poteſt relaxare vota, etiam juramenta facta ſoli Deo? *p.* 348. *n.* 1

An ſi alicui committatur facultas commutandi aut diſpenſandi in votis, hoc ipſo cenſeatur facultas commutandi, aut diſpenſandi juramenta ſoli Deo præſtita, vel vota juramento firmata, ita ut à vinculo voti, & juramenti liber maneat? *ibid. n.* 2. & 3

Quæ vota ſervi, Dominus irritare valeat? *p.* 341. *numero* 5

Qualiter ceſſatione finis, & rerum mutatione, ceſſet obligatio voti, aut juramenti? *p.* 344. *à n.* 15. *uſque ad* 23. *incluſivè.*

Qui vota irritare poteſt, an etiam juramenta? *p.* 346 *n.* 24

An requiratur, quod ſuperior in ſpecie cognoſcat votum irritandum, ut validè & licite, illud irritare poſſit? *p.* 348. *n.* 34

An ſuperior poſſit irritare vota inferioris, ipſo nolente, & renitente? *p.* 349. *n.* 35

An Prælati omnia religioſorum vota poſſint irritare? *ibid. à n.* 36. *uſque ad* 38. *incluſivè.*

Qui Prælati ſint illi, qui habent facultatem irritandi vota inferiorum directè ratione poteſtatis dominativæ? *p.* 350. *n.* 39

An Prælati ſecundarii conventuum, quos Superiores, Vicarios, & apud Benedictinos Priores, & in Societate miniſtros vocant, poſſint religioſorum vota irritare? *ibid. n.* 40

An Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ poſſint vota ſuarum monialium irritare? *ibid. n.* 41

An Prælati poſſint irritare vota ſuorum novitiorum, vel commutare, vel diſpenſare? *p.* 351. *n.* 42. & 43

Quæ filiorum vota, valeant parentes, tutores, & curatores irritare? *ibid. à n.* 44. *uſque ad* 54. *incluſivè.*

De votis uxorum, quæ poſſunt à viris, & de virorum votis, quæ poſſunt ab uxoribus irritari? *p.* 355. *à n.* 55. *uſque ad* 59. *incluſivè.*

Quæ vota ſervorum poſſunt Domini irritare? *p.* 356. *à n.* 60. *uſque ad* 63. *incluſivè.*

An facultas ſuperiorum irritandi vota inferiorum extendatur ad vota ex eorum licentia emiſſa? *p.* 357. *à n.* 64. *uſque ad* 69. *incluſivè.*

An vota ſemel irritata poſtea reviviſcant? *ibid. n.* 70. & 71

An vota emiſſa à ſubdito, tempore, quo ſubditus erat, poſſint irritari a ſuperiori, tranſacto ſubjectionis tempore? *p.* 359. *n.* 72. & 73

An vota emiſſa tempore ſubjectionis, implenda tamen tempore, quo ſubjectio eſt diſſoluta, poſſint irritari a ſuperiori, tempore, quo ſubjectio durat? *ibid. n.* 74

An ſuperior irritare poſſit vota inferioris, tempore, quo ſubditus eſt, ſed emiſſa tempore, quo ſubditus non erat? *ibid. n.* 75

Eſt in Eccleſia poteſtas vota diſpenſandi. Et quid ſit diſpenſatio? *p.* 360 *n.* 77. & 78

An Prælatus, qui poteſt cum ſuis ſubditis in votis illorum diſpenſare, poſſit etiam ſecum diſpenſare in votis ab ipſo emiſſis, vel ſaltem alteri ſuas vices delegare, ut ſecum in dictis votis diſpenſet? *ibid. n.* 79

An, qui habent poteſtatem diſpenſandi in votis, etiam habeant facultatem illa commutandi? *p.* 361. *n* 80. & 81

An vota emiſſa in utilitatem tertii ſint diſpenſabilia? *ibid. n.* 82

In quibus jure ordinario reſideat poteſtas diſpenſandi in votis? Et an illa poteſtas poſſit delegari? *ibid. à n.* 83. *uſque ad* 87. *incluſivè.*

An jure ordinario reſideat poteſtas diſpenſandi in votis? Et an illa poteſtas poſſit delegari? *ibid. à n.* 83. *uſque ad* 87. *incluſivè.*

An poſſunt prælati regulares diſpenſare vota religioſorum, ſive ſint profeſſi, ſive novitii? *p.* 363. *à n.* 88. *uſque ad* 92. *incluſivè.*

An confeſſarii regulares poſſint diſpenſare vota, & quæ? *p.* 364. *à n.* 93. *uſque ad* 98. *incluſivè.*

Et quid dicendum ſi ſæculares, quorum vota ſunt diſpenſanda, non habeant Bullam Cruciatam? *p.* 365. *n.* 98

Quæ vota ſint reſervata Summo Pontifici? *p.* 366. *n.* 99. & 100

An in his votis reſervatis poſſit Epiſcopus, vel alius Prælatus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens diſpenſare in caſu urgentis neceſſitatis, quia non eſt facilis aditus ad Pontificem, & eſt in mora periculum gravis damni ſpiritualis, aut temporalis? *ibid. n.* 101

Quæ conditiones requirantur, ut vota reſervata Pontifici, verè cenſeantur reſervata? Ubi caſus quam plures examinantur, & deciduntur? *p.* 367. *à n.* 102. *uſque ad* 107. *incluſivè.*

An ſi quis à Summo Pontifice, vel alio de ejus commiſſione accipiat commutationem voti reſervati, quia in aliud votum, aut materiam commutatum eſt, hoc ſecundum reſervatum ſit, ita ut nequeat ab alio, quam a Papa relaxari? *p.* 368. *n.* 109

An votum caſtitatis, vel religionis, &c. conditionale ſit reſervatum? *p.* 369. *num.* 110. *uſque ad* 115. *incluſivè.*

An ſi quis per Bullam, privilegium, vel Iubilæum facultatem accipiat abſolutam diſpenſandi, aut commutandi omnia vota, talis facultas etiam extendatur ad reſervata? *p.* 370. *num.* 116

De cauſa requiſita, ut voti cujuſcumque diſpenſatio, valide, & licite, impendatur, *p.* 371. *à n.* 117. *uſque ad* 125. *incluſivè.*

Vota commutare, eſt actus juriſdictionis, cujus poteſtas reſidet in omnibus, qui poſſunt diſpenſare? *p.* 374. *n.* 127

An vota auctoritate propria voventis poſſint commutari? Et in quid? *ibid. à n.* 128. *uſque ad* 136. *incluſivè.*

Vota commutare eſt actus juriſdictionis, cujus poteſtas reſidet in omnibus, qui poſſunt diſpenſare, *p.* 374. *n.* 127

Commutatio quam materiam ſubrogare debeat? *p.* 378. *à n.* 144. *uſque ad* 149. *incluſivè.*

Quæ

Quæ vota poſſint commutari virtute Bullæ, aut Iubilei ? *p.379. n.150. cum duplici ſequent.*

An virtute Bullæ, aut Iubilæi poſſit fieri in minus commutatio ? *p.380. n.153*

An virtute Bullæ, aut Iubilæi poſſint commutari vota religionis, aut caſtitatis, in aliquo caſu urgentis neceſſitatis ? *ibid. n.154*

An votum, vel juramentum de eroganda eleemoſyna alicui pauperi determinato, vel alicuî Eccleſiæ, poſſit poſt ejus acceptationem virtute Bullæ, aut Iubilæi commutari ? *ibid. n.155.* & 156

An qui Bullam ſuſcepit, vel Iubilæum lucratus eſt, & tempore illorum vota uon commutavit, illo tranſacto, poſſit votorum commutationem virtute illorum obtinere ? *pag. 381. num.157*

An vota commutata virtute Iubilæi, eo poſteà non lucrato, reviviſcant ? *ibid. n.158*

An peccet confeſſarius, qui requiſitus à pœnitente virtute Bullæ, aut Iubilæi, ut ſibi vota commutet, id facere nou vult ? *ibid. n.159*

An commutatio voti facienda virtute Bullæ ſolum fieri poſſit in pecuniam iu ſubſidium temporale belli ? *ibid. n.160. cum tribus ſequentibus.*

Poſt factam commutationem an teneatur vovens ad materiam ſubrogatam ? *p.382. n.164*

An ſemel facta commutatione à legitima poteſtate, & acceptata à vovente, liberum ſit illi, propria auctoritate ad priorem voti materiam redire ? *pag.383. n.167. cum quatuor ſequentibus.*

De facultate, quam habent Confeſſarii regulares diſpenſandi vota, & irregularitates ſuorum religioſorum, *p.548. num.113. cum ſequentibus.*

Vide *verbo Paupertas, verbo Obedientia, verbo Caſtitas.*

Vſurarius.

An uſurarius privandus ſit Eccleſiaſtica ſepultura ? *p.505. n.197*

FINIS.